R. P. JOSEPHI MANSI
CONGREGATIONIS ORATORII
ROMANI PRESBYTERI

# ÆRARIUM DIVINI AMORIS

## LOCUPLETISSIMUM

## HOC EST DISCURSUS VARII EXQUISITI

IN QUIBUS PER TRACTATUS ORDINE DIGESTOS
AD VERBUM DEI FRUCTUOSE ET FACILITER PRÆDICANDUM
DE PASSIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI
ET DE SACRATISSIMA EUCHARISTIA
MATERIÆ MORALES SUBMINISTRANTUR
ET AD PLENUM DIGERUNTUR

*EX AUREA BIBLIOTHECA MORALI PRÆDICABILI*

COLLIGEBAT

**Z.-C. JOURDAIN**

PRESBYTER AMBIANENSIS

PARISIIS

APUD HIPPOLYTUM WALZER, BIBLIOPOLAM EDITOREM

7, VIA VULGO DICTA DE MÉZIÈRES, 7

—

MDCCCXCII

# ÆRARIUM
# DIVINI AMORIS
## LOCUPLETISSIMUM

# ÆRARIUM
# DIVINI AMORIS
## LOCUPLETISSIMUM

HOC EST DISCURSUS VARII EXQUISITI

IN QUIBUS PER TRACTATUS ORDINE DIGESTOS
AD VERBUM DEI FRUCTUOSE ET FACILITER PRÆDICANDUM
DE PASSIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI
ET DE SACRATISSIMA EUCHARISTIA
MATERIÆ MORALES SUBMINISTRANTUR
ET AD PLENUM DIGERUNTUR


## R. P. JOSEPHI MANSI
CONGREGATIONIS ORATORII
ROMANI PRESBYTERI


*EX AUREA BIBLIOTHECA MORALI PRÆDICABILI*

COLLIGEBAT


**Z.-C. JOURDAIN**
PRESBYTER AMBIANENSIS

PARISIIS
APUD HIPPOLYTUM WALZER, BIBLIOPOLAM EDITOREM
7, VIA VULGO DICTA DE MÉZIÈRES, 7

MDCCCXCII

# ÆRARIUM
# DIVINI AMORIS
## LOCUPLETISSIMUM

## PARS PRIMA
### DE PASSIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI TRACTATUS NOVEM

## TRACTATUS PRIMUS
### DE ASSIDUA MEDITATIONE PASSIONIS DOMINI NOSTRI ET EFFECTIBUS ILLAM CONSEQUENTIBUS

### DISCURSUS I.

CHRISTUS SOLLICITE, UT PASSIONEM EJUS ATTENTE MEDITEMUR A NOBIS REQUIRIT, ET QUANTUM IDIPSUM EI PLACEAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus nos invitat ad considerandum ejus amarissimam passionem. — 2. Excessiva acerbitas passionis Christi incomprehensibilis et ineffabilis est. — 3. Christus vult ut passionem ejus meditantes, ipsi compatiantur. — 4. Cur aer, tempore crucifixionis fuerit obtenebratus. — 5. Et Christus moriens alta voce clamaverit. — 6. Qui mentem meditationi passionis sedulo applicant, maximam ipsius experiuntur benevolentiam. — 7. Jugis meditatio Christi passionis et B. Virginis compassionis gratiosiores sunt Christo omni alio exercitio spirituali. — 8. Christus specialiter benedicit meditantibus passionem suam. Pulchra exempla. — 9. Christus mentibus fidelium passionem suam imprimere omni modo conatur. — 10. Eucharistia instituta est a Christo ad rememorandam ipsius passionem. — 11. Sacerdos vestibus sacris indutus repræsentat Christum patientem. — 12. Distributio horarum canonicarum repræsentat passionem Christi. — 13. Sacrificium Missæ quod omni momento per totum mundum incessanter offertur, semper nobis refricat memoriam passionis Christi.

*O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.* Thren., I, 22.

**1.** — Redemptor noster hoc lamento fideles suos invitare contendit, ut quo adusque viatores sunt, ad dolorosam ejus passionem se reflectant, eamque attente meditentur. Hoc enim volunt acerba illa innuere : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus*; nam ut Simon de Cassia[1] ait : « Christi passio inter « gesta, mente magis quam calamo tractanda est, « et patientiam ejus contemplationibus exponenda « est, non litteralibus elementis. » At vero, tametsi id ita se habeat, in dubium tamen revocari nequit, quin etiam contemplativorum pennæ menti nostræ magno sint subsidio, ut ad hoc mysterium elevare se possit, utpote quod ab omnibus totius Ecclesiæ devotioribus doctioribusque SS. Patribus, cum singulari mentis applicatione examinatum et meditationibus devotis ponderatum fuit, prout in progressu hujus tomi latius videbimus.

**2.** — Enimvero Dionysius Carthusianus[2] argute observat, quod « Passionem Salvatoris, per quam « vivificatus est mundus, singuli Evangelistarum « describant, tanquam unum inter præcipua opera « Christi. » Etenim multa alia et quidem præcipua vitæ Christi mysteria, a nonnullis Evangelistis fuere præterita, eo quod ab aliis punctualiter descripta fuisse probe nossent; at vero in passione Christi describenda omnes quatuor Evangelistæ unanimiter suos adhibuerunt calamos, tametsi illos a tam sublimis sacramenti profunditate deterren-

[1] *Lib.* XXIII. — [2] *In cap.* XVIII JOAN.



25282

dos fore formidare potuissent; nam ipsemet Redemptor noster B. Angelæ Fulginiensi revelavit, nullum unquam inveniri potuisse, qui excessivorum tormentorum immensitatem valuerit comprehendere, aut explicare, prout ipsamet prædicta virgo his verbis post se scriptum reliquit : « Clamabat « anima mea, dicens : Est aliquis sanctus, qui sciat « mihi dicere aliquid de ista passione de qua non « audio fieri memoriam, nec aliquid loqui aut re- « ferri, sicut anima mea vidit : quoniam tanta est, « quod eam referre non possum ? Passionem enim « Christi tantam vidit anima mea, quod quantum- « cunque sancta Maria viderit plus quam alius « sanctus, multis modis tamen intelligo, quod nullo « modo possit illam dicere, nec etiam alius sanc- « tus [1]. » Tametsi vero nulla anima quantumvis sancta, nullus calamus licet doctissimus, nulla lingua quantumcunque facunda, nullus intellectus quantumvis acutus et elevatus, ad Salvatoris passionem describendam, vel explicandam, aut capiendam sufficit, nequaquam tamen illam devote meditari, mentisque nostræ ratiocinatione ruminare, intermittere debemus; siquidem ipsemet est, qui præcipit dicens : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus;* nec mirum, quia ut deinceps audietis, gratiores et acceptiores, seu sapidiores ei meditationes, discursus et affectus offerre non possumus, quam sint illi, qui de amarissima ipsius passione instituuntur, prout id latius in præsenti discursu probabimus.

**3.** — *Attendite, et videte;* id est, ut S. Bonaventura exponit [2] : *Attendite, diligenter considerando et videte compatiendo.* Salvator enim noster talem a nobis exigit considerationem, qua excessivis mortis suæ tormentis et doloribus compatiamur. S. Paschasius [3] prædicti thematis verba hoc modo interpretatur : « O vos omnes, qui transitis per « viam, quæ Christus est, ejus sequentes vestigia, « attendite et videte dilectionis intuitu. » Quæ explicatio optime concordat cum illo S. Petri monito, dicentis [4] : *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Imo Christus adeo sollicite curat, ut fideles sui, quamdiu præsens hæc vita durat, passionis suæ sectentur vestigia, ut hoc fine, in passionis suæ exordio, vestigia sua in quodam horti Gethsemani lapide impressa relinquere voluerit; nam in Annalibus Ecclesiasticis, auctoritas adducitur Ven. Bedæ, *de loco sanct., cap.* 6 *in fin.*, dicentis [5] : « Petram ipsam « super quam Dominus orans flexis genibus innixus « est, quasi mollem ceram cessisse et in se genuum « ejus vestigia suscepisse. » Hæc autem Christi patientis vestigia, a primis fidelibus sequenti modo prudentissime fuerunt honorata; nam idem Beda subdit : « Ipsum lapidem, ut insigne tanti miraculi « monumentum, intra Ecclesiam translatum, et « parieti affixum, cunctisque factum perspicuum « constat. Accepimus ab his qui hæc viderunt, « etiam in imo vallis, quam torrens Cedron præ- « terfluit, in lapidibus ipsis ejusdem Domini nostri « Jesu Christi vestigia pedum impressa remansisse, « hactenusque servata esse. »

**4.** — S. Bernardinus [1] aliud quoddam tangit mysterium, ob quod videlicet aerem tempore crucifixionis suæ obtenebrari voluerit; ita enim scribit : « In mysterio voluit Deus circumcidere oculos « hominum cum tenebris densis, ne visus in ob- « jecta forinseca vagaretur, sed ingrederetur ad « cor, ad considerationem eorum, quæ contra Dei « Filium agebantur, diemque vertit in noctem, ut « intensior fieret consideratio et contemplatio arca- « norum, tam his qui prope quam his qui longe, « Filii Dei passioni astabant. »

**5.** — Quonam, obsecro, fine Christus jamjam animam suam exhalaturus, contra omnem instinctum naturæ, utpote quæ in eo momento plane deficit, vocem suam adeo alte levavit, ut a circumstantibus audiretur? Ait enim Evangelista : *Clamans voce magna.* S. Bernardus a S. Bonaventura citatus, in persona Christi inquit [2] : « Homo, vide, « quid pro te patior, si est dolor sicut quo crucior : « ad te clamo, qui pro te morior, vide pœnas qui- « bus afficior. » Idem paulo ante dixerat : « Valide « clamavit, ut audiretur ab hominibus; clamori- « bus lacrymas addidit, ut homo compateretur. »

**6.** — In quorumdam sanctorum vitis varias legimus, a Redemptore illis præcipue animabus factas summæ benevolentiæ, et amabilitatis significationes, quæ ad hoc mysterium meditandum præ cunctis aliis mente sua vel maxime applicatæ fuerunt. Qua de re in primis piissimus Blosius [3] ita scribit : « Frequentissime Dominus revelavit cha- « rissimis sponsis suis Gertrudi, Birgittæ, Mechtildi, « Catharinæ, quam sit et sibi acceptum et homini « fructuosum, recolere passionem pia, et humili, et « sincera attentione, vel devotione, quod et ipsæ « diligentissime semper fecerunt. » Idem quoque alibi in eodem libro dixerat : « Neque scribi, neque « cogitatione comprehendi potest, quantum fructum « homo bonæ voluntatis et humilis referat ex pia « meditatione passionis Dominicæ. » Idem quoque pius scriptor sequentem refert B. Henrici Susonis discursum, dicens : « Suso in dialogo introducit Sapien- « tiam æternam, videlicet Christum Jesum, collo- « quentem de passione sua cum ministro suo, ita : « Mihi longe gratius est cor hominis, si omni caduco « amore sit vacuum, atque ad imitandum vitæ meæ « præclarum exemplar, perpetua sedulitate inten-

[1] Bellarm., tom. I, 14 jan. — [2] S. Bonav., ibid. — [3] S. Pasch., ib. — [4] I Petr., II, 21.— [5] Baron., *anno* 34, n. 66.

[1] S. Bern., t. I, ser. 45, art. 2. — [2] S. Bonav., ser. 2 *Parasc.* — [3] Blos., *in Conclavi anim.*, c. III, n. 6.

« tum, quam si continuis me prosequatur lamentis, « totque fundat lacrymas, quot unquam pluviæ « guttæ ex aere profluxerunt; siquidem acerbis- « simæ mortis perpessione hoc potissimum spec- « tavi, et volui, ut me homines imitarentur. » Imo in eodem magno spiritalis vitæ magistro hanc aliam doctrinam, ad virum spiritualem directam hisce verbis descriptam reperio[1] : « Igno- « rare non debet, illa exercitia quibus aliquid ex « passione Domini Jesu, juxta gratiam sibi datam, « legit, aut ruminat, majoris esse virtutis, quam « alia spiritalia exercitia. Omnino sicut ille qui « opobalsamum vel leviter contingit, necessario « suavem odorem retinet, ita is qui passionem « Dominicam pie recolit, licet per modico affectu « id faciat, non poterit non referre augmentum « gratiæ divinæ. Sed nec effigiem quidem crucifixi « Redemptoris homo christianus orthodoxæ fidei « unquam reverenter aspexit, aut aspiciet, sine « grandi utilitate. »

**7.** — Ludolphus Carthusianus in libro, quem de morte Christi composuit, in hæc verba scribit[2] : « Multum placet Deo, quod homo memoriam pas- « sionis, et vulnerum ejus portet in corde suo; « narratur enim, quod cum quidam eremita sanc- « tissimæ vitæ instanter Dominum exoraret, ut sibi « ostenderet, quid sibi inter cætera servitia magis « acceptabile esset, vidit hominem nudum, trepi- « dantem frigore, et crucem magnam super se baju- « lantem, et sibi, quis esset interroganti, dicen- « tem : Jesus Christus ego sum. Rogasti enim me, « ut tibi ostenderem, quid inter cætera servitia mihi « magis complaceret : et nunc tibi dico, quod hoc, « quod scilicet homo juvet me portare crucem « meam, et vulnera, et passionem in corde suo : et « hæc dicens, evanuit. » B. Veronicæ de Binasco, prout in Bollando legitur[3], Redemptor noster sequentia revelavit : « Intellige filia mea, lacrymas « passionis meæ gratia a meditantibus manantes, « mihi quam gratissimas fore. At cum mei Geni- « tricem cœlorum Reginam inexcogitato amore « prosequar, gratior mihi est dolorum, quos in « passione mea perpessa est, attenta meditatio. » S. Bonaventura, in eo, qui passioni Dominicæ meditandæ sæpe vacat, excellentissimum notat inesse meritum; ait enim[4] : « O passio mirabilis, quæ « suum meditatorem non solum reddit Angelicum, « sed et divinum ! » Ex quibus verbis satis comprehendi potest, quam sit Christo sanctum hoc exercitium præ quovis alio gratum et acceptum; nec mirum est, id a Seraphico doctore tam asseveranter scribi, quia ut suo loco dicemus, ipse hujus rei specialem habebat experientiam, utpote qui in solo Crucifixi libro studia sua tractabat.

**8.** — In vita B. Angelæ Fulginensis sequentia leguntur prædicta Virginis ore tradita[1] : « Dum sic tota starem absorpta ab illo dolores et quasi « in dolores Crucifixi transformata, audivi Crucifi- « xum super devotis ad suam passionem, et super « imitantibus ipsam et super sibi compatientibus, « dulcissimas benedictiones ingeminantem et dicen- « tem : Benedicti vos a Patre meo, qui mihi com- « passi et mecum similiter contribulati et viam meam « secuti, stolas vestras in meo sanguine lavare meruis- « tis. » In Prato florido sequens traditur exemplum[2] : Dum enim Virguncula quædam Christi crucifixi passionem frequenter meditaretur, oculosque in quamdam ejusmodi imaginem, inter brachia sanctissimæ Virginis insertam, haberet defixos, sæpius in extasim rapiebatur, in qua variæ ei fiebant a Deo revelationes. Die autem quadam Christum in specie pulcherrimi infantis conspexit, qui omnes lacrymas quas ipsa in ferventi contemplatione sua effundebat, summa cum diligentia sigillatim colligebat : andiit quoque sanctissimam Virginem Filium suum interrogantem, an lacrymæ illæ, quas scilicet prædicta virguncula effundebat, gratiores essent illis, quas S. Maria Magdalena pœnitens effudit; qui mox respondit, quod sic, quia lacrymæ Virginis illius lacrymæ erant amoris, et compassionis : lacrymæ autem Magdalenæ, compunctionis lacrymæ erant, præ dolore peccatorum commissorum effusæ. Idipsum quoque ex alia quadam historia a Cæsario[3] relata confirmatur; hic enim refert, quod cum Salvator in cruce pendens cuidam sacerdoti, qui erga passionem Domini magna ferebatur devotione, apparuisset, hanc ei dederit optionem : « Pete a me quod vis, et fiet tibi. » At vero quid ipsum a Crucifixo postulasse existimatis? num forte sanitatem? num honores? aut delicias, vel thesauros? Haud quaquam; sed margaritas potius, vel etiam rubinos, id est, lacrymas sibi dari poposcit, ut scilicet quotiescunque sanguinem Christi in cruce effusum meditaretur, amarissime plangere posset; subdit enim præfatus Cæsarius : « Respondit : Domine, sufficit mihi « gratia tua, nihil aliud a te peto, nisi tantum ut « lacrymas habere possim quoties passionis tuæ « fuero recordatus. » Dictum, factum, quod enim a Crucifixo sibi dari petit, perfecte impetravit.

**9.** — Enim vero quanta cum sollicitudine Christus, postquam in monte Calvariæ, velut agnus innocens, occisus fuit, fidelium suorum mentibus imprimere sategerit hanc ad Passionem ejus mentis applicationem, ex capite IV Apocal. facile potest deduci, ibi namque ante thronum Agni quatuor inveniemus animalia plena oculis, quæ etiam ab Ezechiele in capite primo Prophetiæ suæ visa fuere : ac proinde dicit : « Quatuor animalia plena oculis « ante, et retro; singula eorum habebant alas

[1] Blos., *in Instruct. Vitæ ascet.*, fol. 690.— [2] Ludolph. Carthus., part. II, 58, *de Pasch.*— [3] Bolland., 13 jan.

[1] S. Bonav., *Stim. amor.*, c. 1.— [2] Bolland., 4 janv. — *Prat. florid.*, l. I, ex. 7. — [3] Cæsar., l. VIII, c. 10.

« senas : » instar illorum Seraphim, qui duabus alis faciem Dei, duabusque aliis pedes illius velabant, duabusque reliquis velut volantia videbantur. At vero quisnam horum oculatorum animalium mysterium enucleare poterit? Nimirum spectaculum hoc Christum in cruce suspensum præfigurabat, ac proinde in eadem Apocalypsi dicitur [1] : *Et vidi, et ecce in medio throni, et quatuor animalum, Agnum stantem occisum.* Ad hujus vero Agni mortem, et crucifixionem contemplandam, ab iis qui huic agno devoti sunt, non duos tantum, sed centum, imo innumerabiles oculos requirit; ac proinde cuilibet nostrum dicere videtur : « Vide quæ pro te patior. » Observandum porro, quod Isaias de illis Seraphinorum alis scribit [2], nimirum : « Duabus velabant faciem ejus, et duabus « velabant pedes ejus, et duabus volabant. » Circa quæ verba certus quidam interpres observat, hosce Seraphinos alas suas expandentes, veram formasse crucem « putantes nimirum quod nulla « figura aut gestu, gratius possent coram Deo ad- « stare quam si Christum crucifixum ostentarent : » verba sunt S. Germani [3] : « At illi qui tuæ gloriæ, « et sceptro regali assistunt, tibi conformantur, et « nova quadam ratione, imitatione tui gloriantur : « contractis quidem alis superioribus, et inferio- « ribus, expansis autem utrinque mediis, et in « formam crucis volantes, etc. »

**10.** — Longe autem evidentius ardentissimum hoc Redemptoris nostri desiderium, hanc dolorum passionis suæ memoriam, et meditationem fidelium animabus imprimendi, ex institutione Eucharistiæ apparebit quam ad ultimum usque reservavit; nam *in qua nocte tradebatur, accepit panem* [4], etc Cujus rationem Apostolus assignat, dum Christum in hæc verba loquentem introducit : *Hoc facite in meam commemorationem.* At vero in cujus rei commemorationem sacramentum hoc consecrandum erat : num forte illud in Incarnationis suæ vel Resurrectionis, vel Ascensionis, vel Nativitatis ipsius memoriam fieri volebat? Nequaquam, horum enim mysteriorum nulla prorsus ibi fit mentio, sed solum Apostolus mortis Christi meminit, dicens : *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis*, ubi Syriaca : *Mortem Domini ad memoriam revocabitis.* Voluit igitur Salvator noster Sacramentum istud in Ecclesia sua asservari, ut, quotiescunque istud sive publice expositum, sive in sacrificio incruento immolatum, sive in communi distributum veneramur, semper commemorationem faciamus illorum, quæ ex immenso suo erga nos amore in sua passione pro nobis sustinuit. Neque sine mysterio infinitam Majestatem suam sub sacramentalium alium accidentium cortinis occultare voluit; hoc enim fecit, ut humilitatem et vilipendium, cui se in morte sua subjecit, tanto magis recolere, et exercere possemus. In solemnitate Corporis Christi sub Matutino ex S. Thoma Aquinate [1] sequentia verba leguntur : « Corpus suum pro nostra reconciliatione « in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri : sangui- « nem suum fudit in pretium simul et lavacrum. Ut « autem tanti beneficii jugis in nobis maneret « memoriæ, corpus suum in cibum, et sanguinem « suum in potum, sub specie panis, et vini sumen- « dum dereliquit, »

**11.** — Neque solum Ecclesia a Christo edocta, et a Spiritu Sancto directa, hujus sacramenti institutionem nos continuo ad hoc redemptionis nostræ mysterium cogitandum invitat, et extimulat; verum insuper multos alios stimulos ad eumdem effectum lateribus nostris admovit. Quotiescumque enim sacerdotem pro celebranda missa vestibus sacerdotalibus indutum conspicimus, Redemptorem nostrum patientem ob oculos nostros positum cernimus : amictus enim velum denotat, quo sacrosancta ejus facies obducta fuit. Alba vestem denotat albam, qua Herodis jussu Salvator noster amictus fuisse legitur, Cingulum, manipulus, et stola; funes, vincula et catenas subindicant, quibus fuit constrictus. Planeta purpuram significat; tonsura capitis sacerdotalis coronam significat spineam; biretum quadratum crucem præfigurat, ideoque in specie crucis efformatum cernitur.

**12.** — Eadem quoque Passionis memoria in horarum canonicarum distributione unicuique fidelium inculcatur. Matutinum enim in honorem pœnosæ illius noctis, quæ inter diem Jovis sanctum, et feriam sextam Parasceves intercessit, celebratur, estque distinctum in tres nocturnos, qui tria significant tribunalia, coram quibus Christus in illa nocte præsentatus et accusatus fuit. Prima, in memoriam flagellationis et coronationis dolorosissimæ recitatur. Tertia in memoriam condemnationis Christi ad mortem crucis. Sexta, in crucifixionis suæ honorem. Nona in memoriam mortis. Vesperæ depositionem Christi a cruce commemorant. Completorium vero ejusdem indicat sepulturam.

**13.** — Porro de aliis christianæ religionis nostræ mysteriis, quantumvis præcipuis, sancta mater Ecclesia unica tantum vice per annum commemorationem instituit; ut patet in mysterio Incarnationis Verbi, Nativitatis, Resurrectionis et Ascensionis, aliisque similibus : at vero mortem Christi quovis momento, et quovis in loco commemorat, quia per totum christianismum sacrificium incruentum, quod est veluti quædam mortis suæ mystica renovatio, diu noctuque incessanter offertur; ac proinde *jage sacrificium* appellatur, quia

[1] *Apoc.*, v, 6. — [2] Isa., v, 2. — [3] S. German. Const. orat. *de cruce.* — [4] *I Cor.*, xi, 26.

[1] S. Thom. Aquin., *opusc.* lvii.

multis in locis, eo tempore, quo apud nos noctescere incipit, dies ab aurora ortum suum ducit. Unde nunquam hæc celebratio ne quidem per unicum momentum intermittitur. Præterea in quavis Ecclesia imago crucifixi, vel crucis debet esse exposita. Quilibet christianus crucis signum sibi imprimit frequenter; ideoque crucis signum in omnibus sacramentis, et in quibusvis benedictionibus adhibetur in honorem pariter passionis Dominicæ, consecratus est dies Veneris in quo omnibus Christianis a carnibus abstinentia præcipitur. Ut autem Christi fideles tanto dignius ad compatiendum Redemptori in septimana sancta passo disponantur, non solum integram septimanam immediate antecedentem, septimanam Passionis appellatam, sed integram quamdam quadragesimam præmittit, in qua omnes fideles per abstinentiam, jejunia, stationes, prædicationes, aliasque austeritates jugiter exercentur ut tam sublime mysterium tanto devotius ferventiusque sanctificare possint. Imo ipsummet Pascha aliud nihil est quam ejusdem mortis Dominicæ solemne memoriale; *est enim Phase, id est, transitus Domini.*

## DISCURSUS II.

CHRISTUS PASSIONEM SUAM CORDIBUS NOSTRIS VIVACITER IMPRIMI DESIDERAT; IDQUE MULTOS FECISSE, VARIIS EXEMPLIS PROBATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Passio Christi cordi nostro medullitus imprimenda, et meditanda est jugiter, ex qua meditatione novem consequimur præclaras utilitates. — 2. Meditatio passionis valde fructuosa est. — 3. Varia afferuntur exempla passionis Christi fervide et fructuose meditantium. — 4. S. Francisci; S. Anselmi; S. Bonaventuræ; S. Catharinæ Senensis. — 4. S. Franciscæ Romanæ. — 5. B. Henrici Susonis. — 6. P. Simonis Rodriguez, Alexandri Card. Ursini. — 7. S. Elisabeth de Spalbeck; alicujus viri fidelis et boni. — 8. Cujusdam Prioris ex ord. S. Dominici. — 9. Alicujus puellæ sanctissimæ. — 10. V. Sororis Ursulæ Benincasæ.

*Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu.*
Ad Philip., XXII, 5.

**1.** — Quemadmodum S. Paulus Apostolus Philippenses, ut dolores et pœnas passionis Dominicæ cordibus suis imprimerent, his verbis exhortatur [1]: *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu*: ita quoque idem Apostolus primus fuit, qui iisdem hac in re salutari exemplo præluxit; ideo enim ad Galatas in hac verba scribit [2]: *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini Jesu Christi*: adeoque perfecte salutare illud impleverat consilium: *Toto nobis figatur in corde, qui pro nobis fixus est in cruce.* Passio enim Domini fidelium animarum præcordiis alte imprimenda est, et ideo *figatur in corde; sentite in vobis, quod et in Christo Jesu.* Sponsa, per quam anima electa, Christi amore succensa, symbolice significatur, protestabatur dicens [3]: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*; et bene inter ubera amarissimam hanc myrrham locatam habebat, non vero in manibus, vel sub brachiis, ut tanto tenacius cordi astringeretur: *Inter ubera mea commorabitur.* Optime igitur monet Ven. Blosius [1] dicens: « Inestimabilis plane thesaurus invenitur in passione Christi, cui si te convenienter adjunxeris, « mirum in modum locupletaberis. » Ubi observanda est illa circumstantia; *cui si te convenienter adjunxeris*; nam hæc mortis Redemptoris nostri consideratio nequaquam superficialis, sed intima esse debet. Nec mirum, quia ut idem auctor paulo post subjungit [2]: « Ipse dulcis Jesus dixit in spiritu « cuidam amico suo. Quisquis bona voluntate prædi« tus, passionis meæ lectioni aut meditationi, humi« liter et studiose, ut oportet, insistit, novem inde « utilitates consequitur. Prima est, quod a peccatis « omnibus emundatur, et quidquid neglexit, ex me« ritis meis restituitur. Secunda, quod ad resis« tendum hostibus suis ita confortatus, ut nullum « ex eo triumphum referre queant; nam tametsi « ipse ex infirmitate nonnunquam labitur, dexte« ram tamen meam suppono, ne collidatur, et « pereat. Tertia, quod ad bona quæque opera, di« versasque virtutes peragendas vires accipit. « Quarta, quamlibet brevi cogitatione eamdem « passionem mea revolvat, semper anima ejus « in gratiam meam renovatur. Quinta, quod devote « illam commemoranti libenter ipse commoror. « Sexta, quod arcana mihi a Deo Patre manifestata « illi similiter aliquando pandam. Septima, quod « eum ante mortem mihi placentem reddam, et « defunctum eum cum charis amicis meis remune« rabor. Octava, quod nihil eorum, quæ serio, et « rationabiliter convenienterque petit, illi negabo. « Nona, quod in morte illi adversus hostes ejus « assistam, et de vita æterna illum faciam certum « atque securum. » Quæ cum ita se habeant quisnam post tot, tantasque tamque salutares, et præclaras promissiones, Christum crucifixum in intimo cordis sui imprimere negligat?

**2.** — Ludolphus Charthusianus [3] passionem Christi fructiferam appellat, inquiens: « Per fructi« feram ac venerabilem Christi passionem, cunc« torum nobis spiritualium donorum materia « copiosissime ministratur. » Enim vero a Christi crucifixione usque in præsentia tempora, rerum omnium magistra experientia per omnia sæcula nos docuit, quod omnes quotquot amarissimæ passioni Dominicæ devoti extiterunt, homines semper fuerint magna perfectione et spiritu prædiți, mul-

[1] PHILIP., II, 5. — [2] GALAT., VI, 17. — [3] CANT., I, 12.

[1] BLOS., in *Sacel. anim.* — [2] ID., *ibid.*

tis a Deo donis locupletati, pluribusque præcipuis gratiis insigniti. Et quidem ut de Apostolo loquar, qui salutare hoc nobis proposuit consilium[7] : *Hoc enim sentite in vobis, quod in Christo Jesu, etc.*, quis est, qui eum sæpius in Paradisum raptum, ibidemque in secretorum divinorum penetralia introductum fuisse ignoret? Multi enim fuerunt raptus, visiones, revelationes, quibus variis temporibus a Deo fuit honoratus. Quam eximia fuerunt illi prophetiæ, varietatis linguarum, operationis miraculorum, et alia innumera bona communicata? Quis inter omnes Apostolos reperietur, cui cœlestis sapientia majori cum profunditate fuerit infusa? Et quidem ex quo revelationum mentionem facere cœpimus, opportune mihi hoc loco S. Birgitta, regni Suetiæ præclarum decus et ornamentum incidit, quæ licet vinculo maritali adstricta, in ampla, opulenta, nobili domo in sæculo viveret, a Deo tamen ad eminentem sanctitatem sublimata, et in divinorum arcanorum secretariam fiducialissimam electa fuit, ut proinde Ecclesia in ejus collecta dicat : *Deus qui B. Birgittæ per Filium tuum Unigenitum secreta cœlestia revelasti.* At vero scitisne undenam hæc ejus prærogativa suam traxerit originem? Hanc cœlestium donorum originem Ecclesia in lectionibus de eadem sancta subindicat, dicens : *Decennis post auditum de passione Domini sermonem, sequenti nocte Jesum in cruce recenti sanguine perfusum vidit, et de eadem passione secum loquentem : quo ex tempore in ejusdem meditatione ita efficiebatur ut de ea sine lacrymis cogitare deinceps nunquam posset.*

**3.** — In tomo quarto nostri Promptuarii sacri, discursu nono de S. Francisco Assisinate, omnia merita, virtutes, dona et gratias in aliis sanctis dispersas, in seraphico hoc viro in gradu eminenti collectas fuisse, fuse probavimus; hæc autem prærogativa infiniti illius amoris effectus fuit, quo erga passionem Dominicam devotissime ferebatur, a quo omnes ejus fervores duxerunt principium, prouti fusius in septem discursibus de sacris ejus stigmatibus videre licet. Similiter quanto affectu pietatis S. Anselmus Redemptoris nostri passionem fuerit prosecutus, facile deduci potest ex affectuosissimis verbis ejus sequentibus[1] : « Divinissimam crucem humeris meis impone, « cujus latitudo est charitas, super omnem creatu- « ram se extendens; cujus longitudo æternitas, « cujus sublimitas omnipotentia, cujus profunditas « inscrutabilis sapientia est. Confige illi manus meas « et pedes meos, et totam formam passionis tuæ « me famulum tuum indue. » In progressu autem ejusdem capitis gratiam quamdam a Deo postulat, conformem consilio S. Pauli, dicentis : *Hoc autem sentite in vobis, quod et in Christo Jesu*; ait enim : « Ut crucifixi imaginem portare me glorier, vul- « nerat hoc cor meum vivus et efficax sermo tuus, « et penetrabilior omni lancea acutissima. » Idipsum pariter Doctor Seraphicus[2] his verbis a Christo poposcerat: «Nolo, Domine, sine vulnere vivere, quia « te video vulneratum. » De S. Catharina Senensi in ejus vita legitur, quod tametsi languida, lectoque affixa fuisset, adeo ut ne movere quidem se posset, a cœlesti tamen Sponso suo totius amarissimæ passionis suæ particeps fieri petierit, ut cum in cœlis cum ipso unita degere non posset, ad minus dolores ejus sentiendo, cum ipso unita digne non posset, ad minus dolores ejus sentiendo, cum ipso unita esset in terris : postulatamque hanc a Sponso suo gratiam adepta fuit quamvis fratri Raymundo confessario suo retulit; dolores Redemptoris, prout ipsa in corpore suo experta fuerat, adeo esse atroces, ut nullus hominum illos sustinere posset quin sæpius moreretur. Porro sanguinem ab Agno occiso effusum, quemadmodum in corde, ita quoque in ore semper, et ubique circumferebat, idque cum tanto amoris ardore, ut omnes suas litteras, quæ in ingens excrevere volumen, hoc modo fuerit exorta : Ego Catharina, ancilla, et mancipium servorum Jesu Christi, scribo vobis in pretioso ejus sanguine, etc., ac proinde in dubium revocari nequit, quin ipsa perfectissime executa fuerit Apostolicum illud consilium : *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu*; si quidem ipsa, non minus quam S. Franciscus, digna facta fuit, quæ sacratissima Christi stigmata in corpore suo reciperet, cum hac tamen differentia quod ex profundæ humilitatis suæ instinctu a Sponso suo petierit et obtinuerit, ne stigmata illa, ab aliorum oculis videri aut notari possent.

**4.** — De S. Francisca Romana in ejus vita legitur quod dolores Christi patientis adeo vivaciter animo suo impresserit, ut quotiescunque crucifixionem pedum vel manuum Christi meditaretur, ipsa quoque in pedibus, vel manibus suis acerbissimos experiretur dolores; similiter coronam meditando spineam, circa tempora sua puncturas sentiebat intolerabiles : hæcque intima illius compassio ad tantam usque vivacitatem percipit, ut sanguinem sæpius spueret, manus quoque et pedes vivo tingerentur sanguine, sicut et, ob eamdem causam, ex pectore suo diuturno tempore humor sanguineus scaturivit, ut proinde de ipsa dici queat, quod de seraphico Francisco S. Bonaventura his verbis scribit : « Memoria passionis Christi visceribus cordis « ipsius impressa fuit medullitus. » Ven. Beda in præfatione earum meditationum quas *de passione Domini* conscripsit, modum quemdam, hanc contemplationem vivaciter exercendi, tradit, quo sanctos, in hoc exercitio ferventiores usus fuisse,

[1] LUDOLPH. CARTH., II part., c. 58. — [2] S. ANSELM. *de Pass.*, c. 17.

[1] S. BONAV., *de Stim. amoris*, c. 2.

omnino est credibile; ait enim : « Necessarium « esse, ut aliquando ista cogites in contempla- « tione tua, ac si præsens tum temporis fuisses, « quando passus fuit, et ita te habeas in dolendo, « ac si Dominum tuum coram oculis tuis haberes « patientem. »

**5.** — De B. Henrico Susone apud Bollandum sequentia leguntur : Præ aliis quibuslibet exercitiis cupide admodum trahebatur, ut aliquod suo in corpore gestaret signum sensibile condolentiæ erga acerbissimam crucifixi Domini passionem. Effecit ergo sibi crucem ligneam, longitudine palmi virilis et congrua latitudine, eique infixit clavos triginta, in honorem, vel memoriam omnium vulnerum Christi, quibus in nos suum est testatus amorem. Hanc crucem in dorso inter scapulas extendit in ipsa carne et annis octo, noctes atque dies jugiter eam tulit, in laudem crucifixi Domini sui. Deinde extremo anno etiam acus septem eidem impressit, quarum acies per mediam adegit crucem, cui firmiter cohærebant, reliquam partem acuum superius resecabat. Harum cruentationem acuum pertulit, ob honorem acutissimi doloris, quo Virginis matris cor et anima in Filii morte confixa fuere. Quando hanc crucem primo suo corpori adstrinxit, tenera ejus natura exhorruit; quamobrem ad saxum aciem clavorum pauxillum retudit : sed illico hac neutiquam virili mollitie victum se dolens, denique eos omnes lima exacuit et ad corpus applicavit. In quo proinde sanctissimo Dei servo verificatum fuit pronunciatum illud Evangelicum [1] : *Arbor bona bonos fructus facit : ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Idem quoque Bollandus tenerrimos matris B. Henrici erga passionem Domini affectus refert, dicens : Consuetudinem sibi fecerat, omnes suas perpessiones in Christi passionem demergendi, atque ita eas superabat. Narravit filio suo ante obitum suum, triginta annis nunquam se missæ sacrificio interfuisse, quin ex intima compassione erga Christi cruciatus et matrem condolentissimam, acerbe fleret. Aliquando sub ineuntem Quadragesimam, ad templum quoddam abiit, ubi Christi de cruce depositio exsculptis figuris in altari quodam expressa erat. Coram his imaginibus sensibili quodam modo nonnihil percepit acerbissimi doloris illius, quem pertulit Virgo mater sub cruce; atque ex hac angustia pia hæc mulier præ condolentia tantos sensit dolores, ut cor illius propemodum creparet, adeo ut præ defectu in terram collabens, nec videret quicquam, nec diceret. Sic igitur in domum relata, in lecto suo jacuit tacita usque in sanctam Parasceven, qua die cum passio in templo caneretur, circa horam nonam expiravit. In eadem igitur hora ex hac vita transiit, in qua Redemptor noster Æterno Patri spiritum suum consignavit; filioque suo apparens, se in cœlum abire jucundo vultu affirmavit.

[1] Marc., VII, 17.— [2] Rho, *Hist. virt.*, l. III, c. 2, n. 3.

**6.** — De P. Simone Rodriguez apud Patrem Rho sequentia traduntur : Ne crucis aliquando posset oblivisci, neque eam minus amare posset Simon, ejusdem imagine ita olim pectus sculpserat, ut insignibus extantibus cicatricibus, palmaris ea demum post mortem fuerit observata : quod fieri necessarium esse cum prævidisset homo modestissimus, veritus ne rei insolentia in suspicionem miraculi vocaretur, quasi ibi ea forma effecta esset divinitus, maluit socio fateri, se crucis amore, ferro, vulneribusque ita pectus disculpsisse, ut postmodum alte impressa extarent vestigia, etc. Idem auctor de alio quodam societatis Jesu religioso, Thoma Salio nomine, pariter narrat, dicens : Ligneam crucem obversis nudum in pectus aculeis asperam cum diu gestasset, eam demum adeo pectori suo appressit, ut ejus impresserit formam, abditosque animi sensus luculenter prodiderit. Memorabile quoque est, quod idem historicus de Alexandro cardinali Ursino, viro admodum conspicuo, in hæc verba scribit : Sigillum Christi e cruce pendentis in sinu ita gestavit, ut obversis in pectus clavis, cum liberet apprime (libebat autem sæpissime), quinis illud compungeret vulnusculis, et amori, ne incomitatus aut erubesceret, aut dilaberetur, dolorem comitem adjungeret, cujus in sinu pulcherrime aç molliter, illum didicerat conquiescere.

**7.** — Apud Blosium [1] de sanctissima virgine Elisabetha de Spalbeck legitur : Quod ingenti devotione quotidie passionem Dominicam recolere consueverat, unde Christus vulnera quinque stigmatum suorum manibus, ac pedibus, et lateri ejus verissime impressit, adeo ut ex ipsis, tanquam ex recentibus plagis, copiosus sanguis plerumque effluueret, idque potissimum feriis sextis. Longe vero intensior fuit compassio, qua mortem Christi quidam servus Dei est prosecutus, cujus Annales Ecclesiastici honorificam, sequentibus verbis, faciunt mentionem. Quidam vir fidelis et bonus, de oppido Dinantheo mare transiit, et ingressus terram sanctam, loca singula, in quibus pedes Domini stetisse, aliquibus indiciis ferebatur, multa devotione et lacrymis visitavit; cumque venisset ad locum Calvariæ, ubi Redemptorem nostrum audivit mortis angustias, et crucis supplicia pertulisse, gravissimis suspiriis ingemiscens, cum clamore valido, et lacrymis dixit : Quid tibi, benignissime Domine, quid, inquam, tibi, Christe, retribuam pro omnibus quæ pius amator amabilis mihi mirabiliter tribuisti? Vidi prius loca, in quibus natus, et inter homines conversatus, doctrinam evangelicam prædicasti, et deitatis tuæ indicia per miracula demonstrasti : hæc quidem per amorem, et reverentiam tui sincero corde complexus sum; hunc vero locum passionis, et mortis tuæ æquo animo videre non possum, ubi clavis crucifigi, terebrari lancea,

[1] Blos., *Conclav. anim.*, c. II, n. 7.

et animam pro nobis tradere voluisti. Hæc ut beatus ille peroravit, exclamans, ruptis vitalibus cordis venis, spiritum exhalavit.

**8.** — Thomas Cantipratensis refert, tanquam testis oculatus, eventum quemdam, e quo evidenter deduci potest, quam grata sit Redemptori nostro continua crucis et mortis suæ memoria, maxime dum illam intime cordi nostro imprimimus. Scribit enim, quod religiosus quidam ex ordine S. Dominici, Vulvandus nomine, Prior Argentinensis, laudabilem hunc usum semper tenuerit, quod sive sedens, sive ambulans, continuo grossiori digito crucis signum in pectore sibi formarit. Accidit autem, quod Moguntiæ constitutus, infirmatus fuerit ad mortem, quam non suspirans, sed lætus festivusque anhelabat; quia vero in eadem civitate ordo S. Dominici nullum adhuc habebat fundatum monasterium, apud fratres Minores sepeliri petiit. Paulo post vero Patres Prædicatores Argentinenses duos e conventualibus suis Moguntiam miserunt, qui a fratribus Minoribus sacrum illud pignus sibi consignari peterent, id quod illi facere constanter detrectarunt; post aliquot vero annorum curriculum, cum Patres illi locum suum desererent, ossa prædicti Patris recuperare haud difficulter potuerunt; quo facto sequens casus accidit : Ossa enim fratres diligentius abluentes, os pectoris, cui ex utraque parte inhærent costæ, superius insignitum cruce operosissima repererunt, et hoc quasi scutum cordis interius. Erat autem crux (ut ipse ad hanc videndam quadraginta milliaribus laboravi, et lætus vidi oculis meis) in ossis medio ex substantia ossea ad spissitudinem evidentissimam elevata, tribus superioribus brachiis æqualis longitudinis, et inferiori brachio decentissime longiori; extremitates vero trium brachiorum superiorum instar repandi lilii recurvatas, et brachium interius, quasi truncо deberet infigi, exacuatum habebat. Quid igitur in signo corporeæ crucis in osse pectoris, nisi mortis Christi in mente prius habita stigmata passionis? et quid in foliis repandi lilii in crucis extremitatibus designatur, nisi mundissimæ castitatis insigne, quod cum memoria mortis Christi fundatissime fixum gerebat in carne?

**9.** — Idem porro auctor de persona sibi nota sequens refert aliud simile exemplum, dum ita scribit[1] : Novi secretius in Brabantiæ partibus eximiæ sanctitatis puellam, de qua per veridicos fratres ordinis Prædicatorum manifeste probatum est, quod per assiduam meditationem passionis, et vulnerum Christi, in latere ejus vulnus ingeps per plures annos apparuerit, ut de ipso vulnere sanguis fere continue in magna quantitate profluxerit; cujus quoque sanguinis particulam ad evidentiam tanti miraculi vidimus diu in vitreo vase reservatam, nec coloris mutasse speciem nec odoris.

[1] IDEM, *ibid.*, § 7.

**10.** — Aliud quoque exemplum vivacis hujus impressionis crucifixi in animarum perfectarum, et sanctarum corde, venerabilis soror Ursula Benincasa virgo neapolitana subministrat; cujus spiritus, summi Pontificis jussu, a S. Philippo Nerio examinatus et approbatus fuit : cum enim pientissima hæc virgo imaginem quamdam, in qua dolores Christi patientis ad vivum exprimerentur, habere summopere desideraret, nec tamen ullum invenire potuisset pictorem, quantumvis expertum, qui mentem ejus assequeretur, eique satisfaceret, ipsamet imaginem talem effingere arrepto penicillo tentavit[1]. En verba ipsiusmet historici : « Ausa est « per se tentare, quod perficere se posse desperaverant picturæ magistri; virgo quæ nunquam « penicillos attigisset, nunquam colores tractasset, « expressam per summas dolorum acerbitates « Christi Domini ita effinxit imaginem, ut in me« diis doloribus divinam illam charitatis alacri« tatem, qua hominibus salutem afferebat, incor« rupta dolorum significatione repræsentaret. Amo« ris scholam unam omnibus parem artibus quis « neget? »

## DISCURSUS III.

### CRUCIFIXUS REDEMPTOR NOSTER SUB LIBRI CUJUSPIAM FIGURA CONSIDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus crucifixus est liber magnæ doctrinæ. — 2. Ex hoc libro hausit S. Bonaventura omnem scientiam. — 3. Patibulum crucis est cathedra Christi docentis. — 4. Christus crucifixus in sacra Scriptura sæpe nomine libri designatur. — 5. Liber scriptus intus et foris est Christus sedens ad dexteram Patris. Passio Christi est ditissima mysteriis et sacramentis. — 6. Adducuntur similitudines inter Christum crucifixum et librum. — 7. Christi Passio fuit lectio S. Pauli Apostoli, quem librum etiam Job desiderabat legere. — 8. Multæ sanctæ virgines hunc librum evolverunt. — 9. S. Paulus sedulo pervolvens hunc librum evasit in maximum doctorem. Item et alii multi. — 10. Hunc librum legere possunt docti pariter et indocti. — 11 Mira hujus libri præconia. Cur librum hunc sapientes Judæorum legere noluerint.

*Non judicavi me scire aliquid, nisi Jesum Christum, et hunc Crucifixum.* I Cor., II, 2.

**1.** — Doctor Gentium, qui per scientiam infusam ab ipsamet Increata Sapientia immediate in cœlo edoctus fuit, cuique divina revelata fuere arcana, claris verbis se nullum alium pervolvisse librum studendo protestatur, præterquam librum crucifixi; ideoque ait : *Non judicavi me scire aliquid*, etc., ubi S. Anselmus glossando ait : « In Christo crucifixo « non parva scientia est : multa in eo discuntur. »

**2.** — Parisiis olim uno eodemque tempore in universitate illius urbis florentissimæ simul commo-

[1] S. BONAV., *Stim. am.*, c. XII.

rabantur Doctor Angelicus et Doctor Seraphicus, indissolubili amicitiæ religiosæ vinculo arctissime sibi invicem adstricti : quia vero, ut in vita S. Bonaventuræ legitur, S. Thomas profundam ejus scientiam summe admiraretur, « ipsum convenit, a « quo sibi bibliothecam ostendi petiit, ut libros « conquireret, unde tam multiplicem, atque adeo « magnam eruditionis ubertatem hauriret. Is vero « Christi Domini cruci affixi imaginem demonstra- « vit, e quo fonte uberrimo se accipere professus « est, quidquid vel legeret vel scriberet. » Idemque Seraphicus hic doctor in libro, in quo de divini amoris stimulis disserit, cap. XII, his verbis affirmat [1] : « Nihil scio in hoc mundo quod tantum ad « Deum sapiendum illuminet, sicut passio Jesu « Christi : hic vere invenitur scientiæ plenitudo. »

**3.** — S. Augustinus, *in Joan.*, patibulo crucis, in quo pependit Redemptor noster, cathedræ nomen attribuit prudentissime, inquiens [2] : « Tanquam « lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, « etiam cathedra fuerit magistri docentis, » cui etiam Ven. Beda super caput XIX S. Joannis scribens consentit. Ex hac cathedra S. Andreas apostolus magnum hunc librum infideli Achaiæ populo prælegit, prout in actis vitæ ipsius legitur, ipsumque in dogmatibus christianæ nostræ religionis erudivit : « Doctor bonus et amicus Dei Andreas. » At vero ubinam hic doctor legat : « Biduo vivens « pendebat in cruce B. Andreas pro Christi no- « mine, et docebat populum. » Liber autem, quem exponebat et declarabat, alius non erat quam liber crucifixi; nam in vita ejus dicitur : « De Christo « libere prædicavit, quod pro salute humani gene- « ris se crucifigendum obtulisset. » Arnoldus Carnotensis de septem verbis a Christo in cruce prolatis disserens, de hac cathedra ita scribit [3] : « Ex « illa cathedra crucis quoddam Deuteronomium « dictatum est. » S. Andreas idiota et piscator erat, remis tractandis, retibus conficiendis, hamisque inescandis assuetus et tamen per duos dies continuos ex cathedra crucis suæ, admirabili cum facundia et doctrina, turbas illas erudivit : hæc enim scientia sacra ei ab hac cathedra, hujusque libri lectura infusa fuit. Nam ut Ludolphus Carthusianus [4] ait : « Frequens Passionis memoria indoctum « reddit doctissimum, imperitos et idiotas facit « proficere in magistros, magistros inquam, non « scientiæ, quæ inflat, sed charitatis, quæ ædificat. « Ipsa est velut quidam liber vitæ, in quo omnia « saluti necessaria inveniuntur; felix qui ejus stu- « dio serio se intendit, quia in contemptu mundi « et in amore Dei proficiet, cunctarumque virtu- « tum ac gratiarum incrementum sumet. »

[1] S. Bonav., *Stim. div. am.*, cap. XII. — [2] S. August., tract. CXIX in Joan. — [3] Arnold. Carn., *de septem Verb. circa princip.* — [4] Ludolph. Carth., part. II, c. LVIII.

**4.** — Ex multis sacræ Scripturæ locis crucifixum Redemptorem nostrum sub hoc libri titulo descriptum fuisse deducitur. Etenim Isaiæ (cui futuræ legis evangelicæ eventus prædicti fuere, quique proinde per antonomasiam Propheta evangelicus appellatur) a Deo imperatum fuit in principio capitis octavi [1] : *Sume tibi librum grandem et scribe in eo stylo hominis : Velociter spolia detrahe* ; et bene liber grandis dicitur, cujus coopertura sunt cœli [2] : *Extendens cœlum sicut pellem ; cœlum et terram ego impleo.* In hoc libro verba illa : *Spolia detrahe*, adimpleta fuisse videmus, siquidem sæpius per inusitatam impietatem vestibus suis spoliatus et nudatus fuit, ejusque vestimenta divisa fuerunt, sortibus desuper missis. Eodem libri nomine Christus a S. Matthæo per instinctum Spiritus Sancti in principio historiæ suæ Evangelicæ denotatus fuit, dum ait : *Liber generationis Jesu Christi* ; de quo S. Joannes Damascenus in hæc verba scribit [3] : « Liber, in quo « Dei verbum ineffabiliter sine manibus scriptum « fuit. » Clarius autem Apostolus ad Hebræos scribens et de Passione Christi loquens, ita de ipso scribit [4] : *Ingrediens mundum, dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi : Ecce, venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* At vero quisnam est liber ille, in cujus principio adimpletio voluntatis Patris Æterni, id est, humana Redemptio impressa erat? Respondet S. Hieronymus [5] : « Caput libri in « tellige Principium, quod est Christus Jesus ; ut « faciam voluntatem tuam ; id est, ut pro vita ho- « minum moriar. » At vero, nunquid Christi crucifixio post trigesimum tertium ætatis suæ annum contigit, cur igitur eamdem in primo hujus libri frontispicio reponit? Respondetur; Christum a primo conceptionis suæ instanti suam fuisse exorsum passionem, prout suo loco fusius probabimus, quando internos ejus dolores examinandi occasio erit. S. Hieronymus Apostolum prædictis verbis de morte Christi loqui voluisse probat, dicens [6] : « Aperte hic Apostolus declarat, quod adveniente « Domino, cessaverunt sacrificia Judæorum. Impos- « sibile est, inquit, sanguine hircorum aut tauro- « rum auferri peccata, ideo ingrediens mundum « dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus au- « tem aptasti mihi ; holocaustum pro peccato non « tibi placuit, nisi meipsum pro totius mundi de- « licto tibi sacrificium exhiberem. »

**5.** — Porro Christus crucifixus S. Joanni in Apocalypsi pariter sub figura libri demonstratus fuit, prout ipsemet his verbis testatur [6] : *Et vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem* ; liber autem ille non

[1] Isa., VIII, 1. — [2] *Psal.* CIII, 2. — [3] S. Joan. Da masc., orat. II *de Dormit. Deip.* — [4] *Hebr.*, X, 7. — [5] S. Hieron., *in hoc loco.* — [6] *Apoc.*, V, 1.

erat alius quam ad dextram Patris residens Dei Filius, teste Hugone Cardinali, qui ait : « Liber est « Christus, signacula septem, opera nostræ Re- « demptionis. » Similiter in ejusdem Apocalypseos *cap.* XIII, 8, Christus hoc libri titulo pariter honoratus fuisse legitur his verbis : *In libro vitæ Agni qui occisus est ab origine mundi.* Unde S. Hieronymus, vel quisquis est auctor libri de *vera Circumcisione*, in tomo quarto operum suorum, de Redemptore inquit : « Hic est ille liber intus et foris « scriptus, de quo Ezechiel., II, vers. 9, et Apocal., « V, v. 1. » Primasius in glossa citatus, quid septem illa sigilla significarint, his verbis declarat : « Sig- « natus sigillis septem, quia multifaria mysterio- « rum latentium plenitudine tectus. » Inter omnia autem vitæ Christi mysteria nullum est sacramentorum magis dives, quam sit hoc Passionis Dominicæ mysterium. Nam ut S. Leo in sermone quodam ait [1] : « Huic Sacramento universa præceden- « tium sæculorum mysteria servierunt et quicquid « hostiarum differentiis in propheticis signis, et « legalibus institutis sacra dispensatione variatum « est. » Enim vero S. Petrus, I, II, 11, diu ante de prophetis antiquis dixerat : *Scrutantes in quod, vel quale tempus, significaret in eis Spiritus Christi, prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones.* Imo S. Petrus Damianus ait [2] : « Quæ est sacri eloquii « pagina, quæ crucis mysterium non redoleat et « ad hoc quasi ad totius humanæ salutis caput « atque principium non intendat? » S. quoque Bernardus ingenue fatetur [3], quod ex hoc libro didicerit, quidquid sciebat : sciebat autem plurima, prouti sæpius experta est sancta Mater Ecclesia, siquidem velut bibliotheca quædam sacra et animata erat. Ait igitur : « Hæc mea sublimior philosophia « scire Jesum et hunc crucifixum. »

**6.** — Et vero Christus crucifixus jure merito liber appellari meretur, si multos velimus considerare parallelos, qui librum inter et Christum crucifixum versantur. Etenim materia libri esse solet, vel charta pergamena, qualis olim ad scribendum adhiberi solebat, vel charta ordinaria. Charta autem pergamena ex pelle agnina, vel ovina conficitur, postquam prius ferro rasa et subtilizata fuerit, ut characteres in eadem imprimi possint. Quis autem est qui Christum vel ut agnum mansuetum, vel tanquam ovem, ad montis Calvariæ macellum perductum, ibique veluti decoriatum fuisse nesciat [4]? Charta autem ordinaria, ex scrutis et petiis contusis, et intra aquam aliquandiu consistentibus conficitur. Christus autem revera quoad sacratissimam ejus humanitatem membratim quasi dilaceratus fuit et attritus, seu contusus : quod ipsum suis pariter vestibus accidit, si solam excipias tunicam inconsutilem. Aquis denique se immersum fuisse lamentatur, dum per os Psalmistæ ait [1] : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Et Isaias inquit [2] : *Attritus est propter scelera nostra.* Liber pluribus modis et vicibus ligatur, et stringitur; sic quoque Redemptor noster multis vinculis, funibus et catenis ligatus fuit. Liber fortiter martello, vel alio instrumento, postquam ligatus est, percutitur; ita quoque Christus postquam in horto apprehensus et ligatus fuit, innumeris quoque vulneribus et percussionibus fuit subjectus. Liber sub torculari premitur et stringitur; mysticus liber Christus de semetipso lamentatur, inquiens [3] : *Torcular calcavi solus.* Liber in pluribus partibus proscinditur; Filius Dei pluribus modis variisque incisionibus est deformatus.

**7.** — Cæsarius Heisterbacensis propositi thematis verba S. Pauli adducens, ita scribit : « Aposto- « lus dicit, se nihil scire, nisi Jesum Christum, et « hunc crucifixum; ergo Christi passio ejus fuit « lectio. O quantum legere desiderabat Job in libro « passionis Christi, quando dicebat [6] : Quis mihi « tribuat, ut desiderium meum audiat Omnipotens, « et librum scribat ipse, qui judicat, ut in humero « meo portem illum, et circumdem illum quasi « coronam mihi? Liber vitæ Christus est, secun- « dum Joannem septem signaculis signatus, in « quo, ut ait Paulus, est vita, salus et resurrectio « nostra; quem apostoli cum magna gloria mira- « culorum, quasi coronam portaverunt per univer- « sum mundum : quem cum primo obtulissent « scienti litteras, id est Judæo, et respuisset illum « tanquam signatum, obtulerunt illum nescienti « scilicet Gentili, et cum illum intelligere non « posset, exposuerunt ei, sicut Philippus Eunucho. « Librum hunc Christus ipse scribit, quia propria « voluntate passus est; in pelle siquidem corporis « ejus scriptæ erant litteræ minores et nigræ, per « lividas plagas flagellorum; litteræ rubræ et « capitales per infixiones clavorum; puncta et vir- « gulæ, per punctionem spinarum; pellis eadem « prius fuerat multiplici persecutione punicata, « colaphis et sputis cretata, arundine lineata. » Quod si vero demum ad illos nos reflectere velimus, qui magno cum profectu hoc in libro studuerunt, multos utique illorum reperiemus. Et quidem de Rabano Mauro archiepiscopo Moguntino Bollandus ita scribit [5] : « Meditationem Dominicæ passionis in « corde suo singulari devotione quotidie solebat « persolvere lacrymans et gemens. Fertur sanc- « tam in consuetudinem duxisse, ut nunquam « cibum sumeret, nisi prius gratias agens, vitam, « actus et passionem Domini et Salvatoris nostri « Jesu Christi meditando percurrisset. In argumen- « tum est veritatis opus illud de laudibus S. Crucis,

[1] S. LEO, serm 3 *de Pass.* — [2] S. PETR. DAM., serm. *de invent. crucis.* — [3] S. BERNARD., *in Cant.* ser. 43. — [4] ISA., LIII, 7.

[1] *Psal.* LXVIII. — [2] ISA., LIII, 5. — [3] ISA., LXII, 3. — [4] CÆSAR. H., C. XXXIV. — [5] BOLLAND., 4 febr.

« in quo summa diligentia et devotione mysteria « Dominicæ passionis enodavit. Nisi enim patienti « Christo magnopere fuisset compassus, tanta lau- « dum præconia nunquam in ejus passionis memo- « riam scribere potuisset. Verum quia mentem « Christo compatientem habuit, vires quas nega- « vit infirmitas, pietas ministravit. Omnium nam- « que spiritualium exercitiorum hoc Dominicæ « passionis est maximum. » Cardinalis Bellarminus hunc librum appellat *opus admirandum*.

**8.** — Thomas Bozius [1], *de signis Ecclesiæ Dei*, multas refert virgines sanctas, huic libro pervolvendo devotissime addictas, quibus libri hujus caracteres, id est, stigmata sua impressit, quales sunt sancta Catharina Senensis, sancta Helena de Ungaria dominicana, sancta Gertrudis, sancta Lucia Narciensis, sancta Maria Magdalena de Pazzis carmelitana; demum vero de B. Clara de Monte Falco in hæc verba scribit: « Vidi præ- « terea hisce oculis corpus Claræ virginis de Monte « Falco, et cor ejus, in quo sculptus est Christus « cruci affixus; ex eadem carne flagra, quibus est « cæsus, columna cui fuit alligatus, omnia denique « simulacra quibus ejus perpessiones referuntur; « quamvis antiquitate temporis edacique vetustate « paulatim fiat, ut caro contrahatur et exsiccata « deprimatur, amittatque expressas, et extantes « effigies illarum rerum, quod stigmatibus etiam « Luciæ virginis ex parte contigisse aiunt, ut de- « pressione carnis obscurentur stigmatum vesti- « gia. » Quid vero aliud hic dicere poterimus, quam quod sicut dum ex libro aliquo legimus, studemus, lectisque mentem applicamus, conceptus et dogmata, quæ in libro illo continentur, in memoriam, mentem et intellectum nostrum transmittimus; ita quoque B. Clara librum crucifixi diligenter et attente legendo et pervolvendo, omnia Passionis suæ instrumenta in cor suum transmisit eadem illi vivaciter et tenaciter imprimendo, simulque cum illis ipsummet Redemptorem?

**9.** — Enim vero dubium quoddam hoc loco subnasci videtur, quonam scilicet modo S. Paulus in veritate dicere possit [2]: *Non judicavi me scire, nisi Jesum crucifixum*; cum tamen paulo ante in eadem Epistola, se plurium aliorum mysteriorum scientiam habuisse clare demonstret, dicens [3]: *Tradidi vobis imprimis, quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, et quia resurrexit, et visus est Cephæ, etc.* Ad hæc cum Apostolus ille totum mundum doctrina sua imbuerit et converterit, qua ratione credibile erit, quod alia mysteria ignorarit [4]? *Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra.* Respondet autem S. Thomas ad hanc difficultatem, Apostolum dicere voluisse [5]: *Sic vobis me exhibui, ac si nihil aliud scirem quam crucem Christi.* De hoc porro libro apud S. Augustinum hæc verba me legisse memini [1]: « Sciant in Christo « crucifixo multa homines discere, » idque magna cum facilitate; tametsi enim in Christo æternæ sapientiæ thesauri absconditi lateant, juxta illud Apostoli [2]: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ*, scilicet absconditi; attamen Longinus lancea sua thesaurorum illorum ærarium aperuit; ac proinde multæ animæ superhumana et cœlesti sapientia facile locupletari possunt. S. Philippus Nerius in sacrarum litterarum studio dum apud Patres Agustinianos Theologiæ operam daret, magnos et insignes faciebat progressus; nec mirum, quia cum ibidem imago quædam Crucifixi valde devota perstaret, quotiescunque eamdem aspiciebat, a lacrymis et suspiriis se continere non poterat; ac proinde in capite frequenti ejusdem vitæ, omnia ex hoc libro didicisse sibique comparasse dicitur, relictis omnibus aliis libris, quos vendidit, ut illorum pretio pauperibus subveniret, orationique et quibusvis aliis exercitiis spiritualibus majori cum fervore applicare se posset. Ludolphus Carthusianus S. Paulum huic duntaxat libro studiose deditum esse videns, discursum suum ad eumdem Apostolum in hæc verba dirigit [3]: « Felix, « o gloriosum lumen Ecclesiarum, qui arcanum « Divinitatis attingens, abyssum claritatis divinæ « oculis purioribus intuendo introisti, ac verba quæ « non licet homini loqui, audisti; et tamen ad ima « descendens, affectu quodam mellito, passionis « hujus ob præconium, de cordis thesauri in medio « eructasti, dicens: Nihil arbitratus sum me scire « inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifi- « xum. »

**10.** — Eximia hujusce libri est prærogativa, quod omnes indifferenter pari profectu erudire, et doctos efficere possit. Unde Blosius ait [4]: « Vita Christi « liber admodum præclarus est, doctis et indoctis, « perfectis atque imperfectis (qui Deo placere cu- « piunt) communis. Qui bene terit hunc librum, « efficitur eximie sapiens, facileque adipiscitur « peccatorum veniam, pravorum affectuum morti- « ficationem, mentis illuminationem, conscientiæ « pacem, et tranquillitatem, firmamque erga Deum « sincera dilectione fiduciam. Etiamsi codices om- « nes, qui toto orbe habentur, intercidissent, vita « et passio Christi christianis omnibus sufficiet ad « virtutem omnem et veritatem perdiscendam. » Hujus quoque libri præconia S. Laurentius Justinianus in hæc verba nobis describit [6]: « Non autem « sermone composito, vel humanæ sapientiæ exa- « ratus est verbis, sed hominum interveniente « malitia, digito Dei scriptus. Nempe sævientibus

[1] Thom. Boz., *de Signis Eccl.*, t. 2, l, 19, c. 3. — [2] I *Cor.*, xv, 1. — [3] I *Cor.*, xi, 23. — [4] I *Cor.*, xv, 17. — [5] S. Thom. in hunc loc.

[1] S. Aug., ib. *de fide et oper.*, c. 19. — [2] *Coloss.*, ii, 1. — [3] Ludolph. Carth., *ibid.* — [4] Blos., in *Concl.*, c. x, § 7, n. 1. — [5] S. Laur. Just. *de Triumph. Christi agon.*, c. xx.

« Gentilibus atque Judæis depictus est foris, vir-
« tute autem et sapientia Christi formatus est
« intus. Habet foris simplex, et indoctus, quod
« legat ; habet spiritualis, et perfectus, quid intus
« intelligat. Innumera prorsus sub carnis velamine
« latent sacramenta, quæ a spiritualibus spiritua-
« liter dijudicanda sunt. Legit simplex, et lætifica-
« tur atque compungitur; exercitatus vero intelli-
« gens irradiatur atque accenditur. Quinam nisi
« sapientia doctrix poterat paucis tam multa colli-
« gere? Abbreviatam equidem legem, legalia sacra-
« menta, charitatis compendium, perfectionis cel-
« situdinem, virtutum normam et totum humanæ
« Redemptionis modum, ordinemque in hoc cor-
« poris sui conclusit volumine. Quamobrem cum
« scribere complesset, nihilque superesset scriben-
« dum, dixit : *Consummatum est.* » Cur autem Hebraismi sapientes, scribæ videlicet et alii doctores, hunc librum legere detrectarint, illius Simon de Cassia sequentem assignat rationem, dicens [1] :
« Scribæ in mala legatione convenerant, litteram
« solam, quæ occidit, sequentes. Idcirco et ipsi ad
« occidendum jam se paraverunt. Si ivissent intror-
« sum ad intelligentiam Scripturarum, invenissent
« utique Messiam, quem decepti expectabant; sed
« solum tenebant amaritudinis corticem, medulla
« dulcedinis relicta. » Et ideo omnem adhibuerunt industriam et conatum, ad hunc librum abolendum ; sed frustra, et incassum. Narrat Suetonius, Julium Cæsarem ab inimicis inopinate oppressum, ut ab iisdem liber evaderet, in mare se præcipitare fuisse coactum ; in hoc autem una tantum manu natabat, altera vero librum Commentariorum a se compositum, in quo gloriosa illius continebantur facinora, extra aquas in altum elevabat. Christus quoque apud Jeremiam lamentatur, inquiens [2] : *Cogitaverunt super me consilia dicentes : Eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius.* Ipsum quoque in amarissimæ passionis et mortis mare crudeliter conjecerunt, ipsomet dicente [3] : *Veni in altitudinem maris.* Sperabant enim, librum hunc tandem submergendum esse. At vero divinitatis suæ brachio (*Fecit potentiam in brachio suo*) effecit, ut licet humanitas in tot acerbissimorum dolorum abysso submergeretur (*Et tempestas demersit me*) hunc tamen librum ab omni interitus periculo immunem et illæsum conservarit, ut ex eo ad æternam illius memoriam erudiretur Ecclesia, quæ illum continuo, præcipue vero in fine Quadragesimæ, exhibet apertum, ut filios suos dociles reddat efficiatque, ut omnes virtutes christianas inde addiscant, ac tandem vitæ libro felicissime inferantur.

[1] Simon de Cas., l. XV. — [2] Jerem., xv, 59.— [3] *Psal.* lxix, 3.

## DISCURSUS IV.

MEDITATIO MORTIS CHRISTI INSIGNE EST AD PERFECTIONEM INCENTIVUM, SIQUIDEM ANIMAS IN DIVINO SERVITIO EFFERVESCERE FACIT.

Idea sermonis. — 1. Passio et mors Christi extimulat nos ut Deo vivamus et ad perfectionem vitæ tendamus. — 2. Passio Christi tanquam fasciculus myrrhæ cordi applicanda. Hoc fecit S. Bernardus ab initio conversionis suæ. — Christus ad ostium speluncæ S. Mariæ Magdalene fixit crucem. — 3. Meditatio passionis Christi perficit animam inexpertem, multos fructus facit. — 4. Quare diabolus per uxorem Pilati conatus fuerit Christum liberare a morte. — 5. Adducuntur sanctorum exempla qui ex meditatione Dominicæ passionis, maximos progressus fecerunt in virtutibus. S. Ludivinæ; S. Elzearii. — 6. S. Christinæ; S. Theresiæ. — 7. Eunuchi Candacis; S. Philippi Nerii. — 8. Ludovici Granatensis; Eleonoræ a Spiritu Sancto. — 9. Petri Mezaciencis. — 10. B. Oringæ. — 11. — Cujusdam principissæ. — 12. B. Margaritæ de Crotona. — 13. S. Mariæ Ogniacensis.

*Mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* II Cor., v, 15.

**1.** — S. Paulus Apostolus notabilissimum quemdam hisce verbis mortis et passionis Christi declarat effectum, videlicet quod fideles extimulet, ut omnes Deo vivant, vitamque virtuosam ac perfectam instituant. Unde Doctor Angelicus præcitata Apostoli verba : *Mortuus est Christus ut, etc.* hunc in modum interpretatur [1] : « Ita debet se quisque repu-
« tare, ac si esset mortuus sibi ipsi : jam non sibi
« vivat, id est, totam vitam suam ordinet ad servi-
« tium et honorem Christi. » Idem quoque S. doctor ad illa se verba reflectit : *Mortuus est pro nobis*, ex iisque hanc deducit consequentiam : « Et
« nos debemus mori nobismetipsis, id est, pro
« ipso abnegare nosmetipsos. » Hæc quoque gratiarum et bonorum cœlestium a morte ipsius redundantium abundantia, ab eodem Apostolo in epistola ad Romanos [2] confirmatur his verbis : *Si unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, et donationes, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Sanguis enim Agni Immaculati non solum virtutem habet nostra delendi debita, verum etiam nos virtutibus, donis et gratiis specialibus locupletandi.

**2.** — Non caret mysterio modus ille, quo Sponsa, per quam anima denotatur electa, in sacris Canticis loquitur, dicens [3] : *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Postquam enim sponsa sponsum suum titulo regis honorasset, mox eumdem nomine Dilecti condecorat, dicens : *Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera*

[1] S. Thom. in hanc *epist. Pauli.* — [2] *Rom.*, v, 17. — [3] *Cant.*, I, 12.

*mea commorabitur.* Notat quoque idipsum S. Bernardus, qui insuper advertit, quod quando sponsa sponsum suum in throno confidentem aspicit, ad eum minime appropinquet; at vero mox ut illum inter myrrham amaram passionis suæ et mortis symbolum invenit, eumdem in sinu suo arcte constringit, et dilectum suum appellat. En verba Mellifluí Doctoris [4] : « Ante rex, modo dilectus; ante in « accubitu regio, modo inter sponsæ ubera. » Idem quoque S. Doctor in decursu ejusdem sermonis inquit : « Tu quoque si sapis, imitaberis sponsæ « prudentiam, atque hujus myrrhæ tam charum « fasciculum de principali sui pectoris parte nec ad « horam patieris avelli; amara illa omnia quæ pro « te pertulit, semper in memoria retinens et assi- « dua meditatione revolvens, quo possis dicere et « tu : *Fasciculus myrrhæ dilectus*, etc. » Enim vero si scire volumus, quemnam S. Bernardus ex hac dolorosa meditatione hauserit profectum, respicienda est a nobis eminens vitæ ipsius sanctitas; siquidem ipsemet de se testatur, inquiens [1] : « Ego, « fratres, ab ineunte mea conversatione, pro acervo « meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi « fasciculum colligere et inter ubera mea collocare « curavi, collectum ex omnibus anxietatibus et « amaritudinibus Domini mei. » Idem mellifluus doctor in epistola quadam ad propositi thematis verba alludens, expressius ita scribit [2] : « Et si « cætera taceam, hoc solum certe non immerito « vitam sibi vindicat nostram, quod pro ea præbuit « suam. Nemo igitur sibi vivat, sed ei qui pro se « mortuus est; cui enim justius vivam, quam ei, « qui si non moreretur, ego non viverem? » Ut autem quis soli Deo vivat, abunde sufficit, si in libro crucifixi assidue studeat. Nam ut Seraphicus Doctor ait [3] : « Qui se intente et devote in sanctis- « sima vita et passione Domini exercet, omnia « utilia et necessaria sibi abundanter ibi invenit, « nec opus est ut extra Jesum aliquid quærat. » Hic enim in morte sua, ad bene regulandam vitam nostram, plurima post se reliquit virtutum exempla, quæ imitemur. Unde paucis horis priusquam amarum illud excessivorum dolorum suorum pelagus intraret, Apostolis et, in his, omnibus fidelibus dixit [4] : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Atque hinc est, quod etiam S. Petrus primis christianis in hæc verba prædicarit et scripserit [5] : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

**3.** — Salvator noster de S. Maria Magdalena pœnitente sequens perhibuit testimonium [6] : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Hæc autem post Ascensionem cœlestis sponsi sui in cœlum, Massiliam translata, ab omni commercio humano sequestrata fuit in sylva quadam, in eaque triginta duobus annis commorata, ibique Redemptor noster illam suam fructuose facere orationem edocuit, utpote quæ quavis alia re sibi longe est acceptissima; undeque majorem posset haurire profectum. Hoc autem fine a principio ad illam ablegavit S. Michaelem archangelum, invisibili specie crucem in manu sua ferentem, quam ad ostium speluncæ suæ collocavit, ut eam sibi omnibus horis ob oculos positam habens, memoriam Passionis a mente sua nunquam deponeret S. Laurentius Justinianus *de Disciplina et perfectione religiosæ vitæ* disserens, in ea est opinione, nullum dari posse proficuum magis exercitium, ad animam in sanctitate et virtutibus provehendam, quam si mortem Christi assidue meditetur. Unde ait : « Nihil ita fructuose ad medi- « tandum inexperto offertur, sicut Christi vita, et « potissimum ejus Passio. » Doctor Seraphicus idipsum confirmat inquiens : « Nihil magis infor- « mat hominem ad virtutem quam exemplum « tolerandi mortem propter justitiam et obedien- « tiam divinam, mortem, inquam, non quamcunque, « sed pœnalissimam. Nihil vero magis incitat, quam « tanta benignitas, qua pro nobis altissimus Dei Fi- « lius absque nostris meritis, imo cum multis nostris « demeritis posuit animam suam. » S. Thomas similiter multos adducit fructus, ab hac vitali arbore crucis et passionis Filii Dei provenientes. En verba Angelici Doctoris [1] : « In quacunque tribulatione « invenitur remedium ejus in cruce; ibi enim est « obedientia ad Deum. *Philipp.*, 2. Humiliavit se- « metipsum, factus obediens usque ad mortem, etc. « Item affectus pietatis ad parentes. Unde ibi gessit « curam de matre sua. Item charitas ad proximum. « Unde ibi pro transgressoribus oravit. Fuit ibi pa- « tientia in adversis : Obmutui, et humiliatus sum, « et silui a bonis, et dolor meus renovatus est. Item « finalis perseverantia in omnibus. Unde usque ad « mortem perseveravit. Unde in cruce invenitur « exemplum omnis virtutis. » S. Augustinus quoque ait : « Crux non solum fuit patibulum patientis, « sed etiam cathedra docentis. » S. Anselmus in Dialogo quem *de Passione* composuit, postquam humeris suis crucem suam a Christo superimponi postulasset, mox subdit [2] : « Da mihi facere justi- « tiam, quam dilexisti, et in utroque tuam querens « gloriam, et sinistram quidem meam clavo tem- « perantiæ, dextram vero clavo justitiæ in illa « sublimi cruce confixam arbitrabor. » Nomine autem justitiæ in variis Scripturæ locis perfectio omniumque virtutum cumulus intelligitur. Unde D. Chrysostomus super illa verba : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, etc.* inquit :

[1] S. Bernard., serm. 43 in *Cant.* — [2] Idem, *ibid.* — [3] Id., *epist.* 143. — [4] S. Bonav., collect. VII. — [4] Joan., XIII, 16. — [5] I Petr., II, 12. — [6] Luc., X, 41.

[1] S. Thom., *lect.* I in cap. XII ad *Hebr.* — [2] S. Anselm., *de Pass.*

« Justitia est omnis virtus. » Vult igitur S. Anselmus dicere, eum qui ex hac crucis cathedra edocetur, omnem virtutem christianam perdiscere.

**4.** — Multi sacri, magnæque auctoritatis interpretes, ut suo loco dicemus, in ea fuere opinione, dæmonem uxorem Pilati in somno instigare, ut penes maritum suum omnem navaret operam, ut illum a condemnatione Redemptoris removeret. At vero posito, hanc opinionem veram esse, qua ratione cum illo concordat, quod idem dæmon præcedenti vespere Judam ad Christum vendendum, et in manus Judæorum, quos ad ejus mortem anhelare sciebat, tradendum extimularit? Dubium hoc a Dionysio Carthusiano in hæc verba movetur pariter et resolvitur [1] : « Sed cur diabolus, qui paulo « ante misit in cor Judæ, ut traderet Jesum, nunc « mittit in cor mulieris, ut redimat eum? Dicen- « dum, quod dæmon frequenter vacillavit in noti- « tia Christi, nunc eum æstimans esse Christum « propter divinitatis insignia, nunc arbitrans oppo- « situm propter humanitatis infirma. Cum ergo « Judam incitavit ad Christi proditionem, putavit « quod non esset Christus; verum in ipsa nocte, et « deinceps incredibilem mansuetudinem, patien- « tiam atque constantiam Christi conspiciens, cœpit « vehementer conjicere, quod ipse esset verus Mes- « sias. » Unde evidenter deducitur, tortuosum serpentem infernalem, tametsi sagacissimus sit, nunquam tamen intra 33 annorum curriculum certo scire potuisse, an Christus verus Dei Filius et Messias esset, an vero non, præterquam in ejus passione : ibi enim ob resplendentia in ipso, eo tempore plus quam alias, admirabilia omnium virtutum exempla, de ejus divinitate amplius non dubitavit.

**5.** — Quod si multorum in virtute et perfectione insignium servorum Dei vitas percurrere velimus, illos huic mysterio specialiter devotos fuisse reperiemus. Etenim in Annalibus Ecclesiasticis de S. Liduvina virgine sequentia leguntur [2] : « Liduvina « instar S. Job acerbissimis doloribus, febribus, « ulceribus, vulneribus a Deo exercita, cum mise- « ram sortem intemperanter deploraret, a pio « sacerdote correpta, edoctaque, multa commen- « datione atque meditatione Dominicæ Passionis, « ad sanctitatis pervenit apicem. » Elzearius comes vitam agebat in sæculo, in statu conjugali, dives, nobilis, multorumque territoriorum dominus erat, in bello militabat, et tamen ex conjugis suæ consensu virginitatem suam illibatam conservans, inter alios velut quoddam christianæ perfectionis speculum vixit. At vero scitisne unde hanc sibi gratiam promeruerit? Nimirum erga Passionem Dominicam devotissimus erat, in cujus specimen hoc unicum sufficiat, quod eadem refert historia Ecclesiastica, scilicet, quo Delphinæ uxoris suæ in hæc verba scripserit [1] : « Sanus corpore sum, et sospes, si vero « me videre cupis, quære me in vulnere lateris « Christi; illic enim habito, et ibi me poteris inve- « nire, frustra alibi quæsitura. » Ecce tibi quodnam hujus principis intimum penetrale fuit, vulnera scilicet Christi : ibi omnes didicit insignes virtutes, quibus ingens hæc anima dotata fuit. Unde Blosius in Conclavi animæ merito ita scribit [2] : « Inspice, et « imitare pro modulo tuo ejus humilitatem, resig- « nationem, patientiam, charitatem, benignitatem, « modestiam, continentiam, sobrietatem et cæte- « ras virtutes sanctas, quæ in eo perfectissime relu- « cent. » Unde mirum non est, multas animas per passionem Christi edoctas fuisse et illustratas, quemadmodum ex sequentibus videbimus exemplis.

**6.** — Apud Bollandum sequentia leguntur [3] : B. Christina de Vice-Comitibus tota erat in commendanda Sponsi sui passione, cujus memoriam ut plane imbiberet, sextis quibusque feriis bibit acetum felle mixtum; porro in cruce Domini vivebat, ut Domino posset commori. Ad quantam, obsecro, perfectionem S. Theresia Carmeli generosissima restauratrix non pervenit; quam proinde cœlum et terra certatim obstupuerunt? Porro in ejus vita de se ipsa ita scribit : Quadam die ingrediens oratorium, erat ibi noviter allata imago, repræsentans Jesum totum vulneratum et plagis opertum : statim ac eam vidi, tota in me turbata fui, videns Dominum meum tali modo afflictum; mihi enim viva apprehensione repræsentabatur, quicquid pro me passus fuerat, et sensi tantum dolorem ex plagis ejus, ut cor meum videretur in duas scindi partes. Tunc projeci me ad pedes ejus cum magna lacrymarum copia, supplicans ejus pietati, ut placeret illi ex tunc tanta me fortitudine corroborare, ut amplius eum non offenderem; sed et petii gratiam, qua possem omnes pravas meas inclinationes et habitus vitiosos superare, et exuere. Videor quoque mihi tunc dixisse, me a pedibus ejus non surrecturam, nisi daret, quod obsecrabam et hoc mihi valde profuit, quia exinde cœpi me emendare, et in gratia, et obsequio Dei solidior esse. Merito igitur S. Ephrem inter multos alios effectus quos hæc Christi crucifixi meditatio in animabus fidelium operatur, hunc quoque recenset, quod scilicet ipsis lumen et notitiam Dei communicet; ait enim [4] : « Illuminatur anima passiones Christi « assidue versans. »

**7.** — In Actibus Apost., S. Lucas refert Æthiopem quemdam eunuchum, reginæ Candacis thesaurarium, virumque potentem, dum ab Jerosolymis, quo, ut in templo Deum adoraret, se receperat, adhuc tamen infidelitatis tenebris immersus, in

[1] Dion. Carth. in *Matth.* — [2] Raynal., an. 1399. —

[1] Id., an. 1323. — [2] Blos., *in Conclav. anim.*, c. x, § 7. — [3] Bolland., 14 febr. — [4] S. Ephrem, t. 3 *de Pass.*

Æthiopiam reverti pararet, divina pietas S. Philippo diacono Spiritum sanctum immiserit, qui illum instigaret, ut ad dictum eunuchum baptizandum et in mysteriis fidei nostræ illuminandum properaret. At vero vultisne scire, undenam in ipso hoc lumen hæcque illustratio et veritatum evangelicarum cognitio derivata fuerit? Nimirum Scriptura ait : *Legens Isaiam Prophetam.* Locus autem Scripturæ quem legebat erat hic : *Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* S. Hilarius super illa Psalmistæ verba : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*, de hoc eunucho ita scribit : « Sacramentum « Baptismi adeo impatientis desiderii cupiditate « præveniens, ut a diacono ministerium apostolici « officii salutis suæ cupidus exigeret. » Ecce tibi affectus, quos fervens hæc passionis Christi lectio, cum S. Philippi declaratione conjuncta, in ipso produxit. Verum enim vero, ex quo S. Philippi diaconi mentionem fecimus, sciendum est in S. Philippo Nerio verificata fuisse verba illa, *Spiritus Domini rapuit Philippum;* quia miraculosa illa costarum suarum ruptio, cordisque sui dilatatio et palpitatio, veri fuerunt Spiritus sancti effectus. At vero undenam fervor ille, quo opulentæ patrui sui hæreditati renuntiavit et sine ullo censu, ut totum se Deo consecraret, Romam venit, suam primitius traxit originem et impulsum? Audite verba auctoris vitæ ipsius : Philippus ad sublimioris vitæ genus evocari se sentiens, de alia vitæ instituendæ ratione cogitare cœpit : cujus consilii maturandi occasionem dedit, quod mox dicturi sumus. Eminet ad Cajetæ portum non procul a S. Germano, mons admodum celebris, ex iis unus, qui, ut communis viget traditio, moriente Christo Domino, scissi sunt. Hic mons tribus vastissimis hiatibus a summo usque ad imum dehiscit, quorum medius latius patet. Sublime hinc saxum assurgit, unde sacellum apparet perantiqua crucifixi imagine insignitum. Huc frequenter Philippus divertens, Dominicæ Passionis mysteria frequentius contemplabatur. Quamobrem quotidie magis fastidiens fucatam sæculi speciem, decrevit, mercatura posthabita, vitæ genus eligere, in quo posset Deo expedito magis animo inservire. In progressu ejusdem libri ulterius scribitur, eumdem S. Philippum adeo fuisse huic mysterio devotum, ut ex assidua Dominicæ passionis meditatione, excitata in eo fuerit illa tam fervens in Indias eundi cupiditas, ut ibi nempe pro Christo sanguinem profunderet : quod utique ab eo factum fuisset, nisi Deus id sibi non placere ei manifestasset.

**8.** — De P. Ludovico Granatensi, eximio spiritualis vitæ magistro, leguntur sequentia[1] : « In « ipso dicendi exordio, historiæ titulum explicans; « Passio Domini nostri, etc., veluti hærens, ac pau- « cis rei admirabilitatem exaggerans, eas in lacry- « mas concionem populi compulit, atque adeo ipse « dilapsus dicendo est, ut verbum amplius addere « præ nimio animi sensu non potuerit. Et sane « sanguini lacrymas justius quam verba rependi- « mus. » Idem historicus de religiosa quadam, ordinem Minorem professa, videlicet Eleonora a Spiritu sancto ita scribit : « Nescio, unde hausisset « Eleonora, imbrem illum sanguinis, quo Christus « Dominus totam hanc nostram implevit mortali- « tatem, guttarum omnino millibus quadraginta « et octies centum fuisse. Id illa persuasum certi « habebat; itaque non ante destitit, quam totidem « egregias de animo suo, deque corpusculo et has « non cruentas victorias rependit. Exigua fateor, « merces. Sed quid facies humanæ imbecillitatis? « cum una gutta obruatur genus humanum, ut in- « grato vivere sit necesse, quis tanto e diluvio « enatabit? Et tamen præstat naufragium in eo « esse, quam in sterili arena littoris abstinere. »

**9.** — Idem auctor de P. Petro Mezaciensi capuccino ita scribit[1] : « Cum tyrones exerceret, die « Veneris, quam stata Christi cruciatuum memoria « sacram habemus, nudus prodibat in publicum, « horridoque fune cervicibus innexo, raptori se, ac « flagellis acriter a tyronibus concidi, pro imperio « mandabat, ardentibus inter hæc suspiriis, veris- « simisque gemitibus vicina loca adeo complens, « ut, qui spectaculo intererant, ipsa rei novitate ac « repræsentatione perculsi, lacrymis et ipsi, ac « dolori moderari non possent. »

**10.** — Apud Bollandum de B. Oringa virgine Hetrusca, alias Christiana nuncupata, ita scribit[2] : « In oratione ardere ejus animus videbatur, unde « uberes prorumpebant ab oculis lacrymæ, ex mor- « tis Christi meditatione expressæ, quibus velum « ejus, pectus, terra ipsa irrigabatur. »

**11.** — Mendoza in concione quadam de Nativitate Christi, in Lusitania præcellentem quamdam raræque virtutis principissam fuisse refert, quæ cum in monasterio Jesu appellato viveret, hanc habebat consuetudinem, quod vesperi priusquam ad quietem concederet, crucifixi imaginem manibus apprehensam fixis oculis intueretur, adeo ut eos minime clauderet, donec a somno victa crucem dimisisset; nimirum crucifixum totius diei terminum et finem esse cupiebat; mane pariter subito apertos oculos in eamdem dirigebat crucifixi imaginem, ut per ejus in mente sua impressionem, suum diei daret principium et finem.

**12.** — De B. Margarita de Cortona scribitur[3], quod quotidie in memoriam Passionis ad sanguinem usque flagellis se cæciderit, nec non cum tantæ compunctionis sensu amarissime fleverit, ut

[1] Rho, *Hist. virt.*, l. III, c. 2.

[1] Idem, *ibid.* — [2] Bolland., 10 Jan. — [3] *Prat. flor.*, l. I, exem. 10. — [4] *Sur.*, 23 janv.

nonnunquam loco lacrymarum sanguis ab oculis manarit. Similiter tam peregrina dolorum, quos patiebatur, edebat signa, sudando et vultus colorem variando, ut quisquis illam aspiciebat, eam agonizare et expirare credere potuisset.

**13.** — Apud Surium de sancta Maria Ogniacensi sequentia leguntur [1] : « Cum passionem « Christi magno doloris sensu, defluentibus usque « ad pedes lacrymis, fuisset meditata, postmodum « nec crucifixi videre imaginem, nec de eo loqui, « vel audire quicquam potuit, quin simul in exsta- « sim præ cordis compunctione raperetur. » Denique Ludolphus Carthusianus de quadam religiosa ita scribit [2] : « Quædam monialis devota in tantum « circa passionem Christi erat affecta, ut nunquam « crucifixi imaginem inspicere posset, nisi cadens « in terram, quasi totaliter absorpta a se defice- « ret. »

## DISCURSUS V.

### Passio Christi a nobis attente meditata, efficax est ad delicias et vitæ commoditates exhorrescendas remedium.

Idea sermonis. — 1. Meditatio passionis Christi inducit horrorem deliciarum et vitæ commoditatum. — 2. Ante Christi adventum homines omnino dediti erant voluptatibus et vanitatibus mundanis. Verum post Christi mortem spretis deliciis, cœperunt amare dura et carnem ac sensualitatem affligentia. — 3. Urias in judicio confundet multos sensuales, qui vix cogitant de passione Christi. — 4. Quare Moyses noluerit reputari filius filiæ Pharaonis. — 5. Pudendum est deliciis indulgere considerata Christi passione. Præclara exempla. — 6. Quomodo monachus apostatare volens ad meliorem frugem conversus fuerit. — 7. Omnes periculum mortis æternæ evademus si nos fortiter alligaverimus arbori crucis. — 8. Christus crucifixus est verum speculum hominis Christiani.

*Surrexi, ut aperirem Dilecto meo : manus meæ stillaverunt myrrham.* Cant., v, 5.

**1.** — Cœlestem Sponsam in sacris Canticis cap. v, inter molles lecti plumas somnolentam suis vacasse commoditatibus reperimus; ait enim [1] : *Ego dormio. Vox dilecti mei pulsantis : Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea.* Et quidem tametsi ex Sponsi sollicitatione ab hoc somno nonnihil expergefacta fuisset, lectum tamen dimittere, suamque quietem inter plumarum mollitiem interrumpere difficile ei videbatur, ut variæ ab illa adductæ excusationes manifeste declarant; aiebat enim ex hoc lecto [3] : *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar ea? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Tandem nihilominus sacer textus illam subjunxisse refert [4] ; *Dilectus meus misit manum suum per foramen et venter meus intremuit ad tactum ejus. Surrexi, ut aperirem Dilecto meo; manus meæ stillaverunt myrrham et digiti mei pleni myrrha probatissima.* At vero quodnam hæc anima motivum habuit, ut fores cordis sui Dilecto aperiret; ejusque cœlestes inspirationes prosequeretur, privando se omnibus commoditatibus, suæque quietis deliciis? Hugo Cardinalis verba illa : *Intremui ad tactum ejus,* ita exponit, ut sensus sit [1] : « Timui, me debere, vel posse « ab eo redargui, si pro ipsius amore quietem « meam non negligerem, qui pro amore meo de « sinu Patris ad tot et tantas miserias descendere « non neglexit? » Porro per myrrham, quæ amarissima est et in sepulturam Christi adhibita fuit, passionis Dominicæ intelligitur meditatio; hæc autem potentissimum est remedium, ut inducamur ad vitæ hujus deliciis et commoditatibus renunciandum. Unde observandum est, sacrum textum simul conjungere : *Surrexi, ut aperirem,* et : *Manus meæ stillaverunt myrrham.* Ubi S. Ambrosius interrogat [2] : « Quam myrrham distillant manus, nisi « illam, quam obtulit justus Nicodemus, magister « in Israel? hunc odorem fragrat anima, quæ « Christo aperire incipit. » Vel etiam *per myrrham* cum eodem Hugone intelligere possumus *exemplum pro Christo sustinendi amara.* S. Ephrem christiano nonnemini, qui inter plumas stertit et deliciatur, licet Christum pro amore et redemptione nostra, in duro crucis trunco confixum videat, his verbis improperat [3] : « Contemplarris, o homo, immaculatis- « simum Dominum in cruce suspensum, audesque, « o impudens et infelix homo, in deliciis ac risu « universum vitæ tuæ tempus in terris transi- « gere? »

**2.** — Percurratis licet omnia sæcula Christi in terras adventum antecedentia, invenietisque totum humanum genus hujus vitæ voluptatibus, delectationibus, propriisque corporis satisfactionibus, mundique tunc vel maxime blandientis sequelæ fuisse deditum. Ac proinde Apostolus tempus illud plenitudinem temporis appellat, dicens [4] : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Quia ut S. Bernardus, hæc verba explicans, ait [5] : *Nimirum abundantia temporalium oblivionem fecerat æternorum.* Nullus etenim erat, qui non libenter acceptaret illam impiorum invitationem, dicentium [6] : *Coronemus nos rosis, antequam marcescant.* At vero postquam vertex Salvatoris nostri spinis coronatus fuit, pleraque discipulorum suorum pars intelligere cœpit illud S. Bernardi, dicentis [7] : « Non decet sub « capite spinoso membra esse delicata. » Et ideo subito deserta impleta fuerunt anachoretis, certatimque accurrebant ad effundendum pro Christo

[1] Sur., 23 janv. — [2] Ludolph. Carth., part. II, c. 58 *de Pass.*— [1] *Cant.*, v, 2.— [3] Id., v, 3.— [4] Id., v, 4.

[1] Hugo Card., in *Cant.* — [2] S. Ambr., lib. III *de Virg.* — [3] S. Ephrem, *de Pass.* — [4] *Galat.*, vi, 4. — [5] S. Bern., serm. 1 *de Adv.* — [6] *Sap.*, i, 8. — [7] S. Bern., serm. 1 *de Adv.*

sanguinem, ad occurrendum feris et flammis, ut vel dilaniarentur ab illis, vel ab his concremarentur. Nec mirum, sanguis enim Agni in monte Calvariæ occisi etiamnum in cordibus eorum fervens bulliebat. Tunc fundatæ fuerunt apostolicæ perfectionis scholæ, in quibus divitiis, honoribus, propria libertate, deliciisque posthabitis, vitam agebant rigorosam et austeram ; id quod fecere innumeri, quorum in Annalibus Ecclesiasticis honorifica fit mentio. Idem quoque alius quidam auctor admodum devotus contemplatus fuit, observans, quod priusquam Filius Dei montem Calvariæ conscendisset : « Horrebant homines quicquid asperum, « quicquid humile et abjectum erat, colebant, sus- « piciebant et laudabant solum gloriam, divitias, « voluptates, et ecce dum Dei Filius crucem as- « dit, dum contemptum, paupertatem et dolores « amplexus est, vanissima illa gentium dogmata « omnia corruerunt. Effecit Christus, ut mundus « coleret paupertatem, humilitatem, contemptum, « vitæ paupertatem, obedientiam, patientiam, cas- « titatem. » Quot enim fuere reges, qui sceptra sua deposuerunt, ut rudi se induerent cilicio, idque non prius quam Christus loco diadematis caput suum cinxit spinis et sceptris loco arundinem apprehendit ? In illa nocte in qua Redemptor noster ex horto Gethsemani ab armatis turmis captivus adductus fuit : *Adolescens quidam*, ut S. Marcus, XIV, 51, refert [1], *sequebatur eum, amictus sindone supernudo, et tenuerunt eum : at ille, relicta sindone, nudus profugit ab eis*. At vero creditisne forsitan, adolescentem hunc, eo quod fuga sibi consuluerit, ut manus effugeret persecutorum, sindonemque in ipsorum reliquerit manibus, ideo Christi deinceps deseruisse sequalem ? minime gentium : quin potius adolescens ille typus erat illorum, qui in progressu sæculorum mundo tanquam ferocissimo Salvatoris persecutore contempto, delicias, vitæ commoditates et divitias relicturi, nudique et pauperes evasuri, animæque securitati in religionibus prospecturi erant. Audite hac de re Ven. Bedam, in hæc verba loquen- « tem [2] : Quis fuerit iste adolescens, Evangelista non « dicit : Quisquis vero fuit, majorem in se quam « in cæteris amorem Domini permansisse compro- « bat, qui illis jam fugientibus, ipse donec ab hosti- « bus comprehenderetur, vinculo charitatis adstric- « tus eum prosequi non omisit. Quamvis nec dum « perfectam habuerit charitatem, qui a comitatu « Salvatoris vel tentus profugere potuit : quia sicut « perfecta charitas feras mittit timorem, ita timor « mentem obsidens, imperfectam arguit charitatem. « Sed notandum solertius, quod de hoc adolescente « scribens Evangelista, non ait, quod fugit a comi- « tatu Domini, vel fugit a sequendo Dominum, sed « relicta, inquit, sindone, nudus profugit ab hosti- « bus, non fugit a Domino Salvatore et Magistro « suo, cujus amorem etiam corpore absens fixum « in corde servavit. » Hactenus Beda. Et vero quot sunt, qui post Christum passum in pulcherrimo ætatis suæ flore linteis delicatis et mollibus se exuunt, ut nuditatem suam vel hispido cilicio, vel rudi panno contegant, nullo alio motivo ad hosce rigores, et paupertatem voluntariam instigati, præterquam solius amoris, quo Christo crucifixo se gratos exhibere satagunt ? Porro idem Beda ibidem ulterius prosequitur, dicens : « Iste adolescens, « qui rejecta sindone nudus profugit ab impiis, « illorum et opus designat, et animum, qui ut « securiores ab incursibus hostium fiant, quicquid « in hoc mundo possidere videntur, abjiciunt, ac « nudi potius Domino famulari, quam adhærendo « mundi rebus, materiam tentandi atque a Deo « revocandi adversariis dare didicerunt. »

**3.** — Reverendum hoc loco est in memoriam, quod quando David, ad celandum commissum cum Bethsabea adulterium, Uriæ marito ejus persuasit, ut quietis captandæ causa domum suam adiret, licitisque conjugii voluptatibus et commoditatibus vacaret, eidem dixerit [1] : *Numquid non de via venisti ? Quare non descendisti in domum tuam ?* Sed quale David ab Uria responsum retulit ? *Arca Dei, et Israel, et Juda habitant in papilionibus, et Dominus meus Joab, et servi Domini mei super faciem terræ manent ; et ego ingrediar domum meam, ut comedam, et bibam, et dormiam cum uxore mea ?* Certe licet Poeta olim de militibus cecinerit :

Nulla fides, pietasque viris qui castra sequuntur ;

hic tamen e contra tantum ostendit sibi inesse sensum pietatis, ut sciens arcam Dei (quæ revera præter lignum quoddam nihil aliud erat) sub papilionibus, simul cum suo duce, aliisque commilitonibus suis habitare, nullum cuicumque voluptati, aut vitæ commoditati locum dare voluerit, tametsi idipsum ei ab ipsomet rege persuaderetur. Dicite nunc sodes, o auditores, quot sunt hodie christiani, qui ab hoc Uria condemnabuntur ? Illi videlicet, qui licet Christum in duro trunco nudum suspensum videant, deliciis tamen et voluptatibus superfluis valedicere non audent, vel nolunt.

**4.** — Reflexistisne vos aliquando ad vitam Moysis pro eo tempore, quando per quadraginta annos in Ægypti regia, velut stirpis regiæ hæres, ab omnibus principibus honorabatur ? Generale penes ipsum residebat totius exercitus imperium, corona regia tempora ipsius cingebantur, in sua facultate positi erant omnes thesauri, et tamen his omnibus non obstantibus, ex propriæ voluntatis electione [2], *negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo suo, quam temporalis peccati*

[1] MARC., XIV, 51. — [2] V. BEDA, *de Pass.*

[1] II *Reg.*, XI, 10, 11. — [2] *Hebr.*, XI, 14.

*habere jucunditatem.* Ut vero Moysis in hoc facto tanto magis elucescat generositas, ponatis velim ex una parte bilancis verba illa : *Affligi cum populo suo,* ex altera verba illa : *Filium filiæ Pharaonis. et temporalis peccati jucunditatem.* Magna utique differentia et vicissitudo erat, tractare lutum thesaurorum loco, vestiri cilicio vice clamydis regiæ, vivere velut mancipium illum, qui integro regno poterat imperare. Nec est, quod quis mihi dicat, Moysen hanc resolutionem ex furore quodam, et strepitu juventutis concepisse ; nam Apostolus expresse dicit : *Moyses grandis factus ;* erat enim in maturitatis et sapientiæ suæ apice constitutus. Verum enim vero scirene cupitis, quid Moysen ad diademata, thesauros, et sceptra conculcanda permoverit ? Nimirum e longinquo ei per spiritum Propheticum Filius Dei cruce suspensus repræsentatus fuerat, ideo dicit Scriptura : *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.*

**5.** — S. Bernardus postquam Jesum crucifixum accurrate exposuisset, subdit [1] : « Quis delicias, seu « gloriam sustinere queat, nedum audeat quæ- « rere ? » Filius Dei flagellatus est, spiritus conspurcatus est, in dorso suo crucem portavit, meta factus est, in quam vilis fex plebis injurias et contumelias exoneravit, stulti instar vestitus fuit, in manu arundinem et in capite spineam portans coronam, in medio duorum latronum in montem Calvariæ ductus, in eorumque medio ingenti cum infamia in patibulum suspensus fuit [2] : « Et hæc intuens, « qui dicitur christianus, propriis nihilominus « voluptatibus indulgere, et florere velle in sæcula « nullatenus erubescit ? » De S. Elisabetha Hungariæ regis filia Surius in hæc verba scribit [3] : « Cum « Elisabeth pretiosis ornata vestibus, auream capite « gestans coronam, ac familia frequenti stipata, « rebus divinis interfutura templum intrasset, « primo intuitu Crux Dominica occurrens, et ex ea « pendens imago Salvatoris eam compunxit, com- « punctæ lacrymas excussit, lacrymanti talia cogi- « tanda suggessit : En Creator, et Redemptor meus, « nudo corpore, brevi duntaxat præcinctus tegmine, « mea causa ignominiosam in cruce mortem oppe- « tiit : at ego misera, gemmis, auro, bysso, et pur- « pura contecta, vitam cœlestibus indignam bene- « ficiis, perdo magis quam ago. Illius caput intra « Pilati ædes spinea corona dispunxit, meum vero « aurea venustat. Illum ab amicis et discipulis « desertum Judæorum vallarunt opprobria, me « numerosa circumdatam familiam cuncti miran- « tur, suspiciunt, honorant. » Cumque hæc meditaretur, effervescens in spiritu, in terram velut mortua corruit, adeo ut domestici ejus, mysterium ignorantes, eam ab aliquo accidente lethifero correptam fuisse existimarint. Hocque sanctitatis ipsius fuit exordium ; nam immediate post, mundo, vanitatibus, et deliciis regalibus spretis, hirsuto se induit cilicio, ac semetipsam contemnens, corpus suum austerissimis pœnitentiis maceravit. De S. Margarita pariter Ungariæ regis filia idem Surius refert, quod cum quadriennis esset, crucifixum quemdam conspiciens, sororem suam interrogarit, quidnam imago illa significaret ; ipsaque respondente, quod Filium Dei repræsentaret, qui pro salute et redemptione nostra in crucem suffixus fuit, confestim ipsa expansis tenellis brachiis suis, accurrit, ut illum pectori suo firmiter adstringeret et coram crucifixo prostrata, eumdem adorans et osculans exclamavit, dicendo : *Domine mi, me tibi committo.* Et ab inde fervor, quo mundi deliciis valedicens, vitam agressa est pœnitentem et perfectam, suam traxit originem.

**6.** — Thomas Cantipratensis [1] de quodam milite, qui factus monachus cisterciensis, a memoria voluptatum et deliciarum, quibus in sæculo gavisus fuerat, seductus, in vita Religiosa continuanda vacillabat, refert sequentia : « Cum gravissime a « diabolo ad exitum tentaretur, et de nocte in noc- « tem meditaretur apostatare per fugam, semel « parato ad exitum, et quasi commodiorem horam « noctis in lectulis præstolanti et semivigilanti, « Christus apparuit in forma personatissimi viri, « et cum ex illo quæreret, quid sic jacens haberet « mali, respondit ille : Dolorem cordis habeo, et « magnum defectum debilitatis in membris. Cui « Dominus grossum panem hordeaceum offerens, « dixit : Surge, et comede panem istum ; quem ille « turbatus, intuitus : Quomodo, inquit, grossum « panem istum comederem, qui panem monasterii « similagineum manducare non possum ? Tunc « Dominus detecto latere, vulneri pectoris, sangui- « nem perfluenti, hordeaceum panem admovit, et « tali profluvio madefactum jubet comedere lan- « guentem : mox ille cum horrore membris dissi- « liens : Heu, inquit, Domine, quomodo taliter « pollutum comederem, qui prius saltem mundum, « sed asperum, comedere recusabam ? Et Dominus « quasi minaci vultu eum intuens, refutanti inquit : « Oportet ut gustu saltem attentes, quid sapiat « panis iste. Cumque ille diffugium non haberet, « et susceptum panem tremebundus, summis vix « labiis attigisset, sensit in pane super omnem « suavitatem dulcorem mirabilem, quem hianti « quidem ore contrectans, totum subito cum mira « aviditate comedit. Nec mora, Domino disparente, « tentatus ille ad se reversus est, et quid vidisset, « sensissetque, sincero corde retractans, ab omni « dolore mentis, et carnis tentatione convaluit, et « in magna tranquillitate spiritus usque in finem « permansit. Quid mirum ? Hordeaceus panis austeri

[1] S. Bern., in *declam.* — [2] Sur., 18 Jun.

[1] Thom. Cant., lib. II *Apum*, cap. 47.

« Ordinis mellea Christi lateris perfusione linitus « est. » Ex hac porro historia sequens licet formare argumentum : si meditatio aceti, et fellis Christo propinati, omnis potus quantumvis nauseabundi amaritudinem in dulcorem convertit, quanto magis efficaciam habebit, ut nos faciat renunciare conviviorum, lautarumque mensarum deliciis ?

**7**. — Nota est omnibus illa Syrenarum fabula, quæ dulcibus et blandis cantibus suis navigantes incantando efficiebant, ut iidem quodam somno absorpti, voracitatis earum præda efficerentur : Ulysses autem obturatis cera auriculis, ad navis malum ligari se fecit, ut periculum istud evaderet. Ex qua fabula S. Maximus opportunam proposito nostro moralitatem deducit, inquiens [1] : « Si ergo de « Ulysse illo refert fabula, quod eum arboris reli« gatio de periculo liberarit, quanto magis prædi« candum est, quod verefactum est, hoc est, quod « hodie omne genus hominum de mortis periculo « crucis arbor eripuit ? Ex quo enim Christus « Dominus religatus in cruce est, ex eo nos mundi « illecebrosa discrimina, velut clausa aure tran« simus, nec cursum melioris vitæ deflectimus in « scopulos voluptatis. » Ludolphus Carthusianus, qui devotum quoddam volumen *de Passione* scripsit, inter alia ait [2] : « Scias quod si in hac scientia « (quæ super omnes scientias est) volueris proficere « cum magno studio, oportebit te a cibo et potu « illicito abstinere. Non bene conveniunt consolatio « carnis et contemplatio Dominicæ Passionis, sed « contraria quasi nomina sortiuntur, nec possunt « simul caro et spiritus delectari. » Adducitque auctoritatem S. Bernardi, in sermone sexto de Quadragesima dicentis [3] : « Crux Christi voluptati ad« versatur, et voluptas cruci, et quomodo possunt « excusari voluptatum amatores, ut non sint Christi, « persecutores ? Rei enim fiunt mortis Christi, etsi « non ut persecutores, tamen ut tantæ rei contemp« tores. » In vita S. Philippi Nerii legitur, quod ipsi gravissime olim ægrotanti succus gallinaceus hauriendus porrectus fuerit. At ille vasculum manu tenens, abundantissime fleverit, dicens alta voce : Tu mi Christe e ligno pendes, et mihi meo in lectulo, tot inter commoda, tot inter obsequia, tot inter delicias ministratur ? Quæ verba cum sæpius iterasset, exuberante fletu, succum haurire nequaquam potuit.

**8**. — In vita magni illius servi Dei Joannis Baptistæ Vitellii Fulginatis (cujus spiritus a S. Philippo Nerio approbatus, quique etiamnum vivens beatus denominatus fuit) narratur, quod inter alia pietatis exercitia, quibus in patria sua deditus fuit, hospitalitas peregrinis exhibita non infimum apud ipsum locum habuerit : cum igitur die quadam ex peregrinis nonnemo speculum ab eo poposcisset, sanctus vir Dei ut nimiam hanc curiositatem in ipso reprimeret, crucifixum ei porrexit, dicendo : « Ego aliud speculum non habeo, nisi Jesum Chris« tum, et hunc crucifixum. » Ex hujus speculi intuitu deponenda est ab omnibus quævis superflua vanitas, pompa, aut fastus, quia « non decet sub « capite spinoso membra esse delicata. »

[1] S. Maxim., *de Pass. et cruce*, h. 1. — [2] Ludolph. Carth., p. II, cap. 58 de *Pass.*

## DISCURSUS VI.

PASSIO CHRISTI MEDITATA, PLURIMUM AD HOC CONFERT UT CUILIBET TORMENTO ULTRO OCCURRAMUS, ILLUDQUE LUBENTI ANIMO SUSTINEAMUS, ET NE IN VITÆ PŒNITENTIS CURRICULO INTEPESCAMUS.

IDEA SERMONIS. — 1. Passio Christi sæpe recogitata confert ut non deficiamus in rebus duris et arduis ad salutem necessariis. — Exemplificatur in primis Christianis cum gaudio ad martyrium currentibus. — 2. Hoc ipsum præsignatum fuit in Abimelech ejusque exercitus diversisque probatur exemplis. — 3. Magnum animi dux belli militibus præstat quando sine metu ad pugnandum se offert. — 4. Ad conspectum sanguinis Christi accendimur ad fortiter pugnandum ut Petrus aliique Apostoli. — 5. Passio Christi inflammat ad ardua. Probatur in praxi. — 6. Meditata Christi passio nos accendat ad patientiam et humilitatem. — 7, 8. Qui lignum crucis et passionem Christi meditatur, libenter tolerat omnem ærumnam.

*Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* Hebr., XII, 3.

**1**. — Quotidiana nos docet experientia, quod ad hoc, ut quis inchoatam vitam pœnitentem continuet, et inter occurrentes difficultatum tempestates non fluctuet, sed omnia ardua libenti animo sustineat, necessum sit, ut auxiliis et subsidiis superioribus vigor animi ei suggeratur : unum autem ex hisce spiritualibus subsidiis, illudque admodum potens, a S. Paulo in assumpti thematis verbis nobis indicatum fuit, videlicet mortis et passionis crucifixi Redemptoris attenta meditatio ; ait enim [1] : *Recogitate eum qui talem sustinuit*, etc. « Cogitatio enim pas« sionis Christi, ut Doctor Angelicus ait [2], facit nos « non deficere. » Illudque per sequentem probat Gregorii Magni sententiam, dicentis : « Si passio « Christi ad memoriam revocatur, nihil adeo « durum est, quod non æquanimiter toleretur. » Unde B. Laurentius Justinianns salubriter monet, dicens : « Erigamus omnes nos qui Domino Jesu « elegimus militare, mentis oculos in crucem « Domini, cum tentamur ; et leve existimabimus « quod toleramus, in comparatione illius. » Enim vero quisquis sacras primorum sæculorum legerit historias, invenerit, primos christianos præ cunctis aliis in austerissimas prorupisse pœnitentias, populosa reddidisse deserta et solitudines, ex voluntaria

[1] *Hebr.*, XII, 3. — [2] S. Thomas, *ibid.*

paupertate vendidisse quæcumque possidebant, eaque ante pedes apostolorum conjecisse, atque ex desiderio vitam et sanguinem pro fidei confessione prodigendi, in martyriorum carnificinam cum jubilo properasse. At vero undenam ingens hic ardor, tamque vehemens patiendi et moriendi pro Christo desiderium procedebat, præterquam ab eo quod paulo ante Christum suis oculis in patibulum crucis confixum fuisse conspexissent? Unde quod Deus olim Moysi dixit [1] : *Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi monstratum est in monte ;* multo magis credibile est, Deum cordi uniuscujusque fidelis interius insonare.

**2.** — In libro Judicum legitur, quod Abimelech exercitum suum ad expugnationem civitatis cujusdam, in qua validissimam experiebatur resistentiam, animare volens, sequens opportunum duxerit consilium [2] : *Accendit in montem Seimen cum omni populo suo, et arrepta securi, præscidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios : Quod me videtis facere, cito facite. Igitur certatim ramos de arboribus præscindentes, sequebantur ducem. — Hæc autem omnia in figura contingebant illis,* ut inquit Apostolus. Etenim Salvator noster discipulis suis, et in eis cunctis omnino fidelibus, dixerat [3] : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud ;* et iterum [4] : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me.* At vero ut S. Gregorius bene advertit [5] : « Fortasse laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est homini relinquere semetipsum. » At vero primi Ecclesiæ fideles generose præstiterunt utrumque ; nam in primis *multitudinis credentium erat cor unum, et anima una. Possessiones et substantias vendebant et dividebant illa omnibus* [6] ; deinde certatim subibant, et ultro occurrebant omnis generis cruciatibus et martyriis. Nam ut Apostolos ait [7] : *Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Unus S. Andreas apostolus duobus diebus, duabusque noctibus in cruce pendens, ingenti cum lætitia populo prædicavit, Deumque deprecatus est, ne se a crucis patibulo deponi sineret ; tot quoque alii sanctissimi martyres martyrii carnificinam ultro citroque ingressi sunt. At verò scitisne causam tam voluntariæ passionis? Nimirum Christus ingens crucis lignum humeris suis portans, Calvariæ montem ascenderat, ut ibi crucifigeretur, cujus spectaculi ipsi vel majores illorum fuerunt spectatores ; et paulo ante in cœnaculo Sionitico Christum audierant, dicentem [8] : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Nicodemus princeps Synagogæ erat, et tametsi Christi discipulus esset, tamen se manifestare minime audebat, sed Christum nocturno tempore conveniebat : At vero quando Christum in cruce suspensum vidit, omni timore et respectu humano deposito, in sepulturam Christi mortui copiosa attulit aromata. De Josepho ab Arimathæa pariter occulto Christi discipulo S. Marcus ita scribit [1] : *Venit Joseph ab Arimathæa, nobilis decurio, qui et ipse erat exspectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu.* S. Petrus cognoscens quod in primo nascentis Ecclesiæ sæculo Christi sequaces, pro fide ipsius in persecutorum opprobrium confitenda, ex omnibus mundi partibus in proprii sanguinis torrente inundarentur, eosdem generosis hisce verbis animavit, dicens [2] : *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.* S. proto-martyr Stephanus sub illo lapidum imbre animose dimicabat, et ad imitationem Redemptoris, pro indulgenda lapidatoribus venia apud Deum intercedebat ; idque animnm ei suggerente ipsomet Dei Filio, qui eodem modo, quo in monte Calvariæ in crucem confixus fuerat, e cœlo empyreo se videndum præbuit. Nam Scriptura ait [3] : *Vidit Jesum stantem a dextris virtutis Dei.* Ubi glossa dicit : *Ad confortandam martyris patientiam cœlum panditur. Et ne homo lapidandus titubet in terra, Deus homo olim crucifixus apparet in gloria.*

**3.** — Magnum animi robur dux belli militibus præstat, quando sine metu in densam inimici exercitus multitudinem se perurget, et sine ulla periculi mortis formidine animose ad pugnandum se offert. Quando populus Dei electis in Ægypto molestabatur *in operibus luti et lateris,* et ad fornaces velut excoquebatur, Deus, ut illi ad libenter patiendum, per spem assequendæ terræ promissionis, animum suggereret, se quoque illi in rubo ardenti videndum exhibuit, quasi dicere vellet : Non tibi videatur peregrinum, quod instar mancipii virgis, et flagellis cædaris, quod pro coquendis lateribus ad ignem ardentem excoquaris ; nam et ego inter spinas volvor et revolvor, quemadmodum hæ in medio ignis consistunt. Quando igitur ignis adversitatum, et ærumnarum, et passionum, dolorumque spinæ nos transfigunt, Filium Dei amore nostri spinis coronatum, et in ardenti amoris fornace constitutum contemplemur : *Recogitate eum qui talem sustinuit,* etc.

**4.** — In libris Machabæorum dicitur [3] : *Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ, et mori, ad accendendos eos in prælium.* Ratio autem, cur feris illis sanguinem hunc colorem ob oculos posuerint, ab insigni quodam auctore his verbis tangitur [4] « Mul- « tarum gentium opinione constat, pugnaces feras « intuitu rerum rubrarum irritari. » S. Antoninus postquam supradictum Epistolæ S. Petri textum citasset, subjungit [5] : « In hujus figuram mandavit

[1] *Exod.*, XXIII, 49. — [2] *Judic.*, IX, 48. — [3] *Matth.*, XI, 12. — [4] *Id.*, XVI, 14. — [5] S. GREGOR., hom. II in *Evang.* — [6] *Act. Apost.*, IV, 32, et II, 45. — [7] *Hebr.*, II, 38. — JOAN., XIII, 15.

[1] MARC., XV, 43. — [2] I PETR., IV, 1. — [3] *Act.*, VII, 25. — [4] I *Machab.*, VI, 34. — [5] VALES., de *Sac. Philos.*, c. 9. — [6] S. ANTON., in p. IV, tit. 3, c. 7, § 4.

« Antiochus rex, ut elephantibus, qui erant in bello, « ostenderetur sanguis uvæ et mori, ut acrius ac- « cenderentur ad prælium, similiter ad aspectum, « et considerationem sanguinis Christi, qui ad mo- « dum uvæ dicitur calcatus in torculari crucis, bel- « lantes contra adversitates, et mundi tentationes, « carnis et diaboli, accenduntur ad resistendum et « bellandum. » Quando Synagoga post Christi cru- cifixionem adversus collegium apostolicum ferocire cœpit, eo quod Petrus multa Hebræorum millia ad fidem Christi converterat, his verbis Apostolis, ne amplius docerent interdixit [1] : *Præcipiendo præcepi- mus vobis, ne doceretis in nomine isto, etc. Respondens Petrus et Apostoli dixerunt : Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* At vero numquid hic idem ille Petrus erat, qui paulo ante per ancillam ostiariam terrefactus, cœlestem suum negaverat Magistrum. Numquid omnes apostoli viles et ignavi piscatores erant, qui ad unicam stricti ensis vibrationem in horto Gethsemani per fugam se proripuerant. *Omnes* enim *relicto eo, fugerunt.* Quomodo igitur nunc, tam verbis, quam factis, adeo facti sunt au- daces, et generosi. Pro resolutione observandum, quod S. Petrus immediate ante mentionem fecerat passionis Christi, eamque collegis ipsorum impres- serat, dicendo : *Deus suscitavit Jesum, quem vos in- teremistis suspendentes in ligno.* Per quam reminis- centiam collegium apostolicum adversus omnes per- secutiones corroborare volebat : *Christo igitur passo, etc.* S. Augustinus inquit [2] : « Sic martyres informa- « bantur ad omnia, quæ persecutores libuisset fa- « cere, perferenda. Sic paulisper occultata tremenda « potentia, commendabatur prius imitanda patien- « tia. Sic regnum, quod de hoc mundo non erat, su- « perbum mundum, non atrocitate pugnandi, sed « patiendi humilitate vincebat. Sic illud granum « multiplicandum seminabatur horribili contume- « lia, ut mirabili pullularet in gloria.

**5.** — *Ut ne fatigemini, etc.* S. Bonaventura in ca- pite I. *Stimuli divini amoris,* de passione inquit [3] : « Te ad ardua inflammabit, te vilificari, et contemni. « et affligi faciet. » Ad quorum verborum penitiorem in- telligentiam attentam meretur reflexionem sequens discursus, quem Granatensis ad praxin descendens, in favorem nostri propositi instituit, dicendo : Vult nonnemo apprehensa disciplina propriam macerare carnem, at hæc deliciis assuefacta repugnat. Quid igitur illi faciendum ? Erigat oculos in Christum cru- cifixum, in humeris suis propter peccata nostra per quamdam sex millium sex centorum sexaginta sex percussionum furiam excarnificatum [4] : *Supra dor- sum meum fabricaverunt peccatores, et prolongaverunt iniquitatem suam.* Sic enim erubescet, nisi ad san- guinem usque se disciplinaverit. Est alius, qui quolibet die Veneris in memoriam mortis Christi super tabulis seu asseribus ligneis cubare statuit ; sed corpus ad molliter dormiendum assuefactum, hanc austeritatem subire renuit. Quid igitur factu opus ? Dirigat oculos suos in lectum Christi, id est, in durum crucis truncum, in cervical in quo caput ipsius quievit, scilicet in coronam spineam, ex jun- cis marinis contextam : consideret lectum illum crucis adeo angustum, ut in eo unum pedem alteri superimponere necessum habuerit. Est tertius, qui eodem die in pane et aqua aliquot hebdomadibus jejunare decrevit, hic ut propositum suum adim- pleat, fel et acetum quo Christus potatus fuit, serio consideret ; hoc enim si fecerit, utique non lamenta- bitur, si panis nimium durus fuerit, aut vinum nimis tenue, vel cibi minus bene conditi. Recordetur in- super, quod in capite quadragesimalis jejunii, quod Christus in deserto tanto cum rigore sustinuit, hu- mani generis inimicus, eidem pro fame sedanda la- pides obtulerit. Est quartus, qui cilicium super nuda carne, ut olim castissima Judith fecit, deferre, vel catena ferro cincta, cum sancta Catharina Se- nensi, lumbos suos circumdare sibi proposuit ; hic talis Filium Dei catenis vinctum, et columnæ alli- gatum, vinctisque manibus a lictoribus de tribunali in tribunal raptatum aspiciat. Si contra te falsus quispiam insurgat testis, ut facultates, et boni no- minis famam eripiat, aspicito in crucifixum, et con- sidera, quod contra ejus innocentiam insurrexerint falsi testes ; ad demum dicens [1] : *Non est major ser- vus domino suo.* Hactenus Granatensis, vir ille tanto erga Deum amore flagrans, qui, ut audivimus, egregie id exemplificat, quod suasum nobis fuit a sancto Paulo, dicente [2] : *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus, etc.* Observandum vero est, quod statim subjungat : *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis.* Et hoc est, quod S. Philippus Nerius suis improperare solebat, ut omnem morti- ficationem, et austeritatem libenter sustinentes, tanto magis in vita spirituali semper effervesce- rent : dicere enim solebat : Quis vestrum vel uni- cam sanguinis guttam pro Christi amore effudit ?

**6.** — Cum demeteretur ager Booz (qui symbolum est carnificinæ martyrum, qui ut granarium cœleste adimpleretur, persecutionis ferro rescissi fuerunt). Ruth Ecclesiam præfiguranti sequens datum fuit salutare consilium : [3] *Intinge buccellam tuam in aceto.* Per hoc autem acetum præfiguratur acetum felle mixtum, quod in monte Calvario Christo propi- natum fuit ; hoc enim innumeros fideles in cunctis sæculis suis in adversitatibus vel persecutionibus confortavit, restauravit, erexit [4] : « Quis enim non « ad humilitatem, ad patientiam, ad amorem accen- « datur ( verba sunt exhortatoria Joannis Tauleri) « ubi advertit, quam humiliter Dominus Domino-

[1] *Act. Apost.*, V, 26. — [2] S. AUGUST., tract. CXVI *in Joan.* — [3] S. BONAV., *Stim. amor.*, c. 1. — [4] *Psal.* CXVIII, 3.

[1] JOAN., XIII, 16. — [2] *Hebr.*, XII, 3. — [3] RUTH, II, 14. — [4] TAULER, *de vit. et pass.*, c. XX.

« rum, qui judicaturus est vivos et mortuos, co-
« ram vili astiterit homuncione condemnandus ab
« eodem, tantaque cum patientia omnem illam in-
« juriam, probra, confusionem, contemptum, et
« ignominiam perpessus sit? Et tamen nos miseri
« vix verbulum amore deferre valemus. » Tu doles, te ab amicis, parentibus, filiis, cunctisque aliis esse derelictum ac desolatum. Ipsemet Salvator ab ipsis quoque Apostolis derelictus fuit: (*Omnes relicto eo fugerunt*) imo Christus de proprio suo Patre æterno lamentatur, dicens [1]: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Consolantem me quæsivi, et non inveni.* Unde merito sanctus Antoninus in hæc verba scribit [2]: « Qui intra seipsum fluctuat, adversitate
« pressus, ut ad meliora consurgat, et boni operis
« gressum in veritate figat, Christum passum ante
« mentis oculos ponat. » Idem sanctus in alio loco historiarum suarum refert, quod cum Alexander de Ales religionem sancti Francisci ingressus, austeram illam vitam continuare non posset, priusquam probationis annum finiret, Religionem deserere statuerit. Quia vero Patres Ordinis, propositum ipsius intelligentes magnopere de illo dolerent, non solum propter salutem spiritualem novitii, verum etiam jacturam viri adeo scientifici, incessanter ad Deum orationes effundebant, ut huic viro, in cœpto religionis instituto, concederet constantem perseverantiam. Neque irritæ fuerunt hæ preces; siquidem nocte quadam in somno scala quædam ei repræsentata fuit, quæ pedibus terram, vertice autem cœlos tangebat: hanc autem senex quidam sanguine madens, ponderosaque cruce onustus, at si S. Franciscus fuisset, ascendere parabat. Unde et ipse repetitis quidem vicibus ascensum illum tum indignatione quadam se convertens repulit ipsum, dicendo: « Non posses hanc magnam cru-
« cem portare mecum, qui non potes, hanc levem
« cappam pro nomine meo portare. » Et his dictis confestim visio disparuit. Alensis autem desuper se reflectens, erubuit, quod per gravem illam crucem deterritur, ad sæculum redire statuisset; ac proinde deinceps in Ordine perseverare firmiter statuit, quemadmodum ad extremum usque vitæ suæ spiritum fecit. Hinc igitur sic argumentari licet: quod si huic Alensi crux hominis cujusdam tantam suggessit fortitudinem, et animi vigorem, ut a cœpto vitæ religiosæ cursu nequaquam recederet; quanto major valoris erit passio Christi, ut hominem adversus omnem tentationem defendat, atque in quacumque adversitate et passione ad patientiam animet?

**7.** — In vita Pii V Pontificis Maximi legitur [3], quod « cum doloribus maximis urgeretur, suspiria quædam
« in Christi de cruce pendentis imaginem effundens
« identidem dixerit: Domine, adauge dolorem dum
« adaugeas et patientiam. » Cæsarius de religioso quodam erga passionem Domini valde devoto ita scribit [1]: « Ita fervebat in Christi passione, ut spe
« martyrii Theodoricum episcopum Livoniæ seque-
« retur, sine abbatis sui permissione; acceperat
« enim ille auctoritatem a papa Innocentio, secum
« ducere omnes, qui ire vellent ad propagandam
« vineam Domini in populo barbaro. »

**8.** — Erat in Sarepta quædam vidua, quæ cum familia sua talem patiebatur penuriam, ut Eliæ protestaretur, dicens [2]: *Non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho.* Qua autem ratione tamen hanc æquanimiter tolerare potuerit, ex verbis colligere licet sequentibus; aiebat enim: *En colligo duo ligna*: quasi in sensu accommodatitio dicere vellet: quisquis lignum crucis, et passionem Christi meditatur, lubenti animo quamcumque tolerat ærumnam. Unde Rupertus Abbas circa prædicta verba ait [3]: « En meam consolor inopiam, amplectens
« crucis ligna. » Rabanus qui vir sanctus fuit, cujus Bollandus vitam scripsit, quique erga mysterium passionis devotissimus extitit, Redemptorem omne genus injuriarum et cruciatuum libenter pati voluisse dicit, ut nos ad eadem sustinenda animaret. En verba ipsius [4]: « Patitur omnia pro nobis
« ut sicut Petrus hortatur, Christo in carne passo,
« nos eadem cogitatione armemur, atque ad tole-
« randa pro nomine ejus irrisionum opprobria præ-
« paremur. » S. Bernardus quoque hoc nobis in adversitatibus nostris scriptum reliquit solatium [5]: « Si ante oculos habueritis, quem portatis
« (scilicet Christum crucifixum) pro certo videntes
« angustias Domini, levius vestras portabitis » Sacræ quidem litteræ, SS. Patrum paginæ, Heroum Ecclesiæ magis insignium historiæ, plenæ sunt salutarium consiliorum, documentorum, exemplorum, aliorumque innumerabilium monitorum, quibus ad patienter tolerandas in hac lachrymarum valle occurrentes miserias et ærumnas, quibus continuo impetimur et infestamur, animamur, ne in cursu rigorum, et austeritatum vitæ spiritualis defatigemur; sed omnibus mundi, carnis et Inferni tentationibus viriliter resistamus; tamen ut S. Augustinus docet [6]: « In omnibus adversitatibus non
« inveni tam efficax remedium, quam vulnera
« Christi: in illis dormio securus, et requiesco in-
« trepidus. »

[1] MATTH., XXVI, 56. — [2] S. ANTON., p. III, tit. XIV, *Hist.*, cap. 8, § 1. — [3] JOAN. ANT. GABUT., *Pii V.*

[1] CÆSAR., l. VIII, c. 11. — [2] III *Reg.*, XVII, 12. — [3] RUPERT., lib. V *in Reg.* — [4] RABAN., l. VII *in Matth.* [5] S. BERNARD., ser. XLV *in Cant.* — [6] S. AUGUST., in *Manuali*, c. XII.

## DISCURSUS VII.

AMARUM PASSIONIS CHRISTI FEL, MARTYRUM TORMENTA INDULCORAT, NOSTRASQUE ADVERSITATES SUAVES NOBIS EFFICIT, DUM ILLUD MEDITANTIBUS JUBILUM, ET CONSOLATIONES CORDIS COMMUNICAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Fel passionis Christi suave est pie meditantibus illam. — 2. Passio Christi S. Stephano dulces reddebat lapides. Fortitudo martyrum in atrocissimis tormentis processit a passione Christi. — 3. Apostoli, antea tristes, post Christi passionem ibant gaudentes ad tormenta et mortem. — 4. Hoc ipsum fecit Ignatius martyr. — 5. Proprii arboris crucis fructus sunt sancti martyres. — 6. Hoc figuratum fuit in ligno quo Moyses dulcoravit amaras aquas. — 7. Quid intelligatur per farinam, qua Eliseus dulcoravit filiis Prophetarum pulmentum. — 8. Summa suavitas invenitur in passione amara Christi meditata. — 8. In gloriosa transfiguratione Christi signanter mentio facta fuit passionis ejus. — 7. S. Ludgardis in omnibus afflictionibus confugiebat ad imaginem crucifixi. — 10. Religiosus meditando crucifixum ad maximam perfectionem et consolationis abundantiam pervenit. — 11. D. Liduvina ex spinea Christi corona, vere collegit rosas.

*Sub umbra illius, quam desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Cant., II, 3.

**1.** — Cœlestis Sponsa sub umbra vitalis arboris sanctæ Crucis, tantopere ab ea desiderata, requiescens, fructum illius gutturi suo sapidissimum, et suavissimum fuisse declarat. Et tamen quis est qui nesciat, aliam hujus arboris fructum non fuisse, præterquam fel, et acetum? Unde Christus per os Psalmistæ ait [1] : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* S. Ambrosius ait [2] : « Fel pomum est, quod pependit, hoc po-« mum gustavit Ecclesia, et ait : Et fructus ejus dulcis « in faucibus meis ; et ut scias quia pomum est Do-« minus, legisti supra : Tanquam malum in lignis « sylvæ. » Idem sanctus doctor pergit exemplificare suavitatem et dulcedinem, quam sancti martyres in hoc Christi crucifixi felle degustarunt ; ita enim scribit : « Pulchre dicit Ecclesia : *Charitate vulnerata sum ego.* Nudemus membra nostra « bono vulneri. Ad hanc veniens mansionem Ec-« clesia, ad hunc processum, ut pro Christo filios « suos offerat, ut excipiat vulnera charitatis, quasi « bona fidei alimenta reperiens, pietatisque fructus, « gustavit ipsa, et hortari cœpit cæteros, dicens : « Gustate, et videte, quoniam suavis est Domi-« nus. »

**2.** — De proto-martyre Stephano in ejus festivitate sequens canitur antiphona : *Lapides torrentis illi dulces fuerunt* ; tamen de eodem legitur : *Cum saxorum crepitantium turbine quateretur.* Quibus verbis Ecclesia furibundam S. Stephani lapidationem turbinis crepitantis tempestatem nuncupat. In psalmo centesimo primo Ecclesiæ, post Filii Dei in terras adventum, erectio his verbis prædicitur [1] : *Tu exsurgens misereberis Sion, quia venit tempus.* Quem textum Lyranus exponens, inquit : *Hic ponitur promotio Ecclesiæ, quæ facta est per Christum.* Subdit vero Psalmista : *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus.* Quibus verbis Regius Psaltes in spiritu prophetico futurum esse prædixit, quod servi Dei inter medios durissimos silices quamdam gustaturi essent Paradisi suavitatem. Unde B. Laurentius Justinianus de Stephano ita scribit [2] : « Jam « experiebatur interius, quam magna multitudo sit « divinæ dulcedinis, quam pro veritate certantibus « noverat esse paratam. » At vero vultisne scire, e quanam scaturigine immensa illa interior consolatio, quæ vultum proto-martyris veluti faciem angeli apparere faciebat, in proto-martyris animam promanarit? Audiamus S. Angustinum ad hoc his verbis respondentem [3] : « Implevit, quod ait Apo-« stolus : *Christus passus est pro nobis, vobis re-« linquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* » Oculos enim suos in passionem Redemptoris tenebat defixos, qui, ut in discursu præcedenti diximus, e cœlis coram eo visus est, cum iisdem vulneribus, quæ in crucem actus recepit. S. Bernardus egregie jubilum illum explicat, quo sancti martyres passionem Christi ob oculos habentes, sui patiebantur dolores martyrii : ita enim scribit [4] : « Enim vero non sentiet sua, dum illius vulnera in-« tuebitur. Stat martyr tripudians et triumphans, « toto licet lacero corpore, et rimante latera ferro : « non modo fortiter, sed et alacriter, sacrum e car-« ne sua circumspicit ebulire cruorem. » Enim vero quod martyres, ab atrocissimorum tormentorum violentia adacti, constantes nihilominus manserint, et fidem non negarint, magnum utique et eximium erat Christianæ fortitudinis specimen [5] : *Numquid enim caro nostra ænea est?* At vero quod insuper dum suppliciorum carnificina dilaniabantur, affabantur, agebantur in rotas ; flagellis subjiciebantur, comburebantur vivi, Paradisiacas in cordibus suis degustarint suavitates, undenam hoc procedebat? S. Bernardus ad hoc respondet, dum animam martyris in mediis tormentis in visceribus Jesu commoratam fuisse affirmat ; ita enim in loco paulo ante citato scribit [6] : « Ubi nunc anima mar-« tyris? Nempe in tuto, nempe in petra, in visce-« ribus Jesu, vulneribus nimirum patentibus ad « introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans « ea, ferrum profecto sentiret, dolorem non ferret, « succumberet, et negaret ; nunc autem in petra « habitans, quid mirum, si in modum petræ durue-« rit? Sed neque hoc mirum, si exul a corpore,

[1] *Ps.* LXVIII. — [2] S. AMBR., in *Psal.* CXVIII.

[1] *Ps.* CI, 45. — [2] B. LAUR. JUST., de *S. Steph.* — [3] S. AUGUST., II, de *S. Steph.* — [4] S. BERN., serm. LXI *in Cant.* — [5] JOB, VI, 12. — [6] S. BERN., serm. LXI.

« dolores non sentiat corporis : Neque hoc facit « stupor, sed amor; submittitur enim sensus, non « amittitur, nec deest dolor, sed superatur, sed « contemnitur. Unde ex petra martyris fortitudo, « inde plane potens ad bibendum calicem Domini. « Et calix hic inebrians quam præclarus est? Præ- « clarus, inquam, atque jucundus, non minus « Imperatori spectanti, quam militi triumphanti. »

**3.** — Apud S. Joannem capite decimo sexto cœlestis Magister noster Apostolorum nobis indicat melancholiam, et tristitiam, dum ait : *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* At vero inquies : quidnam illis Christus, Magister ipsorum mali dixerat, unde possent contristari? Hoc nimirum [1] : *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Itane? Hoccine illos contristat, quod scilicet pro Christo sint morituri? Numquid in ipsorum laudem canit Ecclesia [2] : *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati?* Pro hujus difficultatis resolutione necessum est distinguere tempora; quando enim discipuli contristabantur; Christus nondum passus fuerat : post passionem vero Christi adeo sunt animis corroborati, et ad patiendum animati, ut non solum supplicia libenter, et constanter, verum etiam lætabundi, et præ jubilo exultantes sustinuerint : *Ibant enim gaudentes,* quia *fructus ejus dulcis gutturi ipsorum.* Quam erat in patiendo pro amore Christi fervidus S. Ignatius martyr, qui primo post Christum sæculo vixit, tertiusque post sanctum Petrum Ecclesiæ Antiochenæ episcopus extitit? De hoc enim, ut ejus lectionibus legitur, S. Hieronymus testatur, quod quando martyrium suum differri vidit, præ nimio illius desiderio in hæc verba proruperit [3] : « Utinam fruar bestiis, quæ mihi « sunt præparatæ, quas et oro, mihi veloces esse « ad interitum et ad supplicia, et allici ad come- « dendum me, ne sicut et aliorum martyrum, non « audeant corpus attingere. Quod si venire nolue- « rint, ego vim faciam, ego me urgebo, ut devorer- « Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membro- « rum divisio, et totius corporis contritio, et tota « tormenta diaboli in me veniant, tantum ut « Christo fruar. » Quod si scire vultis, undenam sanctus hic præsul, et martyr excessivum hunc jubilum, et præfervens patiendi pro Christo desiderium hauserit, respiciatis velim cor ejus, cui impresserat nobilem illam S. Augustini exhortationem diu ante, quam is illam concepisset, scilicet : « Toto « nobis signatur in corde, qui pro nobis fixus est in « cruce. Post mortem namque hujus martyris nomen Jesu cordi ejus characteribus aureis insculptum repertum fuit.

[1] JOAN., XV, 2. — [2] *Act. Apost.*, V, 4. — [3] S. HIERON., *de Script. ecclesiast.*

**4.** — De B. Eulalia sequentia scribuntur [1] : « Tanto « martyrii amore succensa fuit, ut cum esset 12 « tantum annorum, libere se præsentarit tyranno, « ejus arguens in Christianos crudelitatem et deo- « rum vanitatem. Cum ergo tota dilacerata et velut « excoriata ferreis pectinibus foret, mire anima « ejus exultabat et lætitiam facie præseferebat. « Unde ad cœlos oculos levans, Sponsi sui implo- « rabat favorem. Sed reflectens se ad sua vulnera, « dicebat : Nunc, o mi Sponse et Redemptor, quam « bene resplendet in me per vulnera ista viva tua « imago et characteres isti in corpore meo per « sanguinem meum exarati, quam ad vivum mihi « exprimuut et repræsentant ipsam Passionem « tuam? » Sancta Agnes uno tantum anno sanctæ Eulaliæ ætatem superabat, quæ et ipsa patiendi avidissima fuit, inque atrocissimis suppliciis suis jubilans, hilaris et festiva, in mediis tormentis Sponsi sui deprædicabat encomia, dicens : *Mel et lac ex ore ejus suscepi, et sanguis ejus ornavit genas meas.* Etenim tametsi sanguis Christi Jesu a vino myrrhato, ab aceto et a fellis amaritudine nunquam separatus sit, attamen hæc omnia sanctæ Agneti lac et mel esse videbantur, ob eximiam suavitatem quam in tormentis suis experiebatur.

**5.** — Ludovicus Granatensis in tertia parte super Symbolum capite XXIV, unam ex majoribus excellentiis, gloriis et testimoniis, quibus christiana gaudet religio, hanc esse dicit, quod scilicet per tot Martyrum sanguinem et fundata et stabilita sit. Hosce autem per exemplum et virtutem crucis magnopere in tormentis confortatos fuisse, nullus est qui dubitet; quia tametsi omnes sancti, qui sunt vel fuerunt in mundo, fructus sint arboris hujus (propter quod Agnus cœlestis a principio mundi sacrificatus fuisse scribitur, quia ab illo tempore meritum Christi in omnibus operari cœpit justis), specialior tamen, magisque proprius hujus arboris fructus martyres fuere, qui non solum per mortificationem carnis suæ Christi crucem sunt amplexati, verum etiam per proprii corporis mortem et per sanguinem, quem fuderunt pro gloria Christi, utpote qui pro ipsis suum sanguinem fudit. Certissimum est autem, quod maximum robur et consolatio quam martyres in suis certaminibus habuerunt, in eo præcipue posita fuerit, quod oculos suos in altissimum Dei Filium in cruce suspensum defixerint, utpote qui delicatissimo corpore et anima sua, majores dolores passus est, quam unquam alii perpessi fuerint homines, idque non pro se, sed pro ipsis. Vi enim hujus considerationis, illiusque exempli et per fidem vivam hujus mysterii, magna cum hilaritate et libertate omnibus se ingerebant tormentis, quæ ingeniosa tyrannorum crudelitas, furorque et rabies dæmonum invenire poterat et in virtute hujus subsidii victores adversus tyrannos efficiebantur. Et hanc præcipue ob cau-

sam fortissimus Agonothetes et Redemptor noster Christus, in sacra Passione sua tot intervenire voluit ludibria, vituperia, verbera, colaphizationes, nuditates, suorum derelictiones, discursus ab uno judice ad alterum, de tribunali in tribunal, ut omnes tormentorum differentiæ, quas martyres patiebantur, aliquod in Christo reperirent sufferentiæ exemplum. Hactenus Granatensis. Qui paulo post subjungit : Figura hujus in illo præcessit ligno, quod aquas amaras in dulces convertit, cujus nota est historia. Populus enim ab Ægyptiaca liberatus servitute, dum post Pharaonis submersionem, ad terram proficisceretur promissionis, in itinere penuriam passus est aquæ ; et tametsi ad aquas Maræ pervenisset, hæ tamen aquæ salsæ et amaræ erant, dicente Scriptura [1] : *Nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ : unde et congruum loco nomen imposuit, vocans illum mara, id est, amaritudinem. Et murmuravit populus contra Moysen, dicens : Quid bibemus? At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit illi lignum : quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Quis autem per lignum hoc aquas amaras indulcorans, virtutem crucis repræsentari non videt? Quam enim proportionem lignum aliquod siccum habere poterat ad hoc, ut talem operaretur mutationem? At vero dices fortasse : ex quo hoc opus miraculosum erat, cur Deus illud solo verbo suo non patravit? Cur potius hoc ligno usus est, nisi ut mysterium et virtutem denotaret vitalis hujus arboris Calvariæ montis, quæ omnem indulcorat dolorum et tormentorum, quibus humana subjacere potest miseria, amaritudinem? Non defuere quidem nonnulli, qui lignum hoc naturalem habuisse aquas indulcorandi proprietatem crediderunt, idque ex sequenti deducunt Ecclesiastici textu [2] : *Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa. Nonne a ligno indulcorata est aqua amara?* Verior tamen opinio est, lignum hoc naturaliter hanc virtutem non habuisse : ad tollendam enim a tam vasta aqua tantam amaritudinem, ne quidem integra illius regni sylva suffecisset : ac proinde ad sensum mysticum recurrere oportet, qui a Ruperto Abbate nobis indicatur his verbis [3] : « Aquæ Mara legem signifi-
« cant, quæ non parvam in se amaritudinem habet :
« dulcescit per lignum, dum proposito Dominicæ
« Passionis exemplo, ei qui te percusserit in maxil-
« lam, præbes et alteram. » S. Antoninus quoque hanc historiam ad nostrum applicat propositum, dicens [4] : « Legitur Exodi, xv, quod filiis Israel in
« deserto invenientibus aquas amaras, ut non pos-
« sent bibere, misso ligno de mandato Dei in aquis,
« dulcoratæ sunt, ut biberent delectabiliter. Aquæ
« sunt tribulationes, quæ frequenter occurrunt in
« deserto hujus mundi et in se amaræ sunt : sed
« ligno crucis misso, id est, meditatione habita de
« Passione, efficiuntur dulces. »

**6.** — In alio quodam ejusdem Scripturæ loco sequens exprimitur figura ; dicit enim sacer textus [1] : *Erat autem fames in terra et filii prophetarum habitabant coram Elisæo, dixitque uni de pueris suis : Pone ollam grandem et coque pulmentum filiis prophetarum. Et egressus est unus in agrum, ut colligeret herbas agrestes et collegit colocynthidas agri, et reversus concidit in ollam pulmenti ; nesciebat enim quid esset. Infuderunt ergo sociis ut comederent, cumque gustassent de coctione, clamaverunt, dicentes : Mors in olla vir Dei et non potuerunt comedere.* Tunc Elisæus farinam sibi afferri jussit, quæ ollæ immixta, non solum amaritudinem a pulmento sustulit, sed eximio illud sapore imbuit. Lyranus per hosce prophetarum filios, religiosos intelligit austere viventes. Hi enim non solum in mensa, verum etiam in vestitu, in habitatione et in conversatione magnam sensualitatis amaritudinem experiuntur. Ut igitur hæc omnia libenter, imo et hilariter sufferant, hac opus est farina, id est, frumento electorum ab ipsis per seriam quamdam meditationem contrito. Unde Dionysius Carthusianus ait : « Stu-
« deamus dulcorare admiscendo farinam, id est,
« Dominicæ Passionis acerbitatem : quæ si recte
« pensetur, omnis afflictio mitigatur. »

**7.** — Blosius de revelatione quas Christus sponsabus suis Gertrudi, Birgittæ, Mechtildi et Catharinæ Senensi contulit, disserens, de summo gustu, quem passionem Christi meditantes experiebantur, ita scribit [2] : « Nam et eamdem Domini Jesu pas-
« sionem (quæ licet amarissima, acerbissimaque
« fuerit, tota tamen charitatis dulcedine plena est)
« adeo profunde animarum suarum visceribus in-
« fixerant et tam ardenti suavique affectu rumi-
« nare solebant, ut illa esset eis mel in ore, melos
« in aure, jubilus in corde. » S. Antoninus in alio loco ita scribit [3] : « Juxta crucem stant omnes electi,
« qui ut membra Christi, carnem suam crucifixe-
« runt cum vitiis et concupiscentiis, ut ait Aposto-
« lus, qui non solum patienter adversa ferunt, sed
« gaudent, quoniam digni habiti sunt pro nomine
« Jesu contumeliam pati. » Huc etiam spectant præclara illa Nazianzeni verba, dicentis [4] : « Per
« passiones passionem imitemur, crucem alacres
« conscendamus ; dulces sunt clavi, tametsi valde
« acerbi. Præstat cum Christo et pro Christo pati,
« quam cum aliis in deliciis versari. »

**8.** — Tametsi Moyses et Elias in monte Thabor inter se de morte et crucifixione, quam Christus in monte Calvariæ passurus erat, discurrerent [5] ; Petrus tamen tanta fuit cœlestium consolationum

[1] *Exod.*, xv, 23. — [2] *Eccl.*, xxxviii, 4. — [3] Rup., l. VI de *Offic.*, c. 21. — [4] S. Antonin., p. IV, t. III, c. 7.

[1] IV *Reg.*, iv, 38. — [2] Blos., in *Com. clavi animæ*, c. 2, n. 6. — [3] S. Ant., p. 4, tit. 5, c. 41. — [4] Nazian., *orat.* 43. — [5] Luc., ix, 31.

copia perfusus, ut se continere nequiverit, quin exclamaret, dicendo [1] : *Bonum est nos hic esse : si vis faciamus hic tria tabernacula ;* « quia gustata cœ- « lesti dulcedine, ut S. Anselmus ait [2], vilescunt in- « fima. » At vero dices : numquid alio tempore probrosæ et dolorosissimæ mortis Christi commemorationem facere poterant, quam quando hic in corpus suum mortale dotes transfudit gloriosas? Respondeo, Deum per hoc fidelibus ad perpetuam memoriam indicare voluisse, quod etiam commemoratio et meditatio dolorum, et Passionis Christi, jubili et lætitiæ sit instrumentum in iis, qui eas considerant, sicuti ejusdem jubili instrumentum fuit in eo, qui eas sustinuit [3] : « Hæccine sunt læta « colloquia, inquit S. Augustinus, quæ huic tantæ « solemnitati conveniebant? Hæc sermonis materia « inter tot gaudia miscenda erat? » Moxque idem sanctus doctor respondet : « Domino Salvatori quæ « materia loquendi gratior, quam de Redemptione « mundi tractare? »

**9.** — Surius [4] de S. Ludgarde ita scribit : « Quo- « ties S. Ludgardis corpore aut spiritu afflictam se « videbat, toties ad crucifixi imaginem sese con- « ferens, illum aliquando cum magna animi in- « tentione contemplabatur, donec toto corpore « viribus destituto, spiritu extra illud rapere : in « quo quidem raptu Christum præsentem cernebat « et ore proprio ad cruentum ejus latus applicato, « tantum inde dulcedinis, tantum consolationis « hauriebat, ut nulla postmodum adversitate con- « cuti posset. »

**10.** — Cæsarius Haisterbacensis de quodam juvene religioso monasterii Hemenrodensis, qui optimæ indolis erat, eum ad talem pervenisse perfectionem testatur, ut cantus audiret cœlestes; contigit etiam, ut cum die quadam *Confiteor* suum recitaret, cœlestem quamdam audierit vocem, dicentem : *Dimissa sunt tibi peccata tua.* Idem quoque unico afflatu Ecclesiæ lampades accendebat, Passionique Dominicæ devotissimus erat : Huic enim studium erat semel in die ad minus revolvere et recitare sanctissimæ et dulcissimæ passionis Christi improperia, gratiarum spiritualium efficacissima incitamenta. Poteratque dicere Redemptori [5] : *Secundum multitudinem dolorum tuorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Siquidem meditando Christum crucifixum, ingentem experiebatur internarum consolationum abundantiam.

**11.** — Advertendum quoque hoc loco est, Sponsam in sacris Canticis, per quam anima electa præfiguratur, dicere [6] : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur,* id est, ut Doctor Mellifluus declarat [1] : Passio dilecti mei cordi meo semper impressa manebit. At vero vultisne scire qualisnam fuerit illa consolatio et suavitas, quam ab amaritudine hujus myrrhæ hauriebat? Hæc ipsa indicatur verbis immediate subsequentibus : *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Uva enim Engaddi suavissima erat, ac proinde symbolum erat botri, id est, Christi, in ligno crucis suspensi et per botrum ex terra promissionis in vecte allatum præfigurati, ac demum sub torculari illo expressi, de quo scribitur : *Torcular calcavi solus* : sicut autem *vinum lætificat cor hominis,* ita pariter sanguis ab hoc mystico crucis torculari expressus, dum animas sibi devotas rigat, dulcedine et suavitate Paradisi easdem inebriat.

**12.** — Matthæi capite VII, 16, Salvator noster quidem ait : *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Hoc autem quod naturaliter impossibile videtur, in multis animabus spiritualiter adimpletur; siquidem ex spinis et juncis marinis, quibus sacratissimum Redemptoris nostri caput transfixum fuit, suavitas et dulcedo spiritus veraciter colligitur. Etenim ut de B. Liduvina Surius scribit [2] : « Ejus vulnera et dolores acutissimi (de « crucifixi doloribus loquitur) animam virginis adeo « penetrarant, ut quamvis ipsa in singulis mem- « bris suis omnis generis cruciatus vehementissi- « mos pateretur, ita ut omnes qui eam cernerent, « non possent non multa commiseratione affici ; « eos tamen cruciatus quasi pro nihilo putaret. « Tota vita ejus in Christi rebus gestis, tanquam « in viridario amœnissimo versabatur, iis meditan- « dis trahebat ardentissima ab imo pectore suspiria « et ab oculis lacrymarum fundebat imbres, iisque « deficientibus, guttas sanguineas. Illas autem « lacrymas crucifixi amore fusas, apud familia- « riores appellabat rosas suas. » Ubi clare liquet, qualiter sancta hæc virgo ex spinis Salvatoris rosas veraciter collegerit. S. Laurentius Justinianus *de Disciplina et Perfectione Conversationis monasticæ* disserens, inquit : « Hujus consideratio tam præcipuæ « tamque vehementissimæ charitatis, cunctas sua- « vificat passiones et omne levificat tentationum « pondus. »

## DISCURSUS VIII.

PASSIO CHRISTI NOBIS PARADISUM APERIET, CUJUS IS, QUI EAM DEVOTE MEDITATUR, CERTUM ET INFALLIBILE PIGNUS OBTINET.

IDEA SERMONIS. — 1. Crux Christi est arbor vitæ generis humani. — 2. Cum Christus discipulis aperte prædicaret suam crucifixionem, Maria Salome suis filiis petebat consensum regni, et quidem regni cœlestis. Quare in Ecclesiis crux ponatur ante introitum Chori.

[1] S. BERN., serm. 34 *in Cant.* — [2] SURIUS, 14 april.

[1] MATTH., XVII, 3. — [2] S. ANSELM., ib. — [3] S. AUGUST., *de quinque Hæret.*, c. 7. — [4] SUR., t. III, 16 jun. — [5] *Ps.* XCIII, 19. — [6] *Cant.*, I, 12.

— 3. Botrus uvæ, in vecte appensus, designavit Christum cruci affixum. — 4. Præclaro exemplo et SS. Patrum sententiis probatur Christum per passionem suam nos certificasse de nostra salute. Crux Christi extinxit Dei odium in homines. — 5. Ostia per quæ intramus ad gloriam cœlestem sunt vulnera Christi. Verbum maximæ consolationis, factum a Christo. B. Angelæ de Fulginio. — 6. Modus quidam meditandæ passionis. — 7. Cur imago Crucifixi proponatur agonizantibus. — Merita passionis Christi præponderant omnibus nostris peccatis. — 8. Aliquot exempla salvatorum ob venerationem Dominicæ passionis. — 9. Exempla S. Francisci de Paula. — 10. Hermanni de Allis. — 11. Cardinalis Hosii. S. Caroli Borromæi. B. Joannis Columbinis.

*Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cœlorum.*

**1.** — Inter cæteros salutares fructus, quos sacrosancta crux Domini nostri produxit, unus est gloriosus ille titulus, quo arbor vitæ generis humani, non in terrestri, sed in cœlesti Paradiso transigendæ, appellatur; unde canit sancta Mater Ecclesia : *Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cœlorum.* Qua de re in præsenti discursu fusius agemus.

**2.** — Cum Salvator noster una cum Apostolis suis Hierosolymam versus contenderet : (*Ecce ascendimus Hierosolymam*) simul etiam Passionem et mortem suam claris hisce verbis prædiceret [1] : *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et condemnabunt eum morte et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum;* mox sacer textus subjungit : *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo; qui dixit ei : Quid vis? Ait illi : Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam et alius ad sinistram in regno tuo.* Ubi observanda est hæc dictio, *Tunc,* quæ opportunitatem et occasionem exprimit, qua Maria Salome usa fuit, ad postulandas pro filiis suis Jacob et Joanne primas in regno Christi sedes. Et vero non obstante, quod mulier hæc una esset illarum fœminarum, quæ sequebantur Christum [2] : *Et ministrabant ei de facultatibus suis;* nunquam tamen similem postulationem Salvatori nostro proposuisse legitur; mox vero ut Christus de sua crucifixione verbis adeo apertis disserere cœpit, occasione sibi data opportune uti voluit. At vero de quonam regno hæc Maria Salome loqui intendebat? Num de terrestri et temporali, an vero de cœlesti et æterno regno? S. Paschalis illam de cœlesti regno locutam fuisse censet, siquidem filios ejus hoc prætendisse dicit, *quasi cœlestis gloriæ amatores.* Cui opinioni auctor Operis Imperfecti pariter subscribit [3] : Intelligebat namque sancta hæc mulier, Spiritu Sancto illustrata, quod patibulum crucis, in quod Christus suffigendus erat, tandem post quinquies mille et amplius annos, cœli portas reseraturum esset. Ante diem namque quo Christus crucifixus fuit, Paradisus cœlestis apertus fuisse nusquam legitur, nisi quando Christus bono latroni dixit [1] : *Hodie mecum eris in Paradiso.* « Antevertit igitur, ut apparet, latronis voces mulier, » inquit Basilius Seleucus [2] : « Ille in cruce « orationes fundebat: Memento mei dum veneris in « Regnum tuum. Hæc autem crucem pro regno sup« plicabat. » Credibile est enim, illam prophetiçum illud agnovisse oraculum : *Dominus regnavit a ligno.* Unde ipsemet Christus discipulis in Emaus abeuntibus cœli viam per crucem apertam fuisse dixit [3] : *Oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* Ludolphus Carthusianus ritum, quo Ecclesia crucem inter chorum et cancellos templi collocare consuevit, observans, inquit [4] : « Per multas tribulationes « nos intrare in Regnum cœlorum, quod bene « figuratur per hoc, quod Crux ponitur inter chorum « et cancellos Ecclesiæ, ut, qui chorum intrare volue« rint, vadant sub cruce, quia ab Ecclesia militante ad « triumphantem, nemo nisi per crucem potest in« trare. » Unde Ludovicus Blosius meditationem Passionis, summam et compendium vocat nostræ salutis, inquiens [5] : « Quotiescumque aliquid pie meditaris, « aut legis de Passione Domini Jesu, sanctificaris « inde et ingentem fructum reportas, etiamsi parvo « admodum affectu, sine ullo sapore sensibili me« diteris, ac legas. Fieri nulla ratione potest, ut « vel aspicias tantum piis oculis imaginem crucifixi « sine grandi utilitate, cum ibi salutis tuæ sum« mam invenias. »

**3.** — Quisnam, obsecro, primus fuit fructus, qui in conspectu totius populi hebræi, ad acquisitionem Palæstinæ, quæ typus erat terræ promissionis cœlestis, properantis apparuit? Botrus quidam uvæ e vecte dependens : Hæc autem *omnia in figura contingebant.* Nam ut Taulerus de Passione Redemptoris disserens ait [6] : *Botrus in vectem appensus est, ut nos de promissione terra certos redderet et securos.* Unde et Apostolus ad Hebræos inquit [7] : *Habentes fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi.* In libro Josue [8], legitur, quod licet adversus civitatem Jericho irrevocabilis ultimi exterminii sententia divina Justitia fulminata fuisset, ab hac tamen universali ruina Raab, ejusque familiam, in præmium hospitalitatis, qua populi sui electi emissos exploratores gravi cum periculo suo, hospitio exceperat, eximere voluerit. Sed quonam signo domum Raab notari voluit, ut eo viso, a devastatoribus illi parceretur? *Signum fuit funiculus coccineus.* Hic autem *funiculus coccineus,* ut Glossa Interlinea-

[1] Matth., xx, 10. — [2] Marc., v, 41. — [3] Auctor Imperf., ho. 35.

[1] Luc., xxiii, 43. — [2] Basil. Seleuc., *orat.* 24. — [3] Luc., xxiv, 26. — [4] Ludolph. Carth., p. 2, c. 58, *de Pass.* — [5] Blos., *Sacell. animæ,* c. 21. — [6] Tauler, c. 24, *de Vit. et Pass. Christi.* — [7] *Heb.*, x, 19. — [8] Jos., ii, 18.

ris exponit, *sanguis est Christi.* Ubi enim hic sanguis Agni immaculati pro nobis in monte Golgotha sacrificati rutilat, ibi indubitandum est pignus æternæ salvationis. Unde Leo Magnus ex infallibili cathedra Petri stipulatam nobis offert promissionem, dicens [1] : « Secura est expectatio promissæ « beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ Pas- « sionis. »

**4.** — Cœli empyrei fores nihil aliud nobis potest occludere, præterquam peccatum; ac proinde S. Paulus ait [2] : *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei*, mox vero subjungit : *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Hoc enim sanguine utentes, Paradisum nostrum esse faciemus. Porro in vita S. Philippi Nerii de sanctimoniali quadam legitur, quod cum se damnatam esse reputans, magnis angeretur desperationis tentationibus, multique suam in hoc collocassent operam, ut eam in statum salutis denuo perducerent, licet casso et irrito eventu; tandem S. Philippus eamdem quoque conveniens, ut conceptam desperationem penitus deponeret, hoc eam convicit argumento, dicendo : Dic, obsecro, pro quo Filius Dei in cruce mortem oppetiit? Cui ipsa respondit : Pro peccatoribus. Et tu quænam es? subjunxit Philippus. Cui Religiosa respondit : Gravis sum peccatrix. Ergo, subintulit S. Philippus, Paradisus tuus est. Hæcque verba, Paradisus tuus est, adeo tenaciter cordi ejus remanserunt impressa, ut non solum omnis deinceps cessaverit tentatio, verum insuper ad ultimum usque spiritum, vivacissimam æternæ salutis suæ conceperit fiduciam. Merito igitur S. Ambrosius ait [3] : « Non « tabes mortis de vulnere ejus, sed fons vitæ scaturi- « vit æternæ. » D. Chrysostomus inter alia crucis Christi encomia, sequentia pariter proposito nostro admodum congrua enumerat, dicens : « Crux « Christi Dei in homines odium restinxit, Deum cum « hominibus reconciliavit, terram cœlum effecit, ho- « mines cum angelis miscuit, mortis arcem muni- « tissimam diruit. » Doctor Angelicus similiter multos recensens mortis Christi bonos effectus, inter alios hunc quoque enumerat [5] : « Christus per passionem « suam, non solum hominem a peccato liberavit, « sed etiam gratiam justificantem et gloriam beati- « tudinis ei promeruit. » Cœlestis Sponsus B. Angelam de Fulginio, dilectam sponsam suam, inter alia his verbis affatus fuisse legitur [6] : « O vos vere beati « et omnino benedicti! Si in cruce pro meis cru- « cifixoribus, cum lacrymis et fletu rogavi Patrem « meum, et excusavi dicens : Pater dimitte illis, « quia nesciunt quid faciunt; quid pro vobis, qui « mihi compassi, devoti et consocii fuistis, dicturus « sum, cum non in cruce, sed in gloria felicissimus « orbem judicabo? » Quod porro Christi argumentum efficacissime strinxit, siquidem cum in monte Calvario pro suis crucifixoribus intercesserit, ut in statum salutis eosdem perduceret, quanto magis nunc ad dextram Patris residens, omnem movebit lapidem, ut omnes illos, qui mortem ipsius cum sincera devotione et compassione meditantur, suisque compatiuntur acerbissimis pœnis, justificare et ad gloriam cœlestem perducere valeat?

**5.** — In parabolis Salomonis Deus ita loquitur [1] : *Beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei.* Et quidem certissimum est, per hasce fores aliud intelligi non posse, præterquam Christi sacratissima vulnera. Ac proinde advertendum S. Joannem non sine mysterio in Evangelio suo in hæc verba scripsisse : *Unus militum lancea latus ejus aperuit*; non dicit : *Vulneravit, percussit*, sed *aperuit*; quasi enim latus ejus sauciando, quamdam aperuit cœlestis Paradisi portam, intra quam beatitudinem et vitam immortalem invenit, teste Sapiente, qui ait [2] : *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Merito igitur Doctor Seraphicus exclamabat, dicens : « O « cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in « Christum nesciunt introire! Supra suas vires la- « borant in vanum et aperta sunt ostia ad quietem. « An ignoratis, quod Christus est gaudium beato- « rum? Cur tardatis per sui corporis foramina in « illud gaudium introire? Beatitudo angelorum « patet, paries ejus confractus est et vos introire « negligitis? » Verum quidem est, Deum olim post expulsos e Paradiso protoparentes, ad ejus fores quemdam collocasse Cherubinum, manum versatili gladio quodam armatam habentem, ut omnes eo ingredi cupientes arceret. At vero prouti idem S. Bonaventura ingeniose inquit : *Ecce, aperta est janua paradisi et per lanceam militis gladius versatilis est amotus.* B. Laurentius Justinianus in libro *de triumphali Christi agone*, de hoc mysterio diffuse discurrens, inter omnia alia nihil adeo nos de gloriæ possessione adeunda securos reddere censet, quam hoc sanctissimæ passionis Christi meditatæ mysterium; en verba ipsius : « Nihil eorum, quæ « in sacro continentur eloquio, sic humanum valet « excitare affectum, mentem erigere, temperare « laborem, peregrinationis tædium auferre et « æternæ felicitatis spem immittere, quemadmo- « dum sacrosanctum redemptionis humanæ myste- « rium. » B. Angela de Fulginio inter alias benedictiones a Salvatore nostro iis, qui morti suæ meditandæ devoti sunt, impertitas, hanc quoque audire meruit [3] : « Benedicti qui meæ Passionis, quæ « est salus et vita perditorum, solum refugium pec- « catorum, memores, et devoti, et compatientes

[1] S. Leo, ser. 9 *de Pass.* — [2] *Rom.*, III, 22. — [3] S. Ambr., in *Ps.* 37. — [4] Chrysost., ser. 8. — [5] S. Thom., q. 46, art. 3. — [6] Bolland., 4 jan., fol. 202.

[1] *Prov.*, VII, 14. — [2] *Ibid.*, VIII, 4. — [3] Bolland., ib.

« eritis ; quoniam vere et regni, et gloriæ, et resur-
« rectionis, quam per ipsam acquisivi, eritis parti-
« cipes mecum et cohæredes in perpetua sæcula
« sæculorum. »

**6.** — Quidam insignis Dei servus [1], qui historiam Passionis Dominicæ memoriter didicerat, eamque quotidie, assidue et attente meditabatur, dicere solebat, quod quisquis idipsum faceret, sequentes sibi comparaturus esset cœlestes gratias : videlicet primo remissionem peccatorum. Secundo, certam quamdam ingruentibus tentationibus resistendi fiduciam. Tertio, ad aggrediendum virtutis et perfectionis opera egregiam virtutem et vigorem. Quarto, divinæ gratiæ suæ multiplicationem, ac perseverantiæ donum. Quinto dicebat, quod sicut qui Christum crucifixum meditatur, cordi suo Christo vicinus est, quem meditatur, ita quoque securus esse possit, quod eumdem in adjutorium suum promptum semper habebit. Sexto, animam in ejusmodi meditatione illuminandam et disponendam esse ut multas cœlestes illustrationes recipiat. Septimo, eamdem animam in vitæ spiritualis et perfectæ curriculo ingentes facturam esse progressus. Octavo, per passionis Christi meditationem comparaturam sibi esse gratiam et benevolentiam Dei, adeo ut tuto sibi promittere possit quicquid in nomine Jesu Christi crucifixi a cœlesti Patre potierit. Denique nona et ultima gratia, quæ veluti omnium aliarum est summa et complementum, quod videlicet : « Per hanc salutis nostræ comme-
« morationem in morte assequetur lumen quod-
« dam, per quod obtentæ salvationis cognitionem
« habebit, assistente Domino nostro Jesu Christo et
« pugnante pro eo contra invisibiles salutis hostes.»
Et quidem de hac in articulo mortis nostræ speciali Dei assistentia, varia in medium adducere possumus testimonia.

**7.** — Blosius in libro *de consolatione pusillanimium*, ita scribit : *Mors Christi mortem tuam soletur.* Unde cum agonizantibus certam æternæ salutis spem ingerere volumus, iisdem ob oculos ponimus Redemptorem, non veluti in Bethleem natum, vel ut resurgentem a mortuis, vel ut ad cœlum ascendentem, vel prædicantem Evangelium, aut mortuos resuscitantem, sed cruci affixum et in cruce expirantem; hæc enim figura eosdem in agone sua consolatur, simulque efficit, ut firmam concipiant æternæ beatitudinis suæ fiduciam. Idem Blosius, vir eminenti perfectione et sanctitate conspicuus, in alio quodam libro, qui *sacellum animæ* intitulatur, Christum introducit, eum qui passioni meditandæ assiduam dat operam, hisce verbis alloquentem : « Eum ante mortem mihi placentem reddam
« et defunctum cum charis amicis meis remunera-
« bor. In morte illi adversus hostes ejus assistam
« et de vita æterna ipsum faciam certum, atque
« securum. » S. Bernardus in extremo mortis articulo inimico infernali, eum graviter tentanti, ejusque vitam nihil aliud quam meram hypocrisin, fuisse affirmanti, respondit : Probe idipsum cognosco, scio enim quod nihil unquam boni præstiterim; verumtamen in Redemptoris mei sanguinem securus confido, in eoque omnem spem meam collocatam habeo. Unde idem mellifluus doctor in sermone quodam hosce pariter exprimit affectus [1] :
« Peccavi peccatum grande, turbabitur conscientia,
« sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini
« recordabor. » Sancta Catharina Senensis, quæ Passioni Dominicæ meditandæ devotissima fuit, omnes a se exaratas Epistolas, a sanguinis Jesu Christi commemoratione exordiebatur, cumque mortis proxima esset, vocem suam, quanta potuit cum animi contentione, extulit, dicendo : *Sanguis, sanguis Jesu.* De eximio quodam Dei servo legisse me memini, quod dum morti vicinus esset, visum ei fuerit, se coram tremendo Judicis tribunali assistere, in cujus conspectu libra adducta fuit, in cujus una lance ejus bona ponebantur opera; cumque eorum conspiceret modicitatem, siquidem demerita et ab ipso commissa peccata, ex altera parte longe magis præponderabant, hoc usus est consilio, ut scilicet in alteram libræ lancem collocaret merita, passionem et sanguinem, a Salvatore in cruce effusum, nec non amorem, quo tempore vitæ suæ eamdem Dominicam Passionem meditatus fuerat. Quo facto, lanx illa, in qua merita sua simul cum sanguine Christi trutinabantur, longe prævalens præponderavit, ipseque æternæ perditionis evasit periculum.

**8.** — In *Speculo exemplorum* [2] de quodam ordinis Canonicorum Regularium F. laico legitur, quod post mortem suo apparuerit superiori, eidemque se recta ad cœlum ascendere significarit : quod cum prælatus audiens miraretur, felix hic Dei servus, se hanc gratiam ideo obtinuisse subjunxit, quia quoad vixit, Christum crucifixum in summa habuit veneratione, ab eoque hanc semper postulavit gratiam, ut scilicet ei in extremo mortis articulo opem ferret. In *Prato florido* de nobili quadam matrona refertur, quod tempore vitæ suæ cor suum in Passionis Dominicæ meditatione semper defixum habuerit, hancque a Redemptore sibi gratiam concedi postularit; ut scilicet in die et hora, qua ipse in cruce exspiravit, suam quoque exhalare animam posset. Eadem Dei ancilla quavis foria sexta super nuda tabula lignea decumbere consueverat; et quia volenti eodem die nudis incedere pedibus, idipsum et tanquam nobili et conjugatæ minime permittebatur; ipsa panniculos et acutos calceis suis immisit lapillos, ut in de sub pedum plantis eo graviorem

[1] *Hist-select. Aug. Mag.*, c. 214.

[1] S. Bern., ser. 61 *in Cant.* — [2] *Spec. Exemp.*, dist 6. c. 10.

persentiscens dolorem, Christo patienti se conformaret. Unde postulatam a Redemptore gratiam obtinere promeruit, siquidem in die Veneris sancto et hora qua Christus in cruce expiravit, ipsa inter atrocissimos partus dolores, suam quoque animam Redemptori reddidit. Cumque confessarius ejus, pro ipsius anima missæ sacrificium oblaturus, Ecclesiam ingressus fuisset, eidem ibidem obdormiscenti anima paulo ante defunctæ mulieris apparuit, dicens, se missæ subsidio minime indigere, eo quod propter merita passionis Christi, cœlesti donata esset gloria. In eodem libro de juvene quodam et divite rustico legitur, quod exercitium se quotidie crucifixo recommendandi adeo sibi familiare reddiderit, ut quotiescunque ad lectum concederet, vel inde resurgeret, signo crucis in fronte et pectore se communiendo, hæc verba proferre solitus fuerit : *Jesu Nazarene, miserere mei, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* ; simulque Christum crucifixum rogarit, ne sine confessione moreretur. Accidit autem, quod morte repentina diem suum clauserit extremum, cumque dæmones advolantes animam ipsius secum ad infernum raptare niterentur, splendidus quidam juvenis eosdem abigens, prædictam animam in locum quemdam tenebrosum deductam ibidem dereliquit. Cumque anima more suo consueto cruce se signaret et prædicta verba sæpius repeteret, quidam lucis radii hinc inde scintillantes, obscuritatem loci illius nonnihil illustrarunt. Unde redeuntes dæmones, ut animam ejus sibi prædam facerent, a luce illa perterriti, ad eamdem appropinquare haud præsumpserunt. Comparuit autem de novo juvenis ille, cui Angelus cœlitus missus fuisse creditur, eique dixit, quod tametsi ad inferni pœnas condemnari mereretur, judex tamen propter merita devotionis erga passionem suam et crucis suæ titulum exhibitæ, hanc ei largiretur gratiam, ut in vitam denuo redire, suaque peccata per confessionem sacramentalem expiare posset. Qua peracta, demum in pace quievit.

**9.** — Apud Surium de S. Francisco de Paula leguntur sequentia : « Dei Veneris sancto, cum tem-
« pus migrationis adesse cognosceret, circa horam
« qua Christus Dominus passus est, signo sanctæ
« crucis devote consignatus, passione Dominica co-
« ram eo perlecta, junctis manibus, erectisque
« oculis in cœlum, crucis trophæum amplectens et
« osculans, ac sæpius in manus tuas commendo
« spiritum meum, iterans, absque doloris et mortis
« signo, feliciter migravit ad Dominum. »

**10.** — In Chronicis Eremitarum ordinis S. Augustini, scribitur de Hermanno de Allis, quod dum mortis suæ horam imminere sentiret, a convocatis ad assistendum morti ipsius Patribus, Passionis Dominicæ seriem sibi prælegi petierit; et primo quidem prout illa a S. Matthæo, ac demum prout a S. Marco conscripta fuit ; semperque lectorem monuerit, quando vel facienda pausa, aut sacer textus repetendus esset. Cumque lector ad hæc pervenisset verba : *Jesus, emissa magna voce, expiravit,* ipse quoque animam suam Creatori reddidit.

**11.** — De Stanislao Hosio collegii cardinalium, totiusque ecclesiastici ordinis eximio jubare, viro æterna memoria digno, legitur, quod dum morti vicinus esset : « Crucifixi imaginem, quam in mani-
« bus habebat, sic amplexabatur, clavorumque
« vestigia osculabatur, ut plane ostenderit, quam
« ardentibus fuerit charitatis ignibus erga Deum
« inflammatus. » S. Carolus Borromæus similiter ultimas austerissimæ vitæ suæ periodos per intentam omnium mysteriorum Passionis Dominicæ meditationem, per plures dies in monte Verallo continuatam, terminare voluit, prouti in historia vitæ ipsius diffusius legitur, suosque oculos in imaginem crucifixi defixos clausit, ut eosdem in æterna visione beatifica denuo aperiret. De B. Joanne Columbino pariter scribitur : « Cum legerentur pas-
« sionis Christi verba illa : *Pater, in manus tuas*
« *commendo spiritum meum*, requievit in pace. »
Paulus de Palatio opportune quærit, cur eo tempore, quo Salvator in transfiguratione sua in monte Thabor peracta, quoddam mundo gloriæ suæ specimen et præludium exhibuit, et Pater cœlestis eum dilectum suum filium esse declaravit, Moyses et Elias apparentes, de acerbissimis Passionis suæ tormentis, in monte Calvariæ sustinendis, inter se disserere cœperint ? Et respondet, id hoc præcipue factum fuisse mysterio, ut omnibus fidelibus hoc perhiberetur documentum, scilicet quod [1] : « Nemo
« poterit in gloria esse, nisi de Christi morte fuerit
« locutus : in fide enim sanguinis Christi, saltem
« implicita, omnes salvantur, qui cœlo fruentur. »
S. Bonaventura inter alios ignominiosæ mortis Christi fructus, hunc quoque recenset, scilicet [1] : « Passio ignominiosa glorificat, »

## DISCURSUS IX.

EX QUO CHRISTUS IN CRUCE DÆMONEM DEVICIT, CRUCI FIXIONIS EJUS DEVOTA MEDITATIO POTENS EFFECTA EST AD EUM SUPERANDUM ARMATURA.

IDEA SERMONIS. — 1. Seria meditatio passionis Christi est valida armatura contra diabolum. — 2. Diabolus per virtutem crucis Christi victus, humiliatus et spoliatus fuit — 3. Clypeus Josue designat passionem Christi, cujus virtute vincimus dæmonem. Mirabile exemplum hujus habemus in S. Edmundo. — 4. Abrogata passionis Christi memoria, dæmon facile prævalebit. Hoc ipsemet dixit Luthero. — 5. S. Catharina in tentatione magna diabolum fugavit memoria sanguinis Christi. — 6. Varia hujus virtutis crucis et passionis, Christi exempla. Pugna Davidis contra

[1] PAUL. DE PALAT., *in Matth.*, 17. — [2] S. BONAV' *Stim. amor.*, c. 1.

Goliath applicatur Christo crucifixo. — 7. S. Claram passionem meditantem diabolus ferre nequiens, percutit in faciem.

*Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias.* Ephes., VI, 11.

**1.** — Apostolus, ut serpentis infernalis evadere insidias possimus, nos ad assumendam Dei armaturam hortatur, inquiens : *Induite vos armaturam Dei.* Et paulo post idipsum his verbis repetit : *Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.* Ubi per diem malum extremus vitæ nostræ articulus potest intelligi, utpote in quo plus quam alias unquam infestandi sumus. Verum enim vero ex quo S. Paulus genus armaturæ hujus speciatim nequaquam expressit, quidnam per hanc armaturam intelligere oportebit ? Discamus idipsum a S. Petro, dicente[1] : *Christo igitur passo in corde, et vos eadem cogitatione armamini.* Etenim seria mentis applicatio ad devote contemplandam Christi passionem, valida quædam est armatura ad retundendos omnes dæmonis ictus, omniaque illius stratagemata deludenda. Porro genuinum prædictorum verborum S. Pauli sensum, S. Bonaventura in sermone quodam hisce verbis expressit[2] : « Ista armatura, qua debemus indui, ad hoc ut possimus « superare diabolica tentamenta, est memoria passionis Christi, quæ si ad memoriam affectuose « reducatur, omnes dæmones cum tremore effugantur, secundum quod experientia me docuit plu- « ries. Nam semel cum diabolus fortiter me strin- « gens in gutture vellet strangulare, jam non « valens præ nimia gutturis strictione clamare, ut « fratrum adjutorium imprecarer, incipiebam cum « ingenti dolore spiritum exhalare : statimque « habita Dominicæ Passionis memoria, incepi ex « compassione Dominicæ Passionis singultum ge- « minare, et magna suspiria loco vocis submittens, « cordis medullis emittere, quo finito, virtute « Dominicæ Passionis, ego servus crucis, qui « præsens sermonum opusculum ad laudem nominis « Christi, et sanctæ crucis honorem compegi, a « tam crudeli nece confiteor me liberatum esse. « Scio, quod postea ex revelatione didici, quod « exigentibus meis peccatis (quanquam de peccato « mortali mihi conscius non essem) hoc mihi « evenire divina justitia permittebat : sed quia « nullus potest istam armaturam induere, nisi « carnis luxuriam per carnis continentiam coarctet, « ideo sequitur : Præcincti lumbos vestros, etc. » Ideo seraphicus doctor alio in loco *de stimulo divini amoris* disserens, idipsum in hæc verba scribit : « Non erit qui contra me militare audeat, « si Christi stigmatibus fuero consignatus : ubique « et semper habitabo in illis, ut sim quasi in castro « securus ab omni impulsu maligno.

**2.** — Atrocissimam Redemptoris mortem dæmon quidem præcipue machinatus fuit, dicente Evangelista[1] : *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes* ; at vero ut S. Leo Magnus optime observat[2] : « Diabolus malitia « nocendi avidus, dum irruit, ruit, dum capit, « captus est. » Credens enim, quod procurando Christi crucifixionem, suam tanto magis stabiliturus esset tyrrannidem, illud incarnatæ Sapientiæ oraculum infallibiliter adimplendum esse non intellexit, scilicet[3] : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Unde sancta mater Ecclesia ita canit : *Salutem humani generis in ligno crucis constituisti ut, qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* S. Augustinus super illa Psalmistæ verba : *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum,* hisce Christum verbis affatur : « Vulneratus es, et vulnerasti. « Neque enim eum non vulneraret sanguis tuus, « qui effusus est, ut deleret chirographum pecca- « torum ? Unde enim superbiebat, nisi quia cau- « tionem contra nos tenebat? Hanc tu cautionem, « hoc chirographum tuo sanguine delevisti. Illum « ergo vulnerasti, cui tot abstulisti. Vulneratum « intelligas diabolum, non penetrata carne, quam « non habet, sed percusso corde, ubi superbus « est. » S. Apostolus quoque Colossenses, unaque cum illis omnes alios fideles, his verbis erudit[7] : *Et vos cum mortui essetis in delictis, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et illud tulit de medio, affigens illud cruci.* At vero quidnam ex hac debitorum nostrorum, quorum inimicus infernalis penes se habebat chirographum, abolitione secutum fuit ? S. Paulus immediate subjungit, inquiens : *Et expolians Principatus, et potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semeptiso.* D. Chrysostomus, in sermone quodam inquit : « Crux Dei, diaboli vires « enervavit, terram ab errore liberavit (siquidem « antea universus mundus, solum excepto modico « Judææ angulo falsa idolorum numina, id est, dæ- « monia adorabat) veritatem reduxit, dæmones « expulit, templa destruxit, Ecclesias fundavit. » Ac proinde Cyprianus merito ait[7] : « Jam videt « Hebræus, et quicunque de servitute Ægyptiaca ad « repromissa Patriæ libertatem anhelat, quod san- « guis Christi efficacius quam sanguis agni illius, « quem in Ægypto Israel immolavit, contrarias abi- « gat potestates. »

**3.** — In libro Josue civitatis Hai expugnatio, nec non inimici exercitus totalis strages, per speciale a

[1] I Petr., IV, 1. — [2] S. Bonav., s. 4 *in Dom.* XIII *post Pent.*

[1] Joan., XIII. 2. — [2] S. Leo, ser. 2 *de Pass.*— [3] Joan., XII, 31. — [4] S. Aug., in *Ps.* LXXVIII. — [5] *Coloss.*, II, 15. — [6] D. Chrys., t. V. s. 8.

Deo præscriptum stratagema perfecta describitur. Id vero quod proposito nostro speciatim deservit, est sequens Josue a Deo impositum præceptum[1] : *Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam. Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ quæ jacebant surrexerunt confetim, et pergentes ad civitatem, cœperunt, et succenderunt eam.* Ex quibus verbis Lyranus quamdam deducit moralitatem, quæ hactenus a nobis dicta egregie confirmat : nam ut ait[2] : « Clypeus iste est memoria passionis Dominicæ : » id quod ex sequenti Jeremiæ textu ostendit, ubi dicitur[3] : *Dabis ei, Domine, scutum cordis laborem tuum,* Quod pariter sanctus Petrus ibi supra insinuare voluit, dum ait[4] : *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.* Quando enim hoc scutum erigitur, telisque inimicorum opponitur, id est, quando passionem Redemptoris devote meditamur, omnes a nobis avertit dæmonis ictus, imo per hoc ipsemet dæmon lethaliter sauciatur. Unde Blosius ait[5] : Si passionem et mortem Domini « Jesu in memoria nostra cum amore gustaverimus, « facile carnem et sanguinem, mundum, diabo- « lum ejusque tentationes omnes vincemus. » De S. Edmundo Surius in hæc verba scribit[6] : « Sanctus « Edmundus cum quotidie aliquid temporis medi- « tationi de passione Christi tribueret, idipsum « semel negotiorum quorumdam causa intermisit; « in cujus pœnam dæmoni tanta in eum potestas « ad tempus est data, ut lectulo surgens, nec « signum crucis formare potuerit. » De eodem sancto apud Bellovacensem[7] scriptum reperio, quod cum die quadam dæmonem in virtute sanguinis Christi adjurasset, ut ingenue fateretur, quonam modo facilius et securius superari posset, dæmon ad veritatem manifestandam adstrictus eidem responderit nulla re facilius, quam sanguine Christi dejicior et prosternor : « Adjuro te per aspersionem « sanguinis Christi, ut dicas, in quo facilius te « vincere possum : Respondit : In eo quod nomi- « nasti. » Enimvero ex quo urbis Hai expugnatæ mentionem fecimus, nequaquam convenit, ut moralitatem quam B. Petrus Damianus ex morte regi Hæi illata eruit prætereamus. Ita enim pradictus Damianus scribit[8] : « Sicut rex Hai suspensus est in patibulo, ita « rex mortis in patibulo suspendantur, quia dum « Christum interficit, in ipsa cruce figitur, » Id quod ex sequenti Jeremiæ textu probat, ubi dicitur[9] : *Quomodo confractus est, et contritus malleus universæ terræ?* Quis enim alius per hunc malleum universæ terræ intelligi poterit, præterquam ille, de quo Christus ait : *Princeps mundi hujus ?* Hic enim universum mundum sua premebat tyrannide, volens tanquam Deus adorari, et non solum pecudes, sed et ipsos homines in sacrificium sibi offerri : juxta illud Psalmistæ[1] : *Immolaverunt filios suos dæmoniis.* Dicit autem de hoc malleo Origenes[2] : « Christus con- « fregit dæmonem in deserto, contrivit in passione. »

**4.** — S. Bonaventura egregie considerat, quod Redemptor noster immediate antequam in cruce expiraret, vocem suam contra omnem naturæ instinctum extulerit, dicente Evangelista : *Jesus clamans voce magna, emisit spiritum.* Hæc autem *vox* inquit seraphicus doctor[3], « Dæmonibus fuit hor- « renda, sed hominibus multum attendenda.» Enimvero quonam modo hæresin in totius mundi partibus adeo prævaluisse existimatis, ut major pars hominum inimici infernalis tyrannidi videatur subjecta? Referunt porro annales Ecclesiastici[4] infernale hoc monstrum nocte quadam Martino Luthero in forma apparuisse visibili, eique vivis rationibus demonstrasse, sectam suam nullum unquam habituram progressum, quamdiu missæ sacrificium quod, ut nemo nescit, passionis Christi memoriale est, et vivum monimentum non esset totaliter abrogatum. Ac proinde sacrilegus ille omni virium suarum conatu ad hoc facinus consummandum sese applicuit, hacque ratione secta per ipsum noviter tradita magnis passibus progressa fuit, quia sublata a fidelium mentibus et cordibus mortis Christi memoria, dæmon contra ipsos facile prævalebit, nec erit vitium aut peccatum, ad quod humana malitia subito non sit relaxatura habenas.

**5.** — *Tentatio est vita hominis super terram.* Et vero væ nobis, nisi Salvator noster ad repellendos, et retundendos ab inimico non minus potente quam indefesso, et continuo intentatos ictus de hac armatura nobis prospexisset. Etenim apud Blosium legimus[5] quod « diabolus aliquando volens decipere « et ad nimiam pusillanimitatem, sive ad despe- « tionem adducere sanctam virginem Catharinam « nitebatur ei persuadere, quod vita ipsius falsa, « inutilis, et perversa esset. Illa igitur a Dei bonitate « (quæ vere pœnitenti nunquam se negat) edocta « humililer elevavit mentem suam ad misericordiam « divinam dicens : Ego aperte confiteor Creatori « meo, me quotidie in tenebris fuisse, maleque « vixisse; verumtamen fiducialiter latitabo in plagis « Domini mei Jesu Christi, et omnium iniquitatum « mearum maculas pretioso sanguine ejus abluam.» At vero vultisne scire, quantum huic sanctæ virgini jam dicta protestatio profuerit? Audite salutarem ejusdem effectum, quia ut idem Blosius ait : « Post hæc verba, diabolus in fugam versus est. » S. Maximus in homilia quadam *de passione et cruce*, sequens nobis tradit consilium : « Habemus Domi-

[1] JOSUE, VIII, 18, — [2] LYRAN., *in Moral.* — [3] *Thren.*, III, 65. — [4] I PETR., IV, 1. — [5] BLOS., *in Sacello animæ*, c. 8. — [6] SUR., t. VI, 16 NOV. — [7] BELLOV., *Sp. Hist.* — [8] B. PET. DAM., s. 1 *de Exalt. S. Crucis.* — [9] JEREM., L, 23.

[1] *Ps.* CV, 37. — [2] ORIG., in c. 32 *Jerem.* — [3] S. BONAV., l. II *in Parasc.* — [4] RAYNAL., an. 1521, n. 45. — [5] BLOS., in *Conclavi animæ*, c. 1, n. 19.

« num Jesum, qui nos passione sua liberavit, in « ipsum aspiciamus semper et ipsius signo spere- « mus nostris vulneribus medicinam. Hoc est, si « forte in nobis venenum avaritiæ se diffundit « ipsum consideremus, et sanat. Si scorpionis nos « libido compungit, ipsum rogemus, et curat. Si « terrenarum cogitationum nos morsus lacerant, « eumdem precemur et vivimus; hi enim sunt « spirituales serpentes animarum nostrarum, prop- « ter quos conculcandos Dominus crucifixus est. Enimvero Deus olim Moysi serpentem quemdam æneum in palo quodam erigere, et suspendere præcipit [1], ut quisquis ab ignitorum deserti serpentum morsibus sauciatus fuisset, serpentem illum firmiter respiciens, a veneno contracto liberaretur : *Sed omnia in figura contingebant illis.* Hic namque serpens Christum in cruce hoc fine suspensum, ut infernalis serpentis venenum aboleret, præfigurabat. Christus enim serpens erat, quia omnia peccata nostra, quorum dæmon auctor fuerat, in se assumpserat. At vero quid tandem evenit? Christus resurrexit, at vero serpens infernalis diabolus ibidem confixus remansit, atque insuper increata sapientia effecit, ut quisquis deinceps mentis suæ oculos in mysticum hunc serpentem, Christum scilicet crucifixum, elevaret, ab omni tentationis et suggestionis pravæ veneno liber evaderet. Unde S. Bernardus, in epistola quadam, ad quemdam novitiorum suorum exarata, scribit [2] : « Si tentationum sentis « aculeos, exaltatum serpentem æneum intuere, et « suge non tam ubera quam vulnera crucifixi. »

**6.** — In Prato florido [3] de quodam Dei servo scribitur, quod ut mentem suam meditationi passionis Dominicæ tanto posset attentius applicare, in loca quædam solitaria sese recipere consueverit; qui proinde ob hujus contemplationis merita ab astuto serpente (quantascunque eidem adhiberet tentationum machinas) nunquam eo adduci potuit, ut in peccatum aliquod, de quo illum per multos annos tentaverat, consensu suo inclinaret. De sancto Elzeario Ariani comite, Surius in hæc verba scribit [4] : « Sumpta Eucharistia, et sancto perunctus « oleo, cum diceretur postea : Per sanctam crucem « et passionem tuam, libera eum Domine; ipse « eumdem versum tertio repetivit, addens : Hæc est « spes mea, in hac volo mori. Ad extremum jam « in agone positus, vultum præ se tulit valde terri- « bilem, unde colligi potuit, in magno eum tunc « versari labore, ob aliqua sibi objecta. Exclamavit « autem dicens : Magna est dæmonum vis, sed « eam penitus enervarunt virtus et merita sacro- « sanctæ passionis Christi. Post paululum excla- « mavit, dicens : Plane vici. » De sancta Birgitta, in tenera etiamnum ætate constituta, refert idem Surius, quod *viderit diabolum, tanquam centimanum, aut centipedem, horrenda specie deformem. Perterritaque cucurrerit ad lectulum suum, humiliter se Christo commendans : ubi rursus ille teter spiritus ei apparens dixit : Nihil possum, nisi permittat crucifixus.* S. Augustinus modum nos docet, quem ille tenere consueverat, quotiescunque a diabolis infestabatur suggestionibus, quibus utique indefesse oppugnabatur, utpote qui triginta tribus annis licentiose vixerat; ita enim scribit [1] : « Cum me pulsat « aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. « Cum me reprimit caro mea, recordatione vulne- « rum Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi « parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ « Domini mei, et recedit a me. » Similiter S. Cyprianus pro se et nobis omnibus Salvatori nostro hisce verbis supplicat [2] : « Da nobis in vita præsenti, ut « simus sine angaria bajuli crucis tuæ, et compre- « hendamus cum omnibus sanctis quid latitudo, quid « longitudo, quid sublimitas, quid profundum hujus « ligni significet; quo conspecto, non noceat nobis, « neque mordeat coluber solitudinis, sed innoxii per « omnia sequamur te. » Porro signum quod videns in Ægypto exterminator angelus, domos Hebræorum non percussit, aliud non fuit, præterquam sanguis agni sacrificati, super limina portarum aspersus : ut patet ex hisce verbis [3] : *Videbo sanguinem, et transibo, nec erit in vobis, plaga disperdens.* Quanto igitur, ad repellendum a nobis inimicum infernalem, majoris in animabus fidelium valoris erit, sanguis aspersus Agni illius, qui in Apocalypsi dicitur *Agnus occisus ab origine mundi?* David aureis Saulis armis accintus, superbi Goliath, caput detruncare non potuit, ideoque necessum ei fuit, ut sublatis de torrente quinque lapidibus quibus armatus, et baculum manu tenens cum ipso dimicans, superbum hunc hostem feliciter prostravit. Porro baculus ille crucem, quinque autem lapides quinque Christi vulnera præfigurabant. Et ideo Christus *de torrente in via bibit* [4], quando ad passionem exordiendam se recipiens, torrentem Cedron pertransivit. S. Augustinus prædictam historiam Redemptori nostro applicat, prius tamen commemorando, qualiter Eliab Davidi fratri suo, priusquam victoriam contra Goliath obtinuisset, velut temerario, quod ad locum certaminis accedere præsumpsisset, exprobrarit. En verba sancti doctoris : « Veniente David, unus de fratribus increpavit « eum, dicens : Quare dimisisti pauculas oves illas « et venisti ad prælium? Frater iste senior, qui « David typum Christi gerentem per malitiam in- « crepavit, significavit populum Judæorum, qui « per invidiam Christo Domino, qui pro salute « humani generis venerat, detraxerunt, et multis

[1] *Num.*, XXV, 8. — [2] S. BERN., *epist.* 351. — [3] *Prat. flor.*, l. I, exemp. 6. — [4] SUR., t. IV.

[1] S. AUG., *in Manual.*, c. 22. — [2] S. CYPR. — [3] *Exod.* XII, 13. — [4] *Ps.* CIX, 7. — [5] S. AUG., s. 197 *de Temp.*

« frequenter injuriis affecerunt. Quare, inquit « dimisisti oves illas, et venisti ad prælium? Quasi « non tibi videtur per os ejus salutis hominum « invidens diabolus loqui, tanquam si diceret « Christo : Quare dimisisti nonnaginta et novem « oves, quæ non erraverunt, et venisti ut unam « requireres, quæ perierat, et eam de manu spiri- « tualis Goliæ, id est, de potestate diaboli, per « crucis baculum liberatam, ad ovile proprium « revocares? » In progressu vero ejusdem sermonis, pergit declarare mysterium, ob quod nullus cum immenso illo gigante Goliath dimicare audebat. Ita enim scribit : « Stabant, et pugnare contra « adversarios non audebant? Quia David, qui typum « Christi gerebat, nundum venerat. Quis enim contra « diabolum pugnare poterat antequam Christus « Dominus genus humanum de potestate diaboli « liberaret? David enim interpretatur manus fortis. « Quid eo fortius, qui universum mundum vicit, « armatus non ferro, sed ligno? » Et paulo post subdit : « Contra Goliath, et exercitum ejus, id est « contra diabolum, et angelos illius, christianorum « populus pugnare non desinit, nec tamen vincere « posset, nisi verus David Christus cum baculo, id « est, cum crucis mysterio descendisset. Ante « adventum enim Christi solutus erat diabolus : « veniens Christus fecit de eo, quod in Evangelio « dictum est: Nemo potest intrare in domum fortis, « et vasa ejus diripere, nisi alligaverit fortem. Venit « ergo Christus, et alligavit diabolum. » Idem quoque sanctus doctor ibidem ad locum se reflectit, in quo gigantem percussit; ait enim : « Venit verus David Christus, qui contra spirituа- « lem Goliath, id est, contra diabolum pugnaturus, « crucem suam ipse portavit. Videte, fratres, ubi « David Goliath percusserit, in fronte utique ubi « crucis signaculum non habebat. Sicut enim bacu- « lus crucis typum habuit, ita etiam et lapis ille de « quo percussus est, Christum Dominum figurabat.»

**7.** — In vita S. Claræ, quæ passionem Christi Domini, non sine ingenti dæmonis tormento, amarissime deflebat, Surius refert sequentia : « Inter horas diei sextam, et nonam, majori com- « punctione afficiebatur, ut cum immolato Domino « immolaretur. Nam et semel hora nona oran- « te, in cellula diabolus in maxillam percutiens, « oculum sanguine, genam livore perfudit. » Nimirum diabolus sanctam hanc virginem tanta cum devotione crucifixi dolores meditantem videns, continere se nequivit, quin rabiem suam in eam evomeret. Credamus igitur salutari a B. Laurentio Justiniano his verbis nobis tradito consilio [1]: « Lini oculos tuos sanguine illius, suoque livore « tuis medere vulneribus. Nulla esse valet ægritudo « tam valida, nullus mœror, nullaque tentatio, quæ « non hujusmodi medicamento curetur, est quippe « in eo redemptionis cruor, ut purgationis lava- « crum. » S. Augustinus pariter nos exhortatur, inquiens [1] : « Veni ad Christum, noli longa itinera « meditari. Ubi credis, ibi venis, ad illum enim qui « ubique est, amando venitur, non navigando. Sed « quoniam etiam in tali itinere abundant fluctus « et tempestates diversarum tentationum, in cru- « cifixum crede, ut fides tua lignum possit as- « cendere : non mergeris, sed ligno portaberis. »

## DISCURSUS X.

### CRUCIFIXI REDEMPTORIS NOSTRI DEVOTA CONSIDERATIO A PECCATIS NOS CARNALIBUS COERCET ET REFRÆNAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Meditatio mortis Christi est efficacissimum remedium contra ardorem libidinis. — 2. A tempore quo Christus spinis coronatus, et in crucem actus fuit, inceperunt Christiani carnem suam crucifigere. — 3. Quid designet, quod obscœnum idolum Priapi comminutum et combustum fuerit in torrente Cedron. — 4. Extollitur efficacia Dominicæ passionis contra ignem concupiscentiæ carnalis. In carnalibus tentationibus in memoriam revocanda est passio Domini. — 5. Fel passionis Christi illuminat oculos carnalium hominum. — 6. Quare Christus elegerit diem Veneris pro amarissima passione sua. Stupendum exemplum S. Mariæ Ægyptiacæ. — 7. B. Angela in aspectu crucis invenit compunctionem. Exemplum venerabilis viri Joannis Avilacæ. Aliud cujusdam juvenis religiosi Hommenrodensis. — 8. Ad quæ remedia recurrendum sit in tentationibus carnis.

*Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis.* Galat., v, 25.

**1.** — S. Paulus, ad Galatas scribens, hoc declarat verorum Christi sequacium infallibile esse indicium; si videlicet Redemptorem nostrum in monte Calvariæ, post tantam sanguinis effusionem, cruentum considerantes, cum desint hodie patibula, ad quæ ex amore ipsius innocenter suspendantur, ad minus ad ejus imitationem proprium crucifigentes corpus, pessimam ipsis insitam crucifigant concupiscentiam : *Qui sunt Christi*, inquit, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Et quidem signum hoc adimplere, omni prorsus caret difficultate : siquidem ad extinguendum carnalis concupiscentiæ bullitum, solum devotæ meditationis oculum in montem Calvariæ serio defigere sufficit. Nam ut S. Augustinus ait [2] : « Nullum tam potens « est, tam efficax contra ardorem libidinis medica- « mentum, quam mors Redemptoris mei. » Enim vero si homo continuum, quod in sensibus suis experitur, consideret prælium, dum *caro concupiscit adversus spiritum*, ipsæque voluptates blandæ, amabiles, humanæque fragilitati et lubricitati acceptissimi sunt animæ inimici, nunquid fateri cogetur; inquit

[1] B. LAUR. JUST., *de triumph. Chr. agon.*, c. 21.

[1] S. AUG., *de ver. Apost.* — [2] ID., *in Manuali*, c. 32.

S. Leo magnus[1], quod tentatio est vita hominis super terram? « Quoniam non solis doloribus corporis atque suppliciis anima fidelis impetitur, « verum etiam salva incolumitate membrorum, « gravi morbo urgetur, si carnis voluptate mollitur. Sed cum caro concupiscit adversus spiritum, « et spiritus adversus carnem, præsidio crucis « Christi mens rationalis instruitur, nec cupiditatibus noxiis illecta consentit, quoniam contionentiæ clavis transfigitur. »

**2.** — In lege naturæ, et temporibus sequentibus, priusquam Dei Filius ageretur in truncum crucis, cœlestis, et æternus Pater *de cœlo prospexit super filios hominum*, ut ait Psalmista[2], *ut videret, si est intelligens, aut requirens Deum* : viditque quod *omnes declinaverunt*. At vero in quonam universalis hæc mortalium prævaricatio consistebat? In hoc videlicet, quia *omnis caro corruperat viam suam*. Vel prout Sapiens clarius expressit, quia omnes certatim carnalibus se voluptatibus immergebant, dicentes[3] : *Coronemus nos rosis, antequam marcescant : nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*. At vero mox ut Christus capite spinis transfixo in mundo apparuit, ipsique mortales manifeste inde didicerunt, quod *non deceat sub capite spinoso membra esse delicata*, voluptatibus certatim renunciantes, rigorum et austeritatum vitæ spinis sese transfigere et compungere cœperunt, adimplentes illud, quod Clemens Alexandrinus ex sententia S. Petri apostoli in hæc verba scribit[4] : « Satis fuit præteritum tempus, ait Petrus, dum « ambulavimus in lasciviis, concupiscentiis, temu« lentiis, commessationibus, potationibus. Limitem « habemus crucem Domini, cui crucifigimur, et a « prioribus peccatis reprimimur. » Idem contra concupiscentiam S. Augustinus nobis insinuat remedium, dicens[5] : « Si ardor libidinis moveat « membra mea, recordatione vulnerum Domini « nostri Filii Dei extinguitur. »

**3.** — In libro II Paralip., capite XV, dicitur : *Sed et Maacham matrem Assa regis ex augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulachrum Priapi*. Erat porro Priapus obscœnissimum quoddam idolum, quia secretas quasdam corporis partes, propagationi humanæ deservientes, repræsentabat et in memoriam reducebat. At vero ubinam hoc simulacrum dispersum, in cineresque redactum et annihilatum fuit? Sacer textus ait : *Quod omne contrivit, et in frusta comminuens, combussit in torrente Cedron*. At vero nunquid aliæ deerant aquæ, in quibus hi cineres absorberi potuissent? Verum quidem est, non defuisse alias aquas ; in illis tamen non resplenduisset a Deo intentum mysterium. Nomine enim torrentis Cedron, de quo Psalmista ait[1] : *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*, amara Christi passio denotabatur. Nam ut S. Joannes refert, Christus suam in torrente Cedron exorsus est passionem ; ait enim[2] : *Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit*. Unde his omnibus ad se invicem collatis, Deus insinuare voluit, quod ad extinguendum carnalis concupiscentiæ ignem, eumdemque in favillam et cineres redigendum, nullum dari possit efficacius remedium, quam si huic torrenti immergatur, ipsaque amara Domini passio seria meditatione consideretur. Unde Drogo Ostiensis ait[3] : « Passio Domini celebratur, et nos « voluptati operam damus? » Huc quoque spectat illa Origenis pro præsenti proposito admodum considerabilis doctrina, dicentis[4] « Certum est, quia ubi « mors Christi animo circumfertur, non potest « regnare peccatum : est enim tanta vis crucis « Christi, ut si illa ante oculos ponatur, nulla con« cupiscentia, nulla libido superare possit, sed « continuo ad ejus præsentiam totus ille peccati, « et carnis fugatur exercitus. »S. Bernardus, *in formula vitæ honestæ*, efficacem ad honestatem cooperandi modum docere nos volens, inquit[5] : « Deus « meus pendet in patibulo, et ego voluptati operam « dabo? »S Maximus in homilia quadam *de Cruce et Passione*, ad illam alludens de Ulysse conscriptam fabulam, qua dicitur, quod hic ne ab illecebrosis Syrenarum cantibus (quæ voluptates carnales præfigurabant) incautus deciperetur, ad navis malum arctissime se alligari fecerit, ita scribit[6] : « Quisquis « arbori crucis se religaverit, dulcem procellam « luxuriæ non timebit : Syrenarum quædam suavis « figura est mollis concupiscentia voluptatum. »

**4.** — In prato florido sequens describitur historia[7]. Cum enim Sanctimonialis quædam a spiritu fornicationis diuturno tempore erga juvenem quemdam clericum vehementer tentata, ardenti, quo eum deperibat, amori resistere non potuisset, tandem illicitis lascivi illius clerici desideriis consentire parata, eumdem, ut certa quadam noctis hora in destinato loco adesset, requisivit. Cum enim, utpote sacristina, claves Ecclesiæ penes se haberet, eo usque donec aliæ Sanctimoniales obdormissent, præstolata, demum ad fores Ecclesiæ aperiendas se recepit, ut bestiali appetitui suo satisfaceret. Cumque ad primam portam accessisset, Christum brachiis, in cruce expansis hærentem invenit, qui eam ne ulterius progredi posset, impediebat. Verumtamen quia aliud nihil meditabatur, quam ut carnalem satiare posset concupiscentiam, ad aliam se portam recepit, ubi pariter Redemptorem in specie crucifixi sibi occurrentem

[1] S. Leo, s. 9 *de Quadr.* — [2] *Ps.* XIII, 3. — [3] *Sap.*, II, 8. — [4] Clem. Alex., l. III *Pædag.*, c. 12. — [5] S. Aug., c. 21.

[1] *Ps.* CIX, 7. — [2] Joan., XVIII, 1. — [3] Drog. Ost., *de Sacr. Dom. Pass.* — [4] Orig., *in c.* 6 *ad Rom.* — [5] S. Bern., *Form. vit. hon.* — [6] S. Maxim., h. *de Cruce et Passione.* — [7] *Prat. flor.*, l. 6 *exemp.*

et exitum quaquaversum prohibentem invenit. Vehemens autem amor, quo agitabatur, adeo eam excæcavit, ut oculos mentis aperire nequiret, ad iterata vice sibi recurrens tam manifestum divinæ pietatis miraculum. Tandem vero cum omnes tentando monasterii portas, in cunctis obvium habuisset grande hoc crucifixi apparentis spectaculum, ad pedes statuæ cujusdam Beatæ Virginis prostrata, quod nusquam exitum invenire posset, coram eadem lamentata fuit. A qua imagine alapam adeo fortiter sibi impactam recepit, ut veluti mortua in terram corruerit, ibidemque ad horam usque Matutini celebrandi permanserit. Vocibus autem reliquarum sororum cantantium expergefacta, ac de errore suo resipiscens, suum amaris cum lacrymis confessa est peccatum, atque immensum agnovit Christi beneficium, qui per aspectum crucifixionis suæ, eidem objectum, ab hac carnalitatis abysso, in quam præcipitare decreverat, misericorditer retraxit et eripuit. Apud Oseam sacer textus obscæni amoris vehementiam in hæc verba describit [1] : *Vadam post amatores meos.* At vero quonam putatis modo Deus miseriæ hujus amatricis insipientiam, carnalisque concupiscentiæ impetum repressit? Mox ibidem Deus in hæc verba loquens introducitur : *Propter hoc ecce ego sepium viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet.* At vero quidnam Deus hisce verbis significare intendit? Num forte sepem aliquam ex implexis spinis et dumetis, vel maceriam ex faxis fabricare decreverat Nequaquam; quia qui ab hujus libidinosi appetitus vehementia se seduci permittit, muros transilit, sepesque ex spinis congestis formatas plane diruit; nec ullum est periculum, quod forti non subeat animo. Potius igitur in memoriam revocandum est quod Salvator noster voluptates spinis similes esse dixerit [2] : *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui a voluptatibus vitæ euntes suffocantur.* Hisce autem voluptatum spinis Deus illas contraponit spinas, quibus dilecti Filii sui tempora nostri amore transfixa fuere, ut harum consideratione omnis nostra passio, quantumvis illa effrænis sit, compescatur, et fugetur. Cum vero dicit : *Sepiam eam maceria,* ad ejusdem Filii sui alludit vulnera, de quibus in Canticis dicitur [3] : *In foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Et vero scitisne causam, cur Redemptor noster in prædicta sanctimoniali *ad litteram* adimpleverit, quod apud eumdem Prophetam subjungitur, scilicet : *Et semitas suas non inveniet?* Nimirum quia erga amaram Christi passionem admodum devota fuerat; solita enim erat ad ejus honorem quotidie magna cum mentis applicatione certas ad Deum fundere orationes, aliaque pia exercitia instituere : « Ad ejus enim crucem pertinet, » ut S. Anselmus ait [1], « quod etiam nos in ejus corpore « crucifigamur mundo ubi intelligitur omnis coer- « citio malarum concupiscentiarum. Omnia vitia « carnis et spiritus mortificat crux Christi, ut « vivere faciat in virtutibus, quia ipse pro peccatis « nostris crucifixus est, ut nos redimeret ab omni « iniquitate et a cruciatibus æternis salvaret. Hæc « et alia multa discuntur in Christo crucifixo. »

**5.** — Raphael archangelus Tobiæ juniori pro amisso oculorum lumine recuperando, sequens tradidit optimum remedium ; ait enim [2] : *Fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur.* Porro omnes peccatores in obscuro ambulant et tenebras diligunt juxta illud [3] : *Qui male agit, odit lucem.* Specialius vero hanc cæcitatem homines carnales contrahere et diligere solent; oderunt enim matutini diluculum, ne in suis impudicitiis a solis radiis deprehendantur. Unde apud Ecclesiasticum unus ex illis dicit [4] : *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me : quem vereor?* Ad hanc igitur illorum cæcitatem curandam, fel oculis applicitum opportune deserviet. At vero qualenam fel illud esse debet? Hugo cardinalis respondet [5] : « Fel est passionis Christi amaritudo. » Mortis enim et passionis Christi seria meditatio, ad carnem reprimendam frænum est potentissimum ; ac proinde S. Bernardus sequens tradit salutare monitum [6] : « Quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, « et ad illicitam delectationem allici, toties pone « ante mentis oculos, quomodo Christus in cruce « crucifixus est pro te. »

**6.** — Observastisne aliquando, quemnam diem incarnata et increata Sapientia, inter omnes totius septimanædies pro consummanda amara passione sua specialiter selegerit? Nimirum inter omnes septem qui sua a variis planetis sortiuntur nomina, solum sibi elegit diem Veneris, qui a Venere sortitus est dies, nomen, quæ, ut poetæ fabulantur, lascivi amoris dea et præses existit. Hoc autem eo præcipue mysterio fecit, ut per excessivam cruciatuum suorum pœnalitatem, veneream specialiter in humano genere aboleret concupiscentiam. Unde S. Bernardus alio in loco de Christo crucifixo ait [7]: « Et hæc « intuens, qui dicitur christianus, propriis nihilo- « minus voluptatibus indulgere, nullatenus eru- « bescit. » Sancta Maria Ægyptiaca septemdecim annorum spatio lascivam duxerat vitam, atque in impudicitiæ suæ sordibus ad fauces usque semper immersa fuerat. Tandem cum se in solemni crucis festo Hierosolymam contulisset, non ut sacrosanctum hoc lignum adoraret, sed potius ut veluti quoddam Veneris idolum a majori lascive amantium multitu-

[1] Ose., II, 6. — [2] Luc., VIII, 19. — [3] *Cant.*, I, 14.

[1] S. Anselm. — [2] Tob., VI, 9. — [3] Joan., III, 29. — [4] *Eccli.*, XXIII, 26.— [5] Hug. Card., in *Tob.*— [6] S. Bern., *de inter. domo.* — [7] Id., *in Declam.*

dine adoraretur; accidit, ut dum in limine Ecclesiæ ad ingrediendum in eam constituta esset, se magno cum impetu ab invisibili quadam manu ab eadem repelli sentiret : cumque ad penetrandum in Ecclesiam novos adhiberet conatus semperque eamdem experiretur invisibilem repulsam, tandem in semetipsam reversa, interiusque a Deo illustrata, et compuncta fuit, consideransque gravissimam quam cruci et passioni Christi, per vitæ suæ turpitudines, irrogaverat injuriam, inviolabiliter sibi sua detestari et deplorare peccata, veramque et perseverantem aggredi pœnitentiam proposuit; moxque ingenti cum facilitate eamdem ingressa Ecclesiam, sacrosanctum illud venerata est lignum, quod animam ejus instar colombæ puram et immaculatam reddiderat. Unde mihi videor audire pœnitentem hanc Ægyptiacam sui similem carnalibus amoribus deditam animam sequentibus S. Bonaventuræ verbis exhortantem [1] : « Si, o anima, carnem diligis, « nullam carnem nisi carnem Christi, ames. Hæc « enim pro tua, et totius humani generis salute est « super aram crucis oblata, cujus passionem in « corde rumines quotidie. »

**7.** — P. Bollandus Angelam de Fulginio sequens de cruce Salvatoris testimonium perhibuisse scribit [2] : « In aspectu crucis data est mihi major « cognitio, quomodo Christus mortuus fuerit pro « peccatis nostris, et tunc recognovi omnia peccata « mea cum dolore maximo, et sentiebam, quod « ego crucifixeram eum. In ista cognitione crucis « dabatur mihi tantus ignis amoris, et compunc- « tionis, quod stando juxta crucem, exspoliavi me « omnibus in proposito, et totam me obtuli ei; et « quamvis cum timore, tamen tunc promisi ei « observare perpetuam castitatem, et non offendere « cum aliquo membrorum meorum, accusando « de præteritis mea membra sigillatim. » De venerabili et vere apostolico viro Joanne de Avila celeberrimo divini verbi ministro, spiritualisque vitæ eximio directore, legitur [3], quod inter alias ejus austeritates, hæc quoque una fuerit, quod videlicet ex singulis septimanis duas elegerit noctes, scilicet diei Jovis et Veneris, easdemque amaræ Christi passionis honori consecrarit : « Quibus vel « somnum omnino excludebat, vel certe si pusil- « lum quid temporis illi esset tribuendum, sar- « mentorum fascibus incumbens obdormiscebat; « illud dictitare solitus inter suos : mirari se, qui « tristissima ea nocte, alto ac profundo somno, « nedum voluptatibus, homines possent indulgere, « quam, ut nobis paternam expediret indulgentiam « omnibus cumulatam incommodis Christus Do- « minus traducere voluisset. » Cæsarius Heisterbacensis de religioso quodam Hemmenrodensi, ætate quidem juvene, sed virtutibus provecto, cui Deus multa dona contulerat, quique in meditanda passione Dominica admodum devotus erat, refert [1], quod *laborabat multiplici luxuriantis carnis molestia.* Nec est, quod de hoc scandalizemini, siquidem etiam apostolus, qui dixerat [2] : *Mihi autem absit gloriari, nisi cruce Domini nostri Jesu Christi.* Et iterum [3] : *Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto*, nihilominus lamentabatur, dicens [4] : *Datus est mihi stimulus carnis meæ* : quia ut sæpius audivistis, *Non nocet sensus, ubi non adest consensus.* Huic inquam, bono religioso, ut refert idem Cæsarius, idipsum, quod S. Paulo acciderat evenit : siquidem « Diabolus ei de tentationibus ordinabat interitum. « sed Dominus ex iisdem dicti religiosi parabat « profectum. » Dum idem Dei servus die quadam in ferventi esset oratione positus : « Dominus Jesus « stans ante eum vel potius, quasi pendens in cruce « servum suum amplexatus est, et tanquam præ- « cordialem sibi in signum mutuæ familiaritatis « eum ad pectus sunm attrahendo compescuit. »

**8.** — In Genesi legitur, Jacobo patriarchæ Josephi filii sui tunicam exhibitam fuisse sanguine totaliter conspersam [5] : *Quam cum agnovisset Pater, ait : Tunica filii mei est : fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph : scissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.* Quæ historia in sensu morali nobis indicat, quod mox ut in nobis experimur, Josephum, quia viva quædam fuit honestatis et pudicitiæ effigies, a pessima carnis concupiscentiæ fera dilacerari, recurrendum sit ad cilicia, ad suspiria, ad rigores, et ad austeritates corporales. Et quidem ut ad hoc faciendum nec non ad hujus virtutis custodiam agendam animemur, et extimulemur, oculi nostri in veri Josephi Salvatoris non jam Ægypti, sed totius mundi, sacratissimam humanitatem sunt defigendi : *Nam qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* [6]. Nulli ignotum est, quod in hemorrhoissa contigit miraculum, quæ post perpessum duodecim annis continuis acerbum sanguinis fluxum qui multis medicinarum et medicorum dispendiis haudquaquam curari potuit, tandem ad vestem Redemptoris *accessit, et tetigit fimbriam vestimenti ejus.* Hujus autem infirmitatis mysterium S. Thomas Aquinas exponit, dicens [7] : « Patitur fluxum sanguinis, propter fluxum carna- « lium delectationum. » Ad hunc vero fluxum sistendum et exsiccandum, unicum et potens est remedium, si quis per seriam meditationem, mortem et passionem Christi tangat et ruminet; siquidem ut S. Antonius de Padua exponit [8] : « Vesti- « mentum Christi ipsius est caro, de qua Isaias

[1] S. Bonav., *Stim. amor.*, c. 1. — [2] Bolland., 4 jan., fol. 188. — [3] Rho, *Hist. virt.*, l. III, c. 1, § 2.

[1] Cæsar., l. VIII, c. 1. — [2] Gal., VI, 4. — [3] Id., 17. — [4] II Cor., XII, 7. — [5] *Gen.*, XXXVII, 33. — [6] Matth., IX, 20. — [7] S. Thom., *in Dom.* 27 *post Pent.* — [8] S. Ant. de Pad., *Dom. post Pent.*

« LXIII : *Quare rubrum est indumentum tuum?* Jesus « torcular, id est, pressuram crucis solus vesti- « mentum sanguine rubricavit. Hujus vestimenti « fimbria est ipsa passio, quæ animam liberat « a sanguinis profluvio : contra enim carnis vitia « summe valet memoria passionis Christi. »

## DISCURSUS XI.

EX QUO SALVATOR NOSTER PER MORTEM SUAM DIVINÆ JUSTITIÆ SATISFECIT, EAMQUE PLACAVIT, SECURAM NOBIS VENIÆ PECCATORUM NOSTRORUM OBTINENDÆ SPEM PRÆSTITIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Passio Christi in statera divinæ justitiæ appensa, multum præponderat totius mundi peccatis. — 2. Aspersio sanguinis Christi infinitis modis efficacior est ad delenda peccata nostra, quam olim fuerit aspersio cineris vitulæ et sanguinis hircorum. — 3. Cur spinea corona a capite Christi nunquam fuerit sublata. Sanguis Agni occisi, quo in Ægypto tingebantur limina domum Hebræorum figuravit sanguinem Christi. — Christus pro impiis mortuus est, ut illos redimeret et mundaret. — 4. Per holocaustum in arca crucis oblatum Deus fuit placatus, et nos a maculis nostrorum peccatorum emundati. — 5. Christus in cruce delevit chirographum decreti nostræ damnationis. — 6. Licet nos peccatis nostris Christum crucifixerimus, secure tamen in nomine ipsius veniam, flagitare possumus.— 7. Virtus passionis Christi animæ applicata illam a pœnis Purgatorii eximit. — 8. Peccator in fossa vulnerum Christi absconsus, securus est a Dei supplicio. Quare a Christo sanandi adducti ad illum fuerint vesperi.

*Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quam patior, in statera : quasi arena maris hæc gravior appareret.* Job, VI, 1.

**1.** — Credibile est, patientissimum Jobum in spiritu Prophetico prævidisse dolores et tormenta Filii Dei cruce tolerata, quibuscum omnia nostra persoluta sunt debita; quia ipsamet sancta Dei Ecclesia a Spiritu Sancto directa, patibulum in quo Redemptor suspensus fuit, stateram appellat, dicens : *Beata cujus brachiis sæculi pependit pretium, statera facta corporis.* Et S. Anselmus ait [1] : « Utinam « Domine, appendas in statera peccata, quibus iram « merui, et calamitatem quam pro nobis passus « est innocens Filius tuus : certe, Domine, hæc gra- « vior apparebit, et magis digna, ut per ipsam « effundas super nos misericordiam tuam, quam « sint illa, ut pro peccatis nostris contineas in ira « misericordias suas. » Possumus quoque meditari, quod Redemptor assumptis in se omnibus totius humani generis peccatis [2] : *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, ad æternum Patrem suum se convertens, in hæc verba eumdem alloquatur. Utinam me in mystica crucis meæ statera suspendas, ut discernere queas, annon majus sit pœnosissimæ Passionis meæ lytrum, quo genus humanum redemi, quam sit immensum culparum humanarum debitum. Nam ut S. Augustinus ait [1] : « Delicta nostra Christus sua delicta fecit, ut justi- « tiam suam, nostram justitiam faceret. » Et ideo Redemptor ait : « Calamitas quam patior, in state- « ram appensa, quasi arena gravior apparet. — In « statera namque divinæ justitiæ, » ut ait Lyranus [2] : « Passio Christi præponderat peccata humanæ na- « turæ, » Et ideo Redemptor noster apud S. Joannem, X, 10, apertis verbis declarat, inquiens [3] : *Ego veni; ut vitam habeant, et abundantius habeant.* S. Bernardus ad illa se reflectens Apostoli verba [4] : *Propter nimiam charitatem, etc.*, exclamat inquiens [5] : « Vere nimiam, quia modum superat, et « plane supereminet universis. » Cum enim pro innumerabilium peccatorum nostrorum expiatione, unica duntaxat sanguinis stilla sufficeret, ipse integrum sanguinis torrentem effundere voluit. Et ideo Psalmista ait [6] : *Copiosa apud eum Redemptio* : « Co- « piosa siquidem (inquit aliti idem mellifluus « doctor) non gutta, sed unda sanguinis, per quas- « que corporis partes emanavit. »

**2.** — *Peccata quibus iram merui.* Quantum heu peccata nostra, quæ a pomi vetiti præmorsu suum habuere principium, atque per quinque millia annorum, et amplius continuata, in numero sine numero erant, divinam exacerbaverant justitiam? Nunc vero, ex quo Apostolus ait [7] : *Sine sanguinis effusione non fit remissio* : quis de venia desperabit? Quis sibi certo non persuadebit, Dei placatam esse iracundiam, per totius sanguinis Agni immaculati copiosissimam effusionem? Idem Apostolus in eodem capite paulo ante tale formaverat argumentum [8] : *Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis quanto magis sanguis Christi qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram?* Enim vero Deus olim in antiqua lege pro expiandis peccatis sequentem statuerat legem [9]. Nam comburenda erat vacca quædam ruffa, cujus cineres vasi cuidam aqua viva referto infundebantur, qua demum illi conspergebantur, qui immundi erant; quamvis hi ab immunditia sua hoc modo aspersi, nondum censebantur purificati, nisi postquam sol occubuisset. Circa quam legem sciendum est, quod ut S. Paulus declarat, hæc aspersio illas duntaxat tollebat labes, quæ per transgressiones legales contractæ fuerant, id est, quia cadavera, vel aliud quidpiam in lege vetitum tetigerant, non vero ab interna conscientiæ immunditia liberabat. Et ideo Apostolus ait : *Inquina-*

[1] S. ANSEL., *Dial. de Pass.*, c. 15. — [2] I PETR., II, 24.

[1] S. AUG., in *Ps.* XXI. — [2] LYRAN., *ib.* — [3] JOAN., X, 10. — [4] S. BERN., serm. 4 *Pass.* — [5] EPHES., II, 4. — [6] *Ps.* CXXX, 7. — [7] HEBR., IX, 22. — [8] ID., 13. — [9] NUM., 91

*tos sanctificat ad emundationem carnis. Omnia autem hæc in figura contingebant illis.* Postquam enim Filius Dei verus justitiæ sol in occasum mortis suæ declinavit, sanguis ejus conscientias nostras abluere cœpit, dicente Apostolo : *Quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ?* S. Bonaventura in favorem nostrum eximiam hanc nobis addicit pollicitationem [1] : « Non potest se Deus « negare, sanguine Christi perfuso. » S. Augustinus similiter in *Manuali* suo ita scribit [2] : « Non « possum terreri multitudine peccatorum meo- « rum, si mors Domini in mentem venerit, quo- « niam peccata mea illam vincere non possunt. « Clavi et lancea clamant mihi, quod vere recon- « ciliatus sum Christo, si eum amavero. Longinus « aperuit mihi latus Christi lancea, et ego intravi, « et ibi requiesco securus. » Idem sanctus doctor progreditur declarando mysterium, ob quod Christus brachiis apertis et extensis crucifigi voluerit ; ait enim [4] : « Expandit brachia sua in cruce, para- « tus in amplexus peccatorum. »

**3.** — S. Paschasius ingeniose inquirit, cur corona spinea e vertice capitis Christi nunquam fuerit sublata, cum tamen vestimenta ejus et arundo, sæpius ab ipso ablata fuerint. Et respondet [3] : « Idcirco ab Evangelista corona spinea non detracta, « neque deposita dicitur, quia consumpta a capite « Jesu peccata, ut jam non sint spinæ, recte cre- « duntur. Sustulit enim ea super venerabile caput « suum, et abstulit a nobis, ut non sint, ac con- « sumpsit. » S. Paulus quamdam ex præmissis deducit consequentiam, quæ nos de plenaria peccatorum nostrorum, post mortem Christi consequenda indulgentia securos constituit : ita enim scribit [4] : *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius* ; quasi diceret : Si eo tempore quo homo idololatrando, et dæmonem Dei loco adorando, cunctisque iniquitatum generibus habenas laxando, Deum vel maxime exasperabat, idem pientissimus Deus nihilominus tunc magis, quam unquam, compassione erga nos motus est, mittendo unigenitum Filium suum, ut is nos redimeret, sibique reconciliaret ; quanto magis nunc, postquam æterno Patri reconciliati sumus, adeo ut deinceps Filius Dei pro nostra Redemptione opus non habeat, vitam suam pariter, et sanguinem prodigere, benigno nos oculo aspiciet, si pœnitentes et compuncti ad eum recurremus? Deus olim Hebræis præcepit [5], ut occisi agni sanguine portarum suarum limina tingerent, ut hanc tincturam videns exterminator angelus, domus illas, omnibus incolis illæsis manentibus, pertransiret. At vero quid opus erat, ut postes domorum hoc tingerentur sanguine? Num forte sine hoc signo angelus domus reas ab innocentibus discernere non potuisset. Respondeo, potuisset utique. At vero Deus in hoc præcepto certum quoddam innuere volebat mysterium, videlicet, quod signati sanguine unigeniti Filii Dei, in monte Calvariæ sacrificati, evasuri simus omnem divinæ indignationis rigorem, Deoque plenarie reconciliandi. Unde D. Chrysostomus super illa verba Exodi [1] : *Videbo sanguinem, et transibo, nec erit in vobis plaga disperdens*, ita scribit : « Vides, quod sine sanguine salus esse non poterat, « neque iis qui per id tempus, neque iis qui in « novissimis temporibus exstiterunt. Nam quemad- « modum regiæ statuæ, quamvis inanimatæ sint, « eos tamen qui ad se confugiunt, servare solent, « non quia statuæ sunt, sed quia regem repræ- « sentant : similiter, et agni sanguis homines salvos « faciebat, non quia sanguis erat, sed quia sangui- « nem Christi referebat. » Sanguis enim ille, remotus quidam sanguinis Christi typus, et figura erat : siquidem multa transierunt sæcula, priusquam Christus sanguinem suum effunderet, et tamen populus ille flagella Ægyptios percutientia evadebat. Quanto igitur magis et efficacius hunc effectum operabitur, non jam figura, sed ipsummet figuratum, qnod continuo sine ulla intermissione in quotidiano missæ sacrificio sanguinem suum in emolumetum nostrum effundere non cessat? Unde S. Leo ait [3] : « Nunc carnalium sacrificiorum varie- « tate cessante, omnes differentias hostiarum, una « corporis et sanguinis sui implet oblatio, quoniam « tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. « Confiteamur igitur, quod beatus magister gen- « tium Paulus apostolus gloriosa voce confessus est, « dicens : *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, « quia Christus Jesus venit in hunc mundum, pec- « catores salvos facere.* Hinc enim mirabilior est « erga nos misericordia Dei, quod non pro justis, « neque pro sanctis, sed pro iniquis et impiis « Christus mortuus est. » Apostolus ad Titum scribens, finem declarat, ob quem Dei Filius in crucis patibulum fuerit suspensus, inquiens [3] : *Dedit semetipsum pro nobis ; ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret.* Similiter in Epistola ad Ephesios scripta insinuaturus finem, ob quem Redemptor noster se æterno Patri in peccatorum nostrorum expiationem in sacrificium obtulerit, hac loquendi phrasi utitur [4] : *Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Et vero nullum unquam sacrificium majorem cœlum versus exhalavit odoris fragrantiam, præterquam hoc crucis sacrificium ; unde Ecclesia hunc semper ritum retinuit, quod scilicet

[1] S. Bonav., *Stim. amor.*, c. 7. — [2] S. Aug., *Man.*, c. 23. — [3] S. Paschas., *in Matth.* — [4] Rom., x, 10. — [5] *Exod.*, xii,

[1] D. Chrysost., *in cat. Exod. Lippom.* — [2] S. Leo, s. 8 *de Pass.* — [3] Tit., ii, 4. — [4] Ephes., v, 2,

in oblatione calicis hæc verba proferre soleat [1] : *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clamentiam, ut in conspectu divinæ Majestatis tuæ pro nostra et totius mundi salute, cum odore suavitatis ascendat.*

**4.** — In quonam, obsecro, consistebat sacrificium, quod Noe ex arca egressus Deo obtulit? Sacer textus ait [2] : *Tollens de cunctis pecoribus, et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.* Subditque sacer Chronista : *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait : Nequaquam ultra maledicam terræ.* Quanto igitur majoris valoris et efficaciæ, ad continenda divinæ iracundiæ adversus hominem directa fulmina, erit victima illa unigeniti Filii æterni Patris, in altari crucis oblata? Per hanc namque verificatur Propheticum illud oraculum [3] : *Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Jacob : remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum : mitigasti omnem iram tuam, avertisti ab ira indignationis tuæ.* Jeremias Propheta olim Deum interrogabat, dicens [4] : *Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas?* Et merito quidem id sciscitabatur, quia tametsi in templo Hierosolymitano carnes arietum, taurorum, vitulorum, boum, aliorumque similium animalium igne conflagrarent, et pro peccatis immolarentur, ex se ipsis tamen nullam unquam habuere virtutem, vel unicam duntaxat culpam expiandi, quia sacrificia illa gratiam nequaquam conferebant sanctificantem. At vero de hoc sacrificio passionis Christi Apostolus asserit, dicens [5] : *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Similiter Ecclesia in hymno quodam de passione Domini ita canit : *Mite corpus perforatur, sanguis, unda profluit, terra, pontus, astra, mundus, quo lavantur flumine.* S. Anselmus Passionem Dominicam devotis hisce veneratur affectibus, dicens [6] : « Adoramus te « pretiosum redemptionis nostræ pretium, hostia « pacifica, quæ sola odoris tui inæstimabili suavi- « tate, Patrem, qui in altis habitat, ad respicien- « dum humilia inclinasti, et filiis iræ placabilem « reddidisti. » Idem sanctus Archipræsul in eodem Dialogo, c. 14, æternum Patrem hisce pariter devotis alloquitur affectibus [7] : « Esto placabilis super « multitudinem malitiæ nostræ. Ecce vox sangui- « nis fratris nostri Jesu clamat ad te de cruce. » Sed longe aliter, quam olim clamarit sanguis Abel; hic enim vindictam deposcebat, de illo sumendam, qui eum effuderat; hic vero innocens Redemptoris sanguis, ab æterno Patre affectuose et efficaciter implorat veniam pro illis ipsis, qui sanguinem illum tanta cum impietate, non solum e venis, sed ex omni parte lacerati corporis sui extraxerunt. S. Leo, ut in lectionibus dominicæ Palmarum videre est, in sermone quodam ita scribit [1] : « Admisit in « se impias manus furentium, quæ dum proprio « incumbunt sceleri, famulatæ sunt Redemptori; « cujus etiam circa interfectores suos tanta erat « pietatis affectio, ut de cruce supplicans Patri, « non se vindicari sed iis postularet ignosci. » Quod si igitur tanta cum sollicitudine pro illis, qui actualiter sanguinem ipsius effuderant ad eumdem conculcandum, veniam impetrare contendit, quando sollicitior futurus erit in salvandis illis, qui eodem sanguine uti desiderant, ut cum eodem propriam suam emundent conscientiam? Idem sanctissimus pontifex paulo ante ad astutum se reflectens serpentem delusum, in hæc verba scribit : « Intulit « supplicium Filio hominis, quod cunctis filiis ho- « minum in remedium verteretur. Fudit sangui- « nem justum, qui reconciliando mundo, et pre- « tium esset, et poculum. »

**5.** — S. Paulus ad Colossenses ita scribit [2] : *Et vos cum mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci; et expolians principatus, et potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Quidnam vero Apostolus hoc loquendi modo insinuare voluerit, quidam optime de Ecclesia meritus doctor, competensque apostolicarum difficultatum interpres, in hæc verba declarat [3] : « Quid fuerit chirographum, audi. Cum « peccasset Adam, et accepisset manu sua de « ligno, comedissetque, scriptum est ejus manu « peccatum, quod apud se scriptum diabolus « habuit. Cum autem in ligno, hoc est, in cruce « penderet Christus, et per suas manus clavis vul- « neraretur, tunc in cruce scriptum illud affixit et « delevit. Ipse namque diabolus, qui chirographum « illud transgressionis Adam tenebat, tamdiu te- « nuit, donec a cruce in Christo ligaretur. » S. Augustinus quoque in sermone quodam hujus chirogaphi meminit, dicens [4] : « Cautionem tuam te- « nebat inimicus, sed eam Dominus crucifixit, et « suo cruore delevit. Abstulit debitum tuum, red- « didit libertatem. » Idem sanctus doctor in Manuali suo vivam nobis acceptæ veniæ peccatorum spem hisce verbis suggerit [5] : « Per foramina cor- « poris patent mihi arcana cordis : patet magnum « pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ « Dei nostri in quibus visitavit nos oriens ex alto. » Idem ibidem, c. 23, inquit : « Non possum terreri « multitudine peccatorum, si mors Domini in men- « tem venerit, quoniam peccata mea illum vincere « non possunt. »

[1] *Gen.*, VIII, 20. — [2] *Ps.* CXXXIV. — [3] JEREM., XI, 15. — [4] HEB., X, 14. — [5] S. ANSELM., *ib.*, c. 2. — [6] ID., *ib.*, 14.

[1] S. LEO. — [2] COLOSS., II, 13. — [3] S. ATHAN., q. 14. — [4] S. AUG., s. 5 *in Append. de divers*, — [5] ID., *in Man.*

**6.** — Post mortem Jacobi Patriarchæ, filii ejus, iniquitatum in Joseph fratrem suum commissarum male sibi conscii, ut ejus a se ultionem averterent, hoc usi sunt consilio, quod sacer textus in hæc verba enarrat [1] : *Timentes fratres ejus, et mutuo colloquentes : ne forte memor sit injuriæ, quam passus est, et reddat nobis omne malum quod fecimus, mandaverunt ei dicentes : Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus : Obsecro, ut obliviscaris scelerum fratrum tuorum et peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te.* Profecto si ipsissimam veritatem fateri volumus, affirmare utique debemus, nos ipsos fuisse illos, qui Salvatorem nostrum vendidimus, ejusque traditores fuimus ; nostraque peccata, non vero clavos, ipsum in crucis patibulum confixisse ; et tamen coram æterno Patre libere, et omni cum fiducia comparere, ab eoque, ut nobis in nomine dilecti Filii sui ignoscat, petere possumus. Nam ipsemet Salvator noster in cruce moriens, pro remittendis carnificum suorum, et consequenter omnium aliorum peccatorum suorum peccatis, a cœlesti Patre suo veniam expetiit. S. Anselmus eumdem æternum Patrem suum obsecrans, inquit [2] : « Respice « in faciem Christi tui, qui tibi usque ad mortem « obediens factus est, nec recedant ab oculis tuis « cicatrices vulnerum ejus in perpetuum, ut memi- « neris, quantam satisfactionem pro peccatis nos- « tris ab eo susceperis. »

**7.** — Sancta Mater Ecclesia saluberrimum hunc ritum introduxit, quod consummata sacramentali absolutione et imposita pœnitenti salutari pœnitentia, absolvens hæc verba subnectat : *Passio Domini nostri Jesu Christi, etc., sit tibi in remissionem peccatorum.* Ludolphus Carthusianus, de hac, per meditationem, et applicationem passionis Christi, peccatorum nostrorum solutione, ita scribit [3] : « Taliter « posset se homo ad hoc applicare (scilicet ad « exercitium meditationis Passionis Dominicæ) et « de ejus merito, et satisfactione tam devote ad se « trahere, ut si mille annis purgari deberet, in « brevi de toto liberaretur. » Apud venerabilem abbatem Blosium sequens legitur S. Gertrudi divinitus facta revelatio [4] : « Christus S. Gertrudi ait : « Quilibet poterit respirare in spem veniæ (quam- « libet etiam gravi pondere peccatorum se senserit « depressum) offerendo Deo Patri meam innocen- « tissimam passionem, et mortem. Credat peccator « se per hoc obtinere saluberrimum fructum in- « dulgentiæ, quia nullum tam efficax remedium « contra peccata poterit in terris haberi, sicut « devota memoria meæ passionis. » Idem Blosius hæc B. Henrico Susoni a Christo dicta verba refert : « Anima quæ se multis obstrinxit peccatis poterit « ipsius passionis meæ thesaurum adeo ad se ad- « jungere sibique applicare, ut etiamsi vel mille « annis punienda sit in Purgatorii locis, brevi « tempore, et culpam, et pœnam omnem dissolvat, « ita ut absque Purgatorio libera commigret in « cœlum. »

**8.** — Justus Orgelitanus illa Canticorum verba [1] : *Sub arbore malo suscitavi te,* de cruce in hæc verba exponit [2] : « In odorifero crucis patibulo, ubi ego « occubui, hic te a peccatorum interitu suscitavi. » Isaias propheta unumquemque nostrum hortatur, inquiens [3] : *Abscondere in fossa humo, a facie timoris Domini.* At vero dicet fortasse quispiam : Numquid Psalmista ait [4] : *Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades ; si sumpsero,* etc., quocumque enim inimicus Dei suum accipiat confugium, nullibi tamen a Dei supplicio immunis erit ; qua igitur ratione Isaias suadet, inquiens : *Abscondere in fossa humo?* S. Bernardus verborum illorum explicat mysterium, inquiens [5] : « Et si intellexerimus fos- « sam humum illam, quæ ait : *Foderunt manus « meas et pedes meos ;* non erit ambigendum de « sanitate in ea citius adipiscenda animæ vulneratæ, « quæ in ea demorabitur. Quid enim tam efficax « ad curandæ conscientiæ vulnera, nec non ad « purgandam mentis aciem, quam Christi vulne- « rum sedula meditatio. » S. Augustinus in Manuali suo ait [6] : « Tuta et firma requies est infir- « mis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris : « securus illic habito, patent mihi viscera per « vulnera ; quidquid mihi deest, usurpo mihi ex « visceribus Domini mei, quoniam misericordiæ « affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. » Porro apud S. Marcum multi ad Christum adducuntur infirmi, ut pristinæ restituantur sanitati : at vero tempus velim, observetis, quo adducti fuere ; dicit enim sacer textus [7] : *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit.* At vero hujus mysterium S. Hieronymus declarat, inquiens [8] : « Omnes non mane, non meridie, sed « vespere curantur, quando sol occubiturus est, « quando granum tritici in terra moritur, ut mul- « tos fructus afferat. » S. Cyprianus ait [9] : « Vulneri « sane tam putrido et antiquarum cicatricum fœ- « tori non inveniebatur medicamentum conveniens, « nisi unguento sanguinis hujus plaga vetus lini- « retur et malagmate carnis in cruce extensæ « siccarentur venena, quæ calcaneo primi hominis, « et omni posteritati ejus serpens ille seductor an- « tiquus infuderat. »

[1] Gen., l, 15. — [2] S. Anselm., *ib.*, c. 15. — [3] Ludol., p. 2, c. 58. — [4] Blos., *ib.*, c. 2.

[1] Cant., viii, 5. — [2] Justus Orgelitanus. — [3] Isa., ii, 10. — [4] *Ps.* cxxxviii. — [5] S. Bern., s. 61 *in Cant.* — [6] S. Aug., *in Man.*, c. 21. — [7] Matth., viii, 16. — [8] S. Hieron., *ib.* — [9] S. Cypr., *de Pass.*

## DISCURSUS XII.

UT PASSIO CHRISTI NOBIS FRUCTUOSA REDDATUR, NECESSUM EST, UT EAMDEM PER OPERA ILLI CORRESPONDENTIA, NEC NON PER VITÆ PURITATEM IMITEMUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Nostra cooperatione adimplere debemus. — 2. Non solum verbis et desideriis sed factis et operibus debemus esse devoti erga passionem Christi. Medicamentum passionis Christi non salvabit nos si non fuerit applicatum. — 3. Continuatur idem argumentum. Revelatio de hoc facta B. Angelæ de Fulginio. — 4. Quare Christus in cruce extensis brachiis mori voluerit. — Passionis Christi memoria et clypeus et baculus noster. Memoria passionis debet relucere in operibus nostris. — 6. Parum conducit peregrinatio Jerosolymitana cum scelerata conscientia. Historia Jacobi Regis Arragoniæ. Et Heraclii imperatoris crucem portantis. — 7. Labia sponsæ distillant myrrham passionis. Notabile exemplum virginis Dominicam passionem assidue meditantis. Quid nos doceat sudor sanguineus Christi. — 8. Quare uterque latro cum Christo crucifixus non fuerit conversus.

*Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea.* Ad Coloss., I, 4.

**1.** — Quidnam, obsecro, passioni Salvatoris nostri (de qua Psalmista ait : *Copiosa apud eum redemptio*), quidnam, inquam, huic deesse poterat, ut S. Paulus se hunc defectum supplere, his verbis dicere non dubitarit [1] : *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi?* Theophylactus ait [2] : « Videtur « ostentatoris atque arrogantis hic sermo esse, at- « qui non est. » Idipsum quoque Doctor Angelicus confirmat, dicens [3] : « Hæc verba secundum super- « ficiem malum possunt habere intellectum, scili- « cet quod Christi passio non esset sufficiens ad « redemptionem, sed additæ sunt ad complendum « passiones sanctorum. Sed hoc est hæreticum, « quia sanguis Christi est sufficiens ad redemptio- « nem etiam multorum mundorum. » Ac proinde hujus textus interpretationes variæ adducuntur. In quibus nostro proposito quam maxime sequens deservit, scilicet quod passioni Christi sola desit nostra cooperatio. Unde idem S. Thomas ait : « Hoc « deerat, quod sicut Christus passus erat in corpore « suo, ita pateretur in Paulo membro suo, et simi- « liter in aliis. » Porro expositio Estii ex eodem S. Thoma, ut existimo, desumpta fuit; ait enim : « Sentit igitur Apostolus, se patiendo afflictiones « in carne sua, quadam parte supplere ea, quæ « Christo adhuc patienda supersunt, non quidem « in ipso, sed in membris. » Quo enim fine Redemptor noster se crucifigi permiserit, S. Petrus Ecclesiæ his verbis declarat, dicens [4] : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Non enim sufficit Christum pro nostra salute passum fuisse, nisi nos quoque inde proficiamus, ejusque passionem nobis applicemus, sequendo relictum nobis a Christo patiendi exemplum. Faciebat idipsum Apostolus, dum ait [1] : *Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto. Castigo corpus meum et in servitutem redigo.* Et ideo S. Bruno ait [2] : « Adimplere se dicit, quia ad mor- « tem vadit. Christus multas passiones habuit, pa- « tiendo opprobria, vexationes et flagella, ad ulti- « mum mortem. Sic Paulus opprobria, verbera, « multas afflictiones passus erat et ad mortem « festinabat, ut sicut Christus pro eo, sic ipse « moreretur pro Christo. »

**2.** — Errant igitur multi, qui se erga Christi passionem devotos esse existimant, sed verbis et desideriis, non vero factis ipsis, aut operibus; et ideo compassio illorum dumtaxat superficialis est. Non enim Christum passum imitantur per puritatem conscientiæ et voluntariam passionem cujuslibet obvii sinistri eventus, vel per proprii corporis macerationem, aut propriam abnegando voluntatem. Porro in discursu præcedenti facta a nobis est mentio præcepti illius, a Deo Hebræis impositi, ut scilicet utrosque ostiorum suorum postes sanguine agni tingerent et signarent [3]. Quod utique sine mysterio nequaquam factum est. S. Isidorus ad sequens alludit documentum, inquiens [4] : « Sig- « nantur signo Dominicæ passionis in fronte fide- « les populi, ad tutelam salutis, ut hi soli ab inte- « ritu liberentur, qui cruore Dominicæ passionis, « corde et fronte signati sunt, qui etiam opere « loquuntur. » S. Gregorius similiter ait [5] : « Quia « sanguis super utrumque postem ponitur quando « non solum ore corporis, sed etiam ore cordis « hauritur. In utroque enim poste sanguis agni est « positus, quando sacramentum Passionis illius « cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitatio- « nem quoque intenta mente cogitatur. » Idem S. Pontifex ex actione Samuelis Prophetæ, Saulem speciali Dei jussu ad regnum Israeliticum eligentis, sequentem ad propositum nostrum deducit aliam moralitatem : super illa namque verba [6] : *Dixit Samuel coquo : Da partem quam dedi tibi et præcepi ut reponeres seorsim apud te. Levavit autem coquus armum et posuit ante Saul, dixitque Samuel : Ecce quod remansit, pone ante te et comede, quia de industria servatum est tibi.* Super hæc, inquam, verba ita scribit [7] : « Remansit quidem, quia non omnia « nostra Christus explevit : per crucem quidem « suam omnes redemit, sed remansit, ut qui re- « dimi et regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc

[1] THEOPHYL., *ibid.* — [2] S. THOM., *ibid.*, lect. 6. — [3] I PETR., II, 21.

[1] GAL., VI, 17. — I COR., IX, 22. — [2] S. BRUNO, *ib.* — [3] EXOD., XII. — [4] S. ISID., *in cat. Lippom.* — [5] S. GREG., *loc. cit.* — [6] I REG., V. — [7] S. GREG., *ib.*, l. IV in I REG.

« profecto residuum viderat, qui dicebat : Si com-
« patimur et conregnabimus : quasi dicat, quod
« explevit Christus, non valet nisi et qui id quod
« remansit, adimplet. Hinc B. Petrus apostolus
« dicit : *Christus passus est pro nobis, vobis relin-*
« *quens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Hinc
« Paulus ait : *Adimpleo ea quæ desunt,* etc. » Nullum unquam quantumvis potens et salutare medicamentum salvabit infirmum, nisi id ei fuerit applicatum. Non enim sufficit, quod pretiosum quoddam balsamum vasi sit inclusum, in tuaque sit potestate positum, vel quod pretium illius perfecte sit persolutum, nisi per modum emplastri vulneri superimponatur. Eadem quoque est ratio quoad pretiosissimum sanguinis Redemptoris balsamum, in ara crucis ex tam innumeris vulneribus emanans, quod nobis datum est ad lethifera vulnera nostra curanda : nisi enim illud per seriam meditationem, compunctionem et imitationem vulneribus animæ applicemus, nihil nobis proderit. Sententia est Origenis, cujus licet in discursibus præcedentibus meminerimus, hoc tamen loco ponderandum est id, quod in primis ejusdem sententiæ verbis asseritur : dicit enim Origenes [1] : « Cer-
« tum est, quia ubi mors Christi animo circumfertur,
« non potest regnare peccatum. » Ubi notanda sunt verba illa : « Ubi animo circumfertur. » Non enim passio Christi superficialiter meditanda est, sed ex proposito ac industria, adhibitisque omnibus potentiis interioribus. Ac proinde circa impios illos qui in monte Golgotha Redemptori crucifixo non compatiebantur, sed blasphemabant eum, notandum est, quod de illis Evangelista non sine mysterio dicat [2] : *Prætereuntes blasphemabant. Prætereuntes,* inquam, non *stantes.* E contra vero centurio ex adverso Christi stans, eumdemque attente et serio considerans (*stabat ex adverso*), interius ab eo illuminatus dixit : *Vere Filius Dei erat iste.*

**3.** — Apostolus in memoriam nobis revocat, quod immenso sanguinis Christi pretio redempti simus ; ait enim [3] : *Empti estis pretio magno.* Quod si quis redemptionis suæ pretium in sua haberet potestate positum, illud autem in scrinio suo teneret reclusum, eique a quo captivus tenetur, non extraderet, aut numeraret, ad nihilum utique eidem redimendo profuturum esset. Christus gratis nobis sanguinem suum dedit, ut inde a servitute peccati et inferni redimamur ; at vero pretium hoc inutile nobis erit, nisi illud pro redemptione nostra adhibeamus : ac proinde Apostolus subdit, inquiens [3] : *Glorificate et portate Deum in corpore vestro,* P. Bollandus in vita B. Angelæ de Fulginio, sponsum cœlestem hunc cum prædicta sponsa sua refert miscuisse sermonem [4] : « Dictum est mihi a Christo crucifixo, mihi
« apparenti, ut in cruce fuit pro nobis appensus :
« Nullus homo, nulla persona poterit habere excu-
« sationem suæ salutis, quia ad suam salutem pro-
« curandam non oportet plus facere, nisi sicut facit
« infirmus medico, qui volens salutem, ostendit ei
« infirmitatem et se disponit ad faciendum quæ
« medicus dixit. Ita nunc non oportet, quod aliquis
« plus faciat, aliquid in medicinis expendat, nisi
« quod ostendat se medico per peccati recognitio-
« nem et confessionem, et disponat se ad illa, quæ
« sibi dicit medicus, et caveat a contrariis. Com-
« prehendebat autem anima mea, quod medicina
« erat sanguis Christi et ipse sine pretio hanc dat
« medicinam et non constat plus infirmo peccatori,
« nisi quod disponat se, et medicus Christus dat
« sibi salutem, et sanat infirmitatem. » Enimvero non sufficit, quod quis amarum passionis calicem desideret, laudet, ejusque virtutem sibi perspectam habeat ; sed qui infirmitates suas spirituales curari desiderat, illum ut labiis suis admoveat et exhauriat, necessum est. Observandum quoque, quod postquam cœlestis Sponsus crucis suæ mentionem fecisset, dicendo [1] : *Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua,* immediate subjunxerit : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum* ; ubi, ut videtis, signaculum hoc non solum cordi, sed etiam brachio imprimi desiderat ; per brachium autem opera designantur. Unde S. Ambrosius ait :
« Signaculum Christus in fronte est, signaculum in
« corde. In fronte, ut semper confiteamur, in corde,
« ut semper diligamus ; signaculum in brachio, ut
« semper operemur. » S. Augustinus super illa verba psalmi LXII : *In nomine tuo levabo manus meas,* ita scribit [3] : « Leva manus tuas in oratione.
« Levavit pro nobis Dominus Deus noster manus in
« cruce, et extensæ sunt manus ejus pro nobis. »

**4.** — Non deerant utique Dei Filio alia mortis genera, quibus necari poterat, et tamen ex monte præcipitari noluit, sed per miraculum ante persecutorum suorum oculos invisibilem se effecit [4] : *Ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Noluit sub lapidum imbre vitam finire, sed in fugam se recepit. Noluit denique mori sub flagellis, sed mortem suam cruci reservavit, ut apertis et extensis brachiis moreretur. At vero quo putas fine id elegit ? inquit S. Augustinus. Moxque respondet :
« Ideo extensæ sunt manus ejus in cruce, ut manus
« nostræ extendantur in bona opera. » Ac proinde idem S. doctor salutarem hanc subnectit exhortationem : « Ecce levavit ille manum suam et obtulit
« pro nobis sacrificium Deo seipsum et per illud
« sacrificium deleta sunt omnia peccata nostra.
« Levemus et nos manus nostras ad Deum in prece

[1] ORIG., in c. 6 *ad Rom.* — [2] MARC., XV, 37. — [3] I COR., VI, 20. — [4] BOLLAND., 4 jan., fol. 202.

[1] *Cant.*, VIII, 6. — [2] S. AMB., *de Isaac et anima,* c. 8. — [3] S. AUGUST., *in Ps.* LXII, 2. — [4] LUC., IV, 30.

« et non confundentur manus nostræ levatæ ad « Deum, si exerceantur in bonis operibus. » Justus Orgelitanus super prædicta Canticorum verba hanc habet reflexionem [1] : « *Pone me ut signaculum* « *super cor tuum.* Primitus super cor, inde super « brachium signaculum superponendum intellige, « id est, tam in cogitatione, quam in opere. » Sacer textus in prædictis Canticis subjungit [2] : *Quia fortis est ut mors dilectio.* Quæ verba idem Orgelitanus in persona Redemptoris hunc in modum interpretatur : « In tantum dilexi te, ut mori vo- « luerim pro te, et hæc erat fortitudo amoris, acer- « bitas mortis. Dura autem sicut infernus æmula- « tio, ut sancti quoque e contrario pro Christo « occidi non metuant, quem pro sua salute mortem « suscepisse sine dubio cognoverunt. »

**5.** — Deus olim in expugnatione urbis Hai Josue præcepit, dicens [3] : *Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai.* At vero quid opus erat dicere : *Qui in manu tua est?* Quis unquam scutum in alia corporis parte, quam in manu portari vidit? Sufficiebat igitur dixisse : *Leva clypeum,* absque eo quod adderetur : *Qui in manu tua est.* Lyranus in moralitate hujus loci dubium hoc resolvit, inquiens : « Clypeus iste est memoria Dominicæ passionis. « Si vero clypeus iste constanter teneatur in manu « bonæ operationis, debellatur insultus carnis, vel « fomitis; ideo dicit postea : *Josue vero non con-* « *traxit,* etc. » Quando Deus olim populo suo manducationem præcepit agni paschalis, qui symbolum erat illius, de quo dicitur [4] : *Agnus occisus ab origine mundi,* inter alia quoque ordinavit [5], ut *tenerent baculos in manibus.* At vero cui fini hi baculi inserviebant? Num forte ut se opponere possent Ægyptiis? Aut vero ut se defenderent a canibus? Quod si dicas baculos pro itinere faciendo fuisse ordinatos, cur non potius eos sibi de calcaribus prospicere jussit? Hugo cardinalis respondet [6] : *Baculus est memoria Dominicæ Passionis.* Hæc autem memoria relucere debet in operibus, quæ per manus significantur. S. Bonaventura de meditatione mortis Christi ita scribit [7] : « Te vilificari, et con- « temni, et affligi faciet. Affectus tuos tam in cogi- « tatione, quam in locutione, ac etiam operatione « regulabit. » S. Paulus apostolus ad Philippenses ait [8] : *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu.* At vero inquies : quomodo quis dignoscere poterit, quod interius, non vero superficialiter erga Christi passionem sit vere devotus? Tunc nimirum, si Christum crucifixum fuerit imitatus, si vere humilis extiterit, quia Filius Dei *humiliavit semetipsum.* Si fuerit obediens, quia *Christus factus est obediens usque ad mortem.* Si corpus suum castigaverit, ad exemplum ejus, qui dicit : *Flagellatus fui tota die.* Si voluntatem propriam abnegans, dixerit : *Non mea, sed tua voluntas fiat.*

**6.** — In discursibus præcedentibus quamdam ex Blosio recensuimus, a Salvatore his verbis factam revelationem [1] : *Nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, sicut devota memoria meæ Passionis.* Ubi observandum est quod sequitur : *Cum fide recta et vera pœnitentia.* Ingeniosa apud S. Hieronymum legitur propositio, quæ meo judicio facile applicari potest illis, qui nonnunquam in terram sanctam ad venerandum montem Calvarium, omniaque alia a Salvatoris nostri sanguine humectata loca, laboriosas sumptuosasque instituunt peregrinationes, cum tamen eodem tempore nequicquam soliciti sint de procuranda sibi munda et pura conscientia. Ait enim sanctus hic doctor [2] : « Non Jerosolymis fuisse, sed Jerosolymis bene « vixisse laudabile est. » Bonum quidem et salutare est consilium, si quis in honorem amaræ passionis quasdam adoriatur devotiones, rigores, aliaque exercitia spiritualia : longe tamen melius erit, si primo omnium loco studuerit rectitudini intentionis et conscientiæ. *Clavi et lancea clamant mihi,* inquit S. Augustinus [3], *quod vere reconciliatus sum Christo, si eum amavero.* Aptissime ad præsens propositum deservit breve quoddam in Annalibus ecclesiasticis descriptum monitum, quod Clemens IV ad Jacobum regem Arragoniæ transmisit, quando hic se itineri ad terram sanctam recuperandam accinxit, nihili faciens, quod Berengariam, qua cum scandalosum et impudicum habebat commercium, nequaquam desereret. Ita enim dictus pontifex loquitur [4] : « Tuæ Serenitatis litteras recepimus, « inter alia continentes, quod ad transfretandum « in terræ sanctæ subsidium, pro vindicanda Cru- « cifixi injuria, te disponere proponebas, etc. Quod « licet cum gaudio receperimus, scire tamen te « volumus, quod illius obsequium Crucifixus non « recipit, qui incestuoso contubernio se commacu- « lans, in seipso eum iterum crucifigit. » Et in progressu ejusdem responsi subnectit : « Compla- « cere non poteris Crucifixo, nec injurias ejus redi- « mere, si alterius injuriis ipse noluerit abstinere. » Enimvero quo in pretio Heraclius imperator sanctam crucem habuerit, ex stipulatis cum rege Persarum capitulationibus facile colligitur. Etenim harum prima hæc fuit, ut inæstimabilis ille restitueretur crucis thesaurus, tametsi idem ab eodem barbaro rege summo quoque in pretio et honore haberetur. Et tamen quia sacram hanc reliquiam in montem Calvariæ portaturus, Crucifixi humilitatem et abjectionem minime fuit imitatus, utpote chlamyde imperiali pretiosissima amictus, ideo hoc accidit miraculum, quod scilicet dictus imperator

[1] JUST. ORGEL., *in Cant.*, VIII. — [2] *Cant.*, VIII, 7. — [3] JOS., VIII, 18. — [4] APOC., XIII. — [5] EXOD., XII, 12. — [6] HUGO CARD. — [7] S. BONAVENT., *Stim. amor.*, c. 1. — [8] PHILIPP., II, 5.

[1] BLOSIUS, *in Conclav. anim.*, I, 20. — [2] S. HIERON. — [3] S. AUGUST., *in Man.*, 23. — [4] RAYN., an. 1267, n. 33.

ne pedem quidem movere potuerit, donec simplicibus et pauperculis pannis indutus, pedibus discalceatis ad dictum Calvariæ montem procederet. S. Helena, Constantini Magni imperatoris mater, hanc meruit gloriam, ut vitale lignum tot annis sub terræ visceribus sepultum invenire posset; idque ex eo præcipue capite, quia devotionem exteriorem simul cum interiori conjunctam habebat, utpote principissa eminenti spiritu et sanctitate conspicua. Unde S. Paulinus ait [1] : « Nonne divina manu « latuit, ut nunc inveniretur, cum religiose quære- « retur? » Crux enim et passio Christi vitæ ac conscientiæ diligit puritatem.

**7.** — In sacris Canticis de labiis Sponsæ, per quam anima sancta denotatur, Sponsus cælestis dicit [2] : *Labia ejus lilia distillant myrrham primam.* Et de iisdem labiis capite præcedenti inquit [3] : *Sicut via coccinea labia tua.* Circa quæ verba S. Ambrosius ait [4] : « In cocco species ignis, et crucis Do- « minicæ sanguis irrutilat; » et paulo post subdit : « Per myrrham passionis unguentum declaratur. » Hæc autem myrrha in illis crescit et vegetatur animabus, quæ liliorum instar candida sunt et fragrantia. In vita S. Philippi Nerii legitur, quod Fabricio de Maximis, Romano equiti præcipuo, et opulento, filia fuerit tredecim annis nata, Helena nomine. Hæc autem virgo Christi amore saucia, S. Philippo, quo utebatur confessario, ad nutum obsequebatur, et Dominicam Passionem uberrimis lugebat lacrymis. In ultima autem ipsius ægrotatione, postquam illi Baronius viaticum præbuerat, a Christo Domino animam suam sanguine conspergi vidit, ac demum mortis hora annunciata, piissime spiritum efflavit. Hanc igitur Philippus comitantibus, et concinentibus angelis ad cælitum sedes evolare conspexit : nec mirum, quia amore crucis Christi semetipsam contemnere adeo satagebat, ut omnibus subesse quam ambitiose perquireret, et ut se Christo gratam aliqua ex parte ostenderet, plurimum pro ipso pati desiderabat. Scirene vultis, quo modo S. Paulus de sanguine Redemptoris, eo fine, ut animas salvaret, et ad paradisum deferret, offuso, loquatur? Audite ejus verba [5] : *Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Et ad Titum ita scribit [6] : *Dedit semetipsum, ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Christus Redemptor noster passionem suam exorsurus, primo in hortum Gethsemani ingressus fuisse legitur [7] ; unde Hugo cardinalis sequentem deducit moralitatem, inquiens. « Interpretatur Gethsemani torcular, quia « sicut in torculari ex compressis uvis vinum ex- « primitur, ita in pœnitentia compressis peccatis « intus in corde per veram contritionem, vinum « compunctionis exterius per oculos eliquatur. » Unde Redemptor noster, uti existimo, per hunc in hortum Gethsemani ingressum docere nos voluit, quod ut Christo crucifixo compatiamur, suæque passionis reddamur participes, necessum sit, ut exemplo ipsius, si non sanguinem e venis, saltem lacrymas ab oculis in veræ pœnitentiæ signum dimanare faciamus.

**8.** — Considerastisne aliquando, quod in principio ambo latrones cum Christo crucifixi, eumdem blasphemaverint ! Dicit enim sacer textus : *Idipsum autem et latrones improperabant ei.* Et tamen mox unus illorum sibi dici audivit : *Hodie mecum eris in paradiso.* At vero forsitan dicetis, idipsum nequaquam mirum esse, quia sicuti medicus remedii alicujus potentis experientiam facturus, illud desperato alicui infirmo applicare solet, ita cœlestis hic proto-medicus qui dixerat [1] : *Non est opus valentibus medicus, sed malis habentibus* ; ut pretiosissimi sanguinis sui inæstimabile balsamum, efficacissimum morbis animæ medentis remedium esse ostenderet, illud tali applicare voluit, qui enormissimis semper immersus fuerat peccatis; et tamen confestim compunctus, et resipiscens, eximius factus est sanctus. Verumtamen tametsi hoc pie admodum dicatur, attamen in præsenti quærendum venit, cur virtus hæc, quæ in sanguine Christi, non vero in meritis eodem sanguine utentis latet, non eumdem in alio quoque latrone operata fuerit effectum ? Sed facilis est responsio ; siquidem alter latro obstinatus permanens, lumini a Christo sibi communicato cooperati noluit, sicut alter bonus latro fecerat, utpote qui, ut suis locis dicemus, per multos heroicos virtutum actus, divinæ gratiæ correspondit, et tum per verba, tum per vivos effectus, Salvatori fuit compassus. Unde S. Antoninus ait [2] : « Qui compa- « tinntur doloribus et afflictionibus ejus, quas pro « eis est passus, imitantur hi latronem, qui juxta « crucem a dextris arguens socium, eo quod impa- « tienter ferebat crucem, se dignum proclamabat « tantis pœnis, inquiens ; Et nos quidem juste, nam « digna factis recipimus. Et excusabat Christum, « et compatiebatur tantæ innocentiæ. dicens : Hic « vero nihil mali egit. »

## DISCURSUS XIII.

EORUM, QUI PASSIONEM CHRISTI NON RECOGITANT CORDE, NEQUE IN EADEM PROFICERE SATAGUNT, INGRATITUDO PERSTRINGITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Summa ingratitudo est non recogitare, et gratum esse pro passionne Christi. — 2. Sicuti malum signum est si capite dolente alia membra non compatiantur, sic etiam malum signum est

[1] S. PAUL., *ep.* 11 *ad Severin.* — [2] *Cant.*, v, 13. — [3] *Ib.*, IV, 3. — [4] AMBR., a. 18 *in Ps.* CXXVIII. — [5] HEBR., V, 9. — [6] TIT., II, 4. — [7] MARC., XIV.

[1] MATT., IX, 21. — [2] S. ANTONINUS, p. 4, tit. 15.

si Christo non compatiamur. Quare Christus reservaverit cicatrices vulnerum suorum. — 3. Simile ampullæ vitreæ sanguine Christi plenæ. Insigne exemplum Cardinalis Lusitani. — 4. Christi passi fide jussoris nostri, semper meminisci debemus. — 5. Historia Mardochæi et Aman applicatur ad nostrum intentum. Quare Christus in cruce pendens fleverit. 6. Quare Christus cum magno clamore et lacrymis voluerit expirare. — 7. Amici Job desiderant pati cum patiente Christo. Imitemur Jacob lugentem Joseph filium suum.

*Extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo.* Prov. I. 24.

**1.** — Redemptor noster, nisi fallor, hisce verbis lamentari videtur de summa hominum ingratitudine et supina negligentia, siquidem ipse in monte Calvariæ manus et brachia sua extendit, ut nos ad se invitaret, et tamen nullus, vel saltem pauci, de passione et redemptione ejus quicquam curarunt, vel cogitarunt : *Extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret.* Ac proinde quia ejus passioni compassi non sumus, in hujus duritiei pœnam, Deus se quoque in articulo mortis nostræ, quando illum invocabimus, nos derisurum esse protestatur, inquiens : *Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit : cum irruerit repentina calamitas, et interitus, quasi tempestas, ingruerit, quando venerit super vos tribulatio, et angustia. Tunc invocabunt me, et non exaudiam, eo quod exosam habuerint disciplinam.* Per hanc autem disciplinam sive flagellationem, amarissima Christi passio potest intelligi, quæ majori hominum parti exosa est, utpote qui rosas diligunt, spinas vero execrantur. Idem hoc lamentum apud Prophetam evangelicum, qui omnes vitæ et passionis Christi futuros eventus accurate prævidit, et descripsit, his verbis renovatum invenio [1] : *Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo.* Ubi per *Justus*, ut Dionysius Carthusianus exponit [2] : « Chris-
« tus intelligitur, de quo Judas : : *Peccavi, inquit,*
« *tradens sanguinem justum.* Et Pilatus : *Innocens*
« *ego sum a sanguine justi hujus.* Non est qui dili-
« genter consideret causam mortis justi hujus, atque
« innocentiam ejus. » Hugo cardinalis verba illa *in corde suo*, hunc sensum habere dicit [3], *id est, in intimo cordis veraciter.* Citatque verba illa Ecclesiastæ [4] : *Perfecta est obsidio, inventusque in ea vir pauper, et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius.* Mundus etenim, qui in comparatione cœli est veluti parva quædam civitas, arcta cingebatur obsidione ab inimico infernali, qui suam in genus humanum exercebat tyrannidem, efficiendo, ut ab hominibus adoraretur quasi Deus, propriique illorum filii in secrificium ei oblati comburerentur, dicente Psalmista [1] : *Immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis;* Filius autem Dei, qui nostra mortalitate indutus, vilis apparebat, et pauper, ideoque per os Davidis dicebat : *Ego autem mendicus sum et pauper.* Et alibi [2] : *Ego autem sum vermis, et non homo* : Hic inquam, crucem ascendens obsidionem hanc solvit, ideoque ait [3] : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* Et tamen licet *extenderit manum suam*, quis tamen inter homines reperitur, qui cogitet, vel gratum se exhibeat erga hoc tam immensum beneficium, quo majus ab intellectu humano, et angelico excogitari nequit? Idem Hugo cardinalis alium quemdam Isaiæ textum citat, in quo Redemptor noster de hac ingratitudine lamentatur, inquiens [4] : *Dixi : In vacuum laboravi, sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi.* Et subdit [5] : *multi sunt qui passionem Domini in ore revolvunt, sed in corde veraciter vulnera ejus non sentiunt.*

**2.** — Enimvero pessimum signum est, quando in corpore humano patiente in capite, cætera membra ei non compatiuntur; siquidem tritus est medicorum aphorismus : *Quando caput dolet, cætera membra dolent.* Cum igitur Christus sit caput nostrum, nosque fideles corporis mystici Ecclesiæ suæ membra simus, nobis capiti non compatientibus, signo perspicuo ostendimus, quod membra ab hoc corpore divisa simus, et ad idem corpus minime pertineamus. Unde S. Leo Magnus ait : «Me-
« mento cujus capitis et corporis sis membrum. »
Scriptor quidam contemplativus ait : « Si non com-
« patimur, signum est, quod membra ejus non
« sumus, nec de spiritu ejus vegetamur. » Quonam putas fine Redemptor noster in glorificata, et impassibili, et splendida humanitate sua, jam ad dexteram Patris residente, vulnerum suorum cicatrices servare, et cum iisdem in die judicii universatis in throno Majestatis apparere voluit? B. Laurentius Justinianus ait [7] : « Vulnerum cicatrices in suo vo-
« luit Dominus corpore retinere, ut sicut electis
« incentivum est dilectionis, ita et reprobis irrefra-
« gabile fieret testimonium damnationis. » Propter eamdem rationem in die illa in conspectu omnium hominum crux Christi apparebit, S. Matthæo teste, qui dicit [8] : *Tunc parebit signum Filii hominis in cælo* : id est, ut Lyranus ait [9] : « Crux, clavi, lancea, quæ
« sunt Passionis Christi instrumenta, vel cicatrices
« apparebunt in Christi corpore; » idque oh hanc præcipue rationem, ut S. Thomas ait [10] : « Ut impii
« videntes in quem confixerunt, doleant, et crucien-
« tur et ii qui redempti sunt, gaudeant. » Atvero dices : nunquid omnes sanguine Agni immaculati sumus

[1] Isa., LVII, 1. — [2] Dion. Carth. — [3] Hugo Card. — [4] Eccle., IX, 15.

[1] *Ps.* CV, 37. — [2] *Id.*, XXXIX, 18. — [3] *Id.*, XXI, 7. — [4] Joan., XII, 31. — [5] Isa., XLIX, 4. — [6] Hugo Card., *ib.* — [7] S. Leo. — [8] B. Laur. Just., *de Triumph. Christi agon.*, 1. — [9] Matt., XXIX, 30. — [10] Lyran. — [11] S. Thom., *ib.*

redempti? Omnino, redempti sumus omnes; at vero hæc redemptio inutilis est ob culpam impiorum, qui inde nequicquam proficiunt. Ac proinde doctor Seraphicus in *stimulo divini amoris* nos exhortabatur, dicens : « Accedamus ad latus ejus, et sugamus san-« guinem ejus, quia hoc beneplacitum ejus est. Non « faciamus ipsum talia frustra pati, non permitta-« mus hunc sanguinem effluere super terram. »

**3.** — Quod si penes te ampullam vitream, et fragilem, sanguine Christi Filii Dei plenam haberes, quanta cum diligentia, veneratione, et sollicitudine caveres, ne vas illud vitreum rumperetur, aut disperderetur? At vero veritas est fidei, animam nostram inæstimabili Christi sanguine intinctam esse, et ablutam, et tamen licet *habeamus thesaurum istum in vasis fictilibus* [1], hunc tamen sanguinem tanta cum facilitate, adeoque frequenter effundimus, et pedibus conculcamus. Utique verisimile est, quod optimus cardinalis ille sanguinem hunc omni cum reverentia, et convenienti existimatione intra se custodierit, de quo sequens in historiis historia legitur [2], scilicet *de Henrico Lusitanorum Rege Cardinali*. Cum enim in quodam regii palatii incendio ipse ignem evasisset, accidit, quod in capella Regia crucifixus quidam ab omnibus in summa veneratione habitus remanserit, qui utique flammis illis in prædam cessisset, nisi ab iisdem fuisset raptus. « Ergo quanquam domesticorum fidissimi non « deessent, ratus regium sanguinem pietatem illam « non deducere, per medias furentesque flammas « irrumpens, sacrum secum retulit lignum illæsus « illæsum. » Etenim divini amoris ignis, qui in anima ejus efflagrabat, superior fuit illo, qui corpus illius circumquaque cingebat : *Ignis igni remedium fuit*. S. Ambrosius quanti hæc Redemptionis nostræ pretium æstimare debeamus, in hæc verba nos docet [3] : Bonus servus pretium studet reparare Do-« mino, quod pro se solutum est. Sanguinem solvit, « sanguinem debes. Ille pro te solvit, tu pro te « redde. Eramus oppignorati malo creditori peccа-« tis, contraximus chyrographum culpæ, pœnam « sanguinis debebamus. Venit Dominus Jesus, suum « pro nobis sanguinem obtulit, sed non potes san-« guinem reddere. Bonus quidem servus debet pre-« tium reparare domino suo, sed si non potest pre-« tium reddere, vel hoc faciet, ne pretio videa-« tur indignus. Ergo et tu dignum te geras tali « pretio. »

**4.** — Ecclesiasticus modum nobis insinuat, quo erga Redemptorem nostrum ob animarum nostrarum redemptionem, pretiosissimi sanguinis sui lytro peractam, grato nos exhibere possimus; dicit enim [4] : *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam*. Enimvero si quispiam omnia quæ possidet, vendidisset, ut non solum a servitute, verum etiam ab atroci et vituperosa, barbarorum manu inferenda nece amicum quemdam liberaret, prodigendo insuper in plenam lytri solutionem, ipsissimam vitam suam : nunquid abominabilis et inaudita foret ingratitudo, si talis tanti beneficii accepti nullam conservaret memoriam, nec ullam benefactori suo exhiberet recognitionem? Audiatis velim hac super re discurrentem S. Bernardum [1] : « Ludebam ego foris in platea, et in se-« creto regalis cubiculi super me ferebatur judicium « mortis. Audivit hoc unigenitus ejus, posito exiit « diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, « nudus pedes, flens, et ejulans, quod morte damna-« tus esset servulus ejus. Intueor illum subito proce-« dentem, stupeo novitatem, causam percunctor, « et audio. Quid facturus sum? Adhuc ne laudam « et deludam lacrymas ejus? » Profecto durum futurum esset homini, si Redemptor idem a nobis pretium requieret, quod ipse pro nostra redemptione exsolvit, quemadmodum jure merito facere deberemus illi, a quo salutis securitatem accepimus. At vero nequaquam id a nobis exposcit, non enim a nobis exquirit sanguinem, nec mortem, sed solum ut ejus sanguine ad nostram salutem, et emolumentum utamur, indeque vitam immortalem et beatam assequamur. Audite, obsecro, sequentem a crucifixo Salvatore B. Veronicæ factam revelationem [2] : « Hominum sat mihi solus amor, pro tantis « a me acceptis muneribus, quos sanguine proprio « de tenebris, et umbra mortis eripui. » Paulo post vero qualem a redempto homine desideret gratitudinem, his verbis explicat : « Sat agat mortalium « quisque, quotidie mysterium quodpiam sævæ « meæ Passionis meditari. »

**5.** — In libro Esther cap. VI, legitur de rege Assuero, quod cum nocte quadam insomnis transigeret, præteritorum temporum historias et annales sibi prælegi jusserit; audiensque machinatam quamdam in ejus mortem conjurationem, a Mardochæo fuisse detectam, interrogarit : *Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei servi illius ac ministri : Nihil omnino mercedis accepit. Statimque Rex : quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiæ intraverat, ut suggeret regi, et juberet, Marchochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum.* Porro notum est omnibus, Mardochæum loco patibuli, ab impio Aman sibi præparati, ad supremos sublimatum fuisse honores, prout ibidem fusius enarratur. Verum quidnam me per hoc relatum facinus, vobis insinuare velle existimatis? Nimirum quod Filius Dei e sinu Patris in hanc lacrymarum vallem descenderit, ut vitam hominis salvaret, eumque ab inferno eriperet. At vero quamnam Filius Dei pro ingenti hoc beneficio retributionem accepit? Hanc videlicet,

[1] I Cor., IV, 7. — [2] Rho, *Hist. virt.*, l. III, c. 2, § 22. — [3] S. Ambr., l. III *de Virgin.* — [4] Eccli., XIV, 19.

[1] S. Bern., s. 3 *de Nativ.* — [2] Boll., 13 jan., f. 920.

quod confixus fuerit in patibulum, quod superbus judaismi Aman illi præparat, fuitque proinde Filius Dei in hoc inferior Mardochæo, qui vitam suam salvavit. Imo post sedecim sæcula et amplius, a quibus Filius Dei in monte Calvariæ crucifixus fuit, ingratus homo tot modis eumdem mortaliter offendendo, ejus crucifixionem identidem renovare nunquam desistit. « Iterum Christum in semetipso « crucifigens, et ostentui habens. Crucifigunt enim « iterum homines Dei Filium, quantum in se est, « inquit Hugo cardinalis [1], quia causam, pro qua « crucifixus est, iterare non desistunt. » Quid diceres, obsecro, si tibi perspicue ostenderem, unum ex acerbioribus Christi tormentis, quæ in sua passione sustinuit, fuisse hominis pro tanto beneficio ingratitudinem, et beneficii accepti oblivionem? Quonam fine Christi oculos lacrymas manasse existimas, dum in cruce [2] *cum clamore valido et lacrymis*, cœlestem Patrem suum exoravit? Porro de clamore infra tractabimus, priusquam hic discursus finiatur. At vero quod lacrymas attinet, existismasne Christum eas tam copiose effudisse, quia corpus ejus totum manabat sanguine? Nequaquam, suo enim loco diffuse videbimus, quanto jubilo, et cum quanta impatientia moræ morti occurrerit, suamque passionem perfecerit. Audiamus igitur S. Bernardum, qui apud S. Bonaventuram in sermone quodam in die Parasceves habito ita loquitur [3] : « Fle- « vit Christus in cruce, qnia, cum passio sua sufficeret redemptioni omnium, profuit in redemptionem paucorum. Grave autem est Christo, quod « tantum pretium in multis sit perditum. » Idem Seraphicus Doctor in sermone secundo clarius in hæc verba loquitur [4] : « In Christo super omnes dolores corporis exterius, fuit dolor de humana ingratitudine interius : unde apud Psalmistam ait : « *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* » Et ideo licet in progressu hujus tomi examinaturi simus innumerabilium suppliciorum, quibus Redemptorem cruciarunt, varietatem, atrocitatem, et multitudiuem; inter omnia tamen nullum atrocius pertulit tormentum, quam hominis erga passionem suam ingratitudiuem, quam prævidebat : *Extendit* enim *manum suam, et non fuit qui aspiceret.* Unde idem S. Bonaventura in persona Christi subdit : « Cum « sit tantus dolor exterior, interior tamen planctus « est gravior, dum te ingratum experior. » Eadem hæc veritas a S. Augustino in sermone quodam aperte traditur, in quo eumdem Dei Filium de homine introducit conquerentem, quod non solum ex ejus sanguine nequicquam proficiat, verum insuper eumdem inhumaniori crudelitate, quam Hebræi, effundat, et pedibus conculcet; ita enim in persona Christi lamentatur [5] : « Cur me graviori criminum « tuorum cruce, quam illa, in qua quondam pendi, afflixisti? Gravior enim apud me peccatorum « tuorum crux est, in qua invitus pendeo, « quam illa, in qua tui misertus, mortem tuam ocu- « cisurus ascendi. » In Chronicis S. Francisci legitur [1], quod seraphicus Pater prope ecclesiam Portiunculæ, a quodam locum illum fortuito transeunte, amarissime lacrymans repertus fuerit; qui illum agnocens, causam fletus ab eo fuit sciscitatus : timebat enim ne quid sinistri ei accidisset, ac proinde meliori quo poterat modo, eum consolari satagebat. Cui seraphicus respondit : Deploro pœnas et tormenta, quæ nos homines Dei Filio absque ulla ejus culpa intulimus, augetque dolorem meum, quod videam potiorem hominum partem tam immensi beneficii esse oblitam, cum tamen nos mortis suæ causa extiterimus.

**6.** — S. Apostolus, ut diximus, lacrymis Christi in cruce effusis clamorem adjungit, dicens [2] : *Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Quod Apostoli dictum in sequenti S. Matthæi evangelico textu fundatur; ita enim ibidem scribitur [3] : *Jesus iterum clamans voce magna emisit spiritum.* Et S. Marcus ait [4] : *Jesus autem, emissa voce magna, expiravit.* Subditque idem Evangelista, centurionem ex hoc clamore ingenti correptum fuisse admiratione : *Videns autem*, inquit, *centurio, qui ex adverso stabat, quod sic clamans expirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat.* Homo enim tot tormentis afflictus et vix respirare valens, naturaliter ultimum spiritum tanto cum clamore expirare non potuisset, nisi divina fuisset virtute suffultus. At vero vultisne clamoris hujus intelligere mysterium? Audite Simonem de Cassia ita scribentem [5] : « Ut eum audiant atque sciant in « cruce pendentem, vult audiri per altitudinem « vocis ab his, qui obtecti tenebris, fere, aut non « forte videbant. » Drogo Ostiensis, *de Sacramento Dominicæ Passionis* disserens, similiter ita scribit [6] : « Clamat nobis de cruce : O vos omnes qui transitis « per viam, attendite et videte, si est dolor similis, « sicut dolor meus; et nemo est qui audiat, nemo « est qui consoletur, nemo est qui respondeat. » Ludolphus Carthusianus quoque ait [7] : « Cuidam seni « matronæ reclusæ, multitudinem et numerum « omnium vulnerum Christi scire cupienti et pro « hoc flebiliter Deum oranti, vox cœlica missa « dixit : Quinque millia, quadringenta, nonaginta « vulnera mei corporis extiterunt. » Ac proinde si D. Chrysologo de mendici Lazari vulneribus dicere licuit [8] « ut in admonendo divite tot essent pau- « peris ora, quot vulnera, » cur nobis similiter asserere non licebit, totidem in corpore Christi fuisse ora clamantia et prædicantia Christi passio-

[1] Hugo Card. — [2] Hebr., v, 7. — [3] S. Bern. — [4] S. Bonav., *ibid.* — [5] S. Aug., s. 3 *de diversis.*

[1] *Chron.*, p. 6, l. I, 8. — [2] Hebr., v, 7. — [3] Matth., xxvii, 50. — [4] Marc., xv, 37. — [5] Simon de Cass., l. XIII. — [6] Drogo, *de Sacram. Dom. Pass.* — [7] Lud. Carth., p. 2. — [8] Chrysol., serm. 121.

nem, quot in eo fuerunt plagæ et vulnera, quæ omnia auribus nostris inclamant, ut a surditate nostra nos excitent? Nam ut Rupertus Abbas ait [1] : « Singulæ plagæ vel percussiones quamdam vocem « habuerunt. » Inclamant autem homini non vindictam, ut sanguis Abel, sed compassionem a nobis deposcunt.

7. — In libro Jobi legitur, quod amici ejus illum a capite ad pedes usque ulceratum videntes [2] : *Cum elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum et exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt cinerem, super caput suum.* Circa quæ verba Origenes ita scribit [3] : « Non mediocriter, sed miserabili atque lamenta- « bili modo condoluerunt. Idcirco singuli scindentes « vestimenta sua et spargentes terram super capita « sua. Quæ fecisti, inquiunt; o Job, facimus, et quæ « gessisti, gerimus. Vestimenta nostra scindimus et « terram super capita nostra spargimus, sic nam- « que et tu fecisti. Utinam cæteros dolores tuos « tecum dividere possimus, tantum ut apprehen- « dentis te pœnæ relevatio fiat. » Quod si igitur servi et subditi Jobi tantam erga hunc prophetam exhibuerunt compassionem, nequaquam conveniet, ut nos erga Dei Filium, nostri amore, proque nostra salute crucifixum, adeo simus omnis pietatis et gratitudinis expertes, ut tantum non recognoscamus beneficium, nec quicquam inde proficiamus, sed nostris peccatis ejus quotidie vulnera renovemus. S. Bernardus de Passione ait [4] : « Facit mihi « fortitudo, sed si accesserit etiam imitatio, ut « sequar vestigia ejus; alioquin etiam a me exqui- « retur sanguis justus, qui effusus est super ter- « ram, nec immunis ero ab illo tam singulari « scelere Judæorum, quod videlicet tantæ charitati « ingratus fuerim, quia conculcaverim Filium « Dei. » Quando Jacob filiorum dictis fidem adhibens, sibi persuasum habuit, videns vestem Josephi sanguine manantem, eum a fera pessima fuisse dilaceratum, amarissime plorare cœpit et quasi inconsolabilis *indutus est cilicio, lugens multo tempore.* Qua igitur ratione fieri poterit, ut nos humanitatem Filii Dei, non ab alia fera, quam a feritate et truculentia malitiæ nostræ, laceratam videntes, siccis eam oculis intueamur? Et non solum non vestiamur cilicio, verum etiam inter molles plumas quiescere, deliciisque vacare præsumamus? Audite, obsecro, quam acri comminatione Deus contra ejusmodi ingratos homines per os Amos prophetæ detonet [5] : *Væ qui separati estis in diem malum,* inquit, *et appropinquatis solio iniquitatis.* At vero quænam est hujus illis comminatæ æternæ damnationis causa? Hanc subdit, inquiens : *Qui dormitis in lectis eburneis et lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti; qui canitis ad vocem psalterii, bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph.* Ubi observanda est vox *contritione*, alludit enim ad veri Salvatoris mundi, per Josephum præfigurati, excessivum dolorem, ut tanto magis pateat turpissima et inexcusabilis ingratitudo nostra; de qua etiam S. Antoninus in hæc verba scribit [1] : « Ostenditur magnitudo « doloris ratione paucitatis fructus, seu utilitatis « ipsius, ex parte ingratitudinis hominum. Nam « cum copiosa fuerit apud Deum Redemptio, adeo « quod pretium sanguinis ejus nedum ad homines « redimendos erat sufficiens, sed ad mille mundos « si fuissent : et tamen pauci sunt, qui se faciant « participes fructus ipsius passionis, propter desi- « diam et ingratitudinem hominum. Sicut enim « quis ex magno lucro, quod videt se consequi ex « suo labore, multum consolatur; ita e contrario « cum quis maximo labore, quem tolerat, videt se « consequi modicum fructum, vel nullum, contri- « statur et dolet multum. » Consideratione quoque digna sunt verba illa S. Bonaventuræ, quibus crucifixum alloquitur, dicens [2] : « Nisi cor meum dolo- « ribus tuis aperiatur, nefandissimus vitiis aperietur « Nisi sciat latitare in vulneribus tuis, a latronibus « plagis impositis spoliabitur. » Quia non solum inæstimabilem quemdam amittemus thesaurum, cujusmodi est sanguis Redemptoris nostri, si erga illum ingratos nos exhibuerimus; verum insuper in irreparabilium et innumerorum malorum barathrum nos ipsos voluntarie præcipitabimus. Unde valde opportune monet S. Augustinus inquiens [3] : « Per- « pende, qui talem pro nobis dedit pecuniam (ubi « ad inæstimabile redemptionis nostræ pretium sub « hac metaphora alludit qualem a nobis sit exactu- « rus usuram. »

## DISCURSUS XIV.

### CHRISTUM NON PER PASSIONIS SUÆ INSTRUMENTA, SED PER PECCATA NOSTRA IN CRUCEM SUFFIXUM, IN EAQUE MORTUUM ESSE PROBATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Nostra peccata fuerunt instrumenta Dominicæ passionis. Christus innocens pro nostris peccatis in se assumptis patitur. — 2. Propter nostra peccata percussit Deus Pater filium suum. Enumerantur nostra peccata, quæ Christum in sua passione cruciarunt. — 3. Complices delicti eamdem merentur pœnam. Quomodo inveniendus sit homicida Christi. — 4. Mortaliter peccando denuo crucifigimus Christum. — 5. Mirabili visione declaratur quomodo Christus nostris peccatis et specialiter choreis torqueatur. — 6. Quare Christus dixerit se tradendum in

[1] RUP. ABBAS, lib. III *in Joan.* — [2] JOB, II, 12. — [3] ORIGEN., l. III *Job.* — [4] S. BERN., serm. *in Fer.* IV *Hebdom. pœnosæ.* — [5] AMOS, VI, 3.

[1] S. ANTONIN., p. 4 — [2] S. BONAVENT., *Stim. amor.*, c. 15. — [3] S. AUG., serm. 41 *in Append. de divers.*

manus peccatorum non vero Pharisæorum aut Pilati. — 7. Continuatio ejusdem argumenti. — 8. Christus in cruce lacrymando deflevit nostra peccata non suos dolores.

*Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Isa., LIII, 5.

**1.** — Quando corporis et multo magis cordis oculos in crucifixum Redemptorem nostrum defigimus, necessum est ut intelligamus, serioque intra nos ipsos ruminemus, patibulum, spinas, clavos, qui ipsum transfixerunt, non alia fuisse quam nostra peccata. Unde perspicuis verbis per os Prophetæ Evangelici dicitur : *Vulneratus est propter*, etc. Ubi S. Hilarius ait [1] : « Vulneratus est, sed propter « iniquitates nostras; nam quamvis sit vulneratus, « non tamen iniquitatis suæ vulnus est et quicquid « patitur, non sibi patitur. » Prophèta quidem Regius inquit [2] : *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Verumtamen quis est, qui nesciat, quot flagellis hic Altissimi Filius in prætorio Pilati fuerit excarnificatus? At vero dices : justitia requirit, ut ubi non est culpa, locum quoque non habeat pœna; cum igitur Christus liberrime dicat [3] : *Quis ex vobis arguet me de peccato*; cur tormentis exagitatur? Pro hujus difficultatis resolutione necessum est, ut in memoriam revocemus verba illa S. Petri : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis.* Ipsemet quoque Redemptor diu ante per os Psalmistæ dixerat [4] : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores;* quid mirum igitur, si tot flagella in innocentissimum ejus corpus desævierint, quando ipse peccatis nostris onustus erat, utpote quæ sibi assumpserat, ut pro iis velut propriis satisfaceret? In psalmo XXI, qui ut ex decursu ejus videre licet, ad Passionem alludit, claris verbis dicitur [5] : *Longe a salute mea verba delictorum meorum;* ubi S. Augustinus ait [6] : « Quomodo dicit, delictorum « meorum, nisi quia pro delictis nostris ipse pre- « catur et delicta nostra sua delicta fecit? » Nostra enim peccata adeo sibi vendicavit et sibi imposuit, ut Apostolus ad Corinthios in hæc verba scribere non vereatur [7] : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Qui loquendi modus prima facie blasphemia esse videtur; horret enim animus audire, quod Filius Dei propter nos factus sit peccatum; ac proinde necessum est ut quoad illa verba, interpretationes doctoris angelici in medium adducamus, dicentis [8] : « Quia consuetudo veteris legis « est, ut sacrificium pro peccato peccatum nomine- « tur, *Ose*, IV. *Peccata populi mei comedent*, id est, « oblata pro peccato. Fecit igitur Deus Christum « peccatum, id est, hostiam vel sacrificium pro « peccato. » Secunda S. Thomæ interpretatio est : « Quia peccatum aliquando sumitur pro similitu- « dine peccati et tunc est sensus : Fecit eum sumere « carnem passibilem et mortalem. » Tertia expositio est : « Quia aliquando aliquid dicitur esse hoc « vel illud, non quia sit, sed quia opinantur homi- « nes ita esse et tunc est sensus : Fecit ipsum pec- « catum, id est, fecit eum reputari peccatorem. »

**2.** — Isaias priusquam diceret [1] : *Vulneratus est propter iniquitates nostras,* jam ante prædixerat : *Nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo.* Et in Psalm. LXXXVII Christus, in procelloso passionis suæ mari positus, ad æternum Patrem suum se convertens, inquit [2] : *Et omnes fluctus tuos induxisti super me. Confirmatus est furor tuus super me.* At vero cur Pater æternus adeo acerbe in Filium suum desæviit? Num forte oblitus erat se non semel sed bis cœlo et terræ manifestasse, quod dilectus Filius suus esset, dicendo [3] : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?* Aut si id oblitus non erat, quomodo igitur nunc illum non solum non agnoscit, verum etiam eumdem inter tot persecutionum et suppliciorum furibundas procellas penitus derelinquit, ut de eo dicatur : *Putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo;* ipseque Dei Filius dicere cogitur : *Super me confirmatus est furor tuus?* S. Hieronymus huic dubio in persona Redemptoris hoc modo respondet [4] : « Pro- « cellam macellationis furoris tui, quam in pecca- « tores effusurus eras, super me induxisti, qui « peccata eorum suscepi. » Enimvero nostra superbia Dei Filium adeo contemptibilem reddidit, ut inter latrones deputatus fuerit [5] : *Humiliavit enim semetipsum et cum sceleratis reputatus est.* Nostra arrogantia et præsumptio ipsum humiliavit non ad qualemcumque mortem, sed ad mortem crucis, quæ præ cæteris ignominiosissima, maximeque infamis existit : *Usque ad mortem, mortem autem crucis. Morte turpissima condemnemus eum* [6]. Unde et Judæi inverecunde protestati sunt, dicentes [7] : *Nolumus hunc regnare super nos.* Nostræ delectationes spinæ fuerunt, quibus ejus transfixa sunt membra. Unde non sine mysterio idem ille, qui ab hisce spinis transfigendus erat, in parabola de semine, inquit [8] : *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui a voluptatibus vitæ suffocantur.* Crapulæ, gulositates et ebrietates nostræ, ipsi fel, acetum, et myrrham præpararunt, ejusque palatum ardentissima siti cruciarunt. Transgressiones pariter linguæ nostræ, ad detractiones, contumelias, perjuria,

[1] S. HILAR., l. X *de Trin.* — [2] *Ps.* XC, 9. — [3] JOAN., VIII, 4. — [4] *Ps.* CXXIV, 3. — [5] *Ib.*, XXI. — [6] S. AUGUST., *Exposit.* — [7] II COR., V, 21. — [8] S. THOM., *ib.*

[1] S. THOM., *ib.* — [2] ISA., LIII, 5. — [3] *Ps.* LXXXVII, 8. — [4] MATTH., III, 17. — [5] S. HIER., *ib.* — [6] PHILIP., II, 8. — ISA., LIV, 12. — [7] SAP., II, 20. — [8] LUC., XIX, 14.

obscænitates et blasphemias prorumpentis, fauces illius, nec non et linguam ejus fellis amaritudine et sitis ardore afflixerunt. Avaritia nostra ipsum triginta denariorum pretio vendidit. Invidia nostra illum iniquo judici consignari fecit, ad eum mortis condemnandum [1] : *Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum.* Injustitia nostra ipsum Barrabæ latroni postposuit. Ambitio nostra Pilatum ad iniquam sententiam induxit [2] : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Falsa nostra testimonia falsos excitarunt testes, qui contra ejus innocentiam inique deponerent. Et sic de omnibus aliis humanæ malitiæ peccatis discurrere licet, quæ veluti totidem sævissimi carnifices pœnosam illius machinata sunt Passionem, utpote quæ ex nulla alia carnificina prodiit fabricata, quam ab humana impietate et malitia; unde æternus Pater illius merito protestatus est, dicens [3] : *Abscissus est de terra viventium; propter scelus populi mei percussi eum.* Unde Blosius unicuique Christiano crucifixum Salvatorem proponit, hisce ad compassionem vehementer excitantibus verbis singulos alloquentem [4] : « Vulnera-« tus sum propter iniquitates tuas, attritus sum « propter scelera tua, mortuus sum propter delicta « tua. » Merito igitur Dei Filius in faciem nobis protestatur, quod nostris sceleribus mors ei illata fuerit.

**3.** — Legibus salubriter statutum fuit, ut non minoris sit supplicii reus, qui alicui mortem machinatur per alium inferendam, quam si per semetipsum eam intulisset. Unde velut latro suspenditur, et ille qui latronem defendit, ejusque complex existit, eum juvando, sive per scalam, sive per aliud instrumentum, tametsi ipse non furetur. Verum quidem est, quod milites Pilati flagellaverint Christum, ejusque ministri et satellites ipsum crucifixerint, hi tamen idipsum fecerunt a Judæis instigati. Ac proinde S. Augustinus ad perpetuam memoriam, Judæorumque confusionem, ita scribit [5] : « Non dicant Judæi : Non occidimus Chris-« tum, etenim propterea eum dederunt judici Pi-« lato, ut quasi ipsi a morte ejus viderentur « immunes. Iniquitatem facinoris sui in judicem « hominem refundere volebant, sed numquid Deum « judicem fallebant? Quod fecit Pilatus, in eo ipso « quod fecit, aliquantum particeps fuit, sed in « comparatione illorum multo ipse innocentior. » Et tametsi eum occidere tergiversati sunt, dicentes : *Nobis non licet interficere quemquam.* Pilatus quoque ait [6] : *Ego nullam causam invenio in eo* ; Judas similiter facti pœnitens, retulit triginta argenteos, dicendo [7] : *Peccavi, tradens sanguinem justum* : bonus latro in cruce pariter ipsum defendit inquiens [1] : *Hic autem quid mali fecit?* Cui igitur adscribenda erit ejus condemnatio? Siquidem omnes ejus contestantur innocentiam? In Deuteronomio Deus præcepit, dicens [2] : *Quando inventum fuerit in terra,* etc., *hominis cadaver occisi et ignorabitur cædis reus, egredientur majores natu, et judices tui, et metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum et quam viciniorem cæteris esse perpexerint,* etc., aliasque præceptiones in eodem loco fusius præscriptas imposuit, ut tandem in notitiam devenirent illius, qui auctor sceleris esset. Cum igitur Filio Dei in monte Calvariæ crudelis mors illata fuerit, omnesque ab illo scelere se immunes declarent, usque ad ipsummet præsidem Pilatum, dicentem [3] : *Innocens ego sum a sanguine justi hujus;* quid nobis faciendum erit, ut homicida illius innotescat? Deus præcepit, ut a loco cadaveris occisi metiretur spatium vicinarum civitatum, ibidemque offerretur sacrificium; incipiat igitur unusquisque nostrum filum ducere seriæ considerationis et per rigorosum propriæ conscientiæ examen sese discutere, an aliquando contra Deum commiserit peccatum, aut culpam; et utique intra semetipsum inveniet spinas, clavos, flagella, funes et catenas, quibuscum vinctus et ad montem Calvariæ raptatus fuit; nam ut Jeremias Propheta in Threnis ait [4] : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Et ideo B. Angela de Fulginio, quantumvis innocens et sancta esset, in suis tamen visionibus et revelationibus dixit [5] : « In aspectu « Crucis data est mihi major cognitio, quomodo « Christus mortuus fuerat pro peccatis nostris; et « tunc recognovi omnia peccata mea cum dolore « maximo et sentiebam quod ego crucifixeram « eum. » Ac proinde hanc ob causam Seraphicus Doctor cum affectu cordialissimo omnes rogabat fideles ne per suas transgressiones Redemptoris renovarent flagellationem, inquiens [6] : « Non Filium « Dei rursum flagellemus per delectationem pec-« cati, quia mitigandus est ejus dolor, non amplius « invocandus. » Et S. Paulus de recidivatione in peccatum ad Hebræos ita scribit [7] : *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes.*

**4.** — At vero inquies : quonam modo sacratissima Christi humanitas, quæ nunc in cœlo impassibilis ad dextram Patris residet, *quam adorant Dominationes, tremunt Potestates,* de novo crucifigi poterit? Hugo cardinalis super illa psalmi verba [8] : *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt,* inquit [9] : « Conscidit eum vulnere super vulnus, qui ini-« quitatem super iniquitatem apponit. » Cum enim sciamus, culpas nostras Dei Filio mortem intulisse; et nihilominus ab iis non desistimus, quantum est

[1] MATTH., XXVII, 38. — [2] JOAN., XIX, 12. — [3] ISAI., LIII, 8. — [4] BLOS., *Sacell. animæ,* c. 40. — [5] S. AUG., in *Ps.* LXIII. — [6] JOAN., XVIII, 33. — [7] Ib., 38. — [8] MATTH., XXVII, 4.

[1] LUC., XXIII, 41. — [2] *Deut.*, XXI, 1. — [3] MATTH., XXVII, 24. — [4] THREN., IV, 20. — [5] BOLL., 4 jan. — [6] S. BONAV., s. 1 *in Quinquag.* — [7] HEBR., VI, 6. — [8] *Ps.* LXVIII. — [9] HUG. CARD., *ib.*

ex parte nostra, clavos et spinas ad eum transfigendum præparatas habemus. S. Bernardus super illa verba : *Infixus sum in limo,* ad propositum nostrum opportunam affert considerationem. Cum enim constet, Christum ligno affixum fuisse, mirum est, quod Christus per Psalmistam dicat se infixum esse in limo; inter lignum namque et limum, magna est differentia. Sed facilis est responsio, si ad ea, quæ circa illa verba : *Rursum crucifigentes,* etc., diximus, nos reflectamus. Verumtamen pro clariori hujus intelligentia haud inutilis erit quæstio, si sciscitemur, quale sit illud patibulum, in quod Christum rursum crucifigentes suspendimus? Audite igitur ad hoc quæsitum respondentem S. Bernardum [1] : « Fortasse crux ipsa nos sumus, cui « Christus memoratur infixus; homo enim formam « crucis habet, quam si manus extenderit, expri- « mit manifestius. Limum quidem nos esse mani- « festum est, quia de limo plasmati sumus.» Christus igitur in nobis crucifigitur, quoties a nobis mortaliter offenditur. Unde ubi Vulgata nostra legit [2] : *Quoties exacerbaverunt eum;* Hebræus legit : *Quoties crucifixerunt eum.*

**5.** — Auctor quidam antiquus in sermone quodam sequens recenset exemplum [3]: Juvenis quidam, qui a primis annis Dei servitio deditus fuerat, orationisque exercitio vehementer addictus, hanc sibi gratiam aliquando a Deo concedi postulavit, ut sciret quidnam illud esset, quod homini ad divinam legem transgrediendam majus adderet incitamentum, divinamque ejus majestatem gravius offenderet. Cumque ante Crucifixi imaginem amare fleret hanc ei Deus ostendit visionem. Mox enim coram illo multi comparuerunt juvenes, ad choream faciendam sese congregantes, quorum unusquisque coram Crucifixo transiens, imagini Redemptoris in cruce suspensi specialem irrogabat injuriam; siquidem unus validum ictum dedit super clavos Crucifixi, alius super coronam spineam, eam ipsi fortius infigendo, ac demum e capite extractam pedibus conculcando. Tertius Crucifixum lachrymantem subsannabat. Quartus in faciem ejus expuebat. Quintus latus illius perforabat. Sextus vero eumdem blasphemabat. Unus autem, qui cæterorum caput et princeps erat, ad servum Dei se vertens, singularum actionum prædictarum declarabat mysterium, dicens : « Ego qui sum princeps inferni, « veni huc cum ministris meis, ut tibi exponam, « quod rogasti. Primo extensio brachiorum fit « in vituperium extensionis brachiorum Christi. « Secundo per sertum conculcatio coronæ capitis « Christi. Tertio per cantum vituperatio planctus « Christi. Quarto saltus fit in derisionem. Quinto « per ornamentum conspuitur Christus. Sexto per « lætitiam cordis aperitur latus Christi. » Idem vero auctor partim ad instructionem, partim in improperium illorum, qui choreis et tripudiis sunt dediti, hæc verba subjungit : *Vide, miser saltator et saltatrix, quod pejores estis Judæis, qui Christum crucifixerunt, et deriserunt in terris transeuntem; vos autem in dextera Patris in cœlo regnantem.* Ex quo exemplo evidenter deducitur injuria gravissima, qua impii Crucifixum afficiunt, utpote qui magis se æstimat a nostris peccatis torqueri, quam ab omnibus, quantumvis atrocissimis, passionis suæ instrumentis, quia clavi, spinæ, flagella, creatorem suum nunquam lacerare præsumpsissent, nisi Christus in habitu et similitudine peccatoris comparuisset.

**6.** — Observandum est, quod incarnata Sapientia in illa hora, quando suam in horto exorsura erat passionem, turbas armatas prope se videns, non sine mysterio dixerit [1] : *Ecce appropinquavit hora, et filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Cur enim non dixit : Tradetur in manus Pharisæorum, Scribarum, Sacerdotum et Pontificum contra ipsum sævientium? Cur non meminit Pilati, a quo coudemnandus erat? Quare ne verbo quidem tetigit tot supplicia, quibus se noverat esse cruciandum? Respondetur, quod solos nominaverit peccatores, quia non clavi, non Judæi, non Pilatus, sed peccatores duntaxat et peccata mortis suæ fuerunt instrumenta; ac proinde Origenes idipsum considerans, inquit [2] : « Utinam et in illorum peccato- « rum tantummodo manus Jesus traditus tunc « fuisset. Nunc autem arbitror, semper in manus « peccatorum traditur Jesus, quando hi, qui viden- « tur in Jesum credere, habent Jesum in manibus « suis, cum sint peccatores. » S. Cyprianus ad Redemptorem se vertens, devotos affectus suos hisce exprimit verbis [3] : « De morte non agis, de oppro- « briis non contendis, sed hoc vis intelligi, quæ « sit causa mortis, quis quæstus; ut utraque re « cognita, peccatum appareat, et gratia, et quanti « ponderis utrumque, rerum probet effectus, cum « originali morti nullum nisi in Christi morte po- « tuerit esse remedium, nec reconciliare Deo potue- « rit exules et damnatos quælibet oblatio, nisi « sanguinis hujus singulare sacrificium. » Considerationem quoque meretur, quod idem sanctus Pater ibidem subnectit, scilicet, quod licet Deus sine crucifixione Filii sui omnium peccatorum nostrorum debita nobis condonare potuisset, nihilominus per hoc cruentum sacrificium nobis ostendere voluerit, quantæ malitiæ sit peccatum, et quam pestiferum sit ejus venenum, utpote quod fonti æternæ vitæ adsciscere potuit mortem. En verba ipsius [4] : « Et sine hoc holocausto poterat « Deus tantum condonasse peccatum, sed facilitas « veniæ laxaret habenas peccatis effrænibus, quæ

[1] S. Bern., s. 4 *in Virg. Nativ.* — [2] *Ps.* xxxvii, 4. — [3] Meffr., serm. *in decol. S. Joan. Bapt.*

[1] Matth., xxvi, 45. — [2] Orig., tr. 35 *in Matth.* — [3] S. Cyprian., *de Pass.* — [4] Idem, *ibid.*

« etiam Christi vix cohibent passiones, quæ vix « sceleratos animosa voluptatum fæce evellunt. » Et vero id quod in hoc S. Cypriani discursu advertendum esse censeo, est, quod dicat : « De morte « non agis, sed hoc vis intelligi, quæ sit causa mor- « tis, » quasi dicere vellet : Christus non magni fecit flagella, sudorem sanguineum, spineam coronam, derisiones, clavos, crucis patibulum, et quæcunque alia, quia hæc omnia cum jubilo sustinuit ; at vero quod acerbissimos illi dolores causavit, fuit mortis suæ causa, id est, vestra peccata. Atque hinc est quod S. Bonaventura merito peccatorem moneat, dicens [1] : « Potius debet flere peccator « vulnera animæ suæ, pro quibus Christus patitur « quam vulnera quæ corpus Christi patitur. »

**7.** — Christus Dominus per os regii Prophetæ olim lamentabatur, dicens [2] : *Consolantem me quæsivi, et non inveni, et sustinui qui simul mecum contristaretur, et non fuit.* At vero dicet aliquis : nunquid Angelus e cœlo missus fuit, ad eum in horto consolandum ? Nunquid eum deplorarunt filiæ Jerusalem ? Præterquam quod credibile sit, quod de ipsius tormentis, et illatis injuriis ipsimet doluerint Apostoli, tametsi fugerint, quemadmodum et alii occulti ipsius discipuli, licet se non manifestarent ; qua igitur ratione conqueri potest, quod non invenerit se consolantem ? Pro resolutione hujus dubii observandum est, omnes prædictos quidem ei fuisse compassos, ob tormenta acerbissima, quibus per totum pœnosissimæ passionis suæ decursum afflictus fuit : at vero Redemptor noster non tristabatur, neque dolebat de tormentis et doloribus corporalibus, sed de illorum causa, id est, peccatis nostris ; et quoad hæc, quantum ex Scriptura scimus, nullus fuit, qui pro illis aliquod ei attulerit solutium. Porro multi etiamnum hodie reperiuntur zelosi Christiani, sed non secundum scientiam, qui ad iram accenduntur et vindictam adversus Judæos, præcipue in septimana sancta, eo quod crucifixionis Filii Dei fuerint auctores, nec tamen considerant, aut se reflectunt ad seipsos, tanquam qui in crucifixione majorem partem habuerint, propter multa et gravia peccata, quibus Filium Dei mortaliter offendunt, et de novo crucifigere conantur : *Rursum sibimetipsis crucifigentes.*

**8.** — S. Bonaventura causam subindicat lachrymationis Christi (de qua S. Paulus ait [3] : *Cum clamore valido et lachrymis*) dicitque, fletum hunc non a tormentorum violentia, neque ab atrocitate dolorum, sed a peccatorum nostrorum malitia fuisse causatum [4] : « Plus, inquit, peccata nostra « lugebat, quam pœnam suam : plus compatiendo « nobis quam sibi. » Simon de Cassia sequentem nobis scriptam reliquit exhortationem, in qua ait : « Contra nostram pravam nequitiam animemur, « et nos ipsi nostri judices simus. Vindicemus in « nobis injuriam Domini nostri, et quantum possu- « mus, nos conculcemus, dicentes unusquisque « intra se : Si pro peccatis meis Dominus meus ita « vilificatus est et afflictus, quomodo meæ vilitati « et afflictioni parcere potero, qui peccavi ? » S. Anselmus in dialogo de passione, hanc a Salvatore nostro postulat gratiam, inquiens [1] : « Tuæ « vivificæ morti famulum tuum configura, faciens « in me, ut moriar quidem peccato secundum car- « nem, vivam autem justitiæ secundum spiritum. » Enim vero qui continuo vult vivere sanus, sibique cavere ab infirmitatum recidivis, huic omnino necessum est, ut recordetur amaritudinis, et dispendii remediorum, quibus in præterita infirmitate usus fuit. Christianus autem, ut se præservet a mortalibus animæ suæ infirmitatibus, apprehendat doctrinam, quam S. Bernardus his verbis ei scriptam reliquit [2] : « Agnosce o homo, quam gra- « via sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum « Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mor- « tem, et ad mortem sempiternam, nunquam pro « eorum remedio Dei Filius moreretur. »

[1] S. Bonav., s. 4 *in Dom.* IX *post Pent.* — [2] *Ps.* LXVIII, . — [3] Hebr., V, 7. — [4] S. Bonav., *Stim. amor.*, c. 8.

## DISCURSUS XV.

EX CRUCIFIXIONE FILII DEI IN NOTITIAM DEVENITUR GRAVITATIS PECCATI : CUJUS IPSA ATTENTE CONSIDERATA FRÆNUM EXISTIT.

Idea sermonis. — 1. Christi crucifixi passio efficaciter nos refrænat a peccatis. — 2. Mirabile exemplum rigidæ justitiæ. Hujus exempli applicatio. — 3. Mirum est post passionem Christi hominem amplius peccare. — 4. Nullus tam obstinatus est peccator qui ad spectaculum crucifixi non emolliatur. — 5. Funiculus coccineus Raab, figuravit sanguinem Christi. Judas ad Christi passionem compunctus, salvatus fuisset, si non desperasset. — 6. Bina percussio silicis in deserto, figuravit passionis Christi memoriam et effectum. — 7. Per memoriam passionis Christi mundamur a peccatis. Patet in Eunucho Reginæ Candacis. Passio Christi movere nos debet ad ultionem sumendam de peccatis. Cur S. Job in conspectu filiorum jugulaverit vitulum in sacrificium pro peccatis.

*O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus ?* Gal., III, 1.

**1.** — S. Paulus, licet summe sapiens et in cœlo ab ipsomet Deo immediate eruditus, se tamen intelligere aut capere non posse fatetur, qua ratione Galatæ ad prævaricandum induci potuerint, quippe qui crucifixum Redemptorem oculis suis habebant propositum. Estius porro prædicta Apostoli verba sic exponit [3] : « Propositus est Christus,

[1] S. Anselm., *Dial. de Pass.*, c. 17. — [2] S. Bern., ser. 3 *in Nat.* — [3] Estius, *ib.*

« perinde ac si apud vos esset crucifixus, ut non « minus, imo vero magis certius illum crucifixum « fidei oculi aspexeritis, quam multi eorum, qui « coram viderunt eum crucifigi. » Ex quibus verbis clare deducitur, quam sit efficax Crucifixi passio ad refrænandum nos à peccatis, vincendamque omnem nostram obstinationem atque duritiem. Unde et S. Augustinus exclamabat, dicens [1]: « Fra- « tres, ut a peccato sanemur, Crucifixum intuea- « mur. » Etenim Filius Dei per mortem suam non solum genus humanum redimere voluit, verum insuper sanguinem et vitam suam prodigendo, vivam nobis inserere intendit infinitæ gravitatis peccati notitiam, utpote quæ causa fuit ut crucifigeretur. Homo enim divinæ justitiæ debiti cujusdam insolubilis et immensi debitor erat, quod debitam satisfactionem et persolutionem promptam, et adæquatam postulabat : at vero quonam modo hocce debitum persolutum fuit? S. Paulus de Christo, quem Pater æternus ad solvendum divinæ justitiæ omnia debita nostra elegerat [2] : *ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum,* in hæc verba scribit : *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Tametsi enim æternus Pater unicum filium haberet, illum tamen ad abolenda peccata, illisque satisfaciendum in hanc terram misit ; unde Apostolus ait [3] : *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit. sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

**2.** — Cæsarius Heisterbacensis [4] memorabile quoddam facinus de viro quodam potenti et nobili, magnoque justitiæ zelatore, cui nomen Erkenbaldus de Burbach refert (quod licet multas patiatur oppositiones, nihilominus quia vel usus illarum regionum, vel personæ qualitas ipsum quadantenus excusare potuit, ad scriptoris me remitto auctoritatem). Cum enim hic dominus graviter infirmaretur, magnum in anticamera audivit strepitum, et clamorem, veluti a muliere quadam editum. Cumque a circumstantibus clamoris causam sciscitaretur, nec tamen ullus eam ipsi manifestare auderet, cuidam servorum sub gravis pœnæ comminatione, ut veritatem sibi diceret, præcepit : qui tandem ingenue ei fassus est, nepotem ipsius cuidam mulieri vim inferre conatum fuisse. Mox igitur dominus graviter indignatus, militibus suis, ut nepotem suum confestim strangularent, præcepit. Qui cogitantes dominum ex hac infirmitate brevi moriturum, ex altera vero parte considerantes, quod exequendo domini sui præceptum, notabile parentibus adolescentis illius illaturi essent damnum, dominum de veloci præcepti impositi executione reddiderunt securum, imo post aliquot horas eidem domino mortem nepoti reo illatam fuisse significarunt. Post quinque vero dies nepos patruum sibi placatum et reconciliatum esse existimans, cameram in qua infirmus jacebat, ingressus, ad lectum accessit. Obstupuit languens, utpote qui eum jam strangulatum fuisse crediderat ; veruntamen iram dissimulando, benignis ipsum verbis ad se propius accedere, et super lectum suum sedere jussit ; moxque uno brachio collum ipsius stringens, alia vero manu cultrum extrahens, eundemque in fauces illius defigens, necavit. Accidit autem, quod dum post aliquod tempus infirmitas aggravaretur, ab Episcopo sacram sibi communionem porrigi postulavit ; qui personaliter accedens eundem sibi magna cum contritione peccata sua confitentem audivit, at vero quia de nepotis sui homicidio se non accusaverat, Episcopus illum ad hoc quoque in confessione deponendum adstrinxit. Interrogantique infirmo : « Fuit ne hoc peccatum? « Subjecit Episcopus : Etiam, et crudele nimis. Et « ille : Ego neque peccatum judico, neque a Deo « mihi remitti deposco. Respondente Episcopo : « Ego vobis Christi corpus non tradam, nisi parri- « cidium idem confiteamini ; subjunxit vir nobilis : « Sciatis, Domine, me illum non occidisse ex « aliquo rancore, sive motu iræ, sed solummodo « ex Dei timore, zeloque justitiæ ; nunquam ali- « quis filium sororis plus diligere potuit, quam ego « illum dilexi. Si mihi corpus Domini mei negave- « ritis, ego illi corpus et animam meam committo. « Hæc autem dixit, et egit, propter exemplum, ne « justitiæ et judicio derogare videretur. Vix Ponti- « fex limen domus egressus fuerat, et ecce ægro- « tus eum revocavit, dicens : Revertimini, et « videte, si in pixide habeatis corpus Christi ; quod « cum fecisset, nec aliquid in ea reperisset, sub- « junxit ille : Ecce quem mihi negastis, ipse se « mihi non negavit apparuitque hostia in ore ejus, « et impletum est in eo quod per Sapientiam « dictum est : Diligite justitiam, qui judicatis « terram ; sentite de Domino in bonitate, et « simplicitate cordis quærite illum, » Verum enim vero factum hoc nullam habere proportionem cum illa justitia, quam Pater æternus adversus filium suum exercuit : nepos enim ille enormis delicti reus erat, de Filio autem Dei dicitur : quod sit *splendor paternæ gloriæ, et figura substantiæ ejus* ; et ideo innocentissimus erat ; et tamen *proprio Filio suo non pepercit,* etc. *ad ostensionem justitiæ suæ ;* imo licet sæpius æternus Pater hoc de Filio suo perhibuisset testimonium : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui ;* attamen *propter scelus populi sui percussit eum,* et necem intulit, ut divinæ justitiæ per nostra, non vero sua, peccata irritatæ satisfaceret.

**3.** — Dionysius Carthusianus in principium cap. XVIII S. Joannis scribens, inter alia motiva, ob

[1] S. Aug. — [2] Rom., VIII, 32. — [3] Ib., III, 23. — [4] Cæsar., l. IX, c. 38.

[1] Hebr., I, 3.

quæ Christus mortem subiit, hoc quoque recenset[1] : « Ut innotescat, quam enorme et grave sit peccatum, pro cujus expiatione oportuit pati unicum « Filium Dei, et justitia Dei appareat, quæ maluit « occidi Filium suum dilectum, innocentem, quam « peccatum remanere inultum, aut inexpiatum.» Considerastisne aliquando verba illa [2] : « In præcedentium delictorum remissionem? » Ex hisce namque sequi videtur, Christi sanguinem ejusque crucifixionem solum in remissionem eorum peccatorum, quæ ad illud usque tempus commissa fuerant, non vero omnium aliorum quæ ad finem usque sæculorum committenda erant, utilem et efficacem futurum esse : quod utique nemo orthodoxus concedet. Sed respondetur, S. Paulum per omnem suam altissimam intelligentiam nequaquam capere potuisse, animam aliquam adeo futuram esse ingratam, ut post Christi Passionem Deum amplius offendere præsumeret utpote qui vidisset, vel saltem crederet, eumdem Deum unigenitum Filium suum pro peccati sui expiatione confixisse in crucem, exindeque capere posset, quam grave pondus in se peccatum contineat. « Nonne est hoc nequissimum, » inquit S. Bonaventura [3] « quod post « tam admirabile, et fructuosum tuæ passionis « beneficium, non cesso peccare in conspectu « oculorum tuorum, ac si tua passio nihil esset. » S. Vincentius Ferrerius pariter hoc punctum tangit, dicens : « Quia per hoc est homini indita major « necessitas, se immunem a peccato conservandi, « quando se sanguine Christi redemptum cogitat a « peccato, secundum illud : *Empti enim estis pretio magno.* » Quæ consideratio a S. Thoma Aquinate desumpta esse videtur [4].

**4.** — Potentissimus ad coercendam omnem Dei offensam frænum est, si quis oculum ad crucifixum devoto corde erigat. Neque enim aliquis est peccator adeo habituatus et inveteratus, qui hoc spectaculum intuens, peccata sua non detestetur. Unde Glossa ait : « In crucifixo discitur, quod vetus « homo crucifixus est, ut non serviatur peccato. » Inter alios discursus quos cœlestis Magister cum Nicodemo, Synagogæ principe, qui eum a cruce depositurus erat, miscuit, unus hic fuit [5] : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Etenim in deserto Hebræi, inter quos utique aspides surdi et obstinati fuerunt, licet a serpentum morsibus læsi mortifero horum veneno intumuissent, mox tamen ut ad illud erecti serpentis simulacrum Crucifixi typum, oculos suos elevarunt, curati fuere; ut per hoc nobis insinuaretur, quod ad curandum peccati venenum, nullum sit præsentius et efficacius remedium, quam si quis mentem ad Passionem Christi considerandam elevet. Quis enim adeo reperietur inhumanus, et barbarus, qui non compungatur, si illum, a quo a servitute redemptus fuit, et qui pro ipso vitam suam prodegit, dilaniari et dilecerari videat? Quis talem persequi, aut male tractare audebit? Nonnulli auctores, referente S. Bonaventura, asserunt, quod sanguis arietis duritiam confringat, et comminuat adamantis : « Sanguine hirci, inquit Seraphicus [1], adamas frangi « dicitur, sed heu sanguine Christi cor tuum non « frangitur. » Citatque auctoritatem S. Bernardi, dicentis [2] : « O duri et obdurati Adam filii? quos « non mollit tanta benignitas, tanta flamma, tam « ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui « pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces ex« pendit! » S. M. Ecclesia a Spiritu sancto provide gubernata, tepiditatis et frigiditatis filiorum suorum, nec non obstinationis et inveteratæ consuetudinis multorum gravissimis peccatis immersorum probissime conscia, ut eosdem ad confessionem et communionem annuam legitime faciendam facilius inducat, per duas septimanas diem Paschatis præcedentes, officium de amara Christi passione solemniter celebrat ; ut hujus consideratione compunctionem cordis, veramque pœnitentiam concipere valeant. « Vulnera enim Christi, » ut S. Bonaventura ait [3] : « corda saxea vulnerant, « et mentes congelatas inflammant, et pectora « adamantina liquefaciunt præ amore. » In vita S. Philippi Nerii legitur, quod certus quidam juvenis, qui nuper peccata confitendi gratia Philippo adhæserat, ad illatæ sibi injuriæ offensam condonandam induci nullatenus poterat, et quamvis Pater diversis uteretur argumentis, ut eum a pertinacis animi sententia dimoveret, in dies tamen obstinatior evadebat. Tandem aliquando Philippus, Crucifixi imagine correpta, ac spiritus fervore concepto : Respice huc, dixit, infœlix, et quem pro te sanguinem Christus effudit, intuere, qui crucifigentibus non modo pepercit, sed iis etiam a Patre indulgentiam efflagitavit. Procumbe ergo in genua. Interim verba profert, quæ cordis ejus duritiem egregie exprimebant atque juvenis genu flexo obmutuit. Paulo post ex improviso exsurgit : Paratum cor meum, inquit, paratum cor meum Pater : omnem prorsus injuriam remitto ; jube quid faciam Atque ita pius pater ac prudens, filium lucrifecit.

**5.** — Funiculus coccineus e fenestra Raab Hierichuntinæ suspensus, omnem compescuit exercitus impetum, ne in communi exterminio domus quoque illa subverteretur, nec ullum paterentur damnum, omnes quotquot in eam se recepissent [4] :

[1] Dion. Cart., *in Joan.*, c. 18. — [2] Rom., viii, 32. — [3] S. Bonav., *Stim. amor.*, c. 2. — [4] S. Ving. Ferrer., in *Parascev.* — [5] S. Thom. — [6] Joan., iii, 14.

[1] S. Bonav., s. 4 *in Parasc.* — [2] S. Bern. — [3] S. Bonav., *Stim. amor.*, c. 1. — [4] Jos., ii, 18.

« Funiculus coccineus sanguis Christi, » inquit Glossa Interlinearis. Multo vero melius ad nostrum propositum Beda ait [1] : « Nihil est, quod magis « nefarios et profligatos homines a peccando co- « hibeat, quam dum recolunt pro eis Christum « passum fuisse. » Et vero quis unquam reperiri poterit enormioribus in peccatis magis habituatus bono latrone? Qui totam vitam suam in homicidiis, latrociniis et assassiniis committendis transegerat, quique etiam postquam suspensus fuit in cruce, simul cum sodali suo eum blasphemaverat, dicente S. Matthæo [2]: *Idipsum et latrones, qui crucifixi erant cum ipso, improperabant ei.* Quonam vero modo idem ad detestanda peccata sua inductus fuit, ut diceret : *Nos quidem juste, nam digna factis recipimus : hic autem quid mali fecit?* Audite S. Ambrosium dicentem [4] : « Scivit, quod illa in cor- « pore Christi vulnera non essent Christi vulnera, « sed latronis; atque ideo plus eum amare cœpit, « postquam in corpore ejus vulnera recognovit. » Vulnera igitur Redemptoris aspexit, hæcque in hanc impresserunt notitiam, quod scilicet Redemptor non pro peccatis propriis, sed suis moreretur, quodque vulnera illa in pœnam scelerum suorum sibi deberentur. Judas tametsi tribus annis scholæ Christi discipulus, necnon vitæ et miraculorum Christi, humanæ naturæ vires super excedentium, testis oculatus fuisset, nihilominus semper mansit obstinatus, atque post tot a Christo ei exhibitas amoris suis demonstrationes, nequicquam motus fuit, prout suo loco fusius dicetur. At vero quando vidit, vel audivit, quod Dei Filius tanta cum æquanimitate et patientia sua toleraret vulnera, totque injurias, insultus, alapas, flagella, spinas, et alia innumera tormenta [5] : *Tunc videns* (nota illud verbum *Tunc videns*) *quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum.* Et vero nisi per suam pusillanimitatem in barathrum lapus fuisset desperationis, utique recepisset sceleris sui veniam, prout S. Petrus obtinuit perjurii sui remissionem, Unde colligitur, quod ad perditum hunc discipulum compungendum majorem in se virtutem habuerit Christi Passio, quam quicquid boni a Christo in vita sua factum, vel dictum fuisse sciverat, vel audierat.

**6.** — Petra in deserto non semel, sed bis virga percussa fuit [6] : *Percutiens virga bis silicem.* Virga autem Mosaica, prout in Officio divino festi sanctæ Crucis legitur, symbolum erat ligni illius in quo suspensus pependit Christus crucifixus, de quo Apostolus ait [7] : *Petra autem erat Christus.* Bis autem hæc petra percussa fuit, ut hac ratione signum istud formaretur. Sed *omnia in figura contingebant illis*; nam ut Cæsarius ait [1] : « Petra, cordis est du- « ritia; virga, crux Dominica; percussio, Passionis « Christi recordatio; petræ scissio, cordis est com- « punctio. Bis Moyses, ut legitur, percussit silicem, « et tunc primum profudit aquam. Primus ictus per- « tinet ad Passionis Christi memoriam. Secundus « ad passi compassionem. Judæus silicem semel « percutit, quia Christum passum quandoque cogi- « tat, sed non compatitur; et ideo cor ejus scindi « non potest ad lacrymas, quibus abluat sua pec- « cata. Tu vero si cogitationi compassionem addi- « deris, petram bis percutis, et vix esse poterit, « quin cor tuum non scindatur ad compunctionem, « et flumina lachrymarum inde erumpentia per « oculos exeant. » P. Rho de Venerabili Joanne Avila, eximiæ sanctitatis viro, factum quoddam refert ei, quod paulo ante de S. Philippo Nerio retulimus, haud multum dissimile, ita enim scribit [2] : « Hominem veterum irarum, odiique obstinatis- « simi, multis nequicquam rationibus oppugnatum, « ut illud exuere vellet, et quicquid esset inimici- « tiarum, deponere; ut se nihil proficere animad- « vertit, rogavit ad extremum flexis ante Crucifixi « signum genibus, oculisque in illud defixis, semel « orationem Dominicam precari ne abnueret. Paruit « ille, ut molestum a se monitorem abigeret; sed « vix eam precem absolverat, cum totis artubus « contremiscens, ad Avilam revertit, ac se impe- « rata facturum exclamat : nolle omnino se, nolle « ita sibi supremo in judicio iratum esse Dominum, « ut se oranti ostenderat. »

**7.** — Ven. Beda illum considerat passionis specialem fructum, quem S. Paulus diu ante tetigerat; ita enim scribit [3] : « Sicut dicit Apostolus : *Vetus « homo noster simul crucifixus est cruci cum illo, ut « evacuetur corpus peccati, ut ultra non serviamus « peccato.* Quandiu id agunt opera nostra, ut eva- « cuetur corpus peccati, et quamdiu exterior homo « corrumpitur, ut interior renovetur de die in diem, « tempus est crucis. » Ubi in primis observandum est verbum, *vetus homo*; per hunc enim homo inveteratus in peccato intelligitur. Observandum quoque verbum *corpus peccati*; per hoc enim quædam scelerum congeries significatur. Verba autem illa; *Ultra non serviamus peccato,* hunc habent sensum, ac si Apostolus diceret, quod passionem Christi recogitantes, nos a servitute et tyrannide culpæ eximamus, veramque acquiramus filiorum Dei libertatem. Porro Jeremias Propheta quærit [4] : *Si mutare potes æthiops pellem suam?* quasi diceret : impossibile, vel saltem difficillimum est, ut habituatus peccator reducatur ad pœnitentiam. Hujus autem sententiæ occasione in memoriam mihi incidit Æthiops ille Eunuchus, Reginæ Candacis thesaurarius, qui licet vir infidelis, et Reginæ cujusdam

[1] Beda, *ib.* — [2] Matth., 44. — [3] Luc., xxiii, 4. — [4] S. Ambr., s. 40. — [5] Matth., xxvii, 4. — [6] Num., x. — [7] I Cor., x, 4.

[1] Cæsar. — [2] Rho, *Hist. virt.* — [3] Beda, hom. *in Marc.*, c. 15. — [4] Jerem., xiii, 13.

etiamnum idololatræ aulicus et minister esset, nihilominus ad sanctam fidem nostram fuit conversus, adeoque pellem suam, ut ita dicam, mutavit. Et quidem in Christianæ Religionis mysteriis adeo efferbuit, ut obviam habens in itinere aquam, rhedam suam subsistere jusserit, et S. Philippo apostolo dixerit [1] : *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Cui S. Philippus respondit : *Si credis ex toto corde, licet, et respondens ait : Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Baptizavit eum : Ibat autem per viam suam gaudens.* At vero scirene cupitis, undenam hujus hominis derivata fuerit conversio, tamque notabilis mutatio? Ex eo videlicet, quod sacer textus subdit : *Accurrens Philippus, audivit eum legentem Isaiam Prophetam ; locus autem Scripturæ quem legebat erat hic : Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Ecce tibi serio meditatæ Passionis fructum, scilicet quod animam Æthiopis instar nigram, in candidam, puramque convertere valeat columbam. In litteris annuis Societatis Jesu sequens factum fol. 115, ann. 1598, contigisse legitur. Nam P. Simon Saba in relationibus historicis Indiæ Orientalis P. Simenti scribit : « Regulum « quemdam gentilem Obonem nomine, cum audis- « set crucem, et ejus indigna morte mulctatum Dei « Filium, ira accensum dixisse : Ecquis tam im- « mane facinus perpetrare ausus est? Quæ gens? « Quæ natio? Quibus in terris habitat? Quo no- « mine vocatur? Et quasi illico pœnam exacturus, « quæsivit, an esset adhuc in terris aliqua vena « superstes, vel reliquia illius gentis, quæ Christum « occiderat. Unde placari debuit homo, dicendo, « Deum ultro se morti obtulisse. Sed contra ille : « Esto, inquit, at vero i'li Deum vera prædicantem « occidere debuerunt? » Huic autem Regulo (utpote homini infideli, et consequenter pessimo) responderi poterat, quod Nathan Davidi respondit, inquiens : *Tu es vir ille.* Quia unusquisque homo per suum peccatum Filio Dei necem infert, adeo ut vel unicum duntaxat peccatum ad eum crucifigendum sufficiat.

**8.** — Dio refert [2], quod postquam Marcus Antonius in morte Caio Cæsari illata ad populum perorans, vestem occisi Cæsaris sanguine totaliter rigatam monstrasset, universum populum adversus occisores adeo excitarit, ut justam de illis sumi vindictam postularint. Eumdem quoque ritum S. M. Ecclesia in die Veneris sancto observat, dum in fine concionis populo Crucifixum exhibet, ut illum ad vindictam excitet, non de Judæis, vel Pilati militibus, sed de propriis vitiis, inordinatis passionibus et peccatis sumendam ; et ad veram agendam pœnitentiam, sola enim peccata Christum in Crucem egerunt. Sanctus propheta Job quotidie pro filiis suis offerebat sacrificia, ut illos a peccatis immunes servaret. Porro Vaticana, Origenes, Olympiodorus, et Chrysostomus in Catena Græca legunt : « Offere- « bat sacrificium, et victimas pro ipsis, juxta nu- « merum eorum, et vitulum unum pro peccato. » At vero vultisne, ut vobis hujus pro peccato oblati vituli declarem mysterium? Ab Origene idipsum discatis, qui ait [3] : « Propterea vitulum illum coram « filiis pro peccatis jugulavit, ut videntes filii ipsi, « quod pro alienis peccatis ille vitulus jugulatus « moreretur, paventes essent ab omnibus peccatis, « quæ animas perimunt et dilacerant. » Ex quibus Origenis verbis tale licet formare argumentum : Quod si hic vir a Deo tantopere illuminatus existimavit, vitulum in conspectu filiorum suorum jugulatum, et in sacrificium oblatum, illis posse loco fræni servire, quo a peccatis arcerentur ; quanto magis unumquemque Christianum ab omni transgressione refrænare poterit spectaculum Crucifixi, non ab alio carnifice, quam a peccato nostro jugulati? S. Bonaventura proinde non immerito dixit [3] : « Domine Jesu, ferrum, tuam creaturam insensibi- « lem, voluisti tuum corpus vulnerando intrare, et « me tuam creaturam rationalem intrare per jam « facta vulnera non permittis? Quid est hoc? Nun- « quid cor meum est durius et vilius omni ferro? » Aperiamus igitur portam, ut in his vulneribus requiescamus, si veræ et solidæ devotionis mel sugere volumus. S. Bernardus in sermone quodam ait [4] : « Quis tam irreligiosus, qui non compungatur? « Quis tam insolens, ut non humilietur? Quis tam « iracundus, ut non indulgeat? Quis tam deliciosus, « ut non abstineat? Quis tam flagitiosus, ut non « contineat? Quis tam malitiosus, ut non pœniteat? « Adest Passio Domini atque hodie terram movens, « petras scindens, aperiens monumenta. »

[1] *Act. Apost.*, VIII. — [2] DION., I, 44.

## DISCURSUS XVI.

CREATURARUM IN MORTE CHRISTI UNIVERSALIS COMMOTIO, ET PERTURBATIO, HOMINEM AD COMPASSIONEM, GRATITUDINEM, ET PŒNITENTIAM EXTIMULAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Cum Christo patiente, simul patiuntur omnes insensatæ creaturæ. — 2. Quare sub isto terræ motu non perierit universum humanum genus. — Sub isto passionis tempore cœlum et omnia elementa dederunt Christo testimonium divinitatis. Expenditur scissio petrarum.—3. Mons Alverniæ unus fuit montium, in passione Domini divisorum. — 4. Stupenda profunditas scissuræ montis Calvariæ. — 5. Adducuntur mysteria diruptorum lapidum. — 6. Per petras intelliguntur peccatorum indurata corda. Monumentorum apertio.

[1] ORIG., lib. I in *Joan.* — [2] S. BON., *Stim. amor.*, *c.* 2. — [3] S. BERN., in s. 4 *Hebdom. pœnosæ.*

*Velum templi scissum est, et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt.* Matth., XVII, vers. 51.

**1.** — S. Leo, in ser. 6 *de Passione Domini*, clavos, qui Redemptoris nostri manus et pedes perforarunt, eodem tempore elementa, cunctasque creaturas transfixisse existimat, dicens [1] : « Pendente in patibulo Creatore, universa creatura « congemuit, et crucis clavos omnia simul elementa « senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit « Hoc in communionem sui, et terram traxit, et « cœlum. Hoc petras rupit, monumenta aperuit, « inferna reseravit, et densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit. » S. Bonaventura per auctoritatem S. Hieronymi hanc totius naturæ perturbationem ponderat, inquiens [2] : « Compatiuntur elementa Conditori suo. Refugit sol, quia « non potest videre mortem Christi, collaborat « laboranti : sol obscuratur. » Porro de tenebris et solis eclypsi suo loco tractabimus : hic vero aliarum creaturarum considerabimus commotionem et perturbationem, per quam communem suam erga creatorem suum ostenderunt compassionem, simulque homini suam improperarunt duritiam et ingratitudinem, utpote qui Redemptoris sui passionem debita et convenienti compassione non honorat. Idem Seraphicus Doctor ibidem subdit : « Terra « movetur, petræ scinduntur, velum templi divi- « ditur, sepulcra aperiuntur, solus miser homo non « compatitur, pro quo solo Christus patitur. » Haymo Halberstadiensis Episcopus verba thematis nostri exponens, ita scribit [3] : « Juxta litteram commotio terra, et petrarum scissio, terrorem creaturarum significat, non sustinentium mortem « Domini sui. » S. Leo in quodam sermone *de Passione*, discursum suum ad incredulos Hebræos convertens, iisdem Filium Dei in monte Calvario deridentibus et subsannantibus in hæc verba improperat [4] : « Sed his vocibus vestris stultis, atque « blasphemis, reddunt omnia elementa responsum, « et unam in vos sententiam ferunt. Cœlum, terra, « sol, sideraque, indignos vos suo ministerio protestantes, terribili motu, insolitoque defectu, « tenebras mundo vestræ cæcitatis ostendunt. Quod « si ad arguendum vos, nec cœlestia, nec inferna « sufficiunt, et crucem Christi magis potuerunt « petræ, atque monumenta, quam corda vestra « sentire, saltem quod in templo actum est, scienter advertite. Velum, cujus obtentu includebantur « Sancta Sanctorum, a summo usque ad ima di- « ruptum est. » Porro Origenes duo vela distinguit, inquiens : « Duo fuisse vela intelligitur, unum quod « velat Sancta Sanctorum, aliud exterius, sive taber- « naculi, sive templi. In Passione ergo Salvatoris, « velum quod erat a foris, conscissum est a sursum, « usque deorsum, ut ab initio mundi usque ad finem « conscisso velamine mysteria publicentur, quæ « usque ad adventum Domini rationabiliter fuerunt « occultata. » Porro quidnam, vel quale hoc velum fuerit, Theophylactus declarat, dicens [1] ; « Velum « autem templi erat linteum quoddam in medio « templi pendens, decernensque ab his, quæ intra, « et ea quæ extra, ut interstitium. Scinditur hoc, « demonstrante Deo, quod templum inaccessum, « et nunquam visum, cujus intima velamen seclu- « debat, solvatur et profanetur, ita ut omnibus sit « accessibile et spectabile. » Idem hoc velum Josephus Hebræus præ cæteris distinctius in hæc verba describit [2] : « Interior porta tota inaurata erat, « et cum ea inauratus paries, et fores habebat « aureas quinquaginta quinque cubitis altas, sede- « cim velum Babylonicum, hyacintho, et bysso, et « cocco, et purpura variatum mirabili opere fac- « tum. » Franciscus Lucas Brugensis velum hoc a summo usque ad imum hoc mysterio dilaceratum esse dicit [3], quia scilicet « hac veli dilaceratione « testatus est Deus, eum qui occisus esset, Filium « esse suum, seque ob ejus cædem iratum, tem- « plum illud ejusque sacra reprobaturum, et relictis « parricidis alio migraturum. » Idipsum S. Leo Magnus diu ante incredulis Hebræis dixerat, dum in hæc verba scribebat [4] : « Repudiatos itaque vos « debuistis agnoscere, et omne jus Sacerdotii per- « didisse, quia verum erat, quod veritas vobis « dixerat : Si credideritis Moysi, crederetis et mihi. « Merito ergo vos testamentum utrumque condem- « nat : et gratia vacuatos, et lege privatos. » Theophylactus autem de eodem velo ad nostrum propositum sequentem adfert utilissimam moralitatem, dicens [5] ; « Sicut mos erat Judæis in blasphemiis « contra Deum scindere vestes, ita nunc quoque « divinum templum, quasi ægre ferens Christi « mortem, disrupit vestem suam, hoc est, velum. » Id quod merito facere quoque deberet quilibet Christianus, de quibus Apostolus ait [6] : *Vos estis templum Dei vivi;* scilicet in signum compassionis, vel veri doloris actus, non quidem vestes, sed cor discindere, sequentes illud Joelis monitum : *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra;* in signum detestationis insultuum, injuriarum et blasphemiarum, quas Judæi adversus Redemptorem nostrum evomuerunt.

**2.** — *Terra mota est.* Universa, et vasta hæc mundi machina a profundissimis fundamentis suis commota et turbata fuit, juxta id quod S. Job in spiritu Prophetico præviderat, et prædixerat, dum ait : *Qui commovit terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur.* S. Paschasius ait :

[1] S. Leo, ser. 6 *de Pas.* — [2] S. Bonav., in *Luc.* — [3] Haymo, *in Matth.* — [4] S. Leo, ser. 10 *de Pass.*, c. 5.

[1] Theoph., *in Matth.* — [2] Joseph, l. VI *de Bell.*, c. 6. — [3] Luc. Brug., *in Matth.* — [4] S. Leo, *ibid.*, serm. 10. — [5] Theoph., *ib.* — [6] I Cor., VI, 16.

« In eo terræ motu dicuntur plurimæ civitates, et « multa ædificia corruisse. » Plinius duodecim civitatum meminit, quæ tempore Tiberii Imperatoris, sub quo Christus crucifixus fuit, occasione cujusdam terræ motus a terra absorptæ, et conquassatæ fuerunt. Idem quoque doctissimus Salmeron scribit, qui Eusebii sequens adducit testimonium, inquiens [1] : « In Bithymia duodecim civitates cor- « ruerunt teste Eusebio. » Cornelius a Lapide, de eodem terræ motu scribens, sequens movet dubium [1] : « Si totus terræ globus e centro suo con- « vulsus et concussus fuit, ergo et mare ac flumina. « Mare enim cum terra unum globum efficit. Quare « moriente Christo, horrendis fluctibus mare inso- « nuit, æstuavit, exundavit, ut suo fremitu indi- « gnitatem necis sui Creatoris loqueretur, sicut « eamdem loquebantur sol, et cœlum, subtrahendo « radios. » At vero plus ultra progrediendum esse videtur, atque quærendum, quænam fuerit causa, quod mare per universale naufragium genus humanum non submerserit, nec terra illud in abysso sua sepeliverit, cœlum quoque omnia sua contra homines non evibrarit fulmina, ut tam indignam et atrocem Creatoris sui mortem vindicaret? Huic difficultati S. Leo Magnus respondet, dicens [2] : « Debebat hoc testimonium suo mundus Auctori, « ut in occasu Conditoris sui vellent universa finiri. « Sed patientia Dei servat rebus atque temporibus « ordinem suum, nosque in illum potius vocat « affectum, ut eorum salutem petamus, quorum « crimen horremus. » Enim vero hæc totius terræ commotio diu ante a Psalmista Psalm. XCV, his verbis prædicta fuit [3] : *Commoveatur universa terra; dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.* Ubi multæ versiones addunt : *A ligno*; ad quod hymnus Crucis alludit, in quo Ecclesia ita canit : *Impleta sunt quæ concinit David fideli carmine, dicens in nationibus, regnavit a ligno Deus.* Pro cujus meliori intelligentia revocandum est in memoriam, quod in capite XII S. Joannis legitur, scilicet, quod Dei Filius æternum Patrem hisce verbis fuerit allocutus [4] : *Pater clarifica nomen tuum*, id est, huic mundo, qui jam a tot sæculis idololatriæ tenebris immersus, dæmonem Dei loco adoravit, tui ipsius tribue notitiam, ut te, relicto dæmone, tanquam Deum vivum et verum adoret. Subdit autem sanctus Evangelista : *Venit ergo vox de cœlo : Et clarificavi, et iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat, et audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant : Angelus ei locutus est. Respondit Jesus, et dixit : Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras : Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.* Circa hæc enim verba merito quærendum venit, quomodo, et quando hoc impletum fuerit miraculum; scilicet, quod in eodem momento, quo ipse ascensurus erat in crucem, in verum Dei Filium esset agnoscendus, et profliganda idololatria. Et ratio dubitandi est, quia maligni Hebræi ad nihil adeo sollicite intenti erant, quam ut ex animis omnium conceptum Divinitatis, quem sibi de Christo facile formare poterant, per suas contra ipsum prolatas blasphemias et derisiones abolerent. Respondeo igitur, vere Christum, mox ut a terra exaltatus est in crucem, omnia traxisse ad seipsum, quia eodem tempore cœlum, elementa omnesque creaturæ divinitati ipsius certatim perhibuerunt testimonium. Unde iidem pagani milites, qui ipsum crucifixerant, visa hac totius naturæ commotione, protinus fuere conversi; nam *revertebantur percutientes pectora sua.* Centurio quoque confessus est, dicens : *Vere hic homo Filius Dei erat,* Denique bonus latro dicendo ad Christum : *Memento mei dum veneris in regnum tuum*, Christum Regem gloriæ, et cœlestis Paradisi Dominum esse unicuique manifestavit. Unde Dionysius Carthusianus ait [1] : « Omnia mirabilia ista fiebant ad desig- « nandam dignitatem patientis. » S. Thomas quoque de hoc terræ motu ait [2] : « Convenit, quod « terra mota est, quia non potest præsentiam tantæ « Majestatis sine tremore sustinere. Unde in Psalmo « CIII, dicitur : *Qui respicit terram, et facit eam tre- « mere.* » Præ cæteris vero Theophylactus expressius in hæc verba scribit [3] : « Elementa commota « declarant eum, qui patiebatur, opificem mundi. » Diu vero ante hunc dixerat S. Hieronymus [4] : « Nulli dubium est, quin significet magnitudo « signorum, quod crucifixum Dominum suum et « cœlum, et terra, et omnia demonstrarent. » Lucas Brugensis ait [5] : « Terra mota est, tanquam horrens « immane scelus in Creatorem suum admissum, « quomodo solet homo horrens contremiscere. « Terra hic testimonium reddit Christo, ut mox « reddiderat sol. Non dubium, quin Golgothanus « mons, et vicina Jerosolymitarum civitas contre- « muerint, sed quousque hic terræ motus vagatus « sit, incertum est. » Certum vero, quod hoc elementum quovis alio solidius, ac durius, Creatori suo compatiendo conquassatum, atque ab ipsis fundamentis contremiscens, suam homini exprobravit duritiem, utpote qui in Passione communis Creatoris ne quicquam commovetur, aut eidem compatitur.

**3.** — *Et petræ scissæ sunt.* Hæc porro omnium creaturarum commotio ab Aggæo Propheta hisce verbis fuit prædicta [6] : *Quia hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum, et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes.*

[1] CORN. A LAPIDE. — [2] S. LEO, serm. 8 *de Pass.*, c. 4. — [3] *Ps.* XCV, 18. — [4] JOAN., XII, 27.

[1] DION. CARTH., *in Matth.* — [2] S. THOM., *in Matth.* — [3] THEOPHYLACTUS. — [4] S. HIER., *in Cant.* — [5] LUC. BRU., *ib.* — [6] AGGÆI, II, 7.

Ubi, ut audistis, bina vice terram nominat, quia non solum hunc terræ motum causavit, verum etiam durissimas petras dirupit, imo et ipsos montes et a vertice ad fundum usque divisit. Et quidem S. Francisco revelatum fuisse legitur, montem Alverniæ unum fuise illorum montium, qui in Passione Domini fuere divisi; ac proinde sanctus hic seraphicus vir tanta erga hunc montem ferebatur devotione, ibidemque stigmatum impressionem in corpore suo percipere meruit. Cajetæ pariter prope S. Germanum (ubi S. Philippus Nerius primitias spiritus sui accepit, et in devotione erga Passionem Domini adeo effervescere cœpit) mons quidam est, qui in morte Redemptoris fissura profundissima divisus fuit. Ibidem in hujusce veritatis contestationem, miraculum quoddam exhibitur circa hominem incredulum patratum. Cum enim hic montem hunc mortis Christi tempore divisum fuisse obstinate negaret, manuque sua ad durum quemdam lapidem applicata, dixisset: Hoc quod de hoc monte asseritur, adeo est verum, quam verum est, quod manus meæ figura huic lapidi maneat impressa; subito hisce verbis prolatis, ejusdem manus figura huic lapidi, veluti si mollis cera fuisset, impressa remansit.

**4.** — S. Paschasius ait [1]: « In Evangelio, quod « proprie Hebræorum est, dicit B. Hieronymus, se le- « gisse, super liminare templi infinitæ magnitudinis « tunc fractum fuisse atque divisum: et hoc, ut abo- « litio legis, et destructio templi monstraretur, fac- « tum credimus. » In descriptione Terræ Sanctæ leguntur de monte Calvariæ sequentia: « Cujus rei « etiam hoc præclarum in pretioso Calvariæ monte « adhuc extat argumentum. Ibi enim conspici « etiamnum potest illa quæ sub manu Christi læva, « et a sinistris pendentis latrouis in cruce in morte « Domini facta est scissura, in qua Dominici san- « guinis colorem adhuc deprehendere licet. Cujus « quidem scissuræ est latitudo, quod humani corporis crassitiem facile capere possit. « Pro- « funditas vero tanta, quod ab hujusrei curiosis « demissa bolide nequaquam potuerit investigari, « ut verisimile sit, in infernum usque patere. »

**5.** — Porro diruptorum horum lapidum multa sunt mysteria S. Cyrillus Alexandrinus in ea est opinione, quod hæc tempore mortis Christi lapidum seu petrarum diruptio alluserit ad id, quod paulo post in virtute sanguinis a Redemptore effusi eventurum erat, scilicet quod confringenda essent falsorum numinum idola seu simulacra, quæ ut plurimum ex lapide sculpta erant. En verba ipsius: « Quoniam his quæ contingerunt, probabi- « lem rationem aptare oportet, petras diruptas vi- « detur quodammodo significare idololatrarum ad « salutaria festinationem. Hi enim cum creaturæ « potius servirent, quam Creatori, velut lapideum « cor, durumque et inflexibile, et in morem petra- « rum nullos fructus afferentium habebant. Sed « enim quid de ipsis Deus per Ezechielem ait: *Et* « *auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo* « *ipsis carneum, ut cognoscant me.* Scissa sunt « igitur corda errantium, ut Deo expandente, salu- « tiferæ prædicationis sermonem exciperent. » D. Chrysostomus existimat, Deum per hanc lapidum diruptionem Judæis insinuare voluisse, quanta cum facilitate suam potuisset vindicare mortem, si id facere voluisset [1]: « Lapides scinduntur, inquit, et « terra concutitur, ut hinc percipi posset, illos « quoque facile dirumpere potuisse. Nam qui la- « pides scidit, qui terrarum orbem tenebris obdu- « xit, multo magis illos, si voluisset, perdere « potuisset. Verum noluit, sed vires suas in ele- « mentis ostendens, ex clementia salvare volebat. » Dici quoque potest, Deum Hebræis ipsorum exprobrare voluisse obstinationem et duritiam, qua Christum tanquam malefactorem persequebantur. Unde S. Leo ait [2]: « Cui sacramento cum se vitæ « auctor impenderet (de Passione loquitur) et ad « tantam divinæ Majestatis inclinationem totius « mundi compagno quateretur: cum facimus im- « pium omni sua confusione creatura damnaret, « et manifestam in reos sententiam ipsa elementa « proferrent: Quis vobis animus Judæi, quæ cons- « cientia fuit, quando et judicium universitatis « urgebat, et revocari ad se consummato scelere « impietas vestra non poterat? Qualis confusio « vos operuit? Quæ cor vestrum pœna suscepit? » Dionysius Carthusianus quoque eamdem divisionis seu diruptionis petrarum tradit rationem, dum ita factum esse scribit [3]: « Ad designandam enormitatem « peccati occidentium Christum. » Lucas Brugensis sensum litteralem exponit, inquiens [4]: « Petræ scissæ « sunt ex terræ motu, nominatim vero super Gol- « gothana, quod testatur Lucianus Martyr apud Eu- « sebium lib. 9, Ecclesiast. Hist cap. 6. Et S. « Cyrillus Hierosolymitanus in fine Catech. 13, « Crepantes quasimediæ, quod cædem Conditoris « non ferrent, et Judæis exprobrantes invincibi- « lem cordis duritiam: sed quia creaturæ inanimes « nihil ejusmodi seipsis poterant, nisi jubente Deo « idcireo his signis testatus est Jesus, qui fuerat in- « terfectus, quod esset non tantum innocens et « justus, verum etiam Filius Dei, quod docuerat « cœli, et terræ Dominus, cujus gratia summa, et « ima converterentur, hinc ira sua adversus inter- « fectores ob sceleris admissi indignitatem. » Neque hæc petrarum diruptio solis Judæis impietatem, et obstinationem suam exprobravit, sed et omnibus aliis, qui morti Redemptoris per debitam compassionem et gratitudinem non correspondent. Diony-

[1] S. Paschas., *ib.*

[1] Chrys., h. 38 *in Matth.* — [2] S. Leo, ser. *de* x *Pass.* — [3] Dion. Carth. — [4] Luc. Brug.

sius Carthusianus hanc omnium creaturarum commotionem a Deo ordinatam fuisse dicit[1], « ad « designandum, quod omnis creatura merito « compati debeat suo Creatori. Nihilominus cum « cœlestia atque terrestria suo Domino compatiun- « tur, solus homo, pro quo ille hæc patitur, exultat « et ingratus est. Per terræ motum figurabatur « terrigenarum admiratio, et conversio : per pe- « trarum scissionem, obduratorum cordium emol- « litio ad compassionem, et pœnitentiam. »

**6.** — Paulus de Palatio ingeniose non minus quam utiliter observat, quod lapides peccata significent, idque ex verbis illis diaboli, ad Christum in deserto prolatis, probat, scilicet[2] : *Dic ut lapides isti panes fiant.* Clarius tamen hujus veritas in sequentibus Psalmistæ verbis habetur : *Angelis suis Deus mandavit de te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum.* « Igitur, quod in Christi morte saxa « rumpantur, id mysterium indicabat, post Christi « mortem jam nulla peccata esse debere, jam nul- « lum peccatum integrum esse futurum. Vetus « enim homo noster (qui peccatorum fons est et « origo) simul cum Christo crucifixus est, ut de- « struatur corpus peccati, ut ultra non serviamus « peccato. » Idipsum vero S. Paschasius diu ante in hæc verba docuerat[3] : « Ad hoc petræ scissæ sunt « per passionem Christi, ut rescindantur vetera, et « oriantur nova. Duriora saxis pectora, verbis « cœlestibus rescindenda erant. » Hugo Cardinalis similiter ad hanc obstinati cordis humani contritionem alludit, dicens[4] : « Petræ scissæ sunt, id « est, corda obstinatione indurata, ad pœnitentiam « scissa. Nota ordinem. Terra, id est, cor peccatoris « præ timore movetur. Petra scinditur per com- « punctionem. Monumenta aperiuntur per confes- « sionem. Corpora Sanctorum, qui obdormierunt, « resurrexerunt, id est, congeries sanctorum ope- « rum, et totus cœtus virtutum, quæ omnia per « peccatum dormierant, per satisfactionem iterum « revixerunt. » In uniuscujusque anni decursu videmus, quod obstinatiora fidelium corda in septimana sancta in virtute Passionis Christi per pœnitentiam ad Deum sese convertant : et ideo ut Haymo ait[5] : « Per commotionem terræ et scissio- « nem petrarum significautur terrenorum corda « hominum ad pœnitentiam commovenda. » S. Ambrosius valde detestatur illos, qui ad pœnitentiam induci nequeunt, tempore quo recolitur Dominica Passio, cum etiam ipsi silices Creatoris sui senserint mortem; ita enim scribit[6] : « Finduntur petræ, « sed horum corda durantur : horum immobilis « duritia manet, orbe concusso. » E contra vero ut S. Thomas bene advertit[7] : « Petræ scin- « duntur, quando duritia cordium ad compassionem « movetur, Jeremiæ XXIII : *Verba mea*, scilicet pas- « sionis, *quasi ignis, et quasi malleus conterens* « *petras.* »

**7.** — *Et monumenta aperta sunt.* Scilicet, ut Lucas Brugensis ait[1] : « Disjectis terræ motu, aut affixis « marmoribus, quibus tegebantur, quasi mortui « horrerent cædem, quam vivi non verebantur in- « ferre; mortui Dominum suum agnoscunt, quem « vivi reprobant; nam et isto singulari portento de- « claravit Deus eum, qui fuerat interfectus, Fi- « lium suum non solum cœli et terræ Dominum « sed et inferni esse dominatorem et Dominum « mortuorum, qui mortis carcerem ingrediatur, « non ut illic maneat clausus, sed ut omnes, qui « illic captivi tenentur, educat. »

[1] DION. CARTH. — [2] PAUL. DE PALAT. — [3] S. PASCH., *ib.* — [4] HUG. CARD., *in Matth.* — [5] HAYMO, *in Matth.* — [6] S. AMBR., lib. X *in Luc.* — [7] S. THOM., *in Matth.*

## DISCURSUS XVII.

### VARIÆ CONSIDERANTUR PASSIONIS CHRISTI CONTRADICTIONES, ET PRODIGIA.

IDEA SERMONIS. — 1. Passio Christi describitur sub nomine contradictionis. Et per verba admirationem exprimentia. — 2. Adducuntur ex SS. Patribus variæ contradictiones quæ reperiuntur in passione Salvatoris nostri. — 5. Ad eumdem modo deducitur, quod passio Christi fuerit omnino mirabilis. — 6. In passione Christi ignominiosissima mirabile est valde, quod ipsi cesserit in maximam gloriam. — 7. Passio Christi mirabilis fuit, eo quod gloriam animæ non permiserit transire in corpus suum, ne fieret impassibile. — 8. Aliis modis Christi passio fuit mirabilis ad nostrum bonum. — 9. Mirabilis passio in qua fel Christo si propositum, mutatum fuit in medicinam vitalem. — 10. Mirabilis fuit Christi passio, et quod Pater juste illum tradiderit in mortem, Pilatus autem injuste illum condemnaverit ad moriendum. — 11. Mirabilis passio qua Crux instrumentum mortis, mutatum fuit in instrumentum immortalitatis.

*Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem.* Hebr. XII, v. 3.

**1.** — Apostolus ille, qui de se non dubitavit gloriari dicendo[1] : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini Jesu Christi. Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*; non sine altissimo mysterio mortem, et passionem Redemptoris sub contradictionis nomine describit, inquiens : *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus, adversus semetipsum contradictionem.* S. Simeon senior, Spiritu Sancto plenus, diu ante Apostolum, beatæ Virgini Mariæ de suo Filio prædixerat : *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur.* Imo funesta crucifixionis Filii Dei tragœdia, tot et tanta annexa habuit pro-

[1] LUC. BRUG. — [2] GAL., VI, 14.

digia, et contradictiones, ut loquens cum beata Angela de Fulginio cœlestis ejus Sponsus, eamdem Passionem omnium sæculorum appellarit miraculum, dicendo[1]: « Benedicti, qui meæ passionis, quæ est « miraculum omnium sæculorum, memores, et « compatientes eritis. » Observastisne aliquando, quod quando in Scripturis ex instinctu Spiritus Sancti de Passione Dominica agitur, illa ut plurimum per verba admirationis exprimatur, scilicet per verbum *O*, quod affectum admirationis, et stuporis indicat? Sic enim apud Jeremiam dicitur[2]: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Apud Isaiam angeli quærunt[3]: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Quare rubrum est indumentum tuum?* Apud Zachariam quoque hic stupor magis, quam in aliis locis relucet; dicit enim Propheta[4]: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Quasi diceret: ergone digiti illi, qui immensam universi molem sustentant, a manuum, clavis perforatarum, doloribus attrahuntur[5]: *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* In benedictione cerei paschalis, quæ in Sabbato sancto canitur, S. Ambrosius de hoc ineffabili mysterio disserens, his utitur verbis: « O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! « O inæstimabilis dilectio charitatis! O inæstima- « bilis dilectio charitatis! ut servum redimeres, « Filium tradidisti. »

**2.** — *Contradictionem.* In hoc ineffabili, omnemque, tam humanum, quam angelicum intellectum transcendenti mysterio, sanctorum Patrum sequentes doctrinam, innumeras adducemus et admirabimur contradictiones. Etenim S. Bernardus exclamabat[6]: « Mirabilis passio tua, Domine Jesu, « quæ passiones omnium nostrum propulsavit. Mi- « rabilis, inquam. » Nam ut S. Bonaventura scribit, in Passione Dominica hæc inter se conjunguntur contradictiones; scilicet[7] « effugari eum, « qui ubique erat. Ligari eum, qui immensus erat. « Flagellari, qui gloriosus existebat. Alapari, qui « mundum plasmaverat. Conspui illum, qui splendor « est æternus et speculum sine macula. Blasphe- « mari eum, qui Pater est immensæ bonitatis. « Dijudicari eum qui Judex est immensæ potestatis. « Gaudium angelorum affligi. Vitam viventium oc- « cidi. Spinis coronari gloriæ Coronam. Sub lapide « sepeliri Solem Justitiæ. »

**3.** — *Contradictionem.* Juxta modum discurrendi humanum mere contradictoria sunt illa, quæ Divus quoque ponderat Chrysostomus, dicens[8]: « Flagellatur remissio, condemnatur venia, illuditur « majestas, irridetur virtus, perfunditur largitor « imbrium sputis, clavis ferri cœli stator affigitur « mellis dator cibatur felle, propinator fontium « propinatur aceto. » Contradictio quoque est, quod Deus ille, de quo sancta Dei Ecclesia tam frequenter pleno ore exclamat, dicens[1]: *Deus totius consolationis qui consolatur nos in omni tribulatione nostra,* in passione contristetur, timeat, contremiscat, quia[2] *cœpit tædere, pavere, et mœstus esse. Tristis est anima mea*: ideoque confortatione opus habeat: *Accessit Angelus de cœlo confortans eum.* Et tamen S. Bonaventura inquit[3]: « Secum volens tristari lætatur, « secum volens affligi consolatur, et nimium jucun- « datur. » Ita in capite primo hujus libri legitur.

**4.** — *Contradictionem.* Quod is, qui potestatem dedit solvendi omnia vincula cujuscumque peccati[4]: *Quodcumque solveris super terram solutum erit et in cœlis:* quod, inquam, ille funibus et catenis tenaciter ligetur et constringatur, contradictionem utique importat: quod is, qui luminosis solis radiis coronatur, in vertice pungentibus cinctus sit spinis; quod, qui agros frumento, prata herbis, hortos floribus, arbores frondibus, greges lanis vestit et ornat; quod, inquam, is propriis nudetur vestimentis. Similiter, quod tribus clavis in trunco crucis suspensus hæreat, qui tribus digitis universum mundum sustentat. Quod is, qui fons est aquarum viventium, magnopere sitiat. Quod felle potetur, qui torrentes nectaris in Paradiso cœlesti manare facit, juxta illud[5]: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos;* quid aliud sunt, quam meræ contradictiones? S. Bonaventura ait[6]: « Vere mirabile, « quod Christus in cruce sitiens inebriat. Ejus ma- « nus ligno conclavatæ nos solvunt. Pedes confixi « nos currere faciunt. Emittens spiritum, vitam « inspirat. Conspuitur gloria (ita Ludolphus Car- « thusianus meditatur[7]) contemnitur justitia, judex « judicatur, inoffensus inculpatur, innocens infa- « matur, Deus blasphematur, Christus conculcatur, « vita occiditur. » Similes quoque contradictiones S. Augustinus diu ante in sermone quodam his verbis adduxerat[8]: « Expalmatur, qui est vera « palma victoriæ. Spinis coronatur, qui spinas « peccatorum venit confringere. Ligatur, qui solvit « compeditos. Ligno suspenditur, qui erigit elisos. « Aceto potatur fons vitæ. Disciplina cæditur. Salus « vulneratur. Vita moritur. Occidit ad tempus vi- « tam mors, ut in perpetuum a vita occideretur « mors. » Præterea ingens est contradictio, quod Filius Dei tanta cum aviditate amarum Passionis suæ calicem epotare desideret, dicatque[9]: « Calix « meus inebrians, quam præclarus est! Calicem « quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?» ex alia vero parte Patrem roget, dicens[10]: *Pater si possibile est, transeat a me calix iste.* S. Paschasius

[1] BOLLAND., 4 jan. — [2] THREN., I, 18. — [3] ISA., LXIII, 1. — [4] ZACH., XIII, 6. — [5] ISA., XL, 12. — [6] S. BERN., ser. 4 *Hebd. pœn.* — [7] S. BONAV., *Stim. amor.*, c. 13.— [8] CHRYSOST., ser. 6 *de Pas.*

[1] II COR., I, 3. — [2] MARC., XIV, 33. — [3] S. BON., c. 1. — [4] MATTH., XVI, 14. — [5] *Ps.* XXXV, 9. — [6] S. BONAV., *ib.* — [7] LUDOLPH. CARTH., p. 2, c. 58. — [8] S. AUGUST., s. 46 *de Temp.* — [9] *Ps.* XXII, 5. — [10] MATT., XXVI, 39.

ait [1] : « Triumphus plane est, quæri ad crucem, et « offerre se sua sponte, et querimonias innocentiæ « suæ proclamare. Stare ad sententiam mortis, sed « inde consessurum se dicere a dextris virtutis Dei. « Clavis configi, sed pro persecutoribus orare. Acetum potare, et dicere in sacramento : Consummatum est. Deputari inter iniquos, sed uni eorum « Paradisum donare. Elevari in ligno, sed terram « tremere. Pendere in cruce, sed solem ac diem « fugare. Exuere animam a corpore, sed revocare « animas ad corpora, ipsosque mortuos ad vitam « reparare. Sepeliri mortuum ut hominem, sed « resurgere Deum. Secundum hominem pro nobis « omnia infirma pati, sed secundum Deum in his « omnibus triumphare. » Ex quibus a S. Paschasio observatis Passionis effectibus, una pars ad prodigia, pars vero altera ad contradictiones pertinet.

**5.** — *Mirabilis Passio.* Arnoldus Carnotensis de septem verbis a Christo in cruce prolatis disserens, seque ad diversitatem modorum, quibuscum suam operatus fuit Passionem, reflectens, obstupescit et dicit [2] : Modo supplicat, modo imperat; modo se di- « cit derelictum, modo latroni promittit Paradisum. » S. Augustinus super illa Psalmistæ verba : *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum*, ad propositum nostrum opportune ita scribit [3] : « Vulneratus « es, et vulnerasti. Neque enim eum non vulnera- « ret sanguis tuus, qui effusus est, ut deleret chiro- « graphum peccatorum. » S. Bonaventura similiter per quam apposite inquit [4] : « Sine tua morte « morior, sine tuis vulneribus vulneror, sine tuis « convitiis convitior, sine tuis flagellis virga non « æquitatis flagellor. » Idem seraphicus doctor paulo ante in primo capite, *de stimulo divini amoris* disserens, in hæc verba exclamaverat [5] : « O « Passio desiderabilis! O mors admirabilis! Quid « mirabilius quam quod mors vivificet, vulnera « sanent. Sanguis album faciat et mundet intima. « Nimius dolor nimium dulcorem inducat. Aper- « tio lateris cor cordi conjungat? Sed adhuc mi- « rari non cesses, quia sol obscuratus plus solito « illuminat. Ignis extinctus magis inflammat. « Passio ignominiosa glorificat. »

**6.** — *Mirabilis Passio.* Malignitas et odium Judæorum ad Christum diffamandum ignominiosiorem nequibat excogitare mortem, quam fuerit illa, quam in cruce sustinuit [6] : *Morte turpissima condemnemus eum*; et tamen ignominiosa hæc mors in summum ipsius transmutata est honorem et gloriam. Ut proinde de ipso Crucifixo dicatur [7] : *Nunc clarificatus est Filius hominis*; quia ut Apostolus ait [8] : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; *propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, infernorum et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Et alibi pariter inquit [1] : *Videmus Jesum, per passionem crucis, gloria et honore coronatum.* S. Anselmus observat [2] quod sibi *flectatur omne genu*, eo quod Hebræi eum genuflexo deriserint et vituperarint; in cujus humiliationis præmium Pater æternus disposuit, *ut in nomine ejus omne genu flectatur*, etc. Drogo ad illa S. Lucæ verba alludens [3] : *Cognoverunt eum in fractione panis*, Christum his verbis affatur : « Fregisti cor- « pus tuum, quod foris apparebat, et ostendisti « medullam, quæ intus latebat : Nisi ante patiaris, « non cognosceris, ibi abscondita est fortitudo « tua. » Porro ubi Vulgata nostra in Habacuc prophetia legit [4] : *In medio annorum notum facies*, Septuaginta legunt : *In medio duorum animalium cognosceris*, id est, ut S. Hieronymus exponit, *in medio duorum latronum*, quia ut impleretur illud Isaiæ oraculum : *Cum iniquis deputatus est*, Dominum nostrum in medio duorum assassinorum crucifixerunt, ut et ipse ab omnibus velut infamis quidam latro haberetur, hæc autem ignominia in summam ipsius transmutata est gloriam; siquidem in patibulo, ut suo loco dicetur, velut in throno Majestatis judiciariam exercuit potestatem, seque Regem gloriæ esse manifestavit, dum bono latroni ad dexteram suam pendenti largitus est gloriam, malum vero latronem, qui ad sinistram ejus hærebat, in obstinationis suæ pœnam damnari permisit. S. Paulus pro eo tempore, quando crux nondum a Constantino Magno ad tantam sublimata fuerat gloriam, Corinthiis in hæc verba scripsit [5] : *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* At vero scitisne causam, inquit D. Chrysostomus, cur Apostolus crucem et gloriam simul inter se conjunxerit? et respondet [6] : « Opportune appellavit « Dominum gloriæ, nam quoniam crux videtur esse « probri et ignominiæ, ostendit crucem esse mag- « nam gloriam. » Idem sanctus Doctor verba illa Psalmistæ considerat : *Ex Sion species decoris ejus.* Numquid enim verba illa forsitan de transfigurationis suæ gloria sunt intelligenda? Nequaquam, quia hæc non in monte Sion, sed in monte Thabor exhibita fuit. Num ergo intelligenda est de Ascensionis suæ gloria? Multo minus, constat enim quod non ex Sion, sed ex monte Oliveti in Cœlum ascenderit. Num forte de Eucharistiæ institutione? Minime, quia ibi non decorem induit, sed potius *exinanivit semetipsum*, humanitatem et divinitatem suam sub minimo panis atomo restringendo. Audite igitur id

[1] S. PASCH., in fol. 1117. — [2] ARNOLD. CARNOT., ser. 7 *Verb. circ. princ.* — [3] S. AUG., in *Ps.* CLXXXVIII. — [4] S. BONAV., *ib.*, c. 15. — [5] ID., *ib.*, c. 1. — [6] *Sap.*, II, 20. — [7] JOAN., XIII, 31. — [8] PHILIP., II, 8.

[1] HEB., II, 9. — [2] LUC., XXIV, 35. — [3] DROGO HOST., *de Sacram. Dom. Pass.* — [4] HABAC., III, 2. — [5] I COR., II, 8. — [6] CHRYSOST., h. 7, *ibid.* — [7] *Ps.* XLI, 11.

exponentem D. Chrysostomum [1] : « Ex Syon species « *decoris ejus*, quia illinc crux resplenduit. » Ex cœnaculo enim Syonitico ad exordiendam passionem suam primos gressus fecit. Confirmat idipsum S. Bernardus ita scribens [2] : « Quam pulcher es « angelis tuis, Domine Jesu, in forma Dei, in die « æternitatis tuæ, in splendoribus Sanctorum ante « Luciferum genitus; quam mihi decorus es, Domine « mi, in ipsa tui hujus positione decoris ! Etenim « ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen « indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi « charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiavit.»

**7.** — *Mirabilis Passio.* Consideratione particulari digna sunt verba illa, quibus Christus post resurrectionem suam duos illos discipulos in Emmaus abeuntes affatus fuisse legitur [3] : *Nonne oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?* Ubi specialiter observanda sunt verba ultima, scilicet : *Et ita intrare in gloriam suam.* Enim vero verbum æternum licet nostram assumpserit naturam, ab illa tamen inseparabilis erat gloria beatitudinis et divinitatis, sed indivisibiliter hæc cum illa conjuncta esse debebat. Anima enim quæ corpus Christi informabat, a primo creationis suæ instanti beata fuit; ac proinde jure meritissimo quatuor corporum gloriosorum dotes, scilicet, agilitatem, subtilitatem, claritatem et impassibilitatem in suum quoque corpus transfundere debuisset. At vero *mirabilis passio tua, Domine Jesu*; siquidem per triginta trium annorum decursum, continuum hoc operatus est miraculum, ut beatitudinem in superiori animæ portione constringeret et coerceret, absque eo quod vel minimam voluptuosi illius torrentis beatitudinis et gloriæ, qui in beatissima ipsius anima inundabat, stillam in corpus suum transmitteret, ut hac ratione corpus illius passibile, nostrisque pœnalitatibus subjectum remaneret. Unde B. Laurentius Justinianus ait [4] : « Uno siquidem « tempore, et Dei fruebatur visione, et intolerabili « passione gemebat, ut tota divinæ fruitionis gloria « in eo militaret ad pœnam. » Ecce igitur quam verum sit, quod summe admirabilis fuerit ejus passio; siquidem gloriam animæ, quæ corpus ipsius efficere debebat impassibile, in sola anima repressit, ut corpus ipsius tanto majoribus esset pœnalitatibus subjectum, tantoque magis atrocia et acerba tormenta experiretur.

**8.** — *Mirabilis Passio.* S. Cyprianus de Redemptore nostro inquit [5] : « Damnatus est ut liberaret « damnatos; doluit, ut sanaret infirmos; timuit, « ut faceret securos. » Aliam quamdam similem apud B. Laurentium Justinianum legimus meditationem. Hic enim Salvatorem nostrum his verbis alloquitur : « Ut me robores, læto animo « debilitaris in carne. Venustas me tuo cruore. « Livore tuo perornas. Tuoque amore inebrias. » Denique si percipere cupitis, quousque hic amor Christum inebriarit, audiatis in hæc verba disserentem S. Augustinum [1] : « Ecce pro impio pietas « flagellatur. Pro stulto sapientia illuditur. Pro « mendace veritas necatur. Damnatur justitia pro « iniquo. Misericordia afficitur pro crudeli. Ine- « briatur felle dulcedo. Abjicitur innocentia pro « reo. Moritur vita pro mortuo. »

**9.** — *Mirabilis Passio.* Lethiferum illud venenum, quo Hebræi in cruce potarunt Salvatorem, eisdem operatum est pietatem, quia fel illud Christo propinatum subito transmutatum fuit in medicinam vitalem eisdemmet carnificibus, qui illud labiis Christi admoverunt. Quot enim ex hisce lictoribus in die crucifixionis, nec non in die Pentecostes fuere conversi? De quibus S. Lucas in Actibus Apostolorum refert, quod a S. Petro ad fidem Christi conversa sint plura millia hominum, ut proinde S. Augustinus merito ita scribat [2] : « Compuncti « corde conversi sunt et tanti sanguinis, tam « impie, atque immaniter fusi, indulgentiam per- « ceperunt, ipso redempti sanguine, quem fude- « runt. Christi enim sanguis sic in remissionem « peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam « peccatum posset delere, quo fusus est. » S. Bonaventura pariter idipsum confirmat, inquiens [3] : « Hoc inexcogitabile est, quod morte, quæ sibi « inferebatur, liberaret inferentes a morte; cum « propter hoc debuisset fortius, vel potius secun- « dum humanum judicium nos omnes æterna « morte condemnare, hoc ipso quod a nobis et « occasione nostri fuisset tam vili et crudeli morte « occisus. » Thomas Cantipratensis [4] memorabile quoddam refert factum, quod quia præsenti proposito opportunum esse videtur, nequaquam præterire, sed ipsissimis ejus verbis recensere statui; ita igitur scribit : « De quodam prope nostra tempora « martyre veridica relatione suscepi, quod cum « captus cuidam gentili tyranno serviret et ille « eum honestissime tractaret, martyr autem sem- « per gemebundus incederet, miratus tyrannus, « causam quærit tristitiæ et quare cum servis aliis « non gauderet? Cui martyr : Semper tristis incedo, « quia memor mortis Dei mei, continue in corde « meo ejus passionis stigmata porto. Hoc mox ut « tyrannus audivit, graviter indignatus : Et ego, « inquit, experiar quæ dixisti. Nec mora. Exemp- « tore vocato, jubet aperto pectore Martyris cor « evelli et per medium cultro secari : ubi statim « mirante tyranno, intus res miranda conspicitur, « quia pro sigillo pars una cordis et pro impres- « sione pars altera cordis, crucifixi Christi imagi-

[1] Chrysost., *ibid.* — [2] S. Ber., s. 45. — [3] Luc., 24. — [4] B. Laur. Just., *de Triumph. Christi agon.*, c. 9. — [5] Id., *ib.*, c. 9.

[1] S. Aug., s. 41 *in Append. de divers.* — [2] Id., tr. 92 in *Joan.* — [3] S. Bonav., *ib.*, c. 13. — [4] Thom. Cantip.

« nem continens reperitur. » Non dubito, quin multi vestrum sint, qui Christum propter hoc tam immane facinus in innocentem hunc martyrem patratum fulmina iræ suæ adversus hunc tyrannum evibrare debuisse credant; sed nequaquam ita contigit, quin potius miracula in monte Calvario in centurione, aliisque crucifixoribus, quos illuminavit et convertit, denuo renovavit; subdit enim historia : « Quo viso, tyrannus mox credidit et cum « suis omnibus sacrum baptisma suscepit. »

**10.** — *Mirabilis passio.* Quia Christus ab æterno quidem Patre suo juste ad mortem et passionem condemnatus fuit [1] : *Propter scelus populi mei percussi eum*; at vero iniquissime fuit a Pilato morti adjudicatus. Siquidem in condemnatione per Pilatum facta quædam concurrit circumstantia, vix unquam alias lecta, vel audita; siquidem Pilatus non semel, sed sæpius Christum judicavit et manifestavit innocentem, et tamen postea eumdem tanquam reum ad crucis patibulum condemnavit. Enim vero ut Jonathas a morte eriperetur [2], universus populus apud Saulem patrem ejus sese pro venia impetranda interposuit, eamque efficaciter obtinuit; at vero ut innocens Salvator noster a patibulo eximeretur, Hebræorum populus, tot beneficiis ab eodem cumulatus, non solum apud Pilatum se non interposuit, verum etiam sæpius altum exclamavit [3] : *Tolle, tolle, crucifige eum.* Sola in ejus defensionem locuta fuit uxor Pilati, marito suo nuncians, ut ab ejus condemnatione abstineret [4] : *Nihil tibi et justo illi.* Conatus quidem et ipse judex fuit, ut eum liberaret, ideoque dixit [5] : *Nullam invenio in eo causam, innocens ego sum a sanguine justi hujus*; at vero postea depravatus, iniquissimam mortis sententiam in eum protulit. *Mirabilis passio.* Quia ut suo loco videbitur, judex obstupescebat, quod Christus ad propriam innocentiam defendendam ne os quidem aperiret [6] : *Ita ut miraretur Præses vehementer.* Et certe justum erat stuporis motivum, adeo ut etiam ipsimet Angeli cœlestis Paradisi in stuporem rapi potuissent, videndo, quod verbum et æterna Patris Sapientia, in causa adeo ardua, e qua vitæ momentum pendebat, obmutesceret; cum tamen de eo scriptum sit [7] : *Ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem.*

**11.** — *Mirabilis Passio.* Porro crux patibuli nomine appellatur, eo quod supplicium quoddam sit, excessivum in ea morientibus afferens tormentum, et tamen S. Cyprianus Redemptorem nostrum his verbis affatur : « Admiror te cruci inter dam- « natos affixum, jam nec tristem, nec pavidum, « sed suppliciorum victorem, elevatis manibus « triumphantem. » Ipse namque in cruce cum tanta mentis serenitate, talique interiori jubilo pendebat, ac si in curru quodam triumphali positus fuisset. *Mirabilis Passio* : siquidem crucem, quæ mortis est instrumentum, transmutavit in instrumentum immortalitatis. Unde S. Cyprianus ibidem subjungit [1] : « Elevatum in sublimi et quasi cœlo proximum, « superioribus inferentem consummati agonis « vexillum et inferioribus erexisse scalam in Patris « occursum. » Pro cunctis namque futuris sæculis crucem sequacibus suis servire voluit veluti scalam per quam ascenderent in cœlum.

[1] Isa., LIII, 8. — [2] I Reg., 14. — [3] Joan., XIX, 15. — [4] Matt., XXVII, 19. — [5] Id., *ib.*, 24. — [6] Id., *ib.*, 14. — [7] *Ps.* IX, 3.

## DISCURSUS XVIII.

AMOR QUO CHRISTUS PRO NOBIS, LICET INIMICIS SUIS, PASSUS EST, AD MINUS COMPASSIONIS A NOBIS EXPOSCIT AFFECTUM, AD QUEM NOS CREATURÆ INSENSIBILES ET IRRATIONALES VEHEMENTER EXTIMULANT.

IDEA SERMONIS. — 1. Ex passione cognoscit homo infinitum erga se Christi amor. — 2. Nulla fuit proportio inter nos vilissimos vermiculos, et Christum nos amantem. Christus pro nobis patiens assimilatur pelicano. — 3. Maximus amoris excessus in passione Christi enituit, cum moriatur pro inimicis suis. — 4. Amor Christi erga nos multo major fuit amore Davidis erga Absalonem. — 5. Ardentissimus amor Christi pro nobis patientis, reciprocum exigit amorem. — Insensibiles et irrationabiles creaturæ Christo compatientes, confundunt nostram duritiem. — 7. Aves cujusdam nemoris in hebdomada sancta Christo compatientes, moriuntur. — Canes erga Dominos gratiores sunt, quam nos erga Christum pro nobis passum. Genus humanum comparatur harpiæ.

*Charitas Christi urget nos; pro omnibus mortuus est Christus.* II Cor., V, 14.

**1.** — S. Thomas doctor Angelicus inter alios salutiferæ crucis fructus, infinitum quoque Filii Dei ab homine agnitum recenset amorem, inquiens [1] : « Per hoc homo cognoscit, quantum Deus hominem « diligit et per hoc provocatur ad eum diligendum, « in quo perfectio humanæ salutis consistit. » Ac proinde jure merito Apostolus non solum Corinthios, sed et universum genus humanum monet, dicens : *Charitas Christi urget nos; pro omnibus mortuus est Christus.* S. Paschasius ad cœlestis Sponsi se reflectens responsum, sponsæ datum, dum illum interrogaret [2] : *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie?* sequentem instituit ingeniosam considerationem, inquiens [3] : « Dicitur et in « medio terræ Dominus crucifixus, quia aptum « erat, ut et in meridie pateretur; in plenitudine « scilicet et non in defectu, aut decremento chari- « tatis, sed in pleno fervore dilectionis, de qua « dicitur, cum interrogaretur a Sponsa in Canticis : « *Ubi pascas? Ubi cubes?* Et ille inquit : *In meridie,*

[1] Cypr., *ibid.* — [2] S. Thom., 3 p., q. 46, art. 3. — [3] *Cant.*, I, 6. — [4] S. Paschas., *in Matth.*

« quia in illa charitate, in qua passus est pro « mundo, deliciæ et gloria floruerunt. » Quonam putas fine Redemptor latus suum sibi aperiri permisit? S. Bonaventura respondet [1] : « Præ nimio « amore aperuit sibi latus, ut tibi tribuat cor « suum. Sibi voluit manus et pedes perforari, ut « cum ad ipsum perveneris, sic tuæ manus intrent « in suas, ac pedes tui in suos, ut sibi inseparabi- « liter conjugaris. » S. Bernardus pie meditatur, in morte Christi specialiter super omnes alias tres emicuisse virtutes, scilicet [2] : *In opere patientia, in modo humilitas, in causa charitas.* Easque omnes a capite repetens, subjungit : *Patientia singularis. Humilitas admirabilis.* At vero quid illum de charitate dicturum esse existimas? Audi : *Sed charitas inæstimabilis.* Infinitus enim amor, quo hominem honoravit, dum ei pro ipsius Redemptione semetipsum totum donavit, nullum habet pretium, quo sufficienter æstimari possit : *Sed charitas inæstimabilis.* Enim vero tametsi inter innumeros Cherubinorum milliones, utique infiniti sint, qui perfectissima scientia, intellectuque perspicacissimo refulgent; attamen Doctor Seraphicus ait [3] : « Non « crede, quod omnes Angeli de Paradiso possent « suis intelligentiis capere hanc vehementiam « charitatis, qua Dominus noster Jesus voluit talia « pati pro nobis stultissimis servis, imo nequissimis « inimicis ejus. »

**2.** — Tritum, et vulgatum est axioma: «Amor aut pares facit, aut invenit. » Præterea idem amor in objecto, quod amatur, aliquod supponit bonum vel utile, vel honestum, vel delectabile, nec non aliqualem inter amantem, et amatum proportionem. At vero quænam potest excogitari proportio, vel relatio inter Deum infinitæ bonitatis et majestatis, et inter pugillum luti, vel vermem quemdam vilissimum, ex mera malitia, omnique erga creatorem, benefactorem et redemptorem suum ingratitudine conflatum? Ponatis, obsecro, sub æquam trutinam, et in pondere sanctuarii librate magnifica illa S. Pauli verba, dicentis [4] : *Pro impiis mortuus est. Vix pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Ubi S. Bernardus ait : « Majorem charitatem « nemo habet, ut animam suam ponat quis pro « amicis suis. Tu majorem habuisti, Domine, ponens « eam etiam pro inimicis; cum enim adhuc ini- « mici essemus, per mortem tuam tibi reconciliati « sumus et Patri. » Seraphicus doctor ex hujus inæstimabilis dilectionis consideratione stupefactus, Filium Dei crucifixum hisce verbis alloquitur [5] : « Quid fecisti, Domine, quare pro me vilissimo as- « condisti in crucem? Et quid sum ego vilissimus « vermis, putredo detestabilis, pro quo tu Dominus « omnium debeas sic affligi, cum tu sis sapientia « Patris? » S. Augustinus id ipsum meditatur, dum ait [1] : « Cum magnum sit, gratis sua aliquem alicui « conferre, multo majus certe est, semetipsum im- « pendere, et cum magnæ charitatis sit, animam pro « amicis ponere : quod Filius Dei pro nobis fecit, « nam cum inimici essemus, reconciliati sumus per « mortem Filii ejus. » Porro ad exprimendum nobis vivaciter immensum erga nos Redemptoris amorem, in passione sua exhibitum, nihil adeo opportune in medium adduci potest, quam pelicani exemplum, quamvis nec hoc, ut audietis, integram cum amore Christi habeat proportionem, licet Christus per os Psalmistæ prædixerit : *Similis factus sum pelicano solitudinis.* Etenim quia pelicanus in terra nidum suum construit, frequenter pullos ejus a serpentibus lethaliter morderi contingit. Quo facto, pelicanus, velut expertus quidam medicus, rostri sui cuspide venas pullorum, a malignitate veneni illius infectas, aperit, et postquam mortui sunt, sua quoque eadem cuspide aperit viscera, suumque super illos sanguinem copiose effundens, eosdem revivificat; cum tamen ipse ex inflicto sibi vulnere moriatur. Et quidem tametsi hic dilectionis effectus in pelicano magnopere sit æstimandus, cum charitate tamen Christi adæquate comparari nequit; quia pelicanus morieus, sanguinis sui balsamo pullos vivificat, vitamque illorum quasi reduplicat, quia semper filii ejus manserunt : at vero Filius Dei post donatam nobis vitam corporalem et æternam, nos jam non filios suos, sed filios iræ factos, et inimicos suos, proprio suo nos sanguine revivificavit [2] : *Eramus natura filii iræ : Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo (cujus gratia estis salvati) et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu.* Cum enim antiquus ille coluber per evomitum super nos peccati venenum; nos irreparabiliter æternæ mortis constituisset reos, ipse suum pro nobis effundens copiosissimum sanguinem, nos revivificavit, licet jam non filii ejus, sed inimici et persecutores ipsius essemus. Quis autem reperiri poterit tam super excessivo amoris affectu dementatus aut fascinatus, ut sponte mori eligat, ad hoc ut morte sua illis ipsis vitam donet, qui sine causa, incredibili cum impietate et ingratitudine detestabili, ipsum actualiter trucidarunt; ipsoque sunt redempti sanguine, quem fuderunt, ut in discursu præcedenti diximus?

**3.** — Spiritus Sanctus per os Habacuc Prophetæ passionem et crucifixionem Filii Dei hisce verbis

[1] S. Bonav., *Stim. amor.*, c. 1. — [2] S. Bern., *de Pass.* — [3] S. Bonav., *ib.*, c. 12. — [4] Rom., v, 7. — [5] S. Bon., *b.*, c. 2.

[1] S. Aug., l. I *Medit.* — [2] Ephes., II, 4.

prædixit[1] : *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo.* At vero quidnam hisce verbis innuere voluit? Num forte ad triumphum allusit, quem Filius Dei de inimico infernali, sua mundum tyrannide opprimente, gloriosissime reportavit[2] : *Nunc princeps Mundi hujus ejicietur foras?* Septuaginta apte ad propositum, loco verbi *Fortitudo*, legunt : *Ibi posuit dilectionem robustam.* Virtus enim divinæ dilectionis a crudelitate, ingratitudine, et resistentia malignitatis Hebraicæ impugnata, robustior in Cruce, quam in alia ipsius operatione scintillavit, atque resplenduit. S. Joannes in Evangelio suo inquit[3] : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* At vero quidnam S. hic Evangelista hoc loco *mundi* nomine indicare voluit? Num forte universam hujus visibilis mundi machinam? Nequaquam, inquit Glossa, sed mundi nomine humanam naturam intelligit. Unde S. Augustinus ait : « Inde « acceperunt nomen, quod amant; mundus vocan- « tur mali, quia mundum diligunt. » De hoc mundo, id est, perverso homine dicit S. Joannes[5] : *Mundus eum non cognovit;* et alibi[6] : *Totus mundus in maligno positus est;* et Christus ipsemet ait[7] : *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Numquid vero ingens est amoris excessus, ardenter amare illum, qui summo nos odio prosequitur, nostroque honori, et vitæ insidiatur, eamdemque violenter eripere contendit? D. Chrysostomus duo hæc verba, *Deus, et mundum* in præcitato S. Joannis textu considerans, ait[8] : « Vox, « *sic dilexit;* et illud, *Deus mundum,* immensam « amoris significat vehementiam; magna enim in- « ter hæc differentia est, et minime conferenda. « Qui enim immortalis est, homines ex terra et « cinere factos, et innumeris peccatis obnoxios, et « male de se meritos, et ingratos, dilexit. » Ac tandem ad hujus immensi amoris exhibendum specimen, in hæc verba concludit[9] : « Nemo unquam « pro filio tantam præ se tulit charitatem, quantum « pro servis, et ingratis servis Deus. » Audiatis quoque S. Bernardum dicentem : « Dilexit etiam « non existentes, sed et resistentes : quoniam cum « adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo « per mortem Filii ejus. »

**4.** — S. Augustinus calcis qualitatem considerat, quæ tunc magis accenditur, quando super illam abundans aquarum copia effunditur : subditque[10] : « Jam vero quam mirum est, quod cum extinguitur, « tunc accenditur? » Cum igitur aquis tormenta Christi assimilentur, juxta illud Psalmistæ[11] : « *Intraverunt aquæ usque ad animam meam : Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me :* vere in Christo ad litteram adimpletum fuit, quod in Canticis dicitur[1] : *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem* : quia quanto ateociora illi intulerunt tormenta, tanto ipse in dilectione magis efferbuit, non solum ipsis omnem ex corde condonando noxam, verum insuper æternum Patrem suum pro venia crucifixoribus indulgenda enixe rogando. Concedo equidem, excessivum fuisse Davidis erga discolum filium suum Absalonem dilectionis affectum, dum ne minimo quidem signo suos conatus est animare milites ad vindicandum sibi illatam ab eo conjurationis, rebellionis, et armorum ad vitam pariter cum regno ei eripiendam correptorum gravissimam injuriam; sed potius de vita ipsius salvanda sollicitus fuit, dicendo[2] : *Servate mihi puerum Absalon :* at vero observandum est, quod David Absalonis genuinus pater, hicque ejus filius extiterit : Christus autem, dum ferocientes et crudeles Hebræi in prætorio Pilati clamabant : *Non hunc, sed Barrabam. Non habemus regem nisi Cæsarem,* nulli alteri rei adeo studebat gnaviter, quam ut æternam ipsorum promoveret salutem : *Pro impiis mortuus est.* Unde S. Bonaventura in confirmationem hujusce charitatis ita meditatur[3] : « Hoc summæ potentiæ « et clementiæ fuit, quod nos justificavit merito suæ « passionis, quæ procreata est a nequitia nostra, et « merito nequitiæ nostræ, » Venenum istud, quod nos illi in amarissimo calice propinavimus, ardens amoris sui calor adeo concoxit, et digessit, ut illud in medicinam salutarem transmutarit, omnibus infirmitatibus nostris curandis unice necessariam : Nam ut S. Bernardus ait : « Passio tua, Domine Jesu, « passiones omnium nostrum propulsavit. » Et paulo post subdit : « Nulli unquam pesti nostræ in- « venitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, « quod non sua morte salvetur? »

**5.** — *Charitas Christi urget nos.* Hic autem infinitus et immensus amor, a nobis amoris exposcit reciprocationem; nam amor amore rependitur. « Audi « rogantem Dominum, » inquit D. Chrysologus[4] : « *Tota die,* inquit, *expandi ad te manus meas.* Nonne « qui expandit manus, ipso habitu rogat? *Expandi* « *manus meas.* Ad quem? *Ad populum.* Et ad quem « populum? *Non* tantum *non credentem,* sed *et con-* « *tradicentem.* Expandi manus meas. Distendit « membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert « sinum, gremium pandit, ut patrem se tantæ « obsecrationis demonstret affectu. Audi et aliter « rogantem Deum : *Populo meus, quid feci tibi, aut* « *in quo contristavi te?* Nonne dicit : Si divinitas « ignota est, vel caro sit nota. Videte, videte in me « corpus vestrum, membra vestra, vestra viscera, « ossa vestra, vestrum sanguinem : et si quod est « Dei, timetis, quare vel quod vestrum est, non

[1] HABAC., I, 4. — [2] JOAN., XII, 31. — [3] ID., III, 16. — [4] S. AUG., ser. 27 *in Append.* — [5] JOAN., I, 10. — [6] ID., V, 14. — [7] ID., XV, 28. — [8] CHRYSOST., h. 14 *in Joan.* — [9] S. BERN., s. 20 in *Cant.* — [10] S. AUG., l. 21. — [11] *Ps.* LXVIII, 2.

[1] CANT., VIII, 7. — [2] I REG., 18. — [3] S. BONAV., *Stim. amor.*, c. 15. — [4] S. CHRYSOL., ser. 108.

« amatis? Si Dominum fugitis, quare non recurri-
« tis ad parentem? Sed forte vos passionis meæ,
« quam fecistis, magnitudo confundit? Nolite. Crux
« hæc non meus, sed mortis est aculeus. Clavi isti
« non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi in-
« figunt altius charitatem. Vulnera hæc non edu-
« cunt gemitus meos, sed magis vos meis visceribus
« introducunt. Extensio corporis mei vos dilatat in
« gremium, non meam crescit in pœnam. Sanguis
« meus non mihi deperit, sed vestrum prorogatur
« in pretium. Venite ergo, redite, et vel sic probate
« patrem, quem videtis pro malis bona, pro inju-
« riis amorem, pro vulneribus tantis tantam reddere
« charitatem. » Numquid igitur ex hoc D. Chryso-
logi discursu clare perspicitis, quam arcta obliga-
tione ad reciprocum amorem erga sic ardenter
amantem nos Dominum adstringamur?

**6.** — *Charitas Christi urget nos*, inquit sanctus Apostolus. Et vero si excessivus Redemptoris nostri amor nos ad illum ardenter redamandum non excitat, ad minus confundat nos, et erubescere faciat ingens illa commotio et compassio, quam omnes creaturæ insensibiles et irrationales erga creatorem suum demonstrant. Taulerus cordis sui oculos in Crucifixum defigens inquit[1] : « Quis vel bruto
« animanti sic affecto non compatiantur? Et quidem
« piissimus Jesus non solum intolerabilibus illic
« pependit in pœnis, ut nos ad lacrymas compunc-
« tionemque moveret; verum etiam cum amoris
« argumentis atque indiciis, ut nos similiter ad
« mortem accenderet et provocaret. Est sublatus
« in altum, ut possit videri ab omnibus. Flevit
« acerbe, ut universos nos ad compunctionem, de-
« votionem, compassionemque moveret. » S. Ber-
nardinus pariter Christum in cruce extensum considerans, hanc nobis benignissimam Christi dilectionem ob oculos ponit, veluti efficax ad reciprocandum in amore et compassione incentivum. Ita enim scribit[2] : « In nullo renitens, ad
« omnia tractabilem se præbebat, cum tanta man-
« suetudine, cum tanta pietate, ac cum tanta de-
« votione faciei suæ, quod non solum moveri ad
« pietatem impii persequentes, verum etiam eo-
« rum corda naturali quadam compassione de-
« buerant in tali aspectu conscindi, quorum vicem
« postea duritia lapidosa complevit. » Proh pudor! Ergone verum esse patiemur, quod silices Deo magis compatiantur, quam corda hominum, qui ab ipso redempti, et ejus sanguine abluti sunt? Ergone incredulis Hebræis nos quoque similes esse volumus? Sanctus Anselmus de petra illa, in qua patibulum crucis plantatum fuerat, ita scribit[3] : « Maxime illa petra, in qua stetit crux, scissa fuit,
« ita ut manus imponi potuissent. » Idem postquam universalem tempore mortis Christi totius naturæ perturbationem recensuisset, Judæis ipsorum improperat ingratitudinem (et utinam improperium istud Christianismo pariter non conveniat) dicens : « Ecce quomodo omnia elementa compatiebantur : « soli autem Judæi indurati fuerunt. » Unde Salvator de obstinatis illis diu ante in hæc verba protestatus fuerat[1] : *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Quod vere in morte Christi adimpletum fuit, siquidem petræ os suum aperire videbantur, ut voces furore plenas adversus crucifixores expromerent, simulque erga creatorem suum in ligno crucis confixum, benignæ compassionis accentus enunciarent. Merito igitur D. Chrysostomus interrogat dicens[2] : « Quomodo animus non turbetur, in quo totus ter-
« ritus, et conturbatus est mundus? O immania, et
« inaudita miracula! Quæ tum intus sol defecit, ac
« luna contenebravit; tum sentiens concussa terra
« est, et perrupta saxa, cunctaque heri injuriis con-
« versa machina, jam inanimis, ac sine sensu elemen-
« tis, ceu animatis, sensuque imbutis, præ Dominico
« terrore attonitis, et immutatis; nos ornati ratione,
« pro quibus obiit Christus, extimulati, ac a lacrymis
« alieni per hos maneamus dies. » S. Ephrem simili-
ter homini in hac communi creaturarum commotione, suam his verbis exprobrat duritiam[3] : « Om-
« nis creatura timore ac tremore percussa est, quando
« Salvator noster Rex cœlestis passus est, nos vero
« etiam despicimus semper, propter quos et traditus
« est: Quin et ridemus quotidie, passiones et contu-
« melias Salvatoris nostri audientes. » S. Gregorius Nyssenus inquit[4] : « Petræ diruptæ sunt, quasi fla-
« gitiosorum audaciam stuperent. » Considerabile pariter est illud a S. Augustino omnibus illis, qui passionem dominicam debita cum compassione non excipiunt, objectum improperium; ita enim scribit[5]:
« Aperte rerum natura perspicitur commoveri;
« velut si in vindictam auctoris sui velit armari.
« Terra ipsa concussa a fundamentis suis, quasi quæ
« crucem Domini vix sustineat, tanquam ad scelus
« proprium contremiscit. Dies refugo lumine, quo-
« modo potest, sumit lamentum. Et quæ duritia cordis
« humani? Væ eis qui inter ista non credunt, quan-
« doquidem creatura irrationabilis, quæ recipere non
« potest credulitatis affectum, dat tamen Deo con-
« fessionis obsequium : et cum pro solo homine
« Christus mortuus sit, perhibet ei tamen etiam
« pars illa mundi testimonium divinitatis, ad quam
« non pervenerunt beneficia passionis. »

**7.** — In *Speculo exemplorum* quædam legitur historia, quam etiam in libello quodam, qui *fasciculus Myrrhæ* inscribitur, et a S. Philippo Nerio familiariter et sæpe perlectus, in bibliotheca nostra Vallicellæ religiose conservatur, legisse memini. Ita enim utrobique scribitur : « Quidam Anglicus

[1] TAULER., *de vit. et Pass.*, c. 36. — [2] S. BERN., in t. I. — [3] S. ANSEL., *Dial. de Pass.*

[1] LUC., XIX. 40. — [2] CHRYSOST., s. 3 in s. 5 *Pass.* — [3] S. EPHREM, tom. III *de Pass.* — [4] S. GREG. ORIG., *de Resurr.* — [5] S. AUG., ser. 4 *in Append. de divers.*

« nobilis ad terram sanctam proficiscens, habuit « socium Saracenum, a quo quæsivit mirabilia. « Transierunt per quoddam nemus pulcherrimum, « et respiciens vidit super ramos aves pulcherri- « mas, nullam tamen vidit cantantem, et quædam « jacebant velut mortuæ : quædam habuerunt alas « expansas ad modum Crucis. Cumque Anglicus « exquireret causam istius a Saraceno, respondit : « Per totum annum in isto nemore abundantia « avium est magna, et earum cantus suavissimus, « sed in hebdomada passionis, qua Christus mag- « nus Deus passus est, omnes moriuntur. Et addidit « Saracenus : Dominicæ resurrectionis reviviscunt, « quasi condolentes morti Christi, et pro sua re- « surrectione gaudentes. » Heu! Quot animas christianas volucres istæ condemnabunt, quæ nimirum passi Redemptoris, et propter peccata ipsarum nec non ad illas ab æterna perditione redimendas, in crucem confixi, oblitæ et immemores vivunt? S. Basilius de cane hoc perhibet testimonium[1] : « Memoria vero beneficiorum animantis hujusce, « gratiæque reddendæ, quem ingratum, beneficio- « rumque immemorem non pudore, ac dedecore « asperserit? Jam quidem et interfectis a latrone « in solitudine dominis, complures a cadaveribus « canes non recessisse, sed ibidem expirasse, me- « moriæ traditur. Nonnullos etiam cæde adhuc « recente duces illis fuisse, qui latrones inquisie- « runt, et ad pœnam maleficos rapi fecerunt. » Quod si igitur nos erga Crucifixum gratos exhibere, ejusque infinito amori correspondere nolumus, caveamus ad minus, ne simus deteriores aut inferiores canibus. Enim vero Deus a nobis non requirit, ut propter ejus mortem expiremus, sed sufficit illi, si ob illam suspiremus, et ingemiscamus, id est, ut ei per intimos christianæ pietatis sensus compatiamur; sufficit, inquam, ei, si illos persequamur, qui mortem ei intulerunt, id est, vitia et peccata nostra. De paupere Lazaro dicitur[2], quod cum *ulceribus esset plenus, canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.* Super quæ verba Hugo cardinalis ita scribit[3] : « Solent ulcera infirmorum visa magis « provocare affectum intuentium; a quibus qui « avertit oculos, impius est. » D. Chrysologus canes illos linguæ suæ obsequio, velut medicina, vulnera Lazari curasse censens, in hæc verba diviti epuloni improperat[4] : « Mitiores te canes tui; nam te sæ- « viente, illi parcunt, qui non ad morsum dentes, « sed linguas ad obsequium sic producunt, ut in « modum spongiæ non vexent vulnera, sed deter- « gant. » Et vero felices nos erimus, si ad horum canum imitationem, idem vulneribus Redemptoris obsequium præstiterimus; de quibus S. Hieronymus in persona Christi ait[5] : « Vulnera mea medi- « cina eorum erant. » In his vulneribus anima devota nectar et ambrosiam inveniet Paradisi : ac proinde S. Augustinus meditando inquit[1] : « Fo- « derunt manus ejus, et pedes ejus, latus ejus « lancea perforaverunt. Per has rimas licet mihi « gustare quam suavis est Dominus Deus meus, « quoniam revera suavis, et mitis, et multæ mise- « ricordiæ est omnibus eum invocantibus, in veri- « tate, omnibus inquirentibus, et maxime diligen- « tibus. » Quod si vero inexplicabilis horum vulnerum dulcedinis participes effici volumus, necessum est, ut ei amorem et affectum nostrum per compassionem exhibeamus, quia juxta proportionem amoris erga objectum, quod ex amore nostri patitur, compassio crescit et augetur. Thomas Cantipratensis ad nostræ duritiei confusionem sequentem refert historiam[2] : « Harpia avis quædam est « in deserto Indiæ, in loco qui Stragopales dicitur, « juxta mare Ionicum, rapinis fere semper insatia- « bilis : faciem hominis habet, sed in se nihil « virtutis humanæ. Nam ferocitate deprædatur, in- « sanit, et grassatur ultra humanum modum. Hæc « avis primum hominem, quem viderit in deserto, « fertur occidere : inde cum fortuito aquas invene- « rit, et faciem suam in aquis fuerit contemplata, « mox sui similem se occidisse prospiciens, tristatur « non modice, et hoc aliquando usque ad mortem. « Plangit omni tempore vitæ suæ. Quid avis ista « crudelis, nisi genus humanum significat, quod « belluina quadam ab ipso mundi exordio invicem « sibi ferocitate insanavit, et grassatum est, atque « ad hoc tandem flagitium immane pervenit, ut « omnium creatorem Deum, ad sui redemptionem « in desertum sæculi hujus suscepta forma hominis « venientem, despiceret et occideret Salvatorem? « Quis ergo homo tam crudeliter inhumanus, Dei « Filium, hominem inter homines, et propter ho- « mines factum, et a se, et sui causa peremptum, « in Scripturis sanctis, velut in lucidissimo speculo « prospiciens non horrescat, et totis visceribus « compassus occiso, non commoriatur mortuo, vel « irremediabilibus lacrymis eum quotidie non la- « mentetur? »

[1] S. Basil., h. 4 *in Hexam.* — [2] Luc., xv, 10. — [3] Hug. Car., *ib.* — [4] Chrysol., s. 121. — [5] S. Hieron., *in Ps.* cviii.

## DISCURSUS XIX.

DE QUIBUSDAM DIVINI AMORIS INVENTIONIBUS, IN EUM PRÆCIPUE FINEM EXCOGITATIS, UT DEI FILIUS PRO HOMINE PATI POSSET, DISSERITUR; CUI PROINDE TOTUM CORDIS NOSTRI AMOREM ET AFFECTUM DEBERI OSTENDITUR.

Idea sermonis. — 1. Filius Dei mirabilibus adinventionibus amorem suum erga nos manifestum fecit. — 2. Ut pro nobis pati et mori posset, assumpsit

[1] S. Aug., *in Man.*, c. 21. — [2] Thom. Cantip., l. I *Apum.*, c. 25.

humanam naturam. Applicatur ad hunc conceptum historia Codri regis. — 3. Christus in se suscepit, furtum peccaminosum primi hominis ut pro illo liberando mori posset. — 4. Quænam egerit et passus fuerit cœlestis medicus, ut nos lethaliter infirmos sanaret. Mirabili adinventione concurrerunt Dei amor et peccatum ad promovendam Christi passionem. — 5. Primaria Passionis Christi ratio fuit ut per illam declararet quam nos amaret. — 6. Comparatur opus creationis cum illo redemptionis et examinatur, ob quod horum Deus potius sit diligendus. — 7. Propter hoc a nobis maxime amandus est. Christo patienti compatientes, egregie remunerati fuerunt. Duo pulchra exempla.

*Notas facite in populis adinventiones ejus.* I Paralip., XVI, 8.

**1.** — Tametsi in omnibus vitæ Redemptoris nostri mysteriis, ejus erga hominem amor magnopere eluxerit; attamen ut divini amoris secretarius optime advertit, Christus ad finem vitæ suæ appropinquans, raras excogitavit inventiones, ut amorem suum erga homines tanto magis innotescere faceret; unde ait[1]: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos;* merito igitur propositi thematis verba in medium produximus: *Notas facite in populis adinventiones ejus.*

**2.** — Per omnium sæculorum experientiam liquido constat, humanam naturam nostram naturaliter mortem supra modum exhorrescere, ut proinde Ecclesiasticus dicat[2]: *O mors, quam amara est memoria tua;* et ideo unusquisque mortem pro viribus fugere satagit. Et tamen Redemptor noster, licet fragilem et mortalem carnem nostram assumpsisset, in se tamen verissimum esse ostendit, quod scilicet[3] *fortis est ut mors dilectio;* quia nihil adeo quæsivit, aut desideravit, quam pati et torqueri pro nobis. Atque ideo sciens, quod si talis inter nos comparuisset, qualis erat, scilicet[4] *splendor paternæ gloriæ*; eum utique homines nullis gravaturi fuissent injuriis: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent;* quamnam igitur existimatis ardentissimum ejus amorem cogitasse inventionem? Refert Valerius Maximus[5] de Codro, ultimo Atheniensium Rege, quod cum civitas illa a potentissimo exercitu arcta obsidione pressa, jam in procinctu esset, ut in hostilem potestatem cederet, falsa sua Numina consuluerit de remedio, ad obsidionem hanc depellendam opportuno; eique responsum fuerit, nullum aliud superesse refugium, quam ut in prælio moriens pro salute publica, se veluti victimam mactari permitteret. Promptus igitur ad mortem hanc subeundam, ut tanto securius suo potiretur fine, regiis se vestimentis exuens, militis privati vestes induit, in iisque hosti incognitus, in hostilem exercitum penetrans, morte sua communi reipublicæ paci et quieti consuluit. Enim vero supposito inviolabili supremi Consistorii divini decreto, humani generis ruinæ sine morte Filii Dei reparari nequaquam poterant. At vero quis illum aggredi, aut prælium cum illo inire præsumpsisset, si eum quis esset agnoscere potuissent; siquidem de ipso scribitur[1]: *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo?* S. Laurentius Justinianus inquit[2]: « Ignitus amor semper meditatur nova et insueta « componit; impatiens namque cum sit, cogitare « non desinit, quomodo ardentius diligat. » Hic igitur amor eum docuit excogitare modum induendi hominem, seque servili amictu accingendi; dicente Apostolo[3]: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo; humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis.* Cumque præsens hæc vita nostra sedes sit belli, dicente Jobo: *Militia est vita hominis;* in eam hostilis exercitus partem, quæ densior et potentior erat, penetravit, seque incognitum Judaicæ impietatis ensibus et lanceis immiscuit, ut per pœnosissimæ mortis suæ holocaustum, condignam divinæ justitiæ, ob nostra peccata exasperatæ, offerret satisfactionem. Huc quoque spectat discursus ille, quem gravis quidam auctor ad nostrum propositum in hæc verba instituit: « Narrat « Servius de Hercule illo tot monstrorum domitore, « quod adeo adamarit Iolen, ut ea jubente clavam « et leonis exuvium deponeret, et neret, et scuticas « sibi infligi ab ea pateretur. Fœdus amor mira« bilis! Mirabilior Dei amor, qui cum verberum « capax non esset, talem induit naturam, ut ver« berari posset. Deposuit clavam et exuvium leonis, « id est, divinæ Majestatis et inpassibilitatis amic« tum, et ideo in dorso suo pertulit innumera ver« bera. »

**3.** — *Notas facite in populis adinventiones ejus.* Homo ob furto sublatum pomum, imo ob voluntatem, divinam rapiendi scientiam et naturam, instar latronis ad inferni patibulum suspendi debebat, magnisque passibus ad irreparabile mortis æternæ supplicium properabat. Quod si vero inter nos homo aliquis reperiretur tanta ardens charitate, ut si quando latro aliquis in flagranti crimine, cum furto in manibus deprehensus, duceretur ad furcam, hic se rei vestimentis clam induens, factumque latrocinium sibi vendicans, honoris et propriæ vitæ suæ prodigus, pro eo liberando properaret ad patibulum, quid, obsecro, de tam heroica charitate diceres? Hæc autem charitas, quæ in puro homine vix est imaginabi-

[1] JOAN., XIII, 1. — [2] ECCLI., XLI, 1. — [3] *Cant.*, VIII, 6. — [4] HEBR., I, 3. — [5] VAL. MAX., l. V, c. 8.

[1] *Ps.* XC, 8. — [2] S. LAUR. JUST., *de connub.*, c. ult. — [3] PHILIP., II, 6.

lis, in Filio Dei excellentissime emicuit. At vero in cujus beneficium eximiam hanc charitatem impendit? Nimirum ad salvandam alicujus propudiosi ingrati, sibique inobedientis et rebellis hominis vitam æternam, non solum *formam servi accepit*, verum insuper furtum primi hominis, id est peccatum originale et simul cum illo omnia alia ab humano genere commissa et deinceps ad finem usque sæculorum committenda peccata sibi vendicavit, suisque humeris imposuit, ut pro illis per probrosam mortem suam *ex toto rigore justitiæ* satisfaceret.

**4.** — *Notas facite adinventiones ejus.* Videbitis nonnunquam infirmum, qui ex propria culpa et ut inordinato appetitui suo satisfaceret, lethiferas sibi infirmitates adscivit, quique remediorum exhorrescens asperitatem ad sanitatem recuperandam conducentium, medicinarum nauseat amaritudinem. At vero scire percuperem, an unquam reperibilis esset medicus quispiam adeo charitativus, qui, ut eidem ad subeundas medicinas animum adderet, pro salute talis infirmi semetipsum omnibus ferri incisionibus, adustionibus, rigidis diætis, potionumque amaritudinibus, imo et ipsimet morti, cum acerbissimis doloribus conjunctæ subjiceret. Hoc autem præstitit Protomedicus cœlestis, qui de se ipso ait [1] : *Non opus est valentibus medicus, sed male habentibus.* S. Bernardus salutarem unicuique Christiano tradit doctrinam, quæ tanquam potens peccati frænum seriam meretur considerationem. Ait enim [2] ; « Agnosce, o homo, quam gravata sint « vulnera, pro quibus necesse est Christum Domi« num vulnerari. » Etenim pro satisfactione hujus debiti infiniti peccati, ne quidem ipsamet atrocissimarum pœnarum inferni æternitas sufficiebat. Neque ad sanandam hanc plagam incurabilem aliud servire poterat balsamum, quam sanguis unigeniti Filii Dei, qui erat in sinu Patris. Hic enim solus infinitum hoc debitum *ex toto rigore justitiæ* diluere poterat. Neque enim homo sufficiens erat ad solutionem hanc præstandam, licet universum genus humanum omnes vires suas conjunxisset, quia inter hominem et Deum infinita est distantia. Deus igitur factus est homo, ut *et Deus esset qui posset et homo qui deberet*, ut S. Augustinus ait. At vero ex quo ad hanc satisfactionem persona quædam desiderabatur, quæ infiniti meriti esset Majestatique offensæ par et æqualis, quomodo hoc beneficium, quod quamdam infiniti rationem in se continet, sperare ulla ratione poterat vermis quidam indignus, qualis est homo, qui licet vilissimus sit vermis, attamen contra ipsummet Deum sese erigere, eumque mortaliter offendere præsumpsit? Qua item ratione sperare idem homo poterat, Deum, qui impassibilis, omnipotens et beatus est, subjiciendum esse flagellis, spinis, clavis, cunctisque aliis suppliciis [1] ? *Notas facite in populis adinventiones ejus. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat.* Nimirum amor Dei excogitare potuit modum, quo duo inter se contraria et adversantia, scilicet peccatum et amor divinus conspirarent; siquidem *charitas operit multitudinem peccatorum.* Ad inferendam enim Filio Dei mortem inter se hæc duo concurrerunt, et quidem peccatum hunc in finem crudelitate sese armavit, amor vero Dei pietate et misericordia. Propter primum æternus Pater dicit [2] : *Propter scelus populi mei percussi eum.* De amore autem divino Apostolus testificatur dicens [3] : *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos convivificavit nos in Christo.* Vultisne scire modum quo hæc duo, peccatum scilicet et amor divinus, Christo necem intulerint? Sciendum igitur est, peccato, quantum est ex parte sua, natum esse divinitatem destruere. Si enim Deus ab essentia et subsistentia sua desistere posset, hanc utique destructionem nihil aliud operaretur, præterquam peccatum. Huic autem perversæ et sacrilegæ voluntati amor divinus consentire non poterat. Quid igitur fecit? Nimirum hanc excogitavit inventionem, ut scilicet natura nostra humana assumeretur a Dei Filio, ut post illius assumptionem, omnibus tormentis, doloribus, atrocissimisque injuriis exponi posset, vereque posset dici, quod Deus moreretur. At vero quia anima Christi a primo suo instanti beata erat, ipsumque Verbum æternum humanitatem sibi hypostatice assumpserat, consequens erat, ut impassibilitatem, utpote unam ex quatuor dotibus gloriosis, corpori quoque suo communicaret. Quod ne fieret, amor Dei aliam excogitavit inventionem, scilicet ut continuum quoddam operaretur miraculum, gloriam et beatitudinem in portione superiori animæ beatæ coercendo, ut hac ratione corpus Christi et portio inferior pati posset, nosque inde charitatis suæ vehementiam et ardorem tanto evidentius cognosceremus : *Pœna enim interrogat, si quis veraciter amet. Notas facite in populis adinventiones ejus.* Ex quo enim Filius Dei probe præviderat, quod juxta proportionem amoris, crescant pariter tormenta, quæ objecto amato sufferuntur, immensitati amoris sui omnem libertatem reliquit, ut tanto intensius pati posset. Ac proinde S. Laurentius Justinianus ait [4] : « Ex Pas« sionis immensitate, amoris magnitudinem decla« ravit. Nisi enim tenerrime ardenterque diligeret, « doloris nimitatem tolerare non posset. Vincebat « plane in illo, atque supereminebat mortis sup« plicium amoris magnitudo. Proinde ex conside« ratione mœroris ac pœnæ, charitatis illius affectus « notus efficitur. »

[1] Matt., III, 20. — [2] S. Bern., ser. 3 *de Nativ.*

[1] Isa., XII, 4.— Joan., III, 16.— [2] Isa., 53. — [3] Ephes., II, 5. — [4] S. Laur. Just., *de Triumph. Christi agon.*

**5.** — Dicite, sodes, quænam fuerit præcipua finalis causa, ob quam Redemptor noster Passionis tormenta in suo corpore admisit? Num forte ut genus humanum redimeret, vel ut angelorum ruinas restauraret? Vel ut Luciferi, profligaret tyrannidem, qua se in falsis idolis adorari faciebat? Vel denique ut omnes populos ad sui induceret notitiam, eosque novæ legi Evangelicæ subjiceret? Nequaquam, inquit D. Chrysologus, sed [1] : « Hæc « prima causa est Dominicæ Passionis, quia sciri « voluit, quantum amaret hominem Deus. » In vita S. Catharinæ Senensis legitur, ipsam dicere solitam fuisse, quod sicut Filius Dei nos sine mensura amavit, ita quoque dolores Passionis ipsius sine ulla mensura aut modo fuerint. Eadem S. virgo D. Petro Mediolanensi Carthusiano dixisse legitur, meliorem de Passione Christi institui non posse meditationem, quam si quis serio se ad amorem reflexerit, cum quo Christus pro nobis est passus. Id quod ipsemet Salvator eamdem virginem docuerat. Cum enim ipsa die quodam Sponsum suum more sibi consueto amabiliter interrogasset, quamobrem sibi post mortem latus suum aperiri, tantamque sanguinis copiam effundere voluerit? Christus eidem respondit : Multas quidem hujus fuisse rationes, hanc vero esse præcipuam, ut per lateris aperturam secretum cordis sui homini manifestaretur, indeque edisceret, amorem suum erga homines majorem esse illo, quem forinsecus demonstrabat; siquidem, pœna, quam deforis sustinebat, finita sit, amor vero quo hominem diligit, sit infinitus. S. Apostolus dicebat [2] : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in corpore meo.* Quæ porro propositio difficultate non caret. Quid enim passioni Christi deesse poterat, de qua Psalmista ait [3] : *Copiosa apud eum redemptio?* Sed respondetur, adeo vehementem fuisse Christi amorem et desiderium patiendi pro homine, etiam post mortem, ut cum illud adimplere non posset, eo quod humanitatem suam impassibilem ad dextram Patris sui collocarat, modum tamen excogitarit patiendi continuo ad finem usque sæculorum in membris suis, id est, ferventioribus fidelibus. Ac proinde S. Paulus de se gloriabatur, dicens [4] : *Ego stigmata Domini mei Jesu Christi in corpore meo porto.*

**6.** — Opus quidem creationis nostræ magnum erga nos Dei amorem ostendit; siquidem per illud nobis tam excellens et eximium esse dedit, cujusmodi est, ad similitudinem ejus formatum esse [5] : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Pro hoc autem beneficio reciprocum a nobis amorem nostrum deposcit, dicente S. Augustino [6] : « Facta est anima ad imaginem et similitu- « dinem Dei, ut factorem suum pro imagine cogno- « scat et pro similitudine diligat. » Cui conforme est, quod S. Ambrosius in hæc verba scribit [1] : « Ut « tanto ardentius amaret conditorem, quanto mi- « rabilius se ab eo conditam intelligeret. » At vero si ob beneficium creationis Deum adeo amare tenemur, quid de beneficio Redemptionis dicemus, quæ multo pluris ipsi constitit? Quantopere illum propter hoc amare obligabimur? Audiamus Eusebium Emissenum dicentem [2] : « Maximum quidem circa « hominem divini amoris insigne est, quod inter « ipsa mundi principia, imaginem ac similitudinem « Dei sui servus accepit; sed pene amplius est, « quod nunc personam et formam servi Deus auc- « tor assumpsit. » Enim vero quonam fine Deus infinitæ majestatis in formam servi se vestiverit, imo latronis sibi famam assumpserit : « Cum ini- « quis deputatus est; » paulo ante diximus, quia [3] *si cognovissent eum, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Subdit vero idem Emissenus ex S. Augustino de diligendo Deo, ut videtur [4] : « Magnum « quidem mihi est de Deo, quod esse me sentio « opus suum; sed multo plus est, quod transisse « ipsum video in pretium meum, quandoquidem « tam pretioso munere ipsa redemptio agitur, ut « homo Deum valere videatur. » At vero dices : numquid Deus pluribus aliis modis facilioribus nostras poterat reparare ruinas, absque eo quod Filium suum in crucem agi permitteret? Dicit enim Doctor Angelicus [5] : « Deus per suam omnipotentem virtu- « tem poterat multis aliis modis humanam naturam « reparare. » Respondeo, verum quidem hoc esse, attamen per illos modos amoris sui immensitatem nequaquam ita perspicue demonstrasse, quemadmodum illam in passione sua emicare fecit.

**7.** — Ingeniosa pariter et devota, nostroquo proposito opportuna est sequens doctissimi Salmeronis ponderatio, dicentis : « Ad exaggerandum « amorem quem erga aliquem gerimus, consuevi- « mus dicere : Darem libram sanguinis mei pro vita « ejus. » Quid igitur dicemus, aut quem conceptum de infinita Christi charitate faciemus, qui totum sanguinem suum pro nostra redemptione fudit? Hic amor a sanctis viris serio meditatus, eosdem in divino amore et in compassione erga Redemptorem ardentius semper accendebat. Unde S. Bernardus inquit [6] : « Super omnia reddit te amabilem mihi, « bone Jesu, calix quem bibisti, opus nostræ re- « demptionis. » Cui consonat sequens S. Augustini meditatio, dicentis [7] : « Magna et multa, imo « certe innumerabilia sunt, quæ mihi, Domine Deus « contulisti beneficia, pro quibus mihi diligendus et « semper es laudandus. Unum autem est, quod me « plus omnibus accendit, urget, movet et promovet

[1] CHRYS. — [2] COLOSS., I, 24. — [3] *Ps.* CXXIX, 7. — [4] GAL., VI, 17. — [5] *Gen.*, I. — [6] S. AUGUST., *de Spir. et anim.*, c. 39.

[1] S. AMBR., l. I *de anim. dign.* — [2] EUS. EMIS., h. 6 *de Parasc.* — [3] I COR., II, 8. — [4] EMIS., *ex S. Ang., de diligendo Deo.* — [5] S. THO., *in Cor.* — [6] S. BERN., s. 20 *in Cant.* — [7] S. AUG., l. *Medit.*

« ad te diligendum super omnia, amara mors quam « sustinuisti, opus nostræ Redemptionis. Hoc solum, « vel hoc omnino totam vitam nostram totum labo- « rem nostrum totum obsequium nostrum, amorem « denique nostrum facile sibi vendicat. Totum hoc « est, quod devotionem nostram, et excitat melius, « et quærit suavius, et auget amplius. Multum qui- « dem in hoc opere laboravit auctor mundi, nec in « omni fabrica mundi tantam fabricationem susti- « nuit. De mundo enim, et de his quæ in mundo « sunt, dixit, et facta sunt; at vero pro repara- « tione generis humani, magnos et multos, et « diuturnos labores, et dolores sustinuit. » Quanto igitur profundius mentem nostram in contemplationem Passionis defigemus, tanto magis divini amoris flamma in cordibus nostris accendetur. Duo illi in Emmaus abeuntes Discipuli inter se dicebant [1] : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis* ? At vero quonam modo ignis ille in ipsorum pectoribus accensus fuerat? *Loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant*, id est, commemorabant passionem Christi. quam ante biduum in monte Calvariæ Christus sustinuerat. S. Bonaventura ait [2] : « Quanto ferventius diliges eum, tanto magis suæ « compatieris passioni : et quanto plus ei compa- « tieris, tanto plus erga eum tuus accendetur affec- « tus. » Enim vero omnes quotquot Christo in cruce pendenti compassi fuerunt, egregiam ab ipso acceperunt remunerationem. Etenim S. Joannes Evangelista sanctissimam Virginem matris loco sibi datam accepit. Tres Mariæ primæ fuerunt, quæ resurrectionis suæ immenso gaudio fuere perfusæ. Bonus latro Paradisum præmii loco accepit. Longinus, qui respiciens dixit : *Vere Filius Dei erat iste*, lumen oculorum, et quod plus est, fidei lumen, mercedis loco habuit. *Hi qui revertebantur, percutientes pectora sua*, domi, veræ compunctionis facti sunt participes. Quidnam Prophetam evangelicum dicere voluisse existimas, quando in persona Dei ait [3] : *Expandi manus meas tota die ad populum?* Audiamus S. Hieronymum, dicentem [5] : « Possumus expansas manus in largitate donantis « accipere, quod nihil eis petentibus denegarit : « significabant enim manus expansæ Patientis cle- « mentiam, suos filios in sinum recipere gestientis.» Bollandus de venerabili Hieronymo Æmiliano, religionis de Somaschis fundatore, eximiæ sanctitatis et perfectionis viro, ita scribit [4] : Illud identidem usurpabat, ut charitatis, fervore, divinique amoris æstu exundante, ad sanctissimum Crucifixum convolaret, ejusque pedes ante complexus, enixe deprecaretur, ut quando se ipsum Æterno Patri pro totius mundi salute effuso sanguine immaculatam hostiam in ara crucis litasset, sibi etiam misero peccatori tam pretiosi sanguinis sacrificium salutare esse præciperet; hæc ipsa verba sæpe ingeminans : Dulcissime Jesu, non sis mihi Judex, sed Salvator. In *Prato florido* de viro quodam devoto refertur, quod quia in honorem quinque vulnerum quotidie magna cum devotione spiritus, quinque *Pater* et *Ave* recitabat, eidem die quadam Redemptor noster apparens, per unumquodque vulnus adeo immensam suavitatem et gaudium communicarit, ut deinceps omnia mundi gaudia fastidiverit, nec in ulla alia re consolationem senserit, quam in Passionis Dominicæ meditatione.

[1] Luc., XXIV, 32. — [2] S. Bon., *Stim. amor.*, c. 4. — [3] Isa., LXII, 2. — [4] S. Hieron., *ib.* — [5] Bolland., 8 fév,

## DISCURSUS XX.

REDEMPTIONIS NOSTRÆ PRETIUM PONDERATUR, QUOD QUILIBET SIBI VELUT PROPRIUM VENDICARE DEBET, UT TANTO MAJORIS ANIMAM SUAM ÆSTIMARE VALEAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Convenientius fuit hominem per mortem Christi liberari, quam per solam Dei voluntatem. Ruminando Passionem Christi, retrahimus a peccando et cognoscimus pretiositatem animæ nostræ, intuentes hoc Passionis speculum. — 2. Consideratis debitis nostrorum peccatorum cognoscere licet immensitatem pretii quo redempti sumus. — 3. Expenditur quo pretio redempti simus. — 4. Quicquid Christus pasus fuit pro omnibus, paratus fuit pati unoquoque in individuo. — 5. Expenditur quid et quantum, nos debeamus Christo quia seipsum dederit pro nobis.

*Empti estis pretio magno.* I Cor., VI, 20.

**1.** — S. Thomas Doctor Angelicus in tertia parte *Summæ*, articulum quemdam habet, in quo quærit : an redemptionis generis humani modus fuerit convenientior morte Christi? ubi hanc statuit conclusionem : « Convenientius fuit hominem liberari « per Passionem Christi, cum majora et potiora « bona per eam consecuti fuerimus, quam per Dei « voluntatem. » Adducitque auctoritatem S. Augustini, in libro XIII de Trinitate dicentis : « Sa- « nandæ nostræ miseriæ convenientior modus alius « non fuit quam per Christi Passionem. » Ibidemque enumeratis variis bonis, quæ ab hac viva et divina sanguinis Redemptoris scaturigine dimanant, inter alia quoque tangit, quod sequitur : « Per hoc est homini inducta major necessitas se « a peccando conservandi immunem, qui se san- « guine Christi redemptum cogitat peccato, secun- « dum illud (I. *Cor.*, cap. VI): *Empti estis pretio* « *magno glorificate : et portate Deum in corpore ves-* « *tro.* » Idem Angelicus Doctor alibi, de Verbo pro nostra redemptione incarnato disserens, idem quoque adducit motivum dum ait : « Instituimur, « quanta sit dignitas humanæ naturæ, ne eam in- « quinemus peccando. Unde S. Augustinus dicit in « libro de vera Religione : Demonstravit nobis

[1] S. Thom., 3 p. — [2] Id., *ib.*

« Deus, quam excelsum locum inter creaturas « habeat humana natura, in hoc quod homini- « bus in vero homine apparuit. Et Leo Papa dicit « in sermone de Nativitate : Agnosce, o Christiane, « dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, « noli in veterem vilitatem degeneri conversatione « redire. » S. Laurentius Justinianus in libro de triumphali Christi agone, de hoc Passionis mysterio diffuse disserens, in ejusdem libri proœmio expresse dicit [1] : « Poterat omnipotens Majestas ali- « ter quam se exinaniendo, perditum reparare « hominem : sed ut sciret quantum deliquerat, « quantum diligeretur, quantique se æstimare de- « beret, id agere voluit. Sciret quoque, quid Deo « deberet, qui pro peccatore, pro perdito, pro in- « grato, tantis se dignatus est exponere passioni- « bus. » Enim vero si clare et perspicue videre volumus, quanti is, *qui spirituum ponderator est* [2], hominem, ejusque animam æstimarit, et quo in pretio illam habuerit, huic sufficiet in pondere sanctuarii trutinare verba illa, quæ in hymno Festi Corporis Christi, a Doctore Angelico composito, a sancta Matre Ecclesia canuntur, videlicet : *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.* Observandum quoque, quod ut quis inexhaustum thesaurum pro nostra redemptione adhibitum digne ponderare possit, necessum sit, omnia pœnosissimæ Passionis Christi tormenta serio ruminare, et seriatim ac diligenter meditari, prout in hoc tomo facturi sumus : « Vide jam quid de Deo tuo sentias, » dicebat in sermone quodam S. Bernardus [3] : « Vide quantum « de Deo præsumas. Vide quibus brachiis vicariæ « charitatis redamandus et amplectendus sit, qui « tanti te æstimavit, imo qui tanta fecit. » Quando quis, quænam sit faciei suæ constitutio, vult cognoscere, speculum inspiciat; hoc enim sine ulla adulatione et mendacio ei veridice insinuabit, qualis sit. Eodem modo si infinitum hujus thesauri animæ (quem oculo videre non possumus, eo quod in agro hujus corporis lateat absconditus, *habemus* enim *thesaurum istum in vasis fictilibus* ) pretium intelligere volumus, hoc amaræ Passionis speculum intueamur. Siquidem Drogo Hostiensis Passionem Domini sub speculi metaphora indigitat, inquiens [5]: « Fecisti mihi de corpore tuo speculum animæ meæ Idem Drogo paulo ante in persona Christi dixerat : « O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et vidite, si est dolor similis, sicut dolor meus. Atten- « dite dolorem meum, ut in dolore meo videatis « dolorem vestrum : dolor meus imago doloris ves- « tri est. Quod attenditis in corpore meo, attendite « et vos. Si similis dolor non est in corde vestro, « transitis a vobis adme. Transite a me in vos, et vi- « dete, si similis dolor in vobis sit, sicut dolor meus. « *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete,* « *filiæ Jerusalem*; nam ille dolor quem transitis et « non attenditis, magis est flendus, quam dolor « meus. Propter scelus enim vestrum percussus « sum. »

**2.** — Si scire cupiamus, quantum liberatori nostro constiterit nostra redemptio, quam creditoribus nostris satisfaciendo perfecit, considerandum erit debitum, quo nos ipsos obstrinxeramus. Similiter si devenire cupimus in perfectam lytri pro nostra redemptione soluti notitiam, examinandum nobis erit, quam fuerit immensum per peccatum contractum debitum. Peccator enim præfiguratur per illum, de quo apud S. Matthæum dicitur [1] : *Oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.* Tale est uniuscujusque peccati mortalis debitum, quod penes divinam justitiam hominem infinitæ alicujus summæ debitorem efficit. Hocque debitum per Christi mortem persolutum fuit, dicente ipsomet Patre Æterno [2] : *Propter scelus populi mei percussi eum.* Unde merito S. Augustinus nos monet, dicens [3] : « Agnosce, o homo, quantum valeas et « quantum debeas ; et dum tantam redemptionis « tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito pec- « candi pudorem. Id quod in alio quodam sermone magna cum sollicitudine repetit, dum ait [4] : « Agno- « scat homo, quantum ab illo expectet Deus; et « quem tanta dignatione habuit charum, quam ve- « lit esse in conservatione pretiosum. Agnoscat « homo quantum valeat et quantum debeat, et « dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat. Profecto si quis ad curandum infirmum quemdam, pro remediis inæstimabilis valoris comparaudis, integrum expenderet auri millionem, facile utique foret inde comprehendere morbi enormitatem, et periculum. Et ideo S. Bernardus ait [5] : « Ex con- « sideratione remedii, periculi mei æstimo quanti- « tatem. Nesciebam, sanus mihi videbar et ecce « mititur Virginis Filius, Filius Dei Altissimi, et » jubetur occidi, ut vulneribus meis prætioso san- « guinis illius balsamo medeatur. »

**3.** — *Pretio magno.* Ut primitivæ Ecclesiæ fideles dignum sibi de infinito, quo redempti fuerant, pretio formarent conceptum, S. Petrus sequentia verba anxie imprimere contendit [6] : *Scientes, quod non corruptibilibus auro, et argento redempti estis, sed pretioso sanguine Agni immaculati Christi, et incontaminati.* S. Bernardus merita operationum Christi æqua lance ponderans, ita scribit [7] : « Nota cum quanto pretio es redempta, o anima,

[1] S. Laur. Justin., *de Triumph. Christi agon. in prologo.* — [2] *Prov.*, xvi, 2. — [3] S. Bern., ser. 2 in *Dom.* I *post Epiph.* — [4] I Cor., iv, 7. — [5] Drog. Host., *de Sacram. Dom. Pass.*

[1] Matt., xviii, 24. — [2] Isa., liii, 8. — [3] S. Aug., ser. 41 *in Append. de divers.* — [4] Id., *ibid.*, ser. 45. — [5] S. Bern., ser. 3 *de Nativ.* — [6] I Pet., i, 18. — [7] S. Bern., t. IV.

« quia cum sanguine et vita Christi; ad denotan-
« dum pretiositatem animæ, quia unus passus pe-
« dis, et unicus ictus oculi Christi, et unicus actus
« Jesu, et una gutta sanguinis Christi, erat sufficiens
« pro redemptione decem millium mundorum. »
Id quod Doctor Angelicus his verbis confirmat [1] :
« Me immundum munda tuo sanguine, cujus una
« stilla salvum facere totum mundum quit ab omni
« scelere. » Unde Propheta Evangelicus de ho-
minu redempto inquit [2] : *Suscepit de manu Domini duplicia.* Quæ verba Ferrerius ad præ-
sens propositum hoc modo explicat : « Quod afflic-
« tionibus Christi Filii sui, fratris nostri, non ad
« æquale modo, verum plus quam debitum esset,
« sibi satisfecissemus etc. Cum hæc audis, Christi
« Passionis meritum, et gratiam, quæ hominem di-
« gnatus est, cogita. » Chaldæus legit : *Suscepit multiplicia, et grandia, sive multa, et magna.* At
vero parum nimis Propheta Evangelicus dicit, quia
cum unica duntaxat sanguinis stilla ad mille mun-
dos redimendos sufficiat, animam uniuscujusque
nostrum per integros sanguinis torrentes redimere
voluit. Quam veritatem, scilicet quod una sangui-
nis Christi stilla non modo sufficiens pro generis
humani redemptione, sed et superabundans fuerit
pretium, Clemens VI, *in extravag. Unigenitus, de pœnitentiis, et remissionibus,* velut ex Cathedra
Petri pronunciavit. Unde S. Augustinus nos exhor-
tatur, inquiens [3] : « Internis luminibus inspicite
« vulnera Pendentis, cicatrices Resurgentis, sangui-
« nem Morientis, pretium Credentis, commercium
« Redimentis. Hæc quanti valeant, cogitate. Hæc
« in statera charitatis appendite. » Enimvero ex
quo unica tantum spinæ punctura ad integrum
mundum redimendum abunde suffecisset, æqua
rationis trutina ponderate innumeros alios dolo-
res, et tormenta quæ pro animarum nostrarum
pretio optime censebat esse adhibita : « Hæc igitur
« in statera charitatis appendite. » S. Anselmus
meditatur, inquiens [4] : « Ab imo pedis usque ad
« summum verticis totum in aquas Passionis te
« demersisti, ut me totum de illis extraheres. Et
« intraverunt aquæ usque ad animam tuam, nam et
« animam tuam in morte perdidisti, ut animam
« meam perditam mihi redderes. Ecce duplici debito
« me obligasti, nam et pro eo quod dedisti : et pro eo
« quod mei causa perdidisti, debitor tibi sum et pro
« mea quidem vita his a te mihi data, semel in crea-
« tione, semel in Redemptione, quid magis juste tibi
« reddam, quam ipsam, non habeo. Pro tua autem
« pretiosa anima ita contribulata, quid ab homine
« digne rependi possit, non invenio. » Lucas Brugen-
sis, de injuriis Christo in monte Calvariæ irrogatis
disserens, ita scribit [5] : « Continuit divinam virtutem
« suam, et humanam naturam totam cruciatibu[s]
« exposuit, summos et corporis, et animi cruciatus
« tolerans, ut plene pro nobis satisfaceret. » Chris-
tus semetipsum assimilavit illi negotiatori, qui
omnia quæ habuit, vendidit, ut pretiosam quamdam
sibi gemmam compararet [6] : *Simile est regnum Cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas : inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.*
S. Ambrosius ad hoc propositum inquit [7] : « Ido-
« neus sui operis æstimator magno pretio nos rede-
« mit. » Et S. Paulus ait [8] : *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam eum illo omnia nobis donavit?*

4. — *Pretio magno.* Enim vero si ad ponderan-
dum pro dignitate lytrum Redemptionis nostræ
propius accedere volumus, necessum est credere,
quod quicquid factum est a Christo pro universo
mundo, seu pro toto genere humano, idipsum
applicaturus fuisset unicuique animæ in individuo.
Unde Blosius ait : « Singula quæ pertulit Jesus,
« ita considera, et recipe, quasi pro te solo illa
« pertulisset : neque enim ea tibi minus prosunt,
« quam si tu solus per Christum redimendus fuisses,
« Sed et si solus redimi debuisses, ille pro te uno
« promptissime, et incarnari, et pati, et mori vo-
« luisset. » Est que hæc doctrina in Scriptura sacra
optime fundata, quia Apostolus ad Galatas ita scri-
bit [9] : *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*
Quo enim modo pretium pro omnibus persolutum
Apostolus sibi soli vendicare potuisset, nisi quod
solutum fuit pro omnibus; ita singulis prosit, ac si
pro uno duntaxat persolutum fuisset? Optimus
igitur Passionem cum fructu meditandi modus
hic est, si nimirum credamus, et arbitremur, quod
quicquid passus est Christus, pro me solo passus
fuerit, ac si nulla alia anima salvanda esset. Unde
D. Chrysostomus prædicta Apostoli verba explicans, inquit [10] : « Declarat hoc par esse, ut quisque
« nostrum non minus agat gratias Deo, quam si
« ob ipsum solum advenisset : neque enim recusa-
« turus erat, vel ob unum tantam exhibere dispen-
« sationem : adeo singulum quemque hominem
« pari charitatis modo dilig it, quo diligit orbem
« universum. » Et hic forte est sensus Psalmitæ
in persona Redemptoris non omnes homines, sed
unicam tantum animam in individuo sic alloquen-
tis [11] : *Pro te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. Opprobria exprobantium tibi ceciderunt super me.* Non dicit *vobis*, sed *tibi*. In parabola ovis
perditæ, et cum tantis sudoribus, et fatigationibns
inter dumeta et spinas sylvarum a cælesti Pastore

[1] S. Tho. — [2] Isai., xl, 2. — [3] S. Aug., t. VI, l. de S. *Virg.*, c. 54. — [4] S. Ans., *Dial. de Pass.*, c. 10. — [5] Luc. Brug., in *Matt.*

[6] Matt., xxiii, 45. — [7] S. Amb., l. VII in *Luc.* — [8] Rom., viii, 32. — [9] Blos., in *Conclavi animæ*, c. 10. — [10] Gal., ii, 20. — [11] Chrys., *ibid.* — [12] *Psal.* lviii, 8.

anxie quæsitæ, excessiva hæc charitas charissime emicuit [1] : *Vadit ad illa quæ perierat, donec inveniat eam.* Blosius alibi hos erga unicam animam Crucifixi affectus ita describit [2] : « En vides, quo- « modo pro te sum vulneratus in cruce? Si saluti « tuæ expediret, vellem pro te tolerare omnia, quæ « toleravi pro toto mundo. » Ac proinde Eusebius Emissenus merito in hæc verba populum est exhortatus [3] : « Christus sicut pro cunctis passus est, sic « pro singulis : sicut ei totum debent universi, sic « totum singuli, sed quodammodo plus singuli, « quam universi : quia quantum acceperunt sin- « guli tantum universi. » Quæ Emisseni propositio rationibus innititur in sana theologia fundatis, siquidem Doctor Angelicus in *Summa* sua ita scribit [4] : « Totum quod omnibus est impensum, unus « quisque debet sibi adscribere, quid enim intere- « rest, si et aliis præstitit, cum quæ tibi sunt præ- « stitia, ita integra sunt, et ita perfecta, quasi nulli « alii ex his aliquid fuerit præstitum? » Sine dubio multas vidistis Redemptoris crucifixi effigies, hac epigraphe subsignatas : *Vide quæ pro te patior* . Non dicitur *pro vobis*, sed *pro te*. In principio septimanæ sanctæ Ecclesia fidelibus hæc verba proponit : *Ecce rex tuus venit tibi*, non dicit *vobis*. Salvianus punctum ab Emisseno traditum, et ipse in hæc verba tangit [5] : « Totum se dedit universis, et sin- « gulis totum : ac per hoc quicquid passione sua « Salvator præstitit, totum singuli. » Regius Vates hanc sibi a Deo concedi postulabat gratiam : *Erue a framea Deus animam meam, et de manu canis unicam meam.* « Quare unicam dixit » quærit S. Cæsarius Arelatensis ? Et respondet [6] : « Quia tan- « quam unica magni admodum pretii diligenda. » Uniuscujusque enim fidelis anima in particulari æque æstimanda est, et diligenda, ac si Redemptor noster totum inæstimabile sanguinis sui pretium pro ipsa sola, et non pro omnibus aliis exsolvisset.

**5.** — *Empti estis pretio magno.* S. Bernardus ex præclaris hisce verbis in libro de diligendo Deo sequentem deducit consequentiam : « Si totum me « debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto, « et refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus « quam factus : in primo opere me mihi dedit, in « secundo se. Et ubi se dedit, me mihi tradidit. Datus « ergo, et redditus, me pro me debeo et bis debeo. « Quid ergo Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me « millies rependerem, quid sum ego ad Deum? » Quod si quispiam dando quidquid in hoc mundo habet, vel servituti se addicendo, vel propriam prodigendo vitam, te vel a morte, vel a dura et perpetua servitute eripuisset, quantum ex hoc tua erga ipsum augeretur obligatio? Hoc autem totum Filius Dei pro nobis præstitit et tamen adeo ingrati inveniuntur plurimi homines ut ne quidem semel de hoc beneficio cogitent. Qui proinde sanctum audiant Bonaventuram, dicentem : « Quando « homo cogitat, quod Filius Dei voluit pro « ipso redimendo talia sustinere, recognoscit « quantæ sit nobilitatis anima sua, pro qua « redimenda voluit Filius Dei mori, et hoc ipso « ad nobiliora animatur. Et quia illum pretiosissi- « mum sanguinem pro anima sua dealbanda « effusum esse agnoscit, dedignatur se vilitatibus « vitiorum inquinari. Et quia recognoscit etiam per « illam beatissimam passionem ruinam Angelorum « de hominibus reparari, ideo revocatur ad ange- « lice videndum, et in cœlestibus conversari. » Eamdem quoque considerationem habet S. Augustinus, inquiens : « Agnoscat homo quantum valeat, « et quantum debeat. Custodiamus sollicite quod « tanti sui cruoris commercio Christus redemit. « Reus itaque erit non parvi pretii, sed sanguinis « Christi qui commaculat animam Christi sanguine, « et passione mundatam. » S. Paulus librum Crucifixi adeo sibi familiarem habebat, ut protestatus fuerit, dicens : *Non judicavi me scire aliquid, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* Quid mirum igitur si tanto ejus fuerit amore succensus? Cæsarius Heisterbacensis inquit : « Nullum est sacra- « mentum, quod tam efficax sit divini amoris in- « centivum, quam opprobria Passionis. Apostolus « dicit se nihil scire, nisi Jesum Christum, et hunc « crucifixum, Ergo Christi passio ejus fuit lectio. » Et profecto nullum librum frequentius legit, quam Passionem Redemptoris nostri, ac proinde ait : *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Consideratione dignum est aliud divini amoris motivum, a S. Bonaventura in hæc verba traditum : « Quis non exultet in immensum, « cum cernit Deum ipsum in tantum diligere, ut « tantæ vilitati et pœnalitati subjecerit semetipsum « pro eo? Quis princeps in regno, vel imperio « alicujus imperatoris, vel regis, cernens se tantum « a rege imperatore diligi, ut paratus esset mori « pro ipso, non gauderet? Quanto magis nos vilis- « simi homines, et peccatores nefandissimi, et « servi, gaudere debemus, et exultare, cum vide- « mus Regem regum, et Dominum dominantium, « et creatorem nostrum Jesum, nos ita continuo « diligere, ut immolaverit seipsum pro nobis, in « tam turpi et vilissima morte? » S. Laurentius Justitianus oculis in Deum crucifixum quasi defixis, ait : « Quantus sit homo, apertissime manifestatur : « vile esse non potest, quod Filii Dei sanguine « comparatur. Nequaquam mediator Christus pas-

[1] Luc., xv, 4. — [2] Blos., in *Monili.* — [3] Eus. Emiss., serm. in *Exhort. ad plebem.* — [4] S. Thom., 3 p., qu. 1, art. 4. — [5] Salvian., l. I *ad Eccl.* — [6] Cæsar. Arel., ho. 1.

[1] S. Bonav., t. VII, *Stim. amor.* — [2] S. Aug., ser. 45 in *App. de divers.* — [3] I Cor., II, 2. — [4] Cæs., l. VIII, c. 15.— [5] S. Bon., *ib.*, c. 4.— [6] S. Laur. Just., *ib.*, c. 20

« sionis aut mortis crucis subiisset injuriam, si non « peccator homo in Dei incurrisset offensam. » Sola igitur hæc notitia, scilicet quod peccatum Deo sanguinem suum constiterit, efficax nobis omnibus debet motivum esse, ut ab omni ejus offensa nobis deinceps quam studiosissime caveamus. Idem S. Laurentius Justinianus in cap. XIV ejusdem libri ita scripserat : « Ut scias, homo, quanti te æstima- « verit Christus, et compassione patiaris cum illo, « utque amori ipsius vices rependere possis, hortor, « atque commoneo, quatenus in spiritu in præto- « torium Pilati introeas, diligenterque consideres, « quid tuus propter te in ea sustineat Deus. » S. Bonaventura verba illa citat S. Bernardi, dicentis : « Suffecisset ad redemptionem humani generis « minutissima gutta sanguinis Christi, sed data est « copia, ut ex nundatione beneficii virtus innotes- « ceret diligentis. Unde grave est, quod tantum « diligens, tantum oditur. »

[1] S. Laur., *ib.*, c. 14.

[1] S. Bern., in S. Bon., *ser.* 6 *in Parasc.*

# TRACTATUS SECUNDUS

## DE IIS QUÆ A CHRISTO SALVATORE NOSTRO POST ULTIMAM CŒNAM ET PRÆCIPUE IN HORTO GETHSEMANI GESTA SUNT.

### DISCURSUS I.

MYSTERIA PASSIONIS CUM OMNIBUS CIRCUMSTANTIIS SUIS A NOBIS RUMINANDA, ET EMEDULLANDA SUNT.

IDEA SERMONIS. — 1. Qualiter passio Christi meditanda et minutatim ruminanda. — 2. Agnus Paschalis præcipua figura Christi patientis. — 3. In meditanda passione sex modis se habere potest homo. — 4. Singulæ partes passionis ruminari debent. — 5. Quis, cum quibus et pro quo patiatur. — 6. Quinam Christo mortem fuerint machinati. — 7. Gravitas passionis Christi aucta fuit ex locis in quibus passus fuit et tempore quo passus fuit. — 8. Passio Christi aucta fuit ex longitudine suppliciorum ejus. Omnia Christi membra singulatim habuerunt proprium suum tormentum. — 9. Nullus Christi partes egit in Passione sua præter Pilatum et ejus uxorem. Afflictiones interiores animæ ipsius fuerunt acerbissimæ. — 10. Pro quibus Christus patiatur.

*Si oblatio fuerit de sartagine, divides eam minutatim.* Levit., II. 5.

**1.** — Deus noster olim in Levitico præcepit, ut si oblatio de rebus in sartagine frixis litaretur, in minutissimas diminueretur partes : *Divides eam minutatim.* Sed quonam putas fine infinita illa sapientia, quæ totum regit et gubernat Universum, omnipotens, inquam illa Altissimi Majestas se adeo demisit, ut ejusmodi minutias, in seipsis cæteroquin viles, in sacrificiis in antiqua lege offerendis observari præscripserit[1]? *Nunquid de bobus cura est Deo?* Nimirum superius sæpius diximus, omnia veteris legis sacrificia, unicam illam præfigurasse victimam, quæ tandem in plenitudine temporum in Altari sanctæ Crucis immolanda erat, utpote in qua omnia alia legis antiquæ sacrificia terminanda erant, ac proinde ritus ille quem Deus in præcitati thematis verbis præcipit, ut Glossa interlinearis exponit præfigurabat, quod « si dispensatio passio- « nis fuerit de cruce, divides eam minutatim. « singulas partes passionis dividendo ; proditionem « scilicet, sputa, colaphos, coronam spineam, etc. »

**2.** — Porro inter alias veteris Testamenti figuras, nulla magis propria aut præcipua dari poterat Christi crucifixi, figura, quam Agnus Paschalis ; hic autem adeo debebat manducando consumi, ut nullum genus reliquiarum ipsius reliquum manere posset. Ita enim ait sacer textus : *Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis ; non remanebit quicquam ex eo ; si quid residuum fuerit, igne comburetis.* Quasi Deus dicere vellet omnes passionis Dominicæ passus, puncta, circumstantias, verba, multo autem magis in eadem a Christo exhibita facta considerabitis et revolvetis attente. Quod si vero in eadem quidpiam occurrerit, quod intellectum vestrum superaverit, igne divini amoris qui ineffabilis et incomprehensibilis fuit, vel etiam igne Spiritus consumetis. Dialogus de passione Domini a S. Anselmo compositus, suum ab hisce verbis ducit exordium : « Beatus Anselmus Episco- « pus longo tempore, jejuniis, lacrymis, et ora- « tionibus gloriosam Virginem exorabat, ut ei « dilecti Filii sui Passionem dignaretur perfectius « revelare. Cui tandem apparens Beata Virgo, « dicebat : Talia et tanta passus est meus Filius,

[1] I Cor., IX, 9.

[1] S. Ansel., *Dial. de Pass.*

« quod nullus fidelis sine lacrymarum effusione « potest exprimere. » Et quidem tametsi verissimum esse indubitatum sit, quod scilicet ad exprimenda Passionis mysteria planctus potius quam atramenti usus sit necessarius, faciliusque explicentur per manantes ab oculis lacrymas quam per inscriptos vel impressos in chartarum paginis characteres, propter hoc tamen calamo nequaquam feriandum est, ad contestandum erga Dominicam Passionem, qua redempti sumus, obsequiosam gratitudinem, debitæque devotionis affectus. S. Laurentius Justinianus in libro de Triumphali Christi agone ita scribit [1]: « Maxima prorsus, et inaudita « coram nobis plorandi est oblata materia, si « tamen quæ geruntur, pervigili consideratione « aspiçitis. Verum cordis omnem advocate intenti « tionem, ut una nobiscum concorditer lugeat. »

**3.** — *Divides minutatim.* Ludolphus Carthusianus in ordine ad meditandum hoc mysterium, sequens tradit documentum [2]: « Circa passionem « Domini potest homo se habere sex modis. Consideret eam : Primo ad imitandum. Secundo ad « compatiendum. Tertio ad mirandum. Quarto ad « exultandum. Quinto ad resolvendum. Sexto ac- « quiescendum. « S. Theodorus Studita impossibile esse censuit, quod quis multitudinem et varietatem dolorum Christi, omniumque illis conjunctarum circumstantiarum exprimere, aut comprehendere possit. Ait enim : « Sanguinarium in eum consilium « Judaica comprehensio, ad necem adjudicatio, « causæ pro tribunali Pilati dictio, interrogatio, « castigatio, colaphi, sputa, contumeliæ, ludibria, « crucis conscensus, manuum et pedum suffixio, « fellis degustatio, ictus lateris, et quæ cum iis, « alia miscuere, quæ nec capere queat mundus « nec digne recensere valeat, non dictam mortalis, « sed nec cunctæ angelorum linguæ. »

**4.** — *Divides eam minutatim,* scilicet singulas partes passionis distinguendo. Qua in re egregio nobis exemplo præivit S. Bernardus, dum ait [4]: « Illius noctis incommoda percurramus, quomodo « tentus, vinctus, tractus, trusus, cæsus, consputus, « colaphis alapisque percussus, spinis coronatus, « arundine cæsum caput, flagellis acerrimis lacera- « tus, propria cruce oneratus, primo portans eam « quæ ipsum postea statim fuit portatura. Talem « inspice Jesum. » S. Bonaventura pariter huic divisioni operam dedit, eamque hisce verbis insinuavit [5] : « Considera, quæ persona, quam pœnam, « qua parte, qua culpa, quibus ministris, quibus « sociis, quibus solatiis, quibus instrumentis, quo « loco, quo tempore, quo fructu, quomodo susti- « nuit. » Similes quoque habet in alio quodam sermone considerationes; siquidem ita scribit [1] : « Vide « quibus instrumentis patitur: videlicet adhibita sunt « illusoria, vilificatoria, tortoria, ut fuerunt pur- « pura, crux, et similia, vincula, corona, flagella, « velum faciei, manus colaphizantes, arundo, cruci « acetum, lancea. » D. Chrysostomus quoque totius « corporis torturam meditatur, inquiens [2] : « Ex- « tremas certe ille contumelias sustinuit, quippe « cum non membrum, sed universum corpus « atroces injurias pateretur. Caput spinea corona « calamo, pugnis, facies sputis, maxilla alapis, « corpus reliquum flagellis, nuditate, amictu chla- « mydis, adoratione simulata, manus calamo, quem « pro sceptro tenere dederunt, os quoque ipsum « et lingua, aceti potione, ac fellis. »

**5.** — *Divides minutatim.* Ac proinde consideremus in primis, quisnam est ille qui patitur. S. Bernardus ait [3] : « O vere admirabile commercium. « Tradidit se Rex pro servo, Deus pro homine, « Creator pro creatura, innocens pro nocente. » S. Bonaventura, quoque meditatur, inquiens [4] : « Grave est pati cum vilibus, Regem suspendi cum « latronibus. » Idem similiter alibi ait : *Conspuitur gloria, condemnatur justitia, judicatur, occiditur vita.* Etenim c. VII, ejusdem libri hanc meditationem subnectit : « Consideratio sapientialis est in hac beati- « tissima Passione, quando homo considerat, po- « tentissimum pro nobis conculcari, sapientissimum « ad modum stulti illudi, optimum amaritudine « repleri, et tanquam pessimum turpissima morte « condemnari. » Ibidem in c. II dicit : [5] « Angelorum « solatio, beatorum præmium, Dominus Jesus Chris- « tus, pro te vilissimo stercore voluit in suo cor- « pore sustinere, etc.» S. Laurentius Justinianus in proœmio supradicti libri pariter ad immensam et infinitam se reflectit personæ patientis dignitatem, inquiens [6]: « Est qui patitur Unigenitus Dei, verbum « sempiternum, sapientia attigens omnia, salus « mundi, reparator hominis, virtus pugnantium, « corona vincentium, errantium via, naufragantium « sinus, mœrentium solatium, comes peregrinan- « tium, nutantium robur, sustentatio debilium, « mortuorum resurrectio, regnantium merces, « Angelorum gaudium, divinitatis speculum, cha- « ritatis fons, origo luminum, veritatis contempla- « tio, deliciarum paradisus, omniumque bonorum « emanatio indeficiens.» Ex quatuor dignissimorum, et cœlestium epithetorum congerie facile deducitur infinita disproportio quæ est inter Dei Filium, et inter insultus, improperia, flagella, et patibulum crucis, cui fuit, affixus S. Augustinus ait [7]: « Candet « nudatum pectus, rubet cruentum latus tensa arent « viscera, decora languent lumina, regia, pallent

[1] S. Laur. Just., *de Triumph. Christi agon.* — [2] Ludolph. Car., p. 2. — [3] Theod. Stud., ser. 73. — [4] S. Bern., c. 5, *de Pass.* — [5] S. Bon., ser. 5 *in Parasc.*

[1] S. Bon., *ib.* — [2] Chrys., ho. 88 *in Matt.* — [3] S. Ber., *ib.* — [4] S. Bon., *Stim. amor.*, c. 2. — [5] Id., *ib.*, c. 7. — [6] S. Laur., Just., *in prol.* — [7] S. Aug., l. *Medit.*, c. 6.

« ora, procera rigent brachia, crura pendent « marmorea, rigat tenebratos pedes beati sanguinis « unda. Specta gloriose genitor gratissimæ prolis « lacerata membra, et memorare benignus, quæ « mea est substantia. Conspicare Dei hominis « pœnam et relaxa conditi hominis miseriam. »

6. — *Divides eam minutatim.* Considerandum insuper est, quinam fuerint, qui Christi mortem fuere machinati. Psalmista ait [1] : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.* Idem quoque Christus Dei Filius dicere potuisset, siquidem mors ei illata fuit, non ab inimicis, sed ab ea gente, unde suam traxit originem. Etenim populus ille, qui per tot sæcula præ cunctis aliis gentibus tot fuit beneficiis adauctus, non prius quievit, donec illum in patibulo crucis in medio duorum latronum fecit expirare. Lucas Brugensis ait [2] : « Nullum unquam « exemplum tantæ inhumanitatis et crudelitatis « adversum manifestarium malefactorem editum « legimus, quale hic spectatum est adversus homi- « nem omnium innocentissimum et judicis quoque « ore pronunciatum justissimum, quem non inno- « centissimum tantum, sed et beneficentissimum « in omnes fuisse constabat; » maxime vero erga genus Hebræorum, ut proinde David dixerit [3] : *Non fecit taliter omni nationi.* « Levius ferunt ho- « mines, » inquit S. Bonaventura [4], « quando pa- « tiuntur ab his quos læserunt; sed ecce Dominus « Judæos non solum non læserat, sed et benefa- « cerat. » Porro S. Bernardus considerat, quod præter Judæos, multi quoque alii ad inferendam Christo mortem sese conjunxerint; ita enim scribit [5] : « O quantos habes, Domine Jesu, percus- « sores! Percutit te Pater tuus, qui proprio Filio « suo, id est tibi, non pepercit, sed pro nobis om- « nibus tradidit te. Percutis temetipsum; tradis « enim in mortem animam tuam, quam nemo po- « test tollere a te sine te. Percutit te discipulus « impius traditione et osculo falso. Percutit te Ju- « dæus colaphis et alapis; percutiunt te gentiles « flagellis et clavis. » Reliquum erat, ut idem mel- lifluus scriptor adderet, quod in pluribus aliis locis dixerat, scilicet : « Percusserunt et crucifixe- « runt te peccata uniuscujusque nostrum, » prout in speciali quodam discursu supra probavimus. Vix ullum hominum genus reperitur, quod in Christi Passione aliquam non habuerit partem. Nam ut S. Laurentius Justinianus ait [6] : « Erat factus spec- « taculum Judæis et Græcis, Latinis et Barbaris, « justis et peccatoribus, diligentibus et odienti- « bus. » Ab uno Apostolorum fuit venditus, ab alio negatus, a cæteris prorsus derelictus, ab amicis non fuit agnitus, Mater ejus per suam præsentiam auxit pœnam et dolorem, Pater quoque illum quo- dammodo deserere videbatur. Cajetanus ait [1] : « Interfuerunt non solum Judæi et Jerosolymitæ « persecutores Jesu, sed etiam Galilæi et aliarum « nationum Hebræi, convenientes ad Pascha, ut ab « omnibus Jesus passus fuerit, et nullius nationis « inventus fuerit aliquis in turba (etiam invitante « toties Pilato) qui fuerit pro Jesu. » Unde Taulerus pariter meditatur, Christum in sua Passione adeo fuisse totaliter derelictum, qualiter nullus unquam reus derelinqui solet; omnis enim respublica sem- per reis prospicit de advocatis, qui eorumdem causæ patrocinentur [2] : « Nemo est, inquit, qui « eum relevet, qui aliquid in eum conferat bene- « ficii, qui compatiatur afflicto, qui vel consolato- « rium loquatur verbum. Juvenes et senes, pusilli « et magni, servi ac domini, omnes in eum insur- « rexerunt, omnes unanimiter suam in eum viru- « lentam malitiam et falsitatem evomuerunt. » Omnes certatim conjurarunt adversus innocen- tem, eumque sunt persecuti; ac proinde Regius Psaltes merito exclamat [3] : *Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ et Principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus.* Et quidem Pilatus tanquam minister Imperatoris illum processavit et condemnavit; Herodes rex illum tanquam stultum contempsit et irrisit; principes Synagogæ, pontifices, magistratus, seniores, scribæ, doctores, pharisæi, turbæ, concilia, ecclesiastici et seculares utriusque sexus, unanimiter ejus postularunt mor- tem; debilis quædam muliercula effecit, ut Petrus non sine ingenti scandalo divinum suum negaret magistrum. Imo ut devotus quidam contemplativus ait : « Tam vilis æstimabatur, tamque nihili, ut « contra morem omnium tribunalium libidini et « licentiæ militari relinqueretur, quasi crimen « ipsius tam grande esset, ut nihil atrocitatis, vel « ignominiæ posset in eum a quoquam effundi, « quod non mereretur. Quam vere de se per Pro- « phetam dixit [4] : *Ego autem sum vermis et non « homo, opprobrium hominum et abjectio plebis!* « Quis hominum post homines natos ita fuit ali- « quando tractatus, quis ita arbitrio carnificum « concessus? Quis unquam in ipsa suppliciorum « acerbitate tam inhumaniter illusus, irrisus, exa- « gitatus? »

7. — *Divides eam minutatim.* S. Bonaventura ait : « Aggravatur Passio ex loco propter multi- « tudinem. Quanto enim quis pluribus in locis « confunditur, tanto gravius est. Et ecce Christus « in horto ligatur, in domo Caiphæ a ministro « alapa cæditur. In atrio Caiphæ conspuitur. In « hospitio Herodis illuditur. In prætorio Pilati fla- « gellatur et condemnatur. Crux ab eo bajulatur,

[1] *Ps.* LIV, 13. — [2] LUC. BRUG., *in Matth.* — [3] *Ps.* CXLVIII, 20. — [4] S. BON., ser. 5 *in Parasc.* — [5] S. BERN., c. 5 *de Pass.* — [6] S. LAUR. JUST., *ib.*, c. 5.

[1] CAJET., in *Joan.* — [2] TAULER., *de Pass.* — [3] *Ps.* II, 1. — [4] *Ps*, XXI, 7. — [5] S. BON., ser. in *Parasc.*

« in Golgotha crucifigitur. Item propter loci turpi-
« tudinem. Exivit in eum, qui dicitur Calvariæ
« locus, qui sic dictus est propter calvarias decolla-
« torum. Turpis ergo est locus iste et propter tor-
« menta et propter cadavera damnatorum. In alto
« suspenditur, ut manifestius confundatur. » S. Bernardinus quoque sequentes notabiles ponderat circumstantias, per quas Christi Passio notabiliter fuit aggravata; ita enim scribit [1] : « Manifeste clarescit,
« quantum pro nobis voluit pati, in cujus Passione
« et morte, tot et tanta concurrerunt quæ augmen-
« tum dederunt illius confusioni. Nam voluit pati
« in civitate metropolitana, in qua ante sex dies
« fuerat gloriose receptus. In festo solemni azymo-
« rum, quando de universo populi Israel convenire
« debebant. Hora meridiana, quando plures con-
« currere poterant ad videndum. Erectus in altam
« crucem in Calvariæ monte, ut ab omnibus melius
« videretur; in medio punitionis malefactorum, in
« medio latronum, totaliter nudus ad spectaculum
« opprobrii erectus. » Doctor Seraphicus quoque tempus Passionis notat, dicens [2] : « Tempus aggra-
« vat Christi passionem : *Vocavit adversus me tem-*
« *pus.* Aggravat propter festi magnitudinem,
« propter quod multi convenerunt in Jerusalem,
« ut a pluribus inhonoraretur. » Augetur quoque Christi Passio, inquit idem S. Bonaventura [3]:« Prop-
« ter beneficii ingratitudinem. Illo enim tempore a
« Judæis patitur, quo eos de Ægypto liberavit. »
Passus enim est in Paschate, quod in memoriam liberationis a servitute Ægyptiaca et Pharaonis tyrannide celebratur. « Insuper illo die animam
« expiravit, quo homini animam inspiravit. » Nam, prout diximus, dies Crucifixionis cecidit in eumdem diem, in quo in mundi exordio homini ab eodem Deo, qui crucifigebatur, tam nobilis anima donata fuerat : « Illa die homo latus ejus transfigit, quo de
« latere matrem omnium transmisit. ».

**8.** — *Divides eam minutatim.* Propter supplicii longitudinem magnopere Christi Passio augetur. Nam ut idem Seraphicus Doctor meditatur [4] : « Pas-
« sus est per totam noctem et per diem usque ad
« horam nonam, qua expiravit. » Sed quid dico per totam noctem et diem? cum S. Bernardus dicere non dubitet : « Passionem non illum diem unum
« appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam
« illius : tota enim vita Christi crux fuit et mar-
« tyrium. » Et quidem si verum est, sicut est verissimum, scilicet quod *quando caput dolet, cætera membra languent,* facile colligi potest, quot et quanti fuerint totius corporis dolores, quando sacratissimus Christi vertex transfixus fuit. Audiamus S. Antoninum dicentem [5] : « Caput puncturis acu-
« tissimis coronæ spineæ, penetrantibus usque ad
« eum, perforatum fuit. Oculi, a quibus intuitus
« Petrus, agnoscens peccatum suum flevit amare, in
« derisum velati sunt. Facies ejus plena gratiarum
« deturpata est sputis et sanguine, ut leprosus vide-
« retur. Genæ ejus candidæ et rubicundæ alapis
« percussæ sunt. *Ecce dedi corpus meum percu-*
« *tientibus et genas meas vellentibus.* Aures illæ,
« quæ melos audiunt Angelorum, repletæ sunt
« blasphemiis, detractionibus, contumeliis, irrisio-
« nibus populorum. Nares ejus, ad cujus odorem
« reviviscunt mortui, fatigant fætoribus Calvarii.
« Capilli ejus capitis et barbæ, violenter tracti,
« aut avulsi sunt. Os ejus, quod tam sanam sapien-
« tiam, utilissimam et veracissimam doctrinam
« protulerat, percussum est et tanquam ovis ad
« occisionem ductus non aperuit os suum ad excu-
« sandum, comminandum, vel maledicendum; sed
« ad benedicendum et orandum pro inimicis. Pedes
« ejus, quorum terra scabellum est, qui tantum
« laboraverunt pro hominum salute, in cruce ex-
« tensi sunt. Totum corpus illud, dulcissimum,
« quod in cibum illum salutiferum nobis reliquit,
« flagellis multis et diris cæsum et dilaceratum est.
« Remanserat sola lingua, sed ne sine læsione ma-
« neret, felle et aceto amaricata est. » Eamdem considerationem, scilicet quod omnes Christi sensus sigillatim proprium habuerunt cruciatum, apud plures alios contemplativos descriptam reperio. Et quidem S. Laurentius Justinianus ait [1] : « Nulla pro-
« fecto corporis pars, seu sensuum, sive membro-
« rum a cruciatu erat illæsa. Insonabant utique in
« ejus auribus verba blasphemiæ, divini contemp-
« tus sermones, irridentium, plangentium, vocife-
« rantium, maledicentiumque tumultus. Oculus
« intuebatur cum illusione capita agitantes, atque
« dicentes : Vah! qui destruis templum Dei. Ma-
« trem cernebat mœrore sauciam et uberrime la-
« crymantem, amicorum et affinium sustentari
« manibus. Fœtore cadaverum occisorum et san-
« guine putrescenti ejus complebatur olfactus.
« Myrrhati quoque vini potus mellifluum illius os
« amarescere fecerat. Postremo in stipite positus,
« infixos clavos gestabat in manibus. A planta igi-
« tur pedis usque ad verticem capitis, nil a tor-
« mentis remanserat liberum. » Et vero addi posset, vultum ipsius tota nocte et die, præcipue vero in transitu ad montem Calvariæ, fœtentibus Judæorum salivis et sputis, quæ e faucibus eructantes in faciem ejus evomebant, fuisse conspurcatum; maxime cum hora prandii educeretur; ut impleretur quod dictum est [2] : *In me psallebant, qui bibebant vinum.*

**9.** — *Divides minutatim.* Lucas Brugensis super illa verba : *Nihil tibi et justo illi,* ita scribit : « No-
« tandum est, quod in Passione Domini nullus
« locutus pro Domino sit, nisi Pilatus et ejus uxor

[1] S. Bern, t. I. — [2] S. Bonav., *ib.* — [3] Id., *ib.* — [4] S. Bern., *ib.* — [5] S. Anton., p. 4.

[1] S. Laur. Just. — [2] *Ps.* LXVIII, 13.

« gentiles. » Verum quidem est, quod et bonus latro ipsum defenderit, sed hoc fecit, quando defensioni nec locus, nec tempus aderat, tunc scilicet, quando ejus condemnatio mandabatur executioni. In toto decursu Passionis ipsius neminem invenietis, qui vel minimam solatii vel confortationis stillam ei subministraverit; unde ait [1] : *Sustinui qui mecum simul contristaretur et non fuit.* Quando S. Michael ad eum in horto confortandum descendit, id fecit, ut ipsum ad amarissimum calicem ebibendum animaret, et tunc Apostoli eum deseruerunt. Paulus de Palatio ait [2] : « In horto « cœpit Christi caro velut in torculari calcari, ideo « enim sanguinis rubor ex uva pressa in ter- « ram defluxit. Cum vero hæc uva calcatur, nemo « cum Christo est, quia qui cum illo sunt, vel dor- « miunt, vel fugiunt. » Quod si angustias et afflictiones animæ interiores considerare velimus, hæ utique pariter acerbissimæ fuerunt, ipsomet dicente [3] : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam. Tristis est anima mea.* Nec mirum, quia sibi semper præsens habebat odium, invidiam et ingratitudinem, non solum populi Judaici, tantopere ab ipso amati, ejusque futuram desolationem; verum etiam ingratissimum sanguinis sui abusum, quem innumerabiles animæ pedibus quasi conculcaturæ, ipsumque de novo crucifixuræ erant. Obversabantur quoque ante oculos ejus peccata sine numero committenda, quibus Æternus Pater ejus contumeliandus erat; sævissimæ quoque discipulorum ejus persecutiones, commotiones item, quas passura erat Ecclesia in ipsius sanguine fundata, tot denique hæreticorum rebelliones, tot infidelium obstinatissima pertinacia; et sic de reliquis infinitis culpæ et pœnæ malis loquendo, quibus mundus ad finem usque sæculorum, sine ullo infinitorum tormentorum suorum fructu inundandus erat.

**10.** — *Divides eam minutatim.* Considerandum quoque pro quibus Christus fuerit passus. Qua de re S. Bonaventura ita meditatur [4] : « Pro quibus « patitur? Pro nequissimis mancipiis, pro scelera- « tissimis inimicis; imo pro diabolicis viris, pro « contemptoribus divinæ Majestatis et divinæ boni- « tati ingratis.

## DISCURSUS II.

VARIÆ ADDUCUNTUR RATIONES, OB QUAS CHRISTUS PASSIONEM SUAM EXORDIRI VOLENS, E CŒNACULO ET URBE JEROSOLYMITANA EGRESSUS, TORRENTEMQUE CEDRON PERTRANSIENS, AD MONTEM OLIVETI SE RECEPIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Quare Christus noluerit capi in domo ubi cœnaverat, sed in horto, extra urbem. — 2. Isaac fuit figura Christi quoad hunc egressum. Qualia nobis Christus dederit documenta per hunc secessum ad locum solitarium. — 3. Aliæ rationes egressus extra civitatem. — 4. David præfiguravit egressum trans torrentem Cedron. Aliæ rationes egressus trans torrentem Cedron. Per torrentem signantur innumera Christi tormenta. Aliæ comparationes torrentis. — 5. Quare Christus ire voluerit in monte oliveti. — 6. Christus lætus et canens ivit ad montem et mortem e cœnaculo. — 7. Allusio olivarum et olei ad Christum patientem. Oleum designat misericordiam. Oliva est symbolum pacis.

*Et hymno dicto, exierunt in montem Olivarum.*
Matth., XXVI, 30.

**1.** — Hora et tempus, quo Christus sub noctis obscuritate, post cœnas, legalem, usualem et Eucharisticam, absolutas, in apertum aerem, imo in agrum foras extra civitatem progressus est, valde videbatur inopportunum; si enim Redemptor noster impatiens moræ, ad effusionem sui sanguinis pro humana redemptione consummanda anhelabat, eo quod hora illa tantopere a se desiderata præ foribus esset, cur, obsecro, non præstolabatur traditorem et turbas armatas in eodem cœnaculo, ubi agnum paschalem, proximæ passionis suæ typum, manducaverat? Respondet Salmeron [1] : « Noluit do- « mum patrisfamilias, ubi cœnam agni fecerat, « perturbari, aut propter suam capturam aliquid « molestiæ afferri. » Cum enim cœnaculo illo, una cum Apostolis suis, tanta cum humanitate incolarum domus illius, pro functione tam ardua obeunda gavisus fuisset, indignum futurum esse credebat, si domum illius tot tumultibus et militum Christum capere volentium clamoribus impleret et perturbaret. Præterquam etiam dici possit, quod cum in illo cœnaculo prima omnium vice institutum fuerit sanctissimum altaris Sacramentum, ibidemque deinceps centum illi et viginti fratres ad faciendum orationem congregandi, ipseque Spiritus Sanctus cum donorum suorum plenitudine ad eumdem locum descensurus erat, ut eumdem in primam totius Christianismi Ecclesiam consecraret, indecens erat, ut cœnaculum illud a turbis armatis, per actus hostilitatis et innocentis sanguinis effusionem profanaretur.

**2.** — *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem* [2]. Salvator noster alias sæpe, frequentius autem in ultimis vitæ suæ diebus, in loco solitario in oratione pernoctare consueverat. Porro de Isaac (qui multis ex capitibus Christi figura et typus fuit, specialiter vero, quia in eodem monte Oliveti, offerendum se Deo in holocaustum promptum exhibuerat) in Genesi legitur [3] : *Egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die.* Ita pariter verus Isaac, qui paulo post lignum sacrificii sui in humeris ad montem portaturus erat, egreditur ab urbe Jerosolymitana in agrum, inclinata jam die,

[1] *Ps.* LXVIII, 21. — [2] PAUL. DE PALAT., *in Matth.* — *Ps.* LXVIII, 1. — [4] S. BON., *Stim. amor.*, c. 4.

[1] SALMERON, t. X, tr. 10. — [2] LUC., XXII, 39. — [3] GEN., XVI, 63.

ad meditandum, sive ferventer æternum Patrem suum adorandum. Verumtamen inter Filium Dei et Isaac hæc intercedit differentia, quod cum hic egressus fuerit in agrum, solatii hauriendi causa, utpote qui ob mortem Saræ matris suæ tristis et mœstus erat; Christus e contra in hortum Gethsemani contendit, ut tristitiæ et dolori habenas laxaret, prævidendo irreparabilem et æternam Synagogæ (quæ respectu humanitatis ab ipso assumptæ mater ejus erat) subsecuturam mortem. Per hunc autem solitudinis ingressum cœlestis Magister noster multa alia nobis insinuare voluit salutaria documenta, primo videlicet, quod quotiescumque in aliquas incidimus adversitates, ad illas vel avertendas, vel mitigandas, nullum sit melius remedium, quam loca solitaria petere, ut in iis per ferventem orationem cum Deo illo nos conjungamus et uniamus, qui ab Apostolo vocatur [1] : *Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Secundum documentum est, quod scilicet post Communionem (quam Christus cum omnibus Apostolis suis sumpserat) necessum sit, solitarie infinitam recepti intra nos hospitis dignitatem considerare, eique debitas gratias agere. Documentum hoc Didacus Stella his verbis insinuat [2] : « Docet, ut is qui « Eucharistiam accipit, non illico ad negotia sæcu- « laria se convertat, sed ad solitudinem accedat « orationis et contemplationis. » Tertium denique documentum est, quia Christus exemplo suo nos docet, quod videlicet bonæ consuetudines et semel incepta devotionis consuetæ exercitia, ob nullam imminentem adversitatem aut tribulationem interrumpenda sint, vel intermittenda. Nam tametsi Christus, more suo solito, locum illum orationis faciendæ causa adiens, omnium quæ in eo sibi eventura erant, claram et distinctam haberet notitiam, non tamen ideo illa nocte a consueta oratione desistere voluit; maxime cum sciret urgentissimam esse necessitatem, illo tempore de rebus maxime arduis nostræ redemptionis, propter quam in terras missus fuerat, cum Æterno Patre suo conferendi.

**3.** — *Exierunt in montem.* Non deerant utique alia in eadem civitate solitudinis loca, et tamen non sine mysterio e civitate hora importuna exierunt. Etenim ut Salmeron ait [3] : « Per hunc egressum « de domo, in qua cœnaverat, ac civitate Jerusa- « lem, derelictio Judæorum significatur, secundum « illud [4] : *Ecce relinquetur vobis domus vestra « deserta.* Et rursum [5] : *Reliqui domum meam, « dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam ani- « mam meam in manum inimicorum ejus*; nam « Jesus non rediit in eam, nisi ligatus et tractus « ad accipiendam mortis sententiam. » Voluit insuper Christus per hunc e domo cœnaculi et civitate egressum ostendere, quod fructus Passionis suæ ad omnes alios populos et gentes dilatandus foret. Unde idem Salmeron ait [1] : « Egressus est « sponte, ut mortem exequatur, quia non voluit in « templo, vel Jerosolymis capi, qui omnium ani- « mas sitiebat. » Theophylactus super S. Marcum scribens, aliam his verbis assignat rationem, scilicet [2] : « Ne fieret seditio in civitate, tam fuit amans « pacis ; abiit, ut capiatur sine tumultu. »

**4.** — *Egressus est trans Cedron*, ut subjungit S. Joannes. Eundo enim versus montem Oliveti necessum fuit transire torrentem Cedron, qui juxta communionem opinionem hoc nomine appellabatur, ob cedrorum, quæ ibi plantatæ erant, ingentem quantitatem. Bene autem [3] *egressus est trans torrentem Cedron*, quia conveniebat, ut in figurato adimpleretur, quod in Davide Christum præfigurante tot ante sæcula dudum præcesserat. Hic enim propter Absalonis filii sui rebellionem ab Jerosolyma, plurium fidelium servorum suorum societate stipatus, egrediens, hunc eumdem torrentem pertransivit, ut infestaretur a prædicto Absalone, qui vitam et eripiendo regni possessionem invadere meditabatur. Enim vero sicut David persecutionem passus fuit a filio, ita Filius Dei traditus fuit a quodam Apostolo, quem filii loco diligebat. Ambobus rebellavit populus Judaicus, licet ab ambobus plurimis ingentibus beneficiis fuisset cumulatus. Præterea sicut David charissimorum suorum saluti prospexit, eosdem a periculis eripiendo ; ita quoque Christus, ut infra dicetur, Apostolorum suorum securitati prospectum esse voluit, ideoque dixit : *Si me quæritis, sinite hos abire.* Observandum præterea, quod sicut David exibat Jerosolyma flens, et lacrymans, ita pariter Redemptor noster paulo post ingentem in horto demonstrabit tristitiam, a sola tamen portione inferiori provenientem. Ad hæc utriusque persecutores eundem sortiti sunt infaustum finem tam Absalon, quam Judas ad truncum quemdam arboris suspensi interierunt. Porro Salmeron ex traditionibus Hebraicis in hæc verba scribit [4]: « Porro in torrente Cedron ex altari holocaustorum « per subterranea loca descendebat sanguis sacri- « ficiorum, ut quidam ex Thalmudica animadver- « sione producant. Sed Christus hunc torrentem « pertransivit, quia ejus sanguis cæterorum sa- « crificiorum sanguines longe antecessit. » In libro II *Paralip.*, c. xv, dicitur [5] : *Sed et Maacham matrem Asa regis ex augusto deposuit Imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi, quod omne contrivit, et in frusta comminuens combussit in torrente Cedron. Omnia autem in figura contingebant illis :* nam ut Simon de Cassia scribit [6] : « In eodem tor- « rente simulacrum turpissimum combustum est « ab Asa Rege Jerusalem, ut omnis turpitudo pec-

[1] II Cor., II, 3 — [2] Did. Stell., *in Luc.*— [3] Salmer. — [4] Matth., xxiii. — [5] Jerem., xii, 7.

[1] Salmer.— [2] Theoph., *in Marc.*— [3] Joan., xviii, 1. — [4] Id., 18. — [5] Salmer., *ib.* — [6] II Paral., xv, 16. — [7] Simon de Cass.

« cati, et falsa similitudo atque simulatio malæ « vitæ, passionibus pro Christo ab hominibus com- « buratur. » In his aquis cineres vituli aurei deper- dendi erant, id est, idololatria, quæ tot ante sæcula totum Universum deluserat su æque tyrannidi sub- jecerat, terminanda erat [1] : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* Salmeron per hunc torrentem immensa significari censet tormenta, quibus tole- randis Redemptor se accingebat. Ait enim [2] « Prop- « ter nos torrentem pertransivit, id est, expertus est « mortalitatem, et tribulationem, qui per Prophe- « tam ait : *Salvum me fac, Deus, quoniam intra- « verunt aquæ usque ad animam meam.* » Idem ibidem paulo ante torrentis examinaverat etymo- logiam, dicens : « Torrens est aqua ad tempus « currens rapidissimo motu, ex pluviis, vel monti- « tibus descendens, non de fonte, vel aqua viva, et « propterea in æstate desiccatur, unde torrens a « verbo torreo, quod est desicco, vel arefacio, des- « cendit. Significat præsentes tribulationes, quæ « ad tempus durant, et postea per auxilium Dei « desiccantur, de quo est scriptum : *Torrentem per- « transivit anima mea, forsitan pertransisset anima « mea aquam intolerabilem.* » Propheta regius qui mortem Christi in spiritu præviderat, de eadem ita scribit [3] : *De torrente in via bibet, propterea exal- tabit caput.* Ubi S. Hieronymus quærit [4] : « Quis « bibet de torrente in via. » Et respondet : Iste cui « dictum est : *Dixit Dominus Domino meo, sede a « dextris meis.* Iste qui audivit : *Tu es sacerdos in « æternum,* etc. Iste qui confringit in die iræ suæ « reges, qui judicat nationes, implebit ruinas, con- « quassabit capita in terra multorum. » Idem sanc- tus aliam subnectit ingeniosam considerationem, inquiens : « Torrens habet aquas de tempestatibus, « de procellis. Torrens in præcipitibus locis currit.. « torrens alienas aquas concipit. Torrens nunquam « habet mundam aquam, sed semper turbidam « Vultis scire, quomodo de torrente turbido biberit « En ipse dicit : *Tristis est anima mea usque ad « mortem.* » Apud Jobum per aquas denotantur humanæ iniquitates [5] : *Bibunt quasi aquam iniqui- tatem.* Hinc igitur torrens, quem Redemptor transivit, hisce aquis adeo redundabat, ut ei mare quoddam esse videretur : *Veni in altitudinem maris.* Torrens alienas aquas concipit, ideoque nil mirum est, quod tot aquis redundaverit, quia cum non haberet peccata propria, omnia sibi vendicavit, et in se diluenda assumpsit totius humani generis peccata, dicente S. Petro [6] : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Quia vero lignum illud tam immen- sum pondus sustinere non poterat, ideo Christus dolenter mox subdit : *Tempestas demersit me.* At vero quid tandem accidit ? Num sempiterne submer- sus remansit ? Nequaquam sed *propterea exaltabit caput;* siquidem in præmium suæ humiliationis et in his aquis factæ demersionis glorificatus fuit, dicente Apostolo Paulo [1] : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, etc.* S. Hieronymus prædictionem paulo ante a Christo factam commemorat, in qua dicitur [2] : *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum,* et subdit [3] : « Ille est exaltatus, « et nos exaltavit. »

**5.** — *Exierunt in montem Olivarum.* Verisimile est, quod ad Olivetum illud pervenerit, unde ante quinque dies Hebræi ramos arborum illarum fron- dentes decerpserant, ut ipsum velut in triumpho gloriose reciperent; ac proinde Redemptor noster intra semetipsum de injuriis et insultibus sibi inferendis dixerit : Intra paucas horas manus meas extensurus sum ad harum arborum truncum velut in patibulum. Unde non minus pie, quam ingeniose Poeta ille cecinit.

> Frondentes hodie tantum, Christe, accipe ramos ;
> Truncum qui superest, mox tibi turba dabit.

Unde sine dubio per ramos olivarum triumphales passionis suæ mox sustinendæ fuit recordatus, funestamque illam metamorphosin sibi ob oculos posuit, de qua contemplativus Bernardus sit medi- tatur [4]. « O quam dissimile est, *Tolle, tolle, crucifige « eum,* ab illo ; *Benedictus qui venit in nomine « Domini!* Quam dissimile, *Rex Israel,* et *non « habemus regem nisi Cæsarem!* Quam dissimile, « rami virentes, et crux ? Flores, et spinæ ? Cui « prius sternebantur vestimenta aliena, ecce » nunc suis exuitur. » At vero mirum est quod cum Christus sciret, notum fuisse traditori, qui lictorum caput et dux factus fuerat Magistrum suum ea hora in montem illum se subducere consuevisse orationi faciendæ causa, aliam viam non fuerit ingressus, ut evaderet. Cur igitur *in montem exiit* ? quærit Victor Antiochenus, et respondet : « Quo spretis latibulis « iis, commodo loco se exponat, manifestumque « faciat iis qui illum comprehensuri erant. Matura- « bat enim illum locum occupare, ubi ante « orare solitus erat, et quem proditor optime com- « pertum habebat. » D. Chrysostomus quoque ait idipsum fecisse [5] : « Ut laborem insidiatoribus de- « meret, eosque omni formidine liberaret. » S. Cy- rillus Alexandrinus similiter hac de re ita scribit [6] : « Illo vadit, ubi cum Discipulis conversari solebat, « quod facit, ut a proditore facilius possit inveniri. »

**6.** — Enimvero e cœnaculo Syonitico summa cum lætitia se proripuit, ut pœnosam suam adori- retur passionem. Etiam Evangelista ait : *Hymno dicto exierunt etc.* Ubi alii legunt : *Hymno cantato,*

[1] JOAN., XII, 31. — [2] SALMER., *ib.* — [3] *Ps.* CIX, 7. — S. HIER., *ib.* — [5] JOB, XVII, 6. — [6] II PET., II, 24.

[1] PHILIPP., II, 8. — [2] JOAN., XI, 32. — [3] S. HIERON. — [4] S. BERN., ser. 2 *in Dom. Pass.* — [5] CHRYS., *in Cat. Græc.* — [6] S. CYRILL. ALEX., l. XIII *in Joan.*

Et Cornelius a Lapide. *Hymno decantato.* Porro cycnus morti vicinus suavissime cantat; Christus autem verus cycnus fuit, de quo Sponsa dicebat [1]: *Candidus, et rubicundus*, candidus velut cycnus, propter innocentiam, rubicundus ob Passionis suæ sanguinem. Et ideo ut Paulus de Palatio scribit [2]: « Canit in morte, ut ostendat canendum esse in ea « morte, quæ mortis prioris est finis, et vitæ se- « quentis initium. » Enimvero in decursu Evangeliorum Christum quidem sæpius lachrymatum fuisse legimus, videlicet in resuscitatione Lazari, et in excidii Jerosolymitani prædictione, quando *videns civitatem, flevit super illam*; risisse autem et cantasse illum nusquam legitur, nisi quando se ex Syon ad præcipitem mortis suæ torrentem se recepit. Ac proinde iter, quod hoc fine versus Olivetum instituit, mysterio nequaquam caruit, prout Simon de Cassia his verbis optime notavit [3].« Lætitiam mentis « insinuat, quam in his quæ agimus, aut patimur, « oportet habere. De Christo prophetatus est sermo, « in quo dicitur. *Unxit te Deus, Deus tuus oleo læ- « titiæ.* Aiia littera habet, *Oleo exultationis.* »

**7.** — *In montem Olivarum.* Hugo Cardinalis in hoc Oliveto multa notat mysteria, dicens [4]: « Recte « post communionem ascendit in montem Oliveti, « ut sic ostenderet, quod virtute Dominici sacra- « menti ascenditur ad cumulum gratiæ, et inde ad « cumulum gloriæ, quæ per oleum designatur. Nam « in oleo sunt septem proprietates, per quas desig- « nantur septem partes gloriæ, id est, tres dotes « animæ, et quatuor corporis. Oleum enim lucidum « est in se, in hoc significatur lumen cognitionis; « item calidum est, et pabulum ignis, in hoc signi- « ficatur ardor dilectionis; item unctuosum est et « glutinosum, in hoc significatur tertia dos animæ, « id est, apprehensio; item oleum supernatat, in « hoc significatur agilitas; item illuminat, in hoc « claritas; item morbos sanat, in hoc impassibilitas; « item penetrat, in hoc subtilitas. Unde Isaiæ, cap. « LX, dicitur : *Dabo eis coronam pro cinere, oleum « gaudii pro luctu.* » Porro mors Salvatoris eo præcipue ordinata erat, ut fores patefaceret cœli empyrei; et ideo post quinquies mille et amplius annos, a quibus cœlum fabricatum fuerat nunquam auditum fuit : *Hodie mecum eris in Paradiso*, nisi in hoc fortunatissimo mortis Christi die. Merito igitur ad montem Oliveti se recipit, unde post quadraginta duo dies in cœlum erat ascensurus. Unde Hugo Cardinalis ait [5] : «Abiit ad montem Olivarum, « unde post resurrectionem ascendit in cœlum (*Act.*, « I), in quo ostendit Dominus, quibus operibus « ascendatur in cœlum, scilicet per vigilias, patien- « tiam, orationem, et misericordiam. In illo enim « monte vigilavit, et oravit Dominus, et captus « atque ligatus non repugnavit, imo sustinuit pa- « tienter; unde Hieronymus ait : In monte Oliveti « tenetur Jesus, et inde ascendit in cœlum, ut « sciamus, quia inde ascendimus ad cœlos, unde « vigilamus, et oramus, et ligamur, et non recal- « citramus in terra. » Magno igitur cum mysterio ibi morti occurrit; ubi in Ascensione sua portas æternæ vitæ patefacere decreverat, quia ut S. Augustinus asserit [1] : « Christus mortuus, mortis « interfector fuit, et magis in illo mors mortua est, « quem ipse in morte. » Dionysius Carthusianus aliud quoddam indicat mysterium, dicens [2] : « In « monte crescebant abundanterque stabant olivæ, « per quas pietas designatur; ideo locus ille Christo « totius pietatis de gratiæ fonte purissimo con- « gruebat. » Porro in sacris Canticis de Christo Sponso dicitur [3]: *Oleum effusum nomen tuum*; oleum enim misericordiæ est symbolum, ut varia divinarum Scripturarum testimonia haud obscure indicant. Oleum omnibus aliis liquoribus supernatat, et misericordia ac pietas Dei omnibus, aliis operibus supereminet, dicente Psalmista [4]: *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Hæc igitur misericordia et pietas Redemptorem nostrum ad redemptionem nostram consummandam adegit, juxta illud [5] : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Unde Didacus Stella ait [6]: « Nota quod « in montem Olivarum jamjam moriturus vadit, « nam secundum misericordiam suam salvos nos « fecit; misericordia enim per Olivam designatur. » Id quod diu ante Albertus Magnus his verbis insinuarat [7]: « Ut ex vertice misericordiæ funderet opus « redemptionis. »Oliva similiter pacis est symbolum et mors Christi reconciliationis nostræ fuit instrumentum. Sicut igitur ramus virentis olivæ, a columba, in arcam Noe deportatus, signum fuit cessantis aquæ diluvii, et placatæ iræ Dei, ita quoque asserere possumus, quod primus Redemptoris in montem Oliveti egressus, certum et infallibile fuerit augurium, æternum Patrem subito placandum cessaturaque esse divinæ justitiæ, supplicia, quæ alias immittenda fuerant generi humano nisi per mortem Unigeniti Filii Dei ab inferno, et a morte æterna fuisset redemptum. S. Apostolus ad Hebræos de hoc mysterio scribens, hac phrasi loquens utitur [8]: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, et perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum; sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.* Pro quorum verborum intelligentia memorandum est, quod portæ oraculi, in primo Sancti Sanctorum ingressu occurrentis, non sine magno sacramento a sapientissimo rege Salomone ex lignis

[1] CANT., V, 10. — [2] PAUL. DE PAL., *in c.* XXVI *Matth.* — [3] SIM. DE CAS. — [4] HUGO CARD., *in Luc.* — [5] ID., *ib.*

[1] S. AUG., *in Ps.* LI. — [2] DIONYS. CARTH., *in Luc.* — [3] CANT., I. — [4] *Ps.* CXLIX, 9. — [5] LUC., I, 78. — [6] DIDAC. STELLA, *in Luc.* — [7] ALB. MAGN., *in Marc.* — [8] HEB., IX, 12.

olivarum fabricatæ fuerint [1] : *In ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olivarum* ; per hoc namque denotatur, quod portæ, per quas æternus Pontifex in passionis suæ sanctuarium ingressurus erat, futuræ erant ex lignis olivarum præparatæ, id est, ex pietate et misericordia, ac proinde primos gressus versus montem Oliveti direxit.

## DISCURSUS III.

### EX QUIBUS MOTIVIS CHRISTUS PASSIONEM SUAM INCHOATURUS, AD HORTUM GETHSEMANI SE CONTULERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Qualis locus fuerit hortus Gethsemani. — 2. Judæi propter nimium temporalium amorem mortem Christi machinati fuerunt. — 3. Adducuntur rationes quare Christus passionem tuam incipere voluerit in horto. Diabolus tentatione sua prævaluit contra primos parentes ob defectum orationis. — 4. Christus in horto expiavit omnia quæ Adam in horto deliquit. — 5-6. Primus mortis Christi fructus fuit quod nobis aperuerit Paradisum. — 8. Qualia poma Christus comederit in horto.

*Egressus est trans torrentem Cedron, ubi erat hortus in quem introivit.* Joan., XVIII, 1.

**1.** — Cum Redemptor noster ex cœnaculo Syonitico ad montem Oliveti se transtulisset, prout in discursu præcedenti dictum est, ulterius progressus est in villam quamdam, Gehtsemani appellatam, prout ex textu quodam S. Matthæi deducitur, dicentis [2] : *Tunc venit Jesus in villam, quæ dicitur Gethsemani*, cujus quoque S. Marcus meminit [3] ; S. Joannes vero ad hortum, qui in hac villa erat, sese restringit. Cardinalis Toletus sensum litteralem explicans, ait [4] ; « Erat totus fundus, seu « prædium dictum Gethsemani, cujus pars una « hortus, voluptatis gratia consitus, et arboribus « ornatus erat. » Porro credibile est, hunc locum amœnum et deliciosum possessionem fuisse viri alicujus Salvatori optime affecti, qui proinde illius usum eidem indulserat, ut pro libito suo eo se subducere posset, orationis faciendæ causa. Rabanus de hac villa ita scribit [5] : « Monstratur usque hodie « locus Gethsemani, in quo Dominus oravit, ad « radices montis Oliveti, ut intelligamus, illum « fuisse hortum, de quo Joannes narravit, nuncque « desuper Ecclesia ædificata constat. Interpretatur « autem Gethsemani vallis pinguium. » Salmeron multorum gravium auctorum testimonio inductus fuit, ut crederet, Gethsemani idem esse, quod *vallis pinguitudinis*, propter torcular, in quo montis contigui olivæ exprimebantur, quid mirum igitur, quod Christus ibidem passionem suam fuerit exorsus, quando quidem ipsemet per os Isaiæ de passione sua prædixerat [1] : *Torcular calcavi solus?* Porro oleum symbolum est misericordiæ, quæ nostram operata fuit salutem dicente Apostolo [2] : *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Paulus de Palatio aliud quoddam circa hunc locum notat mysterium, litteræ magis couforme ; ait enim [3] : « Cur Dominus venit in villam, quæ dicitur « Gethsemani, id est vallis pinguis? Tauri et boves « in sacrificium Deo offerendi afferri ex vallibus « solent et ex valle pingui pinguia sacrificia ex- « pectantur. Merito ad vallem pinguem venit, ut « intelligamus ex eo holaucaustum medullatum « exiturum. » Rabanus ab hac abundanti valle sequentem deducit moralitatem : « Per vallem humi- « litatis, et pinguitudinem charitatis mortem pro « nobis subiit. *Humiliavit semetipsum*, etc., *majo- « rem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam « suam ponat quis pro amicis suis.* »

**2.** — Christus in Psalmo XXI, ad unguem prædixisse videtur occursum illum, quo ut suo loco dicetur, turbis armatis, ipsum capere volentibus, obviam processit ; ait enim [5] : *Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet.* De quo etiam apud Isaiam lamentatur, dicens : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non fuit vir mecum*, siquidem ab ipsismet Apostolis derelictus fuerat, Subdit autem Psalmista : *Circumdederunt me vituli, tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.* Porro causa quæ Hebræos ad machinandam Christo mortem permovit, præcipua hæc fuit, quia divitias suas amittere metuebant ; unde dicebant [6] : *Quid facimus quia hic homo multa signa facit ? Venient Romani, et tollent locum nostrum* ; ubi S. Augustinus ait [7] : « Temporalia perdere timuerunt. » Et ideo pingues, id est, bonis terrenis cumulati, Messiæ voces surdis exceperunt auribus. In alio ejusdem Psalmistæ loco in hæc quoque verba conqueritur [8] : *Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam, projicientes me nunc circumdederunt me* : de hoc quoque ingrato populo dicitur [9] : *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.* Porro parabola illa de cœna magna, ad quam multi fuere invitati, eo præcipue tendebat ut populi Hebræi erga Christum, qui redemptionem illorum operaturus advenerat, indicaret ingratitudinem : « Magna cœna hæc, inquit « Theophylactus [10], quoniam magnum est salutis « nostræ mysterium. » At vero dic sodes, quisnam fuit, qui ad hanc cœnam venire renuit? *Primus dixit, villam emi.* Quot heu sunt, quibus sanguis a

[1] II REG., VI, 31. — [2] MATT., XXVI, 36. — [3] MARC., XIV, 32. — [4] TAULER., *in Joan.* — [5] RABAN., l. VII *in Matt.*

[1] ISA., LXIII, 3. — [2] TIT., III, 5. — [3] PAUL. DE PALAT., *in Matt.* — [4] RABAN., *ib.* — [5] *Ps.* XXI, 13. — [6] JOAN., XI, 49. — [7] S. AUG., tr. 49 *in Joan.* — [8] *Ps.* XVI, 10. — [9] DEUT., XXXII, 15. — [10] THEOPHYL, *in c.* XIV, 18, *Luc.*

Christo effusus in animabus ipsorum redditur prorsus inutilis, ob nimium ad hæc bona temporalia affectum? Hi sunt præcipue, qui Filium Dei sudorem sanguineum edere faciunt, quique ipsum injuriose capiunt ut mortem ei inferant.

**3.** — *Ubi erat hortus.* Nascitur hoc loco dubium, cur incarnata Sapientia, quæ totius vitæ suæ, et specialiter amaræ passionis periodos mysteriis cumulavit et sacramentis, passionis suæ mysterium in horto ordiri voluerit, loco scilicet amæno et delicioso : *Ubi erat hortus, in quem introivit.* Ad quod dubium idem responderi posse videtur, quod de ejus incarnatione S. Augustinus his verbis scribit[1] : « Fuit similis reparatio, quomodo fuit et hominis « creatio, » seu, ut melius ad præsens propositum dicamus : « Fuit similis reparatio, quomodo fuit « et hominis lapsus. » Unde S. Cyrillus Alexandrinus hunc S. Joannis textum explicans, inquit[2] : « Hortus erat, paradisi locum designans; ad pris- « tinum enim omnes recurrere oportebat, et ut in « paradiso malorum initium factum est, sic in horto « Christi passio incipit, per quam a malis liberati, « in pristinum restituti sumus. » Eamdem quoque rationem assignat S. Athanasius dicens[3] : « Ideo in « horto passio Christi cœpit, quod in Paradiso « Adam transgressus esset. » S. Thomas, super S. Joannem scribens, similiter dicit[4] : « Et hæc con- « venienter, quia ipse satisfaciebat pro peccato « primi hominis in horto commisso, Paradisus « enim hortus deliciarum interpretatur. Similis « igitur est reparatio hominis lapsui. » Angelus Deo rebellis factus, ex inferni abysso prorupit in medium, et serpentem induit, ut invidia plenus, Adamo terrestri, totique ejus progeniei, paradisi terrestris deliciis fruenti, machinaretur ruinam. Ad secundum Adamum de cœlo cœlestem pariter in hoc horto, prouti suo loco dicetur, cœlitus missus fuit Angelus, qui eum ad hominis redemptionem, eumque ex longo e paradiso cœlesti exilio revocandum animaret. Tunc inimicus infernalis sub specie serpentis primos parentes blande decepit, eosque mortis temporalis et æternæ reatum incurrere fecit : Nunc vero idem hostis tartareus Judam in loco deliciarum ingressus (*Unus ex vobis diabolus est*[5]. *Intravit autem et Sathanas in Judam*[6]) ficto pacis osculo Filium Dei tradidit in mortem. In paradiso terrestri tentatio diaboli ob orationis defectum prævaluit, quia enim primus homo ad cœli non recurrit auxilium, ideo meruit cadere in præcipitium. Unde Simon de Cassia ait[7] : « Orat inter « arbores Jesus, quia inter arbores peccavit, et non « oravit Adam. » Jure igitur merito Christus apostolis præcepit, dicens[8] : *Orate, ut non intretis in tentationem:* Nam ut philosophus ille moralis ait : « Felix sapientia, quæ ex aliorum discitur insi- « pientia. » In paradiso terrestri inobedientia genus humanum in perditionis protraxit abyssum, et ideo, ut Rupertus abbas notat[1]: « Pulchre in horto voluit « Adam secundus obediens inveniri quia, videlicet « primus Adam in horto scilicet in paradiso, quod « interpretatur hortus, inobediens inventus, imo a « serpente circumventus est. » Præterea sicut Adam in paradisi terrestris deliciis ab observantia voluntatis Creatoris sui se subduxit, ita e contra Filius Dei in hoc horto, se voluntatem suam, æterni Patris sui voluntati subjicere et conformare velle, expresse declaravit, quamvis portio inferior contra hoc vehementissime recalcitrarit[2] : *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Similiter Adam ad pomum vetitum horti illius manus extendendo, æternæ servitutis funes et catenas induit, servus factus peccati et mortis, atque insuper veram filiorum Dei libertatem amisit. At vero *reparatio hominis similis fuit lapsui illius*, quia secundus Adam in horto funes præstolatus est et catenas, ut paulo post in arbore veræ vitæ manus suas extenderet ad clavos, hacque ratione peccatorum nostrorum catenas dissolveret, *et quos delictorum catena constrinxerat, miseratio suæ pietatis clementer liberaret*; nosque qui servi eramus, in filios et cohæredes suos adoptaret. Simon de Cassia ait[3]: « Venit in hortum pro omnibus ortus, venit « in hortum de cujus morte vita nobis penitus « oritur. Venit in hortum capiendus in horto, qui « in oriente voluptatis plantaverat hortum, in quo « liberum posuerat Adam de terra jam ortum. In « horto a diabolo capitur Adam, et Christus a « Judæis ligatur in horto, ut sit similitudo satisfac- « tionis ad culpam. »

**4.** — Enim vero qualis fuerit sapor, quem Eva in pomo gustavit, ex illis verbis facile colligitur[4] : *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile et tulit de fructu illius.* At vero gustus hic et sapor cœlesti Adamo carissimo pretio constitit, siquidem in horto Gethsemani se continere nequivit, quin immensam patefaceret nauseam et aversionem amarissimi calicis illius, qui ei ab Angelo præsentatus fuit. Primis parentibus, in expiationem degustati pomi vetiti, hæc intimata fuit pœna[5] : *Maledicta terra, spinas et tribulos germinabit tibi* : Christus autem secundus Adam ad temperandas harum maledictionum puncturas, ab illo tempore quo in hortum ingressus est, per vivam apprehensionem has spinas colligere, plectere, suoque vertici imprimere parabat. *Similis reparatio.* Adam terrestri in illo deliciarum loco non quidem seductus, sed *ne contristaret delicias suas*, divinum prævaricatus est interdictum : Adam vero cœlestis,

[1] S. Aug., s. 17 *de Temp.* — [2] S. Cyr. Alex., l. XI *in Joan.* — [3] S. Ath., q. 136 *ad Ant.* — [4] S. Thomas, *in Joan.* — [5] Joan., VI, 71. — [6] Luc., XXII, 3. — [7] Sim. de Cass.— [8] Rup. Abbas, l. III *in Joan.*— [8] Mat., XXVI, 41.

[1] Rup. Abbas, l. III *in Joan.* — [2] Luc., XXII, 42. — [3] Simon de Cass., *ib.* — [4] Gen., III, 6. — [5] *Ib.*, 18.

Redemptor noster, in loco pariter amœnitatis et deliciarum, ut pro culpa primi parentis satisfaceret, Evam, id est, humanitatem suam supra modum contristare et affligere voluit; siquidem[1] *cœpit pavere, et tædere, et mœstus esse* : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Adam post commissum peccatum supplicium Dei timens, concepit timorem[2] : *Vocem tuam audivi in paradiso, et timui, eo quod nudus essem.* At vero Salvator noster timorem hunc in se assumpsit expiandum, quia *cœpit pavere*, non obstante quod de eo scriptum sit[3] : *Quia respicit terram, et facit eam tremere.* Similiter non quidem arborum illarum frondibus, sed nuditate sua in flagellatione, ac demum in cruce tolerata suarum vestium divisione, primi Adami et omnium nostrum nuditatem contegere sategit, ut nos ab æterna confusione tueretur et defenderet. Observandum insuper, quod sicut primus Adam in terrestri Paradiso se abscondit, ne videretur a Deo, ita secundus Adam, primi Filius, in hoc horto turbis armatis eum non cognoscentibus se manifestavit, ut bene meritorum suppliciorum nostrorum pœnam persolveret. In paradiso terrestri Deus comparuit, ut hominem reum processaret, et in judicium poscereret. Hic vero assumptis rei peccatoris reatibus, ex judice voluntarie factus est omnium delictorum nostrorum expiator. Præterea quemadmodum post commissum a protoparentibus peccatum, ut Ecclesia canit, Dei filius peccato illorum condolens paradisum obambulavit, ut inter omnes arbores illum sibi designaret truncum, in quo pro salute lapsi hominis configeretur : « De parentis protoplasti « fraude Factor condolens, quando pomi noxialis « morsu in mortem corruit, ipse lignum tunc notavit, « damna ligni ut solveret.» Ita verisimile est, quod tandem adveniente hora illa a tot sæculis desiderata, lignum patibuli a se electum dulciter amplexans, patri reddiderit gratias, tametsi nondum in illud confixus fuisset. Numquid igitur optime verificatur, quod *similis sit lapsui hominis ejusdem reparatio ?*

**5.** — *Ubi erat hortus.* Quemadmodum horti plantantur in ordine ad delicias, ita inferius suo loco videbimus, adeo excessivum fuisse Christi jubilum in patiendo, ut passionem suam omnium primo in horto exordiri voluerit; ut insinuaret, verissimum esse illud, quod Simon de Cassia ait[4] : « Vere pervenit in deliciarum hortum, qui pro ho« minibus pati, et mori, delicias computabat. »

**6.** — *Ubi erat hortus.* Primus mortis Christi fructus in eo consistebat, quod per illum cœlestem nobis aperiret paradisum; ac proinde in hortum paradisi figuram se contulit, ut notat doctor Angelicus, inquiens[5]: « Quia per passionem nos in hor« tum et paradisum coronandos introducit. » Hugo Cardinalis ait[1] : « Volens ire in hortum, per quem « paradisus intelligitur, transit per torrentem, id « est, per tribulationem, et crucem, quia hæc est « via, unde martyres pertransierunt in paradisum.» S. Augustinus, in sermone quodam, de lictoribus Christum in horto inquirentibus inquit[2] : « Vene« rant ad hortum, qui jam ante perdiderant para« disum, quærentes Dominum Jesum Christum: » Ex quo homo cœlestem perdiderat paradisum, locus ad eum reacquirendum proportionatus erat hortus, in quo Redemptor cum æterno Patre suo familiarissime de æterna nostra tractavit salute, quæ in eo consistebat, quod scilicet post longum quinquies millium et amplius annorum exilium in beatam illam patriam e postliminio remitteremur.

**7.** — *Ubi erat hortus.* Hic hortus quoque figura fuit Ecclesiæ, Simon de Cassia dicente[3] : « Hortus « ad quem Jesus ingreditur Ecclesia est, qui con« clusus fertur, dicente Scriptura : *Hortus conclusus « soror mea sponsa.* » Nescio an aliquando observaveritis, quanto cum affectu Deus noster in sacris litteris de hortis disseruerit. Sacratissimam humanitatem suam in utero virginali assumens, eamdem horti nomine appellavit[4] : *Hortus conclusus, fons signatus : emissiones tuæ paradisus.* Nazareth concipi voluit, quia *Nazareth* idem est, quod *florida.* Sibimetipsi floris nomen vendicavit, dicens : *Ego flos campi.* Passionem suam in horto incepit; in horto similiter sepeliri voluit. Post resurrectionem suam in habitu hortulani Magdalenæ se manifestavit. Per quæ omnia, nisi fallor, nos docere voluit, quod si veri ipsius sequaces esse volumus, bonum virtutis odorem fragrare debeamus, ut in nobis adimpleatur, quod dicebat Apostolus : *Christi bonus odor sumus Deo.* Ac proinde Dionysius Carthusianus hunc S. Joannis textum exponens, ita scribit[5] : « Conve« nienter autem Dominus Jesus, omnium virtutum « floribus adornatus, vigore et viriditate sapientiæ « atque scientiæ decoratus, cujus anima a suo vi« gore et viriditate nunquam aruit, ingressus est « hortum, viriditatis, ubertatisque locum. Utinam « et cor nostrum sit hortus deliciosus virtutum, « scientiarumque graminibus plenus, redolens « quasi Christi odor bonus, in quem Christus in« trare dignetur, quemadmodum sponsa orat in « Canticis : *Veniat dilectus meus in hortum suum.* » Nos quoque inter hortorum delicias et amœnitates, Christianarum virtutum flores colligere possumus, cum sit verissimum, quod[6] *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Fuit nonnemo, qui tale delineavit emblema, in cujus corpore flos quidam effingebatur, in quo simul apis quiescebat, et aranea, cum hac subnexa epigraphe : *Hinc mel,*

[1] Marc., xiv, 33. — [2] Gen., iii, 10. — [3] *Ps.* ciii, 32. — Simon de Cassia. — [5] S. Thom., *ib.*

[1] Hug. Card, *in Joan.* — [2] S. Aug., s. 45 *in Append. de divers.* — [3] Simon de Cassia, *ib.* — [4] Cant., ii, 12. — [5] Dion. Carth., *in Joan.* — [6] Rom., viii, 1.

*hinc venenum*, Electi instar apum ex floribus deliciarum mel perfectionis et devotionis elicere norunt. Unde S. Cæcilia, cui a S. Urbano papa apis nomen inditum fuit : « Cæcilia famula tua quasi apis argu- « mentosa tibi deservit, » in medio cantuum, organorum, conviviorum et similium gaudiorum mundanorum, cor suum ad Deum devote erigere, illudque purificare novit; unde Ecclesia de ipsa canit : « Cantantibus organis Cæcilia soli Domino « in corde decantabat, dicens : fiat Domine cor et « corpus meum immaculatum. »

**8.** — *Ubi erat hortus.* Advertendum quoque est, quod sponsa cœlestem amatorem suum ad horti sui invitaverit delicias, ut pomorum suorum degustet fructus [1] : *Veniat dilectus meus in hortum suum*, inquit, *et comedat fructum pomorum suarum.* Scisne, quænam sint hæc poma? In capite VII eorumdem Canticorum, poma illa his verbis cœlestis sponsa indicare videtur, dum ait [2] : *Omnia poma, nova et vetera servavi tibi, dilecte mi*; quasi diceret: in hoc horto reservavi tibi omnes antiquorum pomorum præmorsus, per passionem tuam exsolvendos et expiandos, id est, omnes prævaricationes a toto genere humano commissas in antiquo testamento, nec non et illas, quæ in nova lege committentur usque ad finem mundi. Quando deinceps Sponsus dilectam suam, per quam etiam anima fidelis denotatur, invitavit, dicens : *Veni in hortum meum, soror mea sponsa;* ne illa a rosarum amœnitate deciperetur, id est, seduceretur ab illecebrosi mundi voluptatibus et deliciis, subito ei ob oculos dolorum suorum proposuit myrrham, dicens : *Messui myrrham meam cum aromatibus meis*, quia tametsi Christum intra horti delicias reperiamus, intra illas tamen illum videmus mæstum, agonizantem et sudores sanguineos emittentem; ad denotandum nobis, quanta cum difficultate inter delicias innocentia conservetur. Unde S. Bernardus admirabundus dicebat [3] : « Quod martyrium gravius est, quam inter epulas « esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, « paupertate premi inter divitias. » Deus apud Isaiam populo suo improperabat, dicens [4] : *Erubescetis super hortis, quos elegeratis.* Solent enim loca amœniora incentivum esse deliciarum, quæ in conspectu Dei vultum nostrum verecundiæ rubore conspergunt; atque ideo hæ voluptates Filium Dei in horto Gethsemani proprio suo sanguine rubescere fecerunt, ut per amaritudinem calicis mortis suæ pro nostris voluptatibus satisfaceret.

—

[1] CANT., V, 1. — [2] ID., VII, 13. — [3] S. BERN., *in Fest. omnium Sanctorum.* — [4] ISA., I, 29.

## DISCURSUS IV

DE ELECTIONE TRIUM APOSTOLORUM QUOS IN EUMDEM HORTUM SECUM DUXIT, ET CUR EX ILLIS SOLUM PETRUM DE SOMNO INCREPARIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Quare Christus tres illos Apostolos secum sumpserit ad spectandam suam agoniam et non reliquos. — 2. Isti tres Apostoli promiserant se majora pro Christo passuros, quam alii. — 3. Hi tres Apostoli singulariter erant instituendi. — 4. Quia erant cœlestis gloriæ avidiores instruuntur quomodo ad illam perveniatur. — 5. In his tribus Apostolis docemur quibus virtutibus debeat orans esse instructus. — 6. In his tribus figurati fuerunt tres vocationis status. — 7. Quænam lateant mysteria in verbo *avulsus est.* — 8. Cur Petrus solus reprehensus fuerit de dormitione.

*Et assumit Petrum et Jacobum et Joannem secum.* Marc., XIV, 33.

**1.** — Ex quo cœlestis Magister e cœnaculo Syonitico egressus, et societate apostolorum suorum stipatus ad montem Oliveti, et ab hoc in hortum Gethsemani se recepit, merito dubium quoddam exsurgit, cur alios apostolos seorsim relinquens, tres dumtaxat apostolos specialiter selectos secum sumpserit; dicit enim S. Matthæus : *Dixit discipulis suis: sedete hic, donec vadam illuc, et orem, et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari.* Origenes insinuare videtur, tres hosce apostolos præ cæteris fortiores fuisse et animosiores, ac proinde aptiores, qui Christo in interno prælio et lucta, seu potius agonia assisterent; ait enim [1] : « Illos duxit secum, qui videbantur fideliores et « fortes. » Quam eamdem expositionem litteralem Lucas Brugensis sectatus fuit, dum ait [2] : « Reliquos « adesse noluit, ne imbecilliores plus æquo turbaret « visa præceptoris infirmitas. Hos qui in monte « spectatores fuerant gloriæ et superni testimonii « auditores, decuit esse constantiores, et minus « cæteris offendi. Erant in Jesu duo ista inter se « diversissima ; divina Majestas, qua nihil sublimius et humana imbecillitas, qua nihil abjectius. « Quoniam autem his tribus gustum aliquem præ- « buerat suæ sublimitatis, voluit eosdem suæ « imbecillitatis esse testes et intelligere, quod « sicut in Christo gloria infirmitatem non absor- « buisset, ita nec infirmitas gloriam. » Et vero non solum hi tres præsentes fuerant glorioso illi transfigurationis spectaculo, propter quod in fide divinitatis suæ magis poterant stabiliri; verum insuper, ut apud S. Marcum legitur [3], quando filiam archisynagogi defunctam denuo revocaturus erat ad vitam, non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum

[1] ORIG., *in Matth.* — [2] LUC. BRUG., *in Matt.* — [3] MARC., V, 37.

et Jacobum et Joannem. Atque ideo sequitur illos præ ceteris discipulis capaciores fuisse pro intelligentia tam alti et imperscrutabilis mysterii, cujusmodi erat passio Filii Dei, tunc adeo vilis et abjecta; utpote qui omnipotentiæ et Majestatis suæ magis distinctam et evidentiorem habebant notitiam. « Ut « quemadmodum gloriæ Domini testes extiterunt, inquit Salmeron [1], « in monte Thabor, et potentiæ « divinitatis in suscitanda filia Archisynagogi, ita « nunc spectatores essent imbecillitatis infirmæ suæ « humanitatis. » Observandum quoque, quod hi tres post editam a S. Petro eximiam illam fidei confessionem : *Tu es Christus Filius Dei vivi*; paulo post in monte Thabor quoad divinitatem Christi magis fuerint confirmati, videntes illum gloria amictum, et audientes desuper ab æterno Patre perhibitum testimonium : *Hic est Filius meus dilectus*. Ac proinde justum erat, ut hi iidem quoque tanquam præ cæteris magis eruditi, et capaciores, de humanæ naturæ ipsius veritate certificarentur. « Ut illi ipsi, inquit Theophylactus [2], qui gloriosa « viderant, videant et tristia, discantque, quod et « ipse vere homo sit, et mœreat, et angatur sicut « nos. » S. Thomas similiter ait [3] : « Ostenderat eis « gloriam, ideo volebat, quod sicut viderant glo- « riam, ita viderent infirmitatem : ut cognoscerent « quod nec infirmitas gloriam, nec gloria absorbe- « ret infirmitatem. Christus, qui *spirituum ponde- « rator est* [4], *et qui sciebat quod esset in homine* [5], » hic, inquam, sciebat in aliis discipulis non esse eamdem dispositionem et capacitatem, qualem discernebat in prædictis tribus : prævidebat insuper quod supra modum scandalizandi et turbandi essent, si præsentem viderent immensam Christi tristitiam et amari calicis sui nauseam, sudorem quoque sanguineum et agoniam, ac denique angelum comparentem, ipsumque confortantem; *non enim omnes capiebant verbum istud*. Sed vivacissima divinæ essentiæ fide opus erat, ne vacillarent, siquidem videbatur contremiscere, quem *tremunt potestates*; videbatur genuflexus in terra ille, de quo scribitur [6] : *In nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum*; videbatur mœstus, qui ab Apostolo vocatur [7]; *Deus totius consolationis*; cernebatur corpore et vultu in terram prostratus, coram quo reges et monarchæ coronas et sceptra sua reverenter deponunt. Quod si quis potentissimum quemdam regem misere et tenuiter videret vestitum, illumque non cognosceret, illum utique revera talem esse minime crediturus esset. At vero si antea ingentes ipsius vidisset thesauros, sciretque eum voluntarie tam pauperculo veste indutum, vestis illa nequicquam diminueret de debita ei reverentia, et majestatis suæ conceptu, sed totum hoc attributurus esset mysterio. Quia igitur hi tres apostoli ad opulentissima divinitatis suæ æraria fuerant admissi, jamque in monte Thabor audierant discursus, quod Moyses et Elias de imminente ipsius passione inter se miscuerant, merito audita, et visa illos cum majori fundamento in fide sua stabilire poterant. Salmeron in horum trium discipulorum laudem ita scribit [1]:« Perfectiores et futuri « vertices apostolorum erant.» Ac proinde cum præ reliquis Apostolis maximis fuerunt condecorati prærogativis, majorem quoque in ipsis præcæteris jure expectavit vigilantiam, et patientiam, et ideo aliis duntaxat dixit : *Sedete hic, donec vadam illuc*; hisce vero præcepit : *Sustinete hic, et vigilate mecum* Deo enim solemne est, quod ab illis animabus, quibus majora contulit dona, gratiasque majores, majorem quoque requirat correspondentiam, majorem cooperationem, perfectionem, et gratitudinem. Sacer quidam interpres ait [2]: « Quo- « niam his tribus gustum aliquem præbuerat suæ « sublimitatis, voluit eosdem quoque extremæ suæ « dejectionis esse testes, ut in eodem discerent quid « esset imitandum, et quid sperandum. »

**2.**—*Et assumit Petrum*, etc. Salmeron aliam quandam habet observationem; ait enim [3]: « Isti præterea « tres majora præ aliis pro Jesu se passuros promi- « serant.» Etenim S. Petrus repetitis vicibus Christo fuerat pollicitus, quod tametsi omnes alii Christum deserturi essent, ipsum tamen solum ad mortem usque ejus sectaturum esse societatem. Duo autem fratres Jacobus et Joannes, post sollicitatas in regno ipsius primas sedes, interrogati [4]:*Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* absque ulla hæsitatione responderunt : *Possumus*; in illa vero hora tempus experiendi promissi veritatem præ foribus imminebat. Mox vero idem Salmeron subdit [5]: « Ideo admissi a Christo sunt, ut spectent Christum « calicis transitum deprecantem, nec tamen impe- « trantem, et ita agnoscant, quod minus ipsi pote- « runt evadere calicem, quia non est discipulus « super magistrum. Docet etiam Christus, majori- « bus, ac perfectioribus majora onera imponenda « esse. Ideo cum ad octo discipulos dixisset : Se- « dete hic, donec vadam illuc, et orem : ab istis « tribus plus exigit, dicendo : Sustinete hic, et « vigilate mecum, atque agite excubias mihi : « quanquam nunc temporibus istis, omnibus in « pejus collabentibus, ignaris plerumque et imper- « fectis, dignitatem et officiorum munera, relictis « idoneis et perfectis, imponantur. » S. Paschasius diu ante dixerat [6]: « Non sine causa eos usque ad- « duxerat, quasi firmiores in agone certaminis, sed

[1] Salm. — [2] Theoph., *in Marc.* — [3] S. Thomas, *ib.*— [4] Prov., xvi, 2. — [5] Joan., ii, 25. — [6] Philipp., iii, 2.— [7] II Cor., i, 3.

[1] Salm., vi, 33. — [2] Joan. Ferus, *in Matth.* — [3] Salm. — [4] Matt., xx, 23. — [5] Salm., *ibid.* — [6] S. Pasch., *in Matt.*

« ut cum eo, licet a longe, laborarent vigiliis, et « orationibus. » Origenes aliud quoddam tangit punctum, scilicet quam sit periculosum, si quis ex semetipso quidpiam arduum facere promittat, absque eo quod se confortans habeat divinæ gratiæ subsidium [1] : « Ad hoc adduxit eos, maxime « Petrum magna de se confidentem, ut videant, et « audiant, ubi est posse hominis. Videant cadentem « in faciem suam, audiant dicentem : *Pater, si possi-* « *bile est, transeat a me calix iste;* et dis aut non « magna de se sapere, sed humilia æstimare ; nec « veloces esse ad promittendum. » Ex quo enim cedri Libani contremiscunt, quomodo non paludum arundines vacillabunt ?

**3.** — *Et assumpto Petro etc.* Albertus Magnus aliam quamdam hujus partialitatis assignat rationem, dicens [2] : « Ecce intimorum et præ cæteris instruendo- « rum assumptio. » Petrus enim, utpote Collegii Apostolici et Ecclesiæ visibile caput, a cœlesti Magistro suo, in ordine ad Hierarchiam et regimen Ecclesiasticum necessario instruendus erat. S. Jacobus quoque, qui primus inter Apostolos pro fidei veritate vitam prodigere debebat, necessario ad hoc animandus erat, Filium Dei sanguinem in Passione sua sudantem videndo : « Ad virtutem passionis « erat confortandus et instruendus. » Denique de S. Joanne subdit : « Quia veritatem Deitatis altius « scripsit, ad familiaria orationis erat admittendus » ut hac pariter ratione oculatus debilitatis humanæ naturæ assumptæ fieret testis.

**4.** — *Et assumit Petrum, etc.* Ad hæc dici potest, ideo tres hosce discipulos a Christo fuisse assumptos, quia præ cæteris gloriæ cœlestis consequendæ erant avidiores. S. Petrus in monte Thabor, beatitudinem in ipsum quoque Salvatoris corpus transfusam esse cernens, ait [3] : *Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula.* Duo alii vero, jam de facto, ut paulo ante dictum est, primas in cœlesti Christi regno postularant sedes ; ac proinde merito Christus illos secum duxit ad lachrymosum illud agoniæ aspiciendum spectaculum, quasi dicere vellet [4] : *Si sustinebitis et conregnabitis. Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* [5] ? Christus S. Petro in monte Thabor dicenti : *Bonum est nos hic esse, etc.*, non respondit, inquit S. Leo Magnus [6] : « ut licet non oporteret de beati- « tudinis promissionibus dubitari, intelligeremus « tamen, inter tentationes hujus vitæ, prius nobis « tolerantiam, postulandam esse, quam gloriam, « quia tempora patiendi non potest felicitas præve- « nire regnandi. » Porro mensæ Cœnæ duodecim accubuerunt ; ad deliciosi et amæni horti ingressum secuti sunt eum undecim ; at vero tres duntaxat interiori Christi luctæ, agoniæ, tristitiæ, et emisso sudori sanguineo fuere præsentes, ut per hoc denotaretur quam pauci sint, qui sequuntur et dispositi sunt ad Redemptori compatiendum, utpote qui ad participationem et imitationem dolorum passionis suæ eos tantum eligere solet, quos vel maxime diligit. Et ideo Lucas Brugensis de tribus hisce discipulis ait [1] : « Tres eligit, eos quibus am- « plius confidit, cum quibus consueverat secretis- « sima quæque communicare, ut testes essent « agonis sui, cum mortis imminentis horrore. » Reges, imperatores, aliique magni principes, favores, gratias, magisque eximios honores, quibuscum servitia a charissimis optimeque meritis amicis suis præstita remunerare solent, vel suum erga illos demonstrare affectum et æstimationem, quos diligunt ; in hoc præcipue exhibere solent, quod eisdem cruces quasdam impertiantur, ad quas sunt dispositi, verbi gratia crucem S. Jacobi, crucem melitensem, vellus aureum, vel Spiritum Sanctum, aliaque similia. Atque ideo ecce tibi prærogativam, qua Christus tres hosce intimiores Apostolos suos honoravit, scilicet qui ad Crucis participationem eos admisit, efficiendo, ut lachrymosi agoniæ suæ spectaculi proximiores essent spectatores.

**5.** — *Et assumit Petrum etc.* Hugo Cardinalis ex hac trium Apostolorum assumptione utilissimam quamdam deducit moralitatem, inquiens [2] : « Tem- « pore tentationis significat tribus virtutibus ma- « xime innitendum. Per Petrum, qui agnoscens « dicitur, significatur prudentia. Per Jacobum, qui « luctator vel supplantator dicitur, patientia et hu- « militas, quæ sola luctandi et supplantandi diabo- « lum astutiam habet. Per Joannem charitas de- « signatur. » Idem Hugo in Marcum ait [3] : « Petrus « significat prudentiam, quæ docet quid petendum, « prout oportet : Jacobus luctator significat pa- « tientiam, quæ sustinet hostis impugnationes in « oratione. Joannes gratia dicitur, et significat cha- « ritatem, quæ orationem informat. » Salmeron observat, Salvatorem ad ferventem illam orationem faciendam se accingentem, sequentia nobis salutaria documenta tradere voluisse [4] : « Scilicet, oratio- « nem bonam tribus exornandam esse comitibus. « Primum fortitudine fidei, significata in Petro, de « qua ait Jacobus frater Domini : *Si quis indiget* « *sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluen-* « *ter ; postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Se- « cundo debet habere contemptum et mundi sup- « plantationem per spem, significatam, in Jacobo, « de qua dicitur : *Revela Domino viam tuam, et* « *spera in eo, et ipse faciet.* Tertio charitatem, seu « gratiam significatam in Joanne, ut oratio sit « meritoria.

**6.** — *Et assumit Petrum, etc.* Advertendum quoque est, quod in tribus hisce Apostolis tres figu-

[1] Orig., *ib.* — [2] Albert. Mag., *id Marc.* — [3] Matth., xvii, 4. — [4] II Tim., ii, 12. — [5] Luc., xxiv, 26. — [6] S. Leo, serm. *in Transfigurat.*

[1] Luc. Brug. — [2] Hugo Card., *in Matt.* — [3] Id., *in Marc.* — [4] Salmeron.

rati fuerint cujuslibet vocationis specialissimi status. Etenim Hugo Cardinalis de his qui electi fuerant, ut assisterent in monte Thabor glorioso illi Transfigurationis spectaculo disserens, inquit [2] : « Per hos « tres omnes electi significantur. » Ex quo enim in monte Thabor cœli aperiendi, et quidam æternæ gloriæ prægustus, seu prælibatio exhibenda erat, voluit ut ibi præsentes essent tres illi discipuli, quarumlibet personarum status, professiones, conditionesque repræsentantes [3] : « Per Petrum enim « conjugati, vel, ut Glossa ait præpositi designaban- « tur : per Jacobum pœnitentes ; vel ut Glossa su- « per Lucam scribit actuales intelligebantur ; per « Joannem denique virgines, vel secundum Glo- « sam, claustrales designabantur. » Ob eamdem rationem asserere possumus, Salvatorem quando a semetipso exorsus est pro nostra Redemptione suum effundere sanguinem, hosce tres Apostolos secum habere voluisse, ad denotandum, se mortis suæ pretium æterno Patri suo indifferenter pro omnibus offerre ; siquidem *vult omnes salvos fieri*. Præterquam quod addi posset, S. Petrum, qui eximiam illam fidei confessionem ediderat : *Tu es Christus Filius Dei vivi*, præfigurasse confessores ; S. Joannem virgines ; S. Jacobum denique martyres, eo quod primus inter Apostolos fuerit, qui martyrii palma condecorari meruit.

**7.** — *Et cum pervenisset ad locum, dixit illis : Orate, ne intretis in tentationem, et ipse avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis* [4]. Porro modus ille loquendi S. Lucæ, dicentis : *Avulsus est ab eis*, sine dubio non caret mysterio. Est enim verbum *avulsus* expressivum alicujus violenter factæ divisionis, seu disjunctionis, significatque Christum a charissimis discipulis suis magna cum animi repugnantia se sequestrasse. S. Bernardinus [1], Spiritum Sanctum magnacum sapientia effecisse, ut Evangelista scriberet ; *Avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis*, quia lapis aliquis minus, vel magis procul projici potest, secundum majorem vel minorem brachii vigorem, et fortitudinem, vel secundum majus, vel minus saxi pondus ; ad insinuandum, quod Christus in hac præsenti vita nunquam se adeo elonget a nobis, quin cor peccatoris, quantumvis lapideum et induratum, ad ipsum converti possit, dummodo de effectibus orationis, et passionis suæ participare velimus. Nunquam a corde nostro, quantumvis duro discedit, præterquam ad jactum lapidis ; siquidem semper cordis ostio adstat, per internas inspirationes idipsum pulsando et movendo. S. Thomas super illa S. Matthæi verba : *Progressus pusillum*, inquit [2] : « Notate, quod non multum, sed pusil- « lum progressus fuerit, ut notaret, quod non longe « est ab invocantibus eum. *Prope est Dominus « omnibus invocantibus eum*. Item ut viderent eum « orantem, et formam acciperent. » S. Augustinus vero aliud quoddam notat mysterium, inquiens [1] : « Ut usque ad eum perducerent intentionem legis, « quæ scripta erat in lapide, usque ad illum enim « potest pervenire hic lapis, quoniam *finis legis ad « justitiam est Christus omni credenti*. » Observari quoque potest, quod cum Filius Dei sit lapis ille angularis, ab Hebræis reprobatus [2] : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes etc. Petra autem erat Christus* ; ab eis quidem se elongaverit, sed per breve spatium temporis, ad denotandum immensum quem etiam erga illos gerebat affectum, qui crudelissimam ei mortem illaturi erant.

**8.** — *Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro : Sic non potuistis una hora vigilare mecum* [3] ? At vero quænam est causa, quod cum omnes tres dormierint, solus tamen Petrus fuerit reprehensus ? Respondet S. Thomas [4] : « Quia magis se jactaverat, ut assisteret ei. » S. Hilarius inquit [5] : « Quasi talia ad ipsum dicens : « Tune ille es, qui pollicitus es, te mihi commo- « riturum ? Unam horam non potuisti vigilare, quo- « modo mortem contemnes. » S. Paschasius ait [6] : « Ideo soli Petro dicitur, cui vel una hora « secum non potuerit vigilare, quia præ cæteris non « se scandalizaturum fuerat gloriatus, et repromi- « serat se contra Domini vocem non negaturum. » Ego vero existimo, Petrum specialiter a Christo fuisse reprehensum, utpote qui jam deputatus erat gregis Christi Pastor ; dormiente enim ipso, consequens erat, ut omnes quoque alii obdormiscerent. Ac proinde licet cœlestis Magister cum ipso solo loqueretur, in numero tamen plurali dixit : *Sic non potuistis una hora etc.* Enim vero ad oves devorandas nullo alio opus est lupo, quam somnolento pastore. Tametsi enim aliorum somnus periculosus sit et perniciosus ; attamen somnus prælatorum, qui vigilare debent, majorem meretur reprehensionem.

[1] Hugo Card., *in Luc.* — [2] Luc., xxii, 40. — [3] S. Bernardin., ser. 55, c. 2. — [4] S. Thom., *in Matt.*

## DISCURSUS V.

DE LÆTITIA, CUM QUA CHRISTUS PASSIONEM SUAM DISCIPULIS PRÆDIXIT, EIQUE ULTRO CITROQUE OBVIAM PROCESSIT.

Idea sermonis. — Anima devota invitatur a Christo ad hortum Gethsemani, ut cum eo hilariter, metat myrrham amaram passionis ejus — 2. Christus hominem lapsum ab origine mundi desideravit redimere. — 3. Quam diem Christi Abraham cum gaudio videre desideraverit. — 4. Quomodo Christus in passione sua luserit coram Patre æterno. — 5. Dies passionis fuit Chrlsto lætitiæ. — 6. Cur omnia sacrificia boum et ovium V. L. Christo fuerint grata et in deliciis. — 7. Mors Christi fuit ipsi suavis sopor. — 8. Christus magno desiderio acceptavit humanam redemptio-

[1] S. Aug. — [2] Luc., xx, 17. — [3] Matt., xxvi, 40. — [4] S. Thom., *in Matt.* — [5] S. Hilar., *in Matt.* — [6] S. Paschas. *in Matt.*

nem. — 9. Ecclesia fundata fuit per mortem Christi cum jubilo et cantico. Vinum et oleum designant lætitiam qua Christus fuit passus. — 10. Expenditur quare Christus a Patre æterno petierit eximi ab ictu lanceæ. Passio Christi fuit ipsius gaudium. — 11. Quare Christus in horto tristis fuerit et anxius.

*Veni in hortum meum, soror mea sponsa : messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Cant. v. 1.

**1.** — Anima electa a cœlesti Sponso in hortum Gethsemani invitata fuit, ubi se pœnosæ passionis suæ myrrham messuisse dicit. Nam Justus Orgelitanus thematis nostri verba ita exponit : « Invitatur « pia anima ad hortum Passionis Christi : *Veni in « hortum meum*, etc. Id vero propter quod me stupor incedit, hoc præcipue est, quod post myrrham, quæ amarissima est, statim favi mellis, quod suave est, necnon vini et lactis, quæ amabiles et gratas exhibent potiones, mentionem faciat dicens : *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo* ; cum tamen eum felle et aceto potatum esse, omnibus ex Evangelio constet : unde per Psalmistam ait [1] : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Observandum est igitur, quod non sine mysterio dixerit : *Messui myrrham meam*, non vero dixerit : Invexi seu collegi demessam myrrham meam, quia, ut idem Psalmista ait [2] : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Quo loquendi modo summum intendit exprimere jubilum, excessivamquæ lætitiam, qua passioni suæ occurrit, eamque sustinuit, calicem illum amarissimum haud secus epotando, ac si vinum generosum continuisset, illumque bibendo, tam suavem experiendo saporem, ac si mel et lac bibisset. Considerastisne aliquando dona illa, quæ tres orientis Reges, illi infinitæ majestatis Deo obtulerunt, in cujus femore scriptum esse sciebant : *Rex regum, et Dominus dominantium* ? Porro aurum signum erat servitutis et tributi ; incensum vero Christi nati indicabat divinitatem, dicente D. Chrysologo [3] : « Aurum Regi, incensum Deo. » At vero quid myrrha portendebat? De hac sancta Ecclesia ita canit : *In myrrha Dominicam sepulturam.* Cur autem hi Reges Christo regum Regi in cunis etiamnum jacenti, mortis insinuant tumulum ? Enim vero Regibus noviter electis (*Hodie nobis cœlorum Rex de Virgine nasci dignatus est*) communiter, Vivat, vivat Rex, acclamatur : cur igitur huic tumulus indicatur sepulcri ? Nicodemus quidem myrrham et aloe sibi coemit, sed non alio fine, quam ut illi jam mortuo in sepulcro pararet condimentum. Ad hoc aliud responderi nequit, quam quod a Deo ac hoc munus offerendum inspirati fuerint, utpote Christo etiamnum infanti præ cæteris pretiosis donis longe gratissimum ; siquidem etiamnum in præsepio jacens crucem et passionem suam ob oculos sibi positam habebat, utpote propter quam tanto cum jubilo in terram descenderat.

**2.** — S. Joannes Apostolus in Apocalypsi sub agni metaphora disserens, inquit [1] : *Occisus est ab origine mundi.* At vero, quid dicis, o sancte. Apostole ? ergone mentitus est S. Paulus Apostolus cæteroquin veridicus, quando ait [2] : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum ?* Sed respondentur, verissimum quidem esse, Filium Dei descendisse in terram in plenitudine temporis ; at vero sciendum est, quod Filius Dei, cui præsens erat æternitas, sciens lapsum hominis, ad ejus redemptionem tanto cum jubilo se obtulerit, ut ab ipsamet mundi creatione claris indiciis demonstrarit, quanta cum impatientia (ut ita dicam) hominem redimere desiderarit. Etenim protoparentes vix manus suas ad pomum vetitum extenderant, cum ecce Filius Dei terrestrem conspicitur obambulare paradisum [3] : *Ambulabat ad auram post meridiem.* Sed quonam spectat hæc ambulatio ? Num forte ut contra transgressores furorem suum exerceat ? Nequaquam sed ob finem plane oppositum. Ab illo namque momento perlustrabat paradisi arbores, ut sibi designaret lignum, in quo pro lapsi hominis reparatione crucifigeretur, dicente sancta matre Ecclesia : « De parentis protoplasti fraude factor « condolens, quando pomi noxialis morsu in mor« tem corruit, ipse lignum tunc notavit, damna « ligni ut solveret. » Porro totus vetus Testamentum innumeris refertum est figuris, in quibus mors Redemptoris ad vivum symbolizata delineatur ; in præsentiarum vero lætitiam, qua cum pati et mori voluit, demonstrare intendimus.

**3.** — Christus incredulis Hebræis apud S. Joannem dixit [4] : *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum : vidit, et gavisus est.* At vero quisnam est ille dies, de quo Christus ibi loqui intendebat ? Num forte dies Incarnationis, Resurrectionis, vel Ascensionis ? Nequaquam. Audiamus D. Chrysostomum dicentem [5] : « Diem autem meum hoc in loco « crucem mihi significare videtur, quem in arietis « oblatione, et Isaac præfiguravit. » At vero si per diem hunc dies mortis Christi intelligitur, quomodo S. Patriarcha de die tam funesto lætari poterat ; quando etiam cœlum ipsum, ut Creatori suo compateretur, lugubri se amictu tenebrarum induit ? Advertendum est igitur, quod cum Christus, qui de seipso dicit : *Ego sum veritas*, ore suo proprio dixerat : *Gravius est* : necessum sit credere, Abrahamum vere in corde suo gaudio perfusum fuisse. Cujus hoc potuit esse ratio, quia convenit, ut animæ illæ, quæ Dei intelligentias partici-

[1] *Ps.* LXVIII, 22. — [2] *Ps.* CXXV, 6. — [3] CHRYS.

[1] APOC., XIII, 8. — [2] GAL., IV, 4. — [3] GEN., III, 8. — [4] JOAN., VIII, 56. — [5] CHRYS., ho. 54 *in Joan.*

pant, eique per affectus suos se conformant, illud adimplent Apostoli monitum [1] : *Gaudere cum gaudentibus.* At vero si quæras, cur Deus Abrahæ Isaac filium suum sacrificare non permiserit, respondeo, quia in progressu sæculorum Dei Filius super eodem monte primus pro nobis in sacrificium offerri voluit, atque ideo ante cruentum suum sacrificium nullum in illo monte holocaustum offerri permisit. Quia ut inquit D. Chrysostomus [2], « perfecta sacri- « ficii hostia Christo servatur. » Voluit igitur ipse primus esse, qui pro salute nostra sanguinem et vitam prodigeret, et in holocaustum offerret ; Abrahæ vero sufficiebat, quod illum solum in figura præcesserit.

**4.** — Increata Sapientia suum in terras adventum prævidens, ait [3] : *Cum eo eram cuncta componens.* Etenim in lege naturæ, et scripta, Dei Filius in antiquo testamento satagebat varias disponere passionis suæ figuras : *Et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse eum filiis hominum.* Ubi merito quærendum venit, qualis fuerit *ille* lusus, qualesque deliciæ, quas Dei Filius hic in terris inter nos reperit; siquidem illum acutissimis spinis a nobis transfixum, et acerrimis flagellis excarnificatum fuisse constat? Respondet S. Antonius de Padua [4]: « Filius ludebat coram Patre, cum a discipulo tradebatur, cum ad columnam ligatus flagel- « labatur, cum ab Herode illudebatur, cum spinis « coronabatur, ludebat, cum exiret bajulans sibi « crucem. » Unde S. Augustinus continere se nequivit, quin in honorem Cruxifixi hæc in verba exclamaret [5] : « O quam bene cantatur tibi in illo « Cantico Canticorum, velut in epithalamio tuo, « quia charitas in deliciis tuis, ipsa non perdit cum « impiis animam tuam, ipsa discernit causam tuam, « et sicut mors valida est, ita et in deliciis tuis est. « Quam mirandi generis mors est, cui parum fuit « non esse in pœnis, nisi esset insuper in deliciis. »

**5.** — Thronus regius veri Salomonis, de quo dicitur [6]: *Dominus regnavit a ligno*, in sacris canticis, nisi fallor, prædictus fuit hisce verbis : *Ferculum, fecit sibi rex Salomon de lignis Libani ascensum purpureum media charitate constravit. Egredimini, et videte, Filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus.* At vero quisnam hic tam festivus fuit dies, in quo Filius Dei nuptias suas celebravit? Num forte dies hic ei in Nazareth illuxit, quando virgineum ingressus est uterum. Aut vero in monte Thabor, cum transfiguraretur? Nequaquam, sed dies hic non alius fuit, quam dies probrosæ et pœnosissimæ suæ passionis. nullum enim hoc die lætiorem unquam habuit. « Mater « quidem Synagoga » inquit S. Bernardus [1], « non « matrem se exhibens, sed novercam, regem nos- « trum corona spinea coronavit. » S. Athanasius ait [2]: « Notum, quod dies passionis Christi fuerint « dies lætitiæ ejus propter salutem nostram. »

**6.** — Advertendum est, quod omnia sacrificia et oblationes ab ipso mundi exordio, per quinquies mille et amplius annos in honorem veri Dei factæ, quadamtenus illud repræsentarint sacrificium, quod in monte Calvario offerendum erat, in quibus proinde Dei Filius per tot sæcula suis perfundebatur gaudiis, et fruebatur deliciis. Unde S. Leo ait [3]: « Huic sacramento universa præcedentium sæcu- » lorum mysteria, servierunt, et quidquid hostia- « rum differentiis in propheticis signis, et legalibus « institutis sacra dispensatione variatum est. » Regius Vates olim quidem ex ore et persona Dei dixit [4] : *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* et tamen grata semper habuit ovium, vitulorum et boum sacrificia, gratum ei fuit copiosum illud sanguinis animalium sub altaribus decurrens profluvium, quia in his sacrificiis videbat cruenti mortis suæ sacrificii figuras, quos adimplere avide desiderabat. Unde S. Augustinus ait [5] : « Cujus (de sacrificio in ara crucis oblato loquitur) « umbræ fuerunt illa omnia, non hoc im- « probantia, sed hoc significantia. Primis tempori- « bus ad hoc Sacrificium talibus significationibus « prophetandum, immaculatorum animalium sa- « crificia Deus sibi jussit offerri. » Denique cum in nova lege tempus advenisset, quo Dei Filius tanquam victima in holaucaustum offerri, omneque aliud sacrificium cessare debebat, considerans, quod sacrificium cruentum in monte Calvariæ non nisi semel tantum offerendum esset, ingeniosum, et sapientissimum excogitavit modum, quo continuo pro nostri amore sacrificari posset. Siquidem in Ecclesia quoddam sui ipsius instituit incruentum sacrificium, quod quia nunquam intermittitur, *juge sacrificium* in Scriptura appellatur, in quo pro nobis quasi omni momento moritur, tametsi ad dexteram Patris impassibilis resideat; quia in Missa per mysticam sanguinis effusionem, et per figuratam mortem Deo Patri omni momento a sacerdotibus offertur. « Quasi non sufficeret amoroso « Jesu, » inquit S. Bernardinus [6], « ad inebriati « amoris sui ostentationem, quod semel sanguinem « suum sacrum pro nobis realiter effudit in ligno, « nisi nobis quotidie effundat sub Sacramento. »

**7.** — Propheta regius Christi mortem prædicens, eamdem somni nomine appellavit, dum ait [7] : *Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi, quia Dominus*

[1] Rom., xii, 15. — [2] Chrysostomus, *de fid. Abrah.* — [3] Prov., viii, 10. — [4] S. Anton. de Pad. — [5] S. Aug., *in Joan.* — [6] Cant., iii, 10.

[1] S. Bern., s. 5 *in Fest. omn. SS.* — [2] S. Athan., *ad Antioch.* — [3] S. Leo, *de Pass.* — [4] *Ps.* xlix, 13. — [5] S. Aug., *Contra Adv. Leg. et Proph.* — [6] S. Bern., t. 2, s. 54, art. 1, cap. 2. — [7] *Ps.* iii, 6.

*suseepit me.* Ubi observandum est verbum *soporatus* quod quietem quamdam, somnumque amabilem et suavem indicat. « De latere enim suo te reforma-« vit » inquit mellifluus Bernardus[1], « quando prop-« ter te obdormivit in cruce, et ob hoc somnum « mortis excepit. » Similiter in Psalmo XCVIII, idem David redemptionem nostram prædicens, inquit[2] : *Salvavit sibi dextera ejus et brachium sanctum ejus.* Ubi potius dicendum videbatur : *Salvavit nobis,* quia universa ejus qassio in salutem et beneficium nostrum redundarat. Observandum quoque, quod in parabola de ove perdita, ab ipsomet Redemptore composita et ad hoc mysterium alludente dicatur[3]: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat.* Ubi commentator Nazianzeni ita scribit[4] : « Iisdem humeris eam suscepit, quibus et crucis « lignum tulit. « At vero dices fortasse, cur ait : *Congratulamini mihi,* et non potius ovi? Beda dubium hoc his verbis resolvit[5] : « Non dixit : Congra « tulamini ovi inventæ, sed mihi, quia videlicet ejus « gaudium est vita nostra, et cum nos ad cœlum « reducimur, solemnitatem lætitiæ implemus. » Similiter advertendum est in parabola fllii prodigi (per quem genus humanum propter idololatriam errans, ac tandem ad notitiam et obsequium veri Dei reductum denotatur) quod Pater præceperit[6]: *Occidite vitulum saginatum,* fueritque instauratum lautum convivium, musicorum instrumentorum et cantantium harmoniæ, aliisque festivis demonstrationibus associatum; et tamen merum amaræ passionis symbolum erat, dicente S. Eligio[7] : « Dominus Jesus Filius Dei bene dicitur vitulus sa-« ginatus, quia caro ejus spirituali pinguedine et « virtute opima est, adeo ut sola suffecerit ad tol-« lenda peccata mundi. Et ait : Manducemus, et « epulemur, Pater namque et servi illius sunt epu-« lati quia nostra salus est Patris gaudium, in quo « nostrorum est remissio peccatorum; immolata « pro nostra redemptione caro Christi, totius Tri-« nitatis lætitia est. »

**8.** — Verum ut ad vetus Testamentum denuo redeamus, certum est quod in Psalmo XXXIX, sacrificii cruenti in monte Golgotha consummati in hæc verba fiat mentio[8]: *Sacrificium et oblationem noluisti aures autem perfecisti mihi.* Ubi S. Paulus legit : *Corpus autem aptasti mihi.* Id vero quod nostro proposito quam maxime deservit, sunt sequentia verba[9] : *Holaucaustum et pro peccato non postulasti, tum dixi : Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Id porro quod impense diligitur, in medio cordis positum esse dicitur. Alia autem versio legit : *Intra viscera mea.* Theodoretus ait[1]: « Qui aliquem amore prosequun-« tur desiderant illum inter viscera sua conjicere. » Idem quoque Filio Dei accidit, qui redemptionis nostræ cupidissimus, crucis patibulum adeo amavit, ut illud sibi in medio cordis adstrinxerit : *Legem tuam in medio cordis; volui, venio.* quæ verba omnia excessivi desiderii, quo Filius Dei humanam redemptionem acceptavit, sunt expressiva.

**9.** — Titulus Psalmi XCII hic est : *Laus Cantici David in die ante Sabbatum, quando fundata est terra,* Quæ verba de Feria sexta Parasceves seu die Veneris sancto intelliguntur, in qua mundus hic erectus fuit, et restauratus. Unde Hugo Cardinalis ait[2] : « Hic psalmus est laus David, id est, Christi, et est « Cantici, quia invitat ad laudem Christi. Psalmus, « dico, vel laus facta in die ante Sabbatum, id est, « pro eis quæ fecit in feria sexta, in qua passus « est, quando fundata est terra, id est, Ecclesia, « quæ per mortem Christi fundata est. Intentio « ergo hujus psalmi est, hortari nos, ut laudemus « Christum Deum. » Apud Isaiam aliud quoddam passionem Christi respiciens invenio his verbis expressum vaticinium[3]: *Erit lux lunæ, sicut lux solis et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit.* Quæ verba, si sensum litteralem spectes, Passioni Dominicæ non admodum conveniunt, siquidem illius tempore *tenebræ factæ sunt* etc. Ac proinde ad sensum illorum mysticum oportet recurrere, quem Oleaster his verbis indicat[4]: « Quia vult Deus omnia « gaudere, et exultare in die salutis justorum, et « omnes servos suos novis induere. quemadmodum « solem, et lunam. » Apud eumdem Isaiam Deus crucis patibulum sub metaphora torcularis in hæc verba describit[5] : *Torcular calcavi solus.* Quæ similitudo mysterio turget, quia sive vinum sit, sive oleum, quod in torculari exprimitur, utraque tamen lætitiam exprimunt quacum passus est Dei Filius, de vino enim dicitur : *Vinum lætificat cor hominis* de oleo autem[7]: *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ etc,* Unde non casualiter profecto, sed *data opera,* passionem suam exordiri voluit in horto Gethsemani, ubi, ut supra diximus, torcular positum erat, in quo olivæ Oliveti illius exprimebantur. Per hoc enim denotare voluit jubilum, cum quo ad mortem procedebat; nam ut Simon de Cassia ait[8] : « Statim capiendus montem visitat olivarum, ut « animo læto procedere se monstret ad pœnas. » Verum enim vero cur Christo non sufficiebat, se sanguinem suum pro nostra redemptione effudisse. Cur insuper per prædicta Isaiæ verba indicat, sanguinem suum calcatum et expressum fuisse velut in torculari? Oleaster respondet : « Sed hoc

[1] S. Bern., s. 2 *in Dom.* I *post Epiph.*—[2] *Ps.* XCVII, 1. —[3] Luc., XV, 6. —[4] Nicet. —[5] Beda, *ib.* —[6] Luc., XV, 30. —[7] S. Eligio, *Novion.* —[8] *Ps.* XXXIX. —[9] Hebr., X, 5.

[1] Theod., *ib.* —[2] Hug. Card. —[3] Isai., XXX, 26. —[4] Oleaster. —[5] Isa., LXIII, 3. —[6] *Ps.* CIII, 3. —[7] *Ps.* XLIV, 8. —[8] Simon de Cass. —[9] Oleast., *ib.*

« contentus voluit conculcari, ut quicquid sangui-
« nis, quicquid succi in corpore suo latebat, exiret
« ad lavacrum nostrum. »

**10.** — Non dubito, quin admiremini, quod supposita Iætitia et desiderio intensissimo patiendi, nihilominus per os Psalmistæ æternum Patrem suum rogarit [1] : *Erue a framea Deus animam meam.* Cur enim hisce verbis ab ictu lanceæ eximi postulavit qui tot aliis cruciatibus incomparabiliter acerbioribus lætus occurrit? Et quidem dubium hoc tanto magis augetur, quia certum est ex Evangelio, vulnus hoc lateris Christo inflictum esse postquam expirasset, adeoque illud nequaquam sentire aut inde dolere potuisset. Sed respondeo, hoc idem fuisse tametsi sui motivum, quod scilicet in corpore suo vulnus sine dolore acciperet, cum nil nisi dolorem pati desideraret. Quam etiam ob causam Ecclesia clavos quidem dulces, et crucem dulcem appellat : *Dulce lignum, dulces clavos* ; at vero de lancea loquens, dicit : *Mucrone diro lanceæ;* cujus hæc potest esse ratio, quia Christus hoc vulnus patiendo non meruit, eo quod anima ejus a corpore jam separata fuisset, adeoque hoc recipiens eo carebat gaudio, quo in omnibus aliis cruciatibus et doloribus fruitus fuerat, atque ideo vulnus hoc dedignabatur accipere, licet illud aliunde libenter acceptasset, cum sit axioma irrefragabile, quo dicitur : *Oblatus est, quia ipse voluit.* Certum pariter est ipsum ne quidem unica spinæ punctura transfixum fuisse, quam per altissimam sapientiam et providentiam suam non ordinarit, voluerit, et admiserit; cur igitur in latere suo lancea perforatus fuit quam adeo deprecabatur? S. Cyprianus hanc illius assignat rationem [2]: « Ut quidquid resideret in
« corde sanguinis emitteret. » Petrus vero Cellensis aliam rationem indicat, inquiens : « Jesus a per-
« fossione lateris sibi non pepercit, ut te in caver-
« nam lateris recepto, ad omne suum consilium
« admitteret, et gaudiis admisceret. » Porro cor ejus plenum erat, non aceto, quia *cum gustasset illud noluit bibere* [3]; sed ambrosia et nectare Paradisi ob consummatam humanam redemptionem, erat refertum: ac proinde latus suum aperuit, quasi animam sanguine suo redemptam, his verbis intra illud invitare vellet [4] : *Intra in gaudium Domini tui.* Similem quandam invitationem in sermone in ultima cœna habito discipulis suis, cunctisque fidelibus proposuit dicens [5]: *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.* Nimirum se traditum esse a Juda, a Petro negatum, a lictoribus vinctum, flagellatum, spinis perforatum, clavis transfixum, in crucem suspensum fuisse, suum appellavit gaudium, atque ad illud participandum nos quoque invitavit : « Quid significat, *ut*
« *gaudium meum in vobis sit?* » quærit S. Cyrillus Alexandrinus [1].» Homo factus unigenitus Dei Filius,
« absque peccato omnia sustinuit, quæ Judæorum
« excogitare pervicacia potuit nec unquam sputis
« dedecoratus, verbis derisus, verberibus cæsus, et
« tandem patibulo affixus, ullo mœrore affectus fuit,
« sed decenti semper ipse gaudio plenus, illa oppro-
« bria delicias sibi esse putabat. » Atque ideo sine dubio ob hoc mysterium passionem suam in horto qui locus est amœnitatis, et deliciarum, exordiri voluit, quia *opprobria delicias sibi esse putabat.*

**11.** — Salvator noster apud S. Lucam mortem suam prædicens, inquit [2] : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur. Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur.* S. Ambrosius considerat, quod tametsi in horto gravi se pressum tristitia demonstrarit, hac tamen perculsus non fuerit ex sensu doloris, ob passionem imminentem concepti, sed aliunde; en verba ipsius [3] : « Sub tempore mortis mæstitiam
« prætendebat, quam non ex metu mortis suæ,
« sed ex mora nostræ redemptionis assumpserat,
« juxta quod scriptum est : *Et quomodo angor,*
« *usque dum perficiatur.* Utique qui usque ad
« perfectionem angitur, de perfectione securus est. »
Porro verbum *coactor* coarctationem et augustiam cordis subindicat, id est vehementem quamdam cordis passionem inde provenientem, quod se dilatare et effundere nequeat. Ac proinde Christus immensum patiendi desiderium nullo verbo magis proprie exprimere poterat, quam per verbum *coarctor* quia per tringinta trium annorum spatium *desiderio desideravi hoc Pascha manducare* [4], est enim Pascha transitus Domini et tamen toto hoc tempore hæc amara passio cor ejus arctissime constrinxit et coarctavit, donec tandem tempus adveniret, in quo illud in monte Calvariæ expandere et effundere posset et quidem ut illud tanto melius expanderet, pectus et viscera sibi aperiri permisit, quasi ei tot ora, quod innumera exceperat in corpore suo vulnera, ad illud expandendum et dilatandum minime suffecissent. In cujus probationem observandum, quod Evangelista non dicat [5] : *Mortuus est,* sed *emisit Spiritum* ; non dicit : *Emisit animam,* sed : *Emisit spiritum,* quasi dicere vellet : libenter pro nostra salute moriens, adeo gavisus est, ut non jam expirare, sed respirare videretur.

## DISCURSUS VI.

### ALIÆ CONSIDERANTUR CIRCUMSTANTIÆ, EX QUIBUS GAUDIUM QUO DEI FILIUS IN PASSIONE SUA PERFUSUS FUIT, MANIFESTE COLLIGITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Licet Christus nos redimere potuisset sine doloribus illos tamen cum gaudio acceptavit.— 2. Christus festivus et cum gaudio properavit

[1] *Ps.* XXI, 1. — [2] S. CYPR., *de dupl. Mart.* — [3] MATT., XXVII, 34. — [4] ID., XI, 23. — [5] JOAN., XV, 11.

[1] S. CYR. ALEX., *in Joan.* — [2] LUC., XII, 50. — [3] S. AMB., *in Luc.*— [4] LUC., XXII, 15. — [5] MATTH., XXVII, 50.

ad passionem suam. — 3. Quare Christus jusserit Zachæo ut festinans descenderet de arbore. — 4. Quare Christus nasci voluerit in Judæa et non Romæ. — 5. Christus pro tempore suæ passionis elegit tempus vernum et mensem Martium, hujus assignantur rationes. — 6. Passionis Christi tempus sæpe nominatur hora ejus. Declaratur apta similitudine. Amor reddit cuncta dura facilia. Amor facit oblivisci dolorum. — 7. Amor nil aliud quærit quam pati. — 8. Amans in tormentis gaudet. Amor fœda clarificat. — 9. Amans nil aliud cogitat quam pati. — 10. Nihil Christo est gloriosius quam loqui de sua passione. — 11. Qui libenter ac ex amore patitur, recusat sibi commisereri.

*Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* Hebr. XII, 2.

**1.** — Postquam Christus Redemptor noster decretum humanæ redemptionis in supremo sanctissimæ Triados consistorio sancitum acceptasset, æternus Pater opinionem ei dedit eamdem consummandi sine doloribus, in corpore passibili, siquidem illud ab anima beata informandum erat : ipse vero adeo dolorum et tormentorum passionis suæ sustinendorum avidus fuit, ut crucem dulciter amplecteretur. Unde Biblia regis verba thematis assumpti hoc modo legit : *Pro gaudio quod habebat, sustinuit crucem confusione contempta.* « Licebat illi non mori,» inquit Theophylactus [1], « et poterat non pati, cum « enim peccati omnis expers esset, morti non sub« jacebat, quod ipse ait : *Venit mundi princeps et « in me non habet quicquam.* Si igitur noluisset, « non esset crucifixus. Attamen crucem sustinuit, « hoc est, non simpliciter mortem, sed contume« liosam, aspernatusque est ignominiam inde pro« venientem. Non dixit autem, tristitia contempta, « neque enim cum tristitia ista ferebat. » Theodoretus similiter verba S. Pauli exponit, inquiens [2] : « Servatoris gaudium est salus nostra. » Et quidem licet hanc salutem homini sine passionis tolerationc dare potuisset, pati tamen voluit, ut superabundantior, magisque meritoria esset nostra redemptio, simulque amoris sui teneritudinem erga nos, summumque, quo patiendo perfundebatur, gaudium evidentius ostenderet. Unde Tertullianus ait [3]: « Sa« ginari voluptate patienti discessurus volebat. »

**2.** — In discursu præcedenti diximus, de Salvatoris morte intelligenda esse verba illa : *In die desponsationis ejus.* Quibus consonat, quod Psalmista regius, e cujus stirpe Christus incarnatus fuit, his verbis ait [4] : *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cælo egressio ejus.* Christus ipse Apostolis suis die quadam dixit [5] : *Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt de Filio hominis : tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum.* S. Marcus, qui eamdem recenset historiam, ait [1] : *Præcedebat illos Jesus, et stupebant.* Nimirum giganteis passibus omnes præcurrens memoria recolebat tormenta et passionis suæ dolores, de quibus veluti de re gratissima, et acceptissima, tanto cum gaudio cum discipulis suis loquebatur. Albertus Magnus verbum *ascendimus* optime observat, utpote quo Christus suum Jerosolymam versus inceptum iter nominavit [2] : « *Ecce « ascendimus,* quia passionem suam ascensionem « esse reputavit. » Imo ex hac immensa lætitia et festivo gaudio, quod Christus de passione sua loquens præ se ferebat, mater filiorum Zebedæi occasionem sumpsit, primas in regno ipsius sedes postulandi, quia de morte sua ipsum haud secus loquentem audierat, quam si de sceptris et regnis acquirendis locutus fuisset.

**3.** — S. Lucas in capite sequenti historiam recenset Zacchæi, qui ut Salvatorem videre posset [3], *præcurrens ascendit in arborem sycomorum.* Cui tamen ipse, ut subito descenderet, præcepit : *Zacchæe festinans descende.* Quod si autem mysterium scire vultis, cur Zacchæum adeo festinanter descendere jusserit, idipsum a D. Chrysologo discatis, dicente [4] : « Si sapis, festinans descende ; « descende ante Dominum de Adamitica arbore, ut « post crucém Dominicæ passionis ascendas. » Cum enim arbor illa crucis figura esset, noluit, ut Zacchæus primus et ante ipsum in eodem saliret; sed voluit, ut post suum in illam ascensum in eamdem se extolleret.

**4.** — Quam putatis ob causam Christus in Judæa nasci elegit? *Fœmina circumdabit virum,* prædixerat Jeremias [5]. Licet enim alii infantes, qui usu rationis non gaudent, nascantur secundum quod mater ipsorum disponit; Christus tamen locum sibi beneplacitum eligere poterat, quia præterquam perfectissimo rationis usu gauderet, dominium insuper totius terræ obtinebat. Cur igitur Filium Dei se ostendere volens, non elegit Romam, quæ mundi caput est et de qua S. Leo ait [6] : « Quæ « usquam gentes ignorarent, quod Roma didicis« set? » S. Irenæus dubium hoc solvit, dicens [7] : « Ideo Christus nascitur in Judæa et non in genti« bus, quia gentilitas carebat Circumcisione, et « ideo in Judea ostentat gloriam suam in pri« mordio nativitatis suæ in effusione sanguinis. » Ubi observandum, quod S. Iræneus sanguinis Christi effusionem, *gloriam suam* appellarit.

**5.** — Notetis velim et aliud mysterium, quia quando postea totum sanguinem e venis suis effusurus erat, ex totius anni curriculo tempus vernum et mensem Martium eo fine elegit. At vero

[1] THEOPH., *ib.* — [2] THEODOR., *ib.* — [3] TERT., *de patient.* — [4] *Ps.* XVIII, 6. — [5] LUC., XVIII, 31.

[1] MARC., X, 32. — [2] ALB. MAG., *in Luc.* — [3] LUC., XII, 14. — [4] CHRYSOL. — [5] JER., XXX, 22. — [6] S. LEO. — [7] S. IRENÆUS.

cur non potius Decembrem, in quo natus fuit, vel Augustum, cujus excessivus calor denotare poterat, æstum amoris sui tunc ad supremum pervenisse apicem? S. Bernardinus respondet : « Cum in tali « tempore sanguis ebulliat, ut totum versaret et « effunderet pro nobis et nihil in eo remaneret, « quia ipso ebulliente de facili emittitur. » Ejusdem quoque alia assignari potest ratio, scilicet quia hoc mense incarnatus fuerat : siquidem in diem 25e ejusdem mensis incidit festum Annuntiationis et in eumdem diem mors quoque incidit Salvatoris, siquidem eadem die in Martyrologio fit commemoratio boni latronis. Eodem quoque tempore, juxta gravissimorum auctorum opinionem, homo formatus fuit, dicente Ruperto Abbate [1] : « Feria sexta « conceptus est; die qua veterem formavit Adam « de limo terræ. Novum sic reformare cœpit ho- « minem Deus, de vera carne Virginis Mariæ, « eodem die redempturus mortis passione. » Unde colligitur, quam ingens ejus de nostra redemptione quovis tempore sollicitudo fuerit, siquidem illam adeo sibi cordi duxit, ut huic quoque tempus ipsum accuratissime servire voluerit.

**6.** — Redemptor noster Passionem suam sæpe horæ nomine appellavit. Etenim quando a sanctissima Matre sua, ut aquam in vinum converteret, rogatus fuit, eidem respondit : *Nondum venit hora mea.* Ubi S. Irenæus ita scribit : « Fervore quo- « dam ducebatur Deipara bibendi sanguinis Christi « poculum. » Eodem quoque nomine in aliis locis sæpius Passio exprimitur. Nam Joannis, XII, dicitur [2] : *Clarifica me ex hac hora.* Et Joannes inquit Evangelista [3] : *Sciens, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo.* Similiter quando apud S. Marcum ex naturæ nostræ fragilitate et suggestione calicem a se transire petiit, inquit [4] : *Orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora*; et tamen quis est qui nesciat quod a primo incarnationis suæ instanti, ut supra vidimus, Passionis suæ exordium fecerit? S. Augustinus similiter non sine admiratione considerat [5], quod hora appelletur « durissi- « mum illud tempus, quod imminebat, mortis et « suppliciorum. » Lucas Brugensis super illa verba : *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum,* inquit [6] : « Horam ipsorum intelligit, non quæ « fato aut siderum necessitate adducta cogat ipsos « ut hoc jam mali perpetrant; absit, sed quia a « Deo, qui tempora omnia disponit, cæterarum « horarum more adducta, permittatur ipsis agere, « quod diu desideraverunt; quasi dicat : Hæc est « opportunitas vobis quæsita, jamque tandem con- « cessa. Simili loquendi modo vulgo utimur, si « quis diu prohibitus fuerit facere quod admo- « dum desiderarit; tandem ubi permittitur, hæc « est, dicitur, hora ipsius. » Quando quis vehementi urgetur rei alicujus summe desideratæ comparandæ desiderio, dici solet : Nondum adest hora; at vero quando illa jam fruitur, eamque est assecutus, tametsi longo tempore eam quis desiderarit, dicere solet : Jam transiit dies vel annus, nec tamen mihi vel unica hora transivisse videtur. Ecce tibi igitur qualiter incarnata Sapientia hoc loquendi modo indicare voluerit immensam lætitiam et gaudium, quod ex suis cæteroquin pœnosissimis tormentis capiebat. Mysterio quoque non caret verbum *ejus*; nam S. Joannes, qui intimus Christi secretarius erat, non dicit : *Sciens quia venit hora, ut transeat ex hoc mundo*; sed specifice et magno cum mysterio addit : *Hora ejus.* At vero cur sapientissimus hic Apostolus et dilectus discipulus non appellat horam ejus tempus illud, in quo velut Deum infinitæ Majestatis, tribus regibus orientalibus per prodigiosam stellam ab Oriente evocatis, in stabulo Bethlehemitico sese manifestavit? Cur horam ejus non appellavit transfigurationem ipsius, in qua per splendores gloriæ et per æterni Patris vocem Filius ejus dilectus proclamatus fuit? Cur non vocat horam ejus tempus illud, quo in Jordane pariter eadem audita vox fuit : *Hic est Filius meus dilectus*; et in quo apertis cœlis descendit super ipsum in specie columbæ Spiritus Sanctus? Cur non horam ejus appellavit diem illum, in quo Hierosolymis ei triumphaliter ingredienti, a toto populo acclamatum fuit tanquam vero Messiæ et Regi Israelitico? Respondeo, Christum Passionem suam horam appellasse duplici ex causa. Primo quia in hac magis quam in quovis alio vitæ suæ mysterio gloria et divinitas ejus quam maxime eluxit : *Dominus regnavit a ligno*; præterea ardentissimum desiderium, quo illam ab utero materno vehementissime suspiravit. Pro meliori hujus intelligentia sequentem audire libeat similitudinem. Continget nonnunquam, quod quidam amore alicujus captus, tota nocte ferro a capite ad pedes usque armatus in publica platea consistat, nivibus et glaciei expositus; cui illucescet diluculum, dum illud minime pensitabat, eo quod totum tempus præteritum sibi una tantum hora visa fuerit. Undenam idipsum tali putas evenire? *Qui amat non laborat*; amor enim omnem ærumnam indulcorat, suaveque reddit quodlibet tormentum. Verum quidem est, quod Christus quoad dolores internos, Passionem suam ab ipso incarnationis factæ momento; quoad externos vero dolores ab ipsius in horto captivitate cœperit et usque dum in cruce expiraret, continuarit. At vero amor et desiderium patiendi adeo excessivum erat, ut sibi ne hora quidem fuisse videretur; ac proinde cum duo discipuli in Emmaus contendentes, ipsi in specie peregrini eorum se societati insinuanti, Passionis suæ recenserent periodos, utpote quem non cognoscebant, iisdem cum admiratione respondit : *Quæ?* Porro quot ictus

[1] Rup. Abbas. — [2] Joan., XII, 23. — [3] Id., XIII, 1. — [4] Marc., XIX, 16. — [5] S. Aug. — [6] Luc. Brug., *in Luc.*

flagellorum in dorsum Salvatoris a lictoribus impacti fuerint, superius ex revelatione quadam cuidam ancillæ Dei facta diximus. Et tamen Redemptor noster ea se ignorare ostendit, quasi dicens [1] : *Congregata sunt super me flagella et ignoravi.* Porro flagellatio supplicium quoddam erat, quod vilissimis mancipiis illatum, præter corporis cruciatum, summam quoque ignominiam conciliabat; et tamen licet flagellatio Christi crudelissima et per innumeros ictus repetita fuisset, Christus tamen se illam vel ignorare, vel illius oblitum esse simulat : *Et ignoravi.*

**7.** — S. Bernardinus ad illa se verba reflectens, quæ Christus Judæ, quem obstinatum esse sciebat, dixit [2] : *Quod facis, fac citius;* ipsum eidem dicere voluisse censet [3] : « Quod facis, illud cupio, illud « quæro, ad hoc veni. » Video, quod luporum me faucibus moliaris ingerere ab ipsis devorandum : *Quod facis, fac citius.* Illis inquam lupis de quibus prædixi [4] : *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces;* licet eosdem alibi inter oves recensuerim, dicendo [5] : *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Dici quoque potest, Salvatorem Judæ dicendo : *Quod facis, fac citius,* dicere voluisse, ut videas me promptum esse ad ingerendum me lupi faucibus, ad devorandum; ego hodie in Eucharistia me tibi, qui lupus es, ultro citroque dedi, tametsi me a te devorandum et perdendum esse scirem. Præterea quia Redemptori nostro præ nimia desiderii impatientia, quo in crucem configi desiderabat, traditor nimis lente in suo proposito progredi videbatur, nec satis *veloces* essent *pedes ad effundendum sanguinem* [6]; eum extimulabat, dicendo : *Quod facis, fac citius.* Sic quoque in horto Gethsemani constitutus, cum videret eumdem traditorem tarde nimis cum turbis armatis adproperantem, ad dandum Passioni suæ aliquod initium, ipse sudore suo sanguineo (ut suo loco dicemus) lictores prævenit, ut vel sic iis ostenderet, se longe avidiorem esse ad sanguinem suum effundendum, quam ipsi essent ad eumdem sanguinem per flagella, spinas et clavos extorquendum.

**8.** — Quando Judas ex cœnaculo egrediebatur, Redemptor noster sciens quod pro traditione exequenda et ducatu lictoribus Christum capturis præstando, foras abiret, dixit [7] : *Nunc clarificatus est Filius hominis.* At vero quis honor, aut quæ gloria resultare poterat a patibulo, supplicio præ cunctis aliis maxime infami, ut proinde de morte ipsius apud Sapientem dicatur [8] : *Morte turpissima condemnemus eum?* S. Leo de Christo ad montem Golgothæum abducto disserens, hac phrasi loquendi utitur [9] : « Eunte itaque ad locum clarificationis suæ « Domino; » adeo enim patiendi desiderio ardebat, tantoque cum jubilo patiebatur, ut omnia sibi illata tormenta summæ gloriæ loco duceret, dicente S. Bernardo [1] : « Gaudet et tripudiat, exultat et « lætatur et ait : Nunc clarificatus est Filius homi- « nis. » Imo fœdissima sputa, quibus conspurcatus fuit vultus ille, *in quem desiderant Angeli prospicere* [2]; tametsi cum maxime infamibus improperiis conjuncta fuissent, non aliter quam gloriæ suæ splendores excepit. Ac proinde S. Antonius de Padua inquit [3] : « Fuit Judæorum sputis clarificatus. » Licet enim Judæorum intentio esset, expuendo in divinam ejus faciem, contumelia et ignominia eum afficere, Christus tamen per virtutem suam et intensissimum patiendi desiderium, eadem sputa in claritatem convertit honoris : [4] *Nunc clarificatus est Filius hominis et Deus clarificatus est in eo.* Et vero in fabrica totius universi Deus se omnipotentem esse ostendit; in immissione vero universalis diluvii, justum se esse probavit; at vero quia eo usque nullum adhuc excessivæ charitatis et amoris sui erga hominem specimen ediderat, tunc cum facies ejus turpibus sputis conspurcari videbat, tempus advenisse censuit, quo hæc immensa charitas evidentius eluceret; ideoque dixit : *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Quasi dicere vellet; nunc homo, nisi prorsus sit excæcatus, clare videre potest, quantus sit amor meus erga illum, dum ex amore ipsius, tanto cum jubilo, infinita, inhumana et crudelissima supplicia sustineo. Enimvero hominibus solemne est, de illis rebus frequenter discurrere, erga quas vehementi feruntur affectu. Sic enim litteratus libenter de studiis suis discurrit; lascivus juvenis de impuris suis amoribus; epulo de comessationibus et ebrietatibus; avarus de lucris et usuris, et sic de aliis; unusquisque enim suo afficitur idolo; Salvator autem noster de tormentis pro salute nostra sustinendis frequentem faciebat mentionem [5] : *In laboribus a juventute mea,* id est, ut in præcedentibus discursibus declaravimus : *Moriens, agonizans a puero.*

**9.** — Glossa interlinearis super illa verba, paulo ante ex S. Marco citata, scilicet : *Præcedebat illos Jesus et stupebant,* ita scribit : « Præcedebat quasi « unus moriturus pro omnibus, ad mortem imper- « territus. Stupebant ex hoc, quod ita prompte et « hilariter ibat ad locum passionis. » Alia quadam vice, cum Salvator noster Apostolis suis impertiretur licentiam abeundi Hierosolymam ad festum tabernaculorum, dixit illis [6] : *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo.* Et tamen paulo post Evangelista subjungit : *Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum.* At vero quomodo hæc inter se concordant, quod prius se ascendere nolle dicat et tamen postea revera

[1] *Ps.* XXXIV, 15. — [2] JOAN, XIII, 23. — [3] S. BERN., in *Cœna Dom.* — [4] MATT., VII, 14. — [5] ID., XV, 24. — [6] *Ps.* XIII, 3. — [7] JOAN., XIII, 31. — [8] *Sap.*, III, 20. — [9] S. LEO, *de Pass.*

[1] S. BER., *ib.* — [2] I PET., I, 12. — [3] S. ANT. DE PAD. — [4] JOAN., XIII, 31. — [5] *Ps.* LXXXVII, 16. — [6] JOAN., VII, 28.

ascendat? Numquid apud Malachiam dicitur [1] : *Ego Deus et non mutor*, et apud S. Marcum [2] : *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt?* S. Augustinus hujus difficultatis nodum resolvit, dicendo, Christum dixisse, se non ascensurum ad festum illud, scilicet ea intentione, qua discipuli illuc ascendebant, scilicet, ut exteriori tantum frueretur solemnitate; ipse enim in corde suo festum agebat longe excellentius : « Ascendit, » inquit Augustinus [3], « non quasi ad diem festum, « sed quasi ad litem; illi enim omnes læti ascen- « derunt, quasi ad perfruendas delicias diei festi; is « autem illi fuit dies festus, quo Passione sua rede- « mit mundum. »

**10.** — In toto decursu laboriosæ vitæ suæ, unica duntaxat vice, modicam quamdam illius gloriæ, qua beata ejus anima fruebatur, stillam in mortale corpus suum transfundere voluit, unde in monte Thabor transfiguratus fuit [4] : *Et resplenduit facies sicut sol.* At vero quosnam Moysen et Eliam (qui ad gloriosum et jucundum hoc spectaculum advocati fuerunt) inter se discursus miscuisse existimatis? Nimirum ut genio Domini sui sese accommodarent, ingentemque ejus quam de vicina Passione in corde suo gerebat lætitiam adaugerent, de vicina ejus Passione locuti fuere, quam in monte Calvario mira cum fortitudine erat toleraturus; ait enim S. Lucas [5] : *Dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Circa quæ verba inquit S. Augustinus [6]:« Hæccine sunt læta colloquia, quæ « huic tantæ solemnitati conveniebant? Hæc ser- « monis materia inter tot gaudia miscenda erat? Moxque ad propositum nostrum ita respondet : « Domino Salvatori quæ materia loquendi gratior, « quam de salute et redemptione mundi trac- « tare? »

**11.** — S. Lucas scribit, quod Redemptore nostro in montem Calvariæ ascendente [7], *sequebatur illum multa turba populi et mulierum, quæ plangebant et lamentabantur eum. Conversus autem Jesus ad illas, dixit* : *Filiæ Jerusalem, nolite fleré super me*, etc. At vero cur eas prohibet lachrymari, quando ipse in procinctu erat, ut pro salute ipsarum totum suum sanguinem effunderet? S. Isidorus Pelusiota in Epistola quadam inquit [8] : « Tibi in mentem venit, « ut ex me sciscitareris, quid causæ fuerit, quam « ob rem Christus mulieres lugentes, cum ipse ad « crucem, ut victor triumphans, abibat, non modo « non collaudavit, sed etiam objurgavit? Perspi- « cuum enim illud est, commiserationem ei qui- « dem, qui invitus patitur, solatium, ei autem, qui « ultro ac sponte, contumeliam afferre; siquidem « ei, qui non invito animo patitur, commiseratio « pro contumelia est. Quandoquidem igitur ipse « sponte ad patiendum se conferebat, ut et mor- « tem exstingueret et diaboli nervos infringeret; « eum autem qui laudibus ac plausu dignus erat, « illæ fletu ac lachrymis persequebantur, propte- « rea, ut nonnulli existimant, ipsi malum impreca- « tus est. Revera autem calamitates ipsis eventuras « prænunciavit. » Quod si opponas, ex Evangelio aperte constare, quod Christus in horto amarum Passionis calicem ante se positum videns, vehe- menter contristatus fuerit, Lucas Brugensis tibi in favorem nostrum in hæc verba respondebit [1] : « Ut « cumulate Christus pro peccatis nostris satisfa- « ceret, quæ partim animo, partim corpore com- « mittuntur, voluit non eos tantum cruciatus ferre, « qui proprie sunt corporis, verum etiam eos, qui « proprie sunt animi, timores, inquam, ac mœro- « res. Non enim suffecit ei, subitam pro nobis « tulisse mortem, qualis eorum est, qui nec opi- « nantes securi feriuntur; sed mortem subire voluit « circumstantiis omnibus plene constantem, ti- « more, tristitia, captivitate, conviciis, ignominia, « judicio, flagellis, etc., ut copiosa nostri esset « apud eum redemptio. » Verumtamen de causis hujus tristitiæ, quæ veluti propassio a Christo assumpta fuit, suo loco fusius tractabitur; ubi osten- demus, tristitiam hanc non inde processisse, quasi Christus invitus et cum repugnantia animi Passio- nem ordiretur; sed potius ex vehementia desiderii, quo acerbissime torqueri cupiebat.

## DISCURSUS VII.

### DE IMMENSO JUBILO, QUO REDEMPTOR NOSTER AMARISSIMUM PASSIONIS SUÆ CALICEM EPOTAVIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Ad exemplum Christi sancti in tormentis exultarunt. — 2. Amor efficit mortem suavem. — 3. Amor indignatur iis qui impedire volunt passionem. Loqui de passione conciliat bene volentiam. — 4. Dulce est pati. Carnalis homo horret passionem. Amans anima desiderat semper hic pati. — 5. Vehemens amor contemnit cuncta pericula et per patientiam resistit morti. — 6. Amor causat quo plura quis patitur ut majores et plura pati sitiat. — 7. Christus præ nimio amore plura patiendi anxiebatur.

*Calix meus inebrians quam præclarus est!* Ps. XXII, 5.

**1.** — Redemptor noster tot ante sæcula per os regii Psaltis de amarissimo passionis suæ calice disserens, eumdem mystico hoc epitheto condecoravit : *Calix meus inebrians quam præclarus est!* Quibus verbis immensum expressit jubilum et gaudium, cum quo tempore congruo eumdem erat exausturus; quod gaudium demum sequacibus suis fidelibus communicans, effecit, ut et hi tanto cum

[1] MALACH., III, 6.— [2] MARC., XIII, 31.— [3] S. AUG., q. 7 *Nov. Test.* — [4] MATT., XVII, 2. — [5] LUC., IX, 31.— [6] S. AUG., *de Hæret.* — [7] LUC., XXIII, 7. — [8] S. ISID. PEL.

[1] LUC. BRUG., *in Matth.*

gaudio tyrannorum suppliciis occurrerint, quasi ad nuptiales properarent epulas. Qua de re stupefactus S. Augustinus ait [1] : « Hoc calice inebriati erant « martyres, quando ad passionem euntes, suos non « agnoscebant, non uxorem flentem, non filios, « non parentes. Et gratias agentes dicebant : *Cali-* « *cem salutaris accipiam.* » S. Bernardus similiter de hoc calice, cui epotando sancti Martyres sua admovere labia, inquit [2]: « Præclarus atque jucundus « calix hic, non minus imperatori spectanti, quam « militi triumphanti. »

**2.** — Verum enim vero dubium quoddam hoc loco moveri potest, cur Christus de passione sua sub nomine calicis loquatur; cum tamen eadem passio in pluribus Scripturæ locis, specialiter vero apud Jeremiam, amplissimo cuidam pelago assimiletur [3] : *Magna est enim velut mare contritio tua?* Theophylactus huic dubio respondet, dicens [4] : « Poculum dicit Dominus suam mortem, osten- « dens, quod ipse propter amoris magnitudinem « sic suaviter accedat ad mortem, quod mare Pas- « sionis calix quidam esse videatur. » S. Basilius quoque simile adducit mysterium, inquiens : « Nomine calicis indicavit mortem, quem pro « mundi salute suscipit supplicia, requiem, et re- « fectionem animæ et corporis, non dolores du- « cens. » Præcitatus Theophylactus ibidem ait [6] : « Dicendo poculum, insinuat mortem dulcem et « desiderabilem in salutem hominum. »

**3.** — Quando S. Petrus turbis armatis sese opponere volens, inter alios Malchum, qui dux et caput cæterorum, præque aliis insolentior erat, adoriebatur, ut eum, si posset, morte mulctaret, cœlestis Magister ejus, eum reprehendens, dixit [7] : *Mitte gladium tuum in vaginam; calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Mira profecto res! Etenim quando ei vestes detrahebant, summaque cum ignominia et erubescentia eum in conspectu infiniti populi nudum statuerunt, ne os quidem suum aperuit, ut de hoc conquereretur. Quando ei evellebant barbam et capillos capitis radicitus evulserunt, patientissimus fuit. Quando acerrimis cædebatur flagellis, caputque ipsius spinis coronabatur, *quasi agnus coram tondente se obmutuit.* Inter improperia, calumnias et blasphemias nequidquam turbabatur, nec vultus sui deponebat serenitatem. At vero quando S. Petrus passionem ipsius impedire conatus fuit, non solum turbatur, sed et indignatur, et in acerbiora verba prorumpit. Idipsum idem S. Petrus in alia pariter occasione expertus fuit. Postquam enim in præsentia totius collegii Apostolici ex æterni Patris revelatione eximiam illam de Magistri sui divinitate edidit fidei confessionem, hactenus incognitam, dicens [1] : *Tu es Christus Filius Dei vivi,* in hujus confessionis præmium non solum a Christo canonizari his verbis meruit [2] : *Beatus es Simon Bar-Jona,* verum insuper a Redemptore nostro dici audivit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum; quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis.* Et vero dicite sodes : poteratne intellectus humanus ullam apprehendere dignitatem, aut honorem sublimiorem illo? Numquid verba illa viscerosissimi cujusdam amoris et inæstimabilis existimationis Sapientiæ incarnatæ erga Petrum expressiva erant? Et tamen fidelissimus S. Matthæi Evangelistæ calamus in eodem capite immediate subjungit, quod Christus eidem Petro indignabundus dixerit [3] : *Vade post me Satana, quia scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* At vero numquid S. Petrus paulo ante probissime sciebat quæ Dei sunt, quando ex revelatione Patris æterni insignem illam de cœlestis Magistri sui divinitate publice edidit confessionem? Numquid Petro illam concrediderat cathedram, e qua emanatura erant infallibilia omnium veritatum oracula, quas Ecclesia ad finem usque sæculorum credere, profiteri et annunciare debebat? Cur igitur illum nunc in his quæ Dei sunt, ignorantem appellat, dicendo : *Non sapis ea quæ Dei sunt?* Præterea ex quo S. Petro dictum fuerat : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* qua igitur ratione Satanas vel minimam in S. Petro partem habere poterat, utpote super quem ipsammet Ecclesiam suam fundaverat? Et tamen ei dicere non dubitavit : *Vade post me, Satana.* Enimvero quod diabolo Christum in montis vertice tentanti hæc data fuerit repulsa : *Vade Satana,* nihil mirum in se habet; siquidem dæmon veri Numinis divinitatem usurpare moliebatur, postulando, ut tanquam Deus adoraretur [4] : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Petrum antem graviori perstrinxit improperio, non enim dixit ei : *Vade Satana,* sed quod amplius est : *Vade post me Satana.* Imo addidit : *Scandalum es mihi.* Idque ad eum in eodem tempore dixit in quo celeberrimam illam confessionem ediderat, per quam toti mundo Christi divinitatem, quæ ad illud usque tempus occulta fuerat, notam et manifestam effecit. Cajetanus inquit [5] : « Eadem increpatione emisit Petrum, qua « emisit diabolum tentantem. » At vero quidnam mali S. Petrus fecerat, aut dixerat? Num forte multorum secutus fuerat discipulorum vestigia, qui a Christo de Eucharistia disserente apostatarunt? Neutiquam. Quin potius omnino contrarium præstitit, siquidem cœlesti magistro suo interroganti : *Num et vos vultis abire?* S. Petrus libere respondit [6] :

[1] S. Aug., *ib.* — [2] S. Bern., s. 61 *in Cant.* — [3] Thren., II, 13 — [4] Theophyl., *in Matt.* — [5] S Basil., *in Psal.* cxv. — [6] Theophyl., *in Joan.* — [7] Joan; xvii, 11.

[1] Matth., xvi, 16. — [2] Id., xvi, 18. — [3] Id., xvi, 23. — [4] Id., iv, 10. — [5] Cajet., *ibid.* — [6] Joan., vi, 96.

*Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Quid igitur fecit, aut peccavit, ut tam turpi repelleretur improperio? Num forte se timidum et meticulosum exhibuit, suumque Magistrum in maximis periculis et angustiis constitutum deseruit? Minime, quin potius nimirum animosus extitit, dicendo [1] : *Etiamsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.* Cur igitur ei dixit : *Scandalum es mihi*? Num forte ex eo quia in schola Christi rigorosissima observatur paupertas, ipsomet Domino per Davidem dicente [2] : *Ego autem mendicus sum et pauper*, aliquod in se habebat demeritum, per nimiam ad res terrenas adhærescentiam? Multo minus, quia S. Petrus fuit ille, qui nomine omnium Apostolorum protestatus fuit, dicens [3]: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.* Porro si causam acerbæ hujus reprehensionis, quæ S. Petro accidit, scire vultis, nequaquam opus est ut illam apud sacros interpretes studiose inquiratis; siquidem S. Matthæus illam expressis verbis subindicat, dicens [4] : *Exinde* (id est, post confessionem a S. Petro factam : *Tu es Christus Filius Dei vivi*) *cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, et multa pati a senioribus, et Scribis, et occidi. Et accipiens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens : Absit a te, Domine; non erit tibi hoc.* Dicite sodes; quonam titulo Redemptor noster Judam, qui ipsum pro triginta denariis vendiderat, seque satellitum et lictorum caput et ducem constituerat, in ipsomet flagranti crimine traditionis affecit. Illo nimirum, quo Apostolos suos, paulo ante, summo cum honore condecorarat, dicens [6] : *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* Judam enim benigno osculo excipiens, dixit [5] : *Amice, ad quid venisti*? Quotquot enim cum ipso de sua Passione conferebant, ejus sibi conciliabant benevolentiam; e contra vero, qui eum ab hac toleranda nitebantur divertere, ejus super se furorem concitabant. Unde Euthymius prædicta Christi acerbiuscula verba ad Petrum prolata exponens, ait [6] : « Etenim si divina gustares, « utique dignum me judicares, qui moriar pro « mundo : quia vero humana sapis, potius indig- « num me judicas, qui moriar. » D. Chrysostomus Petrum quadamtenus defendere nititur, inquiens [7] : « Tametsi paulo ante ipsum laudaverat, beatumque « prædicarat, nihilominus Satanam eum vocavit; « non quod Apostolum ignominia vellet afficere, « sed quod hoc probro cuperet indicare, non ex « animi ejus sententia dictum illud prolatum fuisse, « sed adeo alienum, ut qui illud protulerit, licet « Petrus esset, Satanam non dubitarit appellare. » At vero num forte melius tituli hujus intelligere vultis mysterium? Satanas quamprimum ex variis signis, per decursum pœnosissimæ illius noctis sagaciter exploratis, Christum verum in lege promissum Messiam esse credere cœpit, mox, ut suo loco dicetur, conjugem Pilati in somnis sollicitavit, ut per maritum suum illum e manibus Judæorum eximere et a morte liberare satageret. Atque ideo quia Petrus cœlestem Magistrum suum a passione, nostræque redemptionis consummatione divertere et impedire volens, dæmonem in hoc imitatus fuit, merito se hujus improperii reum et dignum constituit. Memorandum quoque, quod S. Petrus, postquam Moysen et Eliam inter se de Passione discurrentes audisset (*loquebantur excessum quem completurus erat in Jerusalem*) mox quidem de construendis in monte Thabor tribus tabernaculis cogitare cœperit, dicens [1] : *Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula.* Verum S. Lucas ex instinctu Spiritus Sancti eum propter hoc ignorantem appellavit, quia loquebatur verba illa : *Nesciens quid diceret.* Et ut S. Leo Magnus ait [2] : « Huic sug- « gestioni Dominus non respondit, significans, non « quidem improbum, sed inordinatum esse quod « cuperet, cum salvari mundus, nisi Christi morte, « non posset. »

**4.** — Porro Salvâtor noster hunc calicem adeo ardenter sitiebat, ut quasi semper labia sua illi admota habuerit, id est, fere semper de illo locutus fuerit, nec quidquam adeo desiderarit, quam ut illum degustaret, ejusque sapore recreari posset. In cujus probationem recordandum, quod quando duo filii Zebedæi primas in regno ipsius postularunt sedes, subito illis responderit [3] : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*? vel ut apud S. Marcum habetur [4] : *Potestis bibere calicem, quem ego bibo*? *Aut baptismo quo ego baptizor, baptizari*? Ex quo loquendi modo, calicem hunc Redemptori semper in corde præsentem fuisse clare deducitur, cui consonant verba illa Redemptoris apud Psalmistam [5] : *Et dolor meus in conspectu meo semper*, id est, imminens mors et passio mea. Scio equidem, quod objecturi sitis ingentem illam hujus calicis nauseam, quam Christus in horto Gethsemani demonstravit, dicendo : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*; sed notandum est, quod Salvator protinus subjunxerit : *Spiritus quidem promptus est*, id est, portio superior. Quanto enim magis portio inferior hunc calicem abhorrebat, tanto major erat portionis superioris jubilus et promptitudo, qua ad eumdem calicem ebibendum anhelabat. Unde S. Bernardus ait [6] : « Vox illa, vox esse carnis « videtur, non Spiritus, ex eo quod subjunxisti : « *Spiritus quidem promptus est, caro autem* « *infirma.* Quod promptus enim fuerit ad passionem « Spiritus, evidenter ostendit, quando venientibus « una cum proditore tuo viris sanguinum et quæ-

[1] MATT., XXVI, 33. — [2] *Ps.* XXXIX. 18. — [3] MATTH., XVI, 21. — [4] JOAN., XV, 15. — [5] MATT., XXVI, 50. — EUTHYM. — [7] D. CHRYSOST., hom. 22.

[1] LUC., IX, 33. — [2] S. LEO, ser. *de Trans.* — [3] MATT., XX, 21. — [4] MARC., X, 38. — [5] *Ps.* XXXVII, 18. — [6] S. BERN., *de Pass.*

« rentibus animam tuam, cum laternis, et facibus, « et armis, ultro occurristi. » Cur enim sciens, quod si post cœnam in hortum Gethsemani se reciperet, ibidem a Juda et turmis armatis comprehendendus esset; cur inquam, hæc sciens, eo se contulit ? D. Chrysostomus ait [1] ; « Media nocte iter « facit, torrentem transit et ad locum proditori « notum properat, ut laborem eis demeret. » Similiter quando armatæ cohortes ad hortum Gethsemani appropinquabant, Christus ad Apostolos suos se convertens, iisdem dixit [2] : *Surgite, eamus : ecce appropinquavit, qui me tradet.* Quibus verbis juxta Rabanum dicere voluit [3] ; « Non nos inveniant « quasi timentes, ultro pergamus ad mortem, ut « confidentiam et gaudium passuri videant. » Porro hæc ad patiendum promptitudo et hilaritas evidentius apparebit, quando in progressu hujus Tomi, totius Passionis Christi periodos sigillatim examinabimus. S. Ambrosius ait [4] : « Quam constanter se morti obtulerit, consequentia declarant, quandoquidem quærentibus occurrit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit, proditorem osculi dignatione suscepit. » S. Paschasius quoque in hæc verba scribit [5] : « In vultu ejus tanta « erat alacritas, tantaque claritas, ut possent omnes « intelligere, quia sua sponte moriebatur. »

**5.** — Enimvero S. Propheta Job faciebat inter adversa ex necessitate virtutem, siquidem Inferni adversus ipsum ex divina permissione conjurantis viribus sese opponere, aut alias resistere non poterat, nisi per invictam suam patientiam : Christus autem unica dumtaxat syllaba pronunciata, integros armatorum exercitus in terram prosternebat et unico oculorum suorum obtutu totum faciebat mundum contremiscere, juxta illud [6] : *Qui respicit terram et facit eam tremere.* Et tamen, licet Pilatus multa evidentia signa dederit pronissimi in Christum affectus, utpote quem e manibus Judæorum contra ipsum ferocientium liberare pro viribus studuit, nihilominus tamen Lucas Brugensis super illa verba S. Lucæ [7] : *Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit ?* ita scribit [8] : « Inde colligere « licet, quam voluntarius ad subeundam mortem « fuerit Jesus, qui neglexit uti propenso illo in se « judicis affectu. » Simon de Cassia eamdem quoque Salvatoris nostri ad sustinenda tormenta considerat promptitudinem ac desiderium; ita enim scribit [9] : « Considera promptitudinem amoris ejus. « Corde manet impavidus, pericula non timet, « mortem non pavet, quamvis caro assumpta « subdita fuerit terrori. Nihil perhorrescit, ut amor « sequatur affectum. Contemnit vehemens amor « cuncta pericula. » Cajetanus admirabilem Christi in sua captivitate exhibitam æquanimitatem hisce verbis ob oculos nobis repræsentat [1] : « Intuere « Jesum, inter Judæ osculum, lictores et discipulos, « singulis attendere, singulis prospicere et nihil « omittere, suavissimis tum verbis, tum factis, ut « intelligamus nihil in ipso turbulentum fuisse, sed « serenissimum semper servasse animum, sermonem, gestum, motum, ac universum suum opus. » Lucas Brugensis de crucifixione Christi tractans, hanc quoque vultus et mentis Christi serenitatem hisce verbis ponderat [2] ; « Crudelissimum hoc, te« terrimumque supplicium adeo constanter tulit, « ut nihil de serena faciei gravitate remiserit; non « enim aut coactus, aut invitus hoc passus, qui « sponte se tradidit inimicis, a quibus hoc supplicio « afficiendum se noverat, adeoque prædixerat. »

**6.** — Forsitan illud mihi objicietis Christi lamentum, in Ps. LXVII, descriptum, ubi æternum Patrem suum his affatur verbis [3] : *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt.* Christus enim a Patre se percussum esse agnoscebat, utpote qui apud Isaiam ipsemet fatetur, dicens [4] : *Propter scelus populi mei percussi eum.* Porro verba quæ sequuntur majorem in se continent difficultatem, scilicet : *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt* : quibus quidem verbis vulnera sua majori fuisse dolore adaucta lamentatur, non tamen quis dolor ille fuerit, specifice declarat. Ac proinde ad hoc ut melius intelligamus, quid Christus hisce verbis dicere voluerit, operæ pretium erit, sacra sanctorum Patrum consulere oracula. Et quidem post adhibitam magnam diligentiam incidi in S. Bernardum, Chistum hisce verbis affantem [5] « Nec sufficit te vulneratum esse, « quin et super dolorem vulnerum tuorum addunt, « dantes tibi sitienti vinum myrrhatum bibere. » Hoc autem vinum, prout suo loco fusius dicetur, reis et infirmis propinabatur, ad obstupefaciendos illorum sensus, ut tanto minus patiendo sentirent; nec non ad præbendum illis in suppliciis adeo vehementibus aliquod refocillamentum. Unde Toletus ait [6] : « Torquendis, ut membra obstupescerent, « minusque dolores sentirent, hoc vini genus pro« pinari solebat; quod Dominus cum gustasset, « noluit bibere. » At vero si ita est, cur vinum istud super dolorem vulnerum suorum majus attulit tormentum, quod alias ipsi præparatum fuerat ad solatium ? Respondet idem Cardinalis : « Non enim « passionis et doloris sensum minuere, sed potius « conservare, ut vehementius pro nobis torquere« tur, voluit. » Atrocissima namque, cunctasque alias excedens pœna illi fuit conceptus ille, quem aliqui de ipso formaverant, quasi vero a Passionis tormentis tolerandis animum aversum haberet : si-

[1] D. Chrysost., *in Joan.*— [2] Matt., xxvi, 46. — [3] Raban., *ib.* — [4] S. Amb., in *Luc.* — [5] S. Paschas. — [6] *Ps.* cii, 32. — [7] Luc., xxiii, 22. — [8] Luc. Brug., in *Luc.* — [9] Sim. de Cass.

[1] Cajet., *in Matt.* — [2] Luc. Brug., *ib.* — [3] *Ps.* lxvii, 27. — [4] Isai., xliii, 8. — [5] S. Bern., *de Pass.* — [6] Tol., annot. 17.

quidem nihil aliud adeo suspirabat, quam atrocitatem pœnosissimam cruciatuum et dolorum pati, qualis unquam possibilis esset. De Patre quidem suo lamentatus est, dicens [1] : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* non quia gravia sibi supplicia essent, sed quia ita subito terminabantur. Unde S. Bernardus meditatur, dicens, Christum in hæc verba lamentatum fuisse [2], « non propter tormenta « quæ patiebatur, sed propter tormenta quæ non « patiebatur. » Beda similiter ait [3] : « Christus ex « vi tormentorum suam mortem accelerari videns « et volens diutius pro nobis ferre tormenta, hanc « amore refertam querimoniam proposuit Patri : « Pater, cur tam cito me mori disposuisti? Cur « non moras protrahis, ut magis magisque pro ho- « minum amore adhuc cruciarer? » De hac magis patiendi ardentissima siti, quam habuit, fusius super illud verbum *sitio* tractabimus, quando causas explicabimus, ob quas acetum bibere recusavit.

**7.** — Redemptor noster apud S. Lucam dicebat [4] : *Baptismo habeo baptizari et quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Nimirum cordis patiebatur angustias et anxietates, donec illi per lanceam militis aperiretur, ut adimpleretur in eo, quod S. Augustinus licet ad aliud propositum in hæc verba scripserat [5] : « Angustiantur vasa carnis? Dilatentur « spatia charitatis. » Theophylactus eadem S. Lucæ verba exponens, inquit [6] : « Subdit de morte, bap- « tismum illam vocans. Hanc autem valde deside- « rans, inquit : Et quomodo constringor? Hoc est, « quam sollicitus et anxius sum, ac premor, donec « perficiatur? Sitio mortem pro omnium salute. » Psalmus XXI historia potius est quam prophetia; prout ex ejus lectione clare cernitur : « Ex quo ani- « madvertimus, » inquit S. Hieronymus [7], « totum « Psalmum a Domino in cruce posito fuisse decan- « tatum. » Idem quoque S. Doctor ait, quod juxta Aquilæ versionem titulus hujus Psalmi hic sit : *Pro cerva matutina*; quia sicut hæc a siti nimia exstimulata, summo diluculo non currit, sed præcipitanter properat ad torrentes, ut bibat; ita quoque Christus a patiendi desiderio exstimulatus, non tempore matutino, sed anticipate, sub vespertinum crepusculum, properat ad torrentem Cedron, ut ibi passionis suæ facere possit exordium, utpote quam tantopere expectarat et suspirarat, ut traditori dixerit : *Quod facis, fac citius. De torrente in via bibet, propterea exaltavit caput.* Etenim quando quis propositum sibi intentum prospere assequitur, de eo dici solet; jam caput erigit, quia de finis sui assecutione lætus incedit. Dionysius Carthusianus verba illa [8] : *Levate capita vestra*, ita exponit, ut sensus sit [9] : « Exhilarate corda vestra. » Id quod S. Bonaventura diu ante ipsum scripserat, dicens [1] : « Levate capita vestra ex hilaritate cordis. » Et vero ut se tanto magis exhilararet, suamque lætitiam conceptam consummaret, ad torrentem Cedron processit, ut suam passionem exordiens, ardens illud satiaret desiderio, de quo dixerat : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare.*

[1] MATT., XXVII, 47. — [2] S. BERN., *de querela Christi.* — [3] BEDA. — [4] LUC., XII, 10. — [5] S. AUGUST. — [6] THEOPHYL. — [7] S. HIERONYM. — [8] LUC., XXI, 28. — [9] DION. CARTH., *ib.*

## DISCURSUS VIII.

TRISTITIA VOLONTARIA, QUAM CHRISTUS, SINE ULLO A DIVINITATE SUA EMANANTE SOLATIO, SUBIRE VOLUIT ANTICIPATA QUÆDAM, PRO REDEMPTIONE NOSTRA CONSUMMANDA, DEBITI SOLUTIO FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Amoris teneritudo causavit in Christo hanc magnam tristitiam. — 2. Christus ex amore tristari voluit ut redemptio nostra esset abundantior. — 3. Christus hac tristitia se hominem esse comprobavit. — 4. Justum non conturbat quidquid ei acciderit. — 5. Præ amore patiendi Christus suspendit in anima omne gaudium. — 7. Influxus divinitatis et gloriæ animæ suspensus fuit ne derivaretur in corpus. Naturæ nostræ humanæ cum Christus assumpserit pœnalitates consequenter debuit tristari.

*Cœpit contristari, et mœstus esse.* Matth. XXVI, 39.

**1.** — Quisquis quatuor sancta Dei Evangelia attente consideraverit, inveniet, quod multæ actiones passionis Redemptoris non ab omnibus Evangelistis fuerint descriptæ, et tamen de hac vehementi in horto Gethsemani perpessa ejus tristitia, veluti de valde considerabili, trium Evangelistarum calamus specialem fecit commemorationem. Etenim S. Matthæus inquit [2] : *Et cœpit contristari, et mœstus esse*, S. Marcus ait [3] : *Et cœpit pavere, et tædere; et ait illis : Tristis est anima mea usquead mortem.* S. Lucas doloris sive anxietatis hujus vehementiam in sudore Christi sanguineo, et in agonia expressit. Porro infinitam lætitiam, qua Filius Dei ad mortem anhelabat, in aliquot præcedentibus discursibus fusius examinavimus : at vero quomodo extrema hæc mestitia, ac pavor cum tam vehementi passionis desiderio, tamque avida illius expectatione concordat? « Quid est hoc Domine? » interrogat B. Laurentius Justinianus [4] « Contristarisne, et vere paves? Nun- « quid contristatur, per quem contristati recreantur? Nunquid constristatur gaudium? Pavet « fortitudo? Timet virtus? Gloria tædium pati- « tur? Beatitudo denigratur? Confunditur Majes- « tas? Claritas obscuratur? Infirmatur sani- « tas? Armatorum neminem video, nullum cum « gladiis, et fustibus venientem cerno, et times « Domine? Christianæ militiæ Dux esse cognosce- « ris; certantibus adversus aereas potestates præs

[1] S. BONAV. — [2] MATT., XXVI, 36. — [3] MARC., XIV, 33. — [4] LUC., XXII, 43. — [5] S. LAUR. JUSTIN., *de Triumph. Christi agon.*

« et paves? Dominum exercituum diceris, et es : « gladium non pacem in terram venisti mittere, et « prælіari formidas? » In eamdem quoque admirationem hæc tristitia S. Bernardinum rapuit, dicentem [1] : « Sed quæso unde tristatur, et quomodo ille « invisibili Sol eclypsin tristitiæ patitur, qui omnem « animam cohærentem sibi, divinis facit coruscare « splendoribus, et lætitiis ineffabilibus replet? » Idipsum pius ante illum Simon de Cassia in hæc verba scripsit [2]: « Quomodo ille invisibilis et intel- « lectualis Sol· eclypsin tristitiæ passus est? Unde « lux, quæ omnem animam cohærentem sibi, divi- « nis facit coruscare splendoribus et lætitiis ineffa- « bilibus replet, tristitiæ tenebras advocavit? Nam « nihil sibi dominabatur invite, ut omni celeritate « qua vellet, a se posset repellere. » B. Laurentius Justinianus ad Christum se vertens, sancta quadam cum curiositate hanc ei proponit petitionem [3]: « Vel- « lem utique, Domine, pavoris hujus scire causam ; « vellem tædii tui nosse mysterium. »

**2.** — At vero omnibus hisce in primis cum Simone de Cassia in hæc verba respondere possumus [4]: « Quæ tristitia magnitudinem astruebat amo- « ris, ut in tantum sciamus nos diligi, quod lætitia « tristaretur pro nobis. » Etenim amoris sui teneritudo, nec non sapientia, et omnipotentia ejus modum invenire noverunt, quo Christus contristari posset, licet in anima paradisi frueretur lætitia imo licet fuerit idem ille Deus, qui ab Apostolo vocatur [5] : *Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Fuit enim hæc tristitia voluntaria, et ab eo sponte quæsita et assumpta, ut pro salute nostra tanto acerbius pateretur. Fuit, inquam, anticipata debiti nostri solutio, quem *ingeniosus ipsius amor* et charitas adinvenit, ut tanto abundantius pro Redemptione nostra satisfaceret. Ex quo enim hora Passionis suæ advenerat, impatienti desiderio pati cupiebat; unde tardantibus lictoribus, ipse homini manifestare volens, multo intensius esse desiderium ipsius pro amore nostro patiendi, quam fuerit rabies Judæorum ad eum occidendum, per hanc voluntariam et acerbissimam tristitiam, alia tormenta, contumelias, et supplicia, quæ a Synagogæ ministris et Pilato ipsi præparabantur, prævenit, et dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* ; quasi dicere vellet : doloribus subjectus ero usque ad mortem, id est, donec humanam perficiam redemptionem : tunc enim respirabo, quando in crucis patibulo expiravero. Et quidem si verum est, quod Sapiens ait [6]: *Spes quæ differtur, affligit animam, lignum vitæ desiderium veniens,* Christus per triginta tres annos ad Passionem suam anxie anhelans, videnque turbas armatas tardare, utique interior cordis sui dolores, et mœrores anticipavit, eosdem in corpore, et anima assumendo acerbissimos. S. Ambrosius super S. Lucam ita scribit [1]: « Debuit et dolorem suscipere, ut vin- « ceret tristitiam, non excluderet; neque enim ha- « bent fortitudinis laudem, qui stuporem magis « vulnerum tulerint, quam dolorem. » Et ideo in semetipso vehementiam quamdam excitavit, qua nulla aut magis sensitiva, aut atrocior dari poterat, ut tanto acerbius pateretur, merereturque copiosius in beneficium nostræ redemptionis. Doctor Angelicus inquit [2]: « Magnitudo doloris Christi pa- « tientis potest considerari ex doloris et tristitiæ « puritate. Nam in aliis patientibus mitigatur tristi- « tia interior et etiam dolor exterior ex aliqua consi- « deratione rationis, per quamdam derivationem seu « redeundantiam a superioribus viribus ad inferio- « res. Quod in Christo patiente non fuit, quia uni- « cuique virium permisit agere, quod est sibi pro- « prium, ut Damascenus inquit. » Idem Doctor Angelicus in eodem loco aliam quamdam immensitatis hujus tristitiæ assignat rationem [3], scilicet quod « Passio illa, et dolor a Christo fuerunt « assumpta voluntarie, propter finem liberationis « hominum a peccato ; et ideo tantam quantitatem « doloris assumpsit, quæ esset proportionata ma- « gnitudini fructus, qui inde sequebatur. » Ubi attente ponderanda sunt verba illa : « Passio illa « et dolor, a Christo fuerunt assumpta voluntarie. »

**3.** — S. Paschasius observat [4], quod S. Matthæus dicat : « *Cœpit contristari.* Aliud enim est contris- « tari et mœstum esse, et aliud incipere contris- « tari. » Verbum enim *cœpit* tristitiam quandam denotat, ex propria voluntate assumptam : « ut « ostenderet propassionem infirmitatis in eo fuisse, « ac cœpisse, non ut passio in animo illius domina- « retur, sed ut ex propassione verus homo, qui et « patiebatur, monstraretur. » S. Joannes Damascenus ait [5]: « Quod vere pertimuerit, testis est S. « Athanasius in oratione adversus Apollinarium, « his verbis utens : Ob eam causam dicebat Domi- « nus : *Nunc anima mea turbata est.* Hæc autem « particula, *nunc* idem est, quod, quando voluit. » S. Bernardinus de hac excessiva mæstitia itascribit : « Advocata ab ipso erat tristitia illa, atque justa, « non importuna venit. » Cajetanus quoque eamdem veritatem confirmat, dicens [6]: « Scio Jesum subiisse « voluntarie, non solum corporales cruciatus Pas- « sionis in flagellis, cruce et morte, sed etiam cru- « ciatum internæ propassionis. » S. Paschasius similiter ita scribit [7]: « Qui dicunt, quod nulla tris- « titia mortis nisi ex metu venit, dicant quod volunt, « nos autem dicimus quia etsi omnes infirmitatis nos- « træ affectiones in se habuit, nulla earum fuit ut « pati posset, nisi quia voluit, et in quantum voluit,

[1] S. Bernard. — [2] Sim. de Cassia. — [3] B. Laur., *ib.* — [4] Sim. de Cass., *ibid.* — [5] II Cor., II, 4. — [6] Prov., XIII, 2.

[1] S. Amb., *in Luc.*— [2] S. Tho. II p. q. 46, a. 6.— [3] Id. — [4] S. Pasch., *in Matt.* — [5] S. Joan. Da., l. III, c. 23 *Orthod. Fidei.* — [6] Cajet., *ibid.* — [7] S. Pasch., *ib.*

« et in se admisit. » S. Augustinus de naturalibus Christi affectionibus disserens, inquit [1] : « Adhibuit « eas, ubi adhibendas esse judicavit. Neque enim « in quo verum erat hominis corpus, et verus ho- « minis animus, falsus erat humanus affectus, etc. » Et paulo post de tædio et mærore Christi subjungit : « Quod propinquante Passione tristis fuerit « anima ejus usque ad mortem, non falso utique « refertur. Verum ille hos motus, certæ dispensa- « tionis gratia, ita cum voluit, suscepit animo hu- « mano, ut cum voluit, factus est homo. »

**4.** — Simon de Cassia considerat verba illa Redemptoris, quibuscum post agoniam, et tristitiam suam suos est affatus Apostolos, dicens [2]: *Surgite, eamus.* « Non dixit Dominus : Surgite, et eamus sed « *Surgite eamus.* Non erat Dominus consternatus in « animo, nec jacebat timore compressus quoniam « nulla passio veniebat ad eum, nisi veniret per- « missa ab ipso. Surgere non potest quod mente « non cecidit. » Enim vero quod hi timores in Christo, hæcque mœstitia libere et sponte assumpta fuerit, S. Hilarius per rationes efficaces in hæc verba ostendit [3]: « Forte dolorem vulnerum ti- « muit? Quem rogo penetratis in carnem clavis « habuit terrorem, qui excisæ auris carnem solo « restituit attactu ? Expone nobis, tu Dominicæ in- « firmitatis assertor, hocipso Passionis tempore in- « firmatæ opus carnis. Exerente enim Petro, atque, « adigente gladium, truncus aure servus sacerdo- « tis adstabat. Quomodo ex decisæ auris vulnere, « contingente Christo, restituta caro auris est? Unde « inter fluentem sanguinem, et post ipsa descen- « dentis gladii vestigia, et in ipsa truncati corporis « calumnia exiit, quod non extat, et rependitur, « quo caretur? Producens ergo hæc aurem manus, « clavum dolet ? Et sentit sibi vulnus, qui alteri do- « lorem vulneris non relinquit? Compungendæ car- « nis metu tristis est, cujus attactui licet carnem « donare post cœdem ? » S. Thomas doctor angelicus super Matthæum scribens, tristitiam duplici modo homini evenire posse docet, scilicet, vel per *passionem*, vel per *propassionem*. Per *passionem* quidem, quando subjectum quod patitur, mutatur : quando vero mutationi non subjacet, tunc est *propassio*. Nobis utplurimum tristitia accidit ob rationem in nobis mutatam, non vero item in Christo [4]: « In Christo enim nunquam fuit ratio immutata, et « ideo fuit propassio. Cœpit contristari in anima, « quantum ad partem sensitivam, » inquit Dionysius Carthusianus [5], « et naturalem affectum. Et « mœstus esse, quantum ad apparatum exteriorem « in verbis, ac gestibus; mortem enim naturali « affectu abhorruit. Ad intelligentiam horum oportet « advertere, quod est quædam tristitia inordinata, « rationem præveniens atque impediens, quæ se- « cundum philosophum, non cadit in virum constan- « tem, de quo Sapiens loquitur : *Non contristabit « justum quidquid ei acciderit.* Et de qua in Eccle- « siastico dicitur : *Tristitiam longe expelle a te « multos enim occidit tristitia, et non est utili- « tas in ea.* Hæc non fuit in Christo, quemadmo- « dum ex Isaia deducitur : *Non erit tristis, neque « turbulentus.* Alia est tristitia moderata, et bona, « vel naturalis, seu virtuosa, rationem sequens, et « vanitatem excludens ; de qua Sapiens ait : *Cor sa- « pientum ubi tristitia.* Unde dicit Apostolus : *Quæ « secundum Deum tristitia est, salutem stabilem « operatur.* » Hujuscemodi fuit tristitia illa, quam Redemptor noster assumpsit, et quacum sibi ex motivo charitatis, et misericordiæ suæ, æternam nostram salutem operari complacuit. B. Laurentius Justinianus de hac turbatione ita scribit [1] : « Tan- « quam verus homo, Dominus Jesus prorsus turba- « tus est, sed non sicut cæteri, qui animi commotione « turbantur, suæque turbationis nesciunt habere « metas. In assumpto homine Dei sapientia, potes- « tate, non necessitate aut infirmitate turbatur. Cum « vult, quando vult, de quo vult, turbatur sapientia, « sine passione tamen, sine impetu, et absque re- « dargutione aliqua. »

**5.** — *Cœpit contristari.* Hæc mœstitia juxta S. Thomam Aquinatem, ad animam Redemptoris, ejusque mentem multo magis tranfusa fuit. Ita enim S. Doctor discurrit [2]: « Anima secundum vires inte- « riores efficacissime apprehendit omnes causas « tristitiæ. » Lucas Brugensis in litterali Scripturæ sensu versatissimus inquit [3]: « Ita tristitiam in appe- « titu sensitivo excitavit, ut eam permiserit et in « reliquas partes exuberare, totamque occupare « animam, etiam voluntatem, id est, appetitum ra- « tionalem; non tamen quatenus agit, ut ratione « præditus, non tristis ob mortem fuit, sed mortis « cupidissimus. Neque solum in animam uni- « versam, verum etiam in corpus redundare sci- « vit Christus tristitiam hanc, ita ut languere « corpus, pallere, tremere, viribusque destitui cœ- « perit, adeoque sanguinem sudare. » Porro si quæras, qua ratione anima actualiter beata existens, et natura humana divinitati hypostatice unita, extremæ et super excessivæ hujus tristitiæ capax esse potuerit; respondebo cum S. Ambrosio, dicente [4]: « Sequestrata delectatione divinitatis æternæ, tædio « meæ infirmitatis afficitur. » Salvator enim noster, gaudium illud, quod in portionem superiorem ex visione beatifica manare debebat, miraculose suspendebat, adeo ut ne quidem unicam gaudii illius stillam in portionem inferiorem diffundere permitteret. Ad eum namque modum, quo lux cœli

[1] S. Aug., *de Civ. Dei.* — [2] Simon de Cassia, *ibid.* — [3] S. Hilar., l. X *de Trin.* — [4] S. Thom., *in Matt.* — [5] Dion. Carth., *in Matt.*

[1] S. Laur. Just., *ib.* — [2] S. Thomas, *ibid.* — [3] Luc. Brug., *in Matt.* — [4] S. Ambr., *ib.*

empyrei, qua illustrantur in cœlo beati, et de qua scriptum est [1] : *Lucem inhabitat inaccessibilem,* ad nostrum hemisphærium illuminandum nullo prorsus modo penetrat : ita quoque gaudia animæ beatæ Christi in suprema portione coercita, ad nullum prorsus portioni inferiori præstandum solatium transfundebatur; ideoque afflicta prorsus, et desolata, atque in quodam veluti angustiarum pelago submersa remansit.

**6.** — Pro cujus veritatis meliori intelligentia, imaginemini vobis, obsecro, montem Olympum, cujus vertex semper serenus existens, imperturbabili quadam gaudet quiete et tranquillitate; quia ut Poeta canit : « Nubes excedit Olympus; » ad latera vero ejus venti sæviunt, agitantur turbines, tonitrua minantur, etc. Ita quoque verissimum est, Christum in suprema animæ suæ portione in Verbo gavisum et deliciatum fuisse incarnato; at vero in ejusdem animæ portione inferiori tanto magis fuisse afflictum. Unde Lucas Brugensis ait [2]: « Vivacissimo ac præsentissimo animo cœpit considerare mortem crucis, passionemque sibi imminentem, et singulas ejus circumstantias (quæ, quanta, qualia, a quibus, ubi, quando passurus esset) ipsa morte haud leviores, ac prænoscere exactissime omnia, et certo certior erat se non evasurum. Hæc igitur omnia tam clare, quam quæ maxime sunt præsentia, ob oculos sibi ponens, et contemplans, præmeditans, et antequam evenirent, acceptans, excitavit in se ipso timorem et tristitiam. Excitavit in appetitu sensitivo, qui proprium subjectum est passionum, et natura refugit, atque exhorret, quæ naturæ adversantur. » B. Laurentius Justinianus similiter hanc recalcitrantis in Christo naturæ nostræ repugnantiam considerans, ait [3] : « Reclamabat natura ipsa passibilis, pœnarum immanitate perterrita, nolebatque dominantis animæ imperio famulari. » S. Thomas doctor angelicus asserere non dubitat, quod licet anima Christi fuerit beata, non tamen ideo Christus a doloribus et afflictionibus internis fuerit exemptus [4]: « Nam Damascenus dicit in tertio libro, quod divinitas Christi permisit agere et pati, quæ propria. » Præterea idem Doctor Angelicus ibidem hanc statuit conclusionem : « Quanquam tota anima Christi per essentiam Deo frueretur in passione, non tamen secundum omnes suas potestates, sed solum superior in illo rationis pars, proprio actu, beatorum fruitione fruebatur. » Et paulo post subdit : « Non fiebat redundantia gloriæ a superiori parte in inferiorem, nec ab anima in corpus. »

**7.** — Creator omnium Deus formaturus Evam, sustulit ab Adamo costam quamdam, in ejusque locum debilem substituit carnem, dicente Scriptura [5]: *Tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea.* Similiter secundo Adamo, de cœlo cœlesti, id est, Verbo Incarnato, sublatus est, sive, ut melius dicam, suspensus fuit influxus divinitatis, et gloriæ animæ, quæ alias derivari debebat in corpus, in illudque redundans, humanam corroborare potuisset in ipso debilitatem : *Et replevit carnem pro ea.* Loco enim ejus, ut per hanc communicationem, et influxum diviuæ naturæ, humanæ naturæ vires fortificaret, non solum ipsam in mortali sua debilitate, et in excessivis tormentis hic influxus deservit, verum etiam humanitatem Christi omnibus acerbissimis doloribus et angustiis replevit, quas unquam Deus, non minus omnipotens, quam patiendi avidus, excogitare potuit. Christus in Apocalypsi leoni assimilatur, dicente S. Joanne Evangelista [1]: *Vicit Leo de tribu Juda.* De hac autem fera referunt naturalistæ, quod in una illius parte, scilicet in capite, corpore, brachiis, et pectore sol prædominetur. Ac proinde nihil illum perterrefacere potest, imo ipse terror et pavor est omnium aliarum ferarum [2]: *Leo rugiet, quis non timebit?* At vero quia in reliqua corporis sui parte terra prædominatur, ita nonnunquam efficitur imbellis, ignavus, ac vilis, ut præ nimio timore galli, vel simiæ, speciem eorumdem animalium fugiat, imo folia querna decidentia formidet [3]: *Terrebit eos sonitus folii volantis.* Simili quoque modo de Redemptore discurre relicebit, utpote qui in variis Scripturæ locis in leone præfiguratur. Si enim in ipso consideretur natura divina et anima beata, visione fruens beatifica, certum est, quod hæc duo omnis fuerint doloris et mœstitiæ incapacia. At vero si ita est, quoniam igitur modo salva veritate de anima asserere potuit : *Tristis est anima mea?* Respondetur, id verificari ratione naturæ humanæ assumptæ; cum enim pœnalitates naturæ nostræ assumpserit, consequenter etiam *cœpit tædere, et mœstus esse.* Et tametsi anima ipsius, quoad portionem superiorem, illis inundaverit torrentibus, de quibus Psalmista ait [4]: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos;* attamen modum excogitare potuit, quo portio inferior ejusdem animæ in amarissimo quodam tædii, angustiarum, anxietatum, timoris, tristitiæ, agoniæ, aliorumque atrocissimorum dolorum mari fluctuaret; unde revera dicere potuit [5]: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.*

[1] II Tim., VI, 16. — [2] Luc. Brug., *ib.* — [3] B. Laurent. Just., *ib.* — [4] S. Tho., III p. q. 46 art. 8. — [5] Gen., II, 21.

## DISCURSUS IX.

### ALIA EJUSDEM IMMENSÆ CHRISTI TRISTITIÆ EXAMINANTUR MYSTERIA.

Idea sermonis. — 1. Christus non finxit se tristem, sed actu et voluntarie fuit tristis. — 2. Cum mors sit omnium terribilium terribilissimum causat in ho-

[1] Apoc., V, 5. — [2] Amos, III, 8. — [3] Lev., XXVI, 36. — [4] *Ps.* XXXV, 9. — [5] *Ps.* LXVIII, 3.

mine tædium et aversionem. Christus tristatur nobis ad exemplum. — 3. Christus tristis fuit non pro se, sed pro nobis. — 4. Quare Christus in horto contristatus horruerit mortem. — 5. Christus in illa tristitia consideravit omnia quæ passurus erat tormenta. — 6. Revelatio facta B. Angelæ de Fulginio de prævisis tormentis Christi. — 7. Christus tristabatur propter perditionem Judæ. Et reliquorum Judæorum. Sicut etiam propter negationem Petri.

*Tristis est anima mea usque ad mortem.* Marc. XIV, 22.

**1.** — Ex quo Redemptor noster per totum vitæ suæ decursum, præcipue vero in ultimis diebus, multas, frequentesque intensissimi desiderii sui quo mori cupiebat, edidit demonstrationes, merito nonnemini videri posset, tristitiam, quæ nunc in eo apparet, simulatam ab eo fuisse, aut vero voluntatem patiendi antea simulasse tantum, aut finxisse nisi hujus mœstitiæ, præter illa quæ in præcedenti discursu diximus, manifestaremus mysteria.

**2.** — *Tristis est anima mea.* S. Ambrosius de hac anxietate et tristitia ita scribit [1]: « Non quia illa tibi « infirmitas erat ex parte assumpta, sed pro me « suscepta. » Angelicus Doctor argute considerat, Redemptorem nostrum non dixisse: *Ego sum tristis*; sed : *Tristis est anima mea*, quia verbum *Ego* expressivum est personæ, et consequenter naturæ divinæ, quæ tristitiæ est incapax [2]: *Ego, est ostensivum personæ*, Simon de Cassia quærit [3]: « Quid « est quod cœpit contristari Jesus, et mœstus esse? « Non enim erat ex natura tristis Jesus, neque sibi « a communiter accidentibus invite poterat prove- « nire tristitia, sed accepit ipse tristitiam, ad veri- « tatem insinuandum assumpti hominis. » Propheta Evangelicus de venturo Messia vaticinabatur, dicens [4]: *Vere languores nostros ipse tulit; et dolores nostros ipse portavit.* Proprium enim est homini, tædium, horrorem et aversionem concipere adverstitatum et calamitatum, maxime vero imminentis mortis, utpote: *quæ est ultimum omnium terribilium* Et ideo etiam Christus contristatus est, quando morti appropinquavit, « ut veritatem probaret « assumpti hominis » ut inquit [5] S. Hieronymus. Theophylactus similiter ait [6]; « Porro quod mœstus « est et piget, per dispensationem fiebat, ut credatur « verus homo. Ex quo enim homini connaturale est, timorem concipere ex imminente animæ a corpore separatione, siquidem mors contra naturæ ordinem in mundum introducta fuit, nisi Filius Dei homo factus, hanc in semetipso ostendisset mortis aversionem et horrorem, dubitari merito potuisset, an Verbum Dei, simul cum humanitate nostra, omnes quoque simul assumpsisset alias miserias, fragilem naturam nostram concomitantes. Nunc autem Verbum Incarnatum libere dicere potest [1]: *Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus et ex genere terreni illius, qui prior factus est, et in ventre matris figuratus sum caro.* Cum hac tamen ab aliis hominibus differentia, quod opera Spiritus Sancti fuerit conceptus, Verbumque naturæ humanæ sese hypostatice univerit, ipsaque anima corpus Christi informans, a primo instanti fuerit beata, tametsi gloriam suam in corpus suum transfuderit, ut illud hac ratione passibile, omnibusque naturæ nostræ pœnalitatibus et miseriis, velut omnium nostrum corpora, subjectum permaneret. S. Cyprianus hac de re discursum quemdam habet, qui quadamtenus etiam apud S. Anselmum verbo tenus legitur, ita enim scribit [2] : « Tristem se usque ad mortem præ « nimia anxietate, sanguineo sudore perfusus, coram « Apostolis est professus. Audiens hæc ego, expavi. « Quis enim non timeat, si timet ille, quem omnia ti- « ment? Si pavet ille, cui omne genu curvatur? Si ille « qui mors est mortis, et morsus Inferni, morte pro- « pinquante pertimescit? Nonne ad hoc veneras, « et ita futurum ipse prædixeras? Nonne hoc et « signa, et oracula, et vaticinia Prophetarum a « mundi initio conclamarunt. Si voluntarie obedisti » Patri, et non, et ut patereris, coegit necessitas, « quid quereris? Quid causaris? Nonne tu docueras « et instruxeras fideles tuos, ut non timerent eos, « qui corpus occidunt, quia usque ad animam » violentia tyrannica non attingit? » Idem vero S. martyr omnes hasce difficultates dissolvit, dicendo, ut hactenus diximus: « Sed metus ille infir- « mitatis humanæ communem exprimebat affec- « tum. » S. Paschasius ad item propositum inquit [3]: « Nec tamen abhorret a vero, quia homo erat, et « omnia nostri corporis infirma susceperat, sic « etiam timorem mortis in se admiserit, non ut « timor vinceret, sed ut ipse fortitudine virtutis suæ « mortis timorem perimeret, quoniam aculeus « mortis in eo non erat, et ideo solus inter mortuos « liber et usque ad mortem tristis, quia mors des- « tructio mortis erat, et restitutio vitæ. » S. Hilarius, ut hunc Christi timorem mysticum fuisse ostendat (quippe qui mortem imminentem non abhorrebat, sed desiderabat) multas efficaces adducit rationes, inquiens [4] : « Interrogo eos, qui hoc ita existimant, « an ratione subsistat, ut mori timuerit, qui om- « nem ab Apostolis mortis terrorem propellens ad « gloriam eos sit martyrii adhortatus, dicens : *Qui « non accepit crucem suam et sequitur me, non est me « dignus, et qui invenit animam suam, perdet eam, et « qui perdiderit eam propter me, inveniet illam?* Cum « enim pro eo mori, vita sit, quomodo ipse in « mortis Sacramento doluisse existimandus est, qui « pro se morientibus vitam rependat? Et cum non « timendos esse, qui corpus occiderent, monet,

[1] S. Amb., *in Luc.* — [2] S. Thom., *in Matt.* — [3] Simon de Cass. — [4] Isa., liii, 4. — [5] S. Hieron., *in Matth.* — [6] Theophyl.

[1] Sap., vii, 1. — [2] S. Cypr., *de Pass.* — [3] S. Paschas., *in Matt.* — [4] S. Hilar., l. X *de Trinit.*

« ipsum illum mors a timore passionis corporalis « exterruit? Tum denique quem dolorem mortis « timeret, potestatis suæ libertate moriturus? »

**3.** — Omnes sacri doctores unanimiter Christum nostris fuisse affectibus vestitum docent, nam S. Ambrosius ait [1] : « Minus contulerat mihi, nisi « meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, « qui pro se nihil habuit quod doleret. » S. Leo postquam duas in Christo considerasset naturas, divinam scilicet et humanam et cujuslibet exposuisset proprietates, tandem de hac in horto exhibita tristitia in hæc verba disserit [2] : « Sciens Jesus, adesse jam « tempus gloriosæ passionis implendæ, *tristis est*, « inquit, *anima mea usque ad mortem*. Et iterum. « *Pater si fieri potest, transeat a me calix iste*. Quibus « verbis, quandam formidinem profitentibus, nos- « træ infirmitatis affectus participando curabat, et « pœnalis experientiæ metum subeundo pellebat. « In nobis ergo Dominus nostra pavore trepidabat, « ut susceptionem nostræ infirmitatis induerat, et « nostram inconstantiam suæ virtutis soliditate « vestiret. Venerat enim in hunc mundum dives, « atque misericors negociator cœli et commuta- « tione mirabili inierat commercium salutare, nos- « tra accipiens, et sua tribuens, pro contumeliis « honorem, pro doloribus salutem, pro morte dans « vitam, et cui ad exterminationem persequentium « poterant plus quam duodecim millia angelicarum « servire legionum, malebat nostram recipere for- « midinem quam suam exercere potestatem. » Adducitque negociationem S. Petri eo tempore factam, quo Christus a vilissima hominum face illudebatur, patiebaturque insidias, quem proinde in persona Salvatoris his verbis affatur : « Quid metuis ? Non « confundat infirmitas quam recepi. Ego de tuo fui « trepidus, tu de meo esto securus. » S. Anselmus de hac materia disserens, devoto cum affectu in hæc verba exclamat [3] : « Nonne voluntarium omnino « Patri sacrificium obtulisti, et nihil invitus pertu- « listi ? Utique Domine. Arbitramur autem, quod « et hoc quoque ad consolationem infirmorum « membrorum tuorum assumpsisti, ne forte despe- « ret quis, si caro infirma remurmuret, ubi ad « passionem promptus est spiritus. Nimirum, ut et « majoris erga te amoris et gratitudinis stimulos « haberemus, naturalem carnis infirmitatem hu- « jusmodi induciis in te expressisti, quibus docere- « mur, quia vere languores nostros ipse portasti, « et non absque sensu doloris, passionum sentes « pertulisti. Vox enim illa, vox carnis fuisse videtur, « non spiritus, ex eo quod subjunxisti : *Spiritus « quidem promptus est, caro autem infirma.* » S. Ambrosius considerans hæc verba Christi : *Non mea, sed tua voluntas fiat*, hanc illorum expositionem subnectit [4] : « Suam ad hominem retulit, Patris ad « divinitatem. Voluntas enim hominis tempora- « lis, voluntas divinitatis æterna, non alia volun- « tas Patris, alia Filii, una enim voluntas, ubi una « divinitas. Verborum proprietatem consideremus. « *Tristis est*, inquit, *anima mea*. Et alibi : *Nunc « anima mea turbata est valde*. Non ergo suscipiens, « sed suscepta turbatur, animam enim obnoxiam « passionibus, divinitas liberat. Denique, *spiritus « promptus, caro autem infirma*. Tristis autem est « non ipse, sed anima, non est tristis sapientia, non « divina substantia, sed anima ; suscepit enim ani- « mam meam, suscepit corpus meum, non me « fefellit, ut aliud esset, et aliud videretur. Tristis « videbatur, et tristis erat, non pro sua passione, « sed pro nostra dispersione. »

**4.** — Rabanus Petri animositatem a principio exhibitam, dum cum Christo se moriturum asserebat, se reflectens, interrogat [1] : « Sed cur timet « Christus, cum Petrus non timeat et sudat, atque « contristatur, et dicit : *Nunc anima mea turbatur*, « cum Petrus dicit ; *Animam meam ponam pro te !* « Utrumque ergo verum est, plenumque ratione « utrumque, quod et ille qui est inferior non timet « et ille, qui est superior, gerit timentis affectum, « Ille enim quasi homo vim mortis ignorat, iste « autem quasi Deus in corpore constitutos, fragili- « tatem carnis exponit, ut eorum, qui sacramentum « Incarnationis abjurant, excluderetur impietas. » Beda super Matthæum, et ipse declarat, Filium Dei non doluisse, neque contristatum fuisse propter passionem imminentem, utpote ob quam in terram descenderat, sed ut omnibus sæculis manifestiorem redderet humanitatis nostræ assumptæ realitatem et veritatem [2] : « Non propter mortem tristis est « Dominus, inquit, quia conditio corporalis affectus, « non formido mortis offendit. Nam qui corpus « suscepit, omnia debuit subire quæ corporis sunt. » Enimvero quod omnes alii ex contaminata Adæ progenie descendentes contremiscant, quando in articula mortis implacabili et inappellabili Judici sunt præsantandi, quid mirum ? *Nemo enim mundus a sorde*. At vero Christus supremus ille Judex erat, coram cujus tribunali omnes astabimus judicandi, ipseque de semeptipso ait : *Quis ex vobis arguet me de peccato ?* Audiamus S. Cyprianum dicentem [3] : « Sed « tu Domine, qui Judex es omnium, qui potestative « ponis animam tuam, et potestative resumis, nec « pœna te ex necessitate persequitur, nec formi- « dabilis patris tui potest esse conspectus, quid an- « xiaris ? Quid tremebundus ad orationem discur- « ris ? » Cui tamen responderi potest, quod idem ipse paulo ante in hæc verba scripserat, scilicet [4] : « Hanc pœnam universæ successioni Adam sine « exceptione impositam, ut difficultas extremi « transitus timeretur. » Propter duas igitur ratio-

[1] S. Amer., *ib.* — [2] S. Leo, *de Pass.* — [3] S. Anselm., *de Pass. Dom.*, vel *Stim. amor.* — [4] S. Amb., *ib.*

[1] Raban., *in Matt.* — [2] Beda, *ib.* — [3] S. Cypr., *ib.* — [4] Id., *ib.*

nes Salvator timet et contremiscit, Primo, ut communi Adæ posteritati sese conformet, utpote cujus fragilem mortalitatem assumpserat. Secundo ut nobis daret exemplum timendi in ultimo mortis articulo maxime cum omnes ex contaminata primorum prævaricatorum massa simus progeniti.

**5.** — *Tristis est anima mea.* Salvator noster per vivam mentis apprehensionem ob oculos sibi sigillatim statuit innumeros imminentis passionis suæ dolores, et tormenta, ut anticipate sese in anima, et corde suo affligeret, per dolorem æque intensum ac antea fuerat infinitum, quod habuerat, patiendi desiderium, ut hac ratione esset *copiosa apud eum redemptio,* Ponderavit quoque, et quidem in pondere sanctuarii, universalem totius humani generis adversus ipsum factam conjurationem, siquidem omnes status, et conditiones hominum contra ipsum sævituræ erant, quod Psalmista obtupescens ait : *Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ et Principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus.* Ipsum enim ad mortem usque implacabiliter persecuti sunt Hebræi pariter et gentiles, sæculares et ecclesiastici, plebeii, et nobiles, subditi et principes, amici et inimici. Imo et ex Apostolis unus ipsum vendidit, alter negavit omnes denique ipsum desolatum deseruerunt. Considerabat quoque in illa tristitia omnes alios insultus et tormenta, scilicet læsam per calumnias, et blasphemias famam, læsum honorem, et reverentiam per sannas, et ludibria, deprædandas sibi, et exuendas vestes, et confusibilem ac probrosam nuditatem suam. Apprehendebat tanquam præsentes colaphos, clamores, percussiones, flagella, spinas, crucis patibulum, transfixiones pedum et manuum suarum per clavos, denique fel, et acetum, quo potandus erat. Et quidem tametsi verum sit, quod a primo Incarnationis instanti dicere potuerit : *Dolor meus in conspectu meo semper:* attamen tunc hora illa appropinquabat, in qua superexcessivis illis tormentis corpus quoque suum erat excruciandum Etenim alium operatur effectum cruentum aliquod prælium, dum in historiis legitur, et alium dum idem ab iis qui illi præsentes assistunt, propriis oculis cernitur, atque ideo Redemptor noster tunc vere dicere poterat : *Dolor meus* non solum *in conspectu meo,* verumetiam *in corpore meo.* Antea dolorem illum in inferiori animæ portione continuerat, tunc vero insuper transfundendus erat in corpus, idque majori cum argumento, quam antea in ipsamet anima positus fuerat : « Voluntarie proposuit « ante internos oculos,» inquit Cajetanus « quæ, qua- « lia, quanta, a quibus, qualiter, etc., passurus tunc « erat et cum hæc cogitata et proposita sint contra- « ria appetitui naturali, tam voluntatis humanæ, « quam appetitus sensitivi hominis, sequebatur « tristitia magna et quædam animi constrictio, inter « tot prementia mala, quam non sublevabat ratio « ad Deum spectans, sicut in aliis Sanctis, et mar- « tyribus sublevavit. »

**6.** — Apud Bollandum de B. Angela de Fulginio legitur, eidem nonnullas a cœlesti Sponso suo quoad ejus passionem communicatas fuisse revelationes, ita enim hac de re ipsamet loquitur [1] : « Placuit sibi ostendere mihi plura de sua passione, « quam fuerant illa, quæ audiveram referri, et « intelligebam, quomodo Christus in passione sua « videbat omnia corda obstinata illorum impiorum « contra se. Videbat omnes subtilitates, astutias et « machinationes, quas impii faciebant contra eum, « Et videbat omnia consilia, et multitudinem de- « trahentium, et iras illas, et furores, omnes appa- « ratus et cogitationes, quomodo posseut eum cru- « delius affligere. Videbat omnes pœnalitates, in- « jurias et verecundias. »

**7.** — *Tristis est anima mea.* S. Paschasius ait [2]: « Videbat chorum Apostolorum, quos tanta enu- « triebat diligentia, subito dispergendum, inter « quos etiam et infelicissimi Judæ causa erat do- « lendum. » Beda pariter hac de re ita scribit [3] : « Contristabatur, non timore patiendi, sed propter « infelicissimum Judam, et scandalum omnium « Apostolorum, et rejectionem populi Judæorum, « et eversionem miseræ Jerusalem. » Porro parentes, ipsamet experientia teste, graviter contristantur, quando quemdam bene disciplinatum amittunt filium, de quo bonam conceperant fiduciam quod illum visuri essent, tauquam validum familiæ suæ stipitem, et futurum amplissimarum facultatum suarum hæredem. Enim vero Salvator noster populum Hebræorum haud secus ac filium educaverat [4] : *Filios enutrivi et exaltavi,* eumque inter omnes totius universi populos, qui multi et præcipui erant pro hæreditate sua superna, et cœlesti adeunda destinaverat [5]: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel ! Non fecit taliter omni nationi* [6]. Nunc igitur videns, quod idem populus ex propria obstinatione periret, mortemque probrosam sibi præparans, cœlestis Patris iram contra se irritaret, supra omnem modum inde affligebatur. Nam tanquam Messias ab ipsis repudiatus. vere dicere poterat [7]: *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro* ; quia in locum populi Hebræi substitutus fuit populus gentilis, qui dæmones in falsis numinibus adorabat. B. Laurentius Justinianus de Christo ait [8]. « Quæ turbationis causa esse po- « tuit, ut ille turbaretur de quo Apostolus ait :

[1] *Ps.* II. 12. — [2] *Ps.* XXXVII, 18. — [3] CAJET., *in Matt.*

[1] BOLLANDUS. — [2] S. PASCHAS., in *Matt.* — [3] BEDA, in *Matt.* — [4] ISA., I, 2. — [5] MATT., XV, 24. — [6] *Ps.* CXLVIII, 2. — [7] ECCL., II, 18. — [8] B. LAUR. JUST., *de Triumph. Christi agon.*

« Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, ut « ipse qui inter se dissidentes, et turbatos reconci- « liat, turbari videatur? et tamen, prout scriptum « est, turbatus est. » S. Hieronymus ante Bedam ita scribit [1] : « Contristatus non timore patiendi « (quia ad hoc venerat, ut pateretur, et Petrum « timiditatis arguerat) sed propter infelicissimum « Judam, et scandalum omnium Apostolorum, et « ejectionem miseræ Jerusalem. » Contristatus quoque est propter Petrum, Collegii apostolici, et fotius Ecclesiæ visibile caput, sciens, quod repetitis iujuriis ipsum esset denegaturus, quodque obstinatus, et desperatus Judas in die redemptionis suæ, in quo etiam latroni cuidam aperiebat paradisum, ad arboris truncum se suspensurus esset adeoque in conspectu suo lupus infernalis quamdam deprædaturus esset oviculum gregis illius, cui dixerat [2]: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Enim vero quando veteranus quidam, et expertus belli dux multo tempore milites suos in disciplina militari exercuit, et erudiit, videtque postea eosdem in die inchoandi prælii fugientes, sine dubio graviter inde affligitur, et contristatur, atque ideo hoc quoque fuit speciale tristitiæ Christi motivum, quod sciret immediatos scholæ suæ discipulos primos esse futuros, qui fugam ab ipso capesserent. Denique mirum in modum ipsum conturbavit, quod sciret jam advenisse horam, in qua in dilectissimæ matris suæ persona illud adimplendum esset Simeonis propheticum oraculum [3] : *Tuam ipsius animam gladius pertransibit.*

**8.** — *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Simon de Cassia hanc explicans tristitiam ait [4]: « Mors, et mors, duro conflixere duello. Morte « Christi fiebat, ut destrueretur omnium mors. Mors « omnium, scilicet ab Adam usque ad Christum, « in omnibus gentibus firmaverat sibi regnum; « proinde tristatur anima Christi usque ad mortem, « videlicet, quousque mors Christi omnem mortem « per justitiam pleno jure devinceret. Nam in « victoria mortis Christi mors omnium absorpta « narratur, et a victoria devicta victoria prædica- « tur, unde secundum Apostolum absorpta est « mors in victoria, et sequitur : *Ubi est, mors, vic-* « *toria tua?* Mors Christi omnium mortem absor- « buit. Per serpentem introducta est mors; et « serpens devoravit serpentem, nam serpens Moysis « cum esset Pharaoni in Ægypto ad prodigia fa- « cienda exortus ex virga, quam manu sua Domino « jubente gestabat, devoravit serpentes Magorum « Pharaonis. Et Christus, per simile serpens dictus, » mortem omnium sua morte devoravit, ut mors » omnium absorpta sit in victoria. Nova et inaudita « exercitatio ista erat, ut mors vinceretur a morte « necnon ex morte vita consurgeret. Ex hoc erat « ista tristitia usque ad mortem. »

[1] S. Hier., in *Matt.* — [2] Luc., xii, 32. — [3] Id., ii, 35. — [4] Sim. de Cass.

## DISCURSUS X.

### EJUSDEM MATERIÆ CONTINUATUR PROSECUTIO.

Idea sermonis. — 1. Christus intensissimo suo dolore supplevit defectum imperfectæ nostræ contritionis in sacramento pœnitentiæ. — 2. Christus suo dolore satisfecit pro nostris peccatis et pœnis illis debitis. — 3. Christus adaquata contritione satisfecit pro omnium hominum peccatis, quæ cum omnibus circumstantiis clare videbat. — 4. Christus amore nostri doluit et contristatus fuit. — 5. Doluit etiam propter hominum ingratitudinem pro passione sua.— 6. Contristatus fuit Christus quod videret dæmones in se et gregem suum pusillum crudelius tunc quam unquam sævientes. — 7. Christus in agone suo contristatus fuit ut nos in agone nostro possimus esse læti. — 8. Ex motivo compassionis et pro nostra consolatione fuit Christus contristatus.

*Cœpit pavere et tædere.* Marc., xiv, 33.

**1.** — Ex quo passio Redemptoris eo præcipue ordinabatur, ut scilicet generis humani expiarentur peccata, divinæque justitiæ perfecte satisfieret (ut bene notat Apostolus, dicens [1] : *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata, ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*) necessarium erat, ut hoc corpus veluti victima in altari crucis, in perfectissimum immolaretur holocaustum; siquidem omnia alia præteritorum sæculorum sacrificia jam finem suum acceperant. Advertendum tamen est, quod priusquam hoc sacrificium obtulit, aliud quoddam sacrificium Æterno Patri suo acceptissimum præmittere voluerit, de quo propheta regius in hæc verba prophetaverat [2] : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Atque hæc est ratio, cur se spontanee per hanc mœstitiam, timorem, tædium, agoniam, cæterosque dolores intentissimos interiores, in corpus quoque exterius redundantes, afflixerit. Porro certum est, quod anima peccato obnoxia, sine dolore et pœnitentia illius justificari non possit, atque ideo necessaria est vel contritio, vel attritio conjuncta cum sacramento, juxta illud [3]: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Hac igitur veritate supposita, memorandum est, quod Apostolus his verbis scribit [4] : *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Etenim ad delendam culpam, non quilibet dolor sufficit, sed necessarius est dolor, ex motivo charitatis erga Deum excitatus, qui valde est difficilis. Hunc igitur dolorem qui nobis ob fra-

[1] Heb., x, 5. — [2] *Ps.* l, 19. — [3] Luc., xiii, 5. — [4] II Cor., vii, 10.

gilitatem nostram deerat, Redemptor in se assumpsit, nostroque debito per extremam hanc suam tristitiam satisfecit. Unde tunc tristitiam hanc, aliaque passionis suæ merita in sacramento Confessionis nobis applicando, eximium hoc bonum homo consequitur, quod scilicet *ex attrito fiat contritus.* Neque dubitari potest, quin *secundum Deum sit illa tristitia;* siquidem assumpta fuit ab illo, qui non solum naturam habebat humanam, sed eamdem cum divinitate conjunctam; ac proinde *pœnitentiam in salutem stabilem operatus est.* Notandum porro hic est Salvatorem nostrum divinæ justitiæ pro nostris debitis satisfacere voluisse *ex toto rigore justitiæ.* Ac proinde S. Thomas ait[1] : « Dicendum, quod « Christus voluit genus humanum a peccatis libe- « rare, non sola potestate, sed justitia ; et ideo non « solum attendit, quantam virtutem dolor ejus ha- « beret ex divinitate unita, sed etiam quantum « dolor ejus sufficeret secundum humanam natu- « ram ad tantam satisfactionem. » Et ideo dolores assumpsit intensissimos, eos videlicet, qui et animam et corpus atrocissime cruciare poterant.

**2.** — Regius Psalmista de hac tristitia in Ps. XXI, in quo omnia Passionis tormenta vaticinatur, disserens, eamdem hisce verbis expressit[2] : *Factum est cor meum tanquam cera liquescens, in medio ventris mei:* quibus verbis alludit ad sudorem sanguineum; id vero quod sequitur, intensam Christi exprimit tristitiam; ait enim : *Aruit tanquam testa virtus mea et lingua mea adhæsit faucibus meis et in pulverem mortis deduxisti me.* Etenim experientia teste verissimum est, quod *spiritus tristis exsiccat ossa*[3]; et ideo Christus notificare nobis volens internam viscerum suorum ariditatem et tristitiæ illius vehementiam, se testæ in fornace coctæ assimilavit : *Aruit tanquam testa virtus mea,* etc. *Cœpit pavere,* ecce timorem et pavorem, quo mens ejus percellebatur. *Et tædere,* ecce tædium et nauseam. *Et mœstus esse,* ecce dolorem et anxietatem excessivam; unde demum agonia sequitur, de qua suo loco dicetur. Hasce autem pœnas assumpsit ad liberandum nos a pœnis debitis peccatis illorum, qui demum convertuntur, quibus in inferno correspondent pœnæ planctus, stridoris dentium, vinculorum et vermis; juxta illud : *Ibi erit fletus,* hoc autem debitum expiavit per dolorem et mœstitiam, quæ sunt causa fletus : *Et stridor dentium,* cui satisfecit per horrorem et timorem : *Ligatis manibus et pedibus;* huic pœnæ correspondit per nauseam : *Cœpit tedere.* In inferno quoque est vermis immortalis : *Vermis eorum non morietur;* et huic tormento satisfecit per agoniam. Cum igitur justitia Dei punitiva omnes hasce pœnas peccatoribus in inferno constitutus destinarit, Redemptor noster illarum satisfactionem sibi assumpsit, eamque in pœnosa passione sua præstitit, per cujus merita multi salvantur, tametsi peccatores enormes antea fuerint. S. Thomas hunc dolorem, per quem Christus pro peccatis nostris satisfecit, æqua lance ponderans, in hæc verba scribit[1] : « Dicendum quod Christus non « solum doluit pro amissione vitæ corporalis pro- « priæ, sed etiam pro peccatis omnium aliorum : « qui dolor in Christo excessit omnem dolorem « cujuscumque contriti, tum quia ex majori sa- « pientia et charitate processit, ex quibus dolor « contritionis augetur, tum etiam quia pro omni- « bus peccatis simul doluit. » S. Ambrosius ait[2] : « Ita legimus : Qui peccata nostra portat et pro no- « bis dolet. Doles enim, Domine, non tua, sed mea « vulnera; non tuam mortem, sed nostram infir- « mitatem; et nos æstimavimus te esse in dolori- « bus, cum tu non pro te, sed pro me doleres; in- « firmatus enim es, sed propter peccata nostra. » Enim vero verisimile est, Redemptorem nostrum in illa oratione in horto facta et vehementissimæ illi tristitiæ conjuncta, tam intensos in se excitasse doloris et contritionis actus qui sufficientes essent ad expianda omnia totius humani generis peccata; cum enim habuerit perfectissimam cognitionem et amorem Dei, intelligebat utique et quidem perfectissime, quam æqualis pro satisfaciendis *de toto rigore justitiæ* omnibus hisce debitis deberetur solutio.

**3.** — Enimvero pro formando magis adæquato hujus contritionis et tristitiæ Christi, pro primo redemptionis nostræ lytro exsolvendo in horto habitæ, conceptu, sciendum est, Christum doluisse et contristatum fuisse de omnibus peccatis, a primo homine usque ad ultimum commissis. Quæ omnia oculis ipsius objiciebantur adeo deformia, distincta, et cum omnibus propriis circumstantiis accurate numerata, ac si tunc in ejus ignominia in conspectu ipsius committerentur. Cognoscebat denique malitiam et deformitatem illorum, atque ideo cum ardentissima charitate, ingentique lumine, zelum et honorem Dei, nec non bonitatem divinam, quæ a peccatoribus contemnebatur, amans, eadem quoque cum proportione affligebatur et mœrebat, ut divinæ justitiæ pretium solveret, non solum sufficiens, sed et superabundans. Unde Simon de Cassia ait[3] : « Perspectabat altissima mente omnium ho- « minum præteritorum, præsentium et futurorum « delicta et nefanda peccata, pro quibus diluendis « oportebat sustinere dolores et in animo tristari. » Et paulo post idem Simon de Cassia subdit : « Tris- « tabatur et anxiabatur Spiritus ejus, unus existens, « pro omnibus dolens et qui tam brevi temporis « spatio ad emendam tot millium obligabatur anno- « rum. Scripta enim invisibili stylo in anima illa « omnia temporum momenta et imagines delin-

[1] S. THO., III p. qu. 46, art. 6 ad 6. — [2] *Ps.* XXI, 16. — [3] PROV., XVII, 22.

[1] S. THO., *ib* — [2] S. AMB., in *Luc.* — [3] SIM. DE CASS.

« quentium, necnon et peccatorum variæ quantita-
« tes, similiter et qualitates, numeri et intentiones
« totaliter et lucide refulgebant. » Porro homo aliquis, qui propriam conscientiam multis delictis enormibus coinquinatam habet, merito timet, tremit et contristatur. Cum igitur ex fide constet, quod Redemptor noster [1] *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo*, et non solum peccata omnium in universali, sed etiam singulorum in particulari solvenda sibi assumpserit, quid mirum est, si S. Marcus dicat : *Cœpit tædere et pavere;* siquidem immenso quodam omnium peccatorum, a principio mundi usque ad finem illius commissorum et committendorum, pondere onustus erat? Simon de Cassia ex hac Salvatoris nostri tristitia documentum quoddam elicit, singulis hominibus utilissimum ; ait enim [2] : « Tristatur non propter sua, sed
« propter aliena peccata, tu vero propter tua dolo-
« rem assume, nam quod lætitia vana admittitur,
« nunquam melius quam tristitia vera deletur. »

**4.** — In resuscitatione Lazari, ut S. Joannes refert [3], Christus *infremuit spiritu et turbavit semetipsum Jesus, rursum fremens in semetipso.* « Quis
« enim eum posset, » inquit S. Augustinus [4], « nisi
« se ipso turbare? Turbatus est, quia voluit. Esu-
« rivit, sed quia voluit. Contristatus est, sed quia
« voluit. Mortuus, sed quia voluit; in illius potes-
« tate erat, sic, vel sic affici, vel non affici. » At vero quamnam circumstantes ex hac ejus tristitia, conturbatione et fletu deduxerunt consequentiam [5]. *Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum,* Eamdem prorsus consequentiam nos ex hac Christi in horto mœstitia deducere possumus, præeunte nos in hac parte S. Ambrosio, qui ait [6] : « Sed quid
« mirum, si pro omnibus doluit, qui pro uno flevit?
« Et quid mirum, si pro omnibus moriturus, tæ-
« deat, qui Lazarum resuscitaturus illacrymat? Sed
« et ibi piæ sororis lacrymis commovetur, quia
« mentem humanam tangebant et hic alto opera-
« tur affectu, ut, quia in carne sua peccata nostra
« perimebat, mœrorem quoque animæ nostræ suæ
« animæ mœrore aboleret. Ecce, quomodo amabat
« nos. » Etenim Redemptori nostro amantissimo non sufficiebat pati injurias, insultus, cruciatus, paulo post ei usque ad ultimum spiritum in monte Calvario inferendos, nisi insuper ex propria voluntate eligeret primam hanc facere intensissimorum et acerbissimorum dolorum, quas in hac tristitia et agonia assumpsit et sustinuit, pro debitis nostris promptam exsolutionem; siquidem ut D. Chrysostomus ait [7] : « Quod sufficiebat redemptioni, non
« satis erat amori. »

**5.** — *Cœpit pavere et tædere.* Dionysius Carthusianus ait [1] : « Tristabatur, atque dolebat anima
« Christi, loquendo de tristitia, prout est actus vir-
« tutis, seu charitatis, propter infirma membra
« sua. » S. Hilarius ait [2] : « Metuit, ne se Deum ab-
« negent discipuli, quem cæsum et conspùtum et
« crucifixum essent conspecturi. » Subdit vero præcitatus Carthusianus [3], quod contristatus fuerit Salvator *propter eos, in quibus vidit fructum Passionis suæ perire.* Quod punctum etiam Simon de Cassia his verbis tangit [4] : « Pro hominum ingratitudine
« tristabatur et acutius confodiebatur ex ista tristitia,
« quam ex pœna.» Ludolphus Carthusianus similiter ait [5] : « Possumus addere, quod ideo tristabatur,
« quia præscivit, quod tam acerbæ Passionis suæ
« flagella, et vulnera, et mors amarissima, in multis
« adhuc hodie miseris et obstinatis peccatoribus
« frustrari deberent. » Didacus Stella infinitum Christi amorem, quo nostram promovit salutem, devotis hisce meditatur affectibus [6] : « Propter amo-
« rem, quo te prosequitur, tristis est, quia te de-
« jectum videt; ideo mitis incedens te quærit.
« Vide quantum te dilexit, siquidem tristitia pre-
« mitur, ut te inveniat. » At vero quonam mysterio Christus tristitiam suam distulit, donec in hunc hortum veniret? Audiamus Simonem de Cassia, dicentem [7] : « Pia est tristitia Christi, et ab ipso
« sancte suscepta in horto pinguedinis, ut in ipso
« puniretur, quod in horto primævus male fuit
« lætatus Adam. »

**6.** — *Cœpit pavere et tædere.* Est et aliud hujus tristitiæ motivum, scilicet, quod, Christus lupum infernalem in perniciem pusilli gregis sui exsolutum, magisque quam unquam alias ferocientem videret : « Forsitan enim in articulo mortis suæ, » inquit S. Paschasius [8], « conspexit easdem con-
« sistentes in unum aereas potestates contra se,
« contraque genus humanum, pro quibus omnibus
« non sibi, sed pro nobis gemuit et oravit. » Cui consonat quod paulo ante ipsemet Christus Apostolis suis dixerat [9] : *Ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum.* Et paulo post ait [10] : *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum.* Apud eumdem Evangelistam legitur repulsa, quam Christus super pinnaculum templi et montis verticem constitutus, Lucifero in deserto dedit, postquam, licet confusus discesserit, rabiem tamen suam non omnino deposuit, dicente sacro textu [11]: *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* Quale vero hoc tempus fuerit, quod sibi diabolus reservarat, pro novis et iteratis insultibus Christo a se inferendis, S. Athanasius in hæc verba nos docet [12] : « Omnia sibi tentanda putavit, ut

[1] I Pet., II, 24. — [3] Sim. de Cass., *ib.* — [3] Joan., XI, 33. — [4] S. Aug., in *Joan.* — [5] Joan., XI, 36. — [6] S. Amb., *ib.* — [7] Chrys., *ib.*

[1] Dion. Carth., in *Matth.* — [2] S. Hil., in *Matth.* — [3] Dion. Carth., *ie.* — [4] Sim. de Cass. — [5] Lud. Carth. — [6] Did. Stella, in *Luc.* — [7] Sim. de Cass. — [8] S. Pasc., in *Matt.* — [9] Luc., XXII, 31. — [10] *Ib.*, V, 52. — [11] Luc., IV. — [12] S. Athan., *de Pass. et Cruce*:

« cognosceret quod prius non potuit cognoscere « cum illum in monte tentaret, essetne ipse Filius « Dei, an non. Tum enim cum pudore rejectus, « observandum sibi suadebat tempus mortis, certus « omnino, posse se per mortem, qua omnes in « servitutem redegerat, etiam hunc tentationibus « subigere. Scriptum est enim apud Lucam, quod « cum consummasset diabolus omnem tentatio- « nem, abscesserit ab eo in tempus idoneum. Atqui « hoc erat illud præsens tempus, in quo hostis ipse « agnoscebat, fore, ut ab omnibus supplantaretur, « si ab ista victoria excideret. » De Onia summo sacerdote legitur, quod quando Heliodorus in procinctu erat ad templi deposita deprædanda [1] : *Facies et color immutatus declarabat internum animi dolorem; circumfusa enim erat mœstitia quædam viro et horror corporis.* Porro de Christo ait Apostolus [2] : *Christus assistens Pontifex*, etc.; hic igitur videns, Heliodorum infernalem in procinctu stare ad deprædandum electos et maxime Apostolos cunctasque alias animas, quas inæstimabili sanguinis sui thesauro redempturus erat, sine dubio longe magis et vehementius contristatus fuit. Hic tamen timor et cordis angustia a Christo per stratagema in se exhibitus fuit, ut serpentis hujus deluderet astutiam, suamque ipsi celaret divinitatem, ne forte morti suæ poneret obstaculum, prouti postea Christum promissum redemptorem esse credens, per uxorem Pilati facere tentavit. Christus Dei Filius de se ait [3]: *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis, omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput*; quæ omnia *ad unguem* in ejus passione adimpleta fuere : « Sicut enim verme occultatur pis- « catoris hamus, » inquit Euthymius [4] « et sic de- « prehenditur piscis; sic Dominus Jesus, quasi « verme humanitatis occultans hamum divinitatis, « comprehendit Leviathan. » Idem Psalmista alibi ait [5] : *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Christus enim se dæmoni occultans, eumdem ex aquis illis, de quibus in Apocalypsi dicitur [6] : *Aquæ multæ populi multi*, agonizantem et tremulum foras extraxit, quia diabolus videns Christum timentem, contremiscentem et afflictum, eumdemque proinde hominem purum, aliisque similem esse credens, humanam ab ipso consummari redemptionem non impedivit; et consequenter ejus tyranniden, id est idololatriam, prosterni et profligari ignoranter permisit; hacque ratione factum est, quod cultus, qui antea falsis et fictis attribuebatur numinibus, deinceps sanctissimæ Cruci deferretur : « Cui pro- « inde bene competit, » inquit idem Euthymius [7], « quod de David ait Scriptura : *Et ipse quasi tener- « rimus ligni vermiculus, qui uno impetu occidit « octingentos.* »

**7.** — *Cœpit pavere et tædere.* S. Ambrosius ait [1] : « Suscepit tristitiam meam, ut mihi suam lætitiam « largiretur. » Quot sunt, qui in ultimo mortis articulo faciem adeo terribilem habent, sed exultant et jubilant? Hic autem genuinus est tristitiæ Christi effectus, qui a morte omnem sustulit amaritudinem, quia mors, in virtute hujus tristitiæ et reliquæ Passionis Christi, veræ vitæ porta facta fuit. Unde idem S. Ambrosius : « Et vestigiis nostris « descendit usque ad mortis ærumnas, ut nos suis « vestigiis revocaret ad vitam. » Simon de Cassia de hac Christi in horto tristitia ita discurrit [2] : « Ut « intellectus altior inclarescat, simpla erat mors « Christi, quæ duplicem nostram devoravit. Mor- « tem incurrerat humanum genus, a primo pa- « rente per omnes propagatam progenies, in anima « similiter et in corpore; rei experientia docente. « Christus vero in corpore, non anima, unicam « mortem accepit, qua debellavit et binam. Quod « tantum mors corporis adversus mortem corpo- « rum decertasset, fecissetque victoriam, magnæ « utique fuisset potentiæ. Quod vero mors corporis « mortem devoret animarum, ipsarumque vita ex « corporis morte consurgat, hoc omnium morta- « lium scientiam supertranscendit, quod propen- « sioris et divini mysterii fide scibilis fuisse opi- « ficium novimus. Tristabatur ergo illa infinita et « amabilis anima usque ad mortem, quousque « videlicet novus mortis occasus antiquum mortis « occasum excluderet et occasus occasum ad vitam « revocaret. » Dionysius Carthusianus hujus tristitiæ et anxietatis tres ostendit rationes, dicens [3] : « Primo ad ostendendam veritatem humanæ na- « turæ in se. Secundo ad subveniendum nobis, « quia per harum affectionum pœnalitatem, maxi- « mam gratiam meruit nobis. Tertio ad consolatio- « nem nostram, videlicet ne viri virtuosi pusillani- « mes fiant, cum sentiunt se mortem instantem « timere, quando et Christus eam expavit. » Lucas Brugensis ait [4] : « Quod martyres quidam lætissi- « mis animis mortem adierint, divina consolatio « fuit, quam licet haberet præsentem, Christus sibi « ipsi negavit, non tantum non permittens, ut « gaudium ex superiori animæ parte flueret in « inferiorem, verum etiam de industria defigens « cogitationem in mortem, et dirissima quæque « quæ impenderent supplicia, quo tristitiam in se « excitaret. » Voluit igitur semetipsum hoc privare solatio, quod habere potuisset, ut illud abundantius communicaretur martyribus, cunctisque aliis, qui in progressu sæculorum pro ejus essent amore passuri.

[1] II Mac., III, 16, 17.— [2] Heb., IX, 11.— [3] *Ps.* XXI, 7. — [4] Euthym., *ib.* — [5] *Ps.* CIII, 5.— [6] Apoc., XVII, 15.— [7] Euthym., *ib.* — [8] II Reg., XXIII, 8.

[1] S. Amb., *ib.* — [2] Sim. de Cassia, *ib.*— [3] Dio. Cart. *in Matth.* — [4] Luc. Brug., *in Matt.*

**8.** —*Cœpit pavere etc.* scilicet ex motivo compassionis; nam ut S. Augustinus ait [1]: « Non conditio- « nis necessitate, sed miserationis voluntate tris- « titiam suscepit, ut transfiguraret in se corpus « suum, quod est Ecclesia, cui caput esse dignatus « est. » Ad consolationem igitur membrorum, caput pati voluit, ut per suam compassionem nostras alleviaret afflictiones. Porro observandum est, quod compassio dolor quidam sit, pro alienis miseriis et ærumnis a nobis assumptus, et a simpatia, quam compatiens cum persona afflicta habet, derivatus; exigitque plenam quamdam et vehementem cognitionem, et apprehesionem mali alieni, ingentemque supponit amorem. Hujusmodi erat compassio Apostoli, dicentis [2]: *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* Consequens est igitur, quod Christi erga nos compassio, supertranscendens fuerit, siquidem in ipsa omnes prædictæ concurrerunt circumstantiæ. Scilicet simpatia, propter naturam nostram assumptam. Cognitio omnium perfectissima, quæ dari possit. Ac demum amor et charitas ardentissima. Porro quantum nobis Christus compassus fuerit, facile deduci potest ex sequentibus S. Pauli verbis [3]: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia.* Hugo Cardinalis in illa verba: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, ea hunc sensum habere dicit [4]: « Dolore compassionis, quo mundo com- « patior, tristis est anima mea usque ad mortem, « id est quousque pro ipso sustineam mortem. » S. Laurentius Justinianus ait [5]: « De tuo habuit, non de « suo. Pavorem habuit propter te. Horrendæ mortis « tædium pertulit propter te. Potius miserationem « mirare quam pœnam; magis charitatem, quam « formidinem lauda. »

## DISCURSUS XI.

### DE DOLORIBUS, ET PASSIONE, QUÆ REDEMPTORIS ANIMUM INTERIUS AFFLIXIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Nulla creatura comprehendere potest numerum et magnitudinem dolorum Christi. Quid S. Cath. Sen. circa illos dolores revelatum fuerit. Causæ interioris doloris Christi. — 2. Peccata nostra fuerunt instrumenta passionis Christi. Christus ab initio nativitatis suæ portavit crucem. — 3. Imo, a primo instanti conceptionis suæ, pœnosissima Christi crux fuit continuus aspectus nostrorum peccatorum. — 4. Eadem materia. — 5. Infinita tormenta æternæ damnationis quibus peccata puniuntur, summopere affligebant Christum. — 6. Detestabilis ingratitudo Hebræorum Christum valde cruciavit. — 7. Applicatur ad hoc intentum historia venditi Josephi. — 8. Omnes dolores nostri per dolores Christi patientis dulcificati sunt.

*Repleta est malis anima mea.* Ps. LXXXVII, 4.

**1.** —Dolores Passionis Christi in tanto numero, adeoque acerbi fuerunt, ut nulla creatura, sive humana, sive angelica, illos unquam comprehendere possit; unde Filius Dei Æternum Patrem suum his verbis affabatur [1]: *Tu scis improperium meum et confusionem meam.* — *Tu scis*, inquit, quasi diceret: nullus alius hoc novit. Certissimus creaturæ, sive angelicæ, oculus, ad passionum externarum atrium duntaxrt pertingit: ad sanctuarium autem, sive *ad sancta sanctorum* dolorum interiorum, nullus unquam oculus penetravit, de quibus per os Psalmistæ lamentabatur, dicens [2]: *Repleta est malis* (id est, ut Glossa interpretatur, *doloribus*) *anima mea.* S. Thomas his Psalmistæ verbis utitur ad ostendendam pœnarum interiorum acerbitatem. At enim [3]: *Non fuisset anima ejus malis repleta, si non secundum totam animam passus esset.* Idipsum D. Seraphicus confirmat, dicens [4]: *Christus passus est in omni corporis parte.* Ecce tibi atrium templi. At vero sancta sanctorum subdit, inquiens: *Et in omni potentia animæ, et in superiori portione rationis.* Hanc igitur ob causam Laurentius Justinianus ait [5]: « Om- « nem humani ingenii excedit altitudinem, doloris et « amoris ipsius latitudo. In illo complebatur, quod « in Threnis ore prophetico dicitur: *Foris interfecit* « *gladius, et domi mors similis est.* In corpore qui- « dem passionis sæviebat gladius, et in mentis ha- « bitaculo mœroris torrens maxime inundabatur. » In vita S. Catharinæ Senensis legitur, quod de doloribus interioribus crucifixi Sponsi sui disserens, retulerit, quod postquam quædam Ancilla Dei (hoc nomine semetipsam in epistola quadam ad magnum quemdam Prælatum scripta describit) sponsum suum interrogasset, quænam pœna in ipso major fuisset, corporisne, an vero desiderii? hic ei respondit: Inter pœnam sensuum, vel corporis, et pœnam mentis nulla fieri potest comparatio. Idem Justinianus modum quo anima doloris capax esse possit, in hæc verba exponit [6]: « Tota passionis omnis « vis, corporis cruciatus in animæ virtute pendebat. « Quicquid caro patitur, anima mediante, eadem- « que sentiente patitur. Tolle a corpore animam et « ad quæque tormenta insensibile redditur. Incide « ipsum, adure, percute, dilania, et dolet nihil, « neque proclamat. Unde hoc? nisi quia abest illa « quæ prius vetegebat, dolebat, regebat, atque in- « telligebat? » Enim vero tametsi humanitas a Verbo assumpta, sibique et naturæ divinæ indivisibiliter et hypostatice unita fuerit, Christus tamen modum invenire novit, quo humanitas pati et affigi posset, haud secus, ac si hæc unio minime intercessisset; unde idem S. Laurentius ait [7]: « Uno

[1] S. AUG., *in Ps.* LXXXVII. — [2] II COR., XI, 29. — [3] HEB., V, 15. — [4] HUG. CARD., *in Matt.* — [5] S. LAUR. JUSTIN., *de Triumph. Chr. agon.*

[1] *Ps.* LXXVIII, 20. — [2] *Ib.*, 4. — [3] S. THO., 3 p. q. 46. — [4] S. BON., *Breviloq.* — [5] S. LAUR., c. 19. — [6] ID., *ib.* — [7] ID., *ib.*

« tempore et Dei fruebatur visione (quia anima « ipsius ab instanti creationis beata fuit) et intole- « rabili passione gemebat. ».

**2.** — P. Bollandus revelationem quamdam refert, B. Angelæ de Fulginio factam, cujus virginis hæc sunt propria verba [1]: « Fuit mihi denunciatus dolor « ille acutus, qui dolor fuit tantus, quod cor non « sufficit ad cogitandum, nec lingua ad dicendum. » Christus, in Psalmo LXVIII, in quo, ut supra diximus, passio ejus manifeste prædicitur, se in alto mari a tempestatibus conquassatum fuisse conqueritur, inquiens [2]: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.* At vero ad exprimendos dolores interiores, sequentia verba præmiserat : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi.* Quæ verba S. Bernardus ut in discursibus præcedentibus diximus, de crucifixione exponit. S. Thomas autem, postquam hanc statuisset conclusionem [3] : « Dolores quos Christus passus est, « omnes excesserunt dolores, quos homines pati « possunt in hac vita », paulo post dolorum interiorum causam declaraturus, ita scribit : « Doloris « interioris causæ fuerunt. *Primo* quidem omnia « peccata humani generis, pro quibus satisfaciebat « patiendo ; unde ea quasi sibi adscribit, dicens in « *Ps.* : *Verba delictorum meorum. Secundo* speciali- « ter casus Judæorum, et aliorum in ejus morte « delinquentium, et præcipue discipulorum, qui « scandalum passi sunt in Christi passione. *Tertio* « etiam amisso vitæ corporalis, quæ naturaliter est « horribilis humanæ naturæ. » In tractatu I, discursu XIV, probavimus fusius, instrumenta mortis et passionis Christi non fuisse flagella, spinas, clavos, aut crucis patibulum, sed sola peccata nostra. Quis autem nescit, hæc a primo Incarnationis ipsius instanti ejus transfixisse animam? nam ut Doctor Seraphicus ait [4]: « Volve et revolve vitam boni Jesu, « et non invenies eum nisi in cruce, ex quo enim « carnem assumpsit, semper in pœna fuit. » In vita S. Catharinæ Senensis legitur, Christum eidem dixisse : Numquid recordaris, quod quando tibi nativitatem meam manifestavi, tu me videris in specie parvuli infantis recens nati, crucem ad collum gestantis ? Considera igitur, quod quando Verbum Æternum carnem in utero Mariæ assumpsit, tunc crux inceperit desiderii, atque hæc crux mihi longe major pœna fuit quam ulla aliarum, quas unquam in corpore meo passus fui. At vero quando me vidi vicinum complemento desiderii hujus, id est, quando flagella et reliqua tormenta conspexi, mihi videbar ad Pascha me pervenisse ; et ideo discipulis meis in cœna dixi [5] : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Subdit vero historia eodem in loco aliam quamdam animæ patientis Redemptoris anxietatem et dolorem. Eadem namque sanctissima virgo Petro Cardinali Hostiensi, illius temporis sacri Collegii Decano, scribens, ut illo majus excitaret salutis animarum desiderium, eidem aliquam quamdam explicavit desiderii Christi crucem, non minus ponderosam, exinde præcipue nascentem, quia scilicet videbat pretiosissimi sanguinis sui effusi abundantiam in multis tam exiguum habituram esse profectum. Porro ratio cur vix etiamnum natum se huic prædictæ sanctæ virgini, crucem in humeris portantem exhibuerit, diu ante a semetipso his verbis expressa [1]: *In laboribus a juventute mea ;* ubi versiones diversimode vari a t, siquidem Chaldæus legit : *Expirans a juventute mea ;* alii : *moriens, moribundus, agonizans, pene mortuus a puero.* Auctor Operis Imperfecti refert, tres Reges Orientales, qui Christum recens natum a fasciis adoraturi, properarunt in Bethlehem, in prodigiosa illa stella parvulum quemdam cruce in humeris onustum infantem non sine stupore vidisse. In cujus probationem observanda est prophetia Isaiæ dicentis [2] : *Parvulus natus est nobis, cujus imperium super humerum ejus.* Adeoque crux ipsius quoque associavit infantiam, dicente S. Bernardo [3]: « Crucem quam imperii nomine significavit, « nativitati statim adjunxit, quia profecto a nati- « vitatis exordio passio Christi simul exorta est. »

**3.** — Imo diu ante diem natalis sui, scilicet in primo incarnati ois suæ, in utero virginali factæ, instanti, dedit passionis suæ exordium. S. Paulus illum introducit Æternum Patrem suum in hæc verba alloquentem [4]: *Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi ; tunc dixi : Ecce venio ;* quasi diceret, inquit Doctor Angelicus [5]: « Quando « corpus aptasti mihi in conceptione, tunc dixi : « Ecce venio ad passionem. » Alii, loco verbi *aptasti* legunt *perforasti,* quasi jam ab hora conceptionis suæ, a spinis transfixus, et a clavis manus et pedes perforati fuissent [6]: *Quoniam ergo in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.* Confirmatur idipsum per protestatiouem sequentem, coram eodem Patre suo Æterno factam scilicet [7] : *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam.* Quis enim hic liber erat, de quo loquebatur? S. Matthæus inquit : *Liber generationis Jesu Christi, etc.* In primo autem hujus libri folio, id est, in Incarnationis suæ instanti, executio voluntatis Patris impressa erat, hæc scilicet, ut pro salute humani generis pateretur et moreretur. Observandum quoque est, quod ipsemet Christus amarissimum mortis suæ calicem, cui post modicum labia sua in horto Gethsemani admotus erat, hoc titulo inscripserit [8] : *Non mea, sed tua voluntas fiat ;* quæ verba alludunt ad illa : *Ut faciam voluntatem tuam,* id est, ut S. Thomas exponit [9], « offerendo me ipsum

[1] BOLL. — [2] *Ps.* LXVIII, 1. — [3] S. THOM., *ib.* — [4] S. BON., ser. 3 *de Pass.* — [5] LUC., XXII, 15.

[1] *Ps.* LXXXVII, 16. — [2] ISA., IX, 6. — [3] S. BER., s. 37 *de Vita.* — [4] HEB., X, 5. — [5] S. THO., *ib.* — [6] *Ps.* XXXVI, 18. — [7] HEB., X, 7. — [8] LUC., XXII, 42. — [9] S. THO., *ib.*

« ad redemptionem humani generis » Theophylactus similiter ait [1] : « Voluntas Dei Patris est, quod Filius pro mundo immoletur. » Enim vero in quibusdam hominibus vidimus per experientiam, quod per solam mortis imminentis apprehensionem, intra unius duntaxat noctis spatium, totaliter in capite et barba incanuerint ; alii vero præ nimia doloris vehementia mortem obierint, prout variæ testantur historiæ. Imaginemini igitur nunc vobis, quales intra triginta trium annorum vitæ Redemptoris spatium, interiores ejus dolores fuerint, qui assidue cum dicat [2]: *Et dolor meus in conspectu meo semper*, apprehendebat, imo præsentia sibi habebat omnia pœnarum suarum instrumenta, tam corporalia quam spiritualia. Etenim, ut supra probavimus, peccata nostra fuerunt carnifices illi qui Dei Filium dilacerarunt : hæc enim veluti totidem vultures cor ejus incessanter transadigebant. Unde contemplativus quidam pœnosissimam Christi crucem fuisse dicit, continuum omnium peccatorum nostrorum aspectum, quæ veluti crudelissimi carnifices illum cruciarunt. En verba ipsius : « Peccatorum totius « mundi omnium et singulorum clara cognitio, et « repræsentatio, nec non de iis universalis contritio, « ob honorem Patris tam graviter offensum. Hæc « enim offensa Patris magis eum afflixit, quam tor« menta externa. » Enim vero ab illo momento quo conceptus fuit, usque dum in cruce expirans *tradidit Spiritum*, omnia peccata ab Adam usque ad finem sæculorum commissa, omnia, inquam, generatim, et singula in particulari, sibi semper præsentia habuit, quia illa sibi tanquam propria vendicavit, ut rigorosam pro illis divinæ justitiæ satisfactionem penderet. Atque ideo quemadmodum ex una parte Deum tantopere amabat, videbatque injurias et offensas, erga bonitatem et majestatem illam infinitam commissas ; ex altera vero parte viscerosissime diligebat animas, et cognoscebat, peccata in illarum vergere perniciem et ruinam ; ad mitigandum iram Dei, simulque ad offerendum in satisfactionem debitorum nostrorum inæstimabile meritorum suorum pretium, sese continuo affligere non desinebat Nam ut B. Angelæ de Fulginio revelatum fuit [3]. « Vita sua non fuit nisi amarissima pœ« nitentia, cum qua fuit associatus continue in vita « præsenti, ita ut ab hora, in qua anima Christi « fuit creata, et infusa in suo sanctissimo corpore, « in utero Virginis, usque ad illam horam ultimam, « in qua sanctissima anima recessit ab illo sanctis« simo corpore, per accerbissimam crucis mortem, « nunquam stetit sine illa societate. » S. Laurentius Justinianus ait [4]:« Quemadmodum omnes cognitione « antecessit, ita etiam et mœrore. Apposita est illi « scientia, appositus est et dolor. Secundum boni« tatis, sapientiæ, charitatis, majestatisque Dei no« titiam doloris cremebatur incendio. Affligebatur « itaque pro offensa Dei, pro abjectione sui, non « propter se, sed pro contemptu gratiæ, pro fu« tura sui corporis mystici persecutione, et pro « plebis Hebræorum reprobatione. Afficiebatur in « singulis, afficiebatur pro omnibus. Hoc voluit « Propheta sentire, cum diceret : *Omnes nos quasi « oves erravimue, unusquisque in viam suam de« clinavit, et Dominus posuit in eo iniquitates « omnium nostrum.* Modo igitur quodam indici« bili in omnibus electis suis omnia perferebat pœ« narum genera. » Taulerus theodidactus similiter hoc punctum tetigit, scilicet, quod peccata generis humani Christum ab illa hora interius continuo crucifixerint, in qua adimpletum fuit verbum illud Redemptoris [1]: *Verbum Dei cecidit inter spinas* ; quia descendit et habitavit in terra, de qua ipsemet homini prædixerat [2]: *Spinas et tribulos germinabit tibi.* En verba Tauleri [3]: « Ea præcipue passionis Christi « ratio erat, quod apertissime intelligeret, quanta « injuria, quisve contemptus præstantissimæ divi« nitati suæ per humani generis peccata inferendus « esset. Quanta vero hæc Christi cognitio omnium « simul et cœlestium, et terrestrium notione su« blimior, atque subtilior erat, tanto et mœror « atque augustia illius gravior, atque cumulatior « fuit. »

**4.** — Auctor quidam multa pietate et doctrina conspicuus, de hac materia sequentibus verbis discurrit : « Dolor quo Dominus noster de peccatis « nostris doluit, longe major fuit, et intensione, et « æstimatione, quam ullus dolor, qui in hominem « cadere possit. Sed dispensatorie factum est, ne « vis ejus in corpus se proferret, nisi quando et « quantum Domino videbatur. Habebat enim ple« nissimum omnium affectum, appetitus inferioris, « et commotionis spirituum, et sanguinis domi« nium. Fuit hic dolor continuus, ab initio con« ceptionnis usque ad finem vitæ, sicut et appre« hensio peccatorum ; quamvis non semper æque « in appetitum inferiorem, et corpus permissus sit « redundare. In horto laxatæ habenæ per sudorem « sanguineum, et reliquo Passionis tempore ; nimi« rum ut pars inferior non solum extrinsecus fla« gellis, spinis, cruce, sed etiam intrinsecus tristi« tia spontanea affligeretur. »

**5.** — Cognoscebat insuper aperte infinitum æternæ damnationis tormentum, quod generi humano, ab ipso æterno ardentissime amato, imminebat ; hancque perditionem, effectum sciebat esse peccati, quod utpote gravissima contra Deum commissa injuria, ipsum extreme affligebat. Eodemque tempore de peccatis in semetipso sumebat vindictam, atrocissimis habenas laxando doloribus : *Dolor meus in conspectu meo semper* : *Intraverunt*

[1] THEOPH., *ib.* — [2] *Ps.* XXXVII, 18. — [3] BOLLAND., *ib.* — [4] S. LAUR., *ib.*

[1] MARC., IV, 7. — [2] GEN., III, 18. — [3] TAULER., *de Vit. et Pass. Christi.*

*quæ usque ad animam meam.* Enimvero vehementia tristitiæ et anxietatis animi, communiter ab apprehensione malorum extremorum nobis imminentium procedit; hæc autem in summo gradu constituta erant, quia Christus illa sibi assumpserat ad exsolvendum debitum innumerabilium peccatorum generis humani, quorum singula ne quidem per quandampœnarum infernalium æternitatem expiari poterant. Præterea præsentes sibi habebat omnes cruciatus, contumelias, cunctaque alia excessiva tormenta, quibus innocentissima ejus humanitas erat discrucianda. Qua de re B. Angela de Fulginio sequentem habuit revelationem, quam hisce verbis enarrat [1]: « Anima mea intelligebat multipli-« cem causam, et rationem, quare dolor ille fuit « acutissimus. Anima enim illa erat sine omni pec-« cato, et sanctissima, et pro se nullam habebat re-« cipere punitionem : solum recipiebat eam pro « nostro amore, et nobis ingratis, et inimicis, et in-« dignissimis, qui etiam dum nos redimebat per « passionem, ipsum deridebamus, et subsannaba-« mus. Item quia peccatum crucifigentium fuit « maximum, ideo anima illa, quæ omne peccatum « odiebat, et sibi displicebat, multum doluit de eo, « plus quam de alio peccato. Item quia gentes « erant multæ, quæ istud peccatum fecerunt, Gen-« tiles enim, et Judæi, et fere omnis orbis contra « eum in die festo fuerunt convenientes, quantum « ad nationes; ideo dolor grandis. »

**6.** — Simon de Cassia super illa verba Judæorum [2]; *Si non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum. Invenimus subvertentem gentem nostram etc.* ita scribit : « Nimis pateris bone Jesu, cui virtus in « vitium ab improbis vertitur; et dura est cujus-« piam hominis passio, cum innocentia pro cri-« mine computatur : magis enim ex his quam ex cor-« poreis flagris mens ipsa configitur, et plus quam « flagella corpus, animam ista diverberant. » Porro quam vehementer detestabilis illa populi Hebræi ingratitudo Christum cruciarit, ex sequenti lamento facile deducitur, in quo Christus per os Davidis ait [3]: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, et si is qui oderat me, etc.* Etenim canes quantumcunque indigne habeantur, contra suos tamen dominos nunquam ferociunt, sed verbera tolerant imo percussiones blandimentis suis recompensare satagunt. Quis autem populus inter omnes alios majoribus a Deo affectus fuit beneficiis, populo Judaico? Siquidem [4] *pertransiit benefaciendo et sanando omnes. Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. Non fecit taliter omni nationi?* Et tamen cum in terram descenderit, ut hunc populum præ cæteris, quasi primo omnium loco, redimeret [5]: *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel,* quantis contradictionibus, ignominiis, calumniis, tormentis et pœnis vituperosissimam ei mortem intulerunt?

**7.** — Quando Joseph, qui postea Salvator Ægypti appellatus fuit, a patre ad fratres requirendos missus est [1] : *Fratres meos quæro,* nunquam sibi persuadere potuisset, illos tandem in traditores et iuimicos suos fore transmutandos. Merito igitur Salvatori totius mundi excessivam conciliavit afflictionem, quod oves illæ, pro quarum salute e sinu Patris descenderat, ad eum dilacerandum degenerare essent in lupos. Qua de re per os Jeremiæ lamentatur, inquiens [2] : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylva, dedit contra me vocem.* Lucas Brugensis considerans, qualiter Hebræi adversus Christum in patibulo crucis suspensum, suas laxaverint serpentinas linguas, inquit [3] : « Patie-« batur corpore tormenta acerbissima et nihilomi-« nus animus pungebatur, affligebatur, exagitaba-« tur conviciis asperrimis atque indignissimis, « quibus Satan procul dubio eum vulnerare « conabatur. »

**8.** — P. Cornelius a Lapide verba illa Isaiæ considerans : *Vere languores nostros ipse tulit,* ex auctoritate theologorum, aliorumque sacrorum interpretum, hanc amplectitur opinionem, scilicet [4] : « Nostros morbos et languores (cum sint pœnæ « peccati originalis, et sæpe ob peccata actualia « cuique a Deo infligantur) aliquid addidisse dolo-« ris et cruciatus Christo patienti, ipsumque, ut « eos curaret et tolleret, peculiares aliquas partes, « vel pœnarum aliquod augmentum subiisse, et to-« lerasse. Omnes ergo dolores quos tolerarunt, vel « tolerant electi, transierunt per illam sacram hu-« manitatem, indeque facti sunt nobis dulces et « amabiles, ut aiebat quædam sancta virgo morbo « afflicta. » Idem quoque scriptor ex D. Chrysologo ser. CL, sequentia citat verba [5] : « Christus ve-« nit suscipere infirmitates nostras et suas nobis « conferre virtutes, ferre tædia, referre sanitates; « quia medicus qui non fert infirmitates, curare « nescit, et qui non fuerit cum infirmo infirmatus, « infirmo non potest conferre sanitatem. » Verum enim vero omnibus hactenus dictis insuper addendum est, Redemptorem nostrum omnia pati voluisse, absque eo quod vel minimam consolationem internam admitteret; hoc enim indicat, dicens [6] : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Porro martyres in crudelissimorum suppliciorum suorum carnificina gaudebant et exultabant, quia interius in ipsorum cordibus cœlestium consolationum abundabat suavitas; non vero sic Christo nostro accidit, qui proinde conqueritur, dicens [7] : *Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.* Quasi dicere

[1] BOLLAND. — [2] SIM. DE CASSIA. — [3] *Ps.* XLV, 13. — [4] *Act.*, X, 38. — *Psal.* LXXV, 2. — *Psal.* CXLVII, 20. — [5] MATT., XV, 20.

[1] GEN., XXXVII, 16. — [2] JER., XII, 18. — [3] LUC. BRUG., *in Matt.* — [4] CORN. A LAP., *in Isa.* — [5] CHRYS., S. 150. — [6] MATT., XXVI, 46. — [7] *Ps.* LXXV, 5.

vellet; tametsi inter omnes mortuos solus sim liber ab omni culpa, attamen in morte mea et tormentis meis omni destituor adjutorio et subsidii solatio.

## DISCURSUS XII.

### DE PROSTRATIONE CORPORIS ET FACIEI SALVATORIS SUPER NUDAM TERRAM.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus genuflexus et prostratus oravit in horto. — 2. Christus in hac prostratione instar mancipii se composuit ad excipienda verbera. — 3. Christus pondere peccatorum nostrorum pressus, procidit in terram. Omnia peccata nostra translata fuerunt super humeros Christi. Qua de causa peccata nostra Christo fuerint gravissima. Simile Agasonis cum peccatore. — 4. Christus peccatis nostris oneratus præ confusione erubuit faciem suam levare in cœlum. — 5. Christus procidit in terram, hominem sibi reconciliare et maledictionem Adæ terminare volens. — 6. Procidit in terram super faciem suam ut terrenos liberaret et pristinam imaginem repararet. — 7. Procedit Christus in faciem suam super terram ut tolleret ex ea idololatriam.

*Et progressus pusillum, procidit in faciem suam.* Matth., XXVI, 39.

**1.** — Sanctus Apostolus Redemptorem nostrum in sua passione delineaturus, ita ad Philippenses scribit [1] : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.* Et vero quicquid illis verbis a S. Apostolo dicitur, in Christo Domino plene adimpletur, siquidem genua sua flectendo, pronoque corpore et facie in terram se prosternendo, cultum meruit adorationis, ut scilicet in honorem sacratissimi nominis ejus omnia flectantur genua, cœlestium, terrestrium et infernorum. Porro S. Marcus ait [2] : *Cum processisset paululum, procidit super terram.* S. Lucas vero subjungit [3] : *Positis genibus orabat,* id est, ut S. Bernardinus declarat [4] : « Genuflexit capite « inclinato et vultu in terram defixo. » Lucas Brugensis verborum illorum litteralem sensum explicans, inquit [5] : « Credibile est, Dominum primum « flexisse humi genua erecto corpore, tandem de- « ficientibus præ teneritudine tristitiaque corporis « viribus et orationis fervore crescente, etiam cor- « pus in terram dejecisse. » Salmeron pariter, quo modo hæc genuflexio intelligenda sit, his verbis exponit [6] : « Nec pugnat, quod oraverit positis ge- « nibus, ut Lucas ait, quia primo cœpit genibus « flexis, deinde prostratus, quod majoris est humi- « litatis, quæ potissima pars est bonæ deprecatio- « nis et semper obtinere solet, secundum illud : « *Humilium semper ibi placuit deprecatio;* indi- « cans se per mortem prosternendum et tanquam « vermem calcandum. » Simon de Cassia notat, quod licet Christus Deus ille fuerit, « quem ado- « rant Dominationes, tremunt Potestates; » nihilominus adeo profunde se humiliaverit; ita enim scribit [1] : « Solerti verbo alius Evangelista dixit : « *Positis genibus.* Effectus et signa in omnibus ca- « piuntur ex hoc, quod qualis est in virtutum « actionibus anima, tale in correspondentibus acti- « bus statuit corpus. Anima per omnia humilis, in « oratione, motu, gestu et in omnibus moribus « corpus deprimit et inclinat. » Lucas Brugensis in Matthæum ita scribit [2] : « Pronus in terra, tum pro « reverentia Paternæ Majestatis, tum præ angustia « animi proprii; ostendit enim hic habitus, gestus- « que orantis partim humilitatem mentis, ut ait « S. Hieronymus, partim animi desolationem. » Beda similiter hanc Christi super faciem suam pronitatem humilitati adscribit, inquiens [3] : « Ruit « in faciem, ut humilitatem mentis habitu carnis « ostendat. » Hugo Cardinalis Filium Dei, hac prostratione in terram, exemplum nobis tradere voluisse dicit, modi illius, quo coram Deo in oratione præsentari debeamus [4] : « Docet orationem in hu- « militate esse faciendam, quia ut dicitur *Eccli.*, « XXXV : *Oratio humiliantis se nubes penetrat.* »

**2.** — *Procidit in faciem.* Olim mancipiorum consuetudo erat, quod quando domini eos verberibus onerare volebant, caput super genua ponerent, ut hac ratione dorsum verberibus excipiendis commodius et manifestius exhiberetur. S. Paulus de Christo ait [5] : *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus;* ac proinde cum Isaias in persona Æterni Patris prædixerit [6] : *Propter scelus populi mei percussi eum,* Filius ejus ad instar humillimi mancipii dicere voluisse videtur [7] : *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Simon de Cassia ait [8] : « Genuflexit capite inclinato et vultu in « terram defixo; nam qualis erat consistentia mem- « tis, in eamdem transformabat et corpus. Sub- « jecta enim erat per omnia Christi anima volun- « tati paternæ. » In illum igitur corporis situm, velut servus et mancipium quoddam, se composuit, ut se promptum declararet ad suscipiendas omnes imminentis passionis percussiones.

**3.** — *Procidit.* In terram corpus suum corruere permisit, veluti ab immenso omnium peccatorum generis humani pondere pressus. Tametsi enim de hoc divino Atlante sacer textus testimonium perhibeat, quod scilicet [9] *appendit tribus digitis molem terræ et librat in pondere montes;* attamen ponderosissimo culparum nostrarum reatu onustus *procidit.* Certum est enim, quod omnia scelera per

[1] PHIL., II, 8. — [2] MARC., XIV, 23. — [3] LUC., XXVII, 4. — [4] S. BERN. — [5] LUC. BRU., *in Luc.* — [6] SALMER.

[1] SIM. DE CAS. — [2] LUC. BRU., *in Matt.* — [3] BED., *ib.* — [4] HUG. CAR., *ib.* — [5] PHIL., II, 7. — [6] ISA., LIII, 8. — [7] *Ps.* VII, 18. — [8] SIM. DE CASS. — [9] ISA., XL, 10.

quinque millium et amplius annorum spatium commissa, cunctæque aliæ iniquitates ad finem usque mundi committendæ, expiari nequaquam potuerint, nisi in virtute sanguinis illius, quem communis Redemptor paulo post effusurus erat [1] ; *Quia sine sanguinis effusione non fit remissio.* In cujus confirmationem observandum est, quod quando propheta Nathan, Deo jubente, Davidi, peccatum ejus sibi dimissum esse asseruit, non dixerit : *Dominus delevit peccatum tuum*, sed [2] : *Dominus transtulit peccatum tuum.* At vero quonam peccatum illius transtulit? Num forte in alios homines? Nequaquam, quia [3] *anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem Patris.* Scitisne quonam hæc translatio facta fuerit? Non alio, præterquam super humeros Filii Dei, quibus tempore Passionis ipsius imponendæ erant omnes iniquitates nostræ, ut illarum debitum penes divinam justitiam condigne dilueret. Unde Christus per os Davidis ait [6] : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Et quidem, ne ab exemplo Davidis (ex cujus progenie Messias humanitatem suam assumpserat et cui divina secreta sua revelaverat [4] : *Occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, procul abeamus, observandum est, quod cum idem David in descriptione populi sui Dei præceptum prævaricatus esset, Deum ut sibi placaretur, obsecrans, dixerit [5] : *Peccavi valde ; sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui.* Etenim divina misericordia nullum peccatum condonavit, nec condonabit unquam, nisi prius humeris Filii Dei fuerit impositum, juxta illud [6] : *Posuit in eo iniquitates omnium nostrum.* Ipse enim est, de quo dicitur [7] : *Agnus occisus ab origine mundi.* Isaias, qui per antonomasiam Propheta Evangelicus appellatur, ita scribit [8]: *Quasi absconditus vultus ejus et despectus* (siquidem *procidit in faciem suam*) *vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit.* S. Petrus similiter ad omnes fideles ita scribit [9] : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis.* Ezechias pariter in cantico suo hanc veritatem his verbis expressit [10] : *Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Ubi Vulgata nostra in Psalmis legit [11] : *Supra dorsum meum*, etc. Pagninus vertit : *Pervenire fecit ad eum pœnam omnium nostrum.* Hebræus textus significantius dicit : *Deus irruere fecit in eum iniquitates omnium.* Quis autem sive homo, sive Angelus infinitam exsecrandorum scelerum nostrorum, ab universo genere humano commissorum, multitudinem et gravitatem comprehendere poterit, qua sacrosancti Agni immaculati humeri fuere onerati? Porro verbum *irruere* significanter exprimit impetum, quem peccata nostra, veluti totidem ferocissimæ feræ, Filio Dei intulerunt, ut eum in terram prosternerent et devorarent. Porro pondus unius duntaxat peccati adeo est grave et immensum, ut ne quidem omnes cœli simul, quamvis ex ære fusi esse videantur, ad sustinendam unius duntaxat superbiæ Angelorum gravitatem suffecerint; ideoque superbus et arrogans Lucifer cum omnibus sequacibus suis in profundissimum terræ centrum corruerit. Etenim si ex una bilancis parte mundus quidam integer, ex alia vero unicum peccatum mortale constituatur, certum est, quod hoc in conspectu Dei præponderabit. Unicus Angelus universam hanc et amplissimam mundi machinam, haud secus, ac si levis quædam festuca esset, volvit et revolvit : et tamen unicum solum peccatum, ad milliones millionum Angelorum in abyssum irreparabiliter præcipitandos sufficit. Verum enim vero infinitum hoc peccati pondus humeris Redemptoris impositum, non solum considerandum est, verum insuper ponderandum, quod gravitas peccati ex eo plurimum augeatur, quia scilicet est extra proprium centrum repositum. Dicunt philosophi quod elementa in propria sphæra non gravitant, bene tamen si extra propriam sphæram et centrum collocentur. Sic enim aer intra terram reclusus, eamdem cœlum versus exagitat, ita etiam ut vasti montes susque deque vertantur. Si aquam extra situm suum naturalem collocaveris, eamdem supra modum ponderosam esse comperies. E contra vero si in mari natitans, mille et amplius aquarum plaustra dorso tuo incumbentia habueris, nil inde premeris, sed summa cum agilitate instar piscis in eis natitabis. Idipsum quoque præsenti proposito applicare licet. Peccatum enim in hac natura nostra depravata est velut in centro suo et ideo pondus illius non sentitur, quin potius de multis illud Sapientis verificatur [1] : *Lætantur cum male fecerint.* Christus autem qui ait [2]: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* hanc infinitam et intolerabilem peccati gravitatem magnopere sensit, ac melius quam David dicere potuit [3]: *Iniquitates vestræ supergressæ sunt caput meum et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Porro immenso huic oneri aliud quoque super accessit pondus, scilicet ardentissimus ejus amor, quo nostram operabatur salutem; de quo excessivo pondere S. Paulus ait [4] : *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos Deus.* Nec non et amor ille, quo erga Æternum Patrem suum afficiebatur, quem ab infinitis peccatis nostris sciebat esse offensum; unde ardentiori zelo flagrabat, ut per ineffabiles pœnas suas infinitum hoc debitum perfectissime exsolveret. Nec sine ratione hunc amorem pondus appellavi, hoc enim didici a S. Augustino, dicente : *Amor meus, pondus*

[1] Heb., ix, 22. — [2] II Reg., xii, 13. — [3] Ezech., xviii, 4, 20. — [4] *Ps.* cxxviii, 3. — [5] *Ib.*, l. 8. — [6] II Reg., xxiv, 10. — [7] Isa., liii, 6. — [8] *Ib.*, 4. — [9] I Pet., ii, 24. — [10] Isa., xxxviii, 17. — [11] *Ps.* cxxviii, 3.

[1] Prov., ii, 14. — [2] Jo., viii, 46. — [3] *Ps.* xxxvii, 5. — [4] Eph., ii, 4.

*meum.* Considerandum quoque est, ideo peccatores peccati gravitatem non sentire, quia illud committendo, fere semper aliqua fruuntur delectatione : Christus autem pondus peccati tanto magis sensit, quantus erat infinitus horror, et nausea, qua illud, et tanquam suam, et tanquam Æterni Patris sui offensam, exhorrescebat. Præterea quemadmodum agasones, ut asinus, vel mulus onus aliquod tanto facilius portare possint, ex utroque muli latere æquipondium aliquod reponunt, ut æquabiliter portetur; ita quoque peccator, ut tanto minus intolerabile peccati pondus sentiat, æquipondium sibi facit ex misericordia et sanguine, a Salvatore nostro effuso, ad debitum nostrum solvendum, iramque Patris placandam et hoc pretium in Sacramento pœnitentiæ depositavit; hanc autem alleviationem Christus non habuit, ac proinde Æterno Patri suo dicebat [1] : *In me transierunt iræ tuæ et terrores tui conturbaverunt me.* Ac proinde Evangelista dicebat [2] : *Cœpit pavere, tædere et mœstus esse.*

**4.** — *Procidit in faciem suam.* Enim vero Salvator noster se omnibus mundi peccatis onustum videns, adeo confundebatur, ut ne faciem suam quidem ad cœlum levare præsumeret, dicente Salmerone [3] : « Erubescebat levare faciem ad Deum, « cum peccata totius mundi sustineret, ut publica- « nus apud Lucam, et Esdras sanctus ille, qui dice- « bat : *Deus meus, confundor, et erubesco levare « faciem meam ad te.* » Qui idem Salmeron in margine citat Taulerum *in vita Christi*, c. 7, et dicit : « Ut quidam egregius passionis Christi medi- « tator tradit, legimus illud, et experientia proba- « tum est, si quem Deus permitteret videre peccata « sua, sicut ipse videt, præ dolore mox rumpen- « dum esse cor illius, aut eum sensibus destituen- « dum, ubi aspiceret quanta injuria, contemptu, « vilipensione affecerit creatorem et redempto- « rem, Deum ac Dominum suum, et quam turpiter, « quam indigne deformaverit animam suam. » Christus autem omnia peccata in se assumpserat ac si sua fuissent, cum illa gravitate et deformitate, quam in creatura rationali habent; quid mirum igitur, si contristatus fuerit, si agonizaverit, si contremuerit, si sudorem sanguineum emiserit, faciemque suam præ nimia verecundia super terram prosternendo absconderit? Quod si publicanus ille, in angulo templi, in agnitione proprii nihili velut concentratus, oculos ad cœlum levare non audebat, sed [4] *percutiens pectus suum dicebat : Deus propitius esto mihi peccatori;* facile conjicere licet, quanto rubore vultus Christi tinctus fuerit, quando in conspectu totius curiæ cœlestis (siquidem verisimile est, quod una cum S. Michaele, alii spiritus Angelici in horto coram Christo apparuerint) se onustum vidit omnium scelerum nostrorum deformitate, maxime cum ille in Scriptura appelletur [1], *Candor lucis æternæ et speculum sine macula.* Utique tunc dicere poterat [2] : *Tota die verecundia mea contra me est et confusio faciei meæ cooperuit me;* scilicet, ut Salmerón ait [3] : « Præ fœditate peccatorum nos- « trorum, pro quibus suo sanguine et cruce expur- « gandis precabatur. » Quisnam, obsecro, fuit situs S. Mariæ Magdalenæ, de qua S. Lucas ait : *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*? Nimirum ad pedes Christi advolvebatur, non tamen ante ejus faciem se statuendo, sed retro : *Stans retro secus pedes ejus.* « Quia reus animus, » ut inquit D. Chrysologus [4], « post tergum stat ad veniam, quia per « culpam novit se vultus perdidisse fiduciam. » Ob eamdem igitur rationem Filium Dei super faciem suam cecidisse, eamque abscondisse asserere possumus, sciens, se ob tot peccata quæ assumpserat, indignum prorsus esse, qui coram cœli facie compareret, donec condignam pro illis exsolvisset satisfactionem. Seraphicus Doctor de S. Maria Magdalena inquit : « In pœnitente anima debet esse « pudor, timor et dolor. » Ac proinde Redemptori nostro pro peccatis nostris pœnitentiam agenti non defuit in primis *pudor,* seu erubescentia, quia *procidit in faciem suam.* Non *timor,* quia *cœpit pavere.* Nec *dolor, quia cœpit mœstus esse.*

**5.** — *Procidit in faciem suam.* Simon de Cassia pie meditatur, Salvatorem nostrum in hac prostratione faciei suæ super terram, amplexari et osculari voluisse hominem, utpote quem in prima sui origine de terra plasmaverat; eumque ex diuturno e cœlo exilio revocare voluisse [5] : « Procidit super « terram, super humanam terram inclinatur, quæ- « rebat illam imponere super cœlum, ad quod « possidendum creata erat. » Idipsum quoque, S. Bernardinus, qui post hunc auctorem vixit, scriptum reliquit. Qui idem sanctus insuper addit, Christum in faciem suam procidisse super terram [6] : « Ut ma- « ledictio Adæ terminaretur, de qua (*Gen.*, III), dic- « tum est : *Pulvis es et in pulverem reverteris;* nam « Christus natus de terra Adæ, procidit super ter- « ram. » Etenim Redemptor noster in hanc terram descenderat, ut damna ob culpam primorum parentum ab humano genere perpessa resarciret. Ideoque cum olim hanc terræ maledictionem inflixerit [7] : *Maledicta terra, spinas et tribulos germinabit tibi*; super terram procidit, illiusque spinas et tribulos sibi ipsi libenter imponens, eamdem ab antiqua maledictione liberare contendit [8]. « Procidit « super terram, » inquit Simon de Cassia, « ut ma- « ledictio terminaretur Adæ, qua dictum est : « *Terra es, et in terram ibis.* Benedixisti, Domine, « terram tuam, avertisti captivitatem Jacob, remi- « sisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia pec-

[1] *Ps.* LXXXVI. 17. — [2] MARC., XIV, 33. — [3] SALM., *ib.* — [4] LUC., XVIII,

[1] *Sap.*, VII, 16. — [2] *Ps.* XLIII, 16. — [3] SALMER., *ib.* — [4] CHRYSOL., S. 93. — [5] SIM. DE CASS. — [6] S. BERNARDIN. — [7] GEN., 17. — [8] SIM. DE CASS.

« cata eorum, mitigasti omnem iram tuam, aver-
« tisti ab ira indignationis tuæ. »

**6.** — *Procidit in faciem suam.* « Alius Evange-
« lista dicit : *Procidit super terram,* » inquit Simon de Cassia [1], « terrenos enim, non cœlestes venerat
« liberare. Procidit super terram, quia de terra
« terram humanitatis assumpserat, quam de terra
« ipse cœlestis venerat erepturus. » Creaverat olim hominem de terra, eique imaginem et similitudinem suam impresserat [2] : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Quia vero [3] *homo, cum in honore esset, non intellexit, sed comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis,* adeoque impressam sibi imaginem per peccatum deformavit : visum sibi est operæ pretium futurum, si per satisfactionem peccati et redemptionem hominis, vultus sui similitudinem terræ velut concavo cuidam sigillo denuo reimprimere, sicque primitivam hominis imaginem reformaret : « Pro imagine quam in primo condiderat homine,» inquit S. Ambrosius [4], « quam viderat diaboli arte
« fucatam, venit in similitudinem carnis peccati, ut
« hominem per Passionem ad pristinam revocaret
« imaginem. »

**7.** — *Procidit in faciem suam.* Refert Valerius Maximus [5] quod cum falsi cujusdam Numinis simulacrum interrogatum respondisset, quod quisquis primus matrem suam oscularetur, is talis regnaturus esset : Junius Brutus sine mora in terram procidens, eam osculatus fuit, utpote quam communem omnium matrem esse censebat. Filius Dei creator omnium terram condiderat, quæ tamen se per rebellionem contra Deum erexit, superstitiosum dæmonibus exhibendo cultum, et ideo idem Dei Filius ad divinum cultum suum eamdem reinducere volens, *procidit super terram,* quasi simul dicens : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras,* etc. Unde et contemplativus quidam pie meditatur : « Christus in terram procidens eam hisce
« verbis inclamare voluisse videtur : Terra, terra,
« terra, audi verbum Domini. Quid illud ? Terra ne
« operias sanguinem meum, nec habeat in te lo-
« cum latendi clamor meus. Vult ut sanguis de
« terra emittat vocem, non similem voci sanguinis
« Abel, qui clamabat vindictam, sed vocem reso-
« nantem per universum orbem. »

## DISCURSUS XIII.

DE ORATIONE, QUAM CHRISTUS IN HORTO INSTITUIT, DEQUE ILLIUS MYSTERIIS ET CONDITIONIBUS DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Oratio Christi in horto efficacissima fuit. — 2. Expenduntur causæ, ob quas Christus in horto oraverit, sicut et aliæ orationis hujus circumstantiæ. — 3. Fuit devota. — 4. Fuit solitaria. — 5. Fuit humilis. — 6. Fuit discreta. — 7. Fuit perseverans. — 8. Quare hæc perfecta Christi oratio non fuerit exaudita. — 9. In tentationibus ad præsidium orationis quam maxime recurrendum est.

*Orabat, dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum a me.* Luc., XXII, 42.

**1.** — Ex quo omnis actio nostra est instructio, nulla utique oratio, ut Simon de Cassia observat, excepta illa, quam Christus in cruce ad Patrem effudit, efficacior est ista, quam in horto Gethsemani ad Patrem direxit, quando *orabat, dicens : Pater si vis, transfer calicem istum a me.* En verba prædicti Simonis [1] : « Præter illam validam et cla-
« mosam orationem, quam Christus in cruce com-
« plevit, nullam ipsius et alicujus alterius efficacio-
« rem et intensiorem orationem legimus, quam
« hortalem. » Annales Ecclesiastici referunt [1], petram illam, in qua orando genua sua flexit, Christi genibus hanc secus ac si mollis cera fuisset, cedendo genuum intra se vestigia recepisse. In hoc eodem loco alias in oratione pernoctare consueverat, dicente S. Luca [3] : *Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.* Ac proinde S. Joannes qui Christum ad eumdem locum comitari solebat, inquit [4] : *Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.* At vero quærat forsitan nonnemo curiosus, cur petra illa tunc præcise, non vero aliis temporibus, quibus idem Christus in eodem loco ferventer orabat, excavata et emollita fuerit? Ad quod responderi posset, quod *gutta cavet lapidem, non bis, sed sæpe cadendo.* Posset quoque dici, hanc petram illam emolliendi virtutem, non solum habuisse lacrymas, sub illa oratione a Christo effusas, verum etiam et longe magis stillantes sanguinis sui pretiosissimi guttas, super petram illam decurrentes, quia de corpore Salvatoris orantis *guttæ sanguinis decurrebant in terram.* Unde et *petræ scissæ sunt* in ejus morte, ut sacer textus ait. Cur igitur non pariter petra, lacrymas et sanguinem patientis creatoris sui excipiens, emolliri debuisset? Denique dici potest, quod quia, ut paulo ante diximus, *nullam orationem efficaciorem et intensiorem hac legimus,* mirum non sit, quod eadem orationis vehementia et efficacia etiam ad emolliendam silicis duritiem suffecerit.

**2.** — *Orabat.* Variæ circa hanc orationem instituendæ sunt ponderationes. Examinanda enim est causa ob quam oravit, tempus item, locus et modus; sanctitas quoque orantis et meritum, nec non firma fiducia, quæ orationem hanc associavit. Porro quod primum attinet occasio hujus orationis fuit,

[1] SIM. DE CASS. — [2] GEN., I, 26. — [3] *Ps.* LXXXIV, 13. — [4] S. AMB., *in Symb.* — [5] VALER. MAX.

[1] SIMON DE CASSIA.— [2] BARON., an. 34, n. 66.— [3] LUC., VI, 21. — [4] JOAN., XVIII, 2.

quia se in tot angustiis positum vidit : *Foris pugnæ, intus timores* erant. Inferiorem animæ suæ portionem in quoddam afflictionum, dolorum, nauseæ, tædii, tristitiæ, acerbissimorumque tormentorum, quæ amor Dei, pro homine atrociori, quo poterat fieri modo, patiendi et moriendi avidus, et sitibundus invenire poterat, pelagus immerserat. *Foris* erant *timores,* quia traditor cum lictoribus appropinquabat, ut in eum evibraret, quæ maligna et invida, sanguinisque sui sitibunda Synagoga intra triginta tres annos acuerat, fulmina. Negotium pro quo orabat adeo erat arduum et magni ponderis, ut post quinquies mille et amplius annos nec in cœlo, nec in terra simile tractatum fuerit; siquidem pro redemptione generis humanis orabat. Daturus post triginta annos prædicationi suæ exordium, per quadraginta dies in desertum quoddam se subduxit. Electurus Apostolos, *erat pernoctans in oratione.* At vero neutra harum duarum orationum proportionem aliquam habet cum oratione facta in horto, siquidem ibidem agebatur de negotio adeo arduo, ut S. Patres illud *negotium omnium sæculorum* appellare non dubitarint. Porro locus in quo oravit fuit mons Oliveti et hortus quidam huic contiguus, isque, ut in discursu tertio hujus tractatus diximus, multis ex capitibus turgens mysteriis. Tempus orationis aptissimum fuit ad mentem in silentio nocturno ad Deum elevandam [1] : *In noctibus extollite manus vestras in Sancta et benedicite Dominum.* Modus porro, quo oravit, admirabilis fuit, prout in discursu præcedenti vidimus. Meritum quoque, dignitas et sanctitas personæ orantis, nunquam sibi habuit, aut habere poterit parem. Si enim verum est, quod S. Joannes ait, scilicet [2]: *Quod si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, ut quicquid petierimus, accipiemus ab eo*; quis unquam de sui exauditione majorem habere poterat confidentiam et securitatem, quam Christus, de quo Spiritus veritatis testatur, quod [3] *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus?* Non sine magno sacramento Evangelistæ hanc orationem cum omnibus suis circumstantiis punctualissime descripserunt, utpote quæ, ut probabimus, multas habet conditiones, quas Magistri spirituales ad orationem requirere solent. Etenim Incarnata Sapientia in hanc orationem omnes inseruit divinæ facundiæ rhetoricos colores, ut tanto facilius audiretur et exaudiretur. Etenim hæc oratio fuit devota, solitaria, humilis, discreta et perseverans, prouti per sequentes numeros probabimus.

**3.** — Fuit igitur in primis *devota,* quia ut tenerioris in se devotionis excitarat affectus, inquit : *Pater mi, Abba pater.* « Blandientis enim vox, » inquit Lucas Brugensis [4], « pium declarat invocantis affectum et hinc benevolentiam, hinc fiduciam « concilians. » Ante hunc vero Simon de Cassia dixerat [1] : « Pater mi et omnium, sed mi plus, « quam omnium. Allocutio pia, allocutio humilis, « allocutio amabilis, inflexivam possidens omnino « virtutem. Hanc allocutionem omnibus orare vo- « lentibus prædocuerat dicens : *Cum oratis, dicite : « Pater noster.* Sed ipse singulari filiatione atque « amore dixit : *Pater mi* et non *noster.* » Potest quoque hujus orationis devotio deduci ex situ orantis, quia corpore et vultu in terram prostratus orabat. Moyses erectus stans orationem fecit, quando suorum contra Amalecitas implorabat victoriam. Elisæus ambulando orabat, quando puerum mortuum revocaturus erat in vitam. Elias caput suum inter genua ponens impetravit pluviam. David super pavimentum extensus oravit [2] : *Adhæsit pavimento anima mea.* In hac autem oratione, Redemptor noster omnes in se prædictorum orantium situs expressit. Siquidem in pedes erectus orabat, quia sæpius a terra surrexit, etiamnum orans. Oravit ambulans, quando suos visitavit Apostolos dormientes. Capite inter genua posito oravit, quia *procidit in faciem suam.* In terram extensus oravit, quia *procidit super terram.*

**4.** — Fuit pariter hæc oratio *solitaria,* Ludolpho Carthusiano, qui hanc circumstantiam in hac oratione primo loco notavit, dicente [3] : « Solitaria erat. « Est enim oratio elevatio mentis in Deum. Melius « fit quando homo est sequestratus ab aliis. » Porro locus, in quo ferventem hanc orationem fecit, prouti ex Adricomio colligitur, concavus, id est, in rupe quadam excavata et concentrata, extra civitatem Jerosolymitanam, in situ solitario et ab omni perturbatione sequestrato, positus erat. Hoc quoque fine, scilicet ut oratio sua solitaria esset, e Cœnaculo Syonitico discedens et in solitudinem egressus, aliquot Apostolos a se procul removerat [4] : *Avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis,* id quod notans Simon de Cassia, ait [5] : « Dimittit verus « orator discipulos octo. Dimittit et tres, et totum « ad seipsum se colligit. » S. Paulus, de Redemptore patiente scribens, ait [6] : *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Sicut igitur summus Sacerdos solus, ad faciendam orationem, Sancta Sanctorum ingrediebatur, ita Christus sequestratis a se Apostolis, solus oravit.

**5.** — Fuit etiam hæc oratio *humilis,* quia *humiliavit semetipsum.* In cujus humiliationis signum extendit se super terram, prout notat Ludolphus

[1] *Ps.* CXXXIII, 2. — [2] JOAN., III, 21. — [3] I PET., II, 22. — [4] LUC. BRUG., *in Matt.*

[1] SIM. DE CASS. — [2] *Ps.* CXVIII, 25. — [3] LUDOL. CART. — [4] LUC., XXI, 41. — [5] SIM. DE CASS. — [6] HEB., IX, 11.

Carthusianus inquiens [1] : « Fuit humilis, quia in « faciem suam procidit. » Poterat quidem Christus Æterno Patri suo personæ suæ repræsentare dignitatem et infinita merita, utpote cujus unicus dumtaxat actus voluntatis, una stilla sanguinis, unica lacrymula, unicum denique suspirium, ad obtinendum quicquid volebat et ad mille mundos redimendos sufficiebat, et tamen instar vilis cujusdam vermiculi, qui per terram repens ab unoquoque pedibus conculcatur, Æterno Patri se præsentavit, quasi diceret [2] : *Ego autem vermis sum, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis ; omnes videntes me deriserunt me.* Hæc enim omnia paulo post in illo adimplenda erant.

**6.** — Fuit præterea *discreta,* quia in postulatione sua in Æterni Patris sui se resignavit beneplacitum et voluntatem, inquiens : *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Circa quæ verba Simon de Cassia ait [3]: « Hæc enim omnis orationis est conclu- « sio verior, ut nihil velimus, nihilque petamus, « nisi quod dare velle credimus bonorum omnium « largitorem. Improba est petitio, quæ datoris « supergreditur voluntatem, digna autem exaudi- « tione cognoscitur, si submittitur voluntati. Quia « nescimus, quid velit impendere dives in omnibus « divina Majestas, omnis nostra petitio in sua est « voluntate claudenda. Hæc est omnis perfecti « hominis tota et indubitata perfectio, voluntatem « habere in omnibus deiformem. » Ideo in oratione Dominica, quam Incarnata Sapientia ipsamet composuit, inter alias præcipuas petitiones hæc quoque tradita fuit : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* S. Leo ponderans verba illa : *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat,* inquit [4] : « Hæc vox capitis salus est totius corporis. Hæc vox « omnes fideles instruxit, omnes confessores ac- « cendit, omnes martyres corouavit. Nam quis « mundi odia, quis tentationum turbines, quis pos- « set persecutorum superare terrores, nisi Christus « in omnibus et pro omnibus patiens Patri diceret : « Fiat voluntas tua? Discant igitur hanc vocem « omnes Ecclesiæ filii, magno pretio redempti, « gratis justificati. »

**7.** — Fuit denique oratio hæc *perseverans.* Nam ut S. Lucas scribit [5] : *Factus in agonia prolixius orabat.* S. Marcus ait [6] : *Et iterum abiens oravit eumdem sermonem.* S. Matthæus dicit [7] : *Oravit tertio eumdem sermonem.* Porro circa hanc triplicem orationem, variæ sunt sacrorum interpretum sententiæ. Rabanus ait [8] : « Tribus vicibus Dominus oravit, ut « nobis demonstraret, omni tempore instandum, et « clementiam divinam semper esse deprecandam, « quatenus de præteritis peccatis veniam et a præ- « sentibus malis tutelam, atque de futuris periculis « cautelam tribuat. » Subdit et aliud hujus triplicatæ orationis mysterium, dicens : « Sciamus, om- « nem nostræ orationis formam ad Patrem, et « Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum omni- « potentem esse dirigendam. » S. Paschasius similiter idem exponit mysterium, dicens [1] : « Patet « sensus, quod non sine magni mysterii causa sub « hoc numero Dominus oraverit, qui aut conti- « nuare preces suas poterat, aut semel impetrare, « sed tertio orat, ut nos doceat. Nos autem pro « tribus oramus, ut de præteritis et præsentibus « eripiat malis, nec non et de futuris, et non nisi « ad SS. Trinitatem, qui Deus est unus, recte ora- « mus, quia sic tertio ad nos revertimur, qui in « carne et anima ac spiritu vivimus et sumus. » S. Thomas in confirmationem hujus observat, Ecclesiam hanc introduxisse consuetudinem, ut in fine omnium orationum trium divinarum perscnarum subnectatur invocatio, sicut etiam in fine uniuscujusque Psalmi. S. Anselmus alias hujus triplicatæ orationis tangit rationes [2] : « Prima est, « quia delicate nutritus fuit, utpote Filius virginis « et de stirpe regis natus : quia nobiles magis do- « lent, quam ignobiles. Secunda, quia tanta angus- « tia eum invasit, quod guttas sanguineas sudavit « de toto corpore, quia Deus fuit et omnia quæ « pati debuit, præscivit, videlicet conspuitiones, « blasphemias, flagellationem, crucifixionem. Ter- « tia quia præscivit, quod Judæi non deberent ei « misereri. » Et vero prima vice orationem suam per spatium integræ horæ produxit, prouti ex sequentibus Christi verbis deducitur [3] : *Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* Unde Lyranus sequens elicit documentum [4] : « Quod scilicet in « majori necessitate magis debet homo orationi « instare. » Neque abs re erit hoc loco aliud adducere documentum, quod Salmeron super illa S. Marci verba : *Oravit eumdem sermonem,* in hæc verba tradit [5] : « Nec fastidire debes lectionem « ejusdem psalterii qualibet hebdomada, vel ejus- « dem orationis repetitionem, ut facit Ecclesia in « Litaniis et in quibusdam responsoriis. » Idipsum quoque Hugo Cardinalis notaverat, dicens [6] : « Per « hoc quod tertio oravit eumdem sermonem, os- « tendit, non esse nugatoriam, vel fastidiosam « repetitionem ejusdem orationis coram Domino, « quia nihil sonat dulcius in aure Domini. »

**8.** — Verum enim vero si ita est, quod hæc Christi oratio omnes suas partes in gradu perfecto habuerit, quamobrem igitur exaudita non fuit? Hanc eamdem objectionem Dionysius Carthusianus prævenit, dicens [6] : « Objici potest, quod in Psalmo « in persona Christi dicitur : *Deus meus clamabo « per diem, et non exaudies, et nocte, et non ad*

[1] Ludolp., *ib.* — [2] *Ps.* xxi, 7. — [3] Sim. de Cassia. — [4] S. Leo, s. 7 *de Pass.* — [5] Luc., xxii, 43. — [6] Marc., xiv, 49, — [7] Matt., xxvi, 45. — [8] Raban., *in Matt.*

[1] S. Pasch., *in Matt.* — [2] S. Ans., *Dial. de Pass.* — [3] Matt., xxvi, 40. — [4] Lyran., *ib.* — [5] Hugo Card., *in Matt.* — [6] Dio Cart., *ib.*

« *insipientiam mihi.* Ad quod respondendum, quod « hoc intelligendum sit de petitione Christi secun- « dum quid, scilicet de oratione ejus, quæ impro- « prie appellatur oratio et ex sensitivo appetitu ori- « ginem sumpsit. » Potest quoque dici, quod inter alias pœnas peccato debitas una sit, quod scilicet indignum reddat peccatorem, qui exaudiatur, juxta illud Psalmi [1] : *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* In hac autem oratione Filius Dei æterno Patri suo repræsentabatur in similitudine peccatoris, omnium peccatorum nostrorum pondere pressi; quid igitur mirum, si exauditus non fuerit? Cæterum veritas est, quod tametsi exauditus non fuerit quoad sonum exteriorum verborum quæ protulit, ei tamen concessum fuerit, quicquid ardenter desiderabat, scilicet paternæ voluntatis adimpletionem, in qua omnem orationum suarum efficaciam reposuit, utpote qui dixit [2] : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Nec est quod dicas, ipsum non fuisse exauditum, eo quod non evenerit quod postulabat, quia postulatio vocalis a naturali et sensitiva, non vero rationali procedebat voluntate. Id quod sequenti declaratur exemplo. Quando enim vehemens in mari exsurgit tempestas, per quam navis in manifestum redigitur submersionis periculum, nautæ, ad salvandam vitam suam, merces quidem in mare projiciunt, sed renitente voluntate. Christus quidem generis humani volebat redemptionem, ad illam vero consummandam mors ejus desiderabatur, quam volebat efficaciter, quamvis ex alia parte ipsius, utpote humanitate nostra induti, voluntas naturalis recalcitraret, eique se opponeret. Quia tamen in judicii sui trutina pluris valebat et æstimabatur salus universalis, hæc timori mortis prævaluit, quem nostra in ipso fragilitas exhibebat. Quando igitur æterno Patri suo dixit : *Non mea, sed tua voluntas fiat,* verbum, *mea,* voluntatis naturalis et sensitivæ indicativum erat, quæ naturæ nostræ adhærescebat. Dionysius Carthusianus verba illa : *Non mea, sed tua voluntas fiat,* hunc sensum habere dicit [3] : « Id est, non impleatur, quod secundum sen- « sitivam affectionem desidero, sed quod tu vis; « unde de voluntate inferiori et sensitiva hoc dicit, « secundum quam abhorruit mortem. » Idem Carthusianus super Matthæum in hæc verba scripserat [4] : « Voluntas animæ Christi non fuit divinæ « voluntati contraria, imo nec voluntas ejus natu- « ralis, seu appetitus inferior fuit rationi rebellis, « sive repugnans. Quamvis enim desideravit non « pati, hoc tamen non fuit contra rationem, sed « ratio imperavit hoc appetitui inferiori naturali, « ut secundum suam naturam moveretur; quod et « fecit, et ratione jubente facere mox cessavit. » Rabanus ad idem propositum ita scribit [1] : « Appro- « pinquans passioni Salvator, infirmantium in se « vocem assumpsit, dicens : Pater, si vis, transfer « calicem istum a me; eorumque timorem, ut « abstraheret, suscepit, et rursum, per obedientiam « fortitudinem mentis ostendens, ait : *Verumtamen « non mea voluntas, sed tua fiat;* ut cum hoc im- « minet, quod fieri nolumus, sic per infirmitatem « petamus, ut non fiat, quatenus per formitudinem « parati simus, ut voluntas conditoris nostri etiam « contra nostram voluntatem fiat. Quid erat illa « vox, nisi sonus infirmitatis nostræ? » Hanc autem vocem Redemptor non attendebat, sed illam *Fiat voluntas tua.*

**9.** — *Orabat, dicens,* etc. In hac oratione fideles pariter docere voluit, quod quando tentationes et insultus inimici nos quam maxime infestant, nostrum ad hoc præsidium habere debeamus recursum : « Audiamus vocem Dei monentem, » inquit Chrysologus [2] : « *Orate, ne intretis in tentationem.* « In tentationem vadit, qui ad orationem non « vadit. » Theophylactus super Matthæum ita scribit [3] : « Ex hoc discimus, ne nos ipsi in tenta- « tionem injiciamus, sed precemur ut liberemur « ab eis. Et propterea non longa distantia a disci- « pulis progreditur, sed prope tres discipulos ma- « net, ut audientes eum, memores sint, ut et ipsi « in tentationibus precentur similiter. » Forsitan Apostoli Magistrum suum nunquam deseruissent, si simul cum ipso orassent et vigilassent : *Orate, ut non intretis in tentationem.* At vero dices fortasse : ergone inefficax fuit ejus oratio; ut discipulos suos, eorumque fragilitatem conservaret, ne timoris impetu dilaberentur? Respondetur Christi orationem in hoc salutis nostræ negotio nostram quoque cooperationem desiderare; nam *qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.* Ipsi autem licet audissent, Christum dicentem [4] : *Ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum,* licet Magistrum suum vidissent in agonia positum et sanguineo sudore perfusum, nihilominus a somno se vinci permittebant.

## DISCURSUS XIV.

CUR CHRISTUS POST EXHIBITUM DISCIPULIS TAM ARDENS PATIENDI DESIDERIUM, PATREM NIHILOMINUS ROGAVERIT, DICENS : *Transeat a me calix iste.*

IDEA SERMONIS. — 1. An Christus dubitaverit calicem passionis a se transire posse, an non posse. — 2. Humana voluntas in Christo naturaliter horrebat mor-

[1] *Ps.* LXV, 10. — [2] JOAN., VI, 38. — [3] HEBR., X, 7. — [4] DIO. CARTH., *in Luc.* — [5] ID., *in Matt.*

[1] RABAN., *ib.* — [2] CHRYSOL., s. 43. — [3] THEOPHYL., *in Matt.* — [4] LUC., XXII, 31.

tem. Adducitur causa quare Christus se invitum ostendit ad bibendum calicem passionis. — 3. Christus exhorruit ad bibendum calicem passionis ut se verum hominem ostenderet. — 4. Christus secundum appetitum naturalem et sensitivum petiit ut calix transiret. Voluit etiam suo exemplo nos animare ad simile. — 5. Christus per omnia voluit nobis esse similis. — 6. Christus petit ut calix a Judæis ipsi propinatus, transiret, et hoc ex compassione erga illos. — 7. Acceptavit tamen Passionis calicem propter salutem humani generis.

*Pater mi, si possibile, transeat a me calix iste.*
Matth., XXVI, 34.

**1.** — S. Joannes Chrysostomus hanc admirans Christi nauseam, qua sua huic calici labia admovere fastidiebat quantumvis eumdem prius tam ardenter desiderasset, in hunc modum discurrit [1] : « Quid « ait? Ignorat, sitne hoc possibile, an non possi- « bile? Quis hoc dicat? Nam hæc additio, si, dubi- « tantis est. Verum ut dixi, non oportet verbis « adhærere, sed ad sensa converti, et scopum nosse « dicentis et causam et occasionem, omnibusque « collectis, sensum in eis latentem indagare. Inef- « fabilis ergo sapientia Filii, qui Patrem ita novit, « ut Filium novit Pater, qui potuit hoc ignorare? » Idem S. Doctor per multa veteris Testamenti loca, vaticinia, mysteria inevitabilis passionis suæ manifestare contendit, eaque in Filio Dei vere adimplenda fuisse, eidem nequaquam fuisse ignotum dicit; ac proinde in hæc verba interrogat : « Qui « hæc illis dicenda mandavit, ipse ignorat? Non « solum ignorasse reperietur, sed etiam crucem « recusasse, hæc namque verborum istorum est « sententia; si licet, ne subeam crucem. Tametsi « Petrum Apostolorum principem hoc ipsum di- « centem : *Propitius tibi esto, Domine, non erit* « *tibi hoc*, adeo vehementer increpavit, ut diceret : « *Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non* « *sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum*; idque « cum beatum illum paulo ante prædicasset. Verum « adeo videbatur absurdum esse non crucifigi, ut « illum qui a Patre revelationem acceperat, qui « beatus dictus fuerat, cui cœlorum claves traditæ « fuerant, Satanam appellaret et scandalum, ac « tanquam ea quæ Dei sint, minime sapientem « accusaret, propterea quod dixerat : *Propitius tibi* « *esto, non erit tibi hoc, ut crucifigaris.* » Enimvero quisnam in dubium revocare poterit, quin Petrus eximiam habuerit divinitatis scientiam, qui inter omnes alios incarnatæ Sapientiæ discipulos præclaram illam emiserat fidei confessionem : *Tu es Christus Filius Dei vivi*? Idem Chrysostomus in eodem sermone prolixum pergit contexere innumerabilium bonorum catalogum, quæ ex passione Redemptoris resultatura erant, ut eorum consideratione indulceret et mitiget nauseam, qua nauseabundum illum calicem aversabatur; ait enim : « Tanta nobis « beneficia per crucis bona obvenerunt et obve- « niunt, et non vult crucifigi? Si nolebat, quis eum « cogebat? Quis ei vim inferebat? Quod si nolebat, « num difficile fuit, ad hoc venientes prohibere? » S. Ambrosius sanctam quamdam in Christo admiratur impatientiam, non ex eo ortam, quod morti et tormentis occurrendum ei esset, sed quia hæc plus nimium differebantur; simulque hæc enumerat ardentissimæ hunc calicem bibendi voluntatis suæ indicia, inquiens [1] : « Quam constanter « morti se obtulerit, consequentia declarant, quan- « doquidem quærentibus occurrit, turbatos confir- « mavit, trepidos provocavit, proditorem osculi « dignatione suscepit. » Unico duntaxat verbo turbas armatas in terram prostravit, semetipsum illis quis esset, indicavit et sponte propria occurrit; imo Petrum mortem subeundam ei dissuadere volentem his verbis reprehendit : *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Qua igitur ratione Redemptor æterno Patri suo dicere potest : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste?*

**2.** — Dubium hoc D. Chrysostomus his verbis resolvit : « Si homo erat, oportebat eum pati quæ « hominis sunt. Quænam autem ista sunt? Ut ni- « mirum qui crucifigendus erat, formidaret. » Salmeron quamdam affert doctrinam, quæ in hac materia totam explanat difficultatem; ait enim [2] : « Adverte, quod præter divinam in Christo volun- « tatem, erat et voluntas humana, quæ tripliciter « distinguitur, eo quod triplicem actum habeat; in « eo enim quod se rationi conformat dicitur volun- « tas rationis; in eo quod sui conservationem « quærit et procul a se omnem læsionem pellere « nititur, dicitur voluntas naturæ. Est enim natu- « rale cuique rei seipsam conservare et resistere « contrariis. In eo autem quod tristatur ob dolo- « rem capitis, vel membri alicujus læsionem, dici- « tur voluntas sensus. Ut si pro salute corporis « conservanda, alicui sit membrum aliquod abscin- « dendum; appetitus naturæ, cujus officium est « omnia membra conservare, nollet abscissionem, « atque illi repugnaret; appetitus vero sensitivus « propter dolorem maximum in continui divisione « horreret maxime et fugeret talem abscissionem; « tamen voluntas rationis videns non aliter totius « corporis posse salutem constare, eligit membrum « noxium igne et ferro præcidi. Nec hoc est volun- « tati voluntatem repugnare, vel sensum rationi, « quia est motus cujusque facultatis naturalis. « Natura enim et sensus in homine, etiam perfec- « tissimo et deliberato pro Christo mortem oppe- « tere, naturali instinctu horret dolores et mor- « tem. Illa tamen, id est natura et sensus, subjici « debent deliberationi rationis. Quia ergo in Christo

[1] CHRYSOST., 8. 8.

[1] S. AMBR., *in Luc.* — [2] SALMER. *ib.*

« facultates sinebantur agere, quod proprium cu-
« juscumque erat munus, idcirco sicut ratione
« superiori deliberate mortem sitiebat et pro mundi
« redemptione amabat; ita natura Christi et sensus
« delicatissimus in eo naturaliter mortem horre-
« bat. » Unde in hac occasione dici poterat omnino oppositum illius, quod olim Isaac dixit [1] : *Vox quidem vox Jacob est, manus autem Esau;* quia vox potius Esau erat, id est hujus nostri appetitus sensitivi, qui naturæ nostræ ab ipso assumptæ conjunctus erat; manus autem erant Jacob, id est intentio; et voluntas ad hunc calicem bibendum resoluta erat. Causa autem propter quam ad calicem illum bibendum adeo se invitum esse ostendit, a Cajetano quoque his verbis indicatur [2] : « Duo
« simul in hoc opere Jesus effecit : alterum est,
« quod se verum hominem esse, verum animum
« passibilem habere et animum facere in eo suum
« officium contestatus est. Alterum est, quod cru-
« ciatum propassionis adjicere cruciatui passionis
« suæ voluit, ita quod voluit non solum pati exte-
« rius crucem et mortem, sed etiam interius pro-
« venire cruciatum meditationis, tristitiæ et timo-
« ris futuræ passionis, ac mortis, ut omnia nostra
« mala experiretur. » Filius igitur Dei naturam hanc humanam a se assumptam aperte manifestari voluit, ut sciretur, naturam divinam, naturam humanam nequaquam fuisse tutatam, ut tormenta et dolores, quibus in Passione sua erat afficiendus, minus sentiret : « Humanæ naturæ est timere
« mortem, » inquit Theophylactus [3], « eo quod
« præter naturam ingressa est mors et propterea
« illam fugit natura. » At vero prouti Hugo Cardinalis notat [4] : « Naturalis illi horror non potuit
« rationem ab ordine suo exorbitare. Sicut aliquis
« in die jejuniorum ex natura humanæ fragilitatis
« summo mane esurit et appetit et vult comedere ;
« idipsum tamen non vult de ratione, nec aliquo
« pacto id facere. » S. Bernardinus renitentiam hanc resolutæ patiendi voluntati minime conformem fuisse his verbis dicit [5]: « Calicis tamen amotio
« petebatur et dicebatur nolle bibere, quod anxio
« desiderio sitiebat. Ut homo quidem dicebat nolle
« bibere, sed prout ratio superiori obediebat veri-
« tati, prompto animo esuriebat; propterea subdit:
« *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicuttu vis.* »

**3.** — Lucas Brugensis dubium quoddam movet, quod reflexionem meretur; ait enim : « Quare
« Christus Dominus sic contexuit hanc orationem,
« ut prius quidem desiderium voluntatis naturalis,
« posterius demum rationis exprimeret? Quare
« mox suppresso desiderio naturali, rationis desi-
« derium explicuit, Patrique obtulit in odorem
« suavitatis ? » Redemptor noster jam de facto calicem hunc labiis suis admovere et exhaurire decreverat; hocque suo inevitabili decreto supposito, impossibile esse sciebat, quod illum non biberet; quare igitur dixit : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste?* Idem auctor per ea, quæ hactenus diximus, difficultatem resolvit inquiens : « Ut se
« verum hominem declaret, qui passionem non
« absque dolore et acerbitate sit toleraturus, cui
« tamen non placeat passio propter se, aut propter
« acerbitatem suam, tanquam finem præcipuum ;
« hac consideratione deprecatur eam, ut naturæ
« humanæ inimicam, quam considerata Patris vo-
« luntate et obedientiæ virtute expetit, atque am-
« plectitur. » S. Leo Magnus, in serm. v *de Passione*, de hoc puncto tractans, velut ex cathedra Petri in hæc verba pronunciat [1] : « Patri supplicans, ait :
« *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste,*
« *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*
« Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis ;
« illud optavit ex nostro, hoc elegit ex proprio.
« Nec enim æqualis patri filius omnia esse possi-
« bilia Deo nesciebat, aut ad suscipiendam crucem
« sine sua in hunc mundum descenderat voluntate,
« ut hanc diversarum affectionum compugnantiam
« perturbata quodammodo ratione pateretur; sed
« ut suscipientis, susceptæque naturæ esset mani-
« festa distinctio, quod erat hominis; divinam de-
« sideravit potentiam, quod erat Dei, ad causam
« respexit humanam. Superiori igitur voluntati
« voluntas cessit inferior et cito demonstratum est,
« quid possit a trepidante orari, et quid non debea
« a medente concedi. »

**4.** — Etenim vero si Christus exterius cum totali gaudio ad passionem sustinendam se contulisset, quis credere potuisset, eum hac mortali et fragili carne nostra fuisse indutum; siquidem huic adeo est naturale et congenitum, ut jamjam imminentem mortem, illibenter, et cum tremore sustinent? Dionysius hactenus dicta confirmat, dum supra præcitatum Lucæ textum scribens ait [2] : « Non
« appetiit hoc secundum voluntatem suam divinam
« et increatam, quam habet ut Deus, quæ in ipso,
« et in Patre, et in Spiritu Sancto una est numero,
« sicut in tribus personis una est essentia; nec
« appetiit istud secundum suam voluntatem huma-
« nam deliberativam, superiorem et intellectualem-
« quæ proprie atque simpliciter nominatur volun-
« tas, nec secundum rationem; hæc enim voluntas
« et ratio animæ Christi fuerunt divinæ et increatæ
« voluntati semper conformes. Appetiit illud solum
« secundum appetitum naturalem et sensitivum. »
S. Thomas quoque in hac Christi prece naturalem notat humanitatis assumptæ appetitum; ait enim [3] :
« Ideo ut hominem se ostendat, petit transire cali-
« cem a se. » Christus enim omnibus sæculis ad

[1] Gen., xxvi, 27. — [2] Cajet., *in Luc.* — [3] Theophyl., *in Matt.* — [4] Hugo Card., *in Luc.* — [5] S. Bern., t. I, s. 55, a. 1.

[1] S. Leo, s. v *de Pass.* — [2] Dion. Carth., *in Luc.* — [3] S. Thom.

finem usque mundi manifestum esse voluit, se verum esse hominem, passionibus et doloribus subjectum, sicut et nos sumus; simulque nos suo exemplo ad patiendum animare voluit. Porro si dux quidam exercitus pedestris, generoso insidens equo, vel in lectica, aut rheda vectus, milites præcederet; certe exiguum iisdem suggereret animum, ut ipsi per spinas et tribulos, prærupta montium præcipitia conscenderent. At vero si pedes incederet, sudaret, laboraret, simulque cum sudore sanguinem suum effunderet, nullus militum suorum adeo vilis futurus esset, qui non erubesceret, si illum non sequeretur. Eodem modo si Filius Dei, equo naturæ suæ divino insidens, in hujus vigore et virtute aggressus fuisset mortem, et tormenta sustinuisset absque ullo signo timoris, angustiæ, vel renitentiæ; quis spem concipere potuisset, quod illum imitaretur? Utique unusquisque credidisset, quod hoc, scilicet in tot cruciatibus imminentibus nullum prorsus habere sensum, divinæ suæ omnipotentiæ fuisset effectus, utpote cui propria est impassibilitas. At vero dum videmus illum contristari, agonizare, sudare sanguinem et in exhauriendo amarissimo illo calice repugnantiam habere; et tamen ut Patris adimpleat voluntatem, nostramque redemptionem consummet, semetipsum vincere; quis adeo ingratus erit, ut ei non compatiatur, simulque cum ipso ejus imitatione adversa quæque libenter sustineat?

**5.** — S. Paulus ait[1] : *Debuit per omnia fratribus assimilari* : ex qua Apostoli propositione consequens est, ut simul etiam timorem et moriendi nauseam in se assumeret. Rabanus ait[2] : « Suscepit voluntatem meam, suscepit tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, quia crucem prædico. « Mea est voluntas, quam suam dixit, quia ut « homo suscepit tristitiam meam. Ut homo locutus « est et ideo ait : *Non sicut ego volo, sed sicut tu « vis*, mea est tristitia, quam meo suscepi affectu. »

**6.** — Nonnulli sanctorum Patrum super verbum *calix iste* sese reflectentes, notant, Christum ad exhauriendum calicem passionis suæ, quantumvis nauseabundum, promptissimum tamen fuisse; solum detrectasse bibere calicem istum, non medicinam; et ideo dicit : *Calix iste transeat*. Nec illud distat a vero, inquit S. Ambrosio « si tristis erat « pro persecutoribus, quos sciebat immanis sacrilegii pœnas daturos. Et ideo dixit : *Transfer « hunc calicem a me*. Non quia Deus, Dei Filius « mortem timebat, sed quia nec malos pro se perire volebat. Denique ait : *Pater, ne statuas illis « hoc peccatum*, ne exitialis esset populo passio « sua, quæ esset omnibus salutaris. » Eamdem quoque sententiam sustinet S. Paschasius[4], qui ait, Christum deprecari voluisse, ne hic calix ei a synagoga Judæorum propinaretur, ut cui per tot sæcula tot modis benefecerat; prævidebat enim, quod exinde irreparabile super se provocaturi essent supplicium et ruinam; en verba ipsius : « Postulat « non timore patiendi, sed misericordia prioris po« puli, ne ab illis biberet Calicem passionis. Unde « et signanter ait : *Calix iste*, non quod calicem « mortis refugiat, sed istum, qui a Judæis intende« batur, ne per eos, qui nullam excusationem ha« bituri sunt, fieret. »

**7.** — Origenes id ipsum ante omnes alios scriptum reliquerat; subjungit tamen, quod licet ob populi illius desolationem supra modum affligeretur, ex alia tamen parte immensum considerans fructum, qui ex passione sua resultaturus, phrasin mutarit, dicendo : *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; ita enim scribit[1] : « Propter hos « quos in passione sua nolebat perire, dicebat : « *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*. « Propter salutem autem totius humani generis, « quæ per mortem ejus Deo fuerat acquirenda, « dicebat quasi recogitans : *Sed non sicut ego volo, « sed sicut tu*. » S. Hieronymus cujus testimonium D. Angelicus adducit, eamdem sustinet opinionem; ait enim ex ipso S. Thomas[2] : « Volebat igitur, « quod transiret, id est, quod ita redimeret mun« dum, quod non esset delictum Judæorum. » Verba autem S. Hieronymi sunt sequentia : « Unde « et signanter non dixit : transeat a me *calix*, sed « *calix iste*, hoc est populi Judæorum, qui excusa« tionem ignorantiæ habere non potest, si me occi« derit, habens legem et Prophetas, qui me quo« tidie vaticinantur. » Eumdem quoque pietatis sensum subito ut in cruce suspensus fuit, est contestatus; siquidem, ut suo loco dicetur, primum inter septem verba in cruce pronunciata, fuit benigna illa supplicatio, quam pro condonatione et indulgentia ingrati illius populi æterno Patri suo præsentavit dicendo : *Pater dimitte illis*, etc.

[1] Heb., II, 17. — [2] Raban., *in Matt.* — [3] S. Amb., *ib.* — [4] S. Pasch., *ib.*

## DISCURSUS XV.

### VARIA CONSIDERANTUR MYSTERIA CUR PATRI DIXERIT TRANSFER CALICEM ISTUM A ME.

Idea sermonis. — 1. Hæc petitio processit ex nostro appetitu sensitivo. — 2. Christus in hac petitione sua vere fuit exauditus secundum desiderium cordis sui. — 3. Hæc petitio indicat conflictum sensualitatis humanæ, cum parte rationali. — 4. Christus hac petitione impediebat diabolum, ne se opponeret redemptioni nostræ. — 5. Christus hac oratione petiit ut dolores animæ, etiam transirent ad corpus. — 6. Christus ex desiderio patiendi petiit ut calix passionis velociter transiret. Christus non nauseavit calicem bibere, quasi illum detrectaret, sed ut meri

[1] Orig., *in Matt.* — [2] S. Hier. a S. *Thom.* cit.

tum suum augeret. Probatur hæc sententia variis similitudinibus. — 7. Christus petit ut fructus Passionis suæ transeat ad omnes qui pro illo passuri erant. — 8-9. In orando voluntas nostra semper subjici debet voluntati divinæ.

*Transfer calicem hunc a me : sed non quod ego volo sed sicut tu.* Marc XIV, 36.

**1.** — S. Bonaventura in hisce Redemptoris verbis fragilis, et doloribus renitentis humanitatis nostræ voces agnoscit, dicens [1] : « Hunc calicem « Christus bibere volebat voluntate rationis, sed « abhorrebat voluntate sensualitatis ; » adducitque S. Bernardum in sermone de S. Andrea Apostolo dicentem [2]: « Agnosco vocem ægrotorum, in medico « considero charitatem quando sic dignaretur nos- « tras in se suscipere infirmitates. » Cajetanus super Lucam scribens, considerat, Christum probe scivisse, se hunc bibiturum esse calicem, quem ardenter desiderahat, non tamen ipsum fuisse, qui loquebatur, sed naturæ nostræ appetitum sensitivum, qui suis in ipso partibus fungebatur : « Non « Jesu ignorantis eventum » inquit Cajetanus [3], « aut putantis posse aliter evenire, est hæc petitio, « sed agentis inferiorem partem animi, quæ pati « horrebat, cui repræsentabatur passio futura. » Origenes ante omnes alios in hæc verba scripserat [4]: « Non est secundum ejus substantiam divinam, et « impassibilem, sed secundum naturam humanam « ejus et infirmam; » atque ideo paulo ante dixerat [5]: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; caro enim humana debilis est et fragilis, et ideo pati exhorrecit, multo vero magis mori. B. Laurentius Justinianus similiter inquit [6] : « Assumpti hominis verba sunt hæc, non tamen ejus, qui a ratione pollet. « Origines in eodem tractatu dixerat [7]: « Proprium est omnis hominis fidelis primum « quidem nolle pati aliquid doloris, maxime quod « ducit usque ad mortem, quia homo est carnalis; » caro autem fragilis et infirma, recalcitrat, quando doloribus subjicitur.

**2.** — Quando Christus Lazarum ad vitam revocaturus erat, his verbis æternum Patrem suum affabatur [8]: *Sciebam quoniam semper me audis*. At vero dices : si ita est, quod scilicet Pater cœlestis Filium suum semper exaudit, nunc idem non solum lacrymis, sed et sudore sanguineo madidus orationem adeo ferventem trinies repetens, patitur ab æterno Patre repulsam ? Sed respondeo, nequaquam Filium Dei in oratione sua passum fuisse repulsam, quia non erat voluntas ejus rationalis, quæ hanc fundebat orationem, sed potius appetitus sensitivus quo Redemptor superior erat, utpote in quo *Spiritus* erat *promptus*, Hugo Cardinalis ait [1]: « In dicendo, « *Transeat*, monstrat quod humanum est. In dicen- « do : *Veruntamen*, edocuit virtuosum etiam natura « reluctante sequi Deum. » Et super illa verba apud S. Marcum : *Transfer calicem hunc a me*, ita scribit : « In hoc verbo exprimitur infirmitas hu- « manæ naturæ in Christo. Est ista petitio naturæ « infirmæ. Atque ideo immediate subjungit : *Sed « non quod ego volo, sed sicut tu.* » Porro certissimum est, nec ullus negare poterit, quin tunc aliquis vere exaudiatur, quando obtinet, quod secundum cor suum et voluntatem suam rationalem, non vero secundum sonum verborum suorum postulavit. Etenim si quis vitrum aliquod peteret, eique loco vitri pretiosus quidam daretur adamas, talis orans utique censeretur superabundanter auditus et exauditus. Verum quidem est, quod labia Christi, secundum naturæ nostræ suggestionem loquentia, hanc Deo petitionem proposuerint [3] : *Transfer calicem hunc*; verumtamen in corde et anima sua, divinam intendebat adimplere voluntatem utpote quam omnibus sibi imminentibus infinitis tormentis anteponebat. Lucas Brugensis citat S, Augustinum lib. III de *Consen. Evang.*, cap. IV, super illa verba : *Si possibile est*, ita scribentem : « Id est, si tua æquissima voluntas permittit. Non « orat ut dubius, sive de potestate, sive de volun- « tate Patris, sive de eventu, sed exprimit vehe- « mentissimum desiderium appetitus, seu voluntatis « naturalis in se, ita tamen, ut modis omnibus illud « subjiciat placito Patris. »

**3.** — Quod si quæsieris, cur Christus Petro passionem et mortem sibi dissuadenti indignabundus dixerit [4]: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum*, et tamen modo ipsemet supplicet, dicendo [5]: *Transfer calicem hunc a me* ? Respondeo quod quando ei notificata fuit paterna voluntas, quando appetitum sensitivum, cujus hæc vox erat in se represserat, calicem hunc acceptarit, imo avidissime illum biberit, utpote in quo suavissimum gustabat saporem. Adam primus homo, in horto quodam deliciarum, sive in terrestri Paradiso, contra Dei voluntatem pomum gustando, prævaricatus est, hic vero secundus Adam ad resarcienda a primo Adamo causata damna, paternæ voluntati se plenissime subjiciendo, suavem pomi vetiti gustum per libationem amarissimi calicis suæ pœnossimæ Passionis expiavit. B. Laurentius Justinianus ait [6] : « Sensualitati autem renitens ratio, constanter, in- « trepideque subinferebat, dicens : *Verumtamen « non sicut ego volo, sed sicut tu.* O quam mirandum « certamen ! O quanta pugna in mediatore Christo « carnem aspicere repugnantem spiritui, et spiritum

[1] S. Bonav., *in Luc.* — S. Bern., *de S. Andr. Apost.* [3] Cajet., *in Luc.* — [4] Orig., *in Matt.* — [5] Matt., XXVI, 41. — [6] B. Laur., *de triumph. Chr. agon.* — [7] Origen., *ib.* — Joan., XI, 42.

[1] Hug. Card., *in Matt.* — [2] Idem, *in Marc.* — [3] Luc. Brug., *in Matt.* — [4] Joan., XVIII, 11. — [5] Marc., XIV, 136. — [7] B. Laur. Just., *ib.*

« carni ! Tanquam si quispiam recubaret infirmus, « cui pro restauranda valetudine poculum amarissimum porrigeretur a medico, duplici hic desiderio traheretur evitandæ videlicet potionis et consequendæ sanitatis ; suggereret ratio amaritudinis « haustum, quem omnino sensualitas abhorreret. « Porro quamdiu in hoc perduraret agone, anhelo cruciaretur affectu, illa vero superior fieret « pars, cui consensus voluntatis insisteret. Eumdem « in mediatore nostro fuisse conflictum ambigat « nemo. »

**4.** — *Transfer calicem hunc.* Nonnulli hoc speciale a Redemptore inventum stratagema fuisse existimant, ut se astuto serpenti absconderet, ne sese redemptioni nostræ opponeret, aliquam passioni suæ injiciendo remoram seu impedimentum. Unde Theophylactus ait [1] : « Ut ignoret diabolus, et « invadat eum ut purum hominem, quo conficiatur « ipse morte, et sic conteratur. » S. Epiphanius, similiter ait [2] : « Non timuit mortem Christus. Pro« vocat per hunc modum Christus adversarium, ut « illo opinante timere Salvatorem, inducat illi mor« tem. » Ad eum fere modum quo expertus aliquis belli dux fugam fingit et simulat, ut insectantem se inimicum, intra sylvarum densitatem capere possit. S. Athanasius pariter hoc idem Christi artificium his verbis indicat : « In occulto habuit suam « Deitatem ne ille per formidinem vitato congressu « illæsus abiret, sed contra despicatim quasi cum « homine manus conserturus ad pugnam veniret « et inciperet supplantari. Non aliter quam si quis « animadversa in compare, atque æmulo suo formi« dine secum decertandi, imbecillem se fingat, quo « illum pelliciat ad pugnam, et ille dum pro vera « habet illam simulatam imbecillitatem, audacter « in certamen prodeat, mox domandus illius gene« rosi athletæ viribus. Ita quoque Dominus, sed « specie humanæ infirmitatis provocans adversa« rium, hominem quem induerat, suis viribus, ad« versus inimicum corroboravit. Atque ideo suæ « tempore mortis anxius esse, et mœrore cœpit, et « obsecrabat calicem transire ; clamabat, spiritum « quidem promptum esse, carnem autem infirmam, « ut adversarius noster cum eo, quasi cum homine « congressurus, vires ejus divinas experiretur. »

**5.** — *Transfer calicem hunc a me.* Non defuerunt, qui crederent, quod cum calix hic supra modum fuerit amarus, ipse vero jam de facto condignum pro nostra redemptione in doloribus suis solvisset litrum consequenter a divina justitia, tanquam possibile, postularit, ne ultra ad mortem et alia tormenta usque progrederetur, sed huic jam datæ satisfactioni acquiesceret, et cum illa contentus esset. Unde Salmeron ait [4] : « Responderi posset, « ante hanc orationem Christum abundanter di« vinæ justitiæ satisfecisse, et ita possibile erat non « bibere. » Porro S. Bernardus gravitatem calicis hujus in hæc verba expendit [1] : « Animæ tuæ tris« titiam, quam ex imminenti passione tua sponte « assumpsisti, sicut et cætera, quæ passus es, in « auribus fratrum non erubuisti profiteri, dicens » tunc : *Tristis est anima mea,* etc. Positisque quo« que in terram genibus, procidisti in faciem orans « in agonia, et dicens : *Mi Pater, si possibile est,* « *transeat a me calix iste.* Et augustias quidem cordis « tui certissime indicabat sudor ille sanguineus, « qui orationis tempore de carne tua sanctissima « guttatim decurrebat in terram. » Verum enim vero tantum abest, quod Christus hoc modo orando dolorum suorum postularit mitigationem, ut potius a Patre suo instanter petierit, ut cum dolores hactenus ad illud usque tempus solam transfixerint animam, deinceps etiam transmitterentur ad corpus per suam captivitatem, cum tot injuriis, et contumeliis conjunctam, per vincula, catenas, alapas, flagellas, sputa, spinas, clavos fel, cunctas alias acerbissimas pœnas, quæ post hanc orationem fuere subsecutæ. Hactenus dixerat : *Tristis est anima mea,* jam vero hora aderat, in qua etiam corpus suum acerbissimis cruciatibus subjicere parabat, adeoque Christo idem erat dicere : *Transfer calicem hunc* ac si dixisset : *Transeat ab anima ad corpus* ac proinde paulo post præ nimia augustia sanguinem sudare cœpit.

**6** — In vita S. Catharinæ Senensis legitur [2] quod quando Redemptor noster in horto orans, ab æterno Patre suo petiit, dicens : *Transfer calicem hunc a me* non postularit passionis calicem a se auferri, siquidem hunc a primo conceptionis suæ instanti ardenter desideraverat, sed petierit, ut subito in se compleretur, quod tanto tempore expectaverat, velociterque calix ille transiret, quem tot vitæ suæ annis libarat, nec exhauriri poterat, nisi per actuale et integrum sui ipsius sacrificium ; ac proinde Judæ dixit : *Quod facis, fac citius.* Et vero licet desiderii sui calix sibi longe fuerit gravissimus et amarissimus, attamen tanquam obedientissimus filius Patri suo dicebat : *Non mea, sed tua voluntas fiat,* atque ita se Patri paratum offerebat, ad sustinendum et expectandum pariter, quantum sibi placuerit. Cumque F. Raymundus S. Catharinæ confessarius eidem opponeret, quod SS. Patres hæc Christi verba in contrario sensu exponerent, dicendo, Salvatorem ita orasse tanquam verum hominem, qui mortem timebat, ideoque petiisse a Patre, ut calicem passionis totaliter a se auferret, ne homines fragiles et infirmi spe destituti essent, quando sensualitatem suam mortem naturaliter formidare sentirent, sancta virgo eidem respondit : Actiones Christi talem in se continent abundantiam et ple-

[1] THEOPHYL., *in Matt.* — [2] S. EPIPH., *in Anchor.* — [3] S. ATHAN., or. in *Pass. et Cruce.* — [4] SALM., t. X, t. 12.

[1] S. BERN., *de Pass.* — [2] Vit. S. CATH. SEN., l. III, c. 3.

nitudinem, ut si attente considerentur, unusquisque secundum suam considerationem conveniens propriæ saluti in illis inveniat pabulum. Et sicuti fragiles et debiles in eis inveniunt suis in necessitatibus refugium, ita pariter homines perfecti in iisdem reperiunt firmitatem et constantiam, id quod sine prædicta expositione non sequeretur. Rupertus Abbas super illa Christi verba apud S. Joannem [1], *Pater juste, mundus te non cognovit*, circa hanc a Christo in horto factam orationem ita scribit [2] : « In hac ora- « tione declaravit Rex, et Pontifex, et lætabundus « quidem in virtute Domini, tristis tamen, et anxius « infirmitate carnis, quali desiderio duceretur ad « torcular passionis. Et tu, Domine, inquit Psal- « mista [3], *desiderium cordis ejus tribuisti ei, et* « *voluntate labiorum ejus non fraudasti eum : vi-* « *tam* enim *petiit a te, et tribuisti ei.* » At vero quo modo adimpletum fuit hoc oraculum, siquidem paulo post in eadem nocte condemnatus fuit ad mortem? Respondetur, mortem Christi veram fuisse vitam quia per illam morti inferebat mortem ipsomet apud Oseam dicente [4] : *De manu mortis liberabo eos, ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne.* Historiographus quidam de Tiberio scribit, quod apparenter quidem se ab imperio alienum esse simularit, illud tamen *specie recusantis avidissime cupiebat.* Nos porro superius per tres solidos discursus aviditatem et sitim ardentissimam probavimus, quam Christus ab instanti suæ conceptionis, et deinceps per totum vitæ suæ decursum hunc calicem bibendi habuit, ac proinde quod illum in hac oratione nausearit, id non fecit, quasi illum bibere detrectaret, sed nos dignum de ejus amaritudine conceptum nobis formare possemus, utpote in quem omnes conjecerat nauseabundas fæces scelerum nostrorum, iisque debitorum suppliciorum, per hanc infinitam nauseam tanto majus sibi compararet meritum, fæces illas pro nostra salute absorbendo et deglutiendo. In se igitur vehementem quamdam et excessivam excitavit, patiendi et moriendi repugnantiam, ita tamen ut hæc cum infallibili omnia libenter patiendi resolutione conjuncta esset. Sed quo fine idipsum fecit? Pro hujus declaratione sequens serviet exemplum. Qui magnam quamdam fossam sine periculo transilire parat, ut eamdem tanto securius transilire possit, ad plures passus retrocedit, ut tanto majores in se excitando vires, fortiori cum impetu saltum aggrediatur et perficiat. Redemptor noster, ut diximus, amore nostro patiendi flagrabat desiderio. Videns autem hanc patiendi promptitudinem et jubilum, ad minus ejus meritum futurum fuisse, ex industria vehementissimam in se, erga passionem et mortem suam, excitavit repugnantiam, ut mortem cum tanta renitentia excipiens; tanto magis meritoria esset redemptio. De quibusdam piis, mortificationique admodum addictis hominibus legitur, quod quando amaræ et nauseabundæ medicinæ ab iis sumendæ fuerunt, prius illas olfactu probaverint, et tandem illas paulatim libando, et saporem illorum gustando, a quibus jam ante abhorruerant, idque ut per hos virtutis actus tanto magis apud Deum mererentur. Eodem modo de hoc amarissimo calice discurrere licet ; filius enim Dei eumdem pro nostra salute exhaurire volens, prius illius concipere voluit aversionem, ut tanto magis in beneficium redemptionis nostræ mereretur, essetque *copiosa apud eum redemptio* [1]. Idem quoque alia quadam dilucidari potest similitudine. Contingit enim sæpe quod infirmo alicui periculose laboranti amarissima quædam præscribatur medicina, quæ utique secundum regulas artis medicæ pristinæ eum restituet sanitati. Ac proinde infirmus eam acceptat, pretium ejus solvit, eamque ad ultimam usque guttam exhaurire firmiter statuit, et tamen tota nocte in animo suo, ob medicinam sumendam, magnam experitur inquietudinem, nauseam, repugnantiamque majorem, quæ dari possit, licet illam sumere totaliter decreverit, quamdiu illam manibus suis tenet stomachus ejus turbatur, et expavescit, nec tamen ideo eamdem penitus exhaurire omittit, quia scil., quod inde suam sit recuperaturus salutem. Atque ideo dum ex una bilancis parte vitam statuit, ex altera vero medicinæ nauseam, illa apud eum longe præponderat. Eodem modo licet natura nostra in Christo huic calici repugnaret, portio tamen superior animæ ipsius infinitum a passione sua emanaturum fructum ponderans, generosa cum resolutione eumdem agressus est exhaurire, idque libenter et cum maxima ejusdem calicis appretiatione, ipsomet de hoc calice dicente [2] : *Calix meus inebrians quam præclarus est!*

7. — *Transfer calicem hunc a me.* S. Hilarius hisce verbis aliam adhibet expositionem ; considerat enim, quod Salvator dixerit : *Transeat me calix iste*, sed *transeat a me*, quasi dicere voluisset : non solum hic calix passionis bibatur a me, sed a me transeat ad sequaces et discipulos meos. « Totus igi- « tur super his qui passuri erant meus est, » inquit Hilarius [3]; « pro illis namque precabatur, qui post ip- « sum amarohuic poculo labia admoturi erant, quasi « diceret, quomodo a me bibitur, ita et ab his « bibatur sine spei diffidentia, sine sensu doloris, « sine metu mortis. » Atque hinc est, quod ut Annales Ecclesiastici fidem perhibent, innumeri fuerint, qui pro fidei Christianæ confessione vincula, equuleos, catastas, feras, ardentes fornaces cum gaudio subierunt, non timendo, sed gaudendo de morte, ac proinde Redemptor noster subjungit, inquit S. Hilarius : « *Si possibile est*, quia carni, et

[1] JOAN., XVII, 27. — [2] RUP. ABB., l. XII *in Joan.* — *Ps.* XX, 3. — [4] OSE., XIII, 4.

[1] *Ps.* CXXIX, 7. — [2] *Ps.* XXII, 5. — [3] S. HILAR., *in Matth.*

» sanguini eorum gravis terror est, et difficile est « eorum acerbitate corpora humana non vinci. » vero quisnam a Christo charis amicis suis conferri poterat honor sublimior, quam quod illos sui faceret esse calicis participes? Hugo Cardinalis eadem verba in eodem sensu explicat, dicens[1]: « *Transfer calicem* « *istum*, id est timorem passionis temporalis; *a me*, « id est ab omnibus qui futuri sunt mei, ut scilicet « transeat timor mortis, ita quod non cedant timore « mortis. » Quantumvis verum sit, ut notat D. Chrysostomus, Christum a fidelibus suis requirere, ut persecutiones ad mortem tolerent quidem, non tamen velle, ut persecutionibus se ultro objiciant, et contra se excitent. Ideo enim nos ab æterno Patre suo petere docuit: *Et ne nos inducas in tentationem*, et D. Chrysostomus ait[2]: « Istud ipsum reipsa « docet illos, dum ait: Pater, si possibile est, tran- « seat a me calix iste, dum omnes Sanctos docet, « ne periculis sese objiciant, neque se præcipites « agant, sed insultum adversariorum expectent, « omnemque fortitudinem præseferant, non tamen « ut ipsi prosiliant, seque priores malis objiciant. »

**8.** — *Transfer calicem a me.* Ambrosius Catarinus lib. II, c. XXVIII, vitæ S. Catharinæ Senensis huic sanctæ virgini a cœlesti Sponso suo revelatum fuisse scribit, quod quando in horto dixit orando: *Transfer calicem hunc a me*, dicere voluerit, omnes de fructu Passionis meæ participes efficiantur; futuram enim esse prævidebat quod multi obstinati et ingrati parvum ex morte sua fructum habituri essent ac proinde æterno Patri suo supplicavit, ut efficeret, quatenus utilitas sui calicis ad omnes, et singulos se extenderet.

**9.** — *Sed non quod ego volo, sed sicut tu.* Super quæ verba S. Augustinus in Epistola ad Probam ita commentatur[3]: « Si aliquid contra quam oramus, « acciderit, patienter ferendo, et in omnibus gra- « tias agendo, hoc potius oportuisse, quod Dei, non « quod nostra voluntas habuit minime dubitare de- « bemus. Nam et hujusmodi exemplum præbuit « nobis ille mediator, qui cum dixisset: *Pater si* « *fieri potest, transeat a me calix iste* humanam in se « voluntatem ex hominis susceptione transformans « continuo subjecit: *Verum non quod ego volo, sed* « *quod tu vis Pater*: » S. Thomas de hac Christi oratione in Summa sua Theologica disserens, sequentia circa hunc calicem in articulo quodam exponit mysteria, inquiens[4]: « Ejus oratio orando Deo proponit, « quod est in appetitu sensualitatis ipsius. Et secun- « dum hoc Christus oravit, secundum sensualitatem, « in quantum scilicet ratio ejus exprimebat sensua- « litatis affectum, tanquam sensualitatis advocata. « Et hoc, ut nos de tribus instrueret. Primo qui- « dem, ut ostenderet se naturam humanam susce- « pisse cum omnibus naturalibus affectibus. Se- « cundo, ut ostenderet quod homini licet secun- « dum naturalem affectum aliquid velle quod Deus « non vult. Tertio, ut ostendat, quod proprium affec- « tum debet homo divinæ voluntati subjicere. « Unde Augustinus in Enchiridion dicit: Sic Chris- « tus hominem gerens, ostendit privatam quamdam « hominis voluntatem, cum dicit: *Transeat a me* « *calix iste*. Hæc enim erat humana voluntas, « proprium aliquid, et tanquam privatum volens, « sed quia rectum vult esse hominem et ad eum « dirigi, subdit: *Verumtamen non sicut ego volo,* « *sed sicut tu*. Ac si dicat: Videte in me, quia pos- « sum aliquid proprium velle, etsi Deus aliud « velit. » Beda duas in Salvatore nostro distinguit voluntates, humanam scilicet et divinam, ita enim scribit[1]: « Duas in se ostendit voluntates, humanam « videlicet, quæ est carnis, et divinam, quæ est « deitatis. Formidare quippe in Passione, humanæ « est fragilitatis, suscipere autem dispensationem « Passionis, divinæ est voluntatis et virtutis. »

[1] Hug. Card., *in Luc.* — [2] Chrys., t. X, s. 8. — [3] S. Aug., ep. 121 *ad Probam.* — [4] S. Tho., 3, p. 21, art.

## DISCURSUS XVI.

### DE APPARITIONE ANGELI, CHRISTUM IN HORTO CONFORTANTIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Miratur hanc apparitionem Angeli Christum in horto confortantis. — 2. Humilitas Christi extollitur. — 3. Declaratur cur Christus ab Angeli et non ab homine voluerit consolari. — 4. Christus consolationem angelicam propter nos admisit. — 5. Angelus Christum confortavit post orationem ne frustra orasse videretur. — 6. Quo ferventior est oratio, eo uberior erit consolatio. — 7. Declaratio uterius cur Christus admiserit consolationem Angelicam. — 8. Prolixa et pia oratio meretur consolationem Angelicam.

*Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum.* Luc., XXII, 43.

**1.** — Redemptor noster in horto Gethsemani, in quodam tristitiæ, tædii, pavoris, agoniæ et sudoris sanguinei pelago immersus, ideoque æterno Patri suo supplicans, ut præparati sibi calicis amaritudinem a se removeret, nec tamen exauditus, coram se positum vidit angelicum quemdam cœlitus ad se missum legatum, qui eum confortaret; *Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum.* Hic autem angelus, missus ad confortandum eum, qui Filius Dei erat, multis utique offendiculi præbet occasionem; siquidem per hoc dignitati et majestati Christi nimium derogatum fuisse existimant, quasi is, qui Creator et Dominus totius universi erat, opus haberet creatura aliqua, sive ministro, aut servo aliquo, qui eum confortaret. Non defuerunt etiam inter scriptores catholicos, qui de hujus historiæ veritate

[1] Beda *in Matt.*

dubitarent, suspicantes, hanc ab angelo Christo oblatam confortationem, ab hæreticis Arianis singulari dolo et fraude Evangelio S. Lucæ fuisse insertam (siquidem hic solus hujus angeli confortantis mentionem facit) ut tanto efficacius divinitati Christi derogarent. In multis tam græcis, quam latinis codicibus, de hac angeli comparitione, nec non de sudore sanguineo, ne verbum quidem habetur. Verumtamen S. Epiphanius idipsum errorem esse declarat, eis qui hoc asserunt, per ignorantiam potius, quam per malitiam impressum; si quidem quin hæc historia veridica sit, nequaquam revocari possit in dubium. S. Bernardus de hac angeli apparitione non sine stupore in hæc verba discurrit [1] : « Usque adeo prævaluit ea, quæ fortis est ut « mors, dilectio, ut Christum angelus Dei confor- « taverit. Quis? quem : Evangelistam audi? *Appa- « ruit*, inquit, *Angelus confortans eum.* Quem eum? « Plane eum, cui nascituro clausus patuit Virginis « uterus; cujus nutu in vinum aqua mutata est; « cujus tactu lepra fugata ; sub cujus plantis soli- « dum mare stetit ; ad cujus vocem mortui sur- « rexerunt; denique eum, qui portat omnia verbo « virtutis suæ. Per quem facta sunt omnia; per « quem universa subsistunt, etiam et angelus ipse. « Et quid dicam? Quem *eum*? Cujus ne ipse qui- « dem confortator suus capere poterat majestatem. « Rogo te, angele, quem consolaris? An ignorabas, « quis esset, ad quem consolandum veniebas? Certe « consolator est, certe paracletus est. Alioquin non « diceret, alium paracletum a patre mittendum « Apostolis, si non esset et ipse paracletus. Denique « agnosco et in hoc ipso paracletum benignissimum « qui prope sit his, qui tribulato sunt corde. » S. Paulus in principio Epistolæ secundæ ad Corinthios de Salvatore nostro ait [2], quod sit *Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Quid igitur ei consolatore opus erat? Crescit admiratio, si consideretur, quod consolationis causa unicus tantum angelus e cœlo missus fuerit, quasi vero non haberet semper obsequio suo devotos multos militiæ illius cœlestis exercitus; prout notat Simon de Cassia, dicens [3] : « Mirum « est, quod dicitur. Cum Christus Dominus ange- « lorum choros semper habeat præsentes, cur « dicitur de novo, quod eorum apparitiones susci- « peret? Et paulo post ipsum dixisse legitur, quod « poterat a Patre suo suscipere plus quam duode- « cim legiones angelorum. »

**2.** — Ludolphus Carthusianus in Christi laudem ait [4] : « Humilis Dominus reverenter et humiliter « suscipit hanc confortationem ; etiam a sua crea- « tura, considerans se esse minoratum paulo minus « ab angelis, dum est in hac lacrymarum valle. » Neque enim tanquam Filius Dei agnosci voluit, sed ut filius hominis *formam servi accipiens.* Apud Zachariam Prophetam sequens visio describitur [1] : *Ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini, et Sathan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei; Jesus erat indutus vestibus sordidis, et stabat ante faciem Angeli.* S. Paulus in pluribus locis Epistolæ ad Hebræos de Christo patiente disserens, eidem summi Pontificis et sacerdotis attribuit titulum. Hic autem Pontifex modo, quando Cerberus infernalis, ex inferno contra ipsum solutus, adversus ipsum Judæos excitavit, et gentiles qui unanimiter venerunt, ut eum caperent : ac proinde Christus illis dixit [2] : *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum*; modo inquam, in conspectu Angeli, vestibus sordidis indutus consistit, eo quod totius generis humani peccata sibi assumpserat, propter quod dicitur [3] : *Putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo, et humiliatum.* Vel etiam dici potest vestibus sordidis indutus, quia eodem tempore toto corpore cruentus sanguinem copiose manabat. Quis igitur adeo potest esse superbus et elatus, qui non humilietur, sibique vilescat, dum intuetur hoc spectaculum Dei adeo humiliati; de quo tamen Apostolus ait, quod sit *splendor paternæ gloriæ*? Angeli in Scripturis appellantur, et vere sunt ministri Dei, dicente Psalmista [4] : *Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus* : et tamen is, *quem adorant Dominationes, tremunt Potestates,* a servo quodam et creatura sua confortari non dedignatur, licet Creator existat : « Non « adeo spectavit suam dignitatem, » inquit D. Chrysostomus [5], « ut nostram salutem. » Nullam habuit majestatis suæ rationem, quando ad operandam nostram salutem sese humiliabat; quia ut Simon de Cassia ait, « hæc non ex forma Dei, sed ex « forma geritur servi, hominisque suscepti. » Et ideo pro viribus divinitatem abscondit, ut humanitas tanto magis pateretur, proque nobis abundantius satisfaceret : *Confortans eum,* inquit prædictus Simon Cassianus [6], « velut hominem in agonibus fa- « tiscentem, ut hujusmodi apparitio et confortatio « tota referatur ad formam servi penitus, et non « Dei. » Didacus Stella super Lucam scribens, similiter ait [7] : « Recepit Redemptor humilis solatium « hoc a creatura, considerans se paulo minus ab « angelis secundum carnem factum. »

**3.** — *Apparuit illi angelus.* Salmeron hoc loco curiose inquirit [8], « cur Christus non erectus et « animatus fuerit per homines, sed per angelos? » Et respondet, id factum esse, quia « homines igno- « rabant Christi tristitiam et angorem animi; « deinde indigni erant et parum idonei, qui eum « fulcirent atque erigerent; tum quia Christum

[1] S. Bern., ser. 1 de *S. Andrea.* — [2] II Cor., I, 4. — [3] Sim. de Cass., l. XIII. — [4] Lud. Carth., p. 2.

[1] Zach., III, 1. — [2] Luc., XXI, 5. — [3] Isa., LIII, 4. — [4] *Ps.* CI, 8. — [5] Chrysost., h. 63 *in Joan.* — [6] Simon de Cass., *ib.* — [7] Did. Stella, *in Luc.* — [8] Salm., t. X, 14.

« ferentem illas angustias pro hominibus, nequa-
« quam homines novissent, imo judicassent illum
« minus libenter pati, aut cum tanto animi mœrore
« ad passionem pervenisse. Vel crederent se illa
« confortatione, quidquid Christus pro illis pertulit,
« abunde exsolvisse. » Dici quoque potest, omnes quasi homines cujuscumque sexus, ætatis, conditionis, et professionis, potius intentos fuisse, ut per nova peccata passionem ejus magis promoverent, augerenturque ipsius cruciatus non vero ad consolandum eum pro illis quæ patiebatur. Et ideo apud Isaiam conqueritur, dicens [1] : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Similiter per os Psalmistæ lamentatur [2] : *Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni.*

**4.** — Idem Salmeron aliud quoddam movet dubium, scilicet quare ad sui consolationem adhibere voluerit Spiritus Angelicos, quando immediate et directe consolari poterat semetipsum? « Quare
« Jesus non animum suum corroboravit, inquit, et
« solatus est : ut faciunt viri sapientes qui cum in
« discrimen vitæ veniunt, seipsos conscientia ante
« actorum bonorum, atque aliis rationibus, quas
« prudentia suggerit, solari solent? » Respondetque per sequens nobis utilissimum documentum, inquiens : « Dicendum est, deficiente homine consolatore, Deum solitum mittere angelum, ut ad
« Eliam in desertum, et ad Elisæum videntem pro
« se exercitum angelorum contra latrunculos Syriæ,
« et ad tres pueros positos in fornace. » Elias a Jesabel, quæ mortem ei comminata fuerat, persecutionem patiens [3], *timuit et surgens abiit, et obdormivit in umbra juniperi.* Et ecce angelus Domini eum adeo restauravit, ut *ambulaverit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.* Porro Christus a Synagoga ad mortem condemnatus fuerat [4] : *Expedit ut unus moriatur homo pro populo* : ideoque discessit Hierosolyma, seque in montem Oliveti recepit; cum hac tamen ab Elia differentia, quod sub junipero, quæ est arbustum foliis spinosis refertum, non dormiverit ipse, prout Apostoli faciebant, sed vigilaverit et oraverit; et timore mortis, quemadmodum Elias, correptus dixerit : *Tristis est anima mea usque ad mortem*; et in illo momento : *Ecce Angelus Domini confortans eum* : adeoque illum animans, ut cum ponderoso crucis ligno, non quidem in montem Horeb, sed in montem Golgotha sive Calvariæ ascenderit. Hugo Cardinalis super præcitata S. Lucæ verba ita scribit [5] : « Quia tristi
« et horrenti mortem, jucunda est consolatio, ideo
« statim subditur consolatio angeli confortantis
« eum, id est, ad modum confortantis se habens,
« assistendo ei scilicet, vel forte aliqua verba consolatoria dicendo. Et nota, quia quamvis Christus
« verus homo esset, nulla tamen egebat consola-
« tione angelica, vel humana, sed totum factum
« est propter nos. Propter nos enim tristis fuit, et
« propter nostram intructionem consolatus, ut per
« hoc sciamus, quod tribulatis pro Christo, non
« deest divina consolatio : prout ipsemet Deus
« promisit, inquiens [1] : *Cum ambulaveris in igne,*
« *non combureris, et flamma non ardebit in te, quia*
« *ego Dominus Deus tuus.* Sic enim pluribus Martyribus consolandis spiritus angelici cœlitus missi
« fuisse leguntur, et in specie quidem S. Laurentio
« angelum quemdam submisit, qui adhibito lino
« candido sudorem frontis ejus abstersit, ipsomet
« dicente : *Misit Dominus Angelum suum, et de*
« *medio ignis non sum æstuatus.* » Simon de Cassia idem quoque tetigit mysterium, dum asserit, Filium Dei tanquam caput corporis mystici Ecclesiæ suæ, confortari voluisse, ut membra sua, id est fideles, et sequaces suos animaret, ut in tormentis et suppliciis pro ejus amore constituti securi essent, et considerent se nequaquam in mediis tormentis consolatione esse destituendos. En prædicti Simonis verba [2] : « In capite præferebat, quæ secutura
« videbat in membris. Angelus confortans caput
« omnium Christum, semper sua membra certan-
« tia necessitatis tempore confortaturus adveniet. »

**5.** — Præterea, quia Apostoli Magistrum suum mœstum, formidolosum, agonizantem, facieque et toto corpore in terram prostratum, nec semel tantum, sed trinies ferventer orantem, nec tamen in petitione sua : *Si possibile est, transeat a me calix iste,* exauditum viderant, congruo tempore ad Christum expeditus fuit nuntius ille angelicus, ut scilicet viderent, Deum preces nostras nequaquam surdis excipere auribus, neque eosdem in præliis angustiatos sine solatio derelinquere. Unde Lucas Brugensis ait [3] : « Sine omni consolatione diu esse
« noluit, sed voluit eam extrinsecus advenire finita
« oratione; adeoque laboranti sibi succurri ab
« Angelo misso a patre, ne frustra orasse, et ad
« Patrem recurrisse in tribulatione discipulis videre-
« tur. » Ante hunc tamen Simon de Cassia idem punctum his verbis notavit [4] : « Ex quo argumento factum
« est nobis, quod neminem Deus in tentationibus et
« tribulationibus derelinquit, ut non ministret de su-
« peris necessariam omnino virtutem, et confortet
« angelice, qui humane succumbit. » Similem quoque observationem habet Theophylactus, super S. Lucam ita scribens [5] : *Visus est ei Angelus confortans eum, idque ad nostram consolationem, ut orationis virtutem discamus, scilicet quod confortet.* Didacus Stella ad tempus, quo angelus de cœlo descendit, sese reflectens, inquit [6] : « Expende, quod mox ut

[1] Isa., lxiii, 3. — [2] *Ps.* lxviii, 21. — [3] III Reg., ix, 5. — [4] Joan., xxi, 50. — [5] Hug. Card., *in Luc.* — [1] Isa., xliii, 2. — [2] Sim. de Cass., *ib.* — [3] Luc. Bru., *in Luc.* — [4] Sim. de Cass., *ib.* — [5] Theophyl., *ibid.* — [6] Did. Stell., *ib.*

« Filius Dei se voluntati æterni Patris subdidit, « angelus solatium præstitit, ut hinc excipias, si « quando contigerit non evadere orantem voti « compotem, quia forsan sic fieri oportet, non ideo « a conspectu Dei ope destitutus recedit, imo po- « tius solatio afficitur spirituali. » Idipsum quoque in Ludolpho Carthusiano legitur [1].

**6.** — Christus, priusquam angelus ei appareret non solum semel, sed trinies orationem ad Patrem effuderat; nam S. Lucas ait : *Prolixius orabat*; Syriaca habet : *Intensius orabat*; Euthymius legit : *Protendebat orationem*. Unde colligitur, quod quanto fuerimus in orando ferventiores, tanto futuri simus securiores de assistentia et subsidio angelico. Et quidem Salmeron varia adducit hujus succursus exempla, inquiens [2] : « Adfuerunt angeli in deserto « Christo tentato, et victori, Petro in carcere posito, « et Paulo Romam naviganti. Hoc autem facit Deus « cum omnibus electis, qui in tribulatione vexan- « tur. Nam eos recreat per internas, vel per exter- « nas angelorum consolationes. » Idem quoque aliam assignat rationem, cur Christus non fuerit consolatus semetipsum, quemadmodum sapientes et prudentes viri in suis ærumnis facere consueverunt; ait enim : « Et si sapientis et fortis viri sit « seipsum in adversa fortuna, atque adeo in dolo- « ribus ipsius solari, ut martyres in tormentis ple- « rumque fecerunt, recogitando illum, pro cujus « gloria patiebantur, et passionis brevitatem, et « fructum æternum; non sic tamen fuit in Christo, « quia Deus non concurrebat cum memoria ejus ad « recordationem illorum, quæ animos sibi facere « poterant, sed volebat, ut non nisi tormenta et « afflictiones, quibus erat vexandus, meditaretur. »

**7.** — *Apparuit autem illi angelus.* S. Epiphanius circa hanc apparitionem angeli Christum confortantis, Arianorum refert errores, dicentium [3] : « Vide suo etiam opus illi fuisse, ut ab angelis cor- « roboraretur? Corroboravit enim illum angelus, « cum in anxietate illa versaretur. » Verumtamen eosdem idem sanctus sequenti responsione retundit dicens : « Neque vident, nisi hæc omnia Christus « suscepisset, nisi hæc ipsa verba : Non mea vo- « lontas fiat, sed tua, usurpasset, nisi angorem illum « animi subiisset, ac denique nisi sudorem e « corpore distillasset, totum illud assumptæ carnis « mysterium, nihil præter opinionem et speciem « habiturum fuisse : adeoque Manichæorum et « Marcionistarum larvam illam, et adumbratam « imaginem, quam de Incarnatione prædicant, « haud absurdam futuram neque quicquam in « Incarnatione ipsa visum iri ex rei veritate ges- « tum. » Voluit igitur Christus mundo patefacere, quod solatio opus haberet ad confortandam naturam humanam, utpote quam adeo acerbissimis pœnis et cruciatibus exposuerat, ac si nihil prorsus cum natura divina haberet commercii. Ac proinde Didacus Stella ait [1] : « Ut intelligas, aliam fuisse istam « tribulationem ab ea, quam in deserto passus est, « quia ibi angeli non confortaverunt eum, sed illi « potius servierunt : hic tamen adeo fuit ingens « debilitas et afflictio, qua fuit oppressus, ut fuerit « coactus a sua creatura confortari. » Salmeron quærit [2] : « Cum Christus sit virtus et omnium for- « titudo, et omnium firmitas, et melius nosset cau- « sas sublevandi et confortandi, quam angelus, « quis scopus fuit in hac confortatione? » Moxque huic difficultati ratione quadam evidenti respondet, inquiens : « Cum in Christo fuerit suspensum gau- « dium, ex visione Dei procedens, ex quo cœpit « contristari, et pavere (ut quidam sentiunt) erat « omni prorsus solatio destitutus : vel quia in « Christo nulla erat partis inferioris ad superiorem, « aut superioris ad inferiorem redundantia, ut alii « asserunt, sic ut motus timoris, et tristitiæ non « pertingeret ad portionem animæ superiorem, et « contra, delectatio continua superioris partis de « conspecta divina essentia, non tolleret, nec miti- « garet tristitiam, vel timorem inferioris portionis « animæ, propterea magnitudo tristitiæ et pavoris « tanta describitur in inferiori parte, ut indigeret « mitigatione et sublevatione aliqua, quæ quia ab « intrinseco esse non poterat (quia inviolatus dic- « tus ordo perseverabat) facta est ab extrinseco, ne « absorberetur anima tristitia, et plus pateretur, « quam congruum erat. »

**8.** — *Apparuit autem illi angelus.* Cum Daniel, sine ullo ad machinatam contra se conjurationem habito respectu, in oratione sua persisteret, in lacum leonum condemnatus fuit, ubi a famelicis illis feris hærebat circumdatus : nec tamen a Deo derelictus, quia ut ipsemet ait [3] : *Deus meus misit Angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi.* Pari quoque modo Redemptor noster sciens, principes synagogæ in concilio adversus ipsum conjurasse in mortem ei inferendam, ab oratione non destitit, sed *prolixius orabat.* Nec tamen pari cum Daniele felicitate gavisus fuit, quia ibi Angelus Domini conclusit ora leonum, ne Danielem devorarent, hic autem Angelus Redemptorem nostrum confortavit, ne deficeret nimioque percelleretur timore, utpote quia paulo post totidem circumdandus esset feris, quot erant milites, et lictores eum vinculis et catenis [constringentes, et velut agnum ad macellum perducentes. Unde dicere poterat [4] : *Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet*; ne quidem ipsi Apostoli, qui fuga se receperunt : *Circumdederunt me vituli multi tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens. Sicut aqua effusus*

[1] Lud. Cart. — [2] Salmer., *ib.* — [3] S. Epiphan., l. II, *adversus hæreses, Hær.* 59.

[1] Did. Stell., *ib.* — [2] Salmer., *ib.* — [3] Dan., VI, 22. — [4] *Ps.* XXI, 12.

*sum, et dispersa sunt omnia ossa mea, et factum est cor meum, tamquam cera liquescens, in medio ventris mei.* Quibus verbis captivitas, agonia et sudor Christi sanguineus prædicitur.

## DISCURSUS XVII.

QUISNAM HIC ANGELUS FUERIT, QUALIQUE AD CHRISTUM CONFORTANDUM USUS FUERIT REMEDIO, FUSIUS EXAMINATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Cur fiat specialis mentio hujus Angelicæ apparitionis. — 2. Hic Angelus apparens et Christum confortans vero similiter fuit S. Gabriel vel S. Michael. — 3. Juxta S. Epiph. Angelus confortans Christum idem est ac prædicans fortitudinem et virtutem Christi. — 4 5. Conveniens erat ut Deus Filium suum unigenitum S. Michaelis legatione honoraret. — 6. Christi obedientia ad patrem extollitur. — 7. Describitur consolatio Angeli ad Christum. — 8. Cur S. Mich. omnia proximæ passionis instrumenta Christo monstraverit dum eidem apparuit. — 9. Angelus Christo apparens eum laudavit et adoravit.

*Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum.* Luc., XXII, 42.

**1.** — In dubium revocari nequit, quin omnes Spiritus angelici, sine ulla intermissione, Verbo incarnato certatim gestierint præstare obsequium, idque S. Lucæ haudquaquam ignotum erat. Cur igitur hujus apparitionis angelicæ specialem facit mentionem? Respondetur, hanc Angeli apparitionem omnino fuisse extraordinariam, utpote in assumpto corpore visibili factam, ut testatur Lucas Brugensis, inquiens [1]: « Apparuit visibilis humana « specie. » Simon de Cassia similiter ait [2]: « Sensi- « bus ejus apparuit, et vocem emisit corpoream; » idque Salmeron confirmat, dicens [3]: « Quæritur « quomodo apparuerit? Non oculis mentis, quibus « semper eum videbat, ut comprehensor, sed ocu- « lis corporis, tanquam homo assumpto corpore, « exteriori præsentia atque colloquio Dominum « confirmavit. »

**2.** — Porro quisnam fuerit hic angelus, a sacris Doctoribus minime est definitum; ac proinde minime defuerunt, qui S. Gabrielem fuisse crederent, quia cum hic de arduo redemptionis nostræ negotio, in Incarnatione Verbi inchoato, negotiari cœperit, ad ipsum pertinuisse videbatur, ut idem ad suam perfectionem perduceret, ubique in actionibus ad illam pertinentibus si interponendo, quemadmodum in Annunciatione fecerat. Etenim hic archangelus Danieli indicaverat septuaginta hebdomadas, post quas a venturo Messia redemptio universalis acceleranda esset. Ipse pariter Zachariæ, Joannis Baptistæ præcursoris Christi nativitatem prædixit. Præterea de ipso dici poterat [4]: *Secundum nomen tuum ita, et laus tua,* seu ut melius dicam *opus tuum*; quia *Gabriel* idem significat, quod *fortitudo Dei.* Christus autem in illa tristitia et mœrore, fortificante opus habebat, propter humanæ naturæ debilitatem. Salmeron ait [1]: « Textus non dicit, « nisi quia fuit angelus de cœlo, significans bonum « angelum, non autem quis fuerit. » Citatque Joannis Gersonis testimonium, existimantis, hunc angelum eumdem fuisse, qui B. Mariæ Virgini in Nazareth apparuit, eidemque dixit : *Ne timeas Maria,* etc., idemque hic operatum fuisse, omnem a Christo conceptum pellendo timorem, siquidem *cœpit pavere et tædere;* ac proinde dicit : Gabriel interpretatur *fortitudo Dei.* Nihilominus considerandum est, in antiquis Ecclesiæ picturis hunc prævaluisse usum, ut S. Michael calicem una cum aliis passionis instrumentis manu ferens, in hac functione repræsentetur; ac proinde idem auctor subjungit : « Quidam tamen alii referunt fuisse « Michaelem, qui Christo Domino dixerit, se cum « omnibus angelis obtulisse precationem suam « Patri et tamen ejus voluntatem esse, ut fundat « sanguinem et moriatur pro mundi redemptione ; « et ita cœpit eum corroborare, proponendo præ- « mium redemptionis mundi, angelicæ ruinæ res- « taurationem et fructum sanctorum Patrum ex « limbo liberandorum. » Dionysius Carthusianus pariter hac de re ita scribit [2] : « Probabile est, « angelum istum fuisse Michaelem, tunc principem « synagogæ, cujus Christus fuit persona digniss- « sima; apparuit autem angelus iste de cœlo, hoc « est descendens de cœlo, et prope, ac ante Chris- « tum stans visibiliter in corpore assumpto, confor- « tavitque eum. » Enim vero idem ille angelus ex parte Dei S. Paulo olim dixit [3], donatam ei esse vitam omnium illorum, qui una cum ipsa naufragium evaserant. Cui igitur melius quam S. Michaeli convenire poterat, ut Redemptori lucrum et redemptionem repræsentaret omnium animarum, siquidem de ipso Ecclesia canit : *Archangele Michael, constitui te principem super omnes animas suscipiendas.*

**3.** — *Confortans eum.* Alii legunt : *Glorificans eum.* Sed audiamus prolixum quemdam discursum, a S. Epiphanio nobis in hæc verba traditum [4] : « Quod autem ab angelis confirmatus visus est, « quid majoris momenti, quidve necessarium magis « illo ipso fieri potuit? Hoc enim modo illud ex « magni Moysis Cantico completum videmus : « *Expectetur ut pluvia eloquium ejus.* Tum inter- « jectis plerisque : *Adorent,* inquit, *ipsum omnes* « *filii Dei et confortent ipsum omnes angeli Dei;* « non ut fortitudinem illi aut robur adjiciant, neque « enim illorum confirmatione opus habebat, sed « confortent, inquit, ipsum, hoc est, reddant ei

[1] LUC. BRUG., *in Luc.* — [2] SIM. DE CASS., l. XIII. — SALM., t. X. — [4] DAN., IX, 21.

[1] SALM., *ib.* — [2] DIO CARTH., *in Luc.* — [3] *Act. Apost.*, XXVII. — [4] S. EPIPH., t. II, l. II.

« vim suam, ac fortitudinem acceptam illi referant. « Nam et nos infirmi, et imbecilles Deo sæpenumero benedicimus, sæpe illi robur tribuimus, « non quod benedictione nostra Deus indigeat, « sed ut expressam illa benedictione potestatem « inesse in illo confiteamur. Hinc singillatim ita « prædicamus : Tua est virtus, tua potentia, tuus « est honor, tua est gloria, tua est benedictio, tua « fortitudo (I *Paralip.*, XXIX, 11). Num igitur Deo « fortitudinem tribuimus, cum ita dicimus : Tua « est fortitudo, tua est virtus, tua est benedictio? « Num virtutem nos illi conferimus, cum Deo be« nedicimus? Sed nimirum commemorando illa, « robore ac fortitudine divinam vim prædicando « confitemur, ac Deo fortitudinem adscribimus. « Eodem igitur modo, angelus per illud tempus « excellentem Domini sui erga homines benignita« tem admirans et obstupescens, quod cum Deus « esset, et cum Patre adoraretur in cœlo, atque ab « angelis suis observaretur, eousque abjicere se « sua sponte voluisset, ut ad hæc descenderet ac « carnem indueret; neque hoc tantum, sed vel opi« ficii sui causa, hoc est hominis, cruciatus perpeti « et in cruce suffigi non dubitaret. Quare angelus « ille admiratione ac stupore perculsus, et Domi« num suum collaudans, ac prædicans, qui in tali « schemate, et ad tam inusitatum opus velut in « procinctu steterat, sic illum compellat : Tua est « adoratio, tuum imperium, tua virtus, tua forti« tudo; ut quod a Moyse scriptum est, impleretur. « Confortent ipsum omnes angeli Dei. » Hactenus S. Epiphanius, prædictis verbis hæresim illorum confutare contendens, qui sinistre hunc textum interpretabantur. Theophylactus quoque circa hunc S. Lucæ textum ita scribit[1] : « Interea etiam im« plentur ea, quæ dicta sunt a Moyse in magno « Cantico : Et roborentur in eo omnes filii Dei. « Nonnulli autem sic dictum explicarunt curiosius, « quia apparuit ei angelus glorificans eum et « dicens : Tua est, Domine, fortitudo. Tu enim præ« valuisti contra mortem, et contra infernum, et « liberasti genus humanum. » Albertus Magnus expositionem quamdam a prædictis parum differentem tradit, inquiens[2] : « Angelus de cœlo gau« dens de reparatione ruinæ Angelorum, *Luc.*, XV. « *Gaudium est angelis Dei in cœlo super uno « peccatore pœnitentiam agente;* et ideo infinitum « gaudium fuit eis, de jam multorum peccatorum « reparatione. » Idem quoque existimat, hunc angelum ad Christum descendisse, non ad eum confortandum, sed ad præstandum ei tanquam Filio Dei obsequium.

**4.** — *Confortans eum*[3]. « Non quod confortatione « indiguerit, qui fortior forti tunc supervenit, et « fortem alligavit, et vasa ejus distribuit; sed quia « Angelus administrationis suæ ostendit obse« quium. » Enim vero Deus in antiquo testamento, in multis aliis occasionibus, ad diversos servos suos, scilicet ad Abraham, Isaac, Jacob, Moysen et alios, suos cœlitus miserat angelos, ut suam eis voluntatem per illos declararet. Longe igitur convenientius erat, ut Filium suum honorificentissima S. Michaelis, cœlestis militiæ principis, honoraret legatione, eique tanquam homini paternum suum per illum notificaret beneplacitum, scilicet ut opus compleret humanæ redemptionis, propter quod illum in hanc terram miserat. Didacus Stella similiter hujus versionis meminit, dicens[1] : « Verum est, aliam trans« lationem habere, angelum apparuisse illum « exaltantem, ac glorificantem, hoc est fructum « passionis annunciantem; nec non mirabilem suæ « resurrectionis gloriam, per quam omnes Adæ « filii erant extollendi et glorificandi. » Credibile est etiam, Angelum ei immensam repræsentasse sanctissimi nominis sui gloriam, utpote in cujus honorem genuflexuri essent omnes in cœlo, in terra et in inferno; quodque adimplendum foret illud propheticum oraculum : *Dominus regnavit a ligno*, eo quod in universo mundo triumphalia et victoriosa crucis suæ insignia explicanda forent, ad subjiciendos novæ legi gratiæ omnes totius universi populos.

**5.** — *Confortans eum.* Syriaca legit : *Confirmans eum*, quasi indicans, S. Michaelem aliud non fecisse, quam quod Salvatorem in jam concepta amarissimi calicis exhauriendi resolutione, magis magisque stabiliisset, varia ei proponendo motiva. Videlicet ita ab æterno decretum fuisse in supremo sacrosanctæ Triados consistorio, cujus ipse secunda persona erat, quodque se eidem decreto sponte et ingenti cum jubilo subscripserat, eoque fine[2] *exultaverat ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus.*

**6.** — *Confortans eum.* Ad memoriam scilicet revocando obedientiæ paternæ promptitudinem, utpote in cujus obsequium protestatus fuerat; dicendo[3] : *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui*, etc. Vel etiam memorando, quod hanc obedientiam magna ex parte per incarnationem, prædicationem et pœnosissimam triginta trium annorum lliadem strenue executus fuisset, adeo ut modo nihil aliud reliquum sit, quam ut ingens hoc opus perficiat per crucifixionem suam et mortem, totiusque pretiosissimi sanguinis sui pretium pro animarum litro exsolvat.

**7.** — *Confortans eum.* Videlicet necessitatem proponendo, post quinquies mille et amplius annos cœlestis Hierosolymæ muros resarciendi, per ruinæ ipsorum restaurationem; innumeras adimplendo sedes, a quibus apostatæ spiritus, ipsorum quon-

[1] THEOPH., *in Luc.* — [2] ALB. MAG., *ib.* — [3] ID., *ib.*

[1] DIDACUS STELL., *in Luc.* — [2] *Ps.* XVIII, 6. — [3] *Ps.* XXXIX, 8.

dam collegæ, dilapsi fuerant. *Confortans eum*, dicendo, tempus esse adimplendi tot prophetias, figuras, veterisque Testamenti oracula, sanctissimi Spiritus sui instinctu de ejus passione pronunciata. *Confortavit eum*, inquit Dionysius Carthusianus [1], hoc est verba consolatoria et confortatoria laude plena loquebatur ad Christum, dicendo : O Domine, tu modo liberaturus es totum mundum, hanc horam, tamque saluberrimam passionem prophetæ prænunciarunt et sancti expectant in limbo. Credibile est pariter, S. Michaelem Christo efficaciter proposuisse spem tot sæculorum et innumerabilium veteris Testamenti electarum animarum, ab Abel usque ad tempus tot Patriarcharum, quæ in limbo suum desiderabant adventum, utpote qui sequenti die bono latroni et omnibus aliis electis reseraturus esset Paradisum. Simon de Cassia ait [2] : « Absque « contradictione fidei relinquitur nostræ menti, ut « pie credamus, hujusmodi Angelum confortationi « decentia verba protulisse, sicut decebat dicere « angelum a Deo cœlitus missum, et suscipere « hominem Jesum Christum cum dæmonibus et « diabolicis hominibus certaturum. Et quia ut « homo, non ut Dei Filius, hanc confortationem « acceperat, verba fortassis erant de amore paterno, « de firma victoria, de resurrectione festina, de « gloria post sepulcrum, sicut de stella post ute« rum, de conscensione superna, de subjectione « cœlestium, terrestrium et infernorum, et his « similibus, quæ confortare possunt strenue pug« naturum. » S. Anselmus in Dialogo de Passione dicit [3] : « Confortavit eum dicens : Constans esto, « Domine, modo genus humanum debes redi« mere. » Salmeron ingeniose ait [4] : « Ut Eva in « horto Paradisi terrestris animata est a dæmone, « in serpente exteriori apparente et alloquio ad « esum vetiti pomi sollicitata; ita Jesus, qui est « vera mater cunctorum viventium, in horto con« firmatus est ab angelo, ad esum ligni horrendæ « crucis, pro nobis deglutiendum. » Ludolphus Carthusianus quoque hujus confortationis angelicæ sensum in hæc verba exponit, dicendo [5] : « Forte « aliqua verba consolatoria dicendo, quia scilicet hic « vincetur Lucifer, sicut victus est in cœlo. Vel quia « magnanimum magna sustinere deceret, vel quia « passio cito transiret et ejus fructus esset perpetuus, « scilicet redemptio humani generis et restauratio « angelicæ ruinæ. »

**8.** — S. Michael depingi solet manu ferens calicem et omnia alia passionis instrumenta, quibus intra paucas horas multifariam esset excruciandus. At vero dicere quis posset, ex quo Christus propter imminentem mortem suam adeo fuit contristatus, ut diceret : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ex quo etiam Patrem deprecatus fuerat, dicendo : *Si possibile est, transeat a me calix iste.* Quodnam in eo poterat esse solatium cœlitus ad ipsum missum, quod scilicet S. Michael non solum calicis libationem, verum etiam innumera proximæ passionis suæ atrocissima tormenta, ei sigillatim ob oculos statuerit præsentia? Tantum abesse videtur, quod inde fuerit solatus, ut etiam S. Lucas immediate post recensitam angeli apparitionem subjungat : *Factus in agonia. Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Quænam igitur est hæc consolatio, quænam confortatio est ista? Imo Christus B. Veronicæ de Binasco revelavit, dicens [1] : « Cum signum crucis, cui hærebat spongia, calici « impositum, mihi angelus nomine Patris mei « detulit, cui ego ipse configendus eram, usque « adeo pertimui, ut membratim concidere me ar« bitrarer. » Et ideo iis qui ad mortem sunt condemnati, supplicii ipsorum abscondi solet instrumentum, quia non est addenda afflictio afflicto. Verumtamen Beda respondet [2] : « Confortatus est, sed « tali confortatione, quæ dolorem non minuit, sed « magis auxit. Confortatus enim est ex fructus mag« nitudine, non subtracta doloris amaritudine. » Pro cujus responsionis clariori intelligentia, sequens deserviet exemplum. Etenim medicus communiter infirmo dicit : Morbi tui malignitas alia requirit medicinalia, quam lenitiva : opus enim est pro hujus morbi curatione rigorosissimis diætis, ignis adustionibus, incisionibus ferri, potionibus amaris, etc. Quod si hæc omnia libenter acceptaveris et patienter sustinueris sine dubio reconvalesces. Unde infirmus de sanitate secutura securus, mire confortatur, tametsi se tam crudeli carnificinæ subjiciendum esse certo sciat. *Confortans eum*, Christus, ut probatus quidam auctor scribit, omnium dolorum ac tormentorum imminentium pondus, eorumque circumstantias fidelissima statera ponderabat; et tamen quia omnes infirmitates nostras assumpserat [3] : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*, easdem infirmitates infallibiliter curandas esse sciens : *Livore ejus sanati sumus*, propter salutem et redemptionem nostram mire consolabatur, et confortabatur.

**9.** — *Confortans eum.* Lucas Brugensis, sensum litteralem sequens, ita scribit [4] : « Confortavit porro « Angelus Christum verbis, videlicet tanquam « homini dicens ei, ut confortaretur ac roborare« tur, ait Euthymius. Credi autem potest, quod « non citra illustrem laudem, pronamque adoratio« nem (quod habet Titus) Angelus eum hujusmodi « oratione affatus est : O Christe fili Dei vivi, audita « est oratio a Deo patre tuo, eaque ipsi gratissima « est et acceptissima; quippe qua, quamvis patia« tur natura humana tua horrorem summum et « tristitiam morte non inferiorem, ob imminentem

[1] Dio. Carth., *in Luc.* — [2] Sim. de Cass. — [3] S. Ans., dial. *de Pass.* — [4] Salm., *ib.* — [5] Lud Cart., p. 2, c. 59.

[1] Bolland., 13 jan. — [2] Beda, *in Luc.* — [3] Isa., xiii, 4. — [4] Luc. Bru.

« calicem passionis ac mortis, tamen submittis eam « paternæ voluntati et paratum te offers ad feren- « dum, quæcumque pater decreverit. Aufer igitur « horrorem hunc, ac mœrorem, quem sponte tibi « ipse accersivisti, ut ab eo inchoares paterni con- « silii perfectionem. » Lyranus quoque existimat, Angelum præmissa profunda inclinatione et reverentia ad instar servi cum Christo fuisse locutum : « Factum enim fuit ad confirmandam fidem « discipulorum, quod Christus sit major angelis « ratione deitatis. » Meditari quoque possumus, quod S. Michael Angelorum regem Christum, facie et toto corpore in terram prostratum videns : *Procidit in faciem*, eidem reverenter dixerit. Quid facis, o Domine? ergone vultum illum terræ imprimis, *in quem desiderant angeli prospicere?* Cur obsecro, in terram prosterneris, ad cujus nomen omne genu flectitur et ad cujus pedes omnes terreni monarchæ sceptra, et coronas suas reverenter deponunt? Cur mortem formidas, qui dixisti [1] : *Ego sum via, veritas et vita? Ecce docuisti multos et manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia roborasti;* et nunc timebis, in cujus conspectu sublimissimæ cœlorum potestates contremiscunt?

## DISCURSUS XVIII.

### Qualis fuerit Redemptoris nostri in horto perpessa agonia.

Idea sermonis. — 1. Peccata hominum fuerunt causa mortis Christi. — 2. Christus in agonia contra mortem peccatis nostris armatam pugnavit. — 3. Exacta descriptio agoniæ Christi inter carnem et spiritum. — 4. Quare Christus in horto fuderit sanguinem et tamen in monte Calvariæ gaudio sibi proposito crucem sustinuerit. — 5. Cur Pater æternum Filio suo in agonia hac misit Angelum et non in cæteris excessivis tormentis. — 6. Describitur ulterius hæc Christi agonia inter rationem et sensualitatem.

*Factus in agonia, etc. Luc.*, xxii-43.

**1.** — Postquam S. Patriarcha Jacob [2], minas et odium Esau fratris sui expavescens, e domo soceri sui egressus torrentem Jaboc trajecisset, nocturno tempore ad luctam cum Angelo ineundam invitatus, duellum illud adeo fortiter et generose sustinuit, ut licet uno pede claudus evaserit, gloriosam tamen de Angelo retulerit victoriam. Quod si vero Jacob in hujus generositatis præmium Israel quod idem est ac *videns Deum*, nomine insignitus fuit, multo magis idipsum Christus merebatur, uptote cujus anima Deum facie ad faciem videbat. De ipso, Gabriel Beatæ Virgini Mariæ in Annunciatione dixit [3]: *Regnabit in domo Jacob in æternum.* Hic igitur mysticus Jacob ab Hebræorum odio exagitatus, torrentem Cedron, pertransivit. utpote per quem torrens ille denotabatur, de quo Psalmista ait [4] : *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Et cum se in hortum Gethsemani subduxisset, quamdam, quasi cum angelo luctam et prælium iniisse dici potest, dicente S. Luca Evangelista : *Factus in agonia.* « Agon autem est « idem, quod pugna, » ut Albertus exponit, « in « qua contra mortis auctorem, et ipsam mortem, « et dominum mortis infernum viriliter egit » ; tametsi enim pedes ejus clavis ad crucem affixi fuerint, attamen victor evasit, ipsomet apud Oseam dicente [5] : *O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne.* Verum quidem est, filium Dei morti minime subjectum fuille, quia sacratissima ejus humanitas à beata quadam anima informabatur, quæ utique nsi impedita fuisset, quatuor gloriosas corporis dotes, inter quas una est impassibilita, in ejus corpus transfundere debuisset. Præterea Apostolus ait : *Per peccatum mors ;* Christus autem peccati sive actualis, sive originalis incapax erat, adeoque mors nullam in eo partem habere porterat. Et tamen verisimile est, quod cum eo luctata fuerint mors et pecatum, non quidem proprium, sed quod assumpserat a satisfaciendum pro toto genere humano, Hunc igitur armatum prostratura mors, fortitudine maxima opus habebat, quam illi suggerebat indispensabile illud in omnes homines sancitum decretum, quo unicuique homini mors intimatur [3] : *Statutum est hominibus semel mori* : quam mortis fortitudinem Christus nequaquam subterfugit experiri ; ex quo enim nostram assumpserat mortalitatem, ad nihil aliud adeo contendebat, quam ut se verum esse hominem probaret; et ideo, ut S. Ambrosius ait [4] : « Sequestrata delectatione divinitatis æternæ, « tædio meæ infirmitatis afficitur. » Porro mors ex semetipsa vires nequaquam habebat sufficientes, ut cum Christo congrederetur, et ideo adversus ipsum innumerabilem congregavit omnium peccatorum, a primo homine usque ad Christi passionem commissorum, et deinceps ad finem usque sæculorum committendorum criminum exercitum ; siquidem Redemptor noster omnia peccata nostra, veluti si sua propria essent, in se assumpsit ; unde ait [5] : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Et S. Petrus inquit [6] : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo.* Hæc igitur erant, quæ mortem adversus Christum potentem et validam efficiebant ; quamvis se ex altera parte opponeret natura divina et immaculata innocentia agni illius, qui tollit peccata mundi. Salmeron inquit [7]: « Chris- « tus in horto positus, hominum ominum peccata « fœdissima, abominandaque, et omnes eorum « minutissimas circunstantias intellectui suo re-

[1] Joan., xiv, 6: — Job, iv, 4. — [2] Gen., xxxii. — [3] Luc., i, 32.

[1] *Ps.* cix, 7. [2] Ose., xiii, 14. — [3] Heb., ix, 27. — [4] S. Amb., l. X *in Luc* — [5] *Ps.* cxx, 3. — [6] I Pet., ii, 24. — [7] Salmer.

« præsentavit : quas dum expenderet, summum « animi dolorem propterea concepit, perpendens « Patris sui bonitatem offensam, et gloriam « obscuratam, animas vero turpissime maculatas « atque perditas esse. Animadvertens culpam, « quam incurrebant gloriam quam amiserant, « pœnæ reatum, quam promerebantur, sciensque « ad se, ut fidejussorem spectare, pro omnibus « satisfacere. » Ex una parte militabat in Redemptore innocentia, ab omni pœna exempta ; ex alia vero parte opponebatur omnium iniquitatum nostrarum, quæ non unam, sed mille mortes merebantur, ab eo assumpta satisfactio.

**2.** — *Factus in agonia.* « Agonia ista potest dici « certamen contra mortem, » inquit Ludolphus Carthusianus[1], « vel mortis anxietas, quam quasi « præsentem prævidebat ; et ideo tunc fuit in « agonia, sicut infirmi in extremis laborantes di- « cuntur esse in agone. » Enim vero si leo quidam in atrio solutus oberraret, et filius quidam tenellus fauces ejus fugere volens, ad fores domus paternæ veniret, videretque, quod pater ejus periculum videns, fores temen domus nequaquam aperire, sed ipsum bestiæ huic in prædam deserere vellet ; quantum parvulus ille lacrymaretur, et præ formidine contremisceret ? *Leo est foris, in medio platearum occidendus sum,* inquit Sapiens[2]. Per leonem autem mors intelligitur, unde Ecclesia in offertorio pro defunctis canit : *Libera me ex ore leonis.* Et ideo Filius Dei hunc leonem adversus se laxatum, Judàm quoque armatæ phalangis caput factum sibique ut manibus lictorum ipsum consignaret, appropinquantem videns, non semel, sed ter per ferventem orationem æterni Patris sui postulabat subsidium : *Si possibile est, transeat a me calix iste;* nec tamen exaudiebatur. Quid mirum igitur, si præ nimio pavore sanguinem sudaverit ? Didacus Stella ait [3] : « Agonia hæc erat prælium « quoddam, inter Dominicam carnem, et mor- « tem : caro enim naturaliter vivere desiderabat. » Vel potest dici, hanc agoniam esse angustiam mortis, quam imminere cernebat, jamque fere in conspectum dari. Quo etiam modo, cum infirmi jam in extremis sunt constituti, ita ut jam sensus deficere videantur, ne possint discernere, dicuntur esse in agonia et conflictu.

**3.** — Postquam Lucifer in deserto se superatum et repulsum fuisse vidit, inquit S. Lucas [4]; *Consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* Hoc vero tempus, quod sibi diabolus ad redeundum statuerat, tempus passionis Dominicæ fuit, prout superius in discursibus præcedentibus diximus. Sperabat enim, quod per timorem mortis eum a redemptione humani generis deterrere posset. Verumtamen Christus, ut Beda notat [5], hanc agoniam ad nostram instructionem ordinavit : « Quid enim pro se ille cum agonia peteret, qui « in terris positus, cœlestia cum potestate tribue- « bat ? Sed appropinquante morte, nostræ mentis « in se certamen expressit, qui vim quamdam ter- « roris ac formidinis patimur, cum per solutionem « carnis æterno judicio propinquamus. Neque « enim tunc cujuslibet anima immerito terretur, « quando post pusillum hoc invenit, quod in æter- « num mutare non possit. » Considerant quoque sacri Doctores acrem illam pugnam, quæ sensum inter et rationem in Christo intercessit. Et quidem Ludolpus Carthusianus ait [1] : « Agonia ista potest « dici certamen et reluctatio sensualitatis ac rationis, « quia agonizabat ac certabat in eo mirabili pugna « sensualitas, naturaliter mortem horrens, et re- « cusans, ac ratio divinæ voluntati obtemperans, et « ipsam mortem pro salute humana zelans, quia « virtute divina quælibet pars permittebatur agere « vel pati, quod proprium erat sibi. Porro appeti- « tus sensitivus, naturalis in Christo pro viribus « patit magis autem mori fugiebat quia caro in- « firma. Ex alia vero parte se opponebat spiritus : « Spiritus quidem promptus. Atque ideo in hoc « duello corpus longo tempore concertans, sudavit « sanguinem, redactumque est in agoniam. » Dionysius Carthusianus super S. Lucam scribens, inquit [2] : « Hæc agonia intelligi potest vehemens « illa mortis imminentis anxietas, quam Christus « sibi instare clarissime intellectualiter vidit ; imo « et in vi imaginativa eam sibi intus determinate « considerandam proposuit, qua considerata, te- « nerrima ac nobilissima ejus natura inferior ultra « æstimationem expavit, et ideo dicitur in agonia « fuisse. » Salmeron prolixum contexit omnium anxietatum catalogum, quæ Redemptorem in illo temporis momento afflixerunt, upote qui illas mente sua apprehendendo, sibi faciebat esse præsentes. Ait igitur [3] : « Perspiciens speciatim Judæo- « rum ingratissimorum flagitia, proditoris nequi- « tiam, discipulorum fugam, Petri abjurationem, « iniquam Pilati Judicis, ne gratiam Cæsaris amit- « teret, sententiam, mæstissimæ matris dolorem, « Judaicæ gentis excidium, et futuras omnium « membrorum suorum acerbissimas passiones, « atque martyria ; nostros denique ad tanta bene- « ficia animos ingratos, et obstaculum quod suæ « inspirationi, vocationi ac beneficio tantæ mortis « eramus posituri. Proponens sibi deinde ante « oculos amara omnia passionis suæ tormenta, « comprehensionem, alligationem, et ad diversos, « et inimicos suos judices deductionem ; alapas, « sputa, flagella, purpuram, coronam spineam, « crucis bajulationem, fel et acetum, amara, et « aculeata verba, latronum societatem, et mortem

[1] Lud. Cart., p. 2, c. 2. — [2] Prov., xxii, 3. — [3] Did. Stell., *in Luc.* — [4] Luc., iv, 13. — [5] Beda, *in Luc.*

[1] Lud. Cart. — [2] Dio Cart. — [3] Salm., *ib.*

« ipsam, omni acerbitatis et ignominiæ genere « refertam. Non potuit Christi natura, et delicatus « sensus, tale tamque atrox genus mortis non « exhorrescere, atque ad illud non contremiscere, « ut sibi personæ vita dignissimæ, innocentissimæ, « atque intime dilectæ contrarium ; ac proinde sui « ipsius misericordia commoveri : etsi aliunde « amor gloriæ Dei, et sitis ardens salutis mundi aliud « dictaret, pro qua et acceptabat omnia, et pugna- « bat in sensum, et naturam suam. Et hæc est « lucta, et conflictus Christi, extorquens prolixio- « rem orationem et sudorem sanguineum, ut in « aliis morituris acerrimum animi sensum et su- « dorem mortis, quia natura humana in Christo, « quod sibi proprium erat, agere permittebatur. » Hugo Cardinalis similiter hunc inter carnem et spi- ritum interiorem conflictum his verbis expendit [1] : « Nota, quod agonia, sive agon sanctorum dicitur « quoddam certamen carnis et spiritus, quo reluctа- « tur caro spiritui, et spiritus carni. Sine hoc agone « nunquam sunt viri sancti in hac vita. Factus in « agonia certaminis inter sensualitatem, et ratio- « nem : sensualitas enim timebat mortem, et vole- « bat non mori ; ratio autem volebat mori pro sa- « lute generis humani. Quid igitur potest in nobis « sensualitas, quæ in Christo contradicit humanæ « saluti ? » Possumus quoque pie meditari, quod appetitus naturalis Christo repræsentarit, quam esset naturæ conformis tam nobilis individui con- servatio, et quam ingens violentæ mortis horror. Item persuaserit, ut apprehenderet infinitam per- sonæ suæ dignitatem, contumelias, tormenta, et supplicia atrocissima, quæ ei præparabantur. Denique posuerit ob oculos delicatæ complexionis suæ teneritudinem, intensioribus doloribus exercen- dam et discruciandam, quam omnia simul sumpta martyrum supplicia eidem inferre poterant.

**4.** — *Factus in agonia.* Quia ratio et portio super- ior cum generoso impetu omnibus hisce et aliis suggestionibus Christo propositis sese opposuit, easdem validissime refutando. Unde Lyranus ait [2] : « Erat ista agonia reluctatio sensualitatis, mortem « horrentis et rationis ipsam acceptantis. » Pugna- bant ex una parte timor et pavor mortis, tristitia concepta de imminentibus cruciatibus, furor divinæ justitiæ satisfactionem postulantis, et appetivus sensitivi a passione subeunda aversio naturalis. Ex alia vero parte pugnabat promissi lytri redemp- tionis nostræ zelus, decreti paterni acceptatio (*in capite libri scriptum est de me, ut facerem volun- tatem tuam, Deus meus volui*) habitum ab æterno vehemens hominem salvandi desiderium. In hu- jus autem pugnæ conflictu portio superior trium- phare voluit, tanta cum vehementia sensualitati resistendo, ut ex toto corpore vivum sudarit san- guinem. Observastis utique, quod in horto, quando Judæi Christum nondum captivum apprehenderant, adeo contristatus fuerit, ut dixerit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* ; et Evangelista dicat : *Cœpit pavere, et tædere* : *Factus in agonia, etc. Sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in ter- ram* : et tamen in monte Calvariæ, quando inten- sissimos patiebatur dolores et cruciatus, *proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Quonam existimas spectare hanc differentiam ? Verum quidem est, quod in horto Gethsemani nondum fuerit cœpta passio illa, qua corpus Christi cruciabatur ; ve- runtamen cruciatus animæ tanto ibi erat violentior, adeo ut Christus ibi dicere potuerit [1] : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi.* In horto pugnabat cum morte, omnibus peccatis nostris armata, utpote pro quibus penes irritatam Dei justitiam expiandis, condignum non- dum exsolutum fuerat lytrum : At vero non item in monte Calvariæ, quando jam mors devicta et immensum debitum nostrum persolutum erat, siquidem [2] *cum sanguinis effusione fit remissio.*

**5.** — *Factus in agonia.* Id est, ut Lucas Brugensis exponit [3] : « In angore, angustia, anxietate animi. « Significat enim Græcis agonia illum horrorem, « et angorem, quo corripi solent homines, jam « instante atque urgente gravi discrimine : atque « omnino illud, quod priores Evangelistæ pluribus « verbis expresserunt, contristari, pavere, mœrere, « seu tædere, tristemque animam usque ad mortem « habere, id Lucas uno agoniæ verbo exprimit. » Imo ad intelligendam horum intentissimorum dolo- rum vehementiam hoc unicum notare sufficiat, quod scilicet æternus Pater, in hujus duntaxat ago- niæ occasione ad consolandum Filium suum Angе- los de cœlo miserit, quod in tot aliis excessivis tor- mentis, v. g. flagellationis, coronationis spinarum, et crucifixionis, numquam fecit, imo potius in hac conquestus est, dicens : *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me* ? Et vero duellum hoc inter portio- nem inferiorem et superiorem in Christo per in- tegrum duarum horarum spatium duravit : nam Salmeron notat [4] : « Cum egressus sit post horam « tertiam de Hierosolyme cœnaculo, prope sextam « horam captus est, hoc est media nocte, ut tes- « tantur Origenes, et Chrysostomus. Per spa- « tium duarum horarum, et paulo amplius, preca- « tus est, et consequenter etiam agonizavit. » Probatus quidam interpres hac de re ita scribit : Quis hunc agonem satis explicabit ? Videmus, quanta angustia laborent morientes, in quibus sensus jam quasi emortui sunt : quanto major in corde Christi angustia, cujus sensus vivacissimi erant, qui omnem mortis horrorem clare perspiciebat, et perfecte sentiebat ? Eamdem quoque observationem Salme-

[1] HUG. CARD., *in Luc.* — [2] LYRAN.

[1] *Ps.* LXVIII, 2. — [2] HEBR., IX, 22. — [3] LUC. BRUG., *ib.* — [4] SALM., *ib.*

ron his verbis tradit[1] : « Perpende, morientes quasi « emortuis sensibus non posse amaritudinem mor- « tis gustare. Secus Christus Dominus, cujus erant « sensus vivacissimi et clarissima apprehensio « mali quod incurritur, et boni quod amittitur ; « hinc est quod de eo Paulus scribit : *Ut gratia Dei « pro omnibus gustaret mortem.* »

**6.** — *Factus in agonia* Didacus Stella hunc S. Lucæ textum exponens, ita scribit[2] : « Dici potest, quod « agonia nil aliud erat quam quidam agon et cer- « tamen in Christo inter rationem et sensualitatem : « Hæc naturali ingenio fulta, timebat, renuebat, « horrebat mortem. Ratio ex alia parte, divinæ « voluntati obtemperans, mortem oppetere volebat, « honorem Dei zelans, remedium, opem, et salu- « tem generis humani desiderans. » Etenim Christus prudens ille negotiator erat, qui bonas quærebat margaritas[3] : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.* Erat autem hujus margaritæ comparandæ, seu ut melius dicam, animæ nostræ ab inferni et mortis æterna servitute redimendæ avidissimus. At vero sensus ex altera parte repugnabat ; videbat enim necessum esse vendere omnia, id est honorem, vitam, amicos, matrem et sanguinem certissimo discrimini exponere : e contra vero prævidebat detestabilem innumerabilium animarum ingratitudinem, utpote quæ infinitum redemptionis suæ pretium pedibus conculcaturæ essent.

**7.** — *Factus in agonia.* Non sine mysterio Redemptor noster in oratione Dominica a se composita peccata nostra debita apellavit : *Dimitte nobis debita nostra,* ubi apud S. Lucam loco verbi *debita* legitur *peccata nostra.* Quia quisquis peccat, apud divinam justitiam debitum quoddam contrahit inexpiabile, scilicet secundum vires proprias[4] : *Oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.* Ubi S. Thomas ait[5] : « Peccatum habet quamdam infini- « tatem ex infinitate divinæ Majestatis. » Hoc autem debitum innumerabilium peccatorum totius generis humani, in libro divinæ justitiæ, quæ satisfactionem postulabat, in immensum usque excreverat et tamen Filius Dei debitum hoc sibi assumpsit, ut eidem *de toto rigore justitiæ* satisfaceret. Et vero licet Filius Dei esset, attamen ut Carthusianus notat[6] : « In Christo tempore passionis ex dispensatione « divina non fuit redundantia superioris partis « animæ in inferiorem : » prout apud Isaijam prædictum fuit, ubi dicitur : *Reputavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo.* Justitia enim divina illum non respiciebat, tanquam secundam sacrosanctæ Trinitatis personam, sed tanquam omnium peccatorum generis humani debitorem ; a quo proinde veluti fidejussore, *usque ad ultimum quadrantem* satisfactionem requirebat. Ac proinde æternus Pater ejus aperte dixit[1] : *Propter scelus populi mei percussi eum.* Ipse vero eidem Patri suo cœlesti dicere poterat[2] : *In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me* ; siquidem factus fuerat meta omnium suppliciorum, omniumque sagittarum et fulminum scopus, quæ in omnes et singulos peccatores evibranda erant unde in singulari dicebat[3] : *Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam* ; ideoque *procidit in faciem suam super terram.*

[1] Id., *ibid.* — [2] Did. Stella, *in Luc.* — [3] Matt., xiii, 45. — [4] Matt., viii. 27. — [5] S. Thom., 3 p., q. 1, art. 2. — [6] Dio. Cart., *in Matt.*

## DISCURSUS XIX.

### SUDORIS SANGUINEI VARIÆ CONSIDERANTUR CAUSÆ.

Idea sermonis. — 1. Supra naturam est toto corpore integro sanguinem sudare. — 2. Energica descriptio anguinis de corpore Christi sub oratione decurrentis. — 3. Christus assimilatur uvæ botro. — 4-5. Panis in sudore vultus comparatus dulcis est. Christus per sudorem sanguineum in terram effusum, sustulit ejus maledictionem. — 6. Peccata sæpe nominantur sanguis. Etiam designantur per lepram. Aquæ Ægypti in sanguinem versæ designabant sanguinem Christi. — 7. Christus Protomedicus noster, sanguinem sudavit, ut nostros morbos curaret. Omnis pavor et horror, proficiscitur a peccato. — 8. Christus ad nulla tormenta conquestus fuit nisi de verecundia nostrorum peccatorum, quæ in se assumpserat. — 9. Judæi audientes blasphemiam lacerarunt vestes, Christus vero sacratissimam carnem. — 10. Verba Christi ad B. Veronicam de Binasco de sanguineo sudore.

*Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Luc. xxii, 44.

**1.** — Fuit utique hic sudor plane miraculosus, de quo proinde Rupertus cum admiratione hæc verba scribit[4] : « Quid in tanto miraculo videbitis ? « Naturale est, vulnerata carne sanguinem fluere. « Hoc insolitum est, supra naturam est, integra « carne, sana cute, sanguinem pro sudore de toto « corpore in terram decurrere. Miraculum rei ma- « gis attentos facere res debet, ut videatis, quidnam « sit. » Maldonatus[5] auctoritatem citat S. Hilarii, in libro X, de Trinitate scribentis, hoc mysterium, utpote a solo Luca, sicut et confortantis angeli apparitio, relatum, in multis latinis, et græcis codicibus subticerit. Et subdit, quod multi hunc sudorem revera contingisse non credentes, de eo tanquam de re proverbialiter dicta loquantur, quia de homine in magnis angustiis constituto dici solet : *Sudat sanguinem.*

**2.** — Lucas Brugensis ait[6] : « Multi illud tribuunt

[1] Isa., liii, 8. — [2] *Ps.* lxxxvii, 23. — [3] *Ps.* lxviii, 8. — [4] Rup. Abb., *de vict. Verb.* — [5] Maldon., *in Matth.* — [6] Luc. Brug., *in Luc.*

« miraculo, sed nihil prohibet, quin natura id pos-
« sit in hominibus delicatissimæ optimæque consti-
« tutionis, quibus corpus rarum et sanguis subtilis
« est, qualis haud dubium Jesus erat, conceptus
« ex Spiritu Sancto a virgine, prodeunte nimirum
« a venis sanguine simul cum aqua; nihil enim
« aliud est sudor, quam pars sanguinis aquosa ex-
« pressa e venis. » Cajetanus idipsum confirmat, adducens Aristotelem, idipsum naturaliter contigisse asserentem; subjungit tamen [1]: « Quia vero indi-
« gesti sanguinis et minus bonæ complexionis hoc
« accidens secundum naturam est apud eumdem, Je-
« sus optimæ complexionis sanguinem sudorem
« emisit. » Maldonatus sequentem accidisse refert eventum [2]: « Audio de his qui viderunt, aut cogno-
« verunt, ante annos duos Lutetiæ Parisiorum homi-
« nem robustum et benevalentem, audita in se capi-
« tali sententia, sudore sanguineo fuisse perfusum. » His tamen non obstantibus, verum est, quod si hic effectus naturaliter nonnunquam contingat, id fiat in hominibus debilibus, et sanguis emanans in modica egreditur quantitate; in casu vero præsenti sudor sanguineus ex corpore optimæ temperaturæ promanavit et de hoc sudore dicit Evangelista : *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Circa quæ verba inquit Theophylactus [3]: « Hoc vo-
« luit manifestare Evangelista, quod non tenuibus
« quibusdam humoribus, et velut ostentationis
« gratia apparentibus, sed magnis guttis sudorem
« stillaverit, et collegerit secum rivos sanguinis. » Porro Salmeron ad ostendendum quam fuerit hæc effusio abundans, hoc utitur argumento [4]: « In dis-
« cursu abundantia designatur, fuit enim tantus
« ut vestes non potuerint illum exsugere, atque
« absorbere. » S. Bonaventura in sermone quodam [5], illum adducens Psalmistæ textum [6] : *Ossa mea sicut cremium aruerunt*, hanc illius assignat rationem :
« Quid mirum si corpus aruerit, de quo non solum
« in cruce, sed etiam in oratione tantus sanguis flu-
« xerat? » S. Augustinus quoque ait : « Cum oraret,
« globi sanguinis de toto corpore ejus distillabant. » Simon de Cassia mysterium hoc meditando, inquit [7]:
« Vehementia passionis tanta ex animo fuit in
« Christo, ut sudor sanguineus manaret a corpore,
« rigaret que terram, in qua flexis genibus rogabat
« Patrem. » Ipsemet quoque Redemptor noster B. Veronicæ de Binasco revelavit sequentia [8]: « Factus
« fuit tunc sudor meus sicut guttæ sanguinis de-
« currentis in terram : quo dabatur intelligi, pari
« dolore affici pro eo, qui mortale crimen admisit.
« Fuit vero mentis meæ cogitatio tam vehemens,
« ut cognita voluntate Patris, qua statuerat me
« omnino mortem sævam pati debere, omnia ossa
« mea trementia locum a natura institutum muta-
« verint. Caro quoque indoluit usque ad corporis
« medullas, et ossibus amplius adhærere visa non
« est; quamobrem aqua, et sanguis e corpore meo
« sudoris vice ubertatim fluxerunt. » Albertus Magnus super S. Marcum ita scribit [1] : « Multæ fuerunt
« guttæ per vestes, quas habuit, ad terram distilla-
« verunt, in terram etiam cucurrerunt, ut etiam
« cineribus mortuorum infunderentur ad potentiam
« resurrectionis. » In Psalmo XXI in quo omnes amaræ passionis Christi periodi exprimuntur, hic sudor his verbis indicatus fuit [2] : *Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea : factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei ; aruit tanquam testa virtus mea.* Quem textum S. Justinus in dialogo contra Triphonem adducens, ita scribit [3] : Quod illi ea nocte accidit, cum adver-
« sus ipsum in monte Olearum capiendi ejus gratia
« abierunt, memoriæ mandatum est; sudorem
« ipsius tanquam guttas sanguinis defluxisse in
« terram ex deprecante : Transeat, si fieri potest po-
« culum hoc : cum videlicet, trepidaret cor ejus, et
« ossa similiter, simileque cor ejus esset ceræ in
« ventrem per colliquationem stillanti, ut sciremus
« Patrem in tantis perpessionibus Filium suum vere
« nostra causa versari voluisse, et non diceremus,
« Filium Dei non sensisse eorum quidquam, quæ
« illi illata sunt. »

**3.** — Sponsa in sacris Canticis, dilectum suum, per quem intelligitur Christus, uvæ botro assimilavit [4] : *Botrus Cypri dilectus meus.* Quam autem hic botrus miræ magnitudinis fuerit, ex illo Numerorum textu facile deducitur, in quo dicitur [5] : *Pergentes ad torrentem Botri, absciderunt palmitem cum uva, quem portaverunt in vecte duo viri.* Porro uva ista symbolum erat Christi in ligno crucis suspensi, utpote cui ligno Isaias torcularis nomen attribuit? *Torcular calcavi solus.* Visne videre uvæ hujus vinum? Ecce tibi sanguinem, qui ab hoc mystico torculari expressus fuit, postquam passionis suæ, corde et mente magis quam pedum gressibus, cœpit transire torrentem. Unde olim in Genesi in benedictione Judæ, e cujus progenie sacratissima Christi humanitas assumpta fuit, Jacob Patriarcha in hæc verba prorupit [6]: *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum.*

**4.** — *Factus est sudor ejus, etc.* Salmeron ait [7] :
« Quemadmodum panis sudore atque labore ma-
« nuum partus suavior est multum atque gratior,
« quam panis sine labore, adeo ut Domini illa sen-
« tentia : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* non
« tantum fuerit justa, sed etiam cum misericordia
« conjuncta : idcirco Dominus, et si non esset filius
« Adæ damnatus ad laborem et sudorem, ut nos
« sumus; ut tamen nobis redderetur cibus sapi-

[1] CAJET., *ib.* — [2] MALDON., *ib.* — [3] THEOPH., *ibid.* — [4] SALM., t. X, tr. 45. — [5] S. BONAV., *in Parasc.* — [6] *Ps.* CI, 5. — [7] SIM. DE CASS., l. XIII. — [8] BOLLAND.

[1] ALB. MAG. — [2] *Ps.* XXI, 6. — [3] S. JUSTIN., dial. *con. Triphon.* — [4] CANT., I, 13. — [5] NUM., XIII, 14. — [6] GEN., XLIX, 11. — [7] SALM., *ib.*

« dior, voluit fatigari ex itinere, et positus in ago-
« nia prolixius orare, et sudare guttas sanguinis
« decurrentis in terram. » Enim vero eodem tempore quo Deus primum hominem totamque ejus posteritatem propter peccatum ad panem, sudori vultus sui intinctum manducandum condemnavit, terræ quoque maledixit, inquiens : *Maledicta terra in opere tuo, spinas, et tribulos germinabit tibi.* Et ideo secundus Adam de cœlo descendit, ut per proprium sanguinem suum, in terram effusum, antiquam illius maledictionem abstergeret. Præterea cum primus Adam ad frontis fuisset sudorem condemnatus, secundus Adam ad illius sudoris satisfactionem, præstandam, non solum in vultu, verum etiam in toto corpore suo vivum voluit sanguinem sudoris loco fundere. Cassiodorus super illa verba Psalmi [1] : *Et copiosa apud eum Redemptio*, inquit [2] : « Pretiosus ille sanguis tanta fuit ubertate ditissi-
« mus, quatenus totius mundi peccata redimeret, et
« velut quodam diluvio salutari orbem terrarum a
« suis sordibus expiaret. » Etenim aerem in morte animam, seu spiritum suum exhalando, purificavit : *Inclinato capite emisit spiritum.* Aquam vero expiavit, dum aquis Jordanis immersus, a S. Joanne Baptista baptizatus fuit. Ignem ab omni scoria depuravit, quando sanctissimum Spiritum suum in die Pentecostes sub ignis specie ad nos misit. Pari igitur modo terram per pretiosissimum hoc sudoris sui lavacrum mundare disposuit : *Sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

**5.** — S. Irenæus contra illorum perversam hæresin, qui Christum verum hominem fuisse, obstinate detrectabant credere, ita scribit [3] : « Sed nec
« Joannes discipulus ejus, de eo scribens, dixisset :
« *Jesus autem fatigatus ex itinere sedebat* : nec
« David proclamasset in eum : *Et super dolorem*
« *vulnerum meorum addiderunt* : nec lacrymasset
« super Lazarum, nec sudasset globos sanguinis. »
Divus Chrysostomus similiter ait [4] : « Ne hypocri-
« sis res ista videatur, neve possint dicere hæretici,
« quia sollicitudinem et tristitiam istam simulave-
« rit ; idcirco et sudoris quasi guttæ sanguinis de-
« fluxerunt, et accessit Angelus confortans eum. »

**6.** — *Sicut guttæ sanguinis, etc.* In multis veteris Testamenti locis peccata sanguinis nomine apellantur. Sic enim apud Isaiam dicitur [5] : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Et Apostolus ait [6] : *Non acquievi carni et sanguini.* David quoque petit [7] : *Libera me de sanguinibus Deus, Deus meus.* Quia igitur *sine sanguinis effusione non fit remissio* [8]. Christus autem eo præcipue fine coram Patre, omnibus totius mundi peccatis onustus, in horto se orantem sistere voluit, ut illa expiaret, sanguineum hunc sudorem deprompsit, ut jam dici possit [9] : *Sanguis sanguinem tetigit.* Et iterum : *Redemisti nos Domine in sanguine tuo.* Ad hæc peccatum etiam per lepram denotatur, prouti Hugo Cardinalis super illa verba S. Lucæ [1] : *Occurrerunt ei decem viri leprosi*, fusius probat [2]. Hanc autem lepram Dominus sibi assumpserat, prout propheta Evangelicus prædixerat [3] : *Reputavimus eum quasi leprosum.* Porro pro hac infirmitate curanda Constantinus quidem edoctus fuit, sanguineum adhibere balneum, ab innocentum puerorum venis extractum : at vero ecce tibi sanguineum incomparabiliter magis salutarem, sanguinem, inquam, Agni innocentis, et immaculati, quem S. Joannes Baptista digito demonstrarat, dicendo : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* ; siquidem [4] *lavit nos a peccati nostris in sanguine suo.* Aquæ Ægypti in sanguinem conversæ, secuturam Pharaonis et Ægyptiorum in mari submersionem prognosticaruut, ut hac ratione populo electo e duræ servitutis compedibus liberato liber ad terram promissiouis daretur transitus. At vero *omnia in figura contingebant illis* : Hæ enim aquæ, hic, inquam, Christi sudor in sanguinem conversus prognosticum erat, Pharaonem infernalem in cruentæ passionis suæ mari rubro fore submergendum : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras* ; nosque submersis in hisce aquis peccatis nostris, a veteri æternæ mortis et dæmonis servitute liberatos, tandem in veram terram promissionis, id est in cœlos introducendos esse. Sanguis pariter agni paschalis portarum liminibus inspersus olim in Ægypto signum fuit, divinam justitiam non percussuram Hebræos, prout Ægyptios percusserat : *Videbo sanguinem, et transibo, nec erit in vobis plaga disperdens.* Porro agnus ille paschalis Christi immaculati Agni typus fuit : cujus sanguis jam ab initio præparabatur ad coercendum divinæ iræ fulmina, quæ genus humanum propter peccata sua promeruerat, quæque tunc magis quam alias divinæ justitiæ trutina ponderabat. Ac proinde hic Agnus sudorem emisit sanguineum copiosissimum, ut æternus ejus Pater *videret sanguinem, nec esset in nobis plagas disperdens.* Drogo Hostiensis in tractatu *de Sacramento Dominicæ Passionis* sudorem hunc considerans, exclamat [5] : « Utinam guttæ sanguinis, qui de agone
« tuo sudat, usque ad terram currat, et aperiat terra
« os suum, et bibat illum et clamet ad te et tecum
« Patrem, melius quam sanguis Abel. » Rupertus Abbas similiter hujus sanguinis Abel mentionem faciens, eundemhuic opponitsanguini, quem Christus in horto sudavit [6] : *Accessistis*, inquit Apostolus, *ad mediatorem Jesum et sanguinis et aspersionem, melius loquentem quam Abel.*

**7.** — Apud Isaiam Prophetam dicitur [7] : *Vere languores nostros ipse tulit.* Etenim genus humanum

[1] *Ps.* CXXIX, 7. — [2] CASSIOD., *ib.* — [3] S. IREN. — D. CHRYS., *in Matt.* — [5] ISA., II, 11. — [6] GALAT., I, 16. — *Ps.* L, 16. — [8] HEB., IX, 22. — [9] OSEE, IV, 2.

[1] LUC., XVII, 12. — [2] HUG. CARD., *ib.* — [3] ISA., LIII, 3. — [4] APOC., XV. — [5] DROG. HOST., *de Sacramento Domin. Pass.* — [6] RUP. ABB., *ib.* — [7] ISA., LIII, 4.

propter pomi vetiti, in paradiso terrestri manducati, indigestionem inumeras contraxit infirmitates mortales. Quas tamen omnes in se suscepit cœlestis ille Protomedicus, de quo S. Augustinus ait [1]: « Magnus « de cœlo venit medicus, quia magnus in terris ja- « cebat ægrotus. » Quis autem nescit, multas infirmitates incurabiles per viam sudoris facile sanari, et pelli ? At vero Christus, ut morbi nostri indicaret malignitatem, non quemvis sudorem, sed sudorem sanguineum applicare voluit, ut perfecte sanarentur. Nunquam tamen repertus est medicus, qui ut infirmum sanet, medicinas infirmo præscriptas ipse recipiat, sudetque inter labores et angustias pro infirmi salute. Id tamen ex amore nostri Filius Dei fecit, qui paulo post Petrum reprehendit, dicens : *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum*? Hic inquam, pro homine sudavit, et sanguinem quidem sudavit. Unde S. Augustinus ait [2]: « Effusus est sanguis medici, et factum est « medicamentum phrenetici. » Salmeron ait [3] : « Sudor hominis solet esse crisis medicis, de viri- « bus naturæ in morbum et humorem peccantem « luctantis. Sudor Jesu judicium est morbi nostri « discedentis. » Verum tamen Didacus Stella in Lucam scribens inquit [4] : « Considera, anima mea, « quam periculosa erat infirmitas tua, siquidem « tam ingentis sudoris copia nondum perfecte pec- « catorum tuorum feces purgasti, ut ipsemet Do- « minus de te conquerens, dixit [5]: *Multo labore su- « datum est, et non exivit de ea nimia rubigo ejus.* « Sudor faciei Adami minime ad culpam abluen- « dam conduxit, nec universæ diluvii aquæ suffi- « cere potuerunt ad mundi tollenda peccata : sufficit « tamen sudor salutifer sacratissimi Redemptoris, « fuit namque antidotum et lavacrum sufficiens ad « mundandas animas ab omni labe peccati. » S. Bonaventura similiter hoc crisis punctum his verbis tangit [6]: « Solent per sudorem criticare : sic Chris- « tus pro nobis agonizavit et sudavit : *Factus in « agonia prolixius orabat.* Ecce quam gravis fuit « infirmitas generis humani, quam non per sudo- « rem simplicem, sed sanguinis oportebat curari. » B. Bernardinus de Redemptore nostro ait [7]: « Ad « quamlibet quidem singularem culpam, seu inju- « riam, seu contumeliam summi Patris, habuit sin- « gularem aspectum. » Et paulo post subdit : « Tan- « tum dolebat quot et quantæ erant mortales culpæ : « ad harum aspectum inhorruit, et sanguinem « sudavit. » Salmeron opinionem refert cujusdam dicentis [8]: « Quod Christus ad peccati aspectum expa- « verit. » Quidquid enim est pavoris et formidinis in terris, vel apud inferos, a peccato proficiscitur, quo sublato, nihil erit horribile. Quod Deum timeamus, mortem, diabolum, infernum, vel alias creaturas expavescamus, peccatum fecit [1]. *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Peccati ergo aspectus truculentus ac teterrimus est, cujus sævissima Christo in horto occurrit imago : consideravit enim ejus malignitatem, temeritatem, imprudentiam, et quam invisum fecerit Deo genus humanum, et quanta essent subeunda supplicia pro illo de medio tollendo. Cum igitur se totum peccatis sordidum, et contaminatum videre, quæ suis humeris a Patre imposita sic agnoscebat, quasi sceleratissimus ipse designasset, tanto sudore ac verecundia est suffectus, ut totus sudore sanguineo perlueretur.

**8.** — Non constat ex Scriptura, quod Christus inter sexies mille, et amplius crudelissimos flagellationis ictus unquam conquestus fuerit, imo dixit [1]: *Congregata sunt super me flagella, et ignoravi.* Innumerabiles spinæ nobiliorem, magisque sensitivam corporis sui partem, id est caput transfixerunt; et tamen ne quidem ad unicum edendum suspirium os suum aperuit. Manus et pedes ejus perforati sunt clavis, et patiens fuit. At vero in puncto verecundiæ fortiter lamentatur, dicens [2] : *Tu scis confusionem meam. Verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me.* Verum quidem est, enormia illa peccata, pro quibus expiandis satisfaciebat, ab ipso minime patrata fuisse ; verum tamen veluti ab ipso in se assumpta illa incubuerunt : quis autem est qui nesciat quod quando homo magnam quamdam confusionem patitur, sanguis naturaliter in vultum diffundatur, veluti ad eum tuendum? Hæc autem Christi confusio adeo excessiva fuit, ut sanguis ejus etiam ad omnes exteriores corporis sui partes fuerit transfusus, et inde cum impetu emanarit.

**9.** — Olim apud Hebræos usitatum erat, quod audientes blasphemiam, in signum, quod de contumeliato Dei honore dolerent, vestes suas disrumperent et dilacerarent. Quid mirum igitur, si Filius Dei honoris et gloriæ Patris sui zelatissimus, in conspectu infinitarum iniquitatum totius humani generis, adversus Patrem cœlestem commissarum, non jam vestes, sed sacratissimam carnem suam ardentissimi zeli novacula discendat et laceret, ut torrens sanguinis inde emanare possit ? « Quod si « ficti illi et hypocritæ Judæi, » inquit Salmeron [3], « hoc faciebant; quantum putamus Christum verum « Dei Filium doluisse, ubi omnem injuriam et con- « temptum vidit Patri cœlesti per peccata nostra « irrogari? Propterea ergo tantum mœrorem et « dolorem suscepit, quantum salva vita ferre potuit, « neque ut Judæi, vestimenta scidit, in argumen- « tum doloris sui, sed omne perrupit corpus « suum, ita ut sudor sanguineus ex cunctis mem- « bris illius, præ nimia angustia et tremore, velut « humor ex uva fortiter pressa erumperet. » Lu-

[1] S. Aug., *in Joan.* — [2] Id., *ib.* — [3] Salmer., *ib.* — [4] Did. Stell., *in Luc.* — [5] Ezech., xxiv, 12. — [6] S. Bon., *in Parasc.* — [7] S. Bern., t. 2, s. 56, a. 1, c. 1. — [8] Sal., *ib.*

[1] *Ps.* xxxii, 15. — [2] *Ps.* lxviii, 20. — [3] *Ps.* xliii, 6. — [1] Salm., *ib.*

dolphus Carthusianus ait [1] : « Nunquam aliquis mor-
« talium ob mortis horrorem auditur sudorem fu-
« disse sanguineum, unde patet ejus nunquam
« similem fuisse dolorem. In hoc apparet, quanta
« fuerit amaritudo passionis Christi, cujus sola co-
« gitatio, tantum naturam immutavit, quod præ
« angustia sanguinem sudare coegit. » S. Bernardi-
nus de hoc sudore disserens, illud exponit Jeremiæ
lamentum, dicentis [2] : *In tenebris collocavit me, quasi mortuos sempiternos* : quasi redemptor dicere vellet,
se tot opressum esse doloribus, quot toleraturi sunt
omnes illi, quotquot propter peccata sua ad infer-
num condemnabuntur [3] : « Tantum in mente doluit, »
inquit Bernardinus, « pro æternaliter cruciandis,
« quantum erant tormenta, quibus erant æternali-
« ter cruciandi. »

**10.** — *Sudor ejus, etc.* B. Laurentius Justinianus
affectuosis hisce verbis nos invitat, dicens [4] : « Acce-
« dite nunc huc in spiritu omnes vos, qui pietatis
« viscera gestatis, et qui de Domino sentitis in bo-
« nitate cordis, et in simplicitate quæritis illum.
« Accedite inquam, et quale nobis coram positum
« sit compassionis incentivum, attentissime consi-
« derate. Redemptorem vestrum regemque cœlo-
« rum, orantem, paventem, agonizantem, sangui-
« nem sudantem, mentis oculo contemplamini,
« non tamen sine profluvio lacrymarum. Quomodo
« ora lacrymas continere valebitis, aspicientes pii-
« simi Domini guttas sanguinis decurrentis in
« terram? » Væ illis, qui voci hujus sanguinis non
respondent, inquit Simon de Cassia, neque per
actus veræ gratitudinis ei occurrunt [5] : « Sanguis
« primi hominis justi ad Deum contra fratricidam
« clamabat de terra, et sanguis Christi orationis,
« et crucis profusus ad terram, contra omnes ad
« terram clamat de terra. Igitur væ ingratis. »
Etenim vero præterea, quæ hactenus diximus,
Christus Sponsus cœlestis B. Veronicam de Binasco
in revelatione quadam his verbis fuit affatus [6] :
« Sudor sanguineus carne adversus spiritum durius
« repugnante defluit, vimque naturæ ego intuli,
« imperio Patris mei satisfacturus. Imitentur me,
« qui impia perpetrant scelera quotidie, et pro di-
« vinæ legis servando jure, suaque salute tandem
« nanciscenda adversus carnis incentiva dimicent :
« vim sibi inferre conentur, ut peccata devitent,
« quemadmodum ego ipse paterna jura capescens,
« reluctantem carnem devici. » Idem præcitatus
Simon de Cassia circa hunc sudorem prolixe in hæc
verba discurrit [7] : « Mens mea semetipsam cogit in-
« quirere, sed non potest ; tamen scire peroptat,
« an orabat prolixius, quia sanguis exibat, an san-
« guis defluebat e corpore, quia prolixius, et vehe-
« menter orabat. Eratne sanguis defluens orationis
« accensio, an oratio sanguinem sic causabat ?
« Anima Christi, ante conspectum constituta divi-
« num, sanguinem manabat ex corpore, an sanguis
« manans animam remittebat ad Deum ? Non dico,
« quod volo, quia tantum non capio, tamen dico
« quod sentio, quod anima Christi profundissime
« Deum orans, corpore, ut suo instrumento, uteba-
« tur ad signa et ad figuras, et ad ostensiones
« eorum, quæ in anima sua divinitus, et humani-
« tus agebantur, in redemptione humani generis.
« In virtute amoris et passionibus corporis perse-
« verantiam docens, ut usque ad sanguinis effusio-
« nem a voluntate divina nullatenus recedamus, ut
« non solum parati simus sanguinem fundere prop-
« ter devitanda peccata, sed etiam propter virtutes
« agendas fundere sanguinem et suscipere mor-
« tem. »

[1] Lud. Carth., p. 2. — [2] Thren., III, 6. — [3] S. Bern., t. II, s. 49, art. 4, c. 2. — [4] B. Laur. Just., *de Triump. Christi agon.*, c. 5. — [5] Sim. de Cass. — [6] Bolland, *ib.* — [7] Sim. de Cass., *ib.*

## DISCURSUS XX.

### ALIA EJUSDEM SUDORIS TANGUNTUR MYSTERIA.

Idea sermonis. — 1. Christi sanguineus sudor fuit semen sanguinis martyrum. — 2. Quare Christus per miserit ut guttæ sanguinis defluerent in terram. — 3. Natura Christi intus violentata, sudavit sanguinem. — 4. Omnis sanguinis Christi effusio, fuit voluntaria. Ut nos Christus suo ditaret sanguine tria patravit miracula. Sanguis per sudorem expressus, maximi faciendus et quare. — 5. Eruptio sanguinei sudoris comparatur generoso musto erumpente ex vase. Quare Christus sanguineum sudorem distulerit usque ad agonem suum. — 6. Adducuntur aliæ rationes expressivæ hujus sanguinei sudoris. Timor et amor pugnabant in corde Christi, sed amor vicit. — 7. Invitamur ad inæstimabilem hunc thesaurum colligendum.

*Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Luc., xxii, 44.

**1.** — SS. Patres certatim inter se contenderunt, ut hujus admirabilis sudoris Redemptoris nostri mysteria indagarent, et quidem tametsi in discursu præcedenti varia consideraverimus, præter illa tamen multa alia restant consideranda. Et quidem S. Prosper [1] de hoc sudore epigramma quoddam composuit, cui titulus est : *Orans cum sudore sanguineo Dominus noster Jesus Christus, significabat de toto corpore suo, quod est Ecclesia, manaturas martyrum passiones.* Ejus autem versus sunt sequentes :

Ferre parans Christus pœnam, mortemque propinquam,
Invictamque suis ingenerare fidem,
Cum prece sanguineas fundebat corpore guttas,
Et pretium mundi sudor erat Domini.
Nec crucis asperitas poterat terrere volentem.
Quæ regnaturæ gloria carnis erat.

[1] S. Prosper, in *Epigr. de sudore Christi sanguineo*.

Sed cruor ille pares sanctis spondebat honores
Orturis toto corpore martyribus,
Nam cum sacra seges terrarum impleverit orbem,
Omnis ab hoc uno semine messis erit.

**2.** — Hugo Cardinalis rationem assignat, cur Christus inæstimabile hoc sanguinis sui pretium in terram decurrere permiserit, cum verisimile sit angelos et speciatim S. Michaelem, qui ad illum confortandum cœlitus missus fuerat, eum recollegisse et tanquam reliquiam pretiosissimam custodisse. En verba Hugonis [1] : « In terram decurrere « voluit sanguinem suum, ut sic ostenderet, quod « pro terra, id est pro Ecclesia, et orabat, et patie- « batur, ut ipsam suo sanguine irrigatam fœcunda- « ret. » Simon de Cassia similiter inquit [2] : « San- « guineus est sudor, guttæ sanguinis sunt, et « futuras martyrum prænotant passiones. » Idem auctor paulo ante dixerat : « An aliquid futurum « successu temporis significabat, ut velut caput in « figura transmitteret in membra? » Enim vero corpus Ecclesiæ Christi mysticum in progressu sæculorum ad imitationem capitis sui et pro fidei suæ defensione in tot martyribus, quorum etiam hisce diebus nostris in mundo novo multæ inaudiuntur palmæ, salutari et pretioso hoc sanguinis illorum torrente humectatæ et irrigatæ, sanguinem suum effusurum erat; de quibus proinde martyribus merito canitur : *Isti sunt, qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo, calicem Domini biberunt.* Christus igitur sanguinem sudans, omnia Martyrum tormenta, per vivacissimam apprehensionem ob oculos sibi habebat proposita, quibus proinde intime compatiebatur et ut eis animum suggereret, ad constanter perferenda carnificinæ suæ tormenta, suum in agone pro illis speciatim sanguinem fundere voluit; ac proinde B. Laurentius Justinianus [3] pie meditatur, Christum existimasse, se lapidari in S. Stephano, crucifigi cum S. Andrea, assari cum S. Laurentio, decoriari cum S. Bartholomæo, feris objici cum S. Ignatio et sic de cæteris. S. Ambrosius ad nostrum propositum inquit [4] : « Consummaturus susceptæ carnis officia, « cum perfectionem in discipulis jam videret, quos « verborum suorum radice fundaverat, hortum in- « greditur, ut olearum novellas in domo Domini « plantaret et justum palmæ florentem modo, vi- « temque fœcundam, rivo sanguinis sui irrigaret. »

**3.** — *Sicut guttæ sanguinis, etc.* « Naturale est « homini in extremo metu, » inquit Lucas Brugensis [5], « et summis animo angustiis, ob mortem, « aut alia mala imminentia constituto, sudare « aquam : metus, angustia, anxietasque animo « Jesu ob oculos sibi ponenti proximos crudelis- « simæ mortis cruciatus hujusmodi fuit, ut sudarit « etiam sanguinem, natura tantam intus patiente « violentiam, quantum per poros carnis, cutisque « ejecerit una cum aqua sanguinem. » Idipsum Simon de Cassia diu ante in hæc verba scripserat [1] : « Sudat in laboribus Christus, quos a juventute « sustinuit, sudat pro æstu validi belli, sudat morte « vicina, quia ventura in crastinum, nec non « Christi sudore genus curatur humanum. » Idem paulo ante dixerat : « Vehementiam laboris et « æstus invisibilis agonis sudor missus declarat, « nam ex labore nimio, similiter et ex æstu con- « sueverunt corpora sudare. »

**4.** — *Factus est sudor ejus, etc.* Salmeron super hæc verba ita scribit [2] : « Sudat sponte, voluntarie « sanguinem fundens, quo intelligamus, illum qui « fundendus est per verbera, coronam spineam, « clavos et lanceam, totum voluntarium esse, et « nihil in eo invitum. » Et ratio evidens est et infallibilis, quia [3] *oblatus est, quia ipse voluit.* Idipsum *ad litteram* Simon de Cassia scripserat, addendo tamen [4] : « Ut ostendat nihil esse invitum, quod in « anima et corpore tolerabat. » S. Bonaventura multas a Redemptore sanguinis sui effusiones factas considerans, ait [5] : « Attendendum est, quod Domi- « nus fudit sanguinem suum pro nobis in circum- « cisione, oratione, flagellatione, coronatione, « manuum et pedum crucifixione, et lateris « apertione, ut sic appareat verum illud : *Apud « Dominum misericordia, et copiosa apud eum « redemptio.* » Inter omnes tamen hasce effusiones specialiter et in pondere sanctuarii ponderanda est effusio illa sudoris sanguinei, utpote quæ nullum aliud habuit sui instrumentum, per quod sanguis ille eliceretur et funderetur, præterquam amorem suorum et ardentissimæ dilectionis suæ impulsum. Unde Salmeron ait : Quanquam omnis Christi sanguis sit pretiosus et immensi valoris, iste tamen qui non incisa ejus carne per flagella, nec transfixo capite per spinas, nec perforatis manibus et pedibus per clavos, nec latere per lanceam aperto effluxit, in magno honore est a nobis habendus, quemadmodum myrrha prima, sive myrrha electissima illa est, quæ ultro decidit. Balsamum sponte cadens suaveolentius est et carius. Unde Ecclesiasticus ait [6] : *Sicut balsamum aromatizans, odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris et quasi libanus non incisus vaporavi.* Enim vero Redemptor noster, ut pretiosissimo suo nos locupletaret sanguine, tria distincta patravit miracula, quibus modo insolito et supernaturali, sanguinem suum nobis contulit. Primum miraculum in ultima cœna edidit, quando vinum in sanguinem et corpus suum in animarum nostrarum nutrimentum pariter et pretium transmutavit. Secundum

[1] Hug. Card., *in Luc.* — [2] Sim. de Cass. — [3] B. Laur. Just., *de Triumph. Christi agon.* — [4] S. Amer., *de Sp. Sancto.* — [5] Luc. Brug., *in Luc.*

[1] Sim. de Cass., *ib.* — [2] Salm., t. X, tr. 15. — [3] Isa., liii, 7. — [4] Sim. de Cass., *ib.* — [5] S. Bonav., *in Luc.* — [6] Eccl., xiv, 21.

miraculum in horto Gethsemani contigit, quando sponte et solius voluntatis suæ, cum voluntate Patris perfectissime conformatæ, imperio, sanguinem suum e corpore foras protrusit. Tertium fuit sanguis ille, qui post mortem Christi ex latere ejus per lanceam aperto manavit : *Exivit sanguis et aqua*. Primum miraculum in cœna sine ullo dolore edidit. Secundum vero in horto cum dolore excessivo patravit : *Factus in agonia cœpit pavere : Tristis est anima mea usque ad mortem.* Tertium pariter sine dolore factum fuit, quia contigit, postquam anima divisa fuit a corpore, jamque extra statum merendi posita. Unde clare satis videtur, hunc sudorem sanguineum, præ quovis alio, maximi esse faciendum, siquidem hunc nobis dedit cum tam atrocium dolorum perpessorum merito et corde erga nos ardentissimo amore inclinato, ut deinceps dicetur. Simon de Cassia ait [1] : « Sudat sudore sanguineo, « ut supra naturam communem hominum dicat « esse amorem, qui aquam in oratione pro omni- « bus fundit et sanguinem. » Lucas Brugensis inter alias excessivi Christi amoris rationes hanc quoque adducit [2] : « Jam quare Jesus sudare volue- « rit etiam sanguinem, quid melius dicas, quam « ut copiosissime nos redimeret et largissime pro « nostris peccatis satisfaceret? Considerare enim « licet, quam fervidus amoris ignis occuparit cor « Jesu, qui vivum sanguinem per corporis poros « distillare coegerit, quemadmodum vehementia « ignis facere solet, ut aqua e rosis emanet. Nimi- « rum volebat sacrificio, Patri pro nobis mox offe- « rendo, addere hunc odorem suavitatis, hunc in- « quam sudorem sanguineum, cum lacrymis et « prece valida conjunctum. » Idipsum quoque Didacus Stella, super S. Lucam scribens, ad unguem descripsit. S. Bernardinus similitudinem affert ollæ bullientis [3], quæ quanto major est ignis ardor et intensior calor, quem intus concipit, tanto majorem spumæ copiam emittit. Immensus plane, inquit, et ferventissimus amor in hoc manifestatur. Sæpe enim fervens ebullitio emittit ad extra. Proinde quantum anima Christi charitatis igne in intimis bulliendo ferveret, scaturitio hæc sanguinis clarius manifestat. De hoc sudore Salmeron pariter ita scribit : Sanguineo sudore declaravit, quantum nos amaret, quasi diceret : Tanta dilectione erga hominem peccatorem afficior, ut etiamsi nullus adsit carnifex, sanguinem per meipsum fundere sim paratus, ut illi medear : quemadmodum pelicanus proprio rostro pectus percutit, ut sanguine suo pullos a serpente ictos a veneno sanare queat. Et quemadmodum fervens ebullitio sæpe extra emittit, quod intus delitescit, ita pectus Christi charitate incensum et bulliens, et externa sanguinis effusio declaravit, et ita torcular calcavit solus, et de gentibus non fuit vir secum. In horto enim cœpit Christi caro velut in torculari calcari et sanguinis robur ex uva expressa defluere, et tunc non fuit vir secum, quia qui cum illo erant, vel dormiebant, vel ad fugam se parabant. S. Bernardinus aliud insinuat mysterium, dicens [1] : « Mystice san- « guis Christi decurrens in terram, signum erat « profusionis animæ ejus per dilectionem ad hu- « manam naturam, ut vita super mortem effunde- « retur, ipsam videlicet sorbendo. In sanguine enim « dicitur esse vita. Terra nempe mortalis Adam et « ex ea contracta propago est, super quam tota vita « Christi decurrit, ut hoc mortale compositum « absorbeatur ab eo. » Idem quoque apud Simonem de Cassia legitur.

**5.** — *Factus est sudor ejus.* Paulo ante torcularis mentionem fecimus, cui Redemptor noster apud Isaiam passionem suam assimilat [2]. Videmus autem per experientiam, quod quando vinum est generosum, mustum illius tempore vindemiæ adeo impetuose ebulliat, ut impetu suo nonnunquam vasa disrumpat et circulos vasa cingentes confringat, ob caloris et bullitus sui vehementiam. Similiter sanguis Christi adeo fervide pro homine pati desiderabat, ut impatiens moræ quam lictores trahebant (siquidem Judæ, qui egressus e cœnaculo satellitum et lictorum se ducem constituit, dixerat : *Quod facis, fac citius*) illos diutius exspectare non potuerit, ideoque sanguis de venis ipsius ultro eruperit. Unde Lyranus ait [3] : « Supernaturaliter fac- « tum est, ut sanguis pro sudore exiret, ut sic « Christus suum sanguinem pro salute nostra ef- « fundere inciperet. » Porro Filius Dei specialiter pro redimendo Hebræorum populo electo in terram descenderat, ideoque ait [4] : *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*, licet postea simul etiam universum genus humanum redempturus esset : verumtamen Synagoga redemptionem suam nihil faciens aut curans, illum tanquam seductorem morti tradere contendebat, quemadmodum in conciliabulo illo conclusum fuerat, in quo Caiphas dixit [5] : *Expedit, ut unus moriatur homo pro populo.* Dum igitur sanguinis sui sitibundi sese armarent, eique approximarent, ostendere illis voluit per ultroneum sanguinis sudorem, se majorem habere sitim fundendi sanguinis sui, quam ipsi ad eumdem per tormenta eliciendum et hoc forte dicere voluit, quando in Psalmo LXI, 5, ait : *Pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti.* Observandum quoque est, quod S. Joannes divini amoris secretarius de passione tractare incipiens, in hæc verba proruperit [6] : *Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Hac igitur hora jam imminente, san-

[1] SIM. DE CASS., *ib.* — [2] LUC. BRU., *ib.* — [3] S. BERN. SEN., t. I, s. 55, a. 1, c. 3.

[1] S. BERN., *ib.* — [2] ISA., LXIII, 3. — [3] LYR., *in Luc.* — [4] MATT., XV, 4. — [5] JOAN., XVIII, 14. — [6] JOAN., XIII, 1.

guinis sui effundendi impatientissimus erat, ut lytrum redemptionis nostræ expediret. Unde Simon de Cassia ait[1] : « An erat amor, quo salutem hu-« mani generis festinabat efficere? An erat festina-« tio, qua paternam voluntatem quam omnibus « præferebat, volebat implere? » Verum enim vero dubium hoc loco exsurgit : ex quo enim ut in discursibus præcedentibus probavimus, a primo conceptionis instanti Redemptor noster passionem suam exorsus fuerit (ipsomet dicente[2] : *In laboribus a juventute mea*, ubi alii legunt, *moriens agonizans a puero*. Et apud Isaiam[3] : *Ecce opus illius coram illo*. Nec non in Psalmo XXXVII, 16[4] : *Dolor meus in conspectu meo semper* : cur igitur aliis temporibus sanguinem non sudavit, sed sudorem hunc usque ad suam agoniam distulit? Respondetur igitur, Judæos et gentiles nunquam antea simul fuisse armatos, ut eum caperent et morti traderent, quemadmodum in hac occasione fecerant. Nunc enim alii conficiebant virgas et flagella, alii catenas adducebant, alii acuebant clavos, alii denique patibulum fabricabant, unusquisque se sanguinis ipsius sitibundum declarabat. In hac igitur occasione constitutus redemptor, per hanc voluntariam et copiosam sudoris sanguinei effusionem ostendere voluit, se ex motivo amoris erga nos, majorem habere voluntatem et ardentiorem sitim sanguinem suum fundendi, quam ipsi habuerint, eumdem per vim tormentorum eliciendi. Unde S. Bernardinus ait[5] : « Statim fervidus velut athleta, ebulliens amor et « triumphans fortitudine, sciens omnia quæ ven-« tura erant super eum, occurrit impiis. O quali « amore fornax Jesu incensa erat, quæ sic carnem « suam totam in sudore relinquebat! »

**6.** — *Factus est sudor ejus, etc.* S. Epiphanius ad probandam in Christo humanitatis nostræ veritatem, sequens fecit argumentum : « Ab iis quæ cor-« poris expertia sunt, manare sudor non potest, « quare hoc ipso quod sudore defluxit, veram esse « carnem ostendit. At hæc sine anima ac mente « angor et anxietas esse non potest. » Ex qua veritate sequentem deducere possumus consequentiam, scilicet quod etiam in ipso timor et horror mortis locum habuerit : id quod Evangelistæ testantur, dum aiunt : *Cœpit pavere*. Et Christus ipse, dicens : *Tristis est anima mea usque ad mortem*. At vero dices fortasse : quonam igitur modo sanguinem sudare potuit; siquidem naturæ proprium est, quod in homine, ingenti timore correpto, sanguis potius ad cordis regionem properet ad illud fortificandum, non vero ad exteriores corporis partes impellatur? Ad quod multifariam respondetur. Et quidem in primis responderi potest, quod licet homo naturaliter, in magno pavore constitutus, exsanguis remaneat et pallidus, propter recursum sanguinis ad cor; hanc tamen cordis confortationem Christus admittere recusarit, seque hac restauratione ultro privare voluerit, ut ostenderet, quanta cum promptitudine decretum amplecteretur paternum, amarum illum calicem exhauriendi. Ut enim præter ordinem et mensuram pateretur, hunc sanguinem tanto cum impetu a corde suo pepulit, ut ab extremis totius corporis partibus cum vehementia prosilierit. Secundo dicere possumus, hunc sudorem ab invicibili causatum fuisse fortitudine Redemptoris jam per angeli apparitionem, nec non per sibi manifestatam æterni Patris voluntatem animati et corroborati; tametsi enim sanguis, ex instinctu naturali, in magno timore ad cor se recolligat, atque ut diximus, a partibus exterioribus fugiat et consequenter sanguineus sudor contingere nequeat; attamen generosum cor Christi amore accensum et patiendi avidum, sanguinis sui pusillanimitatem, qua ab exterioribus partibus, quantum poterat, ad cordis regionem se recipere parabat, ne effunderetur, advertens, per ardentissimi amoris sui impetum, suam ei ignaviam improperando, in tali copia illum foras pepulit, ut terram in qua jacebat, irrigaret. Unde S. Bernardinus ait[1] : « Timor et amor bellantes erant in « corde Jesu, ex quibus tandem amor victor evasit. « Super hunc enim timorem rejiciendum, fortissi-« mus et ferventissimus amor, tanquam miræ « magnitudinis malleus repercutiens et ipsum a « corde excludens, omnes poros corporis Jesu « Christi et venas largiter laxavit, ut sic de toto « corpore flueret sanguineus humor. Et quia anima « est in qualibet corporis parte tota, et est ipsius « corporis vita, idcirco ad ostendendam immensi-« tatem doloris sui, debuit dolorem suum indicare « in omnibus membris suis. » Salmeron omnia hæc prædicta puncta in sequenti discursu conclusit, dicens[2] : « Alii aiunt, tempore timoris omnem san-« guinem se ad corroborandum recipere. Unde « homo timens pallet ob absentiam sanguinis. « Christus tamen postquam angelo confirmante « calicem acceptavit et mortem crucis, quam de-« precabatur, qui prius pallebat, factus est rubi-« cundus, charitate victrice in eo. Percussit sensum « sine gladio et expulit sanguinem, exivitque san-« guis et aqua, sive sanguineus sudor, sicut pater « eum effundi volebat, quod factum est, vel ex frac-« tione venularum, quæ sanguinem continent, vel « ex nimia sanguinis attenuatione et commotione. « Et ita sanguis subtilis per poros apertos exivit et « in globos, sive glumos congestus est. Itaque sicut « voluit a Patre deseri et a seipso noluit corrobo-« rari, sed expectavit consolationem ab Angelo. « ita noluit sanguinem cor adire, quo illud robora-« ret, sed voluit cor suum deseri et fortissima cha-

[1] SIM. DE CASS. — [2] *Ps.* LXXXVII, 16. — [3] ISA., XL, 10. — [4] *Ps.* XXXVII, 16. — [5] S. BERNARD., *ib.*

[1] S. BERN., *ib.* — [2] SALM., *ib.*

« ritas, ut malleus repercutiens, eum pro nobis « foras effudit. »

**7.** — *Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* S. Bernardinus hæc verba discutiens, unumquemque nostrum ad inæstimabilem hunc thesaurum recolligendum invitare videtur, dum in devotos hosce prorumpit affectus [1] : « De- « currit in terram sanguineus Christi sudor, ac « rigatur terra divino cruore, ut terra nostri cordis « pinguedine fœcundaretur : in cujus mysterium « in villa Gethsemani, quæ villa pinguedinis inter- « pretatur, effunditur in terram hæc pinguedo salu- « tis. » Quod idem monitum diu ante Simonem de Cassia expresserat. S. propheta Job Redemptorem nostrum sub specie aquilæ repræsentans, hoc nobis filiationis suæ tradit indicium [2] : *Pulli ejus lambent sanguinem.* Ubi alii legunt : *Volutabuntur in sanguine* In hoc enim Christi sanguine, sine metu volutari possumus, quia cum omnis alius sanguis se in eo volutantes commaculet, solus hic sanguis ad mundandas et purificandas animas nostras sufficit. Anima illa, quæ Dei vocationes surdis exceperat auribus, sibi dici audivit [3] : *Aperi mihi soror mea sponsa quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.* Etenim in vehementi sudore caput primo sudare incipit, indeque sudor ad capillos quoque capitis Christi transfusus fuerit, hicque sudor sanguineus nos ad cordis nostri portam aperiendam dulciter invitat.

## DISCURSUS XXI.

### DE TURMIS ET COHORTIBUS ARMATIS, NECNON DE APPARATU, QUO HÆ AD HORTUM PROCESSERUNT, DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Omnibus Apostolis dormientibus solus Judas vigil adornat proditionem. — 2. Ultra mille milites convenerunt ad capiendum Christum. — 3. Hujus affertur ratio. — 4. Judæi voluerunt mortem Christi justificare per auctoritatem Cæsaris, ejusque satellitum. — 5. Credibile est multos Synagogæ primates se personaliter immiscuisse satellitibus. Hujus datur ratio. — 6. Variæ adducuntur rationes, quare venerint cum laternis et facibus. Quali pœna fuerint puniti propter admotas lucernas. — 7. Judas magna temeritate armavit satellites armis et fustibus.

*Judas ergo cum accepisset cohortem, et a Pontificibus et Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis,* Joan., XVIII, 3.

**1.** — Eo tempore quo Apostoli, et inter hos specialiter Petrus, in profundo somno sepulti erant (quem ipsi, cœlestis Magister his verbis improperavit : *Sic non potuistis una hora vigilare mecum?*) Judas pharisæorum, pontificum, principum Synagogæ, et Pilati domos, et palatia circumvagans, et oberrans, ut ab iis cohortes armatas, ad Christum capiendum, conduceret, satis se non dormire, aut dormitare ostendit : *Cum accepisset cohortem,* etc. Unde Lucas Brugensis sequens elicit documentum [1] : « Dormientibus discipulis, Judas non dormit, sed « sedulo vigilat, ut proditionis facinus ad finem « perducat, quod est pravitatis humani ingenii « exemplum, qua fit ut plus vigilantes sint ad ma- « lum reprobi, quam ad bonum pii. » Unde in hac occasione Christus apud Lucam dixerat [2] : *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Sententia est Isidori, dicentis [3] : « Omnis ars sæcul « hujus strenuos amatores habet, et ad exequendum « promptissimos : » quod tamen in servis Dei sæpissime fallit, quia tametsi illi, quos Christus secum habebat Apostoli essent in ejus schola eruditi, unus tamen illorum eum tradidit, alter ipsum negavit, omnes vero reliqui in turpem se fugam conjecerunt. « Plerosque igitur habes sectatores languidos, tepi- « dos, et pigritiæ inertia congelatos. » Quando lictores Agnum immaculatum ad macellum perducebant, nonnemo ex illis ferventior e plumis excitatus, somno plenus, soloque linteo contectus, ipsum quidem sequi voluit, sed fervor hic non diu duravit, nam ut sacer textus ait [4] : *Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, et tenuerunt eum, at ille rejecta sindone nudus profugit ab eis.* Neminem igitur lateri Christi in passione assistentem invenietis, præterquam traditorem, et omnes alios ejus persecutores. At vero dicite sodes, quonam fine Judas se per adeo numerosam gentis armatæ multitudinem fortificavit quandoquidem per trium annorum decursum quibus ejus discipulus fuerat, sæpius eum de sua passione tanto cum jubilo desideriis loquentem audierat, ac si ad nuptias abiturus esset [5] : *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coactor, usque dum perficiatur?* Sciebat insuper, quod præ quavis alia virtute suis mansuetudinem præcipue inculcarat, dicendo [6] : *Discite a me quia mitis sum.* Item quod tanquam Agnus a S. Joanne demonstratus fuerat : *Ecce Agnus Dei*; quodque Isaias de ipso prædixisset [7] : *Sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Sciebat pariter, quod operaretur miracula, quodque etiam super ipsammet mortem haberet auctoritatem, utpote qui in vita sua multos defunctos ad vitam revocarat. Cur igitur multitudinis armatæ congregavit exercitum quando hic vel non sufficiebat, ut se superhumanæ omnipotentiæ suæ opponeret, vel non requirebatur circa eum, qui libenter ad patibulum properabat. Enim vero quemadmodum corvus in cadavere, omnium primo oculum deprædatur, ita primum quod diabolus in peccatore facit, est, quod

[1] S. BERN., *ib* — [2] JOB, XXXIX, 30. — [3] CANT., V, 2.

[1] LUC. BRUG., *in Matt.* — [2] LUC., XVI, 8. — [3] S. ISID., *de summo bono.* — [4] MARC., XIV, 51. — [5] LUC., II, 50. — [6] MATT., XI, 29. — [7] ISA., LIII, 7.

lumen, judicium et discursum ei eripat, dicente Psalmista [1] : *Comprehenderunt me iniquitates meæ et non potui ut viderem.* Corvus igitur infernalis adeo traditorem invaserat, ut Christus de eo dixerit [2] : *Unus ex vobis diabolus est*, et Evangelista similiter testetur [3] : *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas.* Verumtamen quia ut diximus, *filii hujus sæculi prudentiores sunt*, etc., verisimile est, quod una cum Juda omnes alii, qui ad mortem redemptoris anhelabant, certatim ad Christum capiendum sese præpararint.

**2.** — *Judas ergo cum accepisset cohortem.* « Adverte,» inquit Salmeron [4], « cohortem esse militum caterva constantem trecentis viris secundum Ruperum et secundum alios constat ex mille centum viginti quinque peditibus, non nisi fortibus, et militaris artis gnaris. » Lucas Brugensis sensus litteralis accuratus, et pereruditus interpres, quasi idipsum scribit, dum ait [5] : « Cohors mille, paulo « que plures milites complectebatur; Chrysostomus « mille viros hic adfuisse affirmat. » Hi autem milites ad præsidem Judææ pertinebant, scilicet ad Pontium Pilatum qui ex parte Cæsaris illam gubernabat provinciam. Modum vero quo Judæi hanc a Pontio Pilato obtinuerunt cohortem, idem auctor in hæc verba refert : « Impetrarunt principes a præside cohortem, prætextu comprehendi « hominis alicujus seditiosi, promissa militibus « pecunia, pro opera quam ad hoc essent acturi. « Militaris enim ordo, auri est mancipium, inquit « Theophylactus. Militares viri mercede omnia audent, inquit D. Chrysostomus. »

**3.** — *Cum accepisset cohortem.* Certissimum est, quod Origenes notat, dicens [6] : « Scientes multitudinem eorum, qui jam crediderunt in eum ex « populo, tanti venerunt adversus eum, timentes « ne multa multitudo credentium de manibus eorum raperent eum. » Christus etenim multa hominum millia per integri tridui spatium in inculto et sterili deserto, famelica et fatigata, ex omni sexu, post se trahere potuerat, eademque septimana plebs Hierosolymitana ei tanquam Messiæ acclamaverat, et triumphaliter exceperat, olivas coram eo deferendo et palmas, atque ideo non immerito timere poterant, ne forte captivitatis suæ causa, ingens in urbe excitaretur seditionis tumultus : « Ne forte populus Jesu favens, » inquit Lucas Brugensis « qui plurimus hoc tempore Jerosolymis « agebat, etc. » Et ideo mutua inter se de assecuranda Christi captivitate agitabant consilia, nullum autem reperiebant magis opportunum quam si Judæ cohortem attribuerent armatorum virorum, ut populus terreretur « partim multitudine ca« pientium, partim auctoritate non tantum principum suorum verum etiam Cæsaris, cujus erant milites. » Quam eamdem considerationem S. Augustinus ante cunctos alios his verbis expressit : « A præside acceperunt cohortem, tanquam ad tenendum, « reum servato ordine legitimæ potestatis, ut nullus eis tenentibus Christum auderet resistere.» Lucas Brugensis, super S. Matthæum de Juda omnium militum, et satellitum Christum capere volentium capite et duce ita scripserat : « Cum non ignoraret hinc summum populi erga Jesum favorem, « hinc ipsius Jesu virtutem admirandum, putavit « populum turba hac compesci posse, si forte vel « in horto impedire vellet, ne Jesus caperetur, vel « in itinere captivum vellet e manibus eripere. « Jesum quoque si se defendere vellet, aut effugere, « putavit multitudine opprimi posse, et ita circum « agi, ne qua elabi posset, aut vi, aut arte de medio « volentium eum tenere, quemadmodum aliquando. » Id quod forsitan prædictus auctor a S. Paschasio didicit, qui eamdem adhibitæ in capturam Christi cohortis illius reddidit rationem, inquiens [2] : « Timentes ne magna multitudo credentium, eum « de manibus eorum præriperet. » Qui idem aliud quoddam punctum tangit, licet multis antea sæculis ab Origine traditum, dicente [1] : « Ego autem « existimo alteram causam congregatæ multitudinis contra eum, quoniam qui putabant eum in « Beelzebub ejicere dæmonia arbitrabantur eum « ex quibusdam maleficis disciplinis et magicis, « posse effugere de manibus volentium eum tenere. « Et forsitan quidam eorum audierant, quomodo « aliquando, cum jam præcipitandus esset de superi« cilio montis, effugit manus jam tenentium se « non fuga simplici, et humana, sed alia quadam « extra naturam humanam. »

**4.** — Potest quoque aliud hujus submissæ cohortis adduci motivum, a diabolica Hebraismi politica excogitatum. Tametsi enim principes Synagogæ in materia religionis auctoritatem haberent inquirendi in delicta, reosque capiendi et castigandi; attamen quia mortem Christi per Cæsaris auctoritatem authenticare, eumque tanquam reum læsæ majestatis condemnare, et crucis supplicio (quo usque ipsorum non extendebatur potestas) afficere cogitabant, dicentes [3] : *Morte turpissima condemnemus eum*: ideo Romani præsidis interposuerunt potestatem, ut hac visa, unusquisque de populo contremisceret, defensionemque ejus sibi assumere formidaret videndo eum tanquam læsæ majestatis reum per urbem circumduci, cui accedebat, quod populus videndo in hanc Christi captivitatem milites quoque Pilati intervenire, tanto minus concitari poterat in seditionem, siquidem credere poterat, hanc Christi captivitatem non tam esse negotium synagogæ, quam imperatoris; et consequenter plebs

[1] *Ps.* XXXIX, 13. — [2] JOAN., VI, 71. — [3] ID., XIII, 2. — [4] SALM., t. X, tr. 16. — [5] LUC. BRUGENS., *in Joan.* — ORIG., in *Matth.*

[1] S. PASCH., *ib.* — [2] ORIG., *ib.* — [3] SAP., II, 20.

rudis et instabilis facile sibi persuadere poterat, Christum esse hominem impium et sceleratum, eaque quæ hactenus ab ipso patrata fuerant, meram fuisse hypocrisin, fraudem, et dolum, et proinde non immerito dixerat : *Tanquam ad latronem existis.* Denique cavere volebant, ne forte ipsis imputaretur populi seditio, in favorem Christi excitanda, quod magnopere formidandum erat; quandoquidem major in hanc captivitatem destinatæ cohortis armatæ pars, ad præsidem Galilææ spectabat. Rupertus Abbas inquit [1] : « Cohortem non a « principibus et Pharisæis, sed a præside Romanæ « potestatis, Pontio Pilato, Judas accepit, ministros « suos adjungentibus principibus sacerdotum, et « Pharisæis, ut, si qui ex populo, motu illo per « noctem exciti, dominum defendere vellent, tam « nomine Romano, quam utraque manu armata « deterrerentur. » Subditque sequens peregregium documentum : « Ita gladium evaginaverunt peccatores, et intenderunt arcum suum. Merito ergo « retributum est illis, ut gladius eorum intraret in « corda eorum, et arcus illorum confringeretur. Intraret, inquam, gladius eorum in corda ipsorum, « ita ut pro una cohorte Romana, quam adversus Dominum et regem suum conduxerunt, immensum Romanæ fortitudinis adversus rebellionem suam commoverent exercitum. »

**5.** — *Et a pontificibus, et pharisæis ministros.* Nimirum Judas sollicitus fuit, ut simul cum ipso essent concilii, et magistratuum synagogæ ministri et officiales publici, ut hæc Christi captivitas tanto majori fulciretur auctoritate. Cajetanus super Lucas scribit, quod tametsi verisimile sit, ad Christum capiendum amandatos fuisse ministros, non tamen sit incredibile, multos quoque synagogæ primates huic se armatæ cohorti immiscuisse personaliter, En verba Cajetani [2] : « Tanta tamen erat istorum « majorum cæcitas, ut incredibile non sit ex quo« libet ordine scilicet primorum sacerdotum, ma« gistratus templi et seniorum) aliquem personam« liter advenisse, et non horruisse talem vilitatem. » Etenim Hebræorum respublica per horum assistentiam specimen edere volebat summæ sollicitudinis, qua securitati capiendi Christum tanquam reum, religioni et bono universali admodum perniciosum, cupiebant esse consultum. Porro S. Lucas [3] expresse Redemptorem nostrum improperasse *sacerdotum principibus et magistratibus populi et senioribus,* quod signum est, hos omnes captivitati suæ interfuisse. Convenerunt autem in persona propria, ut milites animarent ad non timendum, imo ad irrogandas ipsi, tanquam famoso malefactori, omnis generis ignominias et contumelias. Unde adimpletum fuit propheticum illud oraculum, dicens [4] : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* Convenerunt enim seniores, et magistratus sæculares, qui aliquam in regimine publico habebant auctoritatem. Concurrit et princeps supremus, utpote cujus locum tenebat Pontius Pilatus, qui suam ad capiendum Christum misit militiam, et satellitum turbam, Convenerunt denique principes sacerdotum, concilii synagoga, utpote ad quos causæ religionis judicandæ spectabant : *Convenerunt,* inquam, *in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus.* Cajetanus inquit [1] : « A curia sæculari cohortem, et a « curia Ecclesiastica ministros Judas accepit, ut, « quod utraque auctoritate fiebat, nemo præsumeret « impedire. »

**6.** — *Venit cum laternis et facibus.* Circa has laternas et faces, quibuscum verum lumen captivum accipere contendebant, varias sacri interpretes adducunt considerationes. Toletus inquit [2] : « Cæcitate « mentis neglecta, exterioribus oculis lumen Judas « admonet, ut lumen justitiæ Christum comprehen« dat. » S. Cyrillus Alexandrinus hanc illorum stultitiam in hæc verba deridet [3] : « Derideri digni, qui « laternis et facibus adversus Christum proficis« cebantur. Timebant forsan, ne, ut in tenebris fieri « solet, aut in foveas caderent, aut pedes lapidibus « offenderent, nec videbant se in lapidem illidere « de quo a Deo Patre dicitur. *Ecce ponam in Syon,* « *lapidem offensionis et petram scandali?* Et par« vam formidantes, in profundum abyssi prolapsi « sunt. » Rupertus Abbas similiter ait [4] : « Et quia « cum laternis et facibus et armis exierunt noctu, « tanquam ad latronem, idcirco lucerna Dei, lu« cerna legis et prophetarum, qua illustrati sunt « Patres eorum, cadet de manibus ipsorum, sicut « scriptum est : *Obscurentur oculi eorum, ne vi« deant,* et idcirco sub armis eisdem, cum quibus « exierunt, semper incurvetur dorsum eorum. » Salmeron de hac Judæ præsumptione, qua magistrum suum cum lucernis et facibus conquirere contendit ita scribit [5] : « Existimabat facibus et lucernis « videre posse illum, qui oculos cæcorum aperiebat, « et videntium claudebat. » Simon de Cassia inquit [6] : « Cum facibus et laternis, quia in vero lumine « Christi cæcati penitus erant. Et nocte veniunt, si« cut æterna nocte damnandi, detenti nocte pec« cati. » Cui consonat, quod apud S. Bonaventuram in hæc verba legitur [7] : « Lumen verum quærebant « in tenebris, quod quidem faciebant eorum tenebræ « peccatorum. Unde subdit : *Sed hæc est hora vestra et* « *potestas tenebrarum.* » S. Leo aliam habet considerationem ; ait enim : « Irruerunt ergo in lumen ve« rum et utentes faculis atque laternis, non invase« runt infidelitatis suæ noctem, non intellexerunt

[1] Rup. Abb., *in Joad.* — [2] Cajet., *in Joan.* — [3] Luc., xii, 11. — [4] *Ps.* ii, 1.

[1] Cajet., *in Joan.* — [2] Tolet., *ib.* — [3] S. Cyr. Alex., *ib.* — [4] Rup. Ab., *ib.* — [5] Salm., t. X, tr. 16. — [6] Simon de Cass. — [7] S. Bonav., in *Luc.*

« noctis auctorem.» Mira profecto res! laternis et faculis utuntur ad inveniendum verum justitiæ solem, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, at vero impletum est illud Sapientis oraculum [1] : *Per quæ quis peccat per hæc et torquetur*; quia in pœnam harum lucernarum, evenit populo huic, quod Deus alibi fuit comminatus [2] : *Movebo candelabrum tuum de loco suo*, quia privatus fuit populus ille Hebræorum summo sacerdotio, templo, sacrificiis, cultu et religione, quæ omnia ad populum gentilem sunt translata. Præcipue vero tempore desolationis Jerosolymitanæ verificata fuit prophetia Sophoniæ, in qua Deus ait [3]: *Scrutabor Jerusalem in lucernis*. Unde S. Hieronymus l. VII, c. 17, ita scribit [4] : « Legamus Josephi historias, et ibi « reperiemus scriptum, de cloacis, speluncis, et « sepulcris extractos fuisse principes, et sacerdotes, « qui se in eis metu mortis absconderant. » S. Leo in sermone de passione, de Synagoga inquit [5] : « Cum inter faces et laternas, lumen verum, « tenebris obcæcata suis, non cerneret. » Albertus Magnus ait [6] : « Sic in tenebris ambulantes, lumen « nequitiæ suæ a laternis et facibus mendicabant « Ac proinde merito prædixerat Christus : *Lux venit « in mundum; sed dilexerunt homines magis tenebras « quam lucem.* »

**7.** — *Et armis et fustibus*. Inexcusabilis profecto fuit Judæ temeritas, quia sciens quod a propheta Evangelico vocatus fuisset *Princeps pacis*, et quod Apostolus postea de illo dixerit : *Ipse est Pax nostra*, quodque nihil adeo studiose suis inculcasset, quam hoc : *Discite a me, quia mitis sum*; nihilominus cohortes et turmas armis et fustibus communivit, ut illum caperet, quasi vero non scivisset, discipulos suos esse viles piscatores, remis et non ensibus tractandis assuefactos. Lucas Brugensis prædicta verba sic explicat [7] : « Fustibus, id est, « hastis, lanceis, fustibusque ferratis. » Simon de Cassia hinc sequentem eruit moralitatem, inquiens [8] : « Fustes, sive ligna portant, qui a mentis « insania detinentur. Portant ligna contra factorem « ipsorum impii peccatores, quæ satis sint ignibus « apta, velut præsagia futurorum, quoniam ipsis « ab ignibus inconsumpte semper comburentur « æternis. » Ubi specialiter ponderanda sunt verba illa : « Præsagia futurorum. » Sicut enim Judæi arma portarunt, ut Christum caperent, simulque secum Romanorum militum conduxerunt exercitus; ita quoque iidem Romani milites, sub Tito, formidabili cum exercitu eos invadentes, destruxerunt. Sicut illi per plateas et compita Jerosolymitana cum tanta ignominia raptarunt et flagellarunt Christum Messiam, ita, teste Philone, Romani cate-nis ferreis flagellarunt triginta octo Judæos nobiliores et seniores, eosque summa cum ignominia manibus ligatis per totam Jerosolymam spectaculi causa deduxerunt. Quemadmodum ipsi vilissimo triginta denariorum pretio vitam Christi sibi emerunt, ita in exterminio illius civitatis, ut Hugo Floriacensis testatur, triginta Hebræi unico dumtaxat emebantur denario. Sicut ipsi Christum in solemni Paschati Festo crucifixerunt, ita eodem tempore et ipsi debellati fuerunt et crucifixi, adeo ut tandem eousque excreverit crucifixorum numerus, ut Romanis ligna ad cruces fabricandas, nec non et loca ad easdem in terram defigendas deessent, dicente Josepho historico [1] : « Spatium crucibus deerat et « corporibus cruces. » Denique quemadmodum ipsi funes et catenas ad collum Christi suspenderunt, ac si vile quoddam fuisset mancipium ita quoque vindicativa Dei justitia disposuit, ut hæc ingrata et impia generatio inter omnes totius mundi nationes ad finem usque sæculorum, ad perpetuam condemnata maneret servitutem.

[1] Sap., XI. 17. — [2] Apoc., II, 3. — [3] Sophon., I, 12. — [4] S. Hieron., l. VII, c. 17. — [5] S. Leo, s. 1 *de Pass.* — [6] Alb. Mag., *in Joan.* — [7] Luc. Brugens., *in Matth.* — [8] Sim. de Cass.

## DISCURSUS XXII.

### CHRISTUM ULTRO CITROQUE SE AD CAPIENDUM MILITIBUS OBTULISSE, VARIIS ARGUMENTIS OSTENDITUR.

Idea sermonis. — 1. Quare Christus obviam processerit satellitibus et non potius illos expectaverit in loco in quo erat. Vultus Christi ex sudore sanguineo multum fuit deformatus ut vix illum cognoscere potuissent. — 2. Licet Judas Christum osculatus fuisset, non tamen turba super hoc signum illum apprehendit. — 3. Quare Judas dederit signum osculi. — 4. Satellites verbo Christi prostrati, sic semper mansissent, nisi verbo suo illos erexisset. — 5. Christus in hortum Gethsemani secessit, ut eo facilius inveniretur. Ut captivitatem suam hostibus redderet facilem. Cum turba Christum captura, illum non cognosceret, seipsum illis spontanee manifestat, intrepidus. Christus excitat dormientes Apostolos ut secum obviam vadant illum capturis. — 6. Explican tur mysteria quare Christus a Juda osculum acceptaverit. — 7. Christus spontanee captus mandavit se capientibus, ut discipulos suos libere abire permitterent. Quare Christus miraculose Malcho restituerit abscissam aurem.

*Processit et dixit eis : Quem quæritis?* Joan., XVIII, 4.

**1.** — Quis unquam invenietur tantus mortis, injuriarum, atrocissimorumque tormentorum contemptor, ut illis obviam procedat, eaque ultro amplexetur et ad se invitet? Talis fuit Christus Redemptor noster, de quo S. Joannes ejus secretarius ita scribit [2] : *Sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, et dixit eis : Quem quæritis?* Etenim per divinam suam præscientiam, omnia tormenta

[1] Jos. Hebr., *de Bello Judaic.* — [2] Joan., XVIII, 3.

et dolores acerbissimos, quos toleraturus erat, sigillatim et seorsim ob oculos posita, sibique perspecta habebat, et tamen læta fronte obviam iis processit. Sed cur non potius illorum adventum et illatum sibi ab iis impetum expectavit? Num forte timebat, ne persecutores sui, qui adeo sanguinis sui sitibundi erant et veluti totidem famelici lupi adproperabant, illum non essent quæsituri, nisi obviam procedens illis diceret : *Quem quæritis?* S. Leo, in sermone 1 *de Passione*, inquit[1] : « Nam « cum impius Judas, non jam ovina pelle velatus, « sed lupino furore manifestus, vim sceleris per « speciem pacis incipiens, signum traditionis sæ- « viore omnibus telis osculo præbuisset et multi- « tudo furibunda, quæ ad comprehendendum Do- « minum cum armata militum cohorte confluxerat, « inter faces et laternas lumen verum tenebris « obcæcata suis non cerneret, Dominus, qui ex- « pectare potius turbas, quam declinare delegerat, « sicut Joannes Evangelista testatur, quem quæ- « rant, necdum inventus, interrogat, illisque « dicentibus, quod Jesum quærerent : *Ego sum, in-* « *quit.* » Cajetanus similiter finem hujus interrogationis hisce verbis declarat[2] : « Subjuncturus « Evangelista, quod Jesus interrogavit : *quem quæ-* « *ritis* et quod processit eis obviam, præmittit, « quod sciebat omnia, quæ ventura erant super « eum, ne putares, quod nescius interrogaret, aut « procederet. Ut sponte se pati manifestet, utque « facilius voce propria discernatur a Juda nocte « (cujus facies non tam facile discernebatur) dicit : « *Quem quæritis?* » Potuit etiam fieri, quod vultus ipsius, ob sudorem sanguineum, cujus grumæ faciei et capillis inhærebant, non appareret ille, qui antea fuerat; quemadmodum etiam idem contigere poterat, ex mœstitiæ, tædii et pavoris antecedentis in vultu relicto pallore; quodque propterea propria voce se manifestarit Judæ, qui lictorum caput se facere non erubuerat, *quia fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum.* Scio equidem, quod non nisi cum difficultate crediturî sitis, quod homo aliquis in universa Judæa et Galilæa adeo celebris et famosus, qui tot eximia patrarat miracula, cuique eadem septimana velut in triumpho publice acclamatum fuerat : *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel;* quod inquam, ille, a nemine tot ministrorum publicanorum, sacerdotum, magistratuum, seniorum, pharisæorum, aliorumque in horto Gethsemani agnitus fuerit; nam, prout idem Cajetanus bene observat, si Christum vel ex voce agnoscere potuissent, quis esset, quando eos interrogavit : *Quem quæritis?* utique non respondissent : *Jesum Nazarenum*; sed dixissent : *Te quærimus.*

**2.** — Quidnam S. Joannem dicere voluisse existimatis, quando ait[4] : *Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis?* Hoc nimirum, quod scilicet Judas, postquam magistrum suum ex voce agnovisset, et osculum quod turbis armatis pro infallibili notitiæ indicio dederat, sacratissimi Christi genis impressisset, admiratus, quod, hoc signo edito, turbæ illum nequaquam invaderent, retrocesserit, seque turbarum medio immiscuerit, cum illis hæsitabundus steterit, nesciens quid faceret; non enim turbæ movebantur, quia tametsi media nox esset, nihilominus oculi eorum a vero justitiæ sole præstricti erant. Hanc observationem Salmeron his verbis expressit[1] : « Judas, qui antecedebat « eos, cum dedisset signum osculi, non tamen « signo dato potuerunt ad eum capiendum acce- « dere, imo ne nosse quidem, etiamsi esset pleni- « lunium, et haberent et faces, et laternas; et « Judas qui tradidit eum, et antecesserat, et oscu- « latus fuerat, ad Judæos redierat; quod Joannes « ostendit, cum dicit : *Stabat autem et Judas*, etc. « Ideo Christus ad eos accessit, dicente Evange- « lista : Processit ergo, et dixit eis : *Quem quæritis?* « Quasi enim non cognoscentibus loquitur. »

**3.** — S. Thomas super Matthæum dubium quoddam movet, cujus superius mentionem fecimus, scilicet cur Judas turbis hoc signum dederit : *Quemcumque osculatus fuero, ipse est*; quasi vero de persona quadam ignota capienda ageretur, cum tamen universus populus Jerosolymitanus eumdem, in eadem septimana civitatem asino insidentem, in gredientem triumphaliter excepisset. Ad quod quidem dubium S. Thomas respondet primo[2], quod quia Judas ab aliis coapostolis suis intellexerat, Christum in monte Thabor gloriose fuisse transfiguratum, idipsum arte magica factum fuisse crediderit, ideoque illum per impressum osculum prævenire voluerit, priusquam per artem magicam quicquam faciendi tempus haberet; hancque opinionem Doctor Angelicus a S. Hieronymo traditam fuisse dicit. In cujus probationem observandum, quod S. Marcus de traditore dicat[3] : *Et statim accedens ad eum ait : Ave Rabbi.* Et S. Matthæus pariter scribit[4] : *Et confestim accedens ad Jesum, dixit : Ave Rabbi.* Secunda S. Thomæ responsio desumpta est ex Origene, dicente, quod sicut manna sapore habebat uniuscujusque se illo cibantis gustui consentaneum, « sic Christus apparebat unicuique, « secundum quod habebat opinionem de ipso; ideo « fuit necessarium quod signum daret. » S. Paschasius hac de re tractans, sequentem dati hujus signi assignat rationem, inquiens : « In Judæa habitan- « tibus, secundum faciem pene omnibus manifes- « tus erat. Quid ergo tam diligenter dat eis « signum? » Moxque respondet : « Erat in facie « Jesu nonnunquam quædam divinitatis ejus con- « spersio, ita ut duæ formæ vicissim in eo appare-

[1] S. Leo, ser. 1 *de Pass.* — [2] Cajetan., *in Joan.* — [3] *Act. Ap.*, I, 16. — [4] Joan., XVIII, 5.

[1] Salm., t. X, tr. 16. — [2] S. Thomas, *in Matth.* — [3] Marc., XIV, 45. — [4] Matt., XXVI, 49.

« rent : Una secundum quam omnes eum videbant, « altera secundum quam in monte transfiguratus « legitur; quam sane formam vicissim temperabat, « ut unicuique appareret, secundum quod fuerat « dignus et ipsi expedire probabat. »

**4.** — Lucas Brugensis ait [1] : « Contra faces se « exhibuit Jesus incognitum, contra arma uno « omnes verbo prostravit, idque tanta potentia, « ut nec hostes dorsum vertere, sive ad fugam, « sive ad casum valuerint, sed retrorsum « abeuntes supini ceciderint ; » imo omnes illæ armatæ et ira ferocientes cohortes, ibidem mansissent immobiles usque ad diem judicii, nisi Redemptor noster eadem virtute et verbo suo, quo illas prostraverat, e terra erexisset. « Etsi enim omnes « infirmitatis nostræ affectiones, » inquit S. Paschasius [2], « in se habuerit, nulla earum fuit, ut pati « posset, nisi quia voluit, et in quantum voluit, et « in se admisit. » Unde in hac occasione omnipotentiam suam manifestare voluit, ut omnes intelligerent, quod *oblatus est quia ipse voluit.* « Poterat « verbo suo omnes perimere, » inquit B. Laurentius Justinianus [3], « sicut unico sermone prostra- « verat : verum qui servi susceperat formam, et « non venerat occidere, sed salvare, noluit potes- « tate pugnare, sed humilitate vincere, atque forti- « tudinis tolerantia superare. » Hæc igitur cohortis illius prostratio a benignissimo Salvatore nostro non eo fine facta fuit, ut se a violentia defenderet, vel captivitatem suam evaderet, sed ut omnibus sæculis manifestum faceret, quod tanquam Agnus innocens, qui omnia nostra in se peccata susceperat, voluntate sua spontanea ad macellum properaret. Audiamus hac de re S. Bernardum ita scribentem [4] : « *Et ecce Philisthæi super te, Sampson.* Non « illos abs te absterruit, quod in hora apprehensio- « nis tuæ omnipotenti brachio tuo, terræ eos alli- « sisti, non quidem defensionis causa, sed ut « cognosceret humana præsumptio, nihil se posse « adversum te, nisi quantum permitteretur a te. » Rupertus Abbas ad hanc prodigiosam cohortis prostrationem se reflectens, de Christo ait [5] : « Poterat « efficaciter dicere : Sinite me abire, et habitato- « rem Judæ Sathanam cum satellitibus, et armis « suis sempiternis vinculis alligare, sed oportebat « ut pateretur, oportebat ut hi, quos Pater sibi de- « derat, servarentur. » Theophylactus super Joannem rationem hujus prostrationis turbarum assignans, inquit [6] : « Propter hoc ostendit hoc mira- « culum, quod sufficiebat ad repellendum eos. » Verum observandum est, quod prius eos prosternere voluerit et postea eorum se manibus consignare, ut se hoc spontanea voluntate facere ostenderet. Unde Beda interrogat [1] : « Quare non comprehenderunt, « sed abierunt retrorsum et ceciderunt, nisi quia « hoc voluit? Verum si nunquam se ab eis permit- « teret comprehendi, non quidem illi facerent, « propter quod venerant, sed hoc ipse faceret, « propter quod venerat? » Theophylactus aliam quamdam a supradicta parum differentem assignat rationem; dum enim cohortem et satellites in terram prostratos considerat, inquit [2] : « Prostravit « eos, ut retrorsum caderent, declarans patientiam « suam et quod ad passionem sponte veniret. » Enimvero præter hactenus adducta, alia quoque hujus veritatis indicia examinanda restant.

**5.** — Quodnam igitur in eo latere putatis mysterium, quod Christus in cœnaculo, postquam Judæ dixisset : *Quod facis, fac citius,* eum nihilominus in peccato suo obstinatum videns, sciensque, quod ad conducendam cohortem Romanam, aliosque Synagogæ ministros, ad ejus captivitatem cooperaturos, abiret (*Sciens omnia quæ ventura erant super eum*) nihilominus in hortum Gethsemani, se receperit? Utique nullo alio fine idipsum fecit, quam ut tanto facilius inveniretur; nam ut Scriptura ait : *Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.* Rupertus Abbas ait [3] : « Idcirco hortum introivit, « quia voluntarie ad passionem accedebat et ideo « illuc, ubi ab executoribus citius inveniretur, pro- « peravit. » Voluit igitur benignissimus Jesus captivitatem suam illis facilem reddere, idque ex tribus præcipue capitibus, ut inquit Lyranus. Primo, quia locus extra civitatem ruri positus erat, ubi nulla timeri poterat populi seditio, strepitus, vel tumultus. Secundo, quia hortus ille muris circumquaque clausus erat, ideo fuga ibidem erat difficilis. Tertio, quia libere, sine custodia eo processerant, qui consuetus Magistri sui usus Judæ probe cognitus erat. Et quidem licet Judas turbis signum dedisset, ex quo illum cognoscere possent, attamen Filius Dei ostendere voluit, quod [4] *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Et ideo « ne ex inopinato capi vide- « retur, » inquit Lucas Brugensis [5], « noluit ad pro- « ditoris signum capi. Itaque cum exercitus staret « immotus, relicto Juda, Jesus adiit ipsum exerci- « tum et rogavit intrepidus, quem quærerent, « quasi lacessens eos illis omnibus intelligendum « dans, se præscium, scientem, volentem, spon- « taneum, promptissimo denique animo ad mortem « accedere. » Idem quoque auctor punctum illud tangit, paulo ante a nobis notatum, scilicet, quod ex quo turbæ responderunt, se Jesum Nazarenum quærere, clare satis significarint, se illum minime agnovisse, alias enim dixissent : Venimus, ut te captivum abducamus. En verba ipsius [6] : « Ex eo

[1] Luc. Brug., *in Joan.* — [2] S. Pasch., *ib.* — [3] B. Laur. Just., *de Triumph. Christi agon.* — [4] S. Bern., *de Pass.* — [5] Rup. Abb., l. XIII in *Joan.* — [6] Theophyl., *ibid.*

[1] Beda, *ib.* — [2] Theoph., *ib.* — [3] Rup. Abbas, *ib.* — [4] Prov., XXI, 30. — [5] Luc. Brug., *ib.* — [6] Id., *ib.* —

« quod respondent : *Jesum Nazarenum*, et non : « Teipsum quærimus, intelligitur, quod Jesum « præsentem et alloquentem, adeoque et facibus « et lucernis, et Judæ osculo demonstratum non « noverint, quamvis non ignotus, et facie, et lo- « quela esset compluribus eorum, præsertim mi- « nistris pontificum et pharisæorum. Percussit enim « eos Dominus tali cæcitate, quali Sodomitas, *Gen.*, « XIX, v. 11. Vides vim insuperabilem, inquit Chry- « sostomus, quomodo in medio eorum existens, « eos excæcavit? Et Cyrillus : Potestas ergo divina « Christi enituit, qui quamvis se quærentibus offer- « ret, minime tamen cognoscebatur. » Ingeniosa quoque est illa, quam Didacus Stella super Lucam habet, consideratio ; ait enim [1] : « Sæpius lupum ob- « viam ovi exire et eam invadere vidi, oppositum « autem nisi modo videre mihi nunquam contigit. Et « tu cum innocentissimus agnus sis, excepturus lupos « istos rapaces exis? Tu thesaurus paradisi in manus « prædonum te exponis. » Idem paulo ante dixerat ; « O mira Christi bonitas! Quando voluerunt illum fa- « cere regem fugit, nunc autem exit obviam eis. » Idem quoque considerat qualiter Christus Apostolos suos dormientes excitaverit, dicens : *Surgite, eamus.* Sed quonam, o Domine, ibimus? respondere poterant Apostoli : num forte hinc egrediemur, ut in montis hujus cavernis et speluncis nos abscondamus? Aut vero operari vis aliud miraculum, simile illi, quod fecisti, quando te e monte conati sunt præcipitem agere; tunc enim [2] *per medium illorum transiens abibat?* Nequaquam, inquit Christus, absit a me hæc intentio; sed potius *surgite, eamus, quia ecce appropinquat, qui me tradet.* Subdit igitur prædictus Stella : « Eamus, ne nos inimici nostri abditos « inveniant sicut timidos ; exhibeamus nos illis « facie læta, ne terga demus, nec mortem timea- « mus. » S. Cyrillus super illa verba Christi : *Quem quæritis?* ita scribit [3] : « Interrogat quem quærant, « non quia ignoraret, sed ut eos argueret, qui ne « cognoscere quidem poterant ipsum ; et nos doce- « ret, non potuisse capi, nisi ultro se quærentibus « offerret. » Dionysius Carthusianus super Joannem inquit [4] : « Quemadmodum divina virtute fe- « cit se sæpe invisibilem hostibus suis, quando « voluerunt eum præcipitare et lapidare; sic nunc « fecit se eis incognoscibilem, donec punctum suæ « captionis instaret. » Rupertus Abbas ante omnes alios hanc Christi spontaneam in mortem concessionem notavit; nam super illa verba : *Processit et dixit eis*, etc., ita scribit [5] : « Hoc pro laude spon- « taneæ charitatis, id est, voluntariæ passionis, « Evangelista dixit. » S. Bernardinus quoque super eumdem textum ita meditatur [6] : « Cum Judas pro « signo lethifero ori Christi osculum impressisset, « cum cæteris se retraxit, illis vero stantibus velut « attonitis, ac quadam divina virtute percussis, « Christus mansuetudine plenus, procedens ad eos, « dixit : *Quem quæritis?* O consummata charitas, « quæ foras mittit timorem et mortis excludit « horrorem! O bone Jesu, quid facies amicis te in « veritate quærentibus, qui inimicis ad mortem te « quærentibus, sponte te tradis? » B. Laurentius Justinianus similiter intrepidum hunc Redemptoris animum hisce verbis admiratur [1] : « Tanquam « bellator robustissimus et Christianæ militiæ in- « superabilis dux, iis, qui eum detinere cupiebant, « procedens obviam, dixit : *Quem quæritis?* O « Regis nostri magnanimitas strenua! Assistit, lo- « quitur, interrogat, dicens : *Quem quæritis?* Illi « vero : *Jesum Nazarenum.* Quibus Dominus : *Ego « sum.* Non fugit, non latitat, non se excusat, non « se defendit, sed dicit : *Ego sum.* » Et S. Ephrem de illo dixerat [2] : « Perditionis ac tenebrarum filii « exierunt in tenebris ad comprehendendum so- « lem, qui in momento temporis cunctos exurere « potuisset. » S. Bonaventura super Joannem scribens, ante Didacum Stellam notavit [3], quod « quando « eum voluerunt facere regem, fugit, quando vero « venerunt ad eum capiendum et occidendum, « obviam processit, dans exemplum electis, con- « temnendi mundi excellentias et prosperitates, « et sustinendi tribulationes et adversitates. Unde « et Sancti plus formidant in mundo prospera « quam adversa. »

**6.** — Quodnam, obsecro, in eo latet mysterium, quod benignissimus Redemptor noster osculum a traditore accipere non fuerit dedignatus? Neque enim ullam illius nauseam habuit, quia ut Salmeron ex revelationibus S. Birgittæ refert [4] : « Cum « Judas esset brevioris staturæ, Christus inclinavit « se ad osculum ejus suscipiendum. Hoc autem « osculum aliud non fuit quam lupi morsus inva- « dentis agnum, vel contactus gladii in jugulum « ovis. » S. Bernardus quoque hoc a Christo receptum Judæ osculum admiratur, dicens [5] : « Acceden- « tem ad osculum sanctissimi oris tui trucem bes- « tiam aversatus non es, sed os, in quo dolus « inventus non est, ori quod abundavit malitia, « dulciter applicuisti. Innocens Agne Dei, quid tibi « et lupo illi? Quæ conventio tui ad Belial? » Potuit diabolus ille, qui horribilis quidam inferni titio erat, de se gloriari, se illum osculatum fuisse Dei Filium, qui *speculum est sine macula et candor lucis æternæ.* Dixi, diabolus ille, quia diabolus cor ejus invaserat et in eo quiescebat [6] : *Unus ex vobis diabolus est.* Cur igitur Altissimus ad tantam se abjectionem demisit? Numquid osculum illud renuere poterat? Respondet Lucas Brugensis [6] : « Per-

[1] DID. STELLA, *in Luc.* — [2] LUC., IV, 30. — [3] S. CYR. ALEX., l. XI *in Joan.* — [4] DION. CART., *ib.* — [5] RUPER. ABB., l. XIII *in Joan.* — [6] S. BERN., t. I. f. 45, a 2, c. 1.

[1] B. LAUR. JUST., *ib.* — [2] S. EPHREM, l. III *de Pass.* — [3] S. BON., *in Joan.* — [4] *Rev. S. Brig.*, IV, 64. — [5] S. BER., ser. *de Pass.* — [6] JOAN., VI, 71. — [7] LUC. BR., *in Matt*

« misit Jesus osculum sibi ab illo porrigi, nec aver-
« tit ab eo faciem, duplicem ob causam, a S. Am-
« brosio in Lucam expressam. Semel, ne refugere,
« aut invitus pati proditionem videretur. Semel, ut
« ad sceleris pœnitentiam revocaret. » Observandum est igitur, quod Christus illum amici nomine compellarit, dicendo : *Amice, ad quid venisti?* et tamen nullum excogitari potest evidentius inimicitiæ signum, quam si quis alteri per traditionem pœnosam et infamem mortem machinetur. Respondet Cajetanus [1], causam cur Christus Judam appellarit amicum (quo titulo paulo ante in ultima cœna Apostolos honoraverat, dicendo [2] : *Jam non dicam vos servos : vos autem dixi amicos*) hanc fuisse, « ut nec tanta proditione commotum Jesum in-
« tueamur. »

**7.** — Est et aliud evidens argumentum, quo probatur Redemptorem spontanea voluntate sua se capi permisisse, quia eadem auctoritate potuisset semetipsum a turbis armatis subducere, qua imperio vocis suæ ab earumdem manibus suos liberaverat Apostolos, præcipiendo turbis : *Sinite hos abire.* Hanc rationem S. Bonaventura observat, dicens [3] : « Quærit Chrysostomus : Quare non comprehende-
« runt eos, et maxime Petrum irritantem eos, per
« ea quæ fecit in servo? Et ad istud respondetur,
« quod ea virtus, quæ projecit eos resupinos, deti-
« nuit illos, ne comprehenderent discipulos, vel
« eis nocerent. » Ludolphus Carthusianus ait [4], ideo Christum salvos dimisisse discipulos, ut per hoc denotaret, quod ne quidem illorum indigeret defensionis subsidio, siquidem jam antea Petro dixerat : « *An putas, quia non possum rogare patrem meum,*
« *et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones An-*
« *gelorum?* Tanquam si dicat : Per aliam viam pos-
« sem evadere, si vellem ; non indigeo auxilio duo-
« decim Apostolorum, qui possem, si vellem, habere
« duodecim legiones angelorum. » Porro verisimile est, quod cum Petrus stricto e vagina ense Malchum, qui licto.um dux erat, enormiter percussisset, alii quoque Apostoli ejus exemplo ex timidis cervis animosi facti fuerint leones, atque ad defensionem magistri sui se generose accinxerint ; at vero Christus eos compescuit, dicendo : *Sinite usque huc.* D. Chrysostomus ait [5] : « Admirari quis posset, cur
« non comprehenderint etiam cum Jesu, et verbe-
« rarint discipulos, et Petrum maxime, qui eos,
« servi aurem abscindendo, irritarat. Quis ergo
« eos continuit? Nemo alius, quam quæ eos retror-
« sum projecerat potentia : quod Evangelista, non
« eorum meritis, sed supernæ virtutis eos coercen-
« tis fuisse significat, inquiens : Ut sermo imple-
« retur, quem dixit : *Non perdidi ex eis quemquam.* »
Lucas Brugensis ad illud se reflectit miraculum, quod Christus in Malcho patrarat, quando auriculam, a S. Petro ei amputatam, capiti ipsius miraculose restituit. At vero quando Christus, in toto decursu passionis suæ, ad contestandam coram Synagoga divinitatem suam, eximium aliquod patrare constituerat miraculum, cur non potius aliud quoddam magis stupendum elegit prodigium, quale fuisset verbi gratia si mortuos illos suscitasset, super quos in superficie terræ ejus ceciderat sanguis ; vel etiam e spinis capiti suo impositis, fragrantes, et recentes germinare fecisset rosas? Cur igitur hanc auriculam huic monoauricularo restituit, quem præsciebat, postea velut ingratissimum, impacturum ei esse tanta cum sua ignominia, in conspectu summi sacerdotis, crudelem illam alapam? Respondet Lucas Brugensis [1] : « Hunc sanando monstravit, quod
« non invitus caperetur, sed sponte seipsum trade-
« ret. Hoc enim miraculum tanto magis est obser-
« vandum, quod imbecillior nunc esse videtur
« Christus. » Aliud quoque hujus voluntariæ Redemptoris nostri captivitatis signum fuit reprehensio, qua Petrum perstrinxit, impedire volentem, ne amarum illum libaret calicem, quem æternus Pater ei destinaverat : de quo tamen suo loco latius dicetur. Interea vero nequaquam prætereundam esse existimo, sequentem Salmeronis observationem, qui notat, quod Christus Petrum se a passione sua subeunda dehortari volentem Sathanam appellarit ; et tamen Judam traditorem, captivitatis suæ primarium directorem, amici titulo honorarit, dicendo : *Amice, ad quid venisti?* Cujus discriminis hanc assignat rationem [2], quia « Petrus tentavit Christum a
« passione abducere, Judas autem ipso facto ser-
« viebat passioni, eum prodendo. »

## DISCURSUS XXIII.

### OSCULUM, ET TRADIMENTUM JUDÆ GRAVITER PERSTRINGITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Adducuntur variæ rationes quare Christus tradi voluerit signo osculi. Judas per osculum et salutationem suam scelus suum occultare noluit. — 2. Quare Christus Judam interrogavit ad quid veniret. — 3. Quare Christus permiserit se tradi a proprio discipulo et quidem Apostolo. — 4. Quare Christus Judam vocaverit amicum et non improperaverit proditionem. — 5. Quid Christus in hac actione nos docuerit. Osculum Judæ comparatur cum illo S. Mariæ Magdalenæ. — 6. Hypocritas similes Judæ. — 7. Docemur hoc Christi actu inimicos diligere. — 8. Cur Judas monuerit ut Christum captum caute ducerent.

*Jesus autem dixit illi : Judas, osculo Filium hominis tradis?* Luc., XXII, 48.

**1.** — Tametsi osculum inter familiares saluta-

[1] CAJET., *in Matt.* — [2] JOAN., XV, 15. — [3] S. BONAV., *in Joan.* — [4] LUD. CARTH., p. 2, c. 59. — [5] CHRYSOST., h. 82 *in Joan.*

[1] LUC. BRUG., *in Luc.* — [2] SALMER., *ib.*

tionis loco usitari consueverit, hoc tamen Judæ osculum eo præcipue ordinatum fuit, ut serviret turbis armatis, velut index, ad cognoscendum et discernendum Christum ; idque ob multas alias rationes, præter eas quas in præcedenti discursu adduximus. Etenim S. Jacobus Minor, frater Domini appellatus, Christo in vultu et statura simillimus erat ; ac proinde illo noctis crepusculo facile errare potuissent ; maxime quia traditor timebat, ne Magister suus (qui sæpius se hujus machinatæ traditionis notitiam habere ostenderat) se absconderet, aut in fugam se reciperet. Unde Dionysius Carthusianus ait [1] : « Jacobus Minor fuit simillimus Christo « in lineamentis corporis ; unde Ignatius scribit, « sibi dictum esse, quod si videret Jacobum, videret « et Christum : ideo etiam Jacobus iste dictus est « frater Domini. » Secunda ratio est, quia nox erat, et quamvis lucernas et faces haberent, non tamen poterant tam clare videre sicut in die. Lucas Brugensis tertiam adducit rationem, scilicet [2] : « Romani milites qui præcipua facile erant hujus « turbæ pars, facie vix noverant Jesum. Nec enim « erant illi auditores Jesu, quippe alieni a cultu « unius Dei : cæteri qui noverant, falli et ipsi po« tuissent, unumque ex discipulis loco Jesu prehen« dere, ob noctis tenebras. Aliam causam addit « Chrysostomus cum Tito discipulo, quia : Sæpius, « inquit, circumventus ab ipsis, pertransiverat per « medium ipsorum, nescientibus ipsis : quod et « tunc factum fuisset, nisi et ipse assensisset. » Enimvero si quæsieris, cur Judas illum non apprehenderit et ceperit directe et immediate, sine dato ipsi osculo, sed potius consueta ipsum salutatione honorare voluerit. Respondeo cum eodem auctore, dicente : « Quanquam impudens sit et scelerata « confidentia, inquit Hieronymus, Magistrum vo« care, et osculum ei ingerere quem tradebat ; tamen « habet adhuc aliquid de verecundia discipuli, cum « non eum palam tradit persecutoribus, sed per « signum osculi. » Ad idem quoque propositum, sequens pertinet doctrina Senecæ, dicentis [3] : « Qui « in pessima ab optimis lapsus, necesse est etiam in « malo vestigia boni teneat. Nunquam in tantum « virtus extinguitur, ut non certiores animo notas « imprimat, quam ut illas eradat ulla mutatio. « Feræ inter nos educatæ, cum in sylvas erumpunt, « aliquid mansuetudinis pristinæ retinent. » S. Leo de Juda, sub nomine lupi, disserens, hujusque osculi gravitatem æqua lance ponderans, positis ad unam partem ensibus, lanceis, aliisque acerbissimæ passionis Christi instrumentis, hoc osculum prædicta omnia præponderare, his verbis dicit [4] : « Cum vim « sceleris per speciem pacis incipiens, signum tra« ditionis sæviore omnibus telis osculo præbuisset. »

S. Anselmus de Juda ait [1] : « Accedentem ad oscu« lum sanctissimi oris tui cruentam bestiam aver« satus nos es. » Lucas Brugensis verbum Judæ, quod Christum salutando protulit : *Ave, salve* ; Hebraice, *pax tibi*, in hæc verba considerat [2] : « Pacem, sive salutem precatur, non in genere « tantum, verum maxime a præsenti periculo hos« tium, in conspectu Magistri positorum. Tanquam « enim non esset ipse ex eorum numero, nec ipse « eos adduxisset, optat, ut Magister ab ipsis serve« tur, adeo perstrictæ frontis, ut mentiri audeat « adversus evidentem veritatem. Sic enim pacem « ore precatur, ut bellum non tantum animo me« ditetur, verum etiam reipsa satis manifeste « gerat. » S. Bonaventura id quod olim in Joab et Amasa in figura præcesserat, in memoriam revocat, dicens [3] : « In hujus figuram dixit Joab ad Amasam [4] : « *Salve mi frater ; et tenuit manu dextera ; mentum « Amasæ, quasi osculans eum, et percussit eum in « latere, et mortuus est.* » B. Laurentius Justinianus hanc Judæ traditionem detestans, exclamat [5] : « Quid perversius, quid sceleratius agi potuit, « quam auctorem pacis sub pacis osculo venun« dare ? » Albertus Magnus super interiora Judæ consilia discurrens, ait [6] : « Scivit quod osculum « pacis ille, qui venerat pacem facere nulli negaret. » Non tamen ob id Christi benignitate et mansuetudine abuti, seque sub ovina pelle contegens, crudelitatem et voracitatem lupinam in sinu occultare debebat. Jeremias inter cætera lamentatur, dicens [7] : *Sagitta vulnerans, lingua eorum, dolum locuta est : in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias.* Et quidem merito traditoris lingua sagitta nominari potuit, quia per hanc illum lictoribus et satellitibus manifestavit. Protulit fraudem et dolos, quia dicendo : *Ave, væ*, potius apprecari voluit « Osculo, signo pacis, benevolentiæ, atque « amicitiæ, pro signo bellico perfidus ille est « abusus, » inquit Lucas Brugensis [8]. Salmeron Magistrum traditum, dum Judam interrogavit : *Ad quid venisti ?* dicere voluisse existimat [9] : « Quo « animo et cujus rei gratia ? Nam si ut amicus et « sodalis, quorsum gladii et fustes ? Si ut inimicus, « quorsum oscula, et blanda salutationis verba ? » Idem auctor paulo ante illam commemoraverat Psalmistæ justam querelam, dicentis [10] : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc. Tu vero etc.* « Acerbum enim fuit Domino et indignum, « tradi a sodali et discipulo, et ut Suetonius ait : « Cæsar graviter tulit, cum vidit Brutum in mor« tem suam conspirasse. Unde conquestus est, et « dixit : Et tu fili Brute ? Ita Dominus, *Amice, ad*

[1] DIONYS. CARTHUS., *in Matt.* — [2] LUC. BRUG., *ib.* — [3] SEN., l. VII *de Benef.* — [4] S. LEO, ser. 1 *de Pass.*

[1] S. ANSELM., *Dial. de Pass.* — [2] LUC. BRUG., *ib.* — [3] S. BONAV., *in Luc.* — [4] II REG., II, 9. — [5] B. LAUR. JUST., *de Triumph. Christ. agon.* — [6] ALB. MAGNUS, *in Marc.* — [7] JEREM., IX, 8. — [8] LUC. BRUG., *ib.* — [9] SALM., t. X, tr. 15. — [10] *Ps.* LIX, 16.

« *quid venisti?* S. Bonaventura in Commentario super Lucam ita scribit [1] : « Ex hoc autem apparet « mira perversitas in proditore. Unde Hieronymus ; « Judas de Apostolatus fastigio in proditionis tar- « tara labitur, et nec familiaritate convivii, nec « intinctione bucellæ, nec osculi gratia frangitur, « ne quasi hominem tradat, quem Filium Dei « noverat. »

**2.** — Verum enim vero ex quo Redemptor noster finem, ob quem Judas ipsum osculatus fuerat, probe noverat, videratque illum cum turbis armatis approperantem, quo fine eum interrogat, dicens : *Amice ad quid venisti?* B. Laurentius Justinianus ait [2] : « Non reatus discipuli latebat Magistrum, et « tamen illum se ignorare ostendebat, dicens : *Ad* « *quid venisti?* Proditoris facinus blanda allocutione « tegebat, nolens illius mortem, sed ut magis con- « verteretur ad vitam. » Et ideo sanctus hic Patriarcha continere se nequit, quin huic traditori hisce verbis improperet : « Dic, o universis crudelior, « quid injuriæ, quid damni, quæque inimicitiarum « præcesserit causa, ut tantum facinus perpetrares ? « Magistrumne tuum in aliquo scelere deprehen- « disti ? An forte tibi quidquam defuit, ut egestate « compulsus, Majestatis Dominum pretio venun- « dares ? »

**3.** — Quod si causam inquiras, cur incarnata Sapientia, sine cujus permissione nihil uspiam in terris contingere potest, permiserit, quod unus scholæ suæ discipulus, imo Apostolus quidam tam execrabile scelus committeret, unde etiam honori et existimationi ipsius Magistri præjudicari poterat ? Respondet Lucas Brugensis [3] : « Imo vero maxime « hoc servivit tutando honori Jesu, et adstruxit ejus « innocentiam. Nam si quid minus rectum Jesus « clam apud discipulos solitus fuisset, aut agere, « aut docere, iste ex discipulo factus hostis, illud « proculdubio evulgasset, vel defensionis sui causa. » Cæterum vero totum Evangelium plenum est expressionibus infinitæ execrationis, qua Redemptor noster fictionem et hypocrisin abominabatur, utpote adversus quam tot tamque egregias invectivas pronunciarat. Ac proinde sibi quilibet facile persuadere potest, quantum hæc Judæ fictio et hypocrisis eum offenderit, utpote quæ eum in corde sensibiliter vulnerabat : unde continere se nequivit, quin graviter conquereretur, dicens : *Tanquam ad latronem existis, cum gladiis et fustibus, comprehendere me.* Plus enim illum cruciabat fictum hoc Judæ osculum, ut ex S. Leone audistis, quam omnia in Passione sua ei inflicta vulnera, Et merito quidem, quia ut Sapiens ait [4] : *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Porro quod Judas traditionem, procul a Christo constitutus, conceperit, tolerabile id quidem erat, quia etiam S. Petrus in ejus conspectu se jactabat, dicens : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo ;* sed postea quando *sequebatur eum a longe*, eumdem cum perjurio se nosse negavit ; nam ut Psalmista ait [1] : *Ecce qui elongant se abs te, peribunt.* At vero quod Judas in illo mutuo osculo, quod sibi invicem dederunt, illo tam amicabili Christi amplexu, quando audivit : *Amice, ad quid venisti ?* nihilominus eum lictorum manibus consignare voluerit, nec quicquam in corde suo fuerit compunctus, obstinatam nimis et diabolicam ipsius indicabat duritiem. Petrus propter unicum cœlestis Magistri sui, ipsum respicientis, obtutum, compunctus est et flevit amare ; Judas autem, nec ad Christi obtutus, nec ad amica verba, nec ad osculum, nec ad alios benignissimos Christi amplexus quicquam inclinari, flecti, aut mutari potuit. Dionysius Carthusianus rationem assignat, cur Christus illum interrogaverit [2] : *Ad quid venisti ?* ait enim : « Non quasi igno- « rans quærit, sed ut insinuet Judæ non se ignorare « dolum atque malitiam ejus, sicque Judas erubes- « cat et corrigatur. Est enim confusio adducens pec- « catum, et est confusio adducens gratiam et glo- « riam. »

**4.** — In corde Christi simul inter se pugnabant amor et zelus : amor quidem, pro animæ illius salute ; zelus autem, ad tantum facinus et crimen illi improperandum : « Non amicum vocat, quod ab « ipso diligeretur, » inquit Lucas Brugensis [3], « sed « quod ipse eum diligeret : nec est ironica appel- « latio, sed est ingratitudinis objectio, quod ex « intimo et contubernali amico, factus sit prodi- « tor, quasi dicat : Siccine amico rependis vicissitu- « dinem ? » Ex alia vero parte eum lucrari et ad saniorem mentem revocare volens, « non ab osculo « repulit, non conviciis incessit, non exprobravit « perfidiam ; sed blando dicto tetigit ipsius con- « scientiam, condolens ejus cæcitati et miserum « ad pœnitentiam provocans. » S. Ambrosius ad verba, quæ Christus ad traditorem hunc locutus est, se reflectens, ait [4] : « Ostendisti, Domine, quem « proderet, dum occulta manifestas ; ostendisti « etiam, quem traderet, dum dicis : *Filium homi-* « *nis* ; quia caro, non divinitas comprehenditur. « Illud tamen plus confutat ingratum, quod eum « tradiderit, qui cum esset Dei Filius, propter nos « tamen Filius hominis esse voluisset. Quasi dicat : « Propter te suscepi, ingrate, quod tradis. In hypo- « thesi ergo per interrogationem pronunciandum « puto, quasi amantis affectu corripiat proditorem : « *Juda, osculo Filium hominis tradis* ! Hoc est, « amoris pignore vulnus infligis ? Et charitatis « officio sanguinem fundis ? Et pacis instrumento « mortem irrogas ? Hoc est illud : Utiliora vulnera « amici quam voluntaria oscula inimici. » Eadem

[1] S. Bonav., *in Luc.* — [2] B. Laur., *ib.* — [3] Luc. Bru., *in Matt.* — [4] Prov., xxvii, 6.

[1] *Ps.* lxxi, 27. — [2] Dio. Carth., *in Matt.* — [3] Lucas Brug. — [4] S. Amb., l. X *in Luc.*

quoque verba Lucas Brugensis in hæc verba ponderat [1] : « *Filium hominis* : Mitem, humilem, propter « te factum hominem, cum Deus sit (ita recte « Theophylactus) qui tibi nihil nocuit, imo utilissi- « mus tibi fuit, optimeque de te meritus. Hunc, « inquam, tradis malevolis hostibus? Singula « verba emphatica sunt, plenaque doloris, quibus « non aliud Jesus, quam pungit proditoris con- « scientiam, ostendens se non latere, quo animo « osculum præberet, ut vel tanta lenitate motus « respiceret. » Salmeron hoc osculum pariter detestatur, inquiens [2] : « Conjunxit infelix ficto quo- « dam risu et lætitia, verbisque blandis os suum « impurum cum ore purissimo Dei ; brachia pro- « ditoria cum divinis brachiis : osculum cum morte : « pacis signum cum belli tessera : emptorem mundi « cum venditore Redemptoris ejus, osculum ejus « bellum indicit : ejus salutatio affert proditionem. « Ejus amplexus inimicitias immortales gignit, quia « amplectitur quem deserit, osculatur, quem pro- « dit, salutat quem morte tacita occidit. »

**5.** — Porro cœlestis Magister in hac actione multa nobis, eaque utilissima, tradit documenta. Theophylactus, postquam dixisset [3] : « Fulmina « dolosum et ingratum subito extinguere neglexe- « runt, docénte nos Salvatore patientiam ; » paulo post Judam alloquens, subjungit : « Sed et quem « prodis? Filium hominis, hoc est mansuetum, le- « nem, morigerum, propter te factum hominem, « cum Deus sit. Hæc dicebat, usque sub extremam « horam fovens illum ; et idcirco non prosecutus « est conviciis, neque dixit : O inhumane et ingra- « tissime, sed *Juda*, proprio eum nomine compel- « lans, neque gravius illum arguisset, nisi et hoc « ei cessisset in melius, siquidem voluisset. Etenim « ne putaret esse occultum, sed notum Domino, et « vel tunc ante omnia scientem recumberet, et « pœniteret, hoc fecit, et visus est eum confun- « dere. » Enim vero impudenti huic proditori improperari poterat, quod apud Jeremiam dicitur [4] : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Magdalena, de qua S. Lucas ait [5] : *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*, osculis suis lucrata fuit omnium enormium peccatorum suorum plenariam indulgentiam, seque ad altissimum usque sanctitatis gradum provexit ; hoc enim indicant verba illius, qui sanctitatem ejus comprehendere potuit, scilicet : *Dilexit multum.* Verum notanda est ingens Magdalenam inter et Judam differentia : Magdalena enim ad pedes Salvatoris se prostravit, hisce cum magno humilitatis sensu labia sua impressit, et ideo veniam accepit ab eo, qui *humilibus dat gratiam* [6], e contra vero *superbis resistit.* Præsumptuosus vero Judas, corde veneno lethifero pleno faucibusque exporrectis, divinum Magistrum suum in facie osculari præsumpsit, quæ licet tunc sudore sanguineo etiamnum humida, sua virtute omne potuisset delere peccatum, propter culpam tamen arrogantiæ et crudelitatis ipsius, inde necquicquam fuit emollitus, aut compunctus. Judas impudens et inverecundus erat, prouti ex illo dato a Christo indicio facile deduci potest [1] : *Qui intingit mecum manum in paropside* ; non enim habebat bonos mores, et consequenter spiritu privatus censeri poterat. « Addidit impudentiam sceleri, » inquit S. Leo [2] : « Cum se a cibo alii, in quo judicium « Dominus posuerat, continerent, tu manu non « retrahis a paropside, quia animam non avertis a « crimine. » Didacus Stella ait [3] : « Perpende, « quantum distent osculum Judæ et Magdalenæ? « Judas in facie osculatus est Salvatorem, et periit, « Magdalena vero in pedibus, et incolumis, et voti « compos evasit. Humiles ad Deum accedentes « justificantur, damnantur autem elati superbia. »

**6.** — Idem Didacus aliud quoddam contra hypocritas notat documentum, inquiens [4] : « Similes Judæ « sunt hypocritæ, qui amicitiam et pacem cum « Christo simulantes, iniquis operibus illum tra- « dunt et vendunt. » Monstravit Judas, se de illius « populi numero esse, de quo Deus lamentatus fuerat, dicendo [5] : *Populus hic, labiis glorificat me, cor autem eorum longe est a me.* Traditor enim labiis amorem demonstravit, cum tamen cor ejus livore et odio mortali plenum esset.

**7.** — S. Paschasius aliam ex hoc osculo deducit moralitatem, inquiens [6] : « Decebat ut osculo trade- « retur, qui suos diligere jubet inimicos, ita ut « proditori suo, in ipso traditionis suæ articulo, « pacis osculum non negaret. Quo profecto exem- « plo docemur evidentius, inimicos diligere, pacis- « que oscula non negare, neque ficte tales diligere. » S. Bonaventura finem exponens, ob quem Christus traditoris non est dedignatus recipere osculum, inquit [7] : « Suscipit autem Dominus osculum a Juda, « licet sciret proditurum, ut semper maximam in « se ostenderet benignitatem. Unde Glossa : Sus- « cepit Dominus osculum, ut plus afficiat prodito- « rem, qui amoris officia non negaret ; unde dicitur « in Psalmo : *Cum his qui oderunt pacem erum paci- « ficus.* »

**8.** — *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute*, inquit Judas apud S. Marcum ; super quæ verba S. Paschasius super Matthæum scribens, dicit [8] : « Marcus ait, dixisse Judam : *Dili- « genter adducite.* Maligne quidem et insidiose, « cum multa calumnia hoc videtur dixisse, tanquam « si diceret : Nisi diligenter comprehendentes, ac « tenentes, abduxeritis eum, et custodieritis, ipse

[1] Luc. Brug., *in Luc.* — [2] Salm., *ib.* — [3] Theophyl., *ib.* — [4] Jerem., III, 2. — [5] Luc., VII, 37. — [6] Jac, IX, 6.

[1] Matt., XXVI, 23. — [2] S. Leo, *s.* 7 *de Pass.* — [3] Did. Stella, *in Luc.* — [4] Id, *ib.* — [5] Jer., XXIX, 13. — [6] S. Pasch., *in Matt.* — [7] S. Bon., *in Luc.* — [8] S. Paschas., *in Matt.*

« cum voluerit, quibuslibet artibus, qualibet vir-« tute fugiet a vobis. » Verisimile est Judam nunc nondum omnem pactæ proditionis accepisse pecuniæ mercedem, utpote quam principes sacerdotum ipsi dare distulerant, donec de tradenda præda securi essent. Et hæc forsitan fuit causa, cur eos, de illo caute ducendo, tam sollicite monuerit. Ad hæc sciebat, quod cum alias primores synagogæ eum lapidare et de monte præcipitare vellent, se invisibilem efficiendo, manus illorum evaserat, et deo caute illum ducendum, et firmiter apprehendendum esse monuit. In bono tamen sensu hæc a Juda insinuata cautela, eximium quoque nobis suggerit documentum, scilicet ut postquam Salvatorem nobis acquisivimus, ipsum a nobis discedere nequaquam patiamur, sed dicamus verbo et opere : *Mane nobiscum Domine, Non dimittam te, nisi benedixeris mihi,* vel cum Sponsa : *Tenui eum, nec dimittam.* Auctor quidam admodum pius et gravis inquit : « Vides, quam solertes sint mali ad male « agendum ? Prudentiores filii hujus sæculi in gene-« ratione sua sunt. Utinam sic nos caute duceremus « Christum, quando eum apprehendimus per gra-« tiam, nec tam facile, et cito, nobis elabi sinere-« mus, id quod Sponsa fecit (*Cant.*, III). *Quæsivi « quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.*»

## DISCURSUS XXIV.

### DE TURBIS ARMATIS RETRORSUM CADENTIBUS.

IDEA SERMONIS. — 1. Adducitur ratio quare Christus mitissimus agnus, turbam armatam prostraverit in terram. — 2. Inter omnia Christi miracula præeminet hæc turbæ prostratio in terram.— 3. Examinatur an Christus turbam illam voce, vel vultu an utroque simul prostraverit. — 4. Extollitur virtus verborum : Ego sum. — 5. Fabula Actæonis applicatur Christo. Judæi inexcusabiles fuerunt quod viso hoc miraculo conversi non fuerint. — 6. Quare Christus bis interrogaverit : Quem quæritis.— 7. Quare ceciderit turba illa supine. Adferuntur mysteria hujus supinæ prostrationis.

*Ut ergo dixit eis : Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.* Joan., XVIII, 6.

**1.** — Merito inquirenda est causa, cur Redemptor noster, qui per prophetam Evangelicum, se ad passionem et mortem, sicut ovis ad macellum [1] ducendum prædixerat, nunc omnipotentiæ suæ exhibeat ostentationem, turbas armatas, quæ ad capiendum eum venerant, in terram prosternendo. Idem hoc dubium olim a Ruperto Abbate his verbis notatum fuit [2] : « Quare cum agnus esset, protinus « immolandus, jam sicut leo protinus irrugiit, dum « dicendo : *Ego sum,* tantam tamque armatam la-« nistarum turbam ad terram dejecit ? » Pro resolutione autem notandum est, incarnatam Sapientiam hanc semper habuisse consuetudinem, ut semper e mortalitatis nostræ assumpta nube emicare faceret aliquos divinitatis suæ radios; sic enim quando se in Incarnatione humiliabat, *formam servi accipiens,* gloriosam quamdam e cœlo expedivit Angeli legationem, opusque Incarnationis per Spiritus Sancti obumbrationem complevit. Quando in stabulo Bethlehemitico nascebatur, super eodem tugurio prodigiosa mox stella emicuit. Quando viles in Bethlehem invitabat pastores, eodem tempore illuc ex Oriente tres evocavit coronatos Reges. Quando super fœnum plorabat, super eodem tugurio Angelorum Hierarchiæ certatim canebant. Quando velut peccator circumcidebatur, in honorem ejus e paradiso cœlesti missum est nomen in cujus venerationem omne genu flectitur, cœli, terræ, et inferni. Quando præsentabantur, in templo, Simon et Anna prophetissa eum reverebantur, tanquam verum in lege promissum Messiam. Quando ex humilitate a Joanne se baptizari permittebat aperti sunt super eum cœli, Spiritus Sanctus in forma columbæ visus est, auditaque est vox æterni Patris, dicentis : *Hic est filius meus dilectus.* Quando in deserto a Lucifero se tentari permisit, *accesserunt Angeli et ministrabant ei.* Quando se in horto Gethsemani in terram prostravit, Michael cœlestis militiæ princeps in ejus obsequium missus fuit. Ad eumdem igitur modum, dum hic instar latronis, captivum abduci, atque a quodam discipulorum suorum se tradi permisit, in signum omnipotentiæ suæ integrum quemdam in terram prostravit exercitum, et velut *Deus majestatis intonuit* [1]. Videlicet « ut essent inexcusabiles », inquit Rupertus Abbas [2], « ne nescirent, quia Jesus « Nazarenus, quem quærebant, est, qui est, » ipsemet Dei filius olim per Isaiam prædixit [3] : *Propter hoc sciet populus meus nomem meum in die illa,* scilicet, quod promissus, et expectatus esset verus Messias. At vero ex quo signo idipsum eis indicare volebat ? *Quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.*

**2.** — S. Hieronymus super cap. XXI Matthæi scribens, præ cunctis miraculis, a Filio Deo patratis, prærogativam illi tribuit facinori, quod Redemptor noster in templo, profanatores illius inde ejiciendo, exhibuit [4] : « Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc vi-« detur mirabilius esse. » Et tamen considerandum est, quod Christus tunc ob admirabilem doctrinam, et prædicationem suam, qua sibi magnam auditorum et sequacium turbam conquisierat, omnibus, velut cœleste quoddam oraculum, in maxima veneratione erat; paucisque horis antea ab universa Jerosolyma, cum olivis et palmis ei occurrente, triumphaliter exceptus, eique tanquam Regi Israel

[1] CANT., III, 2. — [2] ISA., LIII, 7. — [3] RUP. ABB., l. 13 *in Joan.*

[1] *Ps.* XXVIII, 3. — [2] RUP. ABB., *eb.* — [3] ISA., LII, 6. — [4] S. HIERON., *in Matt.*

acclamatum fuerat; ex ejusque vultu, dum ementes et vendentes e templo ejiceret, splendidi et luminosi radii processerant. Hic autem in horto Gethsemani pavebat et tædebat, *cæpit pavere et tædere*; facies quoque ejus sudore sanguineo totaliter cooperiebatur, ita ut agnosci vix posset, ex eodemque prævio sudore etiamnum debilis, *factus in agonia, prolixius orabat*. In proçinctu erat, ut tanquam latro, et seductor plebis, captivus comprehenderetur, qui paulo ante tanquam abjectum mancipium, pro vilissimo pretio a familiarissimo quodam suo discipulo venditus fuerat. In hanc Christum capientium multitudinem, multi interveniebant milites Romani, qui gentiles erant, nec ullum veri Dei timorem aut notitiam habebant, eo solum fine stipendiati, et conducti, ut captivo Redemptori nostro omnem injuriam et contumeliam irrogarent. In magno quoque numero eidem multitudini se ingesserant fortiores et ferociores Judæorum, qui tot annis ad ejus captivitatem anhelarant; et tamen hos omnes, non adhibito flagello, ut in templo fecerat, sed uno duntaxat verbo, *Ego sum*, in terram prostravit, et resupinos cadere fecit; « Ubi terror et munimen armorum? » quærit Beda[1]. « Nempe una vox dicentis : Ego sum, tantam turbam odiis ferocem armisque terribilem, sine telo « ullo perculit, repulit, stravit. » Salmeron ait [2] : « Nunquam vel Alexander Magnus, vel Cæsar, aut « Pompeius, aut Cyrus tantum imperii habuerunt, « ut uno verbo homines prosternerent, ut Christus. » S. Cyprianus quoque hanc potentiam admiratur, dicens [3] : « Invasit, illico timor tuus eos, quos tu timueras, et prostrati solo, jacuere examines, et « armatam cohortem vox unius hominis terruit, et « latens in humanitate omnipotentia, te discipulis pavidum, coram persecutoribus horribilem « exhibebat. » S. Leo hanc prostrationem describit sequentibus verbis [4] : « Quod verum illam manum, ita ex ferocissimis congregatam, quasi « quodam fulmineo ictu stravit, atque perculit, ut « omnes illi atroces, minaces, atque terribiles re« acti corruerent. Ubi fuit sævitiæ conspiratio? « Ubi ardor irarum ? Ubi instructus armorum? Dominus dicit : Ego sum, et ad vocem ejus turba « prosternitur. Quid jam poterit majestas ejus ju« dicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda? »

**3.** — Regius Psalmista prædixit : *Vox Domini confringentis Cedros* [5]; et vere talis vox Christi fuit, utpote quæ superbas et sublimes illas cedros prostravit; siquidem ut suo loco dictum est, in confinio Gethsemani multæ circumqua Cedri conspiciebantur; et ideo dicitur : *Egressus trans torrentem Cedron*, sive cedrorum. B. Laurentius Justinianus de hac prostratione ita scribit [6] : « Fulgorem æternæ veri« tatis sustinere non valentes, ab ipsius lumine « repercussi, et divinæ vocis tonitruo territi, re« trorsum ceciderunt. » S. Paschasius interrogat, inquiens [1] : « Quid putas, qualis, quantaque virtus « in eo emicuit, qui cum dixisset : *Ego sum*, omnes « abierunt, et ceciderunt retrorsum? Quid ergo ? « Iste terror in voce fuit, an in vultu, an in utro« que? Tamen quid fuerit, et ubicunque, in voce, « an in vultu, seu qualitercunque fuerit, manifes« tum est, quia divina virtus in eo fuit, sicut et in « templo, quando omnes ejecit. « Lucas Brugensis hanc prostrationem egregie his verbis describit [2] : « Ceciderunt supini in terram, tanquam acti turbine, ex adverso Jesu ore flante. Omnes illi bel« latores clypeati, inquit Nonnus Poeta, super se « invicem sponte cadentes, prosternebantur in pul« vere præcipites, stimulati inermi turbine vocis. « Blando respondit sermone se eum esse quem quæ« runt, nec secus a violento turbinis impetu, imo ictu « fulminis, prosternuntur in terram, eoque res« ponso, quo provocari, ad comprehendendum « videbantur, impediuntur, et ejiciuntur, non fe« rentes Dominicæ vocis vim. » Ludolphus Carthusianus commemorat, quæ in veteri Testamento olim in quibusdam generosis bellatoribus in figura præcesserunt, ait enim [3] : « Hæc hostium Christi « victoria fuit olim in Sampsone, et Sangar, et « David præfigurata. Sampson cum mandibula « asini stravit mille viros [4]. Et Sangar cum vomere « interfecit viros sexentos [5]. Et David uno impetu « interfecit viros octingentos.» At vero Deus potentiam suam multo magis in figurato, scilicet filio Dei, elucescre fecit; hic enim sine ullo instrumento, præterquam unico verbo : *Ego sum* : ingentem quædam multitudinem prostravit, et devicit : *deditque voci suæ vocem virtutis*, eo præcipue tempore, quo propter agoniam et sudorem sanguineum præcedentem, Apostolorumque suorum fugam, vel maxime derelictus, et desolatus, et ut uno verbo dicam, *opprobrium hominum et abjectio plebis* videri poterat.

**4.** — *Dixit eis : Ego sum.* Rupertus Abbas hæc verba considerans, ita scribit [6] : « Quid mirum, si « ad unam vocem, qua dictum est : *Ego sum*, « *abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram* hi, qui « non sunt? Nempe hoc secundum divinitatem, quæ « vere est, secundum quam permanet esse, quod « est, dixit : *Ego sum*, quod verbum substantivum, « de seipso verissime protestatur ille solus, qui ad « Moysem dixit : *Ego sum qui sum.* » Enim vero quando virga Mosaica in Ægypto tot parabat prodigiosa miracula, totum hoc in paucorum horum verborum virtute effecit, siquidem Deus huic servo suo dixerat : Quod si nomen meum a te interro-

[1] Beda, *in Joan.* — [2] Salm., t. X, tr. 16. — [3] S. Cyp., *de Pass.* — [4] S. Leo, ser. 5 *de Pass.* — [5] *Ps.* xxviii, 5. [6] B. Laur. Just., *de Triumph. Chr. agon.*, c. 7.

[1] S. Pasch., *in Matt.* — [2] Luc. Brugens., *in Joan.* — [3] Lud. Cart., p. 2, c. 59. — [4] Jud., xviii, 6. — [5] II Reg., xxiii. — [6] Rup. Abb., *ib.*

gaverint, dices ei, nomen meum esse : *Ego sum qui sum*. Similiter quando virgam illam ei consignavit, qua cum regnum illud castigaturus erat, dixit Moysi Si Pharao te interrogaverit : *Quis est qui misit te?* Respondebis eis : *Qui est, misit me*. Numeretis velim flagella, quibus Moyses Ægyptum percussit, ac demum descendatis ad enumerandum miracula, a Redemptore in Palæstina patrata, et videbitis, quod Christus per hoc verbum : *Ego sum*, mare procellosum compescuerit : *Ego sum, nolite timere* ; lascivam mulierem Samaritam converterit : *Ego sum, qui loquor tecum* ; omnia peccata nostra per idem verbum deleverit et etiamnum deleat : *Ego sum, qui deleo iniquitates et peccata*. Eodem quoque verbo unum ex majoribus Ecclesiæ suæ persecutoribus in terram prostraverit, dicendo enim *Ego sum Jesu* ; Saulum lupum in Paulum Apostolum transmutavit. Quid mirum igitur, si modo per idem verbum omnes hosce feroces, et contra ipsum conjuratos persecutores in terram dejecerit? S. Bonaventura super Joannem scribens, auctoritatem citat S. Augustini dicentis [1] : « Patet Filii divinitas « in hoc, quod dixit : *Ego sum*. Unde Augustinus : « Intellige quod ait : *Sum*, ad divinam pertinere « naturam. » Prætendit igitur communis Redemptor noster per admirabile hoc facinus, prorsus inexcusabiles reddere Judæos, ne ullo unquam tempore excusare se possint, dicendo, se illum verum Dei Filium fuisse nunquam cognovisse.

**5.** — Tametsi, ut D. Chrysostomus ait, nequaquam conveniat *de mendacio astruere veritatem* ; attamen etiam nonnunquam quorumdam mysteriorum Evangelicorum veritas ex fabulis poeticis facile deducitur. Ovidius igitur in Metamorphosibus suis de Actæone venatore refert, eumdem opera Dianæ in cervum fuisse conversum ; quem proinde canes nequaquam agnoscentes, invadere et dilacerare moliebantur, et quidem, licet ut ab iis ex voce saltem agnosci posset, altum clamaret : Actæon ego sum, dominum cognoscite vestrum ; canes tamen ad solam exteriorem speciem oculos dirigentes, neglecta ipsius voce, eum dilacerarunt, et necarunt. Porro Filius Dei, amore, quo genus humanum prosequebatur, victus, ut eumdem redimeret, mortali hac nostra carne se vestivit ; mox vero ut ad venationem animarum nostrarum pro cessit, quaqua versum ab Hebræis circumdatus fuit, velut a totidem canibus molossis ; unde per Psalmistam ait [2] : *Circumdederunt me canes multi*, ipsis vero cum eum velut promissum Messiam agnoscere, nollent, per vocem prædicationis suæ se manifestum fecit, et præcipue in hoc ultimo passionis suæ tempore, quando in procinctu erant, ut eum dilacerandum invaderent ; tunc enim *dixit eis* : *Ego sum* : *ipsi vero abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram*. Ex quo portento merito eum agnoscere debuissent : maxime cum legem profiterentur Mosaicam, dicentes : *Nos Moysis sumus*. Deus enim Moysi hoc nomen : *Ego sum*, revelaverat, tanquam divinæ essentiæ expressivum. Et quidem, ut Lucas Brugensis ait [1] : « Credendum est tamdiu illos jacuis- « se quam opus erat, ut ejus, quem comprehenden- « dum quærebant, potentiam valerent agnoscere. » Et paulo post subdit : « Ne eo quidem miraculo, quo « experti fuerant penes Jesum esse, ut uno ipsos « omnes verbo perderet, ad resipiscentiam com- « moti sunt. Clarum exemplum, quo ostendatur, « ad convertendos impios non sufficere etiam ma- « nifestissima miracula in ipsosmet edita, nisi « concurrat interna Dei operatio et gratia : » Chrysostomus continere se nequivit, quin huic populo suam improperaret cæcitatem, dicendo [2] : « O demen- « tiam ! Verbo eos prostravit supinos, neque adhuc « conversi sunt, tantam virtutem intelligentes ; « sed iterum aggrediuntur. Cum omnia, quæ illos « a proposito avertere sufficiebant, ostendisset, illi « autem in pravitate persisterent, nec ullam am- « plius haberent excusationem, tunc sese tradidit, « ad ultimam usque horam suam in eos benignita- « tem demonstrans, » Unde S. Bernardus ait [3] : « Maledictus furor eorum, quia pertinax, quem « nec majestas miraculi, nec pietas beneficii potuit « constringere. » Ubi observanda sunt verba illa : *majestas miraculi* ; siquidem ut S. Leo « notat : « Exprimit sub distinctis actionibus ve- « ritatem suam utraque natura, sed neutra se « ad alterius connexione disjungit. Nihil ibi ad « invicem vacat, tota est in majestate humilitas, « tota in humilitate majestas. » Tametsi enim exterius se hominem ostenderet pœnalitatibus subjectum, simul tamen etiam suam manifestavit omnipotentiam, et Majestatem, præcipue in hoc miraculo, et quando insuper auriculam Malcho amputatam restituit, ut in sequenti discursu dicetur. Nec tamen cæci Judæi in tenebris illis suos aperuerunt oculos, ut divinitatem agnoscerent ; nam ut B. Laurentius Justinianus ait [4] ! « Perditi homines prostrationis « suæ viso miraculo, prorsus credere, confiteri, « atque adorare debuerant ; sed mansuetissimi « pastoris vocem, quoniam de ipsius ovibus non « erant, nequaquam audierunt. Rapaces erant lupi, « immaculati agni sanguinem sitiebant inquam, et « tamen nisi permissi, bibere non valebant. » S. Cyrillus Alexandrinus quoque ad ipsum se reflexit, quando ait [5] ! « Ut nihil posse adversus virtutem « suam magnas militum catervas monstraret, in « terram miti sermone prostravit. Hinc reipsa dis- « cimus, nihil vel unum verbum Dei, et illud ju- « cundissime dictum, creaturam efficere posse. »

[1] S. Aug., cit. a S. Bonav., *in Joan.* — [2] *Ps.* XXI, 17.

[1] Luc. Brug.— [2] D. Chrys., *in Cat. Græc.*— [3] S. Ber., ser. de *Pass.* — [4] S. Leo, ser 3 de *Pass.* — [5] B. Laur. Just., *ib.* — [6] S. Cyr. Alex., l. XI in *Joan.*

**6.** — Toletus ait [1] : « Quos verbo in terram pro-« stravit, verbo erigit; » adeoque duo viderant miracula, quorum primum erat, quod unus super alterum supinus prosterneretur; alterum vero quod denuo erigerentur. Per repetitas namque interrogationes, Christus eis tempus concedere voluit, ut ad tantum se reflectere possint prodigium, cum ipse interea perfugam elabi potnisset, nisi semetipsum eis illum non cognoscentibus manifestasset. Cajetanus ait [2] : « Postquam surrexerunt, iterum Jesus interrogavit « eos, ut intelligamus, quod postquam surrexerunt, « non impetuose processerunt, sed spatium interfuit « interrogandi, et inhibendi. » Etenim, ut suo loco dicetur, prohibuit illis, ne manus suas in suos conjicerent Apostolos; ac proinde multo magis semetipsum in persona sua salvare potuisset. S. Hilarius interrogat [3] : « Anne metuit, qui armatis ad corri-« piendum se obvius prodiit? Et in corpore ejus « infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata « persequentium agmina conciderunt, et majesta-« tem iugerentis se ad vincula non ferentes, supina-« tis corporibus reciderunt? Quam igitur infirmita-« tem dominatam hujus corporis credis, cujus « tantam habuit natura virtutem ? » Salmeron super illa verba : *Iterum interrogavit eos : quem quæritis* ? ita scribit [4] : « Ex his apparet, quod non « statim ut surrexerunt, in eum cum impetu manus « injecerunt, sed suspensi et attoniti, quid age-« rent, nesciebant, donec eis facultas daretur abeo, « qui mori et capi pro sua libertate volebat. » Idem quoque doctissimus auctor rationem assignat, cur manus in eum injecerint, tametsi jam de facto divinam ejus experti fuissent omnipotentiam. Quia inquit [5], « ministri Judæorum audierant, quam dure « increpati illi alii fuissent, qui ad eum capiendum « destinati, re infecta reversi fuerunt, ut narrat « Joannes. c. VII, ne etipsis tale quid contingat, per-« severant in proposito capiendi eum, etiamsi ex-« perti essent manum ejus potentem. Apparet igitur « obstinatio peccatoris quanta sit, etiam post Christi « miracula, et post fortes inspirationes internas et « externas; de quo quæritur per Prophetam : Per-« cussisti eos, et non doluerunt, contrivisti eos, et « renuerunt recipere disciplinam. » Idem quoque, Christum e vultu suo, quid nescio divini luminis scintillasse affirmat dicens : « Hoc autem signum « patravit, vel virtute verbi sui, vel virtute lumi-« nis e vultu Christi prodeuntis, ut Hieronymus « docet ad Principiam virginem. » Id quod etiam a Dionysio Carthusiano his verbis confirmatur [6] : « Sicut Christus vultum suum ostendit Judæis in « terrore, ac majestate, egredientibus ex oculis « ejus igneis radiis, atque divino quodam fulgore « in ejus vultu mirabiliter radiante, quando omnes « vendentes et ementes ejecit de templo : ita fecit « et nunc, sicque tam verbis, quam apparatu sui « vultus illos exterruit et prostravit. »

**7.** — *Abierunt retrorsum.* Non solum collapsi sunt in terram, sed et modus, quo lapsi sunt, mysterio non caret, quia ceciderunt retrorsum, sive supini. « Prostravit tanta potentia, » inquit Lucas Brugensis [1] « ut nec dorsum vertere hostes, sive ad fugam « sive ad casum, valuerint, sed retrorsum abeuntes, « supini ceciderint. Quod quidem ita voluit Jesus, « ut clarius intelligerent, eam virtutem ab ipso pro-« fectam, scirent virtute Jesu fieri, ut prosternerен-« tur, nam si antrorsum acti proni cecidissent in « terram, ut ex opposito Jesu, ita aliunde, quam a « Jesu videri potuisset ea vis egredi. Nunc vero casu « ipso demonstratum est, quod ante se stantem et « colloquentem Dominum sustinere non potuerint, « quod ipse Jesus verbo et spiritu oris sui armatam, « ferocientemque cohortem dejecerit; quo quidem « declaravit ipse, non solum eos non posse resistere « ipsius viribus, si eis uti vellet, sed ne sufferre « quidem nomen ipsius; ac proinde nihil eos, quan-« tumvis multos, adversum se posse, nisi ipse per-« mittat. » Porro hujus supinæ prostrationis sacri interpretes varia in medium adducunt mysteria. Dionysius Carthusianus ait [2] : « Merito cadebant re-« trorsum, qui stabant ex adverso Christi, tanquam « qui Filio Dei se opponere præsumpserant. » S. Cyrillus Alexandrinus ait [3] : « Signum futuri gentis Ju-« daicæ casus, is ministrorum casus est. » S. Thomas acute notat, quod Redemptor noster in eodem horto *procedit in faciem suam*, non vero item hi impii, sed *abierunt retrorsum*. Quid autem hæc indicat differentia? Respondit sanctus doctor : « Iniqui ergo, quia « in invisibilibus cadunt, retrorsum cadere dicun-« tur, quia ibi corruunt, ubi quid eos tunc sequa-« tur, videre non possunt : Et ideo Sancti, qui in « istis visibilibus semetipsos sponte dejiciunt, ut in « invisibilibus erigantur, in faciem suam cadere « dicuntur, quia timore compuncti, videntes humi-« liantur. Quod ceciderunt retrorsum, datur intel-« ligi, quod populus Judaicus, qui erat populus pe-« cularis, vocem Christi in prædicatione sua non « audiens, abiit retrorsum exclusus a regno. » S. Bonaventuræ auctoritatem adjicit S. Gregorii dicentis. « Proprium perversorum est, retrorsum abire, « ut ait Gregorius. Iniqui dicuntur cadere retro, quia « ibi cadunt, ubi non vident; nesciunt enim, quid « eos sequatur. Boni dicuntur cadere ante, quia « sponte se dejiciunt in visibilibus. » Moxque in sententia ejusdem S. Gregorii, subjungit : « Retro, « quo non videtur, cadere est ex hac vita repente « discedere, et ad quæ supplicia ducitur, ignorare. » Idem S. Gregorius in Homilia quadam super illa Ezechielis verba : *Et cecidi in faciem meam*, ita scri-

[1] Tolet., *in Joan* — [2] Cajet., *ib.* — [3] S. Hilarius, l. X *de Trin.* — [4] Salm., *ib.* — [5] Idem, *ib.* — [6] Dion. Cart., *in Luc.*

[1] Luc. Brug., *in Joan.* — [2] Dion. Carth., *ib.* — [3] S. Cyr. Alex., *ib.*

bit [1] : « Cum aliquid de Deo conspicimus, in faciem « nostram cadimus, quia ex malis erubescimus, « quæ nos reminiscimur perpetrasse : ibi enim « cadit homo, ubi confunditur. » Milites cohortis, et ministri ceciderunt retrorsum ; ac proinde non se emendarunt, sed potius in perversis conatibus suis obstinatiores evaserunt. S. Bernardinus vero dicit [2] : « Ceciderunt retrorsum, ac supinati fuerunt « ad cœlum, ut saltem recognoscant virtutem de- « super esse terrentem, et de cœlo descendisse, « quem venerant ligaturi. »

## DISCURSUS XXV.

### DE AURICULA MALCHI, A S. PETRO AMPUTATA, ET DE EJUSDEM MIRACULOSA RESTITUTIONE.

IDEA SERMONIS. — 1. Examinatur an Petrus habuerit gladium et qualis fuerit. — 2. Magna fuit audacia Petri, tantæ multitudini armatorum se opponentis. — 3. Quare Petrus ex tanta multitudine armatorum, solum Caiphæ servum percusserit. Fuit a Domino suo animatus ad Christum primus, invadendum. — 4. Referuntur mysteria amputatæ auriculæ. — 5. Auris amputatur Malcho, quia aurem prædicationi Christi præbere noluit. — 6. Christus restituens Malcho aurem, summam suam patientiam ostendit. Variæ a SS. PP. adducuntur sanatæ auris Malchi causæ et mysteria. — 7. Expenduntur rationes quare Malcho, aure mutilato cohors armata Petrum non invaserit et captivarit.

*Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, percussit Pontificis servum, et abscidit auriculam ejus dexteram.* Joan., XVIII, 10.

Ex quo cœlestis Magister noster Christus nihil adeo sollicite discipulis suis inculcavit, quam hanc de mansuetudine doctrinam : *Discite a me, quia mitis sum;* ipseque Petrus tanquam visibilis Ecclesiæ caput promissione scivit, quod *non sit custodienda Ecclesia more castrorum* : mirandum profecto est, quod S. Petrus in hac occasione gladio armatus in horto fuerit : *Simon ergo Petrus habens gladium* : S. Matthæus hanc historiam referens, in hæc verba scribit [3] : *Ecce unus ex his, qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum.* « Ecce rem insue- « tam, inquit Lucas Brugensis [4], non enim consueve- « runt Jesus, ejusque discipuli, spectatæ cum essent « mansuetudinis, gladiis uti aut armis. » Porro Chrysostomus cultrum fuisse opinatur, quo paulo ante in cœna ad agnum Paschalem dividendum, usus fueras. S. Cyrillus vero illum excusat [5] « ex regionis « consuetudine, ad abigendas feras, aliaque nocu- « menta, si qua invaderent nocte in agris sub dio « cubantes. » Alii vero instrumentum quoddam fuisse crediderunt, quo S. Petrus piscator existens, uti consueverat ad cedendum et acuminandum ligna, quibus ad maris littus retia extendebantur. Nihilominus non desunt magnæ auctoritatis auctores, qui existimarunt, discipulos pro defensione magistri sui fuisse armatos, utpote qui mortem ejus, multoties illis prædictam, proxime vicinam esse suspicabantur. Porro Rupertus Abbas hunc S. Petri zelum minime probat ; ait enim [1] : « Hæc importuna fortitudo Petri, « plane de vera infirmitate descendit : quam bene « cognoscens ille, qui omnia scit, dixerat ei : Quo « ego vado, non potes modo me sequi, perspicuum « nunc fecit, quia non posset eum modo sequi, quia « videlicet cum Dominus vellet non occidere, sed « occidi, Petrus malebat occidere, quam occidi. » Hoc tamen non obstante, in majori numero sunt auctores illi, qui illum et factum ejus commendant. Et quidem Dionysius Carthusianus ex auctoritate S. Ambrosii ita scribit [2] : « Petrus eruditus fuit in « lege, et scivit commendatum esse factum Phin- « nees filii Eleazari, qui zelo Dei commotus, per- « fodit Zambricum alienigena fornicantem : simili « zelo voluit Petrus Dei Filium vindicare. » Hugo Cardinalis notat, quod cum Apostoli, in ea occasione constituti, Christum interrogassent, dicentes : *Domine, si percutimus in gladio* ? Petrus non expectato Magistri sui responso, gladium strinxerit [3] : « Sic Phinees zelo legis accensus Judæum perfo- « dit, absque Moysis imperio. *Num.*, XXV. Unde et « summum sacerdotium promeruit. Istud fecit « Petrus inter responsionem Domini, et Discipulo- « rum interrogationes, vel etiam simul factæ sunt « interrogatio, responsio, percussio. » Salmeron observat, S. Petrum quidem in horto Gethsemani, pro defensione Christi, apprehendisse ensem, non vero item Romæ ad defendendum seipsum, quando ducebatur ad crucis patibulum [4] : « Docens Dei et « Christi injurias vindicandas, proprias autem pa- « tientia et mansuetudine sustinendas. »

**2.** — Profecto ingens et fere exemplo carens erat illa S. Petri audacia, qua solus se tantæ armatorum multituaini opponere non formidabat ; ac proinde Hugo Cardinalis haud immerito interrogat, dicens [5] : « Quomodo fuit ita audax Petrus ? » Verum quidem est, quod Sampson unica duntaxat asini maxilla armatus, integrum quemdam dissiparit exercitum ; verumtamen Sampson idipsum tanquam verus Christi typus præstiterat, et Scriptura ipsamet dicit : *Spiritus Domini irruit in Sampson.* Hic autem Petrus a cœlesti magisto suo reprehensus fuit. David quidem ingentem præ se tulerat generositatem, dicendo [6] : *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum : si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Verumtamen ibidem quoque suæ generositatis adjunxit mortivum, scilicet :

[1] S. GREG., l. I, h. 8, h. 8 *in Ezech.* — [2] S. BERNAR. t. I, s. 55, a. 3. — [3] MATT., XXVI, 51. — [4] LUC. BRUG., *in Matt.* — [5] S. CYR. ALEX.

[1] RUP. ABB., l. XIII *in Joan.* — [2] DION. CARTHUS., *in Matt.* — [3] HUG. CARD., *in Joan.* — [4] SALM., t. X, tr. 17. — [5] HUG. CAR., *in Joan.* — [6] *Ps.* XXVI, 3.

*Quoniam tu mecum es* ; firmiter enim sibi promittebat auxilium Dei exercituum, de quo Psalmista ait[1]: *Qui respicit terram, et facit eam tremere.* Petrus autem hanc assistentiam minime habebat, imo plane oppositum, siquidem Christum ejus oppositionem, et resistentiam nequaquam approbasse constat. At vero Hugo Cardinalis respondet[2] : « Confidebat in « illa voce quam dixerat : Quoniam nullus ex eis « perit, et in his quæ jam facta erant, quia scilicet « projecti erant in terram. » Enimvero si cœlestis Magister ictum a Petro Malcho inflictum ita approbasset, utique ad eum modum, quo Christus armatam illam cohortem unico tantum verbo ad terram prostraverat, ita quoque Petro communicare potuisset virtutem, omnes unico ictu gladii trucidandi. Porro quod si causam scire desideres, cur Redemptor noster hanc prævidens resistentiam, non impediverit anticipate, ne quis se militibus opponeret, præcipiendo : huic quæsito, Salmeron in hæc verba respondet[3] : « Dicendum id pro ejus sa- « pientia factum, ut inde eliceret gloriam suam in « sanando, et ut ostenderet, non fuisse in se potes- « tatem signa edendi extinctam, atque charitatem « bene faciendi inimicis, ob illatam injuriam non « fuisse mortuam. »

**3.** — *Percussit Pontificis servum.* Merito hoc loco quærendum venit, quonam ex motivo Petrus ex tam immensa militum et ministrorum multitudine, in qua, ut suo loco diximus, plusquam millena Romanorum militum continebantur, hunc Caiphæ servum vulnerarit. Pro cujus dubii resolutione memorandum est, quod Dominus hujus servi ille fuerit, qui in concilio de nece Christo inferenda primus suum votum et resolutionem edierat, dicendo[4] : *Expedit unum mori pro populo* ; quique proinde ad Christi captivitatem, præ aliis quam maxime anhelabat. Hic igitur servus talis domini sui gratiam sibi comparare volens, omnium turmarum illarum se constituerat caput ; ac proinde cæteris insolentior, et audacior, primus fuit, qui Christo manus inferret : « Ferocius instabat, » inquit de ipso Ludolphus Carthusianus. Hugo Cardinalis S. Augustinum citat dicentem[5] : « Nomen istius ponit iste Evan- « gelista (scilicet S. Joannes) quod alii tacuerunt: « Sicut et Lucas ponit solus de sanatione auriculæ « ejus,» D. Chrysostomus ait[6]: «Illum autem nomine « designat Evangelista, quia valde magnum fuit, « quod factum est miraculum, non quoniam cura- « vit solum, sed quoniam inimicum, qui super eum « venerat, et paulo post etiam alapam daturus ei « erat : quia igitur hoc ita magnum erat, propterea « et nomen sanati posuit Evangelista, ut illis, qui « tunc legerent, vel audirent hoc, non liceret quærere « et investigare, si hæc vere facta sunt. » Unde extrema hujus servi malitia, et perversitas, non solum ex hac detestabili ingratitudine et impudentia, qua alapam illam Christo inflixit (de qua suo loco dicetur) verum etiam ex eo, quod ad referendum gratias summo suo benefactori, qui amputatam sibi auriculam per manifestum miraculum restituerat, ne eos quidem aperuit ; ac proinde hæc illius perversitas Petri commovit mansuetudinem, eumque ad iracundiam et vindictam provocavit. Lucas Brugensis ait[1]: « Dubium esse non potest, quin Princeps « sacerdotum, cui maxime curæ erat ut Jesus cape- « retur, servo suo omnium audacissimo, sibique ad « dictissimo mandarit, ut in prima acie consistens « simul atque Judas Jesum osculi signo indicasset, « imperterritus in Jesum irrueret (formidata enim « erat virtus Jesu) cæterisque audacter sequendi « exemplum dux animosus præberet. » Porro licet S. Joannes solus servi hujus manifestaverit nomen, omnes tamen alii Evangelistæ ipsum Pontificis servum fuisse unanimiter declarant, ut exinde intelligeremus, ipsum a domino suo animatum et extimulatum ad hoc fuisse ; atque ideo adeo se audacem et temerarium exhibuit. Verisimile quoque est, ipsum primum fuisse, qui collo Christi catenas injecerit, eumque graviter percusserit, ut qui forte aliis ministris captivitatis Domini præerat. Unde Albertus Magnus inquit[3] : « Et vocabatur Malchus, « hoc est Rex eorum. » Consideratione dignus est discursus ille, quem Dionysius Carthusianus hac de re in hæc verba format[4] : « Scriptum est in Luca : « *Videntes hi, qui circa Jesum erant, quod futurum* « *erat, dixerunt* : *Si percutimus in gladio ?* Et post- « modum Lucas scribit, *quod comprehenderunt* « *Jesum*; ad quod dicendum videtur, quod statim « quando cœperunt capere Jesum, autequam liga- « retur, Petrus hoc fecit : quod elicitur ex duobus. « Primo, quoniam Petrus non potius percussisset « Malchum, quam alium nisi ille magis festinasset « mittere manum in Jesum. Secundo, quoniam « Malcho læso dixit : *Sinite usque huc*, et cum te- « tigisset aurem, et locum læsionis, sanavit eum. « Ex quo apparet, quod nondum vinxerant manus « ipsius. » Idem Carthusianus super Lucam ita scribit[3] : « Malchus præ cæteris nitebatur mittere « manus in Jesum, ad cujus latus stetit Petrus, tam- « quam audacior et paratior Christum tueri, quam « Apostoli alii. »

**4.** — *Et abscidit auriculam ejus dexteram*[5]. « Rogabis, » inquit Salmeron, « quomodo præscideri « auriculam? Resp. volebat fortasse ictum gladii in « caput medium findendum vibrare, quod forte « galea armatum illum elusit, fecitque ut descen- « deret ictus in aurem, quam præscidit. » S. Bonaventura super Lucam ait[6] : « Licet non laudetur « factum commendatur mysterium : In hoc enim

[1] *Ps.* CII, 32. — [2] HUG. CARD, *ib*, — [3] SALM., *ib.* — JOAN., XVIII, 14. — [5] HUG. CARDIN., *ib.* — [6] CHRYSOST.

[1] LUC. BRU., *in Matt.* — [2] ALBERT. MAG., *in Marc.* — [3] DIO. CART., *in Matt.* — [4] DION., *in Luc.* — [5] SAL., *ib.* — [6] S. BONAV., *in Luc.*

« signatur, quod potestas sacerdotii Petri sustulit « observantiam sacerdotii legalis, quæ servitus erat. « Vel certe, per amputationem istius auriculæ, in- « telligitur, quod populus ille, qui nomine rex, sed « virtute servus erat, spiritualem intelligentiam « perdidit. Unde Glossa ait : Servus principis sacer- « dotum, qui Malchus, id est Rex appellatur, popu- « lus Judæorum est, qui per incredulitatem servus « factus est impietatis, qui perdidit auriculam dex- « teram, ut tantum litteræ utilitatem audiat. » Inter alia populo Hebræorum a Deo imposita præcepta, unum est, quo in Exodo sancitur, ut servus, post consummatum sexennium, sua denuo frui posset li- bertate ; quod si vero illa gaudere nollet, in signum perpetuæ servitutis ei perforaretur auricula[1] : *Per- forabit aurem ejus subula et erit ei servus in sæcu- lum.* Hoc autem supplicium hæcque ignominia, et pœna irrogabatur illi, qui libertatem recipere renuebat, ut scilicet hæc pars corporis, po- tius quam alia, ipsi perforaretur, « quia per illam « partem intellexit, » inquit Lyranus, « vel intelli- « gere debuit legem de libertate. » Enim vero Re- demptor noster in hunc præcipue finem de cœlo in hanc terram ligatus fuit, ut totum genus humanum in veram filiorum Dei libertatem assereret, præcipue vero populum Hebræorum, quem hic Malchus re- præsentabat. Petrus igitur, qui tanquam caput Ecclesiæ, legis hujus moderator erat, videns hunc populum libertatem illam, in quam Christus eum asserere decreverat, amplecti nolle, sed potius eligere in omnibus mundi nationibus perpetuam servitutem, auriculam ejus non jam perforavit, sed abscidit pe- nitus : *Et abscidit auriculam ejus dexteram,* per quam spiritualium rerum intelligentia præfigurabatur. Simon de Cassia sequentem assignat aliam rationem, inquiens[2] : « Nec credimus, hoc factum « providentia Petri, ut solum ad illud membrum « abscindendum gladium aptasset : non enim qui « percutit conturbatus, curat quemadmodum laniet, « sed prout ferientis adest habilitas, et subest dispo- « sitio patientis. Verumtamen divina providentia, ne- « quaquam vero casu creditur factum, cum abscissio « dexteræ auriculæ servilis abscissionem prænuncia- « verit rectæ obedientiæ Judaicæ servitutis. » Theo- « phylactus aliud quoddam assignat mysterium, in- quiens[3] : « Recte auriculam servi summi Sacerdotis « amputavit ; innuit enim, audire nolentes, et con- « temnentes credere Scripturas ; si enim aures « habuissent, quæ Scripturas exaudirent, nequa- « quam Dominum gloriæ crucifixisssent. Non au- « tem alium quam Pontificis servum, percussit « Petrus : Pontifices enim primi Scripturas asperna- « bantur, facti invidiæ, et sui ipsorum amoris man- « cipia. » Rupertus hanc aliam tradit considératio- nem, dum ita scribit[4] : « Res præclara, et fortis « mystice præsignata est; futurum namque postmo- « dum erat, ut gladius Apostolicæ fortitudinis, « scilicet vivus sermo Dei, et efficax, ac penetrabi- « lior omni gladio ancipiti, auriculam Judæorum, « vel Pontificum dexteram amputaret, imo ampu- « tatam esse convinceret, et totum quod ex Scriptu- « ris audire videntur, sinistra audire, id est perverse « intelligere comprobaret. »

**5.** — Dici quoque posset, non solum hunc Mal- chum, velut turbarum illarum ducem, abivisse, ut Salvatorem nostrum, tanquam latronem caperet; verum etiam Judæos quos ipse repræsentabat, velut totidem latrones, in hortum se intrusisse, ut pretio triginta denariorum opulentissimum totius cœli et terræ sibi raperent thesaurum ; unde figuratum melius quam figura dicere poterat : *Furtim sublatus sum.* Petrus igitur, ad quem, tanquam caput Eccle- siæ, potestas sententiandi et condemnandi delin- quentes spectabat, sciens quod latronibus, in per- petuæ infamiæ signum, auricula amputari soleat, *abscidit auriculam ejus dexteram.* Dici quoque pos- set, quod cum verissimum sit illud Sapientis pronunciatum[1] : *Per quæ quis peccat, per hæc tor- quetur;* hic autem Malchus, qui Judaismum præfi- gurabat, prædicationi Christi aurem suam præbere nunquam voluerit, ideo justo Dei judicio hoc pro- meruit supplicium. Unde S. Ambrosius ait[2] : « Do- « minus mysteria divina subjecit, ut servus auris « suæ vulnus exciperet, quia non audisset verba « Sapientiæ. » Et paulo post idem S. doctor sub- jungit : « Tollit Petrus aurem. Quare Petrus? Quia « ipse est, qui accepit claves regni cœlorum. Ipse « enim condemnat, qui et absolvit, quoniam li- « gandi idem et solvendi adeptus est potestatem. « Tollit autem male aurem audientis, tollit aurem « gladio spirituali, aurem interiorem male intelli- « gentis. »

**6.** — Amputata autem auricula, cœlestis Ma- gister Petrum reprehendit, dicente Evangelista Joanne[3] : *Dixit ergo Jesus Petro : Mitte gladium tuum in vaginam; calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* S. Matthæus Christum in- super dixisse refert[4] : *An putas, quia non possum rogare patrem meum et exhibebit mihi plus, quam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo imple- buntur Scripturæ, quoniam sic oportet fieri?* Solus S. Lucas miraculum recenset, quod Christus auri- culam restituendo et sanando patravit; ait enim[5] : *Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.* Hugo Cardinalis computat, quod recto ducto calculo, unaquæque legio 6666 milites in se contineat; citatque Chrysostomum in hæc verba arguentem[6] : « Si unus Angelus interfecit centum octoginta quin « que millia armatos, quid fa erent duodecim

[1] Exod., xxi. — [2] Sim. de Cass., l. XIII. — [3] Theop., *in Marc.* — [4] Rup. Abb., *ib.*

[1] Sap., xi, 17. — [2] S. Ambr., l. X *in Luc.* — [3] Joan., xviii, 11. — [4] Matt., xxvi, 53. — [5] Luc., xxii, 52. — [6] Hug. Car., *in Matt.*

« legiones? » At vero quodnam in eo latet mysterium, quod Filius Dei ad terram se inclinans, indeque manibus suis amputatam auriculam accipiens, eamdem Malchi capiti affixerit et perfecte sanarit? Theophylactus ait [1] : « Manifestum miracu-
« lum facit, et auriculam sanans miraculo, patien-
« tiam suam ostendens, et per miraculum inducens
« eos, ut ab insania desistant. » Enim vero quando Saul parvulum fragmentum fimbriæ regiæ chlamydis suæ in manu Davidis conspexit, vaticinatus est, dicens [2] : *Scio, quod certissime regnaturus sis super Israel.* Porro David præfiguravit Christum, utpote qui ex ejus progenie carnem suam assumpsit. Quando igitur populus Judaicus, qui veluti alter Saul mysticum hunc Davidem ad mortem usque persequebatur, amputatam Malcho auriculam in manibus Christi conspexit, cumque vidit bonum pro malo reddentem, tantaque cum benignitate et sollicitudine Malcho restituentem et perfecte sanantem, merito credere debuisset, ipsum esse verum in lege promissum Messiam, ac cœli terræque Monarcham. At vero oculos suos aperire noluit, constitutus in tenebris illis, de quibus Christus paulo ante dixit : *Hæc hora vestra et potestas tenebrarum.* Consideratione dignum est, quod Paulus de Palatio in hæc verba scribit [3] : « Si magnum in Christo
« fuit, quod cruci suffixus, pro crucifixoribus roga-
« rit; an non sublimissimum est, quod in media
« comprehensione et in mediis injuriis, inter sacri-
« legas manus, non verbo, sed opere, non vulgari
« remedio, sed opere miraculoso, hostem crude-
« lem, atrocem, impudentissimum, auris redditæ
« beneficio donaverit? » Diu vero ante hunc S. Cyprianus hac de re meditatus fuerat, dicens [4] : « Quid
« potest patientius, quid benignius dici? Vivificatur
« Christi sanguine, etiam qui effudit sanguinem
« Christi. » S. Anselmus in Matthæum ita scribit [5] :
« Nunquam ergo pietatis suæ Dominus obliviscitur,
« qui hostem suum vulnerari non patitur. Illi justo
« mortem inferunt, iste persecutorum vulnera sa-
« nat. Mystice etiam docens eos, qui in suæ mortis
« consensione vulnus animæ contraxerant, salutem
« posse mereri, si dignum pœnitentiæ fructum fa-
« cerent. » S. Bonaventura pariter hanc admiratur mansuetudinem, dum ait [6] : « In quo miro modo
« ostenditur Christi benignitas, quod servum com-
« prehendentem, in actu persecutionis vulneratum,
« sanavit. Tunc potissime implevit istud, quod jus-
« sit : *Benefacite his, qui oderunt vos.* » Citatque auctoritatem Chrysostomi in Joannem ita scribentis [7] : « Erudiens, quoniam eis, qui malefecerint,
« benefacere oportet et virtutem suam revelans,
« auriculam reddit ei, qui super eum venerat et
« curavit debentem dare ei alapam. » Ubi observanda sunt verba illa : *Virtutem suam revelans;* idem namque Seraphicus Doctor super Lucam in hæc verba scripserat [1] : « In quo mira apparuit ejus
« potentia, quia solo tactu univit dissoluta, quod
« nec ars poterat, nec natura et per hoc ostendit se
« possibilem ad efficiendum illud : Ego occidam et
« ego vivere faciam, percutiam, et ego sanabo, et
« non est qui de manu mea possit eruere. » Potuisset utique, si voluisset, solo voluntatis suæ imperio, vel voce sua illud patrare miraculum; et tamen, ut Cajetanus advertit [2], auriculam amputatam in manus sumere voluit; « et tactu sanavit, ne
« putares carnem ejus perdidisse virtutem sanandi
« tempore Passionis. » Hugo Cardinalis [3] citat S. Ambrosium, dicentem : « Jubere potuit, sed
« operari maluit, ut cognosceremus ipsum esse,
« qui de limo terræ corporis nostri membra variis
« apta formavit officiis. » Dionysius Carthusianus sequentes auriculæ Malchi sanatæ assignat rationes, inquiens [4] : « Propter easdem causas Christus hoc
« egit, propter quas turbas prostravit. Videlicet :
« Primo, ad suæ potentiæ declarationem. Secundo,
« ut tam pio miraculo daret impiis, quantum in
« se erat, occasionem pœnitendi. Tertio, ut persis-
« tentes in malitia prorsus inexcusabiles fierent.
« Quarto, propter Apostolorum in fide confirma-
« tionem. Quinto, ad nostram instructionem. »
S. Bernardinus sanationem auriculæ in mystico sensu exponit, dicens [5] : « Restituitur auris dextera
« ut intelligentia vera et obedientia recta oriri appa
« reat ex passionibus Jesu Christi. » S. Bonaventura in Joannem scribens, aliam ex S. Augustino hujus miraculi reddit rationem; ait enim [6] : « Mysterium
« hujus facti in abscissione auriculæ insinuat Au-
« gustinus, dicens : In suo facto ille discipulus
« magistrum defendere voluit, non quod signatum
« est, cogitavit. Hoc ad intelligentiam scribendum :
« Malchus interpretatur regnaturus; auris ergo
« amputata et a Domino sanata signat auditum
« amputata vetustate renovatum in eo, qui regna-
« turus est cum Christo. » Cum enim vocem Christi audire, signum sit prædestinationis, juxta illud : *Oves meæ vocem meam audiunt;* nequaquam conveniebat, quod is, qui hoc erat nomine insignitus, quod idem quod *regnaturus* significabat, auriculæ expers esset.

7. — Reliquum est, ut examinemus, qua ratione Petrus cohortis armatæ impetum evaserit, cum tamen se illis pro virili opposuisset, conando occidere illum, qui dux illius erat, Pontificis bene meritus servus. Quonam igitur modo iram et vindictam tam furibundæ et ferocis gentis declinare potuit, qui propter factam resistentiam noscebatur esset caput scholæ Christi, et tantopere ab eodem ama-

[1] THEOPHYL., *in Luc.* — [2] I REG., XXIV. — [3] PAUL. DE PAL., *in Matt.* — [4] S. CYPR., *de Bono Patient.* — [5] S. ANS., *in Matt.* — [6] S. BONAV., *in Luc.* — [7] ID., *in Joan.*

[1] S. BONAV., *in Luc.* — [2] CAJET., *ib.* — [3] HUG. CAR., *ib.* — [4] DIO. CART., *ib.* — [5] S. BERN., t. I, s. 35, a. 2. — [6] S. BON., *in Joan.*

tus? « Quis eos detinuit? » interrogat Hugo Cardinalis [1] : « Nullus alius, nisi illa virtus, quæ projecit « illos resupinos. » Salmeron quoque eamdem reddit rationem, inquiens [2] : « Dicendum, quod impe- « diebat verbum Christi, virtute et imperio ple- « num : *Sinite hos abire.* » Verumtamen alia quædam valde considerabilis hujus assignari potest ratio, quod si enim S. Petrum in vincula conjecissent, ob amputatam servo Caiphæ auriculam et consequenter eum læsæ Majestatis declarassent reum, necessum fuisset, ut, dum pro inferendo ei condigno supplicio formabatur processus, corpus delicti appareret, probareturque ipsum dictum servum vulnerasse. At vero, quia per hoc simul toti Synagogæ manifestatum fuisset miraculum, circa ipsum a Salvatore patratum, quem Caiphas solum ex hoc motivo morte condemnandam esse censebat, quia signa faceret : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* ideo ut hoc occultarent miraculum, et non palam divinitas Messiæ appareret, melius esse censuerunt, Petrum relinquere indemnem, ejusque prorsus dissimulare crimen. Verumtamen, ut Albertus Magnus notat, et apud S. Marcum legitur, multi erant illorum, qui Petro in atrio Caiphæ constituto, ipsum Christi discipulum esse improperabant. Tametsi enim S Joannes hoc dicat factum fuisse ab illo, qui Malchi cognatus erat : *Cognatus ejus, cujus abscidit auriculam Petrus*; veritas tamen est, inquit Albertus Magnus, quod hic alios quoque ad idem faciendum extimularit. Subdit vero idem venerabilis Doctor, nonnullos dicere, hunc Malchi cognatum, libentius hoc crimen subticere, quam propalare voluisse, maxime quia auriculam cognato suo amputatam, miraculose a Christo sanatam et restitutam fuisse viderat. At vero summi Sacerdotes sub gravissimis pœnis præceperant, ut omnes, quotquot aliquam rei cujuspiam, vel a Christo, vel a discipulis suis factæ haberent notitiam, confestim revelarent, ut condignis possent pœnis castigari : « Sub pœna præceptum fuit Pontificum, ut omnes « qui aliquid novissent de discipulis Christi, pro- « derent, ut damnaretur. » Verisimile igitur est, hanc de amputata per Petrum Malchi auricula deque facta per eumdem ministris suis oppositione et resistentia, factam querelam, ad Caiphæ quoque aures penetrasse. At vero astutus Pontifex argute ponderavit, utrum expedientius esset, scilicet, an ut absconderetur divinitas Christi, ejus occultando miraculum, an vero ut puniretur Petrus, quod fieri nequibat, quin simul eodem tempore ingens Christi gloria ex hoc miraculo resultans, manifestaretur. Idem quoque Doctor addit, potuisse quidem hanc a charissimo Christi discipulo, qui ejus lateri perpetuo adhærebat, exercitam vindictam, ipsimet Christo tanquam auctori attribui, illudque tanquam caput delicti ad eum condemnandum adduci, maxime cum tantopere in adveniendo aliquo colorato delicto hactenus frustra laborassent; hæc autem justitiæ publicæ illata resistentia et violenta oppositio ad eum reum faciendum abunde suffecisset. At vero in contrarium eadem militabat ratio, quia in examine tandem palam facta fuisset ejus superhumana omnipotentia, maxime si adducta in medium fuissent tot alia per ipsum aliis temporibus patrata miracula; facillimeque agnoscendo ipsum Filium Dei verum, impediri potuisset nostræ Redemptionis fructus; nam *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

[1] Hug. Card., *in Joan.* — [2] Salm., *ib.* — [3] Alb. Mag., *ibid.*

## DISCURSUS XXVI.

### DE CAPTURA CHRISTI, DEQUE VINCULORUM, QUIBUS INNEXUS FUIT, VARIIS MYSTERIIS.

Idea sermonis. — 1. Alligatio Christi in horto variis SS. PP. sententiis illustratur ejusque mysteria adducuntur.— 2. Indignum et molestum fuit Filium Dei ligari. — 3. Darius captus, ligatus catenis aureis. Quinam Christum ligaverint. — 4. Christus volens ligatus fuit. Christus suis vinculis solvit vincula peccatorum nostrorum. — 5. Christus non tam funibus quam amore ligatus fuit. — 6. Quomodo immenso amori Christi correspondere valeamus. — 7. Vincula Christi sanctificant vincula martyrum.

*Comprehenderunt Jesum et ligaverunt eum.* Joan., xviii, 12.

**1.** — Quis unquam, nisi sacri Evangelistæ suo nos prævenissent testimonio, credere potuisset, funibus vinctum fuisse illum, de quo Regius Psalmista ait [1], quod *alliget reges eorum in compedibus e nobiles eorum in manicis ferreis? Comprehenderunt Jesum et ligaverunt eum.* Rupertus Abbas super illa verba : *Comprehenderunt Jesum,* inquit : « Quomodo « tenebræ potuerunt eum comprehendere, quæ « nunquam lucem comprehenderunt? Comprehen- « derunt, inquam, et ligaverunt, quia sola hæc erat « potestas tenebrarum, ut comprehenderent ad « ligandum, quem comprehendere non merebantur ad intelligendum. » Beda similiter de cæcis hisce Judæis ita scribit [2] : « Comprehenderunt, ad « quem non accesserunt, quoniam dies ille, illi « vero tenebræ permanserunt, nec audierunt. *Accedite ad eum, et illuminamini*; si enim sic accede- « runt, non eum manibus occidendum, sed reci- « piendum corde comprehenderent. Nunc autem « quando eum illo modo comprehenderunt, tunc « ab eo longius recesserunt. » Hugo Cardinalis hæc eadem Bedæ verba adducens, subjungit : « Ligave- « runt eum, a quo solvi potius velle debuerant et

[1] *Ps.* xlix, 8. — [2] Rupert. Abbas, l. xiii *in Joan.* — [3] Beda, *ib.* — [4] Hug. Car., *ib.*

« erant fortassis, qui tunc imposuerunt Christo « vincula sua, atque ab eo postea liberati dixe- « runt : *Dirupisti vincula mea.* » Joannes Ferus super Matthæum ita meditatur [1] : « Ingrati filii « Adam manus injecerunt in eum, cujus manibus « creati sunt. Comprehendunt qui non Angelos, « sed semen Abrahæ apprehenderat. Ligant eum, « qui omnes solvere venerat. » Porro quantum dedecuerit, ut illæ ligarentur manus, quæ toties in illorum beneficium apertæ fuerant, Salmeron brevibus hisce verbis insinuat [2] : « Alligantur manus, « quæ panes multiplicabant et tactu suo sanabant « infirmos. » De hisce vinctis manibus, S. Propheta Job ait [3] : *Qui ligat aquas in nubibus, ut non erumpant pariter deorsum.* Etenim fœcunditatem agrorum et consequenter omnium terræ fructuum hisce manibus in acceptis referre debemus ; hæ enim moderantur nubibus, *ut non erumpant pariter deorsum*, sed guttatim et stillatim descendant. Theodorus Studita in sermone quodam ita scribit [4] : « Qui præ- « potente jussu universa librat, hic ille est, qui in « sceleratorum manus deditur, qui obligatam in « nubibus undam, ex æquo tempestive inserit solo ; « hic ille est, qui colligatus raptatur. » S. Thomas quoque ait [5] : « Comprehendentes eum, qui incom- « prehensibilis est, magnus consilio et incompre- « hensibilis cogitatu. » D. Chrysostomus in sermone quodam de Passione, hanc pariter admiratur capturam, dicendo [6] : « Tenetur tenens omnia, alligatur « omnium nexus, ducitur attrahens universa. » Quid nunc dicturus esset S. Paulus si Verbum æternum funibus cerneret esse constrictum ? qua ratione verificari posset nunc, quod demum scripsit, scilicet [7] : *Verbum Dei non est alligatum* ? Simon de Cassia quærenti, cur Judæi Christum in templo prædicantem non ceperint : *Quotidie apud vos eram docens in templo, et non me tenuistis,* in hæc verba respondet [8] : « Altiori mysterio factum est, « ne Christus docens caperetur in templo, in quo « nec potuit lapidari. Libertas doctrinæ atque ver- « borum Dei præfigitur, quod Christus in templo « docens non capitur. Verbum enim Dei non est « alligatum, neque conclusum aliquando fuit funi- « bus tyrannorum. » Merito igitur Incarnata Sapientia Judæis dixit : *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum,* quia propter interiorem inordinatarum passionum caliginem non discernebant eum quem ligabant : « Alligant eum vinculis, » inquit S. Paschasius [9], « quia alligaverat eos Satanas, nec « recogitant, quod ipse sit, qui solverat filiam « Abrahæ, quam alligaverat diabolus decem, et « octo annis, quæ non poterat penes sursum aspi- « cere » Origenes hac de re diu ante in hæc verba scripserat [1] : « Alligaverunt Jesum solventem a vin- « culis, et dicentem eis, qui sunt in vinculis : *Exite.* « Et compeditos solventem atque dicentem : *Dirum- « pamus vincula eorum.* »

**2.** — Lucas Brugensis inquit [2] : « Si cui moles- « tum est captivum duci, cogitet quam durum id « fuerit Dei Filio incomprehensibili, eoque magis, « quod non simpliciter ductus fuerit, ita sed ut « gravissimæ militum ministrorumque insolentiæ « ipsi tolerandæ fuerint. » Propter quod S. Bernardus præterire nequit, quin exclamet [3] : « O Rex « regum et Domine dominantium, quid tibi et « vinculis ? Quare ligaris ? Bene quidem rex, cum « percussus humana sagitta peteretur, ut se ligari « permitteret, donec excideretur, quia levissimo « motu mortem posset incurrere : Non decet, « inquit, vinciri regem. Libera sit regis et sem- « per salva potestas, o Deus Deorum, quantum ergo « derogatum fuit libertati, et potentiæ tuæ ? Tot « adeo ligaris vinculis, qui solus ligandi et solvendi « potestatem habes ? Sed propter misericordiam « tuam ligatus es, ut nos a miseriis nostris faceres « absolutos. » S. Ephrem in sermone quodam *de Passione,* hanc habet meditationem [4] : « Ligantes « immaculatissimum Agnum scelerati illi, illuse- « runt ei, qui nexibus insolubilibus ligavit fortem, « et nos a peccatorum vinculis exsolvit. » Cerberus porro infernalis, ante hanc Christi captivitatem, solutus erat, seque per totum mundum in falsis numinibus velut Deum adorari faciebat ; at vero subito, ut Filius Dei libere et ex spontanea voluntate catenis in horto vinctus fuit, canis quoque tartareus catenis innexus, mordere amplius non potuit [5] : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.*

**3.**— M. Tul. Cicero contra Verrem perorando, inter alia dixit [6] : « Scelus est vinciri civem Romanum. » Quid igitur de hisce sceleratis hominibus, ipsummet Regem gloriæ ligantibus et catenis innectentibus, dicemus ? De Dario rege Persarum re fertur, quod a Macedonibus subjugatus, ligatus quidem fuerit, sed ut regem decet, catenis aureis. De Redemptore nostro Propheta regius ait [7] : *Domini est terra et plenitudo ejus* ; in ejus latere scriptum legitur : *Rex Regum, et Dominus Dominantium* : in ejus honorem quotidie cantatur : *Quem adorant dominationes, tremunt potestates.* Quæ igitur est illa vilitas et abjectio, videre scilicet hunc Regem gloriæ instar latronis et vilissimi mancipii catenis ferreis onustum ? Non hic recensebo, qualiter viginti quatuor illi Seniores coronati præ nimia reverentia sceptra et diademata sua ad ejus pedes projecerint [8] ; sed unum hoc sufficiat, quod quatuor diebus ante inchoatam passionem, ab universa

[1] Joan. Fer., *in Matt.* — [2] Salm., t. X, tract. 24. — [3] Job, xxvi, 8. — [4] Theodor. Stud., s. 73. — [5] S. Tho., *in Joan.* — [6] Chrys., ser. 5 *de Pass.* — [7] II Tim., II, 9. — [8] Sim. de Cass., l. XIII. — [9] S. Pasch., *in Matth.* — [1] Orig., tr. 35 *in Matt.* — [2] Luc. Bru., *ibid.* — [3] S. Bern., *de Pass.* — [4] S. Ephr., *de Pass.* — [5] Joan., xii, 31. — [6] Cic., orat. 7 *in Verrem.* — [7] *Ps.* xxiii, 1. — [8] Apoc., iv, 10.

Hierosolyma cum palmis et olivis triumphaliter et festive receptus, eique tanquam Regi et successori Davidis solemniter acclamatum fuerit; similiter qualiter principes Synagogæ, centuriones et regulos pedibus suis advolutos conspexerit; denique in procinctu fuerit, ut ab universo populo in Regem eligeretur. Quænam igitur est hæc metamorphosis, quod nunc tanquam malefactor catenis constrictus, tantaque cum ignominia per plateas ad diversa tribunalia raptatus fuerit? Et vero hujus capturæ indignitas, et opprobrium crescit, si nos reflectamus ad qualitatem illorum, qui collo Redemptoris nostri catenas injecerunt, scilicet Hebræorum; nam milites Romani ab ipsis fuere conducti, ut eorum gauderent protectione, quamdiu machinatorum consiliorum suorum executioni inhærebant. Enim vero ipsimet Judæi olim in Ægypto duræ servitutis compedibus sub Pharaone innexi [1], *et oppressi in operibus luti et lateris*, ab illis catenis ab eodem Redemptore nostro modo quodam admirabili fuere liberati, et in terram promissionis, ut loco ligonum sceptra tractarent, perducti. In eodem vero die, scilicet festivitate Paschali, in qua tam sublimis beneficii memoria recolebatur, Salvatorem suum vinculis et catenis onerant, et stringunt, ut tanto debito turpissime retribuant. Manus illæ beneficæ, quæ tot infirmis sanitatem, tot claudis expeditum gressum, tot cæcis lumen oculorum, tot mortuis redivivam vitam restituerunt, quæ continuo apertæ manent ad nos sustentandos [2]: *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione*; de quibus denique unusquisque nostrum dicere poterat: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu*; hodie stringuntur vinculis, ligantur funibus, vinciuntur, et onerantur catenis. David olim Abner principem deplorans, hanc inter alias ei laudem attribuit, quod videlicet non sit mortuus velut ignavus, sed tanquam miles generosus: *Manus tuæ ligatæ non sunt, et pedes tui non sunt compedibus aggravati.* At vero licet David de Christo dicat, quod sit *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio*; tamen de ipso dici non potuit quod David de Abner dixit, quia revera *ligaverunt eum.*

**4.** — At vero, dicite sodes, numquid is, qui in morte Lazari discipulis suis præcepit [3]: *Solvite et sinite abire*, postquam eumdem primo vocis suæ imperio a mortis vinculis exsolvisset, numquid, inquam, idem multo magis has, quibus vinctus erat, catenas rumpere et confringere potuisset: « Volens « tradidit se ad vincula, » inquit Origenes [4], « separans in se divinitatis virtutem et acquiescens, ut « illigaretur. » Divus Chrysostomus quoque in sermone quodam ait [5]: « Venerunt cum fustibus, ut « comprehenderent eum. Non sic comprehenditur « justitia, nec sic alligatur sapientia, volenti nam- « que injiciunt manus, cui si evadere placuisset, « nunquam angelorum officia defuissent. » S. Paschasius, id quod Sampsoni, qui Christi figura fuit, olim evenit, in hæc verba considerat [1]: « Nec igitur « Sampson ille fortissimus fortior Christo fuit, quia « propter crines vinctus teneri non poterat, quo- « niam ille fortis in figura Christi præcessit, et « quod faciebat ille, quotiescumque vinctus fuisset, « hoc et Christum fecisse, nemo est qui ambigat, « qui nos omnes suis absolvit vinculis. Ad hoc « quippe post prodigia, post virtutes innumeras « quas fecit, se permisit ligari volens, et consensit, « ut alligaretur, non peccati funibus, sed Sacra- « mentorum vinculis, quorum mysteria vincula illa « Sampsonis erant; quæ nimirum vincula diripuit « Christus mox circumdantia se, quando de morte « victor ascendit, ut nostra dirumperet. » Porro eodem die, quo mediante resurrectione sua, mortis vincula dissolverat, nostras quoque solvit catenas, pœnitentiæ sacramentum instituendo, ipsisque Apostolis peccata nobis remittendi conferendo potestatem. Nam [2] *insufflavit in eos dicens*: *Accipite Spiritum Sanctum*; *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* S. Cyrillus Alexandrinus de hisce vinculis ita scribit [3]: « Vincula rerum omnium Domino « immittunt, qui ad nostram naturam descendit, « ut a peccatorum et diaboli vinculis nos eriperet.» Verum quidem est, quod nostra peccata vincula illa fuerint, quibus illum accinxerunt: at vero perlibenter illa acceptavit, ut nos ab his exsolveret, prout Simon de Cassia optime advertit, dicens [4]: « Ligatur Dominus et Salvator omnium a manibus « sceleratis funibus peccatorum nostrorum, longe « ante de ipso dicente Propheta: *Funes peccatorum* « *circumplexi sunt me.* Et Petrus in Canonica sua « dixit: *Dominus captus est in peccatis nostris.* Ea « quippe die, qua genus illuxit humanum, nectere « cœperunt miseri protoplasti funiculos, quibus in « carne mundi conditor ligaretur. » Albertus Magnus super illa verba: *Vincientes Jesum, tradiderunt Pilato*, inquit [5]: « Vinciunt eum, qui omnes a vin- « culis peccatorum absolvit. Dominus solvit compe- « ditos et ideo etiam vinciri voluit. » Porro pœnæ inferni, homini propter peccatum debitæ et a Salvatore in Evangelio expressæ, hæ fuerunt [6]: *Ligatis manibus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.* Ac proinde cum passio eo præcipue sit ordinata, ut nos ab hisce infernalis servitutis compedibus eximeret, non sine mysterio ligari voluit; nam ut Rupertus ait [7]: « Manus illæ sic ligatæ, vel expansæ in cruce, plus « operatæ sunt, quia videlicet fortem armatum, « hactenus atrium suum custodientem et sua in

[1] II Cor., III, 33. — [2] *Ps.* XXIII, 8. — [3] Joan., XI, 4. — [4] Orig., *in Matt.* — [5] Chrys., *ib.*, s. 2.

[1] S. Paschas. — [2] Joan., XX, 22. — [3] S. Cyr. Alex., *in Joan.* — [4] Sim. de Cass., *ib.* — [5] Alb. Mag., *in Marc.* — [6] Matt., XXII, 13. — [7] Rup. Abb., *ib.*

« pace possidentem, alligaverunt et palam confi-
« gentes, atque triumphaliter traducentes et chy-
« rographum peccati deleverunt. » Id quod Ammonius in Catena Græca super Joannem clarius his verbis edixit [1] : « Ligantes eum, impleverunt quod « dictum est per Isaiam : *Ligemus justum.* Ligatus « est Dominus, ut nos a diabolicis vinculis libera-« ret. » Consideratione quoque digna sunt, quæ Salmeron ad hoc propositum his verbis scripsit [2] : « Funibus, quibus alligatur Dominus, solvitur ser-« vus, qui manus olim in vetitum fructum exten-« derat. Solvuntur colligationes impietatis nostræ. « Solvitur manus misericordiæ Dei, quam peccata « nostra ligaverant, ne esset nobis benefica, et alli-« gatur illa manus justitiæ olim extenta, ne noceat.» Beda ait [3] : « Erant fortassis in eis, qui tunc impo-« suerunt Christo vincula sua, atque ab eo postea « liberati dixerunt; *Dirupisti, Domine, vincula mea.*» Enim vero Joseph olim fratres suos abire quidem et ad Jacob patrem suum redire permisit; cum hoc tamen pacto ut unus ipsorum, nempe Simeon, in vinculis maneret, *Facite quæ dixi et vivetis,* inquit [4] : *Frater vester unus ligetur in carcere, vos autem abite.* Omnia in figura contingebant illis. » Siquidem Salvator non Ægypti, sed totius mundi, veram filiorum Dei libertatem nobis comparaturus, libenter se ligari et vinciri permisit : *Et ligaverunt eum.*

**5.** — S. Cyrillus Jerosolymitanus ait [5] : « Vis « scire, quod et hoc scriptum est ? Dicit Isaias : Væ « animæ ipsorum, quia consultarunt consilium « pravum, ad se ipsos dicentes : Ligemus justum, « quia molestus est nobis, etc. Numquid non po-« tuit solvere seipsum, dicat quis, qui solvit qua-« triduanum a mortis vinculis Lazarum et Petrum « a ferreis carceris vinculis solvit ? Parati astabant « angeli, dicentes : Dirumpamus vincula, sed susti-« nebant, quia sic perferre et pati voluit hoc Domi-« nus. » Porro qualia hæc fuerint vincula, quæ ipsum stringebant, Simon de Cassia his verbis innuit [6] : « Amore ligatur, quo se trahi etiam per-« mittebat. Non tenebatur funibus, qui miris modis « elementa ligavit et invisibili vinculo ligata tenet « tam diversa quæ nexuit. » Idipsum diu ante ipsum S. Bernardus in hæc verba fuerat meditatus [7] : « Cognosco te prius in corde charitatis nexi-« bus fuisse constrictum, qui ad deteriora vincula « sufferenda te leviter attrahere potuerunt. Gratia « sit vinculis tuis, bone Jesu, quæ nostra tam po-« tenter diruperunt. » Sampson præ nimio Dalilæ amore sæpius se ligari permisit, unde tandem Philisthæorum inimicorum suorum præda est factus : Christus pariter præ nimio erga naturam humanam amore [8] : *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos*; speciatim inquam ex amore ingratæ et incivilis Synagogæ se ligari permittens, inimicorum suorum odio cessit et furori. Rupertus Abbas antiquam hujus facti in persona Isaac repræsentari commemorat figuram, utpote qui ut in sacrificium ab Abraha offerretur Deo, ligatus fuit; ita enim scribit [1] : « Cumque colligasset Isaac filium suum, « mira videlicet patientia subjectum et pro volun-« tate Patris sustinentem intentatæ mortis tor-« tum. Ergone et Deus suum colligavit filium ? « Colligavit plane. Verum non imbecillitatis vinculo « sed magnæ charitatis imperio. »

**6.** — Dionysius Carthusianus nos ad Christum spiritualiter capiendum his verbis invitat [2] : « Est « alia comprehensio Christi bona ac spiritualis, per « amorem et contemplationem, de qua dicit Apo-« stolus : *Sequor autem, si quomodo comprehendam « in quo et comprehensus sum.* » B. Laurentius Justinianus quemdam nobis insinuat modum, huic immenso Redemptoris nostri amori correspondendi, nobis quoque ipsis longe utilissimum; ait enim [3] : « O anima mea, si qua pietatis in te re-« mansit scintilla, compedes madefacito lacrymis, « solve manus ligatas a tergo, vincula disrumpe, « præcide funes, et quanta valesvirtute, in pristinam « libertatem restitue Redemptorem. » Cum enim nos ei nostris iniquitatibus suas fabricaverimus catenas et texuerimus funes, quibus ipse constringitur, utique ingens illi conciliabimus sublevamen, si eas a peccatis desistendo dirumpamus. Ludolphus Carthusianus hac de re ita discurrit [4] : « Habemus « morale documentum, quod sicut Christus amore « nostri semetipsum voluntarie tradidit captivum « Judæis, sic et nos pro ejus amore, nos ipsos, id « est, sensus nostros debemus captivare in obse-« quium Christi, videlicet, ut oculi captiventur in « illicito visu, aures a noxio auditu, lingua ab otio-« sis et nocivis locutionibus, manus a malis operi-« bus, pedes a vano et vago incessu. Cor etiam « captivetur a malis cogitationibus; intellectus a « falsis dogmatibus; voluntas ab omnibus a divina « voluntate discrepantibus. » Neque hoc loco prætereunda est alia quædam a Salmerone hisce verbis tradita moralitas [5] : « Quis nostrum in futurum ha-« bebit manus solutiores et promptiores ad malum? « Aut quis non libenter captivari se permittat in « obsequium Christi pro nobis ligati? Præsta, bone « Jesu, ut per meritum istius captionis tuæ et vin-« culorum, ego post te trahar alligatus spiritu tuo, « ut Paulus, qui ibat in Jerusalem vinctus spiritu « tuo. Captivum me fac vinculis præceptorum, quæ « sunt alligatura salutaris. »

**7.** — *Et ligaverunt eum.* Salvator noster hisce catenis, innumerabiles alias voluit sanctificare cate-

[1] AMMON, in Cat. græc. *in Joan.* — [2] SALM., t. X. — [3] BEDA, *ib.* — [4] GEN, XLII, 18. — [5] S. CYRIL., *Jerosol. Cat.* — [6] SIM. DE CASS. — [7] S. BER., *ib.* — [8] EPH., II, 4.

[1] RUP. ABB., l. VI *in Gen.* — [2] DION. CART., *in Joan.* — [3] B. LAUR. JUSTIN., *de Triumph. Christi agon.*, c. 10. — [4] LUD. CART. — [5] SALM., *ib.*

nas, quibus in progressu sæculorum tot martyres pro fidei suæ confessione erant innectendi. De S. Cassiano in ejus lectionibus dicitur : « Vinctis « post terga manibus, pueris quos erudiebat, stylis « ferreis confodiendus et excarnificandus traditus « est. » Quod idem cœlesti Magistro nostro contigit, qui ab ira et rabie Synagogæ, quam salutaribus monitis suis erudierat, amarissima et contumeliosa morte est necatus ; sed observandum est, quod ait S. Ambrosius [1] : « Mala vincula Judæorum, « quibus non Christum ligant, sed seipsos alligant.»

## DISCURSUS XXVII.

LAMENTATIO CHRISTI, SE TANQUAM LATRONEM CAPTIVUM ABDUCI CONQUERENTIS, OMNESQUE ALII A CHRISTO IN HAC CAPTIVITATE PERPESSI INSULTUS ET INJURIÆ CONSIDERANTUR.

IDEA SERMONIS.— 1. Principes et magistratus Judæorum personaliter interfuerunt captioni Christi. — 2. Quare Christus conqueratur se capi instar latronis. Magna ostenditur esse differentia inter Christum et latronem. Quomodo Christus dici possit latro. — 3. Quare Christus in templo capi noluerit. Quare in palatiis Annæ Caiphæ, Pilati et Herodii ligatus comparuerit. — 4. Afferuntur rationes cur principes synagogæ voluerint præsentes esse captivitati Christi. — 5. Quare Christus Malcho restituerit aurem. — 6. Christus catena ferrea in collo constrictus fuit. — 7. Tandem Judæi hujus sceleris condignam pœnam luere debuerunt.

*Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus, comprehendere me.* Matth., XXVI, 55.

**1.** — Tametsi Isaias Propheta de Redemptore nostro futurum esse prædixerit, quod os suum ad lamentandum vel conquerendum in Passione sua non sit aperturus [2] : *Non aperuit os suum ; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum ;* attamen adeo ignominiosa et acerba fuit hæc prima Christi in horto Gethsemani facta captivitas, ut Christus de ea non conqueri non potuerit. Et vero ubinam uspiam lectum, vel auditum, aut visum est, quod Magistratus, Principes, Judices ipsimet, in propria persona, satellitum aut lictorum sese turbæ immisceant ad reum aliquem capiendum ? et tamen in hac solum occasione odium ac barbaries Judæorum eousque ascendit, ut quemadmodum ex textu S. Lucæ deducitur, in horum militum et satellitum cohortem multi personaliter intervenerint viri primores, munusque ministrorum justitiæ exercere non dubitarint. S. Lucas enim expresse ait [3] : *Dixit autem ad eos qui venerant ad se, Principes Sacerdotum et Magistratus templi, et Seniores.* Unde S. Bernardinus inquit : « Principes, et Magistratus, et Seniores « progrediuntur ad nefas personaliter, atque furentes furiam omnino continere non valent, nec « Christi cruciatibus satiantur, nisi oculorum præsentiam præstent. » Debuissent utique omnes hi Magistratus, Principes et Seniores post visum oculis propriis non solum illud circa Malchum, sed et circa alios a Christo patrata diversa miracula, ejus addiscere, sibique persuasam habere divinitatem, non vero illum velut latronem indignissimis modis aggredi et tractare. Etenim ad unius duntaxat verbi : *Ego sum,* validum tonitru, omnes ceciderunt retrorsum, soloque manus suæ contactu amputatam Malcho restituit auriculam et tamen in sua pertinacia æque contumaciter adversus Filium Dei persistebant. Unde B. Laurentius Justinianus ait [2] : « Juste satis redarguendi fuerunt Sacerdotes, qui « gloriæ Dominum, angelorum, universorumque « conditorem, tanquam latronem capere præsumserunt. Debuerant plane, quem noverant in plebe « tanta fecisse miracula, atque solo tactu coram se « sanasse auriculam, maxima cum veneratione « excolere. »

**2.** — Paulus de Palatio [3] circa assumpti thematis verba, sequens movet dubium, cur scilicet Redemptor noster conquestus fuerit, dicens : *Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me.* Cur non dixit : Tanquam ad virum seditiosum, pacis publicæ perturbatorem, vel criminis læsæ Majestatis rerum existis, etc., sed solum ait : *Tanquam ad latronem existis?* Et respondet, Christum dudum antea declarationem quamdam fecisse, dicendo [4] : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, fur est et latro. Quotquot ante me venerunt, fures sunt et latrones, et non audierunt eos oves. Fur non venit, nisi ut furetur, mactet et perdat. Ego veni ut vitam habeant.* Voluit igitur eis palam ostendere, tantum abesse, ut ipse latrocinii reus et latronis nomine dignus sit ut potius eos omnes, quotquot sunt, totidem latrones esse ostenderit ; adeoque *Dominus se furem et latronem non esse argumento probavit.* S. Thomas ideo Christum se a latrocinio defendere voluisse dicit [5], quia « Latro latet, ut non capiatur, sed Christus offert « se in manifesto : quotidie enim erat docens in « templo. » Atque ideo ob copiosam quam apud plebem habebat sequelam et venerationem, aliquem, si in die capiendus foret, verebantur tumultum, ideoque mediæ noctis elegerant pro Christi captivitate tenebras, quo tempore omnes gravi sopore sepulti jacebant. Præterea latro facultates nostras nobis eripit : at vero Christus protestatus est, dicendo [6] : *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput recli-*

[1] S. AMBR., l. X *in Luc.* — [2] ISA., LIII, 7. — [3] LUC., XXII, 62.

[1] S. BERN., t. I. — [2] B. LAUR. JUST., *de Triump. Christ. agod.*, c. 7. — [3] PAUL. DE PAL., *in Matt.* — [4] JOAN., X, 1. — [5] S. THOM., *in Matt.* — [6] MATT., VIII, 20.

*net*; extremam namque profitebatur paupertatem et tamen [1] *pertransiit* ubique *benefaciendo*. Ad pascendam in deserto hominum multitudinem miraculose multiplicabat panes, adeoque erat gratiarum suarum distribuendarum liberalis, seu potius prodigus, ut paulo ante in ultima cœna sacratissimum corpus et sanguinem in sacramento Eucharistiæ reliquerit, *in quo*, ut Concilium Tridentinum ait, *divitias amoris sui effudit*; et ut Apostolus ait [2] : *Exinanivit semetipsum*. Ad hæc latro, utpote malam habens conscientiam, justitiæ ministros fugit et declinat, quoad potest; Christus autem spontanee se turbis armatis, quis esset, manifestavit, quæ non obstante quod Judas pactum illis explesset indicium, ex quo ipsum agnituræ erant, ipsum tamen non cognoverant. Imo ex industria faciendæ orationis causa, se in hortum Gethsemani, more suo consueto, contulit, ut tanto posset facilius et commodius inveniri : Petrum quoque reprehendit, eo quod ipsum correptis armis defendere voluisset. Deinde latrones, ut videmus per experientiam, præter facultates, quas aliis auferunt, etiam sæpe iisdem solent eripere vitam; Christus autem se declarat, dicendo : *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant*. « Munus et officium latro-« num, » inquit Didacus Stella [3], « est malum pa-« trare et postea abscondi; sed ego neminem un-« quam offendi, aut læsi, imo potius quamplurimos « sanavi et in templo docui. » Verum enim vero ex uno nihilominus capite videbatur, quod tamquam secundus Adam furti reus argui posset. Quia cum omnia totius generis humani et præcipue primorum parentum nostrorum delicta in se assumpserit, hi autem in Paradiso terrestri, præterquam quod contra voluntatem Dei pomum rapuissent vetitum, insuper etiam scientiam et naturam divinam Deo Creatori, serpente instigante et dicente : *Eritis sicut Dii, scientes bonum et malum*; eripere moliti sint, videbatur justum esse, ut Christus tanquam latro catenis vinctus, minime de hac re conqueri deberet, sed potius dicere [4] : *Quæ non rapui, tunc exsolvebam*.

**3.** — S. Bernardinus hanc assignat rationem, ob quam Christus in templo capi noluit, ait enim [5] : « Altiori mysterio factum est, ne Christus docens « caperetur in templo, in quo nec etiam potuit « lapidari, in quo libertas doctrinæ, atque verbo-« rum Dei præfigitur, quia verbum Dei non est « alligatum, nec conclusum fuit aliquando funibus « tyrannorum. » Hugo Cardinalis vero ex eodem puncto, dum super Marcum scribit, hanc elicit moralitatem [6] : « In templo securus fuit Dominus, in « horto captus. Modo et in horto, et in templo cru-« cifigitur, id est, inter clericos et rusticos. » Et vero ad id propositum aliam quamdam ingeniosam legisse me memini considerationem, cum enim Christus paulo post in palatia Principum, id est, Annæ, Caiphæ, Pilati et Herodis perducendus esset, merito funibus et catenis ligatus fuit, quia Christus in domibus Magnatum liber et solutus videri nequit. Christus enim de seipso dicit : *Ego sum veritas*, veritatem autem in aulis Principum ligatam esse, volunt aulici et principes, non liberam. Ac proinde quando in prætorio Pilati veritatis mentionem fecit, dicendo [1] : *Ego ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*, Pilatus, haud secus ac si idioma Indicum, vel aliud magis peregrinum audivisset, plane admirabundus interrogavit : *Quid est veritas?* Principes enim Christum ligatum volunt, liberam vero et solutam veritatem non diligunt. Rabanus super Matthæum scribens, verba illa Christi : *Tanquam ad latronem existis*, etc. ita exponit [2] : « Stultum est, cum gladiis et fustibus « quærere, qui ultro se vestris tradat manibus, et « in nocte quasi latitantem et vestros oculos decli-« nantem per proditorem investigare, qui quotidie « in templo doceat; sed ideo adversum me in tene-« bris congregamini, quia potestas vestra in tene-« bris est. »

**4.** — Lucas Brugensis fines explicare contendit et motiva, ob quæ principes synagogæ, sive sacerdotum, et magistratus populi huic Christi captivitati personaliter præsentes interesse voluerint; ait enim id factum esse [3] : « In primis ne Judas falleret. Et si « falleret, mox juberent illum ipsummet compre-« hendi. Deinde ut audacior esset ad aggredien-« dum facinus, præsentiæ ipsorum innixus. Tertio « ut milites, ministrosque animarent, adeoque co-« gerent, si opus esset, ad comprehendendum Je-« sum, ne forte sinerent se verborum dulcedine, « aut quovis alio modo vinci aut revocari, quo « minus eum caperent, » quemadmodum alias factum fuerat, quando hi, qui ad ipsum capiendum fuerant amanati, a cœlesti et superhumana ejus sapientia capti remanserunt. « Postremo, ut si qui « ex populo Jesum defendere vellent, auctoritate « præsentiæ ipsorum compescerentur. »

**5.** — Paulus de Palatio Salvatorem nostrum eo fine Malcho auriculam amputatam restituisse arbitratur, ut scilicet ferociam turbarum, quæ per oppositionem S. Petri vehementer exasperatæ fuerant, compesceret et temperaret; ita enim scribit [4] : « Profecto rabidi leones contra Christum solum « venerant sævituri, neque eorum erat animus, « Christum ibi gladio perimere. At Petri gladius eos « irritavit, ut Christum et discipulos trucidassent, « nisi Christi, et verba, et miraculum id vetuissent « Ea enim ratione conjicio, Christum aurem sa-« nasse ministri, ut ferociam ministrorum illa

[1] *Act. Ap.*, X, 38. — [2] PHILIP., II, 7. — [3] DID. STEL., *in Luc.* — [4] *Ps.* LVIII, 5. — [5] S. BER., *ibi*. — [6] HUG. CAR., *in Marc.*

[1] JOAN., XVIII, 37. — [2] RAB., l. VII *in Matt.* — [3] LUC. BRUG., *in Luc.* — [4] PAUL. DE PAL.

« sanitate leniret. » Quantumvis hæc Christi clementia nonnisi ad eos crudelius exasperandos servierit, nam, ut suo loco dicetur, Malchus, qui miraculum receperat, Christum quovis alio indignius tractavit. Porro Lucas Brugensis ea quæ in hac captivitate contigerunt, hisce verbis recenset[1] : « Vinxerunt manus ejus et corpus funibus, mani- « bus post tergum retortis, Non satis habuerunt. « brachiis eum tenere, et satellitio undique sepire, « nisi etiam vincirent, et vinculorum extrema suis « manibus retinerent, partim ut caute eum duce- « rent, sicut præmonuerat Judas, partim ut major « eum opprobrio afficerent, tanquam hominem « sceleratum, morteque dignum. Quam crudeliter « autem ligaverint, intelligere licet primo ex eo, « quod haberent eum pro homine sceleratissimo, « et reipublicæ maxime pernicioso, quemadmo- « dum a principibus persuasi fuerant. Deinde quod « ulcisci haud dubie voluerint prostrationem, quam « passi fuerant, et moram, quam pluribus modis « Jesus injecerat. Denique, quod placere voluerint « principibus præsentibus, quibus noverant, quam « grata foret exercita in Jesum crudelitas. » Et vero verisimile est, quod ex quo Christus illos in terram prostraverat, ipsi quoque ex mera vindicta, et furore Redemptorem nostrum pariter certatim in terram conjecerint, eumque calcibus conculcarint, pugnisque et alapis cæciderint. Etenim B. Veronicæ de Binasco, ut apud Bollandum in ejus vita legitur, Salvatoris comprehensionem hoc modo contigisse, revelatum fuit[2] : « Videbantur Judæi, « eorumque impia turpa, lupi nimis famescentes, « quando in Agnum irruunt. Jesum ad terram « primo dejecerunt, pugnis faciem ejus, omneque « corpus percutientes. Tunc catenam ferream collo « Divino imposuerunt, trahentes eum, omnesque « Jesu stanti insultabant. Ensium deinde parte qua « manu tenetur, percutiebant Jesum, cum trahere- « tur, ac lapidibus atterebant, donec ad torrentem « Cedron venerunt, ubi præcipitem illum in tor- « rentem dantes, traxere catena. »

**6.** — Porro de hac collo Christi injecta catena, ab aliis quoque auctoribus facta est mentio, et quidem Salmeron ait[3] : » Præsentarunt Jesum « manibus retro ligatis, et catenam ferream in « collo habentem, quæ longo tempore magna cum « religione asservata est Hierosolymis, atque ejus « contactu pellebantur dæmonia de obsessis. B. « Basilius in Mystagogia Ecclesiastica ait, Jesum « fuisse ductum vinctum ex collo, in cujus typum « Sacerdotes collo apponunt stolam. » Alius quidam sacer interpres hac de re ita scribit[4] : « Non unus « aut alter in eum irrruit, sed multi. Deinde « omnes erant inflammati ira et odio in eum. « Persuasi enim erant a primoribus, hunc perver- « sissimum esse seductorem. Hac ira, et odio egressi « erant. Auxerat iram, quod tamdiu eum capere « non potuerunt. Itemque quod ipsos in terram « prostraverat. Incitaverat et Judas, admonens, ut « caute eum tenerent. » Et paulo post subjuugit : « Erat enim videre, quasi cum oppidum aliquod « munitum, ubi post longam obsidionem aditus « tandem patefactus est, furibunde irrumpitur, op- « pugnatur, diripitur. » Idem paulo ante in hæc verba scripserat : « Nemo satis explicare poterit, « imo ne cogitare quidem, quantum contumeliæ « Christo in hoc primo ingressu irrogaverint. « Neque id mirum. Quomodo enim parcerent tum « primum capto, quem etiam in cruce pendentem, « cum aliter non possent, verbis molestabant. » Salmeron considerat, multos Judæorum ibidem præsentium a Christo in prædicatione sua de sua hypocrisi, de vitii, et peccatis occultis, quæ utpote occulta cordium penetrans, eis detexerat, fuisse reprehensos, qui proinde exacerbati nihil adeo desiderabant quam de Christo sumere vindictam. « Meditantur quidam, » ait idem Salmeron[1], « manus « Domini a tergo fuisse revinctas, funeque crassiori « medium ejus corpus fuisse circumligatum. Ti- « mebant enim ne elaberetur, et rabies in eum « atque odium non improbabiles reddit has caute- « las. Dicitur autem cohors, et tribuni, et ministri « Judæorum eum ligasse, ut nullus esset, qui « tanti facinoris reus esse nollet. » Dionysius Carthusianus similiter hujus catenæ meminit, siquidem in Joannem scribens, ait[2] : « Fertur quod ferream « catenam miserunt in collum ejus ; dixerat enim eis « Judas : *Ducite caute.*» Et super Lucam scribens, idipsum his verbis repetit : « Ferream catenam mise- « runt in collum ipsius, timebant enim ne manus « eorum elaberetur, sicut sæpe fuit elapsus. » Regius Propheta David in Psalmo XXI de passione Christi in spiritu prophetico disserens, quando hoc captivitatis in horto mysterium repræsentat in persona Redemptoris loquens, dicit[3] : *Circumdederunt ma vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens ;* et paulo post subdit. *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.* Enim vero, quando fera aliqua, in densa quadam sylva magnis cum laboribus et fatigationibus a canibus perquisita, tandem in eorum redigitur potestatem, cum gaudio pariter et rabie, eamdem dentibus suis prosternunt, mordent, convellunt, conculcant, et dilacerant. Et venatores similiter cum gaudio eamdem percutiunt, sauciant, et a canibus agitari sinunt, donec moriatur. Idipsum Isaias in hæc verba vaticinatus fuit[4] : *Lætabuntur coram te, sicut exultant victores capta præda.* Omnes enim capto Christo lætabuntur de præda, et singuli suas de eo sumebant

[1] Luc. Bru., *in Joan.* — [2] Bolland., 13 febr., fol. 91. — [3] Salm., t. X, tr. 24. — [4] Jo. Ferus, *in Joan.*

[1] Salm., t. X, tr. 18. — [2] Dio. Carth., *in Joan.* — [3] *Ps.* XXI, 13. — [4] Isa., IX, 3.

vindictas. Hi verbi gratia seducti ab odio, alii ab invidia, alii propter interesse, alii ex zelo indiscreto, alii ex adulatione, ut in principum sese gratiam insinuarent, alii denique propter pecuniam, omnes enim certatim vociferabuntur, percutiebant, maledicebant, et blasphemabant illum. « Intuere « canes illos trahentes, » inquit Doctor Seraphicus [1], « et Agnum quasi ad victimam mansuetissimum « sine resistentia sequi. Unus enim apprehendit, « alter ligat, alius insurgit, et alius exclamat, « alius impellit, alius blasphemat, alius expellit, « alius percutit. » Quam differens ab hoc fuit obsequium illud, quod cives Hierosolymitani quatriduo ante ei exhibuerant, quando in signum venerationis, per viam qua venturus credebatur, suas prosternebant vestes, nunc autem illum raptant inter spinas, tribulos, et saxa difficillimæ viæ torrentis. Optime dicere poterat Salvator illud Psalmistæ [2] : *Conculcaverunt me inimici mei, quoniam multi bellantes adversum me.* Didacus Stella ait [3] : « Respice longam viam, qua Christus postquam « captus, ductus est, et quod notatu et inspectu « dignius est, quod a ponte usque ad domum Annæ « quædam interest acclivis via, ardua et recta nimis, « quapropter magna angustia pressus ascendit. » Idem paulo post prædictam assumens similitudinem, ait [4] : « Sicut canes feram insequentes, quidam ictu tangebant, alii infligebant vulnera, maximo conatu, impetu, et clamore in eum opprobria, et convicia conjicientes, Dominum Deum « tuum et Redemptorem, semiraptatum, et pulsum « trahebant. » Christus cœlestis sponsus B. Veronicæ de Binasco sequentem præscripsit meditationem, inquiens [5] : Memorare, o filia mea, quo sudore, « quave rabie insanientes Judæi vinctum me per « montem Oliveti protraxere, unguibus enim pedum « meorum tunc caro cessit. Hoc genus itineris « utinam ad crimina properantes animadverterent, « et mente volutarent, dicentes : Heu me miserum, « et infelicem ! Ego his pedibus per scelera curro, « at Christus Deus meus in monte Oliveti pedibus « crudelissime descendere coactus est, ne iniquita- « tum viam amplius ingrederetur. » Enim vero hanc prædictam Christi captivitatem a Jobo hisce verbis prædictam fuisse existimo [6] : *Insidiati sunt mihi et prævaluerunt, et non fuit, qui referret auxilium.* Etenim civitates fortissimæ nonnumquam per secretam quandam cum traditore intus latente intercipiuntur intelligentiam ; sic quoque [7] *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio,* Judæ traditoris opera captivus abductus est, et post traditionem, tandem deventum est ad violentiam. Unde sacer textus ibidem subjungit : *Quasi rupto muro, et aperta janua, irruerunt super me.* Hæ eædem injuriæ a Jeremia in Threnis his verbis fuerunt prædictæ [1] : *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt : Devorabimus. En ista est dies, quam expectabamus.* Taulerus meditando, inquit [2] : « Alius pilos capitis alius « barbæ vellebat. Hic pectori, ille collo manus in- « jecit. Iste in faciem, alius in collum, atque alius « in caput sanctissimum pugnos impingebat. » Blosius quoque ait [3] : « Benignus et suavis Dominus « trahebatur, propellebatur, et blasphemabatur a « satellitibus diaboli.

**7.** — Verum enim vero ingratus et crudelis hic populus condignam huic sceleri pœnam tandem luere debuit, prout Rupertus Abbas observat, inquiens [4] : « Cum dicunt secundum Isaiam [5] : *Ubi « est, qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis « sui. Ubi est qui posuit in medio ejus Spiritum « sancti sui, qui eduxit ad dexteram Moysen brachio, « Majestatis suæ.* » Enim vero abhinc sedecim sæculis nullus inter omnes nationes inventus est populus magis derelictus et prostratus, quam sit populus Judæorum. Ubi enim est modo brachium, et assistentia Dei illius, de quo dicitur [6] : *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.* Quod si a Deo ab hac sui dejectione liberati efflagitent inquit Rupertus [7] : « Respondebit illis utrumque « Majestatis suæ brachium esse ligatum, et idcirco « nullum præbiturum auxilium. » Porro incarnata Sapientia persecutores suos non solum vitulis, tauris leonibus et canibus, verum etiam apibus assimilat [8] : *Circumderunt me sicut apes.* Scitisne, quonam id mysterio fecerit? Tametsi verum sit, quod apes aculeo suo nos pungendo ingentem nobis dolorem inferant, attamen major est pœna, quæ post punctu-ram apibus infligitur, quia dum aculeum suum in vulnere impressum relinquunt, ipsæmet moriuntur. Eodem modo, tametsi Judæi Christo per plurima tormenta et dolores mortem intulerint, hic tamen immortalis et gloriosus resurrexit ; e contra vero ipsi Dei iracundiam, et mortem sempiternam incurrerunt, unde incomparabiliter major fuit pœna, quam ipsi ex morte Christo illata reportarunt, ea quam Christo per totam Passionem intulerunt.

[1] S. Bonav., *in Medit.* — [2] *Ps.* lv, 3. — [3] Did. Stell., *in Luc.* — [4] Id., *ib.* — [5] Bolland., *ib.* — [6] Job, xxx, 13. — [7] *Ps.* xxiii, 8.

[1] Thren., ii, 16. — [2] Tauler., *de Vit. Pass.* — [3] Blosius, *Margarit. stir.* — [4] Rup. Abb., *in Joan.* — [5] Isa., lxiii, 11. — [6] *Ps.* lxxv, 2. — [7] Rupert. Abb., l. XIII *in Joan.* — [8] *Ps.* cxvii, 12.

# TRACTATUS TERTIUS

## DE IIS QUÆ CHRISTO CORAM ANNA ET CAIPHA PRÆSENTATO ACCIDERUNT.

### DISCURSUS I

DE CHRISTO ANNÆ PRIMUM ET POSTEA CAIPHÆ PRÆSENTATO ; DEQUE EXAMINE, CUI AB ILLIS SUBJECTUS FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Quare Christus primo ductus fuerit ad Annam. — 2. De examine facto a Caipha. — 3. Doctrinæ Christi infallibilitas etiam ab inimicis ejus discenda. — 4. Cur falsi testes quærantur. — 5. Testium falsorum malitia. Cur inconvenientia testimonia. — 6. Malitia Caiphæ Pontif. — 7. Christus dicit se Filium Dei et quare. Significatio vestium a Caipha scissarum. — 8. Cur Jesus Pilato sistatur

*Adduxerunt eum ad Annam primum ; erat enim socer Caiphæ.* Joan. XVIII, 13.

**1.** — Cum turba armata Jesum vinctum ducens, Hierosolymam triumphali apparatu ingressa fuisset, ob captam innocentis Agni prædam exultabunda, primo omnium domum Annæ accessit, qui socer Caiphæ erat, et anno præcedenti Pontifex fuerat. Nam « pascebant Judæi oculos Annæ optato illo « spectaculo, tanquam præda diu desiderata, et « magno labore, et industria capta, » inquit Salmeron [1], adhærens illi, quod Chrysostomus diu ante in hæc verba dixerat [2] : « Quare ad Annam ? Animi « gratiam, ut rem ostentarent, et quasi triumphum « ducerent. » Hugo Cardinalis aliam assignat rationem, dicens [3] : « Quia socer erat Caiphæ, et quia « domus ejus occurrit eis, et ne viderentur ei in- « ferre contumeliam, transeundo domum ejus, » Idem Hugo super Joannem scribens, subjungit, Christum ex consensu Caiphæ generi sui ad Annam fuisse perductum [4] : « Non quia collega, sed « quia socer erat : ideo non pro jurisdictione, sed « pro familiaritate. Item voluit primo ad Annam « duci, ut minoris culpa videretur, si alte- « rius quoque sacerdotis damnaretur sententia. » Porro Anna non solum ob summi sacerdotii dignitatem, quam exercuerat, verum etiam propter experientiam et ætatem senilem, apud Synagogam in magna erat auctoritate habitus ; ac proinde volentes, ut Christus a senioribus et judicibus, erga Religionem majori zelo æstuantibus, condemnaretur, ipsum quoque ad Annam duxerunt, qui in Concilio Synedrin primum locum obtinebat post Caipham, eo anno Synagogam gubernantem. Lucas Brugensis ait [1] : « Caiphas plurimi faciebat Annam, « et quasi patrem honorabat, inquit Euthymius, « propter affinitatem : ex ejus consilio gerens « gratum omnia ; ac proinde noverant idipsum Cai- « phæ fore. » S. Cyrillus Alexandrinus Christum ad Annam perductum fuisse sustinet, eo quod hic cum Juda de mercede pactus fuerat ; ac proinde traditore instigante eo fuisse perductum, ut hic se pretio pacto satisfecisse ostenderet ; en verba Cyrilli [2] : « Sub- « intelligere oportet, artificem insidiarum ipsum « fuisse pactamque proditori mercedem promisisse.

**2.** — *At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham principem Sacerdotum, ubi Scribæ et Seniores convenerant,* inquit S. Matthæus [3] ; solus autem S. Joannes præsentationem Christi coram Anna factam, soli ostentationi servientem, commemorat. S. Thomas [3] sequens innuit mysterium [4] : « Sicut Passio Christi « erat oblatio veri Sacrificii, sic et locus congruere « debebat, ut Christus, qui est Sacerdos in æternum, « in domo Pontificis offerretur. » Porro S. Joannes primam indicat interrogationem a Caipha Christo propositam, dicens [5] : *Pontifex interrogavit Jesum de discipulis suis et de doctrina ejus.* Lucas Brugensis hanc interrogationem distinctius explicat, dicens [6] : « Quantum colligere licet ex Jesu respon- « sione, interrogavit Pontifex, quarenam adsciscerent « sibi discipulos complures, et ex eorum numero « duodecim in familiam suam cooptaret, quos « domi, foris, et ubique apud se semper detineret, « quidnam doceret eos, quam novam doctrinam « eis traderet, et paulatim in vulgus spargeret. Hæc « interrogavit, inquit Euthymius, volens eum « arguere tanquam novæ rei inventorem, ac sedi- « tiosum ; quasi conciliabula quædam facientem, « novaque dogmata inferentem. » Porro Christus contra legitimam legum consuetudinem, prius tanta cum ignominia, et violentia ligatus, et vinctus, coram Pontificis tribunali adductus fuit, ac tum demum prius instituerunt vitæ ipsius scrutinium, si forte ipsum in aliquo errore delinquentem

[1] SALM., t. X, tr. 19. — [2] CHRYS., in Catena Græc. *in Joan.* — [3] HUG. CAR., *in Luc.* — [4] ID., *in Joan.*

[1] LUC. BRU., *in Joan.* — [2] S. CYRIL. ALEX., *ibid.* — [3] MATT., XXVI, 57. — [4] S. THOM., *in Matth.* — [5] JOAN. XVIII, 19. — [6] LUC. BRU., *in Joan.*

deprehendere possent. Salmeron ad hoc propositum observat, inquiens [1] : « Perpende, non fuisse ma-« lum, quod Christum interrogarent de discipulis « et de doctrina, quia potestatis spiritualis munus « est, curare, ne aliena doceantur, vel ab alienis, « legitima potestate carentibus. Boni ergo speciem « ostendebat Pontifex, sed mala suberat mens. » Toletus Euthymium et Chrysostomum citat, existimantes, hanc Caiphæ suggestionem eo spectasse, ut Christus velut seditiosus accusaretur; siquidem omni industria sibi conciliabat sectatores, novam prædicando doctrinam. Subjungit idem Toletus [2] : « Perpende hoc in loco malitiam et iniquitatem « ipsorum, vinctum tanquam malefactorem et cri-« minosum ducunt, et non habent crimen ullum, « de quo interrogent. »

**3.** — *Respondit ei Jesus : Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis : ecce hi sciunt quæ dixerim ego.* Signum erat evidens se in doctrina et prædicatione sua nunquam errasse, dum Pontificem ad eos, qui illum frequenter audierant, remittebat, quasi dixisset, inquit Toletus [3] : « Non refugio, nec « refuto judicium, ut cognoscas et inquiras doctri-« nam meam, quam docui : sed ab his quære, et « pete, qui audierunt, magis enim tu credis eis, « quam mihi. » Salmeron Verbum incarnatum hoc loquendi modo dicere voluisse ait [4] : « Si male do-« cui, hoc oportebat te non ex propria suspicione « et invidia, nec ex calumniatoribus, sed ex audi-« toribus discere. Et quia non permittitur in legi-« timo judicio, ut quispiam sibi testis sit, ideo « more, et lege judicii ad auditores meos appello. » Et vero ne Caiphas excusare se posset, inquit idem Toletus [5], se non habere quempiam, quem hac super re interrogare possit, ideo Christus ait : « *Ecce hi qui adsunt, sciunt, quæ docuerim.* Ade-« rant tunc multi ex Pontificibus, Pharisæis, legis « Doctoribus et ministris, qui doctrinam Christi « sæpe audierant. O mira innocentia et veritatis « Domini efficacia! Remittit testimonium suæ doc-« trinæ ad inimicos, et persecutores, et calumnia-« tores, et nemo est ausus loqui; et erubescentes « obmutescunt in præsentia Christi. » Enim vero quod si causam requisieris, cur Christus etiam quoad discipulos suos interrogatus, de his nihil prorsus, sed solum de doctrina responderit, hanc Salmeron his verbis indicat [6] : « Vel enim hoc fecit, « quia illa interrogatio pendebat ex articulo de « doctrina, quia qualis doctrina, tales et discipuli. « Vel quia de discipulis parum boni noverat, quia « unus tradiderat, alter erat negaturus, omnes « vero eum deseruerant, docens, non statim reve-« landas aliorum infirmitates. » Hugo Cardinalis observat, Redemptorem se ad examen remisisse illorum, qui ipsum audierant, licet sui essent persecutores [1] : « Hæc enim est veritatis inalterabilis « demonstratio, cum hostes quis vocat in testes. » Ammonius in Catena Græca super Joannem, Christum dicere voluisse inquit [2] : « Roga ministros tuos, « qui nuper quidem doctrinam meam admirati « fuerunt, modo vero me capiunt. » Theophylactus quoque Christum in hac responsione excusat, licet prima facie aspera fuisse videatur, ac proinde alapam retulerit, de qua in sequenti discursu fusius tractabitur. Ait igitur [3] : « Non pertinacis est, sed « fidentis in dictorum veritate. Interroga enim, « inquit, inimicos, insidiatores, ministros illos qui « ligaverunt me; ista enim est veritatis indubitata « demonstratio, quando quis habet inimicos testes « eorum quæ dicit : nam ministri, inquit, sunt qui « antea dixerunt : nunquam locutus est homo, si-« cut homo hic; et cum ita respondisset, non est « ei admirationi, sed alapa cæditur, quo quid fieret « impudentius? »

**4.** — *Quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent* [4]. Porro ad hoc testimonium falsum edendum multi se obtulerunt, quia bene præmiabantur : *Cum multi falsi testes accessissent.* Unde S. Isidorus in hæc verba argumentatur [5] : « Et si mendacium gratis dicitur, quanto « magis venale quæritur? Neque enim deerit mul-« tiplex conventus falsorum, si tantum præsentia « sit nummorum. » At vero tametsi certum sit, falsos hosce testes fuisse subordinatos, iisque præscriptum fuisse, quid deponere deberent, nihilominus *convenientia testimonia non erant.* Unde Salmeron ait [6] : « Cum ad deponendum testimonia accede-« bant, contingebat eis, quod prophetæ Balaam, « qui cum maledicere populo Dei nitebatur, ei « egregie benedicebat. Ita istis evenit, qui animo « et verbis compositis, et fictis accedebant, quibus « eum tanquam blasphemum, legis transgressorem. « Sabbati violatorem, maleficum, dæmonum con-« sortem, et Cæsaris adversarium proderent, atque « comprobarent. At vero cum os aperirent ad « deponendum, nihil aliud quam ejus admirabi-« lem doctrinam, vitæ sanctimoniam, et signa stu-« penda pronuntiabant. » S. Bernardinus observat, quod Evangelista dicens, eos falsos requisivisse testes, dicere voluerit, ideo eos tales requisivisse, quia invenire testes veros, qui contra Christi innocentiam deponerent, non erat possibile [7] : « Ut « ostendat (scilicet Evangelista) quia iniquissima « intentione, et cum iniquissimo processu cuncta

[1] Salm., t. X. tr. 19. — [2] Tolet., *in Joan.* — [3] Idem, *ib.* — [4] Salm., t. X, tr. 20. — [5] Tolet, *ib.* — [6] Salm., *ibid.*

[1] Hug. Card., *in Joan.* — [2] Ammon, *in Cat. Græc. in Joan.* — [3] Theoph., *in Joan.* — [4] Matt., xxvi, 59. — [5] S. Isid., l. III *Sent.* — [6] Salm., t. XXI. — [7] S. Bern., l. IV, s. 55.

« contra Dominum probare parabant. Inquirebant « testimonia, ut zelo justitiæ punire viderentur, ac « per hoc sub justitiæ velamento, invidiam et « animi pravitatem palliare tentabant. » Hugo Cardinalis de testibus legitimis ita scribit[1] : « Quatuor « requiruntur ad verum testimonium, scilicet quod « testes sint rogati, jurati, volentes, scientes depo- « nant. Isti nec rogati, nec sponte se offerentes, « nec jurati, nec volentes, sed conducti; nec scien- « tes, sed fingentes deposuerunt, et ideo non erant « convenientia eorum testimonia. »

**5.** — *Novissime autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud.* Porro quo fine hi idipsum dixerint, Lucas Brugensis his verbis declarat[2] : « Voluerunt accusare Jesum in primis « impietatis erga Deum, ut cujus unicum, idque « augustissimum templum cupierit, cupiatque de- « structum; ac proinde omnem Dei cultum eversum « (nam promissum reædificandi vanum habebant). « Deinde arrogatæ sibi vel divinæ naturæ summa « cum blasphemia, vel artis magicæ animo sceles- « tissimo, quod templum, in quo ædificando qua- « draginta sex annis laboratum fuisset, triduo res- « taurare se posse præsumeret. » Hi igitur paucis verbis multas enunciarunt falsitates, siquidem quando Salvator templi profanatores e templo pepulit, Pharisæis eum, quo signo hanc potestatem authorizaret, interrogantibus (siquidem Filium Dei se esse declararat) respondit, dicens : *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud.* Ubi primo advertendum est, quod non dixerit : *Ego solvam templum hoc,* sed *solvite.* Secundo non dixit : *Templum manu factum,* hoc enim ipsi nequiter adjunxerunt. Tertio non dixit : *Ego reædificabo illud,* sed *suscitabo illud,* videlicet ad resurrectionem suam alludens. At vero ut S. Thomas ait[3] : « Non solum « falsus dicitur, qui dicit quod nescit, sed qui dic- « tum ad falsum reddit intellectum, prout ipsi « fecerunt; » siquidem verba Christi interpretati sunt de templo materiali Salomonis, cum tamen certum sit, ipsum de templo corporis sui fuisse locutum. Porro Salmeron ait[4] : « Etiam dato, quod « Christus loqueretur etiam de corporeo Salomonis « templo, non tamen ad mortem condemnari debe- « bat; solius enim Dei est, actum interiorem pu- « nire. Homines vero, qui solum vident ea quæ « patent, externam quidem actionem pravam pos- « sunt punire. Et ista templi destructio et reædi- « ficatio, ostendebat tantum, hominem superbum « sese, jactantem, et morte minime dignum : ideo « ipsi nullius ponderis ad Pilatum futurum puta- « bant. » Hugo Cardinalis super illa verba : *Convenientia testimonia non erant,* has illius assignat rationes, inquiens[5] : « Propter tria non erant con- « venientia. Propter mutationem, additionem, dis- « cussionem. Propter mutationem, quia Dominus « non dixit : Solvam, sed solvite, nec : ædificabo, « sed suscitabo, quod tantum templo viventi, non « materiali convenit. Propter additionem, quia « addiderunt : Manufactum, quod Dominus non « dixerat. Propter discussionem, quia non eodem « sensu, quo Dominus dixerat, retulerunt. »

**6.** — *Et surgens Princeps Sacerdotum, ait illi : Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur? Jesus autem tacebat. Et Princeps Sacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei*[1]. Nimirum astutus Caiphas considerans, adductos testes nihil concludenter contra Christum probasse, ad sagacitatem confugit, auctoritate illum interrogando, tanquam summus sacerdos, et caput religionis; et ideo dixit : *Adjuro te.* Quibus verbis alterutrum sequentium ictuum illi infligere parabat. Vel enim Christus responsurus fuisset affirmative, vel negative : si affirmative respondisset, illum in Cæsaris indignationem conjicere cogitabat, utpote qui titulum affectaret regium, seque illi opponeret, affectando regnum; ac proinde tanquam reus criminis læsæ Majestatis condemnatus fuisset in foro laico, atque insuper reus factus fuisset in foro Ecclesiastico tanquam blasphemator : si vero negasset se talem esse, eum cogitabat convincere per triumphum antecedentem in die palmarum ei exhibitum, in quo consenserat, ut agnosceretur et acclamaretur ei : *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.* Unde Salmeron ait[2] : « Observa insidiosum Caiphæ problema, ut, quo- « cunque se vertat Jesus, capiatur : » si enim post factam hanc instantiam : *Adjuro te per Deum vivum, etc.,* tacebat, jam ostendebat se auctoritatem contemnere Pontificiam : ac proinde adjurationem sprevisset ex parte Dei ipsi propositam. Si autem se Filium Dei esse negabat, sibimetipsi contradixisset; siquidem variis in occasionibus, in prædicatione sua sæpe fuerat protestatus, et specialiter in illum titulum consenserat, quando Petrus in coapostolorum suorum præsentia confessus fuerat : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Atque ideo si eumdem titulum in conspectu concilii ratificasset, idipsum ad eum tanquam blasphemum condemnandum motivi loco servivisset. Enim vero sacrilegus Caiphas nullam mysterii sanctissimæ Trinitatis habebat notitiam, multo minus in divinam ipsius credebat filiationem; sed quemadmodum in illo conciliabulo ex cœlesti instinctu prophetaverat, dicendo : *Expedit, ut unus moriatur homo pro populo,* ita quoque hic divinitus inspiratus fuit ad proponendam Christo hanc interrogationem, ut per redditum a Christo, qui æterna veritas erat, in conspectu totius Synagogæ responsum, Hebraismus nunquam in æternum

[1] Hug. Car., *in Marc.* — [2] Luc. Brugens., *ib.* — [3] S. hom., *ib.* — [4] Salm., *ib.* — [5] Hug. Car., *in Marc*

[1] Matt., xxvi, 61. — [2] Salmer., *ib.*

se excusare posset, quasi illum promissum in lege Messiam esse ignorasset. Porro finis interrogationis hujus non erat, ut veritatem intelligeret, sed ut eum tanquam Cæsari rebellem apud Pilatum accusaret, eumque ab illo condemnari faceret, simulque blasphemiæ reum esse convinceret. At vero S. Lucas refert, Christum dixisse : *Si vobis dixero, non credetis mihi.* « Cum nulla ratione aut credere, inquit « Lucas Brugensis [1], aut discere vellent, sed inter- « rogarent duntaxat hypocritæ, expiscandi gratia « id quod audire vellent : quodque sufficere ipsis « videretur ad ipsum morte mulctandum. » Observat autem hic auctor, Caipham in primo congressu, nocturno tempore facto, extorsisse a Christo confessionem, quod Filius Dei esset ; censuisse tamen, necessarium esse, ut eamdem sequenti diluculo in pleno concilio ratificaret. Ita enim scribit [2] : « Ut « factus est dies, convenerunt seniores plebis et « principes Sacerdotum, et Scribæ, et duxerunt « illum in concilium. Rogarant hoc idem nocte, et « adhibita adjuratione, urserant responsum, quod « et retulerant, propter quod etiam damnaverant « eum : sed quia illud nocte gestum fuerat, ac « proinde minus legitima judicii specie, revocant « eum in concilium hoc, quod præterquam quod « esset diurnum, etiam celebrius erat, a quo nullus « principum, vel eorum, qui ad concilium pertine- « bant, aberat, ut si hoc idem confiteatur, quod « nocte confessus fuerat, atque idem rursus sibi « nomen usurpet, iterum mortis reus sententia non « refutabili pronuntietur, et tanquam pertinax « confidentius Pilato occidendus tradatur. Si neget, « convincatur confessione nocturna. »

**7.** — *Dicit illi Jesus : Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis, sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cæli*[3]. Porro hæc ejus ad dexteram Patris capienda sessio, intra paucas septimanas, in gloriosa Ascensione adimplenda erat, atque in eadem ejus ad judicium finale in throno majestatis futurus adventus intimandus. Observat autem Salmeron, S. Marcum scribere, quod Christus responderit [4] : *Ego sum.* « Noluit enim negare, quod expedierat omnes « scire. » Lucas Brugensis hujus responsi tres assignat rationes, quarum *prima* est [5] : « Ne videa- « tur contemnere Pontificis auctoritatem, illo im- « perante loquitur, velut hoc concedens honori « quem ille gerebat, indignissimus alioquin cui « responderet. *Secunda* ratio fuit : Ne divini Nomi- « nis auctoritatem minoris facere credatur, adju- « ratus, immerito licet, et absque justa causa, res- « pondit, quanta tibi sit habenda divini nominis « reverentia, testatum faciens. *Tertia* causa fuit : « Ne tacendo negare videatur, libere confitetur « veritatem, de qua fuerat interrogatus ; quippe « summam muneris sibi a Deo delegati, quam ipse « celare non deberet, sed omnes oporteret scire, « nec quemquam prætexere posse ejus ignorantiam, « tametsi sciret, non veritatem, sed mortem suam « quæri. Quare D. Chrysostomus ait : Cujus etiam rei « gratia Christus hoc eis responsum dedit, ut om- « nem eorum tolleret excusationem. » Citat quoque auctoritatem Victoris Antiocheni, observantis, quod S. Marcus Christum respondisse dicat : *Ego sum*, ne Judæi unquam tergiversari possent, dicendo, se nunquam ab eo habuisse clarum et evidens adventus, et divinitatis Messiæ testimonium : « Ob id « munus planis verbis ad illum pronuntiasse com- « memorat. » Porro S. Lucas ait [1] : *Dixerunt autem omnes : Tu ergo es Filius Dei ?* Ubi Lucas Brugensis notat [2] : « *Tu*, magnam habet contemptus empha- « sin, quasi dicerent : Tu fabri filius, amicus Publi- « canorum, Sabbati prævaricator. » Tu, inquam, es Filius Dei ? Enimvero Caiphas audita ex ore ejus hac suæ divinæ filiationis confessione, totus festivus et lætus, *scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus ? Ecce nunc audistis blasphemiam.* Porro per hanc vestium sacerdotalium scissionem extrinsecus ostendit dolorem, licet intrinsecus gauderet, quod juxta suum judicium perversum caput invenisset delicti capitalis. S. Leo ait [3] : « Ad exaggerandam auditi sermo- « nis invidiam, scidit vestimenta sua, et nesciens, « quid hac significaret insania, sacerdotali se ho- « nore privavit. Ubi est Caipha rationale pectoris « tui ? Ubi continentiæ cingulum ? Ubi superhume- « rale virtutum ? Mystico illo, sacratoque amictu « ipse te spolias, et propriis manibus pontificalia « indumenta discerpis. « S. Thomas quoque ait [4] : « Eodem furore scidit vestimenta sua, quo paulo « ante de solio surrexit. Quod de solio surrexit, « ostendebat, quod amitteret sacerdotium, et quod « scidit vestimenta sua, significabat, quod transferri « debebat. » At vero quænam fuit causa, quod eum tanquam blasphematorem non fecerint sub lapidibus occidi ? Salmeron ait [5] : « Forte tunc « libenter eum lapidassent ut blasphemum, præ- « optabant tamen eum morte turpissima crucis « extingui. » Caiphas autem post commemoratam ipsius blasphemiam, totius requirebat concilii arbitrium, dicens : *Quid vobis videtur ? At illi respondentes, dixerunt : Reus est mortis.* At vero quinam erant hi judices ? « Perpende, » inquit idem Salmeron, « iidem homines sunt judices, testes, pars « adversa, et carnifices, ut undique appareat hujus « judicii intolerabilis iniquitas, et perversitas. » Considerandum quoque est, quod Lucas Brugensis ad præsens propositum in hæc verba notavit : « Jus- « tam et legi consonam ferunt sententiam, posita « blasphemia. Sed in eo peccant, quod credant

[1] Luc. Brug., *in Luc.* — [2] Idem, *ib.* — [3] Matt., xxvi, 64. — [4] Salm., *ib.* — [5] Luc. Brug., *in Matt.*

[1] Luc., xxii, 7. — [2] Luc. Brug., *in Luc.* — [3] S. Leo ser. 6 *de Pass.* — [4] S. Thom., *in Matt.* — [5] Salm., *ib.*

« Pontifici urgenti blasphemiam manifestam, neque « dicant libere, discutiendum prius esse, an ille « locutus sit blasphemiam, quam statuatur hæc « pœna. Verum applaudere et adulari omnes stu- « duerunt Pontifici maximo præsidenti ac facile, « et illa scissio vestis, quod ait D. Chrysostomus, « sed tuniculæ dissectio, quod Victor Antiochenus, « et clamorosa oratio, et auctoritas summa Ponti- « ficis, omnes potuit permovere, et in sententiam « suam attentius pertrahere. » Cajetanus pariter observat, quod cum ab Incarnata Sapientia audissent, quidquid de se dixerat, eorum prius examinare debuissent veritatem, quam de iis pronunciare sententiam : « Audita, » inquit [1], « distinctione duo- « rum adventuum Messiæ, debebant interrogare a « Jesu (quem sciebant multa signa fecisse, specia- « liter illuminasse cæcum a nativitate ac resusci- « tasse Lazarum) unde distinctio ista duorum « adventuum Messiæ haberetur authentice in Pro- « phetis, et scrutari veritatem : sed erumpunt cæci « ad damnandum Doctorem veritatis. »

**8.** — *Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum,* inquit S. Lucas [2]; cujus Cajetanus hanc assignat rationem [3] : « Decreverant prius « Jesum occidere, judicantes ipsum reum mortis, « sed non habentes executionis modum. Executio « siquidem non erat in potestate eorum, quia Ro- « mani reservaverunt præsidi causas sanguinis, et « propterea consilium inierunt de modo exe- « quendi : » ac tandem staduerunt, illum tanquam solemnem malefactorem et ignominiosæ mortis reum, Pilato præsentare necandum.

## DISCURSUS II.

### GRAVITAS ENORMISSIMÆ INJURIÆ, PER IMPACTAM CHRISTO ALAPAM ILLATÆ, EXAMINATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Alapæ inflictio quam ignominiosa. — 2. Injuriæ exageratio. — 3. Quo impetu inflicta fuerit Christo alapa. — 4. Judæorum plausus ad alapam Christo datam. — 5-6. Circumstantiæ aggravantes injuriam alapæ inflictæ. — 7. Christi humilitas et decor faciei ipsius.

*Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu.* Joan. XVIII, 22.

**1.** — Cum in perniciem Jobi universus conjurasset infernus, eique rabie plenus, omnes quos poterat, intulisset crudelissimos ictus, tandem Job dolorem suum ad vivum exprimere volens, ut adæquatum illius formare possemus conceptum, in hæc verba prorupit [4] : *Oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt omnes artus mei : rugæ meæ testimonium dicunt contra me. Collegit furorem suum in me, et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis : hostis meus terribilibus oculis me intuitus est, aperuerunt super me ora sua.* Volens autem exprimere, quanam in re præcipue inimicus infernalis immensum furorem et odium suum adversus ipsum evomuisset, subjungit : *Exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.* Quasi summus, et altissimus ignominiæ, cruciatuum et pœnarum, quibus homo aliquis honoratus torqueri possit, gradus sit, si quis colaphis eum percutiat. Unde Lyranus verba illa ita exponit [1], ut sensus sit : « Dæmon et amici mei per eum excitati, contemp- « serunt me manifeste : sicut contemnitur ille, qui « percutitur in facie. » Cum igitur impii Jobum ex suggestione dæmonis colaphizarint, ideo rebelles illos spiritus suis supplicis saturatos fuisse declarat : *Satiati sunt pœnis meis.* Hæc igitur alapa Filio Dei inflicta, præ aliis a S. Joanne specialiter relata (utpote qui, ut est verisimile, eo tempore in domo Caiphæ præsens aderat, eo quod ut notus Pontifici, facilem in ejus domum aditum haberet) omnibus Doctoribus sacris ingens præbuit motivum magnæ admirationis, nec non ipsimet Salvatori, cœteroquin adeo patienti et magnamino causam dedit, ut alapam hanc infligenti, velut indignabundus improperaret. S. Ephrem, universæ Passionis periodos explicans, priusquam ad hanc percussionem descenderet, hisce verbis proloquitur [2] : « Volueram hic « mihi silentium imponere præ nimio mentis stu- « pore, et rursum contremui, ac timui ne meo silen- « tio repellerem gratiam Salvatoris. Dicam tamen « hæc vobis cum timore fratres, siquidem, universa « mihi contremiscunt ossa, dum ista penitius me- « cum animo complector, examinoque. Creator « ipse universorum, Dominus Deus noster, hodie « tanquam aliquis ex reis sistitur ante Caipham, « ministrorumque unus ipsi impegit alapam. Tre- « mor me hæc omnia cogitantem occupat. Servus « sedebat, et Dominus adstabat. Contremuerunt « cœli, inhorruerunt fundamenta orbis terrarum, « Angeli et Archangeli omnes obstupuerunt. Gabriel « et Michael vultum suum alis contexerunt. Cheru- « bin in throno se absconderunt. Seraphin in se « mutuo alas in illa hora concusserunt, quando ille « impietatis ac tenebrarum minister alapam dedit « Domino majestatis, et gloriæ. » Post S. Ephrem Cyrillus Alexandrinus eamdem alapam his verbis execratur [3] : « Universam ipse creaturam perhorruisse « puto, si sensum hujus rei habuerit : Dominus « enim gloriæ impia manu hominis cædebatur. » S. Theodorus Studita attonitus propter hoc improperium, quo nullum dari poterat abjectius, in hæc verba exclamat [4] : « Qui cœlum palmo, aç terram « mensus pugillo est, lanceque montes libravit, hic « ille est, qui servi pulsatur dextera. » S. Augustinus universam naturam ad hanc alapam se commovisse existimat, licet sacer textus id non nisi in morte

[1] CAJET., *in Matt.* — [2] LUC., XXII, 1. — [3] CAJET., *in Luc.* — [4] JOB, XVI, 8.

[1] LYR., *ib.* — [2] S. EPHR., *de Pass.* — [3] S. CYR. ALEX., l. XI, c. 46, *in Joan.* — [4] S. THEOD. STUD., ser. 37.

accidisse exprimat. En verba ipsius [1]: « Omnia sunt « elementa permota. Cœlum non est quietum, cum « caput Dominicum colaphis verberatur ; non cu- « ria cœlestis cœlo contenta perman sit, quia in « commotione fuerunt. » D. Chrysostomus ad hanc percussionem adeo ignominiosam continere se nequit quin cœlestem invocet militiam, ad vindicandam tantam injuriam [2] : « O Angeli, » inquit, « quomodo siletis ? Quomodo manus continere « potestis ? An quod attonitos vos tenet tanta inso- « lentia et tanta mansuetudo : tanta perversitas, « et tanta patientia ? »

**2.** — *Dedit alapam.* Porro alapa, percussio quædam est summe injuriosa et ignominia plena. D. Chrysostomus in homilia secunda de incomprehensibili. Dei natura, de hac alapa ita scribit [3] : « Adde « gravitatem contumeliæ, et molestiam, et acerbi- « tatem ; non enim maledixit solum, sed etiam « cæcidit, sed alapa, qua quidem plaga nihil igno- « miniosius, nihil contumeliosius esse potest. » Alapa personæ honoratæ inflicta, in cunctis nationibus, et quovis tempore existimata semper fuit infamis quædam et vituperosa contumelia, non solum ob percussionis gravitatem, sed propter dignitatem vultus, seu faciei, tali injuria affectæ, utpote quæ nobilior magnisque conspicua corporis humani pars est. Ludolphus Carthusianus ait [4] : « Dicitur palma « manus extensa, vel applicata, sicut pugnus dici « tur manus complosa. Manibus ergo extensis, et « palmis eum in facie percusserunt, ex qua percus- « sione plus affligitur homo, quam de percussione « in collo. In facie enim sunt omnes sensus, et sunt « ibi membra tenera, facile læsibilia. » Didacus Stella pariter ait [5] : « Ex qua percussione nimis affli- « gitur homo, nam in facie sunt omnes sensus, et « sunt ibi membra tenera. » De hac percussione apud Salmeron leguntur sequentia [6] : « Alapa hæc « illata est in partem ejus honorabiliorem, hoc est « faciem, sive vultum, formatum a Spiritu Sancto « et a Beata Dei genitrice sanctis, et pudicissimis « osculis frequenter contractum. » S. Jeremias Propheta hanc alapam in Threnis suis claris hisce verbis prædixit [7] : *Dabit percutienti se maxillam.* At vero ut incomprehensibilem hujus percussionis infamiam exprimeret, licet sciret Christum ex amore erga nos quemlibet injuriam avidissime suscipere ? tamen de hac alapa loquens, subjungit : *Saturabitur opprobriis* ; quia alapa tantam ei attulit ignominiam, ut intellectus creatus majorem sibi imaginari non possit. Quibuscunque aliis tormentis et pœnis atrocissimis Christo illatis, aucta est in illo sitis majora semper patiendi ; at vero post hanc alapam receptam, utpote omnium aliorum improperiorum culmen injuriis satiatus fuisse videtur : *Saturabitur opprobriis* ; quasi hæc ignominia fuisset quoddam *non plus ultra* omnium improperiorum. Inter alios heroicos virtutum actus a S. Paulo enumeratos, unus est, si quis constans permaneat in alapæ receptione. Ait enim [1] : *Sustinetis si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis in faciem vos cædit. Secundum ignobilitatem dico.* Idem quoque Apostolus infimam abjectionem exprimere volens, qua spiritus fornicationis eum injuriari contendebat. hac loquendi phrasi usus fuit [2] : *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ qui me colaphizet.* D. Chrysostomus observat [3], eumdem Apostolum alias quoque de extremis suis ærumnis scribentem, dixisse : *Usque in hanc horam, et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur.* « Est ergo colaphizatio humiliatio, » inquit D. Chrysostomus, « et quidem humiliatio talis quæ in- « firmis et ignominiosissimis inferri solet. » S. Bonaventura in sermone quodam in die Parasceves habito, inquit [4] : « O quam strenuus miles fuit « Christus, qui gigantem gladio invasit, id est, Cru- « cis baculo ! Valde verecundum est militi, si cola- « phizatur, et heu de milite meo Christo dicitur : « *Colaphis eum cæciderunt.* » Scio equidem, quod paradoxum vobis esse videbitur, quod alapa cum omnibus aliis injuriis, calumniis blasphemiis, aliisque innumeris atrocissimis pœnis comparata, longe præponderet ; veruntamen in trutina Redemptoris sola hæc alapa, et inde resultans injuria majoris æstimatur, quam universa aliorum tormentorum congeries. Non auderem hanc propositionem enunciare, nisi eamdem edoctus essem a D. Chrysostomo, dicente [5] : « Isaias paucissimis verbis omnem hanc « contumeliam multo ante aperuit. Quemadmodum, « inquit, obstupescent super te multi, sic inglo- « rius erit inter viros aspectus tuus, et forma inter « filios hominum. Quid enim contumuliæ illi po- « test exæquari ? » Ubi notandum est verbum illud *exæquari*, quasi dicere vellet : nullum aliud supplicium huic contumeliæ præponderare poterit. « In faciem « illam, quam fluctus maris reveriti sunt, quam « Sol in cruce videndo radios occuluit, spuebant, « cænebant, caput percutiebant, colaphis cædentes, « et palmas in faciem ejus dantes. » Lucas Brugensis in Matthæum hac de re ita scribit [6] « Palmas in « faciem ejus dederunt. Græci Patres palmam et « alapam omnes hic significari intelligunt et quan- « quam colaphos alii ad caput, alii ad collum re- « ferant, omnes tamen palmas et alapas referunt « ad maxillam aut faciem, quibus accedens inter- « pres hic palmas addita faciei mentione secundum « Marcum, vertit alapas, intelligens alapas, quæ

[1] S. Aug., ser. 46 in append. *de divers.* — [2] Chrys., ho. 84 *in Joan.* — [3] Id., t. I, h. 20. — [4] Lud. Carth., p. 2. c. 60. — [5] Did. Stell., *in Luc.* — [6] Salmer., t. X, tr. 20. — [7] Thren., III, 30.

[1] II Cor., XI, 21. [2] Id., XII, 7. — [3] Chr., h. 15 in II *ad Cor.* — [4] S. Bon., ser. 4 *in Par.* — [5] Chr., h. 86 *in Joan.* — [6] Luc. Brug., *in Matt.*

« palma, id est, manu aperta inferuntur. Lucas « ait : Percutiebant faciem ejus; ita ut omnino in- « telligere id oporteat, quod interpres his vertit : « Palmas in faciem ejus dederunt. Habetur autem « palma, seu alapa viris data, maximæ ignominiæ « et despectionis loco. Et quanquam plus habeat « contumeliæ quam pœnæ, verisimile fit tamen, « quod ita graviter et frequenter Christo Domino « inflicta fuerit ab inimicis capitalibus, ut ex nari- « bus ipsius et ore copiosus sanguis effluxerit. « Fuerunt hæc morte ipsa crudeliora, ab ipsis « etiam Prophetis prædicta, quod mox vidimus. « Quid enim his contumeliis, inquit D. Chrysosto- « mus, potest exæquari? » Verum quidem est, quod quando passio in summo suo culmine consti- tuta fuit, id est, quando carnifices Redemptorem nostrum in crucis patibulum affixum elevarunt, tunc pridem commotum et perturbatum fuerit totum universum, omniaque creata exhorruerint crudelitatem, qua communem Creatorem lictores discruciarunt. Verumtamen D. Chrysostomus, a Doctore Seraphico citatus, cœlum invitat et terram ut propter hujus alapæ indignitatem omnia susque deque vertant [1] : « Unus dedit ei alapam. Horreas « cœlum, ait D. Chrysostomus, excessum mentis « patiaris terra, de Dominatoris longanimitate. « Creator mundi, Filius Dei Æternus accepit ala- « pam, et servus eam dedit, qui omni pœna dig- « nus, scilicet aut cœlesti igne incendi, aut terra « dehiscente sorberi, aut correptus dæmonio volu- « tari, ut ait S. Augustinus. »

**3.** — Huic autem contumeliosæ ignominiæ ad- jungitur ipsius percussionis gravitas et enormitas. Pro cujus enormitatis meliori intelligentia obser- vandum est, quibusnam verbis oraculum Prophetici- cum hanc alapam expresserit [2] : *Terrebit eum tribulatio et angustia vallabit eum, sicut Regem qui præparatur ad prælium*, inquit Propheta Job de Redemptore nostro qui paulo ante *cœpit pavere; tristis est anima mea usque ad mortem. Factus in agonia, etc.* Moxque ad colaphizantem Caiphæ minis- trum alludens, subdit : *Tetendit adversum Deum manum suam et contra Omnipotentem roboratus est.* Ictus enim ille alapæ tanto cum impetu genis Christi impactus est, ut P. Bollandus Beatæ Vero- nicæ de Binasco revelatum fuisse referat [3] : Virum qui in facie percussit Christum manum habuisse tectam chyrotheca ferrea, fuisseque eam percussio- nem sæviorem, ita ut sanguis stillaret, descende- retque in barbam ad collum Salvatoris. Idem nam- que, utpote primarius Caiphæ minister, quia sciebat, quantus esset plebeiorum Christo ejusque doctrinæ adhærescentium, numerus, timens, ne ab illis aliqua excitaretur seditio, aut tumultus, ad hortum Gethsemani a capite ad pedes usque arma- tura ferrea vestitus processerat; indeque cum Christo vincto ad domum Caiphæ rediens manu chyrotheca chalybea cincta hanc Christi faciei ala- pam crudelissime impegit. Et ideo cum B. Virgo S. Anselmo acerbissimos passionis Filii sui dolores revelaret, hunc alapæ impetuosum ictum descri- bens [1] : *Alapam inexpletæ crudelitatis* appellavit. Salmeron ait : « Meditantur quidam, manu ferrea « chyrotheca armata impactam fuisse et ob eam « causam signum talis alapæ in facie remansisse, « quod ex vestigio cicatricis, in Verocinæ imagine, « quæ Romæ magna religione asservatur et coli- « tur, relicto comprobari ferunt : tantaque fuit, ut « faciem Christi ad judicem conversam, in alteram « inflexerit partem et ut ait S. Vincentius, in ter- « ram Dominum prostraverit. » Qui et paulo ante dixerat : « Alapa illa per totam aulam insonuit. » Idem S. Vincentius in sermone quodam in die Ve- neris sancto pronunciato, inquit [2] : « Alapa percus- « sit et prostravit ipsum ad terram, qui dixit illi, « postquam surrexit : *Si male locutus sum*, etc. »

**4.** — Regius Propheta David in spiritu prophe- tico de Christo patiente loquens, in persona Christi in hæc verba lamentabatur [3] : *Quasi lugens et con- tristatus, sic humiliabar* (id quod Christus paulo ante dixerat : *Tristis est anima mea, etc.*) quod vero Dominum nostrum quam maxime afflixit, fuit jubi- lus et lætitia qua inimici ejus ex ejus improperiis perfundebantur : *Et adversum me lætati sunt et convenerunt.* Cum enim Judæi, persecutores ejus, in aula Caiphæ congregati essent, alapam hanc Christo impudentissime impactam quaqua versum resonantem audientes, ingentem ediderunt plau- sum. Porro textus Hebræus legit : *Cum ego autem attritus essem mœrore, tristitia, tenebrositate indutus festive lætati sunt et congregati sunt.* Salmeron quo- que hanc notabiliter aggravantem memorat cir- cumstantiam, inquiens [4] : « Habuit et aliam cir- « cumstantiam, quia alapa isthæc insonuit per « totam aulam, cum esset impressa et ob id risum « et gaudium, quod tum Pontifici tum Judæis as- « sistentibus concitavit, qui omnes talis contumeliæ « irrogatione oblectati sunt. »

**5.** — Idem auctor duobus in verbis duas alias insinuat valde considerabiles circumstantias, ex quibus enormis hæc alapa ejusque malitia aggra- vatur. Ait enim : « Fuit a vilissimo servo illata in « personam dignissimam. » Enimvero quanto vilior, magisque plebeia est persona offendens, quantoque persona offensa dignior est, tanto injuria magis adaugetur. Præterquam vero quod homo nihil sit aliud, quam [5] *putredo et vermis*, hic colaphizans in- super lictor, satelles, minister justitiæ, denique

[1] S. Bonav., *in Joan.* — [2] Job. xv, 25. — [3] Bolland., XIII, fol. 911.

[1] S. Ans., dial. *de Pass.* — [2] S. Vinc. Ferr, ser. in *Parasc.* — [3] *Ps.* xxxiv, 14. — [4] Salmeron. — [5] Job, xxv, 6.

Malchus ille erat, cui Dominus paulo ante amputatam auriculam restituit, adeoque vir erat infamis, impudens, ingratus, abominabilis et speciale Satanæ instrumentum. Hic, inquam, fuit ille, qui Deum illum, in cujus reverentiam et honorem Seraphini cœlestes alas suas submittunt : « Quem ado- « rant Dominationes, tremunt Potestates, » vilissima, quæ ab impiissimo possit homine excogitari, afficere contumelia non dubitavit.

**6.** — Porro dissimulandum non est, quod S. Joannes dicat : *Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu.* Hoc enim verbum *unus,* observans Albertus Magnus ait [1] : « Unicus in malitia hic « Caiphæ assistebat. Assistebat Pontifici, » inquit Simon de Cassia [2], « non Veritati, Homini, non Deo. « Sed pro Pontifice percussit Veritatem et pro « homine malo, Deum hominem alapavit. » Alapapavit, inquam, Deum illum, coram quo *millia millium ministrant ei* in cœlis, *et decies centena millia assistunt ei* [3]. « O quam horrendum scelus, » inquit Didacus Stella [4], « impiissimorum Judæorum, quod « faciem tam formosam, quam Salomon tantum « cupiebat videre, ut diceret : *Ostende mihi faciem « tuam, facies enim tua, decora ;* verberibus affece- « runt ! » D. Chrysostomus in alia quadam Homilia, de incomprehensibili Dei natura, ad sequentem nos meditationem exhortatur, dicens [5] : « Cogita « dignitatem ejus, qui affectus est contumelia, et « auctoritatem ; nec non personam vilem et abjec- « tam ejus, qui contumelia affecit. » Quibus verbis de hac percussione loquitur.

**7.** — S. Apostolus de humilitate et exinanitione Christi disserens, hæc prius verba præmittit [6] : *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Ecce tibi hic breviter indicatam supremam divinæ naturæ dignitatem. At vero videamus, quousque se hæc tanta sublimitas tandem submiserit et humiliarit : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Ecce tibi humiliationis suæ effectus, siquidem ad instar vilis alicujus mancipii se colaphizari non est dedignatus. « O vultus desiderabilis Angelis, » exclamat S. Bernardinus [7], « et genæ quæ cœlum repletis læ- « titia, mundumque decore lætificatis, quomodo « tam crudeliter cæsæ estis a manibus impiorum ! » Numquid vultus hic ille erat : « *In quem desiderant « Angeli prospicere* [8] ? » Numquid facies illa speculum illud erat purum et immaculatum, in quo æterni Patris repræsentabatur imago ? *Candor est lucis æternæ et speculum sine macula Dei Majestatis et imago bonitatis illius* [9]. S. Cyrillus Hierosolymitanus de impio hoc facinore disserens, ita scribit [10] : « Interrogans Princeps Sacerdotum et audiens ve- « ritatem, indignatur et malus minister dedit « alapam et ille faciem Sole illustriorem, manibus « iniquis percuti sustinuit. » Quibus verbis, ut opinor, ad transfigurationem in monte Thabor factam alludere voluit, quando resplenduit facies ejus sicut Sol. Sed ecce tibi nunc hanc lucem ab ignominiosa hac alapa turpiter eclipsatam. Hugo Cardinalis inquit [1] : « Percutiebant faciem ejus, quam « Moyses desiderabat sibi ostendi, Exod., XXIII : *Si « inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem « tuam.* David quoque ait : *Ostende faciem tuam et « salvi erimus.* Et Jacob, Gen., XXXII, inquit : *Vidi « Dominum facie ad faciem et salva facta est anima « mea.* Hesther, XV, dicit : *Valde mirabilis es, Domine, « et facies tua plena est gratiarum.* Et tamen minis- « tri Judæi hanc alapis et sputis contaminaverunt. » Consideratione quoque digna sunt pauca hæc Salmeronis verba [2] : « Cæditur palmis, qui dedit « cædentibus manum. »

[1] ALB. MAG., *in Joan.* — [2] SIM. DE CASS., l. XIII. — [3] DAN., VII, 10. — [4] DID. STELLA, *in Luc.* — [5] CHRYS., t. I, h. 26. — [6] PHIL., II, 6. — [7] S. BERN., t. IV, s. 55. — [8] I PET., I, 22. — [9] SAP., VII, 26. — [10] S. CYR. JER., XIII, 13.

## DISCURSUS III.

CHRISTUS A SERVO ILLO, QUI EUM SUB PRÆTEXTU ZELI, REVERA TAMEN OB ALIOS FINES PERCUSSIT, IMMERITO REPREHENSUS FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Figuræ alapæ ex lege veteri. — 2. Motivum alapæ inflictæ. — 3. Cur dari soleant alapæ. Christi responsum nil habet offensivum. — 4. Quare Christus responderit cedenti. Percutiens adulator. Ambitiosus. — 5. Aliud percutientis motivum. — 6. Doctrina moralis ex hac Christi alapa elicita.

*Unus ministrorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes Pontifici ?* Joan., XVIII, 22.

**1.** — Inter alia magis præcipua passi Redemptoris nostri mysteria, in veteris Testamenti Scripturis sacris hæc quoque alapa prædicta fuit. Et quidem præter id quod ex Jobo [3] in principio præcedentis discursus diximus, valde evidens est illud Prophetæ Micheæ vaticinium, in quo capite quinto Jerosolymæ suam comminatus est desolationem, eidem in pœnam mortis Messiæ vero illatæ eventuram. Ait enim [4] : *Vastaberis filia latronis, obsidionem posuerunt super nos.* Ut autem scelus exprimeret enormissimum, in passione Christi patratum, hanc quoque commemorat percussionem, dicens : *In virga percutient maxillam judicis Israel.* Ubi Hugo Cardinalis ait [5] : « In virga, quasi non solum insidias, sed e « contumelias nobis facient. Virga hæc fuit passio « totalis Christi. » Ex qua per unam partem, quæ fuit præcipua, totum significatum fuit, scilicet per ignominiam et pœnosam gravitatem hujus percussionis, seu inflictionis alapæ. Nam ut Rupertus

[1] HUG. CAR., *in Luc.* — [2] SALM., *ib.*, tr. 22. — [3] JOB, XVI. — [4] MICH., V, 1. — [5] HUG. CAR., *ib.*

Abbas ait [1]: « Per partem totum, id est, per maxillæ « percussionem, totam ejus significabat Passionem. « Hæc alapa fuit signata in Michea percusso, » inquit Salmeron [2], III *Reg.*, XXII, « quem Sedecias in « maxilla verberavit, dicens : *Mene ergo dimisit « Spiritus Domini et locutus est tibi*? et in Job, qui « non tam in sua quam in Christi persona ait : « *Percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis « meis.* » Judicis porro nomine, Filius Dei ab eodem Michea indigitatur, quia Æternus Pater *omne judicium dedit Filio*; idque in præmium illius, quod scilicet in multis tribunalibus tanquam reus accusatus fuerit et condemnatus, nec non propter merita mortis suæ. « In virga, seu aspero ictu per- « cusserunt maxillam Judicis Israel, id est, Christi, » ut Dionysius Carthusianus exponit [4], « cui Pater de- « dit omne judicium, qui in Evangelio loquitur « Judæis : *Multa habeo de vobis loqui et judicare. Et « amodo videbitis Filium hominis, venientem in « nubibus cœli, cum potestate magna et majestate.* « Hujus maxillas percusserunt manibus incæstis « atque sacrilegis, in nocte illa potestati tenebra- « rum concessa. » Hugo Cardinalis observat [5], adimpletum quoque fuisse aliud miraculum, in lamentationibus Jeremiæ descriptum, *Thren.*, III : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Citat etiam versionem quamdam, *Isaiæ*, L, ubi secundum aliam litteram legitur : *Dorsum meum ad flagella, et genas meas ad alapas.* Et Sibylla Erythræa dicit de hoc : « In manibus infidelium veniet, « dabunt ei alapas incæstis manibus. »

**2.** — *Sic respondes Pontifici*? Enim vero quod attinet motivum, propter quod sacrilegus ille hanc alapam Christo impegit, ex hisce verbis clare satis constat, illud non fuisse aliud, quam quod illam dederit in vindictam responsi a Christo Caiphæ redditi. Ac proinde operæ pretium erit examinare detestabilem illam injustitiam, qua impius hic motus fuit. Dico impius, quia ut D. Chrysostomus et alii opinantur, hic colaphizans, fuit ipsemet Malchus, circa quem benignissimus Salvator noster miraculum illud sanationis amputatæ auriculæ patraverat. Unde Ludolphus Carthusianus ait [6] : « Unus ministrorum Pontificis, qui dicitur fuisse « Malchus, cujus sanaverat auriculam, ingratus ac- « cepti beneficii, dedit alapam Jesu, repræsentans « perversos, qui beneficiis impensis mala repen- « dunt. » Salmeron quoque detestabilem ejus observat malitiam, utpote qui miraculi recepti ne verbo quidem meminit, præterquam quod ut suo loco diximus, nec tunc, quando Christus aurem ejus sanavit, verbum aliquod gratiarum actionis protulisse constet, quin potius præ cæteris ferociit, cunctasque turbas ad sæviendum contra ipsum irritavit et impulit. Salmeron ingeniose quærit, quare cum scelerato huic animus esset, aliquod Christo improperare delictum, non dixerit : « Quare « abscidit mihi unus auriculam ex tuis Discipulis? » Et respondet : « Quia superbus erubescebat se per « cussum et postea a Christo sanatum se profiteri. » S. Isidorus [1] citat Oseam, dicentem : *Ego erudivi eos et confortavi brachia eorum, et ipsi in me cogitaverunt malitiam.* Quod idem sacrilego huic ministro objici poterat. Siquidem hic omnem suum vigorem et fortitudinem ab eodem obtinuerat Deo, quem contumeliabatur; de quo David ait : *Dominus fortitudo mea;* atque insuper a Christo per miraculum sanatus fuerat, ne tanquam homo infamis monstraretur digito, audiretque semiauriculatus; cum enim Dei perfecta sint opera, verisimile est, ne vel minimam inflicti vulneris in auricula remansisse cicatricem. At vero ecce tibi retributionem, qua acceptum a Christo beneficium rependit. Etenim benefactorem suum tali inhonoravit contumelia, quia magis infamis nulla excogitari potest. Videturne igitur vobis, hunc hominem, imo hoc tam indignum et abominabile monstrum, hunc, inquam, lictorem et satellitem competentem esse potuisse judicem, qui Increatam Sapientiam erroris, arrogantiæ et incivilitatis argueret et reprehenderet, dicendo : *Sic respondes Pontifici*? Ludolphus Carthusianus ait [2] ; « Ille minister sceleris accepit responsionem Jesu, « quasi notasset Pontificem de stulta interrogatione « et dans sibi alapam ad improperium, voluit vin- « dicare, quod placabiliter non responderat Ponti- « fici, plane confitendo, vel negando; quia alapa, « ut plurimum, pro vindicandis effusionibus verbo- « rum solet dari. »

**3.** — At vero quanam in re Christum redarguere poterat, inquit S. Cyprianus [3] : « Cum tempore pas- « sionis alapam accepisset a servo Sacerdotis, cum- « que ei dixisset : Sic respondes Pontifici? adver- « sum Pontificem Dominus nil contumeliosum « dixit, nec quicquam de Sacerdotis honore de- « traxit. » Albertus Magnus in Commentario super Joannem ita scribit [4] : « Voluit iste, quod plane « confiteretur, vel negaret; quia videbatur Ponti- « fex de mendacio argui (qui sæpe dixerat Chris- « tum perversa docere) si testimonio omnium de- « falso convinceretur. » S. Antoninus hanc Salvatoris responsionem ad tuendam et defendendam propriam innocentiam directam fuisse insinuat, id quod sacrilegus ille minime factum volebat. En verba Antonini [5] : « Cum alapam accepisset et ei « diceretur : Sic respondes Pontifici? nihil ille « contumeliose locutus est, sed magis innocentiam « suam tutatus, respondit : Si male locutus sum, « testimonium perhibe de malo. » Quænam enim

[1] RUP. ABBAS, *id Mich.* — [2] SALM., t. X, tr. 20. — [3] III REG., XXII. — [4] DION. CARTH., *in Mich.* — [5] HUGO CARD., *in Joan.* — [6] LUD. CARD., p. 2, c. 80

[1] S. ISID., *de Pass. Dom.* — [1] LUD. CARTH., *ib.* — [3] S. CYP., ep. 55. — [4] ALB. MAG., *in Joan.* — [5] S. ANTON., 4 p., t. III, c. 7.

a Caipha Christo proposita fuit interrogatio ? *Interrogavit Jesum de doctrina ejus.* Et quænam fuit Christi responsio : *Ego palam locutus sum mundo. Quid me interrogas? Iuterroga eos qui audierunt, quid locutus sim ipsis.* Quid hic mali ? Quid contumeliosi ? Quid est in hisce verbis, quod offendere possit ? S. Bernardinus Christum magis adæquate respondere non potuisse, his verbis demonstrat [1] : « Magnum testimonium est, quod vera sit et irre- « prehensibilis doctrina illa, quæ ad judicium re- « mittitur æmulorum et inobscurabili claritate « resplendet, quæ ad examen proponitur reprobo- « rum, atque justissima ex omni parte censetur, « quæ nullorum censuras expavet. Et subdit. « Dominus : Ecce hi sciunt, quæ dixerim ego « Ante judicem stabat et adversus doctrinam suam « testes æmulos allegabat. » Theophylactus verba illa : *Si male locutus sum,* hunc sensum habere dicit [2], scilicet : « Si male docui, quando docui in « Synagogis, ecce nunc testimonium perhibe de « mala doctrina et plene instrue Pontificem, qui « nunc interrogat de doctrina mea. Si autem bene « docui et me admirati estis etiam vos ministri, « quid nunc me cædis, quem prius admirabaris? » At vero quando quis inter calumniatores positus se justificare contendit, majorem sibi illorum offensam conquirit, cum illi mendaces nequaquam haberi velint.

**4.** — Quando Redemptor noster olim incredulos interrogabat Hebræos, dicens [3] : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* statim adfuerunt, qui *tulerunt lapides, ut jacerent in eum.* Ita quoque modo, dum Christus ab inusta sibi a Pontifice impostura se purgare contenderet, hanc protinus a ministro Pontificis retulit contumeliam. Salmeron ait, impium hunc ministrum adeo atrociter Christum percussisse, ne ullus se prodere auderet ad perhibendum in favorem Christi et præcipue circa prædicatam ab eo doctrinam, testimonium : « Ne quis « alius auderet testimonium pro eo ferre. » Quando Micheas coram Achab ut paulo ante diximus, annunciabat veritatem, a quodam sacrilegi Regis aulico eidem impacta est alapa, rege ictui applaudente; idem quoque Christo evenit, cum hac tamen differentia, quod hæc doctrinæ suæ justificatio hæcque veritatis suæ Evangelicæ contestatio longe majoris, arduique ponderis fuerit, quam veritas a Michea Achab regi annunciata. Nam super doctrina Christi et veritate Evangelica fundabatur Ecclesia, a Christo noviter plantata, post reprobatam Synagogam, et ideo legem scriptam abolere volens, dixit Caiphæ, cujus sacerdotium prosternebatur, vel potius huic ministro, qui Judaismum repræsentabat : *Si male locutus sum,* scilicet in nova lege gratiæ Evangelicæ, *testimonium perhibe.* Præterea sceleratus et ingratus ille minister, per hanc adeo ignominiosam percussionem, ut nonnulli aiunt, doctrinæ Christi integritatem et veritatem condemnare contendit, utpote quem Christus tanquam illius testem provocaverat; ac proinde Christus ad se defendendum obligatum se esse censuit. Unde Salmeron ait [1] : « Non tacuit, ne tacendo videretur « probare dictum ministri, quod male esset locu- « tus, non ex impatientia, sed ad confirmationem « suæ doctrinæ. » Cum enim ille per percussionem illam, doctrinam suam condemnare niteretur : « Ideo respondit stulto, ut doceret doctrinam ta- « lem esse, ut propter verba, vel propter verbera « et mortem minime deserenda sit, vel a se, vel a « nobis. » Cum in ætate esset duodecim annorum, publice in templo cum doctoribus disputaverat; post triginta vero annos per universam Judæam et Galilæam annunciaverat Evangelium; nunquid igitur conveniens erat, ut Pharisæis ipsi improperantibus et dicentibus : *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum,* in confirmationem doctrinæ suæ responderet : *Interroga eos qui me audierunt?* Salmeron S. Cyprianum citat, dicens [1] : « Præterea non seipsum, sed suam res- « ponsionem defendit, ne fateri videretur, se male « Pontifici respondisse, si tacuisset et alteram « maxillam obvertisset. Quod S. Cyprianus Martyr « consideravit. Ob id enim ait [3], Dominum Jesum « respondisse, ne si taceret, aut aliam genam ob- « verteret, videretur confiteri, se non ea, qua dece- « bat, reverentia ad Pontificem respondisse. » Dionysius Carthusianus sensum explicat verborum sacrilegi illius, dicentis : *Sic respondes Pontifici?* Ait enim illum dicere voluisse [4] : « Quomodo audes tam « præsumptuose et reprehensive tanto Patri, ac « Principi respondere, non præmittendo verba re- « verentiæ? Videtur huic facinorosissimo servo, « quod Christus nimis audacter respondisset summo « Sacerdoti, eumque de imperita interrogatione « reprehendisset. » Rupertus Abbas ministrum hunc adulatorem appellat, utpote qui in gratiam sui domini magis magisque se insinuare, totiusque Judaismi, cui se Christum male tractando rem gratissimam facturum esse noverat, favorem et tutelam captivare satagebat. En verba Ruperti [5] : « Ecce « iste fortis percussor et mollis adulator, fortium « illorum robustissimum se ostentavit, de quibus « Domini Christi Spiritus per Prophetam in per- « sona ipsius conquerens : quia ecce, inquit, cœ- « perunt animam meam et irruerunt in me fortes. » Toletus pariter hunc perfidum, velut adulatorem perstringit, dicen. [6] : « Probabilius est, hunc mi- « nistrum fuisse ex præcipuis inter ministros qui « proximus erat Christo; is adulari volens Pontifici

[1] S. Bern., t. I, ser. 55. — [2] Theophyl., *in Joan.* — [3] Joan., VIII, 59.

[1] Salmer., *ib.* — [2] Idem, *ib.* — [3] Cypr., l. I, p. 3. — [4] Dio. Cart., *in Joan.* — [5] Rupert., l. III *in Joan.* — [6] Tolet., annot. 25 *in Joan.*

« et zelum honoris ejus præseferre, sciens quanto « odio ab omnibus habebatur Christus, ideoque sibi « omnia impune licere judicans, non erubuit hoc « flagitium patrare. » Salmeron hoc loco communem quemdam defectum his verbis perstringit[1] : « Gerit typum hic servus omnium ministrorum, « qui in aulis Principum, ut dominis suis adulen- « tur, Christum in pauperibus percutiunt. » Enim vero Principes Synagogæ et summi sacerdotes, eo tempore quo Christus plurimum honorabatur a populo, in magnum illius despectum manifeste dixerant[1] : *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum? Sed turba hæc, etc.*, ac proinde sceleratus ille, a communi plebecula sequestrare se prætendit et in sententiam Principum et Pontificum conspirans, ostendere voluit se nullam unquam prædicationi ejus adhibuisse fidem, nec quicquam ejus æstimasse personam; verumtamen ut apparentem aliquem haberet prætextum, hoc usus est motivo, quod scilicet Christus exiguo cum respectu Pontifici respondisset, quod licet etiam verum fuisset, ad eum non pertinebat, per hanc alapam punire; sed ipsemet Caiphas, cujus cor contra Christum veneno plenum erat, primus utique futurus fuisset, qui et indignaretur, ipsumque publica auctoritate castigari præciperet.

**5.** — Fuit et alius quidam impulsus, qui temerarium hunc ministrum ad alapam infligendam impulit, a multis sacris interpretibus insinuatus. Etenim Salmeron ita scribit[2] : « Hic minister Judæorum « ægre tulit, se allegatum fuisse in testem et sibi « tantum honoris habitum esse, ut esset aut disci- « pulus, aut doctrinæ ejus testis, nam dixerat Do- « nus : Ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Dicendo « enim *hi*, videtur eum cum aliis præsentibus « demonstrasse. Hinc infelix, dum gratificari vult « Pontifici, seipsum falsi ac maligni testis vitio « condemnavit. Dedit igitur alapam. In primis ut « ostenderet, se doctrinæ ejus non velle esse tes- « tem. Deinde, ut docet S. Cyrillus et Theophylac- « tus, ut se ostenderet non fuisse ex illis ministris, « qui olim missi ad capiendum Dominum et « reversi, dixerunt *Joan.*, c. VII : *Nunquam sic locu- « tus est homo.* » Et quidem verba S. Cyrilli sunt hæc sequentia[3] : « Offenderunt ministrorum aliqui « Judæorum Principes, qui capere Christum jussi, « sic eum admirati sunt, ut laudantes, dicerent : « Nunquam locutus homo sic est. Quo responso « quasi rabie concitati, subintulerunt : Etiamne « vos decepti estis? Pharisæi dixerunt : Nunquid « ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex « Pharisæis? Sed turba hæc quæ non novit legem, « maledicti sunt. Quoniam igitur responsio Salva- « toris (scilicet quam Caiphæ dedit : *Interroga eos « qui me audierunt*) ad memoriam hujus rei Prin- « cipes reducebat : testes enim ministros citavit, « dicens : *Ecce isti sciunt, quæ dixerim ego*, idcirco « ne de animo suo, benevolentiaque Principes sus- « picarentur, qui alias, quia Christum mirabatur, « fuit reprehensus, alapa Christum cædit. » Idem S. Cyrillus in capite sequenti evidentius scelus hujus ministri manifestat, qui Christi improperium juste promeruit; ait enim[4] : « Arguitur forsan « minister maxime injuriari, non solum quia in- « flixit alapam, verum etiam quia cujus doctrinam « admiratus est, eum modo nulla de causa cædit. « Nam si alias non probasses doctrinam meam, si « mirabilis Scripturæ Interpres tibi visus non « essem, si non exclamasses : Nunquam locutus « homo sic est, forsitan ignorantiæ tuæ venia dari « posset. Verum quoniam audisti, quoniam verba « mea laudasti, quæ nunc etiam admirareris, si « tibi constares, quam satisfactionem alapa cædens « invenies? »

**6.** — Salmeron ex hac Christo impacta alapa, ad nostrum profectum spiritualem utilissimam quamdam eruit moralitatem, inquiens[1] : « Si in- « dignationem concipis justam contra hunc servum, « semel Christum ignotum cædentem sine causa, « oculos in teipsum converte et agnosces te Domi- « num ligare, dum ejus inspirationibus resistis et « manibus malorum operum cædis, non semel, sed « pluries, non tam Christum ignotum, ut ille, sed « notum Dei Filium, nostrique amantissimum Re- « demptorem cædis plerumque, vilissimæ meretri- « cis, vel sordidi hominis, vel levissimi lucri « causa. » Audiamus quoque Simonem de Cassia, exponentem quinam sint illi, qui faciem Christi percutiunt[2] : « Alapat Christi faciem, omnis qui « veritatem expugnat et qui opprimit veram justi- « tiam, quam accepit. » Porro aliam moralitatem S. Augustinus his verbis tradit. « Grande scelus ad- « misit servus, qui Christum percussit in facie, ut « videant qui ut hominibus placeant et bonum « omittunt, aut mala perpetrant, annon simili con- « tumelia Christum afficiant. » Quot sunt, heu! qui vel a respectu humano, vel a mundi hujus voluptatibus seducti, peccatorum sequuntur torrentem, divinamque legem et honorem Dei pedibus suis substernunt? Ac proinde confusionem æternam justo Dei judicio super se provocant. S. Cyrillus Alexandrinus inquit[3] : « Dedecorati peccato fui- « mus, quam notam inustum detersit dedecus. Ipse « enim peccata nostra tollit et pro nobis laborat. « Nam quemadmodum mors sua mortem nostram « destruxit, similiter arbitror prævaricationis nos- « træ dedecus, alapa Christo inflicta deletum fuisse. « Unus enim pro omnibus laborabat et unus pro « omnibus inhonorabatur. » Sacer quidam orator in oratione quadam in capella Pontificia recitata

[1] Salmer., *ib.* — [2] Joan., v,i, 48. — [3] Salm, *ibid.* — [4] S. Cyr. Alex., l. XI, c. 46.

[1] S. Cyr., *ib.* — [2] Salm., *ib.* — [3] Sim. de Cass., lib. XIII. — [4] S. Cyr. Alex., l. XI.

interrogabat : « Neque aruit manus illa? Aruit for-
« tasse, sed ad contactum vitæ revixit, in præmium
« quod vestigia osculi a proditore impressa deter-
« serit. » Enim vero peccata, quæ Dei Majestatem vel maxime offendunt, præcipue sunt illa, quæ cum inverecundia et cum scandalo committuntur [1]: *Lætantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis.* Et hoc forte fuit motivum, cur Redemptor noster tormentum aliquod et improperium adeo vituperabile in vultu pati voluerit. Quamvis Didacus Stella hujus aliam assignet rationem, dicens [2] : « Jam maxillas ejus pugnis attriverant contra pomi
« vetiti masticationem. » S. Anselmus vehementer deplorat, quod Filius Dei frequenter non a Judæis, sed a Christianis colaphizetur ; ita enim scribit [3]: « Sed qui nunc est casus colaphis Judæorum ; cæ-
« ditur etiam nunc blasphemiis falsorum Christia-
« norum. » Et paulo post subdit : « Qui colaphis
« eum cædunt, significant illos, qui honores suos
« ei præferunt. »

## DISCURSUS IV.

CHRISTUS IN RESPONSIONE, QUAM SE COLAPHIZANTI REDDIDIT INNOCENTIAM ET MANSUETUDINEM SUAM NEC NON ILLATAM SIBI INJUSTITIAM SOLE CLARIUS APPARERE FECIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus mansuetus et patiens. Christus examini impiorum se et sua facta subjicit. — 2. Mansuetudo et patientia vincens omnia discenda a Christo. — 3. Christus alapa percussus, nec se vindicavit, nec impatientiæ signum ullum dedit. — 4. Emicuit in hac alapa stupenda Christi mansuesuetudo. — 5. Christus percussus, instar silicis ardentiorem scintillatis charitatem. — 6. Quare confirmandi percutiantur alapa. Iniquissima fuit hæc alapa, cum Christo licitum fuerit pro se loqui et reus ante sententiam latam affligi non debeat. Carpitur iniquitas Pontificis dissimulantis hanc in injuriosam alapam.

*Respondit ei Jesus, Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, Si autem bene, quid me cædis?* Joannes XVIII, 24.

**1.** — Propheta Evangelicus immensæ mansuetudinis et patientiæ futuri Messiæ prædicens præconia, in cap. XLII ait : *Nec audietur vox ejus foris, calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet.* Cui consonat, quod in c. LIII prædixit : *Quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Fueruntque hæc oracula in cunctis aliis Passionis suæ periodis adimpleta : siquidem quando in flagellationis suæ carnificina ad ossa usque excarnificatus, a spinis transfixus, a clavis perforatus, inque crucis patibulum suspensus fuit de omnibus hisce acerbissimis doloribus ne os quidem suum ad lamentandum aperuisse noscitur. Ac proinde merito quærendum venit, quodnam in eo delitescat mysterium, quod dum unicam duntaxat a barbaro Pontificis ministro accipit alapam, eidem graviter indignetur qui sub tot aliis perpessis doloribus atque injuriis hactenus obmutuerit? Præterea ex quo Sanctus Joannes probe sciebat similes alaparum injurias Christo sæpius ab aliis lictoribus et persecutoribus illa nocte fuisse inflictas, cur specialem quandam hujus alapæ, nec non exprobationis ob eam persecutori factæ mentionem, distincta quadam relatione facere voluit? Et primo quidem omnium loco opere pretium erit excusare Christum, dicendo hanc Christi responsionem omnis expertem fuisse iracundiæ, nec ullam vel minimo signo indicare vindictam, ut proinde Venerabilis Beda dicat [1] : « Quid ista responsione verius, mansuetius, justius. » Et vero ut hujus veritatis notitia tanto evidentius appareat, audiamus Lucam Brugensem, in hæc verba scribentem [2] : « Conqueritur gravem sibi factam
« fuisse injuriam, si nihil peccaverit; quod si pec-
« verit, legitime tamen, et non violento impetu
« agendum fuisse. Quid ista responsione verius
« mansuetius, justius, rogat S. Augustinus. Etiam
« seposita consideratione personæ Christi Filii Dei,
« qua quidvis licebat Domino Jesu in Pontificem,
« bene responderat, ac locutus fuerat. » Porro veritas causæ suæ, id est, propriæ innocentiæ adeo erat evidens, ut velut ad judicem ad ipsummet lictorem se colaphizantem appellare non dubitarit : « Judicium vult subire cum servo, inquit Simon de
« Cassia [3], qui omnium Dominus est et Judex, et
« secure adversum se testimonium quærit, cui pu-
« ritas conscientiæ semper adest : nec timet versu-
« tiam, qui possidet innocentiam. » S. Bernardinus similiter ait [4]:« O benignitas et humilitas Salvatoris,
« judicium vult subire cum servo, qui omnium
« Dominus est et Judex. Totum ponit se in judicio
« Christus, omnia inimicorum examinationi remit-
« tit. » Enim vero veritas similis est auro, quod in flammis magis purificatur, nec quicquam læditur. Ita quoque veritas manifestior, magisque indubitata evadit, subjecta contradictionibus et impugnationibus : « Corpus, mores, et verba, et si quæ humana
« sunt ejus, in justitia vult appendi, approbari,
« aut improbari testimoniis satagit cum ministro. »
S. Augustinus diu ante Bedam in hæc verba scripserat [5] : « Quid ista responsione verius, mansuetius,
« justius. Ejus est enim, de quo prophetica vox
« præcesserat : Intende prospere procede, et regna.
« Propter veritatem, mansuetudinem et justitiam. »
S. Petrus utique mentiri non poterat, quando in prima epistola sua hanc de Redemptore nostro indubitatam veritatem notificavit, inquiens [6] : *Cum*

[1] PROV., II, 14. — [2] DID. STELLA, *in Luc.* — [3] S. ANS., *in Matt.*

[1] BEDA, *in Joan.* — [2] LUC. BRU., *ib.* — [3] SIM. DE CAS., l. XIII. — [4] S. BERN., t. I, s. 55. — [5] S. AUG., *in Joan.* — [6] I PET., II, 25.

*maledicebatur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste.* Et vero cum ad prolationem hujus verbi : *Ego sum*, Malchum una cum aliis retrorsum in terram prostraverat, quanto magis nunc efficere potuisset, ut in pœnam hujus improperii infernus eum vivum deglutiret. Et tamen sibimetipsi de innocentia sua probissime conscius, ad malefactoris et persecutoris sui se judicium remisit, dicens : *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo.* « Quamvis enim « posset Jesus uno verbo perdere et delere nebulo- « nem, » inquit Lucas Brugensis [1], « quod paulo ante « reipsa declaraverat, nulla tamen aut vindicta est « usus, aut comminatione, aut convicio, quod ad- « notavit Petrus I *Petr.* II, v. 23. Sed relicta vindicta « justo judici Patri, mansuetissimo sermone de- « fendere contentus fuit responsum suum, pro doc- « trinæ suæ assertione datum. Nec enim convenie- « bat, ut acceptam alapam silentio præteriret, ne « agnoscere videretur, se male respondisse Pontifici « aut fateri, doctrinam suam nimis recte a se fuisse « defensam. » Blosius hanc mansuetudini Christi laudem attribuit, inquiens [2]: « Laus tibi, et honor « et gloria, Christe Rex Cœli, et terræ, qui humi- « liter tanquam vilis et abjectus homuncio, ante « tumidum Pontificem stans, diram alapam ab « impio ejus ministro impactam modestissime « tulisti. Comprime in me, quæso, omnes iræ, « atque furoris motus, obtunde omnis indignatio- « nis stimulos, et omnem ulciscendi libidinem « extingue, ut injuriis lacessitus non perturber, « non contendam, non tumultuer, sed omnia æquo « animo sustinens, etiam pro malis bona repen- « dam. »

**2.** — S. Augustinus assumpti thematis verba commentando, considerat pœnam, quam Redemptor noster de hoc scelerato ministro sumere potuisset, qui tamen mansuetudinem potius secundare, nosque docere voluit, quam justitiam punitivam : « Si cogitemus, » inquit [3], « quis acceperit alapam, « nonne vellemus eum, qui percussit, aut cœlesti « igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut « correptum dæmonio volutari, aut aliqua hujus- « modi qualibet pœna, vel etiam graviore puniri? « Quid enim horum per potentiam jubere non « potuisset per quem factus est Mundus, nisi patien- « tiam nos docere maluisset, qua vincitur Mundus » Neque enim solum ipse hanc mansuetudinis, et longanimitatis virtutem exercere voluit, verum etiam eamdem exemplo suo ad nos Christianos transfundere contendit, quorum hic proprius est character, prout S. Gregorius Nyssenus de perfecta Christiani forma disserens, optime observat, inquiens [4] : « Quod si clarius ea sigillatim oratione persequi « volumus, quibus imitando imaginem repræsen- « tamus, unus color est humilitas. *Discite*, inquit, *a* « *me, quia mitis sum, et humilis corde.* Alter est « patientia, quæ quot modis in imagine invisibilis « Dei conspicitur. » S. Athanasius de hac ignominiosa percussione ita scribit [1]: « Colaphis a ministro « Pontificis cæsus, nihil contra fecit, sed tantum « dixit. Si maledixi, doce testimoniis, quid male- « dixerim, sin contra bene, quid me cædis? Nonne « potuit, qui terræ imperavit, ut Dathan, et Abiron « vivos deglutiret, rursum imperare, ut eum, qui « verberabat suum conditorem, vivum deglutiret? « Sed sustinuit, relinquens nobis exemplum, ut nos « per ejus vestigia incedamus. Tu autem homo « non sustines ab homine tecum ejusdem naturæ « contumeliis affici?

**3.** — De Jeroboam Rege legitur, quod cum extendisset manum ad apprehendendum Prophetam illum qui Dei jussu illum reprehenderat, dicta manus protinus ea exaruerit [2] : *Extendit manum suam de altari dicens : Apprehendite eum, et exaruit manus ejus quam extenderat contra eum*, Quanto igitur magis exaruisset manus hujus impii, si mansuetissimus Redemptor permisisset? At vero, ut D. Chrysostomus in homilia quadam bene dicit [3] : « Christus vincebat, non cruci affigens, sed cruci « affixus; non alapis cædens, sed alapis cæsus. « Siquidem si male locutus sum, inquit, testimo- « nium perhibe de malo, si autem bene, quid me « cædis. Dominus orbis terrarum apud servum « Pontificis se purgat, etiam alapis in ore cæsus. « Unde prodiit verbum, et mare frænavit, et qua- « triduum Lazarum a morte suscitavit, unde malum « fugiebat, unde ægritudines et peccata solveban- « tur, hoc est miraculum Crucifixi. Nam cum ful « mina vibrare posset, et terram concutere, ser- « vique manum exarefacere, nihil horum fecit, « sed et se purgat, et superat benignitate, quo « pacto quæ servorum quidem suorum sint, vin- « dicet, quæ vero sua sunt, prætermittat. Propheta « fuit quispiam, qui Regem impie agentem redar- « guebat, et cum accessisset, dixit. Altare, altare, « audi. » Subdit idem sanctus, quod dum Rex ille idololatra ad se cælitus missam prophetæ correctionem surdis exciperet auribus, tandem ad altare reprehendendum Propheta se accinxerit, quod lapideum existens, subito confractum est. Cumque Rex ad illum capiendum manum extendisset, hæc subito arefacta fuit. Quam historiam præsenti proposito applicans, in decursu homiliæ de Christo ita loquitur : « Quando alapis cædebatur, nihil male « ei, qui alapas impingebat, inferebat, quando « autem servus injuriam passurus erat, Regem « punivit, ut te doceat, ea quidem quæ Dei sunt, « vindicare, quæ vero propria, prætermittere. »

**4.** — Tria sunt præcipue, quæ Cardinalis Toletus

[1] Luc. Bru., *ib.* — [2] Blos., in *Sacello animæ.* — [3] S. Aug., *ib.* — [4] S. Greg. Nyss., t. II.

[1] S. Athan., *de Virgin. sive Medit.* — [2] III Reg., vii, 4. — [3] D. Chr., h. 71.

in hoc facto admiratur, ex quibus tertium, ut audietis, ad mansuetudinem pertinet, En verba ipsissima Toteti : « Tria admiranda simul hic concur-
« runt; servi horribilis impudentia, qui eum, qui
« mortuos susciţaverat, ausus est alapa percutere.
« Pontificis iniquitas, qui tantum scelus in sua
« præsentia commissum a servo dissimulavit, cum
« etiam, si responsio Christi non fuisset congruens,
« non licuerit ministro sic vindicare. Tandem in-
« credibilis Christi patientia. » Albertus Magnus in Joanne commentando, quando ad assumpti thematis verba pervenit, inquit [1] : « Responsio pa-
« tientiæ, et sapientia erudientis, et sic beneficium
« impendit eruditionis pro malefacto. » Blosius in alio quodam loco meditationum suarum ira scribit [2]:
« Diram alapam ab impio ministro tibi iniquissime
« datam modestissime tulisti. » S. Cyrillus Alexandrinus similiter Evangelium Joannis exponens, hanc admiratur mansuetudinem, nostramque nobis imperat iracundiam et furorem , inquiens [3] :
« Cæditur ut servus, qui nutu solummodo perdere
« Judæos omnes potuisset, nec ultionem facit ullam.
« Non enim ira, nec mœrore, nec dolore vincitur.
« Nos miseri, terra, et limus, qui herbarum viridi-
« tati a Scriptura collati sumus (homo enim sicut
« fœnum) si quis de proximis, lapsu linguæ, mini-
« mum quicquam contra nos dixerit, more draco-
« num in eum insurgimus, et mille verbis pro uno
« vituperantes, satiari non possumus. »

**5.** — Apud Ezechielem dicitur [4] : *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut adamantem, et silicem dedi faciem tuam.* Quæ verba aptissime Christo Domino applicari possunt, qui toto pectore se Judaismo opposuit, tantaque cum contumelia in vultu percussus, imperturbabilis nihilominus et facie semper serena permansit, tolerando benigne persecutorum, ipsum in vultum percutientium, impudentiam. Septuaginta prædictum Ezechielis textum ita legunt : « Ecce dedi faciem tuam
« potentem contra facies eorum. Et victoriam tuam
« roborabo contra victoriam eorum, et erit semper
« fortior petra. » Chaldæus ita vertit : « Ut ada-
« mantem et fortiorem petra, sic dedi frontem
« tuam, fortiorem contra frontes eorum. » Sicut enim silex percussus scintillas igneas emittit, ita Christus in faciem cæsus, ardentiorem scintillavit charitatem et amorem, de malefactore nullam sumendo vindictam, imo ipsum potius charitative corrigendo. Unde Tertullianus monet, inquiens [5] :
« Si manu quis tentaverit provoeare, præsto est
« Dominica moneta. Verberanti te, inquit, in fa-
« ciem, etiam alteram genam obverte. » Porro in sequenti discursu videbimus motiva, cur Christus alteram maxillam non præbuerit percutiendam, sed potius percutientem respondendo repulerit. Subdit idem Tertullianus. « Fatigetur improbitas
« patientia tua. Quivis ictus ille sit, dolore et con-
« tumelia constrictus, gravius a Domino vapulat.
« Plus improbum illum cædis sustinendo, ab eo
« enim vapulabit, cujus gratia sustines. » D. Chrysostomus in homilia II de *incomprehensibili Dei natura*, ad nostram eruditionem, seu potius confusionem nostram ita scribit [1] : « Dum famulus Pontificis
« alapam contumeliose in ejus faciem inflixit, ita
« ille respondit : *Si male locutus sum*, etc. Quod si
« Dominus, et angelorum et hominum omnium,
« vindictam sibi non faciat, sed excuset, et servo
« adriensi se examinandum proponat, nihil profecto
« est, quod nos sermone egeamus prolixiore ad-
« monitionis, hæc enim paucissima verba abunde
« sufficiunt, hæc tantummodo animadverte. Cogita
« tecum frequentius, meditare, et refer : *Si male*
« *locutus sum, testimonium perhibe*, etc. Et quis
« sit, qui hæc dixit, intellige, et ad quem et cujus
« causa dixerit. Ita enim efficitur, ut hæc verba
« divinum quoddam et perpetuum carmen tibi
« habeantur, ut omnem animi inflationem, omnem
« tumorem, doloremque sedare possint, et tollere. »
Incarnata Sapientia quamdam hic in terris, ad omnes sequaces suos erudiendos, scholam erexerat dicebatque. *Discite a me.* At vero quidnam nos ab illo discere cupiebat? Non spiritum prophetiæ, non miracula, non imperscrutabilia mysteria capacitate nostra superiora, non conversionem populorum. Quid ergo? *Discite, quia mitis sum* [2]. Una hæc est virtus, in qua omnes aliæ exerceri possunt.

**6.** — Scistisne, cur Ecclesia hunc morem introduxerit quod quando sacramentum Confirmationis confertur, Episcopus confirmans confirmandum alapa percutiat. Nimirum, ut Christianus agnoscat, se sub vexillo crucis Christi esse conscriptum, omnemque animositatem et generositatem suam hoc esse demonstrandam, et exercendam, quod contumelias et injurias patienter sustineat, non vero ut contumeliis contumelias rependat, seque vindicet, Salmeron notat ministrum hunc Salvatori alapam impegisse [3], « Ut gratiam Pontificis venaretur, et
« rem gratam præstaret Domino suo, qui vel præ-
« cepit, vel nutu indicavit, ut percuteret, ut olim
« Ananias jussit percuti Paulum, vel si non præ-
« cepit, nec innuit, fuit causa ministro, ut percu-
« teret, nec minus gratum officium præstitit, quam
« si ex præcepto percussisset, et ut hinc addiscas,
« quam proclivis esset Pontifex irrogandam inju-
« riam, et quale fuerit ejus judicium. Iniquum enim
« est judicium, ubi quilibet ante sententiam potes-
« tatem habet in reum. Deinde iniquus est judex,
« qui videns reum ante datam sententiam affligi,

[1] ALB. MAG., *in Joan.* — [2] BLOS., *in Exercit. quotid. Med.* — [3] S. CYR. ALEX., l. XI *in Joan.* — [4] ELEC., III, 8. — [5] TERTUL., l. I *de Pat.*, c. 8.

[1] D. CHR., t. I, h. 26. — [2] MATT., XI, 29. — [3] SALM., *ib.*

« tacet vel non prohibet, vel saltem nec reprehen-
« dit, ut partes suæ erant. In judicio permittitur reo
« libere pro se loqui. » Considerandum quoque est, quod Christus interrogatus a Caipha tanquam reus an falsam prædicasset doctrinam, legi Mosaicæ contrariam, cum ad se justificandum testes produxisset illos ipsos, qui ibidem erant præsentes ipsum audierant quique sævissimi ejus persecutores erant, majus utique, et evidentius propriæ innocentiæ indicium dare non poterat, indeque magis elucescebat commissa contra ipsum iniquitas et injustitia, siquidem propter bene acta tam gravem retulit contumeliam. Et quidem dato etiam casu, quod Christus in respondendo arrogans fuisset, non tamen tam atroci alapa debuisset puniri, quia hoc est omnium reorum privilegium, quod scilicet in judicio loqui, seque defendere possint, quantum volunt. Quæ etiam consuetudo apud gentes inhumanas et barbaras inolevit. Unde Salmeron ait [1] : « Habet hoc etiam apud gentes judicialis æquitas,
« ut facinorosus jam comprehensus et vinctus, nulla
« injuria aut pœna afficiatur, nisi sententia secun-
« dum leges a judicibus data. » Et paulo post subdit : « Tacuit Pontifex, et dissimulavit, apud
« quem, qui forte ejus canem percussisset, non
« abiisset impunis. » Easdem quoque observationes habet Lucas Brugensis, ita scribens : « Bene res-
« ponderat, ac locutus fuerat, quamvis libere,
« quia facultas est reo in judicio libere pro se lo-
« quendi, modo sine convitiis, præsertim si videat
« judicem præter ordinem juris secum agere. Quod
« si videat judicem in calumniam rapere recte facta,
« aut dicta, aut Pontificem hunc in suspicionem
« falsi tanquam clancularium vocare doctrinam pu-
« blicam, nihil præter officium admittit reus si etiam
« acerbius a se rejiciat examen ad testes. Quidinter-
« rogas ? interroga auditores meos. Agebatur enim
« de re summa, ob quam Jesus a Patre missus fue-
« rat, doctrina inquam, ac proinde acriori defen-
« sione opus erat. » Citatque auctoritatem Chrysostomi, dicentis. « Vides judicium, tumultus et per-
« turbationis, et confusionis plenum ? Coactum est
« concilium in quo summa vigere debet gravitas.
« Ministro uni tantum licentiæ permittitur, ut in
« media causæ actione, in conspectu judicum,
« reum, qui nulla adhuc in re noxius repertus est,
« pro suo libito cædat. Quare et Caiphæ cætero-
« rumque hic judicum iniquam dissimulationem
« insinuat Jesus, quod in ministrum contra leges
« agentem non animadverterent. » His addenda est observatio quædam, ab Ammonio in catena Græca tradita, scilicet percussorem unum fuisse illorum, qui alias doctrinam ejus audientes obstupuerant [2] :
« Arguit itaque ministrum maximæ injuriæ, non
« solum eo quod simpliciter alapam inflixit, sed
« quod prius eum admiratus, modo sine causa
« contumeliam inferret. » S. Cyrillus Alexandrinus quoque ait [3] : « Magno injuriæ crimine arguit mi-
« nistrum, nam si etiam ignobilissimus quidam
« judicium subiret, cædere tamen eum non opor-
« tebat, qui neque verbo, neque re aliqua ad hoc
« incitarit. »

[1] Salm., *ib.* [2] Luc. Bru., *in Joan.* — [3] Ammon, in *Cat. Græc.*

## DISCURSUS V.

### CIRCA EAMDEM COLAPHIZANTI A CHRISTO DATAM RESPONSIONEM, ALIÆ CONSIDERATIONES INSTITUUNTUR.

Idea sermonis. — 1. Docuit nos Christus suo exemplo quod injuriæ patienter tolerandæ sint. Pulchra exempla alapas patienter excipientium. — 2. Quare Christus percussori non præbuerit alteram maxillam. — 3. Christus nec dum condemnatus, reprehendit hunc discipulum sicut et turbam illum capientem. Afferuntur rationes. Quare Christus responderit percussori, illumque reprehenderit. — 4. Aliæ rationes cur hanc alapam Christus patienter tolerarit. — 5. Christus de injuriis in domo Pontificis acceptis solummodo fuit conquestus. Magnum præjudicium redundavit in Christum ex hac alapa. — 6. Christus per alapam illam prorsus inhonoratus et vilificatus fuit. — 7. Alapa hac ab antiqua servitute liberati sumus.

*Respondit ei Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo ; si autem bene, cur me cædis?* Joan., xviii, 24.

**1.** — Alapa, quam Filius Dei incarnatus a sacrilego accepit ministro, in lamentationibus Jeremiæ claris, et perspicuis verbis prædicta fuit, simulque ab eodem Propheta adjunctum fuit [2] : *Et tacebit, quia levabit super se : ponat in pulvere os suum ; si forte sit spes, dabit percutienti se maxillam.* Porro per hoc silentium intelligitur patientia et mansuetudo, qua acceptam alapam per verba injuriosa, vel alios actus iracundiæ et vindictæ minime rependit, nec ultus fuit. Notandum vero est, quod idem Jeremias prædictis verbis præmiserit [3] : *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua ;* moxque subjungat : *Dabit percutienti se maxillam,* quasi dicere vellet : in similibus acceptis injuriis imperturbatum manere, actus est inveteratæ perfectionis et virtutis. Quis autem est inter homines, de quo veracius verificari possit, quod ab utero materno heroicis decoratus fuerit virtutibus, quam de Christo, de quo idem propheta Jeremias ait [4] : *Fœmina circumdabit virum,* id est, viribus et heroicis virtutibus ornatum ? Et ideo nos exhortatur dicens [5] : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum.* « Quis enim hominum, » inquit Rupertus Abbas [6], « jugum paratior homine illo portavit, qui

[1] S. Cyr. Alex., l. II, c. 47 *in Joan.* — [2] Thren., III, 30. — [3] Id., 27. — [4] Jerem., XXXI, 22. — [5] Matt., XI, 19. — [6] Rup. Abb., l. I *de Trin. et oper. ejus.*

« cum in forma Dei esset, non arbitratus est rapi-
« nam esse se æqualem Deo, sed semetipsum exi-
« nanivit, formam servi accipiens? Ille ergo singu-
« laris patientiæ dabat percutienti se maxillam,
« imo et juxta Prophetam alium : Dabat genas
« vellentibus, faciem suam non avertet ab increpantibus et conspuentibus, et ejusmodi saturabitur opprobriis; non enim invitus, sed pro nimia
« dilectione nostri sic illa suscipiet, tanquam panem
« saturitatis. Singuli quoque nostram persecutionem
« pro justitia patientes, demus percutienti maxillam, et saturemur opprobriis, videlicet libenter
« accipiendo mala præsentia, ut futuris saturemur
« bonis. » Cum S. Spiridion Episcopus (qui Imperatori in visione quadam nocturna a Deo representatus fuerat, tanquam unus illorum servorum suorum, per quos integram recepturus esset sanitatem) ab eodem Imperatore vocatus fuisset ad curiam, ibique denique paupercula veste indutus comparuisset, quidam aulicorum, Episcopum minime agnoscens, eidem velut præsumptuoso et temerario diram impegit alapam, et ulteriorem ingressum ei interdixit, cumque sanctus præsul non solum patienter illatam tulisset injuriam, sed etiam alteram genam iteratæ alapæ excipiendæ obvertisset, per hunc actum adeo heroicum suam fecit manifeste agnosci sanctitatem. S. Ambrosius de S. Sotere virgine in hæc verba scribit [1] : « Vultum, qui inter cruciatus totius corporis liber esse
« consuevit injuriæ, et spectare potius tormenta,
« quam perpeti, carnifici dedit tam fortis et patiens, ut cum teneras pœnæ offerret genas, prius
« carnifex cædendo deficeret, quam martyr injuriæ
« cederet. Non vultum inflexit, non ora convertit,
« non gemitum, non lachrymas dedit, » Idem S. doctor alio in loco honorificentissimam ejusdem virginis his verbis facit mentionem [2] : « Cum esset
« decora facie valde, persecutor immanis palmis
« cædi præcepit, ut tenera virgo dolori cederet,
« aut pudori. At illa, ubi audivit hanc vocem, vultum aperuit, soli invelata atque intacta martyrio
« et volens injuriæ occurrit, vultum offerens, ut ibi
« martyrii fieret sacrificium, ubi solet esse tentamentum pudoris. Sed ibi potuerunt quidem vultum ejus vulnerum vibicibus exarare, faciem
« tamen virtutis ejus et gratiam decoris interni,
« nequaquam exarare potuerunt. » Quæ actiones, utpote perfectionis et virtutis insignis testes, referuntur, tanquam dignæ quæ ad perpetuam memoriam Ecclesiæ inscribantur annalibus. S. Petrus primitivæ Ecclesiæ fidelibus ita scribit [3] : *Quæ enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis. Sed si bene facientes, patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum; in hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui cum malediceretur, non maledicebat, tradebat autem judicanti se injuste.*

[1] S. Ambr., *de Virgin.* — [2] Id., *Exhort. ad Virg.* — [3] I Pet., II, 20.

**2.** — At vero objicies fortasse, quonam modo Christus nobis, in constanter perferendis alapis, suo præluxit exemplo, qui non solum percussori alteram maxillam percutiendam non præbuit, sed potius percussorem reprehendisse, et injuriam cum indignatione aliqua recepisse noscitur? Porro hanc objectionem S. Augustinus his verbis innuit [1] : « Forte hic dicit aliquis : cur non fecit, quod ipse
« præcepit? Percutienti enim non sic respondere,
« sed maxillam debuit alteram præbere. Quid?
« quod et veraciter, mansuete, justeque respondit et
« non solum alteram maxillam iterum percussuro,
« sed totum corpus figendum præparavit in ligno?
« Et hinc potius demonstravit, quod demonstratum
« fuit, sua scilicet magnæ illa præcepta patientiæ,
« nos ostentatione corporis, sed cordis præparatione facienda : fieri enim potest, ut alteram
« maxillam præbeat visibiliter homo iratus. Quanto
« ergo melius, et respondit vera placatus, et ad
« perferenda graviora, tranquillo animo fuit paratus? » Et vero dubium hoc apparenti probabilitate non caret, siquidem cum supposita hac propositione : *Cœpit Jesus facere et docere* [2]; ex quo Christus suos docuerat fideles, dicendo [3]: *Ego dico vobis, noli resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram*; qua ratione cœlestis Magister idipsum hac in occasione positus adimplesse dicetur? Respondet S. Hieronymus, dicens [4] : « Secundum mysticos intellectus percussa
« dextera nostra, non jubemur sinistram præbere,
« sed alteram, hoc est, alteram dexteram. Justus
« enim sinistram non habet. » Ad idem propositum Simon de Cassia pariter egregie in hæc verba scribit [5] : « Perlectum est in virtutibus, ei qui te
« percutit, inferre verba salutis, et cum odio te
« feriat, tu charitate constringas, ut quem pateris
« percussorem, correptum possis habere consor-
« tem. » Fideliter idipsum benignissimus Dominus noster est executus, quando colaphizantem se charitative correxit, siquidem correctio est actus charitatis. Unde Salmeron ait [6] : « Cessante summo
« Pontifice a munere suo corripiendi, Dominus non
« cessat ab officio suo; corrigit enim servum
« aperte, et Pontificem, tacite in ejus crimen con-
« sentientem. Deinde non tacuit, ne tacendo vide-
« retur probare dictum ministri, quod male esset
« locutus; non ex impatientia, sed ad confirmatio-
« nem suæ doctrinæ; putabat enim servus totam
« doctrinam, quam Christus defenderat, alapa re-
« probasse. »

**3.** — Advertendum quoque est, quod tunc Christus, quando nondum erat condemnatus, hunc mi-

[1] S. Aug., *in Joan.* — [2] Act., I, 1. — [3] Matt., V, 39. — [4] S. Hieron. — [5] Sim. de Cass., lib. XIII. — [6] Salm., t. X, tr. 20.

nistrum reprehenderit, necnon et turbas, ad ipsum capiendum in hortum Gethsemani properantes, quibus ait : *Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me, etc.* Per hoc enim charitativæ correctionis actum erga illos exercere voluit. At vero quando postea a Pontifice et consilio condemnatus fuit, omnesque contra ipsum vociferati sunt, dicentes : *Reus est mortis,* ad illos corrigendos et reprehendendos os suum nunquam amplius aperuit : « Nec enim erat locus correctioni, » inquit idem Salmeron, « jam enim omnes damna-« verant. » Toletus tamen ait, finem principalem Christi, colaphizantem ministrum perstringentis, non fuisse ejus correctionem, sed suimetipsius, et doctrinæ suæ defensionem [1] : « Ne tacens videretur « comprobare, se male locutum esse, Pontificemque « jure ejus doctrinam taxasse. Qua igitur de causa « Pontifici responderat, eadem percutienti etiam « nunc respondit, non propter illatam sibi injuriam, « nec præcipue ut percussorem corripiat, sed ut se « vere et recte locutum esse ostendat. » Cajetanus observat, quod tametsi Redemptor noster vere consilium dederit, de obvertenda percussori altera maxilla, hoc tamen litteraliter nequaquam debeat intelligi [2] : « Manifestat enim hac responsione, illud « esse intelligendum, quando et ubi oportet, seu « expedit, et non absolute, ut verba sonant. » Doctor angelicus ait, quod tametsi indubitatum sit, Christi dispositionem, alteram maxillam percussori obvertendam esse jubentis, perfectissimam esse ; Christus tamen pro nostra eruditione melius esse censuerit, hanc percussori suo reddere responsionem, utpote ex qua multa derivantur emolumenta : « Sic ergo, » inquit [3], « excusatio Domini utilis fuit « ad nostram instructionem. » Quod vero prædictum, a S. Matthæo et Luca relatum Christi consilium attinet, idem angelicus doctor declarat, inquiens : « Hoc debet intelligi, quantum ad præpa-« rationem animi, quod si necesse fuerit, ita debet « esse dispositus, ut non turbetur animo contra « percutientem, sed paratus sit simile, et etiam « amplius sustinere. » Porro Salvator, prout paulo ante ex sententia S. Augustini diximus, non solum se promptum exhibuit ad aliam maxillam porrigendam, prout patuit ex tot aliis sævissimis colaphis, quos deinceps in decursu passionis accepit, verum etiam totum corpus suum carnificum crudelitati adeo exposuit, ut [4] *a planta pedis, usque ad verticem non esset in eo sanitas.* Ipsa quoque apud Patrem cœlestem a Christo in monte Calvariæ facta veniæ suis crucifixoribus indulgendæ imploratio, ejus interiorem mansuetudinem, qua tunc præditus erat, sufficienter indicabat. Simon de Cassia reprehensionem percussoris ideo a Christo factam fuisse censet, ut animam illam peccatricem lucrari posset [5] ; « In id enim tendebat Salvator, » inquit, « qui vult « omnes homines salvos fieri, et ad cognitionem « veritatis venire, ut hunc male ministrantem, in « ministrum supernæ vitæ converteret. Nec adver-« sus eum odio movebatur, quem conabatur dulci « allocutione verborum de medio iniquitatis eri-« pere. » At vero quia ipse nimium ingratus fuit, altissimum hoc conversionis suæ donum non merebatur, cujus multi alii lictores postea facti sunt participes ; ii scilicet [1], *qui revertebantur percutientes pectora sua,* et inter hos præcipue bonus latro, et Centurio.

**4.** — Idem quoque Christi percussor populum præfigurabat Judaicum obstinatum, prout in progressu discursus dicemus. Porro S. Bonaventura ex Glossa et S. Augustinus hactenus a S. Thoma dicta his verbis confirmat [2] : « Illa præcepta præbendi « maxillam, et consimilia, magis ad præparationem « cordis, quæ intus est, pertinet, quam ad opus, « quod in aperto sit, ut teneatur in secreto animi « patientia cum benevolentia, in manifesto autem « fiat quod eis videatur prodesse posse, quibus bene « velle debemus. Unde et Dominus Jesus exem-« plum singulare non præbuit percutienti alteram « partem, sed potius prohibuit ; ne qui fecerat, « augeret injuriam ; et tamen paratus erat, non « solum in faciem percuti, verum etiam pro illis « crucifixus occidi. » S. Ephrem similiter hanc in Christo imperturbabilitatem admiratur, dicens [3] : « Res admiratione dignissima est, fratres, videre « Christi Regis ac Domini nostri clementiam. Alapa « quippe a servo percussus, prudentissime cum « omni mansuetudine, pietate, ac reverentia res-« pondit. Indignatur servus, tolerat Dominus. Ser-« vus ira concitatur, Dominus in sua benignitate « permanet. »

**5.** — Sunt et alii, qui ingeniose observant, Christum in domo Pilati et Herodis, nequaquam lamentatum fuisse de tot sibi irrogatis injuriis et contumeliis, quantum in domo Caiphæ Pontificis, quia Pilatus paganus erat, Herodes autem, tanquam Rex sæcularis, vir erat mundanus ; at vero in domo summi Pontificis summis fuit conquestus lamentis, de injuria et infamia sibi irrogata, quia in illa domo vel maxime debebat honorari, siquidem justum erat, ut summus sacerdos protegeret eum, qui religionem et cultum divinum zelabat. « Sed « tamen hæc omnia æquo animo tulit, » inquit D. Chrysostomus [4] « et tranquillo, ut tu latissime intel-« ligeres, quemadmodum modestiam, patientiam, « mansuetudinem, denique virtutis officium servare « deberes. » Pondarandum quoque est præjudicium, quod in Redemptorem redundabat ex hac alapa, a Christo cum non minori patientia recepta, quam fuerit lætitia et applausus omnium circum-

[1] Tol., *in Joan.* — [2] Cajet., *ib.* — [3] S. Thom., *ib.* — Isa., I, 6. — [5] Sim. de Cass., *ib.*

[1] Luc., XXII, 48. — [2] S. Bon., *in Joan.* — [3] S. Ephr., t. III *de Pass.* — [4] S. Chrys., t. II, hom. 26.

stantium, qui in magno numero erant, qui de hac alapa specialiter gaudebant, non solum propter impunitatem malefactoris, verum etiam propter communem omnium præsentium approbationem, quæ causa fuit, ut malo percussoris exemplo via aperiretur ad omnes alios impetuosos insultus, qui ad mortem usque ei irrogati fuerunt, omni cum licentia et libertate committendos. Omnes enim alii persecutores, videntes quod hic percussor non solum non puniretur, aut reprehenderetur, verum etiam applausum acciperet ab omnibus, omniumque gratiam sibi inde comparasset, sibi licitum esse censuerunt, omnem suam contra mansuetissimum agnum evomere rabiem et venenum. Unde Salmeron ait [1] : « Fuit gravis hæc injuria, quia prima « fuit, et aliis audaciam idem faciendi præstitit. » Rupertus Abbas super caput v Michææ prophetæ scribens, inter alias considerationes, quas ibidem format, specialiter notat, quod cum in eo capite de venturi Messiæ passione mentio fiat, hæc tota solum per hanc alapam descripta fuerit, cujus hanc assignat rationem [2] : « Per maxillæ percussionem totam « ejus significabat passionem. Pulchre nimirum, « quia passionis ejus hoc fuit initium. »

**6.** — Porro Christus apud universum Israel in magno erat respectu, reverentia et existimatione, tum propter patrata miracula, tum propter ingentem sequacium suorum multitudinem, tum denique ob sanctitatem non solum doctrinæ quam annunciabat, verum etiam vitæ et morum. Atque ideo Regulus Capharnaita et Centurio, nec non ipsemet Pilatus, quamvis gentiles, magna ipsum prosequebantur veneratione. At vero quia hic ipsum per hanc alapam tractaverat tanquam servum, mancipium, virumque vilem, et plebeium, indeque omnium sibi gratiam comparaverat, Christus adeo inhonoratus et despectus remansit, ut, quemadmodum in sequenti discursu dicetur, ob omnibus, excogitabilibus fuerit inhonoratus improperiis, adeo ut certatim in faciem ejus conspuerent. S. Hieronymus super illa verba [3] : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus,* ita scribit [4] : « Ita ut poneret corpus, sive dorsum suum ad pla- « gas, et pectus Dei capax flagella conciderent, « genasque suas non averteret ab alapis : quod « illum a ministro principis Sacerdotum sustinuisse, « non est dubium, ita ut certatim eum Judæorum « populi illuderent. » Fuit quoque hæc alapa sagacissimum inventum diabolicum, ad diminuendam ipsius et doctrinæ suæ auctoritatem; siquidem videntes, quod suo forsitan non essent gavisuri intento, per mortem probrosam Præsidis jussu ei inferendam, quippe qui impense ei favebat, ad minus se alium quemdam finem consecuturos esse sperabant, scilicet, ut ipsum adeo redderent infamem, omnibusque exosum, ut nullus deinceps ei fidem adhibiturus esset, utpote qui tanquam vilissimus servus et mancipium, cum applausu et approbatione totius Synagogæ, publice calaphizatus fuisset.

**7.** — S. Ephrem aliud quoddam tangit mysterium, inquiens [1] : « Cur alapam optimo impingis « Domino ? Omnes quidem servi dum libertate « donantur, alapam accipiunt, ut corruptibili liber- « tate fruantur; ipse vero, o miser, injuste ipsum « universorum liberatorem alapis cædis ? » Enimvero hæc alapa ab antiqua nos servitute liberavit, teste Sedulio dicente [2] : « His alapis nobis libertas « maxima venit. » Porro universum genus humanum dæmonis et peccati antiquum erat mancipium, siquidem in omnibus totius mundi partibus, unico duntaxat terræ angulo, id est Judæa excepto, dæmonibus in falsis Numinibus sua flectebat genua; at vero per merita hujus alapæ, quæ passioni Redemptoris aditum aperuit, veram sibi acquisivit filiorum Dei libertatem, solo Judaismo in pœnam hujus datæ alapæ, veluti omnium nationum mundi mancipio, in sua servitute remanente. De Polono quodam legitur [3], quod in Matthiæ Corvini Hungariæ regis aula constitutus, adeo fuerit audax et præsumptuosus, ut leoni cuidam famelico, non solum carnem ei ad nutrimentum datam, ex ejus faucibus eripuerit, verum etiam multas ei alapas inflexerit, dicendo : *Ossam dimitte canis;* ob quam temeritatem prædictus rex illum vitæ suæ propriæ nimis prodigum esse videns, ab aula dimisit. Porro Malchus hic Christum colaphizans, populum præfigurabat Judaicum, adeoque temerarius, et arrogans extitit, ut tametsi paulo ante Christum uno verbo turbas armatas in terram prosternentem vidisset, nihilominus ut suæ satisfaceret crudelitati, et arrogantiæ, hanc alapam infligere præsumpserit illi, de quo dicitur : *Vicit Leo de tribu Juda.* At vero justo adeo mulctatus fuit supplicio, quippe qui a Rege gloriæ in perpetuum reprobari meruit. Apud Ezechielem dicitur [4] : *Displicebitis vobis in omnibus malitiis vestris,* ubi Septuaginta legunt : *Et percutietis vestras.* Etenim hoc fuit supplicium, quod in populum illum recidit, eo quod vultum illum, *in quem desiderant Angeli prospicere,* alapa percusserit videlicet, quod veluti totidem mancipia omnes in vultu signati esse conspiciantur. S. Ambrosius ait [5] : « Nonne fit per patientiam, ut sua amplius patien- « tia reverberet verberantem ? » Etenim absque eo quod suppliciorum virgam manu apprehenderet ad eos percutiendos, eos nihilominus per patientiam suam gravissime mulctavit, eo quod improperium servile et mancipiale cunctis immiserit, quod Redemptorem nostrum onerare decreverant. Origenes notat, Hebræos signatos esse, tanquam omnium

[1] Salm., *ib.* — [2] Rup. Abb., in c. 5 *Mich.* — [3] Isa., L, 6. — [4] S. Hieron., *ib.*

[1] S. Ephrem. — [2] Sedul., l. VII. — [3] Cranz., *Saxon.* — [4] Ezech., XX. — [5] S. Amb., l. V *in Luc.*

populorum, imo et ipsius Satanæ servos, quia vero fidei expertes, et propria obstinatione excæcati, dæmonis facti sunt præda. Unde prædictus Origenes ait [1] : « Sed et colaphis ceciderunt sanctum Ecclesiæ caput, propter quod ipsi colaphizantur a « Satana. » Non desunt quoque alii, qui conformiter menti S. Ephrem consonant, quod cum alapa servo inflicta significet eumdem manumissum et in libertatem esse assertum ; Christus, qui catenis et funibus, tanquam vile mancipium vinctus erat, per hanc alapam liber declarari voluit, suamque passionem prosequendo, ab æterna nos servitute liberavit; ac proinde data cum libertate ministro percutienti respondit.

## DISCURSUS VI.

### DE SPUTIS, QUIBUS SACROSANCTUS REDEMPTORIS NOSTRI VULTUS CONSPURCATUS FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Judæi in faciem Jesu, tanquam locum vilissimum, sputa sua excrearunt. — 2. Sputis adjunxerunt multas alias injurias. — 3. Conspuitione sua reprobarunt doctrinam Christi. — 4. Sputa Judæorum fœtidissima erant propter hesternam crapulam. — 5. Hæc conspuitio plurimum aggravat Judæorum scelus. Expenditur quo Christus illuminavit cæcum natum. — 6. Christus conspurcatus fuit, quia noluit sibi Synagogam adoptare in sponsam. — 7. Qualia Christus nobis reliquerit documenta contumeliam hanc patienter tolerando. Christi faciem conspuunt qui conscientiam fœdis cogitationibus polluunt. Et facies suas colorum pigmentis adulterant. Christus hac contumelia usus est in beneficium nostrum. Sputa designant blasphemias falsorum Christianorum. Christi patientia inter sputa Judæorum. Præclarum exemplum in simili casu. — — 8. Indigne communicantes conspuunt Christum. Prælati Ecclesiæ sunt facies Christi.

*Et cæperunt quidam conspuere in eum.* Marc, XIX, 65.

**1.** — Cum temerarius ille Caiphæ minister, per impactam Christo cum tanto circumstantium applausu alapam, Passioni Christi aperuisset viam, unusquisque sibi putabat esse licitum, propriam in eum evomere rabiem, variis eum inhonorando injuriis, adeo ut etiam sacratissimum ejus vultum fœdis sputis suis contaminare non dubitarint. Videmus porro per experientiam, quod qui oris excrementa expuit, ea communiter in locum vilissimum excreare soleat. Ecce tibi igitur, ad quantam vilitatem et abjectionem facies illa redacta fuerit, quæ visionis beatifice objectum erat : *Cæperunt quidam conspuere in eum.* De hac injuria S. Bernardus in hæc verba exclamat [2]: « O novissium ! o altissimum ! « o humilem et sublimen ! o opprobrium hominum « et gloriam Angelorum ! Nemo illo sublimior, « nemo humilior. » Et quidem ut clarius exprimat idem mellifluus doctor, ad quantam fuisset vilitatem redactus, subdit : « Denique sputis illitus est, oppro« briis saturatus est » S. Ephrem ad hujus vultus se reflectens sublimitatem, ait [1] : « Conspuerunt per« ditissimi illi in immaculatissimam faciem ejus, ad « cujus aspectum omnes cœlorum potestates, An« gelorumque ordines contremiscunt. » D. Chrysostomus detestabilem incredulorum istorum his verbis detestatur ingratitudinem [2] : « Perfunditur imbrium sputis. » Beatissima Virgo Deipara Anselmo revelavit, dicens [3] : « Videbam illam desiderabilem « faciem sputis Judæorum maculatam, dicens la« chrymando : Heu dilectissime Fili, quam mise« rabiliter te modo video, quæ toties tuo dulcis« simo aspectu gaudebam ! » Et paulo post subdit : « Modico tempore delapso adeo conspurcatus fuit, quod « quasi leprosus apparebat. »

**2.** — B. Laurentius Justinianus indignum illum locum, in quem Christum in illa nocte reposuerant, his verbis describit [4] : « In loco indecentissimo po« suerunt, ubi fœtores purgamentorum, vermium « multitudo, et tenebrosus carcer, atque quædam « mortis erat imago. » Tunc vere dicere potuit [5] : « Ego autem vermis sum, et non homo, oppro« brium hominum et abjectio plebis : omnes videntes « me deriserunt me. Idem quoque Justinianus alias ibidem insinuat Christo illatas contumelias : « Hinc « clamoribus, inde conviciis subsannabant. Nunc « calcibus, nunc manu, nunc virga, nunc impulsio« nibus venerandum dilaniabant Mediatoris corpus « Plusquam triennio sitierant, quod tunc illis per« mittebatur implere » Unde constat, quod sputis multas quoque alias adjunxerint injurias. Ludolphus Carthusianus hanc habet observationem [6] : « Non « tantum salivæ sputis, sed verisimiliter etiam « excreationibus suis fœdissimis, unde Matthæus « non dicit : Spuerunt, sed expuerunt, quasi « excreando spuerunt. Marcus autem dicit : « Conspuerunt, quia non tantum unus, sed « plures simul conspuerunt ; et sic illa facies facta « est ita abominabilis, quasi esset leprosa. »

**3.** — Porro Caiphas paulo ante Christum circa doctrinam interrogaverat, ab eo annunciatam : quam cum ille defendisset, perfidi illi e contra eamdem sputis suis reprobare contendebant, ut bene notat Salmeron, inquiens [7]: « Ipsi Sacerdotes, et Scribæ, « et Pharisæi projecerunt sputa, quasi in vilissimum « et abominabilem hominem, ac si dictorum Christi « vilitas, sputorum vilitate pensanda esset, ac damnanda. Erat autem conspuitio maxima ignominia habita, ut patet ex libro Numerorum ubi dicitur [8]: *Si Pater ejus spuisset in faciem illius, nonne de-*

[1] ORIG., tr. 33 *in Matt.* — [2] S. BERN., ser. in fer. 4 hebd. *pœnos. Pass.*

[1] S. EPHR., t. III *de Pass.* — [2] D. CHRYS., ser. 6 de *Dom. Pass.* — [3] S. ANSEL., dial. *de Pass.* — [4] B. LAUR. JUSTIN., *de Triumph. Christi agon.* — [5] *Ps.* XXI, 7. — [6] LUD. CART., p. 2, c. 60. — [7] SALM., t. X, tr. 22. — [8] NUM., XII, 14.

*buisset saltem septem diebus suffundi!* Quod si igitur Pater, qui paternam in filios habet auctoritatem, in faciem filiorum expuens, nihilominus pro illa filio illata ignominia septem diebus suffundi debebat; quid de hac lictorum et carnificum infami plebecula dicemus, qui fœtidis oris excrementis conspurcare non dubitarunt faciem illam, de qua S. Bernardus ait : « Vultum tuum desiderabilem, in quem desi-« derant Angeli prospicere, qui omnes cœlos adim-« plet lætitia, quem deprecabuntur omnes divites « plebis, pollutis labiis suo sputo inquinaverunt. » Idem ille Deus, qui *spiritus ponderator est*, cum in crucis suæ statera (*statera facta corporis*) pretium pro nobis exsolutum appendisset, singulaque in illud pretium concurrentia tormenta, æqua trutina ponderasset, specialiter de opprobriis conquestus est. ad eademque universam suam quasi reducens Passionem, humanum genus hisce verbis alloquitur: *Propter te sustinui opprobrium*; simulque quanam in re opprobrium istud constitutum fuerit, declarans, subjungit : *Operuit confusio faciem meam*. D. Chrystomus [3] prophetiam quamdam adducit Isaiæ, dicentis : *Obstupuerunt super te multi : sic inglorius erit inter viros aspectus tuus, et forma inter filios hominum.* « Quid enim illi contumeliæ potest exæquari. » Salmeron hujus injuriæ gravitatem ex communi hominum æstimationes æstimans, ait [4] : « Solent « hujusmodi injuriæ gravissimæ censeri apud viros « ingenuos, nec nisi morte vindicari solent. » Nec mirum, siquidem in faciem alicujus spuere, summus est cujuscunque possibilis vituperii gradus. Hic autem « conspuitur Creator a verme, nec mandat « ignem, aut ursos. » Quibus postremis verbis ad Eliam alludit et Elisæum; nam Elias ad illatas sibi injurias vindicandas, ignem de cœlo demisit : pro ultione autem injuriæ Elisæo irrogatæ, ursos e densis emisit sylvis, qui pueros parvos judicii etiamnum expertes dilacerarent.

**4.** — Et vero advertendum est, quod cum Judæi, occasione solemnitatis Paschalis (*Erat enim magnus dies ille Sabbati*) cœnam celebrassent legalem, agnumque manducassent paschalem, consequens fuerit, ut postquam stomachum plus solito cibo et potu aggravaverant, excrementa sputorum quoque tanto puteolentiora fuerint, propter crapulam antecedentem [5]: *In me psallebant qui bibebant vinum.* Et ideo S. Cyrillus Jerosolymitanus in persona Christi ait [6] : « Faciem meam meam non averti a turpitu-« dine sputorum. » Taulerus in libro *de vita et Passione Christi*, hanc injuriam meditando, considerationem quamdam instituit, præcedenti a Ludolpho Carthusiano factæ haud dissimilem; ait enim [7]: « Ut « Evangelista ait, non spuerunt tantum, sed etiam « *expuerunt*, quod est putentia se phlegmata sua « intimo pectore extraxisse, ejecisse in faciem « illius, et os suavissimum. » Blosius de hac injuria disserens, eandem hisce terminis describit : « Regia « illa, et amabilis ejus facies putentibus sputis pro « me fœdata est. » Sputa quippe illorum veneno quodam infecta erant, quod in ipsorum cordibus per multos annos delituerat, propter quod sanctissimus Præcursor eos : *Progeniem viperarum* appellarat. Lucas Brugensis sputa hæc a multis in Christi faciem excreata fuisse dicit [1]; ait enim sacer textus in numero plurali : « *Expuerunt*, scilicet « præsentes, illi in primis, qui eum tenebant, quod « ait Lucas, alii quoque et ministri et spectatores, « quidam etiam ipsorum Principum. » Citatque auctoritatem S. Thomæ, dicentis : « Facies illa speciosa « forma præ filiis hominum, quæ cœlum exhila-« rare poterat, et terram, fœtidissima sputa ex vis-« ceribus, hesternam crapulam eructantibus, « attracta, patienter excepit, ita ut leprosa videre-« tur, nec superesset ei species, aut decor, juxta « id quod Propheta prædixerat Isaias. Horreto « cœlum et terra, exclamat Euthymius [3], universaque « creatura, in quam faciem detulerint injuriam. « Fuisse enim hanc injuriam gravissimam Domino « Jesu, ex eo colligere licet, quod nominatim eam « prædixerit; tum per Prophetam Isaiam [4] : *Faciem « meam non averti ab increpantibus et conspuentibus « in me* ; tum per seipsum [5], *Marc.*, x, 34. »

**5.** — Porro sputa hæc, execrabile Hebræorum scelus plurimum aggravant, siquidem in ipsomet Christo, quem tam atrocibus afficiebant injuriis, prodigiosa jam antea viderant miracula, quæ Dominus noster saliva sua mediante patrarat. « Expuunt « in faciem ejus, velut in faciem, abjectissimi et « vilissimi hominis, » inquit Simon de Cassia [6]. « Exspuerat Salvator et lutum fecerat [7], ut in lucem « revocaret hominem, cui natura negaverat. Nunc « vero procax impudentia Judæorum, faciem sputis « polluit salvatoris. » S. Thomas mysterium exponit sputi illius, quo Christus cæcum natum illuminavit; ait enim [8]: « Lutum fecit ex sputo, ut ostendat, « se membra homini deficientia posse formare, qui « formaverat totum primum hominem. » Ecce tibi retributionem, per quam se Hebræi erga Creatorem suum, pro tam immenso creationis ipsorum beneficio, gratos adhibent. S. Cyrillus Jerosolymitanus idem circa cæcum natum a Christo patratum tangens miraculum, inquit [9] : « Alii venientes inspue-« bant in faciem ejus, qui per lutum cæcum natum « curavit. » Et vero, dic sodes, quonam modo Christus mutum illum, de quo Marci, VII, legitur curavit? sacer Evangelista dicit [10] : *Expuens, tetigit linguam ejus.* Cujus sputi mysterium Venerabilis Beda in his

[1] S. Ber., ser. de *Pas.* — [2] *Ps.* LXVIII, 8. — [3] Chrys., h. 68 *in Matth.* — [4] Salmer., *ib.* — [5] *Ps.* LXVIII, 13. — [6] S. Cyr. Jeros., *Catech.* — [7] Taul., c. 17.

[1] Luc. Bru., *in Matt.* — [2] Isa., LIII, 2. — [3] Euthym. — [4] Isa., L, 6. — [5] Marc., X, 34. — [6] Sim. de Cass., l. XIII. — [7] Joan., IX, 6. — [8] S. Thomas, *in Joan.* — S. Cyril. Jéros., *ib.* — [10] Marc. II, 33.

verbis exponit [1] : « Sputum capitis et oris Domini, « Verbum est Evangelii, quod ex invisibili Divini- « tatis arcano sumptum, visibile mundo, ut sanari « posset, ministrare dignatus est. Theophylactus ait [2] : « Tametsi superfluitas sit omne sputum, in « Domino admirabilia erant, et divina omnia. » Hoc igitur sputum, quo Christus cæcos illuminabat, et mutis in Judæis expeditum restituebat sermonem, ab hisce ingratis hominibus remuneratum fuit fætentibus sputis, quæ in faciem ejus evomuerunt. Verum enim vero justum audite Dei judicium, quo Deus in populum illum animadvertit, cui vere dicere possumus [3]:*Opprobria exprobantium illi ceciderunt super illum,* quia ut per experientiam, quotidianam videmus, Judæi hodie reputantur fæx abjectissima plebis, suntque apud omnes in tanto vilipendio, ut multi hodie in ipsorum faciem expuere non dubitent.

**6.** — Deus olim in Deuteronomio præcepit [4], ut si frater uxorem defuncti fratris, sine liberis mortui, ducère nollet, ad suscitandam defuncto fratri suo sobolem, vidua talis in faciem illius expueret. *Omnia in figura contingebant illis*. Pari quoque modo Synagoga, quia Christus illam sibi in Sponsam adoptare renuit, in ejusque locum sibi gentilitatem desponsavit, in faciem ejus expuit. Origenes hæc Judæorum sputa considerans, eadem Christo, velut in præmium, exaltationem nominis sui peperisse, in hæc verba scribit [5]: « Humiliavit se, « factus obediens usque ad palmas, usque ad con- « fusionem sputamentorum, propter quæ exaltavit « eum Deus. Nec enim propter mortem solam quam « pertulit propter nos, exaltavit eum, sed etiam « propter palmas et sputamenta. Quoniam igitur « ad extremam injuriam accipitur sputamento- « rum injuria, manifestum etiam est in Lege, in « qua scriptum est, ut mulier defuncti, si noluerit « frater viri ejus accipere sibi uxorem, coram Se- « nioribus excalceabit calceamentum ejus unum ex « pedibus, et expuet in faciem ejus, et dicet : Sic « facient homini, qui non ædificaverit domum fra- « tris sui. Non ergo avertit faciem suam Christus a « confusione sputamentorum, ut magis glorificetur « vultus ejus, quam fuit vultus Moysi glorificatus, « tanta et tali gloria, ut comparatione glorifica- « tionis, vultus istius glorificatio destruatur, sicut « in conspectu solis, lumen lucernæ destruitur. » Paulus de Palatio aliud hisce verbis innuit mysterium [6]: « Defuncto Moyse succedit Christus, qui Sy- « nagogæ adulteræ copulari noluit, volens exhiberi « sibi aliam Sponsam, sanctam, immaculatam non « habentem maculam, aut rugam. Quia igitur nec « Synagogæ nubere, neque ejus peccata dissimulare « volebat, idcirco Synagoga in faciem illam expuit, « quam Angeli intueri desiderant. » At vero condignam inde pœnam retulerunt, siquidem ipsimet vel inviti fatentur, dicentes [1] : *Dormiemus in confusione nostra, et operiet nos ignominia nostra, quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos et Patres nostri.*

**7.** — Enimvero cœlestis Magister noster, hanc patienter tolerando contumeliam, varia nobis tradita reliquit documenta, eadem omnia ad summum profectum nostrum spiritualem conducentia. Etenim ut S. Bernardus ait [2] : « Viderunt eum non « habentem speciem, neque decorem, sed faciem « ejus abjecta est quasi deformis. De hac tamen de- « formitate Redemptoris nostri manavit pretium « decoris nostri, sed decoris interni, omnis enim « gloria Filiæ Regis ab intus. » Etenim Sapientia et amor divinus modum adinvenire potuit, quo per hanc sputorum spurcitiem, qua sacratissimus vultus ejus, in quo *Candor est lucis æternæ* [3], fuit contaminatus, animas nostras purificaret, et condecoraret. Porro Spiritus Sanctus est, ad quem præcipue pertinet, animas nostras, per gratias, et dona sua venustare et expolire (juxta id quod Ecclesia in Sequentia diei Pentecostis canit : *Lava quod est sordidum*) ac proinde S. Athanasius ait [4] : « Conspuitur, ut aspersionem Spiritus Sancti nobis « suppeditet. » S. Hieronymus, vel quisquis est auctor Commentariorum in Marcum, qui sub Hieronymi nomine circumferuntur, Christum hoc præcipue fine in facie sua sputis conspurcari voluisse dicit, ut lavaret animas nostras [5]:« Ut sputaminibus susceptis « faciem animæ nostræ lavaret. » Quam eamdem auctoritatem citat Ludolphus Carthusianus, qui tamen subjungit [6]: « Faciem Christi conspuunt, qui « conscientiam suam fædis cogitationibus, et ac- « tionibus pollunt. Quia enim Christus conscientiam « sanctam inhabitat, in qua Dei facies, id est, imago « relucet, hinc est, quod qui conscientiam suam « peccatis polluit, quasi sputum in Christi faciem « projicit. » Benignissimus tamen Redemptor noster non dedignatur, dummodo compuncti et vere pœnitentes simus, per sputorum, ab ipso æquanimiter exceptorum merita, nos mundare, et purificare. Quid vero de iis dicemus, qui adhibita cerussa, et stybio, aliisque colorum pigmentis vultum suum adulterant, ut in aliorum offendiculum speciosiores evadant ? « Hoc est contra illos, » inquit idem auctor, « qui adulteris coloribus ornare suas « nituntur facies. » Porro homo ad imaginem et similitudinem Dei creatus fuit, quam tamen imaginem culpa sua perdidit ; nam ut S. Ambrosius citat [7]: « In eo enim ad imaginem Dei es, si immaculata « in te figura præfulgeat. » Verum tamen ut Lucas Brugensis ait [8]; Admiranda est hac in re divina Pro-

[1] Beda, hom. in *Dom. XI post Pent.* — [2] Theophyl. — [3] *Psal.* lxviii, 18. — [4] Deut., xxv. — [5] Orig., tr. 15 *in Matt.* — [6] Paul. de Pal., *ib.*

[1] Isa., iii, 2. — [2] S. Bern., c. 4 *de Pass.* — [3] Sap., ix, 16. — [4] S. Ath., q. 136 *ad Antioch.* — [5] S. Hieron., *in Marc.* — [6] Lud. Carth., *ib.* — [7] S. Ambros. — [8] Luc. Brug., *in Matt.*

videntia : « Hanc enim petulantiam eo convertit « Dei Providentia, ut sputis fœdata Christi facies, « imaginem illam Dei in nobis restitueret, quæ per « peccata vitiata erat. » Vir quidam sanctus a Salvatore nostro, propter hujus improperii merita, hanc sibi a Deo concedi postulavit gratiam, ut hanc imaginem nunquam contaminaret, aut labe aspergeret ; his enim verbis Deum affabatur [1] : « Laus tibi, et honor, et gloria Christe, qui pro « nobis factus opprobrium hominum, et abjectio « plebis, sacratissimam faciem tuam, in quam de- « siderant Angeli prospicere, a fœditate sputorum « non avertisti. Non sinas animam meam vitiis in- « quinari, sed eam serva tibi immaculatam, ut ipsa « post hujus vitæ tenebras, æternam tuam clarita- « tem, tota munda, contemplari mereatur. » Drogo Hostiensis similiter modum considerat, quo Sapientia Incarnata hac in re in beneficium nostrum usa fuit : ait enim [2] : « Nesciebam contumelias et « terrores, et colaphizantem me incessanter Satha- « nam, nisi viderem artem medicinæ tuæ, similia « similibus curantem, et appenderem in statera « hinc calamitatem tuam, illinc iniquitatem meam. « Dedisti corpus tuum percutientibus, et genas tuas « vellentibus, faciem tuam non avertisti a conspuen- « tibus in te, ut alapæ tuæ alapas meas removeant, « et flagella flagellis expientur, et opprobria ex- « probrantium, quæ ceciderunt super te, auferant a « me opprobrium sempiternum. » Ludolphus Carthusianus modum nos docet, quo Redemptori sputis defœdato, nobisque ipsis simul compati valeamus. En verba ipsius [3] : « Compatere sibi, quia pro te « omnia sustinet, jugiterque lachrymas fundens, « speciosissimam faciem ejus, quam illi impuden- « ter suis illiniunt sputis, tu reverenter tuis lava « lachrymis. » Hæ enim testes erunt compassionis, qua contumeliæ ipsius condolemus, nec non et zeli, quo animas nostras emundare gestimus. Hugo Cardinalis ait [4] : « Mystice colaphi et sputa Judæorum « significant blasphemias, et opprobria falsorum « Christianorum, quibus frequenter Dominum in- « honorant. Unde dicit Beda : Qui tunc cæsus est « colaphis Judæorum, nunc cæditur blasphemiis « falsorum Christianorum, et qui consputus est « salivis infidelium, nunc vesanis opprobriis fide- « lium exhonoratur. Unde Job dicit in per- « sona Christi [5] : *Abominantur me et longe fugiunt a « me, et faciem meam conspuere non verentur.* Se- « cundum Augustinum, conspuentes significant « falsos Christianos, Christi gratiam respuentes. » Ubi admiranda est invicta Christi patientia, qui sub hoc improperio constitutus, ne os quidem suum ad conquerendum de eo aperuit, in quo evidentius Judæorum apparet durities, utpote qui hanc patientiam videntes, nequicquam commoti fuerunt cum tamen ut in historiis Indiarum legitur, dum Pater quidam e Societate Jesu prædicans, ab impio quodam per ludibrium in conspectu totius populi in faciem conspueretur, ipse vero inde nihil turbatus sed sudario faciem suam tergens, sermonem cœptum prosequeretur, ex hoc tam heroico actu, quidam ex circumstantibus adeo ædificatus fuit, ut pedibus ejus advolutus, protestatus fuerit, se magis per illum virtutis actum, quam per annunciatum Evangelium, ad fidem Christi amplectendam fuisse commotum. Credibile porro est, hunc verbum Dei non eo modo annunciasse, prout nonnulli faciunt, quos B. Laurentius Justinianus his verbis perstringit [1] : « Pro Doctorum Ecclesiasticorum car- « nali confutanda intelligentia, in faciem conspui « dedignatus non est. Spiritualiter quippe conspui- « tur Christus, quando carnaliter intellecta, divina « in Ecclesiis prædicantur eloquia. Nempe Sapien- « tiæ cœlestis pulchritudinem fœdant qui verbum « Dei annunciantes, carnaliter vivunt. »

**8.** — Ludolphus Carthusianus aliam inde eruit moralitatem, dicens [2] : « Potest dici, quod ad litte- « ram Christum in facie conspuunt, qui Eucharis- « tiam indigne sumunt; quicunque enim polluta « conscientia corpus Christi in os suum accipiunt, « hi saliva sua peccato infecta sacramentum con- « tingunt, madefaciunt, et deglutiunt ac per hoc « in faciem Christi conspuunt. »

**9.** — S. Antonius de Padua inquit [3] : « Facies « Christi sunt Ecclesiæ Prælati per quos tanquam « per faciem cognoscimus Deum. In hanc faciem « perfidi Judæi, id est, perversi subditi conspuunt, « cum ipsis Prælatis detrahunt et maledicunt, pro- « hibente Domino ac dicente Exodo [4] : *Principi po- « puli tui non maledices.* »

## DISCURSUS VII.

### DE VELO QUO FACIEM CHRISTI OBDUXERUNT.

IDEA SERMONIS. — 1. Judæi in derisum velaverunt faciem Christi. — 2. Hac obvelatione Christus se ostendit Deum spiritualis et sinceri amoris. — 3. Oculi Christi velati fuerunt contra procacem aspectum pomi vetiti. — 4. Insinuat Christus hoc velamine se nolle videre peccata nostra, nec se percutientes. — 5. Impii optarent se a Deo videri non posse, dum peccant. — 6. Faciem Christi velant, ne ejus decore moti in eum sævire non possent. — 7. In pœnam hujus velaminis Judæi manent excæcati. Tam quoad vetus Testamentum quam, et multo magis, quoad novum. — 8. Velaverunt impii oculos Christi quasi ignoraret percussorem suum. Apta similitudo solis nubibus obvelati. — 9. Peccata nostra velaverunt oculos Christi. — 10. Alia documenta ejusdem relationis.

[1] BLOS., *Sacell. animæ Endol.* — [2] DROGO, *de Sacram. Dom. Pass.* — [3] LUD. CART., *ib.* — [4] HUG. CARD., *in Marc.* — [5] JOB, XXX, 10.

[1] B. LAUR. JUST., *ib.* — [2] LUD. CARTH. — [3] S. ANTON. DE PAD., *in die Parasc.* — [4] EXOD., XXII, 28.

*Et velaverunt faciem ejus.* Marc. XIX, v. 65.

**1.** — Propheta Evangelicus principaliores Passionis Redemptoris periodos prædicens, hanc vultus Christi velationem nequaquam intermisit, quia n cap. LII. ita scribit : *Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus.* Lucas Brugensis in Lucam ait : « Faciei ejus, et præsertim oculis « imponentes velamen aliquod vile atque immundum. Fecerunt id ea proxima ex causa, ut irri- « dentes præberent ipsi occasionem agendi prophetam. » Idem in progressu hujus Commentarii subjungit : « Velaverunt ergo faciem illam, quam « omnes Prophetæ et justi desiderarunt videre, « quam nominatim Rex David ter in eodem Psalmo « sibi exhiberi orarat [2]: *Ostende faciem tuam, et « salvi erimus.* » Obtexerunt oculos ejus de quibus scriptum est [3] : *Oculi Domini lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum.* Christus ipsemet apud S. Lucam Apostolis suis die quadam dixisse legitur [4] : *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Dico enim nobis, quod multi Prophetæ et Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt.* De Salmone rege ait sacer textus [5] : *Universa terra desiderabat vultum Salomonis* : quis autem hunc veri Regis pacifici typum et figuram fuisse ignorat? *Ecce plus quam Salomon hic* [6]. Apud Isaiam quidem divinam hanc faciem obvelatam fuisse invenimus, at vero non per ludibrium, sed in signum obsequii et reverentiæ, seraphinorum alis obtectam [7] : *Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, et sex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus. et duabus volabant, et clamabant alter ad alterum* : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.* Hic autem sordido quodam et obsoleto linteo vultum Filii Dei velantes, improperiis eundem certatim afficiunt omnes, nam ut Simon de Cassia ait [8] : « Velatio faciei facta nos- « citur in derisum. » Lucas Brugensis quænam insolentissimæ hujus plebeculæ in obvelanda Christi facie mens fuerit, his verbis declarat [9] « Interim « vero habuerunt eum, ut luce indignum, ut in- « dignum vita, conspectu, et consortio hominis, « quia ut ipsos videret, aut videretur ab ipsis, « quasi infamem, et nullius rei hominem æstima- « runt, ait Chrysostomus [10]. »

**2.** — *Velaverunt faciem ejus.* Porro cæca gentilitas deum Amoris oculis obvelatum effingere consueverat, hæc autem fabula poetica in veritatem hodie transit evangelicam, siquidem Dei Filius ex motivo excessivo amoris, vel ut Scriptura ait [11] : *Propter nimiam charitatem,* pro homine, vilissimo vermiculo, pati, et contumeliis affici non dedignatur. Unde Salmeron ait [12]: « Christus, ut Deus verus, « sincerí et spiritualis amoris auctor, oculis vitia « tectis, ut depingi solet Amor, docet et amorem « Dei patientem omnia, et patientiam non videntem « ex amore aliorum peccata. Quod si amor humanus « tantam vim habet, ut amati vitia non videat, « quanto magis ille divinus, et immensus amor? » Poetæ Cupidinis oculos obvelantes, eumdem cæco quodam modo, sine ullo objectorum discrimine, sagittas suas evibrantem repræsentant. Quia igitur *Deus charitas est.* jure merito divini amoris oculi obvelati videntur, ne vilitatem et demerita illorum, pro quibus patitur, discernat.

**3.** — *Velaverunt faciem ejus.* Secundus hic Adam de cœlo descenderat, ut irreparabilia damna quæ universum genus humanum a primo Adamo receperat, resarciret. Porro scopulus, ad quem Eva allidens naufragaverat, fuit illud : *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile,* ac proinde ut Didacus Stella ait [1]: « Velati fuerunt oculi, contra « ligni vetiti procacem visionem.» Pomum quoque illud contra voluntatem creatoris ex arbore decerptum, furtum erat, ac proinde Christus tanquam latro capi. et funibus ligari non est dedignatus, dixitque : *Tanquam ad latronem existis cum gladiis, et fustibus comprehendere me.* Atque ob idem mysterium, prout Beatissima Virgo Mater ejus S. Anselmo revelavit, oculi ejus ipsi veluti latroni obducti fuerunt [3]: « Li- « gaverunt oculos ei tanquam furi, quod tamen « nulli sit nisi prius condemnato. »

**4.** — *Velaverunt faciem ejus.* « Velum hoc dena- « tat, » inquit Salmeron [4], « Christum nolle videre « nostra peccata, nec se percutientes, nam quamvis « oculo divinitatis omnium corda penetraret per- « cutientium, et videret quæ ipsi non videbant, « tamen ex quo divinitas humanitatis integumento « velari voluit, ostendit se reatum et peccata homi- « num videre noluisse et ob hoc ipsum tegi oculos « suos permisisse. » Didacus Stella aliud insinuat mysterium, dicens [5] « Velaverunt faciem ejus quia « erat ita pia, et reverentia digna, quod omnes « eam aspicientes, ad pietatem et reverentiam « commovebantur, ideo ut melius irriderent, velave- « runt eum. » Joannes Taulerus diu ante in hæc verba scripsrat [6]: « Quia tanta erat faciei illius gra- « tia, ut solo aspectu peccatores emolliret, sibique « attraheret, idcirco eam impii obvelaverunt, ne qua « benignitate vel misericordia moverentur sed « omnem suum furorem, crudelitatemque in eum « pro voto suo effunderent. » S. Antonius de Padua in sermone quodam in Parasceven inquit [7]: « Erat « facies Christi plena gratiarum, cum ipse sit « speciosus præ filiis hominum, ut ad amorem et « pietatem omnes attraheret, præter Judæos, qui

[1] Luc. Brug., *in Luc.* — [2] *Ps.* LXXIV, 8. — [3] Eccli., XXIII, 8. — [4] Luc., X, 23. — [5] III Reg., X, 24. — [6] Matt., XII, 42. — [7] Isa., VI, 2. — [8] Sim. de Cass., l. XIII. — [9] Luc. Brug., *ib.* — [10] D. Chrys., hom. 80 *in Matt.* — [11] Eph., II, 4. — [12] Salm., t. X, tr. 22.

[1] Did. Stella, *in Luc.* — [2] Matt., XXVI, 55. — [3] S. Ans., dial. *de Pass.* — [4] Salmer. — [5] Did. Stella. — [6] Taul., c. 7. — [7] S. Ant. de Pad., *in Par.*

« velaverunt, ut liberius malitiam suam in eum « exercerent. »

**5.** — *Velaverunt faciem ejus.* Videmus per experientiam quod peccatores, si possent, ab oculis Dei sese abscondere niterentur, ne videantur ab illis; cujus exemplum in protoparente nostro habemus, de quo scriptura ait [1]: *Abscondit se Adam, et uxor ejus a facie Domini.* Apud Ecclesiasticum impius quidam ait [2]: *Quis me videt? Tenebræ circumdant me et parietes cooperiunt me et nemo circumspexit me. Quem vereor, delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Impii igitur Hebræi non attendentes id, quod Ecclesiasticus subjungit, dicens : *Et non intelligit, quoniam omne videt oculus illius, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem,* oculos ejus obvelarunt, credentes se obvelatis oculis ab eo notari, aut agnosci haud posse. Ac proinde libere dicebant : *Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?* Simon de Cassia ait : « Velatio faciei illos « reprobos insinuat, qui mallent peccantes non vi- « deri, et potius Deum non habere notitiam. »

**6.** — *Velaverunt faciem ejus.* Salmeron super his verbis hanc habet considerationem [3] : « Faciem « ejus velarunt, desideratam tamen a cunctis Pa- « tribus, et Angelis, ac teste Chrysostomo, tam gra- « tiosa et benigna Domini facies erat, ut hostes, « quamvis crudeles essent, et odio eum prosequen- « rentur, non possent tamen eam cernentes in eum « sævire, sed emolliti commiserabantur, ideo con- « silium eorum fuit, faciem ejus velare, quo atro- « cius eam cæderent, colaphos et alapas impinge- « rent, barbam vellerent, pulverem in faciem ejus « jactarent et execrarent eum. »

**7.** — *Velaverunt faciem ejus.* Cum verissimum semper sit axioma illud : *Per quæ quis peccat, per hæc et torquetur;* ideo in pœnam hujus veli, quo vultum Messiæ contexerunt, ipsi Judæi quoad intellectum deinceps excæcati semper manserunt, et etiamnum manent. Unde Simon de Cassia ait [4]: « Hæc derisio « Prophetiæ, ad ipsos Judæos impios retorsa cogno- « citur, ut facti omni populo in derisum, et pro- « phetis veracibus non credentes, a mendacibus « decepti, veritate privati, miserum in Mundo « experiantur exilium. Et quoniam Christum tan- « quam Prophetarum omnium veritatem velavarunt « justo Dei merito super ipsorum corda velamen « cæcitatis et ignorantiæ manet expansum. » Venerabilis Beda super Lucam ait [5]: « Velaverunt eum, « ut eorum illa scelera non videat, sed ut a seipsis, « sicut quondam Moysi fecerunt, faciem ejus abs- « condant. Si enim crederent Moysi, crederent for- « sitan et Domino : quod velamentum usque hodie « manet super cor eorum non revelatum, nobis « autem in Christum credentibus ablatum est. « Neque enim frustra eo moriente velum templi « scissum est medium. » Audiamus hac de re testimonium Apostoli, in secunda Epistola ad Corinthios ita scribentis [1]: *Non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam ut non intenderent Filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum, usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo vacuatur, sed usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Quod idem longe magis circa Novum Testamentum asserere possumus, quoad hoc enim corda eorum, et intellectus ipsorum adeo denso velo obducuntur, ut illud nequaquam admittere velint, sed eidem se totis viribus opponant et pernegent. Ecclesiasticus ait [2] : *Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscetur sensatus.* Cum igitur Judæi voluntarie per risum et ludibrium aspectu illius faciei, quæ visionis beatificæ est objectum privaverint, quid mirum est, si cognitionis Dei expertes in eorum tenebris semper perseverent? Propheta Regius nihil aliud adeo ardenter desiderabat quam ut oculos suos in faciem illam, quæ Paradisum lætificat, defigere posset, ideoque aiebat [3], *Illustra faciem tuam super servum tuum.* Hi autem cæci et impii Judæi faciem illam velaverunt, ne eam viderent, ac proinde [4] *nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* S. propheta Job ait [5]: *Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum* Etenim certissimum aversionis et malevolentiæ signum est, si quis faciem saum ab alio avertat, renuens videre, quem ante se habet. Non igitur sine mysterio faciem Christi obvelarunt, per hanc namque actionem declarabant, Christum illis exosum esse et inimicum, seque illum esse persecuturos usque ad novissimum mundi diem [6] : *Quando reliquiæ Israel salvæ fient.* Primus reprobus maledictum hunc Judæorum populum præfiguravit, sicut enim hic Deo dixit [7]: *Ecce ejicis me a facie tua hodie et ero vagus et profugus super terram,* ita Judaismus semetipsum a divina facie abscondens, justo Dei judicio vagus, et profugus super terram velut exul perpetuus esse meretur. Sacer quidam interpres ait [8]: « Significabat se abscondere faciem suam a « Judæis, illosque fide et cognitione Dei privan- « dos et excæcandos, et ad hoc denotandum Moyses, « qui Christi typus erat, descendens de monte « velavit oculos suos. »

**8.** — *Velaverunt faciem ejus.* Simon de Cassia super hæc verba ita scribit : « Credunt nonnulli, « velut infrunitum consilium Judæorum, oculos « Domini fasciolis ignorantiæ obvelasse, ut nec ipse « speculator de super adstet, atque consideret facta « malorum, et quod pro tempore impune pertran-

[1] GEN., III. 8. — [2] ECCLI., XXIII, 26. — [3] SALM., *ib.* — [4] SIM. DE CASSIA, *ib.* — [5] BEDA, *in Luc.*

[1] II COR., II, 14. — [2] ECCL., XIX, 16. — [3] *Ps.* XXX, 17. — [4] *Ps.* LXXX, 5. — [5] JOB, XIII, 24. — [6] ROM., IX, 27. — [7] GEN., IV, 14. — [8] SYLVEIRA CARM.

« sit, quod in Dei cognitionem non venerit, et « temporalis impunitas inde proveniat, quod velut « Deus velata facie reproborum mala non videat, « sed mentita est iniquitas eis aliter dicente Psal « mista contra eos, qui proprie aut ænigmatice « crediderunt, et dixerunt : *Non videbit Dominus, « neque intelliget Deus Jacob.* Quid enim est di- « cere : *Non videbit Dominus,* nisi quia mala, quæ « fecimus, aut ignorat, aut non considerat omnino « Et hæ sententiæ versa vice se respiciunt, cum « dicitur : Dominus non videbit, et : Prophetiza no- « bis, quis est, qui te peccussit, ut in utroque « ignorantia prætendatur, ut malefactorum impu- « nitas subsequatur. Contra hos vero tam nequiter « opinantes ipse Psalmista subsequitur : *Intelligite « hæc insipientes in populo, et stulti aliquando « sapite. Qui plantavit aurem, non audiet. Qui « finxit oculum, non considerat. Qui corripit gentes, « non arguet, qui docet hominem scientiam,* et « indecise contra ignorantiam in Christo ponentes, « adjunxit Dominus *scit cogitationes hominum « quoniam vanæ sunt.* Si novit cogitationes, novit « et actiones, si cogitationes varias hominum scit, « et eum qui percussit, agnovit. » Enim vero quando Sol in sereniori aliquo die æstivo, vel densa quadam obtegitur nebula, vel fusco aliquo nubium velo involvitur, signum est, per quod Sol comminatur turbines, grandines, et tempestates. Porro de oculis Dei apud Ecclesiasticum dicitur [1] : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt cognita.* Cum igitur perfidi Judæi sordidis vilissimisque fasciis, quasi vilibus vaporibus, hosce æterni Solis radios obfuscarint, quis mirari poterit, quod eos exterminiorum, desolationum, exiliorum, et servitutis perpetuæ tempestates apprehenderint ? Aut vero dicere possemus, quod cum lucem oculorum illorum, qui splendorem solis longe exsuperant, obfuscarint, idipsum præludium et certissimum omen fuerit quod post modicum universi aeris obscuratio, totius terræ ingens tremor, astrorum horribilis eclipsis, cunctorum Elementorum conturbatio, ac demum sanguinis Filii Dei ingens diluvium esset subsecuturum.

**9.** — *Velaverunt faciem ejus.* Dicere quoque possumus, quod ut ex Isaiæ prophetia clare satis colligitur, peccata nostra velum illud fuerint, quo oculi Domini obducti fuerunt [2] : *Peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis.* Enim vero, quamdiu in gratia Dei constituti sumus, oculi Dei quaquaversum nos circumlustrant, quia ut regius Vates inquit [3] : *Oculi Domini super metuentes eum,* at vero nos sumus, qui eosdem benedictos oculos iniquitatum nostrarum turpi et infami fascia obtegimus, dum eosdem per offensas mortales percutimus et obvelamus. Drogo de hoc Passionis Dominicæ mysterio disserens, ita scribit [1] : « In domo Principis sa- « cerdotum velata facie colaphizatur Christus, quia « in domo conscientiæ cæcata mente colaphizatur « Christianus. Quod enim Christus in publico, ego « patior in occulto. Quod ille foris a ministris Cai- « phæ ego intus a negotits Sathanæ, quia supra « dorsum meum fabricaverunt peccatores, faciem « mihi velaverunt. » Ludolpus Carthusianus ex hoc velo oculos Christi obfuscante, multas alias deducit moralitates. Ita enim scribit [2] : « Ex hoc articulo « velationis faciei habentur plura documenta. Pri- « mum quod nos summe caveamus, ne velamen « ante Christi faciem teneamus, sed heu multi « Christiani velamen ante Christi faciem ponunt, « quales sunt qui infrunite peccant; quasi eos Deus « non videat, quales etiam sunt, qui sub velamine « cujusdam libertatis, libere peccant. Item vela- « men ante Christi faciem ponunt, qui imaginem « Dei in se velamine culpæ et ignorantiæ obtegunt, « et obscurant. Dicit enim Hieronymus, quod ideo « Christus velari voluit pro nobis, ut velamine « faciei suæ velamen culpæ et ignorantiæ a cordi- « bus nostris auferret. » S. Antoninus ex hac Christo irrogata eontumelia, aliud quoddam elicit documentum, inquiens [3] : Qui ficte agunt pœnitentiam, « non dolentes de omnibus, non confitentes inte- « graliter, vel non satis facientes, isti Christum de- « rident, quasi velantes faciem ejus, ac si non « videret fictionem eorum, sicque novis peccatis « suæ fictionis percutiunt. »

**10** — P. Bollandus in vita Beatæ Angelæ de Fulginio sequentem a cœlesti ejus sponso revelationem factam ei fuisse refert [4] : « Pro oculis etiam « tuis, quibus respexisti vana, et nociva, et fuisti « in ipsa aspectu multipliciter delectata contra « Deum, ego satisfeci. Cum ipsis enim oculis meis « lacrymas amarissimas effudi, et ipsos velatos « habui, et sanguine manante a capite habui « balneatos. » Denique Ludolphus Carthusianus sequens inde eruit documentum [5] : « Hic docemur, « quod et nos debemus interdum facies nostras « velare, ne oculi nostri videant vanitatem, vel « saltem oculos habere defixos in terram. « Hugo Cardinalis super Lucam inquit [6] : « Velant Christi « faciem, qui non permittunt sibi usque veritatem, « esse dici. »

[1] Eccli., xxiii, 25. — [2] Isa., lix, 2. — [3] *Ps*, xxxii, 18.

[1] Drog., *de Sacram. Dom. Pass.* — [2] Lud. Carth. — [3] S. Anton., p. 2. — [4] Boll., 4 jan. f. 203. — [5] Ludol., *ib.* — [6] Hugo Card., *in Luc.*

## DISCURSUS VIII.

### DE NEGATIONE SANCTI PETRI ET CHRISTO PETRUM RESPICIENTE DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus toleravit negationem Petri propter nostram salutem. — 2. Lapsus Petri ex variis causis enormis fuit. Petrus debebat fugisse sexum mulierum. Ex tribus causis valde aggravatur negatio Petri. Prima ex modico terrore negavit. Secunda, timore confusionis et verecundiæ negavit Tertia quia pertinaciter negavit. Quarta quia lapsus ille ipsi sæpius a Christo prædictus fuerat. Quinta causa circumstantia temporis. — 3. Non præsumendum est propriis viribus. — 4. Taxatur timiditas Petri. Lapsus Petri provenit ex tepefacto ejus amore. — 5. Sexus muliebris debet semper esse suspectus. — 6. S. Petrus carpitur quod non deseruerit malum consortium. — 7. Periculosus fuit Petro ingressus in aulam Pontificis. — 8. Ex lapsu Petri discimus ut lapsi non desperemus de venia. Petrus labi permissus est, ut disceret peccantibus compati. — 9. Variæ SS. PP. sententiæ de Christi obtutu, conjecto in S. Petrum. — 10. Quare Petrus non defleverit peccatum suum in loco, in quo peccaverat.

*Recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Jesus : Ter me negabis, et cœpit flere.* Marci, XIV, 72.

**1.** — Theophylactus, de negatione a S. Petro facta disserens, hanc statuit conclusionem [1] : « Negatio ista propter salutem hominum ab ipso tolerabatur. » Enim vero cum Redemptor noster hoc passionis tempore universalem operaretur humani generis salutem, negationem quoque Petri in commune hominum beneficium tolerare dignatus fuit. Cæterum vero idem Salvator sui ipsius velut oblitus, oculos suos in hujus Apostoli salutem de industria habebat defixos, utpote quem gregis sui in terris elegerat ducem et pastorem. Unde S. Leo in sermone quodam de Passione ait [2] : « Respexit « Dominus Petrum, et inter calumnias Sacerdotum, « inter falsitates testium, inter cædentium et conspuentium injurias constitutus, illis turbatum discipulum convenit oculis, quibus eum præviderat « esse turbandum. » S. Ambrosius hunc Petri lapsum ab infallibili Dei providentia permissum fuisse arbitratur, ut per ejus exemplum omnes alios conservaret; ait enim [3] : « Error Petri, doctrina justorum est et tribulatio Petri, omnium petra est. « Denique super undas titubat, sed dexteram porrigit Christo. Titubavit quidem Petrus in mari, « sed ambulavit firmior. »

**2.** — *Error Petri doctrina justorum est.* Porro hic Petri error ex multis capitibus gravis et enormis fuit. Cum enim probe novisset, primum hominem per mulierem quamdam turpiter fuisse lapsum, ipse hunc sexum merito fugere debuisset. Nam ut Rupertus Abbas ait [4] : « Ita cribrator ille « Apostolorum Satanas sibi providit, ut tentationis « artificium inciperet a fœmina, qui sexus in paradiso Protoplasto deceptionis extitit janua. » S. Thomas tria enumerat capita, ex quibus prædicta S. Petri negatio valde aggravatur [1] : « *Primo* quia « statim ad modicum terrorem negavit : *Terrebit « eos sonitus folii volantis.* » Etenim ad unius ancillæ vocem trepidavit, qui paulo ante in horto Gethsemani integro se exercitui opponere non formidaverat. Porro is, qui eum interrogavit, non miles, non Caiphas, sed muliercula quædam erat; hæcque illum interrogavit, non per modum accusationis, neque dixit : « Numquid ex discipulis es « proditoris istius? sed videbatur magis ex com« passione loqui. » *Secundo* aggravatur peccatum illius, quia non solum timor, sed multo amplius cor ejus verecundia occupabat. Etenim videns Magistrum suum factum esse a pontifice, principibus sacerdotum et magistratibus Synagogæ lictorum et plebeculæ ludibrium, quodque velut hypocrita et tanquam manifestus Synagogæ rebellis male tractaretur ab omnibus, se ejus discipulum esse erubescebat dicere. Porro se ejus scholarem esse profiteri non erubuit tunc, quando patrabat miracula, surdis auditum, sermonem mutis, lumen cæcis, defunctis vitam restituendo; nec quando ei in triumpho diei palmarum acclamabatur a populo : *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel*; bene tamen Christum erubuit, quando instar latronis ligatus et processatus fuit. Unde S. Thomas ait [2] : « Quando illuditur, negat, ad significandum, « quod quidam magis timent opprobria, quam verbera, contra illud Isa., LI : *Nolite timere opprobria « hominum.* » Quando in horto captus fuit Petrus, suam in ejus defensionem animositatem probavit; etenim stricto gladio, Malcho lictorum duci auriculam amputavit, tametsi exinde apprehendere potuisset vitæ perdendæ periculum. Nunc vero Magistrum suum in derisum et ludibrium omnium versum esse sciens, metuensque ne et ipse tanquam ejus discipulus, digito ab omnibus monstratus derideretur, quis esset, manifestare, aut violentiæ sese opponere, nequaquam ausus fuit. Enim vero per frequentem sæpe vidimus experientiam, quod multi quidem per austera jejunia, cilicia et disciplinas suum afflixerunt corpus, molestas et laboriosas in se susceperint peregrinationes, integris noctibus ferventibus vacarint orationibus; at vero quando ad illum devenitur punctum, ut in periculo sint, ne digito monstrentur et erubescere cogantur propter sequelam Christi, constantes nequaquam permanserint. At vero dices fortasse; eratne igitur Christus tam improbus homo, ut quis se ejus discipulum, esse sine confusione et erubescentia profiteri non potuerit? Numquid paulo ante dicendo :

[1] THEOP., *in Luc* — [2] S. LEO, ser. 3 *de Pass.* — [3] S. AMB., l. X *in Luc.* — [4] RUP. ABB.

[1] S. THOMAS, *in Matt.* — [2] ID., *in Joan.* — [3] ID., *in Matt.*

*Ego sum,* omnes illas turbas armatas prostraverat? Numquid per recens miraculum amputatam Malcho aurem restituerat? Numquid Angelum cœlitus ad ejus obsequium et confortationem a Deo missum viderat? Verum quidem est, Christum tunc vultum habuisse ex Malchi alapa lividum et tumidum, sputis conspurcatum, et ferali illa fascia obvelatum; at vero numquid recordari poterat illius, quod in monte Thabore ei contigisse viderat [1], quando *resplenduit facies ejus sicut sol*? Numquid infallibilem illam æterni Patris vocem audierat, dicentem : *Hic est Filius meus dilectus*? Ergone oblitus est revelationis illius, ab eodem Patre cœlesti sibi factæ [2] : *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus* : *Tu es Christus Filius Dei vivi*? Satis est verisimile, omnes Caiphæ aulicos et servos, integerrimæ Christi famæ detraxisse, quodvis malum de eo dicendo; Petrus autem præ verecundia timens, ne ejus deprehenderetur esse discipulus, hæc quidem omnia audiebat, nec tamen in Magistri sui defensionem minimum quidem protulit verbum, quin potius exterius se illis consentire simulabat. *Tertia* circumstantia aggravans a S. Thoma notata, fuit ejus pertinacia, qua se eum minime agnoscere protestatus fuit, mendacio huic insuper adjungendo imprecationes, maledictiones et perjuria. Quod si illo tempore se illum minime cognoscere dixisset, quo vultu ejus turpis et sordido velo obvolvebatur, vel quando facies ejus sputis referta erat, vel quando eadem facies colaphizata ex livore intumuerat, aliquam utique apparentem excusationem prætexere potuisset; nunc vero etiamnum in atrio stabat, aulam nondum ingressus fuerat, injuriarumque Christo illatarum nondum fuerat testis oculatus. *Quarta* circumstantia aggravans, quam Doctor Angelicus tangit, hæc fuit, quod scilicet error et negatio illa, in quam Petrus lapsurus erat, eidem non semel, sed sæpius, ab æterna et prima veritate fuerit prædicta, adeoque credere merito debuisset Christo id prædicenti et post primam negationem se ab illo consortio subducere et resipiscere : « Verus et cœlestis medicus, » inquit S. Augustinus [3], « venam cordis inspexerat et qua hora « tentationis pondus, vel infidelitatis frigus ventu- « rum erat, prædixerat. Medicus prædicebat et « ægrotus negabat. » *Quinta* circumstantia aggravans fuit, quod tunc Petrus se Christum nosse negaverit, quando Caiphas illius temporis antiquæ legis Mosaicæ Pontifex per vestium suarum sacerdotalium dirumptionem, Synagogam a Christo actualiter divisam, in ejusque locum substitutam esse indicaverat Ecclesiam, cui Petrum suum hic in terris vicarium præfecerat.

**3.** — *Error Petri doctrina justorum est.* Etenim S. Augustinus ait [4] : « Ecce columna firmissima ad « unius auræ impulsum tota contremuit. Ecce ca- « put illud aureum ad unius lapilli contactum in « parte fictili comminutum est et corruit. » A ventis aquilonaribus avulsæ sunt cedri Libani, qua igitur ratione arundines palustres non contremiscent? « De propria infirmitate paulo ante eruditus, » inquit Beatus Laurentius Justinianus [1], « ubi tantus « persecutionis fervebat impulsus, se minime inge- « rere debuit. Jam enim sopore gravatus, nequive- « rat vigilare, jamque mortis timore concussus, « relicto Magistro arripuerat fugam. Nemo igitur « de se præsumat, quisque proprias metiatur vi- « res, » Didacus Stella ingeniose ad præsens propositum ait [2] : « Observa, quod primo voluit Chris- « tus Petrum ab hac ancilla detegi et non ab aliis, « ut omnino superbia et jactantia, qua se in cœna « exaltarat, correcta et abolita esset, non a viro, « sed muliere, non a feroci gigante, sed a debili « janitrice se superatum cernens. Non a manu et « corona militum obsidetur, nondum ei gladium « cervici subdunt, non aggrediuntur, nec invadunt « armati homines, sed muliercula quædam, quæ « quidem non libera, sed ancilla potius est. » Reflexionem quoque meretur documentum illud, quod in hac occasione Salmeron his verbis tradit [3] : « Quod si Angelus de cœlo cecidit et Adam de pa- « radiso et Petrus Ecclesiæ columna, in Apostolico « throno existens. Christum negavit, quid nobis « cogitandum est, nisi hoc unum, quod salutariter « et opportune suadet Apostolus : *In fide stas, noli « altum sapere, sed time.* »

**4.** — *Error Petri doctrina justorum est.* Rupertus Abbas ait [4] : « A longe sequebatur, non tantum « pedum incessu, quantum pavidæ mentis habitu, « quia juxta veritatem ejus qui dixerat : *Quo ego « vado, non potes me modo sequi,* eumdem ad « Passionem Magistrum et Dominum nondum va- « lebat imitari. » Porro sacer textus hujus timiditatis Petri tacitam quamdam assignat rationem, dum ait : *Sequebatur eum a longe.* « Neque enim « negare posset, sic Christo proximus adhæsisse, » inquit Beda [5]. Chrysostomus pariter ita scribit [6] : « Pape! Quo sopore calor ille vehemens Petri capto « Jesu deferbuerat? Neque post tot movetur, sed « adhuc se calefacit, ut intelligas, quam imbecillis « sit humana natura, cum nos Deus deserit. » Porro Christus apud S. Matthæum, cap. XXIV, prædixerat [7] : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas.* Id quod in Petro adimpletum fuerat, qui utpote in amore suo erga Christum tepefactus, in multos prolapsus est errores : *A minimis enim incipiunt, qui in maxima proruunt.* Primo enim astutus serpens eum cadere fecit in præsumptionem de se-

[1] MATT., XVII. 2. — [2] ID., XVI, 16. — [3] S. AUG., ser. 1 in fer. 4 post *Dom. Palm.* — [4] ID., tr. 133 *in Joan.*

[1] B. LAUREN. JUSTIN. *de Triumph. Christi agon.* — [2] DID. STELLA, *in Luc.* — [3] SALM., t. X, tr. 25. — [4] RUP. ABB., l. XIII *in Joan.* — [5] BEDA, *in Marc.* — [6] CHRYS., in Cat. Græc., *in Joan.* — [7] MATT., XXIV, 12.

metipso, multa sibi de virtute sua promittendo, aliisque collegis suis se superiorem æstimando et contemnendo alios [1] : *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*. Postea contra Magistri sui voluntatem, arrepto gladio, Malcho amputavit auriculam, deinde cum aliis in fugam se recepit et forsitan primus fuit, et licet mox pœniteret, tamen [2] *sequebatur eum a longe*. Ad hæc in horto a Salvatore monitus ut oraret, ad somnum capiendum se composuit. Deinde domum Caiphæ ingressus, manifesto se prostituit periculo, ne cognosceretur. Nec declinavit ancillarum consortium, imo mendacio illas circumveniens, velut discipulus Christi agnosci erubuit. Tanquam homo mundanus, cum impiis aulicis colloquia miscens, negavit, juravit et sæpius perjuravit, se Magistrum suum minime cognoscere, non solum ut Deum, sed ne quidem ut hominem; ait enim : *Non novi hominem*.

**5.** — *Error Petri doctrina justorum est.* B. Laurentius Justinianus ad hoc propositum ita scribit [3] : « En mulier quæ male suadendo Adam de para-« diso expulit, Apostolorum Principem tentando de « atrio ejecit. Sexus hic muliebris semper sus-« pectus est, illo frequentissime abutitur diabolus. « Quantos robustissimos telis fæmineis prostravit « viros? Unius mulierculæ lingua Christianæ mi-« litiæ devicit ducem. » Nec prætereunda est hoc loco sequens S. Paschasii ponderatio, dicentis [4] : « Quid sibi vult, quod eum primum prodit ancilla, « cum viri magis eum utique poterant recogno-« scere? Non abs re factum dixerim. Factum est « autem non fortuito, ut iste sexus, in hac arte « diabolus et in nece Domini præcesserit, ut et « prioris mulieris recordaretur fraus et iste sexus « per Domini redimeretur passionem. »

**6.** — *Error Petri doctrina justorum est.* S. Bonaventura quoque sequentem S. Petri errorem detegit, inquiens [5] : « Iterat Petrus negationem, quia « malorum non deseruit societatem. Unde Augus-« tinus : Quam noxia sunt pravorum colloquia, « quæ cogunt Petrum negare Dominum, vel homi-« nem se nosse, quem inter discipulos confessus « fuerat, esse Filium Dei; unde verificatur illud : « Corrumpunt bonos mores colloquia prava. » Eamdem quoque societatem, quam S. Petrus inierat, B. Laurentius Justinianus reprehendit, dum ait [6] : « Ab Apostolatus plurimum degenerăverat « dignitate. Porro Dei Filii usus fuerat contubernio, « atque Sapientiæ audierat verba et nunc, proh « dolor! sceleratorum hominum residebat in medio, « et illorum potissimum, qui Dominum ipsius te-« nuerant, ligaverant, atque percusserant. Tales « semper obscœna et impudica consueverunt pro-« ferre eloquia. Nemo bonus secure cum malis ha-« bitat. »

**7.** — *Error Petri doctrina justorum est.* Hugo Cardinalis ait, quod quia S. Petrus aulæ Caiphæ Pontificis pedem inferendo, cum aulicis familiaritatem habuit, ideo lapsus sit. Unde super Marcum ita scribit [1] : « Usque intro in atrium, ubi Christum « negavit et tamen valde modicum fuit ibi; quid « ergo fecisset, si diu permansisset? Quid est « domus Caiphæ, nisi curia Principum? Quid « Petrus, id est, cognoscens, nisi clericus? Matth., II, « Stella disparuit, Magis introgressis ad Herodem. « Ad litteram : Atrium summi Sacerdotis est curia « romana, quam Petrus primus Papa habitavit. » Idem purpuratus Scriptor in Matthæum in hæc verba scribit : « Nota, quod Petrus semel intravit « curiam et ibi vigorem animi perdidit et Christum « negavit : quid si diu permansisset in curia? Etiam « non ibi, sed foras pœnituit : *Et egressus foras, « flevit.* »

**8.** — *Error Petri doctrina est.* Error namque ab illo commissus, ad aliorum errores emendandos plurimum servit. Unde Lucas Brugensis, in Commentario super Matthæum, in hæc verba scribit [2] : « Passus est hoc Christus in Apostolo suo electo, « ne quis, quamvis graviter lapsus, desperaret, « modo resipisceret et animi maculas lacrymis « ablueret. » Idem paulo post auctoritatem Euthymii adducens, subdit : « Potissimum hoc permis-« sum est, ut peccatoribus clarum esset pœnitentiæ « exemplum. Si enim cæterorum Princeps Apostolorum, qui tales virtutes et viderat, et fecerat, « tandem in negationem lapsus est, deinde delicti « pœnituit et non solum brevi tempore maculam « omnem abstersit, sed et cæterorum pastor disci-« pulorum creatus est et multorum ac magnorum « operator miraculorum appellatus; nullum qui « ceciderit, desperare convenit, sed illico pœniten-« tiam agere, cum divitias agnoscat mansuetudinis « Domini. » Seraphicus Doctor Deum sæpe servorum suorum lapsus permittere dicit, ad majorem ipsorum utilitatem : « Permittuntur cadere, » inquit, « ad utilem confusionem. » Et S. Augustinus ait [4] : « Audeo dicere, superbis esse utile, in ali-« quod apertum, manifestumque peccatum cadere, « unde sibi displiceant, qui sibi placendo cecide-« runt. Salubrius Petrus sibi displicuit, quando « flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit. » S. Thomas, in Joannem commentando, hanc lapsus Petri assignat rationem, inquiens [5] : « Ideo Domi-« nus Petrum negare permisit, quia volnit, ut ipse, « qui præponendus erat toti Ecclesiæ, infirmis et « peccantibus magis compateretur, expertus in « seipso infirmitatem peccati. Unde et S. Paulus

[1] MATT., XXVI, 33. — [2] ID., 58. — [3] B. LAUR., *ib.* — [4] S. PASCH., *in Matt.* — [5] S. BONAV., *in Luc.* — [6] B. LAUR. JUST.

[1] HUG. CARD., *in Marc.* — [2] LUC. BRUG., *in Matt.* — [3] S. BON., *in Luc.* — [4] S. AUG. — [5] S. THOM., *in Joan.*

Apostolus ait [1] : « *Non enim habemus Pontificem,* « *qui non possit compati infirmitatibus nostris,* « *tentatum autem per omnia absque peccato;* » quod quidem de Christo perfecte verificatur, non vero de Petro, utpote quem divina misericordia tanquam caput Ecclesiæ elegerat, præ aliis Apostolis, qui ipso innocentiores erant, ut tanto affectuosius aliis compati nosset et posset. « Ideo non An- « gelis hæc est commissa potestas, » inquit Chrysostomus [2], « qui nunquam peccaverunt, sed homo « passibilis supra homines ordinatur, ut dum in « aliis suas recolit passiones, mitem apud eos se « præbeat et benignum. » Dionysius Carthusianus similiter ait [3] : « Christus non sine causa permisit, « tam prælectum Apostolorum taliter ruere et pec- « care; sed ut Petrus ex propria fragilitate et culpa « disceret, suo tempore aliis misereri et item ut « nec ipse nec cæteri fideles ista noscentes, de « suis viribus unquam præsumant. »

**9.** — *Respexit Petrum.* Hic cœlestis Magistri in Petrum conjectus obtutus et respectus, multifariam exponitur. Hugo Cardinalis inquit [4] : « Mihi videtur « illa respectio divinitus facta, ut ei veniret in men- « tem et quoties negasset, et quod Dominus præ- « dixisset, atque ita Domino misericorditer respi- « ciente Petrum salubriter flevit, sicut dictum est : « Respice, et exaudi me, et convertere Domine; et « ita dictum arbitror : Conversus Dominus respexit « Petrum. » Lucas Brugensis litteralis sensus accuratus interpres, ita scribit [5] : « Commendatur hic « et divinitas et benignitas Domini Jesu, quod ab- « sens, quod negatus, quod captus et ligatus non « obliviscitur discipuli, sed intuitu pietatis et gra- « tiæ respicit, lapsumque erigit. O bonitatem, « exclamat Theophylactus, etiam cum negaretur, « non neglexit discipuli salutem ! » B. Laurentius Justinianus quoque hanc Christi respectionem non tam oculo, quam Salvatoris attribuit pietati. Ait enim [6] : « Respexit Dominus Petrum, non corporis, « sed pietatis intuitu. Illo intuitu proposuit disci- « pulo, qualis factus fuerat, quid dixerat, quantum « negando deliquerat. » Clarius Beda ait [7] : « Re- « spicere ejus, misereri est. » Cajetanus hanc causam adducit [8] : « Conversus non oculis corporeis, « cum Jesus esset in superiore, Petrus vero in « aula inferiore, ut Marcus testatur, sed oculis « gratiæ suæ; conversusque describitur, quoniam « tanquam aversus a Petro subtractione gratiæ « fuerat. »

**10.** — *Et egressus foras.* Videri quidem poterat, S. Petrum convenientius peccatum suum defleturum et retractaturum fuisse in illo eodem loco et in earumdem personarum conspectu, quas obstinata negatione sua scandalizaverat, et tamen non sine mysterio egressus est foras. Nam ut S. Paschasius ait [1] : « In atrio Pontificis sedens, non poterat, non « dico stare in fide, verum etiam nec post lapsum « agere pœnitentiam. Egreditur quidem foras de « impiorum concilio, quia respexerat illum Domi- « nus, ut abluerat sordes pavidæ negationis. » Petrus a Christo electus fuerat, ut norma et exemplum esset vivendi omnium fidelium; ac proinde ut salutare illis præberet veræ pœnitentiæ agendæ documentum, e loco illo in quo divinum Magistrum suum negaverat, egredi voluit, ut inde discerent, quod ut pœnitentia perseverans sit et stabilis, faciliusque agatur, pœnitens ab illis se locis et personis elongare et sequestrare debeat, quæ ipsi offendiculi præbuerunt occasionem.

[1] Heb., iv, 15. — [2] Chrys., ho. 80 *in Matt.* — [3] Dio. Cart., *in Luc.* — [4] Hugo Card., *ib.* — [5] Luc. Brug., *ib.* — [6] B. Laur., *ib.* — [7] Beda, *ib.* — [8] Cajet., *in Luc.*

## DISCURSUS IX.

DE CONCILIO MATUTINO, IN QUO, UT CHRISTUM A PILATO CONDEMNARI CURARENT, OMNES PERSONALITER PRÆSENTES, DE ACCUSATIONUM CAPITIBUS DELIBERARUNT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus voluit per varias calumnias et falsas accusationes damnari ad mortem. — 2. Principes sacerdotum summo studio et vigilantia admota laborarunt ut Christum interficerent. Et quare ad hoc per viam judicii processerint. — 3. Judæis a Romanis adempta fuit potestas exequendi sententiam mortis, etiam in reum prolata. Quales accusationes falsas ad Pilatum confinxerint contra Christum. — 4. Adducuntur rationes quas Judæi ita acceleraverint ad occidendum Christum. — 5. Alia ratio quare Judæi voluerint Christum condemnari a Pilato. — 6. Alia ejusdem ratio. — 7. Quare omnes principes et magistratus synagogæ, Christum conduxerint ad Pilatum. Principes Judæorum acceleraverunt condemnationem Christi et ejus crucifixionem. — 8. Quare Nicodemus et alii occulti discipuli, in hoc concilio præsentes, se non interposuerint pro Christo.

*Mane autem facto, consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum et Seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent : et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato.* Matth. XXVII, 1.

**1.** — Ex quo Redemptor noster ardentissimam, sanguinem suum pro nostra Redemptione effundendi, sitim habuerit, mirum est, cur potius elegerit per calumnias, et falsas accusationes variis in tribunalibus processari, et non magis ex populi furia lapidari, vel alio modo per mortem violentam e medio tolli ? S. Ambrosius respondet, calumniam pœnam esse acerbissimam : nam ut Ecclesiasticus testatur [2] : *Calumnia conturbat Sapientem, et perdit robur cordis illius.* En verba S. Doctoris [3] : « Calumnia gravis est, et ideo Dominus quæ sunt

[1] S. Pasch., *in Matt.* — [2] Eccli., VII, 8. — [3] S. Amb., oct. 17 in *Ps.* CXVIII.

« graviora, suscepit, et calumniis appetitus, silen-
« tium detulit triumphale. » Enimvero post prodi-
giosum illud miraculum, in resuscitatione mortui
quatriduani patratum, Judæi in conciliabulo illo
congregati fuerunt ad machinandam Christi mor-
tem : Ait enim sacer textus [1] : *Collegerunt Pontifices, et Pharisæi consilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Ac
tandem in hanc abierunt sententiam, ut illum
morti traderent : *Ab illo die cogitaverunt, ut interficerent eum.* Quam Synagogæ intentionem cum
penetrasset Judas, interrogavit illos, dicens : *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Hac autem traditione executioni demandata, ejusque Magistro
capto funibusque, et catenis in horto Gethsemani
vincto, ingenti cum lætitia captam prædam, primo
quidem in domum Annæ, postea vero in domum
summi Sacerdotis Caiphæ deduxerunt, ubi, ut dictum est in hoc tractatu, discursu primo, tanquam
reus mortis sententiatus fuit. At vero ut odium et
crudelitatem omnium tanto magis pascerent, diluculo sequenti plenum convocatum fuit concilium,
ut eum facerent ratificare, quidquid nocte illa
præterita confessus fuerat. Et hoc est, quod S. Matthæus Evangelista in verbis assumpti thematis vult
indicare, dum ait [2] : *Mane autem facto consilium inierunt*, etc. Salmeron ait [3] : « Id consulto
« fuisse factum, quo Christo a pluribus, et sæpius
« examinato, et in pluribus tribunalibus damnato,
« eo plus tegant malitiam suam. Deinde cum Domi-
« nus intempesta nocte captus fuisset, et coram
« Caipha præsentatus, et multi ex Senioribus, et
« principibus Sacerdotum senectute gravarentur,
« non est probabile, omnes nocturno examini in-
« terfuisse. » Idem quoque aliam quamdam reddit
rationem, ab aliis pariter assignatam, scilicet quod
sententia sub nocturnis tenebris pronunciata juxta
dispositiones legales non subsistat ; ac proinde de
Moyse in Exodo dicitur [4] : *Sedebat ut judicaret populum, qui assistebat Moysi a mane usque ad vesperam.* Et ideo Propheta quoque Regius Deum rogabat, ut negotio nocturno tempore discusso eum liberaret [5] : *A negotio perambulante in tenebris.*

**2.**— *Mane autem facto.* Lucas Brugensis inquit [6] :
« Nocte injuriose transacta, Principes, qui paulo
« ante diem discesserant, aut certe concilium sole-
« verant, summo mox mane iterum convenerunt,
« incredibili vigilantia, summoque studio et appe-
« titu interficiendi Domini. Cerne sollicitudinem
« Sacerdotum in malum, inquit Hieronymus ; pro-
« perarunt enim ne quid turbarum interveniret,
« quod cœptum facinus impediret, juxta illud
« Psalmi 31 : *Veloces pedes eorum ad effundendum*
« *sanguinem.* Concilium inierunt in eodem Caiphæ
« palatio, in quo nocte (hoc enim constat ex Joan-
« nis, XVIII, 28) non in domo Sanhedrin, loco judi-
« cii, quod quiquam dicunt, consueto, sito in
« monte templi. Non enim voluerunt Jesum extra
« Caiphæ domum ducere, plus quam necesse esset,
« ne forte a populo liberaretur. » Idem quoque
auctor sequens considerabile movet dubium, scili-
cet quodnam in eo latuerit mysterium, quod odio
implacabili contra Christum exæstuantes, ejusque
mortem quovis modo procurare volentes, nihilo-
minus ad illam juridice, seu per viam judicii
procedere decreverint. Et respondet : « Duplex
« causa fuit. Una, ut consulerent honori suo, ne
« enim viderentur homicidæ potius, quam læsæ
« pietatis ultores, formam voluerunt observare
« justi judicii. Nonnulla inquit Chrysostomus, mere
« judicis quærunt, ut habitum judicii, atque figu-
« ram insidiis prætexerent. Insidias suas, ait Victor
« in Marcum, tribunalis schemate palliantes. Altera
« causa quærendi testimonium principibus fuit,
« quod in morte Jesu inferenda utendum ipsis esset
« Pilati Præsidis opera ; abstulerant enim ipsis
« Romani facultatem omnem interficiendi, etiam
« eos, quos ipsi morte dignos legitime judicassent.
« Et quamvis Pilatum urgere cogitarent, ut con-
« tentus ipsorum examine, atque judicio, absque
« alia inquisitione Jesum in crucem agi juberet
« (prout fecerunt Joan. 18. v. 30. *Si non esset hic*
« *malefactor*, etc,) tamen sibi facile persuadebant,
« Pilatum non consensurum petitioni ipsorum, nisi
« constaret de crimine morte digno. »

**3.** — *Mane autem facto, etc.* Cajetanus observat,
quod ut Præsidem ad sententiam mortis contra
Christum pronunciandam inducerent, non sufficie-
bat hoc, quod apud Judæos sufficiens delictum
æstimabatur, quia Pilatus gentilis erat [1] : « Decre-
« verant igitur prius Jesum occidere (id est, noc-
« turno tempore) judicantes ipsum reum mortis ;
« sed executionis modum non habebant, executio
« siquidem non erat in potestate eorum, quia Ro-
« mani reservaverant Præsidi causas sanguinis, et
« propterea concilium inierunt de modo exequendi.
« Erat autem opus concilio, quia Præses erat ethni-
« cus, et parvi pendebat causas Judæorum, de
« transgressionibus legis Moysi. Cogitabant enim
« Judæi, volentes ut Pilatus occideret Jesum : Si
« petemus a Præside mortem Jesu, tanquam blas-
« phemi, non exaudiet nos, parvipendens hæc
« nostra ; at propterea oportet invenire modum,
« quo præsidem inducamus ad occidendum Jesum. »
In hoc igitur concilio illucescente diluculo multas
machinati sunt falsas accusationes, ut Jesum læsæ
Majestatis reum esse, Pilato persuaderent. Inter has
autem Cajetanus specificat sequentes : scilicet :

[1] JOAN., XI, 47. — [2] MATT., XXVI, 15. — [3] SALM., *ib.* — [4] EXOD., XVIII, 13. — [5] *Psal.* XC, 6. — [6] LUC. BRUG., *in Matt.*

[1] CAJET., *in Matt.*

« quod prohiberet tributa dari Cæsari; quod esset « seductor populi a Cæsare; sed præcipue reum « læsæ Majestatis: quod fundabant super hoc, « quod fecerat Jesus se Regem, dicendo se esse « Messiam et veniendo ante quinque dies in Jeru- « salem cum turba multa acclamante ipsum Re- « gem. » Lucas Brugensis processum a Caipha factum in duobus præcipue capitibus comprehendit, ex quorum primo ipsum mortis reum esse monstrarunt ex legibus suis; ex secundo vero capite ex legibus Imperialibus morte acerbissima et ignominiosissima necandum esse ostenderunt[1]: « Duo « enim Caiphas rogat, scilicet an sit Christus ille, « qui eatenus sit expectatus juxta promissa Dei; et « an si natura Filius Dei: Ægro enim animo ferens, « quod testes nihil objicerent alicujus momenti ad « ferendam in Jesum mortis sententiam, ipse, « cujus furori longa erat omnis mora, paucis cau- « sam absoluturus, totius negotii capita hæc duo « proponit. Omnis enim Principum erga Jesum fons « odii erat, quod Jesus plebeius et vilis homo (ut « ipsorum erat opinio: occupaverat enim eorum « animos perversus Jesu contemptus) pro Christo se « haberet, adeoque pro Filio Dei germano. Ex his « enim duobus capitibus proficiscebantur cætera, ut « quod absque illorum venia doceret populum, et « totum post se traheret mundum, quod traditio- « nes Seniorum minoris faceret, quod legis cere- « monias minus exacte observaret, denique quod « nec Principum ipsorum vitiis parceret. Propter « autem utrumvis horum eum censebant apud se « mortem dignum: nam quod se pro Filio Dei ha- « beret, judicabant blasphemum, utpote statuen- « tem plures Deos; quod vero pro Christo, reum « læsæ Majestatis, tum Cæsaris, tum Christi ali- « quando venturi. Sic enim pressi a Pilato explicare « causam, ob quam ipsum morte dignum arbitra- « rentur, duo illa objecerunt, quod prædicasset se « Christum Regem Judæorum, et ita contradixis- « set Cæsari; et quod se fecisset Filium Dei. »

**4.** — Erat et aliud quoddam obstaculum, quod ardenti ipsorum interjiciebatur siti, qua innocentissimi Agni sanguinem, quanto citius fieri posset, effundere desiderabant. Ex quo enim macellum hoc nequaquam in die festo instituere decreverant[2]: *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*; cur putas eos postea vires suas conjunxisse, ut, in maxime sestivo die (*Erat enim magnus dies ille Sabbati*) tanta cum violentia mortem ejus urgerent, et postularent? Respondeo quod ex quo tantam Jesum occidendi per viam traditionis Judæ opportunitatem præsto haberent, occasionem hanc nequaquam negligendam esse duxerunt aut tempus indulgendum, in quo se defenderet, vel alius quispiam ipsum tueri, aut salvare posset; ac proinde *mane facto, concilium inierunt, etc.* et ne furor ille penes populum concitatus, paulatim intepesceret, ipsimet in persona omnes ad sollicitandum Pilatum abierunt. Et tametsi tempore pascali Judæis minime liceret ulli hominum, etiam per sententiam, mortem inferre; imo ne, qui agnum Paschalem manducaturi erant, contaminarentur, ne pedem quidem suum prætorio Pilati inferre voluerint. Imo quod plus est, non solum ipsis illicitum erat, cuicunque hominum necem inferre, verum etiam ex consuetudine antiqua, sive privilegio, hanc a Romanis receperant gratiam, quod in die illo festo reum aliquem morte capitali plectendum liberare possent Et tamen quia ex altera parte, ob innumerum ex omnibus mundi nationibus congregatum populum, ignominiosissimam illi mortem infligere, poterant ad Christi crucifixionem supra modum anhelabant hocque desiderio instigati, unanimiter se contulerunt ad Præsidem, tanta cum vehementia mortem Christi urgentes; sciebant enim, Præsidem tanquam virum paganum, parvi facturum esse ceremonias et ritus Mosaicos: ac proinde illum a condemnando ad mortem Christo, ob festivitatem paschalem non fore retardandum. Hoc enim fine, ut Toletus observat, dixerunt[1]: *Nobis non licet interficere quemquam* « Judæis enim non licuisse in diebus Azymorum « ullum interficere, satis constat ex Actibus Aposto- « lorum. Malitiose autem judicium refutant, » inquit Toletus, « tanquam sibi in tanto festo prohi- « bitum. » Sed quo putas fine id fecerunt? « Ut « Christum crucifigant per Pilatum: Hoc enim « mortis genus non erat secundum legem, nec a « Judæis unquam observatum, sed Romanorum « erat. »

**5.** — Est et aliud motivum, cur Christum a Præside processari et condemnari voluerint, simile videlicet illi, quo novebantur, ut ad capiendum eum in horto Gethsemani Romanorum adhiberent cohortem. Sagaces namque et dolosi Judæi hunc in modum infra se ratiocinabantur; Quod si aliquis in populo exurgeret tumultus (quem non immerito metuere possumus; siquidem propter patrata ab ipso miracula multos e populo habet sui sectatores, præterquam quod quinque diebus ante cum olivis, et palmis ei occurrentes, tanquam Regi Israel acclamarint) tota culpa in Pilatum, non vero in nos redundabit; et tametsi populus ob prætensam condemnationis suæ injustitiam, exacerbatus remaneret, nos tamen ab hoc odio liberi erimus, si causam ejus ad supremum remiserimus judicem.

**6.** — Præterea, ut S. Thomas scribit, Hebræi adversus Salvatorem adeo exasperati erant ut mortem ejus voluerint esse non solum ignominiosam, verum etiam publicam, manifestam, et in conspectu infiniti populi inflictam; ac proinde tam sollicite cura-

[1] Luc. Brug., *in Matt.*

[1] Tole., *in Joan.*

bant, ut mortis sententia a tribunali omnibus aliis superiore pronunciaretur, quale tunc Præsidis tribunal erat, qui Cæsaris, mundi monarchæ, locum obtinebat. Salmeron aliam tangit mortis per crucifixionem illatæ causam, inquiens[1] : « Eorum fuit « consilium, ut servili crucis genere enecaretur, « ne ullus unquam ejus Discipulus surgere, aut « ejus doctrinam profiteri auderet, atque ita ex- « tingueretur Evangelium. »

**7.** — *Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum.* Nullibi profecto invenietis, quod principes in aliis occasionibus similibus ipsimet cum ministris, et executoribus justitiæ personaliter vadant ad associandum reum coram tribunalibus, ut condemnetur; hoc autem in persona Christi accidit, erant enim ibi congregati principes Synagogæ, seniores, magistratus, summi sacerdotes, scribæ et Pharisæi; udne S. Lucas inquit[2]: *Surgens omnes multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum.* « Multitudo venit, ait S. Bonaventura[3], ut quem ratione « superare non poterant, saltem vincerent mul- « titudine. » Enimvero mens illorum non erat, ut Pilatus formaret processum, sed potius speraban[4] illumdepositionibus illorum adhibiturum esse fidem; ac proinde S. Leo in sermone quodam ita scribit[4] : « Expetierunt executorem magis justitiæ, quam « arbitrum causæ. Offerebant enim Jesum duris « nexibus vinctum, colaphis, et alapis frequentibus « cæsum, sputis oblitum, clamoribus prædamnatum « ut inter tot præjuditium, quem omnes vellent « perire, non auderet Pilatus absolvere. » Salmeron similiter ait[5] : « Omnes simul, ut sic sua præsen- « tia, et multitudine terrerent judicem, et Jesum « invidia gravarent, et Pilatus damnationem Jesu « in aliam diem, sub prætextu melius cognoscendi « causam, non differret, et ne ullus pro Christo « surgere auderet, ipsis omnibus præsentibus. » Lucas Brugensis sollicitudinem considerat, qua cum summo diluculo, sine dilatione, omnes convenerunt ad concilium, et Christum ad Pilatum conduxerunt. Ita enim scribit[6] : « Mane summo omnes « totius concilii principes, et judices, non contenti « mittere Jesum, ipsi Pilatum præsidem adeunt, « ut Jesu a se unanimiter condemnati, subitaneam « crucifixionem extorquerent sua auctoritate sola « si possent, allatis autem pluribus causis, et præci- « pue quod se jactasset Christum Regem Judæo- « rum, ac proindeadmisisset crimen læsæ majestatis « Cæsareæ, si opus foret. » Enimvero Judæi vehementer timebant, ne per longiorem temporis moram, Christi manifestaretur innocentia; ac proinde tumultuose, et cum violentia crucifixionis sententiam e manu Pilati extorquere volebant : ita enim auctor quidam erga passionem Dominicam apprime devotus meditatur, inquiens : « Quam « præcipitanter ! Aliorum reorum neces saltem in « tertium differuntur diem ; Dominus nocte com- « prehenditur, mane offertur judici, hora tertia « diei damnatur, ad meridiem crucifigitur, hora « nona expirat, quasi ejus vita sit omnium perni- « cies. » Cessit autem eis feliciter, quod cautum esse cupiebant, scilicet ne ullus in ejus defensionem os suum aperire auderet; id enim in præsentia Concilii, et Synagogæ, contra Christi personam testificantium, nullus facere ausus fuisset. Unde Cajetanus ait[1]: Nullus comparuit coram Pilato « pro Jesu in toto illo passionis tempore. » Qui idem Cajetanus etiam deliberationes, in conciliabulo illo, summo mane habito, editas, his verbis indicat[2] : « Colligendo tracta in Concilio liquet, quod tracta- « verunt de crimine læsæ Majestatis, inponendo « coram Pilato ; et quod non mitterent Jesum ad « Pilatum, nec aliqui eorum irent, sed omnes con- « currerent ad hoc, tum ne Pilatus differret dam- « nationem Jesu, servando eum in carcere, ut plene « exerceret causam ; tum ne aliquis auderet favere « Jesu, ipsis omnibus præsentibus. »

**8.** — At vero dicet fortasse aliquis : ex quo inter eos, qui in hoc Concilio evenerunt, etiam Nicodemus, et Josephus ab Arimathæa fuere præsentes, una cum pluribus aliis occultis Christi sequacibus, cur igitur S. Lucas dixit : *Et omnis multitudo, etc.* Salmeron ad hoc respondit, dicens[3] : « Expende, « *omnis* : etiam si reclamasset Nicodemus, Joseph « et Gamaliel, sed sicut aquæ stilla in ardentem « ignem conjecta statim extinguitur : ita paucorum « testimonia multitudine aliorum obruebantur, im- « pleveruntque verbum illud de Agno : *Immolabit- « que eum universa multitudo filiorum Israel.* » Verum enim vero ex quibusdam S. Thomæ doctoris Angelici verbis colligi posse videtur, qnod neque hi prædicti Nicodemus, Joseph, et Gamaliel eo fuerint animi robore muniti, ut vel Christum defendere, vel injustitiæ Concilii sese opponere aliqua ratione auderent ; ait enim sanctus doctor[4] : « Si « enim, unus, vel duo excusabile esset, sed omnes. » Apud Isaiam de populo Hebræo dicitur[5] : *A planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas.* Celebre quoque est illud Psalmistæ oraculum propheticum[6] : *Quare fremuerut gentes, et populi meditati sunt inania ? Astiterunt Reges terræ et Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* Cum enim Filius Dei Redemptionem suam indifferenter ordinarit pro omnibus, utpote qui[7] *vult omnes homines salvos fieri ;* consequenter etiam Hebræos pariter, et Gentiles aliquam in morte sua partem habere disposuit voluitque tam ab Ecclesiasticis, quam a secularibus condemnari suum,

[1] SALM., t. X, tr. 24. — [2] LUC., XXIII, 1. — [3] S. BON., *in Luc.* — [4] S. LEO, s. 8 *de Pass.* — [5] SALMER., *ib.* — [6] LUC. BRU., *in Matt.*

[1] CAJET., *in Joan.* — [2] ID., *in Luc.* — [3] SAL., *in Luc.* — [4] S. THOMAS. — [5] ISA., I, 6. — [6] *Ps.* II, 2. — [7] TIM., II, 4.

que sanguinem concorditer ab universo populo veluti sitibundo postulari, ut hac ratione, prout is suo loco dicetur, universim ad omnes fructus Redemptionis suæ derivaretur.

## DISCURSUS X.

DE FALSA JUDÆ PŒNITENTIA ET DESPERATIONE, DEQUE DENARIIS AB EODEM RELATIS, QUIBUSCUM PEREGRINORUM SEPULTURA COEMPTA FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1-2. Quare pœnitentia Judæ non fuerit vera et a Deo acceptata. Veræ pœnitentiæ conditiones et requisita. Pœnitentia Judæ per omnes partes fuit defectuosa. — 3. Judas vendidit Christum pro vilissimo pretio. — 4. Taxatur impietas sacerdotum, Judam rejicientium. — 5. Judas desperatus maluit se suspendere quam a Christo veniam petere. Cur Judas potius laqueo quam alio modo vitam finire voluit. Fuit etiam murmurator. Fuit abusus gratia Dei. Judas fuit primus qui indigne communicavit. — 6. Quare sacerdotes pretium emptionis Christi in Gazophylacium noluerint mittere. — 7. Eadem materia.

*Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum pœnitentia ductus.* Matth., XXVII.

**1.** — Enimvero tametsi funesta hæc desperationis et infructuosæ pœnitentiæ Judæ tragœdia, nec non alia omnia, quæ in ordine ad hanc historiam examinari possent, multos sine dubio paritura fuissent discursus; verumtamen quia de negatione Petri tractantes, nonnihil stylum contraximus, operæ pretium futurum esse duxi, si etiam præsentem materiam nonnihil arctius limitaremus, ut tanto magis nos in mysteriis, passionem Redemptoris proximius attingentibus extendere valeamus.

**2.** — Judas certior factus, quod Magister ipsius, tam nocturno tempore, quam sub diluculum matutinum, a pleno concilio unanimiter ad mortem fuisset condemnatus, eoque fine omnes concilii primores, eum ad Pilatum usque in persona propria comitatos fuisse, ut eum ad ignominiosissimum crucis supplicium exequendum exstimularent; mox horrendæ traditionis suæ pœnitens, triginta argenteos retulit in templum, iisque ibidem projectis, Christum innocentem esse, seque viri justi et sancti sanguinem vendidisse est protestatus : *Pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos.* Porro apud Ezechielem sequens ex parte Dei stipulata legitur promissio : [1] *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit judicium, et justitiam, ipse animam suam vivificabit.* Cujus promissionis infallibili supposita veritate, haud immerito quærendum venit, cur Judas, qui, ut Matthæus testatur, pœnituit : *Pœnitentia ductus;* quia pecuniam ex iniquo contractu receptam restituit : *Retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum;* qui crimen suum confessus est, dicendo : *Peccavi*; qui bonam famam Christo detractam integre restituit, fatendo illum innocentem et dicendo : *Tradens sanguinem justum*; cur, inquam, plenariam absolutionem non receperit, sed damnatus fuerit, et de salute sua desperaverit? Numquid vera pœnitentia a S. Augustino hunc in modum definitur [1] : « Est « quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod « dolet commisisse? » Unde quinque præcipuæ eruuntur veræ pœnitentiæ conditiones : Quarum *prima* est, displicentia de Deo offenso. *Secunda* firmum propositum, Deum amplius non offendendi, cavendique omnes peccati occasiones. *Tertia* est viva spes, se per merita sanguinis Filii sui in gratiam a Deo esse suscipiendum. *Quarta* est sincera culpæ confessio. *Quinta* denique conveniens satisfactionis, exsolutio. Respondeo : verum quidem est, pœnitentiam hoc modo definiri a S. Augustino jamque adductas veræ pœnitentiæ conditiones probe esse enarratas; at vero pœnitentia Judæ ab omnibus hisce conditionibus defecit. Et quidem in prima defectum commisit, quia dolor ejus non fuit supernaturalis; non enim magistrum suum Filium Dei esse agnovit, sed solum hominem quemdam summa bonitate conspicuum, doluitque ex eo præcipue motivo, quia tam indignam actionem quoad mundum commisit : *Pœnitentia ductus*, ut inquit Hugo Cardinalis [2] « non « propter amorem Dei, sed magis propter factum « enorme. » Defecit quoque in ipso stabile Deum amplius non offendendi propositum, siquidem ipsum gravius insuper per suam desperationem offendit, quam antea per traditionem fecisset. Unde S. Hieronymus super illa verba Psalmi : *Oratio ejus fiat in peccatum,* ita scribit : « Pœnitentia Judæ pe« jus peccatum factum est. Quomodo pejus pecca« tum factum est? Ivit et suspendio periit. Pro « clementia Domini hoc dico, quia magis ex hoc « offendit Dominum, quia se suspendit, quam « quod Dominum prodidit. » Præterea pœnitentia Judæ defectibilis erat in eo, quia scilicet condonationem a Christo sibi faciendam non speravit; cujus contrarium Petrus præstitit, qui lacrymas suas a benigno magistri sui obtutu animatas, ipsum ad optatum plenariæ indulgentiæ portum perducturas esse confidit. Et merito, nam ut S. Leo de Redemptore nostro scribit [4] : « Dominus in cruce non « frustra oravit, dicens : *Pater, dimitte illis, quia* « *nesciunt quid faciunt*; quod remedium nec te « Juda transiret, si ad eam pœnitentiam confu« gisses, quæ te revocaret ad Christum, non quæ « instigaret ad laqueum; dicendo enim : *Peccavi,* « *tradens sanguinem justum*, in impietatis tuæ

[1] EZECH., XVIII, 7.

[1] S. AUG., lib. *de Vera et falsa pœnit.* — [2] HUG. CAR., *in Matth.* — [3] S. HIER., *in Ps.* CXVIII, 7. — [4] S. LEO, ser. 5 *de Pass.*

« perfidia perstitisti, quia Jesum non Deum Dei « Filium, sed nostræ tantummodo conditionis ho- « minem, inter extremum mortis tuæ periculum « credidisti; cujus flexisses misericordiam, si ejus « non negasses omnipotentiam. » S. Fulgentius similiter quamdam tradit doctrinam, ex qua in Juda vivæ spei defectum fuisse clare arguitur; ait enim [1]: « Salubris conversio duplici ratione con- « sistit, si nec pœnitentia sperantem, nec spes « deserat pœnitentem; » quorum neutrum Judas præstitit. Defecit quoque pœnitentia Judæ in sceleris sui confessione, quia cum sciret, summos sacerdotes, magistratus, principes synagogæ, cunctosque alios, quibuscum iniquum mercatum contraxerat, jam de facto magistrum suum ad Pilatum perduxisse, ut ejus, tanquam malefactoris, apud eumdem mortis condemnationem procurarent; utique ad domum Pilati abire debebat, non vero ad templum, ut iniquitatem suam et Christi innocentiam manifestaret, et totus confusus, pedibusque Christi advolutus, delicti sui humiliter exposceret veniam. Fuit denique hæc pœnitentia defectuosa, ob non restitutam bonam famam ei, cui restitui debebat, quia verisimile est, quod ad colorandam traditionem suam, multas contra magistrum suum machinatus fuerit imposturas, ut proinde necessarium fuerit illas retractare, non vero triginta argenteos in templum ad sacerdotes deferre; quia ut Salmeron advertit [2]: « Defecit in restitutione, « quia pecunia per simoniam acquisita, non est « reddenda emptori, qui propter peccatum admis- « sum eam perdidit. »

**3.** — *Peccavi, tradens sanguinem justum.* Enimvero sanguinem Filii Dei (cujus una dumtaxat stilla mille mundis redimendis sufficiebat) vendidit pro triginta denariis, cum tamen caput asini in Samaria octuaginta argenteis fuisset comparatum. Porro is qui vendebatur, erat ille, de quo Apostolus testatur, inquiens : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei.* Et tamen tam exiguo illum pretio venalem exhibuit, ut ne quidem pretium pro illo postularit, sed eorum indiscretioni remiserit, qui sanguinem Filii Dei adeo sitiebant, ait enim : *Quid vultis mihi dare?* Ubi S. Hieronymus ait [3] : « Infelix Judas, damnum, quod ex effu- « sione unguenti se fecisse credebat, vult magistri « pretio compensare; nec certam tamen postulat « summam, ut saltem lucrosa videretur proditio, « sed quasi vile tradens mancipium, in potestate « ementium posuit, quantum vellent dare. » Observandum quoque est, quod homo sit ille, qui Deum vendit. At vero quamnam homo, qui vermis est, auctoritatem habet in Deum infinitæ Majestatis, ut eum vendere possit? Quod dominus servum et mancipium suum vendat, nihil est peregrinum, et facile intelligitur fieri posse; at vero quod mancipium dominum suum divendat in servum, quis idipsum abhinc intra quinquies mille annos unquam audivit? Porro Deus argentum sub pedibus hominis in terræ fodinis reposuit, ne tyrannidem ipsius et dominium pati cogatur; at vero hodie repertus est homo, qui illud majori in pretio, quam Deum ipsum habebat; siquidem ex nimia argenti cupiditate Deum suum vendere præsumpsit : *Constituerunt ei triginta argenteos.* Argentum vero istud suffecit, ut a vilissima lictorum fæce conculcaretur. Porro S. Bernardinus Judæ obstinationem et duritiam, qua se convertere noluit, unice huic tam vili thesauri cujusdam adeo pretiosi æstimationi attribuit; ait enim [1]: « Christum Judæis vendiderat, « tanquam venale mancipium et vili exposuit pre- « tio coram Judæis hominum vitam. Ex quo tam « diram et duram perversi propositi obstinatio- « nem incurrit, ut nec familiaritate contubernii, « nec humilitate obsequii, nec suavitate colloquii « a concepta malitia potuerit revocari. »

**4.** — *Quid ad nos? tu videris,* responderunt ei sacerdotes. Lucas Brugensis impietatem horum sacerdotum his verbis demonstrat [2] : « Etsi nihil ad illos « negotium pertinuisset, tanquam socios, aut par- « ticipes sceleris; non poterat tamen non pertinere « ad ipsos, tanquam ad Pastores populi. Nam ut « hujusmodi, debebant oviculam confractam alli- « gare, abjectam reducere, de peccato anxiam con- « solari et bono animo esse jubere, quod vel non « peccasset, quia ipsi, quibus Reipublicæ cura in- « cumbebat, scirent, quam innoxius hactenus fuis- « set Jesus; vel si ipse forte perfidia in magistrum « peccasset, facile peccati veniam a Deo obtinen- « dam; ob blasphemiam autem et crimina Jesu « mortem sibi esse procurandam, ut auferatur ma- « lum de medio Israel. Sed nihil illi hujusmodi. « Quin potius de communi suo et ipsorum peccato « anxium a se rejiciunt, ad desperationem adigunt « perditam oviculam pastores populi, dura illa « sua et iniqua responsione. » Nimirum sufficiebat illis, quod prædam adeo desideratam intra manus suas positam possiderent, cæterum parum illis cordi erat, si miser hic tanquam desperatus ad laqueum sese necaturus properaret. Observandum vero est, quod desperatus Judas corpus suum ad furcam suspenderit, animam vero suam diabolo tradiderit et denarios in templum projecerit. Quis hic reprobi istius non videt perversionem? Denarios enim, qui causam ruinæ suæ extiterant, ad patibulum deferre debuisset, ipse vero humilis et pœnitens ad domum Dei properare, ibidemque jugiter perseverare, donec divina misericordia ejus illi condonasset delictum. At vero, ut Drogo sapienter notat, singulari cum mysterio argentum ad

[1] S. Fulgent., ep. 7, c. 5. — [2] Salm. — [3] S. Hier., *in Mat.*

[1] S. Bern., t. I, s. 5, a. 2, c. 1. — [2] Luc. Brug., *in Matt.*

templum detulit, quia illud idololatrice loco Dei habuit et adoravit, et ideo illius securitati consulere voluit, parum de anima sua sollicitus.

5. — *Et abiens, laqueo se suspendit.* Circa hæc verba Euthymius ita scribit[1] : « Peccatum coram « omnibus confiteri, ac projicere argenteos, resi- « piscentiæ fuerunt; laqueo vero se suspendere, « desperationis. Agnovit siquidem et pœnituit eum, « ac confessus est; veniam autem ab eo, qui hanc « dare poterat, non requisivit. Neque enim per- « misit eum diabolus sic pœnitentia duci, quod ad « Christum iret, ad quem peccaverat; sed hunc « ante perfectam pœnitentiam abduxit, utpote « conscientiæ remorsum non ferentem. Cum ergo « ad hunc clementissimum confugere oportet, ille « ad mortem potius confugit, ut a desperata tristi- « que vita citius liberaretur. Et neque id continuo « assecutus est, prout cupiebat, agnitus enim a « quibusdam, depositus est, ne prefocaretur. Deinde « postquam in secreto quodam loco modico vixisset « tempore, præceps factus, sive præcipitatus, in- « flatus, diruptus, ac diffusus est medius et effusa « sunt omnia viscera ejus, sicut ait Liber Acto- « rum. » D. Chrysostomus ait[2], quod astutus serpens, qui cor proditoris possidebat, advertens quod traditor *pœnitentia ductus,* de crimine patrato dolere inciperet, simulque considerans, quod magister ejus adeo esset mansuetus et injuriarum receptarum immemor, ut sicut in ipso actu traditionis ipsum osculatus fuit, et amicum appellavit, ita multo magis resipiscentem, et pœnitentem misericorditer recepisset in gratiam, omnibus viribus eum prævenire conatus est, ipsum deterrendo et efficiendo, ut totalem veniæ diffidentiam ac desperationem conciperet; quemadmodum circa Cain primum reprobum fecerat, qui dixit[3] : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Enim vero cur potius desperatam sibi mortem accersiverit per insertam collo restim, seu laqueum, quam per aliud instrumentum, Drogo Hostiensis his verbis declarat[4] : « Jamdiu a Christo recesserat et ava- « ritiæ laqueo se suspenderat; sed quod facerat in « occulto, palam omnibus innotuit. » Quibus verbis ad avaritiam alludit, cui Judas fuerat immersus; hæc enim ab Apostolo *laqueus diaboli* appellatur[5] : *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli.* Et vero præter avaritiam, quæ Judam ad clam rapiendas multas eleemosynas, pro collegii Apostolici sustentatione ministratas (quod non solum furtum, sed etiam sacrilegium erat) induxit, impius hic traditor insuper alio quodam vitio, Christo summe exoso et ab eo sæpius reprehenso, contaminatus fuit; hypocrisi videlicet; siquidem insuper pelle ovina se vestiens, ejusdem cum aliis Apostolis conditionis se esse monstrabat, cum tamen interius lupus rapax esset. Prædicabat, animas convertebat, patrabat miracula, adeoque secundum exteriorem apparentiam perfecte et virtuose vivebat, ut nullus unquam coapostolorum suorum quidquam mali, quantumvis minimum, de eo suspicari potuerit. In illa unguenti pretiosi effusione, a Magdalena facta, zelum charitatis erga pauperes adeo ferventem exhibuit, ut etiam in opinionem suam alios sibi attraxerit Apostolos, licet, ut Evangelista notat, idipsum ex instinctu fecerit avaritiæ. Et ideo ex sententia æternæ veritatis de ipso verificabatur, quod de eo dictum fuerat[1] : *Unus ex vobis diabolus est.* Habebat quoque connaturale sibi vitium murmurationis, adeo ut in hac occasione (et credibile est, quod etiam in aliis similibus occasionibus) bonæ famæ cœlestis Magistri sui detrahere præsumpserit, culpando ipsum, tanquam indiscretum et delicatum; idque in multorum aliorum præsentia; eo quod tam pretiosi unguenti effusionem non impedivisset[2] : *Ut quid perditio hæc?* quæ verba in magnum Christi tendebant contemptum. Murmuravit quoque contra Magdalenam, adeoque suam probavit temeritatem et arrogantiam, ut vere esse cognosceretur de numero eorum, de quibus Psalmista ait[3] : *Posuerunt in cœlum os suum et lingua eorum transivit in terra;* siquidem ipsemet Spiritus veritatis effecit, ut S. Joannes occultam ejus hac in re detegeret malitiam[4] sub pallio pietatis contectam. Causa pariter præcipitii ipsius fuit abusus gratiarum, quas Salvator noster benigne ei impertitus fuerat. Unde S. Cyrillus Alexandrinus ait[5] : « Qui modo in eadem mensa cum Christo cœnabat, « qui sanctum ejus panem cum aliis comedebat, « qui ad pietatem exhortantem Christum audiebat, « qui denique illud percepit : *Unus vestrum me « tradet;* ipsa mensa exiliens, cursu ad mercedem « abiit Judæorum, non pietatis verborum recorda- « tus, totius spei futuræ oblitus, nullam datæ Apo- « stolis a Christo dignitatis curam gerens, ac (ut « uno verbo dicam) omnibus bonis tam parvum et « vile præponens argentum, rete ac laqueus diabo- « licus Christo factus est. » Non defuit pariter, qui meditaretur, Incarnatam Sapientiam specialiter lotionem pedum Apostolicorum instituisse eo fine, ut per tantæ humilitatis et mortificationis actum, Judam lucraretur, ac proinde ab ipso lotionem inchoasse; alias enim exemplo Petri pedum suorum ablutionem abnuere potuisset, præterquam quod modus, quo S. Joannes lotionem hanc refert, id satis insinuet; ait enim sacer Textus[6] : *Venit ergo ad Simonem Petrum,* quasi Evangelista dicere voluisset, Christum prius lotionem incepisse ab alio quodam, qui nullam ei fecisset resistentiam. Verum

[1] Euthym., c. 67 *in Matt.* — [2] D. Chrysost., hom. 10 *de pœnit.* — [3] Gen., iv, 13. — [4] Drog. Host. *de Sacr. Dom. Pass.* — [5] II Tim., vi, 9.

[1] Joan., vi, 71. — [2] Matt., xxvi, 8. — [3] *Ps.* lxxii, 9. — [4] Joan., xiii, 29. — [5] S. Cyr. Alex., l. XI *in Joan.* — [6] Joan., xiii, 6.

enim vero quid de ejus impudentia dicemus, qua, conscientia diabolica obnoxius, ipse quoque cum aliis ad mensam Eucharisticam accessit : *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas?* Vere quoad illum adimpletum fuit illud Propheticum oraculum [1] : *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.* Unde S. Augustinus ait [2]: « Panis iste por-
« rectus a Christo et indigne receptus a Juda, fe-
« cit ex merito Christus, ut major esset licentia
« super eum diabolo. » Nimirum infallibilis Dei Providentia disposuit ut in terrorem omnium fidelium, primus qui indigne communicavit, morte pessima vitam suam clauderet; ut videretur verissimum esse, quod postea S. Paulus scripsit [3] : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Petrus Blesensis in epistola quadam ait [4] :
« Verbum quippe Gregorii est : Qui Christi corpus
« indigne conficit, Christum tradit, ut Christus
« dum traditur dicat : *Ecce manus tradentis me,*
« *mecum est in mensa.* » Aphorismus est medicorum : *Corruptio optimi pessima.* Unde cœlestis ipsius Magister per os Psalmistæ in hæc verba prorupit : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique* [5] : *tu vero notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Verissimum quidem est, quod idem Psalmista ait [6] : *Cum perverso perverteris et cum viro innocente innocens eris*; et tamen licet hic traditor multo tempore arcta fuisset familiaritate conjunctus cum illo, cui Angeli acclamant : *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; licet etiam cum aliis Apostolis, in schola quadam tantæ sanctitatis, fuisset conversatus, nihilominus immane hoc impietatis monstrum egressum fuit. At vero justo Dei judicio condignum retulit supplicium, nam ut S. Leo ait [7] : « Iniquitatem, quam in sanctorum
« omnium armaveras caput, in tuum verticem re-
« torsisti, ut, quia facinus tuum omnem mensuram
« ultionis excesserat, te haberet impietas tua judi-
« cem, te pateretur tua pœna carnificem. »

**6.** — *Acceptis argenteis dixerunt : Non licet eos mittere in corbonam,* etc. S. Leo hanc delicatam sacerdotum conscientiam admiratus, in alio quodam sermone ita scribit [8] : « Pretium quod vobis Christi
« venditor reportavit, mitti in gazophylacium no-
« luistis, caventes scilicet, ne sacros loculos pecu-
« nia cruenta pollueret. Cujus cordis est ista simu-
« latio? Sacerdotum conscientia capit, quod templi
« arca non recipit. » S. Anselmus similiter hunc illis improperat scrupulum, utpote qui minime curabant populi dare scandalum. En verba ipsius [9]:
« Væ illis colantibus calicem et camelum glutienti-
« bus! si enim ideo non mittunt pecuniam in cor-
« bonam, id est, in gazophylacium inter dona Dei,
« quia pretium sanguinis est, cur ipse sanguis
« effunditur? Et quid emolumenti habere potue-
« runt apud Deum, si agrum ex ipso pretio eme-
« runt, ad sepeliendos peregrinos? » S. Hilarius contra indiscretos hosce sacerdotes hunc in modum discurrit [1] : « Profecto audax atque cæca est. Emisse
« se justi sanguinem audiunt et extra judicii rea-
« tum futuros se esse credunt. Porro sacerdotes
« Judæ dixerunt : Quid ad nos? Tu videris; at vero
« non poterant negare, se vitam Christi triginta
« emisse denariis; ergo pariter se traditionis ipsius
« participes fuisse negare non poterant, cum ta-
« men dicendo : Tu videris, facinus ipsum in ven-
« dendo constituatur, contra autem vendentis testi-
« monio scelus ementium confirmetur. » S. Thomas specificat in quonam positus fuerit hic scrupulus quo sacerdotes illi hanc monetam gazophylacio inferre formidabant; quia scilicet in illud solum reponi solebant oblationes, quæ gratis fiebant [2] : *Oblatio gratificationis, vel domum gratiæ.* Porro dum hi sacerdotes asserebant, argentum hoc in corbonam mittendum non esse, quia scilicet pretium sanguinis erat, pariter confitebantur, Judam commisisse delictum, factumque fuisse homicidam; se autem in eodem scelere communicasse, minime considerabant.

**7.** — *Emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Euthymius inquit [3] : « Multo melius eis fuis-
« set, hos in Corbonam misisse; nequaquam enim,
« quod perpetratum est, adeo divulgatum fuisset :
« Ipsi vero ad redargutionem fœdi homicidii sui
« agrum emerunt, cujus nomen tuba clarius illud
« publicaret. » Ludolphus Carthusianus malignum Sacerdotum finem detegit, ob quem ex pecunia traditoris agrum in sepulturam peregrinorum emerunt, scilicet ad majorem Christi infamia; ita enim scribit [4]: « Quod fecerunt, non in misericordiam, sed
« in Salvatoris infamiam, simulando pietatem, et
« intendendo iniquitatem, ut longe lateque diffama-
« retur emptio; et propter hoc addita est impositio
« nominis, et vocatus est ager sanguinis, id est
« pretio sanguinis, ut esset frequens rememoratio
« facti in detestationem nominis Christi. » Idem auctor postquam situm, in quo demum in honorem Sanctorum omnium Ecclesia quædam fabricata fuit, exposuisset, sequens subdit morale mysterium [5]. « In hoc quod de pretio sanguinis emerunt
« hortum in sepulturam peregrinorum, mystice
« datur intelligi, quod Christus per suum sangui-
« nem nobis peregrinis emit quietem perpetuam. »
S. Anselmus aliud quoddam hujus insinuat sacramentum dicens [6] : « Magnum Sacramentum est in factis iniquitatis. Figulus est Deus, in cujus manus
« est, ex eodem luto facere vas in honorem, vel in

[1] *Ps.* LXVIII, 23.— [2] S. AUG., s. 28 *ad frat.*— [3] I COR., II, 29. — [4] PETR. BLESENS., ep. 123. — [5] *Ps.* LIV, 13. — [6] *Ps.* XVII, 27. — [7] S. LEO, s. 2 *de Pass.* — [8] ID., *ib.*— [9] S. ANSEL., *in Matt.*

[1] S. HILAR., can. XXI *in Matt.* — [2] S. THOM., *ib.* — [3] EUTHYM., c. LXVII *in Matt.* — [4] LUD. CARTH., p. 2, c. 61. — [5] ID., *ib.*

« contumaciam ; ager ejus est sæculum, quod uni-
« versum pretio Christi emitur, ut omnes ei com-
« mortui sepeliantur peregrini, non utique Israe-
« litæ, sed alieni, qui in pretio sanguinis Christi
« sepulti, æternam requiem sortientur. » Porro du-
bitatur a nonnullis, pro quibus peregrinis per hanc
pecuniam sepulturam comparare voluerint : cum
enim peregrini illi distincte quoad nationes non
specificentur, credi poterat, hanc curam spectasse
peregrinos Hebræos, qui ex variis mundi regioni-
bus Jerosolymam proficiscebantur ad templum,
præcipue vero in solemnitate Paschali, quorum ea
occasione multi ibidem moriebantur ; credibile
tamen etiam videtur, quod gentilibus quoque de
sepultura prospectum esse voluerint (quorum
multi se eo propter interesse proprium recipiebant)
ne scilicet ex una parte ossa illorum cum Hebræo-
rum ossibus commiscerentur, ex altera vero parte
etiam insepulta non manerent; id quod etiam
verisimilius esse videtur ratione mysterii. Qua de
re audiatis velim Lucam Brugensem in hæc discur-
rentem verba [1] : « Probabilius est, de Ethnicis hic
« esse sermonem. In locum destinatum sepulturæ
« Gentilium, quos Jerosolymis mori contingeret, ex-
« pensum fuit pretium sanguinis Jesu, Deo permit-
« tente, ut significaretur, sanguinem Jesu Gentili-
« bus magis, quam Judæis profuturum, ut sepeli-
« rentur, et requiescerent in pace. » Etenim certum
est, sanguinem a Redemptore effusum, Gentilibus,
qui in Hebræorum locum sustituti fuerunt, multo
magis fuisse proficuum ; hi enim a S. Petro ad
fidem conversi, peregrinorum nomine fuere appel-
lati [1] : *Obsecro vos tanquam advenas, et peregrinos, etc.* In sermone quodam sancti Maximi, qui libris
S. Augustini insertus reperitur, hæc verba legun-
tur [2]: « Peregrinis, qui erant sine domo, sine patria,
« et toto orbe exules jactabantur, requies Christi
« sanguine providetur, ut, quibus non est in Mundo
« possessio, sit in Christo sepultura. Christianus
« enim qui Mundum non possidet, hic totum pos-
« sidet Salvatorem. »

[1] Luc. Brug., *ibid.*

[1] I Petr., II, 1. — [2] S. Maxim., ser. 48 *Append. S. Aug.*

# TRACTATUS QUARTUS

## DE IIS QUÆ CORAM PILATO ET HERODE CIRCA CHRISTUM GESTA SUNT.

### DISCURSUS I.

QUANTA FUERIT JUDÆORUM, CHRISTUM CORAM PILATO VELUT MALEFACTOREM, ACCUSANTIUM, CALUMNIA, OSTENDITUR.

Idea sermonis. — 1. Pilato non sufficiebat examen et condemnatio sacerdotum et pontificum sed ipsemet examinare voluit et discutere causam Christi. Hi adduxerant non ad examinandum, sed ad occidendum sine examine Christum Dominum. — 2. Prima falsitas et impostura fuit, quod Christum dedecoraverint nomine malefactioris. — 3. Judæi Christo necem machinabantur, non tanquam ipsorum malefactori sed benefactori. Beata Virgo spem aliquam habuit Christum a congregata plebe a Judæorum liberandum fore. — 4. Pilatus conatus fuit defendere causam Christi, ejusque innocentiam tueri. Christus fuit perpetuus benefactor. — 5. Judæi videntes Pilatum ad Christi liberationem inclinatum, magis exacerbati, majori ira efferbuerunt.

*Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Joan., XVIII, 38

**1.** — S. Joannes Evangelista, qui amaræ Passionis cœlestis Magistri sui oculatus testis fuit, refert quod cum invidiæ veneno intoxicati Hebræi Christum a domo Caiphæ concorditer quidem, sed tamen tumultuose, ad prætorium usque Pilati perduxissent, adeo tamen fuerint scrupulosi, ut suum in dictum prætorium pedem non intulerint, sed foris permanentes (*Non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*) condemnationis, ab ipsis contra Salvatorem pronunciatæ, impetrarent executionem. Præses autem foras egressus, interrogavit eos : *Quam accusationem affertis adversus hominem istum ?* « Scivit enim Pi-
« latus, consuetudinem esse Romanis, inquit Dionysius Carthusianus [1], « ut neminem damnarent ad
« mortem, nisi præsentes haberent accusatores. »

[1] Dio. Cart., *in Matt.*

Hic autem totidem quidem præsentes erant accusatores, quot in innumerabili illa Hebraismi multitudine erant homines, agni innocentissimi sanguinem ardenter sitientes; at vero, ut Lucas Brugensis bene advertit[1]: « Ipsis detrectantibus partes accusa« torum, qui judicium functi fuissent, urgentibusque « ut Pilatus interficeret, quem ipsi morte dignum « judicassent, renuit Pilatus, donec ipsi declararent, « quid criminis esset in viro. » Etenim vero ipsi sibi persuasum habebant, futurum esse, ut quia magistratus, principes Synagogæ, seniores, summi Sacerdotes, imo et concilium synedrin tantæ auctoritatis, et æstimationis personaliter accessissent, Christumque ab eis mortis reum judicatum fuisse testificarentur, ex solo hoc testimonio Præses permovendus esset, ut eum occidi jubebat; ac proinde absque eo quod qualitatem exprimerent delicti, propter quod eum mortis reum pronunciaverant, dixerunt : *Si non esset hic malefactor non tibi tradidissemus eum.* « Adierunt ipsi per se Præsidem, » inquit Lucas Brugensis [2], « simul, ut auctoritate præ« sentiæ omnium, populus cohiberetur, ne quid in « itinere tentaret ad liberandum Jesum. Iterum, ut « Pilatus urgerentur, qui absque mora, et causæ in« dagine, mox juberet affigi cruci, quem ipsi, « causa exactissime cognita, morte dignum omnes « unanimiter judicaverunt. Denique ne quis apud « Pilatum auderet favere Jesu, ipsis omnibus, qui « eum condemnaverant, præsentibus. Metuebant « enim alioquin, ne si ipsi vel abfuissent omnes, « vel pauciori numero venissent, Jesum Pilatus ad « preces aliquorum (ut multi erant ipsius fautores) « liberasset : Aut minimum, donec ejus merita per« fectius examinasset, in carcerem conjecisset, et « supplicium distulisset, quem ipsi statim, ne ali« quid obstaculi intercideret, cupiebant interemp« tum. » Hactenus Lucas Brugensis; qui idem super illa verba S. Marci [3] : *Duxerunt, et tradiderunt Pilato,* inquit [4]: « Tradiderunt occidendum; non exa« minandum, aut judicandum; nec enim mens illo« rum erat, ut Pilatus cognosceret causam Jesu, sed « ut ab ipsis condemnatum, sibique traditum mox « interficeret, ut cujus causam ipsi plus satis exa« minassent. Ut vellet executor esse justitiæ, non « arbiter causæ, inquit Leo. » Salmeron circa illam Pilati interrogationem : Quam accusationem affertis, etc. ita scribit [5] : « Pilatus, ut probus Judex, « primum petit de crimine, et non simpliciter, sed « via accusationis, quæ in scriptis de jure exhiberi « debebat, unde in Decretis recte statuitur : Accu« satorum personæ nunquam recipiantur sine « scriptis, quia scilicet, quæ verbotenus dicuntur fa« cile e memoria elabuntur in judicio. » Nicodemus Princeps Synagogæ sequens de lege Mosaica perhibet testimonium : *Nunquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit quid faciat?* De Romanis pariter Fessus in Actibus Apostolorum dixisse legitur [1] : *Non est Romanis consuetudo, damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Unde Pilatus præsentes habens Hebræos, ac integri judicis partes exercere volens, Principes Synagogæ et summos Sacerdotes, etc. eorumque petitionem admittere noluit; bene tamen illos tanquam accusatores auscultare paratus, eosdem interrogavit : *Quam accusationem affertis, etc.* Qui proinde se coarctatos videntes, responderunt : *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Lucas Brugensis illo per hoc verbum *malefactor,* de Christo dicere voluisse censet [2]: « Est maledicus, sceleratus, « morte dignus, et hoc nobis constat, post rem dili« gentissime examinatam. » Idem quoque se reflectit ad præsumptionem et arrogantiam, qua Pilato dicere voluisse videntur : *Nos religiosissimi Sacerdotes, Scribæ in lege doctissimi, Seniores vitæ integritate spectatissimi, et Synedrium universum, Judices populi Israel incorruptissimi, non tibi tradidissemus eum, nisi esset hic malefactor,* et morte dignus : videbantur enim lamentari velle contra Pilatum, utpote auctoritati ipsorum tam exiguam fidem adhibentem, et sine prævio examine ad executiones sententiæ, contra Christum ab ipsis pronunciatæ, procedere nolentem. Unde idem Lucas Brugensis ait : « Oblique de Pilato conque« ruutur quod non satis confidat eorum probitati, « quasi fide digni non essent. Ergone gens justa, « et populus innocens, nullum nisi malefactorem « tradere, aut occidere consuevistis? » Audiamus hac de re eum, qui plenus Spiritu Sancto, et consequenter testis veridicus erat, in hæc verba loquentem [3] : *Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? et occiderunt eos, qui prænunciabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores, et homicidæ fuistis.* Unde Theophylactus ait [4] : « Vides eos om« nino declinare accusationes; erant enim ipsi sibi « conscii invaliditatis eorum, de quibus vellent ac« cusare. »

**2.** — *Si non esset hic malefactor, etc.* Ecce tibi primam falsitatem et imposturam, qua innocentissimum Christum, malefactoris nomine dedecorarunt. Enimvero certum est, neminem malefactoris nomine appellari posse, nisi transgressor legis existat : Christus autem licet, tanquam Dei Filius, omni lege superior fuerit, attamen de se protestari non dubitavit [5] : *Non veni legem solvere, sed adimplere. Iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Et quidem hanc exactam legis observantiam prædicavit semper, hanc omnium, et singulorum

[1] LUC. BRUG., *in Matt.* — [2] ID., *ib.* — [3] MARC., XV, 2. — [4] LUC. BRU., *ib.* — [5] SALM., t. X, tr. 26.

[1] *Act. Apost.*, XXV, 10. — [2] LUC. BRUG., *in Joan.* — [3] *Act. Apost.*, VII, 52. — [4] THEOPHYL., *ib.* — [5] MATTH., V, 17.

mentibus insinuare contendit, nec quidquam unquam persuasit, aut præcepit, quod ipse prius non fuisset executus, quia ut S. Lucas ait [1]: *Cœpit Jesus facere, et docere.* Atque ideo haud secus ac alii circumcidi, ac in templo præsentari voluit, tanquam Filius Patri suo putativo, et matri humiliter obedivit [2]: *Et erat subditus illi.* « In quo igitur malefac-
« tor » interrogat malignos illos Simon de Cassia [3],
« qui vestrum Decalogum immaculatum servavit?
« In quo malefactor, qui vestram legem non venit
« solvere, sed adimplere? In quo malefactor, ad
« vos residentes in Mosaica sede reverentiam man-
« davit turbarum, ne per vestra malefacta debita
« obedientia rumperetur » Idem paulo post Hebræorum obstupescit cæcitatem, et ignorantiam, utpote qui in prima sua accusatione in tam apertam et manifestam proruperunt calumniam. Verumtamen non est quod id admiremur, quia in tenebris ambulabant, seu potius præcipites erant [4]: *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum. Cur præsumpsisti, Judæorum implacabilis feritas, cum Christo in judicium ingredi? Cur non timuisti malefactorem dicere apud Pilatum, cujus vita omnino nescivit criminis labem?* Enimvero ut Lucas Brugensis notat[5], quotidie Pilato referebantur opera Christi miraculosa, sanctitas item, et innocentia, quacum vivebat, prædicabat, atque plurimos ad virtuosam et exemplarem vitam populos inducebat. Ac proinde credibile est, Pilatus tanto magis, hoc nomen malefactoris audiendo, inhorruisse, hancque imposturam conatum fuisse detegere. Hoc enim S. Matthæus insinuare velle videtur, quando ait [6]: *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.*

**3.** — Et vero quænam causa erat, ob quam Hebræi ad inferendam Christo necem concitabantur? Utique ad hoc non agebantur ex eo, quod malefactor esset, sed potius quia magnus illorum benefactor erat. Nam ut S. Joannes ait [7]: *Collegerunt ergo Pontifices, et Pharisæi concilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Potius actiones ipsius examinare, et processare debuissent; at vero hoc erat unicum illud, quod illos vel maxime pungebat, et irritabat, scilicet quod viderunt eminentem ejus, qua ad stuporem omnium relucebat, sanctitatem, ob quam ab universo populo triumphaliter exceptus, et tanquam promissus in lege Messias veneratus, et ut verus Rex Israel proclamatus fuerat. In cujus ejusdem sanctitatis signum paulo ante cadaver quoddam quatriduanum in vitam revocaverat. Corpus igitur delicti, quod ei opponebant, aliud non erat, præterquam patratio miraculorum. « Cum admirari et obstupescere eos
« oporteret, » inquit D. Chrysostomus [8], « ipsum qui
« mortuum suscitaverat, interficere voluerunt. »
Salmeron quoque ad propositum nostrum inquit [1]:
« Et si ex livore illum vellent perdere, nihil tamen
« mali ei poterant objicere, nisi tantum benefacta
« ejus.» Quapropter loco ejus, quod Pilato dixerunt: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*, potius cum veritate dicere debuissent: Si non esset hic benefactor, non tibi tradidissemus eum. Sola enim causa, quæ Sacerdotes, et omnes alios ad mortem Christo machinandam irritavit, hæc fuit, quod scilicet ipsi penes populum, omnem fidem, et auctoritatem amitterent; Christus vero e contra totius populi venerationem, et sequelam, per mirum sanctitatis odorem, et signa virtutum compararet. Merito igitur Simon de Cassia ferocem illam multitudinem his verbis alloquitur [2]: « Cur
« commutasti in mendacium veritatem, ut perverso
« corde, perversitate loquendi, benefactorem ma-
« lefactorem in judicio appellares? Nonne turba
« vulgaris exclamavit viso miraculo: Bene omnia
« fecit? Et tu nunc coram Præside aperta falsitate,
« impetuosis vocibus malefecisse causaris? » S. Anselmus olim beatissimam Virginem interrogasse legitur [3], an in Passione Filii sui aliquam concepisset spem, quod is ad Pilatum perductus, ab eodem absolvendus esset: « Sperasti ibi aliquid? » Sed ecce beatissimæ Virginis redditum responsum:
« Multum speraveram, cum turba convenisset, cui
« sæpe dulciter prædicaverat, et quorum infirmos
« sanaverat, et eos in deserto paverat, quod de
« manibus Judæorum liberare deberent. » At vero quam est fallax spes, et fiducia, quæ in instabili, ingrata, et facile mobili multitudine fundatur. Ante quinque dies ipsi tanquam benefactori acclamaverant, dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, modo vero ita subito mutati, illis immixti reperiuntur, qui eum sub titulo malefactoris accusare non verentur.« In quo malefactor vestrorum
« curator infirmorum », inquit Simon de Cassia [4],
« sanitatum donator, et vestros mortuos de imperio
« mortis eripiens ut vos vocaret ad fidem, et
« corda vestra pro æterna resurrectione ad seipsum
« juste converteret. In quo malefactor qui vobis præ-
« dicavit regnum cœlorum et promisit æternum?
« In quo malefactor quem nullum potuit maculare
« peccatum? Ubi sunt homicidia ejus, ubi seditio-
« nes, ubi furta, ubi adulteria, ubi delictum ex
« quo constituitur homo reus?» Porro inter omnes alias doctrinas suas, nullam adeo ferventer inculcabat, quam hanc [5]: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Prædicabat, indulgendam inimicis malefactorum et injuriarum illatarum veniam [6]. *Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos.* Merito igitur S. Cyrillus Alexandrinus

[1] *Act. Ap.*, I, 2. — [2] Luc., II, 51. — [3] Sim. de Cass., l. XIII. — [4] Luc., XXII, 53. — [5] Luc. Brug., *in Joan.*— [6] Matt., XXVII, 18. — [7] Joan., XI, 47. — [8] D. Chrysos., ho. 63 *in Joan.*

[1] Salm., t. VIII, tr. 54. — [2] Sim. de Cas. — [3] S. Ans., dial. *de Pass.* — [4] Sim. de Cass. — [5] Matt., XI, 29. — [6] Matt., V, 44.

hanc obstupescens calumniam ait [1] : « Malefactorem « eum appellant, qui ad destructionem malorum, « in mundum venit. »

**4.** — Verum enim vero in præsenti optimo jure dici poterat : *Inimici nostri sunt judices.* Etenim licet Pilatus idololatra esset, nullamque veri Dei notitiam haberet, causam tamen innocentis Christi contra Hebraismum (de quo Psalmista ait : *Notus in Judæa Deus in Israel magnum nomen ejus*) tuendam, et defendendam in se suscepit, nam S. Matthæus inquit [2] : *Ait illis Præses : Quid enim mali fecit?* Quasi dicat, inquit Lucas Brugensis [3] : « Ego « qui pluribus jam annis hic Præsidem egi, nihil « audivi vel intellexi. Pilatus Judex hac sua quæs- « tione populum testem appellat innocentiæ Jesu, « et in universum absolvit, ut innocentem, et jus- « tum, quo certum foret, totum hoc quod passus est, « nobis impensum esse. Nec modo nihil mali fecit « Jesus, verum etiam tota vita sua beneficentissi- « mus est cognitus. » Ponderemus, obsecro, interrogationem, quam Pilatus (Judaismum adeo contra Christum concitatum videns, quem ipse tamen reputabat innocentem) eidem Christo proposuit, dicendo : *Quid fecisti?* Porro Rupertus Abbas Christum huic interrogationi nihil respondisse considerans, hanc illius assignat rationem [4] : « Cum « bene omnia fecerit, et bona omnia fecerit, imo « cum et omnia valde bona per ipsum facta sunt. » Enim vero Christum perpetuum fuisse benefactorem, veritas est antiquissima, ab ipsis primis mundi nascentis incunabulis manifestata; siquidem Moyses, cujus legem Hebræi profitebantur, in fine primi capitis Geneseos inquit : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde.* « In quo igitur malefactor « bonorum omnium conditor et creator, » inquit Simon de Cassia [5], « in quo malefactor qui ab « eo quod est, deficere nequit, qui summum bo- « num est, et omne bonum ab ipso procedit, » S. Augustinus inquit [6] : « Interrogentur atque res- « pondeant ab immundis spiritibus liberati, lan- « guidi sanati, leprosi mundati, surdi audientes, « muti loquentes, cæci videntes, mortui resur- « gentes, et quod omnia superat, stulti sapientes, « respondeant inquam, utrum sit malefactor Jesus. « Sed ista dicebant, de quibus propheta jam dixe- « rat : *Retribuebant mihi mala pro bonis. Ipse nam- « que pertransiit benefaciendo.* » Atque ideo, quis ab innumeris ejus beneficiis immunis erat? *Quis se abscondat a calore ejus?* Etenim Jesus os suum aperiens, vel impios convertebat ad pœnitentiam, vel consolabatur afflictos, vel procellosis imperabat ventis, et compescebantur, vel mortalibus infirmitatibus, et fugabantur, vel spiritibus malignis, qui confestim e corporibus obsessis discedebant : Numquid de cœlesti hac ejus lingua Petrus dixit [1] : *Verba vitæ æternæ habes?* Ad hæc ambulans, totidem hinc inde ad quemlibet passum diffundebat bona, quot terræ imprimebat pedum suorum vestigia, quia *pertransiit benefaciendo, et sanando omnes ;* vigilans orationi vacabat, dormientis vero cor ita vigilabat ut vigiliæ hæ in nostrum commodum dirigerentur [2] : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Præterea sputum oris sui, quod in aliis fœtidum est excrementum, ipsi velut instrumentum serviebat ad aperiendas surdorum aures, ad illuminandos cæcorum a nativitate oculos. Denique nullus in quocunque statu, vel professione erat reperibilis, qui ab ipso non fuisset specialibus beneficiis locupletatus. Etenim Judæos incarnatione, natalibus, et conversatione sua nobilitavit. Ideo dixit [3] : *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Inter Gentiles plurima patravit miracula, sanando videlicet servum centurionis, et filium reguli. Archisynagogi resuscitavit filiam. Ex publicanis Zachæum publicanorum principem ad veram fidem convertit. Lazarum, qui nobilis erat, ad vitam revocavit. Magdalenæ sorori ejus peccata dimisit. In desertis sæpius turbas satiavit. Socrum Petri et Hæmorrhoissam sanitati restituit. Quaigitur ratione in toto illo populo inveniri quis poterat, adeo beneficiorum receptorum immemor, ingratus et impudenter mendax, qui de Christo asserere posset : *Si non esset hic malefactor?*

**5.** — Origenes observat quod quando Pilatus eos confutavit, dicendo : *Quid enim mali fecit?* Judæi respondere non valentes, inconditis aera repleverint vocibus, et clamoribus, tumultuose ejus postulando crucifixionem. En verba Origenis [4] : « Contra « hoc nihil habentes, quod responderent, amplius « clamaverunt, non deponentes, sed augentes iram, « animositatem, blasphemiam, dixerunt, *Crucifiga-* « *tur.* » D. Chrysostomus in catena Græca citatus, in hæc verba exclamat [5] : « O dementiam! Quidni « profertis maleficium, sed obtegitis. Quidni argui « tis eum mali? Vides ut ubique justam actitantes « accusationem, nihil tandem afferre possint, sed « vanis conjecturis nitantur? » Nullum habebant accusationis caput, quod ad eum mortis reum probandum subsisteret : ac proinde in genere dicebant *Si non esset hic malefactor*, etc. Sibi enim absque ulla discussione et examine, fidem adhiberi volebant, at vero Deus Præsidem movit ad indagandum, quas adferrent accusationes, ut ex harum examine prætensi rei innocentia tanto magis elucesceret.

[1] S. CYRILL. ALEX., lib. II *in Joan.*, c. 5. — [2] MATTH., XXVII. — [3] LUC. BRUG. — [4] RUP. ABB., l. XIII *in Joan.* — [5] SIMON DE CASSIA. — [6] S. AUG., tr. 114 *in Joan.*

[1] JOAN., VI, 69. — [2] CANT., V, 2. — [3] MATT., XV, 24. — [4] ORIG., or. 35 *in Matth.* — [5] CHRYS., in Cat. græca *in Joan*

## DISCURSUS II.

CHRISTUS CORAM PILATO VINCTUS ADDUCTUS ET VELUT SEDITIOSUS, DIGNITATEMQUE REGIAM AMBIENS, ACCUSATUS, A DUABUS HISCE CALUMNIIS LIBER ET INNOCENS FUISSE OSTENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Qualiter Christus steterit ante Pilatum judicem. — 2. Quare Christum ligatum tradiderunt Pilato. — 3. Expenditur falsitas accusationis, de subversione gentis. — 4. Judæi vel inviti laudant Christum, accusantes eum de commotione populi. — 5. Impostura de tributo Cæsari non dando. — 6. Pro maximo delicto allegant, quod Christus regem se esse dixerit. Hinc Pilatus ansam sumpsit subsannandi Christum. Accusatio illa ostenditur falsa. — 7. Quare Christus interrogaverit Pilatum, an ex semetipso hoc diceret. — 8. Pilatus indigne tulit interrogationem Christi.

*Cæperunt illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem, se Christum Regem esse.* Luc., XXIII, 2.

**1.** — Hebræi se ad adducendas coram Pilato contra Christum accusationes astrictos esse videntes, ut ignominiosam ei procurarent mortem, in sequentes calumniosas imposturas, proruperunt : *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, etc.* Priusquam vero hæc verba examinemus, ponderandus in primis est sequens S. Matthæi Evangelistæ textus [1] : *Jesus ergo stetit ante Præsidem.* Circa quæ verba Dionysius Carthusianus ita scribit [2] : « Stetit capite inclinato, vultu in terram demisso, « vinctis manibus, silentibus labiis, atque mitis- « simo corde. » Theodorus Studita in sermone quodam ait [3] : « Qui animorum consilia retegit Deus, « omnemque perspicit humanum cogitatum, hic « ille est, qui sistitur judicio. » Lucas Brugensis hanc Christi, tanquam rei, coram tribunali hominis pagani factam præsentationem, in hæc verba detestatur [4] : « Deforme spectaculum, Filium Dei ad « profani hominis tribunal tractum, causam capitis « tanquam maleficum ex vinculis dicere, sed hoc « pati ille dignatus est, ut ad cœlestem Dei thro- « num, fidentem nobis obtineret accessum, et « coram Dei tribunali stare possemus intrepidi. » Salmeron quoque indignum hoc spectaculum his verbis exponit [5] : « Jam judicatur Judex noster Jesus, « ut discas, qua mansuetudine debeat judicare « vivos et mortuos. Ante reus vult esse, quam « Judex ut si eo modo nos judicaverit, quo judica- « tus est, recusare judicium, non possimus. Si « autem æquius ac benignius, gratias simus acturi, « quia nos eum impie crudeliterque judicavimus. »

**2.** — *Vinctum adduxerunt et tradiderunt eum Pontio Pilato.* Hujus actionis mysterium Lucas Brugensis sequentibus verbis declarat [1] : « Ligaverant « jam ante cum caperent (testis est Joannes « cap. XVIII, 13) sed videntur solvisse vincula mane, « cum sisterent eum consilio, tum ut facilius res- « ponderet ad interrogata, persuasus, non quæri « mortem suam, tum ut confessio ejus liberior « haberetur, quippe nulla vi, aut pœnarum acer- « bitate extorta. Simul atque autem ab hoc con- « cilio matutino fuit condemnatus, rursus ligari « jussus est, manibus forte post terga revinctis, et « catena collo injecta. » Nam ut S. Hieronymus ait [2] : « Habebant hunc morem, ut quem adjudicas- « sent morti, ligatum judici traderent. »

**3.** — *Invenimus subvertentem gentem nostram. Commovit enim populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.* Eratque hoc unum ex præcipuis capitibus delicti. « Sed « falsæ erant accusationes, » inquit Didacus Stella [3], « unde bene dicebant : *Invenimus*, quia quod ei « imponebant, non erat rei veritas, sed humana « fictio, et adinventio, non enim subvertit gentem « a lege, quia non venit ipse solvere legem, sed « adimplere, nec subvertit, sed convertit, quas do- « cuit in veritate. » Eamdem observationem Hugo Cardinalis diu ante his verbis expresserat [4] : « Non subvertebat populum, sed docebat, et diri- « gebat. Bona subvertebat, a malo scilicet in « bonum. » Simon de Cassia similiter super hæc verba ingeniosas quasdam habet considerationes, ita enim scribit [5] : « Verum dicebant, sed sub inten- « tione fallendi, bonum subinferebant, sed sua « voluntate nocendi, et quod erat fas, vertebant in « nefas. Quod erat miræ virtutis, pro damnandi « iniquitate coram Judice inferebant, asserentes « quia commovit populum. Commovit sane popu- « lum in mente propter altitudinem verbi sui, ac « per doctrinam mellifluam, quam etiam operibus « validabat. Commovit populum in virtute miracu- « lorum, quibus similia nullus hominum fecerat « ante eum. Commovit animos hominum ad spem « æternæ vitæ. » Idem quoque se ad ea accusationis verba reflectens : *Docens per universam Judæam*, inquit : « Ecce actus justus, et sanctus, et irrepre- « hensibilis, docere nescientem, docere utilia. Com- « movit populum non ad seditionem, sed ad im- « perturbabilem pacem, docuit, non errorem, sed « infallibilem veritatem, docere, seu docuisse opus « est justitiæ. » Idem auctor paulo ante de calumniosis hisce accusatoribus dixerat : « Subversi a « Diabolo, dicunt Christum Dominus subvertentem. « Non est subversio, ubi ad Deum ordinatur « conversio, venerat enim omnes ad Deum conver- « tere. Hoc enim siquidem vita, moribus, factis, « dictis in veritate atque incessanter clamabat

[1] MATT., XXVII, 11. — [2] DIO. CART., *ib.* — [3] THEODOR. STUD. — [4] LUC. BRUG., *in Matt.* — [5] SALM.

[1] LUC. BRUG. — [2] S. HIER. — [3] DID. STEL., *in Luc.* — [4] HUG CAR., *ib.* — [5] SIM. DE CASS., t. XIII.

« ut ipsi convertentur ad Deum. Non subvertebat « gentem, quam convertebat ad legem non sub- « vertebat gentem vestram, cui novam scalam pa- « rabat ascensionis in cœlum. Nimis pateris bone « Jesu, cui virtus, in vitium ab improbis vertitur, « et dura est cujuspiam hominis passio cum « innocentia pro crimine computatur, magis « enim ex his, quam ex corporis flagris mens ipsa « configitur. »

**4.** — Salmeron Hebræos vel invitos ad Christum laudandum adstrictos fuisse asserit, inquiens [1] : « Coacti a veritate, non dicunt : Commovit armis po- « pulum, sed *docens*. » Tametsi enim vere ipse prædi- cando dixerit [2] : *Non veni pacem mittere, sed gladium*, his tamen verbis de pugna spirituali loqui intende- bat, qua unusquisque impugnare debet se ipsum, proprias vincendo passiones. Cæterum namque nulla erat virtus, quam ardentius inculcare nitebatur, quam unionem, concordiam, et pacem. Lucas Brugensis horum malignorum, et fraudulentorum accusatorum manifestat artificium dicens [3] : « Si « inquirere velis, intelliges, in Galilæa, et in « omni Judæa per hunc omnia esse commota. Ga- « lilææ meminerunt, partim quia extrema Judææ « provincia est ad Aquilonem, partim ut sedi- « tionis suspicionem Pilato ingerant, revocatis ei in « memoriam Galilæis illis, quorum non ita pridem « sanguinem cum sacrificiis miscuerat ; Juda item « Galilæo, aliisque similibus seditiosis, qui ex Gali- « læa prodierant. » Citatque auctoritatem Bedæ, dicentis : « Hic accusantium sermo magis, et eum « qui accusatur, innoxium, et eos, qui accusant, « docet esse perversos. Docuisse enim populum, et « a pristini torporis ignavia docendo commovisse, « talique actu a Galilæa usque ad Judæam, hoc « est, totam a fine usque ad finem terram repro- « missionis pertransisse, non criminis, sed indi- « tium constat esse virtutis. Potuit namque aliquis « amator Domini, sicut fecit, eamdem sententiam « laudis loco ponere, dicendo auditoribus bonis : « Vos scitis, quod factum est verbum per univer- « sam Judæam, incipiens enim, etc. Denique « Pilatus, neque rogandum de hoc ratus Salvato- « rem, sed nata occasione ipsum cupit ab eo « judicando liberum dimittere. » Idipsum Theo- phylactus diu ante consideraverat, dum super præ- citatum Lucæ textum ita scripsit [4] : « Quomodo au- « tem commovit turbam ? Nunquid ut regna inva- « dens ? Sed incredibile hoc omnibus, nam cum « agnovisset, quod populus vellet illum regem « facere, secessit. Unde Pilatus deprehendens illo- « rum sycophantiam, fatetur : *Nullum invenio no- « xam in homine isto*. Mystice commovit populum « salutari confusione, » inquit Ludolphus Carthu- sianus [5], « de qua motione dicitur in Psalmo : « *Commovisti terram, et conturbasti eam, sana con- « tritiones ejus, quia commota est.* »

**5.** — *Prohibentem tributa dare Cæsari.* Porro hanc meram fuisse Judæorum calumniam, et im- posturam, vel ex eo manifeste arguitur quod Chris- tus hamum in mare ejicere jusserit ad piscem illum capiendum, in quo deprehendebatur moneta illa, quæ ad tributum solvendum requirebatur. Cui acce- dit, omnibus notum esse, quod Christus hac de re interrogatus, rotundo ore responderit [1] : *Quod est Cæsaris, date Cæsari, quod est Dei, date Deo.*

**6.** — *Dicentem se Christum Regem esse.* Fuit hoc tertium caput delicti, quod ei imponebant. Et qui- dem in hoc majus faciebant argumentum, quam in aliis. « Non enim curabat Pilatus, » inquit Dionysius Carthusianus [2], « an Christus bene, vel male docuisset « Judæos, ipse enim erat gentilis, et legem Judæo- « rum velut superstitionem contempsit. » Eamdem quoque reflexionem habet Lucas Brugensis ; consi- derat enim, quod Caiphas in concilio magnam ad- hibuerit sollicitudinem, non tam ad hoc, ut Christus se Filium Dei esse confiteretur, quam ut se promis- sum Messiam, et consequenter Regem esse assere- ret : « Nec rogant sicut in nocte, » inquit Lucas Brugensis [3] : « *Si tu es Christus Filius Dei*, licet enim « pluris facerent et majorem blasphemiam judica- « rent, quod se diceret Filium Dei, quam quod « Christum ; tamen quia noverant Pilatum pluris « facturum, quod se diceret Christum, quod inter- « pretabatur esse, blasphemiam in Cæsarem, id est « crimen læsæ Majestatis Cesareæ (erat enim Ju- « dæorum omnium opinio, Christum Regem fore, « et populum a tyrannide omnium liberaturum) « quam quod se diceret Filium Dei. » Porro hanc accusationem in tertium locum retulerant, utpote quam Pilatus tanquam magis arduam discussurus esse credebatur. Interrogavit enim Christum : *Tu es Rex Judæorum*. Quia ut S. Thomas super Mat- thæum scribit [4] : « Pilatus non curavit quærere de « transgressione legis, sed potius de eo, quod vide- « batur tangere læsionem Majestatis. » Ac proinde Hebræi incondita voce clamaverunt : *Omnis qui se Regem facit, contradicit Cæsari*. Nec defuit, qui præ- sidem hanc interrogationem : *Tu es Rex* ? per con- temptum Christo proposuisse diceret. Nam Theophy- lactus ita scribit [5] : « Videtur mihi ista interrogatione, « quam facit erga Christum, ridere calumniam. « Rem enim ipsam subsannat, dicens : *Tu es Rex « Judæorum*. Quasi sic dicat : Tu qui tam pauper, « tam vilis, tam destitutus auxilio, tam nudus es, « accusaris regem ambire. » Lucas Brugensis idip- sum diffusius in hæc verba expressit [6] : « Porro tu, « hic tacitam includit emphasin despicientis. *Tu*, « ita ut es, isto habitu, atque apparatu, ista condi-

[1] SALM. — [2] MATTH., I, 34. — [3] LUC. BRU., *in Luc.* — [4] THEOP., *ib.* — [5] LUD. CART., p. 2, c. 71.

[1] MATT., XXII, 21. — [2] DION. CAR., *in Luc.* — [3] LUC. BRU., *ib.* — [4] S. THOM., *in Mat.* — [5] THEOP., *in Luc.* — [6] LUC. BRU., *in Matt.*

« tione vivendi, plebeius, vilis, nudus, pauper, mi-
« ser, solus, comitatu, auxilio omni destitutus, et
« jam etiam captivus, et de capite reus, *esne Rex*
« *Judæorum*, a quibus persecutionem pateris, et
« morti adjudicaris. Non est dubium, quin apud se
« riserit Pilatus, et contempserit cum hoc interro-
« garet, quod hujusmodi vermis, vel stolide arroga-
« ret sibi regnum, vel vere esset Rex ille, quem
« Judæi hactenus tautopere desiderassent, et jactas-
« sent. » Porro Divus Chrysostomus validissimo ar-
gumento ostendit quanta cum falsitate Judæi Christo objecerint, quod se regem facere voluerit. Ita enim discurrit[1] : « Quodnam tyrannidis argumentum?
« Unde hoc potest ostendi? A purpura a diademate,
« a satellitibus. Nonne solus semper cum duodecim
« Apostolis ambulabat, et vilibus utebatur cibis,
« veste, domo? Sed o impudentiam! o intempesti-
« vam, et imbellem formidinem! Pilatus enim jam
« periclitari arbitratus, si id negligeret, egreditur,
« ut rem inquirat, hoc enim significat ejus sessio. »
At vero si per ludibrium Pilatus hanc Christo proposuit interrogationem, illam minime talem esse credens, cur ad inquisitionem procedit? Porro ratio, quæ assignari posset, hæc est, quod scilicet quando de causis status, et læsæ in primo capite Majestatis agitur, etiam suspiciones, umbræ, et imaginationes examinandæ, ponderandæ et puniendæ sunt. At vero ut Lucas Brugensis ponderat[2]:
« Quod vere hic esset rex Judæorum, suppetebant
« plurima argumenta, quæ Pilato id persuaderent;
« ut quod publica fama esset, adesse tempus ad-
« ventus Messiæ a Prophetis prædictum. Quod
« sanctissimus juxta ac sapientissimus vir, doctri-
« nam suam admodum admirandis operibus jam
« triennio continuo, et eo amplius adstruxisset.
« Quod non ita pridem inter cætera Lazarum qua-
« triduo mortuum resuscitasset. Quod a pluribus
« Messias haberetur, ipso etiam probante; atque
« adeo quod a paucis diebus ipsam urbem Hieroso-
« lymitanam regiam honorifice ingresso publice id
« fuisset acclamatum. Noverat enim hæc omnia
« Pilatus. Cæterum quantum ex ipso vultu habi-
« tuque judicare poterat, facies, cultus, conditio,
« omnia denique modestiam ac simplicitatem præ
« se ferebant, nihilque minus in eo apparebat,
« quam quod argueret eum aut Regem esse aut
« Regni affectatorem. »

7. — *A temetipso hoc dicis, an alii hoc tibi dixerunt?* Ad factam sibi interrogationem, an Rex esset Judæorum, hoc modo non sine mysterio respondit. Etenim ut Lucas Brugensis observat, Judæi astute claram Regis mentionem fecerant, dicendo[3]: « Quod
« se Christum Regem esse diceret, quamquam hoc
« includeretur in nomine Christi, ut Pilatus melius
« intelligat crimen defectionis, et affectatæ tyran-
« nidis, crimen Majestatis Cæsareæ læsæ, de qua
« accusant. Maligne arripuerunt nomen Regis, quo
« summam invidiam apud Pilatum Jesu conflarent;
« sciebant enim, apud Romanos gravissimum ha-
« beri crimen, si quis contra Cæsaris auctoritatem
« Regem se diceret in Imperio Romano. » Hoc igitur supposito, bene procedebat interrogatio Christi : *A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt?* Etenim Cajetanus in Joannem scribens, Christum hoc interrogasse asserit[4], quia sciens, « Pilatum
« gentilem non esse capacem dandæ responsionis,
« disponit ipsum, antequam respondeat ad interro-
« gata. Disponit autem petendo, an hanc interro-
« gationem formet a semetipso, vel ex auditu ab
« aliis : habebatque duplicem ad hoc rationem.
« Alteram, quia ipso Jesu existente intus in præto-
« rio, accusatio fuerat facta foris; unde merito
« ratio interrogandi apparebat. Alteram, quod
« aliter respondendum fuisset Pilato hoc interro-
« ganti a semetipso, et aliter eidem interroganti ex
« accusatione Judæorum, quia Judæi loquebantur
« de regno Messiæ, Pilatus autem a semetipso
« locutus fuisset de regno temporali, qualia sunt
« regna aliorum regnorum. » Toletus aliam hujus interrogationis assignat rationem, dicens[5]; « Vo-
« luisse Dominum omnibus esse manifestum ex hac
« interrogatione, se respondisse judici interroganti,
« tanquam judici, ut ejus obedientia mundo mani-
« festa esset, et se Regem fateri, a judice interroga-
« tum. Non enim animo discendi et veritatem
« amplectendi interrogavit Pilatus Christum, sed
« tanquam Judex, persecutorum accusationes pro-
« sequens; idcirco justo Dei judicio privatus est lu-
« mine, quo veritatem Christi apprehenderet. » S. Bernardinus sensum hujus interrogationis a Christo propositæ hunc esse asserit[3] : « Quasi dicat : Si a
« temetipso cogitasti me fore Regem, communis
« judex transivit in partem, quo facto, semper est
« suspecta ventilatio rei. Si a temetipso causa
« sumpsit initium, injustum est, ut cogitatio Præ-
« sidum per examinationem exquiratur. Si autem
« alii dixerunt de me, non me interroges, nam ipsi
« testificentur, qui me accusaverunt. Accusanti,
« non eo, incumbit probatio; tantum defensio
« incumbit reo. » Porro cum Salvator, ut ex textu S. Lucæ colligitur, interrogationi sibi a Præside propositæ, scilicet an rex esset, respondisset : *Tu dicis*; mox Præses ad accusatores se vertit : dicit enim sacer textus : *Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum, et turbas : Nihil invenio causæ in hoc homine.* Tunc vero vel maxime judici studuerunt persuadere, et inculcare, Christum reum esse læsæ Majestatis, et dicere : *Commovit populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.* « Est autem advertendum, » inquit Toletus[5],

[1] CHRYS., in Cat. græc. *in Joan.* — [2] LUC. BRUG., *ib.* [3] ID., *ib.*

[4] CAJET., *in Joan.* — [5] TOL., *ib.* an. 25. — [3] S. BER., t. XI, s. 55. — [5] TOL., *ib.*, an. 26.

« maxime pro legitimo sensu hujus sententiæ, « Pilatum credidisse Christum Regem esse, non « tamen ejus regnum esse adversarium regno « Cæsaris, sed pertinere ad quamdam Judæorum « Religionem. Ut enim hi Deum colebant, et reli- « gionem observabant distinctam a Romanorum et « gentium ritibus, existimavit Pilatus, regnum hoc « Christi esse quid simile, non intelligens perfecte, « quale esset : idcirco Judæorum malitiam agnovit « qui accusabant Christum Regem, tanquam adver- « santem regno Cæsaris, cum tamen non ita esset. »

**8.** — Idem Toletus Cardinalis declarat indignationem, quam Pilatus ex hac interrogatione Christi : *A temetipso hoc dicis, etc.*, conceperat, dum ait : *Numquid ego Judæus sum* ? ita enim prædictus Toletus scribit [1] : « Ægre tulit Pilatus Christi interroga- « tionem, qua parte dixerat : *A temetipso hoc* « *dicis* ? dedignatus, et contemnens dicere a « Christo : Numquid, inquit, ego Judæus sum, qui « pro me ipso, et quasi res mea agatur, scire id « quæram ? Hoc ad Judæos pertinet, non ad me, « qui Gentilis sum. Pontifices tui et gens tua tra- « diderunt te mihi tanquam reum, et idcirco quid « feceris, interrogo, et scire volo, non ut discam, « non ut aliquid mihi emolumenti quæram, sed « quia mihi incumbit crimina vindicare. » Advertendum quoque est, Christum non respondisse ad interrogationem, qua quærebatur : *Quid fecisti* ? quia nimium requirebatur temporis spatium, ad satisfaciendum huic quæsito ; siquidem Pilato respondere potuisset : *In principio creavit Deus cælum et terram. Creavit hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Ipse fecit nos et non ipsi nos. Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit, in cælo, et in terra, in mari, et in omnibus abyssis. Imo quid ultra potuit facere vineæ suæ, et non fecit* ? Unde Simon de Cassia ita scribit [2] : « Non respondet « Christus divinæ, neque humanæ, brevi verbo « multæ comprehensionis, cum Pilatus interrogat : « *Quid fecisti* ? Quoniam divinæ infinita hominum « comprehensione patravit. Humanæ vero multa « fecit infinitæ virtutis, quæ non erant hujuscemodi « dissertationis. »

## DISCURSUS III.

CHRISTUS REGNUM SUUM DE HOC MUNDO, NON ESSE, CLARE PRONUNCIAT ; SIQUIDEM SOLIUS VERITATIS ANNUNCIANDÆ CAUSA IN MUNDUM VENERAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Credentes in Christum sunt regnum ejus. — 2. Christus tanquam homo nobiscum degens in terra, habuit duplex regnum. Quale fuerit Christi regnum in hoc mundo. — 3. Christus venit perversum hujus mundi regnum destruere. — 4. Examinatur sensus istius dictionis. — 5. Christus suo responso satisfecit Pilato. — 6. Christus ad hoc venit in mundum ut doceat veritatem. — 7. Multis in passione Christi conversis, Pilatus mansit in sua cæcitate. Ex aulis Regum et Principum proscripta est veritas. — 8. Taxatur stulta et superstitiosa scrupulositas Pontificum, prætorium ingredi nolentium.

*Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo,* Joan., XVIII, 36.

**1.** — Ad audiendam hanc coram Pilato a Christo factam protestationem, Beda universum mundum his verbis in persona Christi invitat [1] : « Audite « Judæi, et Gentes. Audi circumcisio, audi prepu- « tium. Audite omnia Regna terræ. Non impedio « dominationem vestram in hoc mundo : Regnum « meum non est de hoc mundo. Nolite metuere « metu vanissimo, quo Herodes ille major, cum « Christus natus nunciaretur, expavit, et tot in- « fantes, ut ad eum mors perveniret, occidit, ti- « mendo, quam irascendo crudelior. Regnum, « inquit, meum non est de hoc mundo. Venite « credendo, et nolite sævire metuendo. Dicit qui- « dem in Prophetia de Deo Patre : *Ego autem* « *constitutus sum rex ab eo super Sion montem,* « etc., sed Sion illa, et mons ille non est de hoc « mundo. Quod enim ejus Regnum, nisi credentes « in eum? » Porro Christus per hanc veritatem specificatam, aperte manifestare voluit accusationis sibi impositæ falsitatem, simulque Pilatum ab omni regni ambitu et suspicione liberare [2] : « Diluit « accusationem adversariorum, » inquit Lucas Brugensis, « et Pilatum sollicitudine solvit. » S. Leo Pilatum invitat ad indagandum, an accusatio regni a Christo affectati aliquo niteretur fundamento ; futurum enim dicit, ut sine dubio aliqua certa potestatis regiæ signa in ipso inventurus esset. En verba sancti pontificis [3] : « Verum tamen ne in to- « tum videatur inanis Judæorum objectio, discute « diligentius Præses, quid de Domini operibus no- « tum sit, quid de potestate compertum. Cæcis « visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis « donavit eloquium, febres abegit, dolores resolvit, « dæmonia ejecit, mortuos vivificavit, mari et ven- « tis, ut quiescerent, imperavit. Magnum prorsus « Regem ista demonstrant. » Subdit tamen, hæc superhumana, et divina opera ipsum demonstrasse esse Regem cœlestem, *qui non humana excellit potentia* ; ac proinde dixit : *Regnum meum non est de hoc mundo.*

**2.** — Quod si objicias, in sacris litteris multa reperiri loca, Christi Messiam verum Regem futurum esse testificantia ; siquidem in ejus femore scriptum legitur : *Rex Regum, et Dominus dominantium.* Præterea S. Gabriel Angelus a sanctissimæ

[1] TOLET., an. 25. — [2] SIM. DE CASS., l. XIII.

[1] BEDA, *in Joan.* — [2] LUC. BRU., *ib.* — [3] S. LEO, s. 10 *de Pass.*

Trinitatis Consistorio ad Beatissimam Virginem destinatus legatus, eidem dixit : *Regnabit in domo Jacob in æternum.* Respondeo cum distinctione : Christus enim tanquam homo, etiam hic in terra nobiscum degens, duplex habuit Regnum : unum videlicet spirituale, id est, Regnum Ecclesiæ super Apostolos fundatæ; in cujus Regni visibile caput, et vicarium suum Petrum postea elegit; alterum vero Regnum, ut Doctor Angelicus in tract. de Regimine Principum notat, est regnum hujus mundi; hoc enim ad illum pertinet quidem quoad jus et potestatem, non vero quoad exercitium. Christus enim propter unionem hypostaticam cum Verbo, totius mundi sibi acquisivit potestatem, et specialiter Judææ, tum quia ex stirpe Davidis descendit, tum etiam tanquam promissus in lege Messias. Quando autem dicit : *Regnum meum non est de hoc mundo,* sensus verborum illorum, ut S. Augustinus notat [1], hic est : Non sum Rex Israel ad exigendum tributa, ad armandum exercitus, ad debellandum inimicos; sed « Rex Israel sum, quod mentes regam, quod in « æternum consulam, quod in Regnum Cœlorum « credentes, sperantes, amantesque perducam. » Cajetanus quoque dicit [2], Christum illis verbis indicare voluisse, se non esse Regem, sicuti alii Reges, quia Regnum ipsius « non constat ex dominiis, sta- « tibus, gradibus, affectibus, officiis, rationibus, « favoribus, consiliis, armis. » Causam vero, ob quam Christus, ubi regnum ejus sit, non specificet, Lucas Brugensis super illa verba : *Regnum meum non est hinc,* hisce verbis declarat [3]: « Nec tamen « dicit, unde, aut quale sit. Sufficit enim ipsi de- « pellere calumniam, criminis objecti suspicionem « et invidiam abs se amovere, suamque innocen- « tiam probare. De cætero autem non se vult « ostentare, ut nec Pilatus rogat, nec tempus ido- « neum, aut persona capax est, quæ ultra de regno « suo disserentem audiat. » Salmeron præclare dicit [4] : « Christi Regnum minime erat in Cæsarem, « sed pro Cæsare, quia non eripit mortalia, qui « Regna dat cœlestia. » Rex quidam talis erat, qui in hanc terram venerat, ut Regnum cœlorum etiam Cæsari donaret. Imo qui post plantatam a se hic in terris militantem Ecclesiam, quæ verum est in Cæsaris imperio Regnum ipsius, monarchiam terrenam per legis suæ Evangelicæ directionem, per insignem servorum suorum sanctitatem, per Sacramentorum administrationem, denique per hierarchiam Ecclesiasticam stabilire venit, et corroborare, quia religio, pietas, et boni mores, secura basis et fundamentum sunt omnium terrenorum statuum et dominiorum.

**3.** — Quod si objicias : hunc quoque mundum visibilem nulli alteri melius, et utilius posse esse subjectum, quam ei, qui illum creavit, eumdemque conservat et regit : Respondeo, Christum ultro citroque renunciare regno mundi illius, de quo dilectus ipsius Discipulus ita scribit [1] : *Totus mundus in maligno positus est.* Unde Simon de Cassia ait [2] : « Abnegat regnum mundi hujus corruptibilis et « corrupti, quia omne quod est in hoc mundo, est « concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, « et superbia vitæ; nec super ista regnare, sed illa « destruere competit Filio Dei. Regnum istud « regnum est mortis, sicut dicit Apostolus : *Regna-* « *vit mors ab Adam usque ad Moysen.* Regnum « mundi, regnum est peccati. Venerat peccata « cuncta destruere, non super ipsa regnare. » Idem quoque auctor observat, quod tametsi Christus in Ecclesia sua, quam hic in terris plantaverat, regnare debuerit, eo tamen tempore, quo Christus dicebat : *Nunc regnum meum non est hinc,* Ecclesia suam nondum perfectionem assecuta fuerat [3] : « Ad « altiora responsio ista se tollit. Nunc Regnum « meum non est hinc : etsi non est nunc, omnino « fiet imposterum, nam nondum Ecclesia collecta « de Judæis et Gentibus erat, nondum mortuus « erat, in cujus morte virtutum etiam vita nasce- « batur. Nondum fluxerat sanguis ex latere, nec « aqua initiativa similiter, et affectiva Baptismi « effluxerat. Nondum sub cœlo, et in hoc mundo « novitas Resurrectionis, et Christiferi Regni cla- « ruerat. Nondum missus erat Spiritus Sanctus, in « cujus virtute dispersi Apostoli per mundum, in « omni populo, lingua et ratione Christum sic « judicatum Dei Filium prædicarent, ut regnaret « per fidem in cordibus hominum, eo sensu quo « ipse prædixerat. Regnum Dei intra vos est, ut « etiam in ipsius virtute constitueretur Ecclesia in « orbe terrarum, quæ dicitur proprie Regnum « Christi. » Porro Christus hujus enuntiatæ veritatis : *Regnum meum non est de hoc mundo*; rationem assignat, sequens formando evidens argumentum : *Si de hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis : Nunc autem Regnum meum non est hinc.* « Non de magnitudine civitatum, » inquit Rupertus Abbas, « vel longis tractibus terra- « rum, non de multitudine et fortitudine militum « sævientium, vel sanguine præliorum. Proinde « Romanum a me nihil nocetur Imperium, quia « nihil hujusmodi quærit Regnum meum. »

**4.** — Enimvero post redditam hanc a Christo responsionem, Pilato quadamtenus satisfactum fuisse videtur, siquidem eum deinceps ab hac affectati regni impostura suspectum amplius non habuit. Unde Cajetanus ait [5] : « Pilatus arbitratus est sibi « satisfactum esse de crimine affectati Regni, ex eo « quod Jesus declaraverat Regnum Messiæ de quo « Judæi ipsum accusabant, non esse de hoc mundo;

[1] S. Aug., *in Joan.* — [2] Cajet., *ib.* — [3] Luc. Brug., *ib.* — [4] Salm., t. X, tr. 35.

[1] Joan., v, 19. — [2] Sim. de Cass., l. XIII. — [3] Id., *ib.* — [4] Rup. Ab., l. XIII *in Joan.* — [5] Cajet., *ib.*

« et hoc probaverat, quia non habebat ministros « decertantes pro se, etc. Humani judicii ratio « indubie suadet, quod Pilatus retulerit Judæis « responsionem Jesu, scilicet : Regnum meum non « est de hoc mundo, et quod non habet ministros « decertantes pro eo. Quo audito primates Judæo- « rum dixerunt, quod callide Jesus invertit mate- « riam Regni, quod cum non possit negare usurpa- « tum nomen regium, invertit illud in Regnum « non de hoc mundo : et tunc multiplicaverunt « accusationes, tacitas a S. Joanne, quas refert « S. Lucas. » S. Cyrillus Alexandrinus inquit [1] : « Liberavit a formidine Pilatum, qui dignitatem « Cæsaris in Judæa servare debebat. Credidit enim « forsan more hominum, rebellionem a Christo « cogitatam fuisse, secundum Judæorum nugas, hoc « enim ipsum etiam significabant, cum dicerent : « Si non esset hic malefactor, etc. »

**5.** — *Ego ad hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Porro hisce verbis objectionem quamdam, eidem respondendo, præoccupat Redemptor, quæ ei facile objici a Pilato, vel Judæis potuisset, scilicet cur a suo Regno discesserit, siquidem jam se non in hoc mundo, sed in alio regnare dixerat ; ad hoc igitur respondet : *Ego ad hoc natus sum, etc.* « Ut aperirem « hominibus veritatem, inquit Toletus [2] : nempe regni « mei, ut homines cognoscerent verum Deum, et « quem misit Jesum Christum. Attende verbis his, « se Deum esse docere, carnemque assumpsisse, « secundum quam natus est, et in hunc venisse « mundum, ut veritatem Dei ostenderet, et Regnum « Dei manifestaret, ac tyrannidem diaboli, et dolos « ejus detegeret. » Josephus Hebræus de illustrioribus sui sæculi viris scribens, de Christo hunc in modum fatur [3] : « Eodem tempore fuit Jesus vir « sapiens, si tamen eum virum fas est dicere. Erat « enim mirabilium operum patrator, et doctor « eorum, qui libenter vera suscipiunt. » Porro Hugo Cardinalis prædicta verba Christi aliter exponit, dicens [4] : « Per hoc ostendit, quod nullum ab « eo factum est malum, scilicet per hoc quod di- « xit : Regnum meum non est, etc. Et per hoc « etiam quod subdit : Ego in hoc natus sum, etc. ; « qui enim in hoc a nativitate est, nullum malum « operatus est, et sic simul respondit etiam ad « quæstionem, quam fecerat Pilatus : Quid fecisti ? « Quasi dicat : Nihil mali feci. Satisfacit desiderio « petentis, et aufert suspicionem tyrannidis. » Cajetanus aliam habet observationem ; ita enim scribit [5] : « Ne putaret Pilatus gentilis, quod Jesus « invertendo quæsitum, diverterit ad Regnum non « de hoc mundo, et figmentum esse quod dixerat : « Regnum meum non est de hoc mundo ; cum « nihil ei esset commune, et Pilato, nisi veritas ; « ideo simul et affirmat se non invertere, sed dicere « veritatem, etc. » Lucas Brugensis aliud his verbis indicat mysterium [1] : « Ut testimonium perhibeam « veritati, sive idem tam opere, quam sermone, « quin etiam morte, ut palam et libere prædicem, « atque adstruam veritati, et in primis huic, me « Christum Regem esse, regnumque me habere « non hujus mundi. Potuisset Pilatus apud se cogi- « tare (ut hujusmodi homines solent) Jesum alterius « sæculi regno ob delicta pulsum, destrusum in « corpus, et in mundum missum, ut mundum ac « præsertim Judæorum populum converteret. Hu- « jusmodi cogitationi vanæ occurrent Jesus, ex- « plicat causam adventus sui in mundum, ut, non « seducat, aut conturbet mundum, sed ut doceat « veritatem ; qua propositione amovet a se etiam « omnem arrogantiæ opinionem, addens causam, « cur fateatur se Christum Regem esse, quia ex « officio ipsi incumbit prædicare veritatem : Omnis « qui ex veritate, audit vocem meam. » Idem Dominus noster alias dixerat [2] : *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego vitam æternam do eis.* Quemadmodum et paulo ante in sermone cœnæ : *Ego sum via, veritas, et vita.*

**6.** — Venerabilis Beda super illa verba : *Audit vocem meam*, ita scribit [3] : « Audit, utique interiori- « bus, auribus, id est, obaudit voci meæ, quod tan- « tumdem valeret, ac si diceret : mihi. » Hæcque causa fuit quod cum in die Passionis suæ, durissimos emollivisset silices, id est, latronem, Centurionem, multosque alios ex ipsismet etiam crucifixoribus, qui *revertebantur, percutientes pectora sua*, ad compunctionem cordis perduxisset ; Pilatus tamen in sua cæcitate, et ignorantia permanserit, non obstante quod Incarnatam illam Sapientiam, de qua S. Petrus dixerat : *Verba vitæ æternæ habes*, sæpius audivisset. Quia, ut Lucas Brugensis ait [4] : « Pilatus non in hoc intentus fuit, ut disceret ali- « quid ex Jesu, quod sibi foret utile, sed in hoc so- « lum, ut investigaret, an Jesus innocens, an vero « culpabilis esset. An merito accusaretur læsæ Ma- « jestatis Cæsaris, an injuste. Unde de ipso dicit po- « terat : Non erat ex ovibus ejus. Quia animalis « homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus. » Id quod in hac occasione effectus ipsemet demonstravit ; nam, ut S. Joannes refert, cum Salvator noster dixisset : *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam, dicit ei Pilatus : Quid est veritas ?* Quorum verborum sensum idem Auctor exponit, dicens [5] : « Quæ- « stio fuit parvi facientis et fastidientis, non discere « cupientis, persuasi, hæc non sui fori, aut profes- « sionis esse, nec ad se pertinere. Proposita idcirco, « ne nihil dicens ad ea quæ Jesus locutus fuerat, vi- « deretur ejus verbis plus tribuere, quam se dece-

[1] S. Cyril. Alex., l. XII *in Joan.* — [2] Tolet., *ib.* — [3] Jos. Heb., l. XVIII *Antiq.*, c. 4. — [4] Hug. Card., *in Joan.* — [5] Cajet., *in Joan.*

[1] Luc. Brug., *in Joan.* — [2] Joan., xxv, 6. — [3] Beda, *in Joan.* — [4] Luc. Brug., *ib.* — [5] Id., *ib.*

« ret. Id manifestum ex eo sit, quod simul atque « hoc interrogasset, non expectato responso exive- « rit ad Judæos; eo ipso enim declaravit se non « investigare ad hoc ut disceret. » Salmeron in ea est opinione, quod si Pilatus hanc interrogationem Christo proposuisset, animo ab eo aliquid addiscendi, Deus ipsum utique illuminaturus fuisset : « Cujus « dissertationem si audivisset ab eo, qui coram eo « velut homo reus astabat, forsitan ei superna cla- « ritas illusisset, cui si credidisset, non solum « Christum liberasset, verum etiam descendisset de « sede, factus de judice judicatus, de præside reus, « animo et corpore Christi pedes fuisset comple- « xus, et eum tanquam Dei Filium adorasset. » Enimvero in hac occasione experientia clare satis edocuit, quantum in aulis Regum et Principum ignota, et poscripta sit veritas, utpote in quibus adulatio, mendacium et simulatio ficta triumphat, et prævalet. Pilatus veritatis nomine vix audito, in admirationem raptus fuit, haud secus ac si peregrinum aliquod idioma audivisset. Idem Salmeron paulo ante scripserat [1]: « Solent Principes, cum de « aliqua re incidit sermo, quæ ipsis cordi non est, « aut quam ad se pertinere non putant, leviter in- « terrogare; et ideo tanquam futilem hominem et « inanem contemnens, abiit non expectato res- « ponso. Egregie eos repræsentans, qui multos con- « sultant, ut veritatem intelligant, et tamen aut non « expectato responso, aut non intellecto, ne veri- « tas impediat eorum concupiscentias, discedunt. » Idem quoque rationem assignat, cur Incarnata Sapientia ad Pilati questionem non subito responderit : « Tacuit Christus, quid esset veritas, quia in « aulis Principum non habet locum, et ut pulchre « dictum est a Sapiente : *Ubi non est auditus, ne « effundas sermonem.* Melius quæsivisset Pilatus : « Ubi est veritas? et audisset, quod non esset in « Pontificibus, nec in Judicibus, nec in Pharisæis, « nec in turbis, nec in aulis principum. Ubique « exulat. » Toletus quoque Pilatum magnum sibi emolumentem, et profectum comparaturum fuisse existimat, si hanc interrogationem Christo recta cum intentione proposuisset [2] : « Magna profecto, et « summi momenti interrogatio, si facta fuisset ea « devotione, et affectu, et reverentia, quibus Dei « verbum suscipiendum, et audiendum, et quæren- « dum erat. Noluit autem Christi præstolari responsum, inquit idem auctor, ne videretur discendi gratia interrogasse, *quia dixerat per contemptum.* S. Anselmus a Beata Virgine sibi revelatum esse refert, quod *hanc quæstionem non solvit ei Christus, quia si solvisset, utique eum liberasset, et ideo genus humanum redemptum non fuisset.* Dionysius Carthusianus autem in favorem scribit Pilati, scilicet ideo ipsum non expectasse Christi responsum, quia cum plane Christum liberare decrevisset, impatiens moræ, egressus est ad Judæos, ut eis Christi indicaret innocentiam [3] : « Non expecta- « vit, » inquit « Christi responsionem præ nimio « desiderio liberandi, et excusandi eum; jam enim « percepit innocentiam Christi, et forte sic festina- « vit, quia repente occurrit memoriæ ejus modus « eripiendi Christi de manibus Judæorum. »

7. — *Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos.* Porro hic Pilati e prætorio egressus, ut loqueretur Judæis, relationem dicit ad hoc, quod Evangelista paulo ante his verbis dixerat: *Adducunt Jesum à Caipha in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Exivit ergo Pilatus ad eos foras.* Anxii morabantur, nec pedem inferre volebant in domum Pilati et tamen deposito omni scrupulo, loquebantur cum Pilato, ut eum ad innocentem Christi sanguinem effundendum permoverent, quasi major fuisset causa metuendi, ne per muros domus, quam per domus incolam, seu hospitem contaminarentur cum domus non pollueret nisi per eum cujus erat. « O impia cæcitas » exclamabat ab Hugone Cardinali citatus S. Augustinus [1]: « Habitaculo contaminarentur alieno, et non con- « taminarentur scelere proprio? Alienigenæ judi- « ciis prætorio contaminari metuebant, et fratris « innocentis sanguinem fundere non timebant. » Cor eorum invidia et odio contra Christum plenum erat : lingua blasphemias, improperia, calumnias evomebat : de pedibus eorum vere dici poterat: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*; falsos subornabant testes ad deprimendam innocentiam : paciscebantur per triginta denarios horribilem cum discipulo traditionis machinam : per prætextus calumniosos in sui defensionem a Præside cohortes armatas extorserant, eumdemque tot modis injustis ad Christi crucifixionem decernendam instigarant, præter tumultuosas ante prætorium excitatas violentias, minas eis intentaverant; et tamen ab ingressu prætorii per conscientiæ arcebantur scrupulo : « Isti sunt similes illis, » inquit Lyranus [3], « qui faciunt conscientiam magnam de minimis, « et multo graviora committunt. » Albertus Magnus inquit [4]: « Erat miserabilis cæcitas, quæ cavebant « immunditias prætorii, et non curabant, vel potius « procurabant immunditias homicidii. Matth. capite « duodecimo : *Liquantes culicem, camelum autem « glutientes.* Observanda est præpostera eorum re- « ligio, inquit Lucas Brugensis, vitantium immun- « ditiam, quæ ex ingressu prætorii posset contrahi, « nec horrentium eam, quæ ex cæde innocentis. « Immundos fore se putant, si tangant prætorii pa- « rietes : mundos autem manare se autumant dum « cœlo, et terra testibus, innoxium ad mortem « flagitant. »

[1] SALM., t. X, tr. 26. — [2] IDEM, *ib.* — [3] TOLETUS, *ib.*

[1] DIO. CARTH., *in Joan.* — [2] S. AUG. *cit. ab Hug. Car.* — [3] LYR., *ib.* — [4] ALB. MAG., *in Joan.* — [5] LUC. BRU., *ib.*

## DISCURSUS IV.

CUR HEBRÆI OBLATIONEM A PILATO HIS VERBIS FACTAM : SECUNDUM LEGEM VESTRAM ILLUM JUDICATE, NON ACCEPTARINT ; UBI ET INNOCENTIA CHRISTI, A PILATO QUIDEM DECLARATA, NON TAMEN PRO VIRIBUS DEFENSA, PONDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Examinantur rationes quare Pontifices, oblata illis a Pilato potestate, Christum judicare : per se noluerint. — 2. Pilatus dedit Judæis potestatem limitatam judicandi et interficiendi Christum. — 3. Judæi sæpius Christum interficere tentarunt. Quare Judæi sine interventu Pilati Christo necem inferre noluerint. — 4. Veritas innocentiæ Christi, testimonium accepit ab ipsismet inimicis suis. — 5. Pilatus multis modis conatus fuit Christum liberare a morte. — 6. Herodes etiam Christum remisit innocentem. — 7. Pilatus graviter deliquit quod Christum innocentem, cum posset, non liberaverit e manibus æmulorum suorum.

*Ego nullam invenio in eo causam. Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum.* Joan., XVIII, 13.

**1.** — Ex capite decimo octavo S. Joannis claris verbis constat, Pilatum post contestatam Christi innocentiam, facultatem dedisse principibus synagogæ, ut causam Christi recognoscere, eamdemque fatali sententia dirimere possent : *Ego nullam invenio in eo causam. Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum.* Et vero tametsi videri potuisset nihil hebraismo gratius potuisse obtingere, quam ut hac accepta licentia, suum adversus innocentissimum Agnum conceptum odium et furorem possent evomere : attamen multa fuerunt motiva, ob quæ hoc illis ultro oblatum judicium tergiversati fuerunt. Lucas Brugensis inquit : « Habet hæc Pilati responsio aliquid iracundioris indignationis, habet et aliquid humanioris concessionis. Indignatur, quod nolint causas explicare, ob quas velint Jesum ab eo morte mulctari, ratus hoc se indignum ; sed reprimens in se ipso, tanquam hoc forte sit, quia adversus ipsorum legem peccarit, quia causa mortis pendeat ex lege ipsorum, cujus ipse libenter se profitebatur ignarum, permittit, ut si lex ipsorum id exigat, morte ipsum plectant ex legis præscripto. Credibile est, quod alias difficilem non se præbere solitus fuerit Pilatus, ut supplicio extremo affici curaret, quos Judæi morte dignos judicassent ob legem suam violatam. Sed quia Jesus vir erat, pauper quidem conditione, sed fama sapientiæ, justitiæ, sanctitatis, rerumque gestarum celeberrimus ; cujus gesta admiratione dignissima quotidie ad Pilatum ipsum referebantur, maluit, si in eum animadvertendum esset, id fieri ab ipsis Judæis, quam a se, quod metuerit mali aliquid ex ejus cæde consequi posse. » Judæi vero e contra, quia sciebant, quod ubicunque locorum Jesus prædicabat, aut conversabatur, mox devotos, et obsequiosos sibi populos, « ob eximiam sanctitatem, singularemque et superhumanam doctrinam suam, et prodigiosorum miraculorum patrationem redderet, sanguinis ipsius sitibundi hunc quidem libenter effusum vidissent, non tamen suis, sed Pilati manibus, ut si forte ex morte ipsius quid sinistri eveniret, id super Pilatum recideret, non vero super ipsos. « Callide hoc dixerunt, » inquit Dionysius Carthusianus [1], « quatenus Christo a judice gentili damnato, ipsi videntur immunes. » Lucas Brugensis in Matthæum commentando, aliud insinuat motivum, inquiens [2] : « Accessit, quod consideravit, Præsidem, cui præsto erant præsidia militaria, se etiamsi liceret, certius tutiusque posse interficere, ut qui tumultum populi, si quis oriretur, non difficulter quiret compescere. »

**2.** — Observandum est autem, quod licet Pilatus ipsis causam Christi recognoscendi, et judicandi potestatem dederit, hæc tamen non absoluta, sed limitata fuerit. Ait enim : *Secundum legem vestram judicate eum.* « Quasi dicat, » inquit hæc verba exponens Hugo Cardinalis [3] : « Si vos accusatis eum de peccato legis, vel quia se Filium Dei fecit, vel quia dixit : Possum destruere templum Dei, judicate eum secundum legem vestram, quia de hoc non intromitto me. » Ipsi autem principes Sacerdotum responderunt, dicentes : *Secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Et vero tametsi Pilatus contentus fuisse videatur, ut juxta legem Hebræorum condemnaretur, ipsi tamen hanc licentiam acceptare detrectarunt, respondendo : *Nobis non licet interficere quemquam.* Lucas Brugensis ait [4] : « Cum esset Jesus vir clarissimus, atque adeo a plerisque habitus innocens, et Sanctus, ipsi vero essent manifesti inimici ejus, veriti fuissent, ne Præses ipsos, aut punivisset egregie, aut apud Cæsarem accusasset, si absque ipsius consensu Jesum, sive palam, sive clam e medio sustulissent. » Cur autem nunc quando Præses apertis verbis dicit *Accipite eum vos, et judicate*, cur, inquam, nunc respondent : *Nobis non licet interficere quemquam ?* Respondet idem auctor : « Ipsorum consilium fuit, ut a Romano Præside inter alias causas idcirco occideretur, ut quia Jesus maximi a plerisque fiebat, si res jam peracta in crimen vocaretur, majorem culpæ partem in Ethnicum Judicem possent derivare, et invidiam noxii sanguinis abs se in Pilatum transferre. »

**3.** — Porro Judæi respondendo : *Nobis non licet interficere quemquam*, præter veritatem locuti fuisse videntur, ut Dionysius Carthusianus notat [5], qui mul-

[1] DION. CART., *in Joan.* — [2] LUC. BRUG., *in Matt.* — [3] HUG. CARD., *in Joan.* — [4] LUC. BRUG., *in Matth.* — [5] DIO. CAR., *in Joan.*

torum adducit exemplar transgressorum Mosaicæ legis qui ab ipsismet Hebræis ad mortem fuere condemnati : « Nam paulo ante frequenter tentaverant occi- « dere Christum lapidando, præcipitando. Eodem « anno occiderunt S. Stephanum. Cogitaverunt oc- « cidere Apostolos, lapidaverunt S. Paulum, putan- « tes mortuum. » Euthymius hanc a Pilato additam licentiæ judicandi limitationem : *Secundum legem vestram judicate eum*, considerans, ait [1] : « Interfec- « tionem eis permittit, sed secundum legem, sub- « indicans, si aut ex invidia, aut odio, aliter quam « ex legis præscripto egerint cum illo, daturos sibi « aut Cæsari, apud quem eos sit accusaturus, pœ- « nas. » Divus Chrysostomus in homilia 82 in Joannem, ut inquit Lucas Brugensis, rationem, cur Hebræi per seipsos, sine interventu Pilati, Christo necem inferre noluerint, assignat dicens [2] : « Mul- « tum de eorum imperio ademptum erat a Roma- « nis : si crimina commissa fuissent adversus jus « gentium, reservaverant Romani sibi judicium. « et supplicium. Si vero adversus legem Judæorum « peculiariter, permiserant quidem ipsis judicium, « sed interficiendi facultatem non absque assensu « suo, id est, præsidis, aut prætoris a se delegati. » Idem quoque Lucas Brugensis refert testimonium Josephi Hebræi antiquitatum Judaicarum, asserentis [3] quod quia Ananus summus sacerdos S. Jacobum minorem, et nonnullos alios ex consensu quidem, et decreto concilii, sed absque licentia Præsidis lapidari fecisset, a dicto præside pontificatu privatus fuerit ; unde Lyranus ait [4] : « Si mortis sententiam « dare possent, libenter judicium recepissent. » Nec desunt, qui credant, principes Synagogæ omni cum sollicitudine quidem Christum interficere conatos fuisse, ne ipsorum detegerentur calumniæ, ipsumque tempus proderet veritatem, tum etiam ne occasio elaberetur solemnitatis Paschalis, ad quam Jerosolymis ingens erat hominum concursus, coram quibus proinde tanto magis per ignominiosam mortem suam fuisset diffamatus ; at vero quia idipsum ex altera parte per se ipsos adimplere non poterant, ob diei solemnitatem, in qua id a legibus vetabatur, ideo intentum suum Pilato mediante assequi satagebant. Unde Dionysius Carthusianus ait [5] : « Probabilior videtur assertio dicentium, quod non « licuit Judæis interficere quemquam in festivitate « Paschali. » Lucas Brugensis in Matthæum scribens, pariter punctum hoc tangit, inquiens [6] : « Præ- « terea quia sanctissimus, et celeberrimus erat « Paschæ dies, quo vel non liceret, vel non deceret « Judæum vita privare, imo quo criminosi consue- « verunt, non tantum non morte mulctari, verum « etiam a vinculis absolvi, invidiæ declinandæ causa « maluerunt a Romano Præside, quem nulla Pas- « chæ tangebat religio, morte eo die plecti Jesum, « quam ab ipsis. » Huc quoque spectat sequens S. Bernardini ingeniosa observatio, dicentis [1] : « Ine- « vitabiliter Christi mortem gerebant in corde, qui « de interfectione clamabant ; non enim eis dixe- « rat Pilatus : Accipite et interficite, sed dixe- « rat : *Accipite, et judicate.* » Est et aliud motivum, cur Judæi dixerunt : *Nobis non licet interficere quemquam* ; quia tametsi auctoritatem sufficientem habuerint infligendi mortem illis, qui legis Mosaicæ fuerant transgressores, hæc tamen potestas ad ignominiosam crucis mortem minime extendebatur, quam præ quavis alia Christo volebant irrogatam ; unde apud Prophetam dixerant : *Morte turpissima condemnemus eum.* Hugo Cardinalis super illa verba ; *Nobis non licet interficere quemquam*, dicit [2] : « Scili- « cet pro hoc scelere, id est, pro crimine læsæ « majestatis, quia negat tributa dari Cæsari, et « usurpat sibi regnum, dicens, se Regem esse. « Unde per hoc volebant innuere, quod morte tur- « pissima deberet mori, id est, crucifigi. Unde dicunt : Nobis non licet occidere quemquam, quasi dicant : Hoc excedit potestatem nostram. Lucas Brugensis similiter ait [3] : « Nec enim propositum « ipsis fuit, Jesum occidere solummodo, verum « etiam celebrem ipsius gloriam extrema infamia « obductam abolere, supplicio ignominiosissimo, a « legitimo judice, publice de eo tanquam scelesto « sumpto. »

4. — *Ego nullam invenio in eo causam.* Simon de Cassia hanc Præsidis in favorem Redemptoris factam protestationem admiratur, inquiens [4] : « Magnum « testimonium ad memoriam posterorum, quod « homo gentilis, tutor reipublicæ, procurator Ju- « dææ, legatus Cæsaris totiusque senatus, cultor « idolorum, ignarus divinæ legis, nihil in prophe- « tis, aut prophetiis agnoscens, det Christo testi- « monium, quod in eo nullam invenit criminis « notam, nullamque condemnationis causam. » Didacus Stella hoc Pilati testimonium tanto majoris æstimandum esse, dicit, quod ab inimicis profectum fuerit [5] : « Tantam enim vim habet veritas, « quod etiam a malis confiteatur. » Judas qui illum tradidit, denarios ad templum reportans, ait : *Peccavi tradens sanguinem justum.* Uxor Pilati ad maritum suum quamdam e gynecæo ablegavit, quæ ei diceret : *Nihil tibi, et justo illi.* Lucas Brugensis hanc ab uxore Pilati ad maritum institutam legationem considerans, inquit, Pilatum voluisse eam in publico fieri, ut innocentiam Christi ab omnibus audiretur, atque insuper in hæc verba scribit [6] : « Non eo fine a Deo, aut ejus jussu ab Angelo, « mulieri somnium hoc immissum fuit, ut Jesus « liberaretur a morte, verum ut innocentiæ Jesu

[1] EUTHYM. — [2] LUC. BRU., *in Matt.* — [3] JOS. HEB., l. XX *Antiq.* — [4] LYRAN. — [5] DION. CARTH., *in Joan.* — LUC. BRUG., *in Matt.*

[1] S. BERN., t. V, s. 55, a. 3. — [2] HUG. CARD., *in Joan.* — [3] LUC. BRUG., *in Matt.* — [4] SIM. DE CASS., l. XIII. — [5] DID. STELLA, *in Luc.* — [6] LUC. BRUG., *in Matt.*

« testimonia undique concurrerent. Voluit enim ita « Deus condemnari Jesum, ut omnibus modis, « omnis generis et sexus personarum sententiis, « omnium denique electorum veluti uno sensu, « ejus innocentia testata esset. » S. Bernardinus somnium hoc uxoris Pilati, opera dæmonis eidem contigisse existimans, exclamat [1] : « O infidelis iniquitas, et cæca perversitas Judæorum ! omnes, « præterquam vos, innocentiam Christi clamant. « Clamat Præses, Hærodes actibus pandit, dæmon « per visum insinuat, mulier profitetur, referendarius nuncium profert : *Nihil tibi et justo illi*, ut « non solum innocentia, sed et justitia Christi præconium laudis in judicio habeat. » Latro in monte Calvariæ ex crucis patibulo clamavit : *Quid enim mali fecit?* Centurio quoque dixit : *Vere Filius Dei erat iste.* In multis tribunalibus causa ejus discussa fuit. Etenim ad Annam primo, deinde ad Caipham perductus, in conspectu totius concilii Synedrin examinatus fuit : et tamen *convenientia testimonia non erant.* Pilatus judex supremus, in quem maximopere confidebant, non solum eum non invenit culpa aliqua obnoxium, verum insuper protestatus est, quod ne quidem Herodes, ad quem ipsum remiserat, vel minimum delicti nævum in ipso reperisset. Unde Didacus Stella super illa verba : *Pilatus convocatis principibus*, ita scribit [2] : « Omnes « convocat tam principes Sacerdotum, quam turbam, ut inter tantos saltem aliquem inveniat, qu « veritati, et innocentiæ Christi patrocinari velit. « Obtulistis, inquit, mihi hunc hominem, quasi « contrarium legi divinæ et humanæ ; sed non « tantum ego sed nec Herodes, ut vos ipsi testes « estis, invenit in eo causam aliquam mortis. »

**5.** — Beda in Commentario suo in Lucam multos refert modos, quibus Præses Christum, tanquam innocentem liberare conatus fuit [3] : « Quantum, » inquit, « dimittendi Jesum studium gerat « Pilatus, attende. Primo accusantibus Sacerdotum « principibus, nihil in eo causæ invenisse dicit. « Deinde illis in cœpto persistentibus, mittit ad « Herodem, ut si vel ille quid in eo sceleris invenire possit, an forte dimittendum decernere velit, exploret. Postremo et ejus agnita voluntate, « nec invento in Jesu facinore, etiam plebis, cui « unum dimittere per Pascha consueverat, sententiam quærit. Iterum quoque ac tertio illum dimittere illis volens, interrogat; sed quo curiosius « auxiliatorem dimittendi Jesum, quem non repererit, quærit, eo criminosiores eos, quos unanimiter ejus mortem desiderantes reperit, arguit. « *Obtulistis mihi hunc hominem*, etc., *et nullam causam invenio in eo.* » Hugo Cardinalis similiter quinque enumerat modos, quibus Pilatus ejus liberationem procurare contendit; ita enim scribit [4] : « Multas quæsivit occasiones Pilatus, ut cum « populi benevolentia posset Jesum liberare. Prima « est Judicis mutatio. Unde misit eum ad Herodem. « Secunda est criminis amotio. Unde dixit : Nullam causam mortis invenio in eo. Tertia est « pœnæ illatio. Unde dixit : Corripiam ergo illum « et dimittam. Quarta personarum collatio. Contulit enim Barabbam latronem cum Christo innocente, ut ex collatione ostenderet, Christum « debere dimitti. Quinta est sententiæ dilatio. Eos « enim sæpe interrogavit, quid vellent fieri de « ipso. » Flagellationem quoque ejus eo ordinavit, ut eum a morte eximeret : *Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam.* Ubi Lucas Brugensis ait [5] : « Ut cognoscatis, id est, ut intelligatis, seu fidem verbis « meis adhibeatis et credatis mihi ; nullam causam « vel Romani imperii læsi, vel publicæ rei turbatæ, « vel sceleris admissi; imo hujusmodi regnum, « quale ipsius esse intelligo, ipsi facile admitto. » Idem scribens in Lucam, collatis ad invicem sæpius a Pilato repetitis innocentiæ Christi testificationibus cum suis circumstantiis, ab Evangelistis accurate descriptis, in hæc verba subjungit [6] : « Non frustra « circumstantias istas tam sedulo narrarunt et inculcarunt Evangelistæ, quia nostra magnopere « interest scire, Jesum non prius damnatum esse a « Pilato, quam tertio ac sæpius absolutus esset ab « ejus ore, ut intelligamus non suo ipsum nomine « fuisse damnatum, sed pro nostris peccatis. »

**6.** — S. Bernardus quoque ad missionem Christi ad Herodem se reflectit, qui nec ipse ullam in eo invenire potuit culpam. En verba ipsius [7] : « Ex « quo Christi veritas amplius elucebat, quoniam « duo disertissimi Principes causam mortis in « Christo, vel modicæ pœnæ pro commisso crimine « indagatione subtili protinus invenire non potuerant. » Et paulo post subdit : « Sed cum Pilatus « in suæ assertionis robur et fundamentum assumit Herodem, ad ostendendam innocentiam « Christi, sic verba connectit, dicens : Nam remisit « illum ad nos et ecce nihil dignum morte actum « est ei ; quasi dicat : Vos in probatione deficitis; « judicari ergo sine sua confessione non potest; « proinde coram vobis interrogo, si in aliquo deliquit, nam adhuc in eo non invenio causam mortis. Emendatum ergo dimittam. Hic verbis suis « incipit exorbitare, cum emendare se dixerit innocentem. Vide, quid dicas : si innocens, quomodo emendabis? » Idem S. Pater paulo ante Judicis detestatus fuerat instabilitatem inquiens : « O fragilitas conditionis humanæ! O derelictio « veritatis! Si emendabis, quomodo toties innocentem proclamasti? Si emendabis innocentem, « devias protinus a justitia. Nec excusaretur Pila-

[1] S. Ber., *ib.*, a. 4, c. 1. — [2] Did. Stella. — [3] Beda, *in Luc.* — [4] Hug. Card., *in Joan.* — [5] Luc. Brug., *ib.* — [6] Id., *ib.* — [7] S. Bern., *ib.*, a. 3, c. 3.

« tus, si perexigue vexasset innoxium. » Quam apposite Didacus Stella de præside, post pronunciatam sententiam (ut se ab omni culpa immunem, eam vero omnem soli populo incumbere ostenderet) manus suas lavante, dixit [1] : « Universa aqua « maris non sufficit mundare Pilati conscientiam, « quandoquidem proprio ore Christum innocentem « esse confitens, nihilominus morti tradidit. »

**7.** — S. Bernardinus super illa verba : *Accipite eum vos et secundum legem vestram judicate*, prudentissime observat, quod hæc perfidis illis lupis, quoad immaculatum Agnum, indulta potestas, minime illi favorabilis extiterit. Ait enim [2] : « Non liberat « Christum Pilatus, sed in manibus nititur tradere « æmulorum, nesciens, quod non satis est liberum « fieri a crimine, si non lædat, si non, cum potest, « innocentiam tueatur. » Audiamus hac de re scribentem in hæc verba D. Chrysostomum [3] : « Verum « non erat Pilato tutum, dices, ipsum liberare, « quoniam affectatæ tyrannidis erat accusatus. « Oportebat igitur argumenta quærere, quibus ista « probantur, ut puta si exercitum conscribebat, si « pecuniam ingentem conflabat, si arma, vel aliud « hujusmodi præparabat. Ille vero temere ab eis « seducitur, quapropter culpæ non est expers. » Rupertus Abbas in hanc rem sequens format argumentum [4] : « Si vere illum liberare voluit, quare « nusquam illa sua potestate usus est, de qua « dixit : *Nescis, quia potestatem habeo occidere te,* « *et potestatem habeo dimittere te?* » Lucas Brugensis super illa verba [5]: *Adjudicavit fieri petitionem eorum,* ita scribit : « Metuens tumultum, ac seditio- « nem. Ut fieret quod illi postulabant, non justitia, « sed postulatio ipsorum. Non judicavit Pilatus « Jesum ex suo animo, sed ex arbitrio Judæorum.»

## DISCURSUS V.

### DE SERVATO A CHRISTO CORAM PILATO SILENTIO, DEQUE EJUS MYSTERIIS LATIUS DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Eruuntur mysteria de stupendo Christi silentio coram Pilato. Adducuntur variæ SS. PP. sententiæ circa Christi silentium. — 2. Christus tacuit quia sciebat responsa sua vertenda forte in calumniam. — 3. Silentium Christi probavit illum esse humana conditione superiorem. — 4. Quare Christus quandoque responderit Pilato et quandoque siluerit. — 5. Christus siluit, quia interrogantes ejus responso indigni erant. — 6. Christus silentio satisfecit pro peccatis linguarum nostrarum. — 7. Hoc revelatum fuit B. Angelæ de Fulginio. — 8. Specificantur vitia linguæ immortificatæ. — 9. Christus suo silentio nos docuit mansuetudinem.

*Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer.* Matth., XXVII, 10.

**1.** — S. Anselmus in dialogo de Passione, Beatissimam Virginem interrogavit, an quando Filium suum ad Pilatum perduci vidit, aliquam de ejus futura liberatione spem habuerit ; quæ ei affirmative respondens, hanc asserti sui reddidit rationem [1] : « Sciebam, quod ita ingeniosus fuit, et facundus, « et sperabam quod se excusaturus esset, si ad « judicium veniret. » Tunc autem spes Beatam Virginem fefellit, quia stetit quasi *Agnus* mansuetissimus, *et non aperuit os suum.* S. Leo de hoc silentio disserens, idipsum admirabile appellat, dicens [2] : « Inter inconditas et dissonas voces, hoc « Jesus mirabiliter elegerat, ut taceret. » Et vere mirabile fuit, quod inter tot maledicentias, imprecationes, calumnias, blasphemias, injurias, alapas, ululatus, calcium illisiones et alia acerba verbera, ne os quidem suum aperuerit; sed vultu semper sereno et benigno omnia tolerarit. Idem silentium in vehementem admirationem ipsummet Præsidem rapuit, siquidem S. Matthæus, non contentus se dixisse : *Ita ut miraretur Præses*, insuper addidit verbum, *vehementer.* Imo Simon de Cassia ait [3] : « Non solum hunc, sed omnes in admirationem « trahit, silere Verbum et non respondere verbum, « Mirabile silentium, ubi silens habet tanta pro- « ferre. » Lucas Brugensis hanc Præsidis admirationem in hæc verba describit [4] : « Ut miraretur « vehementer, hominem innoxium, eloquentem et « sapientem, in capitis periculo obticescere, nec se « verbis defendere cum facile posset, cum frigidas « et inanes calumnias refellere promptus esset, « judice etiam arguente et propitium ac benevo- « lum se ipsi præbente. Mirabatur illorum quidem « in accusando studium, multitudinem comminationum conquisitam et conspirationem, indicem « odii vehementissimi; Jesu vero taciturnitatem « placidam, mansuetam patientiam, animi fortitu- « dinem, mortisque contemptum constantem et « imperterritum, cum vultu nullius odii, aut acer- « bitatis nota, sed summæ modestiæ decore im- « buto. » Hæc quoque justitiæ admirationis motiva diu ante S. Paschasius observavit, dum ait [5] : « Quis « non poterat admirari inter tantam rabiem accu- « santium, et clamores vulgi, et furores seniorum, « cum videret eum tam tranquillum adstare, tam « mitem et quietum, cum omni gravitate imperter- « ritum, qui petebatur ad mortem et in nullo mo- « vebatur affatu? Fortior namque erat in eo « virtus, quam humana natura se habeat et ideo « poterat non solum admirari Pilatus, verum etiam « vehementer, quoniam dignum ei videbatur, pro « magno miraculo admirari valde, ut exhibitus « homo ad criminale judicium et adjudicatus morti, « imperturbabilis permaneret et imperterritus. Ut « staret ante mortem, quæ omnibus terribilis est,

[1] DID. STEL. — [2] S. BER., *ib.* — [3] CHR., h. 87 *in Matt.* — [4] RUP. ABB., *in Joan.* — [5] LUC. BRU., *in Luc.*

[1] S. ANS., dial. *de Pass.* — [2] S. LEO, s. 6 *de Pass.* — [3] SIMON DE CASS., l. XIII. — [4] LUC. BRUG., *in Matt.* — [5] S. PASCH., *ib.*

« sine ullo pavore mortis, et taceret sine ulla defen-
« sione sua, cum posset se, si vellet, in judicio
« defendere. » Porro Pilatus sciebat, Christum virum eloquentissimum pariter et sapientissimum esse. Sciebat item illos, qui a principibus Sacerdotum missi fuerant, a cœlesti ejus facundia in stuporem versos et captos abivisse ; eumque cum omnium admiratione, in templo sæpissime prædicasse, imo turbas non minus attonitas quam famelicas, ejus auscultandi causa, tribus diebus et noctibus intra sterilis deserti solitudinem post se traxisse. Albertus Magnus ait [1] : « Causa admirationis fuit inno-
« centia Domini, qui uno verbo poterat omnes
« exsufflare accusationes et non fecit. » S. Thomas sese ad verbum *vehementer* a S. Matthæo expressum reflectit [2], quia merito unumquemque in stuporem rapit, dum quis videt, quod homo prudens, sapiens, eloquens, in præjudicium famæ et vitæ calumniatus, atque a Judice sibi in judicio favorabili ad se defendendum exstimulatus, os suum non aperiat. Hoc Christi Domini coram Pilato usurpatum silentium et regius Psaltes prædixisse videtur, quando in persona Christi ait [3] : *Ego autem tanquam surdus non audiebam et sicut mutus non aperiens os suum.* Theophylactus ait [4] : « Admiratus est Pilatus
« Dominum et quod contemneret mortem, et quod
« tam eloquens, et multa habens, quæ responde-
« ret, nihil responderet, sed accusatores contem-
« neret. » Idem in Commentario super Marcum ita scribit [5] : « Admirabatur, quod cum legis peritus
« esset, ac tam eloquens et qui posset per defensio-
« nem abstergere calumnias, nihil diceret, sed sus-
« tineret fortiter calumnias. » Verus igitur Christus Salvatoris mundi typus fuit Joseph Patriarcha, filius Jacob, qui ad depellendam a se inustam sibi a Putipharis uxore calumniam, os suum nunquam aperuit, sed carceris vincula libenter toleravit. Porro hæc Christi taciturnitas, a Jeremia Propheta his verbis prædicta fuit : *Ponet in pulvere os suum* ; ubi alii legunt : *Ponet in sepultura os suum.* Circa quæ verba S. Ambrosius ita scribit [6] : « Ostendit
« quamdam supra modum patientiæ taciturnita-
« tem, ut tanquam sepeliat os proprium, ne loqua-
« tur et velut quodam aggere virtutum obstruat. » Origenes aliud quoddam Psalmistæ, de hoc silentio vaticinium adducit, inquiens [7] : « Potest in istis
« intelligi impleta Prophetia quæ dicit : Dum con-
« sisteret adversum me peccator, obmutui et humi-
« liatus sum nimis. » Inter cæteros vero idem silentium propheta Evangelicus clarius prædixit, dum ait [8] : *Oblatus est, quia ipse voluit et non aperuit os suum ; sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum.* Circa quæ verba Doctor Angelicus Christum instar agni tacuisse dicit, ut nobis præberet mansuetudinis exemplum ; ita enim scribit [1] : « Et dicitur tanquam agnus, ut non credatur, quod
« tacuerit sicut male sibi conscius, qui de peccatis
« suis convincebatur ; sed sicut mansuetus, sicut
« qui pro peccatis alienis immolabatur. » Rupertus Abbas ad idem propositum ita scribit [2] : « Qui ag-
« num Dei male totonderat, id est, flagellaverat,
« ideo coram illo juste obmutescebat et non aperie-
« bat os suum. » Beda pariter hanc similitudinem his verbis declarat [3] : « In hoc data est de agno
« similitudo, ut in suo silentio non reus, sed inno-
« cens haberetur ; ubi enim tacebat, quasi agnus,
« toto pro grege immolandus, patientiam præsta-
« bat. Ubi vero respondebat, quasi pastor bonus,
« pro creditis sibi ovibus, contra luporum latro-
« numque insidias pugnabat. » Porro ab agnis sola lana detonditur, non vero percutiuntur, nec lacerantur, nec decoriantur ; quæ tamen omnia circa hunc agnum commissa fuerunt, qui venerat, ut tolleret peccata mundi. In hoc igitur maxime admirandum fuit Christi silentium, quod non solum tacuerit, quando totus nudus, omnium fuit oculis expositus, ejusque vestes a lictoribus fuerunt divisæ ; verum etiam inter tot flagella, spinas, aliaque atrocissima verbera constitutus. Sponsa in sacris Canticis non immerito caput Redemptoris auro optimo simile esse dixit [4] : *Caput ejus aurum optimum.* Etenim experientia docet et Tertullianus testatur, quod aurum percussum nullum edat sonum, aut tinnitum [5] : « Aurum percussum silet. »

**2.** — *Et non respondit.* Theophylactus ait [6] : « Jesus cum sciret judicium eorum injustum, tace-
« bat ; quibus enim signa nihil persuaserant, quo-
« modo persuasissent responsa? » S. Anselmus quoque inquit [7] : « Sciens ut Deus, quæcumque
« respondisset, torquendum in calumniam. » Sciebat inutilem futuram omnem suam defensionem. Theophylactus observat, quod tametsi Christus innocentiam suam antea coram Pilato ostendisset, nihil tamen inde profecerit, quin et ipse Judæorum partibus tandem accessit : « Nihil, » inquit [8], « ex
« his percipit utilitatis, neque restitit pro veritate,
« sed cessit turbæ tumultuanti. » Salmeron quoque ait [9] : « Amplius responsum non dedit, quia supra
« satis notam illi fecerat suam innocentiam, cui
« etiam ipse testimonium perhibuerat. » S. Ambrosius hujus silentii examinans motiva, inquit [10] ;
« Bene tacet, quia defensione non indiget ; ambiant
« defendi, qui timent vinci. Cur tacuerit, ipse
« præmisit, dicens : *Si vobis dixero, non credetis*
« *mihi* ; *si vos interrogavero, non respondebitis*
« *mihi.* » Lucas Brugensis assumpti thematis verba

[1] Alb. Mag., *in Marc.* — [2] S. Thom. — [3] *Ps.* xxii, 14. — [4] Theoph., *in Matt.* — [5] Id., *in Marc.* — [6] S. Amb., in *Ps.* cxiii. — [7] Orig., tr. 35 *in Matt.* — [8] Isa., liii, 7.

[1] S. Thom., *in Joan.* — [2] Rup. Abb., l. xiii *in Joan.* — [3] Beda, *in Luc.* — [4] Cant., v, 11. — [5] Tertull. — [6] Theoph., *in Matt.* — [7] S. Ansel., *ib.* — [8] Theop., *in Joan.* — [9] Salm., t. X, t. 31. — [10] S. Amb., l. X *in Luc.*

in sensu litterali hoc modo exponit [1] : « Semel « responderat Jesus præsidi, quod necesse fuerat, « ultra non erat opus. Poterat enim præses ex se « judicare, qualia illa essent, quæ objicerentur, « quam indigna responsione et quam minime « merentia mortem. Sed volebat Præses, Jesum « adversariis potius satisfacere, quam sibi. Atque « noverat Jesus adversarios nullis rationibus pla- « cari posse. » Citatque auctoritatem S. Augustini, dicentis [2] : « Accusationem suam Dominus tacendo « non firmat, sed despicit non repellendo; melior « est causa quæ non defenditur et probatur. Plenior « justitia, quæ non verbis astruitur, sed veritate « fulcitur. Scivit Salvator, qui est Sapientia, quo- « modo tacendo vinceret, quomodo non respon- « dendo superaret. » S. Athanasius hanc S. Augustini doctrinam his verbis confirmat [3] : « Magnum « id certe et mirificum in Servatore,qui tacendo « et non respondendo tam efficax erat in persua- « dendo, ut ultro factiones, conspirationesque ad- « versus eum initas, et agnosceret, et confiteretur. « Qui si respondisset Pilato, poterat ille suspicari, « formidine eum mortis ad loquendum inductum « fuisse. Jam cum taceat, quid admireris, nisi illius « robur, fortitudinemque in contemnenda morte? »

**3.** — *Et non respondit.* Silentium hoc, ut multi sacri Interpretes speculantur, aliquid in se habuit superhumani et divini. Unde Jeremias illud prædicens, ait [4] : *Tacebit, quia levavit super se.* Ubi alii legunt : *Quia levavit se super se.* Quasi diceret : taciturnitas illa ipsum humana conditione superiorem esse probavit. Ac proinde Isaias inter alia Messiæ venturi indicia, hoc quoque recenset [5] : *Et erit cultus justitiæ silentium.* Ubi ponderandum est verbum *cultus*, quod honorem Deo debitum exprimit; ac proinde Propheta vult dicere, quod Messias tacendo, simul cum innocentia sua, aliquid divini in se prodet, nam ut regius Propheta ait [6] : *Te decet silentium, Deus, et tibi reddetur votum in Jerusalem.* S. Cyprianus de Patientia disserens, inquit [7] : « Inter cætera admirabilia virtutum, quibus indicia « divinæ Majestatis expressit, paternam quoque « patientiam tolerantiæ tenore servavit. » Consideratione quoque dignum est aliud ab Habacuc circa divinitatem Messiæ traditum indicium; ait enim dictus propheta [8] : *Neque audietur vox ejus foris et tyranni ridiculi ejus erunt, et ipse de Regibus triumphabit.* Christus enim per hoc silentium Herodem Regem et imperii Romani Præsidem, nec non omnes alios Principes Sacerdotum et Synagogæ, derisit et ad furorem concitatos devicit. S. Anselmus quærit [9] : « Qualis est hic, qui in omnibus pressuris « suis nec semel os suum aperuit, ut aut quærelæ, « aut excusationis, aut criminationis, aut maledic- « tionis verbum adversus maledictos canes illos « proferret? » Divus Chrysostomus de Davide, persecutionibus Saulis agitato et apud eumdem Saulem variis calumniis impetito, in hæc verba scribit [1] : « Illi quidem verbis calumniantur, at « ego re ipsa me purgo, ipsique factis depello cri- « men. » Quasi diceret mihi nihil opus est verbis, cum ipse rerum exitus quavis oratione clarius possit te docere. Id ipsum pariter Redemptor Pilato et accusatoribus suis merito dicere poterat. Unde Dionysius Carthusianus de ejus coram Herode servato silentio ita scribit [2] : « Jesus nihil respondit. « patientiam docens et incorrigibilium cedens « furori, præsertim quia opera ejus quæ fecit, vi- « delicet sanctitas vitæ et miraculorum excellentia, « quibus usque in hanc horam præfulsit, eum « etiam silentem excusabant. Imo ex sua taciturnitate mitissima patuit innocentia ejus. »

**4.** — *Et non respondit.* D. Chrysostomus observat, Christum sæpe tacuisse, nonnunquam vero locutum fuisse ; cujus hanc reddit rationem [3] : « Paucissima « quædam, et rarius respondens, ne perpetuo si- « lentio superbus videretur; Pontificii enim quando « adjuravit et interroganti nonnunquam Præsidi re « spondit. In obiecta vero crimina, duoniam mi- « nime se persuasurum sciebat nihil omninore « respondit. » Idem quoque S. Thomas observat, inquiens [4] : « In multis loquitur, et in multis silet, « quia si semper loqueretur, excusaret se. Item si « semper taceret, pertinax videretur. » Principale quoque sæpe usurpatæ taciturnitatis motivum fuit, ne passioni suæ poneret obstaculum : Unde S. Thomas ait : « Quia noluit excusare passionem « suam, ideo tacuit; poterat enim eam excusare « loquendo. » Idipsum pariter S. Hieronymus his verbis insinuat [5] « Ne crimen diluens a Præside di- « mitteretur, et crucis utilitas differretur, nihil res- « pondere voluit. » Toletus quoque ait [6] : « Respon- « sum negat Dominus, qui non a morte eripi « quærebat, sed eam pro nostra salute libentissime « patiebatur. »

**5.** — *Et non respondit.* Albertus Magnus illos indignos fuisse dicit, quos Incarnata Sapientia sua responsione dignaretur [7]: « Tanta responsione, » ait, « impii digni non fuerunt. *Nolite sanctum dare cani-* « *bus.* » Eandem quoque observationem habet Doctor Angelicus, dignus Alberti Magni discipulus ; ait enim [8]:« Tot signa Judæi viderant, quot converti poterant, « et ideo reputavit eos indignos. » Quoad silentium coram præside a Christo observatum, S. Paschasius ita scribit [9]: « Indignum eum sua respon

[7] Luc. Brug , *in Mat.* — [1] S. Aug., ser. 118 *de temp.* — [2] S. Athan., *de Pass. et Cruce.* — [3] Thren., iv, 28. — [4] Isa., xxxii, 17. — [5] *Ps.* lxiv, 2. — [6] S. Cyp., l. de *Bono Patient.* — [8] Habacuc, i, 10. — [9] S. Ans., dial. *de Pass.*

[1] S. Chrys., l. ii *de Saul.* — [2] Dion. Cart., *in Luc.* — [3] Chr., h. 87 *in Matt.* — [4] S. Thom., *ib.* — [5] S. Hier., *ib.* — [6] Tolet., *in Joan.* — [7] Albert. Mag., *ib.* — [8] S. Thom. — [9] S. Pasch., *in Matt.*

« sione decernens, juxta illud propheticum: *Cum* « *consisteret adversum me peccator, obmutui, et hu-* « *miliatus sum nimis, et silui a bonis.* Quia quibus « loqueretur, nullus eorum erat dignus. » Hugo Cardinalis aliud hujus coram Pilato servati silentii insinuat mysterium scilicet[1] : « Ne Pilati peccatum « aggravaretur, si eum postea traderet. » Idem purpuratus scriptor super Sanctum Marcum, ideo Christum accusatoribus suis respondere noluisse dicit[2] : « Ne calumniando per ejus responsionem pejores « fierent, et hæc fuit misericordia. »

**6.** — *Et non respondit ei verbum.* Observandum est, quod cum Redemptor noster omnia in se susceperit peccata, ut pro divinæ justitiæ *ex toto rigore* satisfaceret, inter hæc autem peccata, linguæ vita, et plurima sunt, et maxime gravia. Enimvero primus scopulus, propter quem prima mater nostra tam graviter lapsa est, in hoc positus erat, quod cum serpente (hujus enim speciem communis inimicus induerat) sermones miscuerit. Unde idem Hugo Cardinalis super illa verba : *Ipse autem tacebat,* et *nihil respondit,* ita scribit[3] : « Ut sua taciturnitate « apologiam Adæ solveret. » Id ipsum quoque asserit Sanctus Hieronymus, vel quisquis Commentarii illius auctor existit. Apud Bollandum in vita B. Angelæ de Fulginio refertur, hanc ei a cœlesti Sponso suo, in cruce pendente, factam fuisse revelationem[4] : « Pro peccatis linguæ tuæ, quam ad detrac- « tiones, calumnias, irrisiones maledictiones, blas- « phemias, mendacia perjuria, et alia peccata « laxasti, ego habui os meum coram Judicibus, et « falsi testibus clausum, et non habui in ore meo « excusationes. » Hugo Cardinalis super illa Psalmistæ verba[5] : *Pone Domine, custodiam ori meo et ostium, etc.* multas ab immortificata lingua derivari transgressiones observat, dicens[6] : « Adulatio blasphe- « mia, convicium, detractio, excusatio peccati falsa « locutio, gloriatio, ironica locutio, irrisio, cavillatio, « ludificatio, murmuratio, nugatio, oratio indebita, « perjuratio, querulatio, revelatio secretorum, « susurratio, turpiloquium, verbum otiosum, con- « tumelia, zizaniæ seminatio, a lingua proficiscun- « tur. » Cum igitur Redemptor noster pro omnibus hisce peccatis satisfacere voluerit, linguam suam mortificavit, non respodendo tot calumniis, nec propriam suam defendendo innocentiam, licet mortem adeo atrocem sibi imminere nosset. Blosius considerans silentium a Christo coram Pilato servatum, in hosce prorumpit devotos orationis affectus[7] : « Da mihi linguæ continentiam tibi placen- « tem, non permittas me vitiosa proloqui. Non « permittas ineptis fabulis occupari, sed præsta ut, « quæ recta, utilia honestaque sunt, pro tua volun- « tate proferam, vitium maledicentiæ perhorres- « cam, et ut de omnibus bene loqui possim. »

**7.** — *Et non respondit.* Filius Dei in hasce terras non solum ideo descenderat, ut genus redimeret humanum, verum etiam ut salutaria nobis exempla post se relinqueret, ut ad ejus imitationem vitam ageremus Christianam. Inter cætera autem relinquere nobis voluit exemplum mansuetudinis, cujus hoc silentium erat indicium : *In silentio et spe erit fortitudo nostra.* Hugo Cardinalis super illa verba[1] : *Responsum non dedit ei,* inquit[2] : « Ut omnem « mansuetudinem ostenderet. » Et vero virtutem istam præ cunctis aliis magis sollicite docuerat : *Discite a me, quia mitis sum* : præcipue vero eamdem martyribus, in suppliciorum suorum carnificina positis, insinuatam esse voluit ; de quibus sancta mater Ecclesia ita canit : *Non murmur resonat, non querimonia, sed corde tacito mens bene conscia conservat patientiam.* Origenes se ad calumnias, quæ Christianis sui temporis inurebantur, respondere adstrictum esse videns, ait[3] : « Christus falsis gra- « vatus testimoniis, obticuit.

[1] Hug. Card., *in Joan.* — [2] Id., *in Marc.* — [3] Id., *ib.* — [4] Bollan., 4 jan , fol. 203. — [5] *Ps.* cxl, 3. — [6] Hug. Card., *ib.* — [7] Blos., *in Sacello animæ,* en. 9.

## DISCURSUS VI

### DE CHRISTI AD HERODEM REMISSIONE, DEQUE IIS, QUÆ IBIDEM ACCIDERUNT.

Idea sermonis. — 1. Adducuntur rationes, quare Pilatus Christum miserit ad Herodem. — 2. Expenditur iter Christi a domo Pilati, ad domum Herodis. — 3. Variæ redduntur rationes gaudii Herodis de viso Jesu. — 4. Proponuntur quæstiones Christo factæ ab Herode. — 5. Quare Christus non responderit Herodi. — 6. Judæi timuerunt, ne Herodes Christum dimitteret tanquam stultum. — 7. Christus tertio fuit illusus. Doctrina de contemnendis illusionibus. — 8. In quo posita fuerit illusio Herodis. — 9. Quid intelligatur per vestem albam, in qua illusus fuit Christus. Adducuntur vestis albæ mysteria. — 10. Expenditur amicitia facta inter Pilatum et Herodem.

*Ut cognovit, quod de Herodis potestate esset remisit eum ad Herodem.* Luc. xxiii, 7.

**1.** — Cum Judæi apud præsidem pro Christi condemnatione, tanquam rei læsæ Majestatis ob affectatum Regnum, perseveranter instarent, Pilatus qui eum innocentem declaraverat, ipsum e Galilæa oriundum esse audiens oblatam sibi libenter, et subito captavit occasionem, eum ad Herodem Regem mittendi, ut ab eo illius causa cognosceretur ; idque pluribus ex motivis[4] : « Captabat enim om- « nem occasionem, » inquit Lucas Brugensis, « se « extricandi ex judicio Jesu, gnarus, quod per in- « vidiam a Pontificibus postularetur ad mortem. » Quoad exteriorem vero apparentiam, ostendit se

[1] Isa., xxx, 13. — [2] Hug. Cart., *in Joan.* — [3] Orig., *cont. Cels.* — [4] Luc. Brugen., *in Luc.*

honorare voluisse Herodem, tunc ob solemnitatem Paschalem Jerosolymis personaliter præsentem ; tametsi revera in hac Christi ad Herodem missionem aliis finibus moveretur. Ex quibus Salmeron indicat sequentem, inquiens [1] : « Judicabat Pilatus, « quod causa illa non pertineret ad regni statum « ut illi imponebant. Deinde si talis esset causa, pu- « tabat de illa Herodem melius posse cognoscere, « tum quia Judæus erat tum ob zelum regni sui ; « et ob desiderium recuperandæ Hierosolymæ ex « gratia Romanorum, suspicari poterat, ne alius « veniret ex stirpe Regia, qui peteret regnum a « Romano Imperatore, vel qui armis suis, et poten- « tia occuparet. » Cajetanus idem insinuatum jam tradit motivum, inquiens [2] : « Occasionem accepit « Præses excutiendi a se causam istam. » Dici quoque potest cum S. Bernardino, quod si Pilatus (qui jam protestatus fuerat, dicendo : *Nullam invenio causam*) Christum dimisisset liberum, sine dubio ferociens illa multitudo, contra ipsum minime contemnendos excitasset seditionis motus ; ac proinde oblata sibi occasione illum ad Herodem remittendi usus fuit, ut sic evaderet judicium, simulque Hebræis satisfaceret, tum quia rex ille Judæus erat, tum etiam quia idem in hac causa, supposito, quod Christus verus esset Messias, magnum interesse habebat. En verba S. Bernardini [3] : « Quia a « Pilato dimissus erat, si eum liberum dimisisset « Herodes, suffugerat Judæis omne tribunal Hiero- « solymis, ante quod possent Christum ulterius « convenire. Quamobrem aut exagitati a rabie « Christum occidendi manibus propriis grandine « lapidum occidissent, aut velut appellantes ab his « judicibus tanquam morte plectendum, compedi- « tum sub fida custodia cum causarum delatione « Roman ad Cæsarem destinassent. » Porro in hac missione Christi ad Herodem, duo speciales notari possunt divinæ providentiæ effectus : Etenim Pilatus quidem, ut Cajetanus ait, Christum hoc fine ad Herodem misit, ut a se causam Christi innocentis excuteret [4] : « Sed divina providentia disposuit hanc « remissionem ut incredulis tolleretur occasio ca- « lumniandi, quod si causa affectati regni sub Mes- « siæ nomine fuisset cognita a judice habente no- « titiam Judaicæ legis fuisset Jesus damnatus, et « non excusatus, ut Pilatus ignarus legis putavit. « Herodes igitur, legem Judæorum et Messiæ pon- « dus sciens, judex adjungitur, ut videant, quid « ille censuerit de Jesu causa. » Alter divinæ providentiæ effectus a Salmerone his verbis insinuatur [5] : « Ut simul videant ex parte Jesu, quomodo se co- « ram Herode judice habuerit ; putare enim pote- « rant, quod coram Pilato, ad quem non sunt in- « gressi, Jesus se excusasset, cum coram Herode, « ad quem Judæi ingressi sunt semper tacuerit. »

[1] SALMER., t. X, tr. 27. — [2] CAJETAN., *in Luc.* — [3] S. BERN., t. I, s. 55. — [4] CAJET., *ib.* — [5] SALM., *ib.*

**2.** — Porro quod attinet iter, quod Christus a prætorio Pilati ad Herodem facere debuit, S. Anselmo a Beata Virgine Maria revelatum fuit, ut sequitur [1] : « Sciens Pilatus, quanta immanitate, et « crudelitate in mortem Filii Dei conspiraverant « Judæi, præmisit quosdam, qui Jesum ad Herodem « conducerent, ne ipsum invia interhcerent. » Lucas Brugensis, quid ei per viam in reditu ab Herode contigerit, in hæc verba refert [2] : « Reductus autem « portatur Jesus ad Pilatum alia via, eaque lon- « giore quam venerat, ut pluribus innotesceret « ejus captivitas, ac proinde plures accenderentur, « qui una cum Principibus accurrerent, arguerent- « que, et extorquerent ejus mortem. » Unde facile conjici possunt immensæ injuriæ et contumeliæ, in prima missione Christo irrogatæ, de qua dixerat : « Licet fatigatus, a Pilati palatio constrictus vinculis, « ductus est ad Herodem, itinere nongentorum « quinquaginta quinque pedum, seu ut Adricho- « mius loquitur, trecentorum quinquaginta gres- « suum. »

**3.** — *Herodes autem viso Jesu gavisus est valde.* Porro præter illud lætitiæ hujus Regis motivum, a S. Luca aductum, nonnulla quoque alia in medium aduci possunt. Enimvero duo hi principes inter se ratione jurisdictionis discordes erant, siquidem Herodes prætendebat, Pilatum juri suo præjudicasse, ejus jurisdictionem involando ; ac proinde cum jus suum redintegratum videret, per hoc, quia subditus quidam Hierosolymitanus, in quem nullum jus habebat, sibi consignatus fuerat judicandus se honorandum esse censens, gavisus est. Præterea advertendum, Herodem universam Davidis stipem valde habuisse suspectam, utpote de qua multa erant vaticinia prophetica, quæ Messiam inde nasciturum esse prædixerant. Unde cum Christus ex hac stirpe natus fuisset, pater Herodis, ut regni sui securitati consuleret, famosam illam infantium stragem inaudita crudelitate instituerat ; tametsi Deus perversos illos conatus impedierit. Et quidem hæc suspicio, et zelotypia tanto magis in Herode adaucta fuit, quanto certiori fama ad illius aures pervenerat, quod in eadem septimana ei, tanquam vero promisso Messiæ, ab universo populo Hierosolymitano acclamatum fuisset, ab iisdemque cum olivis, et palmis, substratisque vestimentis suis, triumphali apparatu fuisset receptus. Cum igitur jam illum haberet in sua potestate constitutum, possetque illum mortis condemnare, si eum reum deprehendisset, merito gaudebat. Lucas Brugensis Herodem gavisum fuisse dicit [3] : « Tum ob « honorem sibi exhibitum, ut erat ambitiosus, tum « eo quod audierat multa de Jesu, fueratque diu « illius videndi cupidus ; » utpote qui celebrem miraculorum suorum, nec non venerationis, quæ per

[1] S. ANS., dial. *de Pass.* — [2] LUC. BRUG., *in Luc.* — [3] ID., *ib.*

triennium integrum in Galilæa ei exhibita fuerat, famam non ignorabat ; ideoque ipsum coram oculis suis aliquod patraturum fuisse miraculum sperabat. Didacus Stella super illa verba : *Cupiens videre, etc.*, ita scribit : « Non ut aliquid saluti « animæ suæ consuleret, sed propter curiositatem, « quia putabat illum magum, vel histrionem ali- « quem esse. Nam si crederet illum sanctum Pro- « phetam, non sic eum videre desideraret; mali enim « non desiderant bonos et justos, sed scurras et « histriones. Hi sunt quos Reges, et Principes dili- « gunt, hi in palatiis et domibus Magnatum de- « gunt. » Lucas Brugensis super illa verba : *Audierat multa de eo*, inquit[2] : « Non vituperio, « judicio, aut condemnatione, sed laude et admi- « ratione digna ; et sperabat miraculum aliquod, « cum Joannes, quem familiariter noverat, nullum « fecisset. » S. Vincentius Ferrerius [3] in sermone quodam in die Parasceves habito, Herodem coram Christo ingens quoddam vas aqua plenum collocari præcepisse dicit, eo fine, ut aquam illam transmutaret in vinum, prout quondam in nuptiis in Cana Galilææ fecerat. Quamvis longe majus miraculum fuerit, quod præcedenti vespere patraverat quando panem et vinum in corpus, et sanguinem suum convertit.

**4.** — *Interrogabat autem eum multis sermonibus.* Porro licet S. Lucas interrogationes ab Herode Christo propositas non referat, eas tamen sanctissima Virgo Maria S. Anselmo in revelatione quadam his verbis expressit[4] : « Scilicet quæsivit, si ille « esset puer, quem pater suus volebat interficere, « et propterea multos pueros interfecerat. Item si « esset ille, qui cæcos illuminaverat, et qui Laza- « rum suscitaverat, et adolescentem filium viduæ « in porta Naim, et multa alia miracula fecisset, et « rogavit eum, ut aliquod signum faceret, promit- « tens, quod eum de manu Judæorum eriperet. » Insuper beata Virgo eidem S. Anselmo revelavit : « Et posuit Herodes coronam super caput ejus, pro- « mittens, quod si faceret ei signum, quod ipse « regni sui participem faceret, et pariter cohære- « dem. Ista corona Romani coronantur Impera- « tores. »

**5.** — *At ille nihil illi respondebat.* Cognoscebat enim astutiam ejus, utpote qui eum non sine causa vulpis nomine appellavit, inquiens : *Dicite vulpi illi.* Porro varia sunt hujus silentii Christi mysteria. Ludolphus Carthusianus ait[5] : « Quod Dominus fons « sapientiæ coram Herode pro stulto haberi digna- « tus est, ex incomprehensibili sapientia sua proces- « sit, quia si sapientem verbis vel factis se ostendisset « Herodes utique passionem ejus impedivisset. » Didacus Stella in Lucam, Christum Caiphæ et Pilato, non vero Herodi respondisse considerans, ideo id factum fuisse dicit[1] : « Quia Herodes ei « vocem quæ Joannes Baptista erat, sustulerat. Vox « Verbi perierat, ideo coram Herode obmute- « scere dignatus est. » Theophylactus asserere velle videtur hunc regem a principio Christum subsannasse, et derisisse ; ait enim[2] : « Illudentis « more tractabat, totumque subsannabat, ideo et « Jesus nihil respondit, testimonium accepit a « David, quod dispenset sermones suos in judicio. « Quid enim respondendum illi, qui non interro- « gat, ut discat ? Quid idem margaritæ mittendæ « ante porcos ? Imo majoris misericordiæ est, ta- « cere inter tales. Sermo enim dictus ei, cui nihil « prodest, adhuc majoris condemnationis causa est « illi, si non attendat. » Simon de Cassia similiter ait[3] : « Præsciebat se inutiliter ab Herode inquiri, « cui si respondisset ad votum nec ipsum ventu- « rum ad viam veritatis præviderat. » S. Bonaventura aliam hujus silentii adducit rationem, inquiens[4] : « Tacebat Christus in exemplum « prudentiæ. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam* « *suam.* Justum autem est, indignis divina celari. « Unde Glossa ait : Tacuit, quia Herodis incredu- « litas non merebatur divina audire, et Dominus « jactantiam declinabat. » Atque ob eamdem causam nulla voluit coram ipso patrare miracula. Dionysius Carthusianus ait[5] : « Ideo tacuit Jesus, ut « daret exemplum vitandi ostentationem coram « magnatibus. » Didacus Stella similiter ita scribit[6] : « Noluit illi respondere, aut miraculum aliquod « facere quia declinabat omnem jactantiam, et « ostentationem. » Lyranus diu ante de Christo coram Herode silente dixerat[7] : « Voluit ostendere « quod prædicator verbi divini non debet ostenta- « tionem suam coram Principibus quærere. » Præfatus Stella sequentem eodem in loco subnectit moralitatem, dicens[8] : « Docemur ex hoc loco, quod « quoties auditores nostri nostra volunt quasi lau- « danda agnoscere, non autem sua perversa mu- « tare, omnino taceamus, ne, si ostentationis stu- « dio verbum Dei loquamur, et eorum quæ erat « culpa, esse non desinat, et nostra quæ non erat, « fiat. Multa enim sunt, quæ audientis animum « produnt, maxime si auditores nostri, et semper « laudant quæ audiunt, et nunquam quod laudant, « exequuntur. » Blosius eximius vitæ spiritualis director, hoc mysterium meditando ita precatur[9] : « Da, Domine, ut potius eligam tecum abjectus esse, « quam cum mundo gloriosus. Dignius, et melius « existimem, opprobrium sustinere pro tui amore « quam florere vano sæculi honore. Da in propria, « iniquitate propriaque indignitate prorsus agnita « mihi ipsi vilescam, et me despiciam. »

[1] DID. STELLA, *in Luc.* — [2] LOC. BRUGENS., *ib.* — [3] S. VINC. FERR., *in Parasc.* — [4] S. ANSEL., *ib.* — [5] LUDOL. CART., p. 2, c. 61.

[1] DID. STELLA, *in Luc.* — [2] THEOPH., *ib.* — [3] SIM. DE CASS., l. XIII. — [4] S. BONAV., *in Luc.* — [5] DION. CART., *in Luc.* — [6] DID. STELL., *ib.* — [7] LYR., *ib.* — [8] DIDAC. STEL., *ib.* — [9] BLOSIUS, *in Sacell. animæ*, end. 9.

**6.** — *Stabant autem Principes Sacerdotum, et Scribæ constanter accusantes eum.* Verbum *constanter* Cajetanus explicat, ut sensus sit : *Intente, acriter.* Dionysius Carthusianus *constanter* idem esse dicit, quod *audenter et pertinaciter.* Lucas Brugensis ait : « Continue, et intento clamore, misere metuentes, « ne qua elaberetur. Ægre ferebant, quod Herodes « interrogaret quæ ad rem ipsorum non facerent, ad « mortem inquam inferendam atque adeo timebant « ne si Jesus Herodi sapienter comiterque respon- « deret, inque ejus gratiam signum aliquod, quod « non difficile sibi esse noverant, faceret, liber ab « Herode dimitteretur. » Idipsum quoque Cajetanus observaverat, qui tamen subjungit illos valde timuisse, ne propter silentium suum stultus reputaretur, et sub hoc nomine liber evaderet. Unde ait[1] : « Sed ubi vident Jesum tacere, et Herodem existi- « mare illum stolidum, transeunt in alium timo- « rem, ne scilicet Jesus tanquam fatuus evadat ; « et propterea instant acrius accusando, tendentes « ad hoc, ne tanquam fatuus absolveretur ; aiebant « enim ipsum fingere, et dicacem esse coram turbis, « non coram Regibus, et latere in eo malitiam, « quam (si absolveretur) iterum exerceret, cum « periculo subversionis populorum. »

**7.** — *Sprevit autem illum Herodes.* Hugo Cardinalis ait[2] : « De modo, vel causa illusionis hujus, « nihil habemus expressum. Nota autem quod trina « legitur illusio. Prima facta est in atrio Caiphæ, « quando percutiebant faciem ejus velatam, di- « centes : *Prophetiza, quis est, qui te percussit.* « Secunda de militibus Herodis, et ipso Herode. « Tertia postquam traditus est militibus a Pilato ad « crucifigendum. Pro hac trina illusione adoramus « eum in die parasceves, cum trina adoratione, di- « centes cum genuflexione Agios, o Theos. » S. Bonaventura hujus contemptus assignat rationem, dicens[3] : « Sprevit tanquam impotentem, quia sig- « num non fecit. Tanquam ignorantem, quæ « verbum non respondit. Tanquam stolidum, quia « coram accusantibus se non defensavit. » Lucas Brugensis observat omnes Judæorum accusationes Herodis animum minime commovisse, ait enim[4] : « Nihil « commotus est comminationibus principum, ita ut « condemnaret accusatum molitionis rerum nova- « rum ; sed satis habuit contemnere. a quo vide- « batur contemni, tanquam semifatuum, et igna- « rum, et qui cum magna de se dici vellet, nihil, « ubi res postularet, præstare posset. » Porro tametsi S. Lucas aulam Herodis exercitus nomine appellet, attamen ut idem auctor declarat, nomen hoc de ipsius familia intelligi debet : « Intelligit comi- « tatum Herodis, inquit, constantem nobilibus, mi- « litibus, famulis. » In aulis enim magnatum pietas et devotio frequentissime deridetur, et digito monstratur, unde poeta canit : « Exeat ab aula qui vult « esse pius. » Didacus Stella ait[1] : « Sic hodie sectato- « res Christi a malis hominibus spernuntur, et ab eis « fatui reputantur. *Hi sunt, quos uliquando ha- « buimus in derisum, et in similitudinem impro- « perii.* Audi in persona Dei loquentem Isaiam. « *Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt « me.* » Enimvero hoc unicum est offendiculum, ad quod allidens major pars Christianorum, in multos labuntur errores, quod scilicet inter impiorum subsannationes, quando scilicet saluti animæ intenti deridentur, nequeant esse constantes. Ac proinde Salvator noster exemplo suo omnia pro ipsius nomine tolerare ludibria docere voluit, dicente Dionisio Carthusiano[2] : « Sic Filius Dei dignatus est de « judice ad judicem mitti, ac taliter derideri, ut « nos rei a judicio reprobationis ac damnationis « æternæ liberaremur, et ab æterna confusione, ac « dæmonum illusione eriperemur, stolaque immor- « taliiatis ac gloriæ vestiamur, et merito Christi veræ « desuper sapientiæ consortes, ac filii efficiamur. »

**8.** — *Illusit,* Lucas Brugensis hanc illusionem in eo positam fuisse dicit, quod Herodes Christum veste alba indui jusserit, ita enim scribit[3] : « Nostra « versio significare videtur, illusionem in eo sitam « esse, quod induerit eum veste alba. Græca et « Syra significant, variis aliis modis illusum fuisse, « conviciis verisimile est, scommatis ac sannis, nec « dubium, quin certatim aulici contemptum princi- « pis sui ulcisci studuerint. Non est autem boni « judicis illudere reo, etiam convicto criminis. » Discit idipsum Brugensis a Simone de Cassia, qui ante ipsum in hæc verba scripserat[4] : « Non est ve- « rorum Regum illudere in judicio constituto, sed « damnare convictum reum, aut absolvere inno- « centem, sed ad exaggerationem passionum Christi « et contumeliarum, etiam Reges terræ infatuati sunt. » Etenim magnates hujus sæculi, ut plurimum esse solent illi, qui Deum derident, et subsannant, dum rationem status, et politicam divinis legibus anteponunt, parum curantes Dei timorem. In cujus confirmationem idem auctor super illa verba : *Viso Jesu,* ita scribit : Nunquam viderat Jesum, « quamquam in ipsius ditione hactenus conversa- « tum ; non enim operæ pretium duxerat domo « egredi, ut Prophetam videret, nisi forte ut Joan- « nem captivum teneret. »

**9.** — *Indutum veste alba.* Lucas Brugensis legit[5] : « *Præclara, splendida, magnifica,* vox enim Græca « splendoris et elegantiæ potius significativa est, « quam coloris. Interpres Latinus elegantiam in « colore albo sitam fuisse putavit, ut signo inno- « centiæ, vel signo ambiti magistratus. Syrus, in « coccineo sive purpureo colore, ut Regum proprio « Sed sive albo, sive coccineo colore fuerit, non est

[1] CAJET., *ib.* — [2] HUG. CARD., *in Luc.* — [3] S. BONAV., *b.* — [4] LUC. BRU., *ib.*

[1] DID. STEL., *in Luc.* — [2] DION. CART. — [3] LUC. BRU. — [4] SIM. DE CASS., *ib.* — [5] LUC. BRUG.

« intelligendum novam, tersam, vere magnificam, « aut elegantem fuisse, sed veterem, vilem, et ab- « jectam. Adhibebatur enim illudendi et subsan- « nandi causa Jesu, qui fatua quadam simplicitate « potius quam superbia et audacia, regium nomen « sibi vindicasset. » Quod attinet hujus vestis mysterla, ea omnia fuere valde notabilia. Audiamus hac de re Simonem de Cassia, ita scribentem [1] : « Alba vestis insinuat innocentiam patientis, et « adumbrato mysterio, fideles posteros per fidem « connexos, abluendos in sanguine Dominicæ pas- « sionis, et Agni immaculati innocenter occisi : « quod Joannes Apostolus in sua revelatione sus- « cepit, cum interrogationem fieri salvandorum « spiritu audiret. Et respondens unus de Senioribus, « dixit mihi : *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui « sunt, et unde venerunt ? Et dixi illi : Domine; « tu scis. Et dixit mihi : Hi sunt qui venerunt ex « tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et « dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Nam omnis « albifactio, et candidatio Salvandorum, facta est « in sanguine immaculati. » Beda ait [2] : « Quod alba « veste induitur, immaculatæ dat indicia passionis, « quoniam Agnus Dei immaculatus, totius Mundi « sit peccata ablaturus. Qui enim in veste alba « spretus, et illusus, ipse in casta carne est passus, « et sepultus. » Didacus Stella hanc habet inge- niosam reflexionem [3] : « Sicut Crux Christi ante « passionem exprobrabilis erat, quæ postea facta « est honorabilis, ita ut etiam in coronis Regum « portetur, ita alba vestis post Christi passionem « facta est valde honorabilis, et innocentiæ signum, « unde quilibet post baptismum renovatus, indui- « tur veste alba, in signum innocentiæ, quam « confert baptismus. In cujus etiam signum Christo « passo Angeli apparuerunt in vestibus albis in ejus « resurrectione. » Ludolphus Carthusianus ait [4] : « Hanc vestem albam repræsentat hodie Alba sa- « cerdotalis, unde mystice notandum quod Pontifex « noster in sua passione habuit omnia Pontificalia. « Amictum suscepit, cum velatus est coram Caipha « a Judæis. Albam habuit, cum veste alba indutus « est ab Herode. Casulam accepit, cum milites cir- « cumdederunt ei purpureum vestimentum, et ne « quid sibi desit, cingulum habuit, cum ad colum- « nam ligatus est. Stolam habuit, quando ad co- « lumnam collum ligarunt. Manipulum habuit, « quando cum fune manus ejus ligaverunt. Coro- « nam spineam super caput habuit pro mitra « Pontificali. Et arundinem in manu pro baculo « pastorali. Chirothecas autem habuit, et sandalia, « cum manus ejus, et pedes toti fuerunt sanguine « rubricati »

**10.** — *Facti sunt amici Pilatus et Herodes in ipsa die.* Theophylactus ait [5] : « Vide, quam discrepantia « congreget diabolus, solum ut Christo mortem « præparet; in unam enim conspirationem copulat, « et conciliat inimicos. Non confundimur igitur « nos, siquidem ille inimicos pacificat, ut Christum « occidat, nos propter salutem nostram neque ami- « cos servamus in officio ? » Ludolphus hanc re- conciliationem considerans, in hæc verba monet [1] : « Recogitet homo, si habet inimicitiam cum aliquo « et dimittat eam de corde, amore Christi, qui pro « nobis in sua passione etiam malos adversum se « concordavit. » Lucas Brugensis de hac reconci- liatione ita scribit : « Amicitiam conciliat, honore « se invicem prævenire, sed infaustus honor, et « amicitia maledicta, quæ in Christo persequendo « coalescit; impia pax quam conglutinat Dei injuria. » Præludebatur hic, Jesum fore pacem nostram, « qui facturus esset utraque unum, reconcilians « Judæos et Gentiles, ambos in uno corpore, Deo, « per crucem interficiens inimicitias in seipso. »

[1] Sim. de Cass. — [2] Beda, *in Luc.* — [3] Did. Stella. — [4] Lud. Carth., p. 2, c. 61. — [5] Theop.

## DISCURSUS VII.

DE MOTIVIS OB QUÆ PILATUS CHRISTUM BARABBÆ INJUSTE OPPOSUIT, LICET EJUS INDE LIBERATIONEM SECUTURA SPERARET. UBI ET DE SACERDOTIBUS POPULUM AD BARABBAM POSCENDUM INSTIGANTIBUS, DISSERITUR.

Idea sermonis. — 1. Pilatus omni industria studuit Christum eximere a morte. Motiva invidiæ Judæorum contra Christum. Pilatus sibi persuadere non poterat quod peterent Barabbam. Pilatus tribus modis Christum conatus fuit liberare. — 2. Comparatio Christi cum Barabba detestabilem continuit injustitiam. Barabbas fuit figura Antichristi. — 3. Plebs Judæorum concitata a principibus petierunt dimitti Barabbam. — 4. Rationes afferuntur quibus sacerdotes plebi persuaserunt ut peterent Barabbam. — 5. Quinam illi fuerint qui populum instigarunt ad crucifixionem Christi. — 6. Christus in sua Passione duos homines liberavit a morte.

*Quem vultis dimittam vobis? Barabbam, an Jesum.* Matth. xxvii, 47.

**1.** — Cum universus Hebraismus videns, quod post reditum Christi ab Herode, Pilatus non solum ad decernendam contra Christum mortis sententiam non inclinaret, quin potius de ejus liberatione instituenda meditaretur, magis quam unquam tumultuose obstreperet, Pilatus populi seditionem metuens, mente sua recoluit, quod tempore Paschali solitus esset, ad instantiam populi, vinctum aliquem, delicti capitalis reum, in libertatem asserere. Ac proinde cum de facto sceleratum quemdam malefactorem vinculis haberet innexum, Barabbam nomine, ipsemet in persona turbam interrogavit : *Quem vultis dimittam vobis. Barabbam an Jesum.* Ubi S. Paschasius ita scribit [1] : « Ob hoc

[1] Ludolph., *ib.* — [1] S. Pasch., *in Matth.*

« offert eis optionem dimittendi quem vellent, « latronem tam sceleratum, an Jesum, non dubi- « tans Jesum potius eligendum, quam eum, qui « tantis criminibus tenebatur reus. » Confirmat idipsum Theophylactus, inquiens [1] : « Quomodo « suspicari potuisset Pitatus, quod crucifigendum « Jesum peterent, et reum latronem dimitterent? » Porro quia præses omni studio et industria Christum a morte eximere satagebat, ideo sciens sacerdotum, principum, et seniorum contra innocentem Jesum sævissimam rabiem, ad turbas recurrere decrevit utpote quæ more solito, tempore Paschali, vinctum quemdam mortis reum liberandum exposcere solebant. Probe namque sciebat, has Christo optime affectas esse, ob frequentia, et eximia ab ipso recepta beneficia. Notum quoque ei erat, quod paulo ante, id est, ante quinque dies, ipsum cum palmis et olivis triumphaliter in urbem Hierosolymitanam excepissent. Etenim sacer Evangelista non sine mysterio inquit [2] : « Sciebat enim, quod « per invidiam tradidissent eum. » Ubi Cajetanus ait [3] : « Hoc dixit Evangelista, ad significandum, « quod Pilatus ex industria proposuit populo libe- « rationem Jesu, quem primates invidia acti tradi- « derent in manus curiæ. » Lucas Brugensis verbum sciebat observans, inquit [4] : « Redditur ratio, « cur tantopere adlaboravit Præses, ut Jesus dimit- « teretur. Sciebat enim invidiam ex relatu pluri- « morum, et publica fama. Res toti populo nota, « quomodo potuisset latere præsidem, qui eam « Rempublicam administraverat toto eo tempore, « quo Jesus Evangelium prædicaverat? » Idem quoque auctor paulo post hujus invidiæ recenset motiva, quibus contra Christum extimulabantur : « Eo quod inviderent Jesu eam discipulorum, sec- « tatorumque multitudinem, et nominis, ob doc- « trinam et miracula, claritatem. Quod homo ple- « beius, et nihili, ipsorum quidem judicio, nulla « facultate ab ipsis, qui populo præerant, accepta, « doceret et doctrinam miraculis ita stabiliret, ut « major populi pars crederet in eum, ipsique ad- « hærèret, et clarior ille, majorque principibus « haberetur, adeoque tanquam Christus a plerisque « coleretur, qui nihil regium præ se ferret. Denique « Principes ipsi despicerentur, usque adeo, ut « etiam libere, palamque ab eo redarguerentur. « Hinc illa eorum vox *Joan.*, XII : *Si dimittimus eum* « *sic*, etc., et *Joan.*, XIII. *Ecce mundus totum post eum* « *abit.* » Huic notitiæ accedebat experientia hujus invidæ passionis, quam Præses ex calumniosis ipsorum accusationibus, et querelis hausisse poterat, id quod Dionysius Carthusianus optime considerans ait [5]: « Nam accusationes eorum invenit falsas, « aut insufficientes, et forte ante, et aliunde per- « cepit, quomodo Jesus aperte, et fiducialissime « increparet principes Sacerdotum, scribas, et Pha- « risæos, quod Pilato bene complacuit, quia non « non dilexit eos, sicut nec ipsi eum. » S. Thomas de hac invidia ita scribit [1] : « Sicut enim invidia « diaboli inimica fuit primo homini, sic debuit esse « invidia istorum inimica Christo, sic enim Joseph « per invidiam traditus est a fratribus. » Porro Pilatus, ut S. Hieronymus bene notat, persuadere sibi non poterat, turbas in hac concurrentia Christi, et Barabbæ, liberationem Barabbæ postulaturas fuisse : « Non dubitans Jesum potius eligendum, « sciens eum per invidiam traditum. » Lucas Brugensis mentem præsidis in hoc facto sequenti discursu declarat, inquiens : « Pilatus abhorrens, quod « est justi judicis, a cæde Jesu innocentis, etsi se « ipse Jesus non defendat, tentat omnem modum « quo eum liberet. Quo circa cum non posset ejus « liberationem a Principibus impetrare, innocen- « tiæ a se contestatæ titulo (quod clarius narrarunt « Lucas et Joannes) nec tutum ipsi videretur, ob « Judaicorum principum potentiam vi eum eripere, « præsertim cum nesciret, quonam ferretur incons- « tans populi affectio, prudenti consilio agit apud « populum, cui sciebat Jesum solere esse gratio- « sum ut illius favore postulatus Jesus, si non ut « innocens, certe vel diei Festi gratia servetur, quo « solent facinorosi homines absolvi, ut si principes, « inquit Druthmarus, propter invidiam volebant « eum perdere, populus, qui expertus fuerat ejus « multiplicia beneficia peteret eum vivere. » Citatque auctoritatem Chrysostomi, dicentis : « Si « nollent tanquam innocentem absolvere, saltem « tanquam condemnatum solemnitati largirentur. » Doctor Angelicus, Pilatum, pro Christi liberatione tres adinvenisse modos asserit, quorum primus fuit, dum Christum in competentiam facinorosissimi Barabbæ, bono publico perniciosissimi, constituit. Secundus, quia titulum Regis Judæorum illi attribuit. Tertius, quia sæpius illum innocentem pronunciavit. Toletus similiter, populum in hæc fere verba allocutum fuisse censet : « Consuevistis « unum reum vinctum in Paschate liberandum « petere, dimittam ergo Regem Judæorum, et hac « ratione innocentiæ ipsius simul, et honori vestro « consuletur, nam ex una parte liberabitur, ex « altera vero reus et malefactor declarabitur, ut « qui indulgentia, et gratia propter Festi celebri- « tatem absolvitur. Attende autem maxime, quod « regem Judæorum appellat, ut eos permoveat ad « liberationem, quasi dedecus illis sit magnum, si « is, qui eorum Rex est, crucifigatur, in ipsorumque « honorem cedat ejus liberatio. Simul etiam osten- « dat se parvi facere accusationis eorum, censens « Regnum hoc non esse contra Cæsarem, ut ipsi « calumniati erant. » Lucas Brugensis ad vehemens

[1] THEOPH., *ib.* — [2] MATT., XXVII, 18. — [3] CAJET., *in Matt.* — [4] LUC. BRUG., *ib.*— [5] DION. CARTH., *ib.*

[1] S. THOM., *ib.* — [2] S. HIER., *in Matt.* — [3] LUC. BRUG., *ib.* — [4] CHRYS. — [5] S. THOM., *ib.* — [6] TOLET., *in Joan.*

odium se reflectens, quo populus Barabbam prosequebatur, ita scribit [1] : « Barabbam, in quem juste « ferri sciebat publicum civitatis odium componit « cum Jesu, viro sancto, et bono, ut publica fama « erat, beneficiis, miraculis optime de republica « merito, quod constabat omnibus accusato quidem « a principibus, sed falso, aut certe temere, ipso « judice censente. Hujusmodi antithesi populum « officii sui admonens, et iniqua hac collatione « iniquam Principum contentionem frangere, « satagens, persuasus vulgi odia sic incensa in Ba- « rabbam, ut quidvis potius darent concederentve « quam vitam ei homini, cui mors horribilissima « deberetur. »

**2.** — Et vero tametsi Pilatus pro Christi liberatione nullum non moverit lapidem, attamen hæc Christi innocentissimi, cum sceleratissimo Barabbæ, facta a Pilato comparatio, detestabilem in se et iniquissimam continebat injustitiam, idque variis ex causis. Et quidem in primis observandum est, omnes quatuor Evangelistas, hujus Christi cum Barabba factæ comparationis specialiter meminisse quod circa alia mysteria quantumvis magis præcipua factum non est. Enim vero gratia, quæ in solemnitate paschali populo fiebat, hæc erat, quod scilicet reum aliquem malefactorem, per justam sententiam mortis condemnatum, liberare poterat. At vero Pilatus, qui toties Christum innocentem, etiam ex sententia Herodis, declaraverat, qua ratione illum tauquam mortis reum et facinorosum, in populi optionem constituere poterat : « O inordi- « nata nequitia judicantis, » inquit S. Augustinus [2], « pronunciat innocentem, et eligendi tribuit facul- « tatem » Præterea Judex obligatur præcise procedere per terminos judiciales, secundum quod leges disponunt, qua igitur ratione Pilatus sibi usurpat auctoritatem, quam non habet, recurrendi scilicet ad consuetudinem, siquidem consuetudo erat liberare reum, non vero petere vitam unius innocentis, quæ ei juxta omnes leges, naturalem, humanam et divinam debetur? Auctor quidam erga passionem Domini devotissimus, dum hoc mysterium meditatur, præsidi in hæc verba improperat : « Demus Christum omnium suffragiis « eligi ad vitam, nunquid tu ipsum jam civili vita « mulctasti, dum infamia publica et indebili no- « tasti? » Quæ major enim Christo irrogari poterat injuria, quam si judex aliquis, aut minister publicus, Filium Dei in eadem classe constituat cum viro aliquo sceleratissimo qui, ut infra dicetur, Antichristi et diaboli typus erat? « Considera hic, « quantum Christi animum », inquit Ludolphus Carthusianus [3] : « Sauciare potuit, quod tam scele- « ratus et vilis homo præferebatur sibi homini Deo, « in tantum, ut peterent ipsius vitam et istius « mortem. » Vere hic dici poterat [1] : *Vidimus eum despectum et novissimum virorum.* Quia malefactor indignissimus, cui forte similis in mundo non erat, Filio Dei præhabitus fuit. Qua de re Isaias lamentatur, inquiens [2] : *Cui ergo similem fecisti Deum?* Quod idem lamentum in progressu ejusdem prophetiæ his verbis repetit [3] : *Cui assimilastis me, et adæquastis, et comparastis me?* Lucas Brugensis hujus comparationis indignitatem ponderat, inquiens [4] : « Proponit non Jesum solum, nec Jesum « collatum cum aliis multis, sed collatum cum uno « solo, eoque non quovis, sed sceleratissimo, omni- « busque odioso. » Idem auctor paulo ante exponens verba illa S. Matthæi [5] : *Habebant tunc vinctum insignem*, eumdem ex auctoritate D. Chrysostomi in hæc verba describit : « Famosum « videlicet in protervitate et multis homicidiis in- « quinatum. Quam iniqua comparatio, sceleratis- « simum innocentissimo, seditiosum pacifico, ho- « micidam resuscitatori, Dei Filio filium diaboli in « concedendo vitæ beneficio præponere. » Quæ major irrogari injustitia poterat, quam Deum bonitatis et Majestatis infinitæ latroni infinitæ malitiæ assimilare? S Hilarius hunc latronem Antichristi figuram fuisse dicit, dum ait [6] : « Antichristum, « peccati et diaboli filium. » A quo idipsum sine dubio Hugo Cardinalis didicit, quando de eodem iniquitatis monstro ait [7] : « Significat Antichristum « quem Judæi præferent Christo. » S. Anselmus in Matthæum commentando illum pariter diabolum appellat, inquiens [8] : « Latro seditiosus et homici- « cidiorum plenus, et auctor dimissus est populo « Judæorum, id est diabolus, qui jam olim ob « superbiam a patria lucis expulsus et in tenebra- « rum carcerem fuit missus. Barabbas typum gerit « Antichristi. » An non igitur Lucas Brugensis justam habet rationem dicendi [9] : Quam atrox « fuit hæc ignominia generoso Domini Jesu animo? « Quamquam enim fuisset Barabbæ prælatus, no- « luisset tamen liberari more nocentium et vitam « impetrare ob gratiam diei festi; ita et causa « ipsius nihil differret a scelestorum causa, qui « mortem meruissent. Nollet denique donari diei « festo Paschæ, qui venerat, ut tanquam verus « agnus in die festo Paschæ immolaretur. »

**3.** — *Quem vultis dimittam vobis?* Porro quando S. Matthæus ait : *Congregatis illis*, de plebe, sive de populo intelligendus est, quia magistratus, seniores, principes synagogæ, pharisæi et scribæ jam simul uniti et a plebe segregati hærebant, juxta illud [10] : *Principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus.* Populus

[1] Luc. Bru., *in Matt.* — [2] S. Aug., ser. 46 *in Append.* — [3] Lud. Carth., p. 2, c. 61.

[1] Isa., liii, 3. — [2] Id., xlii, 18. — [3] Id., xlvi, 5. — [4] Luc. Brug., *in Matt.* — [5] Matt., xxvii, 16. — [6] S. Hilar., can. 23 *in Matt.* — [7] Hug. Card., *in Luc.* — [8] S. Ans., *in Matt* — [9] Luc. Brug., *in Matt.* — [10] *Ps.* ii, 2.

enim et plebs hoc gaudebat privilegio, quod mortis condemnato gratiam vitæ postulare poterant. S. Marcus ait [1] : *Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis.* Et ex textu S. Matthæi colligitur, quod Pontifices tempus habuerint sufficiens excitandi motus et pervertendi turbas, quia postquam Pilatus hanc fecisset propositionem [2] : *Quem vultis dimittam vobis?* Evangelista immediate subjungit [3] : *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi et justo illi,* etc. Aliquantum igitur elapsum est tempus, donec Pilatus nuncium ab uxore sua missum audiret, eique responderet et forte etiam circumstantibus Christi innocentiam a tot partibus certificatam propalaret. Porro Evangelista circa optionem populo datam filum narrationis reassumit, subdens [4] : *Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent.* Circa quæ verba Rabanus inquit [5] : « Hoc est quod alibi Dominus per Prophe-
« tam ait : *Quia egressa est iniquitas a senibus*
« *judicibus, qui videbantur regere populum.* Ergo
« qui debuerunt docere plebem legem et justitias
« Domini, ipsi seduxerunt eos, ducentes per invia,
« et non in via, et causa fuerunt ejus ruinæ. »
Cajetanus horum sacrilegorum notans rabiem, dicit [6] : « Non suffecit principibus et senioribus,
« suadere turbæ, ut liberarent Barabbam seditio-
« sum ac homicidam, sed etiam suaserunt, ut
« peterent et instarent pro occisione Jesu. » Non enim solum Barabbam Christo antepositum volebant, verum insuper plebem instigabant, ut Christi peteret crucifixionem : *Jesum vero perderent.* Mira profecto erat hæc Principum præsumptio. Etenim populus perspicuam habebat utriusque notitiam ; et Christum paulo ante in triumpho exceperant, eidem acclamantes [7] : *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Qua igitur ratione sperare poterant Pontifices, quod nunc eadem plebs postulatura esset ejus mortem, siquidem *maledictus qui pendet in ligno* [8]; maxime cum summa ab illo percepisset beneficia et gratias?

**4.** — Porro Evangelistæ instigationes, quibus verisimile est, Principes Sacerdotum seduxisse populum, clare non exprimunt, sed potius fidelium piæ meditationi relinquunt ; et ideo Salmeron hac de re ita scribit [9] : « Forte dicebant Pilatum per-
« misisse hoc eorum electioni, ut faceret pericu-
« lum cordium ipsorum, quia si peterent Jesum
« liberari, plane cognosceret, quod vellent habere
« caput, et ducem rebellionis in Cæsarem et in
« Romanos ; eum scilicet, quem paucis ante diebus
« palmis et acclamatione Regem acceperant. Nam
« etsi Pilatus vocaret Jesum Regem, aut Messiam,
« vel Christum, hoc erat ex contemptu et per iro-
« niam. Ad hæc dicebant plebi, non esse aliud
« peccatum blasphemia deterius, qua sibi quis
« divinitatem usurpat, quodque hoc facinus omnia
« peccata, furta, homicidia et seditiones quas fe-
« cerat Barabbas, vinceret. Item quod Jesus erat
« jam convictus de blasphemia, quia jam venerat
« in manus ministrorum justitiæ ; cumque non
« potuerit se hactenus ab eis eripere, argumentum
« esse, ipsum minime divinitatem habere, sed ob
« tantam audaciam et temeritatem, juste a Deo
« puniri. Præterea quod nullus compareret ad
« tuendam ejus causam, imo esset a suis derelic-
« tus, negatus et proditus. Unde apparebat, omnia
« ejus miracula fuisse conficta. » Verisimile quoque est, ipsos contra Christum allegasse ejus silentium, tam coram Herode, quam coram præside constanter servatum, dixisseque, eum a Concil. Syned. adeo fuisse convictum et sententiatum, ut nihil ei reliquum fuerit, quod in sui excusationem responderet. Pilatum vero solum moveri indiscreta quadam compassione, quæ Religioni et quieti publicæ nimium præjudicet. Credibile etiam est, quod non omnes ex populo moti fuerint ad postponendum Barabbæ Christum uno eodemque fine sine dubio enim aliqui præ cæteris magis creduli sibi perspaserint, sanctitatem Christi meram fuisse hypocrisin, miracula vero præstigia. Alii vero moti fuerint propter quietem publicam, ne forsitan excitaretur tumultus in populo ; cum enim Hierosolyma ob solemnitatem Paschalem multis esset peregrinis referta, merito timere poterant, ne urbs illa susque deque verteretur, cum irreparabili domuum suarum damno. Credibile pariter est, nonnullos in mortem Christi consensisse ex motivo vindictæ, eo quod vitia eorum ab illo in sua prædicatione frequenter fuissent reprehensa ; præ cunctis vero majorem habet veri similitudinem, quod major pars illius multitudinis sibi persuaserit, consilium et directionem Sacerdotum, Pontificum, Pharisæorum, Seniorum, aliorumque, qui ad eos docendos super cathedram Moysis sedebant, omnis esse periculi erroris expertem et immunem.

**5.** — *Principes autem Sacerdotum et Seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent.* Considerandum hic est quinam illi fuerint, qui populum ad hoc petendum instigando, crucifixionem Redemptoris fuere machinati. Illi nimirum, qui illum vel maxime defendere et a morte subtrahere debuissent. Optime S. Gregorius inquit [1] : « Si pastor per abrupta graditur, conse-
« quens est, ut et grex in præcipitium feratur. »
Porro quod mundus Barabbam majoris æstimet, quam Christum mirum non est, quia [2] *mundus quod suum est, diligit* ; at vero quid de illis dicemus, qui

[1] Marc., v, 11. — [2] Matth., xxvii, 17. — [3] Id., 19. — [4] Id., 20. — [5] Rab., *in Matt.* — [6] Cajet., *ib.* — [7] Mat., xxiii, 39. — [8] Gal., iii, 13. — [9] Salm., t. X, tr. 28.

[1] S. Greg. — [2] Joan., xv, 29.

ratione sacræ suæ unctionis et Ordinis sacerdotalis, Christo dedicati et consecrati existentes, nihilominus vel malo suo exemplo, vel per suam negligentiam, sæpe etiam verbis, sæcularibus persuadent, ut Christum Barabbæ postponant, id est, illos ad vindictas extorsiones, carnalitates, aliaque vitia seducunt? Albertus Magnus Principes Sacerdotum populo mortem innocentis persuasisse existimat, tum per intentatas comminationes tum proponendo eidem, quod hoc faciendo Deo in honorem solemnitatis Paschalis acceptissimum oblaturi essent sacrificium [1] : « Persuasionibus, et minis, et « promissis, ut magis Barabbam homicidam, sedi- « tiosum dimitteret eis, ad solemnitatis honorem. » Enimvero nos quidem hoc Hebræorum facinus, Filium Dei Barabba inferiorem existimantium, supra modum detestamus, nec tamen consideramus, quod nos Christiani, in vera fide illuminati, solum ab innata nostra concupiscentia instigati, eamdem ei sæpissime irrogemus injuriam. Quoties enim non præferimus parvum quoddam lucrum nobis oblatum, ipsimet Deo, creaturam Creatori, terram cœlo, sensualitatem animæ, transitoriam quamdam voluptatulam, Redemptoris nostri Passioni et sanguini? Ut proinde Deus per os Ezechielis Prophetæ merito lamentetur, inquiens [2]: *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmentum panis.* Blosius hoc meditans mysterium, hanc sibi a Deo postulabat gratiam, ne scilicet unquam ab illo hoc committeretur facinus, scilicet ut Deum ulli rei hujus mundi postponat. En verba ejus [3] : « Dimittitur homicida et tu auctor vitæ ad mortem « ab invidis Judæis postularis. Tu igitur lapis, ille « vivus, ab hominibus quidem reprobatus, a Deo « vero electus, utinam tibi nihil præferam et pro « nulla re te commutem. Utinam omnia sicut ster- « cora arbitrer, ut te lucrifaciam. » Ludolphus Carthusianus quoque opportune monet, dicens [4] : « Caveamus, ne et nos Barabbam Christo præfera- « mus, multi enim hodie adhuc desiderant Barab- « bam sibi solvi et Christum vinctum esse, quia ut « dicit Origenes, omnes qui Judæis sunt similes, « sive in dogmate, sive in vita, Barabbam sibi solvi « desiderant; quicquid enim male agit, solutus est « in corpore ejus Barabbas, Christus autem vinc- « tus. »

**6.** — Aptissime sane ad propositum serviunt verba illa Apostoli [5] : *Quæ conventio Christi ad Belial?* Didacus Stellas inquit [6] : « Nota, quod duos « homines liberavit Christus in sua passione a « morte, Barabbam a morte corporis, latronem a « morte animæ, ut ostenderet, quod suo sanguine « liberavit nos de morte animæ et corporis. » Potest et alia ratio assignari, cur Christus sibi latronem præponi permiserit; hoc enim fecit, ad insinuandum, quod sanguinem suum specialiter pro peccatoribus impertiretur. Voluit quoque per hoc nobis relinquere exemplum, ne affligamur, dum iis qui quoad natales, mores, merita, vel quamcumque aliam prærogativam nobis inferiores sunt, postponimur. Hanc rationem insinuat Salmeron, dicens [1] : « Ex hac tanta Christo illata contumelia « discat quisque patienter ferre si in officio aut « beneficio patenter malus, aut certe minus ido- « neus sibi præferatur; quia hoc est mundi inge- « nium, optimos quosque indignis ac sceleratis « posthabere. Discat etiam is qui electus est, non « gloriari, aut sibi quicquam tribuere, quia Ba- « rabbas prælatus est Jesu. »

[1] Alb. Mag., *in Marc.* — [2] Ezec., xiii, 19. — [3] Blos., *in Sacell. anim.*, cap. 10, n. 1. — [4] Lud. Cart., *in Luc.* — [5] I Cor., vi, 15. — [6] Did. Stel., *in Luc.*

## DISCURSUS VIII.

CHRISTUS BARABBÆ INDIGNE POSTPOSITUS ET INDE RELUCENS POPULI ILLIUS TOT A DEO BENEFICIIS HONORATI INGRATITUDO, CONSIDERATUR, OB QUAM DEINCEPS ATROCITER CASTIGATUS FUIT.

Idea sermonis. — 1. Omnis turba simul incondito clamore petiit dimissionem Barabbæ et crucifixionem Christi. Ignominia illa qua Christum post posuerunt Barabbæ fuit gravissima. — 2. Christus hac ignominia ostendit se alienum a mundano applausu. — 3. Expenditur tempus quo Judæi postularunt Christum crucifigi. — 4. Ingratitudo Judæorum detestabilior redditur ex occasione qua petierunt crucifixionem Christi. Totus magistratus cum omni plebe conjurarunt in mortem Christi. — 5. Populus Hebræus, quem Deus summopere honoravit et dilexit, illum omnino in vili habuit. Christi vilificatio præfigurata fuit in duobus hircis, quorum unus sacrificandus erat. — 6. Assignatur ratio quare Judæi etiamnum in continua versetur inquietudine.

*Exclamavit autem simul universa turba, dicens : Tolle hunc et dimitte nobis Barabbam.* Luc., xxiii, 18.

**1.** — Porro universam turbam ante atrium Pilati Barabbam sibi extradi postulasse, non solum S. Luças, in præcitatis verbis thematis, verum etiam S. Joannes, testatur, inquiens : *Omnes clamaverunt : Non hunc, sed Barabbam.* Lucas Brugensis verbum *clamaverunt*, ita exponit [2] : « Magnum et « deformem clamorem ediderunt, *quasi leo in* « *sylva, Jerem.*, xii. Omnes certatim turmatimque « vociferati sunt, omnes et principes et populus. » Simon de Cassia inquit [3] : « Ideo Principes et Se- « niores populi Barabbam petere suadebant, Chris- « tumque tradere, ut se multitudine tuerentur; sed « eo periculosior est iniquitas quælibet, quo gaudet « multitudine iniquorum et se credit immunem, « quo plures habet socios in crimine. » Jeremias

[1] Salm., *ib.* — [2] Luc. Brug., *in Joan.* — [3] Sim. de Cass., l. XIII.

propheta in spiritu prophetico de hac summa injuria in persona venturi Messiæ loquens, amplissimas cœlorum sphæras ad stuporem invitabat, dicens [1] : *Obstupescite cœli super hoc et portæ ejus desolamini vehementer. Duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ et foderunt sibi cisternas dissipatas.* Neque enim Judaismus contentus fuit, se Barabbæ liberationem impetrasse, nisi insuper eodem tempore, Filii Dei et veri Messiæ postularet crucifixionem. Albertus Magnus præcitatum Jeremiæ textum de hoc mysterio intelligendum esse dicit. Et quidem persona Salvatoris fons aquæ vivæ appellatur, quia Propheta in spiritu præviderat, divinas gratias, quibuscum populum suum locupletare decreverat, aquam vivam a Christo appellandam esse [2] : *In die magno festivitatis clamabat Jesus : Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Observandum quoque verbum *populus meus;* hoc enim magnam habet emphasim, quasi diceret Christus : Duo mala fecit populus ille, quem tot beneficiis auxi, ut David de eodem dicat [3] : *Non fecit taliter omni nationi.* Cajetanus hanc contumeliam ponderans, eam censet esse gravissimam; ait enim [4] : « Hanc quoque ignominiam elegit Jesus pati, ut « homicida auctori vitæ et seditiosus auctori pacis « præferretur. » S. Lucas Judæos, qui recenter ad fidem convertebantur, ad veram inducere volens compunctionem, ex omnibus totius Passionis injuriis, hanc præcipue ponderat, quæ Christo irrogata fuit, dum ab illo popolo, cui tanta præstiterat beneficia, monstro cuidam infernali, id est, Barabbæ postpositus fuit : *Petistis,* inquit [5], *virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interfecistis.* Chrysostomus eamdem contumeliam considerans exclamat [6] : « Quid agis, Synagoga « damnabilis? Justum sanguinem ducis ad victi- « mam et absolvi manifestum postulas homicidam? « Latronem judicas innocentem et innocentem pos- « cis ad crucem? Ille qui te occidit, tuo suffragio « morti subtrahitur, et qui mortuos ab inferis sus- « citavit, te insistente damnatur? Reus fit, qui reus « non fuit, et indemnis evadit, qui olim damnari « jam debuit? In utroque rea teneris, et exitio « innocentis, et absolutione latronis. » S. Augustinus similiter calamo suo ingratos, et impios illos his verbis perstringit [7] : « Quid fuit hoc aliud di- « cere, quam occidatur Christus Salvator, quia « suscitavit mortuum; dimittatur latro, ut iterum « perpetret homicidium? » S. Bonaventura in Lucam ita scribit [8] : « Ex quo apparet Judæorum « perversitas, quia Salvatori prætulerunt seditio- « sum, benefactori furem et auctori vitæ prætule- « runt virum homicidam. Unde dicitur : Vos autem « justum et sanctum negastis et petistis virum ho- « micidam donari vobis, auctorem vero vitæ inter- « fecistis; et hæc fuit summa impietas, vitam red- « dere destructori et auferre vitam senti totius « vitæ. » Quis hanc optionem, multo magis autem detestabilem hanc electionem considerans, non hæreat attonitus? « Data optione de Jesu et la- « trone, » inquit S. Anselmus [1] « pro Jesu latronem, « pro Salvatore interfectorem, pro Filio Dei petunt « filium diaboli, ut iste liberetur, ille, scilicet Dei « Filius, damnetur. Quæ sua petitio usque hodie « hæret eis, amissa gente et loco et libertate, quia « datorem libertatis maluerunt perdere, quam gen- « tem et locum amittere. » Idem sanctus in dialogo *de passione,* Christum et Barabbam a Judæis ad invicem comparatos, sub hisce terminis exprimit [2] : « Agnum lupo, aurum luto postponunt. O in- « dignum et infelix concambium. » Et quidem cambium istud tanto est detestabilius, quia factum est a populo quodam infinitis titulis Christo obligato : ut proinde Dionysius Carthusianus exclamet [3] : « O « excæcatissimi, ingratissimi, crudelissimi Judæi « qui eum, qui vobis ac filiis vestris tanta bona « fecit, omnes infirmitates sanando, dæmoniacos « liberando, mortuos suscitando, esurientes alendo, « ignorantes docendo, vestram futuram destructio- « nem deflendo, latroni et homicida, et seditioso « postponitis, deteriorem censetis, et turpissima, et « acerbissima morte necari deposcitis. » S. Anselmus ß. Virginem interrogans, an quando filium suum ad Pilatum perduci vidit, inde aliquod emolumentum speraverit, sequens a B. Virgine retulit responsum [4] : « Multum speraveram, cum turba con- « veniret, cui sæpe dulciter prædicaverat, et quo- « rum infirmitates sanaverat, et eos in deserto « paverat, quod eum de manibus Judæorum libe- « rare deberent. » Sed valde eam fefellit ejus opinio, siquidem « universa turba, omnes clamave- « runt : *Tolle hunc,* etc. Sed quomodo populus « tam facile persuasus est a principibus Sacerdo- « tum, » quærit Didacus Stella [5], « ut Barabbam « peteret? sciebat enim populus Christum benefi- « centissimum, ejus enim beneficia quotidie rece- « perat. Sciebat sapientissimum, ejus enim doctri- « nam suspensus audiebat. Sciebat divinum, ejus « enim miracula continenter spectabat : unde ergo « Barabbam vult dimitti et Christum crucifigi? « Profecto argumentum est, Christum non esse de « terra, sed de cœlo, non de mundo, sed de Deo. « Si enim de mundo fuisset, mundus quod suum « est, diligeret, nunc autem quia non est de « mundo, odit eum mundus. » Etenim si unquam evangelicum illud S. Joannis oraculum adimpletum fuit dicentis : *Mundus eum non cognovit,* in hac pro-

[1] Jerem., II, 16. — [2] Joan., VII, 37. — [3] *Ps.* CXLVII, 20. — [4] Cajetan., *in Luc.* — [5] *Act. Apost.,* III, 14. — [6] Chrys., t. III, s. 3 *de Myst. Cœn. Dom.* — [7] S. Aug., l. III *de Symb. ad Catech.* — [8] S. Bon., *in Luc.*

[1] S. Ansel., *in Matt.* — [2] S. Ansel., dial. *de Pass.* — [3] Dion. Cart., *in Matt.* — [4] S. Anselm., dial. *de Pass.* [5] Did. Stella, *in Luc.*

fecto occasione id factum est, quando populus et turba facto ipso se illum non cognoscere probaverunt.

**2.** — Cajetanus ideo Christum se Barabbæ postponi permisisse dicit ut ostendat, quam sit alienus a gloriæ mundanæ applausibus [1] : « Factum hoc « monstrat, » inquit, « non solum instabilitatem « turbarum, quæ quinto die ante acclamaverant « Jesu : Benedictus qui venit in nomine Domini ; et « deinceps quotidie concurrebant ad illius prædi- « cationem audiendam in templo : sed monstrat « nullis artibus, nullis mediis usum fuisse Jesum ad « captandum favorem hominum, tam magnatum, « quam plebis : tot siquidem horis decursis a tem- « pore comprehensionis usque ad mortem inclusive, « nullus dives aut pauper comparuit in favorem « ejus, nullus inter turbas inventus est, qui non « fuerit contra ipsum. » Hanc sui desolationem in Psalm. CXLI, his verbis prædixit [2] : *Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me.* Observandum quoque, quod eum per contemptum nomine proprie appellare dedignati fuerint, dicendo : *Non hunc, sed Barabbam*, quasi dicerent [3] : *Nec memor ero nominis ejus per labia mea ;* cum tamen idem populus in monte Horeb contra Moysen in Synai monte existentem exasperatus et conjuratus, vitulumque fundens, honorifico illum nomine appellarit, dicens [4] : *Moysi huic viro, qui eduxit nos, etc.* Lucas Brugensis pro se Theophylactum allegat exclamantem [5] : « Gens sancta rabie in « cædem furit et gentilis Pilatus cædem adversatur.» Etenim Pilatus, qui idololatra erat, qui nihil habebat cum Christo commercii, qui religionem profitebatur Judaico ritui contrariam; hic, inquam, Jesum adjuvat, protegit et defendit; Judæi vero infinitis ab eo beneficiis cumulati, suæque legis et cultus divini professores, illum vilipendunt, et in illum desævire non desinunt.

**3.** — Cajetanus super Matthæum scribens, considerat tempus, quo turbæ clamarunt [6] : *Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam ;* ait enim : « Turbæ quæ « ad opus misericordiæ, ad liberandum scilicet « unum a morte, convenerant coram Præside (quæ « saltem debebant tractare Jesum, sicut alios vinc- « tos, et dicere : Fac justitiam, nostrum non est, « nisi petere gratiam solitam, quia ad hoc tantum « convenimus) vertuntur ad crudelitatem, ad pe- « tendam mortem innocentis, et non solum mortem, « sed crudele et ignominiosum mortis genus. » Ludolphus Carthusianus inquit [7] : « Peccaverunt in « duobus, scilicet quia reum petebant liberari, et « innocentem damnari. Unde in Proverbiis [8] : *Qui « justificat impium et condemnat justum, uterque abo- « minabilis est apud Deum.* » Cajetanus super Lucam ita scribit [1] : « Universa plebs, quam Sacerdotes « sciebant libenter audire prædicationem Jesu, « quamque Pilatus tanquam devotam Jesu excitabat « in favorem ejus, acclamat eum crucifigendum. « Hinc manifeste habetur, quod Jesus non fecerat « sibi amicos aliquos velut factiosos, sed simplici « doctrina fidei et morum instruebat omnes, ut « incredulis nullus relinqueretur locus objiciendi « humanas artes fidei Jesu. » Hugo Cardinalis [2], ut ostendat, quam irrationabiliter Barabbæ liberationem, Christi vero mortem Judæi postularint, ex libro Judicum [3] illam adducit parabolam, in qua dicitur, arbores inter se convenisse, ut regem sibi eligerent; et relicta vite, aliisque arboribus nobilioribus, magisque; fructuosis, elegerint rhamnum, sive spinetum.

**4.** — Porro detestabilem illorum ingratitudinem valde aggravat occasio, qua Christi crucifixionem postularunt, scilicet festivitas Paschalis; nam ut Lucas Brugensis ait [4] : « Ob gratam lætamque re- « cordationem ejus, quæ primo illo Paschæ festo « acciderat, præservationis Israel filii Dei primo- « geniti ab Angelo percutiente, et subsecutæ libe- « rationis ejus ex Ægypto. » Lyranus originem consuetudinis illius, quod in Paschate reum quemdam mortis condemnatum liberare possent, hoc statuit fundamentum. In illa namque nocte in qua Hebræi in Ægypto agnum manducarunt Paschalem, Angelus Domini, occisis omnibus Ægyptiorum primogenitis, primogenita Hebræorum salvavit. In cujus beneficii memoriam Præses Romanus illam quotannis exequebatur gratiam, quam ipsi ab Imperatore Romanorum impetraverant, liberandi scilicet reum quemdam mortis ab inferendo supplicio. Sed ecce tibi gratitudinem, quam in memoriam tanti beneficii exhibuerunt; nimirum postularunt mortem unigeniti Filii Dei [5], *qui est in sinu Patris.* Deus olim Jeremiæ revelans, quid futurum esset in die, quo Filius Dei consummaturus erat Redemptionem humanam, in hæc verba prorupit [6]: *Et dixit Dominus ad me : Inventa conjuratio in viris Juda, et in habitatoribus Jerusalem.* Id quod in die crucifixionis Christi consummatum fuit ; omnes enim Judæi contra Salvatorem congregati sunt, ad liberationem Barabbæ et Christi crucifixionem postulandam. Coram Caipha, Herode, et Pilato hactenus conspiraverant, simulque congregati fuerant seniores, Magistratus, Pharisæi, Scribæ, Sacerdotes, Pontifices Principes Synagogæ : at vero pro postulanda Christi crucifixione turbas et universam plebem congregarunt. Subdit Deus per os Jeremiæ [7]: *Reversi sunt ad iniquitates Patrum suorum priores.* Etenim majores ipsorum postquam ab Ægyptiacæ

[1] CAJET., *in Matt.* — [2] *Ps.* CXLI, 5. — [3] *Ps.* XV, 4. — [4] EXOD., XXXII, 1. — [5] LUC. BRUG., *in Luc.* — [6] CAJET., *in Matt.* — [7] LUDOL. CARTH., p. 2, c. 62. — [8] PROV., XVII, 13.

[1] CAJET., *in Luc.* — [2] HUG. CAR., *in Luc.* — [3] *Judic.*, IX, 8. — [4] LUC. BRUG., *in Matt.* — [5] JOAN., I, 18. — [6] JEREM., XI, 9. — [7] ID., 10.

servitutis compedibus per tot miracula liberati fuissent, et per continuam columnæ nubis et ignis assistentiam ad terram promissionis proficiscerentur ut ibidem loco ligonum sceptra tractarent; tametsi per quadraginta annos Angelorum pane sustentati fuissent, attamen Deum suum abjecerunt, bovem sibi æneum fundentes, et velut Numen quoddam divinum adorantes [1] : *Hi sunt Dei tui, etc.* ac proinde Propheta subdit : *Abierunt post Deus alienos.* At vero eo ipso tempore, quo Israelitæ idola adorabant, Deus toto studio intentus erat, ut sanctam suam legem illis daret, seque in monte Synai strictæ familiaritatis vinculo in ipsorum beneficium cum Moyse coujungeret. Eodem modo quis est qui nesciat, quam inteutus Filius Dei fuerit per triginta trium annorum vitæ suæ spatium, ut Judæis bene faceret? siquidem *pertransiit ubique benefaciendo, etc.* Nunquid ipsemet expressis verbis dixit : *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*? Ex quo jugum legis Mosaicæ grave, et ponderosum nimis erat, quam ut ipsi vel patres eorum portare potuerint, in favorem ipsorum, novam annunciavit legem gratiæ, sive Evangelicam, et de eadem dixit : *Jugum meum suave est.* Vespere præcedenti diem passionis suæ, ipsis in ultima cœna manna porrexit Eucharisticum : *Quid igitur potuit ultra facere eis, et non fecit*? At vero vultisne scire, quam gratos se erga Filium Dei pro tot beneficiis exhibuerint? Nimirum genua sua coram bove incurvarunt, id est, viva voce latronem quemdam, virum homicidam, et verum iniquitatis monstrum, a morte liberare contenderunt; Filium autem Dei non solum neglexerunt, sed et ignominiosissimam ei mortem inferri inconditis clamoribus expostularunt.

**5.** — Deus olim in Exodo Hebræis promisit, et opere adimplevit, dicens [2] : *Eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra : eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta, hæc sunt verba, quæ loqueris ad filios Israel.* Ecce tibi quantopere Deus hunc populum præ cunctis aliis mundi nationibus æstimarit, quantisque prærogativis eumdem affecerit; et tamen idem ille populus hunc Deum adeo illis beneficum tam parvi fecit, ut illum pro triginta argenteis emere non fuerit dedignatus; neque hac solum contumelia contentus, illum latroni et homicidæ cuidam postposuerit; cum tamen Baruch Propheta de ipso afferat [3] : *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum.* Profecto deinceps Sponsa de dilecto suo dicere non poterit, quod sit *candidus* [4], quia conspurcatus est fætidis Judæorum sputis, et alapæ inflictis livoribus deformatus. Dicere quidem poterit, quod sit *rubicundus,* quia toto corpore sanguine conspersus non tamen poterit subnectere, quod sequitur, scilicet quod sit *electus ex millibus,* siquidem ipse solus hodie reprobatur, et latro eligitur. Porro hæc Christi reprobatio olim in Levitico præfigurata fuit in duobus hircis : Sacerdos enim super illos mittebat sortes, ut exinde dignoscere posset, quisnam illorum ab eo sacrificandus, et quis liber dimittendus esset. Audiamus hac de re Rupertum Abbatem ita scribentem [1] : « Iste est clamor, de quo Dominus per « Prophetam : *Ecce exspectavi,* inquit, *ut faceret « judicium, et ecce iniquitas; et justitiam, et ecce « clamor*, quia sic futurum erat, ut occideretur « Salvator, et servaretur latro. Præcipit, imo sic « mystice Prophetæ lex Moysi dicit : Suscipiet ibi « Sacerdos ab universa multitudine filiorum Israel « duos hircos pro peccato, et stare faciet coram « Domino in hostio tabernaculi, mittens super « utrumque sortem, unam Domino, et alteram « capro emissario. Cujus sors exierit ad Dominum, « offeret vitulum pro peccato : cujus autem in « caprum emissarium, statuet eum vivum coram « Domino, ut fundat preces super eo, et emittat « eum in solitudinem. His rite celebratis, offeret « vitulum et rogans pro se, et pro domo sua, im- « molabit eum. Hic ritus propheticus ecce completus « est. Quinam sunt duo hirci, nisi Jesus Salvator « mundi, et Barabbas auctor seditionis? Salvator « nempe etsi secundum suam innocentiam verus « est, et erat Agnus Dei : attamen secundum ini- « quitates omnium nostrum, quas, ut Propheta « testatur, Deus in eo posuit, quasi hircus extitit; « Barabbas autem non alienis, sed suis peccatis « hircus est, quem populus ille male sortitus huic « præposuit, qui venit tollere peccata mundi. Exi- « vit ergo sors ad Dominum super hircum nostrum, « ad ipsos autem sors exiit in hircum illum fæti- « dum, id est, Barrabbam seditiosum, qui emissa- « rius illis factus est, et in solitudinem, id est, in « gentem illam a Deo desolatam dimissus et reser- « vatus est. Noster autem hircus, scilicet Salvator « noster Christus, rogans pro se, pro domo sua, « quæ sumus nos, libens immolatus est. » Salmeron eamdem adducens figuram, sequens ex inde eruit aliud mysterium inquiens [2] : « Qui educebat caprum « emissarium in desertum, immundus fiebat, donec « se lavaret aqua lustrationis. Ita Judæi petentes « Barabbam immundi facti sunt, nec unquam mun- « dari possunt, donec sanguine Christi, et aqua « baptismi laventur. »

**6.** — Hugo Cardinalis sequentem adducit Isaiæ textum, in quo Deus populo suo in hæc verba comminatur [3] : *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum*; moxque ex Glossa subjungit [4] : « Hæc specia- « liter contra Judæos servit, qui Barabbam elegerunt « et Christum condemnaverunt. » S. Anselmus rationem assignat, cur Judæi a tot sæculis hactenus in

[1] Exod., xxxii, 4. — [2] Id., xix, 5. — [3] Baruch, iii, 36. — [4] Cant., v, 10.

[1] Ruper. Abb., I. XIII *in Joan.* — [2] Salm., t. X, tr. 38. — [3] Isa., v, 20. — [4] Hug. Car., *in Luc.*

continua semper et perpetua inquietudine vixerint. Ait enim [1] : « Ideo pacem Judæi habere non pos-« sunt, quia seditionum principem eligere malue-« runt. » Rupertus ubi supra subjungit [2] : « Petie-« runt virum homicidam donari, auctorem vero « vitæ interemerunt. Juste propter hoc ipsum « seditionibus et homicidiis perituri, quia princi-« pem pacis dederunt pro auctore seditionis, tantis « calamitatibus involvendi quantis satis declarare « nullius copia scriptoris, nullius possit quanta-« cumque facultas oratoris. » Egesippus de excidio Hierosolymitano scribens, Hebræis in hæc verba improperat [3] : « Quid putabas futurum, cum tuis « manibus Salvatorem tuum crucifigeres? Cum tuis « manibus vitam tuam extingueres? Cum tuis « vocibus advocatum tuum exterminares? Tuis « infestationibus auxiliatorem tuum interficeres, « nisi ut in te quoque tuas injiceres manus? Habes « quod petisti. Eripuisti tibi præsulem pacis, petisti « necari vitæ arbitrum, concedi tibi Barabbam, qui « propter seditionem factam in civitate, et homici-« dium, missus fuerat in carcerem. Ideo salus abs « te recessit, pax abiit, quies destitit, data est tibi « seditio, datum excidium. Agnosce tibi hodie « Barabbam vivere, Jesum mortuum; ideo in te « regnat seditio, pax sepulta est, ut crudelius a tuis « pereas, quam si ab alienis perires. »

**7.** — Porro de hac pessima generatione Jeremias inquit : *Eligent magis mortem, quam vitam, omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima in universis locis,* idque in pœnam electæ liberationis cujusdam homicidæ, et postulatæ mortis veræ vitæ: *Elegerunt magis mortem, quam vitam.* Neque hoc loco prætereundum est, quod Lucas Brugensis in Matthæum scribens, ponderat, scilicet quod omnes uno ore Barabbam postularint [4] : « Non enim hoc « accidit, » inquit, « quia Jesus populo passim « exosus foret, nec sponte populus Jesu offensus « jam fuit; sed a Principibus invitatus, Principum « quam Dei obsequentior, tam æquitatis omnis et « honoris, quam propriæ salutis subito oblitus est. « Ita non est confidendum in applausu populi, « quem facile videre licebit rapi in partem adver-« sam. Atque hic vere est mundi genius, ut nocen-« tibus benignum, innocentibus adversarium se « præbeat. » Idem paulo ante de Judæis, citata D. Chrysostomi auctoritate, dixerat [5] : « O mentem « scelestam! similes sui petunt, scelestum dimitti « insontem punirs jubent : sic enim eis antiquitus « mos fuerat. » Habuit porro Redemptor noster in eo, quod Barabbæ postponebatur, hanc consolatio-nem, quod scilicet innocens moreretur; si enim turbæ illum liberassent, existimatus deinceps fuis-set reus, quia gratia quæ ex consuetudine peteba-tur, reos mortis concernebat, non vero innocentes, cujusmodi Christus erat.

[1] S. Ans., *in Matt.* — [2] Rup. Abb., *ib.* — [3] Egesip., l. I, c. 2, de *Excidio Hieros.* — [4] Luc. Brug., *in Matt.* [5] Chrys., a Luca Brugen. citatus.

## DISCURSUS IX.

### DE CONJUGE PILATI, CHRISTI INNOCENTIAM CORAM MARITO SUO CONTESTANTE.

Idea sermonis. — 1. Discutitur somnium uxoris Pilati. — 2. Quales fines habuerit Deus in immissione hujus somnii. — 3. Quare hoc somnium non potius Pilato, quam ejus uxori immissum fuerit. Uxor Pilati præfiguravit Ecclesiam. — 5. Alii opinatur hoc somnium immissum opera dæmonis. — 5. Quare uxor Pilati vetuerit ne contra Christum maritus ejus procederet. — 6. Christus comparatur vermi, quo capitur diabolus. — 7. Judæi in procuranda Christi morte obstinatiores fuerunt ipso diabolo.

*Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi, et justo illi; multa enim hodie passa sum per visam propter eum,* Matth., xxvii, 9.

**1.** — Conjux Præsidis, mulier sapiens, et prudens, prope sciens, quod injustitia, et sanguis innocens effusus cœlestem a Deo provocent vindictam, ut Lucas Brugensis notat, quemdam ex servis suis ad maritum submisit, qui ei id, quod pridiana nocte illi quoad Christum acciderat, indicaret [1] : « Misit « unum e famulis suis, » inquit Brugensis, « eo « quod decor non permitteret, ut ipsa in conspec-« tum multitudinis prodiens, interpellaret maritum, « negotiis reipublicæ occupatum. » Et quidem sine dubio specialiter ei considerandum proposuit id quod ex injustitia illius causæ accidere posset, et forsitan hisce verbis maritum suum per ministrum est allocuta : « Eo quod ille mihi videtur abs te « male tractari, et occidi, ita ut non dubitem, quin « pessime nobiscum agetur, et universæ familiæ « tuæ accerses inexpiabile malum, si quid in illum « admiseris. » Porro qualia hujus mulieris somnia fuerint, Evangelista quidem non exprimit, idem tamen præfatus auctor speculatur, potuisse esse verbi gratia sequentia : « Somniaverat, verisimile « est, mulier, Jesum a Judæis oblatum marito suo, « eo permittente indignis modis tractari, et interfici « Deum vero iratum, quod hujusmodi injuria affi-« ceretur vir justus et innocens, ulcisci se et de « Judæis, et de marito ipsius quam gravissime. « Quamquam vero occasio esse potuerit somniandi « de Jesu, quod pridie vesperi Judæorum Principes « a Præside marito ipsius petiissent cohortem, ut « Jesum apprehenderent, quodque sciret causam « Jesu inter Judæos tractari, minime tamen dubium « est, non naturæ, nec diaboli, sed singulari Dei « instinctu somnium et tormenta illa passam

[1] Luc. Brug., *in Matt.*

« fuisse. Hoc ut ipsamet sensit, persuase se velut « oraculo divinitus dato admonitam. Ita sentiunt « veteres tractatores Latini, Hieronymus, Ambro- « sius, Augustinus, Græci item, Origenes, Chrysos- « tomus, Theophylactus, Euthymius. » Idem auctor, ut somnium hoc a Deo fuisse probet, sequens adducit efficax argumentum : « Ita evenit, » inquit, « quemadmodum somnio, hoc portendebatur, ut « non Judæi tantum, civitasque Hierosolymorum « misere interierint ob Jesum interfectum, verum « etiam ut Pilatus aliquot post annos Romam a « Vitellio Syriæ præside missus, ut responderet « apud Cæsarem, ad objecta per Judæos crimina, « tandemque omni honore privatus, in exilio « Viennæ Gallorum, sua se transverberans manu, « multorum malorum compendium mortis celeri- « tate quæsierit, quod scribit Ado in Chronicis. »

**2.** — Hic autem opinione illa supposita, scilicet quod somnia huic mulieri per Angelum bonum, et ex instinctu divino impressa fuerint, merito investigandum est, quosnam infallibilis illa Altissimi providentia, in hujus somnii immissione, præstitutos habuerit fines. Etenim verissimum est, quod Psalmista ait : *Omnia in sapientia fecisti.* Dicendum igitur est, quod licet Pilatus Salvatorem sæpius innocentem declaraverit, quia tamen ob vanum tumultuantium Judæorum timorem titubabat, ideo voluit ut etiam ipsamet Pilati conjux innocentiæ Christi adeo conscia fieret, ut illam deinceps nunquam dissimulare posset. D. Chrysostomus in sermone quodam ait [1] : « Ecce judex terretur in con- « juge, et ut crimini Judæorum non præbeat in « judicando consensum, protulit in uxoris afflic- « tione judicium. Judicatur ipse qui judicat, tor- « quetur antequam torqueat, et ut nihil mali in « perniciem operetur insontis, in somniis exagita- « tur uxoris. Jam quid ibi ageret judicis conscientia « si sic torquebatur et costa? » S. Athanasius similiter evidens hoc divinitatis Christi argumentum hisce verbis considerat [2] : « Quid aliud in mentem « venire potest, nisi illum ipsum, qui ibi judicio « subjectus stabat, Deum esse, qui interim dum a « Pilato judicabatur, ejus uxori oracula edebat : « quo simul Pilatus ex silentio ejus fortitudinem « stuperet, et ex oraculis cognoscret, eum in quem « sententiam daret, non hominem, sed Deum « esse? » Porro quidnam uxor Pilati prætenderit per nuncium somnii sui marito indicatum, Lucas Brugensis declarat, inquiens [3] : « Conatur eum « hujus somnii indicatione revocare, tum religione, « tum metu. Religione, ne justum damnet, metu, « ne mala incurrat. Misit, qui diceret marito suis « verbis, audientibus omnibus, opponens seipsam « furori Judæorum, Jesu interfectionem urgen- « tium. » Apud Lucium Dextrum circa annum Christi 34 hæc scripta reperio [1] : « Christus Salvator « mundi reus apud Pilatum agitur, Claudia Procula « uxor Pilati admonita per somnium in Christum « credit, et salutem consequitur. » Unde Menologium Græcum illam aliis quoque Sanctis connumerat. Cornelius a Lapide [2] de ipsa respective intelligenda esse dicit illa verba Apostoli : *Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia,* quia verisimile est, fuisse cum Pilato marito suo, quando hic Hebræorum accusationibus impetitus, Romam coactus est proficisci. Theophylactus in Commentariis super Matthæum somnium hoc uxori Pilati fortunatum, ipsi vero Pilato infaustum, et mali ominis causam fuisse censet, eo quod nihil inde profecerit, aut a sententia iniqua permutanda deterritus fuerit; ita enim scribit [3] : « Providentiæ opus somnium fac- « tum est, non ut absolvatur Christus, sed ut ser- « vetur uxor. » Nam ut Lucas Brugensis ait : « Credendum est, bonam fuisse mulierem, quæ « non ab hoc somnio tantum, verum etiam jamdiu « a fama publica docta Jesu sanctitatem, pio animi « affectu erga eum prædita fuerit. Cæterum non eo « fine a Deo, aut ejus jùssu ab Angelo mulieri « somnium hoc immissum fuit, ut Jesu liberaretur « a morte, verum ut innocentiæ Jesu testimonia « undique concurrerent. »

**3.** — Quod si quæras, quo mysterio somnium istud non Pilato, sed uxori ejus immediate immissum fuerit, ad hoc variis modis respondetur. Et quidem in primis dubium hoc movet pariter et resolvit D. Chrysostomus, inquiens [4] : « Cur autem « ipse Pilatus somnium non vidit? Aut quia mulier « dignior erat, aut quia si Præses somnium hoc se « vidisse dixisset, non ita sibi creditum fuisset; aut « quia non dixisset, sed secum ipse tenuisset. Id- « circo igitur ex dispensatione mulier vidit, ut « omnibus notum fieret. Nec solum vidit, verum « etiam multa patitur, ut maritus uxori condo- « lendo, tardior ad cædem redderetur. » Enim vero quando quis rem aliquam subito divulgari desiderat, ejusdem notitiam mulieri cuipiam communicet et eamdem confestim in vulgus sparsam esse videbit. Ac proinde Christus innocentiam suam, sicut et suam a mortuis resurrectionem, cito divulgari cupiens, utriusque notitiam mulieribus concredidit. S. Augustinus in sermone quodam ita scribit [5] : « In nativitate mundi uxor ducit virum « ad mortem, in passione Christi uxor provocat ad « salutem. Illic serpentis utilitas præcipitat, hic « terror Angelicus revocat, ut inde inciperet venia, « unde videntur prorupisse peccata. » Origenes mulierem hanc Ecclesiam præfigurare arbitratur;

[1] Chrys., t. III, ser. 3 de *Myst. Cœn Dom. et prod.* — [2] S. Athan., *de Pass. et Cruce.* — [3] Luc. Brug., *in Matt.*

[1] Luc. Dext, *Chron.*, an. 34. — [2] Corn. a Lap., in I *Tim.*, iv, 21. — [3] Theophyl., *in Matt.* — [4] Chrys., h. 87 *in Matt.* — [5] S. Aug, ser. 46 *in Append.*

ita enim scribit [1] : « Vide, quia justum appellavit « Jesum uxor Pilati, ne forte mysterium sit hæc « uxor Pilati, Ecclesia ex gentibus. » Porro maritus ejus Christo dixerat [2] : *Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te et dimittere te?* merito igitur ipsa Ecclesiam repræsentans, eumdem hortatur, dicendo : *Nihil tibi et justo illi*; quia principibus sæcularibus nulla competit jurisdictio in ecclesiasticos; quasi diceret, inquit S. Thomas [3] : « Non per- « tinet ad te judicare, imo ipse debet esse judex « tuus. » S. Hilarius hanc mulierem gentilitatis figuram esse arbitratur, inquiens [4] : « Species in « ea gentium plebis est; quæ jam fidelis, eum, « cum quo conversabatur, incredulum populum, ad « Christi fidem advocat. Quæ quia ipsa multum sit « passa pro Christo, in eamdem gloriam futuræ « spei, illum cum quo conversabatur, invitat. » Poteratque hæc gentilitas in spiritu prophetico asserere : *Multa passa sum propter illum*; quia gentiles ad fidem conversi, pro eadem fide defendenda innumera in suis martyriis passi sunt supplicia. S. Anselmus pariter ait [5] : « Nota quod gentilibus « sæpe a Domino somnia revelantur, quod in Pilato « et uxore ejus, justum Dominum confitentibus, « gentilis populi testimonium sit. Hoc enim uxor « gentilis viri in visionibus intelligit, quod Judæi « vigilantes credere noluerunt. » Cajetanus considerat [6], nullum sive virum, sive mulierem prodiisse in publicum ad defendendam Christi innocentiam, præter ipsummet judicem et ejus uxorem; cum enim hæc symbolum esset Ecclesiæ, ille vero typice gentilismum præsignaret, justum erat, ut Christum, ejusque innocentiam tuerentur quia tam Ecclesia, quam gentilitas in progressu temporis fidem Christianam defensura, Christumque tanquam verum Deum veneratura erat.

**4.** — Sunt quoque graves auctores, qui aliam sectantur opinionem, scilicet quod somnium hoc opera dæmonis immissum fuerit. S. Anselmus ait [7] : « Nota, quia nunc demum diabolus intelli- « gens, per Christum se spolia sua amissurum; « sicut primum per mulierem mortem intulerat, « ita modo per mulierem vult Christum de manu « Judæorum liberare, ne per mortem ejus, mortis « amittat imperium. » S. Ignatius in Epistola quadam ad Polycarpum, diabolum mox ut crucis mentionem fieri audivit, mox motus et strepitus ciere cœpisse his verbis asserit [8] : « Cum paranda esset « crux, tumultuabatur; mulierculam turbans in « somniis, ut a crucifigendo cessarent, inducere « moliebatur, qui prius omnem lapidem moverat, « ut eadem crux pararetur. » Idipsum quoque S. Vincentio Ferrerio in sermone quodam in Paracevem, in hæc verba prædixit [1] : « Tunc diabolus « cognovit fructum Passionis Jesu Christi ex lætitia « animarum in lymbo existentium, quæ ex pluri- « bus prophetiis sperabant se redimi. » S. Bernardinus pariter in ea est opinione [2], quod cum de cruce Christo paranda inter Judæos ageretur, tunc pridem diabolus Christum promissum in lege Messiam esse suspicari cœperit; ait enim : « Volebat « antiquus hostis redemptionem humani generis « impedire, suspicans Christum esse Filium Dei. » Porro, quod diabolus ad ponendum humanæ redemptioni obstaculum, mulierem tanquam instrumentum adhibere voluerit, hujus mysterium Salmeron sequentibus verbis subindicat [3] : « Quia vas « suum cognovit fœminas esse, per quas hominum « ruinas operari solet; uxorem Pilati illusionibus « et terroribus perturbans, incitavit, ut viro suo « suaderet hominis justi liberationem, ostendens « ei per visum, terribile quoddam flagellum ei im- « minere, ac viro suo ex morte justi hujus. » B. Laurentius Justinianus *de triumphali Christi agone*, passionis Dominicæ periodos diligenter examinans, in hanc quoque opinionem magis inclinat [4], scilicet, quod dæmon, non vero Angelus bonus, mulieris istius phantasmata moverit [5]: « Trepidabat profecto « hic pestifer, » inquit, « antiquum amittere jus, « quod sibi in homine nequiter usurpaverat. » Et paulo post subdit : « Supra humanam consuetudi- « nem, atque virtutem, patientiam, mansuetudi- « nem, humilitatemque Christi esse cernebat, « proinde ut illius posset impedire agonem, ad « consueta cucurrit muliebria arma, cum quibus « olim plurimos strenuissimos debellaverat. Adam « quippe de Paradisi amœnitate dejecit, Lot in « filiarum compulit stuprum, Sampson in manus « Philistiim dedit, David in adulterii et homicidii « crimen induxit, hominum quoque redemptio, « mediante Pilati uxore, ne fieret, laboravit. »

**5.** — Porro idem S. Patriarcha, ibidem, capite XVIII, omnes ab inimico Infernali motas describit machinas, quibus Christi mortem accelerare nitebatur; ait enim [6] : « Ordinarat adversus illum « acies, in omnibus ipse certabat, si quo modo « concupitæ valeret fieri compos victoriæ : Primo « turbas, deinde milites, post excitat prætereuntes, « postremo Pontifices et Seniores vexat; omnes « certatim paratas in pharetra sagittas in signum « contradictionis extorquet. » Cum igitur omnes suas ad hoc exseruerit vires, ut Christum tanquam facinorosum et mille mortibus dignum morte turpissima necaret, cur nunc odium in amorem convertit, urgendo hanc mulierem, ut merito suo, causæ hujus judici innocentiam Christi sollicite

[1] ORIG., tr. 25 *in Matth.* — [2] JOAN., XIX, 10. — [3] S. THOMAS. — [4] S. HIL., can. 33 *in Matt.* — [5] S. ANS., *ib.* — [6] CAJETAN., *ib.* — [7] S. ANSELM., *ib.* — [8] S. IGNAT., *ad Polycarp.*

[1] S. VIN. FER., in ser. unico *in Paraсe.* — [2] S. BERN., t. X, s. 55, a. 4, c. 1. — [3] SALM., t. X, tr. 28. — [4] B. LAUR. JUST., *de Triumph. Christi agon.*, c. 13. — [5] ID., *ib.*, c. 18.

insinuet, dicendo : *Nihil tibi et justo illi*? hoc enim, ut Lucas Brugensis exponit, idem erat, ac si dixisset : « Omitte illum, cave ne illum judicare et morti « tradere præsumas. » Subdit vero idem Lucas Brugensis [1] : « Ratio, cur nolit maritum se immis- « cere negotio Jesu, quem Judæi volebant morte « plecti, est, quod Jesus justus esset et quidem « excellenter justus, quem interficere summum « scelus foret; noverat Jesum esse justum, partim « ex fama publica, quod gesta Jesu quotidie ad « maritum deferrentur, partim ex somnio quod « passa fuerat. » Sine dubio sagax et fraudulentus inimicus huic mulieri ob oculos posuerit omnia motiva possibilia, quibus de irreprehensibili Salvatoris sanctitate eam certificare poterat, videlicet patrata per ipsum in Judæa et Galilæa prodigiosa miracula; præcipue vero quod paulo ante unico verbo : *Ego sum*, cohortes armatas, quæ pridiana nocte ad Jesum capiendum egressæ fuerant, retrorsum in terra prostravit, inter quas plurimi erant milites a marito suo ad hunc effectum concessi, sibique proinde tanquam mariti sui familiares et domestici, probissime noti; nec non miraculosam auriculæ Malcho amputatæ restitutionem. Utique eidem insuper illa repræsentarit pœnarum supplicia, domui suæ ob injuste pronunciatam a marito sententiam superventura. Idque ex nullo alio motivo, quam quia illam assecutus fuerat veritatem, quod scilicet Christus verus esset in lege promissus Messias. Nam ut Ludolphus Carthusianus scribit [2] : « Nunc demum diabolus intelligens, per Christum « sua spolia, sive in mundo, sive in tartaro se « amissurum, pœnituit quod fecerat, comprehen- « dendo eum, et ideo immisit visiones huic mu- « lieri, ut per eam impediretur mors Christi. Et « sicut prius per mulierem intulerat mundo mor- « tem, ita modo satagit Christum de manibus « Judæorum liberare per mulierem, ne per Christi « mortem mortis amittat imperium. » Verisimile est, diabolum se ad illa verba reflexisse, quæ Salvator noster paulo ante contra ipsum dixerat, scilicet [3] : *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras; et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Etenim tyrannus infernalis cultum et adorationem Deo debitam sibi usurparat, dum totius humani generis genua coram seipso, in falsis simulacris, imo et in cæpis et porris repræsentato, incurvari faciebat, adeo ut Poeta in Ægypliorum ludibrium canere non dubitarit : *O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis Numina*; dummodo unicum totius terræ exceperis angulum, scilicet Judæam, quæ lumine et notitia veri Dei collustrabatur, juxta illud Psalmistæ : *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus*. Porro S. Joannes, qui hoc paulo ante memeratum Christi vaticinium refert, subjungit : *Hoc autem dicebat, significans, qua morte esset moriturus.* Atque ideo dæmon animadvertens, quod a Judæis crux ei præpararetur, haud immerito timuit, quod quemadmodum aliæ Christi prædictiones, de negatione Petri, verbi gratia de funesto Judæ exitu, deque ejus captivitate adimpletæ fuerant; ita quoque hoc de secuturo diaboli exterminio adimplendum esset, ideoque mutato consilio, causæ Christi quam antea persecutus fuerat, patrocinari cœpit. Unde Venerabilis Beda ait [1] : « Hac vice, non ante intellexit « diabolus, se per Christi mortem nudandum et « spolia humani generis, sive in mundo, sive apud « tartaros amissurum, et ideo satagebat per mulie- « rem, per quam spolia mortis invaserat, Chris- « tum eripere de manibus Judæorum, ne per ipsius « mortem ipse amitteret mortis imperium. »

**6.** — S. propheta Job sub metaphora prægrandis cujusdam piscis dæmonem velut hamo captum describit, inquiens [2] : *Quasi hamo capiet eum.* Etenim in summitate arundinis, ut piscis desideratus capiatur, vermis quidam velut esca absconditur; ac proinde cum passio Christi in mari præfiguretur : *Veni in altitudinem maris : Magna est velut mare contritio tua* : quonam putas modo Christus usus fuit, ut Leviathan infernalem caperet? Arundinem applicuit, id est, crucem, in quam suffigendus erat : *Tolle, tolle, crucifige eum.* Ne autem huic arundini suus deesset vermis, qui velut esca Leviathan infernalem ad se devorandum incitaret, ad eum usque statum se redigi permisit, in quo vere dicere poterat [3] : *Ego autem vermis sum et non homo; opprobrium hominum, et abjectio plebis.* Numquid enim opprobrium hominum et abjectio plebis fuit, quando universus populus Judaicus, tot a Christo beneficiis cumulatus, non solum eo posthabito Barabbam a vinculis liberari petiit, verum etiam Christi crucifixionem, cum tanta precum instantia, postulavit et ursit? Tunc igitur velut vilis et abjectus vermis dæmonem, quasi Leviathan hamo cepit.

**7.** — Verum enim vero ut maledictæ Synagogæ perversitas et ingratitudo tanto magis elucescat, observandum est, quod vel ipsemet dæmon, deposito contra Filium Dei odio, resipuerit, seque emendarit, atque ab ejus persecutione destiterit, quando illum, quis esset, agnovit : Judæi vero e contra tanto facti sunt crudeliores, quanto evidentioribus demonstrationibus Christus suam illis divinitatem comprobavit. Semel duntaxat, quantum ex Scriptura colligere licet, Christus a Lucifero in deserto tentatus fuit, eaque tentatione peracta, *reliquit eum diabolus.* At vero Judæi ab odio et persecutione Christi nunquam destiterunt, donec jam in cruce exspirasset. Imo ne quidem post mortem ab hac persecutione cessarunt, siquidem custodiam sepul-

[1] Luc. Brug. — [2] Lud. Cart., p. 2, c. 72. — [3] Joan., XII, 31.

[1] Beda, *in Matt.* — [2] Jol, XL, 19.— [3] *Ps.* XXI, 7.

chro ejus apposuerunt. Præterea, dæmon ei quidem, ut se e pinnaculo templi præcipitaret, persuasit; at vero eum exinde præcipitem agere nequaquam præsumpsit; Judæi autem, ut ex Evangelio constat, Christum e monte præcipitare decreverant, nisi ipse coram oculis eorum se invisibilem reddidisset. Imo tandem ipsum in alio quodam monte ad crucis patibulum suspenderunt. Deinde dæmon lapides ei obtulit, sed eo fine, ut illos in panem transmutaret : Judæi autem lapides sumpserunt, ut eum lapidarent, atque in morte ipsius ipsis quoque lapidibus duriores fuerunt, quia hi ex compassione erga communem Creatorem scissi et divisi sunt per medium : *Petræ scissæ sunt* ; Judæi autem in ipsa quoque Passione magis magisque duriores evaserunt. Denique Judæi coram Pilato vociferati sunt, dicentes [1] : *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*; dæmon autem per uxorem Pilati sategit, ut hæc in conspectu totius Judaismi marito suo Christi innocentiam manifestaret, dicendo : *Nihil tibi et justo illi.*

[1] JOAN., XVIII, 30.

# TRACTATUS QUINTUS

## DE CHRISTI FLAGELLATIONE ET SPINEÆ CORONÆ IN CAPUT EJUS PŒNOSISSIMA IMPRESSIONE

### DISCURSUS I.

SALVATORIS NOSTRI IN PRÆTORIO PILATI ET MONTE CALVARIÆ NUDITAS, VARIAQUE ILLIUS MYSTERIA CONSIDERANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Denudatio Christi fuit maximum ipsius tormentum. Revelationes de Christi denudatione. — 2. Christus majorem dolorem percepit ex sua denudatione, quam durissima flagellatione. De nudatio est probrosissima ignominia. —3. Producitur ultimum argumentum probrosæ nuditatis Christi. — 3. Flamma in fornace Babylonica mitius egit cum tribus pueris, quam Judæi cum Christo. — 4. Christus sua denudationem solvit nuditate Adæ culpam illius in se suscipiens. — 5. In V. L. Christi denudationem præfigurarunt Noe nudatus in tabernaculo. Joseph a fratribus veste spoliatus. — 6. Afferuntur variæ, pulchræ et devotæ nuditatis Christi rationes. — 7. Christum in cruce pendente vehementer puduit suo nuditati.

*Congregaverunt ad eum universam cohortem, exuentes eum.* Matth., XXVII, 28.

**1.** — Priusquam hanc Christi flagellationem ponderare incipiamus, necessarium esse existimo, ut prius excessivum illud consideremus tormentum, quod ei nuditas sua sine dubio intulit. Hac de re S. Bernardus in hæc verba meditatur [1] : « Nudatur « Jesus, nudatur bonus Jesus? Heu mihi, qui vesti- « vit cœlos expoliatur. Nudatur Dominus, qui ante « sæcula regnans, decorem induit, et fortitudinem? « cui canimus : *Confessionem et decorem induisti,* « *amictus lumine sicut vestimento.* Heu candor « lucis æternæ nigrescit in carne, pro carne sal- « vanda. » Taulerus hanc nuditatem considerans, in hosce prorumpit devotionis affectus [1] : « Aspice « ut Rex gloriæ, qui cuncta vestit ac tegit, cœlum « nubibus, arbores foliis, terram herbis, et floribus, « ipse ad cutem usque totis despoliatur vestibus. » Lucas Brugensis dolorem, qui Christum in hac confusione afflixit, considerat, inquiens [2] : « Quale « tormentum hoc fuerit ingenuo animo Filii Dei, « qui ipsa virginea castitas, et omnis verecundiæ, « ac pudoris exemplar fuit, denudari coram tanta « impudicorum gentilium, et lascivorum militum, « sannionum, ac sycophantarum multitudine, ac « si denudaretur unus de scurris [3] (quod David Mi- « chol improperabat) potest ex se quisque æstimare. « Nam etsi eum nulla carnis concupiscentia infes- « taret, quem Virgo conceperat, id tamen quia « præsentes nesciebant (indutus enim erat similitu- « dine carnis peccati) causa ipsi erat erubescentiæ, « ac proinde pœna nuditatis non minor quam « nobis. » Beatissima Virgo Deipara S. Anselmo revelavit, se non propter hanc dolorem sudoris sanguinei et agoniæ nec propter flagella, vel spineam coronam, aut crucifixionem, sed propter nuditatem animi passam fuisse deliquium [4]: « Nudaverunt Jesum « unicum Filium meum vestibus suis, et ego exani- « mis facta fui. » S. Birgittæ pariter eadem Deipara in hæc verba revelavit [5] : « Alligatus, nihil omnino « operimenti habebat; sed sicut natus est, sic sta- « bat, et patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. » Dionysius Carthusianus de Pilato scribens, inquit [6] : « Servis suis præcepit Jesum nudare, columnæ alli- « gare, et flagellis percutere. O quam erubescibile « fuit in tot millium aspectu nudari! *Congregaverunt* « *ad eum universam cohortem.* » inquit Matthæus ;

[1] S. BERN., *de Pass.*, c. 5.

[1] TAULER., *de Vit. et Pass.*, c. 35. — [2] LUC. BRUG., *in Matt.* — [3] II REG., VI, 20. — [4] S. ANS., dial. *de Pass.* — [5] *Revel.* S. BRIG., l. I, c. 10. — [6] DION. CART., *in Luc.*

cohors autem, ut suo loco dictum est, mille in se milites complectebatur, et verisimile est, hosce, utpote ab ipso unico verbo in horto Gethsemani retrorsum prostratos, acerbam adversus illum concepisse vindictam, et consequenter ex animi livore hanc ejus derisisse confusionem, et erubescentiam : « Meditemur igitur, quam erubescibile fuit » inquit Dionysius Carhusianus [1], « in regia civitate, in die « solemni, in tot millium præsentia, in adversario- « rum conspectu sic nudari, ligari, et flagellari. » Certum est, quod inter omnia atrocissima tormenta quæ in decursu passionis suæ Christus toleravit, hoc illi præ quovis alio maxime sensitivum fuerit. Spinæ enim, flagella, ac clavi, corpus solum transfixerunt, hæc autem confusio nuditatis, ipsam quoque Christi penetravit animam.

**2.** — Regius propheta David in persona Christi olim lamentabatur, dicens [2]: *Quoniam ego in flagella paratus sum*, imo quia pati et torqueri pro hominum salute vehementissime desiderabat, adeo se ad hanc flagellationem, et nuditatem subeundam paratum, et promptum exhibuit, ut licet in flagellatione sex mille sexcentos, et amplius acerbissimorum verberum ictus in innocentissima et delicatissima carne receperit, nihilominus protestetur, inquiens [3]: *Congregata sunt super me flagella, et ignoravi?* At vero dic sodes : in quonam tormentum maxime excessivum quod illum a primo conceptionis suæ instanti vehementissime afflixit, præcipue consistebat. Utique non consistebat in verberum multitudine, neque in flagellantium ferocitate, neque in humerorum, et totius corporis dilaniatione, neque in copiosa sanguinis effusione, neque ex eo, quia rudibus funibus columnæ alligatus fuit, sed præcipue consistebat in eo, quod profanorum, lascivorum, et impiorum militum oculis, nudo prorsus corpore expositus steterit : *Dolor meus in conspectu meo.* Homo ille, qui ab Jerusalem descendebat in Jericho. et in latrones incidens, ab iisdem vulneratus, et despoliatus fuit relictus, Filium Dei præfiguravit, utpote qui e cœlesti Hierosolyma in hunc mundum, per Jericho denotatum descendit. Observandum est autem, quod cœlestis Magister noster, qui parabolam hanc composuit, non prius vulnerum, et postea despoliationis meminerit, sed despoliationem primo loco posuerit, ait enim sacer textus [4]: *Despoliaverunt eum, et plagis impositis, etc.*, quia majorem dolorem esse censuit suam nuditatem quam flagellationem suam. Etenim homo ingenuus pluris æstimat honorem et reputationem suam quam vitam. Atque ideo de aliis cruciatibus, licet atrocissimis, non legitur fuisse lamentatus, quemadmodum de hac confusione ; hæc enim semper cordi ipsius impressa remansit, ideoque ait : *Dolor meus in conspectu meo semper, id est, ob conspectum nuditatis meæ*, hanc enim pari cum cruce loco habuit. Unde Taulerus ait [5]: « O quanta crux erat honesissimo cordi illius, quod tam turpiter et inhoneste « coram vilibus illis scurris assistere cogebatur, quo « enim quis plus veræ virtutis habet, eo est et verecundior. « Porro pater filii prodigi, majoris ejus nuditatem fecit, quam laceratum vestium suarum deformitatem, propter quod servis suis præcepit : *Cito proferte stolam primam.* Ubi Chrysologus ait [6] : « Sustulit filii crimina, qui non sustulit nuditatem. » Filius Dei ex beneplacito paterno, omnia totius generis humani peccata in se assumpsit, ut pro illis æterno Patri suo satisfaceret. Et tamen æterno Patri non tantum displicuerunt omnia hæc peccata quantum ei ignominiosa filii sui nuditas displicuit. Porro quam probrosa ignominia sit, publice toto corpore nudari, facile conjicere possumus ex supplicio, quod David, cæteroquin mitis et sapiens, de Ammonitis sumpsisse legitur qui tametsi legatos suos non totaliter vestibus suis exuissent, aliquam tamen vestium partem præsciderant [7] : *Præscidit vestes eorum medias usque ad nates.* Misit enim in eos exercitum suum, qui cum de illis victor factus fuisset, Joab in contumeliæ illius pœnam, hæc illis irrogavit supplicia [8] : *Populum ejus adducens serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris, et traduxit in typo laterum et sic fecit cunctis civitatibus filiorum Ammon.* Pari quoque modo divinæ justitiæ armamentarium utique adversus prætorium Pilati omnia sua fulmina evibrasset, nisi Redemptor noster improperium istud, in beneficium nostrum, summa cum æquanimitate sustinuisset. Unde devotus quidam auctor ait : « Nonne Bethsamitæ morte puniti sunt [9] « quod arcam curiosius inspexissent. Veram arcam « nunc impune respiciunt reprobi mortales. »

**3.** — Salvator noster per os Regii Prophetæ lamentatur inquiens [10]: *Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me? Diviserunt sibi vestimenta mea.* Porro de templo materiali, quod adeo amplum erat legitur, quod *cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur.* Oraculum, ubi arca situata erat, auro purissimo contectum fuit [11] : *Operuit illud atque vestivit auro purissimo. Pavimentum domus texit auro intrinsecus, et extrinsecus.* Qua igitur ratione Christus, qui per templum figurabatur hodie conspicitur totaliter nudus, et sola confusione, nisi proprio sanguine dicere malimus cernitur contectus. Moyses inter alia miracula, per Dei potentiam in beneficium Hebræorum patrata, vel maxime ponderavit istud [12]: *Adduxit vos quadraginta annis per desertum, non sunt attrita vestimenta vestra.* Et ecce hodie iidem Judæi beneficium illud pessime compensant, siquidem Filium Dei totaliter denudant vestesque

[1] Id., *in Joan.* — [2] *Ps.* xxxvii, 18. — [3] *Ps.* xxxiv, 15. — [4] Luc., x, 30. — [5] Taul., *ib.* — [6] Chrysol. — [7] II Reg., x, 4. — [8] Id., xii, 31. — [9] Id., vi. — [10] *Ps.* xxi, 18. — [11] III Reg., vi, 20. — [12] Deut., xxix, 5.

llius, quas postea inter se missis sortibus diviserunt, quarumque solus attactus sanabat infirmos et incurabiles sanguinis fluxus sistebat, summo cum vilipendio pedibus conculcarunt. Ubi modo sunt seraphini cœlestes, quos olim vidit Isaias [1] alis suis faciem, et pedes Dei velantes, eidemque perpetim acclamantes : *Sanctus, etc.* Quando tres juvenes Hebræi in fornacem Babylonicam fuerunt conjecti, Deus in favorem iporum effecit, ut non solum ignis illos nec quidquam combusserit, aut incenderit, sed ne vel minimum contristarit [2]. *Non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit.* At vero inquies, cujus rei causa hi pueri ab igne contristari potuissent? Num forte, quia illos conflagrare potuisset? Minime, sed potius inde contristandi erant, si nimirum combustis et consumptis ab igne vestibus, nudi remansissent. Unde D. Chrysostomus ait [3]: « Contristasset, si « vestes combussisset. » Eusebius Emissenus præfatum ignem in hæc verba commendat [4] : « Quanta « castis visceribus reverentia debeatur, arbiter ignis « agnoscit. » Fuit igitur vorax hæc flamma, quantumvis Babylonica, in suspendenda activitate sua longe discretior, et benignior erga hosce pueros, non comburendo eorum vestes, ne illis nudis relictis, confusionem eis conciliaret, quam fuerint hi Satanæ ministri erga suum Creatorem, siquidem virgineum corpus illius, qui *candor est lucis æternæ*, detractis illi vestibus, tolaliter nudum reliquerunt : « Ita ergo Jesus, » inquit Salmeron [5], « qui omnia « etiam lilia campi vestibus congruis induit, nudus « producitur, et qui divas Agnetem et Barbaram « in opprobrium nudatas miraculo grandi cœlesti « lumine tegere voluit, seipsum non texit. » In monte Calvariæ planetæ cœlestes erga nudum Jesum suam exhuerunt compassionem, dum eclypsati corpus ipsius nudum lugubri cooperuerunt amictu, quando *tenebræ factæ sunt super universam terram* [6]. At vero non ita Christo accidit in prætorio Pilati, ubi non nisi livoribus et flagellis obductus fuit, adeo ut dicere potuerit [7]: *Congregata sunt super me flagella.*

**4.** — Cardinalis Toletus de nuditate Christi in cruce quædam dicit, quæ nuditati ejusdem in sua flagellatione perpessæ facile adaptari queunt; ait enim [8] : « Nudus coram toto mundo fuit in cruce « positus, ut impletum sit illud Psal. 58 : *Operuit « confusio faciem meam.* Quando enim Adam pri- « mus contra Dei præceptum pomum vetitum « ab arbore decerpsit, nudum se esse erubuit « Christus igitur secundus Adam culpam illius sol- « vens, ac seipsum cruci loco ablati pomi restituens « nuditatem illam in se accepit. » Adam de sua nuditate erubuit, tametsi nullus alius in mundo præter solam Evam esset, coram quo erubescere posset. In qua quidem erubescentia subito peccati pœna apparuit, et ideo foliis ficus se contexerunt, imo et ipse Deus de ipsorum vestitu procurando sollicitus fuit. Quid igitur de confusione hujus secundi Adami dicemus, qui omnibus totius humani generis peccatis onustus erat, et in Pilati prætorio, multo magis vero in monte Calvariæ, in conspectu multorum millium hominum, nudus in publicum prodite coactus fuit, innumeræ adversus ipsum sævienti multitudini factus miserabile spectaculum? Salmeron ait [1] : « Est homini liberali valde verecunda « nudatio, peccati pœna, unde Adam post peccatum « ad folia ficus confugit, et ita Christus ut confusio- « nem nostram sempiternam tolleret, confunditur « coram omnibus. Ubi igitur primum totus nudatus « est, tunc apparuit caro ejus, et tunica interior « inconsutilis, sanguinolenta ex sudore horti, nec « tamen tam inauditum spectaculum eos movit ad « admirationem, aut commiserationem, aut saltem « ut quærerent causam cruentæ carnis. » Albertus Magnus paulo ante insinuatum explicat mysterium parabolæ illius de homine, qui inter Jerusalem et Jericho, incidit in latrones, ipsum totaliter spoliantes et vulnerantes; ita enim scribit [2] : « Quia « sicut sauciatus Adam incidens in latrones despo- « liatus est, vestimentum amittens immortalitatis, « et vulneratus, ita etiam secundus Adam spoliari « elegit, sicut et vulnerari, ut sua spoliatione ipsum « vestiret, sicut et vulneribus suis curavit vulnera « ipsius. »

**5.** — De hac Domini nuditate nonnullas in veteri Testamento invenio figuras, et specialiter illam, qua Noe dehonestatus fuit, quando post vitis plantatæ fructum excessive nimis degustatum, nudus in tabernaculo suo jacens, a Cham filio suo derisus fuit [3] : « Bibens inebriatus est, » inquit S. Bonaventura, « et nudatus jacuit in tabernaculo. Noe, de quo « istud dicitur, Christum significat, qui fortissimo « charitatis vino inebriatus fuit, quando pro homi- « num salute mori voluit. » Citatque duos hosce sequentes versus :

> Cham ridet, cum membra videt detecta parentis;
> Judæi risere Dei pœnam patientis.

Idem Seraphicus Doctor paulo ante in alio quodam sermone ita scribit : « Per calorem solent vesti- « menta abjicere, sic et Christus cum nudus in « cruce pependit. » Idipsum pariter in hac flagellorum occasione dici potest. B. Laurentius Justinianus ait [4] : « Amore quidem ebrius, suam coram « omnibus exhibuit nuditatem. Alter equidem Noe « præfiguratus in Spiritu, Ecclesiæ plantavit vineam « quæ extendit terminos suos a mari usque ad « mare, et usque ad flumen propagines ejus. Hujus

[1] Isa., vi, 3. — [2] Dan., iii, 5. — [3] D. Chrys., ho. 13 *de tribus pueris.* — [4] Euseb. Emiss., h. 3 *de Epiph.* — [5] Salm., t. X, tr. 26. — [6] Matt., xxvii, 45. — [7] *Ps.* xxiv, 15. — [8] Tolet., *in Joan.*

[1] Salm., *ibi.* — [2] Alb. Mag., *in Luc.* — [3] S. Bon., *in Parasc.* — [4] B. Laur. Just., *de Triumph. Christi agon.* c. 7.

« vitis inebriatus dulcedine abjecta Majestatis, glo-
« ria, humanitatis verenda nudavit. » Porro que-
madmodum filius Noe natu major, sanctum seniorem in sua nuditate jacentem deridens, maledictionem incurrit, propter quam una cum omnibus posteris perpetuæ fuit servituti addictus [1] : *Maledictus Chanaan servus servorum erit fratribus suis.* Eodem modo populus Hæbreus, qui primogenitus Dei filius erat, *Notus in Judæa Deus* [2], *etc,* in pœnam hujus ab ipso derisæ nuditatis ludibrium factus est omnium terræ nationum, quarum ad finem usque sæculorum perpetuus erit servus ac mancipium. Hæc derisio pariter in Michol filia Saulis et Davidis conjuge figurata fuit, cum enim David Rex ex speciali devotionis motivo chlamyde se regia exuisset, ut tanto humilius arcæ Domini præstaret obsequium, a prædicta conjuge sua derisus, et contemptus fuit, atque insuper hoc convicio affectus : *Quasi si nudetur unus de scurris.* S. Bonaventura inquit [3] : « Michol ad David ait : *Quam gloriosus fuit hodie*
« *Rex Israel, etc.* David Christum, Michol Synago-
« gam significat, sicut enim Michol primo fuit
« David copulata, secundo alteri data, et David
« reddita, sic Synagoga primo adhæsit Christo,
« modo autem Christum reliquit, in fine vero
« mundi ad Christum convertetur. » His adde, quod sicut Michol in pœnam derisæ nuditatis Davidis, sterilitate punita fuit, quæ genus quoddam maledictionis in populo illo erat, ita quoque Synagoga a Deo maledicta fuit sterilitate, ut deinceps nullos producere possit bonorum et meritoriorum operum fructus. Joseph quoque a fratribus suis spoliatus, Christi nuditati typus extitit, unde idem Seraphicus ait [4] : « Nudaverunt eum tunica talari,
« et polymita, miseruntque eum in cisternam
« veterem. Joseph nudatus Christum significat,
« quem expoliantes nudaverunt in Passione. »

**6.** — Didacus Stella in hac actione excessivum admiratur Salvatoris amorem, inquiens [5] : « Sicut
« David dedit Jonathæ vestimenta sua, usque ad
« baltheum, in signum amoris; sic Christus, ut
« ostenderet charitatis ardorem, spoliari non de-
« dignatur, ut nos dilectissimos suos stola gloriæ
« vestiret. » Dici quoque potest, quod vestibus suis spoliari voluerit, ut cum morte et inimico infernali tanto expeditius luctari posset [6] : « Traditur igitur
« servator, » inquit S. Athanasius, « et traditus non
« exhorruit mortem, sed potius se adversum mor-
« tem ablatis vestibus expedivit. » Didacus Stella de nuditate Christi in cruce pendentis inquit [7] :
« Nudus crucifigitur, ut videas, quanto igne chari-
« tatis, et dilectionis ardet, qui vestes in hyeme
« habere non potest. » Simon de Cassia in hac Christi nudatione finem quendam nobis utilissimum his verbis insinuat [1] : « Ut sicut nudus corpore
« monstratur, dum patitur, sic et ipsum verum
« Deum omni amoto velamine intuitivo in æterna
« gloria videamus. » Et paulo post subdit : « Idcirco
« in passione fit prærogatio nudi corporis, quoniam
« ad claram et nudam visionem aliter non perve-
« nitur, nisi ejus merito Passionis. » Quod idem apud S. Bernardinum legitur. S. Athanasius paucis quidem, sed valde emphaticis verbis aliam hujus nuditatis insinuat rationem, inquiens [2] : « Nudatur,
« ut ignominiam meam tegat. » B. Angelæ de Fulginio a cœlesti Sponso sequens facta est revelatio [3] :
« Pro peccatis tuorum ornamentorum, et vestium
« superfluarum, vanarum, et curiosarum, ego in
« cruce nudatus sum, vilissimis vestes sibi diripien-
« tibus, et ludentibus in oculis meis. » Auctor quidam contemplativus, Christum nudum ad nostram eruditionem relinqui voluisse scribit : « Ut
« doceret nos veterem hominem, qualis per pecca-
« tum factus est, exuere et induere novum, qualis
« in Paradiso ante peccatum fuit. Adam vestitus a
« Deo fuit, in signum admissi peccati, et in sym-
« bolum pœnitentiæ ; unde vestis nostra stimulus
« est peccati, perinde ut catenæ, et compedes
« malefactorum. Stulte homo superbit in vestitu,
« de quo erubescere deberet. In paradiso vestium
« usus non erat, quia nec erubescentia, quæ orta
« est post ex peccato. Voluit Dominus reformare
« hominem ad pristinum innocentiæ statum.
« Hunc quadraginta illi milites ac martyres apud S.
« Basilium a Præfecto nudati, et in gelidum
« stagnum conjecti, ut ibi frigore necarentur,
« hac voce se animarunt : Non amictum exui-
« mus, sed hominem veterem concupiscentiæ
« deceptione corruptum, et gratias agimus tibi
« Domine, quod cum isto amictu, simul et peccatum
« exuere licet, quoniam ob serpentem eum indui-
« mus, ob Christum vero exuimus. » Blosius ex hac nuditate sequentes eruit devotos affectus [4] :
« Nuda quæso cor meum ab omni cogitatione in-
« digna, exue me veterem hominem cum actibus
« suis, et indue novum hominem, qui secundum
« Deum creatus est in justitia, et sanctitate veri-
« tatis. » Ludolphus Carthusianus Redemptorem nostrum his verbis affatur [5] : « Jesu, qui vestimentis
« tuis exui, et ad flagella nudari voluisti, da mihi,
« nuda peccatorum meorum confusione, veterem
« hominem cum actibus me nequaquam apparere. »
S. Bonaventura modum reparandi Christi nuditatem considerat, dum super illa Isaiæ verba [6] : *Cum videris nudum, operi eum*, ita scribit [7] : « Vide oculis
« mentis Salvatorem pro te nudum in Cruce pen-
« dentem, et operi eum fide, charitate, devotione,

[1] GEN., IX, 15. — [2] *Ps.* LXXV, 2. — [3] S. BON., *in Par.* — [4] ID., *ib.* — [5] DID. STELLA, *in Luc.* — [6] S. ATHAN., *de Pass. et Cruce.* — [7] DID. STELLA, *in Luc.*

[1] SIM. DE CASS., l. XII. — [2] S. ATHAN., qu. ult. *ad Antioch.* — [3] BOLL., 4 jan., fol. 203. — [4] BLOS, *Sacell. animæ Endol.* 10, n 2. — [5] LUD. CART., c. 62 — [6] ISA., LXVIII, 7. — [7] S. BON., s. 3 *in Parasc.*

« et operibus misericordiæ. » Ipsemet enim Salvator in paupere semetipsum vestiri censet [1] : *Quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis.*

**7.** — Porro Lucas Brugensis confusionem et erubescentiam nuditatis Christi in cruce in hæc verba considerat [2] : « Quamvis nihil in eo esset, « cujus oporteret ipsum pudere, puduit tamen eum « vehementissime, coram tanta hostium, populique « multitudine nudum in crucem agi, nudumque de « cruce pendere, quia pudor et verecundia, qui « timor est vituperii, non tam de eo est quod sumus, « quam de eo quod ab aliis habemur. » Dionysius Carthusianus in Joannem ita scribit [3] : « Nudus in « cruce levatur, ut venit ex utero matris, et sicut « Adam, quando peccavit in paradiso : unde et ma« ter ejus creditur pallium suum involvisse loco « virilium. » Idipsum Beatissima V. Maria ipsamet S. Anselmo in hæc verba revelavit [4] : « Audi An« selme, quod modo referam, nimis est lamenta« bile, et nullus Evangelistarum scribit. Cum venis« sent ad locum Calvariæ ignominiosissimum, ubi « canes et alia mortiicina projiciebantur, nudave« runt Jesum unicum filium meum totaliter vestibus « suis, et ego exanimis facta fui, tamen velamen « capitis mei accipiens, circumligavi lumbis ejus. »

## DISCURSUS II.

INIQUA ET CRUDELIS FUIT PILATI ERGA CHRISTUM COMPASSIO, DUM, UT IPSUM A MORTE LIBERARET, EUM FLAGELLARI PRÆCEPIT. UBI QUANTAM HÆC FLAGELLATIO PERSONÆ ADEO DIGNÆ IGNOMINIAM INTULERIT, PARITER EXPENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Pilati erga Christum prætensa compassio transiit in atrocissimum flagellationis supplicium. — 2. Compassionem Pilati cæcam fuisse et iniquam probatur similitudine. — 3. Per Christi flagellationem incœpit Pilatus declinare a justitia. Alia flagellationis ratio. — 4. Flagellatio Christi injusta fuit tam quoad leges Judæorum, quam Romanorum. — 5. Quod Christus permiserit se quasi vile mancipium flagellis cædi, fuit actus valde heroicus — 6. Christus ex spontanea voluntate admisit flagella. Angeli ex spectaculo flagellationis obtupescunt. Flagella Christo inflicta, nobis debebantur.

*Apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit.* Joan., XIX, 1.

**1.** — Passio Redemptoris nostri adeo immanis et pœnosa fuit, ut etiam ipsa erga dolores ejus compassio in acerbissimum ei transmutata fuerit supplicium; quia Præses credens, se per flagellationem feroces Judæorum animos mitigaturum esse, crudelior in ipsum evasit, et verbera flagellorum leviorem esse pœnam existimans, deceptus est, siquidem flagellatio hæc atrocissimum transivit supplicium. Unde merito orator quidam apostolicus in hæc verba scribit : « Quid dicam, illi nocuisse sæ« vitiam, in quem vel ipsa clementia crudelis est? « Prætor innocentiæ patrocinaturus, ut plebis « efferatos animos emolliret, remedium malorum « certe, sed malis omnino pejus aggreditur; atque « ut commodius misericordiam reo conciliet, plane « miserabilem facit. » Ipsum quidem existimat, et manifestat esse innocentem, simulque ardentissimum eum liberandi desiderium ostendit; et tamen ad tantam se cæcitatem seduci permittit, ut ei faciat infligi supplicium quoddam adeo ignominiosum et atrox, ut Doctor Angelicus dicere non vereatur [1] : « Qualis favor præstatur ei, cui tot inferuntur fla« gella? » Idem sanctus doctor finem insinuat, quem Pilatus sibi præfixum habuit dum Jesum flagellari jussit; scilicet ut tumultantem compesceret populum, quasi diceret : « Si reus esset mortis, ita con« demnarem eum, sicut flagellavi. » Philosophi naturales asserunt, quod quando quis leonem mansuefacere et cicurare contendit, in ejus præsentia canem quemdam aspere flagellari et percuti faciat; non tamen flagellatur leo, ut canis mitescat, Pilatus igitur gravissimum commisit errorem, quando ad mitigandum rabidorum canum, id est, Judæorum furorem (Regius enim Vates in Psalmo XXI qui totus est de Passione Christi conscriptus, de Judæis in hæc verba lamentatur [2] : *Circumdederunt me canes multi*) mysticum hunc Leonem de tribu Juda flagellari fecit. Beatissima Virgo S. Anselmo revelavit, dicens [3] : « Pilatus sperans, quod « crudelitati Judæorum satisfacere deberet, appre« hensum Jesum flagellari fecit in statua ligatum, « ita quod a planta pedis usque ad verticem non esset « in eo sanitas. » Cumque S. Anselmus B. Virginem interrogasset : « Sperastine ibi aliquid? » Afflictissima Christi mater respondit : « Multum « speraveram, propter hanc causam, quam tibi ma« nifestabo. Delicata enim et naturalis ingenuitas « et membrorum principalium compages, mihi « matri ejus solummodo nota, spem præstitit. « Æstimabam siquidem, quod nudato corpore, for« mosis membrorum lineamentis victi parcerent. » Ex quibus verbis perspicue deducitur, quod non solum Pilatus in suis consiliis manserit delusus, verum etiam beatissimam ejus matrem spes et fiducia concepta fefellerit. Vidit namque, quod id, quod stimulum ad compassionem addere debebat, ad atrociorem passionem filio suo infligendam fuerit irritamentum.

**2.** — Quam porro cæca et iniqua hæc Pilati compassio fuerit, ex sequenti clare deduci potest exemplo. Posito enim casu, quod multitudo quædam servorum emptorum, uni domino servientium,

[1] MATT., XXV, 40. — [2] LUC. BRUG., *in Matt.* — [3] DIO. CART., *in Joan.* — [4] S. ANS., dial. *de Pass.*

[1] S. THOM., *in Joan.* — [2] *Ps.* XXI, 17. — [3] S. ANSEL., dial. *de Pass.*

adversus ipsum rebellarent, omnique arte et industria, imo et adhibita violentia, ad hoc niterentur, ut injustam ei necem inferrent, nullus profecto futurus esset judex, quantumvis iniquus, qui dominum offensum in manus rebellantium servorum, et mancipiorum consignaret, quia nimis sæve, et truculenter illum tractaturi essent; sed mitior pœna qua tantum scelus a Judice puniri posset, hæc futura esset, si videlicet servos illos rebelles in potestatem domini traderet, eique persuaderet ut sola fustigatione in crimen eorum animadverteret. Ex quo exemplo evidenter apparet commissa a Præside deordinatio. Etenim Judæi servi, et mancipia erant Dei illius, in cujus femore scriptum legitur: *Rex Regum, et Dominus Dominantium.* Hi autem injuste contra dominum suum tumultuabantur, cum Rex ipsorum esset; cui paulo ante in triumpho palmarum subjectionis detulerant obsequium, atque veluti promissum Messiam venerati fuerant. Quem proinde Pilatus ipse tanquam talem proclamaverat, dicendo: *Regem vestrum crucifigam?* Quanta igitur est hæc iniquitas, quod innocentem, et offensum dominum, in potestatem tradat rebellantium servorum, ut eum flagellent, quibus potius rigorosum delicti ab eis commissi inferre debuerat supplicium?

**3.** — Porro Pilatus ad Judæos ait: *Emendatum illum dimittam*, id est, ut Lucas Brugensis exponit [1]: « Castigatum, correptum; nam si quod leve delic- « tum admissum erat absque crimine capitali, eum « qui deliquerat, solebant Romani Præsides virgis « aut flagellis cædere; unde Pilatus per prædicta « verba dicere voluit: Jubebo eum verberibus « cædi, ut vobis satisfaciam, ne temere videatur a « vobis accusatus. Hic exorbitare Pilatus incipit, « cum consentit in castigationem innocentis. » Idem Brugensis in Lucam ita scribit [2]: « Humanum « est hoc consilium, ex duobus malis minus eligen- « tis, quod Domino non probatur; nam si mala fa- « cienda non sunt, ut veniant bona [3], multo minus « facienda sunt, vitentur mala. Nam neque ita vi- « tantur; postquam enim deflectere cœperat Pila- « tus a justitia, et tentaverat, quod non debuerat, « minus malum, majus quod noluit, non effugit; « nam postquam flagellasset innoxium, postea « etiam crucifixit. » Cajetanus super Matthæum scribens, alium quemdam Præsidis in hac flagellationis ordinatione finem propositum insinuat. Cum enim Judæi Christum accusassent, quasi affectantem regnum et dicentem, se Regem esse, simulque scirent, quod quinque diebus antea ipsi super jumento sedenti, ab universo populo, tanquam Regi, Israelis, acclamatum fuisset [4]: « Compertumque « haberet, quod nihil aliud esse subsecutum ex hoc « tam in civitate, quam extra, videns Pilatus, quod « nullus pro eo loqueretur, et alia hujusmodi hu- « militatis Jesu testimonia, arbitratus est, sicut et « Herodes, Jesum esse puniendum ut fatuum, utpote « qui tam fatuis mediis aspiraret ad regium titu- « lum, et propterea derideri illum fecit in habitu « regio, ut flagellis castigatus tanquam aliqualiter « peccasset, et irrisionibus vituperatus ut fatuus « abstineret a profitendo se Messiam, et perderet « deinceps auctoritatem coram turbis; et tam prin- « cipes Sacerdotum, et Seniores, quam etiam « turbæ, videndo illum jam castigatum, et vitupe- « ratum, cessarent a petendo mortem. »

**4.** — *Congregaverunt ad eum universam cohortem.* Enimvero Pilati in hac flagellatione commissa injustitia, multis ex capitibus elucet, quia sive nos regulare velimus juxta leges Judaismi, sive juxta leges Romanas, in ambobus hisce casibus injustitia hæc supra omnem modum videbitur transcendere æquitatem. Etenim in Deuteronomio legitur [1]: *Sin cum qui peccaverit, dignum viderint plagis, prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus, ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Quia igitur lex hunc numerum compleri non præcipiebat, ordinaverant magistratus, ne castigatio unquam ad numerum quadragenarium verberum perstringeret. Atque ideo S. Paulus quinque vicibus castigatus inquit [2]: *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi.* Quod si vero ad Romanorum recurramus leges, ex eo quod Pilatus dixerat: *Emendatum illum dimittam*, verbera illa limitata esse debuisse arguitur, utpote ad emendationem ordinata, non vero ut debile corpus per innumera verbera dilaniaretur. Et tamen hic integra quædam cohors militum validissimorum congregatur, qui se a Christo in horto per ignominiosam illam in terram prostrationem læsos et contumeliatos esse arbitrantes, sine dubio partim serratim ipsum percusserunt, alii in verecunda hac nuditate positum Jesum deriserunt. *Congregaverunt universam cohortem*, inquit Dionysius Carthusianus [3], « ut pœna et illusio « Christi coram tanta multitudine, et in loco pa- « tenti essent majores et erubescibiliores Illius sci- « licet spectandi, » inquit Lucas Brugensis [4], « et « amplius deridendi, dehonestandique causa, quasi « qui more regum multis militibus, et ministris « stiparetur, a quibus interea affligeretur, et deri- « deretur. Cohors erat decima pars legionis, conti- « nens quinquaginta manipulos, id est mille ducen- « tos quinquaginta milites. Hanc chortem nocte « superiore secum adduxerat Judas ad comprehen- « dendum Jesum, eadem jam convocatur ad spec- « tandam, et promovendam flagellationem atque « illusionem Jesu, et quidem universa convocatur, « id est, omnes qui aderant ex cohorte. » Idem

[1] Luc. Brug., *in Luc.* — [2] Id., *ib.* — [3] Rom., III, 8. — [4] Cajet., *in Matt.*

[1] Deut., XXV, 3. — [2] II Cor., XI, 24. — [3] Dio. Cart., *in Matt.* — [4] Luc. Brug., *ib.*

Brugensis aliam quandam, juxta leges Romanas, ignominiæ hujus supplicii reddit rationem, dicens : « Legis Romanæ fuit, ut crucifigendus prius flagel- « lis verberaretur, hac ratione ab honestorum ho- « minum societate quasi separandus; » qui enim publice fustigatus erat, indignus censebatur, qui conversaretur cum hominibus honestis. Hoc enim supplicium inferebatur mancipiis, et in tribunalibus solum decernebatur personis infamibus, et ignominiosorum delictorum reis ; hi enim condemnabantur ad flagellum. Unde Toletus ait [1] : « Christus « Dominus tanquam servus flagellis cæsus est, per « quam pœnam, et magno affectus dedecore, et « graviter vulneratus est. » Porro per virgas, ut apud Cœlium Rhodiginum legitur [2], liberi, et cives Romani castigabantur : atque ideo lictores ante Magistratus aliquos virgarum fasces portare solebant; Pilatus tamen Salvatorem nostrum quodam flagellorum genere a Latinis lora denominato, flagellari jussit, quibus abjectiora percuti mancipia solebant. Atque ideo Rupertus Abbas exclamat dicens [3] : « O spectaculum grande, et mundo, et « Angelis, et hominibus, ut a servis peccati Princeps « libertatis servilibus modis cæderetur. »

**5.** — Fuit utique heroicæ humilitatis actus, quando altissimi Dei Filius formam servi dignatus est accipere dicente Apostolo [4] : *Exinanivit semetipsum formam, servi accipiens*; at vero quod se tanta Majestas eousque demiserit, quod tanquam pessimum, infame, et contumax mancipium, flagellis dilaniari corpus suum permiserit, hic actus adeo est heroicus, et super excessivus, ut nesciam quid ultra facere potuerit. Quid enim a Deo infinitæ Majestatis, *quem adorant Dominationes, tremunt Potestates*, magis est alienum, quam quod sacrosancta ipsius humanitas cruentetur virgarum pœnis, et dilaceretur flagellis ? Regius Psaltes ostendere volens in Psalmo XC quam sit aliena, et procul remota a supremi Numinis Divinitate, omnis quæ hic accidere potest afflictio, aut miseria, inquit [5] : *Altissimum posuisti refugium tuum : Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* At vero vix video, qua ratione hoc oraculum adimpleatur, quando quidem cohortis istius furia tenerrimam Filii Dei humanitatem tot flagellis mactet et dilaniet. De quonam enim tabernaculo Propheta loquitur ? Certum est, quod non de illo throno, cui Angeli assistunt, loqui intendat, siquidem hunc ab omni malo afflictivo immunem esse nemo dubitare poterat. De innocentissima igitur Christi humanitate, ne fallor, intelligi voluit, utpote quæ tabernaculi nomine in illis verbis : *Requievit in tabernaculo meo*, indigitatur. Unde S. Augustinus ait [6] : « Tabernaculum Dei caro est; in carne enim « habitat Verbum. » Atque ad hoc Tabernaculum flagellum et virga peccati nullum unquam aditum habuit, nec habebit, quod velut flagellum ingenuam animam diris modis dehonestat. Quamvis etiam dicere possimus, quod cum Christus Dei Filius totius humani generis peccata super carnem suam assumpserit, mirum non sit, quod flagella quoque in carnem ipsius prævaluerint; maxime cum peccata omnia eo fine super se assumpserit, ut pro illis æterno Patri satisfaceret [1] : *Multa* enim *flagella peccatoris.* « Meditare risum, et cachinnos carnificum, » inquit Salmeron [2], « ac ministrorum Judæorum, qui etiam « pretio oblato, ut acrius flagellarent, obtinebant. « Erat locus deputatus ad examinandum reos, et « torquendum, et cædendum; unde dura, et igno- « miniosa erat flagellatio. » Ex altera vero parte merito considerari meretur suprema Filii Dei dignitas, cui Angelorum hierarchiæ incessanter acclamant : *Sanctus, Sanctus*, et *cui honor et gloria in sæcula sæculorum.* Porro, quod Filius Dei aliquando manu suam flagello armatam ostenderit [3] : *Cum fecisset flagellum de funiculis*, ad castigandos templi prophanatores ; ad hoc eum zelus adegit, quem pro vindicanda injuria ab incredulis Hebræis domui æterni Patris sui irrogata exercuit : at vero quod per eorumdem prophanatorum importunitatem ab homine idololatra subjiciatur flagellis Deus ille, *qui respicit terram, et facit eam tremere*, ingens nimis, et inexcusabilis est præsumptio, et inordinatio.

**6.** — Quando temerarius ille Heliodorus manus suas in ærarium templi ingerere præsumpsit, ad preces Oniæ Angeli cœlitus missi fuerunt, qui diris ipsum flagellis castigarunt [4] : *Apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu, qui circumsteterunt eum et ex utraque parte flagellabant, sine intermissione, multis plagis verberantes.* Et vero cum idem ille Deus, qui e cœlo Spiritus hosce angelicos miserat, in horto Gethsemani Petro dixerit, quod si ab æterno Patre suo peteret, in suum adjutorium missurus esset plusquam duodecim legiones Angelorum ; utique de horum Satanicorum ministrorum manibus omnia hæc flagella eripere potuisset; at vero flagella hæc libenter et ex spontanea voluntate supra dorsum suum admittere voluit, quia *Multa flagella peccatoris.* Quando tres illi familiares Jobi amici eas intellexerunt, quæ Jobo acciderant, miserias, scilicet facultatum omnium jacturam, cunctorum filiorum mortem, domus totalem ruinam et desolationem, statum denique miserabilem in quem fuerat redactus, a capite usque ad pedes continuato ulcere saucius, nudusque in sterquilinio velut spectaculum omnium oculis expositus, omnes unanimiter ad illum se contulerunt, ut visitarent, et consolarentur illum. Cumque propius accessissent, hoc adeo funestum conspicien-

[1] TOL., an. 1 *in c.* 9 *Joan.* — [2] RHODIGIN., l. X, c. 5. — [3] RUP. ABB., *in Joan.* — [4] PHIL II, 7. — [5] *Ps.* XC, 9. — [6] S. AUG., *ib.*

[1] *Ps.* XXXI, 10. — [2] SALM., t. X, tr. 29. — [3] JOAN., II, 15. — [4] II MACH., III, 36.

tes spectaculum [1], *clamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum.* Septem diebus, et noctibus præ nimio stupore attoniti ne ore quidem hiscere potuerunt : *Nemo loquebatur ei verbum, debant enim dolorem esse vehementem.* At vero Passio Christi incomparabiliter superat non solum omnes Jobi dolores, verum etiam omnia Martyrum tormenta, quæ olim passi fuere, et deinceps passuri erunt ad finem usque sæculorum. Porro quod Jobum attinet, verisimile est, tres hosce ejus amicos in septemdiali illo silentio, tacitos intra semetipsos discurrendo dixisse : Hiccine est ille Job, tam charus Dei amicus, qui in sanctitate et vitæ innocentia nullum sibi in terris parem habuit ? Qui in tot heroicis operibus adeo se eximium esse probavit ? Qui nulli alteri rei adeo se totum, quam in exercendis misericordiæ operibus impendit ? Ergone huic tanto viro ex tantis divitiis nihil est reliquum, præterquam testa quædam, qua sterquilinio insidens nudæ, et putrefactæ carnis suæ saniem et vermes abradat ? Longe autem, quod nudum et flagellatum Jesum attinet, est vesimilius, quod spiritus Angelici ex hoc tam indigno spectaculo stupefacti, eumdem flagris cædi videntes, se dixerint : Nunquid hic est Deus ille, qui a quinquies mille et amplius annis quovis sæculo ex divinæ justitiæ suæ impulsu innumera suppliciorum flagella, diluviorum videlicet, terræ motuum, aquæ et ignis, rebellibus, et contumacibus populis immisit ? Nunquid hic ille est, qui sub pedibus Dathan et Abiron terram dehiscere, eosque in infernum vivos deglutiri fecit ? Qui ursos e sylvis evocavit, ut pueros, servum, et Prophetam suum Elisæum illudentes, devorarent ? Numquid ipse unum e nobis in Assyrios misit, qui in unica nocte 185 millia Assyriorum miserabili strage cæderet ? Nonne hic est, de quo Regius Psaltes ait [2] : *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, et Rex magnus super omnes deos?* Numquid nos in divino ejus conspectu præ reverentia contremiscimus ? Qua igitur ratione viles in terræ vermes adeo sunt temerarii, ut apprehensis diris flagellis sacratissimam ejus carnem, cum tanto vilipendio et contemptu, cruentare et dilaniare ausint ? Legitur in actis Apostolorum, quod dum quidam tribunus imperatoris S. Paulum flagris cædi jussisset [3] : *Jussit tribunus flagellis cædi, et torqueri eum*, S. textus mox subdat : *Cum autem astrinxissent eum loris, dixit adstanti sibi centurioni Paulus : Si hominem Romanum, et indemnatum licet vobis flagellare ?* Quo audito, mox centurio a flagellatione destitit : *Tribunus quoque timuit, postquam rescivit, quia civis Romanus esset, et quia alligasset eum. Protinus discesserunt ab illo, qui eum torturi erant.* Quod si Redemptor noster, quisnam esset, vere et aperte omnibus indicasset præsentibus lictoribus, vel certe idem verbum : *Ego sum*, quo in horto Gethsemani totam cohortem resupinam, prostravit, denuo repetiisset, utique omnia e manibus eorum cecidissent flagella ; quamvis non sine ingenti damno nostro, siquidem in eo casu redemptionis nostræ lytrum adeo copiosum minime fuisset futurum.

**7.** — S. Bonaventura in Meditatione quadam ait [1] : « Heu, dulcissime Domine, mihi, mihi debebantur tot flagella æternæ afflictionis, tu pro me « flagellari voluisti, ut me misericorditer ab illis « erueres. » Neque enim flagella sacratissimam illam humanitatem attingere, ne dicam dilaniare potuissent, nisi eamdem nostris reperissent peccatis onustam. Ludolphus Carthusianus, ut finem quem Redemptor noster in hoc supplicio sibi habuit propositum, clarius insinuet, sequentem adducit similitudinem [2] : « Sicut pia mater quando « videt patrem velle flagellare aliquem de filiis « suis, extensis occurrit brachiis et eum protegit, « exponens se flagellis pro eo. Homo Deum offen« derat, et ideo disciplinari debebat ; Christus ergo « disciplinari voluit et sic Deum placavit. Et ideo « dicitur : *Disciplina pacis nostræ super eum.* » Ubi Pagninus legit [3] : « Castigatio pro pace nostra « super eum. » Venerabilis Beda inquit [4] : « Hoc « factum est, ut quia scriptum erat : *Multa flagella « peccatoris*, ut illo flagellato nos a verberibus li« beraremur, dicente Scriptura : *Et flagellum non « appropinquabit tabernaculo tuo.* » S. Cyrillus Alexandrinus hac de re ita scribit [5] ; « Quemadmodum mors Christi, qui morti non subjiciebatur, « ad destruendam omnium mortem suffecit, sic « intelligere ac credere oportet, flagella ac dedecora « Dominum pertulisse, ut talibus nos eriperet ; ipsius enim livore nos sanati sumus, ut scribitur : « *Omnes enim erravimus, unusquisque in viam « suam declinavit, et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, attritus est propter sce« lera nostra, ut Isaias dicit : dorsum autem suum « dedit in flagella et maxillas suas in alapas.* » Enim vero speciale infiniti amoris Redemptoris nostri stratagema fuit, quod prinsquam ad crucifixionem damnaretur, acerbissimis hisce flagris dilaniari voluerit ; quia si hoc supplicium post latam mortis sententiam distulissent, flagellatio hæc longe mitior utique futura fuisset, ob metum, ne forte ex flagellationis sævitie moreretur, suoque fine frustrati manerent, scilicet : *Morte turpissima condemnemus eum.* At vero, quia audierant Pilatum hoc fine iis flagellationem indulsisse, ut *emendatum dimitteret* ; flagellatio hæc ab illis facta adeo impetuosa et truculenta fuit, ut illum sub flagellis moriturum fore sperarint, ne a mortis sententia libera-

[1] Job, II, 11. — [2] *Ps.* XLVI, 3. — [3] *Act. Apost.*, XXII, 24.

[1] S. Bon., *in Medit. de Pass.* — [2] Lud. Carth., p. 2, c. 62. — [3] Beda, *in Marc.* — [4] S. Cyr. Alex., l. XII *in Joan*,

retur. Interim vero in Christo adimpletum fuit illud Davidicum [1] : *Copiosa apud eum redemptio.*

## DISCURSUS III.

### De columna cui Christus alligatus fuit, deque atroci flagellationis suæ supplicio.

Idea sermonis. — 1. Non tam Pilatus, quam Christus semetipsum tradidit et columnæ applicuit ad flagellandum. Allusio columnæ qua educti fuerunt filii Israel de Ægypto, ad columnam flagellationis Christi. — 2. Rationes unde colligi possit summa atrocitas hujus flagellationis. — 3. Describuntur flagella triplicia quibus Christus fuit flagellatus. — 4. Christus flagellatus fuit usque ad denudationem. Summa inclementia alligatus fuit ad columnam. Nihil in Christo illæsum permansit, nisi labia et lingua et quare. — 5. Continuata crudelitas flagellationis. — 6. Exempla diversorum Sanctorum flagellationi Christi devotorum, illamque imitantium.

*Pilatus volens populo satisfacere, tradidit Jesum flagellis cæsum.* Marc., xv, 15.

**1.** — Verbum hoc *tradidit*, a S. Marco hoc loco expressum, suo, mea opinione, non caret mysterio, quia non solum significat, Christum carnificibus ad flagellandum fuisse extraditum, verum etiam indicat, quod ipsemet Pilatus illum tradiderit; siquidem non ut justitiæ satisfieret, sed ut rabies popularis exsatiaretur, adversus innocentem Jesum desævire cœpit et sub prætextu illum a morte eximendi, præter morem ei intulit supplicium quoddam præ cunctis aliis atrocissimum et vituperosissimum. Salmeron, hac de re scribens, ait [2] : « Dicam quæ legi apud sanctam Birgittam de hoc « mysterio : Deinde ductus ad columnam, perso- « naliter se vestibus exuit, personaliter ad colum- « nam manus applicuit, quas inimici sine miseri- « cordia ligaverunt. Alligatus autem, nihil omnino « operimenti habebat, sed sicut natus, sic stabat et « patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. Consur- « rexerunt autem inimici ejus, qui fugientibus « amicis suis, undique adstabant, et flagellabant « corpus ejus, ab omni macula et peccato mun- « dum. » Idem quoque doctissimus auctor de hac columna ingeniose inquit : « Qui Israelitis olim de « Ægypto egredientibus dedit nubis et ignis co- « lumnam, nunc ad duram, impolitam et frigidam « alligatur columnam, in cujus summitate ferrum « erat, ad ligandas manus ejus ac pedes, ne huc « illucque se flecteret, ut patet in ea, quæ Romæ « in templo S. Praxedis magna veneratione asser- « vatur et colitur. » Lucas Brugensis similiter ita scribit [3] : « In hac publica Filii Dei flagellatione, « præter ignominiam et infamiam, quam inure- « bant, tria quædam piis consideranda sunt. Pri- « mum detractio vestium, verecunda animo Filii « Dei ingenuo ob nuditatem, de qua Matthæus [1]. « Secundum indigna alligatio, quæ ad columnam « facta creditur, atrium prætorii fulcientem, quæ « postea translata Ecclesiæ porticum sustinuit; « quod scribit Hieronymus Epistola xxvii, quæ est « epitaphium Paulæ, his verbis : Ostendebatur illi « columna, Ecclesiæ porticum sustinens infecta « cruore Domini, ad quam vinctus ducitur et fla- « gellatur. Tertium verberatio ipsa, et tenerrimi « corporis laceratio, cujus atrocitate totum Domini « corpus cruentatum et quasi purpuratum fuisse, « non dubium est. » Simon de Cassia hanc flagellationem, cujus instrumentum columna fuit, his verbis detestatur [2] : « Columnas eductionis et direc- « tionis novimus, ignis et nubis, quibus eductus et « protectus est populus, ex Ægypto egrediens, « quas divina bonitas finxit, quibus nihil erat liga- « bile. » Et postquam prolixum immensorum beneficiorum, ab hac columna derivatorum, contexuisset catalogum, subjungit : « Hoc ideo dixe- « rim, ut sciamus, quæ ingratitudo illis columnis « mirabilibus sit repensa, nam columnis beneficii « repensa est columna tormenti. Sed non sine oc- « culto mysterio Christi ligatio extitit ad colum- « nam, cujus profecto hæc talis est natura, quod « recte existens erecta, quodlibet desuper pondus « accipiens firmatur per amplius, si autem cœperit « in partem flecti, percipit ex parvo ruinam. Co- « lumna Christus erat, ejus veri sunt sequaces, qui « tribulationum ponderibus solidantur perfectius. » Consideratione quoque dignum est quod ad hoc propositum P. Sylveira Carmelitus qui eruditissimis libris suis thesaurum magnopere locupletavit Evangelicum, in hæc verba scripsit [3] : « Olim ap- « paruit Deus in columna nubis, vel ignis, Exod., « xiii, modo vero in columna marmorea. Legem « Mosaicam daturus, adest Deus in columna ignis, « vel nubis, quæ facile evanescunt et transeunt; « lex enim illa vetus non multum duratura, sed « abolenda erat. At Christus legem Evangelicam « condens, Ecclesiamque perpetuo duraturam ædi- « ficans, cujus tabernaculum nequaquam transferri « potest [4], in columna marmorea, quæ firmitatis « ac fortitudinis argumentum est, ostenditur, ut a « firmitate columnæ, firmitas et fortitudo ejus « ædificii, ac Ecclesiæ cognoscatur. » Salmeron per hanc columnam Ecclesiam interpretatur, dicens [5] : « Designabat illa columna Ecclesiam, quam Aposto- « lus vocat columnam ac firmamentum veritatis, « cui per vincula charitatis et unionis hypostaticæ « visus erat strictissime devinctus. » Devotus quidam auctor de hac columna ita meditatur : « Ad « hanc columnam ille ligatus est, qui columna est,

[1] *Ps.* cxxix, 7. — [2] Salm., t. X, tr. 29. — [3] Luc. Brug., *in Joan.*

[1] Matth., xxvii, 28. — [2] Sim. de Cass., l. XIII. — [3] Sylveira, Exo. 13. — [4] Isa., xxxiii, 20. — [5] Salm.

« totum sustinens orbem; sed vincula ejus sunt « nobis alligatura salutis. » Gregorius Turonensis de hoc inæstimabili thesauro ita scribit [1] : « Multi « pleni fide accedentes, corrigias textiles faciunt, « easque circumdant, quas rursum pro benedictioni- « bus recipiunt, diversis infirmitatibus profuturas. » Porro Ven. Bedæ tempore hæc columna Romam nondum deportata fuerat, siquidem in Commentariis super Lucam ita scribit [2] : « Ille qui solvere « compeditos solet, plena Deo membra verberibus « subdidit. Quæ videlicet columna in Ecclesia « montis Sion posita, Dominici cruoris usque hodie « cernentibus vestigia certa demonstrat. » Ludolphus Carthusianus de eadem columna ait [3] : « Cu- « jus columnæ aliqua pars ostenditur Romæ in « Ecclesia S. Praxedis, major autem pars fertur « esse in Ecclesia montis Sion. »

**2.** — Porro, quod hujus flagellationis atrocitatem attinet, hæc pluribus ex capitibus facile deducitur. Et quidem in primis quia intentum præsidis erat, Judæos per hanc ad veram compassionem permovere, ut vel sic a morte ejus postulanda desisterent, credibile omnino est, eamdem juxta proportionem vehementissimæ rabiei, qua contra eum frendebant, factam fuisse, quippe quæ ita fieri debebat, ut mitigandis Judæorum animis proportionata esset. Christus ipse in Psal. LXXII lamentatur, inquiens [4]: *Fui flagellatus tota die et castigatio mea in matutinis.* At vero inquies : Quomodo hæc verba litteraliter verificari possunt, cum certum sit, Christum solo matutino tempore, idque paucarum horarum spatio flagellatum fuisse? Nimirum dicere Christus voluit, hanc flagellationem adeo crudelem et inhumanam fuisse, ac si ab aurora ad vesperam usque fuisset flagellatus. Unde Salmeron ait [5] : « Illa per Pilatum inflicta verberatio tanta fuit, « quanta ira et odium Judæorum placari posset et « quantam carnificum poscebat crudelitas, quan- « tamque causa communis, id est, salutis omnium, « ac divina justitia pro peccatis omnium exigebant. « Quanta denique erat charitas et obedientia pa- « tientis Jesu. » Lucas Brugensis auctoritatem citat D. Chrysostomi, dicentis [6] : « Ut ita sedato Judæo- « rum furore, inde eum dimitteret. » Denique Augustinus [7] : « Hoc, » inquit, « Pilatus non ob « aliud fecisse credendus est, nisi ut ejus injuriis « Judæi satiati, sufficere sibi existimarent et usque « ad ejus mortem sævire desisterent. Quoniam au- « tem hoc fine Jesum flagellavit, æstimare licet, « quam non leviter, sed dirissime potius flagella- « rit, tanta nimirum cum crudelitate, quanta « sperabat mitigare posse tam efferatos Judæorum « animos. » S. Bernardinus his Salvatorem nostrum affatur verbis [1] : « Si sanguis tuus in flagellatione « fuit tam copiose effusus, ut columna guttis illius « respersa adhuc (sicut asseritur) rubra servet « vestigia : quantum sanguinis credam ipsis flagel- « lis corpus tuum nitidissimum scindentibus inhæ- « sisse? Tam dire flagellatus est Dominus, ut san- « guis ejus sursum in aera resultaret. » Porro Judæi ex motivis valde evidentibus Christum in vivis a Pilato relinquendum esse suspicabantur, ac proinde haud immerito metuebant, ne se de acceptis a Judæis injuriis miracula patrando vindicaret, quippe qui præpotenti brachio pollebat. A Pilato sæpius, speciatim vero in hac occasione, Christum innocentem esse audierant, atque ideo eum propediem ab illo liberandum fore formidabant. Ut igitur de Christi nece securi essent, militibus illis venalibus, idololatris et veri Dei inimicis, ingentem dederunt pecuniæ summam, ut omnem ad hoc adhiberent industriam, quo sub flagellis morieus succumberet. Præterea flagellatores robusti milites erant, qui gratiam sibi præsidis aucupari moliebantur, hancque se tanto majorem apud eum comparaturos arbitrabantur, quanto Christum sævius dilaniarent. Simili modo summorum Pontificum, Magistratuum, Principum Synagogæ et totius reliqui populi ambiebant benevolentiam, qui contra Christum tanquam hominem facinorosum et solemnissimum malefactorem conjuraverant et communi omnium acclamatione eumdem Barabbæ insigni latroni postposuerant. Lucas Brugensis ex Divo Chrysostomo ita scribit [2] : « Diabolus, quod ait « Chrysostomus, omnes quasi dato signo ad cho- « ream concitabat. Ut est militum genus crudele, « voluptatem capiens ex contumeliis. »

**3.** — S. Vincentius Ferrerius in sermone in Parasceven de numero flagellatorum, deque flagellorum asperitate, ita scribit [3] : « Milites qui flagella- « bant eum, secundum aliquos erant sex, quorum « primi duo secundum Hieronymum in Glossa, « virgas de spinis et vepribus acutissimis habue- « runt confectas, quibus cutem aperuerunt. Illis « vero fatigatis, alii duo flagella habuerunt, in « quorum summitate erant nodi aculeis acutissimis « transfixi, carnem sanctam scindentes; alii duo « habuerunt catenas habentes uncinos in summita- « tibus et quasi carnem extraxerunt. Unde Euse- « bius et Chrysostomus super illa verba : Disciplina « pacis nostræ super eum, dicunt, quod ista disci- « plina fuit triplex, scilicet dura, quia virgis et « spinis; durior, quia flagellis nodatis; durissima, « quia catenis ferreis fuit cæsus. Unde cum secun- « dum medicos in humano corpore sint CCLXXVI « ossa, ita Christus fuit flagellatus, quod quodlibet « os recepit triplicem ictum, unum de virgis, « alium de flagellis, tertium de catenis. » Unde

[1] S. GREG. TUR., *de gloria Matt.* — [2] BEDA, *in Luc.* — [3] LUD. CART., p. 2, c. 62. — [4] *Ps.* LXXII, 14. — [5] SALMER., *ib.* — [6] LUC. BRUG., *in Joan.* — [7] S. AUGUST.

[1] S. BERN., c. 4 *de Pass.* — [1] LUC. BRUG., *in Matt.* — [3] S. VINC. FER., *in Parasc.*

Christus in Psalmo XXXIV lamentatur, inquiens [1] : *Congregata sunt super me flagella*, id est, ut S. Bruno exponit; per hoc quod ponit [2] : « Congre- « gata sunt flagella, diversitatem et multiplicatio- « nem flagellorum innuit. » S. Magdalenæ de Pazzis, nuper a Clemente IX ex Ordine Carmelitarum in Sanctarum numerum relatæ, a Deo revelatum fuit [3], quod carnificum illorum, qui in flagellatione Christi laborarunt, sexaginta fuerint, adeo ut triginta numerarentur flagellatorum paria, qui successive alternabant flagellando. Taulerus de hoc dolorosissimo mysterio meditatur, inquiens [4] : « Cum jam alterum illius latus dilacerassent, sol- « ventes dorsum, ad columnam religarunt, mani- « bus supra caput simul alligatis. Tunc vero sacrum « illius ventrem, quo prius columnam attigerat, « nec dum admodum læsum, de integro vulneribus « crebris affecerunt, consideruntque. » Nonnus, ut apud Grætsenium de hoc Christi ad columnam flagellati spectaculo scribentem legitur, ita scribit [5]: « Alternantium et repetitis ictibus, horrendo Christi « corpus rubefecit flagello. » Salmeron ex D. Chrysostomo ait [6] : « Triplici quidem flagello, secundum « Chrysostomum, cæditur, ita ut carnes ejus sulca- « rentur, ut tandem flagellis Judæorum furori sa- « tisfieret : si vera est illa opinio, sex verberantes, « quorum primi duo virgis spinosis percutientes, « eum vulneraverunt more Romano. Secundi adhuc « durius eum tractarunt, flagellis ex nervis boum « confectis, ut tradit Historia Scholastica, in quo- « rum extremitatibus erant aculei acutissimi. Unde « Euthymius in Matthæum ait : Quod nos flagellum « dicimus, verber erat e funiculis aut loris con- « textum, quod dorsa verberatorum verberabant. « Tertii vero durissime flagellabant catenis ferreis « in modum disciplinæ dispositis, quibus carnes « lacerabant, donec ossa nudarentur costarum. Sic « igitur addebatur plaga super plagam, livor super « livorem, vulnus super vulnus, donec corpus illud « delicatissimum, ac Divinitatis Tabernaculum to- « tum deformaretur. »

**4.** — Possumus quoque meditari, in tanto majori copia emanasse ex vulneribus per flagellationem inflicti sanguinem, quanto in majori abundantia idem sanguis propter erubescentiam nudi corporis, in superficiem totius corporis confluerat. Beata Virgo S. Birgittæ revelavit [7], se corpus Filii adeo conspexisse flagellis laceratum, ut costæ videri et dinumerari possent; ut impleretur Propheticum illud oraculum [8] : *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* Ubi Vulgata nostra legit [9] : *Quoniam ego in flagella paratus sum*, Hebræus legit : *Ad fracturam paratus sum*; Chaldæus vertit : *Ad interitum paratus sum.* Subditur autem : *Et dolor meus in conspectu meo semper*, quasi diceret : Dolor hic flagellorum adeo fuit atrox, ut in corde meo semper et indelebiliter impressus remanserit. Enim vero si idipsum in genere de tota passione dixisset, non adeo mirandum foret, nunc autem specialiter de flagellatione dicit : *In flagella paratus sum et dolor meus in conspectu meo semper.* Eadem Beata Deipara in alia quadam revelatione S. Birgittæ dixit : « Tunc autem ad « terram ita trahitur et impulsive prosternitur et « crudeliter, ut concusso capite dentes colliderен- « tur et ad collum maxilla percutitur ita fortiter, « ut sonus percussionis ad aures meas pervenerit. « Deinde jubente lictore seipsum vestibus exuit, « columnam sponte amplectens, reste ligatur et « flagellis aculeatis, infixis aculeis, et retractis, non « evellendo, sed sulcando totum corpus ejus lace- « ratur. » Taulerus dolorem vehementem, quo Christus affectus fuit, quando ipsum ad columnam alligarunt, in hæc verba considerat : « Tam in- « clementer ad columnam eum ligaverunt, quod « quemadmodum legitur, caro illius funes, quibus « vinctus fuit, prorsus operuit : tanta erat teneri- « tudo naturæ illius. Quin et hoc scriptum reperi- « mus, tam crudeliter eum esse ligatum, ut sanguis « ex digitorum unguibus erumperet. » Chrysostomus in sermone quodam de Passione inquit [2] : « Rumpit sanctam cutem violentia flagellorum et « repetitis ictibus, crudelia vulnera scapularum « terga conscindunt. » Unde in ipso adimpletum fuit illud Jobi lamentum, dicentis [3] : *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Etenim a vertice capitis usque ad plantam pedis, ex omni parte corporis dilaniatus fuit, præterquam in labiis; hæc enim quia linguæ servire debebant, illæsa permanserunt. Scitisne causam? Nimirum ut labia sua aperiret ad clamandum voce adeo sonora, ut a toto cœlo et multo magis ab omnibus circumstantibus audiretur, qua a Patre suo æterno carnificibus suis veniam expostulabat : « Nihil remanebat illæsum « in toto suo benedicto corpore, » inquit S. Vincentius Ferrerius [4], « nisi sola lingua. » Dionysius Carthusianus de hac flagellatione loquens, supplicium istud exprimit sequentibus verbis [5] : « Erat « tenerrimo et nobilissimo corpori Christi inæsti- « mabiliter pœnale. » Idem super Lucam scribens, quamdam adducit revelationem S. Birgittæ factam. Ait enim [6] : « Scribit sacratissima vidua S. Birgitta « in suis revelationibus, benedicta et gloriosa Vir- « gine Maria sibi id revelante, quod tamdiu, ac « acerrime flagellaverunt Christum, quod costæ « ejus patebant in tantum, quod unus de adversa-

[1] *Ps.* XXXIV, 15. — [2] S. BRUNO, *ib.* — [3] *Vita S. Mag. de Pazzi*, fol. 33. — [4] TAUL., *de Vit. et Pass*, c. 24. — [5] NONNUS, apud *Grets*, l. I *de Cruc.* — [6] SALM., ex D. Chrysost, h. 87 *in Matt.* — [7] *Revelat. S. Brig.*, l. I. — [8] *Ps.* XXI. 18. — [9] *Ps.* XXXVII, 18.

[1] TAUL., *ib.* [2] D. CHRYS., *in Fer. V Pass.* — [3] JOB, X, 20. — [4] S. VINC. FERR., *ib.* — [5] DIO. CART., *in Joan.* — [6] ID., *in Luc.*

« riis Christi abscidit funem qua erat ligatus et fla-
« gellatoribus dixit : Numquid interficietis eum
« nondum dijudicatum et condemnatum, et cau-
« sam mortis facietis vestram? » Etenim verisimile est, hunc hominem, videntem, quod Christus supervivere posset, sperasse, quod paulo post universus populus per violentiam ipsam quoque crucifixionem extorquere posset, quemadmodum reipsa postea evenit.

**5.** — Idem Carthusianus aliam quamdam revelationem hisce verbis recenset[1] : « Item quod in
« primo ictu flagelli caro ejus perforabatur et
« sanguis exsiliit, et quod Virgo Maria adstabat,
« primumque ictum illum Filii sui et vulneratio-
« nem inde sequentem conspiciens, cecidit in ter-
« ram ut mortua, nec redita ad seipsam, nisi
« flagellatione completa; tuncque aspexit corpus
« Filii sui dilaceratum et undique cruentatum. » Didacus Stella de hoc mysterio ita meditatur[2] :
« Fluit regius et pretiosissimus sanguis de omnibus
« partibus corporis, et ejus corpus candidissimum
« cruore ejus roseo rubricatur per totum. Super-
« additur, reiteratur, et spissatur plaga super pla-
« gam, livor super livorem, fractura super fractu-
« ram, sanguis super sanguinem, quoadusque tam
« tortoribus, quam inspectoribus fatigatis, solvi
« jubetur a columna, cui fuit alligatus. » Salmeron quoque hac de re hanc habet ponderationem[3] :
« Ubi Dominus flagellatus fuit, et quidam rese-
« cuisset funes, quibus erat ligatus, recidit super
« sanguinem suum, quo erat ipse repletus ; ad hoc
« enim proderat funibus fuisse ligatum, ne ex
« virium defectu caderet. Postquam a columna so-
« lutus fuit, iterum in terra verberatus est, ne
« maneret illæsum pectus, quod columna tectum
« fuerat. » Lucas Brugensis auctoritatem citat S. Hieronymi, dicentis[4] : « Pectus Dei capax, ait
« Hieronymus flagella secuerunt. » S. Cyprianus de crudeli carnificina disserens, qua S. Martyres dilaniati fuerunt, de illis dicit, quod longe magis in Christo Martyrum Rege adimpletum fuit ; ait enim[5] :
« Jam rupta compage viscerum, torquebantur in
« eis jam non membra, sed vulnera. » B. Laurentius Justinianus hujus supplicii crudelitatem similiter affectuosis hisce verbis meditatur[6] : « Ligatur,
« cæditur, totoque flagris corpore dissipatur. Nunc
« scapulas, nunc ventrem, nunc brachia, nunc
« crura cingunt vulnera vulneribus, plagas plagis
« recentibus addunt. Hinc livor tumens, inde san-
« guis erumpens. Variatum cute decoriata reddit
« corpus, adeo ut membrorum compages visibiles
« fierent. Prophetæ vaticinium tunc completum
« fuit, dicentis : *Vidimus eum, et non erat aspec-*
« *tus.* »

[1] Dio. Car., *ib.* — [2] Did. Stell., *in Luc.* — [3] Sal., *ib.* — [4] Luc. Brug., *in Matt.* — [5] S. Cypr. — [6] B. Laur Just., *de Triumph. Christi agon.*, c. 14.

**6.** — Devoti passionis Dominicæ cultores animo semper magis intento, majorique cum fructu præ cunctis aliis passionis Dominicæ mysteriis hanc meditati fuere flagellationem. Cardinalis et Martyr Roffensis ab impio rege Angliæ Henrico VIII, qui a fide Romana Catholica apostatavit, incarceratus fuit. Quo in carcere constituto, rex magna cum aviditate ad ejus cucurrit reconditoria, sperans omnino, se in iisdem aurum et gemmas in magna quantitate et valore reperturum esse. Inter alia, dum unum aperiretur reconditorium, ferro seratum, speraretque se in eodem inventurum magnum aliquem thesaurum, et quidem thesaurum invenit, non tamen illum quem quærebat, sed alium quem non cognoscebat ; invenit namque in illo asperum quoddam cilicium et rigidam disciplinam, cum pauculis denariis, quos post acceptam disciplinam in eleemosynam distribuere solebat : Ecce tibi qualiter sanctus hic Præsul flagella Christi meditando, iisdem per proprii corporis flagellationem responderit, ac proinde palma martyrii remuneratus fuerit. In vita Cardinalis Stanislai Hosii[1], qu sæculo superiori cum raro perfectionis exemplo vixit, legitur, quod vicinus morti, Passionem Domini nostri recitari audiens, « ubi flagella et spinea
« corona memorarentur et Confessarius acerbita-
« tem illius doloris, quem Salvator noster pertulit,
« ob oculos poneret, atque ad fortiter perferendam
« mortem hortaretur, Cardinalis respondit : For-
« titer et constanter. » P. Bollandus de B. Henrico Susone refert, illum[2] in memoriam flagellationis Dominicæ, post tergum crucem quamdam detulisse, cui xxx asperi claviculi infixi erant. « Hac
« cruce longo tempore bis quotidie se flagellabat
« hoc pacto : Pugno crucem tundebat, mox clavi
« in carnem adacti adeo infigebantur, ut cum ves-
« tibus eos cogeretur extrahere. Fecit autem hæc
« adeo recte et provide, ut nemo facile id posset
« animadvertere. Primo se flagellabat in hunc mo-
« dum : quando in sua meditatione ad eam per-
« venit columnam, ubi Dominus suus præ filiis
« hominum forma speciosus, tam immaniter fuit
« virgis et plagis cæsus, rogabat eum, ut suis vul-
« neribus sua vulnera sanaret. Secundo flagellabat
« se, ubi cum Domino suo venit ad crucem, eique
« is clavis affixus fuit, ad quam etiam ipse se clavis
« astrinxit, eo animo, quod nunquam ab illo vellet
« separari. » Idem Auctor in vita S. Anscharii Hamburgensis Archiepiscopi scribit[3], quod cum sancto huic præsuli videretur se præsentem astitisse, quando Christus verberibus, virgis et flagellis dilaniatus fuit, « ipse non sufferens sic illum puniri,
« accurrens opposuit se post dorsum ejus verberan-
« tibus, ut omnia verbera quæ illi infligebantur,
« ipse in corpore susciperet. »

[1] *Vit. Cardin. Hosii.* — [2] Boll., 25 jan., fol. 662. — [3] Id., 3 feb., fol. 425.

## DISCURSUS IV.

VARIÆ ADDUCUNTUR CONSIDERATIONES ET MORALITATES, QUÆ EX CHRISTI FLAGELLIS ERUUNTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Ictus et vulnera flagellationis fuerunt quasi innumera. — 2. Christi flagellatione reconciliati sumus Deo Patri. — 3. Et propterea cum summo amore et æquanimitate sustinuit illa verbera. Planctus Christi in horto, in flagellatione versus fuit in gaudium. Judæi in flagellando Christum tria ignorabant. — 4. Quomodo Christus ignoraverit suam flagellationem. — 5. Isaac fuit figura Christi. — 6. Documenta ex Christi flagellatione eruta. — 7. Christus sua flagellatione sanctificavit et dulcoravit nostra flagella et tribulationes. Declaratur utilitas flagellorum quibus nos castigat Deus. Peccata assimilantur flagellis.

*Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit.* Joan., XIX, 1.

**1.** — Non satis liquide convenit inter interpretes, ad quem numerum hujus crudelis flagellationis verbera ascenderint; hoc tamen certum est, quod omnem excesserint consuetam mensuram a legibus tam Hebræis quam Romanis constitutam. Ludovicus Granatensis insignis contemplativus et erga passionem Domini devotissimus, verbera hæc ad numerum 7500, ascendisse existimat. Alphonsus de Orosco numerum illorum 15490 fuisse putat. Quæ tamen numeri exorbitantia potius devotioni hujus auctoris quam veritati historicæ adscribenda videtur, prout Salmeron, qui hasce opiniones refert, prudenter declarat, inquiens [1] : « Revera hæc « magis ex religione et pietate excogitata sunt, « quam sint certa et explorata. » Idem quoque Salmeron citat Ludolphum Carthusianum, ex revelatione cuidam ancillæ Dei facta asserentem, verbera flagellationis fuisse numero 15490. Id vero quod in hac materia indubitatum videtur, est hoc, quod scilicet, si non quoad numerum, certe quoad pœnam proportionata fuerint litro et satisfactioni peccatorum nostrorum, quæ innumera erant. Unde Didacus Stella ait [2] : « Innumerabiles fuerunt plagæ « ejus; nam cum pro mensura peccati sit plaga- « rum modus, Christus flagellatus fuit pro peccatis « nostris, quæ fuerunt innumerabilia. » Id quod sine dubio a Ludolpho Carthusiano didicit, qui diu ante ipsum in hæc verba scripserat [3] : « Quot et « quantæ plagæ, vel vulnera in hac flagellatione « sibi infligebantur, pro certo sciri non potest, nisi « per revelationem, sed oportuit ea esse quasi in- « numerabilia; sic enim, ut dicitur in Deuteronomio [4], *pro mensura peccati erit et plagarum* « *modus*, Christus autem flagellabatur pro peccatis « nostris, quæ utique sunt innumerabilia, quare et « plagæ innumerabiles. » Ad hoc quoque propositum deservit celebris ille Psalmistæ textus, dicentis in persona Christi [1] : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam*; ubi S. Hieronymus legit [2] : « Araverunt arantes, « prolongaverunt sulcum suum. » Et vero nulla lex, quantumvis sit barbara, corpora humana per virgarum et flagellorum vomerem arari et sulcari præcipit : multo minus ut percussionum aratrum ad ipsa usque ossa profundetur, prout factum in Christi delicatissima carne, quæ præcedenti nocte in horto Gethsemani sudorem illum sanguineum tam copiose emiserat et per atrocissimam, quam sustinuit agoniam, prorsus debilitata erat, nec non per tot vincula, funes, catenas, calces, alapas, aliosque crudelissimos insultus exhausta remanserat. At vero nequaquam miranda est infinita hæc flagellorum et catenarum multitudo, siquidem multa *flagella peccatoris*; et ipse [3] *attritus est propter scelera nostra*. Unde S. Athanasius ait [4] : « Flagellatur in « dorso suo, ut recumbentem sarcinam peccato- « rum dispergat. » Ludolphus Carthusianus ex Redemptore nostro sciscitatur, inquiens [5] : « Quomodo « tu flagellaris, qui nos a flagellis eruis ! » Sed facilis est responsio, quia supra se omnia peccata nostra diluenda assumpserat [6] : *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Nos putavimus eum quasi percussum a Deo et humiliatum, ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum et livore ejus sanati sumus.* Quibus verbis Isaias mysterium hujus flagellationis, ad removenda a nobis divinæ justitiæ bene promerita flagella a Deo ordinatum fuisse, tam clare prædicit, ac si non de re futura, sed præterita loqueretur.

**2.** — Forerius præfatum Isaiæ textum in favorem nostrum exponit, dicens [7] : « Ut integre essent « res nostræ, et nobis bene esset, et in summa « pace, tranquillitate et felicitate vitam ageremus, « placuit ipsi, ut correptionem illam, verbera et « plagas, quas nos commeriti eramus, Filius susci- « peret. Nos ergo qui eramus inimici et filii iræ, « qua excandescente non poterat nobis pax et salus « constare, digni eramus verberibus, quibus vel si « affecti fuissemus, non propterea reconciliare- « mur et bene nobis fuisset. Castigatione et verbe- « ribus Filii Dei reconciliati sumus Patri et defer- « buit ira Patris : unde reddita nobis est sanitas; « nam sicut dicebat David [8] : *Non est sanitas in* « *carne mea, non est pax ossibus meis a facie pecca-* « *torum meorum.* »

**3.** — Valde notanda sunt illa Redemptoris nostri de innumeris flagellis, quibus excoriatus fuit, per os Psalmistæ enunciata verba [9] : *Congregata sunt super*

[1] SALMER., t. X, tr. 29. — [2] DID. STELLA, *in Luc.* — [3] LUD. CART., p. 2, c. 62. — [4] DEUT., XXV, 2.

[1] *Ps.* CXXVIII, 3. — [2] S. HIER., *ib.* — [3] ISA., LIII, 5. — [4] S. ATHAN., qu. ultim. *ad Antioch.* — [5] LUD. CARTH., *ib.* — [6] ISA., LIII, 5. — [7] FOR., *ib.* — [8] *Ps.* XXXVII, 8. — [9] *Ps.* XXXVI, 15.

*me flagella et ignoravi.* Quomodo enim flagella ignorare poterat, qui ea patiebatur? Num ergo asperitatem flagellorum, quæ ad ipsa usque ossa pertigerant, nequaquam sensit? Numquid contrarium per os ejusdem Prophetæ insinuavit, dum ait [1] : *Quoniam ego in flagella paratus sum et dolor meus in conspectu meo semper?* Respondetur, Christum tanto cum amore et æquanimitate verbera illa sustinuisse, ut in portione superiori, in qua tantus jubilus erat beatitudinis, ea ignorare videretur. In hoc enim tormento stabat, vultum præ se ferens imperturbabilem, faciemque serenam, quasi sine ullo doloris sensu; adeo ut de imperturbabilitate ejus dici potuerit, quod S. Augustinus in laudem S. Vincentii Martyris in hæc verba inquit [2] : « Tanquam « alius torqueretur et alius loqueretur. » S. Thomas prædicta Psalmistæ verba ita exponit [3]: « Ostenditur « patientia Christi, quia *ignoravi*, id est, ac modum « ignorantis me habui, tacendo scilicet et non lo- « quendo. » Taulerus de hisce flagellis ita meditatur [4] : « Flagella tortorum totum ejus corpus cru- « deliter lacerarant, et amor nihilominus cor ipsius « in patientia servabat illæsum. Jam ministri pene « flagellando defecerant et Christus secundum « affectum nec dum patiendo fatigatus erat. » Idem Redemptor noster per os ejusdem regii Vatis de se prædixerat [5] : *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum et circumdedisti me lætitia.* At vero quomodo Christus dicere poterat, quod Pater ejus cœlestis corporis sui saccum flagellis conscidisset, cum supplicium hoc ei a præside Pilato impositum fuisse constet? Sed facilis et perspicua ad hoc est responsio, quia Pater ait [6] : *Propter scelus populi mei percussi eum*; sine decreto enim et beneplacito paterno *Flagellum non appropinquasset tabernaculo ejus.* Incognitus olim Carmelitanus, nunc vero famosissimus P. Michael de Ayguanis de Bononia, per planctum, sudorem intelligit sanguineum et tristitiam præcedentem in Gethsemani toleratam; hæc enim mœstitia Salvatori nostro in sua flagellatione versa est in jubilum et lætitiam magnam S. Hieronymus loco verbi *conscidisti*, legit *solvisti*, vel ex Hebræo *aperuisti*, quasi dicere vellet juxta præfati Incogniti interpretationem [7] : « Iste Christi saccus, conscissus fuit « tempore passionis per multa verbera, plagas et « vulnera, ut a planta pedis usque ad verticem non « esset in eo sanitas. » Porro gaudium istud derivabatur ex complacentia, quam habebat ex satisfactione per ipsum pro peccatis nostris præstita, ut nos a Satanæ et æternæ mortis servitute liberaret. Sunt et aliæ diversæ hujus verbi : *Et ignoravi*, expositiones. Etenim S. Thomas inquit [8] : « Alia littera « habet : *Ignorabant.* Tria enim ignorabant, scili- « cet quem flagellarent, quia si cognovissent, nun- « quam Dominum gloriæ crucifixissent. Item cau- « sam, quare : *Joan.*, XVIII, 23. *Si male locutus* « *sum*, etc. » Cui addi potest, quod non penetrarint in altissimæ humanæ Redemptionis, divinorumque decretorum mysteria. « Item tertio ignorabant, » inquit idem sanctus doctor, « effectum iniquitatis; « pro hac enim perpetuo sunt privati, etc. » Et ideo observandum, quod regii Psaltis oraculum immediate post subnectat prædictionem desolationis populi illius, ejusque obstinationem et impœnitentiam; subdit enim : *Dissipati sunt, nec compuncti.* Unde Albertus Magnus versioni illi adhærens, qua legitur : *Et ignoraverunt*, ita scribit [1] : « Ignoraverunt, quod hoc factum, esset in caput « illorum reversurum; » nam prouti omnium sæculorum experientia docuit, hæc flagella ceciderunt super illos, siquidem tanquam servi et mancipia, omnibus et singulis terræ nationibus sunt misere subjecti. Unde S. Bruno Carthusianæ solitudinis Patriarcha, verbum *dissipati sunt*, ita exponit, u sensus sit [2] : *Dissipabuntur per totum orbem.* Hugo Cardinalis hanc illius : *Et ignoravi*, dicit esse intelligentiam, id est [3], *ad modum ignorantis reputatus fui.*

**4.** — Toletus in Joannem, dictionem illam : *Ergo*, notat : *Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit*; ait enim [4] : « Illa particula, Ergo, « indicat causam flagellationis, nempe cum nollet « plebs dimitti Jesum, sed Barabbam, et ex altera « parte nihil morte dignum esset in eo inventum, « propter tumultum populi et clamores Principum, « pœnam hanc elegit, ut et suæ conscientiæ, inno- « centiam Christi dictanti et illorum furori aliqua « ex parte satisfaceret. Tunc impletum est illud « Psalm. XXXIV [5]: *Congregata sunt super me flagella,* « *et ignoravi*; id est, innocens et sine culpa fui, « nec quæ mihi imponebantur, commiseram. » Quæ expositio coincidit cum illa S. Brunonis, dicentis [6] : « Ignorabam causam qua flagellabar, » quia ipsemet Judex in testimonium innocentiæ ipsius sæpius protestatus fuerat : *Nullam invenio in eo causam.* S. Bruno verbum *ignoravi* ita explicat : « Ignorabam, non quantum ad sapientiam, sed « quantum ad rei experientiam, quod est dicere : « Non eram reus. » S. Hieronymus inquit : « Quando « Christus dicit : *et ignoravi*, quidam hoc referunt « ad dolorem vulnerum quæ patiebatur in cruce, « sed melius ad peccata refertur, quod non ha- « buerit conscientiam peccatorum. Et ignoravi, « non quod ignoret Christus aliquid, sed ignoravit « quia propter quod istud mihi accidit, non com- « misi. »

**5.** — Apud Jeremiam Salvator noster ait [7] : *Et*

[1] *Ps.* XXXVII, 18. — [2] S. AUGUST. — [3] S. THOM., *in Ps.* — [4] TAUL., c. 24. — [5] *Ps.* XXIX, 12. — [6] ISA., LIII, 8. — [7] INCOGN., *ib.* — [8] S. THOM., *ib.*

[1] ALB. MAG., *ib.* — [2] S. BRUNO, *in Ps.* — [3] HUG. CAR., *ib.* — [4] TOLET., *in Joan.* — [5] *Ps.* XXXIV. — [6] S. BRUN., *in Ps.* XXXVII. — [7] JER., XI, 19.

*ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam et non cognovi.* Quid enim a Deo infinitæ majestatis et potentiæ magis alienum esse poterat, quam quod illa tanta Majestas verberibus et flagellis subjiceretur? siquidem ut Psalmus ait : *Non accedet ad te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Quis mirari poterit, quod Isaac, qui figura Christi fuit, patrem suum interrogaverit : *Ubi est victima holocausti?* nam ut Lippomanus ait : « Nihil minus mentem inciderat Isaac, « quam se unicum filium a patre occidendum jussu « Dei, ex cujus gratia contra naturam centenario « genitus et hæres datus erat. » Quis unquam credere potuisset, quod Filius Dei, qui speculum est sine macula, quique peccatum non fecit, tanquam reus et malefactor criminosissimus, flagellis subjiciendus fuisset et verberibus?

**6.** — Documenta porro, quæ ex hac flagellatione addiscere possumus, ex pluribus nobis capitibus insinuantur. Et quidem in primis Salmeron hanc nobis moralitatem indicat[1] : « Si flagellato « leone catulus timet, quomodo verberato leone de « tribu Juda, pro iniquitatibus nostris, nos putridi « canes non timebimus flagellum æternum impen- « dens, nisi temporali illud redimamus? » Didacus Stella similiter ait[2] : « Si Christus tam graviter fla- « gellatus est innocens pro peccatis alienis, quam « graviter putas noxios, nisi se correxerint, esse « flagellandos pro peccatis propriis? »

**7.** — Divus Chrysostomus circa hanc flagellationem memorabilem quamdam habet sententiam, quæ paulo ante dicta egregie confirmat ; ait enim[3] : « Sic contemnebat flagella, quasi in alieno corpore « pateretur, ac quemadmodum si adamantinum « possideat corpus. » Hujus autem patientiæ causa erat affectus immensus, quo flagella iræ Patris sui, pro nostris peccatis justissime promerita, a nobis sublata esse anxie cupiebat ; nam ut S. Ambrosius ait[4] « Flagellatus ipse est, ne nos flagellaremur. » Et S. Bonaventura ait[5] : « Flagellatus fuit ad satis- « factionem pro deliciis et lascivia. » Unde tale nobis formare licet argumentum : Ex quo is qui innocens erat, in nostrum beneficium, flagella quæ nobis debebantur, tanta cum hilaritate sustinuit ; cur nos, qui malefactores et rei sumus, non prona voluntate acceptabimus flagella illa, quæ tanto cum jure sustinuit ; cur nos, qui malefactores et rei sumus, non prona voluntate acceptabimus flagella illa, quæ tanto cum jure supra dorsum nostrum in peccatorum nostrorum expiationem exonerari juste deberent? Finis quoque valde præcipuus, quem sibi Redemptor noster, hoc supplicium subeundo, propositum habuit, hic fuit, ut scilicet in sua persona sanctificaret flagella, adversitates, tribulationes, cunctasque alias hujus lachrymabilis vitæ ærumnas, quas ex immensa bonitate sua nobis præordinavit, tanquam gradus, per quos in cœlum conscendere valeamus ; dummodo illas cum patientia, et debita voluntatis nostræ cum divino arbitrio conformitate sustineamus. Nam ut Salmeron ait[1] : « Omnia flagella et afflictiones piorum in his « suis verberibus sanctificavit, et benedixit, ne « amplius officiant, ac pietatem promoveant. Apo- « stoli cæsi ibant gaudentes a conspectu concilii, « quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu con- « tumeliam pati, quia Christus in passione dedit « nobis meritum, et exemplum, atque præceptum « patiendi. Declaravit nobis Deus in unigenito Filio « suo, qua ratione velit filios adoptivos in hoc « mundo tractari ; nam si Deus unigenitum et « charissimum Filium suum flagellari passus est « quanto magis adoptivos? Flagellat enim omnem « Filium quem recipit. » S. Augustinus a Glossa super c. XII Epist. ad Hebræos citatus, salutarem hanc nobis insinuat doctrinam[2] : « Dat disciplinam, « ut non auferat misericordiam, cædit contumacem, « ut reddat hæreditatem. Si promissa Patris bene « agnovisti, non timeas flagellari, sed exhæredi- « tari. » Curre sub manu Patris flagellantis, quia dum flagellat, erudit ad hæreditatem. Quando dominus percutit et verberat mancipium, filius etiam innocens contremiscit : quantum igitur formidare debet peccator, dum Filium Dei ab æterno Patre suo, nostrum causa flagellari conspicit[3]? *Propter scelus populi mei percussi eum.* Hunc enim flagellat, ut imaginemur nobis errorum nostrorum gravitatem, simulque memores simus immensæ bonitatis et misericordiæ suæ. Dum enim videmus pro nobis qui rei et culpabiles sumus, tam atrociter flagella ad percutiendum Filium, pro ejus defensione occurrere debemus Patri æterno, et dicere[4] : *Ego sum qui peccavi. Ego inique egi : vertatur obsecro manus tua contra me.* Hugo Cardinalis inquit[5] : « Christus « flagellari voluit, ut nos a flagellis liberaret. » S. Augustinus, ut nos sub divinis flagellis constitutos consolaretur, inquit[6] : « Flagellat autem om- « nem Filium quem recipit, etiam unicum sine « peccato. Si ergo exceptus es a passione flagello- « rum, exceptus es a numero filiorum. » Idem sanctus doctor paulo infra ostendere nititur, quod eum Filius Dei ex substantia paterna genitus, eique coæqualis, Verbum, inquam, per quod totum creatum fuit universum, hujus flagellationis esset incapax, ut eidem se subdere posset, nostram assumpserit carnem : « Non habebat, ubi flagellare- « tur, » inquit, « ad hoc autem carne indutus est, « ut sine flagello non esset. » Demum vero in hæc verba concludit : « Qui flagellat unicum sine pec- « cato, relinquet adoptatum, qui est cum peccato?

[1] SALM. — [2] DID. STEL. — [3] D. CHRYS., h. 82 *in Acta.* — [4] S. AMBR., *in Luc.* — [5] S. BONAV., *ib.*

[1] SALM. — [2] S. AUG., in *Gloss. Heb.* — [3] ISA., LIII, 8. — [4] II REG., XLIV, 17. — [5] HUG. CARD., *in Marc.* — [6] S. AUG., *ib.*

« Unicus sine peccato, non tamen sine flagello. » Idem S. Augustinus in Soliloquiis suis inquit[1] : « Domine Jesu, cum te videam flagellatum, nolo « esse sine flagellis. » Porro Regius Propheta David olim Deo dicebat[2] : *Ut jumentum factus sum apud te.* Et vere quando jumentum pigrum est et lentum, virga aut baculo percutitur : idem quoque facere debet Christianus, quando jumentum corporis sui pigrescit, et non vult exequi illud Apostoli consilium[3] : *Portate Deum in corpore vestro ;* tunc enim illud flagellis cædere debet ; atque hunc in finem laudabilis disciplinarum usus est inventus[4]: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* Communi proverbio dici solet : *Clavus clavo tunditur.* sic quoque flagellis a nobis removenda sunt flagella asperiora, id est, nostra peccata Innoc. III, rationem assignat, cur flagellis assimilentur ; dum enim verba illa exponit[5] *Multa flagella peccatoris,* ita scribit[6]: « Multa « dicuntur flagella peccatorum, quia et in carne « flagellantur exterius, et in mente flagellantur « interius. Flagellantur in vita præsenti, et flagel- « lantur in vita futura. Flagellantur ex culpa, et « flagellantur ex pœna. Flagellantur a Deo, et « flagellantur ab homine. Flagellantur a mundo, « et flagellantur a dæmone, ne possit quisquam « per singula enumerare peccatorum flagella.» Ab his igitur flagellis benignissimus Salvator noster per merita flagellationis suæ nos misericorditer liberare voluit : « Traditus est militibus verberandus, » inquit S. Hieronymus[7], « et illud sacratissimum « corpus, pectusque Dei capax flagella secuerunt. « Hoc autem factum est, ut quia scriptum erat : « *Multa flagella peccatorum,* illo flagellato, nos a « verberimus liberaremur, dicente Scriptura ad « virum justum : *Flagellum non appropinquavit « tabernaculo suo.* » Huic porro spectaculo verisimile est, Sacerdotes, Scribas, Pharisæos, aliosque Synagogæ principes ingenti astitisse cum gaudio, idque non solum, ut illum inter flagella deriderent, et militibus flagellantibus animum suggererent, ut ad flagellandum tanto efficerentur crudeliores ; verum etiam, quia videbant suas in eum exerceri vindictas, siquidem in corde suo semper illud foverunt odium, olim contra illum conceptum, quando in conspectu totius populi, non solum acriter reprehensi, verum etiam arrepto propria manu flagello ignominiose flagellati fuerant, eo quod templum profanassent.

[1] S. Aug., solil. c. 64. — [2] *Ps.* lxxii, 23.— [3] I Cor., vi, 20. — [4] *Ps.* ii, 12. — [5] *Ps.* xxxi, 10. — [6] Innoc. III *in Ps.* ii *Pœnit.* — [7] S. Hier., *in Matt.*

## DISCURSUS V.

### DE CORONÆ SPINEÆ IGNOMINIA, ACERBISSIMISQUE DOLORIBUS.

Idea sermonis. — 1. Ex quo motivo milites Christum coronaverint spinea corona, cum Pilatus hoc non ordinaverit. Synagoga quam Christus plantaverat vineam, produxit spinas, quibus coronatus fuit. — 2. Spinea corona non solum summopere dolorosa, sed etiam Christo valde fuit probrosa et contumeliosa. — 3. Ulterius deducitur contumelia spineæ coronationis. Coronatio spinarum designata fuit per puncturas apum. — 4. Corona spinea contexta fuit in formam pilei. — 5. Quales fuerint spinæ, ex quibus corona compacta fuit. — 6. Examinatur ulterius gravitas hujus supplicii spineæ coronæ. Quam valide corona ipsius capii et fronti fuerit impressa. — 7. Corona spinea capiti Christi ingentes inflixit dolores.— 8. Quomodo fructus colligendi sint ex his spinis.

*Plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus.* Matth., xxvii, 29.

**1.** — S. Bernardus erga Salvatoris passionem devotissimus ad hoc coronæ spineæ mysterium se reflectens, continere se nequivit, quin exclamaret[1] : « O Rex gloriæ, et corona omnium te confitentium, « te sequentium, pugnantium pro te, viventium « pro te, manentium in te ! Quis te tam amaro « vinculo confusionis addixit ? Ecce operit confu- « sio caput tuum, et faciem tuam amabilem. Inge- « ritur tibi a generatione prava et amaricante « honor derisorius in corona, sed ex spinarum « aculeis contendunt in te dolor et confusio. Nes- « cio in utro magis puniaris : Corona derisionem, « spinæ ingerunt punctionem. » Flagellatio quidem a præside jussa fuit, ad mitigandos sævientes Judæorum animos ; at vero idem præses de hac corona spinea, non minus ignominiosa quam pœnosa, capiti Christi imponenda, ne verbo quidem meminerat. Ac proinde mirum est, quomodo lictores in executione jussuum Præsidis adeo præsumpserint excedere, tam acerbum Christo inferendo tormentum. « Et quomodo milites, hæc faciebant, » quærit Chrysostomus[2], « siquidem non præceperat « Pilatus ? » Et respondet, « id eos fecisse ad Ju- « dæorum gratiam, necque enim nocte a Pilato « jussi cum Juda profecti sunt, sed pecunia a Ju- « dæis allecti omnia audebant. » Deus per multa sæcula Synagogam ad instar vineæ cujusdam excoluerat, unde dicit[3] : *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei ?* At vero pro eo, quod fructus salutares producere debuisset, spinas ei progerminavit et tribulos, quas milites ad Judæorum instigationem amputarunt, ut Christo ignominiosam et acerbam coronam contexerent. Unde

[1] S. Bern., *de Pass.* — [2] Chrys., h. 83 *in Joan.* — [3] Isa., v, 6.

S. Ephrem ait [1] : « Texuerunt ei coronam ex spinis « propriis, quas vinea Judæorum fructificaverat, « illudentesque ei, Regem salutabant. » At vero condignas hujus crudelitatis reportarunt pœnas, siquidem ut idem Isaias protestatur vaticinando [2] : *Ponam eum desertam, non putabitur, et non fodietur, et ascendent vepres, et spinæ.* Porro corona ista spinea, inventio quædam fuit, ab implacabili inimico infernali lictoribus isti suggesta ; siquidem præteritis temporibus a quinquies mille et amplius annis, licet diversa atrocissimarum pœnarum instrumenta fuerint inventa, ad nullius tamen sæculi notitiam unquam pervenit, quod tyrannus, quantumvis crudelissimus, reum aliquem tam crudeli, et vituperoso supplicio cruciarit. Unde quidam Passioni Dominicæ devotissimus auctor inquit [1] : « O diabolicam, et inauditam inventionem ! Quis « enim audivit unquam tale supplicium ? Quomodo « in mentem hominum venire potuit ? Furor excogitavit, diabolus invenit, ad famam Christi extinguendam, quasi tantorum, et inauditorum « scelerum reus esset, ut vetera tormenta ad ea « expianda non sufficerent, sed nova et inusitata « adhiberi deberent. »

**2.** — *Corona derisionem ingerit.* Porro Tertullianus diu ante S. Bernardum in libro *de corona militis* circa finem, idipsum notavit ; ait enim : « Certe « præter figuram contumelia in promptu est, et « turpitudo, et dedecoratio, et his implexa sævitia, « quæ tunc Domini tempora, et fœdaverunt, et lanacinaverunt. » Et vero vilipendium personæ injuriatæ tanto magis crescit, quanto sublimior erat ejusdem personæ dignitas, vilioresque et abjectiores injuriantes. S. Gregorius Nyssenus in oratione quadam inquit [3] « Coronam e spinis imposuerunt ei, qui coronam donat eis, qui confidunt « in ipso. » Psalmista ait [4] : *Qui coronat te in misericordia et miserationibus*. Is cujus tempora cingebantur corona spinea, Deus ille erat, de quo liber Sapientiæ hoc perhibet testimonium [5] : *Justi autem in perpetum vivent, et apud Dominum est merces eorum, ideoque accipient coronam decoris, et diadema speciei de manu Domini.* Deus inquam, ille erat quem discipulus a Domino dilectus prius spinis per ludibrium coronatum aspexit, postea vero in Apocalypsi in magnifico throno sedentem vidit, ad cujus pedes viginti quatuor Seniores in signum humillimi obsequii procidebant etc. Ait enim sacer textus [6] : *Procidebant viginti quatuor Seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem.* Quod si igitur Reges Christum adorant, suasque coronas ad pedes ejus abjiciunt, qua ratione infames lictores et probrosi milites (qui a professione sua degenerantes, munus carnificum exercere non erubescunt) adeo sunt temerarii, ut tempora ipsius per ludibrium et derisum ignominiosa et pœnosa corona cingere non dubitent ?

**3.** — S. Joannes Baptista, de quo incarnata et æterna Veritas testatur [1], quod *inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista,* præ nimia veneratione caput illud tangere non audebat, de quo dicitur [2] : *Caput Christi Deus* ; et quando manus suas eidem ex obedientia imposuit, mox super ipsum præ reverentia aperti sunt cœli, et vox Patris audita, est acclamantis [3] : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Comparuit quoque in forma columbæ Spiritus Sanctus, et Angelorum Hierarchiæ ipsum adorantes, attonitæ circumstabant. Et tamen nunc, ut Taulerus pie meditatur [4] : « Contuere, ut benedictum caput ejus, etiam an« gelicis potestatibus cum tremore conspiciendum, « quodque venerandus Baptista contingere horre« bat, ab immitibus illis canibus excruciatum « fuerit. » S. Machabæi in signum devotionis et honoris divino cultui exhibiti, ornaverunt faciem templi coronis aureis [5]. Quid igitur idem nunc dicturi essent, si viderent, quod templi illius figuratum in capite transfigeretur pungentibus spinis, in formam coronæ complexis, non solum ad majorem infligendum dolorem, verum etiam ad majus ei inferendum ludibrium siquidem postquam coronam spineam sacro ejus vertici imposuissent, tunc pridem majoribus, quam unquam antea, affectus fuit ludibriis, et sannis. Porro hasce derisiones contemplativus quidam scriptor in hæc verba meditatur : « Per summum ludibrium adoratur genu« flexo, cum amara salutatione, *Ave, Rex Judæo« rum,* et mox ad extremum contemptum, et « vilipensionem conspuitur in faciem, percutitur « arundine in capite, cæditur alapis, protruditur « pedibus, illuditur, blasphematur et infinitis san« nis, irrisionibus, sarcasmis cachinnis, cum in« genti strepitu et insolentia exagitatur, tanquam « omnium mortalium sceleratissimus, ambitiosissi« mus, et vilissimus. » S. Bernardus verba illa Canticorum [6] : *Egredimini filiæ Sion, et videte Regem vestrum in diademate coronatum, quo coronavit eum mater sua,* ad propositum nostrum exponens, inquit, per hanc matrem intelligendam esse Synagogam, quæ tamen hac occasione se erga illum magis quam unquam malevolam ostendit novercam ; unde ait [7] : « Coronavit eum noverca sua « corona miseriæ, et in hac est contemptibilis. » Unde S. Augustinus ait [8] : « Egreditur ad eos Je-

[1] S. EPHREM, t. III *de Pass.* — [2] ISA., V, 6. — [3] S. GREG. NYSS., orat. 5 *in Christi resur.* — [4] *Ps.* CII, 4. — [5] SAP., V, 17. — [6] APOC., IV, 10.

[1] MATT., XI, 11. — [2] I COR., XI, 3. — [3] MATT., III, 17. — [4] TAULER., c. 33 *de Pass.* — [5] I MACHAB., IV, 57. — [6] CANT., III, 11. — [7] S. BERN., s. 6 *in parvis.* — [8] S. AUG., tr. 116 *in Joan.*

« sus, portans spineam coronam, et purpureum « vestimentum, non clarus imperio, sed plenus « opprobrio. » Redemptor noster per os Psalmistæ olim lamentabatur, inquiens [1] : *Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis.* At vero in quonam hæc similitudo, per quam Salvator pœnas suas exprimere volebat, præcipue consistit? Cur non potius se dixit circumdatum a canibus, ab ursis, vel tigridibus? Pro resposione observandum, quod quando apes gregatim, et in magna multitudine caput alicujus circumvolant, acutissimis et venosis aculeis suis illud preforant et transfigunt, eique, summa cum acerbitate doloris, aculeum infixum relinquunt. Ac proinde hæc similitudo aptissime dolores exprimit spinarum, quæ capiti Salvatoris, ob puncturarum multiplicitatem, ingentes et innumeros attulere dolores. Observandum quoque quod insuper addat : *Et exarserunt sicut ignis in spinis,* quia ignis, dum spinas comburit, ingentes excitare solet strepitus ; ac proinde per hanc similitudinem insinuare voluit, quod acerbissimum hujus coronationis tormentum insuper accesserint strepitus improperiorum, injuriarum, derisionum, verborum obscœnorum, blasphemiarum, et maledictionum. Unde Hugo Cardinalis ait [2] : « Ignis in spinis strepitum et crepitum facit : sic « Judæi contra Christum invidia et ira succensi, « illum deridebant, eo quod regnum ipsorum affec- « tasset. » Aulus Gellius scribit [3], quod eo tempore, quo Imperatores etiamnum regnabant, usus fuerit, vendendi mancipia pretio infimo. Unde qui magnificentiam et potentiam suam ostentare volebant, idipsum facili negotio assequi poterant, quia modica pecunia multa licebat comparare mancipia. Emptor vero in signum vilis pretii, quo illa comparaverat, capita mancipiorum cingebat herbis, quæ in populo illo, apud quem morabatur, reputabantur viliores et abjectiores. Porro Filius Dei in hanc terram descenderat, ut habitum indueret servilem [4]: *Formam servi accipiens*: cum igitur idem Dei Filius a Judæis pro triginta emptus esset denariis, pretio nimirum vilissimo, ad ostentandam prædæ vilitatem caput ejus non herbis, sed spinis coronarunt, quæ inter omnia arbusta sunt abjectissimæ, et ad nullum valent usum, præterquam ad ignem.

**4.** — *Corona derisionem, spinæ ingerunt punctionem.* Salmeron hanc coronam in formam pilei contextam fuisse existimat; ait enim [5]: « Cum sit simplex « sertum, quod tempora ambit tantum et capitis « verticem relinquit intactum, aliud tamen genus « coronæ est, quod non tantum tempora, sed etiam « totum caput tegit, ut est coroua imperialis. « Existimant satis probabiliter nonnulli recentiores « Scriptores, hanc coronam Christi capiti impositam, « hujus posterioris generis fuisse, in modum pilei, « quæ gravior erat et acerbior, cum totum caput « ex omni parte contigeret, atque confoderet. Nam « Chrysostomus ait, mille puncturis caput ejus illa « corona fuisse punctum, ita ut sanguis copiosissi- « mus per faciem et genas deflueret. Quod si ve- « una minima spina tantum affert doloris, et mo- « lestiæ, pede calcata ut pastor ille apud Theocrit. « dicit : Quantula est punctura spinæ? Et quan- « tum hominem domat? Quanto magis ubi tot, « ac tanti spinarum aculei tempora tenerrima, et « delicatissimum Christi pungebant cerebrum? »

**5.** — Jonas Propheta figura fuit Christi patientis, hic autem inter cætera his verbis lamentatur [1] : *Pelagus operuit caput meum.* Quod autem per hoc pelagus sive mare coronatio intelligatur, ex versione Tygurina facile deducitur, quæ ita legit : *Careptum implicitum est capiti meo.* Hujus autem spinæ tantum puncturis suis inferunt dolorem, ut merito dici possit [2] : *Magna velut mare contritio tua.* Alii teste Cornelio a Lapide, legunt : *Juncetus fuscia erat capiti meo.* Porro Toletus, quoad spineam coronam capiti Salvatoris impositam, ita scribit [3] : « Corona « erat ex juncis marinis, qui duriores sunt terres- « tribus, confecta, quorum spinæ longæ et acu- « tissimæ sunt. Spinarum numerum determinatum « nec Scriptura, nec antiqui Patres expresserunt. » S. Vincentius Ferrerius in sermone de Parasceve inquit [4] : « Plectentes coronam de spinis marinis, « quæ acutiores et longiores spinas habent cæteris « spinis, capiti ejus imposuerunt; quæ eum in ca- « pite in septuginta duobus locis crudeliter vulne- « ravit, nam erat ad modum pilei, ita quod undique « caput tegeret, et tangeret, ita quod aculei ossa « penetrarent. Isti junci, secundum Isidorum, ab « intra fuerunt concavi, sugentes ad se sanguinem « Christi. » S Anselmus *in dialogo de passione*, ait [5] : « Coronatus incedit, sed ipsa ejus corona cruciatus « tus illi, et mille puncturis speciosum ejus « verticem divulnerat. » Et paulo post subdit : « Hanc coronam cum lancea percutientes, capiti « ejus imprimere conabantur, ita quod sanguis per « ejus faciem defluebat. » In revelationibus S. Birgittæ leguntur sequentia [6] : « Qui attentius consi- « derasse se dicunt spinas illas, juncos fuisse mari- « nos asserunt, quorum acies non minus dura, et « acuta, et aspera, et penetrativa spinis esse dici- « tur, in tantum ut homines etiam calceati desu- « per calcantes inde vulnerentur. » Eodem in loco pariter citatur in testem Guilelmus Durandus, « cujus « testimonium eo firmius censendum est, quod ipse « in Galiis hujusmodi coronam se vidisse testatur [7]; « licet enim non tota, vel integra, major tamen

*Ps.* CXVII, 12. — [2] HUGO CARDIN., *in Ps.* CXVII. — [3] AUL. GELL., l. IV de *Rom. Triumph.* — [4] PHIL., II, 7. — [5] SALM., t. X, tr. 10.

[1] JON., II, 6. — [2] THREN., II, 13. — [3] TOLET., annot. 2 in c. 19 *Joan.* — [4] S. VINC. FER., *in Par.*— [5] S. ANSEL., dial. *de Pass.* — [6] *Revel.* S. BIRG., l. I, c. 10. — [7] GUIL. DUR., *in Rat. div. Off.*, l. VII *de Par.*

« pars ibi asservatur, quam B. Ludovicum Regem « a Græcis redemisse, eamque Lutetias asportari « fecisse, auctor est Genebrardus lib. IV suæ Chro- « nologiæ. »

**6.** — P. Gretserius has spinas de genere illarum fuisse scribit [1], quæ in Oliveto germinabant, *et Sanctæ* appellabantur, quæ tres puncturas faciebant. S. Vincentius Ferrerius ait [2] : « Quis satis « cogitare potest, quantus dolor venerandum illud « caput, tot aculeis confixum affecerit, cum nos vel « ad unius spinæ puncturam intolerabili dolore « vexemur? » Merito igitur Redemptor noster æternum Patrem suum lamentando his verbis affatur [3] : *Gravata est super me manus tua, dum configitur spina* ; ubi specialiter ponderanda sunt verba illa : *Gravata est super me manus tua* ; siquidem quando Job omnibus privatus fuit divitiis, filiis, et in sterquilinio sedens, a capitis vertice ad plantam pedis usque ulceribus plenus erat, omnes hosce atrocissimos dolores et ærumnas solum quemdam contactum a manu Domini factum appellavit [4] : *Manus Domini tetigit me* ; at vero hic Christus per Psalmistam ait : *Gravata est super me manus tua, dum configitur spina.* S. Bernardus meditatur, inquiens [5] : « Corona spinea cum magna amaritudine illud « caput amabile complectens, et multorum acu- « leorum in illo signa relinquens, sanguineas utique « guttas eliciens, et ut puto, in faciem venerabilem « transmittens, vix adhuc de sputis Judaicis exsic- « catam. » Deipara Virgo S. Birgittæ revelavit [6], coronam spineam adeo fortiter et valide capiti Christi impressam fuisse, quod usque ad medietatem frontis penetraverit, vivique sanguinis rivi per faciem et barbam decurrentes omnes ejus capillos humectarint. « Nec ipse me astantem ad crucem « videre potuit, » inquit B. Virgo ad S. Birgittam, « nisi sanguine expresso per ciliorum compressio- « nem. » Alibi eadem sanctissima Dei Mater hoc perhibet testimonium [7] : « Tam vehementer caput « Filii mei pupugit, ut ex sanguine fluente reple- « rentur oculi ejus, et obstruerentur aures, et barba « tota decurrente sanguine deturparetur. » Porro Auctor qui librum Revelationum S. Birgittæ commentatur [8], hunc pileum ex spinis complexum capiti Redemptoris bina vice fortiter impressum fuisse notat scilicet, semel in prætorio, postea vero in monte Calvariæ, ubi sine coronæ spineæ depositione vestibus spoliari, et tunicam inconsutilem deponere minime potuisset, quam tamen ei jam denudato denuo capiti ejus imposuerunt ; unde verisimile est, per secundam coronæ spineæ validam impressione nova capiti ejus inflicta fuisse vulnera ab aliis diversa.

[1] Grets., *de Cruce.* — [2] S. Vinc. Fer. — [3] *Ps.* xxxi, 4. — [4] Job, xix, 21. — [5] S. Bernard., c. 4 *de Pass.* — [6] *Rev. S. Birg.*, l. IV, c. 40. — [7] *Revel.*, lib. I, c. 10. — [8] *Revel.*, l. VII, c. 10.

**7.** — Quoad dolorem a corona spinea causatum, sequentem invenio auctoris cujusdam observationem : « Dolorem spinæ superare dolorem « vulnerum, nemo est qui nesciat : siquidem spina, « quamdiu carni inhæret, nunquam quiescere sinit. « Legimus ob spinam pedi infixam leones mansue- « tos ab hominibus auxilium quæsivisse, uti ab « Antrodo romano. Quid non doloris excitabunt « in capite dolorum impatientissimo, tot, tamque « acerbæ? Cutis capitis, totumque pericranium « in orbem cum suprema frontis parte spiculis co- « ronæ confixa fuere, et perforata. In istis autem « locis sensus est accerrimus, ut experientia constat « cum vel leviter pungunt. Quanti igitur dolores « ex tot et tantis puncturis, in capite tam sano, « tam nobili temperamento, tanto sensuum vigore « prædito. » Dilectus, id est, Redemptor in sacris Canticis [1] a sponsa lilio inter spinas assimulatus fuit, cum tamen lilii folia pulcherrima sint et delicatissima. Nimirum sponsa alludere voluit ad delicatam ac teneram SS. illius humanitatis, a tot spinarum aculeis et punctis transfixæ, complexionem. In parabola quam Christus ipsemet de semine composuit, dicitur [2] : *Aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud, Semen est Verbum Dei.* Verbum igitur incarnatum inter spinas suffocatum est ; verbum enim *suffocaverunt* inexplicabilem quamdam significat atrocissimorum dolorum vehementiam.

**8.** — Laurentius Justinianus modum tradit, quo ex hisce spinis, licet natura sua steriles sint, egregium colligere fructum valeamus ; ait enim [3] : « Te « in persona statue Domini, taliaque arbitrare te esse « passurum, capitis delicati sensibilitatem considera, « spinarum punctiones cerebrum perforantes mi- « rare, sicque sanguinem decurrentem lachrymarum « inundatione absterge. » S. Anselmus similiter Redemptorem nostrum his verbis affatur [4] : « Ut spi- « narum capitis tui aliqua in me similitudo appa- « reat, detur, obsecro, menti meæ, et salubris pœ- « nitentiæ compunctio, et alienæ miseriæ compassio « et stimulus zeli æmulantis, quod rectum est coram « te, et ad te convertar in ærumna mea, dum tri- « plex mihi configitur spina. »

## DISCURSUS VI.

CHRISTUS PER LUDIBRIUM CORONATUS, VERUM SE REGEM ESSE OSTENDIT, DUM POST REPROBATAM SYNAGOGAM IN ECCLESIA REGNARE CŒPIT. UBI ET IPSUM EX SPINIS, UT NOBIS ROSAS CEDERET, SOLAS SIBI PUNCTURAS VINDICASSE, OSTENDITUR.

Idea sermonis. — 1. Christus per ludibrium spinis coronatus, attamen ostendit se esse verum Regem. — 2. Corona spinea duplicem inflixit pœnam ludibrium

[1] Cant., II, 2. — [2] Luc., VIII, 7. — [3] B. Laur. Just., *de Triumph. Christi agon.* — [4] S. Ans., *de Pas.*, c. 17.

utpote et tormentum. — 3. Coronatio spinea et ludibria adjuncta, ad mysterium fuerunt ordinata. — 4. Corona est signum victoriæ et regii honoris. Per coronam spineam præfigurabatur, quales futuri essent subditi hujus Regis. — 5. Corona spinea composita fuit ex gentilitate. — 6. Christi caput spinis cinctum, significabat Ecclesiam pungentibus spinis cingendam et defendendam. Christus hanc coronationem egregie ultus fuit. Christus assimilatur cani venatico, inter spinas quærenti feram. — 7. Spinæ coronæ Christi Judæos pungunt, nobis vertuntur in rosas. Cum spinea corona Christus in se suscepit omnes nostros labores et ærumnas. — 8. Corona spinea designat regni Ecclesiæ stabilitatem.

*Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus.* Joan., XIX, 2.

**1.** — In libro Judicum, capite IX, celebris illa recensetur parabola, in qua dum arbores ad eligendum sibi regem convenissent, ficus, vitis et oliva regnum sibi oblatum refutarint, quod postea a solo rhamno sive spineto acceptatum fuit. *Omnia in figura contingebant illis.* Hæc enim parabola in sæculorum progressu vere adimpleta fuit, quando verticem supremi Regis gloriæ, in cujus femore scriptum legitur : *Rex Regum, etc.*, spinis velut diademate regio cinxerunt, eidemque capiti ad perpetuam rei memoriam regium illum superimposuerunt titulum : *Jesus Nazarenus Rex Judæorum,* Regia corona redimitum est caput illius Monarchæ, de quo illud adimpletum propheticum oraculum [1] : *Cujus principatus super humerum ejus.* Enimvero quia Hebræi inter alia principaliora delicti capita Christum de affectato regno accusaverant (*dicentem se Christum Regem esse*) ideo milites Pilati, a Judæis instigati, acutissimas spinas in formam coronæ Christi temporibus per ludibrium circumcinxerunt. Unde Salmeron ait [2] : « Dicendum, Romanos Chris-
« tum coronasse in derisum, et improperium regni
« sui, quemadmodum purpura detrita fecerant. Et
« cum moris esset, teste Plinio, floribus illis pul-
« cherrimis juncorum deos coronari, illi in con-
« temptum cuspidibus ipsorum juncorum, quibus
« innascebantur flores, ipsi coronam intexuerunt, quæ cum illusione simul pungeret, quæ a sæculo nulli imposita hominum legitur. »

**2.** — Verisimile est, ut existimo, quod cum Reemptorem nostrum velut vilissimum quoddam mancipium acerrime flagellassent, inter se convenerint, deliberantes de ridiculo aliquo honore eidem ad resarciendum illud vilipendium exhibendo, ac tandem inter se ita concluserint. Ex quo ipse se regem facere voluit, regiis ipsum induamus ornamentis. Unde factum est, quod mox lacera quadam ipsum induerint purpura, sceptri vero loco arundinem manibus ejus inseruerint, ac tandem loco diadematis spineam ei imposuerint coronam, veluti diadema, non jam gemmis, et auro opulentum, sed ex spinis et tribulis crudeliter contextum ; denique per insultum derisorium illum adorarint, et loco solitæ acclamationis : *Vivat Rex,* vociferati fuerint : *Tolle, tolle, crucifige.* Unde Lucas Brugensis ait [1] :
« Ut omni ex parte quasi in scena Regem ex ludi-
« brio repræsentarent, ramusculos aliquos spinosos
« revolventes, in orbemque torquentes et conte-
« xentes, coronam condidere, ligno auri vice, et
« spinis gemmarum loco constantem, qua caput
« ejus tanquam Regis, non veri, sed miseri, atque
« ridiculi ita redimiverunt et cinxerunt, ut etiam
« egregie pupugerint, et tempora lancinarint ; de-
« nique faciem et tempora, et collum sanguine
« expresso fœdarint. Duplex pœna est ludibrium
« cum tormento conjunctum. » S. Cyrillus Alexandrinus diu ante in hæc verba scripserat [2] : « Milites
« sicut pseudotyranno cuidam more suo Christo
« illudunt, ideo corona de spinis imponitur, quo-
« niam mundani corona signum regni est. Simili-
« ter hujus delusionis causa liquido exprimitur.
« Accedentes enim dicebant : *Ave, Rex Judæo-*
« *rum.* »

**3.** — Ex eo quod S. Athanasius scribit, clare satis deducitur, insultus et injurias ab hebraismi impietate et ingratitudine præparatas, ab infallibili Altissimi providentia ad mysterium fuisse ordinatas ; ita enim scribit [3] : « Miraculum novum, et
« incredibile, et magnæ sine dubio victoriæ insi-
« gne ; quem enim ut hominem condemnaverant,
« eum mortuum deinde ut Deum adoraverunt, et
« quem aspernabantur ut vilem et contemptibi-
« lem, eum confitebantur Regem. Cui vestem
« detraxerunt, eum purpura circumdederunt. Quem
« ignorantes contumeliis afficiebant, eum Prophe-
« tam etiam nolentes appellaverunt ; et quem per
« ludibrium, subsannationemque pulsabant, ei
« triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam
« chlamydem et coronam spineam et calamum. »
Ammonius Alexandrinus de ritibus olim in coronatione regum usurpatis inter alia refert, reges coronandos extra civitatem deduci consuevisse, ubi sub arbore quadam inungebantur. Salvator quoque noster, cui omnes sacræ litteræ regnum prædixerunt, extra Jerosolymam perductus fuit, ubi sub arbore crucis proprii sanguinis balsamo inunctus fuit. Reges olim per manus sacerdotum consecrabantur : ita quoque ad instigationem sacerdotum Synagogæ, pretiosissimum sanguinis Christi balsamum effusum fuit. Regi noviter olim coronato passim acclamabatur a populo : *Vivat Rex* : ita hic populus Hebræorum acclamat : *Tolle, crucifige.* Hæc tamen crucifixio ad vitam ordinabatur subditorum æternam. Et tametsi hic Rex Christus mortuus fuerit, hanc tamen in se mortem admisit, ut

[1] Isa., IX, 6. — [2] Salm., t. X, tr. 30.

[1] Luc. Brug., *in Matt.* — [2] S. Cyr. Alex., lib. X *in Joan.* — [3] S. Athan., *de Pass. et Cruce.*

gloriosus et immortalis resurgeret. Reges noviter electi in thronum regium collocabantur; noster autem Rex Christus super illum thronum collocatur, de quo Ecclesia canit: *Dominus regnavit a ligno.* Regis noviter electi manibus olim liber legis consignabatur. Christus Rex noster erat liber ille, in quo omnes fideles studere debebant; de quo fusius superius in Tractatu I, disc. 3, tractavimus.

**4.** — S. Isidorus de ornamentis regalibus disserens, de corona regia ita scribit [1]: « Corona insigne « victoriæ, sive regii honoris signum, quæ ideo in « capite regum ponitur, ad significandum cir- « cumfusos in orbe populos, quibus accinctus, quasi « caput suum coronatur. » Cuinam, obsecro, corona majori jure debebatur, quam Christo, utpote qui per crucis et passionis suæ merita omnes terræ populos novæ legi Evangelicæ subjecturus erat? Unde David ait: *Dicite in nationibus: quia Dominus regnavit a ligno.* « Hæc corona flos est eorum, qui « crediderunt in eum, » inquit Clemens Alexandrinus [2], « qui fuit glorificatus. Cruentat autem et « castigat eos, qui non crediderunt. » Idque probat per allusionem parabolæ, a principio hujus discursus propositæ inquiens: « Tunc acerbior hæc erit « castigatio, cum de rhamno egredietur ignis; ignis « inquam ille, de quo Christus: *Ite in ignem æter-* « *num.* » Præfigurabant autem hæc spinæ, quales hujus Regis subditi futuri essent; nimirum in hac præsenti vita persecutionibus infestati, tribulati, afflicti, martyrii suppliciis affecti: dicente Apostolo [3]: *Persecutionem patimur, tanquam purgamenta hujus mundi, facti sumus omnium peripsema.* Lucas Brugensis ex Tertulliano, *de corona militis*, sequentem efformat ponderationem [4]: « Coronæ regum « hujus mundi, vel sunt aureæ, vel argenteæ, vel « ferreæ, quia regna hujus mundi opibus, splen- « dore et viribus constant; Christi autem corona « spinea est in hoc mundo, quia Regnum Christi in « hoc mundo afflictionibus et paratur, et constat, « nam in altero sæculo pro corona contumeliæ, « gloriæ corona ornabitur. » Et profecto ingens censeri debet miraculum, a Redemptoris nostri omnipotentia et sapientia post sedecim et amplius sæcula patratum, quod cum tot ejus sequaces et fideles, in hac vita rosis coronari possint, potius tamen caput suum certatim pungentissimis spinis cingere satagant. « Ostenditur nobis caput nostrum « spinis circumdatum, non floribus, inquit S. Ber- « nardus [5], ut illud imitemur: pudeat sub capite « spinoso membrum esse delicatum. » Consilium hoc exactissime adimpleverunt sanctissimi quidam Martyres, de quibus apud Bollandum legitur, scilicet Frontasius, Severinus, Severianus, et Silanus [6]: « Nam Præses iratus jussit eos extra urbem in vi- « ridi prato perduci, atque duris quæstionibus exa- « minari, quibus etiam ad exemplum Redemptoris « nostri spinis coronatis ferreis, capita eorum vallo « confixit, et in quolibet eorum ex utraque parte « novenos etiam clavos exhibuit. »

**5.** — S. Cyrillus Alexandrinus aliud quoddam hujus coronæ insinuat mysterium, inquiens [1]: « Au- « divi aliquos, quibus valde placebat, per coronam « de spinis, multitudinem sculptilia colentium si- « gnificari, quæ per fidem in diadema Christi « suscepta est: Spinæ namque dicunt, steriles, « quoniam nullum pietatis fructum producebant, « gentes fuerunt, igni solummodo nutrimentum, « quemadmodum et agrorum steriles spinæ. » Lactantius Firminus similiter ad hoc mysterium alludit, dum ait [2]: « Corona spinea capiti ejus im- « posita id declarabat fore, ut divinam sibi plebem « de nocentibus congregaret; corona enim dicitur « circumstans in orbem populus. Nos autem qui « ante cognitionem Dei fuimus injusti, spinæ, id « est, mali et nocentes eramus, ignorantes, quid « esset bonum et a justitiæ notione, atque operi- « bus alieni, omnia scelere ac libidine polluebamus. « Electi ergo ex dumis et sentibus, sanctum Dei ca- « put cingimus, quia convocati ab ipso, et circum- « fusi ad eum, Magistro ac Doctori Deo assistimus, « Regemque illum mundi et omnium viventium « Dominum coronamus. »

**6.** — Synagoga in variis Veteris Testamenti locis sub vineæ nomine describitur, quemadmodum et Ecclesia Christianorum, quæ Synagogæ substituenda erat, a Salvatore nostro sub vineæ metaphora repræsentatur [3]: *Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular.* Vinea est Ecclesia catholica, quam Deus singulariter plantavit. Torcular autem crucem præfigurabat, de qua Christus ait: *Torcular calcavi solus.* Ad hanc autem vineam a latronibus, feris et aliis eamdem destruere volentibus defendendam, densa quadam spinarum sepe circumcingitur. Ecce tibi spinas pungentes, quibuscum Ecclesiam suam circumcingit et coronat, ut eam ab omni hostili insultu defendat; nam ut ex Clemente Alexandrino paulo ante audivimus [4]: « Cruentat et castigat eos « qui non crediderunt. » Quod optime concordat cum illa rhamni, regnum oblatum acceptantis parabola; ait enim textus [5]: *Dixerunt omnia ligna ad rhamnum: Veni, et impera super nos, quæ respondit eis: Si vere me Regem super vos constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite; si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani.* Enimvero per experientiam quotidie videmus, hasce spinas, veluti totidem sagittas transfigere eos, qui hanc vineam, sive per manifestam martyriorum persecutionem, sive per intestinam infestationum,

[1] S. Isid., l. III, c. 10. — [2] Clem. Alex., l. II *Pædag.* — [3] I Cor., IV, 13. — [4] Lug. Brug., *in Matt.* — [5] S. Ber., ser. 5 *de omn. SS.* — [6] Boll., 2 jan., fol. 79.

[1] S. Cyrill., *ib.* — [2] Lact. Fir., *de divin. instit.* — [3] Matt., XXII, 43. — [4] Clem. At., *ib.* — [5] Judic., IX, 14.

hæresum et errorum violentiam destruere et dissipare præsumpserunt. Clemens Alexandrinus adversus Synagogam Hebræorum ita scribit [1] : « Tan-
« quam maleficum crucifixit, et tanquam Regem
« coronavit. » Ex quo autem illum tanquam ludricum Regem coronavit, eumdemque ludibriose salutavit, dicendo : *Ave Rex Judæorum,* hacque ratione se contumacem et rebellem esse ostendit; hujus veri Regis potentiam et justitiam experiri meruit per supplicia eidem a Deo cœlitus immissa. Christus olim per os Davidis prædixit, inquiens [2] : *Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis,* confestim vero subdit : *Et in nomine Domini quia ultus sum in eos;* ubi Hugo Cardinalis ait [3] : « Ultus est in eos per capti-
« vitatem; » quia sicut virgis spinosis olim percutiebantur mancipia et servi emptitii, ita divina justitia disposuit, ut in pœnam harum spinarum, quibuscum caput Regis gloriæ et Messiæ sui transfixerunt, servi et mancipia fierent omnium populorum totius terræ. Titelmannus, super caput secundum Oseæ, sequentem habet ingeniosam considerationem; ait enim [4] : « Agricolæ colentes, segetes suas
« a viatoribus conculcari, caput viæ spinis clau-
« dunt : sic Judæi ne gentem et locum amitterent,
« caput Christi spinis confixerunt. » Hunc enim illorum fuisse finem, ex proprii oris verbis constat : dixerunt enim [5] : *Si dimittimus eum sic, venient Romani et tollent locum nostrum et gentem.* At vero quod per politicam impedire satagebant, justo Dei judicio super ipsos tandem recidit, siquidem amiserunt quicquid habuerunt. Unde S. Augustinus ait [6] : « Temporalia perdere timuerunt, vitam æter-
« nam non cogitaverunt, et sic utrumque amise-
« runt. » Subdit vero præcitatus Titelmannus [7] :
« Vide, quanta obcæcati delirent amentia, quando
« caput quod spinis terebant, coronæ symbolo ho-
« norant, coronam de spinis intexunt, et dum
« coronam exambiunt, ipsam coronam amittunt. »
Etenim caput Christi spinis cinxerunt, metuentes ne perderent dominium et auctoritatem quam habebant, et hæ spinæ effecerunt, ut non solum potestatem, sed et libertatem amitterent, servi effecti et mancipia. Enimvero Salvator noster inter hasce Synagogæ spinas optimam sibi prædam conquirere novit; nam ut Hugo Cardinalis ait [8] : « Facit
« autem Dominus sicut canis venaticus, qui feram
« insequens, caput intra spinarum aculeos immittit,
« non timens exulcerationem, ut feram capiat.
« Nonne sic fecit Dominus? Ecclesiam quasi feram
« inter spinas, id est, inter reprobos latitantem
« extrahit, sed punctiones spinarum usque ad san-
« guinis effusionem sustinuit, in cujus signum
« coronam spineam portavit in capite super Cru-
« cem. » D. Chrysostomus ait [1] : « Coronaverunt
« Crucifixum spinis, et hæc ipsa futura olim prædi-
« xerat Moyses, dicens : *Generatio prava, et exas-*
« *perans, hæccine Domino retribuisti?* Et qui
« dederat manna in deserto, huic tu fel offers? Et
« qui de terra tibi delicias produxit, tu illi spineam
« imponis coronam? Ideo clamat Isaias, dicens :
« *Sustinuit, ut faceret uvas, fecit autem spinas.* »

**7.** — Porro nos Christiani hoc præ Hebræis gaudemus quoad hanc coronam regiam spineam, speciali privilegio, quod cum spinarum illarum puncturæ ad Hebræos, qui illam præpararunt, transfigendos sese vertant, nobis e contra in rosas convertantur, id quod a Clemente Alexandrino valde bene consideratum fuit, dicente [2] : « Porro autem
« hoc quoque signum est rei a Domino bene gestæ
« cum ipse suo capite, et principali parte corporis
« omnia mala nostra portaverit, ob quæ pungeba-
« mur, » Ipse namque sibi spinas assumpsit, ut nos rosis frueremur. « Cum ipse enim ab offensionibus,
« et peccatis; et ejusmodi spinis nos propria Pas-
« sione liberasset, Diabolumque infirmasset, et
« abolevisset, orans merito dixit : Ubi tuus mors
« stimulus. Atque nos quidem uvas ex spinis colli-
« gimus, et ficus ex rubis, illi autem consauciantur
« ac laniantur ad quos manus extendit, nempe ad
« populum infidelem, et infrugiferum. » Porro reges qui huic mundo dominantur, in capite suo coronas deferunt gemmis inæstimabilibus pretiosis distinctas, cum tamen nulli rei adeo studeant, quam ut subditos bellorum injuriis, gravaminibus et tributis tyrannicis opprimant, idque tanto cum rigore, ut vere dici possit, quod tempora miserabilium subditorum suorum totidem cingant acutissimis spinis, quot illos obruunt miseriis et calamitatibus. Nequaquam vero ita facit Rex gloriæ, qui in beneficium nostrum omnes ærumnarum nostrarum puncturas sibi assumpsit, ut nos in regno suo summa pace gaudere faciat, unde Sedulius canit :
« Omnia nostrorum accipiens spineta malorum. »
S. Athanasius idipsum confirmat, dicens : « Spi-
« neam coronam gestare voluit, ut sollicitudines
« nostræ vitæ extirparet, et spinarum gestatione
« omnes in securitatem assereret; ipse enim in
« doloribus et curis erat, ut nos doloribus carere-
« mus. » A S. Athanasio idipsum didicit Toletus, qui de hac coronatione tractans, ita scribit [5] :
« Corona spinea capiti imposita, sollicitudines, et
« ærumnas, et labores nostros a Christo esse suscep-
« tos significabat. » Eamdem quoque considerationem Dionysius Carthusianus in hæc verba exprimit [6];
« Ille coronatus est spinis, ut nos coronemur corona
« de lapide pretioso, danda electis in patria, juxta
« id quod scriptum est : *Accipient regnum decoris*

[1] Clem. Alex., *ib.* — [2] *Ps.* cxvii, 12. — [3] Hugo Card. — [4] Titelm. *ib.* — [5] Joan., xi, 48. — [6] S. Aug., tr. 49 *in Joan.* — [7] Titel., *ib.* — [8] Hug Card., *in Cant.*

[1] Chrys., t. II, h. 3 *de Cruce et latrone.* — [2] Clem. Alex., *ib.* — [3] Sedul., l. IV *Carm.* — [4] S. Athan., *ib.* — [5] Tol., ann. *in Joan.* — [6] Dio. Cart., *ib.*

« *et diadema speciei de manu Domini.* » Quidam erga passionem Dominicam devotus auctor, de hisce spinis ita meditatur : « Nec tamen spinas illas « adeo timere debemus, sive afflictiones cum Christo « et pro Christo susceptas, quia ipse aculeum « et acrimoniam abstulit, suavitatem conferens, et « pœnitentiæ viam optabilem reddens, ita ut verum « sit illud Ezechielis XXVIII [1] : *Non erit deinceps ultra « spina dolorem inferens.* » Porro sancti Martyres in crudelissimis suppliciorum atrocissimorum carnificinis cœlestem experiebantur suavitatem, multique fuerunt qui super carbones accensos pari gradiebantur voluptate, ac si super roseos flores incessissent, prouti in specie de Tiburio martyre legitur.

**8.** — Non defuere quoque, qui per hanc coronam insinuatam nobis fuisse putent regni stabilitatem, quam Christus Ecclesiæ suæ comparavit, de qua S. Gabriel Mariæ Virgini prædixerat [2] : *Et regni ejus non erit finis,* Voluit igitur hic Rex gloriæ, ne corona hæc facile e capite suo divelli posset, atque *ideo plectentes coronam de spinis imposuerunt,* et tenaciter impresserunt eam intra tempora capitis Christi, eamdem septuaginta duobus clavis firmando [3], totidem enim spinæ fuerunt, ne unquam lamentari possemus, dicendo : *Cecidit corona capitis nostri.* Omnes aliæ coronæ aureæ, vel gemmeæ vel argenteæ, facile e capite divelli possunt; at vero spinæ hanc habent proprietatem, quod quando semel carnem corporis humani penetrant, difficillime inde ejiciantur.

## DISCURSUS VII.

CUM SPINÆ EX QUIBUS CHRISTI CORONA COMPLEXA FUIT NOSTRORUM SINT SYMBOLUM PECCATORUM, AB HIS ILLÆ MERITO NOS COERCERE DEBERENT.

IDEA SERMONIS. — 1. Spinæ capiti Christi impositæ designant humani generis peccata.— 2. Enumerantur vitia quæ caput Christi punxerunt. Major pars nostrorum peccatorum trahit originem a voluptatibus. Christus figuratus fuit per arietem, cornibus spinis implexum. — 3. Corona spinea Christo imposita, minime fuit sublata. Coronatio spinea Christi est medicina nostrorum peccatorum. — 4. Spinæ sunt fructus peccati. — 5. Spinæ torserunt nobiliorem partem corporis Christi. — 6 Consideratio spineæ coronæ efficacissime retrahit nos a peccatis. — 7. Seria consideratio hujus mysterii coronationis, efficacissima est ad hominem convertendum ad Deum. Notabilis historia de pastore coronato pugnante cum basilisco. Non deponamus meditationem dominicæ coronationis, ne incidamus in periculum mortis peccati.

*Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus.* Joan.. XIX, 2.

**1.** — Omnes sacri interpretes in hoc unanimiter conveniunt, quod videlicet spinæ capiti Redemptoris nostri impositæ, generis humani peccata præfigurent, utpote quæ Christus in se assumpsit, ut pro illis æterno Patri suo *ex toto rigore justitiæ* satisfaceret : « Ambitur sacrum caput aculeis spinarum, » inquit D. Chrysostomus [1], « et divinum verticem pœ- « nalis ceronæ pompa circumdat, sed spinis illis « nostra eum peccata pungebant. « Theophylactus, dignus Chrysostomi discipulus, mysterium, cur altissima Dei providentia spinas potius capiti, quam alteri cuipiam corporis Christi membro superimponi voluerit, in hæc verba declarat [2] : « Corona ex spinis « peccata sunt, ex curis hujus vitæ provenientia, « quæ consumit sua Deitate Christus, præsignatur « enim per caput Deitas. » S. Augustinus similiter in sermone quodam ad populum eamdem doctrinam hisce verbis tradit [3] : « Corona spinea capiti « ejus imponitur, quia punctio peccatorum nostro- « rum, quorum remissione Redemptoris gloria « fruitur, aridis tribulis comparatur. »

**2.**— S. Joannes omnia hujus mundi mala in tres dividit classes, inquiens [4] : *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ,* omnia enim peccata reducuntur vel ad avaritiam divitiarum, vel ad carnales voluptates, vel ad irregulatam superbiam et ambitionem, imo ipsemet Christus (cujus caput a tot acutissimis spinis, quæ criminum nostrorum symbolum erant, perforatum et transfixum fuit) in parabola de semine et seminatore, divitias, voluptates, necnon sollicitudines, et anxietates quæ ambitionem consequi solent, dicente S. Bernardo : « O ambitio « ambientium crux, » spinis comparavit, dicens [5] : *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes suffocantur et non referunt fructum.* De hisce spinis S Bernardinus super illa verba [6] : *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina,* ita scribit [7] : « Spina culpa est, spina pœna est, spina falsus « frater, spina vicinus est malus. » Et paulo post subdit. « Vide, quomodo caute ambules inter spinas « Plenus est mundus spinis, in terra sunt, in aere « sunt, in carne tua sunt. Versari in his, et minime « lædi, divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ, » quibus verbis difficultatem insinuat, qua ob naturæ nostræ fragilitatem cavere nobis vix possumus, quin ab his spinis pungamur, siquidem ut Sapiens ait [8] : *Septies in die cadit justus* Omnium sæculorum perpetua experientia ab ipsis primis mundi natalibus nos docuit, majorem peccatorum partem, suam a voluptatibus trahere originem, ad hunc enim scopulum præcipue naufragatus est protoparens noster, qui non obstante divino interdicto, pomum gustavit, *ne contristaret delicias suas.* Similiter impii illi in

[1] EZECH.. XXVIII, 24.— [2] LUC.,I, 32. — [3] THREN.,V,16.

[1] CHRYS., t. IV, s. 3. — [2] THEOPH., *in Matth.* — [3] S. AUG., s. 41 *in append. de divers.* — [4] JOAN., II, 16. — [5] LUC., VIII, 15. — [6] *Ps.* XXI, 4. — [7] S. BERN., s. 48 *in Cant.* — [8] PROV., XXIV, 16.

libro Sapientiæ sese invicem invitabant, dicentes[1]: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Quid mirum igitur, si Redemptor noster, qui ait[2]: *Quæ non rapui, tunc exsolvebam*, voluptatum nostrarum rosas diluere voluerit per spinas. S. Athanasius ait[3]: « In morem spinarum pupugerunt eum peccata « mundi, quas suo adventu Christus agnus tollens « peccata mundi delevit. » Enimvero tametsi Joannes S. Baptista Redemptorem nostrum digito velut agnum immaculatum demonstrarit, eumdem tamen in Genesi per arietem, cornibus suis spinis implexum, præfiguratum fuisse reperimus. Procopius in cap. XXII Genesis scribens, illumque textum citans : *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit, et gavisus est*, ita scribit[5]: « Diem hoc loco intelligit « mortem, vidit Abraham diem, id est, Passionem « Christi. Et quando? Cum ovem, vel arietem in « tueretur. Nam ex ove conspecta cognovit Pas- « sionem Christi : *ut ovis enim*, inquit Propheta, « *ad cædem veniet.* » Ubi observandum est, auctorem hunc Christum simul ovem et arietem appellare, idque non sine mysterio, ovis enim est ob innocentiam propriam, aries vero quia totius generis humani, peccata in se assumpserat. Ecce igitur tibi rationem ob quam sacer textus arietem hunc inter spinas moratum fuisse dicit, nam *spina culpa est.* Simon de Cassia ait[6] : « Inter spinas hæ- « rentem cornibus arietem vidit Abraham, in qua « visione Christum ænigmatice spinis coronatum « aspexit. » Rupertus Abbas mysterium hoc ita exponit[7] : « Per spineam coronam illud visibiliter « quoque significat quod de illo propheta prædixit : « *Et peccata nostra ipse portavit.* Spinæ namque « peccata designant quæ animam pungunt, et la- « cerant, nam et propter peccatum homini data « sunt, dicente Domino ad Adam : Cum operatus « fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas « et tribulos germinabit tibi. »

**3.** — Origenes ingeniose observat, coronam spineam a lictoribus de capite Christi minime fuisse sublatam, licet laceram ei sustulerint purpuram; ejusque hanc assignat rationem[8] : « In spinea illa « corona suscepit spinas peccatorum nostrorum « intextas in capite suo. Et de chlamyde scriptum « est, quoniam denuo spoliaverunt eum chlamyde « coccinea, de corona autem spinea nihil tale « Evangelistæ scripserunt, propterea quod et nos « quærere voluerunt exitum rei de corona, spinea « semel imposita, et nunquam detracta. Ego igitur « arbitror, quoniam spinea illa corona consumpta « est a capite Jesu, ut jam non sint spinæ nostræ « antiquæ, postquam semel eas a nobis abstulit « Jesus super venerabile caput suum. » S. Bonaventura in *stimuto divini amoris* ita scribit[1] : « Quia « a doloribus aculeorum tuorum recessi spinis « concupiscentiarum confixus sum. » S. Hilarius similiter per has spinas peccata nostra intelligenda esse censet, dum ait[2]: « Spinis, compungentium « quondam peccatis gentium coronatur, ut ex rebus « perniciosis, atque inutilibus quæ capiti ejus, id est, « Deo circumdatæ moliuntur, gloria quæreretur. » Peccatorum est enim aculeus in spinis, ex quibus Christo victoriæ corona contexitur. P. Bollandus in vita B. Angelæ de Fulginio refert, quod sponsus ejus crucifixus eam animare volens, ne de venia peccatorum suorum diffideret, eidem apparuerit, dicens[3]: « Ne timeas, neque desperes filia, quoniam « etsi mille mortibus et morbis esses infecta, et « mortua, cum medicina, quam ministrabo, sanari « poteris, si tamen animæ tuæ, et corpori ipsam « applicare per devotionem volueris. Infirmitatibus « enim capitis quas dixisti propter quas Deo dis- « plices, et tu doles in te, quas incurristi lavando, « pectinando, ungendo, colorando, ornando, crines « torquendo, te offerendo, superbiendo, vanam « gloriam quærendo, ut appareres hominibus contra « Deum, propter quæ in infernum dejici perpetuo « debebas, ego satisfeci, et gravissimam pœnam « toleravi, nam pro lotura, pectinatura et unctura « qua es abusa, caput meum fuit tractum, depila- « tum, spinis acutissimis punctum, et totum san- « guini cruentatum, et omni ludibrio et contemptui « viliter subjectum, et vili corona coronatum. » Quod vero Christus huic sponsæ suæ de peccatis vanitatis mundanæ dixit, idem quoque asserere potuisset de omnibus aliis peccatis, quia per acerbissimas hujus coronæ puncturas omnia diluit. Tertullianus spinas peccata nostra repræsentare, ante omnes alios scriptores in hæc verba docuit[4]: « Ex « spinis opinor et tribulis, in figuram delictorum, « quæ nobis protulit terra carnis, abstulit autem « virtus crucis omnes aculeos mortis, in Dominici « capitis tolerantia obtundens. » In catena Patrum Græcorum sequentia verba leguntur[5]: « In illis « ipsis humillimis ac spontaneis passionibus osten- « disti, o Christe Deus, te universi conditorem ac « reparatorem existere. Nam spinis coronari susti- « nens declarasti te totius orbis peccata in te « suscepisse. »

**4.** — Porro hæc peccatorum ad spinas relatio et comparatio magno nititur fundamento, si primam spinarum consideremus originem, siquidem illas peccati fructum esse, certum est : « In spinea coro- « na » inquit S. Anselmus[6] « nostrorum designatur « susceptio peccatorum, quæ per spinas notantur; « unde Dominus protoplasto dixit in peccatum

[1] Sap., II, 8. — [2] *Ps.* LXVIII, 5. — [3] S. Ath., *q.* 136 *ad Antioch.* — [4] Joan., I, 39. — [5] S. Procop., *in Gen.* — [6] Sim. de Cass., l. XIII. — [7] Rupert. Abb., l. XIII *in Joan.* — [8] Orig., tr. 35 *in Matt.*

[1] S. Bon., *Stim. amor.* — [2] S Hilar., *in Matth.* — [3] Boll., 4 jan. — [4] Tert., *de corona spinea.* — [5] Caten. Græca, *th.* — [6] S. Anselm., *in Matt.*

« lapso : Terra tua germinabit tibi spinas et tri-
« bulos, hoc est conscientia tua punctiones acu-
« leosque vitiorum procreabit. » S. Basilius, et cum eo plures alii, spinas ante peccatum minime fuisse existimant, adeo ut culpa primorum parentum maledicta sit spinarum genitrix, quæ secundum materiale suum manus transfigunt ; secundum allusionem vero mysticam conscientiam dilaniant. Enimvero hæ puncturæ Christi caput utique perforare neutiquam potuissent[1] : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* In tantum vero, non quidem in anima, sed in sacrosancta carne sua capax fuit hujus transfixionis spinarum in quantum[2] : *Languores nostros ipse tulerat. et attritus est propter scelera nostra.* S. Thomas super Matthæum inquit [3]: « Per istas spinas significantur
« aculei peccatorum, quibus conscientia vulneratur,
« et istas Christus accepit pro nobis, quia pro pec-
« catis nostris mortuus est. » Paulo post vero hasce spinas ex maledictione, ob Adæ prævaricationem terræ immissas, ortas fuisse ostendit. Porro in catena Græca dicitur[4] ; « Dei verbum incommuni-
« cabiliter pro nobis incarnatum, et homo factum,
« quando ad salutarem sponte crucem processit de-
« clarans causam ob quam in carne voluntariam
« passionem sustineret, spinis se coronari permi-
« sit, rebus ipsis quodam modo clamans, se latam
« contra genus nostrum sententiam abolere velle,
« atque ad hoc venisse, ut spinarum aculeos, id
« est, mortis stimulum obtunderet, quos idcirco in
« capite gerebat. »

**5.** — Clavi quidem Christi transfixerunt pedes et manus, flagella humeros et dorsum cruentarunt, funes et catenæ totum corpus constrinxerunt ; at vero spinas parti nobiliori superimpositas esse voluit, scilicet capiti ; idque in formam coronæ et diadematis, ac si quot spinæ, totidem in ea gemmæ essent, unde dicere potuit[5]: *Iniquitates vestræ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravata sunt super me.* Porro spinas capiti imposuit, non quia peccata nostra alicujus æstimaret, siquidem illâ supra omnem modum abhorrebat, sed ut ostenderet, quantum de satisfactione gauderet, quam pro illis abolendis divinæ justitiæ per tam ingentem atrocissimorum dolorum censum rependebat. S. Cyrillus Jerosolymitanus ait [6]: « Oportebat et Jesum a
« militibus typice coronari. Sicut ideo Scriptura
« in canticis dicit : *Exite, et videte, filiæ Jerusalem,*
« *ipsum in corona, qua coronavit eum mater sua.*
« Mysterium erat corona, solutio enim erat pecca-
« torum, dissolutio autem maledictionis. Accepit
« sententiam Adam : Maledicta terra in operibus
« tuis, spinas, et tribulos adferet tibi : propterea
« Jesus accepit spinas, ut solvat hanc maledictio-
« nem. » S. Isidorus Pelusiota in Epistola quadam in hæc verba ingeniose scribit[1] : « Quandoquidem
« execrationis illius, qua terra post mandatum a
« nobis violatum mulctata est, seges spina erat,
« Dominus autem omnem in seipso morbum cu-
« raret, advenerat, idcirco spinea corona ut victor
« redimitus est, quemadmodum videlicet clari, ac
« celebres victores faciunt, qui hoc ipsum telum aut
« instrumentum, cujus ope victoriam consecuti
« sunt, in triumphum gerunt. Confidite, inquit, ego
« vici mundum, nam qui in humana natura fuit,
« veterem generi nostro pulchritudinem reddidit ac
« maledicti, et execrationis robur in ipsa natura
» delevit. » Simon de Cassia devotæ contemplationis oculos in hasce spinas defigens, inquit [2] :
« Exortæ fuerunt in maledictionibus primi parentis,
« cui dictum est, quod terra spinas et tribulos
« germinaret sibi, quibus in præfinito tempore
« pungendus erat Filius Dei. »

**6.** — Efficacissimum profecto ad refrænandum nos a peccatis stimulum nobis addens, hoc motivum erit, si ad hanc coronam mentem nostram erexerimus, considerantes spinas illas, quæ caput Christi vulnerant, non esse spinas materiales, vel juncos marinos, hi enim communem creatorem nequaquam cruciare ausi fuissent, sed spinas hasce esse voluptates et transgressiones nostras. Porro, in Prato florido, de Clerico quodam vano et dissoluto, omnes correctiones, inspirationes, et exhortationes sibi factas surdis auribus excipere solito. refertur. Redemptorem nostrum crucifixum ei visibiliter apparuisse, hisque verbis illum fuisse affatum : O ingrata creatura, cur non consideras, quantas pro tua salute sustinuerim pœnas ? Cur majoris æstimas vanam tui capitis curam, quam spineam meam coronam, quam tanto cum tormento sustinui ? Ex qua visione, et improperio sibi facto compunctus, se emendavit. Quando quis agrum vel vineam, vel hortum communire nititur, ne feræ ingredientes illum devastent, circumquaque seps quædam contexi solet, ex spinis undequaque complexa. Eodem quoque modo, ne anima christiani (quæ horto assimilatur [3] : *Hortus conclusus soror mea sponsa*) feris in prædam cedat, id est, appetibus, et passionibus vitiosis, oculum suum in hasce spinas deflectat. Unde cum impius ille apud Oseam diceret : *Vadam post amatores meos.* Deus ut hoc ejus præcipitium ab eo averteret, dixit [4] : *Sæpiam viam tuam spinis*, quasi vellet dicere : Ne tu ad præcipitium properes, coronam hanc spineam Filii mei ob oculos positam habeto, hæc enim cursum lubricum facile coercebit, velut coercere solet seps spinea omnes accurrentes feras a vincæ devastatione, Gilibertus Abbas sequentem insinuat moralitatem, di-

[1] I Pet., I^b, 22. — [2] Isa., liii, 4. — [3] S. Thomas, *in Matt.* — [4] Cat. Græc., *ib.* — [5] *Ps.* xxxvii, 5. — [6] S. Cyr. Jeros., *Catech.*

[1] S. Isid. Pelus., l. I, ep. 95. — [2] Sim. de Cass., lib. XIII. — [3] Cant., iv, 14. — [4] Osee, ii, 5.

ceus [1]: « Nihil fœni, nihil ligni, nihil stipularum in « Domini velitis diademate texere. Nihil quod ig- « nem vereatur, vel mereatur. Spinæ complexæ « igne comburuntur. *Noli æmulari in malignanti-* « *bus*, neque zelaveris eos, qui spineam capiti Regis « nostri imposuere coronam. Tale diadema non » honorem, sed horrorem adducit. Horret Christus « magis austeritatem morum, linguæ stimulos, « quam aculeos spinarum. »

**7.** — Prorsus existimo, vere affirmari posse, quod inter omnia vitæ Christi mysteria, seria hujus coronæ spineæ meditatio, ad aperiendum cor divinis vocibus, efficacissima sit et ad hominem ad Deum convertendum potentissima. Unde cum Sponsus in sacris Canticis ad fores animæ cujusdam obstinatæ et surdæ pulsans, eam dulcibus hisce verbis invitaret [2] : *Aperi mihi soror mea*; quonam impulsu cordis ejus duritiem, ad detestandum peccatum, quod contumaciam parit, emollitam fuisse existimatis? Num forte per sudorem et agoniam in horto? Aut vero per crudelem tot asperrimorum flagellorum dilaniationem? Vel denique per Christi Sponsi crucifixionem? Per nihil horum, sed corona spinea, caput Christi sanguine humectatum et asperrimarum spinarum puncturis plenum, ipsam excitavit et emollivit; ait enim Sponsus : *Quia caput meum plenum est rore et cincinni mei guttis noctium*. Ubi sanguinem suum nomine roris appellat, ut ostendat, quanto cum gaudio illum effuderit. Cornelius a Lapide super hunc Canticorum textum scribens, ait [3] : « Crines et cincinni idem « sunt quod spinæ. » Regius Propheta ait [4] : *Conversus sum in ærumna mea*; at vero, quando facta est hæc conversio? Tunc videlicet, quando oculum suum ad hujus coronæ puncturas direxit : *Dum configitur spina* : *Delictum meum cognitum tibi feci et injustitiam meam non abscondi. Dixi* : *confitebor adversum me injustitiam meam Domino et tu remisisti impietatem peccati mei*; ad harum namque spinarum, peccata nostra repræsentantium, spectaculum, aperiuntur conscientiæ, peccata nostra in abominatione habentur et facilis peccatorum obtinetur venia.

**8.** — Berchorius refert [5] de Æsculapio, quod cum die quadam pastorem quemdam multis herbis coronatum, eum basilisco quodam, sine ulla sui læsione vel nocumento, a pestilentiali ejus halitu, vel sibilo accepto, vidisset pugnantem, plurimum miratus accurrerit, credensque idipsum ei accidisse ab occulta quadam herbis illis insita virtute. Æsculapius igitur longam quamdam hastam manu tenens, dictam ex herbis contextam coronam e capite pastoris sustulerit, moxque ille in terram mortuus prolapsus fuerit. At vero mox ut de novo dictam coronam in caput ejus imposuisset, pastor prædictus subito revixerit. Enimvero an idipsum vera sit historia, an vero fabula, indecisum relinquo, meque ad fidem auctoris remitto. Hoc tamen certum est, quod ad superandum basilisci infernalis lethiferum venenum, nullum sit potentius remedium, quam si quis caput suum hac corona spinea cingat, id est, eamdem per seriam meditationem memoriæ et menti suæ imprimat; sic enim [1] *super aspidem et basiliscum ambulabit, et conculcabit leonem et draconem. Quoniam in me speravit, liberabo eum*. Quod si vero hujus coronæ meditationem deposuerimus, in manifesto erimus periculo incidendi in mortem peccati et tentationibus succumbendi. In Psalmo XX dicitur [2] : *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*. At vero quid inde fuit subsecutum? *Vitam petiit a te, et tribuisti ei*. Spinæ quidem materiales hoc habent, quod quanto profundius corpus nostrum penetrant, tanto nos magis crucient et affligant, tantoque inde nascentia vulnera pœnosiora fiant, magisque insanabilia. At vero quoad spinas spirituales res ita se non habet : quanto enim profundius illas in mentem nostram defixerimus, tanto facilius et citius vulnera animæ nostræ sanabuntur. S. propheta Job ait : *Tentatio est vita hominis super terram*. « Nam donec « in carne est anima, » inquit S. Bernardus [3], « in- « ter spinas profecto versatur et necesse est ut « patiatur inquietudines tentationum, tribulatio- « numque aculeos. » Hugo Cardinalis super c. II, Canticorum pariter ita scribit [4] : « Spinæ intra te « sunt malæ cogitationes et prava desideria, de « quibus *Prov.*, XXIV : *Per agrum hominis pi-* « *gri*, etc. » Ab his spinis unusquisque transfigitur; at vero ne ex hac transfixione vulnus mortale exsurgat, cor et cogitationem suam ad hanc extollat Redemptoris nostri, a peccatis nostris quaquaversum transfixi, spineam coronam, suaque peccata in spinis illis unusquisque agnoscat et detestetur.

[1] GILBERT. ABB., s. 20 *in Cant.* — [2] CANT., V, 2. — [3] CORN. A LAP., *in Cant.* — [4] *Ps.* XXXI, 4. — [5] BERCH., *Ver. Coron.*

## DISCURSUS VIII.

### DE GAUDIO CUM QUO CHRISTUS EX MERO ERGA NOS AMORE, SPINAS CAPITI SUO IMPRIMI PERMISIT, DEQUE GRATITUDINE QUA CHRISTIANUS CHRISTO SPINIS CORONATO GRATUM SE EXHIBERE TENETUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Rubus ardens et non comburens, figuravit Christum spinis coronatum. — 2. Christus ovem perditam quæsivit inter spinas et tribulos. Et illas spinas judicabat suas delicias. — 3. Christus spinis coronari voluit ut ostenderet quod cum jubilo pro nobis moreretur. — 4. Christus in holocaustum pro nobis offerendus coronari noluit. — 5. Insigne documentum ex spineæ coronationis mysterio desumptum. Nos sumus corona Christi. Varia SS. exempla, qui noluerunt gestare coronas aureas. Quomodo

[1] *Ps.* XC, 13. — [2] *Ps.* XX, 4. — [3] S. BERN., *in Cant.* — [4] HUG. CARD., *ib.*

S. Liduina coronam suam imperfectam perfecit. Tanquam Christiani, amemus coronari ludibriis et sannis malorum hominum.

*Plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus.* Matth., XXVII, 29.

**1** — Hebræorum legislator Moyses Jethro soceri sui gregem in solitudine Madian pascens, in ejusque sylvarum opacitatem profundius penetrans, tandem in Oreb appulit, ubi Deus in medio rubi ardentis quidem, sed non comburentis, ei apparebat. Quapropter Moyses præ stupore attonitus, animoque suspensus erat, an sibi eo appropinquandum esset. At tandem se resolvit, dicens [1] : *Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Cumque loco appropinquaret, Deus ex medio ardentis rubi clamavit, dicens : *Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Enimvero idem ipse Deus, qui tunc inter spinas hoc operatus est prodigium, hodie in terra et civitate sancta Hierosolymæ, in prætorio Pilati, inter spinas quoque reperitur, quia *plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus.* Nec deest amoris divini ignis, ardens quidem, sed spinas minime consumens, quia libenter illis se circa tempora accingit [2], *propter nimiam charitatem qua dilexit nos.* Et quidem ut ostendat quanto cum jubilo hisce spinis transfigi desideret, easdem in nobiliori, magisque delicata corporis sui parte collocari permisit. Quando enim exprimere volumus, quanti personam aliquam æstimemus, eam nos in vertice capitis portare dicere solemus. *Coronam de spinis posuerunt super caput ejus.* Salmeron ait [3] : « In rubo ardenti olim visus « est Deus loqui ad Moysen, de liberatione populi « sui. Ita et per Christum coronatum et charitate « ardentem, Deus nos alloquitur, quomodo a cap« tivitate veri Pharaonis, id est, diaboli, asseramur « in libertatem gloriæ filiorum Dei. » Ibi Moyses a Deo electus fuit ad liberandum populum electum a vinculis servitutis Ægyptiacæ, hic pariter Filius Dei spinis accinctus et in Moyse olim præfiguratus, ad liberandum e dura Satanæ servitute genus humanum se accinxit, atque ideo paulo ante prædixerat [4] : *Nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras.* Porro hujus ignis rubum non comburentis mysterium D. Chrysologus declarat, inquiens [5] : « Daturus « legem, ignem præmisit in rubo, sed divinum « rubus portavit, non concepit incendium, jam « tunc aculeis malitiæ plenum et ingratum culturæ « legis populum præfigurans. » De hisce autem spinis, quæ divini amoris incendium conceperunt, secus dicendum est, scilicet : *Divinum rubus portavit et concepit incendium;* secundum tritum illud adagium, quo dici solet : *Pœna interroget, si quis veraciter amet.* Magnus igitur debuit fuisse amor Redemptoris, quo hoc toleravit tormentum, non minus ignominiosum, quam dolorosum. Qui erat in sinu Unigenitus Patris, cœlestem lætificans paradisum, hac nostra passibili et mortali carne se vestiendi impatiens factus, se hic in terris delicias quæsivisse et invenisse declarat, inquiens [1] : *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* At vero quanam in re hasce ejus delicias et voluptates positas fuisse existimatis? Num forte in convertendis animabus hominum, aut vero in patratione miraculorum? Vel in sublimis ædificii Ecclesiæ suæ erectione? Vel in promulgatione legis Evangelicæ, qua omnes terræ populos sibi erat subjugaturus? Vel denique in profliganda penitus idololatria a mentibus hominum? Nequaquam, quin potius delicias et rosas gaudiorum suorum, inter hasce coronæ suæ spinas quæsivit et invenit. Ac proinde ei congrue adaptari possunt illa Jobi verba [2] : *Lætabatur, et esse sub sentibus, delicias judicabat.* Rosas illas, quas populus Hierosolymitanus ante V dies, in honorem ejus, simul cum olivis et palmis festive et triumphaliter sparserat, acceptavit quidem, sed sub pedibus ipsius manserunt; hodie vero spinas, quas eadem turba ei præparat, super caput suum reponit. « Quam dissimile, rami virentes et crux, » inquit S. Bernardus, « flores et spinæ! » Flores tamen et rosas pedibus conculcat; spinas autem et sentes, velut gemmas, in pretiosam quamdam coronam contextas, magnopere honorat.

**2.** — Nemini dubium esse potest, quin pastor ille [3], qui oviculam amissam per sylvas et deserta spinis, et tribulis plena quærit, eamdemque reinventam, humerisque suis impositam, salvam ad ovile reportat, cœlestem illum præfiguravit pastorem, Redemptorem nostrum, inquam, qui relictis in cœlo nonaginta ovibus, id est, spiritibus Angelicis, in hoc mundi desertum descendit ad redimendam naturam humanam per peccatum amissam. Videntur igitur SS. ejus Humanitati adaptari posse verba illa Canticorum [4] : *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super Dilectum suum?* Quia divinitas, humanitatis ipsius fulcrum et basis erat. Hæc humanitas *deliciis erat afffluens,* quia *sub sentibus esse delicias judicabat.* Et quidem quam excessivus ejus jubilus fuerit, per hoc satis expressit, quia unumquemque ad sibi congratulandum invitabat, dicens : *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat.* Nec mirum quod sub hisce spinis adeo gaudebat, quia licet spinæ in semetipsis steriles sint, ipse tamen perfectissime cognoscebat fructum, qui ab hisce spinis, quibus

[1] EXOD., IV, 2. — [2] EPHES., II, 4. — [3] SALM., tom. X, tr. 20. — [4] JOAN., XII, 31. — [5] CHRYS., s. 164.

[1] PROV., VIII, 31. — [2] JOB, XXX, 7. — [3] LUC., XV, 3. — [4] CANT., VIII, 5.

erat transfixus, redundaturus erat : ac proinde omnes ad sibi congratulandum invitabat. Unde S. Gregorius in homilia quadam ait [1] : « Sic agricola « illam amplius terram amat, quæ post spinas « uberes fructus profert, quam eam quæ nunquam « spinas habuit et fertilem nunquam produxit « messem. » Porro in discursu præcedenti arietem illum, ab Abraha loco filii sui Isaac sacrificatum, Salvatorem nostrum præfigurasse diximus [2]; in præsenti autem proposito specialiter ponderandum est verbum illud *hærentem* : *Viditque post tergum arietem inter vepres hærentem.* Etenim verbum *hærere*, adhæsionem, sive affectum quemdam, aut amorem insinuat, ut patet ex illis verbis Psalmi [3] : *Adhæsit anima mea post te* : *Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* Voluit igitur Spiritus Sanctus in hac figura intensissimum illum exprimere amorem quo Christus, per arietem præfiguratus, inter hasce spinas gavisurus erat. Sponsus a cœlesti sponsa inter lilia constitutus in sacris Canticis describitur [4] : *Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies et inclinentur umbræ.* Observandum vero est, hæc lilia floruisse inter medias spinas; unde in principio ejusdem capitis dicitur [5] : *Sicut lilium inter spinas*, quia dilectus in tantum ex liliis perfundebatur gaudio, in quantum spinis circumdata erant.

**3.** — Deus olim Ezechieli prophetæ præcepit, dicens [6] : *Mortuorum luctum non facies, corona tua circumligata sit tibi.* Sacerdotes enim in occasione ingentis alicujus mœstitiæ, coronam de capite suo deponere et nudo capite incedere solebant. Volens igitur Redemptor noster ostendere, quanto cum jubilo pro nostra redemptione moreretur, per altissimam suam providentiam disposuit, ut licet priusquam ad montem Calvariæ ascenderet, chlamyde et lacera purpura exueretur, corona tamen spinea ex ejus capite nunquam deponeretur; hanc enim ad sepulturam usque in capite suo portare voluit, ad denotandum, quod libenter moreretur. Et hic forte finis fuit, ob quem dicere voluit [7] : *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum*, id est, ut S. Augustinus exponit : « Quando procedebam ad « mortem Calvariæ moriturus, reputatus sum si- « milis aliis patientibus et reis, qui inviti ducuntur « ad supplicium; » cum tamen revera res ita se non haberet, sed potius *factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.* Inter illos enim, qui simul mecum ad mortem condemnati erant, ego solus, velut si ab omni malo immunis et liber fuissem, libenter ad crucis patibulum processi; in cujus signum coronam spineam in capite portare volui, eodemque fine mulierum Hierosolymitanarum planctum prohibui, dicendo [1] : *Nolite flere super me.* D. Chrysostomus existimat, Salvatorem nostrum spinea hac corona cingi voluisse [2], *ut nulla esset corporis pars, in qua pro nobis non pateretur.* Omnes enim aliæ corporis sui partes, speciales habebant suos cruciatus et dolores : humeri et dorsum flagella, manus et pedes clavos, genæ alapas, latera calces et pugnos, aures blasphemias et injurias, oculi afflictæ genitricis suæ aspectum, lingua acetum et fel; reliquum igitur erat, ut et tempora ipsius septuaginta duabus pungentissimis spinis transfigerentur; siquidem totidem in sudario Christi numerantur, quod Taurini in summa veneratione etiamnum habetur.

**4.** — Hujus quoque lætitiæ, quacum coronatus fuit, evidens signum erat, quia quando in altari crucis æterno Patri suo pro peccatorum nostrorum expiatione in holocaustum offerendus erat, in se adimplere voluit usum introductum, victimas, quæ sacrificandæ et coronandæ erant, magna cum festivitate ad altare usque deducendi; horum enim primum in die Palmarum adimpletum fuerat, quando ab universo populo festivis acclamationibus fuerat receptus : restabat igitur, ut corona quoque cingeretur : « Acceptavit coronam, » ait Salmeron [3], « quia moris erat apud Romanos et etiam apud « Judæos, victimas coronatas immolari : nam Pli- « nius de coronis agens inquit : Verum primum « omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo « coronam ex hedera, postea Deorum honori sacri- « ficantes sumpsere, victimis simul coronatis. » Et in Actibus Apostolorum refertur [4], quod postquam S. Paulus et Barnabas in Lystris eximium illud patrassent miraculum, *Sacerdos Jovis, qui erat ante civitatem*, ut S. Lucas scribit, *tauros et coronas ante januas offerens, cum populis, illis tanquam diis volebat sacrificare.* Considerare quoque possumus, quod cum mitra, vel corona speciale esset sacerdotum ornamentum, quo maxime utebantur, quando sacrificia offerebant, prout ex Josepho Hebræo colligitur [5], et ex illis Zachariæ verbis facile deducitur : *Ponite Cidarim mundam in capite ejus;* merito Christus tanquam *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, semetipsum in perfectissimum sacrificium Patri oblaturus, spineum hunc pileum sive coronam ad instar mitræ in altari crucis portare voluit.

**5.** — Porro documentum, quod nos fideles ex hoc mysterio discere debemus, hoc est, scilicet, quod nobis exemplo Christi diligendæ sunt spinæ in signum grati animi erga dolores, quos Christus in beneficium nostrum, in hoc et in aliis suppliciis, quibus ad ultimum usque spiritum fuit afflictus, tam libenter sustinuit. Refert Salmeron, quo mo-

[1] S. Gregor., ho. 34 *in Evang.* — [2] Gen., xxii, 13. — [3] *Ps.* xxvi, 9. — *Ps.* lxii, 28. — [4] Cant., ii, 13. — [5] Id., ii, 2. — [6] Ezech., xxiv, 17. — [7] *Ps.* lxxxvii, 5. — [8] S. Aug., *in Ps.* lxxxvii.

[1] Luc., xxii, 28. — [2] Chrysost. — [3] Salm., t. X, tr. 30. — [4] *Act. Apost.*, xiv, 12. — [5] Joseph., l. III *Antiq.* — [6] Zach., iii, 5.

tivo Tertullianus librum illum, quem *de corona militis* inscripsit, composuerit? Ita enim scribit[1] : « Cum Lucius Septimus, et Severus Pater, et Mar- « cus Aurelius Caracalla Imperatores militibus « donativum dari jussissent et tribunus id jam ero- « garet, contigit, Christianum inclytum accessisse, « castrensem coronam manu gestantem, quam « cæteri in capite ob Cæsarum solemnia gestabant. « Rogatus, cur non capiti coronam imponeret, res- « pondit, se religione prohiberi, quod Christus « spinis coronatus fuerit delusus : cujus factum uno « integro libro defendit Tertullianus, quem inscrip- « sit *de corona militis.* » Postquam vero Tertullia- nus ignominiam et pœnam excessivam coronæ spineæ, capiti Filii Dei impositæ, exposuisset, sub- jungit[2] : « Utere tu nunc laurea, et myrto, et olea, « et illustriori quoque fronde, et quod magis usus « est, centenariis quoque rosis ex horto Midæ lec- « tis, et utrisque liliis, et omnibus violis coroneris, « etiam gemmis forsitan, et auro, ut et illam « Christi coronam æmuleris. Si ob hæc caput ei « tuum debes, tale si potes, ei repende, quale suum « pro tuo obtulit. Aut nec floribus coroneris, si « spinis non potes. » Celebris est illa S. Catharinæ Senensi a cœlesti Sponso facta apparitio, eo præci- pue tempore, quo ipsa ob turpissimas calumnias a pessimo quodam ingratitudinis monstro adversus ejus pudicitiam et honestatem excogitatas, vel maxime affligebatur. Apparuit enim ei Dominus visibiliter in dextera habens coronam auream, mar- garitis et pretiosis gemmis ornatam, in sinistra vero tenens coronam ex acutissimis spinis contex- tam; eique dixit : Scito, o dilectissima filia, te in diversis temporibus ambabus hisce coronis esse coronandam; nunc eam tibi eligito, quæ magis ar- ridet, liberam enim alterutrius eligendæ do optio- nem; cogita autem, quod si in hoc mundo coronam spineam elegeris, aurea tibi reservanda sit in vitam futuram, at vero si in præsenti tempore manum tuam ad aureum diadema extenderis, spineam co- ronam post mortem experieris. Sancta igitur Virgo respondit, se in hac vita aliud nolle, quam ut acer- bissimæ passioni suæ conformari et cum ipso cru- cifigi, pœnasque pro refrigerio amplexari possit. Ac proinde coronam spineam ex manibus Salvatoris accipiens, adeo valide eamdem capiti suo impo- suit, tantaque cum violentia hanc eidem adstrinxit, ut a puncturis interius transfixa, acerbissimum per multos dies senserit dolorem. Ab hac sancta igitur discere possumus, puncturas acerbissimas pœnarum ad penetrationem usque cerebri Christi pertigisse, siquidem in alio ejusdem vitæ loco dixisse legitur[3] : Quis unquam credidisset, spinas coronæ suæ ipsum quoque cerebrum penetrasse?

**6.** — « A ratione alienum est, » inquit Clemens Alexandrinus[1], « ut qui audierimus, Dominum spi- « nis fuisse coronatum, ipsi venerabili Domini pas- « sioni per ludum insultantes, habeamus capita « redimita floribus. Domini enim corona nos pro- « phetice significabat, qui fuimus per Ecclesiam, « cujus ipse est caput. » Omnibus passim nota est illa S. Bernardi doctrina, dicentis : « A Christo « dicti sumus Christiani : nonne ea via, qua Chris- « tus ambulavit, et nos debemus ambulare? » Quod si Christus nos omnes, et multo expressius Apostolus Philippenses[2], coronæ suæ titulo honora- vit, dicendo : *Vos estis gaudium meum, et corona mea;* quonam modo corona ejus esse poterimus, si non spinis, sed rosis cingamur? Surius in vita S. Elisabethæ reginæ Hungariæ refert, ipsam eru- buisse Ecclesiæ inferre pedem, quando coronam regiam gemmis distinctam in capite suo ferens, coram oculis veri Reges gloriæ spinis coronati com- paritura erat. Cum S. Agapito, quindecim annorum adolescentulo, ut fidem negaret, ex ardentibus car- bonibus facta corona super caput imposita fuisset; ipse spineam Redemptoris coronam meditando, to- tus alacer exclamavit[3] : « Parum est in terra caput « aduri coronandum in cœlo. Quam decore corona « gloriæ ornabit caput afflictum pro Christo? » De Godefrido Bullionensi Lotharingiæ Duce, qui terram sanctam recuperavit, legitur, quod licet solemnem regni Palæstinæ, quod vi armorum suorum conqui- serat, accepisset possessionem, persuaderi tamen sibi minime permiserit, ut diadema aureum in caput suum admitteret, asserens, indignum esse portare coronam auream in illa regione, in qua Christus spinis coronatus fuerat[4] : « Non decet « Regem Christianum corona aurea insigniri in « illa urbe, in qua Christus gestasset spineam. » Ex visione quadam, quæ referente Surio B. Liduinæ contigit, clare deducitur, quod prius in hac vita tempora nostra cingenda sint spinis, ut postea corona aurea decorari valeamus in cœlis, dici- que possit[5] : *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Huic namque virgini Angelus qui- dam in extasi constitutæ apparuit, qui splendi- dam quamdam sed imperfectam coronam ei os- tendit. Cumque ab extasi ad se rediisset, a cœlesti Sponso pati et affligi se deinceps instanter petiit, ut diadema quod imperfectum viderat, per- fici posset; moxque ad votum exaudita fuit, quia deinceps varios a multis militibus sibi illatos susti- nuit afflictionum impetus, utpote qui eam mulierem de prostibulo infamem reputantes, percusserunt, infamarunt, variisque affecerunt conviciis, et in- juriis. Tunc Angelus ad eam reversus, coronam ei ostendit omni ex parte perfectam, quæ sole lumi- niosior erat, dixitque ei : « Propter inverecundos

[1] TERTULL., *de Coron. Milit.* — [2] Lib. III, c. 3, n. 1.

[1] CLEM. ALEX., l. II *Pædag.* — [2] PHILIPP., IV, 1. — [3] TYRIUS, l. IX *de bello sacro.* — [4] SUR., *in Vita.* — [5] *Ps.* XX, 4.

« tactus virorum illorum, noveris te positam in « vestigiis Salvatoris. Ludibria, et vulnera corpori « tuo imposita, fuerunt gemmæ, quas in illa corona, « et adesse vidisti, et deesse. »

**7.** — Tertullianus ludibria illa, quibus miles ille Christianus, eo quod ob reverentiam coronæ spinæ Salvatoris, coronam ex floribus contextam in capite portare detrectrarit, derisus fuit, describens ait [1] : « Denique singuli designare, eludere eminus. in- « frendere cominus in nostrum. Tribuno defertur, « et persona jam ex ordine accesserat. Statim tri- « bunus : Cur inquit, tam diversus habitu ? Nega- « vit ille, cum cæteris sibi dicere. Causas expostu- « latus : Christianus sum, respondit : O militem in « Deo gloriosum ! » exclamat in ejus laudem Tertullianus. *Militia est vita hominis super terram*, inquit Job : Nos igitur qui sub vexillo crucis Christi militamus, sæpe ab ipsismet quoque impiis Christianis digito monstramur, quando ab hominum mundanorum torrente nos sequestrare contendimus ; illorumque sannæ et ludibria sunt veluti totidem acutissimarum spinarum puncturæ, quæ ob verecundiam nostrum colore sanguineo imbuunt vultum. Ut igitur in tali afflictione constituti constantes maneamus, in hanc coronam Regi cœlorum per ludibrium impositam oculos nostros conjiciamus, nosque hoc verbo : *Christianus sum*, obarmemus : discamusque illud S. Petri monitum [2] : *Si autem ut Christianus, non erubescat : glorificet autem Deum in isto nomine. Exeamus igitur ad eum extra castra*, ut S. Paulus ait [3] : *Improperium ejus*, id est, hanc coronam *portantes*.

## DISCURSUS IX.

OMNES OLIM ADINVENTÆ CORONÆ, CHRISTO JURE MERITO CONVENIEBANT ; UBI ET VARIÆ CIRCA HUJUS CORONÆ SPINAS MORALITATES ADDUCUNTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus triplici regno devicto, promeruit coronam triumphalem. Etiam tria nova regna fundavit. — 2. Quare Sancti depinguntur coronati quodam scuto in capite. — 3. Christus etiam promeruit coronam obsidionalem. — 4. Et coronam civicam. — 5. Sicuti etiam coronam muralem. — 6. Coronam castrensem. — 7. Ac denique navalem. Aliæ ejusdem coronæ spineæ in die Parasceves rubescere. Quomodo coronationem Christi recompensare possimus. — 8. Adducitur triplex spiritualium spinarum genus. Sub spinis divitiarum latet omne peccatorum genus. — 9. Quinam Prælati in coronam Christi plectant spineam. — 10. Quidam Novitius Capuccinus visus fuit in prandio non nisi spinas manducare.

*Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus.* Joan., XIX, 20.

**1.** — Judæi Christum se Regem et promissum in lege Messiam declarasse prætendentes (*dicentem se Christum Regem esse*) ut suam adversus illum effunderent rabiem, ipsum, tanquam Regem scenicum et ludictum, corona spinea cinxerunt, non intelligentes, quod Deus hæc omnia ad mysterium indicandum ordinaret ; siquidem Christus, ut videbimus, heroicis, et virtuosis operibus suis se omnibus coronis, ad illa usque tempora dari solitis dignissimum esse probavit. Porro Salmeron ait [1] : « Sunt pluries species coronæ, nam auctore Gellio, « atque aliis quibusdam, quædam erat triumphalis, « quæ imperatoribus, ob victoriam ad triumphum « in urbem redeuntibus, permittebatur ; et primum « cœpit fieri ex lauro, deinde ex auro purissimo. » Quoad coronam vero Christi in eodem tractatu in hæc verba subjungit : « Illi etsi ad dedecus ei « augendum hoc excogitaverint, ipse tamen Chris- « tus sponte acceptare voluit talem coronam, « quia ea verum sibi regnum comparavit. Erat « enim dignus corona triumphali, quia tria regua « morte sua acquisivit. » Ex hisce autem acquisitis regnis primum fuisse dicere possumus, regnum mundi, quod antea Princeps tenebrarum suæ tyrannidi subjugaverat, de quo Christus dixerat [2] : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras ; et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Secundum vero regnum est sancta Dei Ecclesia, quam hic in terris fundavit, de qua Gabriel B. Mariæ Virgini prædixerat [3] : *Dabit illi Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in æternum, et regni ejus non erit finis.* Tertium denique est regnum cœlorum, quod nobis comparavit : ideoque dicitur : *Regnum tuum regnum omnium sæculorum.* Et quidem tametsi ipsemet Dei Filius fuerit, hoc tamen regnum sibi comparare voluit [4] : *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?* Et vero præter tria hæc comparata regna, in procinctu erat, ut totidem alia regna destrueret, scilicet regnum inferni, mortis, et peccati. Porro Salmeron ait [5] ; « Solent victores hostis victi arma « gestare, ad gloriam, et perpetuam memoriam. « Arma autem Satanæ, contra quæ Christus pugna- « vit, peccata nostra sunt, quæ in spinis denotan- « tur ; hinc Agnus noster cornatus est, quia sua « passione sustulit peccata mundi, et aculeos pec- « catorum nostrorum, quasi spinarum, in se per- « fregit. »

**2.** — Incognitus Carmelitanus P. Michael de Bononia super illa Psalmi verba : *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos* : Romanos in signum superati inimici, coronæ loco scutum quoddam in capite suo deportare solitos fuisse scribit [6] ; ideoque Ecclesiam ad illorum imitationem hunc introduxisse ritum, ut in signum detriumphati dæmonis, mundi, et sui ipsius, Sancti depingantur

[1] TERTULL., *ib.* — [2] I PET., IV, 16. — [3] HEB., XIII 13.

[1] SALM., t. X, tr. 30. — [2] JOAN., VII, 31. — [3] LUC., I, 32. — [4] ID., XXV, 26. — [5] SALM., *ib.* — [6] MICHAEL DE BON., *in Psal.*

habentes in capite scutum quoddam, loco diadematis; atque ideo longe convenientius erat, ut Christi vertici diadema quoddam imponeretur, utpote qui innumeras ab iisdem hostibus reportabat victorias, quique proinde in sermone ultimæ Cœnæ confidenter dixerat [1]: *Confidite, quia ego vici mundum.* Præter ea non conveniebat, ut hæc corona ad instar aliorum regum aurea esset, vel gemmea, quia passionis suæ doloribus mediantibus, suas reportando victorias, regna conquisivit; ac proinde titulus regius crucis patibulo fuit affixus, fuitque *vir dolorum* appellatus [2]; ac demum de ipso prophetatum fuit [3]: *Principatus ejus super humerum ejus.*

**3.** — Meruit quoque coronam, quæ obsidionalis dici soleat, de qua in hæc verba scriptum comperio [4]: « Præcipua obsidionalis erat, quæ tanquam « virtutis præferens spectatissimum insigne, æsti- « matione immensa, longe præcellere credita est; « hæc enim ex illo fiebat gramine, ubi cives obsi- « dione essent liberati, quæ nulla inferior publica « militari lege definitur, quippe cæteras Impera- « tores ac Duces singulis militibus tradunt; gra- « minea vero multo maximum decus præferens, nisi « ab universo exercitu servatori suo concedi mi- « nime poterat. » Hanc autem coronam omnes milites concorditer, nemine discrepante, capiti ejus imponentes, fortiter impresserunt: *Et milites plectentes coronam de spinis.* Erant porro idololatræ ac gentiles, et ideo per spinas, quæ steriles sunt, aptissime denotati: atque ideo licet non intelligerent mysterium, hac tamen præcipue merito Christum coronarunt, quia scilicet totum mundum a valida quadam obsidione, per quinquies mille et amplius annos incessanter ab hoste tartareo continuata, scilicet idololatria, per amaræ passionis suæ merita potenter liberavit.

**4.** — Est et alia corona quæ inter benemeritos distribui solebat, quæ civica appellabatur, de qua Alexander ab Alexandro ita scribit [5]: « Civica ex « querna fronde sit. » Hanc unus civis alteri dabat in præmium, eo quod in bello sibi vitam salvasset. Et vero cuinam hæc corona melius convenisset, quam Salvatori nostro, unumquemque nostrum in particulari et in universali salvavit, adeo ut unaquæque anima dicere possit [6]: *Domine Deus satis meæ?* Finis enim, ob quem Angelus eum in terram descendisse nunciavit, hic erat [7]: *Ipse enim salvum faciet populum suum.* Unde ipsemet in sermone ultimo æternum Patrem suum his verbis affatur [8]: *Pater, quos desisti mihi, servabam eos. Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant* [9]. Porro eadem hæc corona Christi alio quoque titulo debebatur, cum enim ab eo tempore, quo cœlum pro nobis creatum fuit, a cœlesti Paradiso exulassemus, in die mortis suæ nos omnes ab exilio revocabat; in cujus signum latro quidam ingressus est Paradisum, factusque est æternæ, et beatæ patriæ perpetuus civis [1]: *Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei.*

**5.** — Quarta corona appellabatur muralis; hæc autem, ut Salmeron ait [2], « donabatur ab Imperatore « ei, qui primus muros subiisset, inque oppidum « per vim ascendisset, Hæc ad excitandos ad oppug- « nationem militum animos ex auro fiebat. » Redemptor autem noster, ut paulo post idem auctor ponderat, *primus perrupit acheronta, trophæisque gloriosis spoliavit*: Invasit enim limbum, ex eoque animas electas eripuit [3]. *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem.* Etenim cœlestis Hierosolymæ mœnia hactenus inexpugnabilia erant; unde Salvator noster ait [4]: *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*: at vero Redemptor noster per mortem suam in cœlos ascendens, ascensum hunc in cœlestem patriam nobis quoque facilem effecit; nam *æternitatis aditum devicta morte nobis reseravit.*

**6.** — *Erat et corona castrensis*, ut Salmeron ait [5], « similiter aurea, quæ donabatur ei, qui primus « hostium castra pugnando introisset. » Quis autem fortissima inimici infernalis castra primus ingredi ausus fuit, præterquam Christus, *Inferni claustra penetrans, exspolians principatus et potestates, ac palam triumphans*? ut inquit Paulus [6]. Unde et Ecclesia in hymno canit: « O vere digna hostia, per « quam fracta sunt tartara, redempta plebs capti- « vata, reddita vitæ præmia. Consurgit Christus « tumulo, victor redit de barathro, tyrannum tru- « dens vinculo, et paradisum reserans. »

**7.** — Erat et navalis corona, quibusdam quasi navis rostris insignita, qua donari solebat, qui prius maritimo prælio in navem hostium vi transiliisset. Porro Redemptor noster ait [7]: *Veni in altitudinem maris*; atque ad stabiliendam fluctuantem Ecclesiæ suæ naviculam [8] (*Ecce Satanas expetivit ut cribaret vos*) eamdem in mare conjecit, quæ inter syrtes et scopulos innumerarum contradictionum, et tempestatum pericula natando pyraticam infernalis inimici navim, a qua impugnabatur feliciter submersit. Unde in hymno canit Ecclesia: « Ad cœnam agni providi, et stolis albis candidi, « post transitum maris rubri, Christo canamus « Principi, etc. » Ex cujus sacri poematis decursu naviculæ Christi assecuratio, et navis pyraticæ submersio clare deducitur. Dicite igitur, vos obsecro: nunquid justum est, ut cum Rex noster corona quadam cinctus sit, quæ omnibus aliis ab antiquis adinventis coronis æquivalet et præponderat, omnes

[1] JOAN., XVI, 33. — [2] ISA., LIII, 3. — [3] ISA., IX, 6. — [4] ALEX. ab ALEX., lib. *Geneal.* — [5] ALEX., *ibid.* — [6] *Ps.* LXXXVII, 2. — [7] MATTH., I, 12. — [8] JOAN., XVII, 12. — [9] ID., X, 10.

[1] EPH., II, 19. — [2] SALMER., *ib.* — [3] EPH., IV, 8. — [4] MATT., XI, 12. — [5] SALM. — [6] COLOSS., II, 15. — [7] *Ps.* LXVIII, 3. — [8] LUC., XXI, 11.

evocemus, et invitemus animas illis Canticorum verbis [1] : *Egredimini, et videre filiæ Sion Regem Salomnem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus*? Quem textum S. Bernardus de corona spinea exponit [2], quam Salvator noster tanto cum jubilo excepit, ac si nuptias cum illa celebraturus fuisset. Enimvero quis vestrum crederet, hasce spinas post sedecim elapsa sæcula ad pristinum virorem redituras, et de novo germinaturas esse ? et tamen, ut paulo post dicemus, idipsum in variis locis quotannis contingit, eo, ut opinior, fine, ut fideles, qui velut arida ligna fructum non faciunt et meditationem hujus mysterii, pro æterna ipsorum salute consummati, negligunt, ad fervorem excitentur. Etenim Gregorius Turonencis hac de re ita scribit : *Ferunt, ipsas coronæ sentes quasi virides apparere, quæ tametsi videbantur aruisse foliis, quotidie tamen revirescere virtute divina.* De spina quadam, quam Maximilianus I hujus nominis Imperator cuidam Ecclesiæ Ordinis S. Benedicti in Donaverda donavit, ita scribitur [3] : « Quotannis fere sexta feria Parasceves sanguineis ru« bescere quasi guttulis apparet. » In capite vero sequenti legitur [4] : « Spinam esse Rhodi, qua sacra« tissimum Christi caput pupugerunt impii, quæ « singulis anni in die eo, quo Christi passionis me« moria in Catholica nostra Ecclesia celebratur, « vidente populo floreat. Monstratur ea in vase « translucido ex vitro, ut admittatur aspectus, nec « oculorum acies possit obtundi. Ante horam illam, « qua Christus crucifixus creditur, nullam spina « ipsa notionem præfert, non coloris mutatio, non « ulla adjectio in ea visitur. Proximante tempore, « rubere incipit et oculis omnium circumfusis atque « cernentibus albus quidam flosculus ad verticem « paulatim exsurgit, qui hora elapsa desinit et « evanescit. » Subdit vero idem auctor : « Aliqua « forte, et paria, et etiam forte majora sparsa, et « disseminata mundo sunt, quibus et incredulis ad « conversionem excitatio, credentibus vero ad per« severantiam confirmatio jugiter oriatur, quæ qui « non videt, cæcus ; qui non audit, surdus est. » Multis igitur tepidis, et negligentibus Christianis illud merito improperari posse videtur [5] : *Si hæc in arido, quid in viridi* ? Etenim spinæ, et ligna post mille sexcentos et amplius annos, in memoriam et honorem passionis Christi revirescunt, et miraculose florent : et nos, ad quos harum spinarum transfusus est fructus, sicci, et aridi omnique erga hoc mysterium vera devotione, et gratitudine vacui, et iannes manebimus ? Ludolphus Carthusianus modum docet, quo hoc coronationis supplicium aliqua saltem ratione recompensare valeamus ; ait enim [6]:

« Documentum est, ut et nos conemur coronari « spinis tentationum ; qualibet enim tentatio nos « impugnans, est quasi quædam spina caput men« tis nostræ pungens, quam dum homo superat, « spina illa cedit sibi ad coronam ; unde quot « spinas tentationum homo in hac vita sustinet et « superat, tot gemmas pretiosas ad coronam suam « comparat. » Et vero cum in Discursu VII hujus tractatus spinas, quæ caput Christi transfixerunt, peccata nostra fuisse clare probaverimus, consequens est, ut quot tentationes victuri sumus, totidem puncturæ in capite Redemptoris diminuantur.

**8.** — Hugo Cardinalis tria spinarum spiritualium genera distinguit, inquiens [1] : « Est triplex « genus spinarum. Primæ spinæ sunt concupiscen« tiæ carnales ; secundæ mundanæ sollicitudines ; « tertiæ mali cohabitantes. De primis dicitur, « *Gen.*, III : *Terra*, id est, caro *germinabit tibi spinas* « *et tribulos*, id est, carnales concupiscentias. De « secundis dicitur, *Matt.*, XIII : *Qui autem in spinas* « *seminatus est, hic est qui audit verbum, et sollici« tudo sæculi illius, et fallacia divitiarum suffocant* « *verbum.* De tertiis dicitur, II *Reg.*, XXII : *Præva« ricatores quasi spinæ evellentur.* » Drogo Hostiensis aliud quoddam spinarum, sacrosancta Salvatoris tempora ferientium, genus his verbis insinuat [2] : « *Plectentes coronam de spinis ponunt super caput* « *ejus*, cum de rapina pauperum spineas ei divitias « coacervantes, caput ejus ad regnum elationis « efferunt. » Salvator noster in parabola de semine et seminante, divitias spinis assimilat, quasi dicere vellet, se in passione sua a divitibus avaris specialiter acerbiores recepturum esse dolores ob peccata ipsorum. Et vero verissimum esse novimus, quod causa impulsiva, ob quam Hebræi Christo mortem intulerunt, non fuerit culpa Christi vel delictum, siquidem ipsimet confessi sunt, dicentes [3] : *Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit* ? Sed sola causa fuit timor, ne ex eo, quod Christus ab omnibus agnosceretur et proclamaretur Rex Israel et promissus Messias, Romani id pati nolentes, irruerent in eos, omnibusque illos facultatibus spoliarent, propter quod dicit S. Augustinus [4] : « Temporalia « perdere timuerunt. » Sub spinis communiter latitare solent scorpiones, serpentes, bufones, viperæ, aliaque similia animalia infecta et venenosa : per quod insinuatur, quod sub spinis divitiarum communiter omne genus peccatorum delitescat. Ac proinde si aliquod Salvatori nostro, harum spinarum puncturas patienti, afferre volumus refrigerium, moderari debemus inordinatum nostrum erga bona terrena affectum ; nam ut S. Bonaventura ait [5] : « Creatura non ob aliud perniciosa

[1] CANT., III, 11. — [2] S. BERNAR., ser. 6 *in parvis.* — [3] GREG. TUA., l. I *de Mirac.* — [4] AUG. MAN., *Hist. Sel.* [5] LUC., XIII, 31. — [6] LUDOL. CART., p. 2, c. 62.

[1] HUG. CARD., *in Cant.* — [2] DROG. HOST., *de Sacram. Dom. Pass.* — [3] JOANN., XI, 47. — [4] S. AUG., tr. 49. — [5] S. BON., s. 3 *in Dom.* III *post Epip.*

« est amatori, nisi quia præponitur Creatori. » Nos spinas super caput Christi imponimus, dum bona temporalia et creaturas plus quam Creatorem diligimus. Spinas materiales conculcamus pedibus, ne manus pungant; et tamen spinas spirituales, per quas inordinati affectus et vitia nostra denotantur, super caput Christi collocare audemus; videlicet manifeste convicti, quod plus divitias, voluptates carnales et anxias rerum terrenarum sollicitudines, quam honorem, gratiam et legem Dei diligamus. « A divitibus diademate spi- « neo coronatur, » inquit B. Laurentius Justinianus [1]. « Sunt etenim divitiæ spinæ acutissimæ, quæ « rationale caput hominis pungunt et perforant, « indeque sanguinem ebullire faciunt copiose. In- « credibiliter divitiarum amor et terrenarum im- « moderata cogitatio facultatum, mentem spar- « gunt, dissipant unitatem, pacis bonum perdunt « et amatores suos innumerabilibus delictis immer- « gunt : juxta criminum quantitatem spiritualiter « sanguis emanat; in sanguine quippe peccatum « exprimitur dicente Propheta : *Libera me de « sanguinibus Deus.* » Simon de Cassia similiter hoc punctum tangit, scilicet quod timor perdendi divitias Hebræos permoverit ad coronandum per ludibrium spinea corona Christum, ut vel sic Cæsari Romanorum persuadere possent, quod quando populus illi tanquam regi acclamavit, hoc illi præstiterit, tanquam regi scenico, seu comico, non vero tanquam vero regi. En verba Simonis [2] : « Mundi divitias ipse Salvator spinas appellavit, ac « per hoc, quoniam Principes Judæorum, desiderio « plus habendi ac sæcularia non amittendi, Chris- « tum usque ad coronam spineam perduxerunt; ut « undique punctura consisteret in capite glorioso « et pro dignitate regali, quam ex alto contulerat « populo Judæorum, coronam spineam accepit in « meritum. »

**9.** — Hugo Cardinalis hanc tradit moralitatem [3] : « Tot spinas in corona Christi plectunt Prælati, « quot malos in ecclesiastica dignitate instituunt; « quod autem mali spinæ dicantur, patet II *Reg.*, « XXIII : *Prævaricatores, inquit David, quasi spinæ « evellentur.* » Idem Hugo alibi hanc habet considerationem : « Per coronam spineam cœtus ambi- « tiosorum intelligitur. Caput Christi est ecclesias- « tica dignitas, id est, locus superior in corpore « Christi, quod est Ecclesia. Quid ergo est corona « spinea in Christi capite, nisi ambitiosi et avari in « ecclesiastica dignitate? »

**10.** — Porro quantum Deo devota circa coronam Christi instituta meditatio placeat, ex sequenti in Annalibus Capuccinorum [4] descripta historia colligitur. Etenim F. Isaias Mediolanensis novitios suos passionem Domini incessanter meditari docebat. Accidit autem, quod dum die quadam pater cujusdam novitii, ad conventum accedens, ad communem refectorii mensam admissus fuisset, vidit filium, in quem sæpius oculos defigebat, loco ciborum, qui dispensabantur aliis, nil nisi spinas manducare; idipsum non parum admirans et indigne ferens, terminato prandio, querulosis vocibus F. Isaiæ proposuit, dicens : Eccur, pater mi, dum alii novitii panem, pulmentum et alios salutares cibos manducant, filio meo nil aliud quam spinas ad manducandum proponitis? Cui optimus religiosus respondit : Falleris, Domine, filius enim tuus de iisdem cibis manducavit, quibus alii fruiti sunt; id quod ipsummet filium coram patre fateri fecit. Quia vero pater novitii hoc non obstante asserebat, se illum spinas manducantem oculis suis vidisse; mox F. Isaias novitiorum Magister suspicari cœpit, quod res erat, scilicet sub hoc visu absconditum fuisse haud parvum mysterium; ac proinde novitium interrogavit, quidnam tempore prandii cogitasset; qui respondit, se toto illo tempore spinas in corona Christi implexas meditatum fuisse, indeque non corpus suum pavisse, sed animam. Dominus igitur huic viro hunc præstare favorem voluit, ut videre posset, qualis esset refectio spiritualis, qua pascebatur ejus filius.

[1] B. Laur. Just., *de Triumph. Chr. agon.* — [2] Simon de Cass., l. XIII. — [3] Hug. Card., *in Matt* — [4] To. II, p. 1, an. 1566, n. 90 *Annal. Cappuc.*

## DISCURSUS X.

### DE CHLAMYDE COCCINEA ET PURPUREA, QUA CHRISTUS PER LUDIBRIUM INDUTUS FUIT.

Idea sermonis. — 1. Judæi imposuerunt Christo in improperium chlamydem coccineam. — 2. Funiculus coccineus Rahab fuit figura coccinei chlamydis Christo impositæ. Chlamys coccinea designat opera cruenta Gentium. — 3. Purpura Christi significabat peccata humani generis. — 4. Chlamys purpurea præsagiebat passiones Martyrum. — 5. Christus in purpura derisus, operabatur salutem nostram. Vestis illa purpurea fuit tincta cocco. — 6. In veste illa purpurea designabatur excessivus Christi amor. — 7. Quomodo Ecclesiastici Christum illudant.

*Chlamydem coccineum circumdederunt ei.* Matth., XXVII, 28.

**1.** — Ecce tibi re ipsa verificatum, quod Sponsa de cœlesti Sponso suo perhibuit testimonium, dicendo [1] : *Dilectus meus candidus et rubicundus.* Candidus quidem, quia paulo ante Herodes illum veste alba per ludibrium induerat. Rubicundus vero propter chlamydem purpuream, qua per ludibrium quoque fuit amictus. Verum quoque est, quod sequitur, scilicet : *Caput ejus aurum optimum* At vero dices fortasse : ex quo caput ejus ex omni parte spinis circumdatum erat, quomodo de illo

[1] Cant., v, 10

dici potest, quod sit aurum optimum? Nimirum aurum symbolum est charitatis, quæ ut superius notavimus, in hoc supplicio mirabiliter emicuit, dum de eo ne os quidem suum aperuit ad lamentandum, vel conquerendum. Est enim hæc auri proprietas, ut ait Tertullianus, quod *aurum percussum silet*. Lucas Brugensis ait [1]: « Chlamydem coc-« cineam ludibrii causa imposuerunt. Chlamys vox « est Græca, qua tamen etiam Syrus utitur, notans « pallium militare, quo et milites et Imperator ipse « utebantur. Militare autem pallium brevius et « strictius est. » Toletus pariter distinctam hujus vestis indicat notitiam, dum ait [2]: « Quantum ad « vestem attinet, Matthæus chlamydem esse ves-« tem hanc declaravit, quod genus est vestis mili-« taris, qua Imperatores utebantur super arma; « vestem enim alicujus militis Romani attritam, et « usui jam ineptam fuisse probabile est. Addit « Matthæus, coccineam fuisse et Joannes purpu-« ream affirmat. » S. Bernardus finem exprimit, ob quem Christus hac veste indutus fuit, inquiens [3]: « Nec defuit purpura vestis irrisoria, chlamydem « enim coccineam circumdederunt ei. » S. Paschasius ait [4]: « Quodcumque faciunt, licet perverso « spiritu id fecerint, nobis tamen sacramenta sa-« lutis operabantur. » S. Anselmus in hac veste humanitatem Christi patientis adumbratam fuisse dicit: « Per chlamydem, inquit, quam Marcus dixit « esse purpuream, Christi caro passionibus objecta « insinuatur. Unde Propheta: *Quare ergo rubrum « est indumentum tuum?* » S. Bernardus postquam Judæos Christum hoc coccineo vestimento induisse dixisset, subjungit: « Quamquam ipse vestem « corporis sanguinis sui pretiosissimi effusione « multo nobilius purpuravit. Purpura enim non « plus quam bis tingitur, ipse vero purpuram cor-« poris sui non solum bis, sed etiam tertio in san-« guinis torrente pertinxit. Rubricatur enim in « sudore, in flagellatione, in crucifixione. »

**2.** — Porro indicium quod exploratores Hebræis Rahab dederunt, ut illud in communi urbis Hierichuntinæ exterminio videntes, domum ejus relinquerent illæsam, hoc, inquam [5], *signum funiculus coccineus fuit*; sed *omnia in figura contingebant illis*; nam ut Origenes ait: « Illa coccinea chlamys mys-« terium erat coccinei signi, quod scriptum est in « Jesu Nave, quod ad salutem suam habuit illa « Rahab. Et in Genesi dicitur, quod factum est in « uno filiorum Thamar, ad manum nascentis ut « coccum alligaretur, in signum futuræ passionis « Christi. Ergo et nunc suscipiens Dominus cocci-« neam chlamydem in se, sanguinem mundi sus-« cepit. » Porro Rahab meretrix et mulier gentilis, typus erat gentilitatis, quæ falsa numina adorabat; quam Salvator ad se convertere et salvare volens, ostendit ei vestem rubeam, coccineam, sive purpuream. « In chlamyde enim coccinea designantur « opera Gentium, » ut inquit Paschasius [1], « cruenta, « quæ charitate Christi mutantur in coccum bis « tinctum; quia in cocco charitas, qua induitur « Christus, omnino exprimitur. » Hugo Cardinalis ad hoc mysterium alludens, milites Præsidis figuram fuisse dicit dæmoniorum, qui Christum suis spoliarunt vestibus, id est, populum Judæorum adeo sibi dilectum, totque abs se beneficiis auctum, ab eo abstraxerunt, vestiendo ipsum (licet vestimenti illius non intelligerent mysterium) chlamyde purpurea, id est, Ecclesia ex Gentibus congregata. Idem quoque Hugo observat, quod vestibus quibus illum antea in flagellatione et coronatione exuerant, eum postea pro cruce in montem Calvariæ bajulanda denuo induerint, ad significandum, quod Hebraismus in fine mundi ad Deum sit convertendus.

**3.** — *Nobis sacramenta salutis operabantur*. Purpura illa, qua Christus in humeris suis accinctus erat, etiam peccata significabat generis humani, quæ sibi expianda assumpserat; hæc enim sub coccini metaphora apud Isaiam delineantur [2]: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. Quando filii Jacob Joseph fratrem suum Ismaelitis vendiderunt [3], ejusque vestem *in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt*, eamdem sic sanguine conspurcatam vestem ad Jacob patrem suum afferentes, dixerunt: *Fera pessima comedit eum; vide utrum tunica filii tui sit, an non*. Porro per hanc feram pessimam Philo Hebræus invidiam intelligit, quæ Judæos, Christi secundum carnem fratres, instigavit, ut illum pro triginta denariis emptum, in Gentilium et Romanorum manus consignarent; sanguis autem hœdi, in quem vestis illa intincta fuit, nostra denotabat peccata, quorum ingens pondus Salvator noster sibi assumpsit, ut pro illis *ex toto rigore justitiæ* satisfaceret. Unde videtur, quod æternus Pater merito interrogari potuerit: *Vide, utrum tunica filii tui sit?* Siquidem etiam Angeli præ stupore attoniti, interrogarunt, dicentes [4]: *Quare rubrum est indumentum tuum?* Porro Toletus aliam assignat congruentiam, dicens [5]: « Chlamys illa sanguinis habens colorem, « peccata hominum, nomine sanguinis in Scriptura « significata, repræsentabat, quæ super suos hu-« meros et super carnem suam punienda transtu-« lit. » In Libro Numerorum Deus Moysi inter alia præcepit, quod si quando altare ab uno loco ad alterum transferendum esset [6], *altare involverent purpureo vestimento*. Porro Christus simul sacrificium erat et altare, super quo in monte Calvariæ, in expiationem peccatorum nostrorum, æterno Pa-

[1] Luc. Brug., *in Matt.* — [2] Tol., annot. 2 *in Joan.*— [3] S. Bern., *de Pass.* — [4] S. Pasch., *ib.* — [5] Jos., II, 18.

[1] S. Pasch., *ib.* — [2] Isa., I, 18. — [3] Gen., XXXVII, 25. — [4] Isa., LIII, 2. — [5] Tol., *ib.* — [6] Num., IV, 13.

tri in perfectissimum holocaustum offerendus erat; hocque altare translatum fuit ab uno loco ad alterum, scilicet ab Anna ad Caipham, a Caipha ad Pilatum, a Pilato ad Herodem, ab Herode iterum ad Pilatum, atque insuper ad Calvariæ montem transferendum erat; quid igitur mirum, si purpura fuerit contextum? *Altare involvent purpureo vestimento.*

**4.** — *Nobis sacramentum salutis operabantur.* Simon de Cassia aliud quoddam hujus chlamydis detegit mysterium, a multis quoque aliis insinuatum; ait enim [1]: « Altiori intellectu illa chlamys « coccinea et purpurea, qua circumdatus in deri- « sum a ministris pœnarum fuit, martyrum passio- « nes præsagio præmonstrabat, quibus velut con- « texta chlamyde, quæ tantum fertur regibus apta, « circumdandus erat, vertendo tamen in gloriam, « quoniam purpurea erat. » Lacedæmonibus hæc erat consuetudo, quod scilicet milites super armis defensivis vestem quamdam rubicundam ferre debebant, ne scilicet, videntes e vulneribus emanantem in magna abundantia sanguinem, illius conspectu deterrerentur, aut animo desponderent. Atque ideo unum ex motivis, cur Salvator habitu coccineo vestiri voluerit, hoc fuisse existimo, ut fidelibus suis martyribus, imo et Ecclesiæ, quæ corpus suum mysticum erat, cujus ipse est caput, animum suggereret, ne sanguinem suum pro confessione fidei effundentes, terrore percellerentur. Unde S. Augustinus ait [2]: « Chlamyde coccinea in- « duitur, quia sanguine martyrum suorum Ecclesiæ « corpus ornatur. » Elias Cretensis commentator Nazianzeni ait [3]: « Purpureus color veros Impera- « tores admonet, ut promptis animis sanguinem « suum pro subditorum salute fundant. » Porro, quod Christum attinet, hic quidem ad sanguinem suum pro salute nostra fundendum stimulo opus non habebat; et tamen hac purpura accingi voluit, ut nos ad sanguinem pro ipsius honore et salute nostra propria prodigandum, extimularet. Sponsus in sacris Canticis ait [4]: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui, filia Principis!* Sicque per varias hujus corporis mystici partes discurrens, dum ad caput describendum pervenisset, inquit: *Caput tuum ut Carmelus et comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus*; quasi dicere vellet: Caput tuum simile est monti Carmelo, capilli vero tui colore suo purpuram referunt regalem, qualis est quæ ostrearum sanguine elaborari solet. Pro faciliori autem hujus intelligentia, sciendum est, quod olim non æstimabatur tanquam purpura, nec talis nominabatur, nisi ea dumtaxat, quæ ex tinctura sanguinis cujusdam piscis marini, qui purpura vocabatur, confecta erat. Ut autem vestis hæc melius ab hoc sanguine tingeretur, sanguis ostreæ illius fundebatur in canales ligneos, intra quos lana purissima delitescens, coccineo tingebatur colore et ex hac lana texebatur pannus, qui purpuræ nomen obtinebat. Quia vero hoc genus ostreæ non nisi in mari Cyprio generabatur, idque in raro satis numero, consequens erat, quod hæc ornamenta sanguine tali tincta admodum quoque rara essent; ac proinde vestis illa solis Magnatibus competebat. Hoc igitur supposito, ut præfatum textum Canticorum interpretemur, dicendum est, quod per caput intelligatur Christus: *Caput Ecclesiæ Christus*; per canales autem, Christi vulnera intelligi possunt; per tincturam vero purpuream, Christi sanguis; per capillos denique martyres designantur. Hæc autem vestis purpurea sanguinis præfigurabat effusionem, qui a corpore ejus mystico in progressu sæculorum, per tyrannorum adversus Ecclesiam excitatas persecutiones, fundendus erat: Ecclesiam namque Apostoli proprio suo sanguine stabiliverunt; unde ipsamet canit: « Isti sunt, qui viven- « tes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine « suo. » Nahum Propheta olim prædixit [1]: *Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis.* Primi enim Christiani, amore erga Deum succensi, velut scutum quoddam facti sunt, quod Ecclesiam et fidem ejus defendit; ad hoc vero ab hac purpura corroborati fuerunt. Septuaginta legunt: *Arma potentiæ ejus ex hominibus.* Et ubi Vulgata nostra legit: *Viri exercitus,* ipsi vertunt: *Viri fortes illudentes in igne.* Sic enim S. Laurentius, S. Vincentius et tot alii insignes heroes, ex mediis flammis tyrannos deridebant. S. Hyppolitus gradiebatur super ignitis carbonibus, ac si roseis floribus inambulasset. Pagninus legit: *Clypeus ejus rubefactus est.* Unde Salmeron ait [2]: « Designat præterea chlamys illa « sanguinem, per totum mundum a martyribus pro « eo vestiendo et ornando effundendum. »

**5.** — *Nobis sacramentum salutis operabantur.* Idem Salmeron sensum litteralem hujus purpuræ, qua Christum induerunt, exponens, inquit: « Ro- « mani ad eos, quos reges salutassent et appel- « lassent, togam purpuream mittebant, qua indue- « rentur. Hic autem in derisionem factum est, quasi « Senatus, populusque Romanus illi, ut regi, re- « gium insigne misissent; et tamen hac derisione « non obstante nobis sacramentum operabantur. » Nam ut S. Ambrosius ait [3]: « Chlamydem autem « coccineam induitur a militibus, et purpuream tu- « nicam, in altera designans martyrum palmas, in « altera regiæ potestatis insignia, quod caro ejus « fusum toto orbe terrarum sanguinem esset sus- « ceptura pro nobis et passio regnum paritura pro « nobis. » Communior tamen opinio, ut S. Athanasius ait [4], est quod unica tantum vestis fuerit, qua

[1] Sim. de Cass., l. XIII. — [2] S. Aug., s. 41 *in Appen.* — [3] Elias Gref., in or. 3 Nazianz. — [4] Cant., VI, 12.

[1] Nah., II, 3. — [2] Salm., t. X, tr. 30. — [3] S. Ambr., l. X *in Luc.* — [4] S. Athan., *de Pass. et Cruce.*

Christus fuit indutus, chlamys appellata, eaque coloris coccinei, seu purpurei. S. Isidorus Pelusiota in Epistola quadam ita scribit [1] : « Ludibrii vestis « de terreno omni imperio ac principatu tanquam « ludicro triumphavit. Verum Domino imposita, « robur ac vires contraxit, atque ad imperium a « successione immune progressa est : Conveniebat « enim eam, cum vel Christum dumtaxat conti- « gisset, atque ipsius fimbria extitisset, firmam ac « stabilem effici. » Toletus distinguens inter purpuram antiquam et hanc, quæ nostratibus in usu est, inquit [2] : « Attendendum est autem purpuram « proprie esse piscem ex genere concharum, liquo- « rem habentem in faucibus, tingendis lanis maxime « aptum, de quo Plinius, *lib.* IX, *cap.* XXXVI. Vestis « autem hoc tincta liquore, purpura dicitur, re- « gum vestimentum et ornamentum. Est etiam « granum fruticis, dictum coccus, cujus meminit « Plinius, *lib.* XXI, *cap.* VIII, quo tinguntur etiam « vestes et similem habent colorem purpuræ. » Lucas Brugensis ait [3] : « Coccus granum fruticis « cujusdam, inficiens vestes, colore rubro et supra « modum grato, quem nos vocamus scarlattum. « Hic quia proxime ad colorem purpureum accedit, « milites volentes Jesu, tanquam dire flagellato ob « regnum usurpatum, illudere, coccineam chlamy- « dem loco purpuræ ipsi circumposuerunt. Quia « affectati regni accusatus fuerat, milites, quo sunt « ingenio petulanti, Cæsaris monarchiæ studiosos « se declarantes, et Judæis quoque gratificari cu- « pientes, flagellationi addiderunt a se cogitatum « illusionis genus gravissimum, quo ita ornarunt « eum tanquam regem, ut tanquam vilem et mi- « serum deturbarint, pudefecerint et cruciarint, « exprobrata ei ambitione, quasi regnum hujus « mundi affectasset, nec assequi potuisset. » Sed merito cum S. Leone dici hic posse videtur [4] : « Quid non ad victoris (seu potius Regis nostri) « gloriam ingenium tuum reperit, quando in ho- « norem transierunt triumphi, etiam instrumenta « supplicii? » Hæc enim purpura Christo per ludibrium imposita, perpetuum regni sui denotabat stabilimentum. Unde nunquam per omnia sæcula recepit, vel recipiet purpura majorem honorem, nec unquam vivacius regium demonstrabit insigne, quam in hac occasione, in qua humeris imposita fuit illius Dei, de quo S. Joannes ait [5] : *Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Unde in die passionis suæ adimpletum fuit illud propheticum oraculum [6] : *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus; Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, postula a me et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Ad hoc dominium, ut suo loco dicetur, alludebat gloriosus ille regius titulus, tribus præcipuis linguis, quæ tunc in mundo erant, luculenter conscriptus. S. Ambrosius ait [1] : « Sanguis Christi « purpura est, qui afficit Sanctorum animas, non « solum colore resplendens, sed etiam potestate, « quia reges facit et meliores reges, quibus « regnum donet æternum. » Et tamen licet dicere potuisset : *Per me Reges regnant : Domini est terra et plenitudo ejus;* attamen Pilato dixit : *Regnum meum non est de hoc mundo,* intellige quoad exercitium, non vero quoad potestatem. Quis enim adeo potens reperietur in mundo monarcha, qui regnum suum, sicut Christus, innumeris donare possit, et tamen semper maneat idem, in potentia, divitiis et auctoritate? Quando illum in regem eligere volebant, se protinus abscondit, quia ut S. Augustinus ait [2] : « Erat Rex, qui timebat fieri rex, « nec talis rex, qui ab hominibus fieret, sed talis, « qui hominibus regnum daret. » S. Bonaventura meditatur [3], quod Judæi Christum lacera hac purpura vestierint, « tanquam regnare volentem et « non valentem; » cum tamen ipsi acturi sint gratias omnes illi, quotquot ad regnum cœlestis sunt evehendi, dicentes [4] : *Redemisti nos, Domine Deus, in sanguine tuo, ex omni tribu, lingua, populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et regnabimus.*

**6.** — *Nobis Sacramentum salutis operabantur* Considerandus quoque est amor excessivus, quem nobis in hac veste purpurea exhibuit, siquidem hic. dolor præ cunctis aliis ardentem exprimit charitatem, dicente Ruperto Abbate [5] : « Sed et quod chla- « mydem coccineam cum illuderetur, non dedig- « natus est circumdari sibi, numquid non congruit « illi, qui propter nos in passione sua fungebatur « ministerio charitatis. Coccus enim coloris ignei, « qui in tabernaculo Domini offerri et in veste sa- « cerdotali bis tinctus jubetur assumi, geminam « significat dilectionem Dei et proximi, qua fit, ut « quicquid offerimus, ignitum, et quasi bene colo- « ratum coram divinis placeat conspectibus. » Dionysius Carthusianus pariter in hoc roseo colore ardentem, Christi erga salutem nostram miratur amorem inquiens [6] : « Purpureo indumento pro « illusione indui non negavit, ut nos vestibus « gloriæ, et duplici stola vestiamur. » Rupertus Abbas aliam quamdam hujus chlamydis in hæc verba insinuat congruentiam [7] : « Regi nostro chla- « mys coccinea bene congruebat, ut ipso habitu « se illum esse ostenderet, qui in lege significaba- « tur per vitulam rufam, cujus corpus jubebatur « extra castra cremari, et cinis ejus in aqua eum « hyssopo super populum aspergi. »

**7.** — *Nobis sacramentum salutis operabantur.*

[1] S. Isid. Pel., l. I. — [2] Tolet., *ib.* — [3] Luc. Brug., *in Matt.* — [4] S. Leo, ser de S. *Laur.* — [5] Joan., XIII, 3. — [6] *Ps.* II, 8.

[1] S. Amb., *in Ps.* CXVIII, 17. — [2] S. Aug., in Catena D. Thom. — [3] S. Bonav., *in M edit.* — [4] Apoc., V, 9. — [5] Rup. Abbas, l. III *in Joan.* — [6] Dion. Cart., *in Joan.* — [7] Rup., *ib.*

Lucas Brugensis circa hanc vestem quamdam valde utilem tangit moralitatem, dicens [1]: « Veste coccinea « passus est se illudi, primum quidem, ut pro « abusu vestium nostro satifaceret, deinde ut etiam « stolam gloriæ nobis promeretur. » Josephus Hebræus de rege quodam Phœniciæ, qui Saturnus nominabatur, refert, quod cum proprium filium suum falsis diis suis in sacrificium offerre cogeretur illum purpura vestiverit, per hoc insinuare volens, victimam illam non vulgarem, sed regiam esse. Quænam vero æterno Patri dignior offerri hostia poterat filio ipsius? Voluit igitur hanc victimam non solum esse coronatam, sed insuper purpura adornari, utpote quæ simul victima est et sacerdos, ut bene observat Beatus Laurentius Justinianus, inquiens [2] : « Sacerdotalem in veste purpurea, quæ « pontificibus et regibus congruit, insinuat dignitatem. In ea toties illuditur Christus, qui secundum ordinem Melchisedech verus est Pontifex, « quoties qui præsunt in Ecclesia, honores ab hominibus quærunt, pretiosarum vestium apparatu « nitent; dominatum sibi in clero vendicant, et « transitoriis prosperitatibus delectantur. Nempe « teste Domino, *qui mollibus vestiuntur, in domibus « regum sunt.* Ubi, oro, mutato habitu, illusus est « Christus. Nonne in domo Herodis regis, et Pilati « græsidis. » Paulo post vero idem Patriarcha aliam quamdam ab hac purpura desumptam tradit moralitatem, inquiens : « In plateis itaque præsu- « lum male viventium, et in Ecclesia temporalia « lucra quærentium, ac superbiæ fastu tumentium, « mystice Christus in purpura illuditur. » Hugo Cardinalis similiter per milites Pilati, malos intelligit Prælatos, qui inimico infernali per avaritiam, et ambitionem deserviunt [3]. Per chlamydem vero coccineam, qua Christum vestiunt, intelligendos esse dicit consanguineos et cognatos, qui ab ipsis ad ministerium sacrum promoventur, *ad contumeliam et illusionem*: quia tales communiter malum habere solent exitum, contra quos adducit verba illa Michææ [4] : *Va qui ædificatis Sion in sanguinibus et Jerusalem in iniquitate.*

## DISCURSUS XI.

### ARUNDINIS CHRISTI MANIBUS INSERTÆ, QUA ET CAPUT EJUS PERCUTIEBANT, MYSTERIA ENUCLEANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Loco sceptri datur in manu Christi arundo in derisionem. — 2. De hac arundine nulla in sacris litteris reperiuntur vaticinia. — 3. Ludibrio arundinis additus fuit dolor acerbissimus in percussione capitis. Acceptatio arundinis a Christo fuit actus admirandæ virtutis et obedientiæ. Quinam percutiant caput Christi arundine. — 4. Arundo est symbolum peccatorum et hypocritarum. — 5. Arundo contraria est serpentibus. — 6. Arundo illa fuit vera figura Synagogæ. — 7. Judæi ob ludibrium et percussionem arundinis, in summas inciderunt calamitates.

*Posuerunt arundinem in dextera ejus.* Matth., XXVII, 29.

**1.** — Insatiabilis Judæorum malignitas, non solum in suppliciis ad Christum cruciandum adinventis, verum etiam in derisionibus et ludibriis, manifeste se prodidit siquidem non illis sufficiebat, quod oculos ei obvelassent, fædis sputis conspurcassent vultum, pungentibus spinis tempora coronassent, ac lacera purpura ejus contexissent humeros, sed insuper loco ridiculi sceptri, arundinem quamdam manui ejus dexteræ inseruerunt: *Posuerunt arundinem in dextera ejus.* Porro qualis hæc arundo fuerit, Lucas Brugensis ex Levino Lemmio in hæc verba declarat [1] : « Libro *de Herbis biblicis* « cap. 27 de hac arundine in hunc scribit modum : « Arundinis plures sunt differentiæ. Una species est « lævore perpolita enodis, nullisque distincta genitaculis, aut internodiis, quæ typha palustris vocatur, « qualis Christo pro sceptro regali in manum tradita, in affectati regni ludibrium. Est huic stirpi, « sceptri regalis, aut Imperatorii forma, cujus cacumen duarum fere palmarum altitudine, ac crassitudine pollicari, densa, compactaque lanugine « stipatur, quam si manu aut digitis demulceas, holosericum, aut villosam quamdam congeriem con- « trectare te credas, quæ tamen post aliquot dies « dissolvitur in pappas, atque in diffusam lanugi- « nem evanescit. » Salmeron pariter sensui litterali adhærescens, quo fine hoc sceptrum Christi dexteræ imposuerint, his verbis declarat [2] : « Injuria Christo « illata fuit, ponere arundinem in manu ejus dex- « tera pro sceptro, ad significandum, quod ut « arundo caret medulla, et nucleo, ita Christus et in- « tellectu, et regnum ejus carere firmitate et solidi- « tate, et mere esse illusorium. » Merito igitur de Judaismo dici potest, *Notas facite adinventiones ejus.* Siquidem tale quoddam ludibrii genus adinvenit, quale fuit illud coronæ spineæ ludibrium, hactenus inauditum, et ne imaginatione quidem apprehensum.

**2.** — De aliis quidem injuriis et cruciatibus aliqua vel in antiquo, vel in novo testamento reperiuntur vaticinia, at vero de hac arundine nulla uspiam fit mentio. De captivitate prophetavit Jeremias dicens [3] : *Captus est in peccatis nostris.* De colaphis [4] : *Dabit percutienti se maxillam.* De flagellis [5] : *Fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.* De coronatione [6] : *Egredimini et videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.* De clavis, manus, et pedes ejus perfo-

[1] LUC. BRUG., *in Matt.* — [2] B. LAUR. JUST., *de Trium. Christi agoniz.* — [3] HUGO CARD., *in Marc.* — [4] MICH., III, 10.

[1] LEV. LEM., *de Herbis biblicis* a Luc. Brug. citat. — [2] SALMER., t. X. tr. 30. — [3] THREN., IV, 40. — [4] ID., III, 30. — [5] *Ps.* LXXII, 14. — [6] CANT., III, 11.

rantibus : *Foderunt manus meas et pedes meos.* De ignominia societatis latronum [1] : *Cum sceleratis reputatus est.* De potu aceti et fellis [2]: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* De vulnere lateris, per lanceam aperti [3] : *Videbunt in quem transfixerunt.* At vero ubinam reperiemus propheticum aliquod oraculum, quod vel a longinquo remotam hujus contumeliæ faciat mentionem Est enim ludibrium quoddam, quod omnem humanam, etiam pessimam imaginationem, longe superat, estque inventio quædam inaudita, ab invidi serpentis sagacitate contra gloriam Christi excogitata, ut deinceps, tanquam homo cerebri expers et fatuus, nullam apud auditores fidem haberet, quod quia Herodes per vestem albam Christo quasi stulto impositam obtinere non potuit, hanc excogitarunt arundinem. Illis temporibus, ut Lanspergius observat, caput stultorum arundine percutere solebant, ut per hoc insinuarent, quod sicut arundo interius inanis est, et vacua, ita quoque ipsi caput habeant omnis judicii, et cerebri expers. In Apocalypsi, S. Joannes apostolus Angelum quemdam vidit, qui cum arundine quidem, sed pure aurea et solida cœlestem metiebatur Hierosolymam [4] : *Mensus est civitatem de arundine aurea.* Quod si igitur spiritus angelici ad metiendos muros civitatis Dei (in qua thronum suum habet [5] : *Dominus in cœlo sedes ejus*) sunt adhibiti, iidemque ob summam reverentiam, ad mensurandum cœlum arundine quidem, usi sunt, sed aurea, id est, ex pretiosissimo et nobilissimo metallo facta, qua fronte hodie vilissimi lictores et carnifices huic eidem regi gloriæ, ponendo per ludibrium in manu ejus vacuam et vilem arundinem loco sceptri et cum eadem pœnosissimum diadema spineum percutiendo, insultare præsumunt? « Dehonestantes arundine dexteram, » inquit Ludolphus Carthusianus [6], « quæ cœlum regit « et terram, et per hoc signantes regnum, quod « sibi usurpavit, dicendo se regem , ad modum « arundinis esse vacuum et infirmum, ac ipsum « regno vacuum, non attendentes, quod ipse dixerat, « regnum suum non esse de hoc mundo. »

**3.** — Huic autem arundinis, loco sceptri dexteræ impositæ, ludibrio, tormentum quoddam et dolor acerbissimus adjunctus fuit, siquidem ut S. Marcus ait [7] : *Percutiebant caput ejus arundine.* Qua de re Dionysius Carthusianus ita meditatur [8]: « Percusse- « runt caput ejus cum arundine, ut imprimerent « illas spinas punctivos sacratissimo capiti ejus, quo « facto cœpit sanctissimus sanguis ejus ex diversis « divini capitis vulneribus, quasi ex vivis et puris- « simis fontibus copiosissime emanare, et per be- « nedictum vultum ejus descendere, ita ut tota « facies ejus gratiosissima sanguine perfunderetur. « Compassionem et intentissimam considerationem « hæc exigunt, et expositione non indigent, quis « enim hæc diligenter perpendens, poterit dulcis- « simo agno, innocenti Filio Dei non compati et « ejus amore non affici, et ad sustinenda adversa « non animari. » Porro a principio arundinem hanc per ludibrium manibus imposuerunt, postea vero, eadem e manibus erepta, coronam spineam profundius et validius capiti infixerunt, ut dolores acerbissimi renovarentur. Actus quidem heroicæ virtutis erat, quod Christus se per ludibrium acutissimis spinis coronari permitteret , at vero quod arundinem, velut ludicrum sceptrum, in manus suas libenter acceptarit, et cum eadem in capite percuri voluerit, actus quidam virtutis fuit longe admirabilior : cum enim quis verbi alicujus contumeliosi injuriam naturaliter summo cum sensu displicentiæ percipiat, majori utique cum repugnantia arundinem capiti suo frangendo incussam admittet. Vide igitur ad quantam mansuetudinem patientissimus Salvatoris nostri animus pertigerit. Poterat enim ipse respuere arundinem, eamque acceptare nolle, et tamen libenter eamdem in manus assumpsit, et ad eum modum tenuit, prouti derisores volebant; imo et eamdem libenter restituit reposcentibus, tametsi pœnosissimæ coronæ spineæ vulnera per arundinem illam renovanda, et exacerbanda esse sciret. Ecce tibi invictam patientiam, cum profundissima obedientia simul conjunctam [1]; *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem*, Simon de Cassia ait [2]: « Qui vulgarem favo- « rem captare contendunt, aut aliquos a Dei veri- « tate flectunt, aut deveniunt a justitia, arundine « caput Christi percutiunt. » Beda, super Marcum scribens, ait [3]: « Hæc tunc fecere milites Pilati. Hæc « usque hodie faciunt hæretici, et pagani, milites « utique diaboli. Quia enim caput Christi Deus, « caput ejus percutiunt, qui eum Deum esse verum « denegant. Et quia per arundinem scriptura solet « confici, quasi arundine caput Christi feriunt, qui « divinitati ipsius contradicentes, errorem suum « confirmare auctoritate Scripturæ conantur. » Idipsum quoque legitur apud S. Anselmum in Commentariis super Matthæum.

**4.** — *Percutiebant caput ejus arundine.* Percussio hæc parti totius corporis nobilissimæ, magisque delicatæ, et sensitivæ, id est capiti, impacta fuit, quæ percussio prædicta fuit ab Isaia dicente [4] : *Putavimus eum percussum a Deo : Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Porro arundo illa symbolum erat peccatorum ; hi enim arundini assimilantur : unde Incarnata Sapientia eminentem Præcursoris sui sanctitatem insinuare volens, ait [5] : *Quid existis in desertum videre arundinem vento agitatam.* Tales arundines

[1] Isa., liii, 12. — [2] *Ps.* lxviii, 22. — [3] Joann., xix, 37. — [4] Apoc., xxi, 15. — [5] *Ps.* x, 5. — [6] Lud. Carth., p. 1. — [7] Marc., xv, 19. — [8] Dion. Cart., *in Matt.*

[1] Phil., ii, 8. — [2] Sim. de Cassia, l. xiii. — [3] Beda, *in Marc.* — [4] Isa., liii, 4. — [5] Matt., xi, 17.

sunt instabiles peccatores, hi enim se ab omni modico tentationis vento agitari permittunt, suntque extrinsecus speciosi, intus vero ob omni gratia pace et quiete vacui, quia *non est pax impiis. Nomen habent, quod vivant, et mortui sunt,* « Arundinem « mox ut aura contingit, » inquit S. Gregorius [1], « in partem flectit, per quam carnalis animus de « signatur. » Hugo Cardinalis per arundines interpretatur hypocritas [2]: « Arundo » inquit « significat « hypocritam, qui extra nitet, intus est vacuus » S. Hilarius inquit [3] : « In arundine homo talis os- « tenditur, de gloria sæculi, vitæ suæ inanitate « speciosus fructu veritatis cavus, exterior placens, « et nullus interior, ad omnem ventorum motum, « id est, immundorum spirituum flatum movendus.» Paulus de Palatio omnes mortales ab Adamo descendentes, arundinibus similes esse dicit [4]: « Omnes « mortales, » inquit « qui ex Adam nascimur, arun- « dines sumus, et ut Dei verbis utar, sumus cala- « mus quassatus. » His igitur omnibus expositionibus suppositis, quis est qui non videat, arundinem hanc in manibus Redemptoris positam, universum præfigurasse genus humanum, quod potenti ipsius manu valde indigebat, ut a faucibus mortis, peccati, et inferni redimeretur? Enimvero Christus ab hac arundine tres præcipue recepit contumelias, quarum prima fuit, quod illam per ludibrium in manu tanquam sceptrum scenicum portarit. Secunda, quod caput illius cum eadem percussum fuerit. Tertia denique, quod cum eadem arundine Christo in Crucis patibulo pendenti fel, et acetum propinatum fuerit. Hæc autem improperia et cruciatus, Christus nobis totidem beneficiis recompensavit varia redimendo, et expiando peccata a nobis commissa. Et quidem felle, quod per arundinem Christi ori admotum fuit, expiavit peccata linguæ et gulæ. Per capitis percussionem, arundine factam, peccata malarum cogitationum. Arundinem vero manu sua portando illa expiavit peccata, quæ operibus committuntur. S. Laurentius Justinianus hoc considerans mysterium, ait [5] : « Cohærent frequenter simul bonorum « temporalium affluentia, et principandi amor. Hoc « indicavit Mediator, qui illudi voluit, sicut in co- « rona spinea, ita et in arundineo sceptro. Merito « terrena dignitas arundini comparatur, quæ ex- « terius viret, et tamen infructuosa, intusque inanis « est et vacua. Quis in aspectu primo potentum « sæculi non appeteret fastum. Quicquid in ipso est, « arridere atque virescere creditur. Accede autem « propius, diligenter considera, quantis intus agi- « tetur curis, quale etiam foris proferat germen, « utique inutile, et cito periturum. Infæcundi pror- « sus sunt, qui dominantur, et vacui tanquam « arundines, infœcundi aliis, sibi ipsis autem vacui. « O quantum in ipsis, et per ipsos æterna illuditur « sapientia. » Porro tametsi verum sit Redemptorem nostrum omnia expiasse peccata, et pro omnibus satisfecisse, nihilominus tamen huic adhærens supradictæ moralitati, verisimile est, quod per arundinem satisfacere voluerit pro peccatis magnatum et potentatum hujus sæculi.

**5.** — *Posuerunt arundinem in dextera ejus.* Est et aliud in hac arundine considerabile mysterium, ob aliam quamdam proprietatem, qua hæc planta prædita esse noscitur; scilicet quod contraria sit serpentibus. Unde S. Athanasius colligit, quod inimicus infernalis Christum per hoc ludibrium deludendo, ipsemet delusus permanserit. Ait enim [1] : « Atque hinc rursus est, quod arundinem accepit, « cum illi a diabolo porrigeretur, ignaro quod con- « tra seipsum gladium acueret : dicitur enim « arundo serpentibus lethalis esse, atque inde po- « tissimum interfici. » Idipsum ab hoc S. Doctore Cardinalis Toletus didicit, siquidem commentando super Evangelium S. Joannis ait [2] : « Arundo in « manu dextera serpentem occidendum, nempe « imperium Dæmonis destruendum, indicabat. Ut « enim Athanasius et Hieronymus in *Matt.* c. 27, et « experentia docent, arundinis ictu serpentes ve- « nenati occiduntur. In significationem igitur tanti « mysterii divina providentia hæc ordinavit. » S. Athanasius idipsum alio in loco his verbis repetit [3] : « Caput ejus arundine percutitur, ut serpentis « caput conterat. » Salmeron inquit [4] : « In arundine « crucem Christi adumbrari puto, quæ per se res « quidem videtur infirma, et impotens, sed tamen « per eam, ut per sceptrum fortissimum, omnes « suos et nostros confregit inimicos, juxta illud : « *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli* « *confringes eos.* » Sceptrum igitur, et tyrannis principis tenebrarum debilitatum fuit, quando hic verus Rex gloriæ arundinem hanc apprehendit, quasi dicens [5] : *Nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras, et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum,* Unde potentatus mundi hujus qui novæ legi Evangelicæ omnibus viribus suis se opposuerant, tandem reverenter se prostrarunt ad adorandum Crucifixum, prout Constantinus Magnus et tot alii mundi hujus monarchæ fecerunt.

**6.** — *Posuerunt arundinem in dextera ejus.* Porro tam Hebræi quam milites Romani, hoc inani sceptro eum deridere intendebant, eo quod se regem esse declarasset. At vero ut Origenes ait [6] : « Cala- « mus ille mysterium fuisse sceptri vani, et fragi- « lis, super quem incumbebamus omnes prius, quam « crederemus sceptrum maligni. » Erat quoque hæc arundo vera synagogæ figura, quæ posita in manus Christi tanquam sceptrum scenicum, trans-

[1] S. Greg., *in Catena.* — [2] Hug. Card., *in Matt.* — [3] S. Hilar.. c. 11 *in Matt.*— [4] Paul. de Pal., *ib.*— [5] S. Laur. Just., *de Triumph. Christi agon.*

[1] S. Athan., *de Pass. et Cruce.* — [2] Tol., ann. 3 in cap. 19 *Joan.* — [3] S. Athan., q. ult. ad *Ant.* — [4] Salm., t. X, tr. 10.— [5] Joan., xii, 3.— [6] Orig., tr. 35 *in Matt.*

mutata est in sceptrum verum ; siquidem prosternendo et dissipando hebraismi regnum, sublime Ecclesie regnum stabilivit, et erexit, de quo Psalmista prædixit[1] : *Dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent : adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.* Unde Albertus Magnus ait[2] : « Hæc autem arundo regnum est Judæorum, in « quo Rex fuit Dominus : jam vacuum ac fragile, « et transferendum ad alios significabat. » Quid enim Synagoga sine Christo aliud erat, præterquam arundo quædam omnis boni expers et vacua ? Jam enim eo redigenda erat, ut templum, sacrificia, sacerdotium, et legem pariter amitteret[3] : *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.* Porro figuræ, et prophetiæ veteris Testamenti ad venturum ordinabantur Messiam, erantque umbræ illorum, quæ in novo eventura erant, Altare illud, super quo arietum, agnorum similiumque animalium offerebantur sacrificia, non sine causa vacuum erat: *Ipsum altare non erat solidum, sed intus vacuum.* Hæc autem arundo, in dexteram hujus regis nostri posita, facta est solida, medulla plena : id est Synagoga transmutata est in Ecclesiam, loco Prophetarum jam habet Apostolos, loco sacrificiorum Sacramenta, loco figurarum veritatem, ac denique invicem litteræ spiritum obtinet. Et sicut virga Moysis omnes devoravit virgas magorum Pharaonis, ita hoc Christi sceptrum, omnia alia sceptra destruxit, siquidem, ut diximus, verificatum est illud oraculum[4] : *Adorabunt eum omnes Reges terræ. Regnum tuum regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione, et generationem* [5].

**7.** — *Posuerunt arundinem in dextera ejus.* Simon de Cassia supplicium a Deo populo Hebræo, ob hujus sceptri ludibrium, hujusque arundinis super spineam coronam percussionem, immissum, in hæc verba considerat[6] : « Cum arundine percussum est « Christi caput, et cum arundine offertur sibi potus « amarus, ut in omnibus ostendatur Judæorum et « torquentium Christum bonorum omnium tota « vacuitas, et eorum ariditas a virtute, nec non ex « ultione cito futura. Nam ab ariditate nomem « sumpsit arundo, ut instrumentum hoc passionis « mala significatione atque præsagio male agenti- « bus omnino conveniat. Calamus calamitatem insi- « nuat, qua nulla major, quam non impleri de « Christo, aut de ipso per delictum vacuum fieri. « Vacua enim in interioribus est arundo, et præcisa « cito arescit. » Ubi observanda sunt verba illa : « Calamus calamitatem insinuat. » Quis enim unquam audivit calamitatem inexplicabiliorem, magisque compassivam calamitatibus illis, quæ in pœnam crucifixionis Christi, civitati sanctæ Jerosolymæ imo toti populo Hebræorum fuerunt immissæ ? Ludovicus Cardinalis sequentem adducit moralitatem, otiosis a lethargo desidiæ suæ excitandis perutilem ; ita enim scribit[1] : « Cum arundine « Christum in capite percutiunt, qui per vacuam, « id est, otiosam vitam Christum offendunt, qui est « caput nostrum, a quo in omnes sensus nostros « vitales operationes defluunt, qui et operum nos- « trorum exempla nobis præbuit. Christus dolet, « et pungitur usque ad sanguinem de otio nostro, « quia videt, quod exempla sua non fructificant in « nobis. » Beda in Marcum scribens sequentem insinuat considerationem[2] : « Et quidem milites eum, « quasi qui Deum seipsum falso dixisset, illudentes « adorabant ; sed sunt hodie (quod est graviori « vesaniæ) qui eum certa fide, ut Deum, adorant, « sed perversis actibus, mox verba ejus, quasi fa- « bulosa, despiciunt, ac promissa regni illius tem- « poralibus illecebris longe postponunt. »

[1] *Ps.* LXXI, 3. — [2] ALB. MAG., *in Marc.* — [3] THREN., I, 8 — [4] *Ps.* LXXI, 11. — [5] *Ps.* CXLIV, 13. — [6] SIMON DE CASS.

## DISCURSUS XII.

### LUDIBRIORUM, QUIBUS MILITES CHRISTO INSULTARUNT, PONDUS ET GRAVITAS CONSIDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus plusquam omnia alia tormenta sensit ludibria, quibus illusus fuit. Ludibria illa tendebant in summam famæ et existimationis Christi vilipensionem. — 2. Christus invitat cœlum et terram ut videant quam indignis modis illudatur a Judæis. — 3. David mansuetissimus æquo animo non tulit irrisiones. — 4. Deridentes Christum plurimi fuerunt. Novem modis Christus fuit derisus. Aliæ descriptiones hujus derisionis. — 5. Sampson, quoad hanc derisionem ejusque pœnam, fuit figura Christi. — 6. Quibus pœnis ultus fuerit Deus illas derisiones. — 7. Documenta ex hac derisione.

*Illudebant ei.* Matth., XXVII, 9.

**1.** — Tametsi humanitas Filii Dei, et Filii Mariæ, delicatissima constans complexione, supra modum acerrimos sustinuisset ex omni corporis parte dolores, prout facile unusquisque conjicere potest ; attamen de solis lamentatur ludibriis, dicens[3] : *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me.* Etenim flagella quidem contusionibus suis ad ossa usque pertingebant, at vero contumeliæ, derisiones et ludibria, quæ honorem et reputationem ejus vulnerabant, ipsam ejus animam transfigebant. Refert Plutarchus de Alcibiade, ipsum deos suos in testes advocasse, quod nunquam adeo vivaciter senserit, se in Lycaoniam proscriptum fuisse in exilium, cunctisque facultatibus suis fuisse privatum, nec non multis vulneribus confossum, quam dictum quoddam ludibriosum et subsannatorium, quod a Ctesiphonte,

[1] LUD. CART., *ib.* — [2] BEDA, *in Marc.* — [3] *Ps.* XLIII, 6.

viro quodam plebeio, in ipsum pronunciatum fuerat. Rex Saul in bello se a Philisthæis victum et vulratum esse cernens, timensque, ne vivus etiamnum in illorum devineret manus, armigerum sum rogavit, dicens[1] *Evagina gladium tuum, et percute me, ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me illudentes mihi.* Quasi diceret, ut Abulensis observat[2] : « Non tam ipsam mortem quam irrisionem, « sentirem. » Etenim inimicorum manibus in bello occidi, nullam in se habebat ignominiam ; at vero ab illis illudi, et derideri, rex ille magis exhorrescebat, quam ipsam mortem, licet hæc *omnium terribilium terribilissima sit,* Nec solum hic reprobus rex qui lumen pariter et timorem Dei amiserat, mortem ludibriis meliorem et mitiorem esse censuit : verum etiam S. propheta Job, de quo æterna Veritas in conspectu cœli et terræ testimonium perhibuit, quod nullus in perfectione et sanctitate ei similis esset, quique a Deo omnibus futuris sæculis, velut veræ et solidæ patientiæ speculum et prototypon, propositus erat, derisiones et sannas vivacissime in corde suo persensit, licet alias intrepidus et constans, filiorum omnium, et facultatum suarum jacturam, necnon crudelem ulcerum suorum carnificinam excepisset. Cum enim se verbis ludibrii a quibusdam audisset impetitum, quibus ne quidem gregum suorum canes conficere voluisset ; nec non a propria uxore, et aliis se derideri percepisset, continere se non potuit, quin in hæc verba prorumperet[3] : *Si flagellat, occidat semel et non de pœnis innocentum rideat.* Idem quoque in principio capitis XXX idem lamentum repetit, dicens[4] : *Nunc autem derident mejuniores tempore.* Et quidem Hugo motivum quoddam insinuat, cur magis ex derisione, quam ex bonorum omnium juctura cruciatus fuerit ; ait enim[5] : « Reminiscitur Job quanta « afflictis exhibuerit beneficia pietatis, qui nunc a « stultis et penitus indignis derideretur. » Quod si ita est, profecto multo magis dici poterat auctus dolor Christi, ex eo quia se ab illis derideri videbat, quos majoribus et pluribus beneficiis affecerat ; siquidem *pertransiit benefaciendo et sanando omnes.* S. Bernardus derisiones, quibus Christus subsannatus fuit considerans, exclamat, dicens[7] : « Quis « unquam regnans in cœlo, aut peregrinans in « terra deorsum audiens aut mente pertractans, « quomodo factus est opprobrium hominum ipse « Dominus Angelorum poterit lachrymas continere « etiam in cœlo, ubi impossibile est flere ? » S. Laurentius derisiones illas, licet non Christi corpus, sed famam, et existimationem dilacerarint, crudeles tamen appellare non dubitat, inquiens[8] : « O « inaudita a sæculis crudelitas ! O horrendum « spectaculum Regem aspicere gloriæ, cui cœlorum famulantur obsequia, tantis lacessiri injuriis, « opprobriis gravari atque incomparabilibus dilaniari pœnis ? Mirabantur plane cœli, mirabantur « Angeli, omniumque cœlestium spirituum legiones, « videntes Verbum, per quod facta sunt omnia, « contemni a perfidis ; sapientiam hominum sordidissima super se sputa suscipere ; undique Dei « Filium attritum, despectum, agitatum, illusum. » Lucas Brugensis in Matthæum scribens auctoritatem citat Victoris Antiocheni, dicentis[9] : « Quæ Christo « in summam contumeliam illata sunt, ea ad summum contumeliarum omnium fastigium pervenerunt. » Atque ideo, quando Spiritus sanctus hanc excessivam nimis derisionem et vilipendium vult exprimere, hac phrasi utitur[2] : *Saturabitur opprobriis.* Tertullianus quoque simili phrasi loquendi utitur, dum de hisce contumeliis ita scribit[3] : « Taceo quod figitur, in hoc enim venerat ; nunquid tamen subeundæ morti contumeliis etiam « opus erat ? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. » Salmeron de hac Christi derisione ita scribit[4] : « Cum in aulis, et oculis « principum deludantur deformes, aut turpia operantes, aut ignorantes, aut superbi magna de se « jactantes : hic tamen Christus, forma honestissimus, conversatione sanctus, doctrina verus, « verbis prudens, operibusque irreprehensus, palam traducitur, et irredetur. » Victor Antiochius verba illa S. Marci : *Et postquam illuserunt ei,* ita exponit[5] : « Ubi milites ad satietatem usque Christum Redemptorem nostrum ludibrio habuerunt, « abduxerunt eum ut crucifigeretur. » Et enim licet Christus, ut superius diximus, ingenti fame ludibria, et contumelias esurierit ; ac proinde Propheta dicat : *Saturabitur opprobriis* : non tamen minor erat Hebræorum fames, ad illum omni contumeliarum, et ludibriorum genere dehonestandum ; ac proinde Victor Antiochenus dicit : « ad « satietatem usque ludibrio habuerunt. » S. Ambrosius ad illa Jeremiæ prædicta verba : *Saturabitur opprobriis,* se reflectens, ait[6] : « Non dicit : Subibit « opprobrium, facile est enim unam aut alteram « contumeliam sustinere : addidit : *satiabitur opprobriis.* »

**2.** — Propheta Evangelicus in principio prophetiæ suæ omnes novæ legis gratiæ eventus, et specialiter, quæ in passione Filii Dei eventura erant, prædixit. Audite igitur illum, in hæc verba loquentem : *Audite Cœli, et auribus percipe terra* : sed cur tam amplam, et universalem audientiam, in qua omnibus creaturis visibilibus, et invisibilibus cœli, et terræ audiretur, sibi dari postulabat ? Mox subdit : *Quoniam Dominus locutus est,* quasi diceret :

[1] I Reg., XXXI, 4. — [2] Abul., *ib.* — [3] Job, IX, 43. — [4] Id., XXX. 1. — [5] Hug. Card. — [6] Act., X, 38. — [7] S. Bern., tr. *de lament. S. M.* — [8] S. Laur., *ib.*

[1] Vict. Ant., a Luc. Brug. *in Matt.* cit. — [2] Thren., IV, 49. — [3] Tert., *de Patient.* — [4] Salm., t. V, tr. 30. — [5] Vict. Ant., *in Marc.*, XV, 28. — [6] S. Ambros., *in Ps.* CXVIII.

Is qui peroraturus est, Sapientia est Increata, et Verbum Patris Æternum. Quonam vergerit hujus prædicationis subjectum sive materia ? Nimirum quoddam edet lamentum de populo Israelis electo [1] (*Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomem ejus : Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis*) ac proinde dicit : *Filios enutrivi, et exaltavi.* Sed de quo contra eos lamentabitur ? Num forte quod collum ejus, nec non manus et brachia vinculis et catenis ferreis oneraverint, et strinxerint ? vel quod crudelibus flagellorum verberibus dorsum et humeros illius dilaniarint ; vel quod caput ejus pungentibus spinis acutisque clavis manus et pedes ipsius perforarint ? De nullo horum tormentorum conquestus fuisse reperietur, sed cœlum et terram pariter invitat, ut sannas, ludibria et derisiones, quibus illum impudentissime affecerunt, demirentur et obstupescant : *Ipsi autem spreverunt me.* Hæ enim derisiones et contumeliæ cor ejus vivacissime transfixerunt. Ne tamen idipsum impune fecisse videantur, subdit supplicia, quibus Deus harum derisionum index, illos suo tempore erat castigaturus : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis : blasphemaverunt sanctum Israel.*

**3.** — Propheta quidem regius suam valde ipsemet deprædicat mansuetudinem, et æquanimitatem, dum ait [2] : *Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus,* ejusdemque manifesta et præclara in implacabile illa Saulis contra ipsum innocentem excitata persecutione edidit specimina, quando Saulis vitam in spelunca Odolla in sua habens potestate, ei nihilominus, qui ipsum ad mortem inferendam persequebatur, pepercit : et tamen idem hic David non obstante hac mansuetudine, hanc a Deo poposcit gratiam, ne videlicet inimicorum suorum ipsum subjiceret ludibriis, et sannis [3] : *Neque irrideant me inimici mei.* Nullum etenim est tormentum, quod animum hominis vivacius penetret quam ludibria et derisiones ; hæ enim summam ingenuo animo inurunt contumeliam [4] : *Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero.* Enimvero quando regio huic Prophetæ nuntius allatus est de Saulis et Jonathæ filii ejus morte, quidnam primo omnium ab eo imperatum fuisse existimatis ? Num forte suos expedivit ministros, qui regni illius, ad quod a Samuele jussu Dei consecratus fuerat, caperent possessionem ? Nequaquam imo ne quidem vel semel hac de re cogitavit ; sed præcepit, dicens [5] : *Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis compitis Ascalonis, ne forte lætentur filiæ Philistiim, ne exultent filiæ incircumcisorum* : nimirum suam erga defunctos exhibere voluit pietatem, cavendo et prospiciendo, ne post mortem deriderentur ab hostibus.

[1] *Ps.* LXX, 2, et *Ps.* CXLVII, 10. — [2] *Ps.* XXXI, 1. — [3] *Ps.* XXIV, 5. — [4] *Ps.* XII, 5. — [5] II REG., I, 20.

**4.** — Observandus quoque est ingens derisorum Christi numerus : nam ut Theophylactus notat, convocant universam cohortem, hoc est, totum exercitum ; et induunt eum purpura, ut Regi illudentes, et coronam pro diademate, et calamum pro sceptro assumunt, hoc loco diabolorum socii. Cum enim festum Paschæ, quod præ cunctis aliis solennissimum erat, adesset [1] (*erat enim magnus dies ille Sabbati,* ideoque Jerosolymæ ingens omnium nationum concursus fieret, unusquisque torrentem militum, pessimumque pharisæorum, seniorum principum Synagogæ, sacerdotum et pontificum exemplum sequens, eum certatim deridebat, adeo ut ne quidem ipsimet peregrini viatores, quibus negotiorum causa montem Calvariæ transire necessum erat, ipsi pepercerint, quia sacer Textus ait [2] : *Prætereuntes blasphemabant.* At vero ut Salmeron ait [3] : « Illusiones et « derisiones apud ingenuos gravissimæ contumeliæ « censentur, et omnibus corporis doloribus minus « tolerabiles : a plebeiis vero et infimis hominibus « qui honoris rationem aut nullam, aut exiguam « habent, dolores graviores illusionibus habentur. « Ad Christum tamen illudendum, et pœnis flagel- « landum per suos ministros, diabolus excogitavit « illusiones acerbitatis, et afflictionis refertas : rur- « sum tormenta opprobrio et ignominia plena, ut « sunt nudi, et liberi hominis flagellatio, spinea « corona, arundo, qua percussum fuit caput. » Mox vero multas enumerat derisiones, easque ad novem præcipuas reducit : « Prima fuit convocatio « universæ cohortis, quo quisque vel oculos pascat, « vel se quoque actorem ingerat. Secunda fuit de- « nudatio, etiam tunicæ inconsutilis, et stola, et « induitio chlamydis coccineæ. Tertia, impositio « coronæ spinæ. Quarta, arundo iu manu posita. « Quinta, genuflexo in contemptum dicere : *Ave « Rex Judæorum.* Sexta, dare, alapas. Septima, « exspuere in eum. Octava, sumpta arundine, caput « ejus corona ornatum percutere. Nona, ostensio « ejus per Pilatum ad Judæos, cum dixit : *Ecce « Homo.* » Hactenus Salmeron, Omnes autem hæ derisiones, et sannæ, velut totidem sagittæ, animam Christi penetrabant, et vulnerabant, utpote quæ a sagacissimo serpente infernali (*serpens erat callidior*) excogitatæ fuerant ut opinatur D. Chrysostomus dicens [4] : « Quasi omnes ex composito « venissent, ita signo dato ad choræam omnes « diabolus concitabat. Nam et si possumus invidiæ « tabo existimare, ad insaniam Judæos concitatos « fuisse, tamen qua de causa moti milites fuerint, « non patet. Diabolus igitur erat, qui universos tunc « illos occupavit ; voluptatem etenim ex contu- « meliis propter immanitatem suam capiebant. » Consideratione quoque dignum est, quod Salmeron in hæc verba observat [5] : « Cum proprie illusio atque

[1] JOAN., XIX, 31. — [2] MATT., XXVII, 39. — [3] SALM. — [4] CHR., h. 88 *in Matt.* — [5] SALM., *ib.*

« irrisio de aliquo malo, vel defectu fieri soleat, « Christus cum esset, sine omni defectu et peccato. « horrendissimum fuit ac gravissimum crimen, « innocentissimum illudere. » Arnoldus Carnotensis irrisiones, quibus Christus in monte Calvariæ subsannatus fuit, in hæc verba recenset [1] : « Pers- « trepebant ante crucem clamores irrisorii, et ad « dolorem vulnerum cruenta plebs addebat convicia, « et torvis aspectibus in faciem quam conspuerat, « intendebat et unanimi classico acclamabat : *Vah, « qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædi- « ficas.* » Theophylactus inquit [2] : « Impletur illud « Davidis : *Opprobrium insipienti dedisti me* ; milites « enim cum insipientes essent, se digna faciebant : « Chlamydem pro purpura, ut Regem induerunt, « calamum pro sceptro dederunt, coronam pro dia- « demate, adorabant illudentes, hoc significat « genuflectere : faciem sputis caput corona, manum « calamo, reliquum corpus chlamyde, aures verbis « illusoriis. » Toletus de hisce derisionibus ita scribit [3] : « Modo hic, modo ille accedebat : finge- « bant se diversis de causis, et propter varia negotia « tanquam ad regem venire, ipsumque sic deri- « dentes alloquebantur. » Rupertus Abbas observationem quamdam adducit, quæ valde est verisimilis : ait enim [4] : « Cœperunt principes furere a vino, « quia videlicet jam temulenti, utpote in illa « magna nocte Paschali Dominum comprehendentes « tota nocte vigilaverunt, seramque crapulam ruc- « tantes, et ebrietatem fœtidam anhelantes, in « illum tertra convicia vomuerunt, completa pro- « phetia, qua in ejus persona dictum est : *Adversum « me loqvebantur, qui sedebant in porta, et in me « psallebant qui bibebant vinum.* » Didacus Stella ad tempus se reflectit quod a primo examine coram Caipha facto, usque ad diluculum matutinum transactum est, quando convocatum fuit universum concilium ; hocque tempus in variis Christo irrogatis injuriis, contumeliis et derisionibus consumptum fuisse, existimat. Ita enim scribit [5] : « Judæi recesserunt, euntes ad dormiendum (scilicet seniores, magistratus et principes Synagogæ, non vero vilis plebecula) « mittentes Jesum in quemdam carcerem, « ibi subtus solarium, ligaverunt eum ad quamdam « columnam lapideam, et dimiserunt cum eo « aliquos armatos, ad tutiorem custodiam, qui « illum vexaverunt per totam illam noctem, deri- « sionibus, maledictionibusque vacantes : flagella- « bant, illudebant, percutiebant, exspuebant, mul- « taque blasphemantes, conviciabantur ei. » At vero ut Rupertus Abbas ait [6] : « Virtus et sapientia Dei cum « illuditur, cuncta serio, rationabiliter que suscepit. » Ex quibus verbis Simon de Cassia specialiter verbum *cuncta* ponderans, catalogum quemdam compendiose texit injuriarum, quibus eum calumniabantur. Ait enim [1] : « Exspoliatio, columna, flagella, spinæ, pur- « pura, sive coccinea vestis, percussio arundinea « capitis, alapatio, et spuitio in faciem, genuum « positio, pœnam accumulant. »

**5.** — Abulensis causam inquirit [2], cur Philisthæi, Sampsonem in sua potestate habentes, ejusque invictum corporis robur perspicue scientes, illum non subito interfecerint, sed eidem vivo relicto, oculos eruerint, sicque excæcatum velut asinum quemdam molendino vertendo applicarint? Et respondet, id eos fecisse, quia suæ in eum exercendæ crudelitati et vindictæ minime satisfactum esse putabant, nisi variis ei illatis cruciatibus, ludibria quoque et derisiones adjungerent; et ideo ut hasce ad satietatem usque in illum exercerent, congruam temporis moram interjicere voluerunt. Porro hic Sampson vera Redemptoris nostri figura fuit, quem Judæi in potestate sua habentes, non subito interficere, sed tempus sibi indulgere voluerunt, quo illum ad satietatem usque deridere, omnique injuriæ et vilipendii genere afficere possent. At vero quemadmodum Sampson omnes illas derisiones et ludibria super Philisthæos cadere fecit, cum æterno ipsorum planctu se de illis vindicando; siquidem dum actualiter ipsum subsannarent, eosdem sub ruinis domus, in qua simul congregati erant, mori fecit : ita quoque Christus de Hebræis in pœnam derisionum sibi irrogatarum gravem vindictam sumpsit, efficiendo, ut in risum et in opprobrium fierent omnium populorum. Nam ut Salmeron ait [3] : « Gravis est irrisio parentum, ut illa Cham « erga Noe, et illusio justorum, ut fuit illa Elisei a « pueris facta : quas duas irrisiones Deus gravissi- « mis pœnis mulctavit. » Egressi enim sunt de sylva ursi, qui pueros illos dilacerarunt. Sic quoque Titus et Vespasianus velut duo ursi in Hebræos sævierunt, super quos insuper superinductum fuit grave illud perpetuæ servitutis supplicium, quemadmodum olim Cham accidit.

**6.** — Sapiens in Proverbiis ait [4] : *Oculum, qui subsannat patrem, effodiant eum corvi.* Eadem hæc imprecatio super populum Hebræum cecidit, qui Christo velut prædilectus filius in summo pretio fuerat; quia enim illum hoc modo deriserat, æternæ veritatis Evangelicæ vero lumine privari meruit. Porro quomodo hæ derisiones et subsannationes a Deo mulctandæ erant, S. Jeremias propheta his verbis prædixit; ait enim in persona Dei [5] : *Dabo eos in vexationem afflictionemque omnibus regnis terræ, in opprobrium, et in parabolam, et in proverbium, et in maledictionem in universis locis, ad quæ ejeci eos.* S. Athanasius ait [6] : « Illudebant « infelices Domino et non animadvertebant illud

[1] ARNOLD. CARNOT., *de sep. Verbis.* — [2] THEOPH., *in Matt.* — [3] TOLET., *in Joan.* — [4] RUP. ABBAS, l. XIII *ib.* — [5] DID. STELLA, *in Luc.* — [6] RUP. AB., *ib.*

[1] SIM. DE CASS., l. XIII. — [2] ABUL., q. 39 *in Jud.* — [3] SALM., *ib.* — [4] PROV., XXX, 17. — [5] JER., XXIV, 9. — [6] S. ATHAN., *de Pass.*

« propheticum contra ipsos adimpleri : *Illusores « dominabuntur eorum.* » Lucas Brugensis de iisdem derisoribus Judæis ait [1] : « Conati sunt contumelia- « rum acervis obruere gloriam nominis Jesu; sed « contra omnino accidit, Deo providente. Irriserunt « et contempserunt illi Dominum; ipsi vero jam « omnibus facti sunt derisui et contemptui. » Non vero ita Christo Redemptori nostro accidit, de quo omnium sæculorum experientia verissimum esse docuit, quod S. Paulus ad eosdem Hebræos in hæc verba scripsit [2] : *Videmus Jesum per passionem mortis gloria et honore coronatum.* Didacus Stella Christum eo tempore, quo Judæi ipsum vel maxime subsannabant, Judæis ex industria et data opera dixisse putat : *Ex hoc erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei;* tametsi alias nequaquam jactabundus, sed humillimus fuisset; ut mundo manifestaret gloriam, qua Æternus Pater extremam illam recompensare volebat ignominiam : quasi dixisset : « Quia vos me despicitis et parvipenditis, « hinc eliciam maximum honorem, ita ut humani- « tas mea sedeat ad Dei dexteram. » D. Chrysostomus postquam hasce sannas meditatus fuisset, ad nos discursum suum vertens, ita loquitur [3] : « Sæ- « pius oro, hæc attente legamus, hæc ut decet, « audiamus, hæc in cordibus nostris conscribamus. « Hæc enim pulcherrima et gloriosissima sunt, ut « in his ego summopere glorier, nec minus me hi « sui dolores sublimem efferunt, quam mille mor- « tui quos suscitavit. »

**7.** — Voluit quoque Incarnata Sapientia, per has patienter toleratas subsannationes docere, gloriam sequacium suorum in derisionibus et ludibriis perpessis positam esse debere; unde Apostolus dicebat [4] : *Improperium ejus portantes.* Blosius ex harum derisionum et improperiorum Salvatoris consideratione in sequentes prorumpit devotos affectus [5] : « Laus tibi, honor, et gloria, qui alapis, colaphis- « que crudelissime cædi et diversis contumeliis, « atque improperiis indignissime pro me affici « dignatus es : da, quæso, ut despici, vilis haberi et « quibuslibet injuriis secundum tuam permissio- « nem exercitari nunquam recusem. » D. Chrysostomus in alia quadam homilia ait [6] : « Cum audis, « terrarum et angelorum Regem irrisum, et verbis, « et re ignominia affectum, et omnia æquo animo « tolerantem videris, eum re ipsa imitare. » Profecto juxta politicam humanam procedendo, convenientius alicui videri posset factum fuisse, si Evangelistæ passionis Christi periodos enarrantes, tot derisiones et impropreria, quibus Deum illum, quem *adorant Dominationes, tremunt Potestates,* afflixerunt, subticuissent, et tamen omnes Evangelistæ hasce sannas et improperia exactissime recensuerunt, secundum omnes ignominiosas circumstantias, quibuscum Christo fuerunt irrogatæ. Rationem vero hujus Didacus Stella assignat, dicens [1] : « Expende, quod Evangelista summa dili- « gentia ea quæ videntur exprobrantissima, expo- « nit, nihil occultans, nec omittens; sed potius « gloriam existimans, maximum Dominatorem « orbis terrarum pro nobis talia sustinere. Gloria « enim nostra hæc est, innumera opprobria, inju- « rias, afflictionesque tolerare pro Christi nomine. « *Si gloriari oportet,* ait Paulus, *in infirmitatibus « gloriabor.* Hæc oportet continuo legere, memo- « riæ mandare et menti inscribere, in his tandem « gloriari. »

[1] Luc. Brug., *in Matt.* — [2] Hebr., II, 9. — [3] Chrys., h. 86 *in Mat.* — [4] Heb., XIII, 13. — [5] Blos., *Sacel. anim.* — [6] Chrys., hom. 83 *in Joan.*

## DISCURSUS XIII.

### DE VARIIS INSULTIBUS, DERISIONIBUS ET VERBERIBUS, SALVATORI NOSTRO INFLICTIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Quinam cum Judæis Christum falso et derisorie adorent. — 2. Mysteria ludicræ salutationis Christi. — 3. Qualia munera obtulerint Judæi Christo, quem salutarunt Regem. — 4. Quinam cum Judæis Christum colaphizent. — 5. Quibus instrumentts Christus fuerit colaphizatus. In hac illusione etiam pili barbæ Christo evulsi fuerunt. Evulsio ista pilorum cessit Christo in maximum dolorem et ignominiam. — 7. Judæi percusserunt Christi faciem velatam, Gentiles apertam. — 8. Christus pro quibuslibet hominum peccatis passus est, et satisfecit.

*Genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes : Ave, Rex Judæorum.* Matth., XXVII, 29.

**1.** — Inter alia delictorum capita, de quibus Christum coram Præside accusaverant, unum hoc fuit, quod scilicet se Regem facere voluisset [2] : *Dicentem se Christum Regem esse;* atque ideo genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes : *Ave, Rex Judæorum.* Simulque, ut Matthæus ait : *Exspuentes in eum, acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus.* Porro quod Filio Dei genua flectantur, cultus est religionis ei omnino debitus, juxta illud [3] : *Mihi flectitur omne genu.* At vero, ut hic religionis actus bene fiat, necessum est, ut simul etiam cor se inclinet et humiliet : « Nam falso adorant, vel salutant, » ut Ludolphus Carthusianus ait [4], « qui inter oran- « dum aliquid, quod est contra divinum honorem, « mente pertractant. Item qui in Ecclesia signa « devotionis ostendunt et postea injurias Christo « graves in membris suis faciunt. » Idem Ludolphus milites Romanos a Judæis ad hanc derisionem faciendam instigatos fuisse, his verbis dicit : « Licet « Gentiles hoc facerent, tamen Judæi hoc fuunt, « qui tanti criminis auctores erant, et ideo in

[1] Did. Stella. — [2] Luc., XXII, 25. — [3] Rom., XIV, 11. — [4] Lud. Carth., p. 2, c. 62.

« Parasceve, cum pro perfidis Judæis oratur, genua « non flectimus, cum forte Judæi hoc agebant cum « Gentilibus. » Hugo Cardinalis ex hac derisoria genuflexione sequentem deducit moralitatem inquiens [1] : « Sic illudunt omnes, qui ore laudant et « opere vituperant de quibus Isaiæ, XXIX : *Eo quod « populus iste appropinquat ore suo, etc.* » Idem Hugo Cardinalis, super Marcum scribens, ait [2] : « Ista salutatio derisio est : sic multi eum salu- « tando, hoc est horas cantando, derident, id est « blasphemant. Sic dicit S. Augustinus. Lingua lau- « dant, vita blasphemant. Numquid derisio esset « salutare Regem dorso verso ad eum, et facie « aversa ab eo? Sic salutatur, id est laudatur Chris- « tus a multis : dorsum habent ad Christum, sed « faciem cordis habent aversam, aliud cogitantes « et aliud intendentes. » S. Thomas, in Matthæum scribens, ait [3] : « Signantur per istos illi, qui voce « confitentur se nosse Deum, factis autem negant. » Per hos quoque derisorie adorantes præfigurantur nonnulli, qui in quibusdam quidem actionibus virtuose operantur, non tamen in omnibus. Verbi gratia vivunt continenter, liberales sunt, eleemosynarii, vel verbum Dei libenter auscultant, et tamen odium contra proximos in corde conservant vel operariorum mercedes non solvunt, vel lingua aliorum bonæ famæ detrahunt. Porro Judæi Christum genuflexo adorantes eumque regio titulo honorantes, dicendo : *Ave, Rex Judæorum*; nullum quidem commiserunt errorem; sed malitia eorum in hoc consistebat, quod hæc omnia fecerint per ludibrium. Quod si id, quod ludicre fecerant, recta cum intentione fecissent, magnum utique apud Deum sibi comparassent meritum. Quod si hypocrita bonum illud quod facit, ad bonum dirigeret finem cœlum utique per hoc lucraretur; cum tamen e contra ob alios indignos fines operans, pœnam de pretio salutis miser mereatur æternam. S. Anselmus aliam habet hac de re considerationem, dum ait [4] : « Sicut illi falso et malo animo adorant; « ita sunt hodie qui in eum credunt, sed perversis « actibus verba ejus quasi fabulosa despiciunt et « promissa regni vilipendunt. »

**2.** — Porro salutatio hæc : *Ave, Rex Judæorum*, suo non carebat mysterio : « Hinc enim totius irri- « sionis occasio accepta fuerat, » ut inquit Lucas Brugensis [5] « quod Jesus in judicio tam coram « Pilato, quam apud Judæos fassus erat, se Chris- « tum Regem esse Judæorum et alias passus sibi « hoc a populo acclamari. Salutant igitur eum « Rex Judæorum, joco cum primis amaro et in- « sultatione hostili, quasi dicant : Conatus es Judæis « regnare, sed non valuisti; ambivisti regnum « Judæorum, sed assequi non potuisti : Talis enim « es Rex, qualia sunt insignia ista, quibus ornaris. « Ipse autem hanc irridentium adorationem æqua- « nimiter tolerando, meruit a Deo ita exaltari, ut « in nomine ipsius omne genu flectatur, cœlestium, « terrestrium et infernorum. » Porro sanctissimum hoc verbum *Ave*, quo mediante, S. Gabriel in Annunciatione Virginis Mariæ et Incarnatione Verbi, toti generi humano salutem annunciavit æternam, sacrilegi hi derisores pessime profanarunt : « *Ave* « dicebant ei, » inquit Simon de Cassia [1], « cui ex « se competit, *Ave* omnibus aliis conferre. Nam « sibi salus et præterquam ab ipso, nemini salus « est. » Toletus super Joannem ita scribit [2] : « Vo- « luit Dominus noster mereri regnum suum, præ- « ter cætera merita sufficientissima, etiam hoc « regno ludicro et derisorio. Efficitur ille rex ridi- « culus, qui solus erat *Rex regum et Dominus domi- « nantium*, ut nos non ludicri et derisorii, sed veri « reges, majori, perfectiori, diuturniori regno, « quam cuncti reges mundani, efficeremur. » Venerabantur Judæi Christum purpura indutum, spinis coronatum et arundinem sceptri loco ferentem; sed manibus ligatis; idque in signum manifestum ludibrii, quia ut Alexander Magnus permittere nolens, sibi ligari manus, ut sagitta, qua sauciatus fuerat, extraheretur, ait : « Non decet vinciri « regem : libera sit regis, ac semper salva potes- « tas. »

**3.** — Lucas Brugensis commentando textum illum Matthæi : *Et expuentes in eum, acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus*, ita scribit [3] : « Surgentes a genuflexione, ut adorationem suam « clarius interpretarentur loco donorum, quæ so- « lent regi ab adoratoribus offerri, sordes sputo- « rum suorum jecerunt in faciem Jesu, quia nihil « vilius haberent, quod darent; quasi dicerent : « Non Rex, sed vilissimus homo es, non adoratione, « sed extremo contemptu dignus. Salutationi ad- « diderunt sputa, verbera tributi loco. » Paulo post vero hujus arundinis pandit mysterium, inquiens : « Arundo, quamvis levis, non tamen caret sua du- « ritie; ita gravibus ictibus obtuderunt Domino « nostro caput tanquam stulto, inquit D. Thomas, « qui scilicet fatuis modis aspirasset ad regnum, « cum sit homo pauper, inermis et vilis. » Loco itaque ejus, quod Rex consuevit supplices sceptro tangere in signum favoris, ipsi sceptro hujus sui regis e manibus accepto, verberant ipsummet regem.

**4.** — *Et veniebant ad eum et dicebant : Ave Rex Judæorum et dabant ei alapas.* Circa quæ verba D. Chrysostomus in homilia quadam quærit, dicens [4] : « Quamobrem hoc faciebant, cum occisuri eum « essent? Quid enim ejusmodi illusione opus erat? « Crudeles eorum mores in omnibus ostenduntur,

[1] Hug. Card., *in Matt.* — [2] Idem, *in Marc.* — [3] S. Thom., *in Matt.* — [4] S. Ans., *ib.* — [5] Luc. Brug., *ib.*

[1] Sim. de Cass., l. XIII. — [2] Tolet., in annot. 3 in c. 19 *Joan.* — [3] Luc. Brug., *ib.* — [4] Chrysost., h. 86 *in Matt.*

« qui quasi venatores fera sic inventa, vinolentia « et furore ferebantur, solemnitatem habere cre- « dentes, et ingenti cum voluptate insilientes, et « quam ipsorum mores in cædem propensi essent, « declarantes. » Ludolphus Carthusianus ait [1] : « Solent in collo percuti fatui et despicabiles per- « sonæ. Unde in hoc, quod Judæi Christum cola- « phizabant, non tam attenditur læsio percussionis, « quam maxima contumelia despectionis. Ex hoc « articulo colaphizationis tale habetur documen- « tum, quod et nos caveamus, ne et nos aliquando « Christum colaphizemus. Secundum Bedam om- « nes falsi Christiani Christum colaphizant, qui « ore confitentur Christum, factis autem negant. « Colaphus datur a retro : Illi ergo colaphizant « Dominum Christum, qui ore blandiuntur, quia « eum ore confitentur, sed retro, quod deberent « eum sequi per bonam vitam, colaphizant eum « malis operibus, Christo contradicendo. » S. Anto- ninus in improperium illorum qui in peccata facile recidivi fiunt, sequentem adducit moralitatem [2] : « Canis reversus ad vomitum est peccator iterans « stultitiam suam et talis interpretative videtur ir- « ridere, id est ad similitudinem irridentis facere. « Nam si quis de offensa gravi commissa a domino « suo veniam obtineret et subito ei postea alapam « daret et sic iterum faceret, diceretur utique talis « dominum suum irridere. » Toletus ad hosce co- laphos cum genuflexione et salutatione regia con- junctos se reflectens, ait [3] : « Verbo salutabant « tanquam regem, sed tanquam servum et vilissi- « mum hominem alapis cædebant. »

**5.** — Meretur quoque hoc loco in medium ad- duci sequens a P. Sylveira Carmelitano ad hoc propositum tradita doctrina. Ait enim [4] : « Palmas « in faciem ejus dederunt. Communiter ex Græco « legitur : Fuste, seu crepida cæciderunt, et quam- « vis vox Græca virgam, aut crepidam significet, « tamen de percussione, quæ contumeliæ causa fit « in maxilla, de crepida potius quam de virga, seu « fuste debet intelligi, et hæc fuit quædam gravis- « sima injuria, cui nullam similem, etiam a barba- « rissimis tyrannis illatam in divinis Scripturis « reperi, et ex duabus causis processit : Primo, « quia ministrorum manus jam læsæ ac defatigatæ « erant ex alapis et colaphis in Christi faciem datis « et ideo manus ad crepidam extenderunt. Secundo, « ut extraordinario et inaudito modo dehonestarent « Christi Domini vultum, *qui est paternæ gloriæ* « *splendor* (*Hebr.*, I). Hanc tantam hominum petu- « lantiam eo convertit divina Providentia, ut « Christi Domini facies fœdata imaginem illam in « nobis restitueret, quæ per peccatum vitiata fue- « rat. » Porro ex Luca Brugensi super illa verba : *Colaphis cæciderunt*, scribente, colligitur, quænam sit inter hasce duas dictiones *Alapa* et *Colaphus* differentia; ita enim ait [1] : « Pugno, seu clausa « manu caput, collumque ac dorsum, aliasque cor- « poris partes pulsarunt et verberarunt. Colaphi- « zare, inquit Theophylactus, est manibus percutere « et simul incurvatis digitis ac pugno cædere. Non « est dubium, quin hinc caput Domini intumuerit « et facies livida sit effecta, ita ut queri potuerit, « quod apud Comicum quidam : Colaphis tuber est « totum caput. *Palmas in faciem ejus dederunt.* « Græce unica est dictio, quam quidam vertunt, « fustibus, aut bacillis eum cæciderunt : Quidam, « crepidis verberarunt. Alii, depalmaverunt, seu « palmis ferierunt, atque alapas impegerunt. » Didacus Stella similiter varia percussionum genera cum verbis derisoriis conjucta his verbis recenset [2]: « Percutiebant autem eum velata facie aliqui in « capite, alii in collo, alii in faciem, alii in maxil- « las, alii manu reversa dulcissimum os ejus per- « cutiebant, alii pugnis, alii vero barbam ejus « evellebant, alii tandem per capillos trahebant et « in medio eorum positus, ab eis sicut homo fatuus « et stultus illudebatur. »

**6.** — Enimvero tametsi S. Evangelistæ de evul- sione capillorum et pilorum barbæ nullam faciant distinctam mentionem, verisimile tamen est, hos illi evulsos esse; hujus enim manifestum hoc habe- mus propheticum oraculum [3] : *Dedi genas meas vel- lentibus*; ubi Forerius ex Hebræo legit : *Genas meas depilantibus*. Qui idem auctor subdit [4] : « Habet « vellicatio barbæ dolorem et insignem contume- « liam, sicut et in faciem spuere; sunt enim pili « barbales alte carni impressi. » Clemens Alexan- drinus postquam de Creatore nostro dixisset [5] : « Virum cum barba ornasset, » paulo post subdit : « Hos pilos Deus tanti fecit, ut eos simul cum pru- « dentia jubeat adesse hominibus, atque adeo « honestate delectatus, gravitatem honoravit vene- « randa canitie. Hoc viri signum, barba scilicet, « per quod vir apparet, signum melioris naturæ. » Idem postquam nonnullorum perstrinxisset abu- sum, qui barbam tingebant, crispabant, aut curiosius radebant, in hæc verba subdit : « In eo violando, « quod est naturæ virilis signum, contra legem « facere est et impium. Quin etiam vestri quoque « omnes capilli capitis numerati sunt, ait Domi- « nus. Sunt ergo etiam pili in barba numerati. Non « ergo aliquid vellendum, præter Dei institutum, « quod in voluntate ejus annumeratum est. Picari « autem ac velli, vereor dicere, quam sit indeco- « rum et turpe factu. Nefas est, barbam vellere, « quæ est pulchritudo congenita, pulchritudo ge- « nerosa et ingenua. » Rex Ammonitarum legatos Davidis dehonestare volens [6], majus censebat illis

[1] Lud. Cart., p. 2, c. 60. — [2] S. Ant., p. 2, t. VI. — [3] Tolet, *ib.* — [4] Joan. Sylv., *in Evang.*

[1] Luc. Brug., *in Matt.* — [2] Did. Stella. — [3] Isa., L, 6. — [4] Forer., *ib.* — [5] Clem. Alex., l. III *Pædagog.* — [6] II Reg., x.

inflictum iri supplicium, si medietatem barbæ ipsorum raderet, altera medietate relicta, quam si mortem eis infligeret, quantumvis pœnosam et infamem; et tametsi David Rex mitissimus fuerit, tam gravem in hanc legatis suis irrogatam contumeliam statuit vindictam, ut ex illius gravitate clare satis colligi possit excessiva gravitas hujus ignominiæ. Ecquid igitur de hac militum, lictorum et furibundorum Judæorum temeritate dicemus, quibus mansuetissimus Salvator *dedit genas suas vellentibus*? Didacus Stella ad meditandam hanc Christo illatam ignominiam, his nos verbis invitat[1]: « Considera, tu, si non habes cor lapideum, hanc « Christi Redemptoris nostri contumeliam. » Hæc enim tam ignominiosa et pœnosa fuit, ut nulli unquam, quantumvis scelestissimo totius mundi malefactori, similis illata fuisse legatur.

**7.** — Inter alias derisiones et sannas, nequaquam prætereunda est illa, a pluribus quidem Evangelistis, diffusius tamen a S. Luca, descripta contumelia. Ait enim sacer textus[2]: *Velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus, et interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum.* Toletus super Joannem scribens ait: « Velata ejus facie, alapis et co- « laphis eum percusserunt, dicentes: *Prophetiza, « quis est qui te percussit?* Hoc apud Caipham a « Judæis, illud apud Pilatum a Gentibus effectum « est. Sed magnum profecto mysterium significa- « batur: Judæus enim et Gentilis, Christo illudunt, « eumque cædunt, sed Judæus velata facie, Gentilis « aperta, ut in velamine eorum futura cæcitas « usque ad ultimum tempus significaretur. Aperta « autem facie, Gentium conversionem et illustrem « fidem indicaret. » Lucas Brugensis notat, Judæos eodem tempore, quo dicebant: *Prophetiza,* simul etiam fortiter Christum colaphizasse[3]: « Addentes « insultationem acerbissimam, opprobriis, convi- « ciisque plenam. » Victor Antiochenus super verbum *Prophetiza* inquit[4]: « Qui omnium corda et « renes scrutatur, omnisque prophetiæ auctor et « largitor habetur, quomodo is, quisnam ipsum « cecidisset, ignorare poterat? » Regius Propheta David Psal. XCIII, his verbis orditur[5]: *Deus ultionum Dominus. Usque quo peccatores gloriabuntur? Effabuntur et loquentur iniquitatem? Et dixerunt: Non videbit Dominus.* Hanc tamen impiorum blasphemiam idem Psalmista mox retundit, inquiens: *Qui plantavit aurem, non audiet? Aut qui finxit oculum, non considerat?* Circa quæ verba Cassiodorus ita scribit[6]: « Æstimantes, non respici, quando se « non sentiebant sub celeritate percelli. Qui patien- « tiam Domini traxerant ad infirmitatis injurias. » D. Chrysostomus ab Hugone Cardinali in commentario in Marcum citatus, nos ut exemplo Christi contumelias patienter feramus, in hæc verba nos exhortatur[1]: « Quæ nobis est cura contumeliæ, « postquam Christus passus est? Nonne perabsur- « dum et indignum est, si Christus pro te ea susti- « nuit, tu ne verba quidem sæpenumero perpeti « possis? Si quis te maledictis prosequitur, recor- « dare Domini tui, quem ad derisum adorabant. »

**8.** — Toletus ad hoc propositum sequentem adducit notabilem moralitatem: « In omnibus in qui- « bus peccant homines, in his patiens satisfecit. « Peccant rebus exterioribus homines; peccant « honore, peccant fama, peccant voluptatibus, « peccant corpore, peccant anima. Christus igitur « in his omnibus patitur, nam omnibus suis spo- « liatus est, etiam vestimentis. Rursum contra ho- « nores, contumelias et sputa sustinuit. Pro insi- « piente, etiam seductore et iniquo, contra famam « deputatus est. Inexplicabiles dolores est passus « contra voluptates. In anima tristitias et mœrores « ac timores. In corpore vero mortem et passiones « perpeti dignatus est, ut nullum genus peccato- « rum in Christo maneret inultum. » Theophylactus ait[2]: « Auribus suscipiendo ignominias, sanavit « serpentis sibilum, per aures Evæ ingressum. » Lucas Brugensis ita discurrit[3]: « Non tantum Doc- « toris in his functus est officio, docentis nos exem- « plo et rebus ipsis, quod prius docuerat verbis; « verum etiam Redemptoris. Nos enim peccatis « nostris nihil non meruimus opprobrii. Tulit igi- « tur has ignominias Jesus, ut nostras aboleret. « Luit, inquam, ignominias peccatis nostris debitas « et ut nos a confusione liberaret, confusionem « pertulit. Duo sunt in unoquoque peccato: Aver- « sio a Deo, conjuncta cum contemptu Dei et con « versio ad creaturam, conjuncta cum delectatione « perversa. Delectatio meretur pœnam; contemp- « tus vero dedecus et ignominiam. Ut ergo plene « Jesus pro peccatis nostris satisfaceret, non tan- « tum pœnam ferre pro nobis voluit, verum etiam « ignominiam. Ut nos, inquit Origenes, qui digni « fueramus omnes has infamias pati, erueret, ipse « pro nobis passus est eas. Opprobria ejus nostrum « abstulere opprobrium, ut auctor commentarii « in Marcum apud S. Hieronymum: Nostro nomine « omne contumeliarum genus sustinens, æternum « nobis honorem acquisivit. » Non est quoque prætereunda hoc loco sequens a Didaco Stella adducta moralitas; ait enim[4]: « Ut Judæis non suffecit, ut « Christum crucifigerent, sed etiam crucifixum « eum diversimode deriserunt; ita et multis non « sufficit, Christum crucifigere nunc peccando, sed « etiam derident crucifixum, peccata iterando, vel « de peccatis se jactando. »

[1] DID. STELLA. — [2] LUC., XXI, 64. — [3] LUC. BRUG., *in Matt.* — [4] VICT. ANTIOCH., *in Marc.* — [5] *Ps.* XCIII, 1. — [6] CASSIOD., *ib.*

[1] CHRYS., ab Hug. Cardin. in *Marc.* cit. — [2] THEOP., *in Marc.* — [3] LUC. BRUG., *in Matt.* — [4] DID. STELLA.

## DISCURSUS XIV.

PILATUM PER VERBA ILLA : ECCE HOMO, JUDÆOS AD COMPASSIONEM EXCITARE, LICET IRRITO EVENTU, CONNISUM FUISSE, OSTENDITUR. UBI ET NONNULLA HUJUS VOCIS HOMO IN PERSONA REDEMPTORIS MYSTERIA CONSIDERANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Pilatus ostendit Judæis Christum prorsus excarnificatum ut illos moveat ad compassionem, sed frustra. — 2. Quid Pilatus hoc verbo : Ecce homo, intenderit et dicere voluerit. — 3. Pilatus hoc actu a Judæis intendit amovere omnem suspicionem affectati regni. Judæi inhumaniores fuerunt erga Christum, quam fratres Joseph contra ipsum Joseph. — 4. Christus in hac ostensione ita deformatus fuit, ut vix pro homine agnosci potuerit. — 5. Christus per antonomasiam dictus fuit homo. — 6. Per illud : Ecce homo, designabatur Redemptor hominum, Deus homo. Paralyticus 38 annos infirmus, designabat genus humanum. — 7. Quomodo Christus paralyticum, genus humanum curaverit.

*Et dixit eis* : *Ecce homo.* Joan., XIX, 5.

**1.** — Verisimile est, quod cum S. Joannes a societate B. Virginis vix unquam se sequestrarit, hujus lamentabilis spectaculi oculatus testis extiterit, quod proinde ipse solus inter omnes alios Evangelistas in hæc verba refert : *Exivit ergo iterum Pilatus foras et dicit eis* : *Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum et dicit eis : Ecce homo.* Enimvero Pilatus sciens, quod invidia hactenus Judæos ad machinandam Christi mortem dementasset [1] : *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum,* siquidem decretum mortis contra Christum sancitum nulli alteri deliberationi innitebatur, quam huic [2] : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* videnque illum adeo nunc transformatum et in tam miserabilem statum redactum, qui Judæos potius ad compassionem quam ad invidiam permovere posset, illum in publicum quoddam spectaculum educere, Judæorumque oculis proponere voluit, dicendo : *Ecce homo,* quasi diceret : videte nunc hominem illum, quem antea ob sequelam, applausum et favorem populi, nec non propter miracula et prodigia quæ patrabat, formidabatis. Nimirum « sperabat Pilatus, » ut inquit Toletus [3], « vultu et præsentia Christi, vel immani« bus tigridibus miserabili, Judæos posse placari. « Cum sciret, Judæos summa invidia et odio con« tra Christum agitatos et efferatos esse, profecto « animos eorum placatum iri nunquam sperasset, « nisi Christum talem vidisset, ut solo in eum in« tuitu, vel adamantina corda possent emolliri. » Porro tametsi multi Judæorum contumeliis et injuriis in prætorio Pilati, per alapas, pugnos, calces, flagella, spinas derisiones, improperia et quascumque alias sannas, Christo irrogatis, personaliter præsentes astiterint, imo milites Pilati non spernendis muneribus ad illa omnia inferenda instigarint; nihilominus cum innumerabilis multitudo populi a principibus Synagogæ, magistratibus, senioribus, sacerdotibus et pontificibus, ad seditionem et furorem excitati, foris extra prætorium constituta esset, Præses, qui viderat Christo Barabbam præpositum fuisse, aliud illum liberandi remedium non superesse cernens, eos per hunc tam miserabilem aspectum flagellati et coronati Jesu mitigandos fore speravit. Qualiter vero Pilatus Jesum populo spectandum exhibuerit, Salmeron hisce verbis luculenter exponit [1] : « Cum ostenderet « Jesum Pilatus, ministri elevarunt vestimentum, « quemadmodum sacerdoti hostiam elevanti, vel « thurificanti fit, factoque circulo dixit eis : *Ecce* « *homo,* ut totum corpus ejus lacerum et flagellis « cæsum laniatumque ac sanguinolentum appare« ret. » Lucas Brugensis idipsum confirmat, inquiens [2] : « Apparentibus totius corporis vulneri« bus, livoribus ac plagis, ex flagellatione inflictis, « spectandum populo exhibuit, qua erat miseranda « forma, ut suis ipsi oculis videntes, quam dire « fuisset flagellatus, tortus et illusus, placarentur « et mitigarentur animis, compassioneque ducti, « desinerent ejus cædem expetere, persuasi nullum « in eo crimen morte dignum a judice inveniri. — « Eduxit eum ludibrii stola vestitum, inquit Euthy« mius [3], ut hunc in tanto videntes opprobrio, sa« tiarentur ac placarentur, et ait illis : *Ecce homo.* « Homo dixit præ compassione, ut et ipsi compas« sione moverentur. » Subdit vero Lucas Brugensis : « Conatur eos Pilatus ad humanam commiseratio« nem flectere, admonens, ut hominem misere « adeo tractatum, oculis humanioribus aspiciant et « furorem ponant; ut hac hominis dejectione, « afflictioneque quam subindicat meritis esse majo« rem, placati, desistant urgere ejus cædem. »

**2.** — Eodem vero tempore, quo Christum hoc modo dilaniatum et atrocissime sauciatum spectandum exhibebat, simul protestatus est, dicendo : *Ut sciatis, quia nullam invenio in eo causam,* quasi dicere voluisset: atrociora tormenta cuicumque etiam sceleratissimo reo infligi nequaquam potuissent, quanto igitur dignius est, ut vos placemini, hoc viso spectaculo dolorosissimo viri hujus innocentissimi? Non jam ait : *Ecce Rex vester,* ne irritet eos, magisque inflammet ad postulandam ejus mortem, sed : *Ecce homo,* adversus quem insurgitis. Quod si antea Judæi formidarint, ne Christus universum post se mundum traheret [4] : *Pharisæi ergo dicebant ad semetipsos* : *Ecce totus mundus post eum*

[1] MATT., XXVII, 18. — [2] JOAN., XI, 47. — [3] TOLETUS, *in Joan.*

[1] SALM., t. X, tr. 30. — [2] LUC. BRUGENS., *in Joan.* — [3] EUTHYM., *ib.* — [4] JOAN., XII, 19.

*abit;* huic formidini credebat Pilatus jam efficax appositum fuisse remedium, per lamentabile hoc spectaculum, factum ab eodem populo, qui paulo ante illi applauserat. *Ecce homo* : Ecce hic stat miserabili specie indutus, cui ante quinque dies tanquam Regi Israelis acclamastis, quemque triumphali honore cum olivis et palmis, vestiumque propriarum substratione gloriose excepistis : *Ecce homo,* id est, ut exponit Cajetanus [1] : « Videte pu-« blice dehonestatum et confusum hominem, quem « detulistis. Et dixit, ac fecit hoc Pilatus, ut mon-« stratus Jesus cum tanta confusione, existimaretur « nunquam amplius conversaturus inter homines, « ac per hoc cessarent ab impetitione mortis. — « *Ecce homo,* id est, ut ait Lucas Brugensis [2] : Si « homines estis, hominis miseremini. » Toletus Pilatum Christum digito monstrasse dicit, utpote quem alias tanquam hominem minime agnituri fuissent. Cum autem tormentorum vi, inquit Toletus, et vestimentorum commutatione agnitum iri dubitaret, verbo et digito ostendit eis.

**3.** — Præterea, quia Judæi Christum de affectatione regni accusaverant, videtur Pilatus per exhibitum hocce spectaculum dicere voluisse : Quod si hac in re erravit, sufficiat vobis pro tali verbo, talis contumelia et afflictio. Ad hæc quia Præses Judæis dixerat : *Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto, ex his, de quibus eum accusatis* : quod idem innocentiæ ipsius testimonium nunc pariter repetit : quid mirum igitur, si illum digitto demonstrans, dicit : *Ecce homo* : quasi populo, qui illum accusaverat, quod ut se Regem facere posset omnem post se plebem attrahere satageret, hujus suæ accusationis et temerarii judicii stoliditatem improperare vellet, dicendo : Ergone vobis videtur, quod hic homo vultum regis præseferat, sitque talis, qualem vos illum esse formidatis, scilicet qui avertat a vobis populum? Judas alios fratres suos, a morte Josepho fratri suo inferenda, divertere volens, hoc illis suggessit consilium [3] : *Melius est, ut venundetur Ismaelitis et manus nostræ non polluantur, frater enim et caro nostra est.* Et subdit sacer textus : *Acquieverunt fratres sermonibus illius.* Tametsi enim hi fratres adversus Joseph gravissime indignati essent, hoc tamen motivum, scilicet : *frater noster et caro nostra est,* omnis iracundiæ ipsorum mitigavit furorem. Simili quoque fine Pilatus motus est, ut diceret : *Ecce homo,* quia scilicet sperabat, eos qui homines, non autem immanes feræ erant, ad compassionem et pietatem flectendos esse, ne ulterius in ejus crucifixionem postulandam et perurgendam, desævirent: dicit igitur : *Ecce homo,* quasi diceret : Videte religionis vestræ consortem, videte progeniei vestræ legitimum membrum, de stirpe Davidica natum. *Ecce homo,* qui frater vester et caro vestra est. At vero idipsum ad Judæorum animos flectendos minime sufficiebat; ideoque Pilatus in suo proposito se deprehendebat illusum. Qua de re Beda super Joannem scribens, ita discurrit [1] : « *Egreditur* « *ad eos Jesus portans spineam coronam et purpu-* « *reum vestimentum,* non clarus imperio, sed ple-« nus opprobrio et dicitur eis : *Ecce homo.* Si Regi « invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis. « Flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa « veste amictus est, amarissimis conviciis illusus « est, alapis cæsus est. Fervet ignominia, frigescat « invidia : sed non frigescit, inardescit potius et « increscit. » Quæ eadem verba etiam apud S. Augustinum, qui diu ante Bedam vixit, in Tractatu XVI super Joannem scripta reperiuntur. S. Thomas existimat, Pilatum dicentem : *Ecce homo,* clarius dicere voluisse : Ecce hominem, quem vos hactenus de regno affectato suspectum habuistis [2] : « Ecce de quali homine creditis hæc : « talis est enim ejus species, ut secundum hanc « conveniat ei illud Psalmi : *Ego autem sum vermis* « *et non homo.* Si ergo Regi invidetis, jam parcite. » Hæc igitur verba : *Ecce homo,* specialis cujusdam contemptus erant expressiva; dicebat enim quasi despective loquendo : *Ecce homo.* Quasi dicere vellet. Vos accusatis illum, quasi se voluerit facere Regem, sibique divinitatis titulum vendicarit ; et tamen nunc videtis illum in tali conditione constitutum, in qua ipsum vix hominem esse credere possitis. Hoc credo fuisse mysterium, ob quod Pilatus Christum coram tota populi concione demonstrans, alta voce inclamarit : *Ecce homo* ; quia eum adeo transformatum esse videbat, ut vix dignoscere posset, an homo, an vero dilaniatum et cruentum quoddam monstrum esset. Vere tunc adimpletum est illud Isaiæ oraculum [3] : *Non erat ei species, neque decor; vidimus eum et non erat aspectus, quasi absconditus vultus ejus et despectus : unde nec reputavimus eum.* Atque ideo opus erat, ut Præses illum hominem esse manifestaret, dicendo : *Ecce homo.* Vatablus legit : *Ita ut eum nihili deputaremus.* Apud Jeremiam dicitur [4] : *Pravum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud?* Ubi versio Septuaginta habet : *Homo est, quis cognoscet eum?*

**4.** — Certus quidam auctor ingeniose super hæc verba scribens, inquit : Non miror certe, si Judæis non placeas; cui enim placeres sic affectus? Et sane si tunc te conspecto dixisset Petrus : *Non novi hominem,* nihil falsi dixisset, quid enim aliud sibi volunt ista Pilati verba : *Ecce homo,* quam ut indicent ita affectum Christum, ut jam pro homine vix cognosci possit, Quando hic idem Dei Filius hominem creavit [5] : *Manus tuæ fecerunt me et plasmave-*

[1] CAJET., *in Joan.* — [2] LUC. BRUGEN., *ib.* — [3] GENES., XXXVII, 27.

[1] BEDA, *in Joan.* — [2] S. THOM., *ib.* — [3] ISA., LIII, 2. — [4] JER., XVII, 9. — [5] JOB, X, 8.

*runt me totum in circuitu,* vultum quemdam adeo nobilem et dignum ei communicavit, ut fuerit velut quoddam omnium rerum creatarum compendium et epitome : uno verbo *microcosmus,* id est, *parvus mundus* (*minuisti eum paulo minus ab Angelis*[1]) creavit quoque illum velut vivam SS. Trinitatis imaginem[2] : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* adeo sublimem, ut David de homine dicere non dubitarit[3] : *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes.* Et tamen, quando hic idem Deus in manus hominum traditus fuit, adeo indigne ab illis fuit tractatus, ut non solum non fuerit agnitus tanquam Deus, sed ne quidem ut homo agnosci potuerit; ac proinde necessum fuerit, ut Pilatus vir idololatra et paganus, qui verum Deum non agnoscebat, Judæorum populo (de quo Propheta regius attestatur, inquiens[4] : *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus*) ipsum verum hominem esse significaret, dicendo : *Ecce homo.* Idem regius Propheta perspicacem intellectus sui oculum in illam defigens eminentiam et celsitudinem, ad quam supremus artifex hominem sublimaverat, obstupescebat, dicens[5] : *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei : aut Filius hominis, quia reputas eum?* Hanc autem erga hominem a Deo exercitam bonitatem, ac benevolentiam homo Deo recompensavit, eum adeo contemptibiliter abjiciendo et vilipendendo, ut vere dicere potuerit Dei Filius[6] : *Ego autem vermis sum, et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis ; omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput.*

**5.** — *Ecce homo.* Verbum Æternum Incarnatum hominem creaverat ad æternam beatitudinem possidendam, ut per ipsum ruinæ instaurarentur Angelorum; at vero propter divinæ prohibitionis, protoparentibus nostris impositæ, transgressionem, ab æterna beatitudine exulare semper debuissemus, nisi Incarnata Sapientia hominem hypostatice assumpsisset, ad satisfaciendum penes divinam justitiam infinito debito nostro; nam ut S. Augustinus egregie notat, ad hanc satisfactionem præstandam simul inter se uniti sunt homo, et Deus, *ut Deus esset qui posset et homo qui deberet satisfacere;* hocque SS. Incarnationis mysterium, per quam Deus homo factus est, in tanta est apud Ecclesiam Dei reverentia, ut quando in symbolo Missæ hæc verba : *Et homo factus est,* pronunciantur, omnes protinus in terram proruant genuflexi; et de hoc homine Pilatus loquitur, dum ait : *Ecce homo.* Caiphas pariter existens Pontifex et tanquam talis prophetans, inferendam ei esse mortem, Christum hominem appellavit, dicendo[7] : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Expedit ut unus homo moriatur pro populo.* Pari quoque ratione Pilatus, instinctu Dei permotus, communem totius generis humani Redemptorem hisce verbis ex theatro exhibuit : *Ecce homo.* Et merito quidem Christum hominem appellat; moris enim erat apud Romanos, ut nobiliores ipsorum belli duces a victis et subjugatis sibi populis sua sortirentur nomina; sicut Scipio dictus est Africanus a devicta Africa; alter Germanicus a subjugata Germania; Numidicus alter a Numidia superata. Eodem igitur modo cum Christus de cœlo in terram descenderit, ut hominem redimeret, nil mirum est, quod per Antonomasiam homo vocari voluerit : *Ecce homo.* Protoparenti nostro Adæ per ironiam a Deo dictum fuit[1] : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Primus etenim Adam, fraudulento serpentis consilio seductus, persuasum sibi habebat, quod per pomi vetiti esum futurus esset Deo similis : *Eritis sicut Dii.* Sed ecce tibi qualiter secundus Adam, de quo Apostolus ait[2] : *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo;* ad reparandum hoc damnum adeo se dejicere dignatus fuerit, ut ne quidem an homo esset, dignosci potuerit : *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo,* inquit Apostolus : « Primo homini peccanti dictum est per ironiam, inquit « Salmeron : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus « est.* Ecce secundus homo, qui pro peccato illudi« tur propter te. »

**6.** — Regius vates hominis Redemptionem in spiritu prophetico prædicens, ait[3] : *Redimet homo.* Quod utique intelligi nequit eo sensu, quasi redemptio generis humani puro cuidam homini inniteretur; bene tamen de illo homine intelligitur, de quo Pilatus proclamavit, dicens : *Ecce homo.* De hoc homine S. Augustinus ait[4] : « Accessit homo ad « ipsa consilia. Passus est se teneri ut homo, non « enim teneretur nisi homo, aut cæderetur nisi « homo, aut crucifigeretur, aut moreretur, nisi « homo. Accessit ergo homo ad omnes illas pas« siones, quæ in illo nihil valerent, nisi esset homo; « sed si ille non esset homo, non liberaretur homo.» Et ideo nisi verum esset, quod Pilatus proclamavit, scilicet, *Ecce homo,* nunquam redemptus fuisset homo. Et ideo ut S. Bernardus ait[5] : « Talem se « hominibus præbuit, qui possit ligari, colaphizari, « flagellari, conspui et ad ultimum occidi. » Paralyticus ille XXXVIII annis ab omnibus derelictus, cujus S. Joannes mentionem facit[6], præfigurabat genus humanum, quod a tot sæculis quæ ab Adam usque ad Filii Dei in terras adventum elapsa erant, peccato languidum manserat : « Quodque diuturno « peccati morbo laborans, » ut inquit Toletus « ne« minem qui ad sanandum adjuvaret, suo pretio

[1] *Ps.* VIII, 6. — [2] GENES., I, 6. — [3] *Ps.* LXXXI, 6. — [4] *Ps.* LXXV, 2. — [5] *Ps.* CXLII, 3. — [6] *Ps.* XXI, 7. — [7] JOAN., XI, 47.

[1] GEN., III, 12. — [2] PHIL., II, 6. — [3] *Ps.* XLVIII, 8. — [4] S. AUG., in *Ps.* LXIII. — [5] S. BERN., ser. in *Cœna.* — [6] JOAN., V, 5.

« potuit comparare : sed infirmus, inops et pauper « tamdiu jacuit, donec sine pretio ullo dato, Filius « Dei homo factus venit, qui eum sanavit. » Hic homo per quinque mille et amplius annos lamentatus fuerat, dicens : *Hominem non habeo qui mittat me in piscinam.* « Piscina autem hæc est passio « Christi, ut S. Antonius inquit[1], « porticus quinque « vulnera ejus. » Theophilus super illa verba : *Hominem non habeo,* egregie ad propositum nostrum ita scribit[2] : « Hoc est, quia nondum factus « erat homo Filius Dei. » S. Thomas pariter ait[3] : « Per hoc significatur quod non erat aliquis « homo purus, qui humanum genus salvare posset « quia omnes peccaverunt et eguerunt gratia Dei, « quousque veniret Christus Deus et homo. » Ecclesiasticus, qui multis annis adventum Messiæ præcessit, lamentatus est, dicendo[4] : *Respiciens eram ad adjutorium hominum et non erat.* Hodierno vero tempore homo dicere nequit amplius : *Hominem non habeo,* quia præses, qui locum tenebat Cæsaris mundi monarchæ, in conspectu infiniti populi, omnibus futuris sæculis, hujus hominis sententiam promulgavit, dicendo : *Ecce homo.* Unde Nazianzenus paralyticum prædictum in hæc verba affatur[5] : « Heri in lecto decumbebas dere- « lictus et neglectus, nec habebas hominem ; hodie « invenisti hominem, eumdem et Deum, seu potius « Deum hominem. »

**7.** — Isaias propheta modum quo hic homo paralyticum sanaturus esset, clare prædixit; nam postquam Christum in hoc lamentabili spectaculo populo exhibitum ad vivum delineasset, dicendo[6] : *Non erat ei aspectus ; vidimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem,* mox subjungit : *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit.* Jeremias propheta olim lamentabatur, dicens[7] : *Intuitus sum et non erat homo,* quod certe dicere non potuisset, si eo tempore in amplo illo foro, in medio infinit populi præsens fuisset quando Pilatus Christum ostentavit, acclamando ei : *Ecce homo.* Enim vero cuncti hæc verba audientes, lamentabile hoc et funestum spectaculum aspexerunt quidem, sed sine ulla cordis compassione ; imo inde extimulati sunt ad majorem crudelitatem, importune postulando ejus mortem[3] : « *Ecce homo,* qui vir est dolorum, « inquit Salmeron, et infirmatus tentatusque per « omnia, pro similitudine absque peccato, ut possit « pro nobis solvere et opponere se justæ iræ Dei ; « si tamen homo appellandus sit, et non potius « vermis, et non homo, ut ait Propheta : *Opprobrium hominum et abjectio plebis.* » Idem quoque doctus scriptor suadet, ut hunc hominem, a Pilato in spectaculum deductum adhibeamus velut scutum quoddam, ad repellendas omnes in nos evibratas cœlestis iræ sagittas, dicendo Æterno Patri[1] : *Respice in faciem Christi tui ;* quia si præses hoc *Ecce homo,* id est spectaculum illud ad mitigandam Judæorum iram sufficere censuit, quanto magis furor Æterni Patris sui, contra nos peccatores exardescens, placabitur? « Exiit Jesus foras coram om- « nibus illudendus, » inquit Salmeron. « ne tu in « judicium universale prodeas et tibi cum illusione « dicatur. *Ecce homo, qui non posuit Deum adjuto- « rem suum.* »

[1] S. Ant. Pad., s. in *Fer.* VI *post Dom.* I *Quadr.* — [2] Theoph., *in Joan.* — [3] S. Thom., *ib.* — [4] Eccl., LI, 10 — [5] Naz., orat. in *S. Lavacro.* — [6] Isa., LIII. — [7] Jer., V, 25.

## DISCURSUS XV.

CIRCA ILLA VERBA : *Ecce homo,* DIVERSÆ CONSIDERATIONES INSTITUUNTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Ad illud : Ecce homo, crudelissimi Judæi magis furere cœperunt, instar famelici leonis. — 2. Judæi comparantur crudelissimis feris et elephantis. — 3. Judæi sunt crudeliores Saule, sitienti sanguinem Davidis. — 4. Pilatus putabat Christum purum esse hominem. Pilatus illo verbo voluit illudere Judæis. — 5. Christus in passione sua divinitatem suam omnimode occultavit. — 6. Ecce homo, designata fuit elevatio hostiæ in missa. — 7. Christus in hoc actu omnibus ostensus fuit ut exemplar et norma ad imitandum. — 8. In illo : Ecce homo, discimus pati et non deliciari.

*Et dixit eis* : *Ecce homo* Joan., XIX, 5.

**1.** — S. Laurentius Justinianus hoc spectaculum meditans, simulque verba præsidis : *Ecce homo* æqua lance ponderans, in hæc verba exclamat[2] : « O grande mysterium, o divinæ miserationis inef- « fabile signum, videre Dei Filium, Angelorum « gaudium, et cœlestis Jerusalem inextinguibile « lumen, solem scilicet justitiæ, totum cruentatum « et squalidum coram universa adstare Hebræorum « plebe ! Quis contemptibilius, quis unquam reum « quempiam crudelius tractari conspexit? » Et tamen miserabilis hic Christi aspectus ad sævos populi illius animos mitigandos minime suffecit. Nam ut S. Cyrillus Alexandrinus ait[3] : « Illi adeo ab « omni humanitate fuerunt alieni, ut immanitatem « ferarum excederent, ferventiusque clamarent, « crudelissimo ipsum genere mortis occidendum. » Salmeron ad hoc propositum apte inquit[4] : « In « naturam totam hominis pugnat, hominem erga « miserrimum hominem misericordiæ motu non « tangi. » De leone philosophi naturales communiter scribunt, quod dum ingentem famem patitur, valde terrificum edat rugitum, qui omnibus aliis animalibus tantum incutit terrorem, ut timore perculsa et debilitata, resistere nequientia

[1] *Ps.* LXXXIII, 10. — [2] S. Laur. Justin., *de Triumph Christ. agon.* — [3] S. Cyrill Alex., l. XII *in Joan.* — [4] Salm., t. X tr. 30

leoni, se facilius in prædam cedere cogantur, illorum se carnibus pascenti. Deus porro olim per Jeremiam prophetam de Hebræorum populo lamentatus fuit, dicendo [1] : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylva, dedit contra me vocem suam.* Hebræi enim innocentem Christi sanguinem adeo sitiebant, ut omnes quasi una voce concorditer clamando, mortem et crucifixionem Christi a Pilato expostularint, adimpletumque est tunc tritum illud Proverbiorum : *Homo homini lupus,* siquidem Pilato adeo fortiter *Ecce homo* exclamanti, ut a cunctis ibi præsentibus audiri posset, hi omnes protinus responderunt : *Tolle, crucifige,* vere se lupos famelicos demonstrantes, qui in agnum illum innocentem suos exacuerant dentes, quem in ipsorum oculis sanctissimus Christi Præcursor paulo ante digito demonstraverat, dicens [2] : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

**2.** — Elephantes ad conspectum liquoris uvæ et mori, qui persimilis est sanguini, ferocire incipiunt et exacui in prælium; ac proinde prouti in lib. 1 Machabæorum legitur [3] : *Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ et mori ad acuendos eos in prælium.* Eodem quoque modo Hebræi hasce feras imitantes, ad conspectum cruentati, et dilaniati corporis Christi, ferociores evaserunt et crudeliores. Naturales philosophi de panthera referunt, quod hæc suavissimo, quem e corpore suo spirat, odore, omnia alia post se trahat animalia, quæ tamen mox ut vicinius ad illam accedunt, deformem ejus evidentia vultum, illam deserunt, et fuga vitæ suæ consulunt. Pari modo Hebræi se a virtutum, miraculorum et sanctitatis Christi mira fragrantia, aliquandiu se ad illum per affectum trahi passi sunt [4] : *Cum turba plurima conveniret et de civitatibus properarent ad eum.* Imo ipsum in deserta sterilia, non obstante qua vexabantur, fame, secuti sunt et in regem eligere voluerunt, eique tanquam regi et Davidis Filio publice acclamarunt. At vero mox ut propinquius ad illum accedentes, eum in vultu suo ex sputis, livoribus percussionum, et sanguine dehonestatum conspexerunt, quid mirum, si affectus amoris in odium, veneratio in contemptum degenerans effecerit, quod ipsum penitus dereliquerint, et contra eum : *Tolle, crucifige,* terrifica voce clamarint? Quasi ad aspectum hujus lamentabilis spectaculi et audita Pilati voce promulgatum, *Ecce homo,* intra se confusi, dicere voluissent. Hiccine est ille quem nos Deum esse credidimus, quique modo vix hominis speciem refert [5]? *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.*

**3.** — Harpiæ quidem et crocodili, quamdam cum homine secundum externam speciem habent similitudinem, et tamen tanta inter illa animalia et hominem est antipathia, ut dum hominem viçinum vident, protinus illum invadant, devorent et dilacerent, suosque in sanguine hominis vultus lavare soleant; at vero si contingat, quod ad lympidam quamdam aquam lotionis causa accedentia in eaque vultum suum considerantia, illum humano vultui persimilem esse conspiciant, in lamentabiles ejulatus erumpunt. Sed ecce tibi ipsis harpiis et crocodilis longe truculentiores, sævioresque Hebræos, coram quibus præsentatus Dei Filius (in specie quidem humana, sed adeo deformata, ut nisi Pilatus eum hominem esse declarasset, dicendo : *Ecce homo,* vix tanquam homo agnosci potuisset) tantum abest, ut illos ad commiserationem permovere potuerit, ut etiam ejus miserabili specie visa inhumaniores, magisque barbari evaserint. Et licet Pilatus eum iteratis vicibus innocentem declaraverit, suasque manus in testimonium innocentiæ Christi lavando dixerit [1] : *Innocens ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis*; ipsi tamen inconditis vocibus clamarunt : *Tolle, tolle, crucifige eum*; *sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Quando Saul sanguinem Davidis vehementer sitiens, eumdem actualiter persequebatur ad inferendam ei mortem, mox ut vidit in manu ejus fimbriam, quam de regis ipsius chlamyde in spelunca Odolla præciderat, cogitans, quod eadem facilitate, qua fimbriam illam a veste præciderat, caput quoque ei amputare, ereptumque inde regium diadema vertici suo imponere potuisset, emollitum est cor ejus et in amarissimas lachrymas resolutum [2] : « Animum sanguinis ac cædis, inquit D. Chrysostomus, « sitientem, repente ad lamenta et ejulatus com« pulit. » At vero Judæi licet Salvatorem nostrum per ludibrium lacera quadam purpura indutum, spinis coronatum et sacrosanctam illius humanitatem a qua *virtus exibat et sanabat omnes,* quæ mortuos ipsorum suscitaverat, quæ unico oculorum obtutu totum poterat tremefacere universum [3] : *Qui respicit terram et facit eam tremere,* viderent cruentam, dilaniatam et vulneribus innumeris sauciam; nihil tamen inde ad commiserationem permoveri potuerunt, sed magis facti sunt feroces.

**4.** — *Ecce homo.* Præses præter hoc nihil amplius dicere poterat, quia aliud præter illud non intelligebat; erat enim paganus et falsa numina adorabat : *Animalis* autem *homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Et ideo ut B. Laurentius Justinianus ait : « Objiciens illis visibilem formam « despicabilem, plurimumque deformem, nihil de « divinitatis excellentia, nil de innocentia vitæ, « nilque de collatis virtutibus recolens, ait : *Ecce* « *homo.* » Porro ex quo Pilatus, tanquam præses, universam Judæam diu gubernarat, sine dubio tot heroicorum Christi operum, quibus ingentem sibi famam acquisierat, perfectam notitiam habebat,

[1] Jer., xii, 8. — [2] Joan., i, 20. — [3] I Mach., vi, 34. — [4] Luc., viii, 4. — [5] Matt., xxvii, 42.

[1] Matt., xxvii, 24. — [2] Luc., vi, 19. — [3] *Ps.* ciii, 32. — [4] B. Laur. Just.

videlicet quod dum populus eum regem facere decrevisset, recusato regno, *fugerit in montem*; quod repetita vice in deserto panem multiplicarit, quodque multos mortuos revocarit ad vitam, etc., quod surdis auditum mutis loquelam et cæcis perfectum oculorum lumen restituerit, etc. Cur igitur populum tot a Christo beneficiis cumulatum alloquens, omnium horum operum ne verbo quidem fecit mentionem, sed solum ait : *Ecce homo*; cum tamen opera illa superhumanæ cujusdam et divinæ virtutis essent indicia? B. Laurentius Justinianus ait [1]: « Verum profecto dixit, quod homo erat Christus, « reticuit autem, quod Deus erat? Erat utique verbum apud Deum, per quod facta sunt omnia et « sine quo factum est nihil. Erat splendor gloriæ « et figura substantiæ Patris, portabatque omnia « verbo virtutis suæ ; nam idem verbum quamvis « caro vellet fieri et cum hominibus habitare, ma- « nebat tamen cum Deo, Deus individuus in essen- « tia, consors in divinitate, in potestate æqualis et « sine initio æternus. Quod homo erat, dignatio- « nis, non diminutionis causa fuit. » Porro inter alias contra Christum ad judicem allatas excusationes, una hæc fuit : *Filium Dei se fecit.* Ac proinde Pilatus dicendo : *Ecce homo,* Judæis illudere voluisse videtur, quasi dicere voluisset; vos dicitis hunc virum se Filium Dei facere voluisse et tamen, ut videtis, vix homo apparet. « Accusatis eum se fecisse Filium « Dei, inquit S. Bernardus [2], ecce quod nunc appa- « ret, non Filius Dei, sed miserabilis homo. » Paulus de Palatio similiter Pilatum hoc modo loquentem introducit [3] : « Quod si irati estis, quia *hic Filium Dei* « *se fecit,* Deum se faciens, *en homo est,* homo mon- « stratur, non Deus; vix enim eum hominem esse « judicatis, tantum abest ut Deus esse monstretur. « Vermis est potius, non homo. Si dicto Filium Dei « se fecit, opere minus quam hominem videtis. » Adulatores quidem Alexandro Magno quod filius Jovis Ammonis esset, quodammodo persuaserant; at vero postquam in prælio sagitta quadam fauciatus, sanguinem e vulnere manare conspexit, mox resipuit et se hominem confessus est, aliis similem; unde Pilatus dicens : *Ecce homo,* dicere voluisse videtur. Ex quo corpus hujus viri sanguine cruentum et morti aliis hominibus communi vicinum esse conspicitis qua ratione adeo stolidi esse potestis, ut eum Filium Dei esse suspicemini?

**5.** — S. Isaias propheta merito de Christo ait [4] : *Quasi absconditus vultus ejus* ; Christus enim in passione sua divinitatem suam adeo profunde occultarat, ut etiam ipsimet Apostoli de illa vacillarint. Duo illi discipuli, qui in Emmaus peregrinabantur, inter se dicebant [5] : *Nos autem sperabamus, quod redempturus esset Israel*; quanto igitur magis Pilatus, qui nullam veri Dei notitiam habebat, circa ejus divinitatem hallucinari poterat? In horto Gethsemani suam abscondit omnipotentiam, timens et contremiscens ob vicinam mortem : *Tristis est anima mea usque ad mortem* ; tametsi paulo ante cadaver quoddam quatriduanum resuscitasset ad vitam. Occultavit quoque innocentiam suam, permittendo se tanquam publicum latronem capi et vinculis ligari. Occultavit Majestatem suam coram qua tremunt Potestates, cum se tot modis derideri et subsannari permisit. Occultavit Sapientiam suam, permittendo, ut ab Herode, tanquam stolidus et fatuus, veste alba indutus, derideretur. Apparuit nudus, qui animalia pellibus, prata floribus, cœlum stellis vestit et ornat. Se sivit funibus constringi, qui catenas animas vincientes dissolvit. Morti se subjecit Deus immortalitatis. Quis igitur illum intuens non deciperetur, solum hominem ipsum esse existimando : *Ecce homo?* Tametsi S. Joannes Baptista ad ripam Jordanis cœlestis Patris vocem audisset, dicentem : *Hic est filius meus dilectus*, attamen nescio, an si in illa multitudine præsens Christi flagellati et coronati spectaculum conspexisset, ipsum potuisset agnoscere. Verisimile est, quod postquam Pilatus Jesum flagellari jussisset, eumdem adeo ex flagellatione et corona spinea deformatum videns, libenter hac arrepta occasione Christum toti populo spectandum eduxerit, dixeritque ; *Ecce homo*, ut vel sic accusatores illius mitescerent. Porro David ut impium Saulem suspicantem, quod coronæ ipsius strueret insidias, erroris convinceret, dixit ei [1] : *Quem persequeris, Rex Israel, quem persequeris? Canem mortuum persequeris et culicem unum.* Ad eumdem hunc modum Pilatus dicens : *Ecce homo,* clarioribus verbis dicere voluisse videtur : Ecce illum, quem affectati regni accusastis : *Ecce illum,* quem se Filium Dei facere voluisse dixistis; videte, an hujus suspicionis vel minimum subsit vestigium : *Ecce homo,* aspicite in faciem ejus et videte, an facies ejus talis sit, quæ Filium Dei deceat, siquidem facies illa vix hominem refert.

**6.** — *Ecce homo.* Taulerus occasione horum verborum Pilati : *Ecce homo,* per illa mysterium elevationis hostiæ in sacrificio incruento oblatæ, insinuari dicit, siquidem Redemptorem nostrum hunc in modum loquentem introducit [2] : « Vide si quis « unquam reus aut flagitiosus suis pro sceleribus « tales luit pœnas, quales ego tuli pro peccatis tuis. « Ex his verbis S. Ecclesia mater nostra instituit, « ut sacra hostia elevetur, et cunctis ostendatur sub « Missæ sacrificio, tanquam si diceret : *Ecce homo,* « excitans nos velut pia mater; ut incarnationis, « passionis, mortis, resurrectionis, et universæ de- « nique charitatis, et beneficiorum omnium Christi « memores simus. Quandoquidem sacrum, sive

[1] S. Laur. Just., *ib.*— [2] S. Bern., t. I, s. 55.— [3] Paul. de Pal., *in Matt.* — [4] Isa., liii, 3. — [5] Luc., xxiv, 21.

[1] I Reg., xxiv, 15.— [2] Taul., *de Vit. et Pass. Christ.*

« Missa in memoriam dilectionis et operum Dei, « quæ nostri causa ille peregit, instituta est. »

**7.** — Dici quoque potest, quod æternus Pater per os Pilati toti generi humano dixerit : *Ecce homo, inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est.* Incarnatus est ex Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est ; non solum ut hominem redimeret, sed etiam ut hominibus in omnibus operibus suis, velut exemplar et norma, quam imitentur, serviret. Poterat quidem homo ab adimpletione multorum actuum virtutis se excusare, dicendo : Impossibile mihi est, ut fragilis ego homo Deum imitari possim, exemplar hoc nimis mihi sublime est : et ideo ut hujus excusationis occasio tolleretur, æternus Pater dicit : *Ecce homo* quasi dicere voluisset : Si Deum imitari te posse diffidis, imitare Deum hominem factum, imitare profundam ejus humilitatem, quam inter tot vilipendia et contumelias exhibuit. Imitare ejus paupertatem, quam in ignominiosa sua nuditate probavit. Imitare in mansuetudine, in silentio, quo tot injurias æquanimiter toleravit. Imitare in tormentis adeo acerbis etiam patientiam. Imitare denique obedientiam illius, injurias et contumelias sine ulla contradictione sustinendo : *Ecce homo.* Omnes hosce virtutum actus exercuit ut homo, et spinas, sputa et flagella sustinuit ut homo. Diogenes die quadam in publico foro ingenti populi multitudine cinctus, clamabat : *Hominem non invenio.* Dicere enim volebat, vix se aliquem reperire hominem vere virtuosum. Idipsum profecto hodie minime dicere possumus. *Ecce homo, inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est.* Porro crux, ut in discursibus præcedentibus ex mente S. Augustini diximus, non solum fuit patibulum Christi patientis, verum etiam cathedra fuit ejusdem velut magistri docentis. « Ecce homo, qui tibi « ad imitandum proponitur, » inquit Salmeron, « qui expetisti esse ut Deus, ut primus ille homo « Adam. » Quod si in hac vita præsenti, quæ vallis quædam est lacrymarum, tribulationibus et adversitatibus impetimini, levate devotæ meditationis oculos in hoc : *Ecce homo. Recogitate eum* (monitum est illius, qui non nisi in cruce Christi gloriabatur [1]) *qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes ; nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes.* Hugo Cardinalis ait [2] : « In hoc quod dicit : *Ecce homo,* « significatur quod hominis est pati, non deliciari, « et tunc completum est illud Job, v : *Homo nascitur* « *ad laborem.* » Ecce tibi igitur quam verum sit, quod quicquid Filius Dei, in terram descendens, nostraque mortali carne se vestiens, a nobis assumpsit, totum in nostrum quoque beneficium impenderit [1]. « Quod de nostro assumpsit, totum « nobis contulit ad salutem. » Natura divina patiendi incapax erat, juxta illud [3] : *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* : Et ideo Deus homo factus est, ut pro nobis et nostra salute pati posset : et ideo *Ecce homo,* quia *homo nascitur ad laborem.* Hanc autem similitudinem per peccatum adeo amisit, ut regius Psaltes de ipso canat [3] : *Homo cum in honore esset, non intellexit ; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Filius autem Dei, ut hanc jacturam repararet, hujusque imaginis similitudinem in pristinum statum restitueret, adeo in corpore suo deformari voluit, ut vix tanquam homo dignosci posset. Salmeron ait [4] : « *Ecce homo,* dici vobis po- « test a Deo Patre, non tantum innocens, sed « etiam Deus et homo, et talis, ut tu homo per eum « efficiaris Deus. » Ideo enim factus est homo, ut in Præfatione quadam dicitur, ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes.

**8.** — Paulus de Palatio Pilatum per hæc verba : *Ecce homo,* dicere voluisse inquit [5] : « Homo est, non « lapis, non ferrum, non æs : quæ sustinuit, vix cre- « dibile est, quomodo sustinuerit. » Et paulo post subdit : « Si duces et imperatores a partis trophæis « nomina sibi vendicant. Africanus enim dictus est « Scipio, qui sibi Africam comparavit : quanto « verius Christus dicetur homo, qui homines suo « subjugavit imperio, a dæmonis potestate præri- « piens ? »

## DISCURSUS XVI.

PONTIFICES POPULUMAD POSTULANDAM CHRISTI CRUCIFIXIONEM EXCITANT : PILATUS VERO ACCUSATIONEM AUDIENS, QUA CHRISTUM SE FILIUM DEI FACERE VOLUISSE ASSEREBATUR, TIMORE PERCELLITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Pontifices viso Christo crudelius sævierunt. — 2. Pontifices qui debuissent Christum innocentem defendere primi illum deposcunt ad mortem. — 3. Judæis bis ingeminant : Crucifige, quo ostendunt quantum sitiant Christi sanguinem. — 4. Pilatus abhortuit tradere Christum ad crucifigendum. — 5. Judæi judicant Christum morte dignum, eo quod se filium Dei dixerit. — 6. Pontifices falso allegabant legem contra Christum. — 7. Pilatus Christum damnare timuit, suspicans in illo esse aliquid divinum. Pilatus habuit aliqualem notitiam divinitatis Christi. Pilatus timuit ne forte grave crimen commisisset, permittendo Christum flagellari et spinis coronari.

*Cum ergo vidissent eum Pontifices, et ministri, clamabant dicentes : Crucifige, crucifige eum.* Joan., XIX, 6.

**1.** — S. Joannes Evangelista multas, quæ pos

[1] HEBR., XII, 3. — [2] HUGO CARD., *in Joan.*

[1] S. THOM., *ib.* — [2] *Ps.* CX, 10. — [3] *Ps.* XLVIII, 13. — [4] SALM., *ib.* — [5] PAUL. DE PAL., *in Matt.*

flagellationem et coronationem ex spinis acciderunt, specificat circumstantias, quas alii tres Evangelistæ subticuerunt; scilicet ostensionem Christi per verba illa : *Ecce homo*, et effectum contrarium illi, quem secuturum præses sperabat : cum enim is crederet, illos ex hoc spectaculo ad compassionem movendos esse, ipsi e contrario elata voce crucifixionem ejus postularunt : *Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant : Crucifige, crucifige eum;* circa quæ verba Toletus inquit [1] : « Dæmoniaco spiritu repleti, communibus vocibus « clamabant, et a conspectu etiam tolli petunt, quasi « eum sustinere non valeant. Non accusationem « adserunt, nec juris ordinem quærunt, sed furore « vincere volunt, ut impleatur quod dicitur Isaiæ, « LIII : *De judicio sublatus est.* » Lucas Brugensis illud evangelistæ verbum : *Cum ergo vidissent eum*, observat, inquiens [2] : « Gravis fuit eis etiam ad vi- « dendum, quod prædixerat de ipsis Sapiens, II, 15, « adeoque instar ferarum, viso sanguine flagellati, « ferocierunt magis. » Cajetanus similiter super prædicta verba scribens, ait : « Vere monstrant, « quod non ex ira, sed ex odio (prout Jesus dixe- « rat) persequebantur eum : odium enim insatiabile « est, et propterea viso Jesu dehonestato et flagel- « lato, non mitigatur eorum animus, sed ad turpiora « et crudeliora tendit, clamando : *Crucifige.* » Toletus ad rabidum hoc, inveteratum, furibundumque odium exprimendum, duas valde aptas adducit similitudines, inquiens [3] : « Deceptus est « Pilatus opinione sua. Nesciebat illos diabolico « spiritu agitatos tales esse, qualis is est, qui eos « excitabat. Est autem diabolus implacabilis et « nulla commiseratione commovetur, nec homi- « num desolatione exsatiatur. Viso igitur Christo, « sicut ignis injecto oleo exardescit, ita inflammati « isti sunt : quod Joannes in illa particula indica- « vit : *Cum vidissent ergo*, quasi diceret : Quia « viderunt, in majorem furorem provocati sunt, « velut feri canes, qui solo visu adlatrant, instan- « ter, et ardenter crucifigi petentes. »

**2.** — *Pontifices et ministri clamabant.* Implacabile hoc sacerdotum et ecclesiasticorum contra Filium Dei conceptum odium, seriam meretur considerationem : cum enim hi tanquam specialiter divino cultui consecrati, plusquam sæculares obligati essent ad Christum adversus omnem injustitiam, quam præses illi irrogare voluisset, defendendum et protegendum; ipsi e contra invidia agitati et capita conjurationis facti, deposito omni dignitatis et gradus summi Pontificatus decore et convenientia, pro nihilo habuerunt, quod in publico judicio accusatorum partes agerent, et manifestos ac irreconciliabiles persecutores se esse probarent. « Primi illi clamaverunt [4], » inquit Lucas Brugensis, « ut populo se duces præberent; fortassis enim « populus misericordia motus Jesum liberasset. Id « veriti Pontifices, mox exclamarunt, crucifigendum « esse ut populum in sententiam, clamoremque eum- « dem abriperent. » Cajetanus aliam assignat rationem, inquiens [1] : « Ne populi multitudo sube- « rubesceret, recordata forsan miraculorum illius, « aut tam miserabili aspectu commota, priores « exclamant. » Non erubescebant hi pontifices et sacerdotes, vili plebeculæ in conspectu omnium in publico foro sese immiscere, ut commoverent plebem, tot beneficiis a Christo paulo ante affectam, et ut auctoritate et exemplo suo ad tumultuose petendam innocentis crucifixionem, plebeculam in ducerent; nam ut S. Gregorius ait : « Cum pastor « per abrupta graditur, consequens est, ut grex in « præcipitium feratur. »

**3.** — *Clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum.* Lucas Brugensis ait [2] : « Nequaquam contenti « sunt durissimis flagris et probris innocenti illatis, « sibique ante oculum propositis (quasi non esset « illi cum ipsis natura communis humana) neque « quicquam moventur judicio Præsidis, censentis « eum commiseratione dignum, et præter meritum « castigatum : sed mortem exigunt et quidem « crucis, more canum rabidorum quorum sitis, ubi « gustarunt hominis sanguinem, non prius extin- « gnitur, quam universum hauserint. » Porro per hoc, quod iteratis vicibus dicebant : *Crucifige, crucifige eum*, ardentissimam ad vivum exprimebant sitim, qua ad agni immaculati sanguinem effundendum anhelabant. Et ideo Lucas Brugensis ait : « Repetitio, *crucifige, crucifige*, animi furorem et « ardorem significat. » S. Thomas idipsum diu ante in hæc verba indicarat [3] : « Ingeminant propter « desiderii vehementiam, nec sunt contenti qua- « cunque morte, sed turpissimam expetunt. » Albertus Magnus ait [4] : « Bis dicunt, ut horrore mortis « accumularetur probrum crucifixionis. » Porro qui illis temporibus crucifigebantur, adeo apud unumquemque infames et contemptibiles fiebant, ut fastidiosa quoque esset singulis memoria eorum; nam ut Scriptura ait : *Maledictus qui pendet in ligno.* et ideo ut Albertus magnus ait [5] : « In publica con- « fusione Christi gloriam volebant diminuere. » S. Lucas ait [6] : *At illi instabant vocibus magnis postulantes, ut crucifigeretur, et invalescebant voces eorum.* « Ut clamoribus extorquerent, quod rationibus non « poterant, » inquit Lucas Brugensis [7], « sic enim « solent quos veritas destituit, conscii sibi quod ar- « gumentis vincere nequeunt, clamores intendere « varia et undique collecta crimina criminibus, men- « dacia mendaciis accumulare. »

**4.** — *Dixit eis Pilatus : Accipite eum vos, et cruci-*

[1] TOLET., *in Joan.* — [2] LUC. BRUG., *ib.* — [3] TOL., *ib.* — [4] LUC. BRUG.

[1] CAJET., *in Joan.* — [2] LUC. BRUG., *ib.* — [3] S. THOM., *ib.* — [4] ALB. MAG., *ib.* — [5] ID., *in Luc.* — [6] LUC., XXIII, 23. — [7] LUC. BRUG., *in Luc.*

*figite.* Cajetanus inquit[1] : « Non sunt hæc verba « concedentis Pontificibus, ut accipiant Jesum et « crucifigant (hoc enim libenter acceptassent) sed « sunt verba horrentis crimen, juxta consuetum « loquendi modum ; cum enim horremus facinus « aliquod patrare, dicimus suadentibus : Facite vos « illud, ego nolo facere ; dicimus hæc, non indul- « gendo, sed horrendo crimen et propterea ratio- « nem horrendi subjungit : *Ego non invenio in eo* « *causam,* scilicet crucifixionis. » Lucas Brugensis ex S. Cyrillo Alexandrino ita scribit[2] : « Egregie « hunc locum enarrat Cyrillus his verbis : Stupet « Pilatus, quomodo Judæorum populus et maxime « principes ita truculenti sint, ut cum nulla in « Christum causa inveniatur, tam turpi morte « occidere ipsum studeant. Hac de causa quasi « contemptus indignatur, ac dicit : Ministrum me « impiæ cædis solum invenistis ? Ego præter Roma- « norum leges innocentem occidam ? Ego clamo- « ribus vestris territus, ad me facinus detrudam ? » Et paulo post subdit : « Si lex est apud vos, quæ « summo insontes supplicio cruciet, vos soli hoc « facite, cædem hanc patrate, impietatis hujus cri- « men in capita vestra vertite. Sit judaica solum « ista temeritas, ego in id non consentiam. » Hugo Cardinalis similiter præsidem per ironiam locutum fuisse censet ; ita enim scribit[3] : « Edicit « hoc ironice, quasi diceret : Facinus est hoc facere, « et vos qui soletis talia facere, facite si vultis ; « unde hoc dicit non volens ut occiderent, sed con- « fundens eos. »

**5.** — *Ego non invenio in eo causam. Responderunt ei Judæi : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Theophylactus, in Joannem scribens, ait[4] : « Judæi cum « ipsum accusassent, quod Deum se faceret, ac « legem objecissent, videntes illi, se magis refelli « (Pilatus enim ex hoc magis timuit, et voluit di- « mittere eum, ne forte Deum offenderet) iterum « confugiunt ad externas leges, ut meticulosum terreant Pilatum ; nam quia viderant eum pietate « moveri, ne Jesum occideret, metum Cæsaris « incutiunt. » Etenim Romani Judæis pacta fide conservationem privilegiorum, quibus hactenus fruiti fuerant, maxime quoad religionem et legis Mosaicæ observantiam promiserant, ac proinde strenue Præsidem aggrediuntur, ut suas observari leges sinat, quarum virtute Christus in pleno concilio mortis condemnatus fuisset, eo quod se Filium Dei esse declarasset : *Filium Dei se fecit,* « id est, ut « Lucas Brugensis exponit[5] : Finxit, falso dixit, « asseruit, prædicavitque, se esse Filium Dei, usur- « pavit sibi nomen Filii Dei, non adoptione solum, « aut gratia, quales omnes sumus, qui justi sumus, « sed natura Filii Dei, tanquam natus ex Deo. » Enim vero Christus sæpius in prædicatione sua se promissum Messiam et Filium Dei manifestaverat ; similiter Petrus nomine omnium Apostolorum et æterni Patris revelatione eum Filium Dei esse professus fuerat ; similiter denique S. Matthæus idipsum claris verbis edixerat ; ac demum Christus ipse tam nocturno tempore, in primo coram Caipha habito examine, quam matutino diluculo in pleno concilio idipsum ratificarat ; unde dictum ejus blasphemiam esse censentes, eum ex hoc capite mortis reum judicaverant. At vero quantum in hoc certaverint, seu potius malignati fuerint, facile deduci potest ex celebri illo Apostoli textu[1] : *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Qui idem Apostolus in principio Epistolæ ad Romanos inquit : *Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scriptura Sacra de Filio suo qui factus est ei ex semine David secundum carnem, etc.* Ac proinde, ut ab hoc se errore eximerent, merito ad invicem conferre debuissent prophetias, suum in mundum adventum antecedentes, cum tempore, operibus, miraculis, et cunctis aliis divinæ alienationis suæ evidentibus argumentis : memoria recolere debuissent testimonium a sancto Præcursore et Baptista Joanne de ejus divinitate nuper perhibitum, nec non recentissimum in horto Gethsemani patratum miraculum, tam in prostratione totius armatæ cohortis, quam auriculæ Malcho amputatæ miraculosa restitutione. Hæc enim omnia, si rite considerassent, deprehendissent utique, Christum ab omni blasphemiæ reatu immunem fuisse et consequenter nequaquam secundum legem ipsorum debuisse mori.

**6.** — Lucas Brugensis existimat, quod Pontifices dicentes : *Nos legem habemus, etc.* clarioribus verbis dicere voluerint[2] : « *Habemus legem* divini- « tus nobis latam, quam et tu decreto Cæsaris « nobis servare debes inviolatam. Permiserat enim « Cæsar Judæis, ut suis ritibus et legibus viverent, et « mandarat præsidibus, ne in earum observatione « eos turbarent, aut turbari sinerent ; quasi dice- « rent : Si tu juxta Cæsareas humanasque leges « nullam in eo invenis causam mortis (quanquam « fallaris summopere) nos juxta divinam legem « invenimus maximam, quam hactenus proferre « noluimus, apud legis nostræ ignarum. Nunc « autem cogimur, ut clare videas non odio, sed « jure, legisque zelo motos ad crucem hunc postu- « lare. » Quam expositionem Toletus confirmat, dum pontifices hisce verbis : *Nos leges habemus,* etc. dicere voluisse asserit[3] : « O Pilate, ne nos rem ini- « quam a te petere arbitreris. Legem nos habemus « morte punientem blasphemos. Hic autem blas-

[1] Cajet., *in Joan.* — [2] S. Cyril. cit. a Luc. Brugens. *in Joan.* — [3] Hugo Card., *in Joan.* — [4] Thfoph., *ib.* — [5] Luc. Brug., *ib.*

[1] Philip., II, 6. — [2] Luc. Brug., *ib.* — [3] Tolet., *ib.*

« phemus est in Deum. Cum enim homo sit, sicut « cæteri hominum, quidem tu vides (paulo enim « ante præses dixerat : *Ecce homo*) se esse Filium « Dei asseruit et prædicavit. » Idem quoque Cardinalis Judæorum observat astutiam : siquidem noluerunt exprimere decretam blasphemis pœnam, quæ erat lapidatio; quia illum non sub lapidibus, sed in patibulo crucis mori desiderabant, ut nomen ipsius in sempiternum ab hominum aboleretur memoria; et ideo prædictus auctor subjungit : « Non exprimunt legis pœnam, quia non lapidari, « sed crucifigi eum cupiebant. Latet dæmoniaca « calumnia; verum enim erat, ipsum se Filium Dei « prædicasse, sed tamen Christus miris operibus et « divinitatis virtutibus propheticisque testimoniis « id confirmaverat; at isti gentili et rerum divina- « rum ignaro, rem ipsam nude et jejune, omissis « testimoniis et argumentis proponunt. » Jam se pontifices et principes synagogæ præparaverant, ut cunctis objectionibus, quæ Pilatus in medium adducere potuisset, prompte respondere possent. Unde Cajetanus inquit[1] : « Audito scrupulo conscien- « tiæ Pilati, pontifices dicunt, quod non est timen- « dum crimen aliquod in occisione Jesu, quia « secundum legem debet occidi, *quia Filium Dei* « *se fecit*. Hactenus studium pontificum fuerat in- « ducere Pilatum ad occidendum Jesum ex crimine « læsæ Majestatis (quia scilicet se Regem fecerat) « sed ubi vident, apud Pilatum hanc causam non « prævaluisse ad judicium mortis, sed ad flagella « et illusiones, et propterea Pilatum horrere dam- « nare ad mortem, citant aliud crimen de usurpa- « tione divinitatis, cum auctoritate legis imponen- « tis pœnam mortis usurpanti sibi divinitatem. »

7. — *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.* Tametsi enim Pilatus veri Dei notitia careret, nihilominus, ut Lucas Brugensis ait[2], audiens Christum a Pontificibus accusari, quod arroganter Filium Dei se esse dixisset, timere cæpit. « Etenim « timuerat ante ne interficeret innocentem, jam « timuit, ne in Deum aliquem, aut heroem, filium « alicujus Deorum, sacrilege manus injiciens, longe « magis Deorum adversus se iram provocaret. Hac- « tenus Jesu innocentia a ferenda damnationis sen- « tentia eum retardarat, nunc religio absterret, ne « impius sit in Deum, si majus aliquid homine « Jesus sit. Nam ut erat ethnicus, et plurium deo- « rum cultor, imbutus opinionibus gentium, ita « facile credidit Jesum, vel hominem esse posse ex « Deo et homine natum, id est, heroem, aut semi- « deum. *Act. Apost.* XIV, 10. Credidit autem tum « ob admiranda et humanis viribus majora, quæ « Jesus ediderat miracula tum ob eximias vir- « tutes, quibus coram observabat eum præditum « esse, sapientiam, prudentiam, gravitatem, « fortitudinem, et animum illius imperturba- « tum. » Tolctus angustias aceusatorum, spe sua se fraudatos esse videntium, his verbis considerat[1] : « Fefellit eos opinio et astutia sua. Sperarunt Pila- « tum nova calumnia ut Christum crucifigeret, « permotum iri; ipse vero eo ipso magis a dam- « nando retrahitur; et quem innocentia Christi « prius a damnationis ferenda sententia retardabat, « nunc divinitatis origo asserta deterret, quodque « perpetrare ante timebat per injustitiam, nunc « horrere incipit propter impietatem. » Verisimile est Pilatum inter se contulisse hanc pontificum accusationem : *Filium Dei se fecit*, cum eo quod paulo ante ex ipsomet Christi ore audierat : *Regnum meum non est hinc*. Similiter versimile est, quod cum Pilatus aliquanto tempore provinciæ Galilææ gubernator extitisset, multa intellexerit opere prodigiosa, quæ Christus fecerat, et specialiter Lazari quatriduani mortui resuscitationem, atque his omnibus inter se collatis, Christi apud se concludisse divinitatem. Hugo Cardinalis alia hujus timoris motiva indicat, dicens[2] : « Timuit, quia cor cœpit « ei dictare, quod revera erat Filius Dei. Unde de « Pilati confessione habetur in altercatione Simonis « et Petri coram Nerone, quando Petrus dixit ad « Neronem : Si vis scire, bone Imperator, quæ « gesta sunt in Judæa de Jesu, accipe litteras a « Pontio Pilato missas ad Claudium. Exemplum « autem Epistolæ erat : Pontius Pilatus Claudio « suo salutem. Nuper accidit, quod ego probavi, « Judæos per invidiam se suosque posteros crudeli « condemnatione punivisse. Denique cum promis- « sum Patres eorum haberent, quod illis Deus « eorum mitteret de cœlo Sanctum suum qui eorum « Rex merito diceretur, et hunc promiserit per « virginem missurum ad terras. Istum itaque me « Præside in Judæa Hebræorum cum misisset, et « vidissent eum cæcos illuminasse, leprosos mun- « dasse, paralyticos curasse, dæmones ab hominibus « fugasse, mortuos etiam suscitasse, imperasse « ventis, ambulasse siccis pedibus super undas « maris, et multa alia mirabilia fecisse, cum omnis « populus Judæorum hunc Dei Filium diceret, invi- « diam passi sunt contra eum principes Sacerdotum « et tenuerunt eum, et tradiderunt eum mihi, et « alias mihi mentiones, de eo dixerunt, eum Ma- « gum esse, et legem eorum agere, ego autem « credidi ita esse, et flagellatum tradidi illum ar- « bitrio eorum, illi autem crucifixerunt eum, etc. Cujus epistolæ veritate supposita clare satis colligitur Pilatum aliqualem divinitatis Christi habuisse notitiam, tametsi postea ab alio quodam majori timore fascinatus, ut suo loco dicetur, scilicet ne Cæsaris gratiam amitteret, omne dubium posuerit. Salmeron ait[3] : « Metuebat non solum, ne in inno-

[1] CAJETAN., *in Joan.* — [2] LUC. BRUG., *in Joan.*

[1] TOL., *ib.* — [2] HUGO CAR., *ib.* — [3] SALM., t. X, tr. 34.

« centem peccaret, sed etiam in Dei Filium, atque « ob id deos sibi iratos experiretur. Viderat enim « admirabile in Christo inferendis malis patientiam « in respondendo gravitatem cum modestia con- « junctam, unde merito cœpit metuere. » Dionysius Carthusianus ait [1] : « Inter Judæos habitando, ali- « quid forte de omnipotentia, et majestate summi « Dei audierat. Omnibus quoque, ut inquit Damas- « cenus naturaliter inserta, seu indita est cognitio « existentis Dei. » Tametsi igitur Pilatus idololatra esset, nihilominus in aliqualem credebat divinitatem. Atque ideo quia Christum tot indignis modis tractari fecerat, et paulo ante crudeliter flagellatum, corona spinea redimiri permiserat, merito timuit, maxime quando illum omni humana natura superiorem esse vidit. Idem Carthusianus super Joannem scribens, ait [2] : « Formidavit, ne facinus com- « misisset gravissimum flagellando Filium Dei. » P. Sylverius sequens movet dubium [3] : « Cur non « irridet etiam de hoc, quod se diceret Filium Dei, « dicens : Ecce Filius Dei? Quod egregie notavit « Rupertus, lib. XIII, in *Joan.*, inquiens : Dixerat « hic derisor : *Ecce homo,* nunc adhuc irridens : « *Ecce,* inquit, *Rex vester,* nescivit dicere, quod « tertium accusationibus nomen est : Ecce Filius « Dei vestri. » Mox vero sequentem subjungit responsionem. « Potius sacrilegus, ac tyrannus judex « irridere, quod homo magnus diceretur, cum « tamen tanquam valde despectus vermis haberetur « Potuit etiam irridere, quod ut Rex cum tanto « ludibrio tractaretur. At quod Filius Dei in tan- « tam abjectionem et exinanitionem pro hominum « salute absque ulla propria culpa veniret, non po- « tuit irridere. » Blosius omnia hæc considerans, in sequentes prorumpit devotionis affectus [4] : « Ave « dulcis Jesu : Laus tibi, et honor, et gloria Christe, « qui te ignominiosissimæ morti crucis coram po- « pulo injuste adjudicari passus es, ut nos ab « æternæ mortis sententia liberares : præsta, ut « nunquam alios temere judicem, nunquam ali- « cui male velim, nunquam aliquem lædam. Da ut « per gloriam et ignominiam, per infamiam, et bo- « nam famam, te sequar, tibi serviam, tui honorem « quæram. »

## DISCURSUS XVII.

NONNULLA SILENTII CHRISTI, DUM A PILATO, AN FILIUS DEI ESSET, INTERROGARETUR, EXAMINANTUR MYSTERIA.

IDEA SERMONIS. — 1. Discutiuntur rationes quare Pilatus Christum examinaverit et circa quid. — 2. Inquiritur causa cur Christus Pilato, de ejus divinitate inquirenti responsum non dederit. Pilatus ex fastu et superbia interrogavit Christum. — 3. Adducuntur alia motiva Christi silentii. Christus siluit ne dimitteretur et redemptio nostra differretur. — 4. Christus tanquam agnus mansuetus non aperuit os suum. Hoc Christi silentium docet nos criminationes patienter ferre. — 5. Pilatus indignatus fuit ob silentium Christi. Pilatus ex modo loquendi ostendit se esse judicem injustum. — 6. Christus suo responso reprimit superbiam et jactantiam Pilati.

*Dixit ad Iesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei.* Joan., XIX, 9.

**1.** — Cum accusatio a Judæis contra Christum facta, quod scilicet Filium Dei se fecisset, menti præsidis impressa, eumdem in suspicionem traxisset, ne forte talis esset, eum denuo in prætorium reduxit; ait enim sacer textus [1] : *Et ingressus prætorium iterum, ut eum examinaret,* id est ut Lucas Brugensis exponit : « Ut eum exploraret, quid hac « de re esse posset, remque planius intelligeret. Interrogavit autem eum : *Unde es tu?* Porro probe satis sciebat, eum in Nazareth civitate Galilææ fuisse natum, quia idipsum paulo ante audierat, imo ob hoc motivum, quia scilicet Jesus Galilæus esset, ipsum ad Herodem remiserat. Qua igitur ratione hujus suæ originis tam subito perdidit memoriam. Salmeron ait [2] : « Non quærit de patria « cum prius novisset esse Galilæum, sed generis « originem principiumque interrogat, id est, a quo « genus ducis! Qui sunt parentes tui. Esne tu e « cœlo, an e terra? Esne Filius Dei, ut isti tibi « objiciunt te facere, an Filius hominis. » Lucas Brugensis ait [3] : « Intelligere volebat, an ex eorum, « quos noverat, deorum aliquo cœlestem originem « duceret, præsertim cum paulo ante dixisset : « Regnum suum de hoc mundo non esse, sed in « mundum se venisse, ut testimonium perhiberet « veritati. » Toletus hinc movetur, ut Judæis in hæc asperiora verba improperet [4] : « Hoc Pilati factum « Judæorum condemnat tarditatem, et sanguinem « inexcusabilem; uno enim verbo audito, veritatem « inquirit, et verum scire desiderat, ne quid igno- « ranter, aut imprudenter contra Deum committat. « Iudæi vero tot verbis auditis, tot visis miraculis « factis, tam multis propheticis testimoniis claman- « tibus audire et intelligere spreverunt nec his « contenti, verum Dei Filium crucifigere totis viri- « bus conati sunt. » Vincentius Ferrerius existimat Præsidem interrogantem : *Unde es tu?* dicere voluisse [5] : « Es ne progenitus ex divina, an humana « generatione. Jesus non respondit propter diffi- « cultatem quæstionis, quia Pilatus non sufficiebat « eam accipere. »

**2.** — *Jesus autem responsum non dedit ei.* Mirum profecto est, et quæstione dignum, cur Christus, qui præcedenti nocte, et circa diluculum diei sequentis, in conspectu summi pontificis et concilii;

[1] DIO. CART., *in Luc.* — [2] DION. CARTH., *in Joan.* — P. SYLVEIRA, *Carm.* — [4] BLOS., in *Sacel. anim.*

[1] LUC. BRU, *in Joan.* — [2] SALM., t. X, tr. 31. — [3] LUC. BRUG., *ib.* — [4] TOL., *in Joan.* — [5] S. VINC. FERRER., *in Parasc.*

se Filium Dei esse confessus fuerat, nunc Pilato judici suo, eum roganti, ut hanc manifestaret veritatem nullum prosus dederit responsum. Lucas Brugensis hujus hanc assignat causam[1] : « Quia « responso indignus erat, qui innocentem crudeliter adeo tractarat, satis superque potam ipsi « fecerat innocentiam suam, nec tamen abstinuerat « injuriis, ita quia quantum satis erat, responderat « quæstioni propositæ verbis illius *Joan*, XVIII, 36. « Quod discere quærit » ait Euthymius[2] jam « didicerat quando audierat : *Regnum meum non est de « hoc mundo.* Plenioris responsi capax non erat, « non enim poterat nosse Filium Dei qui non « noverat Deum. » Hanc silentii Christi rationem, multi quoque alii sacri interpretes tetigerunt. Et quidem Simon de Cassia ait[3] : « Quamvis curiosa « esset interrogatio altissima tamen erat, profe- « rentis mentem excedens, nam humano more « loquendi, non potuisset Christus satisfacere Pilato « nisi mentem ejus convertisset ad fidem, quam « conversionem humana potentia tumens, et Ro- « manorum scientia imperita minime merebatur. » Abstrusa enim divinitatis mysteria solis revelantur humilibus, dicente Domino nostro[4] : *Confiteor tibi Pater Dominus cœli et terræ ; quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Toletus idem punctum tangens, ait[5] : « Non ut humilis discipulus, sed tanquam superbus Judex « interrogabat ea, quæ non nisi humilibus corde « et parvulis revelantur, quod ex verbis seqq, apparet. » Fastus enim et superbia ipsius manifestam se fecit ex verbis contemptu plenis, quibus Christum aggrediebatur, tametsi ipsum Filium Dei esse suspicaretur : ait enim Pilatus : *Mihi non loqueris? Nescis quia habeo potestatem occidere te, et potestatem habeo dimittere te* « Divina autem mysteria intelligere, » inquit Toletus[6] « non ex potestate « petendum erat, sed ex humilitate et devotione. » Lucas Brugensis inquit[7], « Interrogabat non ex fide, « sed ex timore variorum Deorum, ut idololatra, « plures credens Deos, qualis Jesus nolebat haberi, « nec ut hujusmodi absolvi, quemadmodum nec a « resurrectione voluit Tiberii opera inter Romanos « Deos referri. Pilatus irrisisset potius, quam credisset, si Jesus se in principio ante omnia sæcula « ex Deo Patre genitum fuisse et unum cum Patre « Deum esse respondisset. » Salmeron aliam adducit considerationem, ait enim[8] : « Si Pilati menti « Dominus Jesus respondisset, importunum erat in « illis temporis angustiis, de rebus adeo vanis, et « fabulosis verba facere. » Nam ut diximus, motivum interrogationis Pilati procedebat ex curiositate sciendi, an alicujus Deorum gentilium filius esset; « si autem ex sua origine, vel æterna ex « Patre, vel temporali ex virgine per Spiritum « sanctum facta loqui voluisset, Pilati captum hæc « excedebant nec ratione, sed fide tantum apprehendi poterant, quia *generationem ejus quis enarrabit?* »

[1] Luc. Brug., *ib.* — [2] Euthym., *ib.* — [3] Sim. de Cass., l. XIII. — [4] Matth., XI, 25. — [5] Tolet., *ib.* — [6] Id., *ib.* — [7] Luc. Brug., *ib.* — [8] Salm.

**3.** — S. Apostolus inquit[1] : *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi, et non potest intelligere* et ideo si Christus se opera Spiritus Sancti in utero virginali conceptum fuisse, animam suam visione beatifica gaudere, vel se simul cum Patre in cœlis regnare atque a potestatibus angelicis formidari dixisset, non obstante quod ab eo in assumpta sua humanitate derideretur, et flagellaretur, si, inquam, hæc omnia Pilato dixisset, hic utique nihil horum intellexisset, fuissetque Christus potius a præside derisus, audissetque ab eo idem quod alias Hebræi dixerant[2] : *Nonne hic est filius fabri, et mater ejus dicitur Maria?* Toletus præter prædicta motiva, alia quædam in medio adducit, inquiens[3] : « Non « ex recto et vero principio quærebat, idololatriæ « enim et multorum ac falsorum deorum cultor « erat, et ex hac idololatria ac errore quærebat « scire, quis esset, nempe an filius aliquorum deorum suorum. Nam vana et impia interrogatio « responsionem veritatis non obtinuit. Hanc causam attigit Cyrillus lib XII, c. 20, addens aliam « quæ etiam est Chrysostomi homilia 83. Quia « audiens prius veritatem : *Regnum meum non est « de hoc mundo. Et omnis qui ex veritate est « audit vocem meam,* sprevit, et respuit, nec hoc « contentus, furori Judæorum iniquo obtemperavit, « indignus igitur fuit responso veritatis. » Sapiens ait[4] : *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* « Jesus, » ut Salmeron notat[5], « responsum non dedit ei ideo, quia interrogatio ex « radice idololatriæ orta erat. Putabat enim Pilatus, « homines quosdam esse ex diis prognatos, quos « filios Dei vocabant. » Idem auctor præterea aliam hujus taciturnitatis assignat convincentem rationem, inquiens : « Non erat tempus gentiles docendi, quia non erat missus, nisi ad oves quæ « perierunt domus Israel, nec sanctum cani dandum erat, nec margaritæ projiciendæ ante porcum. » S. Bonaventura similiter hujus silentii optimam reddit rationem. Si enim Incarnata sapientia præsidis erudisset ignorantiam, hic utique divinitate ejus cognita eum a morte liberasset sicque Redemptioni generis humani positum fuissel obstaculum. En verba D. Seraphici : « Jesus autem « nihil respondere voluit, ne crimen diluens, dimitteretur a Præside, et crucis utilitas differretur, « O quanta circa humanam salutem dilectione « fervebat. cum non respondere voluit, ne dimitteretur. » Similem quoque causam S. Athanasius

[1] I Cor., II, 14. — [2] Matt., XIII, 18. — [3] Tolet., *ib.* — [4] Prov., XXVI, 4. — [5] Salm.

Toleto citatus in hæc verba adducit[1] : « Ne si res-
« pondisset, timiditate, et formidine mortis induc-
« tus id fecisse videretur. » Porro si alias interro-
gatus responsum aliquod subjecit, id sine dubio non sine mysterio ab illo datum fuit, ut bene notat Lucas Brugensis inquiens[2] : « Verum Jesus, qui
« semel causam suam parce tuitus, non ut morti se
« subduceret, sed ut se innocentem probaret, ex-
« pertus fuerat judicum iniquitatem, nihil amplius
« respondendum, sed tacendum judicavit, donec
« Pontifex adjurato singularem illum articulum
« proponeret, an esset ipse Christus filius Dei. »
Tunc enim Caiphæ, qui summus Sacerdos erat, nec non universo concilio, se Filium Dei esse respondit, ne ullo unquam tempore se excusare possent, dicendo, illum tanquam promissum, et ab ipsis expectatum Messiam nunquam agnitum fuisse. At vero ad interrogationem Pilati subticuit, quia nondum erat tempus, in quo gentilitas ad verum lumen et notitiam fidei suæ recipiendam disposita esset. S. Thomas pariter Christum Pilato suam divinitatem celare voluisse existimat, ne fructum passionis suæ impediret : « Quia noluit excusare passionem
« suam, » inquit « poterat enim eam excusare
« loquendo « Quando alias a ponticibus et pharisæis ad Christum capiendum ablegati fuerunt ministri, nemo misit super eum manus. Cujus illi hanc reddiderunt causam, quia[3] *nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Adeoque ii qui Christum capere debebant, potius a divini verbi sui virtute capti fuerunt : eodem quoque modo si Christus (de quo S. Petrus ait[4] : *verba vitæ æternæ habes*) os suum aperuisset ad respondendum, sine dubio evasisset mortem, quod fieri noluit, quia tempus jam erat, ut eamdem pro redemptione generis humani subiret.

**4.** — S. Augustinus aliam hujus silentii rationem his verbis adducit[5] : « Jesus ubicunque non
« respondet, non sicut reus, sive dolosus, sed sicut
« agnus, hoc est, sicut simplex atque innocens non
« aperuit os suum, proinde ubi non respondebat,
« sicut ovis silebat, ubi respondebat, sicut Pas-
« tor docebat. » Et vero non congruebat, ut Pilatum doceret, siquidem dixerat[6] : *Oves meæ vocem meam audiunt*, Pilatus autem ad Christi gregem non pertinebat. Imo cum in procinctu esset, ut instar agni innocentis sacrificaretur, jamque Pilatus illum flagellorum acerbitate flagellari fecisset, os suum aperire non debuit; ut propheticum illud adimpleret oraculum[7] : *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum, oblatus est, quia ipse volui, et non aperuit os suum.* Præterea Pilatus agnum Dei male totonderat, nam flagellaverat, et illuserat; et ideo juste coram illo obmutescebat, juxta illud : *Coram tondente se obmutescet.* Præterea Christus per hoc silentium nos docere voluit, in calumniis et falsis imposturis nobis inustis heroicam exercere patientiam. Hugo Cardinalis ait: » Ut suos doceret, criminationes et accusationes
« falsas magis tacendo. quam defendendo esse
« superandas. » S. Bonaventura auctoritatem citat Chrysostomi dicentis[1] : « Ipse stabat silens, tu vero
« non solum audi hoc, sed continuo in mente habe
« et regem orbis terrarum, et Angelorum contu-
« meliam patientem a militibus, per verba, per res,
« et omnia ferentem silentio, imitare per opera
« ipsa. » Filius Dei unico tantum verbo se Filium Dei asserendo, ab omnibus se poterat eximere supplíciis ; et tamen[2], *ponit in pulvere os suum saturatur opprobriis,* quia ut Tertullianus ait[3] : « Saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. » S. Augustinus rationem reddit, cur Christus divinam suam filiationem et supremum, quod tanquam rex et monarcha cœli et terræ, obtinebat, dominium, non confirmavit per aliquod miraculum, ait enim[4] : » Neutrum sibi Jesus mendacium usurpavit, » in concilio enim se regem et Filium Dei esse confessus fuerat[4] : « utrumque verum est, et unigenitus
« Dei Filius est, et Rex ab eo constitutus super
« Sion montem sanctum ejus; et utrumque tunc
« demonstraret, nisi quanto erat potentior tanto
« mallet esse patientior. » Cardinalis Bellarminus de Ecclesia Dei optime meritus inquit[5] : « Quanta
« patientia, quanta humilitas necessaria fuit, ut
« nihil ad ista responderet is, qui vere erat
« omnipotens ? Sapientiam passio obscuravit,
« quando coram principibus sacerdotum, coram
« Herode, coram Pilato, ad multas interrogationes,
« quasi consilii omnis expers, nihil respondebat:
« ex quo factum est, ut eum Herodes indutum veste
« alba spreverit, cum non solum Salomone sapien-
« tior, sed ipsa etiam sapientia esset. »

**5.** — *Dicit ergo ei Pilatus* : *Mihi non loqueris. Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te.* S. Cyrillus Alexandrinus Pilatum, ob Christi taciturnitatem irascentem considerans, inquit[6] : « Quasi ergo taciturnitate Christi
« vituperatus, indignatur, atque insanit, silentii
« rationem nequaquam intelligens. Merito hic, quod Isaias prædixit memorabat : *Sicut ovis*, inquit, *ad occisionem ductus est, et sicut agnus* etc. Lucas Brugensis hanc judicis indignationem fusius his verbis exponit[7] : « *Mihi non loqueris.* Urget pro
« nomen mihi, cujus emphasim explicans, subdit :
» *Nescis quia potestatem habeo* etc, Offensus silentio
« Jesu tanquam parvi facientis, aut certe ignoran-
« tis, vel non satis considerantis, quam ipse gere-
« ret personam : jactat auctoritatem, potentiam

[1] S. Athan., *de Pass. et Cruc.* — [2] Luc. Brugens., *in Joan.* — [3] Joann., vii, 46. — [4] Id., vi, 69. — [5] S. Aug., *tr.* 116 *in Joan.* — [6] Joan., x, 27. — [7] Isa., liii, 7.

[1] S. Bonav., *in Joan.* — [2] Thren., iii, 29. — [3] Tert., lib. *de Pat.* — [4] S. Aug., *ib.* — [5] Bell., l. II de 7 *Verb.* — [6] S. Cyr. Alex., l. XII *in Joan.* — [7] Luc. Brug., *ib.*

« viresque suas, et timore partim, partim spe, « responsum ex ore Jesu elicere conatur. Variis « agitatur affectionibus modo timebat, nunc timo- « ris oblitus prosilit in superbiam, videns Jesum præ « se contemptum. Modo terrebatur, jam terret. Irri- « tatus enim, inquit Euthymius quod sibi ne ipsi « quidem faventi, respondeat, vibrat potestatem. « Sed dum potentiam suam effert, justitiæ laude « et fama se privat, tyrannica enim jactantia est, « ubi judex pro se, arbitrio suo posse innocentem « vel servare, vel perdere. Ut vir prudens hactenus « videretur Pilatus, hac tamen voce apparuit impius. « Bonus enim Judex non existimat se posse, quod « jure non potest. Nihil ex arbitrio suo facit, et « domesticæ proposito voluntatis, ait Ambrosius [1], « sed juxta leges et jura pronunciat, scitis juris « obtemperat, non indulget propriæ voluntati. Au- « dite quia judex iniquitatis loquitur : *Potestatem « habeo crucifigere te* etc. Mala potestas licere quod « noceat. potestas ista tenebrarum est. » Theophylactus quoque ex hoc judicis loquendi modo, ejus injustitiam evidenter deducit, inquiens [2] : « Videa- « mus quomodo seipsum condemnet per ea, quæ « dicit : *potestatem habeo*, etc. Si hoc totum habes « et in te situm erat, quare non dimisisti, quem « innoxium invenisti. » S. Bonaventura similiter ait [3] : Et in hoc seipsum condemnavit, ait Chrysos- « tomus. Si enim talem habuit potestatem, cujus « gratia nullum causam inveniens, non absolvit? « Adversus seipsum enunciationem protulit. »

**6.** — *Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Quodnam, obsecro, in eo latet mysterium, quod nunc silentium rumpat, taceat vero, quando interrogatur, num sit Filius Dei ? Lucas Brugensis ait [4] : « Coercere volens jactantiam illam Pilati, qua « potestatem sibi vitæ et necis, in Jesum non minus, « quam in alios esse arrogantius jactaverat, ita ut « pro arbitrio suo posset de illo, quod vellet, agere. « Respondit inquam, eo quod jactantia illa, et le- « varet ipsius Jesu dignitatem (cujus mens non « erat hic negare se esse Filium Dei, quin potius « hoc Pilato intelligendum dare) et passionem red- « deret in gloriam, quasi ex mero Pilati arbitrio in- « flictam, ita et subitam, ac non potius ex Dei con- « silio ad humani generis salutem sponte a Jesu « toleratam. » Et paulo post subdit : « Significat se « crucifigendum a Pilato, non quia ille potestatem « habeat in ipsum, cum verus Filius Dei sit; sed « quia Deo decretum sit, id permittere. Declarans « divina quadam dispensatione se pati, ait Euthy- « mius. » Theophylactus Redemptorem nostrum per illud responsum dicere voluisse, ait [5] : « Non « enim ita simpliciter morior, sed mysticum aliquid « perficio, et prædefinitum est hoc superne in sa- « lutem hominum. » Toletus quoque ait [1] : « Super- « biam et arrogantiam Pilati reprimit Dominus, et « inde suam innocentiam indicat. Pilatus jactave- « rat potestatem auctoritatis suæ. At Christus « auctoritatem et facultatem negat eum habere « potuisse, nisi de cœlo, unde ipse veniebat, illi « datum esset. »

**7.** — Possunt quoque hæc verba adaptari regibus et principibus, maxime cum in libro Sapientiæ illis dicatur [2] : *Audite Reges et intelligite, discite Judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum : quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem. justitiæ. Horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.*

**8.** — *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Salvator noster, juxta interpretationem Lucæ Brugensis his verbis vult dicere : « Gravius « Deum offendit, ac proinde graviorem divinæ jus- « titiæ vindictam sentiet, quam tu. Neque enim tu « id ita teneris credere, me a tua potestate exemp- « tum esse, ut illi, quibus divinæ legis peritis satis « superque monstravi, me esse olim promissum « Christum Filium Dei, et Regem Israel. »

## DISCURSUS XVIII.

PILATUS EX TIMORE, NE E GRATIA CÆSARIS EXCIDERET, A PROPOSITO CHRISTUM LIBERANDI ABREPTUS FUIT, MAXIME QUANDO JUDÆI SE NULLUM PRÆTER CÆSAREM REGEM HABERE PROTESTABANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Expenditur motivum ex quo Pilatus voluerit dimittere Christum. — 2. Pilatus timore amittendæ gratiæ Cæsaris condemnavit Christum ad mortem. — 3. Continuatur idem argumentum timoris Pilati. Ostenditur timorem Pilati in hoc puncto fuisse vanum. — 4. Pilatus multis timoribus agitatus fuit. Multis modis conatus fuit Christum liberare. Prævaluit tamen timor perdendæ gratiæ Cæsaris. — 5-6. Pilatus irridet Judæos. — 7. Judæi illis verbis renunciarunt Moysi et Prophetis. Judæi ex odio in Jesum subjecerunt se sponte perpetuæ servituti Romanorum.

*Quærebat Pilatus dimittere eum : Judæi autem clamabant dicentes : si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Joan., XIX, 12.

**1.** — Observandum est, S. Joannem tacite indicare motivum, cur Pilatus ad Christum liberandum adeo fuerit voluntarius; dicit enim : *Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum* : id est, ut Toletus exponit [3], « postquam audisset Christum dicentem, « *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi*

[1] S. AMBR., S. 20 *in Ps.* CXVIII. — [2] THEOPH., *in Joan.* — [3] S. BONAV., *ib.* — [4] LUC. BRUG., *ib.* — [5] THEOP., *ib.*

[1] TOLET., *in Joan.*, annot. — [2] SAP., VI, 12. — [3] TOL., *in Joan.*

« *tibi datum fuisset desuper,* nec non quia dixerat « *Is, qui tradidit me tibi, majus peccatum habet*; « hinc enim cognovit se inique acturum, si inique « traditum damnaret, atque ideo timuit. » Ejusdem quoad Pilatum sententiæ fuit Lucas Brugensis dum ait [1] : « Egressus prætorio, declaravit palam, « decretum sibi prorsus esse dimittere Jesum. Lau- « danda Pilati modestia, quod reprehensus a reo « non succenseat, imo audito eo magis ad liberan- « dum inclinet. Non perfecit id tamen, quanquam « jactaret se potestatem habere dimittere eum, « quia inconstans fuit et fragilis. » Porro Pilatus voluntatem Redemptorem nostrum a morte liberandi multis modis expresserat, unde S. Bonaventura ait [2] : « Judæi semper institerunt ad ejus mor- « tem, sed Pilatus conatus est subterfugere septem- « modis, scilicet imitatione fori, allegatione innocen- « tiæ, obligatione misericordiæ, ostentatione volun- « tatis suæ, declaratione quod hoc esset contra « rationem, inflictione pœnæ, et tandem retorsione « culpæ in Judaicam plebem. » Theophylactus in detestationem inconstantiæ judicis ita scribit [3] : « Itaque talis quidem erat mens Pilati, mitior vide- « licet; neque tamen severiter pro veritate instans. » Porro justitiæ definitio, ut omnibus constat, hæc est, *Est constans et perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuendi.* Ac proinde ubicunque locum habet instabilitas, semper prævalebit iniquitas, nutabitque justitia et æquitas. Unde Ecclesiasticus ait [4] : *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua.*

**2.** — Porro Pilatus forsitan timore Hebraismi perculsus erat, utpote qui imperio romano se subjecerat, alasque superbiæ ejus multum decurtarat; ideoque confidenter et concorditer clamarunt, dicentes : *Non habemus regem nisi Cæsarem.* At vero vanus erat hic timor in eo qui judicis munus administrabat; memor enim esse debebat illius præcepti divini [5] : *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies.* Seneca Tragicus ita canit : « Justum esse facile est, cui vacat pectus meus. » Horatius similiter ita cecinit : « Justum et tenacem « propositi virum, non civium ardor prava juben- « tium, non vultus instantis tyranni, mente quatit « solida. » Erat porro Judaismus populus arrogans quidem, sed inermis adeo, ut præcedenti vespere ad Christum capiendum a Pilato milites requirere coacti fuerint. His omnibus adjungitur, quod motivum, quo Pilatus ad Christum relaxandum inducebatur, non tam innocentia ejus, quam timor fuerit, ne forte esset Filius Dei : *Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum.* Syrus legit apud Lucam Brugensem : « Propter hoc, sive ex hac causa volebat di- « mittere eum, scilicet magis etiam quam antea, « ex quo tempore audierat accusari Jesum, quod se « Filium Dei, nec negari a Jesu se esse Filium fecisset « Dei. » At vero supposito, quod Pilatus hanc de Christo opinionem habebat, scilicet quod Filius Dei esset, quid, obsecro, opus erat, ut Judæos timeret ? Potius dicere debuisset cum Psalmista regio [1] : *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum : si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*; siquidem per Dei omnipotentiam, quam ipse defendere moliebatur, contra insolentem hanc plebeculam intrepidus stare poterat. Theophylactus postquam id quod Pilatus pro innocente Jesu liberando fecerat, considerasset, subjungit : « Hæc « quidem Pilatus, non instanter, et firme, et pro « veritate certans. » Et ideo sagaces Hebræi modum adinvenerunt, per quem se assecurabant, Pilatum ab omni sua deliberattone habita certo dimovendum esse. Unde Cajetanus ait [2] « : Videntes « Judæi, quod neutrius criminis causa apud Pilatum « prævalebat (scilicet nec quia declarasset se Re- « gem, nec quia Filium Dei se esset dixisset) ad « minas se convertunt lædendæ amicitiæ Cæsareæ. « Intendunt enim quod delaturi sint ipsum apud « Cæsarem, tanquam parvi pendentem ejus amici- « tiam. Habebant siquidem Judæi Romæ agentes « eorum causas, et per illos minantur se significa- « turos Pilatum non esse amicum Cæsaris. »

**3.** — *Judæi autem clamabant, dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Nimirum tanquam practici pugiles cum Pilato digladiabantur; hi enim ictum lethalem ad finem usque reservare solent : « Videntur omnino Judæi, » inquit Lucas Brugensis, « hujusmodi aliquid veriti, ne Pilatus « accusationem de Filio Dei instituendo, magis mo- « veretur ad absolvendum Jesum, quam ad dam- « nandum ; ac proinde hanc accusationem postre- « mam produxisse, nec prius, quam necesse esse « viderent. » Neque vane, et ut dici solet, in aera locuti sunt, sed rationem assignarunt, cur Imperatoris incursurus esset indignationem. Primo enim dixerunt : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris* : postea vero, ut S. Thomas notat, rationem subjunxerunt, dicendo : *Omnis qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Accidit porro, ut plurimum, ut unus homo alios judicet secundum affectus et inclinationes proprias. Et ideo cum Salvator de Hebræis dixerit : *Dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei,* Judæi quoque de Pilato existimabant, quod amicitiam Cæsaris præponeret amicitiæ justitiæ, quamvis contrarium sit faciendum [3]. Salmeron Judæorum timentium Christi liberationem, atque dicentium : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris,* hunc sensum fuisse, dicit : « quasi dicerent : Si nihil ad te pertinet, quodin

[1] Luc. Brugens., *in Joan.* — [2] S. Bonav., *in Luc.* — [3] Theophyl., *in Joan.* — [4] Eccli., vii, 6. — [5] Exod., xxiii, 2.

[1] *Ps.* xxvi, 3. — [2] Cajet., *in Joan.* — [3] Salm., t. X, tr. 31.

« Deum deliquerit, certe ad te spectat, quod in Cæsa-
« rem peccavit. Cæsarianus es, et ob hoc hic habitas,
« ut Cæsaris nomen ac gloriam, et potestatem non
« permittas imminui, sed tuearis potius, et ampli-
« fices. » Idem quoque Scriptor argumentum explicat Judæorum quod ad eum convincendum formabant : « Sic enim arguebant isti : Romani impe-
« ratores abstulerunt a nobis dignitatem regiam,
« propterea qui inter nos se vult appellare regem,
« videtur facere contra Cæsarem : Iste est hujus-
« modi, ergo non debet permitti, ut amplius vivat,
« qua in re obsequium Cæsari præstabitur. Etsi
« autem hujus syllogismi major sit vera, minor
« tamen falsa est, tum quia multiplicatis panibus
« cum eum regem facere vellent, aufugit in mon-
« tem : tum quia rogatus a Pilato, respondit :
« *Regnum meum non est de hoc mundo* : tum quia si
« Pilatus diligenter inquisivisset de vita, de disci-
« pulis, ac moribus Jesu, vidisset in eo nihil esse
« regni mundani. » Porro hujus inanis timoris vanitatem qui nullam habebat subsistentiam, Theophylactus in hæc verba expendit : « Metum Cæsaris
« incutiunt, et accusantes Dominum de tyrannide,
« Pilatum magis terrent, quasi offensurum Cæsa-
« rem, si rebellem illum dimittat. Et ubi ille in
« tyraunide deprehensus ? Num a purpura ? Num
« diademate ? Num a signis militaribus ? Nonne
« omnia quæ habebat, erant vilia ? Et stola,
« et cibus, et domus ? Imo ei nec domus erat. »
Porro præcipua accusatio, per quam Christi mortem urgebant, hæc erat, quod se scilicet Regem ipsorum facere voluerit, et ante quinque dies ab omni populo Regem Israelis se proclamari permiserit, nemine contradicente. At vero quia præses ipsum tanquam futilem calumniam respuisset, mox alia valde notabilem, ac notabilier aggravantem, adversus Christum evomunt imposturam, dicendo ; *Omnis qui se Regem facit, contradicit Cæsari* : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris* : Et hoc unicum ad pervertendam justitiæ lancem in Pilato sufficiebat : nam ut S. Cyrillus Alexandrinus ait [1] : « Pertimuit Pilatus, cum Filium Dei Christum
« se facere audisset ; ac ideo ab omni calumnia
« liberare ipsum studebat. Id calliditas Judæorum
« cum intellexisset, ad primam vertentur calum-
« niam, quod regnum in se appetat, et Romano-
« rum jugum longe a Judæis ejicere conatur. » Lucas Brugensis ait [2] : « Nihil magis odiosum objicere po-
« terant, et quod plus posset Pilato terroris incu-
« tere, quanquam non amore Cæsaris objiciant,
« sed odio Jesu, ut prætextu offensi Cæsaris, libidi-
« nem suam exercere in Jesum ipsis detur. »

**4.** — Multos porro in mente et corde Pilati timores fuisse, satis est verisimile, quibus agitabatur. Quorum unus erat, quia videbat, indignationem totius synagogæ, principum, magistratuum, pontificum, et totius populi se incursurum, nisi eorum instantissimis precibus locum daret. Secundus metus oriebatur ex perplexitate, qua verebatur, ne forsitan Filius Dei esset, quia severissima ipsi supplicia immittere posset. Tertius timor erat, quia sciebat, se condemnaturum esse virum innocentem per manifestam crudelitatem, cui jam antea pœnosissimos, nec minus ignominiosos dolores inferri permiserat. Ultimus timor erat, qui omnia sua bona proposita simul et justitiam prostravit, scilicet metus perdendi gratiam Cæsaris : hicque omnibus aliis respectibus humanis longe prævaluit. Porro Pilatus pluribus modis Christum liberare contenderat. Etenim ipsum ad Herodem misit eo fine, ne sibi opus esset, ut huic causæ sese ingereret. In reditu Christi ab Herode protestatus est coram populo, quod rex ille Christum coram suo tribunali constitutum declarasset innocentem. Tertio omnino sibi persuasit, quod si Judæis opinionem daret, inter Barabbam latronem, Reipublicæ adeo perniciosum, et Christum innocentem, alterutrum illorum a morte liberandi, certo futurum fuisset, quod illum patibulo, Christum vero libertati asseruissent. Quarto Christum flagellari fecit, ut viso hoc Christi adeo crudeliter dilaniati lamentabili spectaculo : *Ecce homo*, indignus principum et pontificum furor mitigaretur, utpote qui ad hanc injustam persecutionem sola invidia moti fuerant. Quinto sæpius coram Judæis protestatus fuerat, quod ne unum quidem delicti caput ad ipsum sententiandum inveniret. Sexto promulgationem sententiæ, quoad usque potuit, retardavit. Septimo in conspectu omnium ipsum examinavit, ut tanto magis causam ipsius justificaret. Octavo circa ipsum in prætorio privatum examen instituit, et tamen ut Salmeron ait : « Prævaluit timori Dei præsentis, Cæsaris
« gratiæ perdendæ metus, et forte dixit cum Cai-
« pha : *Expedit unum hominem mori pro populo*,
« et non tota gens tumultuetur et in me insurgat. »
Toletus præsidem a resolutionibps suis totaliter mutatum, contrariumque ejus, quod pro defensione innocentis facere debebat, operantem, his verbis describit [1] : « Timorem Pilato gravem incutiunt, ne,
« dum defendit Christum, Cæsarem offendat. Suc-
« cumbit huic oppositioni, et quem timor innocen-
« tiæ, et divinitatis Christi ab ejus damnatione
« hucusque averterunt, et retraxerunt, mundanus
« timor impellit, magisque Deum quam Cæsarem
« reverens, iniquo et impio judicio consentit :
« cumque egressus esset de prætorio, ut eum libe-
« raret, mutata jam propter Cæsarem non opi-
« nione, sed voluntate, Jesum foras extra præto-
« rium, ubi manserat, damnandum adduci facit,
« et plus potuerunt sermones hi de Cæsare apud

[1] S. Cyr. Alex., l. I *in Joan.*, c. 23. — [2] Luc. Brug., *in Joan.*

[1] Tolet., *in Joan.*

« eum, quam illi, quos etiam audierat, et timuerat, « quod Filius Dei esset. » Porro quantum apud Pilatum vanus hic timor Cæsaris gratiam amittendi prævaluerit, Lucas Brugensis in hæc verba egregie describit: « Quamvis esset persuasus, regnum Jesu « non esse adversarium imperio Cæsaris, quia « tamen nesciebat, in quam partem Cæsar illud « esset accepturus, quod Jesus se dixisset Regem « Judæorum, qui facile posset illud suæ monarchiæ « præjudicium interpretari (ut solent hujusmodi, « nulli alii rei vacare magis, quam dominatu suo, « apud quos multos noverat, quamvis falsi criminis « invidia, fuisse periclitatos) judicavit præstare, « ut ipse Jesum sapientem quidem et innocentem, « sed humilem et tenuem, cui nemo patrocinare- « tur, quique sibi ipsi deesset, crucifigeret, quod « postulabant Judæi concorditer omnes, et princi- « pes, et populi, tanquam pro tuendo jure Cæsaris, « quam ut ipse Cæsarem forte offenderet, seque « periculo capitis, aut loci amittendi expeneret. » S. Bonaventura super Lucam scribens, observat [1], quod Evangelista Joannes, post illa verba : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*, mox subjungat, *quod Pilatus cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali, et malam sententiam tulit* : « Propter quod dicitur : *Qui timet hominem, « cito corruet.* »

**5.** — *Et dicit Judæis : Ecce Rex vester.* « Adhuc « insinuat Pilatus velleitatem suam, » inquit Cajetanus [2], « dimittendi Jesum, demonstrando titulo « regio deductum ad suscipiendum sententiam ; « ac si apertius dixisset : Videte, ad quid deductus « est Messias vester, si forte ad compassionem flec- « terentur. » Dionysius Carthusianus Pilatum hoc in derisionem Judæorum dixisse existimat, ait enim : « Hoc dicit Pilatus derisorie, et ad verecundiam « Judæorum, quasi diceret : Quid apparentiæ habet « hoc quod dicitis, istum egenum et miserabilem « voluisse usurpare regnum Judæorum temporale « contra Imperatoris decretum ? »

**6.** — *Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam ?* Quasi dicat (inquit S. Vincentius Ferrierus in ser- « mone quodam in diem Parasceves) utique ex « hoc verecundia magna generabitur, quando au- « dietur de vobis dici, quod Regem vestrum crucifi- « xistis. » Toletus inquit [4] : « Recte animadvertit « Cyrillus l. 12, c. 18, dicens : « Mirabitur quispiam « rursum Judæorum impudentiam, qui nec alieni- « genæ quidem viri justitia erubescant, nec recor- « dantur legis dicentis, *Malac., II : Labia Sacerdotis « custodient scientiam, et legem requirent de ore « ejus.* Hæc Cyrillus. Gentilis ergo idololatra horret « damnare innocentem, quem veri Dei professores « crucifigi instantissimepetunt. » Porro quo fine Pilatus hoc dixerit, Cajetanus manifestat, inquiens [1] : « Ad flectendum illos hoc dicebat, ut etsi non com- « miseratione, saltem erubescentia desisterent. Erat « enim nonnulla confusio Judæorum, si eorum Mes- « siamPilatus crucifigeret. » Beda in expositione horum verborum ita scribit [2] : « Adhuc terrorem, « quem de Cæsare injecerant, superare conatur, de « ignominia eorum volens eos frangere, dicendo : « *Regem vestrum* etc. quos de ignominia Christi mi- « tigare non poterat : sed timore mox vincitur : « Responderunt enim principes : *Non habemus Re- « gem, nisi Cæsarem.* »

**7.** — *Responderunt Pontifices : Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Dionysius Carthusianus circa hæc verba commentando exclamat [3] : « O infelices « Pontifices, non pastores, sed devoratores gregis « vestri ! Si enim non habetis regem, nisi Cæsa- « rem, ubi est, de quo loquitur Isaias : *Dominus « judex noster ; Dominus legifer noster ; Dominus « Rex noster, ipse veniet et salvos nos faciet* ? » Lucas Brugensis ait [4] : « Duplex potest esse ipsorum ver- « borum sensus, sed in unum atque eumdem re- « cidens. Non habemus, neque agnoscimus pro « Domino nostro supremo, regem aliquem, sed « solum Cæsarem : vel, non habemus regem alium « quam Cæsarem. Utroque sensu Pontifices aperte « Moysi et Prophetis omnibus renunciant, qui « longe alium regem, quam Cæsarem promise- « rant. Imo promiserant alienigena regnante, Mes- « siam adfore [5] (*Gen.*, XLIX, 10). Messiam ergo divi- « nitus promissum, in quo tota populi salus inclusa « erat, a quo pendebant omnes promissiones, in « quo fundata erat tota ipsorum religio, quem « proinde ipsi prædicare debuerant, rejiciunt et « consequenter gratia Dei, ac bonis omnibus se « populumque abdicant. Nam, ut Jesus non fuerit « Messias, sed Christus, nulla tamen eis excusatio « est, quod regem præter Cæsarem nullum agno- « scunt. » S. Bernardinus hæc prædicta Pontificum verba considerans, ait [6] : « Quem licet invite fer- « rent, comparatione tamen Christi, tolerabilior « erat Cæsar. Hoc tamen dicebant, ut ad Cæsarem « posset esse appellando recursus, nisi Christum « Pilatus lata sententia interimeret ; sed justo judi- « cio factum est, ut ipsi a Cæsare in posterum cæsi « sint, qui detestantes Christum, Cæsarem elege- « runt. » Hujus namque suæ declarationis, in contumeliam veri Regis sui factæ, condignas reportarunt pœnas, siquidem Dionysius Carthusianus ait [7] : « Dicendo : *Non habemus regem nisi Cæsarem*, me- « ruerunt usque in finem mundi Romano imperio « subjugari. » Ante hunc vero Euthymius in hæc verba scripserat [8] : « Quia Christi regnum repel- « lentes, Cæsaris potestatem elegerunt ; postmo-

[1] S. Bonav., *in Luc.* — [2] Cajet., *in Joan.* — [3] Dion. Cart., *ib.* — [4] Tol., *ib.*

[1] Cajet., *ib.* — [2] Beda, *ib.* — [3] Dion. Cart., *in Joan.* — [4] Luc. Brug., *ib.* — [5] Gen., XLIX, 10. — [6] S. Bern., t. I, s. 55. — [7] Dion. Carth. — [8] Euthym., *in Joan.*

« dum divina visitatione ac protectione nudati, « traditi sunt ad internecionem, idque rursum ipso « Pascha die, quo clamaverant : *Non habemus Re-* « *gem, nisi Cæsarem.* » Verum enimvero hæc declaratio a Judæis tam imperterrito animo facta, mentem præsidis ab omni prorsus justitiæ tramite deflexit, ut bene ponderat S. Vincentius, dicens [1] : « Responderunt Pontifices : *Non habemus Regem*, « *nisi Cæsarem.* Tunc Pilatus considerans se incur- « rere indignationem populi et Cæsaris, consensit « petitioni eorum. » Lucas Brugensis hanc pontificum protestationem considerans, ait : « Nec tantum « Messiam, seu Christum ejusque regnum negant, « verum etiam Cæsarem, cui inviti alioqui sube- « rant, imo quem oderant ut tyrannum, solum « Regem agnoscunt et illi magis, magisque se « obstringunt, ejusque regnum, et Romani imperii « tyrannidem, qua misere premebantur, cujus ju- « gum abs se per Christum auferendum hactenus « speraverant, Dei Christique regno præferunt. Et « hoc ex odio Jesu. Odium Jesu extorsit servitutis « invisæ publicam professionem, ut ipsius crucifi- « xionem facilius a Pilato Cæsaris procuratore impe- « trarent. Ea erat innocentis occidendi libido, ut « pro ea sese ultro in æternam servitutem addice- « rent. »

## DISCURSUS XIX.

PILATI CHRISTUM MORTIS CONDEMNANTIS INJUSTITIA DECLARATUR, NON OBSTANTE QUOD MANUS SUAS LAVANDO IPSUM INNOCENTEM DECLARARIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Pilatus tertio protestatus fuit Christum esse innocente m.— 2. Pilatus fatue putavit ablutione manuum se innocentem esse de morte Christi. — 3. Pilatus non timuit manus suas cruentare in sanguine Christi. Perstringitur Pilatus de injusta condemnatione Christi. — 4. Excusatio Pilati fuit maxima blasphemia. Christi doctrina imperatori et Reipublicæ non obfuit, sed profuit.— 5. Pilatus, dicendo *innocens ego sum*, seipsum constituit necem mortis Christi. — 6. Omnes Judæi unanimes fuerunt in procuranda Christi morte. Pilatus injustissime Christum tradidit voluntati Judæorum.

*Accepta aqua lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine Justi hujus.* Matth., XXVII, 24.

**1**. — Priusquam Præses sententiam mortis contra Christum pronunciasset, jam ante, ut apud S. Matthæum legitur, Judæis dixerat : *Quid enim mali fecit?* S. Lucas autem refert, Pilatus hanc eamdem protestationem trinies sententiæ ferendæ præmisisse; ait enim [2] : *Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis invenio in eo.* Hic vero, ut ostendat, quod in injusta Christi condemnatione expers culpæ, sit omnis in conspectu totius populi manus abluit, simulque illum patibuli crucis sententia plectit, eodemque tempore innocentem declarat : *Accepta aqua lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus.* Cujus actionis significatum quoad sensum litteralem a Lucas Brugensis hisce verbis exprimitur [1] : « Jam sæpe fuerat verbis pro- « testatus, Jesum esse innocentem, nulli obnoxium « crimini morte digno. Is nunc, laturus senten- « tiam mortis adversus eum, ut testatius etiam « faciat, adeoque persuadeat se invitum, conscien- « tia repugnante, coactum a Judæis, non conten- « tus verbis, addit solemnem ceremoniam. Fortas- « sis etiam, quia vox et clamor ejus præ tumultu « non exaudiebatur, ideo voci et orationi suæ sig- « num addidit, quo quam longissime adstantibus « significaret, quid vellet. Videtur autem mutuatus « exemplum ex similibus ritibus Judæorum, qui « *Deuter.*, XXI, 6, jubentur lotione manuum decla- « rare se expertes cædis. Quanquam est quid natu- « rale propemodum, nec inusitatum Romanis, ablu- « tione manuum animi puritatem, innocentiamque « significare. Judaico usus est more, inquit Orige- « nes, volens eos de Christi innocentia, non solum « verbis, sed etiam ipso facto placare. »

**2**. — Porro hæc lotio non in cameræ suæ penetrabilis, vel in prætorio facta fuit, sed in conspectu totius illius ingentis multitudinis, inspectante omni populo, si forte dimoveret eum a mala mente : « Quid sibi velit ceremonia illa ablutionis manuum, « explicat verbis, dicens : *Innocens ego sum, etc.*, « culpa hæc procul a me est; tam remotus a culpa « hac sum, quam manus meæ liberæ sunt a sordi- « bus hac aqua ablutæ. » B. Laurentius Justinianus Pilatum in hac lotione graviter hallucinatum fuisse, his verbis ostendit [2] : « Pueriliter denique « agens, coram populo aqua accepta lavit manus « suas, dicens : *Innocens ego sum a sanguine hominis* « *istius.* Lavit manus suas, tanquam si per ablutio- « nes corporis, sordes tergerentur animarum. Fe- « fellit autem illum stulta opinio : Non est corpora- « lium macularum punitor Deus, sed spiritualium, « neque de exteriori, sed de interiori statu hominem « judicat. *Lavamini*, inquit per Prophetam, *mundi* « *estote, auferte malum cogitationum vestrarum ob* « *oculis meis. Quiescite agere perverse, discite bene-* « *facere, quærite judicium, subvenite oppresso, judi-* « *cate pupillo, defendite viduam.* » Manuum lotio apud Judæos ritus quidam erat, innocentiæ expressivus; per hunc enim ritum declarare volebant, se respectu malæ alicujus actionis omni culpa carere. Unde David dicebat [3] : *Lavabo inter innocentes manus meas.* Et nos in simili occasione dicere consuevimus : quoad hoc negotium ego lavo manus meas.

[1] S. VINC. FERR., *ib.* — [2] LUC., XXIII, 22.

[1] LUC. BRUG., *in Matth.* — [2] B. LAUR. JUSTINIAN., *de Triumph. Chr. agon.*, — [3] *Ps.* XXV, 6.

At vero quam stolida fuit hæc præsidis protestatio, qua se in manifestissima quadam injustitia, ab ipso implicite confessa et quæ sine ipsius auctoritate executioni mandari non poterat, nullum reatum se habere declarat? « Nec in accusato eo reperisse « culpam, » inquit S. Leo [1], « nec in sententia sua « tenuisse constantiam, docet ipsa cognitio, in qua « Judex, quem innocentem pronunciat, damnat, « addicens iniquo populo sanguinem justi, a quo « abstinendum sibi, et intellectu proprio senserat, « et somnio uxoris noverat. Nec purgant contami- « natum animum manus lotæ, nec in aspersis aqua « digitis expiatur, quod famulante impia mente « committitur. »

**3.** — Quando David nocturno tempore Saulis tentorium ingressus, libere de injusta persecutione, quam Saul contra ejus vitam machinabatur, vindicare se poterat, prout ei ab Abisai fortiter persuadebatur, huic se facinori opposuit, dicendo [2] : *Quis enim extendet manum suam in Christum Domini et innocens erit?* Licet enim Saul ex mille capitibus mortem promeruisset et velut monstrum quoddam iniquitatis a Deo reprobatus esset, nihilominus David potius a defensione propriæ vitæ desistere, quam manus suas in hujus scelerati sanguine cruentare voluit. Quid igitur de temerario hujus judicis ausu dicturi sumus, qui manus suas in sanguine illius, quem absolvere et defendere arctissime tenebatur, cruentare præsumens, demum hanc tam impiam injustitiam per aquam abluere et expiare se posse stulte credit? Deus apud Jeremiam inquit [3] : *Si laveris te nitro et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me.* Salmeron ait [4] : « Nova utitur Pilatus damnandi « formula : Prius absolvit, quam damnet, nec « aperte damnat, sed ceu damnatum illorum libi- « dini permittit, et palam testatur justum et in- « noxium, qui nulla ratione mortem promeruit, « quo melius pateret in eo esse damnata peccata « nostra. Lavit manus in signum publicæ innocen- « tiæ Jesu, et exonerationis propriæ conscientiæ, « et rejectionis culpæ in Judæos, hæc enim tria « explicant verba Pilati et subjunxit : *Vos videritis*, « si quid continget vobis ob hoc peccatum. Sed « profecto universa Jordanis aqua Pilati conscien- « tiam a lethali culpa lavare haud poterat, tum « quia agebat contra conscientiam, cum sciret ip- « sum innocentissimum esse et per invidiam sibi « traditum; tum quia de facili poterat via juris « accusationes eorum repellere. » Et vero quo modo manus suas aqua abluere poterat, quando eodem tempore easdem manus in sanguinem innocentem intingendo cruentabat, adeo, ut vere ei dici potuerit [5] : *Manus tuæ sanguine plenæ sunt?* S. Augustinus ait [1] : « Laverit licet manus Pilatus, tamen « sua facta non diluit : quamvis abstergere se pu- « taverit Justi sanguinem de suis membris, eodem « tamen sanguine mens ejus tenetur infesta; ipse « enim occidit Christum, qui eum tradidit occiden- « dum; judex enim bonus et constans, ne sangui- « nem innocentis addiceret, nec invidiæ cedere « debuit, nec timori. » Euthymius multum quidem adhibitam a Pilato in liberationem Christi sollicitudinem dilaudat, at vero fragilitatem, qua importunis Judæorum sollicitationibus et respectui amicitiæ Cæsaris in ipso prædominanti cessit, in hæc verba perstringit [2] : « Ne occideretur, laboravit. Verum « oportuit eum fortius more judicis resistere, nec « injustis assentire, aut eum prodere, qui ab ipso- « met Pilato testimonium acceperat, quod mortis « noxa carebat. Quod enim potuerit eum nunc tra- « dere, manifestum est ex eo quod ipse dixit : « Nescis, quod potestatem habeam crucifigendi te « et potestatem habeam absolvendi te? Ideo etiam « Christus a condemnatione eum non absolvit, di- « cens : *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet*, « majus videlicet quam sit tuum. Neque enim « sermo de tyrannide liberat eum; oportebat enim « cum id audisset, ut accusatores advocaret, ac de- « monstrationes inquireret et quæcumque tyran- « nidis signa essent, utpote si exercitum conscribe- « ret, si pecunias colligeret, si arma fabricaret et « si quid est hujusmodi. Ille autem statim ut audi- « vit, ignaviter timuit et indiscussam relinquens « talem accusationem, persuasus est et perculsus. « Quanto enim duriores et audaciores erant Judæi, « tanto ille mollior erat, ac timidior, et ideo levis, « facileque mobilis. » Idem Euthymius in Joannem scribens, suumque discursum in Pilatum convertens, dicentem : *Nescis quia potestatem habeo*, etc., his eum verbis perstringit : « O insensate, si potes- « tatem habes ipsum absolvendi, quomodo non « absolvis, cum scias eum carere crimine et fre- « quenter hoc testimonium de eo protuleris? » Pergit vero idem scriptor ulterius, et ostendit, quisnam sit scopulus, vel offendiculum, quod Judæi illi posuerant, ut ad illud impingens cespitaret et propositi sui soliditatem distringeret : « Intuiti, inquit, « objectam legem fuisse inutilem et intelligentes « quod vellet eum absolvere, ad accusationem ite- « rum tyrannidis divertunt, quam timore Cæsaris « non posset parvipendere Pilatus. » Cum enim Pilatum regnandi scirent esse ambitiose cupidum, omnino sibi persuaserunt futurum, quod Pilatus majoris facturus esset gratiam Cæsaris, quam justitiam et innocentiæ tutelam. Neque in opinione sua fuere decepti, siquidem amicitia terreni imperatoris, favori monarchæ supremi cœli et terræ, *quem adorant Dominationes, tremunt potestates*, longe

[1] S. Leo, ser. *de Pass.* — [2] I Reg., xxvi, 9. — [3] Jer., ii, 21. — [4] Salm., t. x, tr. 23. — [5] Isa., i, 15.

[1] S. Aug., s. 118 *de Temp.* — [2] Euthym., *in Matth*

præponderaverit. Lucas Brugensis modum quo Pilatus sententiam promulgavit, considerans, dicit[1] : « Pilatus nova condemnandi formula, antequam « condemnet Jesum, absolvit, nec poterat significantiori modo absolvere, quam publice justum « pronunciando, solemni adhibito ritu, ab illius « cæde immunem se protestando, vindictam deni- « que a se amotam, in Judæos, a quibus in cædem « cogeretur, regerendo. Parum profuit Pilato ablu- « tio et protestatio ejusmodi. Potuit minuisse cul- « pam, sed non effecit, ut esset immunis a cæde « Filii Dei innocentis. Quomodo enim immunis, « qui tradidit, invitus licet? Non abluitur tam grave « crimen aqua. »

**4.** — Quænam unquam ex ore hominis mortalis major audita est blasphemia, quam sit illa : *Innocens ego sum a sanguine Justi hujus?* Quod si enim in excusationem sui se de potestate et auctoritate jactet, dicendo : *Numquid potestatem habeo crucifigere te,* etc., refellit illum Filius Dei, inquiens : *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi datum tibi esset desuper.* Hæc autem desuper data potestas limitata erat : « *Datum desuper,* id est, a Deo, » inquit Hugo Cardinalis[2], « a quo potestas datur, sed « abusio potestatis non datur. » Quod si principale accusationis caput, unde Pilatus ad innocentem condemnandum motus fuit, erat affectatio regni Israelis, merito Leo Magnus eidem Pilato improperat, dicens[3] : « Sed formidabile fuerit nomen re- « gium, ut pro imperio Cæsaris opprimi debuerit « molitio novæ potestatis, si dominandi consilium « tyrannicus tibi prodidit apparatus, si provisio « armorum, si congregatio divitiarum, si præsidia « detecta sunt militum. Quid eum gravari sinis de « affectata potentia, cujus specialis fuit de humili- « tate doctrina? Romanis legibus non contradixit, « censum subiit, didrachma solvit, vectigalia non « inhibuit, quæ Dei sunt, Deo, et quæ sunt Cæsaris, « Cesari reddenda, constituit. Paupertatem elegit, « obedientiam suasit, mansuetudinem prædicavit : « hoc est vere non impugnare Cæsarem, sed ju- « vare. » Quando subditi sunt bene disciplinati, tunc vivunt in timore Dei, bonis nitent moribus et vitia abhorrescunt, Principibus item temporalibus ad nutum obediunt et Respublica quaquaversum vel maxime floret. Ac proinde tantum abest, Christum imperio Cæsaris fuisse perniciosum, ut potius Evangelicæ doctrinæ suæ prædicatione ei summe extiterit beneficus. Idem S. Leo ad formandum contra hunc iniquum judicem debitum processum, in hæc verba discursum suum prosequitur : « Verum- « tamen ne in totum inanis videatur Judæorum « objectio, discute diligentius præses, quid de « Domini Jesu operibus notum sit, quid de potes- « tate compertum. Cæcis visum, surdis auditum, « claudis gressum, mutis donavit eloquium. Febres « abegit, dolores resolvit, dæmonia ejecit, mortuos « vivificavit, mari et ventis, ut quiescerent, impe- « ravit. Magnum profecto regem ista demonstrant, « qui non humana excellit potentia, sed virtute « divina. » Quod si Jesus secretam cum aliis Principibus habuisset intelligentiam, si machinatus fuisset conjurationes, seditiones excitasset, rebelles et exasperatos redidisset subditorum animos, tunc utique manifestum dedisset indicium, quod imperio se opponeret : « Quare de terrenis calumniantur, » interrogat S. Leo, « qui cœlestia persequuntur? » In hisce superhumanæ et divinæ potentiæ signis Christus se regem cœli, non vero terræ esse aperte monstravit. Id quod Pilatus examinare debuisset.

**5.** — *Innocens ego sum a sanguine Justi hujus.* Sed obsecro cuinam hæc Pilati innocentia innititur? S. Cyprianus iniquo huic judici improperat, dicens[1] : « Frustra funestas Judex manus in prætorio « abluis, a sanguine Domini te profitens innocen- « tem. Tu ipse causam mortis, cum diligenter in- « quisieris, te non invenisse in eo fateris. Ipsa « conjux tua nihil tibi et Justo illi esse mandaverat, « quod utique per os ejus dæmonia imminere sibi « judicium sententia testabantur. Non excusas, sed « accusas; causam tibi facis cum Judæis commu- « nem, illi se proditione, tu parricidio te condem- « nas; illi lingua, tu ferro occidis. Tam te, quam « illos inauditæ crudelitatis scelus involvit. » Ipsimet Judæi, ille ipse populus, qui Jesum tunc apud illum accusabat, probe utique sciebat, vel saltem scire debebat, vel recordari, quod sæpius de eminenti Christi sanctitate publicum perhibuisset testimonium, dicendo verbi gratia : *Propheta magnus surrexit in nobis, quia Dominus visitavit plebem suam. Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent. Scimus quia a Deo venisti.* Sciebat Pilatus, decretum de inferenda Christo morte, in concilio Synedrim sancitum, hoc præcipue habuisse fundamentum : *Quia hic homo multa signa facit.* Manibus suis quasi tangebat; *sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum.* Perspicuam habebat notitiam multos ad ferendum falsum testimonium per pecuniam fuisse subornatos, quodque nihilominus convenientia illorum testimonia non erant. Videbat eosdemmet simul esse accusatores, testes, judices, et implacabiles ac calumniosos ejus inimicos His adde Judam a Sacerdotibus accepisse triginta denarios, quibus Christi persecutores innocentem sibi coemerant sanguinem ipsumque Judam publice fuisse protestatum : *Peccavi tradens sanguinem justum.* Dæmones eum diu ante Filium Dei esse proclamaverant, dicentes[2] : *Quid nobis et tibi Jesu Fili Dei, venisti huc ante tempus torquere nos?* Pilatus utique scire debebat, Christum

[1] Luc. Brug., *ib.* — [2] Hugo Card., *in Joan.* — [3] S. Leo, ser. *de Pass.*

[1] S. Cypr., *ib.* — [2] Matth., VIII, 29.

in horto Gethsemani unico prolato verbo armatas retrorsum prostravisse turbas, ac tandem voluntarie in eorum manus se consignasse : admisisseque vincula in manibus et collo, qui paulo ante vincula mortis dissolverat in Lazaro: sciebat denique, quod vel solum loquendo suam poterat convincere, et demonstrare innocentiam : Et tamen his non obstantibus[1] *Jesum tradidit voluntati eorum.* Evangelista non dicit, Pilatum contra Christum pronunciasse sententiam, prout leges requirebant sed quod illum tradiderit in discretionem, seu potius summam indiscretionem Judæorum.

**6.** — Observandum quoque est, qood Evangelista non dicat : *Jesum tradidit volnntatibus eorum,* sed *voluntati,* quia omnes in una erant voluntate concorditer uniti, quia aliud, quam mortem Christi non cupiebant[2] : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* Ex tota illa innumerabili multitudine, tot per Christum beneficiis locupletata, ne vel unus reperiebatur, qui vel os suum in ejus defensionem aperire præsumeret, licet Judicem ipsi favorabilem, et liberationis ipsius cupidum esse perspicue viderent. Salmeron observat id quod S. Marcus his verbis scribit[3] : *Pilatus autem volens populo satisfacere* « Quibusnam ? Instabili, et igno- « ranti populo. » S. Lucas ait : *Pilatus autem adjudicavit fieri petitionem ipsorum.* « Non, inquit, justitiæ « debitum aut causæ meritum, non legum decre- « tum, sed petitionem capitalium suorum inimico- « rum, invidia et odio furentium : Nec etiam adju- « dicavit, sed præjudicavit omni æquitati, legi, « gloriæ suæ, et nomini Romano. » Quodnam unquam adeo barbarum legitur fuisse tribunal, in quo Judices mortis condemnarint innocentes, tanquam tales in ipsomet actu sententiandi declaratos ? Ubinam adeo inhumanus reperietur judex, qui reum in calumniantium accusatorum, et persecutorum suorum manus consignarit, ut de illo statuant, quid quid libuerit ? *Tradidit voluntati eorum.* Ecqua igitur ratione de se gloriari poterit, dicendo : *Innocens ego sum a sanguine justi hujus ?* Simon de Cassia super illa verba[4] : *Adjudicavit fieri petitionem eorum,* inquit : « Ecce perversum judi- « cium, quo judicatur innocens mori, non secun- « dum rei veritatem, sed inimicorum petitionem. « Nulla detestabilior atque immanior perversitas « Judicis, quam non ob causam, sed votum æmu- « lorum condemnare reum. » S. Bonaventura in Lucam scribens ait[5] : « Ratio quare Pilatus fuit in- « flexus ad hanc sententiam iniquissimam, fuit inor- « dinatus amor complacentiæ populi, quæ retrahit « a veritate ; ideo dicitur *Si adhuc hominibus place-* « *rem, Christi servus non essem.* » S. Leo in alio quodam sermone de Pilato ait[1] : « Lotis manibus, et « ore polluto, iisdemque labiis Jesum misit ad « crucem, quibuscum pronunciaverat innocentem. » S. Augustinus pariter hanc injustitiam his verbis detestatur[2] : « Eorum legem ille non timuit, ut « occideret, sed magis Filium Dei timuit, ne occi- « deret : Nunc vero non sic potuit contemnere « Cæsarem auctorem potestatis suæ quemadmo- « dum legem gentis alienæ. »

[1] Luc., xxiii, 25. — [2] *Ps.* ii, 1. — [3] Marc., xxv. — [4] Sim. de Cass., l. xiii. — [5] S. Bonav., *in Luc.*

## DISCURSUS XX.

Judæis sanguinis christi innocentissimi, ab ipsis crudeliter effusi, culpam et pœnam sibi suisque posteris arrogarunt dicentes : sanguis ejus super nos et super filios nostros ; ac proinde in hodiernum usque diem digna luere supplicia coguntur.

Idea sermonis. — 1. Judæi quasi rabidi canes, sitiebant sanguinem Christi. — 2. Judæi Pilato exemerunt scrupulum conscientiæ. — 3. Judæi omnem culpam effusi sanguinis Christi in se susceperunt. — 4. Non obstante hac imprecatione, multi Judæorum, cum filiis conversi et salvati fuerunt. — 5. Quomodo Christiani dicere possint, sanguis ejus super nos. Symbola varia hujus imprecationis verificatæ in Judæis. — 6. Imprecatio illa Judæorum fuit scelesta specialiter quoad filios eorum. Imprecationem illam experti sunt in se impletam in excidio Hierosolymitano. — 7. Judæi inexcusabiles sunt de nece Christo illata. — 8. Examinatur hora crucifixionis Christi.

*Respondens universus populus dixit : Sanguis ejus super nos. et super filios nostros.* Matt., xxii, 25.

**1.** — Merito Euthymius perfidis, et furibundis Hebræis in hæe verba improperavit[3] : « Tanquam « feri canes eo viso furibunde oblatrabant, quasi « feræ bestiæ, quæ venatores sentientes, statim « incurrunt ; nam invidia ebrii, in eadem adversus « eum debacchabantur. » Porro canes sanguinis sunt avidissimi ; ac proinde cum Pilatus vix sanguinis Agni immaculati mentionem fecisset, dicendo. *Innocens ego sum a sanguine Justi hujus,* cum ecce sine ulla mora ardentissimam sitim, qua sanguinem illum desiderabant, prodere cœperunt : *Videns autem Pilatus, quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine Justi hujus, vos videritis ;* id est vos videatis quid faciatis. Hugo Cardinalis verba *vos videritis,* ita exponit[4] : « Quasi dicat : Summi ministri legis, attendite « qualem mihi traditis occidendum, vobis tantum « imputetur. » Moxque subdit sequens morale documentum : « Sic confessores debent dicere confi- « tentibus : *vos videritis,* id est videte, quid dicatis, « quia ex dictis vestris oportet vobis consuli. Sic « judices debent dicere litigantibus : *Vos videritis :*

[1] S. Leo, s. 3 *de Pass.* — [2] S. Aug., tr. 116 *in Joan.* — [3] Euthym., *in Joan.* — [4] Hugo Card., *in Matt.*

« id est, videte, qualia in judicium deduxeritis, « quia ex testimoniis vestris, non ex conscientia « oportet proferre sententiam. » In præsenti autem casu nostro Christus tam ex depositionibus accusatorum, quam ex conscientia Judicis, irreprehensibilis, et innocens esse convincebatur. Dionysius Carthusianus similiter exponit, inquiens[1] : « *Vos « videritis,* id est, vos ipsi pensate quid facitis, quia « non ego, sed vos eum occiditis. »

**2.** — Verum enim vero subito hunc maligni persecutores Pilato exemerunt gravatæ conscientiæ scrupulum, dum una omnes viva voce clamarunt, dicente Evangelista : *Et respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.* Ubi observandum est illud *universus populus* : Circa quod Lucas Brugensis ait[2] : « Argumentum « hoc fuit non tantum inconstantiæ vulgi, verum « etiam sinceritatis doctrinæ Jesu, quæ nullis ma- « lis artibus, usa, homines sibi devinxerit, et reddi- « derit factiosos ; quandoquidem nullus ex omni- « bus apparuerit, qui pro ipso fuerit locutus, imo « qui non fuerit adversarius, judice licet tantopere « favente, et alios quoque invitante. »

**3.** — *Sanguis ejus super nos.* Idem auctor ibidem ait : « Furore perciti, quidvis spondere audent, ut « assequantur quid velint, ut Pilatus audacter occi- « dat ut animum addant timido præsidi. » Porro juxta expositionem Hugonis Cardinalis vociferatores illi dicere voluerunt[3] : « Culpa et pœna effusionis « sanguinis ejus veniat super nos. Optandum qui- « dem erat immundis, ut sanguis ille mundissimus « super illos veniret ad emundationem. » Nam ut S. Apostolus ad eosdem Hebræos scribens, arguendo infert[4] : *Si sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis ; quanto magis sanguis Christi qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram* ? Et quidem idipsum justa ejusdem Hugonis expositionem voluit in Genesi[5] dicere Spiritus Sanctus, quando prædixit, quod Judas filius Jacob, e cujus stirpe Messias incarnandus erat, in vino loturus esset stolam suam et in sanguinem uvæ pallium suum[6] : « Stola enim e « pallium Christi est Ecclesia, quæ lota est vino, e « sanguine uvæ, id est Christi, eliquato in torcular « crucis. » At vero impii illi, et sacrilegi Judæi non postularunt sanguinem Christi, ut per illum purificare, et redimere possent animas suas ; sed ut illum crudeliter effundere et conculcare possent. Quia enim videbant hæsitationem Pilati tergiversantis, et differentis sententiæ promulgationem, non obstante quod ei dixissent : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris ; omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari* : Unde S. Athanasius ait[7] : « Timuit « Judex reum suum, et magis quam ipse reus vide- « batur condemnari, metumque in se hominis « condemnati sensit, atque ipse suam in Christum, « quasi in se latam, sententiam exhorruit, atque « ideo suas manus lavit. » Hæc igitur videntes audaces et temerarii Judæi, omnes unanimiter, ut eum animarent ad audacter proferendam sententiam, clamarunt, dicentes : « *Sanguis ejus super « nos, etc.* hoc est, nobis et posteris nostris imputetur crucifixio ejus, et si quid culpæ consistit in ejus « occisione, hanc capimus super nos, et te immu- « nem fatemur. « Universus populus Judaicus, » inquit Lucas Brugensis « qui illic præsens aderat « maximo numero, ex omnibus Judææ, imo mundi « partibus, qui quidem eo convenerat, quod audis- « set Jesu causam apud præsidem a principibus « agi, clamavit : *Sanguis ejus super nos,* » id est, culpa hujus injustæ condemnationis nobis obveniat. Porro sanguis hic ponitur pro culpa, et vindicta cædis : Culpa, vindictaque quæ incurri queat effundendo sanguinem hujus, interficiendo hunc, imputetur nobis : Nos eam culpam in nos suspicimus, nostro periculo luendam. Origenes hanc historiam explicans, ait[1] : « Ipse quidem se lavit, ipsi autem « non solum se mundare noluerunt a sanguine « Christi, sed etiam super se susceperunt, dicentes : « *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.* « Propter hoc rei facti sunt non solum in sanguine « Prophetarum, sed implentes mensuram patrum « suorum, facti sunt rei in sanguine Christi, ut « audiant Deum sibi dicentem : *Cum expanderitis « manus vestras ad me, avertam oculos meos a vobis ; « manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Propterea « sanguis Christi non solum super eos qui tunc « fuerunt, verum etiam super omnes generationes « post sequentes usque ad consummationem Prop- « terea usque nunc *domus eorum derelicta est eis « deserta.* » S. Hieronymus inquit[2] : « Perseverat « usque in præsentem diem hæc imprecatio super « Judæos, et sanguis Domini non aufertur ab eis. « Unde per Isaiam loquitur : *Si levaveritis ad me manus, non exaudiam vos ; manus enim vestræ plenæ « sunt sanguine.* Optimam hæreditatem Judæi filiis « reliquerunt, dicentes : *Sanguis ejus super nos, et « super filios nostros.* »

**4.** — D. Chrysostomus tamen hac de re scribens, hujus imprecationis maledictionem non super omnes cecidisse existimat ; ait enim[3] : « Jesus, « quamvis ipsi maxime et adversus filios insani- « rent, non tamen et sententia ipsorum condem- « navit, sed tam ex ipsis, quam ex filiis eos susce- « pit, qui pœnitentiam egerunt, milleque bonis « honoravit. Nam et Paulus ex ipsis erat, et multa « illorum millia, qui se in Jerusalem converterunt « ad Christum. Considera enim, Jacobus ait, frater,

[1] Dion. Carth., *ib.* — [2] Luc. Brug., *ib.* — [3] Hugo Card., *in Matt.* — [4] Hebr., ix, 13. — [5] Gen., xlix, 11. — [6] Hugo Card., *in Gen.* — [7] S. Athan., *de Pass.*

[1] Orig., hr. 35 *in Matt.* — [2] S. Hieron., *ib.* — [3] D. Chrys., hom. 87 *in Matt.*

« quam multa millia Judæorum credentium sunt, « qui omnes ex illis fuerunt. Si autem aliqui renixi « sunt, sibi ipsis imputent. » Præterea verisimile est, multos Pontificum exemplum sequentes existimasse se sacrificium et obsequium Deo præstituros esse, hoc sibi imprecando ; de quibus sacerdotibus illis ipsemet Christus dixerat [1] : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, et Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate, et facite* : Ac proinde S. Petrus multis illorum dixit [2] : *Scio quia per ignorantiam fecistis* qui consequenter excusatione digni fuerunt, ipseque Deus motus est ad infundendum illis lumen ut veritatem cognoscere possent,

**5.** — Salmeron egregie nobis insinuat, [3] quo sensus nos Christiani Deo dicere possimus : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros, etc.* « scilicet « super nos abluendos, et super filios nostros, id « est super opera nostra, quæ alioqui grata non « sunt, nisi sanguine ejus purificentur. Hic sanguis « Christi credentibus est ad salutem, et gloriam « incredulis autem ad ruinam, quia Filium Dei « conculcant, et sanguinem testamenti pollutum « ducunt. Sic ergo evenit Judæis, quemadmodum « imprecati sunt ; nam super illos, et filios eorum, « atque nepotes, et universos eorum posteros per- « venit ira Dei usque in finem, ut docet Apostolus. « Hinc multæ decades myriadum Judæorum desideratæ sunt in priori expeditione sub Tito et Vespasiano, et multo plures sub Hadriano. Multa hujus « imprecationis sanguinis Christi super se symbola « traduntur. Nam quidam aiunt, parvulos Judæorum ut plurimum nasci manu plena sanguine « super caput, sicut Zaranatus est filo rubro alligato digito. Alii vero quod in omni plenilunio « patiantur fluxum sanguinis, et ideo communiter « non esse bene coloratos. Sunt qui illud Prophetæ dictum : *Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit eis,* ad litteram exponant de Judæis. Sed quoniam hæc solidis historicum testimoniis non firmantur, asseverare « non audemus, eorum fidem prudentum lectorum « arbitro relinquentes. Illud certum est hanc nationem Judæorum toti mundo invisam atque « exosam existere, acerbasque pœnas dare illius « antiqui flagitii. Et ut in Cain homicida posuit « Deus signum, ut esset vagus et profugus super « terram ; ita in Judæis tremorem quemdam, et « pallorem videtur constituisse, ut ubicunque « versentur amarissimam vitam degant, omnique « honore, et dignitate, atque adeo sua Hierosolyma, « terrenisque opibus destituti existant. Quare mul- « tæ illorum myriades bello, et fame in obsidione « interierunt, multi vilissimo pretio venditi, in « theatris exhibiti sunt, ut a bestiis devorarentur : « Alii denique per totum orbem dispersi, ludibrio, « et ostentui sunt omnibus, miserandam ac vilem « vitam ducentes, de quibus Satyricus quidam « scripsit :

Implet et illa manum, sed parcius ære minuto :
Qualiacunque voles, Judæi omnia vendunt. »

**6.** — *Et super filios nostros.* Porro quidnam per hunc sanguinem, quem super se invocarunt, intellexerint, Euthymius in hæc verba declarat [1] : « Sanguinem vocant sanguinis condemnationem. » Paulo post vero Judæorum crudelitatem, qua suos tractarunt posteros, insinuat, dicens : « O scelestam « vocem ! O extremam audaciam ! Atqui non solum « adversus seipsos, sed etiam adversus filios suos « trahunt imprecationem : Christus vero et de iis, « et de filiis eorum resipiscentes suscepit, nec solum hujusmodi liberat imprecatione, sed et mille « bonis dignos dicit. » S. Vincentius Ferrerius in sermone quodam in Parascevenidem a Salmerone paulo ante expositum supplicium his verbis confirmat : « O quam horrendum testamentum fecit hic populus stultus, manet enim hoc testamentum usque « in hodiernum diem nam in signum hujus vin- « dictæ, quondo masculi Judæorum de hoc genere, « qui sic clamabant, nascuntur, habent manum « dexteram plenam sanguine capiti innixam. » Dionysius Carthusianus hosce imprecantes Judæos canes appellat, dicens : « O crudelissimi patres, et « rabidissimi canes, quibus non sufficit condemnatio propria, sed totam posteritatem tanto piaculo « precantur esse obnoxiam : denique exaudita est, « et impleta eorum oratio, quoniam teste Apostolo : *Pervenit super eos ira Dei usque in finem.* » Optima profecto ipsorum fuisset petitio ut scilicet sanguis Christi super ipsos spargeretur, dummodo id ipsum recta intentione moti petiissent. Unde Hugo Cardinalis ait : « Optimam hæreditatem di- « miserunt filiis suis, dicentes : *Sanguis ejus,* etc. « Verbum optimum, et salntiferum responderunt « sed intentione pessima, et mortifera, sicut sape « accidit, quod bonum maledicitur et fit ; intellexe- « runt enim : *sanguis ejus super nos, et super filios « nostros,* id est, culpa et pœna effusionis sanguinis « ejus veniat super nos. » Cajetanus furorem illum, quo culpam, et pœnam hujus crucifixionis super se, et posteros suos cadere precabantur, præcipitem vocat, dicens : « Præceps furor turbarum super se « et super filios suos suscipit damnationem ejus « quem innocentem judex pronunciat et sicut dixe- « runt, ita experientur, quoniam usque in hodier- « num diem dant pœnas sanguinis Christi, dispersi « per universum mundum, exosi omnibus. » Theophylactus ait [2] : « In se suscipiunt ultionem hoc « homicidio dignam, qua et gravati sunt, Romanis

[1] MATT., XXIII, 2. — [2] ACT., III, 17. — [3] SALM., t. X.

[1] EUTHYM., *in Matt.* — [2] THEOPH., *ib.*

« ipsos, et ipsorum pueros perdentibus, et usque « in hunc diem Judæi, et illorum pueri experiuntur « a se sanguinem illum requiri : nam ob suam in- « credulitatem persecutionem patiuntur ab omni- « bus. » Lucas Brugensis excidium Hierosolymitanum, quod XLIV annis post mortem Christi accidit, enormis hujus crudelitatis pœnam et vindictam fuisse existimat ; ait enim : « Quam temere, et in- « consulte hic spoponderint, senserunt tamen ipsi, « et filii eorum, magno suo malo, dum XL anno « circiter post a Romanis sunt funditus eversi, et « extirpati, plerique occisi, reliqui capti et in alie- « narum regionum servitutem ducti. Signanter « vero ut hic Romanum præsidem vociferantes, et « tumultuantes cogunt, ut crucifigat Christum : ita « Titus romanus Imperator Hierosolymam obsidens, « ipsos cibi quærendi causa clam egredientes, 50 « indies singulos, et eo amplius, crucifigi a militi- « bus contra murum jussit, ita ut propter multitu- « dinem quam cœpissent milites, tandem locus de- « esset, et corporibus cruces : quod ait Joseph « testis oculatus *lib* VI, *de bello* C. XII. »

**7.** — Porro licet verum sit, Pilatum contra Christum mortis pronunciasse sententiam, Judæos vero eidem acclamasse[1] : *Nobis non licet interficere quemquam* ; attamen ut bene S. Augustinus (cujus doctrina S. Ecclesia in lectionibus die Parasceves ad Matutinum utitur) advertit nequaquam Judæi a reatu mortis Christi se excusare, possunt, tanquam innocentes. Ita enim præfatus S. Doctor scribit[2] : « Non dicant Judæi : Non occidimus Chris- « tum, etenim propterea eum dederunt judici Pilato, « ut quasi ipsi a morte ejus viderentur immunes : « nam cum dixisset eis Pilatus : *Vos eum occidite* : « Responderunt : *Nobis non licet interficere quem-* « *quam*. Iniquitatem facinoris sui in judicem homi- « nem refundere volebant, sed nunquid Deum judi- « cem fallebant ? » Pergit deinde Idem S. Doctor ulterius, exponendo industriam, a Præside, pro Christi liberatione licet frustra, adhibitam : demum videlicet discursum suum ad Judæos dirigens, inquit : « Nostis ipsum lavisse manus, et dixisse, quod « ipse non fecisset, mundum se esse a morte illius. « Fecit tamen : sed si reus, quia fecit vel invitus ; « illi innocentes, qui coegerunt ut faceret ? Nullo « modo. Sed ille dixit in eum sententiam, et jussit « eum crucifigi, et quasi ipse occidit, et vos, o Ju- « dæi occidistis. Unde occidistis ? Gladio linguæ ; « acuistis enim linguas vestras : Et quando percus- « sistis, nisi quandos clamastis : *Crucifige, cruci-* « *fige ?* »

**8.** — Quod horam crucifixionis Christi attinet, de hac S. Marcus ita scribit : *Erat autem hora tertia et crucifixerunt eum*. S. Joannes vero, qui crucifixionis oculatus testis extitit, inquit : « Erat autem « Parasceve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Ju- « dæis : Ecce Rex vester. » Quomodo igitur quo hi textus, ab ambobus Evangelistis ejusdem Spiritus S. inspiratione conscripti, adeo inter se sunt diversi, et minime consentiunt ? S. Matthæus pariter eclypsin, et tenebrarum obscuritatem hora sexta contigisse affirmat : *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram*. Enim vero S. Thomas super prædictas S. Joannis verba scribens, opinionem sequitur S. Augustini qui Redemptorem nostrum bis crucifixum fuisse asserit. Primo linguis, et stridore Judæorum tumultuose, et rabide clamantium : *Tolle, tolle, crucifige eum* : secundo quando a ministris justitiæ in patibulum crucis fuit confixus. Idem D. Angelicus pergit declarando motivum, ob quod S. Marcus Christum hora tertia crucifixum fuisse dicat, nimirum quia Hebræi crucifixionem Redemptoris nostri gentilibus imputabant ; et ideo S. Marcus gentilibus prædicaturus, Evangelium scribens Judæos principalem mortis Christi causam fuisse, nititur ostendere, quia per violentiam, et comminationem suam induxerunt Præsidem, ut vel invitus metu seditionis, et tumultus, injustam contra Christum pronunciaret sententiam ac proinde Christus coram Præside protestatus fuit, dicens : *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*, quasi diceret : Judæi qui majori sunt lumine divino perfusi, quam tu, qui paganus es quoad mortem meam longe sunt culpabiliores ; siquidem : *Sicut lumen ejus, ita et tenebræ ejus*.

[1] JOAN., XVIII, 31. — [2] S. AUG., *in Ps.* LXIII.

[1] MATT., XXVII, 45. — [2] S. THOM., *in Joan.*

# TRACTATUS SEXTUS

## DE CHRISTI REDEMPTORIS NOSTRI CRUCIFIXIONE

### DISCURSUS I.

MAGNUS CHRISTI DOLOR CONSIDERATUR, QUEM SUBIIT, DUM PURPURA EXUTUS, SUIS DENUO REVESTIRETUR INDUMENTIS ; ET QUÆ TAM IN HOC, QUAM IN EJUS EX URBE HIEROSOLYMITANA EGRESSUS, UT CRUCIFIGERETUR, LATEANT MYSTERIA, OSTENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Spoliatio chlamydis, vulneribus Christi infixæ, fuit gravissimum tormentum. — 2. Christo chlamydem cum maximo impetu et crudelitate extraxerunt. — 3. Quare Christum exuerint chlamyde et suis induerint vestibus. — 4. Quare Christus in alienis illudi, et in propriis vestibus educi voluerit ad crucifigendum. Moralia documenta ex hac vestium mutatione. In propriis vestibus educitur Christus ut ab omnibus melius agnoscatur. — 5. Quare extra civitatem educi et pati voluerit Christus. — 6. Aliæ adducuntur rationes quare extra civitatem pati voluerit Christus. Isaac præfigurat hanc Christi eductionem. — 7. Diversitas ductionis Judæorum ex Ægypto et eductionis Christi ex civitate, discutitur. Alia hujus eductionis ratio.

*Exuerunt eum chlamyde et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent.* Matth., XXVII, 31.

**1.** — Pronuntiata a Pilato contra Redemptorem mortis sententia, veluti lupi famelici in innocentem agnum involarunt, non ut eum decoriarent, siquidem jam ante acerbissimis flagellis dilaniatus fuerat : sed ut ad macellum et crudelem Calvarii montis carnificinam eum producerent, in patibulo crucis moriturum. Enim vero inter alios ritus, quibuscum Deus victimas sibi offerri in veteri lege præcepit, unus hic fuit[1] : *Detracta pelle hostiæ.* Nimirum prius pellem hostiæ immolandæ detrahi volebat. *Omnia in figura contingebant illis.* Omnes enim oblationes et sacrificia antiquæ legis, ad cruentum hoc Filii Dei sacrificium, in ara crucis immolatum, terminabantur, tanquam figura ad suum figuratum. Ecce tibi igitur, qualiter hic ritus in Christo adimpleatur; cum enim vestes illæ vulneribus, in flagellatione Christi carni ejus inflictis, affixæ et firmiter adhærentes, cum violentia ab ejus corpore raperentur, sacratissimæ humanitatis illius flagellis laceratæ non pellem duntaxat, sed et carnes secum trahebant. Porro quoad alia animalia præcipiebat lex, ut pelles ipsorum post mortem detraherentur; at Christo hæc decoriatio etiamnum viventi accidit, estque admodum verisimile, quod illam vivacissime persenserit, siquidem per illam sigillatim renovabantur, magisque dilatabantur in flagellatione accepta vulnera, quæ innumera fuerant. B. Laurentius Justinianus ait[1] : « Pro « repente de cicatricibus cruor emanavit abunde. « Inhæserat quippe corpori cruento inconsutilis « tunica, quæ sanguine hausto siccata erat ; quamobrem pellem totam detrahere compulsa est. » S. Vincentius Ferrerius similiter pœnosum hunc cruciatum, in detractione hujus vestis renovatum, in hæc verba considerat[2] : « Et tunc procul dubio « Christus habuit novam et maximam passionem, « quoniam illa purpura congelata fuit et fortiter « compacta vulneribus ictuum flagellorum, quæ « absque maximis doloribus avelli non poterat; et « maxime, quando tunica illa spoliatus fuit, renovata fuerunt omnia vulnera. Et hæc durior pœna « fuit, quam flagellatio, vel etiam coronatio, quod « facile sibi quis imaginari potest : cœpit enim novus sanguis ebullire et totum corpus roseo cruore « perfundi. » B. Laurentius Justinianus atrocissimum hunc dolorem omnem excedere humanam eloquentiam, verbisque sufficienter exprimi non posse existimat; ait enim : « In exspoliatione hac, « quid doloris senserit, nullius quamvis eruditi « sufficit enarrare farundia. » Taulerius purpuram et chlamydem SS. Christi vulneratæ carni innexam, rabie quadam et furore abstractam fuisse, his verbis meditatur : « Ingenti hic cum passionem attendamus, quanta cum rabie et inclementia crudelissimi canes Domino vestes abstraxerint. »

**2.** — Consideratione digna sunt illa S. Lucæ verba[3], quibus dicit, quod Pilatus condemnatum *Jesum tradidit voluntati eorum.* Ex quo enim per XXXIII annos in malignis et crudelibus cordibus suis implacabile contra Christum foverint odium, facile sibi quisque imaginari potest, quanta cum crudelitate ipsum tractarint, postquam voluntati eorum et libero arbitrio cruciandus traditus fuit.

[1] LEV., I, 16.

[1] B. LAUR. JUST., *de Triumph. Christi agon.* — [2] S. VINC. FER., *in Parasc* — [3] LUC., XXIII, 36.

Porro S. Joannes diffuse enarrat diversa, quæ principes sacerdotum cum præside habuerunt, certamina, utpote qui pro viribus semper pro Christi liberatione laboravit. At vero postquam tandem illum voluntati eorum cessisset (*tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur*) idem S. Joannes subjungit : *Susceperunt autem Jesum, etc.* Quæ verba ad illum Psalmistæ alludunt versiculum [1] : *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam.* Circa quæ verba incognitus Carmelitanus P. Michael de Bononia ait [2] : « Notatur crudelitas. Susceperunt me avide et « crudeliter, vel a Deo Patre, cujus dispositio erat « ut morereturj ; vel a Juda proditore; vel a Pilato « judice : et hoc *sicut leo paratus ad prædam*. Non « tantum principes et majores, sed etiam plebeii et « minores; scilicet qui erant catuli leonis, id est, « filii Diaboli, quibus dictum est : *Vox ex patre dia-* « *bolo estis*. » Imaginemini vobis igitur, qualiter unusquisque certatim chlamydem illam vulneribus ejus tenaciter infixam cum rabie et furore hinc inde traxerint et retraxerint, donec illa eum exuerent. Unde sine dubio patientissimo Christo intensissimus illatus est dolor; ad cujus meditationem Taulerus his nos verbis invitat : « Quis non videat, « quam inhumanus fuerit dolor, vestem vulneribus « inhærentem et sanguine concretam, tanto cum « furore et crudelitate detrahere, cunctis haud « dubie vulneribus recrudescentibus. »

**3.** — Porro hanc chlamydis exuitionem non solum S. Matthæus sed etiam Marcus enarrat, inquiens [3] : *Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura et induerunt illum vestimentis suis.* Sustulerunt ab illo clamydem militarem, purpuram, ut eum consuetis suis induerent vestimentis, nec tamen propterea spineam ei ex capite sustulerunt coronam; imo verisimile est, hanc per vestium exuitionem arctius capiti fuisse impressam, tum ne avelleretur a vertice, tum ut tanto acerbiores experiretur dolores. Verum enim vero dubium quoddam hoc loco subnascitur, cur Judæi Christum tanquam regem scenicum deridere volentes, ideo coronam spineam in capite ejus relinquentes, non etiam eidem ad montem Calvariæ procedenti purpuram majoris ludibrii causa reliquerint. S. Athanasius hujus insinuat mysterium [4] : « Decebat, inquit, cum « hominem introduceret in paradisum, exuere « tunicas, quas Adam accepit, cum e paradiso eji- « ceretur : cum enim ille peccasset, ac deinde « moriturus esset, accepit pelliceas tunicas ex « morticiniis animalium factas, insigne, notamque « mortalitatis ob peccatum sibi inflictæ. Cæterum « Dominus, omnia nostra propter nos recipiens, « induit ea, ut rursum exueret et pro istis nos ves- « tiret vita et immortalitate. »

**4.** — Observastisne aliquando, quod quando Redemptor noster in prætorio Pilati illusus et flagellatus fuit, alienis fuerit indutus vestibus ; e contra vero quando a prætorio Pilati ad montem Calvariæ processit, propriis denuo et usitatis fuerit vestibus indutus? Id quod S. Hieronymus notavit, inquiens : « Quando flagellatur Jesus et conspuitur et irride- « tur, non habet propria vestimenta sed ea quæ « propter nostra peccata sumpserat. Cum autem « crucifigitur et illusionis atque irrisionis pompa « præteriit, tunc pristinas vestes recipit et proprium « assumit ornatum. » Cujus P. Sylveira sequentem assignat rationem, inquiens : « Propriis vestibus « induitur, quæ totius puritatis, ac sanctitatis præ- « ferebant typum. Indeque sequens deducit morale « documentum : Ut ergo quis Christi crucem dese- « rat, exuat mores mundanos et virtutes omnes « assumat, patientiam, humilitatem, puritatem, « quæ sunt Domini vestimenta. » Considerare similiter possumus, vestes proprias sordidas et sputis ac sordibus plenas, Christum per modum injuriæ et ignominiæ a Judæis accepisse, id quod Zacharias prædixisse videtur, dum ait [1] : *Et Jesus erat indutus vestibus sordidis.* Hæ autem immunditiæ nostra præfigurabant peccata, quæ Christus ad montem Calvariæ bajulaturus in se assumpserat, ut pro illis æterno Patri suo de toto rigoræ justitiæ satisfaceret. Hugo Cardinalis pariter observat [2], Christum in prætorio Pilati purpura fuisse vestitum, eo tamen fine, ut a militibus derideretur. At vero quando crucem bajulans ad montem Golgothæ processit, pauperculis eum vestitum fuisse indumentis, ut per hoc insinuaretur, quod nobiles et divites in prosperitatibus quidem, sive quando beneficia accepturi sunt, in Christi societate reperiantur, in adversitatibus autem illum derelinquant. Purpura enim qua erat adornatus, prosperitatis symbolum erat, paupercula autem et lacera ejus indumenta typus erant tribulationum. In domo Pilati vestitus erat purpura, qua tamen spoliatur; quando ad montem Calvariæ educitur : « Ad quid, nisi quia « Sancti, qui sunt vestes Domini, curias Principum « et dignitates ac delicias fugiunt, sed Dominum « crucis martyrio comitantur? » Ratio autem hujus sensui litterali conformior est, quia per tot tolerata tormenta, specialiter vero per sanguinem e spinarum puncturis in faciem manantem, totaliter transformatus erat, dicente Isaia Propheta : *Non erat ei species, neque decor, vidimus eum et non erat aspectus.* Propriis igitur vestimentis eum induerunt, ut ab omnibus ex vestimentis cognitus, ab omnibus tanto liberius et insolentius illuderetur, velut Lyranus ait : « Ut ductus ad mortem, magis cognosce- « retur in propria veste, quam in aliena. » Lucas Brugensis similiter ait : « Fecerunt hoc milites, tum « ut eductus cognosceretur ab omnibus (quemad-

[1] Joan., xviii, 17. — — [2] *Ps.* xvi, 12 *In cognit.* — [3] Marc., xv, 20. — [4] S. Athan., *de Pass. et Cruce.*

[1] Zach., iii, 3. — [2] Hug. Card., *in Marc.*

« modum oportet eum, qui publice judicis auctori-
« tate interficitur) tum ne sibi perirent ejus vesti-
« menta, quæ sua jure fore tenebant, postquam
« affectus foret supplicio, quorum pretio etsi non
« grandi coccinea illa chlamys non erat conferenda,
« quæ nullius erat pretii. » Eamdem hanc causam diu ante S. Vincentius Ferrerius his verbis assignarat : « Induerunt eum vestimentis suis, ut magis
« esset cognoscibilis et ad montem vadens, amplius
« subsannaretur. » Neque prætereunda est hoc loco sequens a Drogone Hostiensi adducta moralitas ; ait enim : « Sed quid est, quod post illusionem chla-
« myde exuitur et suis vestibus reinduitur, nisi
« quod sæpe superbus Adam, cum per dolorem
« carnis confinia mortis ingreditur, deposita ela-
« tione, ad putredinis suæ considerationem rever-
« titur ? Ubi videlicet vel miseratione divina
« pœnitentiæ fructus invenit, vel post extremum
« judicium duplici contritione conteritur. Sic
« Herodes, cum veste regia præfulgidus, plus quam
« decuit, a populo ei acclamaretur, mox percussus
« ab Angelo, exutus chlamyde, vestem suam rein-
« duit et consumptus a vermibus exspiravit. Rectene
« illusus est ? *Ave Rex Judæus ? Quid superbis terra,*
« *et cinis?* Quid veste nitida gloriaris ? *Subter te*
« *tinea et operimentum tuum vermis est* : Hæc tua
« vestis est, illuserunt tibi, qui chlamyde coccinea
« te circumdederunt. »

**5.** — *Eduxerunt.* Ita apud S. Joannem in Vulgata nostra legitur. Euthymius vero ait [1] : « Joannes
« dicit, quod *acceperunt Jesum et duxerunt in præ-*
« *torium,* Judæis et hoc optantibus, ut inde educ-
« tus, condemnatus videretur. » Verumtamen certum est, innocentem hunc agnum Jesum, ad macellum deductum fuisse foras extra civitatem Hierosolymitanam. Cujus eductionis mysterium S. Augustinus his verbis insinuat : « Propterea extra
« civitatem et extra muros, ut intelligas, quoniam
« communis est hostia pro genere humano oblata
« et ideo communis est purificatio, non ex aliqua
« parte, quemadmodum fuerat ex Judæis. » S. Vincentius similiter ait [3] : « Duxerunt eum extra civi-
« tatem, quia passio Christi gloriosa, non solum
« ad Judæos, sed etiam ad omnes se extendebat.
« In cujus signum extra civitatem pati voluit. » S. Leo Magnus hac de re ita discurrit [4] : « Pascha nos-
« trum immolatus est Christus, qui se novum et
« verum reconciliationis sacrificium offerens Patri,
« non in templo, cujus jam erat finita reverentia,
« nec intra septa civitatis, ob merita sui sceleris
« diluenda, sed foris et extra crucifixus est, ut ve-
« terum victimarum cessante mysterio, nova hostia
« novo imponeretur altari et crux Christi non tem-
« pli esset ara sed mundi. » Ecce tibi igitur hic justum Abel, qui ab iniquo et infido fratre suo pro-

[1] Euthym., *in Joan.* — [2] S. Aug., *in Append. de div.* — [3] S. Vinc. Ferr., *ib.* — [4] S. Leo Mag.

vocatus est ad egrediendum in campum apertum : *Egrediamur in agrum*, ut ab eo trucidaretur : Cain autem reprobus, qui nullum in terram quietis locum invenire poterat, populum significat Judaicum, a Deo reprobatum, atque in omnibus mundi nationibus fugitivum.

**6.** — S. Thomas considerat, quod sicut olim in antiqua lege hircus pro peccato populi sacrificandus, juxta præceptum Dei[1], foris extra castra ducebatur ; ita quoque Christus, qui pro omnibus totius generis humani peccatis sacrificandus egredi voluit, extra mœnia et portas urbis Hierosolymorum passus est, dicente S. Paulo ad Hebræos [2] : *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra : propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Subdit vero S. Thomas Christum extra civitatem interfici voluisse [3], « ut ostenderet virtutem passionis suæ non
« esse includendam intra terminos gentis Judaicæ. »
Albertus Magnus in Lucam similiter inquit [4] : « Ut
« ipso loco significaret, quod non Judæis in civitate
« habitantibus crucifixio sua primum prodesset. »
Doctor Angelicus aliud quoddam insinuat morale documentum ; ait enim, Christum in cruce suffixum fuisse extra portas Hierosolymitanas, ut fidelibus suis insinuaret, « quod quicunque consequi volunt
« passionis fructum, exire debent mundum saltem
« affectu. » Quam eamdem consequentiam S. Paulus ex prædictis præmissis deduxit, inquiens [5] : *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Theophylactus hunc Christi ex urbe Hierosolymitana egressum, ut crucifigeretur, in Isaac præfiguratum esse notat, inquiens [6] : « Vide
« autem et in veteri typo quodam hoc factum :
« Isaac enim ei illic ligna portans, vadit ut immo-
« letur. Sicut illic Isaac dimissus est, et agnus im-
« molatus est ; ita et hoc in loco divina natura im-
« passibilis mansit, humana autem natura, quæ et
« agnus dicitur, quia Adæ erraticæ ovis filius,
« immolatur. » Enim vero Deus Abrahæ non præceperat, ut Isaac in domo propria illi in sacrificium offerret, sed *super unum montium quem monstravero tibi* ; in eodem videlicet, in quo postea in holocaustum oblato fuit figuratum.

**7.** — Observandum hoc loco est, quam dissimilis fuerit egressus ille, quo Christus a Judæorum crudelitate coactus, extra Jerusalem duci voluit ad crucifigendum, ab illo egressu, quo idem populus, in virtute assistentiæ divinæ, exiit ex Ægypto, e compedibus duræ illius servitutis liberatus, ut in terram promissionis se reciperet, in cujus beneficii memoriam illo die festivitatem paschalem solemniter celebrarat. Etenim populus Hebræorum ex

[1] Levit., xvi. — [2] Heb., xiii, 11, 12. — [3] S. Thom. *in Joan.* — [4] Alb. Mag., *in Luc.* — [5] Heb., xi, 13. — [6] Theoph., *in Joan.*

Ægypto egressus est, dives argenti et auri, et cujus libet pretiosæ suppellectilis. E contra vero ipsi Dei Filium e prætorio Pilati extra urbem deduci faciunt ignominioso, et ponderosissimo Crucis patibulo onustum. Deus serviles Hebræorum catenas dirupit, ipsosque e tyrannicæ servitutis compedibus liberavit : ipse vero in præmium hujus beneficii Dei Filium in monte Calvariæ abigunt, catenis gravatum, in eodemque monte pedes, et manus ejus acutis clavis transadigunt. Deus Hebræis, in laborioso illo ad terram promissionis directo itinere, ducis loco servivit, dum per idem coram illis in columna nubis, per noctem vero in columna ignis apparens, præcessit, ipsi vero e contra Dei Filium, columnæ cuidam fortiter adstrictum, asperrimis flagellis dilaniari curarunt. Deus Hebræos per tot annos cœlesti alimonia pavit, quæ omnes in se continebat sapores desiderabiles, ipsi vero pro hoc beneficio Dei Filium felle, et aceto potarunt. Deus limpidissimæ aquæ fontem manare fecit, qui eos per totum desertum est consecutus, *consequente eos petra. Eduxit mel de petra*, id est, aquam adeo suavem et gratam, ut mel esse videretur, ipsi vero latus Filii Dei lancea aperuerunt, unde manavit sanguis, et aqua : *Hæccine reddis Domino, populе stulte et insipiens.* Lucas Brugensis aliam quamdam assignat rationem, cur Judæi Jesum extra civitatem duxerint ad illum crucifigendum, ait enim [1] : « Jesus extra terrenæ Jerusalem septa educitur, « tanquam hominum consortio indignus, ut nos « sangnine ejus expiati, ad Angelorum consortio in « cœleste sacrarium introducamur. Noluit in civitate « immolari ne videretur pro solis se offerre Judæis, « aut sacrificium offerre, quale intra portas Jerusalem offerebatur, sed foris, ut alterius generis « sacrificium esse intelligeretur, quod offeretur « pro universo quam late patet, orbe terrarum. « Ideo non sub tegmine, inquit Augustinus, *ser.* 130 « *de temp.*, neque in templo Judæorum, ut non « subtraherent sacrificium salutare Judæi, neque « existimes, pro illa tantummodo gente hanc hostiam offerri. »

## DISCURSUS II

NONNULLÆ A S. THOMA TRADITÆ, ALIORUMQUE SS. PATRUM AUCTORITATIBUS CONFIRMATÆ, ADDUCUNTUR RATIONES CUR CHRISTUS INTER ALIA MORTIS SUPPLICIA CRUCEM ELEGERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Quare Christus mori voluerit in cruce et non alio mortis genere. — 2. Ut nobis daret exemplum virtutis. — 3. Quia hoc genus mortis conveniens erat pro satisfactione peccati primi parentis. — 4. Ut natura aeris etiam mundaretur. — 5. Ut in alto consistens nobis pararet ascensum in cœlum. — 6. Quare sic competebat universali salvationi totius mundi. — 7. Quia per hoc genus mortis diversæ virtutes designantur. — 8. Quia hoc genus mortis plurimis figuris respondit. Diversæ aliæ figuræ in hoc, mortis genere impletæ fuerunt. Prophetica visio de Christi morte, in cruce consummata.

*Duxerunt eum ut crucifigerent*, Matth. XXVII, 32.

**1.** — Quando quidem Deus multis sæculis, mortem Christi præcedentibus, per Prophetam Evangelicum omnes pœnosæ passionis suæ periodos distincte pronunciari fecit, voluit similiter per eumdem indicare nobis, Filium Dei eo genere mortis moriturum esse, quale ipse sibi ex propriæ voluntatis optione elegisset. Unde ait : *Oblatus est, quia ipse voluit.* Tametsi enim mors quam Redemptor noster sustinuit, ex parte Judæorum violenta fuerit, omnique conatu, et industria ipsorum machinata; attamen ex parte Redemptoris fuit ab ipso valuntarie electa, non solum quoad substantiam, verum etiam quemadmodum, quia non solum mortuus est, quia ita voluit, verum etiam in cruce mortuus est, quia sic mori elegit S. Thomas in Summæ suæ theologicæ articulo quodam disputat [1]: *Utrum Christus pati debuerit in Cruce.* Videtur enim convenientius futurum fuisse, si alio genere mortis fuisset interemptus. Semper enim inter figuram, et figuratum debet esse proportio; ac proinde cum sacrificia antiquæ legis, hujus cruenti sacrificii figura extiterint, illa autem sacrificia nullam cum patibulo conjunctionem habuerint, siquidem illorum sacrificiorum victimæ, non cruce, sed ferro interibant : cur igitur Filius Dei non pariter ferro, sed in patibulo crucis mori elegit? Demum vero prædictus D. Angelicus ita concludit : « Congruum « fuit, ut, qui pro omnium salute moriturus adve- « nerat, et pro peccato primi hominis satisfacturus « non aliam, quam mortem crucis pateretur. » Cujus conclusionis varias assignat rationes, ex quibus præsens contexetur discursus, in quo rationes Angelici Doctoris, aliorum S. Patrum auctoritatibus confirmabimus.

**2.** — Prima igitur ratio [2] cur Christus in cruce mori voluerit, est, ut nobis daret exemplum virtutis : « Dicit enim Augustinus *in lib.* 83 *Quæst.* « Sapientia Dei hominem ad exemplum quo recte « viveremus, suscepit. Pertinet autem ad vitam « rectam, ea quæ non sunt metuenda, non metuere. « Sunt autem homines, qui quamvis mortem ipsam « non timeant, genus tamen mortis horrescunt. Ut « ergo nullum genus mortis recte vivente homini « metuendum esset, illius hominis cruce ostenden- « dum fuit; nihil enim erat inter omnia genera « mortis illo genere execrabilius et formidabilius. » Idem S. Augustinus alio in loco ad suggerendum nobis animum, ita scribit [3]: » Nolite timere contu-

[1] LUC. BRUG., *in Matt.*.

[1] S. THOM., 2. p. q. 46, art. 4. — [2] S. THOMAS, *ib.* — [3] S. AUGUST., l. *de agone Christi.*

« melias, et cruces et mortem, quia si nocerent « homini, non ea pateretur homo, quem suscepit « Filius Dei. » Christus igitur ad nostrum exemplum, infamem et pœnosam crucis mortem elegit, ne quispiam ex nobis eamdem expavesceret. Mox ut Zachæus in Sycomorum ascendisset, Christus ei præcepit, ut descenderet[1] : *Festinans descende.* At vero inquies, forsitan potius Christo placere debuisset, quod Zachæum in hac arbore positum videret, siquidem, ut Glossa asserit, arbor illa Christi crucem præfiguravit. Sed respondetur, Christo displicuisse quod ipse primus in hanc arborem ascendere præsumpsisset, siquidem ipse met primus inter omnes crucis patibulum ascendere voluit, ut omnem illius exhauriret, et absumeret amaritudinem, ne aliis post ipsum crucifigendis crux deinceps pœnosa esse videretur. Unde S. Andrea subito ut crucem, in quam suspendendus erat, suspexit, cum singulari cordis jubilo dixit : *O bona crux diu desiderata, gaudens ad te venio.* Unde Chrysologus verba illa : *Festinans descende*, hunc sensum habere asserit : » Descende ante Dominum de Adamitica « arbore, ut post crucem Dominicæ passionis as- « cendas. » D. Chrysostomus sequens movens dubium, inquit[2] : « Sed dices : Decebat saltem glo- « riosam mortem sibi excogitare, et evitare igno- « miniam crucis. » Sed paulo post respondet : « Ira m, infamem, et detestabilem mortem in sus- « cepit, ut hac interempta dominium mortis tota- « liter destrueret. »

**3.** — Secundo ratio[4], quia hoc genus mortis maxime conveniens erat satisfactioni pro peccato primi parentis, quod fuit ex eo quod contra mandatum Dei pomum ligni vetiti sumpsit, et ideo conveniens fuit quod Christus ad satisfaciendum pro illo peccato, seipsum pateretur ligno affigi, quasi restituens quod Adam sustulerat, secundum illud Psalmi : *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Unde Augustinus dicit in quodam sermone de passione : « Contempsit Adam « præceptum accipiens ex arbore pomum ; sed « quidquid Adam perdidit, Christus in Cruce inve- « nit. » In hanc S. Thomæ rationem plures alii sancti Patres consentiunt. Unde S. Hieronymus, vel quisquis est auctor Commentarii in Marcum qui in operibus S. Hieronymi circumfertur, ita scribit[5] : « Extensio manus primæ ad lignum mortem ap- « prehendit. Extensio autem secundæ vitam quæ « perierat, invenit. » S. Bonaventura similiter inquit[6] : « Quia homo volens esse sapiens ut Deus, « peccavit in ligno vetito volens delectari, ita quod « inclinatus est ad libidinem, erectus in præsump- « tionem, ac per totum genus humanum infectum « est, et perdidit immortalitatem, et incurrit debi- « tam mortem, hinc est, quod ad hoc ut homo « repararetur convenienti remedio, Deus factus « homo voluit humiliari, et in ligno pati. » Simon de Cassia Salvatorem nostrum crucis bajulum in hæc verba introducit loquentem[1] : « Porro lignum « propter vetitum lignum, pœnale lignum propter « vetitum pomum. » S. Maximus in Homilia quadam ait : « In ligno crucifigitur. Rationaliter « factum, quia homo in paradiso per arborem con- « cupiscentiæ deceptus fuerat, nunc idem per ligni « arborem salvaretur, atque eadem materia, quæ « causa mortis fuerat, esset remedium sanitatis. » Ludolphus Carthusianus ad idem recurrit mysterium inquiens[2] : « Quæ primus homo ad lignum prævaricationis manus extendendo, et pedibus accedendo chirographum damnationis nostræ diabolo « confecerat, idem Salvator noster, ut chirographum « illud deleret, manibus et pedibus ligno salutiferæ « crucis affigi voluit clavis invictissimæ charitatis *de- « lens hoc chirographum decreti, quod erat contrarium « nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* » Hasce autem prædictas considerationes S. Augustinus ante omnes alios adduxit, qui insuper alio in loco, præter id quod S. Thomas allegat, in sermone quodam in hæc verba prædicavit[3] : « Sacrarum « manuum in ligno crucis extensio, condemnabat « Adæ, et Evæ manus, ad interdictum ligni cibum, « ingemiscenda sæculi trangressione, porrectas. » Idem in alio quodam sermone ait[4] : « In cruce sus- « pensus est, ut nos a damnatione vetiti ligni dis- « solveret, et a morte liberaret. » Theophylactus observat, quod maledictiones, quas homo propter degustatum lignum vetitum incurrerat, ligno crucis mediante expiatæ fuerint : *Ita enim scribit*[5] : « Ut « lignum sanctificet, per quod maledicti fuimus, et « omnia benedicat, et cœlestia, quæ per supremam « partem crucis, et terrena quæ per suppedaneam. « Et fines terræ, Orientem, et Occidentem, qui per « transversas partes crucis assignantur. »

**4.** — Tertia ratio est[6] quia ut Chrysostomus ait in sermone *de passione* : « In excelso ligno, et non « sub tecto passus est, ut etiam ipsius aeris natura « mundaretur. Sed ipsa terra simile beneficium « sentiebat, decurrentis de latere sanguinis stilla- « tione mundata et super illud Joannis ut : *Exaltari « oportet filium hominis* dicit : *Exaltari* audiens, sus- « pensionem intelligas in altum, ut sanctificaret « aerem, qui sanctificaverat terram ambulando in « ea. » D. Chrysostomus interrogat[7] : « Ob quam « causam in excelso ligno immolatur? » Moxque respondet : « Ut etiam ipsius aeris natura munde- « tur, ut universus aer in excelsa immolatæ ovis a « tetro odore mundetur. » S. Athanasius idipsum confirmat dicens[8] : « Aerem purgavit manuum ex-

[1] Luc., XIX, 5. — [2] Chrysol., s. 54. — [3] D. Chrysos., *in Cat. in Luc.* — [4] S. Thom., *ib.* — [5] S. Hieron., *in Marc.* — [6] S. Bon., t. VI *Breviloq.*

[1] Sim. de Cass., l. XII. — [2] Lud. Cart., p. 2. — [3] S. Aug., s. 45 *in Append.* — [4] S. Aug., s. 54, *ibid.* — [5] Theoph., *in Matt.* — [6] S. Thom., *ib.* — [7] D. Chrys., *de Cruc. et lat.* — [8] S. Athan., *de Cruce et Pass.*

« pansione. » Consideratione quoque dignum est quod Didacus Stella ad hoc propositum in hæc verbo scribit [1]: « Sanctificaret Christus terram pedi- « bus suis sanctissimis, eam conculcando. Aquam, « super eam ambulando: Et ignem, quia sanctifi- « candus erat in specie ejus, Sanctum Paracletum « mittendo discipulis. Sed nunc aerem sanctificat « in aerem elevatus, ubi non dignatus est. In aere « mori voluit, quia commune est elementum, et « sic mors ejus pro omnibus æqualiter offerebatur « ex parte sua quoad sufficientiam. Cætera enim « elementa suos dominos habent, ita quod terra « unius, non sit alterius. Nec fluvius unius, aut ignis « non sit alterius, sed aer omnium est, et tantum « habet pauper aeris, sicut dives, agricola sicut « litteratus. Sic etiam Christi passio pro omnibus « fuit. »

**5.** — Quarta ratio est [2], « quia per hoc quod in « alto moritur, ascensum nobis parat in cœlum. Et « inde est, ut notat Chrysostomus quod ipse dicit « *Joan.* XII. *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia « traham ad me ipsum.* » Enim vero cœlum, cujus portæ æternales, post proscriptum e paradiso terrestri primum hominem per quinquies mille amplius annos humano generi occlusæ fuerunt, subito apertæ fuerunt postquam Salvator noster in crucem elevatus fuit. Tunc enim Paradisus cœlestis bono latroni fuit reseratus, ipsomet Christo dicente *Hodie mecum eris in paradiso.* De hac autem veritate fusius egimus Tractatu II, *Disc.* II.

**6.** — Quinta ratio est [3], quia hoc comperit universali salvationi totius mundi. Gregorius Nyssenus ait quod figura crucis a medio contactu in quatuor extrema partita, significat virtutem, et providentiam ejus, qui in ea pependit, ubique diffusam. Chysostomus etiam dicit, quod in cruce expansis manibus moritur, ut altera manu veterem populum, altera eos, qui ex Gentibus sunt, traheret. Lucas Brugensis post allatam Nysseni auctoritatem, aliam quamdam subdit ex Lactantio Firmiano, dicente [4]: « Fortassis aliquis quærat, cur si Deus fuit, et mori « voluit, non saltem honesto aliquo mortis genere « affectus est? Cur potissimum cruce, cur infami « genere supplicii, quod etiam homine libero, « quamvis nocente, videatur indignum? Et post « assignatas multas hujus causas, tandem sub- « jungit: Nam quoniam is qui patibulo suspen- « ditur, et conspicuus est omnibus, et cæteris altior « crux potius electa est quæ significaret illum tam « conspicuum, tamque sublimem futurum, ut ad « eum cognoscendum pariter, colendum, cunctæ « nationes ex omni orbe concurreret. Extendit ergo « in passione manus suas orbemque dimensus est, « ut jam tunc ostenderet, ab ortu Solis usque ad « occasum, magnum populum ex omnibus linguis « et tribubus congregatum, sub alas suas esse « venturum signumque illud maximum, atque « sublime frontibus suis suscepturum. » Hactenus Lucas Brugensis. S. Anselmus super Matthæum scribens ait [1]: « Illi sententiæ, qua diximus, quadri- « partita veste significari Ecclesiam, in quatuor « mundi partibus diffusam, lignum crucis quadra- « fice videtur convenire, qua cruce quadrificæ vi- « deretur amplecti quatuor mundi climata. Sed si « etiam diligenter attendamus huic cruci quadri- « ficæ videtur Apostolica convenire sententia quæ « dicit: *Ut possitis comprehendere cum omnibus « Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas « et profundum.* Latitudo enim crucis, ubi in trans- « verso scilicet ligno manus infiguntur, hilaritatem « significat quærentis. Per latitudinem habemus « operantis hilaritatem, tristitia enim facit angustias « Per altitudinem vero, cui caput adjungitur, expec- « tatio retributionis de sublimi justitia Dei intelligitur, « qui reddet unicuique secundum opera sua. Longi- « tudo, qua totum corpus extenditur, ipsam signi- « ficat tolerantiam, unde longanimes dicuntur qui « tolerant. Profundum vero, quod terræ infixum « est, secretum Sacramenti præfigurat. »

**7.** — Sexta ratio est [2], quia per hoc genus mortis diversæ virtutes designantur. Unde Augustinus dicit (in lib. *de gratia veteris et novi Testamenti*): Non frustra tale genus elegit mortis, ut latitudinis et altitudinis, et longitudinis, et profunditatis, de quibus Apostolus loquitur, magister existeret. Nam latitudo in eo ligno, quod transversum desuper figitur, hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo quod ab ipso ligno usque ad terram conspicuum est. Ibi enim quodammodo statur, id est, persistitur, et perseveratur, quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte, quæ ab illa quæ transversum figitur, sursum versus relinquitur, hoc est, ad caput Crucifixi, quia bene sperantium superna exceptatio est. Jam vero illud ex ligno, quod fixum occultatur, unde totum illud exsurgit, profunditatem significat gratuitæ gratiæ. Ut sicut Augustinus (*sup. Joan.*) dicit. Lignum in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit magistri docentis. Idem S. D. virtutes per hoc crucis patibulum designatas, in alio quodam sermone clarius exponit, inquiens [3]: « Con- « tinetur etiam in hac crucis figura altius sacra- « mentum, quod quanto est altius, tanto est atten- « dendum diligentius. Intelligitur namque in lati- « tudine crucis dilectio proximi, quæ non tantum « usque ad amicos, sed etiam extendenda est « usque ad inimicos. Intelligitur quoque in ejusdem « longitudine, longa et perseverans laborum, et « persecutionum sustinentia, quæ patienter ferre

[1] DID. STELLA, *in Luc.* — [2] S. THOM., *ib.* — [3] ID., *ib.* — [4] LUC. BRUG., *in Matt.*

[1] S. ANS., *in Matt.* — [2] S. THOM., *ib.* — [3] S. AUG., s. 59 *in Append. de divers.*

« debet ad patriam suspirans nostra peregrinatio, « tam pro dilectione proximorum, quam pro exhi- « bitione omnium bonorum operum. Figuratur « simili ratione in altitudine ejus eminentia spei, » penetrans usque ad interiora velaminis. Atten- « dendenda est etiam crucis profunditas, quia « profundum est mysterium crucis, in quo multo- « rum, qui sapientes dicuntur, ingenia defecerunt. » In eodem sermone insuper aliud innuit mysterium, dicens : « Susceptæ crucis causa est, ut superbia « sæculi, et inflata sapientia per crucis stultam, ut « putatur, prædicationem, humiliata corrueret, et « sciret id, quod stultum est Dei, sapientius esse « hominibus. » Lucas Brugensis ea quæ paulo ante diximus, his verbis confirmat [1] : « Quarta causa fuit, « quod crucem patiens Dei Filius, variarum nobis « reliquerit exempla virtutum ; Christus enim « passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, « etc, quæ non perinde nobis reliquisset alio « mortis genere. Crucifixionis carnis nostræ cum « vitiis et concupiscentiis. Elevationis affectionum « nostrarum a terra. Præsertim vero contemptus « omnium quæ sunt, in mundo. »

**8.** — Septima ratio est [2], quia hoc genus mortis plurimis figuris respondet. Ut enim Augustinus dicit in sermone de passione : « De diluvio aqua- « rum humanum genus arca lignea liberavit. De « Ægypto Dei populo recedente, Moyses mare virga « divisit et Pharaonem prostravit, et populum Dei « redemit. Idem Moyses lignum in aquam misit, et « amaram aquam in dulcedinem commutavit. Ex « lignea virga de spirituali petra salutaris unda « profertur. Et ut Amalec vinceretur, circa virgam « Moyses expansis manibus extenditur, et lex Dei « arcæ testamenti creditur ligneæ, ut his omnibus « ad lignum crucis quasi per quosdam gradus « veniatur. » S. Isidorus præter has figuras, vatici- nium quoddam Jeremiæ adducit in medium quod merito adimplendum erat ; ita enim scribit [3] : « Jere- « mias Propheta ex persona Christi prædixerat, « dicens : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur « ad victimam, et non cognovi, quia super me cogita- « verunt consilia dicentes : Mittamus lignum in panem « ejus, et eradamus eum de terra viventium.* Cui est « lignum in panem missum, nisi Christo affixo « carnis in ligno ? Panem enim corpus ejus agnos- « cimus. Lignum in pane esse, fide nostra crucem « agnoscit in corpore, quia vita corporis sui panis « est, scriptum est enim : *Et erit vita tua pendens « ante oculos tuos.* Et in Psalmo iterum, quia « extendit manus suas in cruce, sic dicit : *Elevatio « manuum mearum sacrificium vespertinum* : Sive « quod, veniente quasi mundi vespera, sive quod « declinante jam sole ad vesperam, Dominus in « cruce animam posuit, elevans manus suas in « idem crucis signum atque offerens se ipsum Deo « pro nobis sacrificium ut per illud sacrificium, « delerentur peccata nostra. » S. M. Ecclesia, à Spiritu Sancto directa, multas alias veneratur figuras, in hoc genere mortis adimpletas : sicuti serpentis æneï super palo in altum suspensi, ad cujus aspectum sanabantur omnes, quotquot mor- sus lethiferos a serpentibus ignitis acceperant. Ac proinde ipsemet Christus Nicodemo in hæc verba prædixit [1] : *Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Similiter in festo exaltationis S. Crucis Ecclesia in Antiphona qua- dam ita canit : « Hæc est arbor dignissima, in Pa- « radisi medio situata, in qua salutis auctor pro- « pria morte mortem omnium superavit. » Multas alias brevitatis causa prætereo figuras, utpote S. Scripturæ professoribus notissimas. Unicum duntaxat considerabo textum Ezechielis, ubi legitur hunc Prophetam in contemplationem raptum in excelso quodam collocatum fuisse monte, ut attentius consideraret mensuram, qua ædificium quoddam mensurabatur per arundinem quamdam sex cubitis longam. Enimvero ædificium hoc sanc- tissimam Christi præfigurabat humanitatem. Arundo vero crucis typus erat. Is qui hoc ædificium me- tiebatur, ingratissimus erat Hebræorum populus : Sex hujus arundinis cubiti, sextam repræsentabant mundi ætatem, in quo Redemptor crucifigendus erat. Arundo interius vacua, medullam divinitatis impassibilem esse denotabat, siquidem solus hu- manæ naturæ cortex doloribus subjectus fuit. Sola dimensa est latitudo, per quam præsignificabatur humanitas, quia quod naturam divinam attinet, *generationem ejus quis enarrabit ?* Ludolphus Car- thusianus denique hanc innuit considerabilem fi- guram, inquiens [2] : « Duo populi Jesum ad interfi- « ciendum adduxerunt, videlicet Judæi, qui corde, « et Gentiles, qui opere hoc fecerunt. Isti olim per « duos exploratores præfigurati erant, qui botrum « de terra promissionis ad desertum afferebant. « Per botrum figurabatur Filius Dei Jesus Christus. « Per lignum vero, in quo botrus hic pendebat, « sacrosancta crux Domini præsignabatur. »

[1] Luc. Brug., *in Matt.* — [2] S. Thom., *ib.* — [3] S. Isid., *de Pass.*

## DISCURSUS III.

### ALIA RECENSENTUR MYSTERIA, OB QUÆ IN CRUCE MORI VOLUIT.

Idea sermonis. — 1. Alia mysteria Christi cruce im- pleta. — 2. Oblationes sacrificiorum olim in altum elevabantur. — 3. Quare Christus non alio mortis genere quam crucis, mori voluerit. — 4. Christus in cruce triumphavit de hoste humani generis. Christus diabolum vicit propriis ipsius armis. Magna glo- ria redundavit in Christum ex patibulo crucis. — 5. Christus expansis brachiis in cruce mori voluit,

[1] Joan., III, 14. — [2] Lud. Carth., p. 2, c. 62.

paratus ad nos suscipiendos et amplexandos. — 6. Mors crucis fuit ignominiosissima. — 7. Mors crucis convenientissima fuit ad sanandas miserias nostras. Mors crucis atrocissima fuit.

*Educunt illum, ut crucifigerent eum.* Marc., XV, 20.

**1.** — Sancta Mater Ecclesia, cujus rector est Spiritus veritatis, in præfatione quadam de S. Cruce ita loquitur : *Salutem humani generis in ligno crucis constituisti; ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.* Non dicit Hebræos vel Gentiles hoc supplicii genus elegisse, sed ipsummet Dei Filium, per altissimam sapientiam suam, humanum genus in patibulo crucis voluisse redimere. Atque hæc causa fuit, cur in aliis occasionibus, in quibus illi mortem a morte crucis differentiam ei machinabantur, illam semper fugeret et declinarit. Enimvero præter mysteria in discursu præcedenti insinuata, hoc loco nonnulla alia a sacris Interpretibus adducta examinabimus.

**2.** — Olim in lege Mosaica in more positum erat, quod oblationes quæ in sacrificium offerebantur, in sublime elevarentur; sic enim in lib. Exodi dicitur [1] : *Pones super manus Aaron, et filiorum ejus : et sanctificabis eos, elevans coram Domino.* Similiter in Levitico de Aarone dicitur [2] : *Tulit pectusculum, elevans illud coram Domino.* Regius quoque Psalmista ait [3] : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Conveniens igitur erat, ut quando Christus, qui omnium illarum hostiarum figuratum erat, in altari crucis æterno Patri suo offerebatur in holocaustum, in conspectu totius populi pariter in sublime elevaretur : in quem finem nullum erat potius instrumentum, quam crucis lignum.

**3.** — S. Augustinus quærit, inquiens [4] : « Sed « videndus est, quare Dominus tale genus mortis « elegerit? Legimus enim in Evangelio, quod « Pharisæi voluerunt eum præcipitare de monte, at « ille transiens per medium illorum ibat. Alibi « quoque legimus, quod Judæi tulerunt lapides, ut « jacerent in eum, ipse vero abscondit se et exivit « de templo. Quare noluit Dominus præcipitari vel « lapidari, aut etiam gladio truncari? Utique causa « nostræ salutis hoc fecit : Mors enim Christi, « signum est nostræ salutis. Noluit ergo lapidari, « aut gladio percuti : quia videlicet nos semper « nobiscum lapides, aut ferrum ferre non possumus, « quibus defendamur. Elegit vero crucem, quæ levi « motu manus exprimitur, qua et contra inimici « versutias munimur. Hoc enim signo crucis con- « secratur corpus Dominicum : sanctificatur fons « Baptismatis. Initiantur etiam presbyteri et cæ- « teri gradus Ecclesiastici; et omnia quæcunque « sanctificantur; hoc signo Dominicæ crucis, cum « invocatione Christi nominis, consecrantur. » Cum igitur cuncti fideles sub vexillo crucis conscripti sint, vexillum hoc semper in promptu et ad manum habent, quo se ab inimicis invisibilibus defendere possint : id quod non adeo facile efficere possent per alia instrumenta, sive gladii, sive lapidum, sive alterius cujuspiam similis. Præterea cum lateribus nostris assistentem habeamus inimicum indefessum et implacabilem, qui continuo nobis insidiatur, nosque omni cum conatu et astutia aggreditur. Salvator noster nobis de armis validis et potentibus prospicere voluit, cujusmodi sunt arma SS. crucis Christi; unde Ecclesia dicere solet : *Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.* S. Augustinus inquit [1] : « Queritur, quid sit crucis « significatio et quare Dominus in patibulo pati « elegerit? » Prima autem ratio quam adfert, hæc est : « Ut Christus pro reatu mundi redemptio da- « retur et antiquus hostis velut homo crucis cape- « retur, scilicet ut quos absorbuerat, evomeret, non « potentia victus, sed justitia. » Simon de Cassia Christum vitale lignum, ab ipso inter alia supplicia præelectum, portantem, hunc in modum loquentem introducit [2] : « Porto lignum, ut vincam in « ligno invisibilem hostem, qui vicit in ligno. »

**4.** — S. Ecclesia non sine mysterio in hæc verba canit : *Pange lingua gloriosi prælium certaminis et super crucis trophæo, dic triumphum nobilem, qualiter Redemptor orbis immolatus vicerit.* Hunc triumphum S. Paulus indicavit, quando ad Colossenses in hæc verba scripsit [3] : *Delens quod adversus nos erat chirographum, affigens illud cruci.* At vero quidnam ex hac chirographi ad patibulum crucis affixione subsecutum fuit? Nimirum quod sequitur : *Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Post Pascha usque ad Ascensionem, ad honorem S. Crucis, frequenter facere solemus commemorationem sequentem : *Crucem sanctam subiit, qui infernum confregit.* Etenim totum hoc universum, ante Christi mortem, principis tenebrarum tyrannidi subjectum fuerat; qui proinde ab universo genere humano, sola excepta Palæstina, in falsis Numinibus se tanquam Deum adorari faciebat : at vero mox ut hoc crucis lignum erectum fuit, turpis hæc idololatria protinus prostrata evanuit. Unde Propheta regius in Psalmo LXXXVIII, ait [4] : *In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos* : hæc enim verba de brachio omnipotentiæ divinæ intelligi nequeunt; sic enim Psaltes nihil novi dixisset, cum constet, quod Deus [4] *respicit terram et facit eam tremere.* Loquitur igitur potius de invicta omnipotentis brachii sui fortitudine, quam tunc vel maxime exhibuit, quando omnino debilitatum fuisse videri poterat, utpote in crucis patibulo extensum et acutis seris transfixum; quo non obstante, omnes profligavit inimicos infernales :

[1] Exod., XXIX, 25. — [2] Lev., VIII, 28. — [3] *Ps.* CIV, 2. — [4] S. Aug., s. 59 *in Append. de divers.*

[1] S. Aug., *ib.* — [2] Sim. de Cass., l. XIII. — [3] Coloss., II, 14. — [4] *Ps.* LXXXVIII, 11.

« In brachio virtutis tuæ, » ait Hugo Cardinalis [1], « id est in brachio extento in cruce, dispersisti « victos et confusos inimicos tuos, scilicet aereas « potestates. » Clavi quibus Christus ad crucem confixus fuit, in Scriptura Sacra cornuum nomine appellantur [2]: *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo. Ante faciem ejus ibit mors, egredietur diabolus ante pedes ejus* : quia postquam regium hoc crucis signum erectum fuit, spiritus rebelles omnem vim suam amiserunt : « Suis armis diabo- « lus victus, » inquit Didacus Stella [3], « et suspensus « est : sicut Aman in patibulo, quod paraverat « Mardochæo. Hic est gladius Goliath Philisthæi et « ensis Holofernis, quibus decollati sunt. Armatura « fuit diaboli lignum, in quo Protoplastum vicit : « hoc Christo paravit et in eo mortua est mors et « diabolus victus. » S. Cyprianus ante omnes ad hoc propositum in hæc verba scripserat [4] : « Ascen- « disti Domine palmam, quia illud crucis tuæ lignum « portendebat triumphum de diabolo, eratque in « manibus tuis duo cornua, in quibus erat forti- « tudo tua abscondita et imperium tuum super « humerum tuum. » S. Athanasius inquit [5] : « In « aerem ascendit per crucem, ibi quoque serpen- « tem persequens, ut inde principem potestatis « aeris deturbaret et spiritualia nequitiæ dejiceret. » S. Augustinus in præcitato sermone ita scribit [6] : « Crux magnum in se mysterium continet, cujus « positio talis est, ut superior pars cœlum petat, « inferior terræ inhæreat, fixa in infernorum ima « contingat, latitudo autem ejus partes mundi « appetat. Quia et Christus per passionem Angelis « profuit in cœlo, quorum numerus quia per apos- « tatam Angelum immunitus fuerat, ex animabus « fidelium quotidie adimpletur ; et nobis qui sumus « in terra et illis qui propter originale peccatum « detinebantur apud inferos, sed et ipsis qui in « diversis mundi partibus habitabant. Jacens vero « crux quatuor mundi partes appetit, Orientem « videlicet et Occidentem, Aquilonem et Meridiem, « quia et Christus per passionem suam omnes ad « se trahit et omnia sibi subjugavit, juxta quod ipse « surgens a mortuis dixit : *Data est mihi omnis « potestas in cœlo et in terra.* » Lucas Brugensis vaticinium quoddam Christi in medium adducit, quo gloriam prædicit, quæ in ipsum ex crucis pati bulo redundatura erat ; ita enim scribit : « Ut « forma ipsa crucis declararet, se pro totius mundi « salute pati, seque adeo omnia ad se attracturum, « *Si enim*, inquit, *exaltatus fuero a terra, omnia « traham ad me ipsum.* Omnia ab Oriente, Occi- « dente, Meridie et Septentrione, quæ quatuor « mundi partes, quatuor quasi crucis angulis conti- « nentur. » Taulerus circa crucis figuram ita me- ditatur [1] : « Pro omnibus mortuus et indiscrimina- « tim omnes optat homines salvos facere, quod « ipsum et forma crucis illius præsefert, insinuat- « que. Ejus namque pars superior eum angelorum « ruinam instaurare voluisse significat. Pars infe- « rior, Patres eum ex limbo redimere. Pars dexteri « lateris, suos eum protegere amicos ac benedicere. « Pars sinistra, trahere eum atque convertere « inimicos suos, cunctosque peccatores voluisse « designat. In extremitate superiori, cœli reseratio; « in inferiori, destructio inferni ; in dextera, gra- « tiæ diffusio ; in sinistra, peccatorum remissio « significatur. »

**5.** — Non defuerunt qui dicerent, Christum manus suas ad crucem clavis affigi permisisse, ut peccatoribus animum suggereret ad deponendum omnium divinæ justitiæ suæ fulminum timorem et metum. Unde ad instar arcus, sive iridis, quæ pacis est symbolum, in cruce pendens, omnibus peccatoribus qui emendati et pœnitentes ad ipsum refugiunt, promptam reconciliationem promittere videtur. Vel etiam, ut alii meditantur, brachiis in cruce extensis pendet, ut nos benigne ad pœnitentiam recipiat ; nobisque clare ostendit, verissimam esse, quod Isaias prædixit, inquiens [2] : *Non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat.* « Quæ enim ma- « jor potest esse misericordia, » inquit Oleaster, « quam manum semper extensam habere ad levan- « dum et dandum? » Neque solum brach a sua extensa tenere voluit, ad nos paternæ recipiendum, verum etiam eadem clavis ad lignum crucis configi disposuit, ut nos securos redderet, quod deinceps brachia sua in beneficium nostrum semper extensa conservaturus esset. Unde Ludolphus Carthusianus ait [3] : « Cordis oculis aspiciamus « Salvatorem nostrum in cruce expansis manibus « extensum, quasi paratum nos recipere ad amore- « sum amplexum suum. » Et Augustinus ait [4] : « Christus extendit brachia sua in cruce et expan- « dit manus suas paratas in amplexus peccatorum. « Inter brachia Salvatoris mei et vivere volo et « mori cupio : ibi securus decantabo : *Exaltabo te « Domine, quoniam suscepisti me.* » Arnoldus Carnotensis exponens verba illa : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* sibi imaginatur, ac si videret Christum in cruce circumspicientem illos, qui ad pedem trunci illius circumstabant, cunctosque fideles sanguine Christi redemptos repræsentabant, iisque omnibus benignum offerentem amplexum. Unde ait [5] : « Extensis brachiis Christus in cruce « totum corpus suum infra se positum complexus « est et sub alis crucis aggregato genere nostro, ibi « et protexit et fovit, ubi nihil posse putabatur. » Didacus Stella similiter ait [6] : « Hac morte crucifi-

[1] Hug. Card., *ib.* — [2] Habac., v, 4. — [3] Did. Stella, *in Luc.* — [4] S. Cypr., *de Pass.* — [5] S. Athanas., *ib.* — [6] S. Aug., *ib.* — [7] Luc. Brug., *in Matt.*

[1] Taul., c. 34 *de Pass.* — [2] Isa., lix, 1. — [3] Ludolp. Cart., p. 2, c. 63. — [4] S. Aug., *in Manual.* — [5] Arn. Cart. *de 7 Verbis.* — [6] Did. Stell., *ib.*

« xionis voluit mori, extensus in cruce, apertis « manibus, ulnis explicitis, ut te amplecteretur et « ad suam amicitiam revocaret; et quantumvis « peccator fueris, latere perforato te in visceribus « et corde conderet. » Theophylactus ante omnes alios hac de re ita scripsit [1] : « Extendit manus, ut « in ulnas suscipiat et congreget filios Dei disper- « sos. »

**6.** — *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus* [2]. Porro in hoc sæculo nulla inferri poterat mors vituperosior et ignominiosior morte crucis. Unde dixerunt [3]: *Contumelia et tormento interrogemus eum : morte turpissima condemnemus eum.* S. Bonaventura ait [4] : « Aeri deputatus est et inter cœlum et terram sus- « pensus, ac si non esset dignus mori aut vivere in « terra. » Merito igitur Chrysostomus inquit [5] : « Quam magnum quod servus factus est? Quod « mortem sustinuit, multo plus est. Sed est alius « majus quiddam isto et insolentius, quia non « quamlibet mortem, sed mortem crucis subiit. » Pro majori hujus veritatis intelligentia observandum est, quod Lucas Brugensis hac de re his verbis scribit [6] : « Consueverant cruci affigi servi et vilio- « res liberi, qui juxta servos, ob delaturam domino- « rum, machinationem contra dominorum salutem, « fugam diuturnam, crimen falsi, sicariatum, latro- « cinium, læsam Majestatem, seditionem, denique « commiserant. Quod igitur ad crucem postulant « Pontifices Jesum, seditionis et læsæ ob regnum « affectatum Majestatis titulo, prætextuque faciunt. « Quod vero præ aliis mortis generibus crux ipsis « adeo placeat, est, quod in crucis supplicio summa « essent duo illa, atrocitas et ignominia. » Beda in Joannem scribens, in hæc verba exclamat : « Grande « spectaculum, sed si spectet impietas, grande lu- « dibrium : si pietas, grande mysterium ! Si spectet « impietas, grande ignominiæ documentum; si « pietas, grande fidei monumentum. Si spectet « impietas, videt regem pro virga regni, lignum « sui portare supplicii; si pietas, videt regem ba- « julantem lignum, ad semetipsum figendum, « quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum, in « eo spernendus oculis impiorum, in quo erant « gloriatura corda Sanctorum. »

**7.** — Lucas Brugensis aliud quoddam cæteris excellentius mysterium insinuat, dicens [7] : « Hoc « mortis genus elegit, crucem, inquam, ut sanandæ « miseriæ nostræ convenientissimum; ut ait Au- « gustinus, lib. XIII, *de Trin.*, *c.* 10, multas ob « causas. Prima fuit, quod cum vellet sufficientis- « sime pro omnibus omnium hominum peccatis « satisfacere et justitiam, vitamque æternam eis « justissimeque mereri, summum extremumque « supplicium subeundum sibi duxerat hic sua erga « homines charitate egregie demonstrata. » Trita, passimque nota est illa propositio : *Pœna interroget, si quis veraciter amet.* Cum igitur Christus inter omnia mortis instrumenta, illud elegerit, quod omnibus pœnosius est, atque atrocius, satis manifeste ostendit, quod ardentissime nos amarit, dicente Apostolo [1] : *Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos.* Præterea, ex quo Christus pro peccatis nostris non solum satisfacere, verum etiam abundanter et super excessive eadem exsolvere voluit, ut sic esset [2] *copiosa apud eum redemptio* ; consequenter necessarium erat, ut genus quoddam mortis eligeret, per quod plura et atrociora patiendo, quam in quovis alio mortis genere, ampliora nobis accumularet merita. Hoc autem crucis supplicium omnia violentæ mortis pœnosissima instrumenta in se complecti videtur. Siquidem patibulum crucis manus et pedes instar gladii figit, extendit corpus ad modum equulei, illud dilaniat, ut faciunt unci, adurit illud instar ignis, quia crucifixus velut ad lentum ignem deficiens, sitim patitur ardentissimam. S. Bernardus de Salvatore nostro Crucifixo in hæc verba meditatur [3] : « In tantum in cruce « distentus fuit, ut dinumerari potuissent omnia « membra ejus. » Ita enim dixit per Prophetam [4] : *Foderunt manus meas et pedes meos* [5]; *dinumeraverunt omnia ossa mea*, ac si diceret : Tantum distentus sum dextrorsum et sinistrorsum, et a summo deorsum, ut corpore nudo in modum tympanicæ pellis distento, facile possent omnia ossa mea numerari. Lucas Brugensis de acerbitate dolorum patibuli crucis ita scribit [6] : « Quod atrocitas summa fuerit, « manifestum ex eo est, quod confixio assuevit fieri « in locis maxime nervosis et ut sensu tactus acer- « rimo præditis, ita remotissimis a corde. Illinc « enim acerbitas, hinc diuturnitas doloris. » Ludolphus Carthusianus intensissimam patibuli crucis acerbitatem, ex etymologia nominis crucis, in hæc verba deducit : « Crux quippe a cruciatu dicitur, ubi « dolores acerrimi exagitant, ubi diu vivitur et « mors ipsa protenditur, ne dolor citius finiatur : « quod genus mortis in tantum durissimum, atque « turpissimum apud Judæos erat, ut non solum « ipse vituperabilis esset, quem crucifigi contigis- « set, sed etiam tota domus ejus, domus crucifixi « appellaretur. »

[1] THEOPH., *in Matt.* — [2] I COR., I, 27. — [3] SAP., II, 19. — [4] S. BONAV., *de perf. vit. pap.* — [5] CHRYS., h. 7 *ad Phil.* — [6] LUC. BRUG., *in Matt.* — — [7] ID., *ib.*

## DISCURSUS IV

EXCESSIVUS DOLOR, QUEM CHRISTUS INGENS CRUCIS PONDUS, JAM TOTALITER DEBILITATUS, ATROCIBUSQUE TOTO CORPORE VULNERIBUS SAUCIUS, PORTANDO SUSTINUIT, CONSIDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Expenduntur dolores maximi quos Christus perpessus fuit in bajulatione crucis. — 2. Oc-

[1] EPHES., II, 4. — [2] *Ps.* CXXIX, 7. — [3] S. BERN., *de Pass.* — [4] *Ps.* XXI, 17. — [5] LUC. BRUG., *in Matt.*

casione bajulationis crucis, expenditur quidam textus Jobi Prophetæ. Discurritur, ulterius de extremis doloribus et afflictionibus bajulationis crucis. — 3. Ministri crucifixionis Christi urserunt illum ex jussione sacerdotum, ut celerius incederet. Enumerantur alia, quæ Christus in bajulatione crucis passus fuit. — 4. Pondus S. Crucis non fuit ex se immensum; aggravarunt autem illam supra modum peccata nostra.

*Et bajulans sibi crucem exivit.* Joan., XIX, 17.

**1.** — Mysticum est verbum illud, quod S. Joannem Redemptorem nostrum, cruce super humeros oneratum fuisse scribit; ait enim : *Et bajulans sibi crucem.* Dictio enim *bajulus* in Latino, idem est, ac in lingua Italica *facchino*, id est, saccifer, vel gravissimorum onerum vector, seu lator. B. Veronicæ de Binasco id, quod post promulgatam a præside sententiam Christo accidit, in hæc verba revelatum fuit [1]: « Lata tandem sententia mortis a Pilato, ins-« pexit Veronicæ spiritus Judæos magnis clamori-« bus crucem Jesu humeris imponentes, milites « armis ac vocibus perstrepentes, populorumque « rumores. Conabantur quidem summa celeritate « Christum ad supplicii locum perducere, at Jesus « Agnus immaculatus semianimis stabat, deficie-« bantque amissis viribus artus. Tantæ molis erat « dira crux, cœlestibus humeris propter sævos cru-« ciatus attritis. » Tametsi enim Christus divinus ille Athlas esset, qui amplissimam hanc mundi machinam tribus digitis sustentat, attamen ut bene S. Vincentius Ferrerius advertit, divinitas Christi humanæ naturæ nostræ fragilitati nullam in Christo communicare voluit virtutem, ut robustior evaderet. En verba S. Vincentii Ferrerii [2] : « Nec quis « existimare debet, illud esse contra perfectionem « Christi existentis verus Deus et verus homo. Tra-« diderat enim divinitas Christi humanitatem ex « toto infirmitatibus humanis ad patiendum, nolens « sibi in aliquo suffragari, quoad pœnæ allevatio-« nem, et ideo infirmitatis humanæ conditio expos-« cebat, ut homo Christus sic tota nocte defatigatus « et cruoris effusione debilitatus, sub tanto pondere « deficeret. » Contemplativus quidam hac de re ita meditatur : « Christus exsanguis ex prioribus sup-« pliciis, humeri undique vulnerati erant, corona « spinea crucis crebra illisione profundius capiti « imprimebatur. Si nos vel modicum ulcus vexet, « nullum ibi onus admittere possumus. Christum « ter cum cruce in terram prolapsum, scribit Adri-« comius in descriptione Jerosolymitana (*Num.*, « CXVIII). Non ita onerosus erat fasciculus ille ligno-« rum Isaac, quem gestabat in dorso, qui nesciebat « se super eum occidendum. » Taulerus similiter hosce in tam debilitato corpore acerbissimos dolores considerans, inquit [3] : « Grande ei inflixit vul-« nus, ex cunctis vulneribus unum efficiens. Fuit « hæc ex Christi gravissimis pœnis una, quam ille « pertulerit; ut enim quotidiano discimus usu, si « cui nostrum vel tenue hæreat vulnus, vix mode-« rate ferimus; quid ergo censemus Dominum Je-« sum Christum sensisse, quo cruciatu esse affec-« tum, cum grave lignum illud illius impositum « impressumque fuit cruentis humeris, ac maxime « diro hüic vulneri? Factum est, ut pars extrema, « lapidibus quibus via strata erat, terræ adhærens, « grandem excitaret et horridum strepitum Domi-« num incredibili dolore afficientem. »

**2.** — Recogitetis velim angustias et ærumnas, quibus malignus spiritus tartareus patientissimum Jobum oneraverat; siquidem eum qui potens, amplissimusque princeps erat, in eum usque statum redegerat, ut in sterquilinio nudus sedens, ulceribusque puteolentibus non minus quam dolorosissimis a vertice capitis usque ad plantam pedis plenus, saniem illorum testa raserit, atque insuper a vilissima plebecula, imo et a propria sua conjuge, postquam omnibus suis facultatibus cunctisque filiis suis orbatus esset, fuerit derisus. Verumtamen unicum erat, quod super omnia alia vel maxime apprehendebat tormentum, quod se nondum expertum fuisse dicit, utpote quod Christo, cujus ipse figura erat, reservatum fuerat, scilicet [1] : *Humerus meus a junctura sua cadat et brachium cum suis ossibus confringatur*, hoc autem præter omnem humanam imaginationem crudelissimum tormentum Redemptor noster degustavit, tum quia paulo ante a sexies mille, et amplius acerbissimis flagellorum ictibus in humeris, et dorso suo dilaniatus fuerat, tum quia ingens crucis pondus super iisdem excarnificatis humeris et dorso portare debuit. S. Vincentius Ferrerius in sermone quodam ita scribit [2] : « Quia Judæi ipsum alapis et verberibus, et illusio-« nibus; nec non flagellationibus coronationeque « fatigaverant; ideo crucem non diu portare pote-« rat, quia totaliter fuit exinanitus et exhaustus, « ideo dicitur sub cruce cecidisse. Nec mirum, ex « remissione sanguinis omnium venarum, qui de-« fluebat, ex plagis flagellorum, et spinarum, et « magnitudine crucis, quæ habet in longitudine « pedes quindecim, et in latitudine decem. » Idque fortasse a S. Anselmo didicit, qui in Dialogo de *Passione Domini*, in persona Virginis Mariæ de cruce ita loquitur [3] : « Habuerat quindecim pedes in lon-« gitudine et adeo debilitatus fuerat filius meus « præterita nocte et illa die, quod eam portare non « poterat. Unde et S. Lucas scribit : *Apprehenderunt « Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa. « Et imposuerunt illi crucem portare* post unicum « filium meum; quod fecerunt non causa miserationis, quod compaterentur ei, sed quia præ de-

[1] BOLL., 11 jan., f. 911. — [2] S. VINC. FER., s. *in Par.* — [3] TAUL., *de Vit. et Pass.*

[1] JOB, III, 22. — [2] S. VINC. FERR., *in Parasc.* — [3] S ANS., dial. *de Pass.*

« bilitate id facere non poterat. » Lucas Brugensis similiter ait [1] : « Pœna fuit immensa extreme fati- « gato humeris portare crucem gravissimam, simul « et longissimam trahere per plateas silicibus stra- « tas. » Eo ipso enim, quo crux super inæqualibus silicibus trahebatur, eadem ob saxorum duritiem supra dilaniatum Christi dorsum identidem saltitans, quovis momento prius accepta vulnera reaperuit et dilatavit. Idem auctor super Matthæum ita scribit : « Quod autem adeo longa fuerit crux, ut « uno suis humeris portante superiorem partem, « inferiorem humi reperire necessum fuerit, facile « est intelligere, si consideretur, quod cum debe- « ret terræ infigi, ut staret recta et ita a terra pro- « minere, ut corpus Dominicum altius elevaret, « debuerat facile Dominici corporis longitudinem « duplo superare et mensuræ quatuordecim, aut « quindecim pedum exæquari, prout eam exæ- « quasse notant, qui ista investigarunt. » Idem auctor paulo ante difficultatem, quam Christus in hac ponderosa mole portanda habuit, in hæc verba ponderaverat : « Tulit eam longanimis per civita- « tem, donec egressus esset portis; sed difficulter « admodum, quod illa quidem pondere esset gra- « vis et ut oblonga, ita portanda simul ac trahenda « maxime cum concussione corporis, atque per « iter non parvum; ipse vero extreme fatigatus, « viribusque exhaustus, tum ex multiplicibus itine- « ribus quæ brevi confecerat, tum ex vigiliis et « afflictionibus variis quas passus fuerat; ita ut cre- « ditu facile sit, oneri aliquando succubuisse et ce- « cidisse in terram, præsertim cum milites convi- « ciis, minisque adhibitis vi propellerent. » Porro ærumnosa itinera, quæ Christus præcedenti illa nocte confecerat, omnia laboriosa fuerant. Etenim e cœnaculo Sionitico ad montem Oliveti processerat; ab hoc ad Annam per longas platearum ambages raptatus fuerat; ab inde ad domum Caiphæ, adeoque ut Lucas Brugensis ait [2] : « Septem itinera con- « fecit, nec ea brevia. A cœnaculo profectus est in « montem Olivarum per spatium plus mille sex « stadiorum. Ex monte Olivarum tractus est in do- « mum Annæ per æqualis fere longitudinis spatium. « Inde in domum Caiphæ distantem gressibus tre- « centis tringinta. Postea ad ædes Pilati mille « passibus distantes. Hinc ad Herodis palatium « fecit trecentos quinquaginta passus. Rursus ad « Pilatum alia via, ut dicitur, per sexcentarum « ulnarum intervallum ductus est. Unde denique « ad montem Calvariæ. » Et certe cum sudor corporis ejusdem arguat fatigationem et laborem, memorandum est, quod, ut supra vidimus, Christus loco sudoris vivum sanguinem in magna copia sudaverit [3] : *Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

[1] Luc. Brug., *in Joan.* — [2] Idem, *in Luc.* — [3] Luc., XXII, 44.

3. — Quidam erga passionem Christi devotus auctor de hac crucis bajulatione ita meditatur : « Cæteris ultimo supplicio plectendis, vel oculi ve- « lantur, vel instrumenta carnificina absconduntur, « ne eorum aspectu tristiores reddantur et animam « despondeant. Non ita fit Christo Domino, sed « quicquid ad majorem ejus dolorem fieri potest, « adhibetur; unde crux ob oculos, imo in humeros « ejus ponitur a Judæis, ut sic in animo prius cru- « cifigatur, quam in corpore. » Porro ut constat experientia, timor et pavor vehemens, multum corporis vigore diminuit. Corpus autem Christi tanto magis debilitatum fuit, quanto vehementer erat excessivus dolor, quem portio ejus inferior a natura divina et superiori animæ portione omni solatio destituta, ex crucifixione vivacissime apprehendebat. S. Bernardinus observat [1], quod « milites « et ministri hujus damnatæ sententiæ, suggeren- « tibus Pontificibus Sacerdotum, ne oriretur in « civitate seditio, neque tumultus in populo et « Christus eorum elaberetur e manibus propter « mutabilitatem turbæ, cogebant eum gressibus « festinare, » et quidem verisimile est, quod eum adegerint pugnis, calcibus, calcaribus ad velocius progrediendum, licet sæpe ob vestium longitudinem, majorem pateretur in progressu difficultatem; maxime cum oculos haberet impeditos a spinis, qui eosdem transfixerant, nec non tam lacrymas quam sanguinem manantes. Contemplativus quidam ait : « Neque lento passu incedere licebat, « aut quietem subinde respirandi causa capere; « sed vel fustibus, vel stimulis impellebatur, vel « funibus raptabant, vel pedibus, calcibusque pro- « trudebatur ad properandum. Ibat mansuetus ille « agnus, sudore et sanguine madens, dehiscentibus « præ labore et corporis contentione vulneribus. « Ibat tacitus, et anhelus, mole crucis incurvus, et « in terram depressus, in saxa et aspera offensans, « et interdum sub pondere concidens, toto corpore « graviter colliso. Ibat inimicis cinctus, sicut ovis « lupis, ipsis plaudentibus et insultantibus, crude- « litate militari Dominum impellente, protrudente, « raptante et pugnis ac fustibus male mulctante. » Taulerus, eximius spiritualis vitæ Magister et super omnes alios erga hoc passionis et mortis Redemptoris mysterium devotissimus, dum hanc crucis bajulationem considerat, ita scribit [2] : « Enimvero « non sceleratissimus quispiam turpiori unquam « morte occubuit. Quo enim tempore passus est, « paschalis celebritas habebatur apud Judæos, quo « confluxerat ingens populi multitudo, omnes qui « certatim Christum videre cupiebant. Itaque hic « Dominus, cujus est omnis honor et gloria, spinis « incedebat coronatus, duris constrictus funibus, « gravi crucis pondere prægravatus, in latronum

[1] S. Bern., t. V, s. 55. — [2] Taul., *de Prss.*

« medio, signis damnationis denotatus omnibus. « Ante vilis præcedebat plebecula ridens et cachin- « nans, ipsum antevertere cupiens, ut videret « cruci affixum. Hinc inde carnifices et ministri « eum stipabant, innumeris afflictionibus vexantes, « ut simul plebem omnem ad illudendum et illi « contumelias inferendas allicerent et excitarent. « A tergo sequebatur turba armatorum, puta do- « mini et principes sacerdotum, qui haud secus « exultabant, ut leones capta præda, multas in « Christum execrationes et blasphemias congere- « bant. » Lucas Brugensis paucis quidem verbis, multa admodum nobis contemplanda tradit, dum ait [1]: « Hoc in itinere facilius est mente concipere, « quam verbis, quæ convicia, quas contumelias, et « sannas, quos ictus, et pulsus Dominus Jesus per- « tulerit. Nec dubium, quia per sævitiam simul et « lusum compulerint, dejecerint, erexerint; si non « etiam stimulis ac sudibus, quemadmodum solent « boves, in corpus actis agitaverint. »

**4.** — Porro quod crucis materiale pondus attinet, extra omnem est controversiam, illud nequaquam fuisse gravitatis immensæ. Verumtamen quod pondus crucis hujus vel maxime præ cunctis aliis aggravabat, fuerunt peccata nostra, de quibus Psalmista dolenter lamentabatur, inquiens [2]: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Etenim omnia totius humani generis peccata, non solum ea, quæ a quinquies millenis et amplius retro annis commissa fuerunt, verum etiam quæ ad finem usque sæculorum committenda erant, in hoc crucis patibulum, in unum quasi cumulum congesta erant, ut per Redemptorem nostrum expiarentur, dicente S. Petro Apostolo [3]: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Enimvero si unicum duntaxat superbiæ peccatum pondere suo pulcherrimum Angelum e cœlesti paradiso in profundissimam Inferni abyssum præcipitem egit, quid de ponderosissimo infinitorum peccatorum totius generis humani onere dicturi sumus, quod huic cruci incumbebat; *Arenam, et salem, et massam ferri,* inquit Ecclesiasticus [4], *facilius est ferre, quam hominem imprudentem, et fatuum, et impium.* Quid igitur de innumeris impietatibus, sacrilegiis, apostasiis, aliisque execrandis excessibus dicemus? Spiritui Sancto in sacra Scriptura usitatum est, quod unius dumtaxat civitatis peccata oneris nomine appellare soleat [5]: *Onus Babylonis, Onus Moab, Onus Damasci.* Quam igitur ponderosum et grave futurum est illud onus, quod omnium civitatum, regionum, regnorumque totius universi peccata, a principio mundi ad finem usque sæculorum commissa et committenda, in se complectitur? Porro David postquam dixisset [1]: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum et sicut onus grave gravatæ sunt super me;* mox subdit: *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ: miser factus sum et curvatus sum.* Filius quidem Dei dicere non poterat: *a facie insipientiæ meæ,* quia *peccatum non fecit*; omnia tamen peccata omnesque stultitias nostras in se susceperat, ac proinde vulnerum suorum cicatrices, non tam ex pondere crucis, quam ex incredibili peccatorum nostrorum onere renovabantur et recrudescebant, ideoque sub illo crucis ligno, quod bajulabat, incurvato corpore incedebat: « Crucem super proprios ferens humeros, » inquit S. Laurentius Justinianus [2], « incedebat de- « misso vultu, incessu humili, solus, fatigatus et « anxius. » Isaias propheta de hoc eodem Dei Filio ait [3]: *Qui sustinet tribus digitis molem terræ, montes ponderans et palmo concludens.* Et tamen hoc non obstante, omnes sacri expositores, historici et contemplativi crucem hanc Filio Dei quovis monte graviorem et ponderosiorem fuisse unanimiter asserunt. Quod utique alio sensu intelligi nequit, quam eo, quem S. Petrus insinuat, dicens: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum,* et clarius de hoc Christi dorsum gravante pondere David dixerat: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Et vero onus hoc, simul cum cruce Christi, humeros et dorsum premens, adeo grave erat, ut tametsi terra inter omnia elementa solidissima sit, valideque consistens, hanc tamen a fundamentis contremiscere fecerit; sic enim S. Hilarius expresse docet, dum peccata nostra dorso Christi superinjecta, eo tempore quo pro illis per passionem suam satisfaciebat, terræ motum causasse his verbis asserit: « Terra contremuit ad « onus Domini in ligno. » Hoc enim onus, de quo S. Hilarius loquitur, non erat aliud, quam peccata et scelera nostra; siquidem *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.*

**5.** — Simon de Cassia miram illam, quæ Jerosolymis in eadem septimana acciderat, metamorphosin considerat; siquidem ante quinque dies Christo tanquam regi Israelis acclamarant, tantoque cum plausu in jumento vectus fuerat; nunc autem velut quovis jumento vilior, humeros suos ligno ponderosissimo et ignominiosissimo subjicere, fustibusque ac sudibus stimulatus, properare cogitur [5]: « Per mediam Jerusalem agens iter, » inquit Simon præfatus, « in qua paucis ante diebus super- « sedens subjugali, tanto fuerat a turba honore « susceptus et acclamatus a populo et a turba « Hebræorum, quasi Salvator esset. Nunc vero ve- « lut subjugale subjectum oneribus, cum oppro- « briis extra ducitur, sociatus duorum numero « damnatorum, ac si latronum collega fuisset »

[1] Luc. Brug., *in Matt.* — [2] *Ps.* xxxvii, 5. — [3] I Pet., ii, 24. — [4] Ezech., xxii, 18. — [5] Isa., xiii, 33.

[1] *Ps.* xxxvii, 6. — [2] S. Laur. Just., *de Tri. Christi ag.* — [3] *Ps.* cxxviii, 3. — [4] S. Hilar. — [5] Sim. de Cass.

## DISCURSUS V.

DE IGNOMINIA, QUÆ REDEMPTORI PER HOC INUSTA FUIT, QUOD IN MEDIO DUORUM LATRONUM SOLUS IPSE CRUCEM FERENDO, AD MONTEM CALVARIÆ PROCEDERE FUIT COACTUS; DEQUE PERPESSIS IN HAC VIA INSULTIBUS, NEC NON DE DUORUM HORUM LATRONUM LATENTIBUS MYSTERIIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Eductio Christi inter duos latrones fuit supra modum ignominiosa. Ut Christus majori afficeretur infamia, ipsemet crucem suam portare coactus fuit, a quo latrones fuerunt liberi. — 2. Qualia Christo tunc improperia fuerint objecta. — 3. Quicquid Judæi ad infamandum Christum excogitare potuerunt, hoc executioni mandarunt, associando illum scelestissimis latronibus. — 4. Christus moritur inter latrones, ut ostendat se mori pro omnibus peccatoribus. — 5. Duo latrones repræsentabant duos populos, Hebræum et gentilem. — 6. Crucifixio inter latrones fuit inventum insolentiæ militum. — 7. Fuit excogitata a diabolo. — 8. Christus sua morte furtum protoparentum inter latrones exsolvit. Per mortem Christi, cœlum apertum est.

*Ducebantur et alii duo nequam cum eo.* Luc., XXIII, 32.

**1.** — In hoc Christi ad montem Calvariæ peracto itinere, adimpletum fuit, quod Propheta Evangelicus multis ante sæculis hisce verbis prædixerat [1] : *Cum sceleratis reputatus est*; siquidem in societate duorum latronum eo processit, qui pariter ad patibulum condemnati fuerant, in quorum medio Christus, velut inter hosce reos famosior et sceleratior, ambulabat; cum hac tamen differentia, quod de hisce latronibus, eos supplicii sui instrumenta portasse, non constat, ad quod tamen faciendum Salvator noster fuit coactus; unde Taulerus ait [2] : « Non satis fuit Judæis hac eum contumelia « affecisse quia majus dedecus et ignominiam, me- « dium inter duos Latrones eum deduxerunt, « multoque amplius, quam ipsos contempserunt, « dum suam eum compellerent ferre crucem, quod « de latronibus numquam memoriæ proditum est. » In auctore quodam erga Dominicam Passionem devotissimo sequentia verba legisse me memini : « Quid potest esse ignominiosius quam damnatum « ad infame genus mortis, cogi etiam ipsum suppli- « cii instaumentum suis humeris deferre, nulla « pœnarum præcedentium habita ratione ; quasi « ipse indignus sit qui vel a jumentis in ea re juve- « tur, aut instrumentum destinatione supplicii, et « contagio personæ adeo maledictum, et contami- « natum ut neminem præter sontem conveniret « illud attingere ? » Vilibus quidem, et infamibus latronibus quendam detulerunt respectum, ne scilicet humeros illorum patibuli onere gravarent : at vero ut Christum infami magis afficerent vituperio, cœgerunt eum, ut præter omnem consuetudinem psemet patibulnm suum in quod suspendendus erat, per viam adeo prolixam portaret. Unde tametsi Isajas Christum pari cum sceloratis loco habendum esse prædixerit : *Cum sceleratis reputatus est*; hic tamen videmus Christum latronibus inferiorem, pejorem et nequiorem a Judæis fuisse æstimatum, siquidem majori vilipendio, et pœnosiori tormento fuit affectus; ac proinde dicere merito licebit : « Infra sceleratos reputatus est. Tuam igno- « miniam super te portare dignatus est, » inquit S. Bernardinus [1]. Dionysius Carthusianus in Joannem ita scribit : « Consideremus malignitatem Judæo- « rum quorum machinatione milites Præsidis po- « suerunt ligum Crucis super collum Christi, quod « non fecerunt latronibus secum eductis. Turpissi- « mam enim acerbissimam ei mortem intulerunt, « et quicquid confusionis, contempti, et crudeli- « tatis excogitare potuerunt, fecerunt in eum. » S. Vincentius Ferrerius in sermone quodam ex S. Bernardo ita scribit [2] : « Hanc processionem lamen- « tabilem Bernardus describit, dicens : Cum, in- « quit, Christus sic duceretur, factus est concursus « populorum post ipsum, sicut quando fures, et « malitiosi ducuntur ad mortem. Alii ibant ridentes « alii illudentes, alii lutum super benedictum caput « ejus projicientes et in faciem : si ante se respexit, « vidit lutum super se projicientes : si supra, « vidit patibulum humero suo impositum, eum- « valde opprimens : si retro, vidit matrem, cum « multa turba populi quæ sequebatur. »

**2.** — Lucas Brugensis verisimile esse notat, quod cum Christus in solemni Paschatis die eductus fuerit, idque circa tempus meridianum, quo homines prandere solent, multi ebrii homines eum dem Dominum nostrum multis onerarint injuriis En verba Brugensis [3] : « In hoc itinere verisimile « est, illud Ps. LXVIII accidisse : *In me psallebant,* « *qui bibebant vinum,* ut enim erat meridies, ita « credidile est : multos Judæorum accumbentes « mensæ, spectasse Jesum prætereuntem ædes « ipsorum, et cum gaudio, etc. » S. Laurentius Justinianus ait [4] : « Tumultus in tota ferme civitate « factus est maximus præforibus palatii aderat innu- « merabilium concursus populorum quoniam, ut « moris est omnes ad hoc confluxerant spectacu- « lum : susurrantibus itaque sparsis invicem turbis, « ecce Dei Filius egreditur de janua, crucem supra « proprios ferens humeros. » Imaginemini vobis, quales universa Civitate Jerosolymitana ab innumerabili quasi populo indifferenter in præjudicium bonæ famæ agni immaculati mixti fuerint hinc inde detractorii discursus. Et quidem verisimile est, quod ejus calumniati fuerint doctrinam, quam

[1] ISA, LIII, 22. — [2] TAUL., *de Pass.*, C. 20.

[1] S. BERN., t. I, s. 55, c. 2, — [2] S. VINC. FERRER., *in Parasc.* — [3] LUC. BRUG., *in Matt.* — [4] S. LAUR. JUST., *de Triumph. Chr. agon.*

prædicaverat, eam dicendo esse falsam. Item quod actiones ejus virtuosas fictioni et hypocrisi, miracula vero magicis attribuerint incantationibus. Sine dubio dixerint, quod mundi quidem ipse prædicarit contemptum, verum tamen paucis ante diebus manifeste satis ostenderit, magnopere sibi placuisse, quod trumphali apparatu cum olivis, et palmis reciperetur, eique publicæ, tanquam Regi Israelis, fierent acclamationes. Præterea quod semper zelum finxerit religionis, ut tanto auctior fieret sequacium et discipulorum suorum numerus. Denique quod a quodam discipulorum suorum fuerit traditus, et pro vilissimo pretio venditus ; ab alio perfide negatus, ac demum ob omnibus derelictus, et tanquam latro cum gladiis, et fustibus captivus abductus fuerit.

**3.** — S. Anselmus ait [1]: « Vide, anima mea, quo- « modo per omnia vir iste coarctatur, et spernitur, « sub cujus onere dorsum incurvare jubetur, et « sui ipsius portare ignominiam. » Imo quicquid ad ejus famam, et honorem proculcandum et vilipendendum excogitare potuerunt, protinus executi sunt, ut nomen ejus ab hominum possent memoria abolere. Quando ad hortum Gethsemani se armati receperunt ad eum capiendum, eum audierant lamentantem et dicentem [2]: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me* : ac proinde scientes quod hæc ei illata contumelia ab eo vivacissimo doloris censu, velut unguis in ulcere excepta fuisset, ipsum non solum tanquam latronem, verum etiam tanquam latronum caput, ducem et antesignanum, in duorum maxime infamium latronum medio crucifigere decreverunt. Rex Osias cultum paganorum abolere volens [3], ut illum tanto abominabiliorem redderet, sacrilegorum idololatrarum ossa et cineres in ventum dispergi fecit, ut ab omnium conculcarentur pedibus ; altaria quoque ipsorum demoliri, superstitiososque deorum lucos omni cum industria amputari jussit. Eodem quoque modo maligni ac perversi Sacerdotes, et Pharisæi metuentes ne forte ex sequacibus, et devotis illius nonnulli accurrerent ad ferendas illi suppetias, aut consolationem ei suggerendam, crucis patibulum humeris ejus superimposuerunt, eumque latronum immiscuerunt societati, ut hac ratione securi essent, neminem futurum esse adeo infamem, suique honoris prodigum, qui non secundum leges et consuetudines suas, ad illud maledictionis instrumentum, nec non ad infames illos omnibusque abominabiles supplicii sui socios et collegas, propius accedere esset formidaturus. Unde Cardinalis Toletus hac de re ita scribit [4]: « Maxima fuit Judæorum « astutia, ut annotat Theodoretus serm. 10 *de pro-* « *videntia* : volentes enim Christi justitiam modis « omnibus occultare, non sunt sola crucis morte « contenti, sed cum sceleratissimis associant, ut « eorum similis reputaretur ; imo locum medium « ei dant, ut inter sceleratos primum locum eum « habere significent omnibus. Et impleta est pro- « phetia Isaiæ LXIII: *Et cum sceleratis reputatus est.* » Qua eadem de re B. Virgo Maria S. Anselmo revelavit sequentia [1] : Hoc fecerunt ad majorem sui « confusionem. Cum educeretur filius meus princi- « palis cum duobus sceleratis extra portam civita- « tis cum ingenti pressura irruentis populi, quæ ad « opprobrium filii mei convenerat. » Porro quo fine Præses duos hos latrones Christo velut supplicii sui collegas deputarit, Lucas Brugensis declarat, dicens [2]: « Pilatus cum Jesum innocentem conscien- « tia remordente crucifigendum traderet, junxit ei « hos duos manifestarios latrones, quos citra om- « nem conscientiæ scrupulum poterat, imo debebat « crucifigere, tum ut leniret flagellum conscientiæ « et velamen suæ iniquitati obtenderet, ne ita ab « aliis impulsus occidere videretur innocentem, ut « per se ipsum parceret sceleratis. Credibile est, et « a Judæis hoc suggestum fuisse : certe fuit eis hoc « Pilati consilium gratissimum, ut societate latro- « num Jesu innocentia occultaretur, nomenque « denigraretur, ut ab omnibus impostor haberetur, « et eorum similis, quibus erat adjunctus. Si so- « lus in crucem actus fuisset, separata a maleficis « ejus causa videri potuisset ; nunc autem maleficis « mixtus, maleficus eo consortio ab imprudentibus « est habitus ; et judicatum est, crimen ei esse « commune cum quibus erat ei commune suppli- « cium. Si ægre tulit tanquam latronem compre- « hendi, multo ægrius feret, si inter latrones cruci- « figatur : itaque majoris contemptus, ignominiæ « et irritationis causa illud procurare potuerunt. » S. Bonaventura in sermone quodam considerans illud Christi lamentum : *Tanquam ad latronem etc.* ait [3] : « Nota quod tanquam latro capitur et pessi- « mum genus latrocinii ei imponitur, scilicet frac- « tio Ecclesiæ : *audivimus eum dicentem* : *Dissolvam* « *templum hoc, etc.* latro pro Christo dimittitur : « *Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam.* » Barabbas enim omnium latronum celeberrimus existens, per impetuosam, et unanimem populi vocem liberatus, in ejusque locum Christus ad crucis patibulum postulatus fuit, tanquam quovis latrone minus dignus, qui vitam inter honestos deinceps duceret.

**4.**— S. Thomas in tertia parte Summæ Theologicæ hanc in articulo quodam disputat quæstionem [4]: « Utrum conveniens fuerit, Christum cum latroni- « bus crucifigi. » Et quidem hujus consortii inconvenientiam sequentibus ostendit rationibus [5] : « Quæ participatio justitiæ cum iniquitate ? Christus « factus est nobis justitia a Deo. iniquitas autem

[1] S. ANSELM., *in Spec.*, c. 52. — [2] MATT., XXVI, 55. — [3] IV REG., II, 3. — [4] TOL., an. 11, *in c.* 19 *Joan.*

[1] S. ANS., dial. *de Pass.* — [2] LUC. BRUG., *in Matt.* — [3] S. BON., s. 4 *in Paras.* — [4] S. THOMAS, 3. p. q. 47, a. 11. — [5] II COR., VI, 4.

« pertinet ad latrones. » Citatque auctoritatem Origenis, super illa verba S. Petri Math. XVI [1]: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo*, ita scribentis : « Mori cum Jesu pro omnibus moriente, hominum « non erat. Et S. Ambrosius dicit super illud Lucæ « XXI, *Paratus sum tecum in carcerem, et in mortem « ire*. Passio Domini æmulos habet, pares non ha- « bet : multo igitur minus conveniens videtur quod « Christus simul cum latronibus pateretur. » His tamen non obstantibus, sequentem statuit conclusionem : « Congruit, ut secundum divinam ordina- « tionem Christus cum duobus crucifigeretur latro- « nibus. » Cujus hanc assignat rationem : « Inter « latrones crucifixus est, alia quidem ratione, quan- « tum ad intentionem Judæorum, alia vero quantum « ad Dei ordinationem. Quantum enim ad inten- « tionem Judæorum, duos latrones utrinque cruci- « fixerunt sicut dicit D. Chrysostomus, ut eorum « suspicionis fieret particeps : sed non ita evenit « nam de illis nihil dicitur, hujus autem crux « ubique honoratur. Reges diademata deponentes, « assumunt crucem in purpuris, in diadematis, in « armis, in mensa sacrata, ubique terrarum Crux « emicat. Quantum vero ad Dei ordinationem, Chris- « tus cum latronibus crucifixus est, quia ut S. Hie- « ronymus dicit super Matthæum sicut pro nobis « maledictum crucis factus est Christus, sic pro « omnium salute inter noxios quasi noxius crucifi- « gitur. » Citat quoque auctoritatem S. Leonis di- centis : « Duo latrones, unus ad dexteram, et alter « ad sinistram crucifiguntur, ut ipsa patibuli spe- « cie monstraretur illa, quæ in judicio ipsius om- « nium hominum facienda est discretio. » Adfert etiam auctoritatem Alcuini, in Joannem ita scribentis : « Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit : in me- « dio enim judice constituto, unus qui credidit, « liberatus, alius qui insultavit, damnatus est : jam « significabat, quod facturus est de vivis, et mor- « tuis alios positurus ad dexteram, alios vero ad « sinistram. » Meminit similiter S. Hilarii in hæc verba scribentis : « Duo latrones dexteræ ac lævæ « affiguntur, omnem humani generis universi- « tatem vocari ad sacramentum Passionis Domini « ostendentes, sed quia per diversitatem fidelium « ac infidelium, fit omnium secundum dexteram « sinistramque divisio : unus e duobus ad dexte- « ram ejus situs, fidei justificatione salvatur. » Idem Doctor Angelicus aliud nobis in hac latronum societate latens ex Venerabili Beda indicat mysterium : « Qui cum Domino crucifixi sunt, significant « eos, qui sub fide, et confessione Christi, vel ago- « nem martyrii, vel quælibet arctioris disciplinæ « instituta subeunt : sed qui hoc pro æterna glo- « ria gerunt, dextri latronis fide designantur, qui « vero humanæ laudis intuitu, sinistri latronis « mentem imitantur, et actus. » Porro hanc latro- num societatem S. Job prædixit, inquiens [1] : *Causa tua quasi impii reputata est, sed judicium causamque recipies* : per hoc namque ludibrium, et igno- miniam, judiciariam sibi meruit potestatem. Enim vero id quod S. Thomas paulo ante ex Alcuino ad- duxit, etiam apud S. Augustinum reperitur scriptum, qui tamen insuper addidit [2] : « Similis ille latro futu- « ris a sinistris, similis alter futuris ad dexteram : « judicabatur, et judicium minabatur. » S. Pascha- sius super Matthæum ait [3] : « Crux Christi, ac si tribu- « nal judicantis esset, erigitur : et ideo duo crucifi- « guntur cum eo, ut tota simul in cruce forma judicii « formetur, cum duo rei hinc inde ponuntur. »

**5.** — Arnolus Carnotensis aliud quoddam insi- nuat mysterium, dum ita scribit [4] : « In eo quod ex- « pansis manibus elevataque læva, et dextera inter « latrones se medium exhibebat, volebat intelligi, « commune esse illud beneficium et non solum « bonis, sed et impiis, quod agebatur, proficere : « et se potius medicamina illa ægris proposuisse, « quam sanis, et gratia illa pari libertate donasse « eos, qui de libera, et eos qui nati fuerant de an- « cilla. » Unde apud Matthæum Salvator ait [5] : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Et hoc quod Pharisæi in Christo vitio attribuebant dicentes : *Hic peccatores recipit, et manducat cum illis* ; illud ipsum in eo summæ pietatis, et miseri- cordiæ opus erat : *Cum sceleratis reputatus est,* qui aut Isaias prædixerat [6] : *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Et ideo hi scelerati latrones magno cum mysterio Salvatorem ad mortem subeundam associabant, ad denotandum videlicet, quod pro cunctis peccatori- bus inæstimabile sanguinis sui pretium liberalis- sime erogaturus esset.

**6.** — Per hos pariter duos latrones representa- bantur duo populi, scilicet Hebræus, et Gentilis. Unde S. Cyrillus Alexandrinus ait [7] : « Inter duos la- « trones crucifixus est ex malitia Judæorum, qui « ut turpissimam ejus mortem ostenderent, justum « cum iniquis condemnarunt. Qui quidem duo la- « trones duos populos, qui postea in Christo con- « juncti sunt, Judaicum dico atque gentilem signi- « ficasse mihi videntur. » Et quidem latro malus populi Hebræi symbolum fuit, qui in sua obstina- tione persistens est reprobatus : bonus vero latro populum denotavit gentilem, qui Christum agno- vit et confessus est esse Filium Dei ideoque parti- ceps factus est supernæ hæreditatis.

**7.** — Lucas Brugensis hanc Christo in medio latronum ad supplicium educto irrogatam iguomi- niam, ab insolentia militari excogitatam fuisse

[1] MATT., XXVI, 35.

[1] JOB, XXXVI, 17. — [2] S. AUG., *in Joan.* — [3] S. PASC., *in Matt.* — [4] ARN. CARN., *de 7 Verbis.* — [5] MATT., IX, 19. — [6] ISA., LIII, 12. — [7] S. CYRIL. ALEXAN., l. XII *in Joan.*

existimat ; ait enim[1] : « Id militum insolentia egit, « quibus et facile Judæorum principes præsentes « hoc persuasisse potuerunt, ut eo contumeliosi « honoris genere ipsum Jesum magis infamarent, « et re ipsa dicerent : Latronum esse Regem, non « Judæorum, Crucem magis etiam, quam latrones « ipsi, promeritum. »

**8.** — D. Chrysostomus consilium hoc, crucifigendi pariter cum Christo duos hosce latrones, ab astuto serpente tartareo excogitatum fuisse dicit, ut si forte ad contestandam Christi innocentiam, Deo providente, aliqua contingerent prodigia, cuinam illa ex tribus simul crucifixis attribuenda essent, ignoraretur : sed valde in hoc consilio suo fuit deceptus : « Voluit enim dæmon rem ipsam obtegere. « Non tamen valuit. Crucifixi sunt tres, claruit « unus Jesus, ut intelligas, ejus virtute omnia pro- « venisse. Atque tribus crucifixis miracula patue- « runt, nemo tamen ullum alteri latronum attri- « buit, sed soli Jesu. Ita diaboli insidiæ irritæ fac- « tæ sunt, et in ejus caput omni modo irruerunt, « nam ex duobus unus salvus factus est. Non so- « lum igitur Crucifixi gloriam non offendit, sed « non parum auxit : neque enim minus fuit in cruce « latronem converti, et paradisum intrare, quam « petras collidi. »

**9.** — S. Athanasius inquit : « Dederunt operam, « ut latrones in morte socios haberet, ut supplicii « communicatio esset infamia sepulturæ ; sed igno- « rabant, a se una cum Christo crucifigi latronem, « ejus ipsius regni futurum præconem, illis verbis : « *Domine, memento mei dum veneris in regnum* « *tuum.* » Alii denique considerant, quod cum Filius Dei omnia peccata nostra expianda in se susceperit, primumque et præcipuum inter illa omnia, imo cunctorum unica origo fuerit rapina, et furtum pomi vetiti a protoparentibus nostris in Paradiso terrestri commissum, præterquam quod Deo suam divinitatem, scientiamque eripere contenderint : *Eritis sicut Dii scientes bonum, et malum* : ideo Christus hoc furtum expiare, et pro illo satisfacere volens, ut pœna aliquam cum culpa proportionem haberet, ad instar latronis condemnari, voluit ut vere dicere posset[2] : *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Verum enim vero quicquid sit de hisce jam enarratis mysteriis, in latronum societate absconditis, hoc saltem certum est, quod licet hoc Christi, in medio latronum crucifixi, spectaculum longe fuerit diversum ab eo, quod olim Isaiæ Prophetæ in spiritu fuit exhibitum[3] : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. Seraphim stabant super illud ; sex alæ uni et sex alæ alteri : et clamabant alter ad alterum : Sanctus, sanctus, sanctus, et plena est omnis terra gloria ejus.* Etenim hodie idem Dominus cernitur in duorum infamium latronum societate, gravi patibuli crucis pondere in humeris onustum, universo populo ei aliud non acclamante præterquam : *Tolle, tolle crucifige eum.* Verissimum tamen quoque sit, quod quamdiu adimpletum non fuit illud ejusdem Prophetæ veridicum oraculum : *Cum sceleratis reputatus est,* portæ æternales Paradisi pariter apertæ non fuerint, sublimemque illam huic Prophetæ exhibitam gloriam generi lumano non manifestari nisi mediante hac ignominia ; id quod jam ante prædixerat dum ait[1] : *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*

[1] Luc. Brug., *in Matt.* — [2] *Ps.* lxviii, 5. — [3] Isa., vi, 1.

## DISCURSUS VI

### Ex Simone cyreneo qui Christum in cruce portanda juvit, varie eruuntut moralitates

Idea sermonis. — 1. Fit comparatio inter Christum et Sampsonem. — 2. Cur S. Joannes Evang. non fecerit mentionem Sim. Cyrenæi. — 3. Simon Cyr. fuit coactus ferre crucem Christi, ne Christus sub crucis onere moreretur et sic evaderet crucis ignominiam. Crux primo imposita est Christo, deinde Simoni ut sequamur vestigia Christi. Confirmatur exemplo. — 4. In Simone figurabantur gentiles ad communicationem crucis per fidem venturi. — 5. Sicut Manasses amisit suam hæreditatem, ita et populus Israeliticus. — 6. Exacte describuntur circumstantiæ Simonis Cyrenæi, in portanda cruce Christi propter latentia ibidem mysteria. Crux Christi licet in se sit aspera, ob amorem tamen ejus portata suavis efficitur. — 7. Simon felix denuntiatur a portatione crucis Christi. — 8. Hypocritæ perstringuntur. — 9. Crux nobis debita a Christo portata est. Passio Christi nobis nihil prodest, nisi et nos cooperemur. — 10. — Deus non patitur homines ultra vires tentari.

*Exeuntes invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem : hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* Matt. xxvii, 32.

**1.** — Ex quo Redemptor noster apud Isaiam expressis verbis prædixit[2] : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* ; valde mirandum est, qua ratione hodie vir quidam gentilis subingrediatur, ut Dei Filium, qui per os Isaiæ prædictam protestationem edixerat, in portando gravissimo crucis suæ pondere sublevaret Etenim de divino hoc Athlante canit Psalmista regius[3] : *Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, etc.* Et apud Isaiam de eodem dicitur[4] : *Sustinet tribus digitis molem terræ.* Idem quoque Dominus fortis, et potens in Sampsone præfiguratus fuit, qui. erutas e cardinibus urbis Gazæ portas, humerisque suis impositas, ad montis usque verticem detulit[5] : *Apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis, et sera, impositasque humeris suis, portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron.* Verumtamen quia certis-

[1] Joan., xii, 32. — [2] Isa., lxiii, 3. — [3] *Ps.* xvii, 10. — [4] Isa., x, 12. — [5] Jud., xvi, 3.

simum est, Deum omnia summa cum sapientia, et concilio facere [1] : *Omnia in sapientia fecisti* : in præsenti discursu hujus actionis mysteria et sacramenta examinare conabimur.

**2.** — Et quidem in primis quoddam hic subnascitur dubium, cur scilicet S. Joannes, qui etiam hanc crucis bajulationem a Christo factam his verbis descripsit [2] : *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, ubi crucifixerunt eum* : cur, inquam, sacer hic Evangelista nullam hujus subsidii, a Simone Cyrenæo Christo in portanda cruce allati, fecerit mentionem ? Dici quidem posset, id factum esse, quia cum sanctus hic Evangelista post alios tres Evangelistas scripserit, sciveritque omnes alios sufficientem hujus Christo exhibiti subsidii fecisse mentionem, ipse supervacaneum esse duxit, eamdem actionem in suo quoque Evangelio exprimere. Verumtamen S. Thomas, S. Hieronymi sententiæ adhærescens, verum quidem esse dicit, quod Christus a principio crucem humeris suis imposita solus portaverit; verumtamen in progressu itineris, Simonem ab aliis ad hoc angariatum, eidem in portando hoc crucis pondere tulisse suppetias : « Nec hoc vacat mysterio, » inquit idem Doctor Angelicus, « quia ipse primus passionem « crucis sustinuit, et postmodum alii, et maxime « advenæ gentiles eum imitando. »

**3.** — Circa hoc a Simone Cyrenensi Christo allatum sublevamen, aliud quoque dubium nascitur, scilicet : Ex quo Redemptor noster prorsus exsanguis, debilitatus, et viribus exhaustus, in manifesto erat periculo sub gravissimæ crucis onere moriendi; adeoque Judæi facile suo poterant gaudere intento mortis Christo inferendæ, quam machinabantur : cur igitur hoc ei procurarunt sublevamen, per Simonem subministrandum ? Lucas Brugensis ait [3] : « Quia lento gradu Jesus cruce gravis progredieba- « tur, milites vero festinabant, urgentibus maxime « Sacerdotum, Judæorumque principibus, ut Jesus « cito perimeretur, veriti ne in itinere immorare « cogerentur, ne etiam Jesus sub onere in via defi- « ceret, cum jam urbe egrederetur, adegerunt « virum hunc sibi obviam factum, ut Jesu esset « auxilio. » Enim vero Judaicæ malignitati minime sufficiebat, quod sola Christo mors inferretur, nisi mors illa pariter ignominiosissima esset, quantum fieri poterat, ut per excessivam mortis ignominiam, ejus in sempiternum aboleretur memoria : « Vole- « bant Judæi non solum ut Christus crucifigeretur, » inquit Didacus Stella, [4], « sed morte maledicta crucis ; « nam maledictus erat secundum legem, qui sus- « pendebatur in ligno. » Sine dubio quilibet ex tota illa multitudine, quæ acclamaverat : *Tolle, crucifige*, libenter huic Christi cruci suos supposuisset humeros, non quidem ex motivo compassionis, sed ex instinctu malignitatis, ut eum ad montem Calvariæ vivum perducere potuissent ; sed metuebant infamiam et maledictionem, quam solus infamis illius ligni contactus habebat annexam ; ac proinde huic viatori, scilicet Simoni, qui gentilis, illorumque ritibus, et legibus subjectus non erat, vim intulerunt, ut suas ad Christi crucem sublevandam manus applicaret. Beda similiter super Marcum scribens, in ea fuit opinione, quod scilicet Christus a principio crucem solus portarit. Unde ait : « Primo a « Domino portata, ac deinde Simoni, quem exe- « untes forte obvium habuerunt, portanda impo- « sita est : et hoc congruo satis ordine mysterii, « quia nimirum ipse passus est pro nobis, relin- « quens nobis exemplum, ut sequamur vestigia « ejus. » Nisi enim ipse nos suo præivisset exemplo, (*Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis*, dixerat præcedenti vespere) quis adeo futurus fuisset præsumptuosus, ut illam crucis sarcinam et pondus, humeris suis excipere ausus fuisset ? Abimelech Rex arrrepta securi præcidit in sylva arboris ramum quemdam, impositumque ferens humero, dixit ad socios commilitones [3] : *Quod me videtis facere, cito facite* : subditque sacer textus : *Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem.* Eodem modo Christus quidem discipulis et sequacibus suis, ut crucem suam portarent, præcepit ; verumtamen ut ad hoc faciendum illis generosum suggereret animum, ipsemet primus omnium sacratissimam suam humanitatem cruce quadam ponderosissima onerare voluit. Porro de ejus in cruce portanda adjutore Simone Cyrenæo, Lucas Brugensis ita scribit : « Tulit Simon « crucem Jesu, non posteriori tantum parte, prioris « partis onere, quod longe gravius erat Jesu re ma- « nente, sed ut antea Jesus, integram (sic enim D. « Aug. *de consensu* lib. 3. c. 10, aliique veteres id « intelligunt) tulit partim, partim traxit. »

**4.** — *Cyrenæum.* Erat vir ille ex Cyrene oriundus Unde S. Anselmus in Matthæum ita scribit [4] : « In- « telligitur, quod ipse primum sibi portavit crucem, « dum exiret in locum memoratum : Simon in via « angariatus est, ut portaret. Hoc congruo ordine « mysterii, quia Christus passus est pro nobis re- « linquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. « Et quia Simon iste non Israelita, sed Cyrenæus « esse perhibetur, a Cyrene, quæ est civitas Libyæ, « recte designantur per eum populi gentium, qui « quondam peregrini, et hospites, nunc obediendo « cives sunt et domestici Dei. Unde et apte Simon obe- « diens interpretatur; Cyrene vero hæres : qui Simon « de villa venit id est, de gentilitate. Villa enim latine « *Pagos* dicitur græce ; unde Paganus : qui a civi- « tate Dei alieni, relictis paganis ritibus, passionis « vestigia imitantur. Quoad hoc tamen Lucas Bru-

[1] *Ps.* CIII, 24. — [2] JOAN., XIX, 17. — [3] LUC. BRUG., *in Matt.* — [4] DID. STELLA, *in Luc.*

[1] BEDA, *in Marc.* — [2] JOAN., XIII, 15. — [3] JUD., IX, 48. — [4] S. ANS., *in Matt.*

« gensis contrariam sustinet opinionem, ait enim : « Judæum genere fuisse virum hunc, vix dubium « est ; qui per se ipse, aut certe cum parentibus « habitationem e Cyrenaica regione in Jerosolymi- « tanam transtulerit. Judæos enim in Libyam « usque, et Cyrenen dispersos fuisse, testantur Act. « II, 10, et VI, 9. » S. Thomas quoque per Simonem hunc Cyrenæum populum gentilem intelligit, qui Crucem Domini amplexaturus erat ; de quo Psalmista prophetaverat, dicens : *Popolus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.* Idem porro Doctor Angelicus cognomen *Cyrenæus* interpretatur, *hæreditas pretii.* De gentibus autem Regius vates in hæc verba vaticinatus fuerat [3] : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* ; per quod, ut Albertus Magnus ait, « significabatur, « quod gentilitas citius ad communicationem crucis « per fidem veniret, quam circumcisio : circumcisio « enim crucem Salvatori paravit, et hanc gentilitas « ab humeris Domini portandam assumpsit. » In cujus confirmationem servit sequens observatio, scilicet quod Salvator noster hunc paganum hominem non sine grandi mysterio tunc pridem ad pondus crucis suæ portandum admiserit, postquam ab Hebraismo extra Jerosolymum ejectus fuerat ; per hoc enim insinuabatur, gentiles tunc pridem in Hebræorum locum fuisse substitutos, eisque legem Evangelicam collatam fuisse, postquam ab hoc populo reprobatus fuit ; Christus namque ait [4] : *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.*

**5.** — Quemadmodum suppositis per transversum in formam crucis Jacobi patriarchæ manibus Manasses hæreditatem, quæ alias ei jure debebatur, amisit, ita sub cruce frater major, id est Israel, hæreditatem quæ alias ei jure debebatur, perdidit, eaque se dignum minor constituit, id est, populus gentilis : « Non ergo fortuitum, » inquit S. Leo [5], « sed figuratum, et mysticum fuit, ut Judæis in « Christum sævientibus. ad compatiendum ei pe- « regrinus accurreret, dicente Apostolo : *Si compa- « timur et conregnabimus* ; ut sacratissimo Salva- « toris opprobrio, non Hæbreus quisquam, nec « Israelita, sed alienigena subderetur, per hanc « enim translationem, a circumcisione ad præpu- « tium, a filiis carnalibus ad filios spirituales, im- « maculati Agni propitiatio, et omnium sacramen- « torum plenitudo transibat. »

**6.** — Simon de Cassia ait [6] : « Profunde pene- « trare oportet, quod in his actionibus obvelaturi « et quod in tanta comitiva Christi, hominum, « atque mulierum diversimode comitantium, solus « nomine proprio Simon hic descriptus, per filios « nominatur, et lignum portans Christum sequitur « præeuntem. » Victor Antiochenus in ea est opinione, quod eo tempore quo tres primi Evangelistæ passionis Dominicæ conscripserunt seriem, hic Simon una cum filiis suis etiamnum in vita mortali superstes fuerit, ideoque Evangelistæ ut Historiam hanc majori cum fundamento authenticarent, ad majorem veritatis attestationem, nomen, cognomen, patriam et progeniem expresserint. S. Paschasius ait : « Ideo quia magnum in eo formatur sacra- « mentum ab Evangelistis tam diligenter quis sit, « et unde sit, commendatur, erat enim ex gentibus « qui non fortuito obviam venit, sed ex providentia « Dei, ut in eo jam monstraretur, quod gentes « crucem Christi portare deberent, et comparticipes « Passionis ejus fieri. Indignus enim erat quilibet « Judæus crucem Christi portare. » Supracitatus Victor Antiochenus ait [1] : « Dominus noster intra et « extra civitatem tantisper crucis suæ molem ba- « julavit, donec tandem obviam venit Simon Cy- « renæus, qui militum imperio adactus, delassatum « Jesum eo onere sublevavit. » At vero dicet forsitan aliquis ex quo summus Simoni Cyrenæo honor deferebatur in eo, quod ad crucem Redemptoris, quæ postea diadematibus Imperatorum imposita fuit, post Christum portandam adhibitus fuit ; cur tantam adhibuit industriam, et resistentiam, ad hoc, ut se ab hoc obsequio subducere posset? Ex quo eodem dubio utique permotus fuit doctissimus Salmeron, ut in hæc verba hunc Simonem alloqueretur : « Noli, o Simon, erubescere de cruce Christi. « quam gestas, quia quod tuis humeris portas, « erit oculis regum adorandum, Imperatorumque « brachiis reverenter, et peramanter amplexan- « dum. » Respondeter itaque, quod tametsi honor ille, quem Christus huic Simoni deferri disposuerat, permaximus esset ; ipse tamen etiamnum sufficienti ad hoc lumine imbutus non erat, ut honorem hunc agnoscere, aut discernere posset, quia [2] *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Nondum hujus sub hac cruce in subsidium Christum portata, latentis mysterii habebat notitiam illam, quam sibi postea acquisivit ; et ideo tam invitus ad crucem Christi apprehendendam accessit, quia eo tempore vel solus crucis contactus coram mundo summe probrosus erat. Lucas Brugensis ita scribit [3] : « Cum nullus adesset, qui infame, nefastumque lig- « num, vel pretio portare vellet, (tantæ erat igno- « miniæ in illo spectaculo crucem ferre) milites, « qua fuere audacia, virum hunc rusticum, igno- « bilem et pauperem, in itinere venturum coege- « runt, ut ferret ; crucemque ex Jesu humeris in « ipsius humeros transtulerunt, non ut Jesu par- « cerent, aut eum onere levarent, sed ut majoribus « eum suppliciis robore integrum servarent, et ut « minori cum impedimento ipsi illuderent : de-

[1] Luc. Brug., *in Matt.* — [2] *Ps.* XVII, 44. — [3] *Ps.* II, 8. — [4] Matt., XV, 26. — [5] S. Leo, s. 8 *de Pass.* — [6] Simon de Cass., l. XIII.

[1] Vict. Antioc., *in Marc.* — [2] I Cor., II, 14. — [3] Luc. Brug., *in Matt.*

« nique ut festinantes citius absolverent negotium « occidendi. » Porro quantum ex historia Evangelica colligitur, tametsi hic homo a principio, ne crucem ferret, plurimum recalcitrarit: attamen in progressu itineris ponderosissimum hoc lignum ad montem Golgotha usque sine ulla renitentia portavit, imo valde est verisimile, quod benignissimus Salvator, eidem interius excessivum gaudium communicarit, ut adimpleretur, quod mellifluus Bernardus postea in hæc verba scripsit : « Vident « cruces nostras, sed non vident unctiones nostras. » Enim vero crux a principio ponderosa videtur esse, et aspera; quando vero is, qui illam portat, libenter eam amplexatur ob Christi amorem, suavis efficitur. Crux porro Hebræis omnibus horror erat, secundum illud : *Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Gentiles similiter priusquam converterentur ad Christum crucem exhorrescebant, ac proinde Apostolus ait[1] crucem fuisse *Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* : attamen postquam Regia vexilla insignire, et in coronis Imperatorum portari cœpit, quis eam non impense veneratur? Et quidem pondus hoc crucis tanto nunc est ad portandum facilius, quanto nos Salvator noster non ad portandam crucem suam invitat quam Simon Cyræneus portavit, sed solum dicit : *Tollat crucem suam* : « Non meam, » inquit S. Thomas a Villanova, « nam meam non poterit; gravissima « est enim, quam nullus puri hominis humerus « portare sustineat. »

**7.** — Enim vero ea quæ in hac Simonis Cyrenæi actione involvuntur mysteria, multa prorsus sunt et magna, Lucas Brugensis ait[2] : « Sustulit quidem « Simon crucem coactus, ut et nos plerique omnes, « non nisi coacti patimur adversa pro Jesu; sed « felix necessitas, quæ ad meliora compellit, ubi « militum aliorumque violentia impiorum salutem « nobis et gloriam parit? » Idem auctor paulo ante de hoc fortunato Cyrenæo dixerat : « Felix Simon, qui in « cruce ferenda Jesu socius fuit; nam sicut socius « fuit passionis, ita fuit et gloriæ, quam ad hunc « usque diem Evangelicus historicus celebris obti- « net : atque hac re significatum est, multos fore « qui in cruce portanda Jesum essent secuturi. » Porro hic Simon Cyrenensis ad sanctam Christi fidem conversus fuit, Alexander autem, et Rufus filii ejus, quorum alios inter Evangelistas Marcus meminit, insignes Ecclesiæ Dei sancti evaserunt. Etenim Rufus primum Theabarum, ac postea Tortose in Hispania factus est episcopus, quorum dies natalitii XII novembris quotannis celebrantur. S. Polycarpus, in Epistola quadam ad Philippum inter cætera ita scribit : « Rogo omnes vos insistere « verbo justitiæ, et patientiæ, quam oculate vidistis « non solum in beatissimis istis, Ignatio, Zosimo, « et Rufo, sed et in aliis, qui in vobis sunt. » S. Alexander vero a V. Beda in Martyrologium ad XI Martii relatus legitur.

**8.** — *Nomine Simonem.* Lucas Brugensis de hoc nomine in hæc verba scribit[1] : « Judaicum est nomen « commune cum Petro, quod interpretatur, obe- « diens, » S. Paschasius inquit[2] : « Nec immerito « Simon vocatur, quod interpretatur obediens, quia « nemo Crucem Christi, nisi obediendo portat. « Unum ergo est, sive dicamus Simon, aut Simeon « quia utrumque nomen juxta proprietatem He- « braici sermone obedientiam sonat. Et ideo unus « eorum post Jesum crucem in angaria portare « festinat, alter vero suscipiens eum in manibus « suis, ad templum Jerusalem exultans ferre inter « brachia quamvis jam senex, gaudet; uterque « tamen eorum obediendo promeruit, ut dignus « tanto munere esset, quæ licet angaria vocetur, « nunquam tamen digne nisi obediendo fertur. » S. Laurentius Justinianus similiter ait[3] : « Simon « iste obedientium figuram præfigurat mystice, qui « in Ecclesia ad hæreditatem cœli properare vi- « dentur, non voluntarie, sed coacte crucem pœni- « tentiæ bajulantes. Quot enim temporibus nostris « in sinu suo sancta mater fovet Ecclesia, qui habi- « tum religionis assumunt, Dei mandata speciete- « nus servant, carnem suam vigiliis, ac jejuniis « macerant, sed mentem ab omni spirituali disci- « plina vacuam gerunt? » S. Gregorius ad factam a Cyrenæo in principio resistentiam se reflectens, inquit[4] : « Quod enim per angariam agimus, non « ex studio amoris operamur. Crucem ergo Jesu « in angaria portare, est afflictionem abstinentiæ « pro alia quam necesse est intentione tolerare. » S. Thomas similiter dicit : « Quod dicitur : « Coegerunt eum, significat illos, qui interius « crucem ferunt, quia non propter Deum, sed « propter mundum. » Denique Hugo Cardinalis ita scribit[5] : « Per istum Simonem, qui portat crucem « in angaria, significantur hypocritæ, qui labores « multos sustinent in hoc mundo pro laude humana « crucem alienam portant, suam portant crucem, « qui pro Christo laborant. »

**9.** — *Venientem de villa.* S. Marcus hanc addit circumstantiam, quod scilicet venerit de villa in Jerusalem : « Ex agro cure; erat enim agricola, » inquit Lucas Brugensis[6], qui exinde sequentem moralitatem ex Theophylacto deducit. Ait enim Theophylactus[7] : « Ille potest fieri subditus Christi, et « tollere crucem suam, qui virtutis operarius est, « qui venit a villa relinquens mundum et ea quæ « sunt in mundo, et ad Jerusalem illam supernam « et liberam tendit. » Observandum est præterea

[1] I Cor., I, 23. — [2] Luc. Brug., *in Matt.*

[1] Luc. Brug., *in Matt.* — [2] S. Pasch., *ib.* — [3] S. Laur. Just., *de Triump. Christi agon.* — [4] S. Greg., l. VIII *Mor.* — [5] Hug. Card., *in Marc* — [6] Luc. Brug., *ib.* — [7] Theoph., *in Luc.*

Christum neminem illorum crucis suæ fecisse participem, qui e Jerosolyma egrediebantur in villam, sed illum solum, qui de villa exibat in Jerusalem, per hoc namque nobis insinuatur, illos ad participandum passionis suæ fructum, et ad crucem Christi portandam esse idoneos, qui se a deliciis, ab amœnitatibus recreationum, et gaudiorum separant, ut ad pietatem, et religionem se recipiant; hæc enim per Jerosolymam denotatur, dicente Theophylacto [1]: « Crux est mortificatio affectionum. » Qui idem paulo ante dixerat : « Si bene animad- « verteris, invenies non aliter regnare in nobis « Jesum, nisi per affectionem, atque ita qui in « deliciis vivunt, inimici sunt Christi. » Rupertus Abbas dicit [2]: « *Exeamus,* inquit Apostolus, *ad eum* « *extra castra, improperium ejus portantes*; et non « sicut ille Simon, qui portavit quidem post eum « crucem, sed ipse crucifixus non est, sed ita cru- « cem ejus tollamus, *ut nos ipsos cum vitiis, et con-* « *cupiscentiis crucifigamus*; et cum tempus, vel « causa postulat, *ejus qui passus est pro nobis, re-* « *linquens nobis exemplum, vestigia sequamur.* »

**10.** — *Imposuerunt illi crucem portare post Jesum,* inquit S. Lucas. Porro Redemptor noster ad crucem suam portandam nos invitans, simul præcepit ut illam post eum portemus : *Tollat crucem suam, et sequatur me*; non dicit ; *Præcedat me*, quia sunt nonnulli, qui de propria virtute præsumentes, se magna operari posse confidunt, absque eo, quod suam in Deo repositam habeant fiduciam, hi cum S. Petro turpiter cadunt. Unde S. Paschasius ait : « Nec præcedit qui crucem Christi portat, sed se- « quitur, sicut ipse ait : *Qui vult venire post me tol-* « *lat crucem suam, et sequatur me.* Non enim *suam,* « sed *nostram* portat crucem, et ideo jubemur nos « nostram portare crucem, quia etsi sua est, in « qua patitur homo Deus, nostra tamen est, qua « redimimur, et salvamur. » Crux illa super qua omnia peccata nostra exonerata erant, nobis debebatur ac proinde non sine mysterio postquam Christus illam portasset, homini imposita fuit; sed per hoc illam nobis debitam fuisse denotatur. Unde S. Cyrillus Alexandrinus ait [3]: « Dominus quidem « noster Jesus Christus debitam nobis bajulans « crucem, et hoc propter nos, non erubescit ; nos « autem calamitosi : quorum mater hæc terra « est, qui ex nihilo ad esse producti sumus, non « audemus labores vel parvos pro pietate suscipere « sed si forte pro Christo quidquam nobis acciderit « erubescimus, » ubi specialiter observanda sunt verba illa : *Debitam nobis bajulans crucem.* S. Athanasius pariter ait [4] : « Principio quidem suam sibi « crucem ferebat, ultro enim ad mortem tende- « bat, ac rursum eamdem gestavit Simon homo, « ut omnibus innotesceret, Dominum non suam « mortem, sed hominum subire. » Salmeron aliam quamdam valde utilem hinc eruit moralitatem, inquiens : « Observa Christum cœpisse ferre cru- « cem, non tamen in fine usque pertulisse, quia « voluit te docere, ut incipias quædam bona opera, « et si per alios complenda, et perficienda. » Vel etiam dici potest, quod cum speciali mysterio crucem non semper portare, sed eam quoque bajulari a nobis voluerit, ut inde intelligeremus, parum nobis ejus crucem profuturam esse, nisi et nos ex parte nostra eidem cruci cooperemur, ejus pretium in Sacramentis, velut in deposito, conservatum, nobis applicando. Et hoc forsitan Apostolus hisce verbis insinuare voluit [1] : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in corpore meo,* per hoc namque nequaquam dicere voluit, passionem Redemptoris in semetipsa defectuosam esse, sed potius insinuare intendit, passionem et crucem Christi nobis proficam futuram, si inæstimabilem ipsius pretium pro salute animæ nostræ adhibeamus, eam in sanctis, et virtuosis operibus nostris imitando et vivaciter exprimendo.

**11.** — In hac quoque actione considerari potest, quam sit verum quod idem S. Paulus Apostolus ait [6] : *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Enimvero cum Filius Dei omnino quasi ex perpessis tormentis exsanguis, omnibusque viribus destitutus, iter illud cruce tam ponderosa onustus prosequi non posset, Æternus Pater illi de hoc Cyrenæo prospexit, ut nos doceret, se minime passurum esse, onus aliquod adversitatis nobis imponi, quod debilitatis nostræ superet capacitatem, quia vult facere cum tentatione proventum : *Ipse enim scit figmentum nostrum.* Verum enim vero sciscitari quis merito posset, cur crux Christi (quæ adeo sublimiter honorata fuit, ut eam ipsimet quoque imperatores triumphali apparatu in humeris suis portare non erubuerint); non potius humeris Nicodemi Principis Synagogæ, vel Josephi ab Arimathæa nobilis decurionis, vel S. Petri, qui Vicarius Christi in terris postea declaratus fuit, vel alterius cujuspiam discipuli Christo præ cœteris acceptissimi imposita fuerit? Respondetur, id factum esse, quia *ipse scit figmentum nostrum*; si enim Apostoli, qui immediati scholæ Christi discipuli fuerunt, quique præcedenti vespere, tum per sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, tum per prolixum a Christo post ultimam Cœnam habitum sermonem, corroborati et præmuniti fuerant, nihilominus ob mortis metum, aliosque humanos respectus in turpem se fugam receperunt : quanto magis timeri poterat, ne Nicodemus, qui ob metum

[1] THEOPH., *in Luc.* — [2] RUP. AB., l. XIII *in Joan.* — [3] S. CYR. ALEX., l. XII *in Joan.* — [4] S. ATHAN., *de Pas. et Cruce.*

[1] COLOS., I, 54.

Judæorum nocturno tantum tempore Christum convenire et cum eo loqui consueverat; non solum a pondere et ignominia crucis portandæ se subtraxisset, verum insuper manifesto exponeretur periculo Christum negandi, quemadmodum paulo ante a S. Petro infeliciter factum fuerat.

## DISCURSUS VII.

DE VARIIS FINIBUS, OB QUOS MULTI CHRISTUM SEQUEBANTUR; QUI NON SINE MYSTERIO FILIAS JERUSALEM, UT SUPER SEIPSAS FLERENT, PATERNE COMMONUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Describuntur varii fines propter quos tanta turba Christum passurum fuit insecuta. — 2. Quare Christus jam fuerit locutus cum his mulieribus, non obstante altissimo silentio in prioribus calumniis. Quare Christus prohibet mulieres illas super se flere. — 3. Salubre est pro peccatis et pro affectu flere. — 4. Charitas inscripta seipso. — 5. Jerusalem propter ingratitudinem funditus eversa est. Describuntur virtutes Christi ab ipso factæ.

*Sequebatur illum multa turba populi et mulierum quæ plangebant et lamentabantur eum.* Luc., XXIII, 27.

**1.** — S. Bernardinus multos insinuat fines, ob quos innumera populi multitudo Christum ad montem Calvariæ usque prosequebatur; ait enim [1]: « Aliqui tot signorum ultra omnem humanam « potestatem factorum, conscii existentes, si quid « in mortis articulo faceret pro seipso, visere quæ- « rebant, qui tot signa in alios faceret, qui etiam « tres mortuos ab inferis suscitavit. Mira quippe « consideratione tenebantur, si volebat ipse ad « tartarea loca descendere, a quibus illos revoca- « verat; aut si aliqua insolita potentia de eorum « manibus laberetur: aut si aliter per signa inno- « tesceret; aut quali vultu, quali potentia, quali « consistentia moreretur et in ipso actu moriendi « persisteret: si hunc Deus requireret desuper; si « sibi aliquid novi advenisset, qui tot nova in sæ- « culo operatus est; si quispiam pro ipso consur- « geret; si nova seditio, aut tumultus pro illius « libertate oriretur. Porro curiositas multos ad- « duxerat in sequelam. » Dionysius Carthusianus aliquos, licet paucos, Christum secutos fuisse existimat, ex motivo compassionis. Ita enim scribit [2]: « Quidam sequebantur compatiendo, sed multo « plures deludendo et crucifixionem ejus optando, « imo quo ante famosior fuit, eo plures secuti sunt « ad videndum spectaculum. Fuerunt quoque ibi « aliqui viri discipuli et amici Christi, ut Nicode- « mus, Joseph. Joannes Apostolus, et forte Gama- « liel, et alii, qui licet vehementer dolerent, fletum « tamen pro posse represserunt. » Didacus Stella totam hanc Christum sequentem multitudinem in quatuor dividit partes, inquiens [1]: « Prima erat « carnificum, quæ eum trahebat et premebat. Se- « cunda Judæorum, qui eum irridebant. Tertia « eorum, qui ad videndum spectaculum venerant. « Quarta amicorum, qui anxie lugebant. Tu etiam « Christi passionem si non doles, nec luges, sed in « hac vita dies transis risu, deliciisque, signum « maximum est, quod non es de turba amicorum « Christi. » S. Anselmus, in Dialogo de Passione, insolentiam quoque insinuat puerorum, qui Christum crucem suam bajulantem sequebantur; ait enim [2]: « Sequebantur etiam pueri projicientes lu- « tum et lapides in eum. » Imo illi ipsi qui antea ipsi tanquam vero Messiæ acclamarant, nunc ipsum variis improperiis divexabant. Ea verba ipsiusmet Anselmi, in persona Beatissimæ Virginis ita loquentis: « Conversus autem filius meus ad mulie- « res, dixit: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me,* « *sed super vos ipsas flete et super filios vestros,* qui « lutum et lapides mittunt in me, nescientes quid « faciunt. » Neque enim intelligebant, quod lapides illi, non multo post tempore, casuri essent super ipsos, in publico urbis Jerosolymitanæ exterminio, dicente ipsomet Christo [3]: *Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ*: idque in justam et condignam mortis suæ pœnam. Theophylactus in Lucam scribens, hunc turbarum Christum sequentium comitatum, inter quos nonnulli plorabant, hoc præfigurasse opinatur, quod scilicet etiam multi ex Judæis Christi doctrinam, fidem et disciplinam amplexaturi essent; ait enim [4]: « Insinuat, quod magna multi- « tudo Judæorum, etiam post crucem, credet in « Christum; hoc enim est sequi. » Denique credibile est, multos in illa sequentium turbarum multitudine fuisse, qui, utpote multis et magnis ab ipso beneficiis cumulati, ex motivo compassionis et gratitudinis ipsum ad locum supplicii usque fuerunt prosecuti. Inter quos certum est, fuisse S. Veronicam, quæ ipsum associans, velum capitis sui Domino porrexit, ut sudorem vultus sui abstergeret, in quo velo effigies et imago Salvatoris in tribus distinctis partibus impressa remansit, quæ hic Romæ in Basilica S. Petri summa cum fidelium veneratione sæpius exhibetur.

**2.** — *Et mulierum quæ plangebant et lamentabantur eum.* « Hierosolymitanarum præcipue, » inquit Lucas Brugensis, qui et addit [5]: « Nota quod mu- « lieres planxisse dicuntur, non viri. Vel enim « viri ipsi damnaverant et ad crucem postulaverant « Jesum; ac proinde sequebantur, ut morientem « læti aspicerent, ut ait Beda. Vel quia non pe- « rinde ad planctum proclives sunt, ac mulieres.

[1] S. BERN., t. I, s. 55, a. 4. — [2] DION. CAPT., *in Luc.*

[1] DID. STELLA, *in Luc.* — [2] S. ANSELM., d. *de Pass.* — [3] LUC., XIX, 44. — [4] THEOPH., *in Luc.* — [5] LUC. BRUG., *in Luc.*

« Nec carebat periculo viris, se monstrare palam « amicos Jesu, et ideo non ausi sunt palam dolorem « prodere. *Lamentabantur* (inquit de mulieribus), « deflebant, deplorabant modis omnibus ejus vi- « cem, non humano solum (nec in latrones lamen- « tatæ dicuntur), verum etiam grato et pio affectu, « virum innocentem et justum, deque omnibus « optime meritum, ad crudelissimum crucis sup- « plicium rapi. » Didacus Stella ibidem quoque multos ferventes Christi discipulos præsentes fuisse existimat; quod vero solæ nominentur mulieres, illius hanc assignat rationem [1] : « Quia fæmineus « sexus, tanquam contemptibilior, liberius poterat « principibus sacerdotum præsentibus, quid contra « eorum malitiam senserint, ostentare; ideo præ- « cipue dicuntur mulieres hic flevisse. » S. Leo in sermone x de *Passione* eam quam hic sexus flendi facilitatem et propensionem habet, in hæc verba considerat : « Solet sexus infirmior, etiam pro iis, « qui morte sunt digni, in lacrymas commoveri et « damnatorum exitus pro naturæ communis com- « miseratione misereri. Sed istum sibi planctum « Dominus Jesus dedignatur impendi. »

**3.** — *Conversus autem ad illas Jesus, dixit : Filiæ Jerusalem, nolite flere super me.* Sed numquid spectaculum istud amaris, imo et sanguineis lacrymis deplorari merebatur? « Quis non ejulasset ex corde, » inquit B. Laurentius Justinianus [2], « super Angelo- « rum Regem et Dominum : lento gradu, tremulis « genibus, oculis liventibus, crine sparso, facie « cruentata, scissis vestibus, spinis capite coronato, « crucem propriam bajulantem? Plane maxima « hæc mutatio erat dexteræ Excelsi. » Observatione porro dignissimum est verbum illud : *Conversus ad illas.* Etenim quisquis magis præcipuas universæ passionis Christi periodos attente consideraverit, adimpletum inveniet propheticum illud Isaiæ oraculum [3] : *Non aperuit os suum; quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Ejus taciturnitatem Pilatus supra modum obstupuit [4] : *Ita ut miraretur præses vehementer;* dum solum os suum aperiendo, perfecte suam declarare poterat innocentiam, atque ab omnibus calumniis et falsis accusationibus se purgare. Acerbissimorum flagellorum, spinarum, clavorum, aliorumque atrocissimorum tormentorum persentiscens dolores, ne unicum quidem suspirium emisit, nec minimo verbo conquestus fuit. Et tamen nunc dum dolores ejus ad summum venere apicem, os suum aperit, non ad prædictos dolores mitigandos, sed ut hisce mulieribus, animitus ei compatientibus, fletum et lacrymas sui causa profusas prohiberet. Cæterum videlicet ex nullo Scripturæ loco constat, quod sanctissimæ matri suæ, ejus latus continuo stipanti, vel devotis Mariis, vel S. Joanni, vel tot aliis sibi devotis discipulis vel verbo locutus fuerit. Verum quidem est, quod in cruce septem verba pronunciaverit, sed admodum brevia. Hic autem ex industria, ut pie credi potest, gressum sistit, atque studiose cum hisce mulieribus disserere, easque edocere incipit, dicendo ipsis : *Nolite flere.* Cum paucis mulieribus, licet cæteroquin devotis, Christus per triginta trium annorum curricula conversatus fuisse legitur, in hac tamen occasione, tametsi inopportuna esse videretur in conspectu infinitæ cujusdam multitudinis, in medio duorum latronum positus, carnificibus undique cinctus, ponderosissimo crucis patibulo onustus, post tantum silentium in tribunalibus et in tormentis constantissime observatum, familiariter cum hisce mulieribus discurrere incipit, iisdemque lacrymas pro se fundere prohibet. Christus olim per os regii Prophetæ passionem suam prædicens, in hæc verba lamentatus fuit [1] : *Et sustinui qui simul mecum contristaretur, et non fuit : consolantem me quæsivi, et non inveni.* Dum vero hic devotarum piarumque mulierum, ob ejus vicinam mortem lacrymis madentium, manipulus in medium se prodit, ut illum extreme afflictum consolaretur, easdem respuere videtur, earumque devotum aspernari obsequium, dicendo : *Nolite flere.* Quid hac de re dicemus? Præcedenti vespere a Juda, ipsum in manus lictorum consignante, non est dedignatus recipere osculum et in ejus ruere amplexum. Similiter ut auriculam Malcho lictorum duci amputatam e terra levaret, perque prodigiosum miraculum eamdem sanam et incolumem perfido huic homini restitueret, in terram se inclinavit. Petrum, tametsi ab eodem per repetita perjuria abnegatus fuisset, benignissimo nihilominus oculorum suorum obtutu respexit, eumque ad tantam compunctionem commovit, ut egressus foras, fleverit amare. In monte Calvariæ, dum in cruce penderet, sermones miscere cœpit cum latrone, qui paulo ante una cum sodali suo eum conviciatus fuerat; eidemque latroni insuper paradisum patulum effecit. Hic autem mulieres passionem ejus deplorantes, ingratum ei videntur exhibuisse obsequium, quia flere illas prohibuit : *Nolite flere;* quis hoc non obstupescat? Verumtamen observandum, Christum dixisse : *Nolite flere super me.* Non igitur illis fletum absolute interdixit, sed solum finem et intentionem, ob quam plorabant, reprehendit. Unde S. Leo ait [2] : « Istum sibi planc- « tum Dominus dedignatur impendi, quia non « decebat luctus triumphum, nec lamenta victo- « riam. » S. Isidorus Pelusiota Theodoto presbytero interroganti, cur Christus hunc mulierum fletum non modo non collaudarit, sed etiam objurgarit, in hæc verba respondit : « Perspicuum illud est, « commiserationem ei quidem, qui invitus patitur, « solatium : ei autem qui ultro ac sponte, contu-

[1] DID. STELLA, *in Luc.* — [2] B. LAUR. JUST., *de Trium. Christi agon.* — [3] ISA., XIII, 7. — [4] MATT., XXVII, 34.

[1] *Ps.* LXVIII, 21. — [2] S. LEO, *ib.*

meliam afferre. Quandoquidem igitur ipse sponte « ad patiendum se conferebat, ut et mortem extin- « gueret, et diaboli nervos infringeret, eum autem « qui laudibus ac plausu dignus erat, illæ fletu ac « lacrymis prosequebantur, propterea, ut quidem « nonnulli existimant, ipsis malum imprecatus « est : revera autem ipsis calamitates eventuras « prænunciavit. Neque enim illum lugere fas est, « qui peccatum fudit et profligavit, atque ad op- « primendam quoque et de medio tollendam mor- « tem, vinculisque constringendum diabolum « properat. » Enimvero mors Christi nunquam eo pervenit, ut ejus affligeret divinitatem, quia ut Psalmista ait [1] : *Non accedet ad te malum.* Humanitatem quidem misere dilacerarat, sed id factum est, ut eam tanto gloriosiorem efficeret [2] : *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi, etc.* Theophylactus a Glossa citatus ait : « Non decet autem lamentari eum, qui sponte et « pro salute omnium patitur, sed congruum est, ut « ille magis laudibus efferatur : per crucem enim « mors destructa et infernus captivatus est : la- « menta his qui sponte patiuntur nullam consola- « tionem afferunt. » Titus Bostrensis super Lucam ita scribit [3] : « Licet illi, qui ad cruciatum invitus « rapitur, commiseratio nonnullum solamen ad- « ferre soleat, attamen crucem cupide, ultroque « affectanti, ejusmodi sympathia molestiam parit « verius, quam levamen. »

**4.** — *Super vos ipsas flete.* Enimvero lacrymæ ob convenientem et rationabilem finem effusæ, inæstimabilis apud Deum sunt valoris et pretii; ac proinde Christus hasce mulieres docere voluit, quo modo easdem fructuose adhibere possent, si nimirum per illas peccata propria et filiorum suorum deplorarent. S. Hieronymus super illa Psalmistæ verba [4] : *Et sustinui qui simul mecum contristaretur et non fuit,* loco, *Sustinui,* quod in Vulgata habetur, legit : *Expectavi.* Et vero Christus a præcedenti vespere usque ad illam horam præstolatus fuerat, qui compassione erga ipsum moveretur, non deplorando pœnas, quas patiebatur, sed causam illarum, id est, culpam et peccata uniuscujusque propria, quia pœnitentia et lacrymæ pro peccatis a nobis effusæ, magnum patienti Redemptori allaturæ fuissent sublevamen, crucemque quam peccata nostra in humeris Christi ponderosissimam effecerant, plurimum fuissent alleviaturæ : *Et sustinui, expectavi, qui simul mecum contristaretur, et non fuit:* expectavi, qui simul mecum doleret propter illud, quod me vel maxime affligebat, id est, propter peccata, pro quibus ego patiebar, et non inveni, quia filiæ Jerusalem, licet amare flerent, non tamen ob id plorabant, propter quod ego patiebar; flebant enim super me, non vero pro peccatis suis aut filiorum suorum : « Potius debet flere peccator vulnera « animæ suæ, » inquit S. Bonaventura [1], « pro « quibus Christus patitur, quam vulnera quæ cor- « pus Christi patitur. » Et vero axioma est philosophicum : Propter quod unumquodque tale et illud magis : ac proinde cum passio et mors Christi quidam sit peccati effectus, consequens est, ut multo copiosioribus, imo sanguineis peccatum deplorari mereatur lacrymis, magis quam passio Salvatoris. Porro Christus, qui Paradisum cœlestem lætificat, paulo ante passionem suam, quam prævidebat Hierosolymæ destructionem, amarissimis lacrymis deflevit [2] : *Videns civitatem, flevit super illam.* Sed quænam hujus fletus causa erat? num forte murorum, ædificiorum, vel templi ruinam deplorabat? Nequaquam, ipse enim erat ille, qui unico dumtaxat verbo cœlum et terram creaverat [3] : *Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.* Potius igitur animarum deflebat ruinam, quas propediem sanguine suo redempturus erat, quantumvis pro magna parte inutiliter, ob multorum propriam culpam et sanguinis sui abusum : « Mille civitates « combustæ sunt atque destructæ, » inquit S. Bernardinus [4], « et tamen non legimus pro eis Christum « flevisse, sed pro anima sola. Hæc enim civitas « mystice animam præfigurat. » Christus igitur probe sciens et intelligens peccati malignitatem, devotis hisce mulieribus et in earum persona omnibus fidelibus præcipit, ne in amaras prorumpant lacrymas ob ejus passionem, sed potius ob causam illius, id est, ut per veram pœnitentiam peccata propria expiare contendant : *Super vos ipsas flete,* id est, ut Hugo Cardinalis exponit [5] : « Cavete, ne « habeatis aliquid criminis, quod vos involvat cum « aliis in futura eversione urbis. » Consideratione dignissimum est, quod S. Bernardinus se temporibus suis expertum fuisse, in hæc verba scribit [6] : « Et « mirum recolo mihi, sæpe vidisse, audita passione « Dominica, multos etiam sceleratos in lacrymas « prorupisse, quas ut elicerem ab oculis audien- « tium, concionando ad populum stulte nescio, an « perite, per pia verba sæpe tentavi. Quod et feci, « sicut solitum est omnibus qui declamant maxime « isto tempore, seu die, quo Ecclesia Christum per « sua officia recolit crucifixum. Cumque ad pro- « priam remeasse illos aspicerem, Christi passio- « nibus et lacrymis valedixisse cognovi, et de pris- « tina conversatione nihil mali fuisse ademptum, « nec flevisse facinora, propter quæ fuit passio, « quam fleverant, tolerata. Quibus et cæteris « similibus gratius foret atque salubrius, quam « passionem, causam passionis deflevisse; ipsa « siquidem peccata, quæ præcesserunt, atque fu-

[1] *Ps.* XC, 10. — [2] LUC., XXIV, 26. — [3] TIT. BOSTR., *in Luc.* — [4] *Ps.* LVIII, 21.

[1] S. BONAV., s. 2 *in Dom.* IX *post Pent.* — [2] LUC., XIX, 21. — [3] *Ps.* XXXII, 9. — [4] S. BERN. SEN., s. *de dignit. animæ.* — [5] HUG. CARD., *in Luc.* — [6] S. BERN., s. 55 *ib.*

« tura sunt, Christum pati sua voluntate fecerunt.» Atque hanc ob causam Blosius Redemptorem nostrum in hæc verba precabatur [1] : « Da mihi fletum « tibi placentem, quo peccata mea et ingratitudi- « nem propriam pie lugeam. Da piæ commisera- « tionis sanctique amoris lacrymas, quæ cor meum « durum resolvant et tibi gratum efficiant. »

**5.** — *Et super filios vestros.* Observandum hic est, Christum prius illis dixisse [2] : *Super vos ipsas flete,* ac demum secundo loco : *Super filios vestros,* quia charitas ordinata esse debet. Primo enim charitas incipit a se ipso : *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Hugo Cardinalis inquit [3], Christum dicendo : *Flete super filios vestros,* dicere voluisse : « Flete pro cæcitate filiorum vestrorum, « quibus etiam Christus compatiebatur, pro quo- « rum salute patiebatur. Multi sunt similes istis « mulieribus qui alios plorant et se magis miseras « non plorant. Peccatis aliorum compatiuntur et « de suis non curant, sicut dicit Augustinus in lib. « *Confessionum* de seipso : Flebam quamdam Dido- « nem morituram et meipsum mortuum non flebam : « et hoc provenit ex eo, quod curiosius perscrutan- « tur facta aliorum, quam sua, quod est contrarium « charitati ; charitas enim incipit a se. » S. Leo in supradicto serone subdit [4] : « Non est quod dolere « in me Jerusalem filiæ debeatis : pro vobis plan- « gite et pro vestris filiis ejulate. Super illos fun- « dantur isti ploratus, quos tales viscera vestra « pepererunt. »

**6.** — *Ecce venient dies, in quibus dicent : Beatæ steriles, etc.* S. Vincentius Ferrerius in sermone quodam in die Parasceves habito ita scribit [5] : « Loquebatur de obsidione Romanorum per Titum « et Vespasianum, Jerusalem post ascensionem « Domini anno XLII, funditus destruentium, quando « tanta fuit strages facta, ut occisorum sanguis « quasi rivulus de omnibus partibus civitatis flueret; « et capta fuit civitas in die Paschæ et omnes po- « tiores Judæi occisi et venditi sunt triginta uno « denario, et capta civitate, undecim centena millia « fame et gladio perierunt, et octuaginta millia « venditi et dispersi sunt et fuit vendicata illa « maledictio, quando dixerunt Pilato : Sanguis ejus « super nos et super filios nostros. Tanta fames « tempore obsidionis erat ut matres comederent « filios, ut dicit Joseph, qui tunc erat præsens, licet « fuerit latitans in scissuris petrarum, quousque « persecutio ista cessaret. »

**7.** — *Quod si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Beda per lignum hoc viride, Christum ejusque electos intelligit [6] : « *Viride lignum,* inquit, « seipsum suosque electos ; *aridum* vero impios et « peccatores significat. Si ergo ipse, inquit, qui « peccatum non feci, qui lignum vitæ merito ap- « pellatus, fructus gratiæ duodenos per singulos « menses adfero, sine igne passionis a mundo non « exeo, quid putas eos manere tormenti, qui fruc- « tibus vacui, ipsum insuper vitæ lignum flammis « dare non timent? » Profecto sacratissima Christi humanitas lignum erat non solum viride, sed et fructiferum, de quo idem S. Evangelista Lucas testatur, inquiens [1] : *Virtus de illo exibat et sanabat omnes.* Et quidem si verba illius attendamus, de his S. Petrus ait [2] : *Verba vitæ æternæ habes* ; et alii [3] : *Nunquam sic locutus est homo, sicut homo hic.* Si manus consideremus, per hasce mundabat leprosos [4] : *Extendens manum, tetigit eum dicens : Mundare.* Si digitos, hosce surdorum immittebat auriculis, moxque sanum illis auditum restituebat. Si oculos respiciamus, hosce in cœlum extollens, quatriduanos suscitat defunctos, panes multiplicat et compungit corda [5] : *Respexit Petrum et flevit.* Si salivam cogitemus, hæc cæcos a nativitate illuminat. Si vestes ejus examinemus, hæ morbos incurabiles sanant. Si ad ejus nos reflectamus oris anhelitum, insufflando seu aspirando Apostolos, Sacramenti pœnitentiæ ejusdem confert mysterium [6] : *Insufflavit in eo dicens : Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Numquid igitur Christus jure merito de semetipso dicere potuit : *In viridi ligno?* « Christus dicitur viride lignum, » inquit Lyranus, « faciens fructum et per|consequens « indignum abscissione per mortem. » Hugo Cardinalis tale format argumentum : « Si sancti omnes « per ignem tribulationis exeunt de mundo, quæ « tormenta manent eos qui omni bono sunt vacui, « et peccatis pleni? Et hoc est quod in viridi ligno, « hoc est, in Christo, vel quolibet viro justo, hoc « faciunt iniqui ; in arido, id est, in peccatore ab « omni gratia arefacto, quid fiet? Sapiens inquit [7] : « *Si justus in terra recipit, quanto magis impius et « peccator?* » Didacus Stella sequentem adducit moralitatem : « Quod si viderunt bonos hic pati, « justos affligi et audierint Stephanum lapidatum, « Laurentium crematum, Sebastianum sagittis « confossum, reliquos Dei amicos diversis suppli- « ciis et tormentis interemptos ; denique ipsum « Dominum ac Redemptorem nostrum crucis pati- « bulum subire, doleant ipsi peccatores et timeant, « quam grave supplicium illis paratum sit, qui « quotidie peccant, cum talia passi sint innocentes « et Dei amici : ideo apud Jeremiam habetur : *Ecce « quibus non erat judicium, ut biberent calicem, li- « benter bibent et tu quasi innocens relinqueris?* » Consideratione quoque dignum est, quod circa hunc textum Titus Bostrensis scriptum reliquit; ait

[1] BLOSIUS, *in Sacello animæ.* — [2] MATTH., XVI, 26. — [3] HUGO CARD., *ib.* — [4] S. LEO, *ib.* — [5] S. VINC. FERR., *in Parasc.* — [6] BEDA, *in Luc.*

[1] LUC., VI, 9. — [2] JOANN., VI, 69. — [3] LUC., V, 13. — [4] MARC., VII, 35. — [5] LUC., XXII, 61. — [6] JOAN., XX, 22. — [7] PROV., XI, 31.

enim [1] : « Quod autem hoc loco Christus vult di-
« cere, hujusmodi est : Si Pilatus Romanorum
« præses, ejusque milites, me talem, hoc est, tanta
« virtute et dignitate ornatum, tanta ignominia
« affecerunt, totque malis omni ex parte circum-
« dederunt, quid acres, bellicosique Romanorum
« exercitus populo vestro, hoc est, Judæis facient,
« qui aliud nihil sunt, quam aridum quoddam et
« infructuosum lignum ? »

## DISCURSUS VIII.

### CUR CHRISTUS IN MONTE ET JEROSOLYMIS, AC SUPER CALVARIÆ MONTE MORI VOLUERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Deducitur a parabola, cur Christus in monte pati voluerit. — 2. Cur Christus Hierosolymis et non alibi passionem suam consummare voluerit. — 3. Christus operatus est salutem humanam in monte Golgothæo, qui est verum centrum terræ. — 4. Passio Christus ingravescit ex loco et consortio. Quia Christus pro peccatoribus moriebatur in loco malefactorum mori voluit. — 5. Juxta plerosque Doctores ideo Christus in monte Calvariæ passus fuit, quia ibi sepultus fuerat Adam.

*Exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, hebraice autem Golgotha.* Joan., XIX, 17.

**1.** — Locus quem Redemptor noster pro operanda universali totius generis humani salute elegit, non caret mysterio : elegit enim montem, non vero amœnam quamdam planitiem, non vallem quamdam fructiferam, vel deliciosum colliculum ; sed asperum et arduum montem : *Exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum.* Didacus Stella ait [2] : « In
« monte crucifigi voluit, quia apud antiquos mos
« erat, pro reformanda pace inter aliquos potentes,
« quod ipsi montem aliquem ascendebant ; et ibi
« ducebatur agnus, cujus sanguis fundebatur, in
« signum, quod sic fieret frangenti fidem. » Magni domini et potentes fuerunt Deus et homo, inter quos fuit contentio et bellum ; sed tandem reformata est pax, pro cujus reformatione ductus est in montem Agnus immaculatus, ubi fusus est ejus sanguis, in signum, quod gravis justitia facienda est de illis, qui hanc pacem per peccata confringunt. Porro, cum figuratum figuræ suæ perfecte respondere debeat, inter omnes Veteris Testamenti figuras, ut bene S. Thomas advertit, sacrificium Isaac primum locum obtinet, secundo vero loco agnus Paschalis recensetur : « In figuris præsigna-
« tur, cum Isaac immolatur, Agnus Paschæ depu-
« tatur, etc. » Abraham vero hoc sacrificium, Deo jubente, in monte offerre debuit [3] : *Super unum montium quem monstravero tibi.* Hinc Rupertus Abbas ad ligna illa se reflectit, quibus Pater Isaac filium oneravit et dicit Quid porro est, quod tulit Pater ligna holocausti et imposuit super Isaac filium suum ; ipse vero portabat ignem et gladium? Quid, inquam, nisi quod Dominus noster juxta Joannis Evangelium bajulavit crucem suam ; sic enim ait : « *Exivit Jesus bajulans sibi crucem.* Bene
« ergo Isaac ligna portat holocausti sui, quia
« Christus ipse bajulaturus erat lignum suæ pas-
« sionis. » At vero quonam Christum crucis suæ lignum portasse existimas? In eumdem prorsus montem, in quem tot ante sæcula Isaac ligna sua, velut patibuli crucis figuram, portarat. Idque verum esse colligitur ex S. Augustino dicente [4] :
« Audite aliud Sacramentum, fratres charissimi.
« Hieronymus Presbyter scripsit, ab antiquis et
« senioribus Judæis se certo cognovisse, quod ibi
« immolatus sit Isaac, ubi postea Christus crucifixus
« est. » Deus olim Moysi passionem suam clare prædixit [2], eamque sub metaphora tabernaculi descripsit, de quo Apostolus ad Hebræos in hæc verba loquitur [3] : *Per amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Observandum vero est, Deum Moysi dixisse [4] : *Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* In hoc etenim monte exemplar, id est, salutare crucis et crucifixi Jesu signum elevari debebat, in quod universo generi humano velut in spectaculum respiciendum erat, ut omnes actiones suas rite et legitime deinceps in futurum regulare et dirigere posset.

**2.** — Porro cur Christus inter omnes totius mundi civitates, pro consummanda passione et morte sua Jerosolymam et non potius Nazareth, ubi conceptus fuerat, vel Bethlehem in speciali quodam articulo his verbis assignat [5] : « Non cupit Prophe-
« tam perire extra Jerusalem, *Luc.*, XIII. Et sicut
« dicitur in lib. VIII *Quæstionum* : Omnia propriis
« locis et temporibus gessit Salvator, quia sicut
« omnia tempora sunt in manu ejus, ita etiam
« omnia loca. Et ideo sicut convenienti tempore
« Christus passus est, ita etiam convenienti loco.
« Convenientissime autem in Jerusalem passus est :
« Primo quia Jerusalem erat locus a Deo electus in
« sacrificia sibi offerenda, quæ quidem figuralia
« sacrificia figurabant Christi passionem, quæ est
« verum sacrificium, secundum illud *Ephes.*, V :
« *Tradidit semetipsum hostiam et oblationem in odo-*
« *rem suavitatis.* Unde Beda dicit in quadam Homi-
« lia, quod appropinquante hora passionis, Dominus
« appropinquare voluit loco passionis, scilicet in
« Jerusalem, quo pervenit ante sex dies Paschæ ;

[1] TIT. BOSTR., *in Luc.* — [2] DID. STELL., *ib.* — [3] GEN., XII. 22.

[1] S. AUGUST., s. 71 *de Temp.* — [2] EXOD., XXV, 40. — [3] HEBR., IX, 11. — [4] EXOD., XXV, 40. — [5] S. THOM., 3 p. q. 46.

« sicut agnus Paschalis ante sex dies Paschæ, id « est, decima Luna, secundum præceptum legisad locum immolationis ducebatur. Secundo, quia « virtus passionis ejus ad totum mundum diffun- « denda erat, in medio terræ habitabilis pati « voluit, id est, in Jerusalem. Unde in Psalmo dici- « tur [1] : *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus « est salutem in medio terræ* ; id est, in Jerusalem, « quæ dicitur esse umbilicus terræ. Tertio, quia « hoc maxime conveniebat humilitati ejus, ut scili- « cet sicut turpissimum genus mortis elegit, ita « etiam ad ejus humilitatem pertinuit, quod in « loco tam celebri confusionem pati non recusave- « rit. Unde Leo Papa dicit in quodam sermone « Epiphaniæ [2] : Qui servi prælegerat formam, Beth- « lehem prælegit nativitati, Jerusalem passioni. « Quarto, ut ostenderet, a principibus populi « Judæorum exortam esse iniquitatem occiden- « tium ipsum et ideo in Jerusalem, ubi principe[3] « morabantur, pati voluit. » Quibus rationibus addi potest, quod cum tempore Paschali ex variis mundi partibus, non solum Hebræi diversarum nationum, verum etiam advenæ et peregrini gentiles Jerosolymam soliti fuerint concurrere, Christus ex speciali mysterio universalem redemptionem Jerosolymis in conspectu omnium nationum consummare voluerit, ut verissimum esse ostenderet, quod Apostolus ait, scilicet, quod quantum est ex parte sua [3], *vult omnes salvos fieri et ad cognitionem veritatis venire*.

**3.** — Rex Moab se ab inimico arctissima obsidione premi conspiciens, ut ab hoc imminenti periculo evaderet, unigenitum filium suum, qui post ipsum regnaturus erat, apprehendens, in conspectu totius hostilis exercitus, extremam ei ruinam comminantis, eumdem ex mœnibus suspensum sacrificavit [4] : *Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum et facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo et reversi sunt in terram suam*. Et vero quis est qui nesciat, inimicos infernales implacabile adversus cœlum bellum gerentes, jam a multis annorum millenariis arctissima obsidione totum cinxisse universum, efficiendo ut ab omnibus populis in prophanis simulacris velut Dii adorarentur. Quis in omnibus terræ partibus vitium ubique triumphasse ignorat [5] : *Omnes declinaverunt*? S. Bernardinus in sermone super illa verba [6] : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* ; per hanc temporis plenitudinem, summum humanæ impietatis apicem intelligit, in quo positi homines, Dei obliti erant [7] : « Nimirum abundantia « temporalium oblivionem induxerat æternorum. » Pater igitur æternus, ut hanc propulsaret ab humano genere obsidionis angustiam, Filium suum unigenitum super murum Jerusalem, id est, super monte Calvariæ, in conspectu cœli, terræ et inferni in patibulo crucis suspendi permisit, hocque viso spectaculo, inimicus infernalis plane confusus abscedere, fugere et manus victas dare coactus fuit [1] : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Illi ipsi qui antea sævissimi illius persecutores fuerant, in cordibus suis compuncti pœnituerunt [2] : *Et omnis turba eorum qui aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, revertebantur, percutientes pectora sua*.

**4.** — At vero dicite sodes, si nostis : cur Dei filius qui per altissimam et imperscrutabilem sapientiam suam Jerosolymis et quidem in monte crucifigi voluit, non potius alium quemdam montem elegit, verbi gratia montem Sion adeo dignum, perque præcipua magis fidei nostræ mysteria consecratum ; siquidem in eo institutum fuit sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, ibi super Apostolos descendit Spiritus Sanctus, ibi post suam resurrectionem Christus discipulis suis sæpius apparuit, ibi denique sacramentum pœnitentiæ institutum fuit ? Quonam fine præcise hunc montem pro sui crucifixione elegit : *Exivit in eum qui dicitur Calvariæ, locum* ? S. Cyrillus ad hoc respondendo, cum doctrina S. Thomæ paulo ante adducta coincidit, dicendo, quod hunc montem ideo præcipue elegerit, quia mons hic Golgothæus, terræ est umbilicus et verum totius mundi centrum [3] ; citatque illa Isaiæ verba [4] : *Tota die expandi manus meas, etc.* « Ex- « pandit enim in cruce manus, ut comprehenderet « fines terræ, medium enim terræ est hic Golgo- « thas. Non meus est hic sermo, Propheta dicit : « *Operatus est salutem in medio terræ.* »

**5.** — *Calvariæ locum*. Lucas Brugensis ait [5] : « Porro in loco extra urbem polluto et fœtido, im- « piorum morti deputato, hostes eum crucifixerunt, « ut etiam naribus et odoratu affligeretur, morsque « illius ex locis vilitate et abominatione magis esset « probrosa. » Cum enim Christus omnia peccata nostra in se expianda assumpsisset [6] : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super liguum*, cunctisque sacratissimæ illius humanitatis sensus acerbissimos sustinuissent cruciatus, ideo ut pro peccatis per odoratum commissis pariter satisfaceret, in loco quodam fœtidissimo et nauseabundo in crucem agi voluit, « ut etiam naribus et odoratu affligeretur. » S. Bonaventura verba illa [7] : *Qui dicitur Calvariæ, locum*, exponens, inquit : « Secundum Papiam sic « dictus est, quia in eo damnati capitis cruciaban- « tur. Calvaria enim dicitur ab ossibus calvis. » S.

[1] *Ps.* XXXII, 12. — [2] S. LEO, s. *de Epiph.* — [3] I TIM., III, 4. — [4] IV REG., III, 27. — [5] *Ps.* XIII, 3. — [6] GAL., IV, 4. — [7] S. BERN., s. 1 *de Adventu*.

[1] JOAN., XII, 31. — [2] LUC., XXIII, 48. — [3] S. CYRILL. HIEROS., cat. 93. — [4] ISA., LXV, 2. — [5] LUC. BRUGENS., *in Matt.* — [6] I PETR., II, 24. — [7] S. BONAV., *in Joan.* —

Paschasius similiter ita scribit [1] : « Porro Calvaria, « locus decollatorum erat, et eorum qui diversis in « morte afficiuntur cruciatibus. Ibi ergo crucifigi- « tur Dominus, ubi prius area erat damnatorum, « ut ibi erigerentur deinceps vexilla martyrum : et « quomodo pro nobis maledictum factus est in « cruce, sic pro omnium salute, quasi noxius inter « noxios flagellatur, suspenditur medius. » In medio enim duorum malefactorum eo fine suspenditur, Lucas Brugensis ait [2] : « Quia si solus in « crucem actus fuisset, separata a maleficis videri « potuisset ejus causa : nunc autem maleficis mix- « tus, maleficus ex consortio ab imprudentibus est « habitus et indicatum est crimen ei esse commune, « cum quibus erat ei commune supplicium. » Ob eamdem causam ad locum, justitiæ reorum mortis condemnatorum destinatum perductus fuit, ut illum unusquisque malefactorem esse crederet : quia oblatus est, quia ipse voluit, libenter in hoc loco mori elegit, ut omnis generis delicta, quæ sibi assumpserat, expiaret : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Lucas Brugensis ait [3] : « Pro « noxiis et impiis Deo reconciliandis sese offerebat. « Cæterum nihil obstitit loci fœditas, quin glorio- « sum victoriæ suæ trophæum illic erexerit ; neque « fœtor cadaverum, quo minus suavis sacrificii ejus « odor spiraverit per totum orbem et in cœlum « usque penetraverit. » In hoc loco reorum supplicio destinato suspendebantur latrones, sagittis transfigebantur homicidæ, læsæ majestatis rei crucifigebantur, omnesque alii condemnati decollabantur. Et quia cadavera ut plurimum insepulta manebant, siquidem diuturno tempore vel in patibulo suspensa manebant, vel ad majus supplicium omni destituebantur sepultura, indeque fiebat, quod per omnes montis hujus partes occisorum malefactorum cernebantur dispersa ossa et crania, sive calvariæ. Merito igitur Redemptor noster inter hæc mortuorum malefactorum ossa sanguinem suum fundere voluit, ut toti mundo manifestum faceret, se pro peccatoribus mortem oppetere [4] : *Non enim veni vocare justos*, inquit, *sed peccatores.* Dionysius Carthusianus hanc causam assignat, inquiens [5] : « Locum inhonestum atque turpissimum elegit, in « quo ipse mori voluit, ut nos ad empirei cœli « splendidissimam mansionem feliciter transferre- « mur. Projecerunt cadaver in sepulchrum Elisæi « et revixit homo ille. » Enim vero quod homo aliquis vivens mortuos ad vitam revocarit, hujus quidem varia habemus exempla : at vero quod cadaver aliquod in cineres redactum, mortuos vivificavit omnino rarum hoc est prodigium ; ac proinde Scriptura idipsum in Elisæo admiratur. Sed ecce tibi verum Elisæum, qui in monte Calvariæ in medio putrefactorum cadaverum constitutus et mortem oppetens, universo generi humano vitam restituit, atque multa corpora in cineres resoluta, e sepulchris suis secum resurgere fecit [1] : *Multa enim corpora Sanctorum, qui dormierant ; resurrexerunt et apparuerunt multis.*

**6.** — *Calvariæ locum.* Theophylactus ait [2] : « Tra- « ditio est, quæ a priscis Patribus usque ad nos « venit, quod Adam illic sepultus sit. Dominus « itaque qui lapsum, et mortem Adæ sanavit illic « crucifixus est, ut unde principium mortis, inde « et mortis destructio procederet. » Origenes pariter ait [3] : « Venit a me traditio quædam talis, quod « corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est, ubi « crucifixus est Christus, ut sicut in Adam omnes « moriuntur, sic et in Christo omnes vivificentur : « ut in loco illo, qui dicitur Calvariæ locus, id est, « locus capitis, caput humani generis resurrectio- « nem inveniat cum populo universo, per resurrec- « tionem Domini Salvatoris, qui ibi passus est, et « resurrexit. » Hæc opinio multos habet sui sectatores, ut Toletus asserit, referendo pro hac sententia sequentes SS. Patres Chrysostomum, Athanasium, Epiphanium, Cyprianus, Ambrosium, Augustinum, Euthymium et Theophylium. Et quidem S. Augustinus in sermone quodam hac de re ita discurrit [4] : « Etiam hoc antiquorum relatione re- « fertur quod et Adam primus in ipso loco ubi « crux fixa est, fuerit aliquando sepultus et ideo « Calvariæ locum dictum esse, quia caput humani « generis ibi dicitur, esse sepultum. Et vere fratres « non incongrue creditur, quia ibi erectus sit me- « dicus, ubi jacebat ægrotus. » Unde juxta hanc opinionem, Adæ adaptari poterant sequentia Apostoli verba [5] : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* S. Augustinus ait [6] : *Et continget te Christus.* Consideratione quoque digna est auctoritas S. Athanasii, qui hanc opinionem tanquam veram his verbis asserere videtur [7] : « Non « alibi patitur, neque in alio loco crucifigitur, « quam in Calvariæ loco, quem Magister Hebræo- « rum dicit sedem esse sepulchri Adæ ; ibi enim « post maledictionem eum humatum esse asseve- « rat. Quod si ita res se habet, miror ejus loci « genium, et proprietatem, congruum enim erat « Dominum, cum vellet revocare primum Adam, in « eo loco pati ut illius abolito peccato, ab universo « ejus genere illud profligaret. » S. Anselmus contrariam sustinet opinionem, inquiens [8] : « Si quis « autem dicere voluerit ibi ideo Dominum crucifi- « xum, ut sanguis ipsius super Adæ tumulum « stillaret ; interrogemus eum, quare et alii latrones « in eodem loco crucifixi sunt ? Ex quo apparet, « Calvarium non sepulchrum primi hominis, sed

[1] S. Pasch., *in Joan.*, — [2] Luc. Brug., *ib.* — [3] Id., *in Matt.* — [4] Dio. Cart., *in Joan.* — [5] II Reg., xiii, 21.

[1] Matt., xxvii, 25. — [2] Theoph., *in Marc.* — [3] Orig., tr. 35 *in Matt.* — [4] Tolet., *in Joan.* — [5] S. Aug., s. 71 *de Temp.* — [6] Ephes., v, 14. — [7] S. Aug., *in Ps.* iii. — [8] S. Athan., *de Pass. et Cruce.* — [9] S. Ans., *in Matth.*

« locum significare decollatorum, ut ubi abundavit « peccatum superabundaret gratia Dei. Adam vero « sepultum juxta Hebron legimus in libro Jesu « Nave. » S. Thomas auctoritati S. Hieronymi innixus, eamdem opinionem in hæc verba tradit [1] : « Sicut Hieronymus dicit super *Mathæum* : Quidam « exposuit Calvariæ locum in quo sepultus est « Adam, ideo sic appellatum quia ibi antiqui homi- « nis sit conditum caput, favorabilis interpretatio, « et mulcens aurem populi, nec tamen vera. Extra « urbem enim, et foras portam loca sunt, in quibus « truncantur capita damnatorum, et Calvariæ, id « est decollatorum sumpsere nomen. Præterea ibi « crucifixus est Jesus, ubi prius erat area damnato- « rum, ut ibi erigerentur vexilla martyrii. Adam « vero sepultum juxta Hebron, et Arbee in Jesu « filii Nave volumine legimus. Magis autem Jesus « crucifigendus erat in loco communi damnatorum, « quam juxta sepulcrum Adæ, ut ostenderetur, « quod crux Christi non solum erat in remedium « contra peccatum personale ipsius Adæ, sed etiam « contra peccatum totius mundi. » Hanc pariter « opinionem S. Paschasius diffuse defendit. »

## DISCURSUS IX

### CHRISTI CRUCIFIXIO PER VARIAS PONDERATIONES EXAMINATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Quare tam paucis verbis sacri Evangelistæ Christi crucifixionem descripserint. — 2. Denudatio Christi ante crucifixionem fuit cum magno pudore et dolore. Dolor in extractione vestium et in dirissima affixione Crucis. — 3. Discurritur de modo crucifixionis. — 4. Discurritur numerus clavorum. Christus in cruce suspensus maximum dolorem passus fuit in ossiculis pectoris. — 5. In erectione crucis dolores acerbissimi Christi renovati fuerunt. — 6. Quænam dolores Christi crucifixi reddiderint acerbiores præ aliis. — 7. Christus ut peccata nostra lueret, clavis confixus fuit.

*Crucifixerunt eum.* Joan., XIX, 18.

**1** — Tametsi sacri Evangelistæ in recensendis aliis passionis periodis, easdem per multas late explicarent circumstantias, attamen quando ad enarrandam pervenerunt crucifixionem, quæ præcipuum est hujus funestæ tragœdiæ mysterium, adeo paucis verbis sunt usi, ut brevissime rem totam expedierent. Et quidem S. Matthæus ait [2] : *Postquam crucifixerunt eum.* S. Marcus ait [3] : *Et crucifigentes eum.* S. Lucas cum S. Joanne solum dicunt : *Et crucifixerunt eum.* Unde S. Bernardus ait [5] : « Sed inter cætera Evangelica scripta, quæ admi- « ratione animum meum pulsant, hoc potissimum « est, quod tantum; et tanti hominis crucifixionis « mysterium, duntaxat cum serie prætermissa, so- « lum edicitur factum. Non tamen absque occulto « mysterio ille modus ab omnibus Evangelistis ex- « titit prætermissus, de quo tutius quam ipsi ne- « mini crederemus. Quod quidem arbitror factum « esse, aut quia vulgata notitia, qua sic damnati « exitio tradebantur, temperavit manum, ne in- « sererent in Scripturis crucifixionis modum, aut « ne videantur Evangelistæ succumbere verbis : « Seu quia Spiritus Sanctus sic breviter scribi vo- « luit, ut pia consideratio non expressa per atra- « mentum, pia meditatione ad meritum fidelium « remaneret. » Nonnulli contemplativi Evangelistas nequaquam ausos fuisse dicunt, sævitiem et crudelitatem adeo atrocem, qualis in Christi crucifixione intervenit, distincte referre, vel non habuisse, aut excogitare potuisse verba, quibus tam horrendi crudelitatis actus exprimerentur. Maxime cum Sapientia Incarnata etiam in aliis mysteriis ita disposuerit, quod Spiritus Sanctus horum omnium nobis declaraturus esset facti veritatem quoad substantiam, non vero quoad modum, quo facta fuerunt. Sic enim verbi gratia quoad Incarnationem Evangelista rem paucis expedit verbis, dicendo : *Et verbum caro factum est.* Similiter quoad resurrectionem solum ait : *Resurrexit* : et quoad nativitatem solum dicit : *Peperit filium, etc,*

**2.** — Cæterum vero veritatem facti Lucas Brugensis in hac verba describit [1] : « Ubi ad locum supplicii ventum est, projecta est ab humeris Simonis crux in terram, et Simone abire permisso, « milites Jesu ante omnia detraxerunt vestes, prout « constat ex eorum partitione, nudaveruntque eum, « qui cœlum stellis, et terram floribus vestit. Talis, « inquit Ambrosius (*lib.* 10 *in Lucam*) ascendit « crucem, quales nos auctore Deo natura formavit « qualis in Paradiso homo primus habitaverat, talis « ad paradisum homo secundus intravit. Sed non « sine pudore et dolore nudatus est. Dolor ex eo « fuit, quod plagæ toto corpore acceptæ refrica- « rentur, dum enim vestes saucio corpori, et con- « creto sanguini inhærentes, vi abstractæ sunt, « renovata sunt vulnera, non minori cum dolore « quam fuerant inflicta. » Blosius hac de re ita meditatur [2] : « Quando in loco Calvariæ nudatus es, « plagæ tuæ ex vestimentorum detractione inno- « vatæ fuerunt. O quam atrocem cruciatum susti- « nuisti. » Porro corona spinea in capite ejus relicta fuit; quamvis alii illam simul cum veste inconsutili depositam fuisse existiment, postea tamen majori cum violentia et impetu capiti impressam. Certum nihilominus est, salvatorem cum hac corona fuisse crucifixum. Lucas Brugensis ulterius progreditur, dicendo : « Denudatus Jesus, sed re- « licta corona spinea, humi deinde prostratus est, « et supinus super crucem jacentem extensus. Nam

[1] S. THOM., *ib.* — [2] MATT., XXVII, 35. — [3] MARC., XV, 24. — [4] LUC., XXIV, 20. — [5] S. BERN., t. I, s. 15.

[1] LUC. BRUG., *in Matt.* — [2] BLOS., *Exerc. quot. med*

« quamvis sentiant quidam, in crucem erectam « sublatum fuisse, quo modo multi alii crucifixi « leguntur; tenendum tamen est, eos præsertim in « erectam crucem sublatos fuisse, qui in crucem « ante constitutam et erectam, quam de ipsorum « capite ageretur, eo scilicet fine, ut sontibus esset « terrori (prout fit etiam hodie) acti fuere, sed eos, « qui suas ipsorum cruces attulerunt ad supplicii « locum, opportunissimum, et commodissimum « fuit, prostratos supinos jacenti cruci affigere. » S. Anselmo, ut videre est in dialogo de Passione, B. Virgo revelavit, dicens : « Deposuerunt crucem « super terram, et eum desuper extenderunt. » Inter alia Redemptoris nostri merita, Apostolus ejus quoque in mortem usque recenset obedientiam, dum ait [1] : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Tametsi enim ipse Deus ille esset, cui omnis creatura illius potentiæ reddit tributum, quæ a Theologis per terminos scholasticos appellatur obedientialis, attamen in passione sua ipsemet lictoribus, et crucifixoribus suis obedientem se exhibere voluit, quando « Redemptore nudato, » ut B. Laurentius Justinianus ait [2], « illum supinum super Crucis stipitem « posuerunt. » Porro de B. Veronica de Binasco P. Bollandus ita scribit [3] : « Dixit virgo Veronica, « crucem, quæ magnæ molis erat, in terra positam « juxta Salvatorem se vidisse, supra quam se ex- « tendens Salvator, renibus ligno hærentibus bra- « chia lubens expandit. Tum *circumdederunt eum « canes multi, et tauri pingues super eum os suum « aperiebant.* » Lucas Brugensis cruciatus, quibuscum Redemptor noster ad crucis patibulum affixus fuit, hisce verbis delineat [4] : Jam jacentis in cruce « Jesu, manus, pedesque vi magna tenuerunt impii « milites, aut potius funibus adstrinxerunt cruci, « veriti, ne præ dolore, quem in fixione ipsa sen- « surus esset, disjiceret universum corpus, et fixio- « nem impediret. tametsi id facturus non esset, qui « sponte seipsum tradebat. Deinde vero brachiis « utrimque, ut nervus in arcu, extensis (ita tamen « ut corpus maneret in æquilibrio stateræ crucis) « palmæ manuum adhibito malleo ferreis clavis « inquam, acutis dicam, an, quæ vulgi opinio est, « obtusionibus, ut eo gravior esset cruciatus, quo « perfossio difficilior. » Inter alias B. Angelæ de Fulginio meditationes, in hæc verba prorupisse legitur [5] : « Cogitabam de magno dolore, quem « Christus sustinuit in cruce, et cogitabam de illis « clavis, de quibus audiveram dici, quod clavi illi, « de manibus et pedibus carnem portaverunt intus « in ligno, et desiderabam videre vel saltem illud « parum de carne Christi, quam clavi illi porta- « verunt intus in ligno, et tunc habui tantum do- « lorem de illa pœna Christi, quod non potui stare « in pedibus. » Blosius patientem Salvatorem devotis hisce affectibus affatur [1] : « O quam atrocem « cruciatum sustinuisti, quando delicatæ manus « tuæ, atque incontaminati pedes tui duris clavi « cruci affigebantur, et quando membrorum tuorum « compages solvebantur ! O quanta charitatis sua- « vitate manus, et pedes obtulisti ut perforaren- « tur. » B. Veronicæ revelatum fuit quod sequitur [2] : « Acceptis clavis, cum foramina crucis a fabro facta « longius distarent, et manibus et pedibus pertingi « non possent, fune brachia, manusque circumli- « gaverunt, diuque trahentes, compage corporis « soluta enodarunt, ac præcipue ossa humeris « hærentia, collisa loco naturæ cesserunt. Clavo « primum manum dexteram cruci affixerunt : « deinde sinistram malleis perstrepentibus, veluti « si trabes jungeretur. Id pariter egere circa pedes « Quamobrem omnia Salvatoris membra locis na- « turæ divulsa sunt. » Huic revelationi consonat illa, quam B. Virgo S. Anselmo in hæc verba fecit [3] : « Incutiebant primo unum clavum adeo spissum, « quod tunc plene sanguis non potuit emanare, ita « vulnus clavo replebatur. Acceperunt postea funes « ettraxerunt aliud brachium filii mei Jesu, et « clavum secundum ei incusserunt. Postea pedes « funibus traxerunt, et clavum acutissimum incu- « tiebant, et adeo tentus fuit, quod omnia ossa sua « et membra apparebant, ita ut impleretur illud « Psalmi : *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* » Dionysius Carthusianus in Lucam scribens, hanc eamdem omnium Christi ossium divulsionem in hæc verba considerat [4] : « Hoc diligentissime debe- « mus perpendere, quam dolorosissima fuit Christo « violentissima illa corporis sui sancti in cruce dis- « tensio, ita quod ossium ejus solvebatur compago. « Nullum membrum in naturali, aut pristino loco, « seu situ permansit, et nervi disrumpebantur. » Taulerus de hisce clavis ita scribit [5] : « Grandis « ille, et obtutus clavus, vi multa per nervos, « venas, et ossicula, quæ in manibus concurrunt, « ineffabili cum cruciatu adigebatur. » Et paulo post subdit : « Alteram quoque manum ad foramen « in cruce effossum itidem perforandam pertraxe- « runt, sed quia procul aberat foramen, et Christi « corpus frigore, sanguinis effusione, et pœnis antea « perpessis, non parum contractum erat, manum « rigido fune extenderunt. »

**3.** — Porro Lucas Brugensis de pedum crucifixione in hæc verba scribit [6] : « Pedes extrahentes, « totumque corpus tendentes in diversum, ex « confixis manibus non sine crudeli artuum om- « nium luxatione, forte etiam manuum laceratione « convexum utriusque pedis trajecere duobus clavis

[1] PHILIPP., II, 8. — [2] B. LAUR. JUSTIN., *de Triumph. Chr. agon.* — [3] BOLL., 12 jan., f. 92. — [4] LUC. BRUG., *ib.* — [5] BOLLAND., 4 jan., fol. 201.

[1] BLOS., *ib.* — [2] BOLL, *ib.* — [3] S. ANSEL., *in Dial.* — [4] DION. CARTH., *in Luc.* — [5] TAULER., *de Pass.* — [6] LUC. BRUG., *ib.*

« singulum uno, quod quidam, uno utrumque « alterum alteri impositum, quod plures sentiunt « Sic enim Nonnus vetus Evangelii secundum « Joannem paraphrastes rem describit, cap. 19, « vers. 10 : Illic interfectores ad lignum quadrila- « terum sublime supra terram erectam extende- « runt Christum astringentes vi explicatas utrinque « manus ferreo vinculo, et immenso atque sin- « gulari clavo pedis utriusque pectusculum uno « impetu perforatum transfixere, pedibus sibi mu- « tuo impositis, ac complicatis in inflexibile exitii « vinculum. » Consideratione quoque digna sunt, quæ Simon de Cassia de hoc mysterio in hæc verba meditatur [1] : « Nudatus furibunde capitur et « applicatur cruci, quamvis in nullo renitens, ad « omnia se tractabilem præbeat. Distenditur in « cruce corpore Jesus, magis in animo ad homines « charitate distensus. Præsto sunt clavi, et mallei « de super ferientes in manu valida affigentium « Qui ut atrocius et expeditius hanc impietatem « perficerent, trifarie sunt divisi, unus dexteram « manum, alius sinistram, tertius pedes super- « positos per valide distendentes, ictibus crebris et « validis resonantibus, super clavorum capita con- « figebant. Prius unam, deinde aliam demum, « demum pedes credamus esse confixos. Sonitus « generatus ex collisione clavi, carnem Dominicam « penetrantis, et mallei desuper ferientis, fortiter « resonabat in auribus adstantium. » B. Laurentius Justinianus quoque hac de re ita scribit [2] : « Illo « super crucis extenso patibulo, veluti intrepidus « propugnator, ut voluntarium esse ejus sacrificium « manifestaret, dextrum crucifixoribus exhibuit « brachium, quod illi sine cunctatione apprehen- « dentes, toto conamine dilaniata potius quam per- « forata manu clavo presserunt in ligno. Vidisses « illico (quod dictu, audituque horrendum est) « affatim profluere sanguinem, corpus totum riges- « cere faciem plus solito pallescere, venas, bra- « chiorumque arterias præ doloris magnitudine « coarctari. »

**4.** — Circa numerum clavorum, haud modica inter scriptores est controversia. Neque enim desunt, qui quatuor fuisse existiment. B. Laurentius Justinianus ait [3] : « Trium solummodo suspensus « tenebatur virtute clavorum. » Nonnulli contemplativi dicunt, estque satis verisimile, scillicet nullum sub pedibus Salvatoris positum fuisse fulcrum, cui corpus crucifixum inniteretur, prout aliis reis poni solebat, idque factum esse, ut Christus tanto acerbiores cogeretur dolores sustinere. Taulerus in hosce prorumpit devotos affectus [3] : « O quam se « totum pro nobis obtulit, quando nec unum sal- « tem membrum habuit, quod non ingenti cruciatu « pariter et labore tortum fuerit, et occupatum in « opere salutis nostræ. » Ludolphus Carthusianus sequentem recenset revelationem [1] : « Legitur, quod « cum quædam devota persona in quadam reve- « latione interrogaret Dominum, quid in omnibus, « quæ pro nobis pertulit, maxime doluisset. Res- « pondit : Quod in cruce extensus fui, ita quod « omnia ossa mea numerari poterant : et quicumque « pro illo dolore mihi gratias egerit, ita gratum « obsequium mihi præstabit, ac si omnia vulnera « mea unguento delinirel. » In vita S. Catharinæ Senensis legitur [2], quod inter omnes doloros, quos Redemptor in crucis patibulo sustinuit, nullus fuerit major eo, quem in pectore passus fuit, ob disjunctionem ossium pectoralium, cordis protectioni, et tutelæ ordinatorum. Id quod prædicta sancta Virgo in semetipsa verum esse probavit, ideoque asserebat, omnes excessivos dolores ad Christi sponsi sui passionem spectantes, et ab eodem sibi communicatos, transitorios fuisse, hoc pectorali dolore solum excepto, qui atrociter fixus semper remanebat, doloresque intorabiles ei conciliabat. B. Angela de Fulginio similiter ait [3] : « Apparuit in juncturis illius « benedicti corporis tanta dissolutio compaginis et « unionis in juncturis omnium membrorum, ex « dira et crudeli potensione, et tractura horribili « membrorum virgineorum, facta ab illis homicidis « manibus perfidorum super patibulum crucis, « quod nervi, et juncturæ ossium omnino vide- « bantur luxari a debita corporis harmonia. »

**5.** — S. Anselmus alium quemdam, paulo ante enarratis doloribus non minus atrocem, sibique a Beata Virgine revelatum, his verbis recenset dolorem [4] : « Erexerunt crucem cum magno labore, et « fuit adeo alte suspensus, quod ejus pedes nun- « quam attingere poterant : et cum erectus fuisset, « tunc propter ponderositatem corporis vulnera « lacerata sunt et aperta, et tunc primo sanguis de « manibus, et pedibus copiosius emanavit. » Imo meditantur nonnulli, patibulum crucis dum in aera elevaretur, ob nimium pondus suum, super acuta quædam saxa corruisse, priusquam illud in pede crucis stabiliter firmare possent. In revelatione B. Veronicæ leguntur sequentia [5] : « Inaudita feritate « sacrum corpus in altum erexere ministri Satanæ, « quo ineffabilem Christi pendentis dolorem facil- « lime qui aderant, animadverterent. Conspexit « Veronica erectam crucem, ministris volentibus, « in terram cecidisse, quæ res pientissimo Salvatori « dolores in immensum coacervavit. Cumque cru- « cem iterato erigerent, aut a dextris pendere aut « a sinistris satagebant, quamobrem vulnera magis « magisque latiora fiebant, doloribus vehementis- « sime acutis. » Lucas Brugensis aliam habet reflexionem, aliis, mea opinione, longe verisimilio-

[1] Sim. de Cass., l. XIII. — [2] B. Laur. Just., *ibid.* — [3] Id., *ib.*— [3] Taul., *ib.*

[1] Ludolph. Carth., p. 2, c. 62. — [2] *Vita S. Cathar. Sen.* — [3] Bolland., *ib.* — [4] S. Ansel., *ib.*— [5] Bolland., *ib.*, 912.

rem ; ait enim [1] : « Crux inferiori sui parte immissa « in foramen ad hoc adaptatum, ut posset recta « stare (cum enim esset locus ille addictus noxiis « interficiendis, plura hujusmodi foramina excavata « ex rupe, ut petrosus fuisse mons dicatur, habuit, « in quibus cruces mox erigi possent) non sine « dira corporis Dominici concussione, si non etiam « vulnerum dilatatione. » Dum enim circum foramen, ad crucis patibulum in sua rectitudine et firmitate sustinendum de industria factum, non solum hoc fine ligna et lapides valide incutiebantur, verum etiam ut patientis Crucifixi vulnera magis exasperarent et denuo renovarent, omnino credibile est, acerbissimos fuisse Christum dolores expertum. Taulerus similiter meditatur, inquiens [2] : « Ubi jam « cruci affixerant, mox eum immitissimi carnifices « magno cum furore cum cruce sublevarunt, « ipsamque crucem ferocissime in petram excisam « impegerunt et decidere permiserunt, ita ut hoc « casu cuncta Christi membra atque interiora in- « humano quodam dolore concuterentur et collide- « rentur. » B. Laurentius Justinianus idem hoc compassione dignissimum spectaculum in hæc verba nobis ad vivum delineat [3] : « Meditemur, quo « ingenio, qua virtute et arte, non sine intolerabili « pendentis pœna stipitem levaverunt. Erat quippe « Mediator crucifixus in ligno, omni carens doloris « temperamento. In se namque premebatur an- « gustia, in corpore cruciabatur vulneribus et foris « conviciabatur opprobriis. Hinc inde sacratissi- « mum movebat caput præ spinarum punctionibus « debilitatum : ubi illud firmaret, minime reperie- « bat. Nunc in sinistrum latus, nunc se vertebat in « dextrum. Cum cruci adhærebat, spinæ infige- « bantur arctius : cum illud erigebat sursum, diu « perseverare non poterat. Satis autem fuisset, si « hujusmodi tantum capitis cruciatus supplicium « extitisset, sed huic non minus aspera jungeban- « tur. Trium solummodo suspensus tenebatur vir- « tute clavorum, nam corpori omni ex parte attrito « crux ipsa statera facta est. Porro quando pro « sublevando corporis afflicti dolore clavacis inni- « tebatur pedibus, afficiebatur incredibiliter : si « vero in brachiorum vigore pro mitigandis crucia- « tibus pedum suspendebatur, manuum supra mo- « dum dilatabantur fixuræ, addebanturque vulnera « vulneribus et rediviva fessis membris supplicia « inferebantur ; sicque incomprehensibili modo « inde patiebatur vehementius, unde dolori occur- « rere cupiebat. »

**6.** — Porro quanto majorem crucifixio Christo potius, quam cuivis alteri crucifixo, intulerit atrocem dolorem, Lucas Brugensis sequentibus rationibus demonstrat [4] : « Consideranda enim primo est « corporis a Spiritu Sancto formati tenerrima, « optimaque constitutio, qua factum est, ut maxima, « sensuum vivacitate læsiones ac nocumenta omnia, « et singula perfectissime senserit, nec minus « parva quam magna, non minus sitim quam vul- « nerum cruciatum, citra ullum stuporem. » Secunda ratio, quæ hujus supplicii acerbitatem in Christo specialius quam in aliis fuisse demonstrat, his verbis ab eodem insinuatur : « Cum vellet inte- « gerrime satisfacere et copiossime redimere huma- « num genus, nullam plerumque admisit consola- « tionem, aut doloris mitigationem, undecumque « illa posset proficisci, sive a divinitate, sive a ra- « tione, sive ab animi aversione ; sed singulas animi « vires sibi ipsis relictas per se agere et pati, quæ « ipsarum propria erant citra redundantiam aliarum « in alias. » S. Bonaventura in *Stimulo divini amoris* in devotos hosce prorumpit affectus [1] : « O cur Cru- « cis illius loco non fui, ut Christus fuisset manibus « meis, et pedibus conclavatus ! Certe illi Joseph « ab Arimathæa dixissem non auferas Jesum a me, « sed me secum sepelias in sepulcro. » Hic autem « amor in corde Doctoris Seraphici ab illo accende- « batur amore, quem in Redemptore nostro suscibiebat, tanquam Passionis in Cruce pro nostra salu- consummatæ causam. Unde Taulerus ait [2] : « Attende « quam late suas extenderit ulnas, ut te amplecta- « tur. » Blosius quoad hanc brachiorum Christi extensionem pie in hunc modum meditatur [3] : « Nudus in « ligno crucis dire extendi, et solutis sacratissimorum « membrorum suorum compagibus, clavis eidem « cruci crudeliter affigi non recusasti. Ita passus es, « delicatas manus tuas et incontaminatos pedes tuos « gravissime vulnerari propter me. Largire mihi « Domine, ut fideli grataque mente recolam istam « ineffabilem charitatem tuam, qui brachia sponte « expandisti, sponte manus fodiendas, et pedes te- « rebrandos obtulisti. Eia Domine, dilata, et exten- « do cor meum perfecta tui dilectione, perfode, « tibique affige illud dulcissimo amoris tui clavo, « omnes sensus meos, omnesque cogitationes, et « affectiones meas in te uno conclude. » P. Bollandus in vita Beatæ Christinæ Visconti ita scribit [4] : « Percurrebat curioso piæ mentis oculo omnia pa- « tientis sponsi sui mysteria, et in singulis exami- « nabat attente divinæ erga homines charitatis « pondus : cum autem immanem manum pedum- « que clavationem attonito diu animo obstupuisset, « seipsam verbis Deo plenis ita adhortata fertur : « Vah te ingratam, et cœli terræque propudium ! « Ecce sponsus tuus quam multo sanguine pro te « fluit ! Quam dira sibi tormenta inferri pro te « amat ! Ut denique te sibi affigat, quam horridis « clavis infami ligno affigi se patitur ! Ecquid ut « vicem illi reddis ? O mi sponse, inquit divino

[1] Luc. Brug., *ib.* — [2] Taul., *ib.* — [3] S. Laur. Just. — [4] Luc. Brug., *in Matt.*

[1] S. Bon., *Stim. div. amor.* — [2] Tauler., *de Pass.* — [3] Blos., *Sacel. animæ*, cnd. 11, n. 7. — [4] Boll., 14 feb., f.800.

« igne accensa Christina, quis mihi det dolorum « tuorum, quos pertulisti, partem aliquam in hoc « etiam corpusculo persentiscere? Et ecce non exi- « guum clavum fixum evellit de pariete proximo, « et valido illum insuper alterum peder transadigit. « Ita non satis illi fuerat, patientis sponsi imbibis- « se memoriam, nisi quoque fortiter infixisset. » Simon de Cassia ait[1]: « Sonitus generatus ex col- « lisione clavi, carnem Dominicam penetrantis, et « mallei desuper ferientis, fortiter resonabat in « auribus astantium, magis autem in cordibus di- « ligentium doloribus reboabat.»

**7.** — Heu quantopere metuendum est, ne Crucifixus hic Salvator noster multis Christianis aliquando sit exprobraturus, dicendo[2]: *Extendi manus meas, et non fuit qui aspiceret*! Ipse in hoc crucis ligno manus suas extendit, eo quod ad pomum vetitum contra divinum præceptum extenderimus manus nostras: nostra peccata clavi fuerunt, qui ipsum cruci confixerunt, prout ipsemet B. Angelæ de Fulginio in hæc verba declaravit[3]: « Pro peccatis manuum tuarum, et brachiorum, « quibus multos malos amplexus et tactus, et mala « opera fecisti, ego habui manus grossis clavis « transfixas, et in ligno affixas et pressas, totum « meum corpus in patibulo sustinendo, et susten- « tando. Pro peccatis pedum tuorum, quibus chore- « ando peccasti, vane et lascive ambulando, et « evagando, ego habui pedes tortuose non ligatos, « sed transfixos, et clavatos in ligno crucis. » S. Antonius de Padua hasce manus et pedes clavis transfixos deplorat, dicens[4] « *Manus tornatiles*, ut « dicit sponsa, *aureæ plenæ hyacinthis*, clavis sunt « confixæ: pedes, quibus mare se calcabile præbuit, « crucis sunt clavis affixi. » Denique Ludolphus Carthusianus ex hac manuum pedumque per clavos transfixione sequentem eruit moralitatem[5]: « Clavos « Christi fabricat, qui inter proximos discordias « seminat: manus Domini videtur clavis configere, « qui de bonis a Deo datis non vult eleemosynas « erogare; pedes Christi clavis ferreis perforat, « qui theatra seu spectacula et tabernas, magis « quam Ecclesias visitat. »

## DISCURSUS X.

DE TITULO ET INSCRIPTIONE CRUCI SUPERIMPOSITA, CUI SE OPPONENTIBUS JUDÆIS, PILATUS RESPONDIT: QUOD SCRIPSI, SCRIPSI.

IDEA SERMONIS. — 1. Qua sententia Pilatus Christum condemnaverit. Examinantur rationes tituli cruci impositi. — 2. Titulo crucis noluit Pilatus ignominia notare Judæos. — 3. In hoc titulo formando aliud fuit motivum Spiritus Sancti, aliud vero Pilati. Tria titulorum adducuntur genera, in hoc titulo conclusa — 4. Titulus ille continebat causam mortis Christi — 5. Multi Judæorum comitati legerunt titulum illum. — 6. Rationes adducuntur quare hic titulus in tribus linguis fuerit conscriptus. — 7. Lingua latina obtinuit in hoc titulo locum digniorem, utpote capiti Christi viciniorem. — 8. Quo motivo Judeæis huic titulo opposuerint.

*Scripsit autem titulum Pilatus, et posuit super Crucem, Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Joan. XIX, 19.

**1.** — Tametsi sententia a Pilato Præside contra Christum pronunciata, ab Evangelistis non reperiatur descripta, illa tamen apud Adrichomium in descriptione Hierosolymæ his verbis descriptam legimus: « Jesum Nazarenum subversorem gentis, « contemptorem Cæsaris, et falsum Messiam, ut « majorum suæ gentis testimonio probatum est, « ducite ad communis supplicii locum, et cum « ludibrio regiæ majestatis in medio duorum latro- « num crucifigite. I, lictor, expedi cruces. » Et quidem satis est verisimile, ex hac condemnationis sententia illum desumptum fuisse titulum, qui patibulo Crucis superimpositus fuit ut omnibus manifesta fieret causa suæ crucifixionis. Unde Euthymius ait[1]: « Causam ob quam esset crucifixus, « imposuerunt super caput ejus. Super tabulam « inscriptam superposuit Pilatus, ut ab omnibus « legi posset, et qui præsentes erant, et qui præter- « ibant. » Cajetanus inquit[2]: « Ut omnibus publi- « ca auctoritate innotesceret, quare crucifixus « est. » Nisi enim causa condemnationis suæ a Pilato super Crucem inscripta fuisset, calumniatores facile varias adversus innocentem Salvatorem confingere potuissent malignas imposturas, quemadmodum tempore Maximini Galerii factum fuisse constat. Porro olim in more positum erat, quod condemnatio rei per publicum præconem divulgaretur, vel in loco, et in instrumento supplicii descripta affigeretur. Toletus de hoc titulo ita scribit[3]: « Nomen *Jesus* est. Patria, *Nazarenus*: sic « enim ab omnibus appellabatur. Causa *Rex Judæo- « rum*. » Euthymius hac de re ita scribit[4]: « Titulus « apud Romanos causa dicitur: scripsit ergo Pila- « tus dictim causam, instituitque, ut scripta cunc- « tis nota fieret, ne possent sua malitia Judæi « Christo aliam causam affingere, aut divulgare, « simulque et hos notavit, et illi patrocinatus est, « quod propter invidiam esset crucifixus. » Habetque hæc opinio multos sui sequaces; Ammonius enim in catena Græca ita scribit[5]: « Cum nihil quod « illi objiceret, Pilatus reperisset, hoc scripsit, ne « et ipse latro putaretur. Regem eum populi pro- « clamaverant, et quia Judæi regem suum e medio

[1] SIM. DE CASS., *ib.* — [2] PROV., I, 24. — [3] BOLLAND., *ib.*, f. 203. — [4] S. ANT. DE PAD., *in Parasc.* — [5] LUD. CART.

[1] EUTHYM., *in Matt.* — [2] CAJETAN., *ib.* — [3] TOL., *in Joan.* — [4] EUTHYM., *ib.* — [5] AMMON, in Cat. Græc. *in Joan.*

« tulissent eos perstringens hoc scripsit. » Ejusdem sententiæ est D. Chrysostomus dicens [1]: « Cum eum « tanquam pravum tradidissent, et sententiam hanc « latronum societate confirmare vellent, ne quis « jam turpem mortis notam ei inurere, et tanquam « malum, et perditum accusare posset, ut calum- « niatoribus os obstrueret, in Regem suum sur- « rexisse denunciat. » Lucas Brugensis in favo- em Præsidis ita discurrit [2]: « Publicitus notum « erat, quo ipsi Jesum innocentem judicasset, « crucifixisset tamen ex sententia Judæorum, « contraria sua: quare non mirum est visum, quod « Jesu honoratiorem titulum adscripserit, quin po- « tius intellectum est, quod mens ejus esset, Jesu « innocentiam manifestiorem reddere, cum non « esset verisimile, regem Cæsari rebellem fuisse, « qui se facile adeo permisisset crucifigi. » Enim vero in conspectu totius multitudinis de Christo sæpius protestatus fuerat, illis dicendo : *Nullam invenio in eum causam*; et tamen quia ut impetuose tumultuantis turbæ torrenti satisfaceret, eum, condemnaverat hinc simul causam hujus condemnationis indicare voluit, scilicet Hebræorum contra Christum ferocientium invidiam, eo quod se Regem, et promissum Messiam declarasset.

**2.** — Lucas Brugensis ait [3] : « Cæterum non tam « ut honoraret Jesum, Pilatus hunc titulum scrip- « serat, quam ut damnaret, et ignominia afficeret « Judæos, seque de illorum pertinacia, qui minis, « importunitateque coegerant, ut crucifigeret in- « nocentem, ulcisceretur. Quid enim potuerat uni- « versæ Judæorum genti magis ignominiosum « esse, quam quod Rex ipsorum esset crucifixus, « ipsis met rogantibus atque instantibus, et quidem « ideo crucifixus, quod Rex esset ipsorum, Rex « ille cujus opera speraverant se excussuros ali- « quando jugum Romanorum, ideoque domina- « turos orbi universo? Hanc itaque ignominiæ no- « tam voluit ipsis Pilatus inurere, et exponere eos « ludibrio omnibus nationibus. Denique arctius eos « jam Rege interfecto, Romanorum jugo subjicien- « dos proclamare, nec tantum irridere, verum « etiam damnare gentem universam. »

**3.** — Nec defuerunt interpretes, qui Pilatum ex aliis motivis ad ita scribendum motum fuisse asserant; siquidem Rupertus Abbas in hæc verba scribit [4] : « Scripturam hanc alio consilio Spiritus « Sanctus dictavit, atque alio Pilatus scripsit. Hic « namque gloriari se sperabat in hac malitia, et « hoc titulo manifestius futurum, et clarius Cæsari « annunciandum, se pro fide ejus occidisse hominem « quem multa gentis illius turba cum ramis palma- « rum excipiens, regias illi laudes acclamaverat, « Christum esse illum existimans, quem per Prophe- « tas promissum expectabat. At vero Spiritus Sanctus « bene utens maligni scriptoris manu, hunc titulum « fecit, qui cœlo et terra transeuntibus, non transi- « bit, quia Jesus Nazarenus, i. e. Salvator, vere « Sanctus, Rex Judæorum per crucem suam est « effectus. Judæorum inquam, non eorum qui se « Judæos esse dicunt, et non sunt, sed sunt Syna- « goga Satanæ; sed Judæorum qui in veritate « confessores Dei sunt. » S. Paschasius hunc titulum a divina Providentia ad majorem Dei gloria directum fuisse asserit, tametsi alias perverso fine scriptus fuerit. Ita enim loquitur [1] : « Nec vili in loco sed « sed super caput, ac sit rophæum regnantis ut « cunctis pateat legetibus, attollitur. Nec igitur « possum digne admirari pro rei magnitudine « providentiam Dei, quæ de adversariorum errori- « bus, sua ubique præstruit Sacramenta. » Albertus Magnus tria titulorum distinguit genera [2], scilicet memorialem, præconialem et triumphalem; et quidem omnes hosce titulos in hoc unico conclusos fuisse probat. Primus quidem quia titulus hic crucifixionis, et mortis Redemptoris æternum, et *indelebile memoriale* erit. Est pariter hic titulus *præconialis*, quia multas Christi laudes exprimit, *Jesus* enim idem est, quod *Salvator*: *Nazarenus* interpretatur *floridus* scilicet honestate virtutum: *Rex, a regimine justitiæ*: *Judæorum*, idem est, quop *confitentium* : Ac proinde de hoc titulo vere dici potest illud Psalmi [3]: *A solis ortu usque ad occasum, landabile nomen ejus.* Est denique titulus hic triumphalis, utpote immortalem in se recludens triumphum : *Confidite, ego vici mundum. Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*

**4.** — *Erat autem scriptum*: *Jesus, etc.* S. Marcus ait [5]: *Et erat titulus causæ ejus inscriptus*: *Rex Judæorum.* Sanctus Matthæus vero dicit [6]: *Imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam* : *Hic est Jesus Rex Judæorum.* Tota igitur summa processus, et adæquata ratio, ob quam causa ipsius in tot tribunalibus agitata fuerat, sententiamque condemnatoriam exceperat, hæc unica erat: *Hic est Jesus Rex Judæorum*; ac proinde in crucis patibulum suspensus fuit, quia Jesus, id est, Salvator extitit. Ac proinde Angelus sanctissimæ ejus Matri dixit [7]: *Vocabis nomen ejus Jesum*; *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Sylveira ad hoc propositum ingeniosam quandam et devotam habet ponderationem, ait enim [8]: « Si blasphemiæ et « injuriæ, quæ ex ore Judæorum in ipsum Christum « jactatæ sunt, ascenderent in cœlum, divinam iram « provocantes, prius sanctissimum nomen Jesus « evolaret, misericordiam impetrans. » Ubi nota, quod verbum *Jesus* primo loco ponatur.

**5.** — *Hunc titulum multi Judæorum legerunt, quia*

[1] Chrysost., h. 86 *in Joan.* — [2] Luc. Brug., *in Matt.* — [3] Id., *ib.* — [4] Rup. Abbas, l. XIII *in Joan.*

[1] S. Pasch., *in Matt.* — [2] S. Alb. Mag., *in Luc.* — [3] *Ps.* cxii, 3. — [4] Joan., vi, 33, et xii, 31. — [5] Marc., xv. 26. — [6] Matt., xxvii, 37. — [7] Id., i, 21. — [8] Sylveira.

*prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus.* Ex quibus verbis satis colligitur, quod licet milites aliique ministri Pilati Christum Calvariæ montem deduxerint, eumque Cruci affixerint; multi tamen Judæorum eum associarint, idque ob varios fines et motiva, quæ in hujus tractatus Discursu septimo fusius examinavimus. Insuper vero advertendum est secundum Lucam Brugensem [1] quod « multi Judæo- « rum civitatem exierant, ut spectarent tragœdiam « Jesu in crucem acti: ac proinde etiam multi eo- « rum legerunt titulum crucis ejus. » Unde S. Thomas sequens eruit mysterium; ita enim scribit [2]: *Per quod signatur, quod plures salvantur per fidem, Passionem Christi legendo, quam eorum qui viderunt*; idque verum esse, ipsamet docuit experientia, quia pauci huic spectaculo præsentes, compuncti fuerunt; ex iis vero, qui Passionem suam legunt, major numerus ad veram pœnitentiam reducitur et compungitur.

**6.** — *Erat scriptum Hebraice, Græce et Latine.* Multa porro fuerunt motiva, ob quæ hic titulus tribus in linguis fuerit conscriptus. Lucas Brugensis enim ait [3]: « His porro tribus linguis, Græca, La- « tina, Hebraica, præcipua totius orbis terrarum « (Oriens enim Hebraica, meridies Græca, Occidens « Latina fere utebatur) scribi jussit Pilatus in cru- « cis fronte causam Jesu mortis, quia aderant eo « tempore Hierosolymis ex omnibus orbis partibus, « omnis linguæ homines. » Ludolphus Carthusianus addit [4]: « In qualibet lingua integre, ut diver- « sarum linguarum homines, qui ad diem festum « convenerant, legere et intelligere possent causam « mortis ipsius et ut omnis lingua confiteretur, « quia Dominus Jesus Christus est Rex Regum et « Dominus Dominantium, in gloria Dei Patris; et « ut omnis lingua commemoret perfidiam Judæo- « rum et ad ostendendum ipsum pati pro populo « omnis linguæ et eis dominari in perpetuum. » B. Laurentius Justinianus ait [5]: « Se spectaculum « fecerat Deus, ut novitate quadam insolita, disper- « sos per abrupta vitiorum ad se traheret populos. « Ipsum Mediatorem audi: *Cum exaltatus fuero a « terra, omnia traham ad me ipsum.* » S. Cyrillus Alexandrinus pariter hanc causam assignat, inquiens [6]: « Omnium enim gentium Regnum Christo « attributum esse significavit: *ipsi enim*, inquit « Daniel, *honor et regnum datum est, ut omnes tribus « et linguæ ipsi serviant.* » Notandum quoque est, hunc titulum super caput, non vero sub pedibus fuisse collocatum, ad denotandum regnum ejus cœleste esse, non terrenum: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Neque violentum esse et tyrannicum, qualia ut plurimum esse solent regna principum terrenorum, qui subditos suos deprimunt potius et supplantant, quam gubernant. Tres illæ linguæ, ut S. Thomas notat, ad tres spectabant primarias nationes, in quibus *sapientia, religio et potentia*, quam maxime resplendebat: *sapientia* quidem inter Græcos, *religio* inter Hebræos, denique *potentia* inter Latinos: « In quo signatur », inquit ex S. Augustino S. Thomas Aquinas « quod per crucem Christi sub- « jungari debebant et converti devoti et religiosi, « qui significantur per Hebræam linguam; sapien- « tes, qui per Græcam; potentes, qui per Latinam. » In hasce tres linguas, utpote ab hoc titulo sanctificatas, Deus inæstimabilem Scripturæ sacræ thesaurum verti et in iis conservari voluit. Similiter sancta Dei Ecclesia, a Spiritu Sancto gubernata, in sacrificio incruento et amaræ Passionis Dominicæ repræsentativo, aliquid ex tribus hisce linguis retinuit; scilicet *Amen, Alleluia, Hosanna*, ex idiomate Hebræo; *Kyrie eleison*, ex Græco. Sacri pariter Evangelistæ in hisce tribus linguis sua conscripserunt Evangelia, videlicet S. Matthæus in Hebræo, S. Marcus hic Romæ in Latino, S. Lucas et S. Joannes in Græco.

**7.** — Neque prætereundum est, quod Latina lingua non sine mysterio in loco digniori magisque conspicuo, scilicet capiti Christi viciniori, posita fuerit. Nam S. Joannes expresse dicit, titulum hunc scriptum fuisse Hebraice, Græce, et Latine, ubi ut vides verbum *Latine* propinquius est capiti Christi. Lucas Brugensis hac de re ita scribit: « Lucas Græ- « cam linguam sibi commendatissimam primo « Hebraicam ultimo loco ponit: sed verisimile est, « neglectum ab eo Pilati ordinem, a Joanne autem « servatum; nam et hoc testantur, qui titulum hunc « Romæ asservatum viderunt, ubi si numeratio « fiat de descendendo, Hebraica prima est; si « ascendendo Latina prima est, e proxima loco « capitis Jesu. » Denotabatque primatum, quem Ecclesia Romana, in Latio stabilita, super omnes alias Ecclesias habitura erat. Et quidem ad idem mysterium forte pertinet positura Christi in Cruce, de qua idem auctor ita scribit [1]: « Sic « porro collocarunt Crucem, ut dorso Jesu orientem « urbemque Hierosolymorum spectante, facies res- « piceret Occidentem Arcton dextra tenet, in « quit Sedulius, medium læva eriget axem) eo qui- « dem consilio, quod in dignum reputarint sanctæ « urbis aspectu; sed eo eventu, ut facie sua a Judæis « adversa nos gentes illustrarit, quorum habitatio « in Occidentes; impleta illa Prophetia Jeremiæ « XVIII, 17: *Dorsum et non faciem ostendam eis « in die perditionis eorum.* »

**8.** — *Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum Noli scribere, Rex Judæorum, sed, Quia ipse dixit, Rex sum Judæorum.* Porro quonam motivo Hebræi huic se titulo opposuerint, Lucas Brugensis in hæc

[1] LUC. BRUG., *in Joan.* — [2] S. THOMAS, *ib.* — [3] LUCAS BRUGENS., *in Luc.* — [4] LUD. CARTH., p. 2, c. 63. — [5] B. LAUR. JUST., *de Trium. Christi agoniz.* — [6] S. CYRILL. XII *in Joan.*

[1] LUC. BRUG., *in Joan.* — [2] ID., *in Matt.*

verba scribens manifestat [1] : « Movit Pontifices dupplex causa, una quod Jesu etiam jam crucifixo « inviderunt, quod ait Theophylactus : cum enim « omnia eis viderentur ignominiæ plena, solus hic « titulus honorificentior judicabatur, trophæi potius « formam præseferens, quam tituli mortis, utpote « Jesum scribens Regem Judæorum. A propria igi- « tur conscientia agitati, metuebant ne præter cæ- « tera argumenta plurima, quæ extare, et ob quæ « plurimos credere noverant, quod Jesus esset Rex « Iudæorum, id est, Christus, etiam titulus iste eo « faceret, tanquam declarans legentibus, Romanum « quoque Præsidem ejus esse sententiæ. Conantur « ergo Jesu Regni gloriam auferre, ne habeatur « pro vero Messias, sed pro impostore, qui se falso « Messiam esse jactaverit. Altera causa fuit, quod « sentirent se eo titulo odiose perstringi, sibique et « genti suæ inuri eam ignominiæ notam, quod Rex « ipsorum crucifigeretur, prout Pilati mens erat. « Veriti igitur, ne id deferretur ad omnes orbis « partes, et fama ea per universum mundum spar- « geretur, quod ipsi Regem suum, quem dudum « expectaverant, cum jam advenisset, crucifixissent ; « ita petunt mutari titulum, ut sine infamia gentis « solum Jesum gravet. » Eamdem considerationem apud Ludolphum Carthusianum scriptam reperio : ait enim : « In hoc quod ponit, *Rex Judæorum*, « ostenditur Christi præconium, et Judæorum op- « probrium, quia contumeliosum erat Judæis, quod « crucifigi fecerant Regem suum. Sed si poneretur : « *Quia ipse dixit* : *Rex sum Judæorum*, hoc redunda- « ret in Christi opprobrium et hoc ipsi intendebant, « ut crucifixi famam auferrent. Pilatus vero magis « confirmavit, dicens : *Quod scripsi, scripsi*. Iteratio « verbi, confirmatio est tituli, et Regni Christi. Im- « mobilitas tituli, immobile Regnum significat « Christi. Fuit autem secundum Augustinum titu- « lus iste immutabilis, non quia Pilatus scripsit, « sed quia Veritas dicit : *Rex sum Judæorum*. » Enimvero videri quidem potuisset, quod ex quo Pilatus eum, de quo sæpius dixerat : *Nullam invenio in eo causam*, ad patibulum nihilominus condemnaverat, nunc ad se quadamtenus in conspectu totius mundi ab hac commissa injustitia purgandum, libenter consentire debuisset in id, quod a principibus Sacerdotum suggerebatur, scilicet ut scriberetur in titulo : *Ipse dixit* : *Rex sum Judæorum* ; hac enim ratione Christum declarasset impostorem, se vero justum ostendisset judicem. Nec tamen ab eo quod scripserat in titulo, dimoveri ulla ratione potuit, sed magis confirmavit, dicens : *Quod scripsi. scripsi*. Unde Arnoldus Carnotensis ita scribit : « Nec « corrumpere Pilatus, quod scripserat, voluit : et « licet tam insignem titulum deleri perfidia Judæo- « rum clamose expeteret, obtinere tamen nullo « modo prævaluit. » Judæi quidem inter se conjuraverant, dicentes [1] : *Eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius* ; at vero irritum, et vanum fuit omne illorum consilium. Unde Beda merito exclamat, dicens [2] : « O inæsti- « mabilem vim divinæ operationis etiam in cordi- « bus ignorantium ! Nonne occulta vox quædam « Pilato intus quodam, si dici potest, clamoso si- « lentio personabat, quod tanto ante in Psalmorum « litteris prophetatum est : Ne corrumpas tituli ins- « criptionem. » S. Augustinus ait [3] : « Ecce tituli ins- « criptionem non corrumpit : *Quod scripsit, scripsit*. Lucas Brugensis ad hoc propositum ita scribit [4] : « Ignominia hæc non tantum Pilati tempore, verum « etiam hactenus Judæis, adhæsit, adhæretque « etiamnum, et manet in perpetuum hoc titulo « testata illorum quidem impietas, Jesu vero in- « nocentia ac gloria. Atque huc spectavit Dei Pro- « videntia, quæ Pilati stylum gubernavit : non « enim suo sensu ille, sed Dei inspiratione ac im- « pulsu titulum hunc dictavit, ut Jesu permaneret, « quæ ei debebatur laus, quod esset Rex Judæorum, « id est, Messias seu Christus, quod vere erat, et « quod propterea crucifixus fuisset. » B. Laurentius Justinianus diu ante de hoc præside in hæc « verba scripserat [5] : « De ipsorum vesana impor- « tunitate fatigatus, respondit : *Quod scripsi, scri- « psi* : Noluit, quamvis sero, derogare veritati, sed « neque divinæ voluit contradicere Veritati ; dic- « tante enim Spiritu sancto, titulum scripserat, « quem prorsrs mutare nequibat. Qui fecit Judæo- « rum Principem prophetare, cœgerat scribere Præ- « sidem gentilem. »

[1] Luc. Brug., *in Joan.* — [2] Lud. Carth. — [3] Arnold. Carn. *de 7 Verbis.*

## DISCURSUS XI.

### De vestimentorum Christi divisione, nec non de veste inconsutili indivisa relicta

Idea sermonis. — 1. Omnes Evangelistæ mentionem faciunt divisionis vestimentorum Christi tanquam rei valde indignæ. B. Virgo Christum nudatum texit velo capitis sui. — 2. Christus tanquam homo vilissimus spoliatur vestibus antequam crucifigatur. Hinc vestium expoliationis rationes et mysteria afferuntur. — 3. Mysteria nuditatis Christi, in cruce pendentis afferuntur. — 4. Christus cum hostibus luctaturus, vestimenta abjecit, ne succumberet. — 5. Vestimenta Christi vilia fuerunt et nullius valoris. — 6. Christi vestes dividentes noverant illarum attactu facta fuisse miracula. — 7. Per vestes Christi in quatuor partes divisas, intelligi possunt Judæi per omnes mundi partes dispersi. — 8. Variæ afferuntur figuræ et mysteria et significationes tunicæ inconsutilis. — 9. Quid designet quod tunica inconsutilis non in alicujus Judæi, sed militis gentilis manibus remanserit.

[1] Jerem., xi, 19. — [2] Beda, *in Joan.* — [3] S. Aug., tr. 117 *ib.* — [4] Luc. Brug., *in Matt.* — [5] B. Laur. Just., *de Triumph. Chr. agon.*

*Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.* Joan., XIX, 23.

**1.** — Multa quidem, eaque principua Passionis Dominicæ mysteria, a quibusdam Evangelistis sub silentio præterita fuerunt, eo quod illa ab aliis relata fuisse probe scirent : At vero ut Paulus de Palatio, de divisione vestium Christi inter milites facta disserens, inquit [1]: « Res tanta visa est Evangelistis « hæc vestium divisio, ut nullus eam tacuerit. Et « equidem nonnisi grande sacrilegium fuit, quod « vestes sacratissimæ, manibus gentilium, eorum- « que infimæ fæcis hominum tractarentur; nec id « ut cunque, sed quod ludi fortuna eas sibi vendi- « carent. Si enim sibi eas in sacras reliquias divi- « sissent, tolerandum erat : sed quod sortium ludo « res tantas exponerent, grande fuit scelus. » S. Lucas refert, quod cum S. Præcursor Joannes in desertis Judææ prædicaret, et omnis populus ad eum auscultandum accurreret, etiam publicani, aliique impii, imo milites ipsi ex verbo ipsius compuncti, eum interrogabant, dicentes : *Quid faciemus, et nos?* Quibus Baptista respondit : *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis et contenti estote stipendiis vestris.* Atvero quemnam ex hac admonitione retuleunt fructum, inquit Albertus M. siquidem crucifixum innocentem Salvatorem tantis cum imposturis, et calumniis onerarunt, et non contenti, ipsos sanguinem, et vitam ei eripuisse, insuper etiam vestibus totaliter exuunt, et spoliant? « Ubi est o milites, o statellites diaboli, » inquit præfatus Albertus, » quod (Luc. III) vox docuit « Joannes Baptista : *Neminem*, etc. » Imo Jesum tanta cum confusione nudum reliquerunt, ut sanctissima ejus Mater ex compassione sublato e capite velo, lumbos ejus accinxerit, ac obvelarit. De hac inverecunda nuditate, qua Christus in cruce affectus fuit, S. Thomas ita scribit [3]: « Hoc factum fuit « in magnum vituperium. Consuetudo enim erat, « quod condemnatus non denudaretur, nisi vilissi- « mus homo esset. » Ei quidem valde credibile est, quod dum oculis Christi vestes ejus diviserunt, inter se ludibriose dixerint : Dividamus et dilaceremus vestes hujus blasphemi ; siquidem ipse post tot enunciatas blasphemias, dum viveret, vestes suas scindere noluit.

**2.** — Lucas Brugensis de vestimentis Christi, quibus communiter uti consueverat, ita scribit [4]: « Verisimile est triplex Jeru foras prodeunti in usu « fuisse vestimentum, quod arbitratur etiam Eu- « thymius; scilicet pallium, tunicam exteriorem, « et tunicam interiorem (nam pectoralium, femo- « ralium, tibi alium vulgo non sic erat usus eo tem- « pore) sed pallium quidem direptum fuisse, quando « apprehensus fuerat : non enim est probabile, « cum condemnatus, vinctus huc illuc contume- « liose traheretur ad superiores judices, tandem « etiam ad supplicii locum, indutum fuisse pallio, « quod honoris magis, quam necessitatis gratia « portatur : solas igitur superfuisse tunicas, quas « milites inter se partirentur. Non necessarium fue- « rat, vestes exuere Jesu crucifigendo, æquæ facile « fuisset vestitum crucifigere ac nudum, solentque « iis, qui honestiores habentur, damnatis morte « vestes relinqui, sed Jesus tanquam vilissimus et ab- « jectissimus hominum iis spoliatus est. » Simon de Cassia inquit [1] : « Expoliaverunt eum omnibus ves- « timentis suis, ut esset ad opprobrium nuditas, « et faciliorem redderet ad tormentum. » Lucas Brugensis sequentes non minus eruditas quam devotas considerationes, post se scriptas reliquit [2] : « Nudari, et vestibus expoliari se permisit, ut ves- « tem nobis innocentiæ, et immortalitatis recupe- « raret. Erubuit nudus, ut pudenda peccata nostra « tegeret, ut ad salutarem nos pudorem adduceret, « Denique ut nos adduceret ad eum statum, in quo « nudi non erubescebamus. Victus est Adam, ait « Ambrosius, qui vestimenta quæsivit : vicit ille qui « tegumenta deposuit. Eas quas nos in Adam in- « dueramus, pelliceas tunicas exuit, ait Athanasius « de Passione, et cruce, ut nos pro iis in Christum « vicissim indueremus. » Et postea ait : « Decebat, « cum hominem introduceret in paradisum, exuere « tunicas quas Adam accepit, cum e paradiso ejice- « retur, ut pro istis nos vestiret vita, et immortali- « tate. Sicut ergo Noe vino, sic Christus amore nos- « tro ebrius, nudus decubuit in strato crucis, et « quamvis ab impiis filiis sit irrisus, de quibus « Ps. XXI, v. 18. dicitur : *Ipsi vero consideraverunt, « et inspexerunt me, diviserunt sibi,* etc. impudice « scilicet et impudenter, ut canes inverecundi ; ab « aliis tamen est honoratus. »

**3.** — Porro hæc in patibulo Crucis tolerata nuditas ex pluribus capitibus turgebat mysteriis. Etenim quando Jonathas cum Davide indissolubili fœdere sociare se voluit, quonam usus est amicitiæ, et intentissimi amoris, quo illum prosequebatur, signo ? *Inierunt David, et Jonathas fœdus : diligebat enim eum quasi animam suam ; nam expoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua.* Pari quoque modo Christus (qui ut Apostolus ad Ephes. scribit : *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos ; cum esemus mortui peccatis, convivificavit nos* quippe, ut paulo post in eadem epistola dicitur, cum sit *pax nostra, fecit utraque unum*) in signum hujus amoris, quo pro nostra reconciliatione apud æternum Patrem suum se interposuit, merito omnibus vestimentis suis se spoliare voluit, ut illa sceleratissimis impertiretur

[1] PAUL. DE PALAT., *in Matt.* — [2] LUC., III, 14. — [3] S. THOM., *ib.* — [4] LUC. BRUG., *in Matt.*

[1] SIM. DE CASSIA, l. XIII. — [2] LUC. BRUG., *ib.* — [3] I REG., XVIII, 2. — [4] EPHES., II, 4.

peccatoribus, quales erant sui crucifixores ; ut per hoc denotaret, nullas esse animas adeo iniquas, quibus sanguinis sui efficaciam, et inæstimabile redemptionis suæ pretium non communicet. Enimvero has inæstimabilis valoris vestes non dedit Simoni Cyrenæo in præmium collati sibi in cruce portanda subsidii ; neque dilecto Discipulo suo, qui ab ejus latere nunquam recedebat ; nec sanctissimæ Matri suæ, nec devotis Mariis, nec illis qui ei compatientes, vinum myrrhatum ei propinarunt, ut ipsum nonnihil restaurarent (*date siceram mœrentibus et his qui amaro sunt animo* [1]) sed lictoribus et carnificibus suis ; idque eo præcipue fine, ut peccatoribus salutis assequendæ spem firmam insereret.

**4.** — Est et aliud mysterium, ob quod Redemptor noster vestibus suis spoliari voluit. Etenim S. Lucas de Redemptore nostro ait : *Factus in agonia, etc.* id est in lucta cum morte subeunda ; ac proinde cum S. Gregorius M. dicat : « Qui ad luctamen ac« cedit, vestimenta abjiciat, ne succumbat ; » Salvator noster cum dæmone, mundo, et morte, tanquam inimicis implacabilibus, qui hactenus in genus humanum suam exercuerant tyrannidem, ipsique cœlo bellum moverant, luctaturus, vestimenta abjecit, ne succumberet. Præterea, ut devotus quidam auctor meditatur, vestibus se expoliari voluit : Ut ostenderet se tam prompte et libenter pro nobis mori quam qui vestes exuit cubitum iturus : quod de se dixit Cardinalis Polus, cum ab Henrico VIII Angliæ, Rege ad necem quæreretur ; corpus enim est vestis animæ. P. Sylveira Carmelitus notat, milites et carnifices tunc, et non antea Christi divisisse vestes, quando titulus, in quo Christus Rex denunciabatur, cruci affixus fuit. Unde exclamat [2] : « O magnum do« cumentum ! Cum Jesus resplendet regio titulo, « statim bona sua militibus dividuntur. Cum regius « titulus in eo publicatur, statim bona sua in suos « dividit, ut ipsi de bonis ejus ostendantur vestiti. « Se denudat bonis Jesus, ut suos cooperiat ac vestiat. » Inter alia improperia, quæ Moyses ingrato Hebræorum populo objecit. hoc quoque fuit [3] : *Adduxit vos quadraginta annis per desertum. Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* Et ecce quam indigne Judæi acceptum hoc a Deo beneficium recompensent, siquidem ut in conspectu infiniti cujusdam populi eum tanto magis confunderent, vestibus denudatum in crucem suffigunt.

**5.** — *Diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes.* B. Laurentius Justinianus inquit [4] : « Per os sancti « David pueri tui dixisti : *Diviserunt sibi vestimenta « mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Aliquid « nempe, et magnum aliquid sub figuræ tegmine « latere non dubium, quod a te, o alma Sapientia, « scire concupisco. » Porro hanc vestium divisionem Lucas Brugensis militum avaritiæ attribuit, inquiens [1] : « Accessit horum avaritia, qui cum Jesus « nihil aliud haberet, vestes ejus sibi diripiendas, « et pro præmio scelerati ministerii retinendas pu« taverunt. » At vero numquid vestes Christi pauperes, abjectæ, nulliusque valoris erant ? cur igitur illum sibi acquirant ? « Quis vestis illius vilitatem « ignorat, » inquit in epistola quadam S. Isidorus Pelusiota [2], « ut qua Galilæorum pauperes utantur, « apud quos etiam maxime hujusmodi vestis genus « fieri solet ? » Adde, quod vestes illæ, præterquam quod pauperes, et simplices, insuper quoque dilaceratæ fuerint per vincula, et catenas, quibus hinc inde velut inutile pecus raptabatur per terram ; fuerint quoque sordidissimæ propter sputa, et lutum in eum conjectum ; rigide quoque, et horridæ propter sudorem sanguinem quo in horto Gethsemani aliumque sanguinem ex tot vulneribus copiose manantem, imbutæ fuerunt. Et quidem vestes illas modici valoris fuisse, certissimum est, siquidem ipse pretiositatis vestium perpetuus hostis extiterat ; ideoque dixit [3] : *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Verum enim vero verisimile est, milites hosce aliquam miraculorum, per contactum harum vestium patratorum, habuisse notitiam, et specialiter scivisse, quid Hæmorrhoissæ per contactum fimbriæ vestimenti acciderit. Unde Chrysostomus a Luca Brugensi citatus ait : « Partiuntur ea « vestimenta, per quæ miracula facta sunt. Sed « tunc nihil efficiebant, Christo ineffabilem eorum « virtutem cohibente. » Rupertus Abbas ait [4] : « Ve« rumtamen quia lucrose venundare poterant ves« timenta ejus, idcirco pro magnæ victoriæ spoliis, « ea sorte milites acceperunt. Non enim vilia puta« bantur vestimenta, de quorum fimbriis contactis « virtus exire consueverat. Nec utique tunc in illo « spectaculo deerant, qui ad comparandum ea cer« tatim se ingererent. » Procopius in cap. XXVII Genesis scribens, eamdem habet considerationem ; ait enim [5] : « Mulier illa, quæ attigerat fimbriam « vestis Salvatoris, sanata est ; erat enim peculiaris « quædam virtus in ipsa. Nimirum ob eamdem « causam inter se contenderant milites singuli, cu« pientes et divisam habere, quasi utilis foret non « ad induendum, sed quia vis quædam medicata in « ipsa esset. »

**6.** — *Fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem* Ut enim quatuor dividentibus militibus par et æqua contingeret portio, vestes hasce in quatuor partes æqualiter diviserunt. Taulerus ad mysticum sensum recurrens, inquit [6] : « Per vestem hanc, in « quatuor divisam partes, fides potest accipi, in « quatuor orbis fines diffusa, ut omnes ex Domini « Jesu crucifixione exhilarentur, fiantque illius parti-

[1] PROV., XXXI, 6. — [2] P. SYLVEIR. CARM. — [3] DEUT., XXIX, 5. — [4] B. LAUR. JUST., *de Triumph. Christi agon.*

[1] LUC. BRUG., *in Matt.* — [2] S. ISID. PEL., I, ep. 74. — [3] MATT., XI, 8. — [4] RUP. ABB., l. XIII *in Joan.* — [5] PROCOP., in C. XXVIII GEN. — [6] TAUL., *in Pass.*, c. 93.

« cipes, ut credendo in Christum, Christo vestiri ac « indui mereantur. » S. Paulus Apostolus sub vestium metaphora omnes denotat fideles, inquiens [1]: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ac proinde milites hi gentiles illos significabant Christianos, qui cum antea idololatræ fuissent tandem in aquis baptismalibus regenerati, ingentem ex sanguine Christi fructum facturi ejusque vestibus adornandi erant. Unde Isaias Propheta postquam immensum prædixisset numerum eorum qui novam legem Evangelicam professuri erant, dicendo [2]: *Leva in circuitu oculos tuos, et vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi,* mox de iisdem fidelibus, sub metophora vestium indicatis, subjungit, inquiens : *Omnibus his velut ornamento vestieris.*

**7.** — *Diviserunt vestimenta ejus.* In hac vestium divisione considerari potest populi Hebræorum, ipsis invitis, in omnes mundi nationes a Deo ordinata divisio; siquidem post urbis Hierosolymæ destructionem, sub Tito et Vespasiano facta, per totum fuerunt mundum dispersi Judæi, velut omnium nationum mancipia et ludibria. B. Laurentius Justinianus Salvatorem nostrum introducit, in hæc verba loquentem [3] : « Fuere nonnulli, qui naturali pollen- « tes ingenio et liberali imbuti disciplina, fidelium « plebem post se trahere curavere. Sectas istius- « modi initiare, ac schismata facere minime veriti « sunt. Sortem mittunt, ut quis quid tollat, dum « opinionum suarum fautores multiplicare conan- « tur. Judicia hominum sibi vendicant, nomen præ- « cipue in Ecclesia habere moliuntur, atque sub « sanctitatis et veritatis velamine, Catholicam uni- « tatem tantum penes se esse persuadere conten- « dunt. Porro catholicæ veritatis unitas, inconsuti- « lis est tunica et contexta per totum, quæ quoniam « corpori meo adhæsit, scindi non valet. Diviserunt « se ab unitate hæretici, non ipsi unitatem divise- « runt. Nonne in suis evanuerunt cogitationibus. » Idem S. Patriarcha paulo ante pariter in persona Christi loquens, ex hac vestium divisione sequentem deduxerat moralitatem : « Scito, crucifixores « meos hoc in loco pastores, animarumque rec- « tores, ac Ecclesiæ significare ministros, sua, non « mea quærentes. Divisa autem vestimenta, tempo- « ralium bona esse scias in pauperum alimoniis « deputata. Ipsam vero inconsutilem tunicam, fide- « lium unitatem. Quod isti nunc agunt, in Ecclesia « mea futurum non dubites. Talium plenus est « mundus, qui ideo cathedras quærunt et pastora- « les infulas concupiscunt, ut lucra terrena secten- « tur et habeant, unde suas expleant voluptates, « suorumque marsupia repleant. Thesauros meos, « quos in cruce confixus acquisivi, membris meis « pauperibus erogandos, consummunt et devo- « rant. »

**8.** — *Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.* Porro causa, cur hanc vestem inconsutilem non diviserint, sed sorti exposuerint, hæc fuit, quia scilicet contexta fuit per totum, sine ulla partium distinctione, adeoque indivisibilis erat. De qua veste apte propositum B. Virgo Maria, quæ illam elaboraverat, interrogari posset, dicendo [1] : *Vide utrum tunica Filii tui sit, an non?* Sine dubio enim hæc vestis tanta sanguinis copia imbuta adeo obriguit, ut, an vestis illa inconsutilis esset, vix discerni potuerit. Vestis Josephi sanguini arietis cujusdam occisi immersa fuerat, hæc autem vestis in sanguine Agni illius intincta fuit, quem Joannes Baptista digito monstravit, dicens [2] : *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Sicut fratres Joseph, postquam invidia stimulati, germanum fratrem suum Ismaelitis vendidissent, Jacob patri suo dixerunt : *Fera pessima devoravit Joseph.* Ita quoque Judæi, qui Christi secundum carnem fratres erant, invidia agitati, *sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum,* veluti totidem tigrides et ursi contra Christum sævierunt, ut eum morti traderent. Phrasis illa loquendi S. Joannis, dum ait : *Desuper contexta per totum,* suo non caret mysterio; siquidem hæc vestis Christi repræsentabat humanitatem, quæ esse suum cum primis e cœlo accepit, quia opera Spiritus Sancti in utero virginali concepta fuit; quæ proinde nequaquam dividi debebat, neque vel minima illius pars ab ea tolli, quia de humanitate Christi ita disposuerat divina Providentia [7]. *Os non comminuetis ex eo.* S. Thomas hanc vestem charitatem præfigurasse scribit; aliæ namque virtutes secundum se unitæ et contextæ non sunt, inquit Angelicus Doctor, sed hoc illis solum competit, in quantum omnes in uno dumtaxat fine conveniunt, cui uniuntur per charitatem [3] : « Super « omnia autem hoc charitatem habet, quod est « vinculum perfectionis. Dicitur esse desuper con- « texta, quia charitas est super omnes alias vir- « tutes. » Per hanc quoque vestem inconsutilem, quæ divisa non fuit; sacri interpretes communiter fidei et Ecclesiæ Catholicæ unitatem intelligunt. Estque id valde conforme illi apparitioni, qua Christus veste lacera et discissa indutus, S. Petro Alexandrino strenuo Catholicæ Romanæ fidei defensori apparuit, dicens : *Arius hanc vestem dilaceravit;* ad hæresim ejus alludere volens, cujus Arius caput erat. P. Sylveira hanc vestem inconsutilem in Archiepiscopali Electorali urbe Trevirensi summa cum veneratione asservari asserit. Venerabilis Beda de hac veste ita scribit [4] : « Altiori mysterio factum « est, ut in passione Domini Pontifex Judæorum

[1] Galat., III, 27. — [2] Isa., XLIX, 18. — [3] B. Laurent. Justin., *ib.*

[1] Genes., XXXVII, 32. — [2] Matth., XXVII, 18. — [3] S. Thom., *ib.* — [4] Beda, *in Marc.*

« sua ipse vestimenta disciderit, cum tunica Domini « nec ab iis, qui eum crucifixere, militibus scindi « potuerit. Figurabatur enim, quod sacerdotium « Judæorum pro sceleribus ipsorum Pontificum esset « scindendum et a suæ statu integritatis omnimo- « dis solvendum. Soliditas vero sanctæ universalis « Ecclesiæ, quæ vestis sui Redemptoris solet appel- « lari, nunquam valeat disrumpi. » S. Cyrillus Alexandrinus inter alias vestes et hanc tunicam, sequentem notat intercedere differentiam [1] : « In « quatuor partes vestimenta divisa sunt, » inquit, « et tunica solum indivisa remansit, quod mysticæ « cujusdam rei signum fuisse dixerim; nam qua- « tuor orbis partes ad salutem reductæ, indumen- « tum Verbi, id est, carnem ejus impartibiliter « inter se partitæ sunt. » Blosius suam erga hoc mysterium devotionem per sequentes demonstrat affectus, dum ait [2] : « Ave dulcis Jesu, laus tibi, et « honor et gloria Christe, cujus vestimenta inter se « partiti milites, tunicam quæ inconsutilis erat, « unitatemque Ecclesiæ Catholicæ designabat, te « ordinante, reliquerunt inscissam. Illabatur quæso « cordi meo pacis Spiritus. Hoc inhabitet, hoc « possideat, ut fratrum concordiam vitio meo nun- « quam scindam, aut turbem, sed scissa reparare « et turbata ad tranquillitatem revocare semper « studeam. »

**9.** — Observandum quoque est, hanc tunicam non remansisse in manibus Hebræi cujusdam, sed in manibus et potestate gentilis, et Romani militis; ad denotandum, quod Ecclesia per hanc vestem præfigurata, ex gentilibus congreganda, ejusque sedes et veluti centrum hic Romæ futurum esset. Ideoque urbs Romana sorte sibi acquisivit (*sortiamur de ea cujus sit*) quia Scriptura sacra per sortem sæpe gratiam significat. Unde S. Paulus ait [3] : *Sorte vocati sumus*, quasi diceret : gratia Dei; non vero merito nostro in gremium Ecclesiæ suæ sumus vocati. Paulus de Palatio ex hac vestium divisione hanc deducit moralitatem, quæ tamen cum debita modestia intelligenda est, rogandusque Deus, ne in malis unquam verificetur; ait enim [4] : « Tunc vide- « bat futurum, ut dignitates et pontificatus (quæ « sunt vestes Christi interiores) non divina elec- « tione, sed fortunæ eventu et forsitan chartarum « ludo acquirerentur. »

## DISCURSUS XII.

TORMENTUM, QUOD CHRISTUS EX INSULTIBUS, IMPROPERIIS ET LUDIBRIIS, QUIBUS IN MONTE CALVARIÆ AFFICIEBATUR, PASSUS FUIT, CONSIDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Impii Judæi supplicium Christi, jam crucifixi, derisionibus exasperabant per maximam sævitiem. Christus deridetur a quatuor hominum generibus. Tormenta Christi augebantur plurimum ex eo quod a personis abjectissimis derideretur. Taxatur extrema Pontificum et sacerdotum malitia, quod in tali festo simili incumberent illusioni Christi, innocenter patientis. — 2. Quinam fuerunt qui prætereuntes Christum blasphemarint. — 3. Significatio moralis hujus motus capitis. Pœna Judæis inflicta propter hunc capitis motum. — 4. Objiciunt Christo Judæi comminationem destructionis templi. — 5. Christus pro peccatis nostrarum aurium patitur has subsannationes. — 6. Alia moralitas improperiorum Christi.

*Stabat populus spectans et deridebant eum Principes cum eis.* Luc., XXIV, 35.

**1.** — Cum Redemptor noster in sublimi crucis patibulo suspensus hæreret, Judæorumque impietas illum manibus suis lacerare, aut affligere amplius non posset, suas in eum linguas exacuerunt, easdem innumerabilium improperiorum toxico imbuentes. Unde S. Leo ait [1] : « Supplicium crucis « irrisionum aculeis asperabant et in quem mani- « bus amplius sævire non poterant, linguarum tela « jaciebant. » Et paulo post subdit : « De quo in- « vidiæ lacu talium blasphemiarum venena po- « tastis? » Lucas Brugensis considerat, quod postquam Evangelista tormenta Christo a Pilati militibus illata recensuisset, tandem ad Hebræorum descendat irrisiones et inustas Christo injurias et contumelias [2] : « Hactenus, » inquit, « locutus « est Evangelista de militibus, nunc de Judæis « instituit sermonem? qui non contenti eo, quod a « præside extorserant, Jesum in crucem actum « esse, etiam crucifixo in summis pendenti crucia- « tibus, crudeliter insultant. Non poterant adhuc « se explere, inquit Chrysostomus, sed in patibulo « pendentem videntes; amaris omnes impetunt « verbis, quæ et rebus ipsis mihi graviora viden- « tur. Ita impleverunt illud Psalmi LXVIII : *Quem « tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vul- « nerum meorum addiderunt*; hoc est, nec jam con- « fosso vulneribus, ac morienti pepercerunt, sed « cum nihil amplius in me possent, adhuc linguis « suis amaris me sunt persecuti. » Ecclesiasticus quidem huic populo specialiter salutare hoc tradiderat monitum [3] : *Ne irrideas hominem in amaritudine animæ*; sed exiguum inde retulerunt fructum, aut profectum, quin potius modo e diametro opposito Christum tractarunt. Lucas Brugensis ait [4] : « Improperiis additis, amplius affligere, maximum « scelus est, cum id in eum etiam, qui juste puni- « tur, admissum, barbaries inhumana judicetur. » Victor Antiochenus ad Hebraicam malignitatem detestandam propriissimam adhibet loquendi phrasim. Ait enim [5] : « Virulentam linguam in eum « exerere non dubitabant. » Dionysius Carthusianus

[1] S. Cyrill., *in Joan.* — [2] Blosius, *Sacell. animæ.* — [3] Eph., I, 11. — [4] Paul. de Pal., *in Matt.*

[1] S. Leo, s. 4 *de Pass.* — [2] Luc. Brug., *in Matth.* — [3] Eccl., VII, 12. — [4] Luc. Brug., *ib.* — [5] Vict. Antioc. *in Marc.*

similiter illa Psalmistæ verba : *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt,* de irrisionibus, blasphemiis et contumeliis Christo irrogatis exponit, dicens [1] : « In tam incomparabili supplicio constituto, « non solum non condoluerunt, sed et tam con- « temptibiliter illuserunt, sicut in Psalmo fuit « prædictum, Christo ad Patrem loquente : *Quo- « niam quem tu,* etc. » S. Bernardinus ad hoc propositum ait [2] : « Vide, quanta crudelitate sæviunt con- « tra Christum, quando non suffecerat eis tanta « exercuisse ludibria contra eum per totam noctem « usque ad istam horam, sed tanquam effrontes, « rejecto omni humano pudore, mansuetissimo « Agno in cruce morienti insultare non cessant. » Ludolphus Carthusianus considerat, omnes certatim, quibus poterant modis, eum derisisse et contumelis excogitabilibus affecisse. Ita enim scribit [3] : « Nota quatuor differentias illudentium Christo in « cruce. Prima erat sedentium, qui eum observa- « bant. Secunda prætereuntium, qui eum blasphe- « mabant. Tertia stantium sacerdotum et senio- « rum. Quarta pendentium latronum. » Merito igitur propheticum Jeremiæ oraculum prædixit : *Saturabitur opprobriis* ; siquidem his verbis inexplicabilis et insinuata improperiorum exprimitur congeries, siquidem ut Salmeron ad ambos latrones in principio simul Christo insultantes se reflectens, notat, inquiens [4] : « Forte etiam id in gratiam « Judæorum faciebant, ut propter hoc ipsos depo- « nerent. Est autem inauditum, quod ejusdem sup- « plicii reus in alterum blasphemiæ verba jactet. « Soli Christo Domino horrendæ contumeliæ irro- « gantur, non solum a Judæis et militibus Romanis, « sed etiam a latronibus, ejusdem supplicii consor- « tibus. » Auctor quidam contemplativus hac de re ita scribit : « O quam augebatur tormentum de « extrema personæ vilitate, nam summa miseria « est ab abjectissimis derideri et ab obscurissimis « hominibus subsannari ! Etsi Judæorum et hostium « furia exsatiata videri poterat, dum in ultimo pen- « deret supplicio, dum affixus esset, ut jam insidia- « torem regni timere non possent; dum jam exsan- « guem, et exhaustum, et morti proximum vide- « rent, dum immensis eum doloribus, et quasi « pelago dolorum circumdatum, dum jam non tam « homo sed canis abjectissimus jam jam moriturus « videri poterat, dum nihil jam cruciatuum, quos « ipse non pertulisset, superesse videbatur, dum « omnes etiam inimicissimi ad commiserationem « movendi essent, tunc primum incipiunt contra « eum furiæ infernales crudelius insanire. » Lucas Brugensis in Marcum scribens, varias adducit versiones, inquiens [5] : « Vetustissimi codices legunt : « *Ludentes.* Syriaca vertit : *Ridentes, jocantes.* »

[1] DION. CART., *in Luc.* — [2] S. BERN., t. I, s. 55, a. 1. — [3] LUD. CART., p. 1, c. 63. — [4] SALM., t. X, tr. 40. — [5] LUC. BRUG., *in Marc.*

Idem in Commentario super Matthæum de latronibus Christum injuriantibus disserens, ita scribit : « Non tam personas latronum notat, quam condi- « tionem, ut rei indignitatem amplificet; nimirum « quod non solum a sacerdotibus et senioribus, a « populo, et vulgo, expertibus illius conditionis, « quam Jesus patiebatur, illusus et probris affectus « fuerit Jesus; verum etiam ab iis, qui in eadem « damnatione erant. Fuit Evangelistæ propositum, « a Christo crucifixo convitiis lacerando nullum « genus hominum abstinuisse, usque adeo, ut ne « latro quidem sceleratus, concrucifixus, despera- « tus, ac semimortuus ei parceret. » Libere igitur cum S. Thoma asserere possumus, majorem Salvatori nostro intulisse afflictionem ludibria et contumelias eidem a sacerdotibus, principibus et pontificibus illatas, quam quas a populi fæce sustinuit; hæc enim ob defectum judicii et rationis magis est excusabilis. Unde de persona quadam honorata idem sanctus doctor ait : « Derisionem majorum « tolerare non potest. » Porro de derisione a principibus et sacerdotibus facta, S. Matthæus ita scribit [1] : *Similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus.* Et S. Marcus ait [2] : *Similiter et summi sacerdotes illudentes ad alterutrum cum scribis, dicebant,* etc. Ex qua insolentia facile colligi potest infinita rabies et inhumana crudelitas, qua adversus innocentem Redemptorem agitabantur; quia si ullo unquam die totius anni necessum illis erat, ut suo ministerio intenti essent, id certe vel maxime ab eis requirebatur in illa Paschali solemnitate : *Erat enim magnus dies ille Sabbati;* ac proinde ob hujus diei religionem, merito in templo commorari debuissent, recipiendis oblationibus, faciendis sacrificiis, orationi, aliisque similibus functionibus cultum Dei concernentibus perficiendis, totaliter intenti; et tamen nil nisi proprias vindictas curantes, dignitatisque ac decori personæ, quam in publico repræsentabant, omnino obliti, lictoribus, carnificibus, aliisque satellitibus se immiscebant, ministrorum justitiæ fungentes officio. Unde Lucas Brugensis ait [3] : « Summi sacerdotes, quorum « erat compescere vulgus, ne afflictis cruciatus « convitiis augerent, dignitatis obliti suæ, etc. » Et paulo post subdit : « Minoris quis faciat, si a « vilibus despiciatur; sed si a Pontificibus et Prin- « cipibus viris derideatur, probrisque appetatur, « longe id difficilius toleratu est, id intima animi « gladii instar penetrat. Scribis, doctoribus legis, « senioribus, judicibus populi, Græce et Syriace « additur : *Et Pharisæis* : ab omnibus primatuum « ordinibus tanta erat omnium horum insania, ut « non erubescerent et interesse crucifixioni et in- « sultare crucifixo, quamvis id esset præter eam, « quæ ipsos deceret, gravitatem. Insultare autem

[1] MATT., XXVII, 41. — [2] MARC., XV, 31. — [3] LUC. BRU., *in Matt.*

« idcirco voluerunt, ait Chrysostomus, ut tanquam « seductor, arrogans, et jactabundus, et in con- « spectu omnium vituperatus decederet. » Ex quo enim nocte præcedenti in conspectu Caiphæ et aliorum, se promissum Messiam, Filium Dei esse confessus fuerat, idque ipsum diluculo sequenti in pleno concilio ratificaverat; pontifices, principes et seniores non sine mysterio sub cruce stantes illum deridebant, ut auctoritate sua populo persuaderent, illum nec regem Israelis, nec Filium Dei esse; utpote qui ne tantam quidem haberet potestatem, u semetipsum ab illo supplicio liberai et.

**2.** — *Prætereuntes blasphemabant eum.* Quinam hi prætereuntes fuerint, Lucas Brugensis his verbis exponit[1] : « Prætereuntes non solum eos intelligo, « qui iter illac forte faciebant, verum etiam eos, « qui e turba spectatrice studiose egressi, propius « ad crucem accedebant et prætereuntes eam, Jesu « in os convitia impudenter, furiose dicebant. Con- « siderandum est enim, Jesu et latronum cruces a « militibus ita fuisse cinctas, ut spatium aliquod « ante crucis vacuum fuerit, quo turba quidem « prohiberetur accedere, non tamen hi aut illi de « turba, modo non illic hærerent. Huic sententiæ « favet Druthmarus, dum ait : Eos qui Jesum vir- « tutes edentem præ invidia videre non potuerant, « jam ambulasse coram eo crucifixo, eo quod vide- « rent, quod diu optaverant. » Victor Antiochenus per prætereuntes, viatores intelligit, inquiens[2] : « Etiam qui obiter solum illac pertransibant, viru- « lentam linguam in illum exercere non dubita- « bant, cum e contra omnino soleant prætereuntes « misereri damnatorum. Hic impletum est illud « Psalmi XX : *Omnes videntes me, deriserunt me.* » Origenes verbum *prætereuntes* observans, inquit : « Nemo stans Jesum blasphemat, neque recte ince- « dens; transeuntes enim blasphemaverunt eum. » Centurio caput illorum militum, qui Christum crucifixerant, tanquam idololatra, nullam quidem habebat veri Dei notitiam; et tamen libere confessus est, dicens[3] : *Vere Filius Dei erat iste.* Nec constat, quod unquam ei maledixerit, sed solum quod eum Filium Dei esse confessus fuerit, non solum eo modo, quo S. Petrus idipsum ex æterni Patris revelatione fecerat, verum insuper addendo verbum : *Vere* : *Vere Filius Dei erat iste*; nec mirum, quia ut sacer textus ait : *Ex adverso stabat*; stabat enim firmiter, considerando omnia, quæ Jesus faciebat et dicebat, non per modum transeuntis, sed potius prout Beata Virgo fecit, de qua S. Lucas ait[4]: *Conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Simon de Cassia hanc subnectit moralitatem[5] : « Præter- « eunt illum quem crucifixerunt, ut nec commu- « nicare velint passionibus ejus, aut participes « fieri Redemptionis. »

[1] Luc. Brug., *in Matt.* — [2] Vict. Antioc., *in Marc.* — [3] Marc., XV, 39. — [4] Luc., II, 19. — [5] Simon. de Cass.

**3.** — *Moventes capita sua.* « Motus capitis decla- « rantes ei animi gaudium, » inquit Lucas Brugensis, « quod ex illius calamitate ceperant, tanquam si « dicerent, aspicientes Jesum : Bene habet, quod « tu illic sis fixus; quod non solum fuit irriden- « tium et contemnentium, verum etiam exultan- « tium de optata vindicta et tanquam jam victo « insultantium. » Porro ludibrium hoc jamdudum a Psalmista in Psalmo CVIII prophetatum fuerat, dicente[1] : *Et ego factus sum opprobrium illis, viderunt et moverunt capita sua.* Hæc quoque irrisio in lamentationibus Jeremiæ expressa fuit sequentibus verbis[2] : *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilaverunt et fremuerunt dentibus et dixerunt* : *Devorabimus.* Idem quoque propheta antecedenter clarius edixerat : *Plauserunt super te manibus, omnes transeuntes per viam, sibilaverunt et moverunt caput suum.* Albertus Magnus inquit[3] : « Irrisio prætereuntium habet tria : blasphemiam, « motum capitis et improperium in verbis. » Idem pertranseuntes in sensu morali nonnullos intelligit, qui se a mundi torrente seduci sinentes, nullam in virtutibus stabilitatem habent; tales enim in divino servitio sunt inconstantes et Deum irrident; ad quos Jeremias alludit, dum ait[4] : *Populus hic dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit.* Porro hæc capitis agitatio, quædam erat contemptus et vilipendii expressio, non solum interioris, verum etiam forinsecus apparentis, eo fine ex arte et industria editi, ut contemptus hic circumstantibus manifestatus, alios ad similes injurias et contumelias irrogandas provocaret. Isaias dicit[5] : *Despexit te et subsannavit te virgo filia Sion, post te caput movit filia Jerusalem.* Hæ autem derisiones, inquit Albertus Magnus, a Deo castigatæ fuerunt per hoc, quod Judæi dati sint in derisionem cunctis populis perpetuam, ad finem usque sæculorum : Deus enim justo judicio suo illos omnibus mundi nationibus in risum fecit et in fabulam[6] : *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.* Lucas Brugensis ait[7] : « Inter hæc ludibria et « probra parabatur Jesu quidem æternus honor. « hostibus vero ejus perpetuum dedecus. »

**4.** — *Dicentes* : *Vah qui destruis templum Dei.* Inter alia delictorum capita, de quibus innocentem Salvatorem accusaverant, unum fuit, quod se in triduo templum Domini desolaturum esse dixisset : id quod cunctos audientes vehementer exasperaverat, siquidem sibi persuasum habebant, quod tam sublime ac nobile ædificium, ad honorem Dei erectum, ad quod ex omnibus mundi partibus, cum summa ipsorum et religionis Judaicæ gloria, populi concurrebant, vere destruere meditaretur;

[1] *Ps.* CXVIII 25. — [2] Thren., II, 11. — [3] Alb. Magn., *in Matth.* — [4] Jerem., XIV, 10. — [5] Isa., XXXVII, 32. — — [6] *Ps.* CIX, 10. — [7] Luc. Brug.

cujus quidem nocte antecedente varii coram Caipha producti fuerant testes, cujusque facinoris propositi famam in plebe divulgaverant, ut illam tanto vehementius adversus Dominum exasperarent, eumque tanquam cultui veri Dei omnino contrarium tanto magis exosum redderent, utpote qui sacrosancti templi meditaretur demolitionem : *Vah qui destruis templum Dei et in triduo illud reædificas ; salva temet-ipsum.* « Ostende hic quid possis, quasi dicat, » inquit Lucas Brugensis [1] : « Egregium te monstras « templi, postquam destruxeris, restauratorem, qui « cruci affixus, non vales temet liberare. Longe « enim majoris et operæ et potentiæ sit, vastum « illud, postquam destructum sit, templum triduo « reædificare, quam crucem cui affixus es, demo- « liri et evadere. »

**5.** — P. Bollandus refert, Salvatorem nostrum B. Angelæ de Fulginio veluti in cruce confixum apparentem, dixisse : « Pro auribus tuis, quibus « Deum offendisti, et audiendo vana, et nociva, in « talibus fuisti delectata, ego pœnitentiam maxi- « mam feci ; nam auribus meis audivi multa, quæ « multam et maximam tristitiam afferebant, scili- « cet falsas accusationes, detractiones, insultatio- « nes, maledictiones, derisiones, subsannationes, « blasphemias et iniquam contra me sententiam. » Porro una ex vehementioribus tentationibus, quibus major pars christianorum vel maxime infestatur, quæque illos retrahit, quo minus in timore Dei vivant, est pudor, et erubescentia, qua mundus illos respergere aut afficere solet, qui a mundi torrente, ejusque vanitate se subducunt. Ad hanc vero tentationem superandam Christus magister noster dixerat [2] : *Qui me erubuerit, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua.* Neque Christo, hanc se nobis doctrinam tradidisse, sufficiebat ; quin etiam, ut inter sannas, et ludibria stabiles, et constantes maneremus, suo nos exemplo docere voluit, ac proinde certus, quidam auctor, Christum derisiones tanta cum æquanimitate sustinuisse scribit : « Ne dejiciamur, cum a mundo irridemur ; sed « potius hoc ipso felices nos reputemus, qui de « mundo non simus. » Didacus Stella ad idem propositum scribit [3] : « Admonet locus iste, quod « quando fuerimus in sublimi contemplationis, vel « sacræ actionis positi, non debemus ad verba sub- « sannantium descendere, sed sustinere perverso- « rum subsannationes, sicut Christus ad Judæorum « insultationem et exprobrationem de cruce des- « cendere noluit, sed ibi usque ad mortem perse- « veraverit. Unde dicebat vitis : *Numquid possum* « *deserere vinum meum, quod,* etc. Multi pro minima « contumelia descendunt de cruce patientiæ, alii « de cruce pœnitentiæ. » Sæpe quidem fit, quod multi cum Christo crucem propriam patienter ferant, mortificando carnem et sensus, suamque negando voluntatem. Dæmon autem pro viribus suis ad hoc connititur, ut tales ad hanc crucem deserendam permoveat, eoque fine amicos, parentes, vel etiam homines impios suscitat, qui eos in hoc proposito derideant et subsannent ; quos proinde Christus exemplo suo animare voluit, ut inter sannas et ludibria in bono fortiter perseverent. Eodem quoque fine Salmeron expresse dicit, longe majus sæpe a nobis comparari meritum per hoc, quod inter similes derisiones et sannas patientes simus et in bono perseveremus, quam si in jejuniis, vigiliis, aliisque austeritatibus corporalibus nos exerceremus [1] : « Qui persuadent crucis descensum « propter asperum sensum (inquit Simon de Cas- « sia) similes sunt diabolo, quia similia diabolo « dicunt ; hoc enim diabolus Christo dixerat in « deserto : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes* « *fiant.* »

**6.** — Salmeron ex hisce derisionibus sequentem eruit moralitatem, inquiens [2] : « Hæc improperia « maxime nobis posuit, adversus illa, quæ in hora « mortis consuevit dæmon in nos jactare. Nam cum « videt corpus deficere et animæ exitum instare, « Satan omnia peccata, quæ suis suggestionibus « admisimus, nimio terrore nobis objicit, ut in « desperationem inducamur ; sed fructum domi- « nicæ passionis consecutis, irrisiones Satanæ no- « cere non possunt. Unde David ait [3] : *Ad te Domine* « *levavi animam meam, Deus meus in te confido, non* « *erubescam : neque irrideant me inimici mei, etenim* « *universi qui sustinent te, non confundentur.* » Ludolphus Carthusianus de hisce Christo insultantibus ita scribit [4] : « In sedentibus delitiosi et acediosi ; in « prætereuntibus cupidi et avari, qui prætereuntia « sequuntur et viam justitiæ supergrediuntur. In « stantibus superbi et elati, qui stant per appetitum « excellentiæ. In pendentibus, scilicet latronibus, « impatientes et querulosi de adversitate. » Et paulo post subdit : « Multis non sufficit Christum crucifi- « gere peccando, sed etiam derident crucifixum, « peccata iterando, vel de peccatis se jactando. »

## DISCURSUS XIII

CUR CHRISTUS, JUDÆIS SE IN EUM CREDITUROS ESSE, SI DE CRUCE DESCENDERET, PROMITTENTIBUS, E CRUCE DESCENDERE, SEQUE AB ILLA TANQUAM DEI FILIUS LIBERARE NOLUERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Judæi Christum crucifixum derident de tribus. — 2. Judæi eisdem verbis vel inviti perhibent testimonium veritatis miraculis Christi. — 3. Quare Christus Israel de cruce descendere nec voluerit, nec debuerit. — 4. Judæi fraudulenter dicebant se credituros Christum si descenderet de

[1] LUC. BRUG., *ib.* — [2] LUC., IX, 26. — [3] DID. STELLA, *in Luc.*

[1] SIM. DE CASS., *ib.* — [2] SALM., t. X, tr. 40. — [3] *Psal* XXIV, 3. — [4] LUD. CART., *ib.*

cruce. Quare diabolus non diu ante impedierit passionem Christi. Christus assimilatur medico, cujus est alios sanare. — 5. Christus in cruce permanens dedit nobis solidum exemplum patientiæ et perseverantiæ. — 6. Quia Pater filium suum in mundum miserat ut nos per mortem crucis redimeret liberare eum noluit. Ex eo quod Deus justos affictos non liberet, non sequitur illos esse injustos. — 7. Diabolus nobis conatur in adversis nobis persuadere Deum nos dereliquisse.

*Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere; si Rex Israel est descendat nunc de cruce et credimus ei; confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum, dixit enim : Quia filius Dei sum.* Matth., XXVII, 42.

**1.** — Inter alias subsannationes quibus Judæi Redemptorem in cruce positum deriserunt, hæ quoque leguntur : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Quibus verbis ipsum specialiter de tribus derident, de quibus Christus merito summe gloriabatur. Primo enim loco derident ipsius potentiam, improperando ei, quod qui alios a malis liberaverat, semetipsum a cruce liberare non posset. Secundo irrident ipsius regnum, dicendo : *Si Rex Israel est, descendat nunc de crucee et credimus ei.* Tertio derident ipsius in Deum fiduciam : *Confidit in Deo, liberet nunc,* etc. At vero quantum in hisce sannis decepti fuerint, in sequentibus videbimus.

**2.** — *Alios salvos fecit.* Ergone Hebræi miracula a Christo patrata, infirmos sanando, suscitando mortuos, tam ingenue confitentur? Lucas Brugensis respondet, hanc Judæorum intentionem non fuisse ; sed potius dicere voluisse [1] : « Alios salvos « fecit, prout ipse est gloriatus, et sciri, credique « ab omnibus voluit. Non Jesum alloquuntur, ut « quem dedignentur, sed inter se mutuo collo- « quentes, oblique in Jesum audientem convitia « jactitant. » Idem auctor pariter objectioni cuidam respondet, qua dici posset, ipsammet experientiam satis testatam fuisse, quod Christus multos a diversis malis et defectibus liberaverit; ait enim : « Mens « illorum est dicere, quod alios salvos non fecerit « minimum legitime, Dei scilicet ope. Quod eos, « quos frequenter fama erat sanasse, dæmoniacos, « paralyticos, cæcos, claudos, aliosque, vel non « sanaverit, vel in Beelzebub sanaverit principe « dæmoniorum. Id constare putant ex eo, quod « salvum se facere non potest et ut solet diabolus « maleficos jure damnatos et in extremis malis « constitutos deserere. » Citatque auctoritatem D. Chrysostomi, dicentis : « Interim detrahere co- « nantur prioribus signis et quæ ante patrarat « signa, calumniari. » Similiter Theophylactum citat, ita scribentem : « Derident ejus miracula et « vellicant, quasi phantastica fuissent. » Euthymius pariter [1] : « Miracula ejus calumniantes, tanquam « præstigiis facta fuerint. » S. Hieronymus vero a Glossa super Marcum citatus, principes Synagogæ et sacerdotes, vel invitos et inadvertenter, in adducti thematis verbis, veritati miraculorum Christi perhibuisse testimonium affirmat, dicens [2] : « Etiam « nolentes confitentur, quod alios salvos fecit et se, « si vellet, salvare poterat. » At vero hoc malignorum principum argumentum minime subsistebat, quia experientia quovis tempore comprobavit, multos Dei servos aliis impetrasse sanitatem, quam tamen sibi ipsis a Deo nunquam desiderarint, nec petierint; non quia hanc sibi obtinere non potuissent, sed quia in hac vita torqueri et pati volebant. Enimvero Christus pellicano assimilatur, cui proprium est, quod pullos extinctos seu mortuos sumptu sanguinis et vitæ suæ vivificet [3] : *Similis factus sum pellicano solitudinis.* Unde Albertus Magnus ait [4] : « Alios non salvaret, nisi seipsum « non salvando. » Sanctissima Trinitas (cui ipsemet inviolabiliter semper adhæserat) irrevocabili decreto suo ordinaverat, ut Christus sua nos morte liberaret : « Sicut pellicanus, qui non salvat pul- « los, nisi seipsum non salvando. » Unde Isaias prædixit [5] : *Cujus livore sanati sumus.* « Facile ma- « litiosi principes populo, qui præteritorum cito « obliviscitur, imponunt præsenti rerum statu ob- « jectio. Atqui infirma ratiocinatio est, quod non « possit seipsum salvum facere, ex eo quod non « mox faciat, priusquam conspectus sit in interitu, « morteque permanere; præsertim cum resurrec- « tionem suam tertio futuram die prædixisset, « quod illi non ignorabant. Nam ut quod cœperat, « perficeret, quique multos salvos fecerat salute « corporea, ac temporali, plures salvos faceret sa- « lute spirituali et æterna, perfectum salvatorem « se præstans, noluit seipsum ad tempus salvum « facere, id est, ferre ad breve tempus voluit mor- « tem. » S. Bernardus in sermone quodam Hebræos his verbis perstringit [6] : « Imo vero si descenderit; « nam cum nemo salvus esse possit, nisi qui per- « severaverit usque in finem, quanto minus poterit « esse salvator? Alios ergo salvos fecit; nam salva- « tione, cum sit salus ipse, non indiget. » S. Anselmus super Matthæum ita scribit [7] : « Etiam « nolentes confitentur, quod verum est, propria- « que damnantur sententia. Qui enim alios salvavit, « se utique si vellet, salvare posset; sed minus « nolebat, ut faceret majus. » Cajetanus populi hujus detestatur ingratitudinem et malignitatem, utpote qui ex miracnlis et beneficiis, a benignissimo Salvatore receptis, ludibrii et subsannationis occasionem sumpserit, ad eum modum, quo

[1] Luc. Brug., *in Matt.*

[1] Euthym., *in Matt.* — [2] S. Hieron., cit. a Gloss. *in Marc.* — [3] *Ps.* CI, 7. — [4] Albert. Magn., *in Marc.* — [5] Isa., LIII, 5. — [6] S. Bern., s. 1 *Pasch.* — [7] S. Ansel., *in Matt.*

stomachus corruptus optimi nutrimenti cibum in malos humores convertit[1] : « Ex beneficiis et mi- « raculis blasphemias conficiunt. »

**3.** — *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce.* Principes Synagogæ et sacerdotes Christi apud Pilatum sollicitaverant condemnationem, eo quod tanquam promissus in lege Messias, sceptrum sibi Israeliticum usurpasset : *Omnis qui se Regem facit, contradicit Cæsari*; ac proinde in conspectu totius populi ridendo dicebant : Si verum est, Regem te esse, in signum auctoritatis et potestatis regiæ, fac ut de cruce descendas : « Sed heu, o vos sacerdotes « et scribæ, » inquit Lucas Brugensis[2], « quorum « est Scripturas scrutari, ubinam scriptum est, « Messiam de cruce descensurum, quia vos Jesum « rejicitis, eique fidem negatis, quod de cruce non « descendat? » S. Bernardus in sermone primo de Paschate ita scribit[3] : « Quid tu Judæe? Quid pri- « die ante crucem agitabas caput sacrilegum? Quid « sacrum hominis Christi caput exagitabas oppro- « briis? *Christus*, inquit, *Rex Israel, descendat de « cruce.* O venenata lingua, verbum malitiæ, sermo « nequam? Non est hoc Caipha, quod paulo ante « dicebat : *Expedit ut unus moriatur homo pro po- « pulo et non tota gens pereat.* At illud quod men- « dacium non erat, non loquebaris de proprio, non « a temetipso dicebas. *Si Rex Israel est, descendat « de cruce,* hoc plane tuum est, magis autem ejus « qui mendax est ab initio. Quid enim consequen- « tiæ videtur habere, ut descendat, si Rex Israel « est et non magis ascendat? Sic non meministi « Serpens antique, quam confusus abscesseris olim, « cum dicere præsumpsisses : *Mitte te deorsum,* et « *hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me?* « Sic tibi Judæe excidit, quod audisti : *Dominus « regnavit a ligno,* ut Regem abneges, quia manet « in ligno? Sed forsitan nec audisti, quia non « Judæis, sed nationibus hæc annunciatio debeba- « tur : *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit « a ligno.* Merito proinde titulum regni præses gen- « tilis in ligno posuit; nec potuit Judæus, ut voluit, « corrumpere tituli inscriptionem, nedum impe- « dire Dominicam passionem et nostram redemp- « tionem. *Descendat,* inquiunt, *si Rex Israel est;* « imo quia et Rex Israel est, titulum regni non « deserat, virgam imperii non deponat, *cujus* ni- « mirum *imperium super humerum ejus,* sicut præ- « cinit Isaias. »

**4.** — *Et credimus ei.* Ingens profecto erat hæc promissio. Et quidem æternus Pater hoc præcipue fine Filium suum nobis dederat, ut salvaret illos, qui crederent in eum[4] : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat.* Cur igitur qui tot patraverat miracula, non pariter manus suas e clavis, quibus- cum in patibulo crucis affixus hærebat, exsolvit, ut populus ille, tot ab eo beneficiis affectus et pro cujus salute specialius in terram descenderat, in fide divinitatis suæ tanto validius firmaretur et stabiliretur? Respondet S. Hieronymus[1] : *Fraudulenta promissio;* promittebant enim, quod adimplere nolebant : ideoque per derisum et ludibrium loquebantur. Subdit vero idem S. Doctor : « Quid est « plus, de cruce adhuc descendere viventem, an de « sepultura mortuum resurgere? Resurrexit et non « credidistis; ergo si etiam de cruce descenderet, « similiter non crederitis. » Lucas Brugensis hac de re ita discurrit[2] : « Non eo animo hoc dixerunt, « quod desiderarent Jesum de cruce descendere (si « enim descendisset, admodum certe doluissent) « nec animo promittendi se credituros, sed animo « irridendi crucifixum et alienandi ab eo animos « populi audientis. » S. Paschasius cum idipsum notasset, mox subjungit, dicens[3] : « Surrexit et « omnino credere noluerunt; imo copiosam mili- « tibus pecuniam dederunt, ne testes essent ejus « resurrectionis, et mentirentur, eum sublatum « fuisse. Sciebat omnia Jesus, et præsciebat; ideo « magis quam oportuit, fecit, quam fecisset, si des- « cenderet, propter eorum irrisionem. Hoc quippe « fecit, ad quod venerat. » Simon de Cassia pariter ita scribit[4] : « Descensum petebant crucis, in argu- « mentum potentiæ, sive virtutis et falso spondé- « bant credulitatem, si de cruce prosiluisset; nam « altioris fuit virtutis et potentiæ, quod mortuus et « sepultus resurrexit a mortuis et non crediderunt « ei. » Probe noverat Dei Filius, consilium hoc stratagema fuisse antiqui serpentis, qui per hanc summis sacerdotibus, aliisque Synagogæ primis capitibus suggestionem, redemptioni generis humani libenter opposuisset impedimentum, cui in cruce per integram sanguinis sui effusionem, amaramque mortem suam perficiendæ Christum accinctum esse videbat. Unde B. Laurentius Justinianus exclamat, inquiens[5] : « O meditata antiqui serpentis fraus! o « meditata leonis rugientis rabies! Quanta callidi- « ditate, quanta perversitatis arte invictissimæ « Christianæ religionis ducem conabatur avertere. » Idem vero sanctus ulterius probare nititur, omnes ab eodem fraudulento spiritu fuisse instigatos, ut suum e cruce descensum instanter peterent, novam legem evangelicam, quam ipse prædicaverat, se amplexuros esse promittentes, ut hac ratione ab humana redemptione desineret : « Plurimi eorum, « qui aderant, » inquit, « diabolo instigante verbis « Domino suadere conabantur, ut de cruce descen- « deret. Hoc turba, milites et prætereuntes dixere « pontifices, quatenus ex suadentium multitudine « proclivior fieret ad descensum. Callideque satis se

[1] Cajet., *in Luc.* — [2] Luc. Brug., *in Matth.* — [3] S. Bern., *ib.* — [4] Joan., III, 17.

[1] S. Hieron., *in Matt.* — [2] Luc. Brugens., *ib.* — [3] S. Pasch., *ib.* — [4] Sim. de Cass., l. XIII. — [5] B. Laurent. Just., *de Triumph. Christi abon.*

« crediturос simulabant, ut tanquam salvator verus « crediturorum salutem non negligeret. » Quod si quæras, cur Sathan non diu ante passioni Christi se opponere sategerit, impedieritque, quo minus tot sanguinis effusiones, totque tormenta a Christo sustinerentur? Hugo Cardinalis super Matthæum scribens, respondet, diabolum in illo momento escam naturæ humanæ in Christo admordere et degustare cœpisse, simulque sensisse hamum, quo captus erat. Ideoque omni conatu dispendium suum cavere volens, dum videbat supra se inundans mare rubrum sanguinis Christi, vicinamque esse suam in abyssum submersionem; ac proinde principibus sacerdotum, aliisque sequacibus suis persuasisse, ut illius ex triumphali crucis ligno descensum omni cum industria procurarent. Unde S. Hieronymus ait[1] : « Mihi hoc videntur dæmones immittere; « statim enim ut crucifixus est, senserunt virtutem « crucis et intellexerunt vires suas fractas et hoc « agunt, ut de cruce descendat : Sed Dominus « sciens adversariorum insidias, permanet in pati- « bulo, ut diabolum destruat ». S. Athanasius quoque idem hoc mysterium his verbis insinuat[2]: « Minime autem credere volebat Judæos, ille increa- « dulitatis magister draco, sed Dominum mortem « evitare cupiebat, non quod discere satageret, an « posset ille seipsum salvare, sed ne aliis salus effi- « ceretur. Nam cum omnino cognoverat, eum ser- « vasse alios, ambiguum esse non poterat, quin « ille, qui aliis dedisset salutem, is ipse esset ser- « vator et vitæ. Ea igitur de causa connitebatur, ne « aliis salus conciliaretur; noverat enim ille ver- « sutus, non moriturum quidem esse Dominum, « sed illius mortem salutem et vitam futuram esse « universis; idcirco eum de cruce descendere cu- « piebat, faciebatque Pharisæos promittere, se cre- « dituros esse, si saltem vel eo modo consequere- « tur, quæ volebat. » Idem S. doctor pergit declarare mysterium, ob quod Christus crucem deserere noluerit, in eumque finem sequentem adducit a medico desumptam similitudinem, inquiens : « Do- « minus revera Servator, qui non sua, sed nostra « quæreret et non in se salvando, sed in creatura « redimenda salvatorem se esse innotescere vole- « bat. Non enim medicus, eo quod seipsum servat, « declaratur medicus, nisi simul et ægrotis artem « suam exhibeat. Neque item sol suum jubar in se « contrahens, pro lumine agnoscetur, nisi etiam « orbi terrarum suos radios exporrigat et tenebras « illuminet. Ita quoque et Dominus non seipsum « salvavit, siquidem nulla salute indigebat, cum « esset salvator, sed ex suis in alios beneficiis voluit « salvator declarari. Neque descendendo de cruce « voluit Filius Dei agnosci, sed ex eo quod in cruce « permaneret. Multo enim magis mors salvatoris et « fidem et salutem hominibus attulit, quam des- « census e cruce attulisset. » Taulerus Judæos cla mantes : *Descende de cruce,* filios Sathanæ appellat, dicens[1] : « Declarant hic Judæi, filios et discipulos « se esse diaboli, sequendo patrem suum, qui jam « ante Christo dixerat : *Si Filius Dei es, mitte te « deorsum.* » S. Thomas inquit, hanc conditionalem : *Si Filius Dei est, descendat de cruce,* non esse bonam : quin potius divinæ filiationis ostensurus erat evidens argumentum, si tunc se æterno Patri suo obedientem exhiberet, prout et fecit : Ipse enim *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Unde potius hanc inferre debebant consequentiam : *Si Filius Dei es, ascende in crucem; non est enim Filii Dei descendere.* Beda in Lucam ita scribit[2] : « Imo ideo se salvum facere de cruce des- « cendendo noluit, quia est Christus Dei electus. « Nam qui ideo venit, ut pro nobis crucifigeretur; « ideo seipsum salvare de cruce descendendo ne- « glexit, quia cum cæteris peccatoribus, etiam illos « qui crucifigere, salvare moriendo curavit. »

**5.** — B. Laurentius Justinianus aliam assignat rationem, cur Christus e cruce non descenderit; ait enim[3] : « Potestatem habebat ponendi animam « suam et iterum sumendi eam : eadem facilitate « poterat de ligno descendere, qua voluit in mani- « bus inimicorum se dare. Dubium prorsus fieret, « utrum pro utilitate petentium, seu ad confusio- « nem descenderet irridentium, si postulantium « votis annueret. Quoniam vero filiorum hominum « corda novit, quod præstantius erat, elegit. Soli- « dum ergo patientiæ exemplum fidelibus non « descendendo reliquit et insultantium vesaniam « repressit, atque antiqui hostis insidias redegit in « nihilum. » Neque enim eo solum fine in hunc mundum venerat, ut nos redimeret; verum etiam ut exempla nobis virtutum post se relinqueret. Et quia has inter, patientia et perseverantia ad regnum cœlorum, quod illo die aperiebatur, maximæ sint efficaciæ; ideo ea nobis imprimere, nosque eas exemplo suo docere, operæ pretium fore existimavit : « Eo quippe tendebat malitiosa suasio, » inquit S. Bernardus[4], « ut non ipsi crederent, sed nostra « quoque fides in eum omnimodis deperiret; le- « gentes enim[5] : *Dei perfecta sunt opera,* quando « fateremur Deum, qui salutis opus reliquisset im- « perfectum? » Subdit præterea Christum e cruce noluisse descendere : « Ut homines doceat, in fine « fortiores debere esse et constantiores in sublimi « perfectionis, quo ascenderint, permanere et in « cruce, quam in toto vitæ decursu susceperunt, « perseverare. » S. Anselmus ait[6] : « Si tunc in- « sultantibus cedens, de cruce descenderet, patien- « tiæ virtutem nobis non demonstraret; sed

[1] S. Hier., *ib.* — [2] S. Athan., *de Pass. et Cruce.*

[1] Taul., *de Pass.* — [2] Beda, *in Luc.* — [3] B. Laur. Just., *ib.* — [4] S. Bern., *in Pass.* — [5] Deut., xxiii, 3. — [6] S. Ans., *in Matt.*

« paululum exspectavit, opprobria toleravit, deri-
« siones sustinuit et qui de cruce descendere noluit
« de sepulchro surrexit; plus enim fuit de sepul-
« chro resurgere, quam de cruce descendere. Plus
« fuit mortem resurgendo destruere, quam vitam
« descendendo conservare. » Idem de patientia punctum S. Augustinus ante omnes alios in hæc verba insinuavit [1]: « Quia patientiam docebat, ideo
« potentiam differebat : si enim commotus ad eo-
« rum verba descenderet, victus conviciorum do-
« lore putaretur. » Præterea quod si e crucis patibulo, post duas tresve horas, quibus in eo pependerat, transactas, ab eodem descendisset, quemnam inde haurire animum sancti Martyres in crudelium tormentorum suorum carnificina ad finem usque constanter perseverandi, potuissent? « Si Christus non
« perseverasset in cruce », inquit Salmeron [2], « quis
« martyr perseverasset in tormentis, quis Christia-
« nus in bonis operibus? » Nimis profecto hic descensus bono communi Ecclesiæ præjudicasset; imo non solum nobis et Ecclesiæ, verum etiam cœlo, quia nunquam restauratæ fuissent ruinæ angelorum, nec debellatus hostis tartareus, nec prostrata et profligata idololatria, nec deletum aut expiatum peccatum, nec clausus infernus, nec mors fuisset devicta, nec apertus Paradisus, nec satisfactum divinæ justitiæ, denique nec genus humanum redemptum.

**6.** — *Confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum; dixit enim: Quia Filius Dei sum.* Porro argumentum hoc apparenter efficax, fortiterque stringens videri poterat. Dicere enim volebant : Ex quo in Deum confidit, seque Dei Filium esse dicit, eique se unice recommendans, demum se ab eo derelictum esse fatetur, dicendo [3]: *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* aliud certe inde concludi nequit, quam quod vel non sit Filius Dei, vel certe nolit liberare eum, utpote id minime merentem. Verumtamen dubium hoc facile resolvitur, dicendo [4] : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Pater namque æternus, Filium suum hoc præcipue fine in hunc mundum miserat, ut in trunco crucis moriendo, nostram operaretur salutem. Et licet portio inferior, sive humanæ naturæ nostræ fragilitas sub hisce tormentis constituta ingemuerit, voluntas tamen ejus cum æterni Patris sui voluntate perfecte conformata erat, quæ in eo posita erat ut opus illud perficeret, propter quod e cœlo in terras descenderat. Et vero Christus Redemptor noster multis sæculis antea, in Psalmo XXI, prophetaverat, dicens [5] : *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput : Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* In libro Sapientiæ pariter de impiis, Christum ad mortem usque insidiose persequentibus, prædictum fuit [1] : *Circumveniamus justum (Nihil tibi et justo illi : Innocens ego sum a sanguine justi hujus) Filium Dei se nominat; gloriatur Patrem se habere Deum : Videamus, si sermones illius veri sint; si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum ; contumelia et tormento interrogemus eum, ut probemus patientiam illius : morte turpissima condemnemus eum.* At vero turpem illorum errorem idem Sapiens protinus indicavit, subjungens : *Hæc cogitaverunt et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum et nescierunt tormenta Dei.* Lucas Brugensis auctoritatem citat D. Chrysostomi, impiis illis in hæc verba efficaciter improperantis [2]: « O
« insani scelestique homines! an Prophetæ non
« erant Prophetæ et justi quos occidistis, justi non
« erant, quoniam eos Deus a periculis non eripuit?
« imo vero erant. » Subditque idem Lucas Brugensis : « Non est æstimanda gratia Dei ex præsenti
« aspectu : nec ex fiducia hominis in Deo, Deique
« erga homines amore, necessario consequitur libe-
« ratio ab omnibus hujus vitæ malis. Ut neque ex
« toleratione malorum consequitur Dei odium,
« aut hominis impietas; sed impressa est ea opinio
« animis maxime impiorum, ut quem ipsi oderunt
« putent Deo quoque odiosum esse et impium;
« præsertim si permittantur a Deo suam in eum
« crudelitatem pro libidine exercere. » Certus quidam non vulgaris notæ Auctor dicit, Judæos merito intellectus sui oculos defigere debuisse in prophetiam illam Psalmi XXI, adeo claram et perspicuam, in qua derisiones, quas Filius in cruce pendens tolerare coactus est, vivacissimis coloribus delineatæ leguntur : « Sed illis prophetæ verbis, quibus illu-
« minati et agnoscere Messiam suum debebant,
« excæcati, pugnant contra ipsum. » S. Augustinus in sermone quodam ita scribit [3] : « Propter hoc
« non descendit de cruce, quia Filius Dei est :
« propter hoc enim venit, ut crucifigeretur pro
« nobis. Descende, inquiunt, de cruce et credimus
« in te. Plus fecit, quam si de cruce descendisset :
« multo enim majus fuit, lapide ad monumentum
« apposito resurgere, quam de cruce descendere. »

**7.** — *Confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum, etc.* Lucas Brugensis pessimas antiqui adversarii technas insinuat, dum ait [4] : « Hoc est solemne Satanæ arti-
« ficium, dum fingit, Deum nostri oblitum, quia
« non mature et in ipso articulo occurrit; dum
« objicit nos, frustra sperare in Deo, quoties non
« adest pro voto, sed auxilium suum paulisper
« occultat : dum acclamat, frustra nos confidere de
« amore Dei, ubi palam auxilium ejus non appa-
« ret; præcipue vero homini in extremis malis
« versanti, afflicto undique et ab universo mundo

[1] S. Aug., *in Joan.* — [2] Salm., *ib.* — [3] Matt., XXVII, 46. — [4] I Cor., II, 14. — [5] *Ps.* XXI, 7-9.

[1] Sap., II, 12. — D. Chrysost., cit. a *Luc. Brugens.* — S. Aug., s. 49 *in Append. de div.* — [4] Luc. Brug., *ib.*

« derelicto, jamque nihil aliud, quam iram Dei « sentienti et mortem expectanti, cui hoc solum « solatii reliquum est, ut ad Deum possit refugere « et spe fixa in omnipotentis Dei misericordiam ani- « mum sustinere, si quis hanc viam præcludere « conetur et omnem ab eo fiduciam in Deo auferre, « tentatio est omnium gravissima, plenissima peri- « culo, ne in desperationem inducat. Hoc acerrimo « tentationis telo nos aggreditur Satan in extremis « agentes, certus, si in hanc tentationem nos possit « inducere, actum esse de nobis. Eam tentationem « etiam pati voluit Dominus Jesus, non quidem « suggestam cordi suo a Satana, sed immissam « auribus suis a Satanæ ministris, ut eam pro nobis « vinceret et victoria hujus, tam merito, quam « exemplo, in extremis nos consolaretur. Quamvis « enim lacessitus vocibus impiorum et revera quoad « exteriora prorsus a Deo derelictus, ita ut etiam « non sine causa, conquerentis instar, id tandem « exclamaret : non tamen abjecit spem in Deum, « *sed preces, supplicationesque ad eum, qui possit « illum salvum facere a morte, cum clamore valido et « lacrymis offerens, exauditus est pro sua reveren- « tia* [1]. » Theophylactus in Marcum scribens, incarnatam quoque Sapientiam sequens indicare voluisse documentum, his verbis insinuat : « Ut et « tu discas, quod non sit diaboli technis cedendum, « sed bene operandum, etiamsi homines male de « nobis sentiant. »

[1] Heb., v, 7.

# TRACTATUS SEPTIMUS

## DE DUOBUS CUM CHRISTO CRUCIFIXIS LATRONIBUS, PRÆCIPUE VERO DE BONO AC JUSTO LATRONE

### DISCURSUS I.

AMBO QUIDEM LATRONES CHRISTUM A PRINCIPIO SUNT INJURIATI, EX HIS TAMEN BONUS LATRO TANDEM RESIPUIT; UBI VARIÆ CIRCA REPROBUM LATRONEM INSTITUUNTUR CONSIDERATIONES.

Idea sermonis. — 1. Discutitur utrum unus tantum vel ambo latrones Christum convitiati fuerint. — 2. Communior opinio est initio ambos convitiasse, postea unum conversum, pœnituisse. Inquiritur ratio cur unus latronum salvatus, alter damnatus fuerit. Malus latro occlusit cor omnibus inspirationibus divinis et correctionibus suis sodalis. Christus in bono latrone ostendere voluit efficaciam gratiæ divinæ. — 3. Malus latro typus fuit Hebraismi, bonus vero Gentilis populi typus. Applicatur historia V. Testamenti. — 4. Malus latro exaudiri non meruit ob duplicem errorem. Malus latro solam præsentis vitæ quærebat salutem. — 5. Omnes homines et boni et mali habent suas cruces sed diversa ratione. — 6. Hi duo latrones designant bonos et falsos Christianos.

*Idipsum et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Matth., xxvii, 44.

**1.** — Ambos latrones cum Christo crucifixos, eidem in cruce pendenti improperasse, non solum Matthæus refert, quin et S. Marcus idipsum asserit, inquiens [1]: *Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.* S. Lucas vero unius duntaxat meminit [2]: *Unus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum.* In hujus porro difficultatis solutione variæ sunt sacrorum interpretum opiniones. S. Thomas ex S. Augustino observat, stylum esse sacræ Scripturæ, quod nonnunquam numerum pluralem pro singulari exprimere soleat [3] : *Obturaverunt ora leonum,* quibus verbis Danielem subindicat, qui in lacu positus, fauces leonum obturavit et loco verbum *obturavit,* dicit, *obturaverunt.* Plures tamen sui sectatores habet illa opinio, quæ ambos latrones a principio Christum convitiatos fuisse asserit. S. Hieronymus super Matthæum scribens, hanc tradit expositionem [3] : « Non quod discrepent Evangelia, « sed quod primum uterque blasphemaverit. » Ita quoque sensit D. Chrysostomus, dum ait [4] : *Latrones ambo contumeliabantur.* Hæcque opinio conformior est pietati et infinitæ Salvatoris nostri misericordiæ qui discipulos suos e cruce, quam S. Augustinus Cathedram appellavit, erudire volens, exemplo suo eosdem docere voluit, ut bonum pro malo reddant [5]: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*; siquidem unum ex hisce improperantibus ei latronibus dono remuneravit compunctionis et emendationis, adeo ut in fine vitæ suæ ad Deum efficaciter conversus, cœlestis cum ipso particeps fuerit Paradisi. In eamdem quoque sententiam

[1] Marc., xv, 32.

[1] Luc., xxiii, 34. — [2] Hebr., xi, 33. — [3] S. Hier., *in Matt.* — [4] D. Chrysost., h. 88 *ib* — [5] I Pet., iii, 9.

conspirat Titus Bostrensis, qui super Lucam scribens, ait [1]: « Initio uterque latro æque ac cæteri Judæi Christo insultabant. Forsan quo hac ratione « gratiam illorum emeriti, veniam potirentur, aut « aliquid saltem pœnarum laxamentum consequerentur. Postea quam vero beneficio, quod a Judæis exspectabant, sese frustratos viderunt, alter « e latronibus, ille nimirum, cujus hic fit mentio, « resipuit. » Lucas Brugensis aliam hujus assignat rationem, inquiens [2]: « Improperabant ei, partim « provocati multiplici aliorum exemplo, partim « pœnarum acerbitate exasperati. Ut enim erant et « ipsi Judæi genere, ita ægre cum aliis Judæis ferebant, quod Jesus ambivisset inter illos regnum. » Origenes super Matthæum idipsum confirmat, dum ait [3]: « Conveniens est, ut imprimi « quidem ambo latrones intelligantur Dominum « blasphemasse, post hoc autem unum ex ipsis « conversum esse. »

**2.** — Porro hac in occasione vere adimpletum fuit illud Spiritus Sancti oraculum [4]: *Unus assumetur et unus relinquetur*. Unus enim illorum desperatus et impœnitens moritur, alter vero raptu sibi paradisum adsciscit. Audiamus hac de re S. Bernardinum, in hæc verba scribentem [5]: « Dicam audacter, quod sentio, quod nec converso suffecit « meritum suum, aversum vero juste dejecit demeritum suum. Nullus nisi ex gratia converti potest, nullusque damnatur, nisi ex demeritis suis « hoc divina justitia exigente. Quod ergo demeritum « illius qui non credidit? Quod vero meritum, atque unde illi qui credidit? Meritum conversionem « legimus, quid in occulto habuit, ignoramus. « Demeritum utriusque conspicimus, quia latrones « erant utrique, homines utique malæ vitæ. An « verificatur sententia illa *ad Rom.*, IX : *Quem Deus « vult, indurat et cui vult, miseretur*? Sed in tortuosiorem incidimus quæstionem : cum Deus acceptor personarum non sit et cum ambo essent « peccatores, Christum æque corporeo visu aspicientes, juxta eos pendentem, quorum in conversatione Christi alter non prævaluerat, quia neuter « vivens illam habuerat; unde unus eorum meruit « converti, alter indurari? Quo merito unus misericordiam accepit, alter vero in justa damnation « remansit? Sed aliter quidem hæc, cum sit quæstio nodosa, non solvitur, nisi Dei misericordiam « et justitiam inspiciamus, et liberas hominum « voluntates consideremus; nam Deus ex sua misericordia donat peccata conversis et ex justitia « supplicia æterna ministrat aversis. » Et vero malus latro cor suum occlusit omnibus inspirationibus internis, quas Deus utique ipsi frequenter suggessit, utpote [6], qui *vult omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*. Aures quoque suas occlusit efficacibus sodalis suis correctionibus, licet easdem non solum a principio, ut collega suus, verum etiam in totius supplicii sui progressu, ad finem usque, patulas exhibuerit ad improperia, quibus circumstantes Christo insultabant, malumque illorum secutus fuerit exemplum. Quod vero bonum latronem attinet, in summam cedit divinæ gratiæ laudem, quod licet a principio, cum adhuc malus esset, sicut alter, innocentem Salvatorem certatim convitiatus fuerit, fuerintque ab innumerabili populo ab ore ejus audita horrenda in Christum improperia; attamen circa ipsum in unico quasi momento tam prodigiosa facta fuerit mutatio, siquidem Christus in ipso ostendere voluit, quanti valeat divinæ gratiæ efficacia. Simon de Cassia, qui ante S. Bernardinum scripsisse noscitur, doctrinam quamdam, ei, quam paulo ante ex Bernardino adduximus, persimilem, in hæc verba tradit [1]: « Non istorum est « conversio, aut aversio celebrata ex Christi præsentia corporali, quam habebant æqualiter. Non « ex visu, quo ipsum intuebantur. Non ex verbis « ejus peramplius directis in alterum, sed ex libera « voluntate, quia ille credere voluit, ille vero incredulus mansit, quem sicut illum, Dei misericordia « exspectabat, sed non credentem reliquit illum « divina justitia reprobatum. » In libro Sapientiæ dicitur [2]: *Tu autem cum tranquillitate judicas*; ubi Græcus legit: *In æquitate*. Et tamen licet ambo hi latrones vitam suam pariformiter in continuatis transegerint latrociniis, ideoque ad idem condemnati fuerint supplicium, habuerintque Filium Dei in medio positum et utrique æque vicinum; a principio simul maledixerint Christo, eumque blasphemarit, licet enim ab iisdem fuerint carnificibus et super eodem monte crucifixi, denique licet ejusdem Christi sanguine, tanquam ipsi proxime vicini fuerint conspersi, attamen finem valde inter se differentem habuerunt. Qua igitur ratione adimplebitur illud paulo ante ex Sapiente productum affatum : *Tu autem cum æquitate judicas*? Pro resolutione revocanda est in memoriam quædam S. Augustini propositio, dicentis [3]: « Deus potest aliquos sine « bonis meritis liberare, quia bonus est : non potest aliquos sine malis meritis damnare, quia « justus est. » Reprobatio igitur mali latronis effectus fuit suæ obstinationis et surditatis, non vero divinæ justitiæ, quæ utique ipsi condonasset improperia, quibus Christo insultaverat, quemadmodum illa consodali suo condonavit, si quemadmodum ille, resipuisset.

**3.** — Porro malus hic latro verus Hebraismi typus fuit, utpote qui etiam ad voces Messiæ surdus existit; cum tamen e contra gentilismus, licet prius Deo fuerit contrarius, ejus tamen prædicationi

[1] Titus Bostr., *in Luc.* — [2] Luc. Brug., *in Matt.* — [3] Origen., tr. 35 *in Matth.* — [4] Matth., xxiv, 40. — S. Bern., t. I, s. 55. — [6] I Tim., II, 4.

[1] Sim. de Cassia, l. XIII. — [2] Sap., XII. 18. — [3] S. Aug., l. III *cont. Jul.*

patulas exhibens aures, veræ fidei notitiam sibi acquisivit. Pharao olim duos aulicorum suorum pariter carceris condemnavit, qui tametsi in æquali regis domini sui offensa et indignatione constituti essent, diversos tamen ad invicem sortiti sunt fines; siquidem pincerna in gratiam regis restitutus et in pristinam dignitatem repositus fuit, magister vero pistorum sententiam mortis excepit, prout Joseph salvator Ægypti, veri Salvatoris mundi typus, ambobus prædixerat. Audiamus hac de re Rupertum Abbatem, in hæc verba scribentem[1] : « Quam pulchre « Joseph duorum medius vinctorum in carcere et « utrique somnii sui proferens interpretationem « congruam, in hoc quoque forma est, vel umbra « Salvatoris nostri, qui duorum medius latronum, « in cruce utique juxta fidem, vel meritum suum « dignam dedit sententiam! Quantum enim inte- « rest? Illic Pharao de carcere mediante Joseph « hic autem Deus de cruce mediante Christo « unum assumit et alium relinquit. » Et paulo post subdit : « Sicut latronum alter confitens, Paradi- « sum cum Domino introivit, alter vero mortuus « est in peccatis suis; sic per Christi passionem « Gentilis populus in gratiam recipitur et Judaicus « in iram missus est. » Idipsum pariter D. Chrysostomus in Homilia quadam his verbis insinuat[2] : « Duo latrones, imago Judæorum et gentium. Latro « qui pœnitet, imaginem obtinet populi ex genti- « bus congregati, qui prius in errore ambulaverat, « et post hoc veritatem agnovit. Imaginem latro « ille obtinet Judæorum, qui usque in finem per- « severat latro. »

**4.** — *Unus autem ex his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos.* Videri nonnemini posset, hæc verba nullam in se continere blasphemiam; non enim blasphemat, qui a malo aliquo liberari, aut salvari postulat : verumtamen observandum, hunc latronem in duobus præcipue errasse : Primo, ambigendo, an Christus Deus esset : Secundo in casu quo talis revera esset, ipsum invocando in auxilium solum pro vita et salute corporis, non vero animæ; unde Beda ait[3] : « Qui fide dubia « Dominum precabatur, funditus est contemptus a « Domino, neque ulla responsione dignus habitus. « At vero preces illius, qui æternam a se salutem « quærebat, pia mox Dominus exauditione susci- « pere dignatus est; quia nimirum, quicumque in « tribulationibus positi, temporalia tantum a Do- « mino solatia requirunt, temporalibus se pariter « et æternis gaudiis privant. Qui autem veraciter « bona patriæ cœlestis suspirant, ad hæc absque « ulla dubietate, Christo miserante, perveniunt. » Malus hic latro pati renuebat, crucisque inimicus erat : ac proinde ad sinistram constitutus, reprobos præfigurabat, qui solam hanc vitam præsentem diligunt et æstimant, in eaque jugiter gaudere desiderant; unde ait : *Salva temetipsum et nos*, « id « est, » ut Hugo Cardinalis exponit[1] : « Non in fu- « turo, sed modo. Certe nec a cruce præsenti libe- « ratus est et crucem æternam invenit post mor- « tem. Bonus latro non petit, se a præsenti « tribulatione liberari, ideo salutem æternam inve- « nit. » Multi porro in extremo mortis articulo, eo quod male vixerint, Dei misericordiæ se recommendant, non tamen ut æternam sibi conquirant salutem, sed ut diutius in vita manentes superstites, voluptatibus diutius potiri possint, non vero ut malos mores suos emendent. Malus hic latro eo tempore, quo vel maxime pœnitens et compunctus, se coram Deo humiliare debebat, *blasphemabat eum*; si quidem communiter fieri solet, ut quemadmodum homo vixit, ita et moriatur. Arnoldus Carnotensis aliud quoddam hujus impii latronis insinuat demeritum, inquiens[2]: « Alter latro oblatrandi plebi « assentiens, quod nec se, nec alios salvos facere « posset, testabatur; irridebatque comparticipem « suum, qui in eum, quem in eadem secum dam- « natione videret, spem poneret, et nugatorium « omnino videbatur, illum credere regem vel « Deum, quem secum oppresserat idem opprobrium « et simile tormentum. Erat itaque unus irrisor, « alter confessor. Unus exprobrator, alter venera- « tor. Hic sperans, ille desperans. » Etenim tametsi a principio ambo Christum conviciati fuerint, bonus tamen latro, ad primum divinæ gratiæ radium, oculos ac cor suum aperuit ad cooperandum, altero tanto magis in obstinatione et pertinacia perseverante. Simon de Cassia ait[3] : « Latrones « nec mente, nec corpore salvi erant. Non mente, « erant enim in umbra incredulitatis inclusi, et ab « ipso Salvatore didicimus : *Qui crediderit, salvus « erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Nec « corpore salvi erant, quia propter demerita, rei- « publicæ decernente justitia, configebantur in pœ- « nis. Et salutem corporis ille miser gliscebat, nes- « ciens, quanta posset æterna salute donari et ex « corporis pœna mereri, innocenti et Dei Filio in « patibulo sociatus, si a lumine fidei non fuisset « aversus et cui collega in culpa, in pœna compar, « in fidei virtute mansisset consimilis. » Porro satis est verisimile, quod in crucifixione Redemptoris nostri sanguis ejus in utrumque hunc latronem prosilierit, utpote in quorum medio ad montem Calvariæ deductus, ibidemque in crucem confixus fuit, et tamen bonus latro inde profecit, non vero alter. « Illi blasphemo, qui de Domini desperavit potentia, » inquit S. Cyprianus[4], « nulla potuit subve- « nire clementia : nec potuit illi crucis prodesse

[1] Rup, Ab., *in Gen.* — [2] Chrys., h. *de Cruce et latr.* — [3] Beda, *in Marc.*

[1] Hug. Card., *ib.* — [2] Arnold. Carn., *de 7 Verb.* — [3] Sim. de Cass., *ib.* — [4] S. Cyprian., *de Pass.*

« consortium cujus malitiam non expiabat pœni-
« tentiæ lavacrum. »

**5.** — Consideratione dignum est, quod quidam Passioni Dominicæ devotus auctor in hæc verba meditatur : « Disce, neminem esse, qui non habeat « crucem suam. Christus omnino innocens, latro « bonus pœnitens, latro malus impœnitens et om- « nes habent suam crucem, sed diversa ratione, « Innocentes et pœnitentes libenter ferunt crucem, « siquidem Christus provocatus, ut descenderet de « cruce, noluit. Simul latro bonus : *Nos digna fac-* « *tis recipimus.* Sed impii abjicere crucem volunt : « *Salvum fac temetipsum et nos.* » Latro malus ob facta latrocinia merebatur patibulum : *Nos quidem juste, nam digna facti recipimus*, inquit ejus consodalis, qui ex necessitate novit facere virtutem, id est, crucem libenter sustinuit, in delictorum suorum expiationem et ad hauriendum inde fructum. Alter vero, qui impios præfigurabat, non solum ex bene merito supplicio suo nullum animæ suæ fructum collegit, verum insuper in desperationis barathrum sese præcipitavit[1] : *Impii autem replebuntur malo.* Unde malus latro ligno crucis suæ usus est ad accendendum sibimetipsi inextinguibilem inferni ignem : Ejus vero collega illo se supplicio dignum agnoscens, illudque in peccatorum suorum expiationem libenter tolerans, eo usus fuit ad fabricandam sibi scalam qua in Paradisum conscenderet. Auctor quidam haud incelebris de Christi et boni latronis patibulis ita scribit : « Illis crux durat tan- « tum per unum hodie ; Christi enim crux et boni « latronis, eodem die finem acceperunt. » Mali vero latronis patibulum ad Infernum pertinget, ubi ardebit in perpetuum.

**6.** — S. Anselmus sequentem habet considerationem[2] : « Latrones, qui cum Domino sunt crucifixi hinc inde, significant eos, qui vel agonem « martyrii Christi, vel quælibet continentiæ acrio- « ris præcepta subeunt : sed quicumque hoc pro « æterna solum gloria quærunt, vel gerunt, hi « profecto dextri latronis merito et fide signantur : « sed qui sive humanæ laudis intuitu, sive qualibet « minus digna intentione mundo abrenunciant, « jure blasphematoris ac sinistri latronis mentem « imitantur, et actus. De talibus dicit Apostolus : « *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, etc.* » Idem S. Præsul verba illa mali latronis : *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos*, exponens, inquit : « Usque hodie id geri in Ecclesia vide- « mus, cum veri simul et falsi Christiani mundanis « afflictionibus tacti, illi quidem qui ficta mente « Dominicæ Passionis sacramenta gustarint, ad « præsentis vitæ gaudia liberari cupiunt a Domino : « at qui simplici intentione cum Apostolo glorian- « tur in Dominica cruce, ita potius a præsentibus « ærumnis optant erui, ut etiam spiritum suum « commendent in manus sui Creatoris, unaque « cum ipso desiderent esse participes Regni cœles- « tis. »

[1] Prov., xii, 21. — [2] S. Ans., *ib.*

## DISCURSUS II.

MAGIS NOS TERREFACERE DEBET REPROBI LATRONIS DESPERATIO, QUAM BONUS SPEM NOBIS AD PROCRASTINANDAM PŒNITENTIAM SUGGERERE POSSIT; SIQUIDEM EXEMPLUM HOC OMNI CARET EXEMPLO.

IDEA SERMONIS. — 1. Qui ad exemplum mali latronis procrastinant pœnitentiam, tandem e Paradiso excludentur. — 2. Licet Christus ipsemet canonizaverit bonum Latronem attamen S. M. Ecclesia nullam ei exhibet specialem venerationem et qua de causa. — 3. Bonus latro conversionem suam non distulit ad ultimum vitæ. Addicuntur parabola conductorum ad laborandum in vinea. — 4. Ad salutem necessaria est districta compunctio. Bonus latro brevi tempore multos heroicos actus exercendo, salutem promeruit. — 5. Quare Christus sub juramento latroni promiserit paradisum.

*Unus de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum.* Luc., xxiii, 39.

**1.** — Bonus quidem latro sibi Paradisum feliciter rapuit, at vero quot fuerunt, eruntque deinceps, qui ejus conversionem considerantes, in ejusque exemplo confisi, dum pœnitentiam procrastinant, tandem in fine vitæ e Paradiso exulare cogentur? Ex uno eodemque portu centum naves opulentis mercibus onustæ, et in Indias vela facientes, strenuo cursu iter suum prosequuntur, ex quibus tamen una dumtaxat sæpe et non plures, ad optatum itineris terminum salva appellet : cujus unius fortuna, reliquis nonaginta novem deperditis, et per naufragium submersis, tantum abest, ut fiduciam deinceps ad eumdem locum navigandi excitet, vel augeat, ut potius ab eodem itinere reliqui nautæ merito exhorrescant. S. Bernardus ait[1] : « Si bene « memini, in toto canone Scripturarum unum la- « tronem invenies sic salvatum. Noli ergo huic tam « periculosæ exspectationi credere temetipsum. Et « quidem *spiritus* non modo *ubi vult*, sed quando « vult, *spirat*, nec ei difficile est de subito dare « perfectam contritionem cordis, quam vix multo « tempore alii consequuntur; sed unde scis, quod « tunc tibi ita subvenire velit, quem tu interius sic « repellis? Benignus quidem est spiritus sapientiæ, « sed non liberabit maledicum a labiis suis. Audi « quis ille sit : *Maledictus qui peccat in spe.* » Cur, obsecro, is, qui vitam agit pessimam, exemplo boni latronis se tandem in fine vitæ salvandum esse sperat; et non potius formidat et contremiscit, condesiderando, quod consodalis ejus mortuus fuerit

[1] S. Bern., s. 38 *in parvis.*

desperatus et a Deo reprobatus? « Exemplo istius « latronis nullus debet suam pœnitentiam differre, » inquit Ludolphus Carthusianus [1], « quia privilegia « paucorum non faciunt legem communem et pauci « sunt, qui in morte vere pœniteant. Nam sicut « monstruosum esset, quod lupus caudam ovis ha- « beret, ita monstruosum videtur, quod vita mala « bono fine claudatur. » Didacus Stella ingeniosam ad hoc propositum adducit observationem, inquiens[2]: « Multi peccatores et publicani venientes discum- « bebant cum Jesu et sicut in vita hac mortali « societatem cum eis habuit, sic et in morte latro- « nes socios habuit : et tamen tantum uni eorum « regnum Dei promisit. » Hoc enim privilegium adeo rarum est et speciale, ut illud concedens, necessarium duxerit, ut diceret : *Dico tibi*, quasi diceret : tibi soli hoc promitto, non enim volo, ut privilegium hoc ad alios in exemplum transeat. Unde hi qui per exemplum seducti conversionem suam ad finem usquæ vitæ suæ procrastinant, sequens salutare Salmeronis monitum velim ausculent, dicentis [3] : « Respicere debent, lateri Christi « adfuisse alterum latronem, qui non est conversus. « Et non semper est dies illa Veneris sancta et « jubilæo insigni sanguinis Christi effusi ornata, etc. « Qui promisit omni hora exauditurum se ingemi- « scentem peccatorem, non tamen promisit pœni- « tentiam veram et gemitum, quo caruit Esau et « ipse Judas Christi proditor. » Imo vero malus latro qui damnatur, majorem nobis incutere deberet horrorem et metum, quam bonus latro qui salvatur, suggerat fiduciam. Ille enim durus obstinatus et impœnitens permansit et perditus fuit in die illo, quo sanguis Redemptoris et Salvatoris actualiter effundebatur ad peccatorum reconciliationem. In die quo emollescebant et discindebantur ipsi quoque durissimi silices et petræ : In die, in quo sanguis Christi multo melius, quam sanguis Abel occisi, pro imploranda peccatoribus venia ad Patrem clamabat. In die denique plenariæ indulgentiæ et Jubilæi universalis, in quo Filius Dei ad nos salvandos et ad abolendum peccata nostra, erogabat quicquid habebat, sanguinem scilicet, carnem, animam, vitam, honorem et existimationem et omnia alia similia ; cum tamen una sanguinis sui stilla ad mille mundos redimendos sufficeret. Denique in occasione tali, in qua, ut S. Paulus ait [4], Christus *cum clamore valido et lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* In omnibus namque hisce efficacibus ad conversionem sibi subministratis argumentis, infelix ille malus latro damnatus est, non obstante efficaci a bono latrone consodali suo in ipsum prolata correctione. Et quando exemplum conversionis boni latronis, totque alia Divinitatis Christi evidentia visa indicia ipsum Christo lucrati debuissent, tunc, inquam, ipse ad finem usque obstinatus perseveravit.

[1] Lud. Carth., p. 2, 63. — [2] Did. Stella, *in Luc.* — [3] Salm., t. X, tr. 40. — [4] Hebr., v, 7.

**2.** — In omnibus hactenus in lucem editis martyrologiis, cunctisque Annalibus Ecclesiasticis, nullum uspiam reperietis sanctum, cujus canonizatio evidentiorem habeat securitatem, quam canonizatio boni latronis, siquidem hic ab illo supremo Pontifice canonizatus fuit, de quo Apostolus [1] : *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, etc.,* nec tamen uspiam invenio, quod sancta mater Ecclesia sollicita fuerit quoad exhibendum ei cultum et honorem, similibus sanctis deferri solitum, vel per divini officii celebrationem, vel in erigendis in ejus honorem templis, vel corporis sui reliquias, aut vero crucis suæ lignum, simul cum Christi cruce inventum communi fidelium venerationi exponendo, vel alias similes devotionis demonstrationes in ejus honorem instituendo. At vero scitisne, quonam mysterio idipsum sancta Ecclesia facere intermittat et hactenus intermiserit? Hac nimirum de causa, quia hujusmodi solemnitates sanctorum non solum instituuntur, ut ejusmodi sanctos honoremus, verum etiam ut virtutem ipsorum, quibus hic in terris effulserunt, imitemur exempla. Sapienter igitur sancta Ecclesia a singulari cultu hujus sancti latronis abstinet, ne animum peccatoribus suggerat, pœnitentiam ad ultimum vitæ usque prolongandi.

**3.** — Porro in favorem hujus boni latronis observanda est doctrina quædam S. Augustini a pluribus quoque aliis memorata. Advertit enim sanctus hic Doctor, bonum hunc latronem conversionem suam non ad ultimum usque vitæ distulisse tametsi in extremo mortis articulo conversus fuerit; siquidem ante illud tempus per efficacis gratiæ impulsus minime fuerat vocatus. En verba S. doctoris[2] : « Ipse se seducit et de morte sua ludit, qui hoc « cogitat : Potest mihi extremi temporis indulgentia « subvenire. Primum, quia periculosissimum est in « ultimum diem promissa securitas : deinde stul- « tissimum est, ut causa qua de necessitatibus agi- « tur æternis, inutilitatibus vitæ deficientis comit- « tatur extremis. » Idem quoque ad objectionem, quam nonnulli per adductum boni latronis exemplum faciebant, in hæc verba respondet : « Vitæ « prædam subito rapiens, nec salutis tempora « sciens, distulit, nec remedia status sui in mo- « menta ultima infelici fraude posuit. » Observandum namque, bonum hunc latronem conversionem suam nequaquam data opera distulisse ad extremum vitæ, sed id fecisse, quia vivens in pessimæ vitæ suæ tenebris et obscuritate, nullum a Deo habebat lumen, quo miserum statum suum agnosceret, neque usque ad extremum mortis articulum per speciales inspirationes excitatus seu invitatus fuerat. Ac proinde idem S. Augustinus subdit :

[1] Heb., ix, 11. — [2] S. Aug., s. 45 *in Append. de div.*

« Nec religionem antea, nec Christum scivit. Quod « si scivisset, fuisset forsitan inter Apostolos non « postremus in numero, qui prior factus est in « regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit « Deo, quia ad consequendam fidem non fuit extre- « ma hora illa, sed prima. » Huc spectat parabola illa, de iis qui ad laborandum in vinea hora serotina conducti fuerunt et tamen pari cum illis, qui tota die laboraverant, præmio donabantur. Hi enim a Patrefamilias interrogati [1] : *Quid hic statis tota die otiosi?* responderunt : *Quia nemo nos conduxit.* quasi dicerent : « si matutino tempore fuissemus conducti, parata utique et prompta fuissent nostra obsequia. Salubriter itaque monet Nazianzenus [2] : « Ne temere fidas latronis furto : unus est, ne des- « peres ; unus est, ne præsumas. » Et ideo bonus latro ab illis qui emendationem suam ad finem usque vitæ differunt, in exemplum adduci nec potest, nec debet, cum sit indubitatum, quod subito ut lumen et notitiam Dei et veritatum æternarum habuit, ne unico quidem temporis momento acceptæ gratiæ ex toto conatu cooperari distulerit ; prouti in progressu horum discursuum in ejus laudem evidenter probabitur. S. Gregorius Nyssenus ait [3] : « Animadvertit exiens et ingressus fur thesaurum. » Quasi diceret : Bonus hic latro rapiendi gnarus, videns inæstimabilem et inexhaustum sanguinis Christi thesaurum, quem Christus super collybistica crucis mensa pro omnibus infinitis generis humani debitis expiandis exsolvebat, noluit negligere rapiendi opportunitatem ; sed « nactus occasionem, « vitam rapuit arte furandi pulchre et solerter « abusus. » Sed audiamus Nazianzenum in hæc verba monentem [4] : « Neque enim furto circumve- « niri sæpius Christus amat, tametsi clemens et « mire facilis sit. »

**4.** — S. Cyprianus ad hanc boni latronis conversionem, magno cum sacramento a Deo operatam, se reflectens inquit [5] : « Deputatus inter impios, « quorum alter assumptus, alter reprobatus est, ut « daretur exemplum et forma indissolubilis, ma- « nans in posteros, quia nec in ultimis Dei clemen- « tia pœnitentes excludit, nec ulla hora sera est, « cui compunctio districta occurrit. » Quæ verba magnum in se pondus continent, siquidem per illa insinuatur, quod ad salutem necessaria sit districta compunctio, quæ in nostra potestate nequaquam est posita, sed auctor illius Deus est et divinæ suæ gratiæ efficacia. Nec sufficit, quod voluntatem habeamus in extremo mortis articulo ad Deum nos convertendi, nisi Deus speciale et potens divinæ gratiæ suæ nobis infundat auxilium ; quemadmodum bono huic latroni fecit, qui proinde brevissimo tempore inæstimabile sibi lucrum comparavit. Didacus Stella in Lucam scribens, inquit [1] : « Quid « hoc bone Deus ! Latroni vitam æternam pollice- « ris, matrem dilectissimam, charos amicos in hoc « sæculo relinquis et latronem tecum fers, cum « scriptum sit, quod non habitabit lupus cum « agno? O magnum mirabile ! Nonne videtis, « quod sic æternus Pater præcepit qui exiit primo « mane conducere operarios in vineam suam et « quod Christus Redemptor noster munere œco- « nomi fungitur, qui jussit solvere, incipiens a « novissimis usque ad primos ? O bonus latro om- « nium quidem operariorum novissimus, qui non- « dum per horæ unius spatium labori operam « dederas ; undecima enim vocatus es, Apostoli « vero prima hora : et tamen cum in vocatione « novissimus sis, primus certe in solutione es. » Vere hic adimpletum esse cernitur, quod S. Paulino in epistola quadam S. Hieronymus in hæc verba scribit [2] : « Subitus calor longum vincit te- « porem. Noli fidem pensare temporibus, nec me « idcIrco meliorem putes, quod prior in Christi « exercitu cœperim militare. » Adducitque exemplum S. Pauli, qui ex persecutore transmutatus est in Apostolum et inter Apostolos ultimus quidem fuit ordine temporis, sed meritorum ordine primus, utpote qui plus cæteris laboraverat. Considerandum quoque est brevissimum spatium, intra quod hic latro copiosissimum sibi comparavit lucrum. Etenim *ab hora sexta tenebræ factæ sunt super universam terram*, quando jam ante Redemptor huic latroni Paradisum promiserat, prout ex sacro textu clare deducitur ; unde verisimile est, quod tunc de facto merita sibi comparaverit ad Paradisum possidendum, dicente Christo : *Hodie mecum eris in Paradiso.* Et vero si tempus volumus, deprehendemus, quod circiter intra mediæ horæ spatium ad tam eximiam sanctitatem pervenerit, multos heroicos intra se excitando virtutum actus, quos suo loco examinabimus. Unde convincitur, quod hujus ronis conversio, cum hisce circumstantiis facta, nequaquam transire possit in exemplum ; *fecit* enim Deus cum ipso *potentiam in brachio suo.* In illo enim die Redemptionis universalis Deus rarum hoc misericordiæ suæ prodigium patrare voluit [3] : *Sciens enim quia omnia dedit ei Pater in manus*, prout dilectus Christi Discipulus ait, hujus potentiæ specimen in hac prodigiosa conversione edere voluit ; de qua proinde ut in speciali quodam discursu probabimus, vere dici potest [4] : *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

**5.** — *Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Ecquis ita temerarius erit, qui de divinis promissionibus dubitare ausit ? Cur igitur necessum erat ut Christus huic promissioni

[1] MATT., XX, 6, 7. — [2] NAZIANZ., or. *in S. Baptist.* — [3] S. GREG. NYSS., *in Matt.* — [4] NAZIANZ., *ib.* — [5] S. CYPR., *de Pass.*

[1] DID. STELLA, *in Luc.* — [2] S. HIER., *ep. ad Paul. de instit. Mon.* — [3] JOAN., XIII, 3. — [4] *Ps.* LXXVI, 11.

adderet juramentum? Lucas Brugensis respondet[1]: « Amen dico tibi, asseverat firmissime, quo perse- « veret latro ad mortem usque constanter, in ea, « quam conceperat, fide, spe, pœnitentia. » S. Bernardinus vero in hisce verbis expressum agnoscit juramentum, inquiens[2]: « *Amen*, est juramen- « tum, sicut Propheta ait: *Juravit Dominus et non « pœnitebit eum.* Subdit: *Dico.* Os autem Domini « locutum est, quod non mentietur. » Simon de Cassia similiter ait[3]: « *Amen*, verbum est veritatis, « unde infallibili pollicitatione latroni pendenti « atque converso, Paradisum Christus moriens re- « promisit. » Auctor quidam contemplativus aliam circa hæc Christi verba adducit considerationem; ait enim, Christum dixisse: « *Amen dico tibi*, ra- « tione personæ suæ, qui tunc videbatur ipse, « miserrimus et omnium calamitosissimus: pote- « rat enim quis cogitare. Quomodo promittit hic « paradisum, qui ne in hoc mundo quidem et urbe « tolerabatur, sed ejectus in cruce pendet? Quique « vivens non juvat seipsum, quomodo mortuus ad- « juvabit alios? » Verum enim vero certissimum est, veriorem causam, ob quam Christus promissionem suam juramento ratificare voluit, fuisse indignitatem et demerita hujus latronis; nam ut Salmeron ait[4]: « Promisit cum affirmatione, quæ « vim jurisjurandi habere videtur. Tam insignis « siquidem peccator vix posset credere, sibi dan- « dum paradisum; ideo verbo irrevocabili promit- « tit; dicendo: *Amen.* » Didacus Stella pariformiter ita scribit[5]: « Huic promissioni assertionem suam « adjunxit, dicens: *Amen dico tibi.* Primo quia « grandi peccatori et tam vili personæ difficile vi- « debatur, sine præcedentibus meritis dari regnum « et ideo per *Amen* etc. » Dici quoque potest, Christum promissionem suam juramento firmare voluisse, quia per altissimam suam præscientiam prævidebat, quod vix aliquis in sæculis futuris huic promissioni fidem adhibiturus esset, utpote quæ tali peccatori obtigerat, qui totam vitam suam in latrociniis committendis transegerat et solum in fine vitæ intra spatium mediæ horæ, vel unius ad summum, sese converterat.

## DISCURSUS III.

BONI LATRONIS ZELUS, QUEM IN CORRIGENDO SODALEM EJUSQUE ANIMAM LUCRARI SATAGENDO, OSTENDIT, NEC NON TIMOR, QUEM ERGA DEUM EXHIBUIT, CONSIDERANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Accurate expenditur correptio qua bonus latro corripuit malum. — 2. Bonus latro prompte adimplevit Christi præceptum de correptione fraterna. Bonus latro per hanc correptionem socii acquisivit amicitiam Christi. — 3. Zelus animarum est gratissimum Deo sacrificium. — 4. Bonus latro propria necessitate dilata, quæsivit salutem socii. Bonus latro in cruce fuit prædicator.—5. Bonus latro a timore Dei exorsus fuit operari suam salutem. — 6. Timor Dei disposuit bonum latronem ad infusionem charitatis.

*Respondens autem alter, increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Luc., XXIII, 40.

**1.** — Ecce tibi stupendam divinæ gratiæ metamorphosin utpote quæ titiones inferni in Seraphinos mutare novit Paradisi. Etenim bonus hic latro ante mediam horam certatim cum consodali suo Christum blasphemaverat, eique maledixerat: nunc vero acerrimum se probat Christi defensorem, blasphemiarumque correctorem zelosissimum: *Respondens autem alter, increpabat eum.* Victor Antiochenus verbum *increpabat* ponderans, in hujus boni latronis laudem ita scribit[1]: « Conviciatoris insolen- « tiam gravi oratione compressit et reprehendit, « cui proinde magna quoque merces, magnusque « honos a Christo promissus sit. » Lucas Brugensis ait[2]: « Increpabat eum verso ad eum capite, quod « unum movere poterat. Manifesta hic subest em- « phasis. Eam constituunt quidam in nomine « *Deum*, ita ut Deus hominibus opponatur, quasi « dicat: Ne Deum quidem times, si non homines? « Quidam in verbo, *times*, quasi dicat: Ne times « quidem Deum, si non amas? Alii rectius in pro- « nomine secundæ personæ, *tu*, opposito principi- « bus, populo et militibus, quorum mentio præce- « dit. Increpat socium suum ut impium et nequa- « quam timentem Deum, quod maledica convicia « in Jesum evomat. Causam subjicit, quod in eadem « damnatione sit, quasi dicat: Si principes, popu- « lusque Judæorum et Romani milites præsentes « non timent Deum, ac proinde non verentur hunc « suppliciis a se affectum et moribundum, etiam « conviciis proscindere, nulla pœnarum ejus com- « miseratione moti: minus mirum est, quia nihil « pœnæ, nihil adversi patiuntur, prospere agunt, « vivunt, valent et diu adhuc victuros se sperant, « ita parum, aut nihil de Deo, ut fit, cogitant: sed « quod tu qui damnatus ad mortem morte affice- « ris, mox moriturus et Dei judicio præsentandus, « non revoceris timore Domini a maledicentia, « eaque in socium pœnæ ac mortis, perquam duri « et obstinati animi argumentum est. Docet timor « Domini, omnes compati et condolere afflictis, « iisque qui morte afficiuntur, etiam justa de causa. « Quod hoc non præstet, sed contra maledicat, qui « ipse similiter afflictus est et morti proximus, et « merito cogitare debet de Deo judice, ad cujus

[1] LUC. BRUG., *in Luc.* — [2] S. BERN., t. I, s. 55, a. 1, c. 2, *Princ.* — [3] SIM. DE CASS., *ib.* — [4] SALM., t. X, tr. 48. — [5] DID. STELLA, *ib.*

[1] VICT. ANT., *in Marc.* — [2] LUC. BRUG., *in Luc.*

« tribunal a morte sistendus est, nimis est a ra-
« tione alienum. »

**2.** — Inter alia hujus boni latronis encomia, primo loco admiranda est prompta præcepti, a Christo de correctione fraterna facienda conditi, adimpletio [1]. Et vero si dixeris, bonum hunc latronem modum correctionis faciendæ transgressum fuisse, siquidem proximus noster corripiendus est *in spiritu lenitatis*, siquidem *corripere*, idem est, quod *cor rapere*, hic autem latro non corripiebat, *sed increpabat eum* : respondeo, quod cum hic latro diuturno tempore cum sodali suo conversari solitus, malitiosam et induratam illius indolem probe novisset, hoc rigore increpandi usus fuerit, quia alias correctionem suam cassam et irritam fore certo sciebat et ideo secutus est regulam illam Sapientis [2] : *Responde stulto juxta stultitiam suam.* D. Chrysostomus in homilia *de doctrina et correptione*, in hac materia sequentia tradit monita, inquiens [3] : « Noli desistere fratrem tuum, quem ad exitium « ruere cernis, cohortari, etiamsi convicia in te « jaciat, etiamsi contumeliis te afficiat : omnia forti « constantique animo perferas, quo salutem ipsius « lucrifacias. Si hic tibi inimicus fiat, Deus amicus « tuus erit. » Profecto si bonus hic latro aureum hoc Chrysostomi audivisset monitum, plus facere non potuisset, quam de facto præstitit ; siquidem ut in discursibus præcedentibus diximus, malus latro criminis et supplicii sui consortem deridebat et subsannabat, eo quod Christum Regem appellasset, dicendo : *Memento mei, dum veneris in regnum tuum* : Et quidem credibile est, eum præter ludibria et sannas socium pariter conviciatum fuisse ; imo quod præcipue consideratione dignum est, dum per hanc correctionem innocentis Redemptoris defendendi partes sibi vindicasset, eum justificando in conspectu totius Synagogæ, pontificum, principum, seniorum, nec non ministrorum præsidis, simulque protestando, ipsum injuste fuisse condemnatum, eumque tanquam verum Dei Filium et supremum cœlorum regem agnoscendo ; eo ipso probe sciebat, se ab omnibus circumstantibus contumeliandum, variisque injuriis afficiendum et præter crucifixionem multis verberibus et vulneribus sauciandum fore : nihilominus a correctione consortis et defensione innocentis Christi non destitit, sed exacte executus fuit, quod præfatus Chrysostomus in eadem homilia hisce verbis subdit [4] : « Etiamsi injuriam ferre oporteat, etiamsi vulnera « accipere, etiamsi aliud quidlibet sustinere ne-
« cesse sit, omnia faciamus, ut recuperare tandem « illos possimus. » Enimvero tametsi iram et indignationem tam gentilium, Pilatum veluti iniquum judicem condemnando, quam Judæorum, dicendo : *Hic autem quid mali fecit ?* sibi adsciverit, nihilominus in hujus boni operis remunerationem Dei amicitiam sibi acquisivit : siquidem hic illum eodem die tanquam charissimum amicum, regni sui participem et consortem effecit.

**3.** — S. Bernardinus super illa verba : *Lucratus eris fratrem tuum*, scilicet Deo, sibi et tibi, ita scribit [1] : « Considerandus est fraternæ correctionis « fructus, qui quidem triplex est. Primus est lu-
« crum unius animæ, secundus, infusio gratiæ,
« tertius est adeptio gloriæ. » Et vero tametsi bonus hic latro consodalis sui animam per correctionem lucrari non potuerit, Christus tamen, qui cor intuetur, rectamque nostram præmiat intentionem illum divina sua gratia et gloria non defraudavit ; siquidem sine dilatione audire meruit : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Nam ut Sapiens ait [2] : *Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet.* Verisimile est, S. Jacobum Apostolum ex hujus boni latronis exemplo didicisse, quod in epistola sua in hæc verba scripsit [3] : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus* : quod in hoc latrone vere adimpletum fuit, tametsi enim animam sodalis sui salvare non potuerit, certum tamen est, quod animæ propriæ saluti optime prospexerit. Tametsi enim innumeris, enormibusque fuerit peccatis obnoxius, attamen prout idem Apostolus subdit, in præmium hujus correctionis operuit multitudinem peccatorum ; id est, omnium peccatorum suorum veniam est consecutus. Ludolphus Carthusianus inquit [4] : « Est documentum in la-
« trone dextro, quod injurias Dei nullatenus tole-
« rare debemus, sed reprehendere, sicut fecit latro
« iste. » Cum enim Redemptorem nostrum in cruce angustiari videret, non tam ob acerbissima, quæ ei inferebantur, supplicia, quam quod exiguum Redemptionis suæ fructum ab hominibus reportandum prospiceret ; simulque intelligeret, nullum Christo afferri posse majus solatium præter salutem animarum, ideo non solum ei suam obtulit animam verum etiam quantum potuit, consodalis sui et omnium circumstantium animas Christo comparare conatus fuit. declarando omnibus ex parte sua, Christum non solum innocentissimum, verum insuper cœlestis paradisi regem esse, et consequenter Filium Dei, et promissum Messiam. « Nullum opus « ita placet Deo, » inquit Albertus magnus [5] « sicut « fraterna reductio, quæ ex charitate procedit. » Egregium profecto erat spectaculum videre latronem quemdam manibus, pedibusque crucis patibulo clavis affixum totoque corpore sanguine respersum, linguam quam solum liberam habebat, adhibere non ad postulandum auxilium pro sui liberatione, sed ad zelandam animæ alienæ salutem, ad defendendum Dei contumeliati honorem, nec non ad

[1] Matt., xviii, 15. — [2] Prov., xxvi, 4. — [3] Chrys., h. *de doct. et corrept.* — [4] Id., *ib.*

[1] S. Bern., t. II, s. 28, a. 1. — [2] Prov., xxviii, 2. — [3] Jac., v, 20. — [4] Lud. Cart., p. 2, c. 63. — [5] Albert. Mag., *in Luc.*

exprobrandam omnibus iujustitiam, dicendo : *Hic autem quid mali fecit* ? Quot sunt quos bonus hic latro condemnavit, qui videlicet propter respectus humanos, vel propter alia similia vana motiva, muti existunt, atque ab hujus præcepti correctionis fraternæ executione totaliter desistunt. D. Chrysostomus ardentissimam hujus latronis charitatem admiratur, dicens : « Priusquam sibi quicquam « petat, curat socium lucrari, quæ insignis est « charitas. » S. Gregorius magnus ait [1] : « Nullum « omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est « zelus animarum. » Qui in hoc latrone prorsus eximius fuit si quidem in eodem momento, quo Redemptor noster pretium sanguinis sui pro salute animarum exsolvit, bonus hic latro opportune accurrit, ut eidem suam, et sodalis sui animam, quantum erat ex parte sua, prompte offerret. Et quidem tametsi socii sui animam lucrari non potuerit, non tamen propter hoc meritum suum perdidit, imo ad supremum divinarum perfectionum culmen in brevissimo tempore pervenit, siquidem ut S. Dionysius Areopagita scribit [2]: « Omnium di- « vinissima extat perfectio, Dei cooperatores esse « in salute animarum ad suum creatorem. »

**4.** — Observandum, quod licet videatur, quod *cum prima charitas incipiat a seipso*, bonus hic latro primo omnium loco a Christo propriorum peccatorum suorum veniam postularet debuisset, et postea aliorum sollicitare salutem, id tamen ipse minime fecerit, nam ut D. Chrysostomus ait [3]: « Suas « necessitates prætermittens, aliorum utilitatem « cogitabat, et sanis persuasionibus alium invita- « bat ad vitam. » Cur igitur semeptiso neglecto de aliis sollicitus fuit? Ad hoc responderi potest, quod bonus hic latro prius sibi aliquod penes Christum comparare voluerit meritum, publice ejus defendendo innocentiam, sodali suo improperando improperia, quibus Christo crucifixo insultabat, ingentique cum zelo laborando, ut eumdem ad divinitatis Christi notitiam, veramque pœnitentiam perduceret, ut hisce præcedentibus meritis, tanto fiducialia Christo dicere posset : *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.* Richardus de S. Victore ait [4]: « Ignoro, an possit hac gratia inte- « rim majorem aliquam Deus homini conferre « quam ut ejus ministerio perversi homines in « melius mutentur. » Hanc autem prærogativam Deus huic latroni contulit, ut in cruce sua prædicator fieret, qui licet malum latronem non converterit, verisimile tamen est, quod ejus verba ad fidem et compunctionem multorum, qui *revertebantur percutientes pectora sua* et confitentes, quia *vere Filius Dei erat iste* cooperata fuerint. D. Chrysostomus in homilia quadam ait[5]: « Hoc nostræ sa- « lutis argumentum erit et occasio, si non solum « pro nobis ipsis solliciti, sed et proximo utiles « fuerimus, ipsum ad viam veritatis manuducen- « tes. » S. Bernardinus ad illa se verba reflectens : *Nos quidem juste, nam digna factis recipimus*, ita scribit [1] : « Ad considerationem malæ vitæ actæ « remittebat iste socium, ut revocaret ad memo- « riam mala quæ fecerat, ut dignam malefactis « assereret pœnam, quam ligno affixi ferebant. » S. Paulus Apostolus ait [2] : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* « etiam peccata » ut exponit Glossa, ut igitur induratum sodalis sui cor ad amorem Dei inflammaret, omnia ejus commissa scelera in memoriam ei revocavit, ut illa considerans, videret, quam juste patibulum meritus fuisset faceretque ex necessitate virtutem, patienter illud sustinendo ad satisfaciendum divinæ justitiæ pro peccatis suis sicque divinam gratiam sibi compararet.

**5.** — *Neque tu times Deum* ? Ecce tibi aliud boni hujus latronis meritum, scilicet timorem Dei, quem in corde suo conceperat. Porro ut Lucas Brugensis ait [3]: « Significat latro iste pœnitens, se sibi cavere « ab imitando exemplo maledicorum præsentium, « concepto timore Domini, prohibentis, ne afflictio « addatur afflicto et comminantis a morte, cui se vi- « cinum novit, gravissimas, easque æteruas pœnas, « iis qui mandata ejus transgressi fuerint. Observanda « igitur in hoc latrone primum quidem fides in Deum « judicem, et in vita futura remuneratorem, deinde « *timor Dei initium justificationis*, deinde gemina « charitas. Erga Deum quidem, quia movebatur « zelo compescendæ injuriæ, quæ Deo et Christo « inferebatur, erga proximum vero, quem severa « castigatione satagit emendare, et revocare a mala « mente. » Quænam putas fuisse prima verba, quæ ab hujus boni latronis ore emanarunt? Nimirum verba Dei timorem spirantia : aiebat enim : *Neque tu times Deum : initium sapientiæ timor Domini* [5]. in sequentibus discursibus superhumanam hujus boni latronis considerabimus sapientiam, cujus origo sine dubio timor Dei fuit, qui a principio cordi ejus cœlitus fuit infusus : « Est enim timor « Dei » ut Hugo Cardinalis ait [7] : « quasi columna « sustinens totam fabricam spiritualis ædificii, » et S. Basilius magnus inquit [8] « Est hic reverentialis « erga Deum timor, ad perfectionem contendenti « velut fundamentum. » Enimvero quando protoparens noster, post trangressionem furti pomi vetiti, Deo dixit [9] : *Vocem tuam audivi, et timui*; timor ille dispositio fuit ad pœnitentiam, et erroris sui emendationem ita quoque timor Dei conversionis hujus latronis prima origo fuit. Unde Eusebius

[1] S. Greg., h. 12 *in Ezech.* — [2] Dion. Areopag., *de cœl. Hier.* — [3] Chrys., h. *de cruce et latr.* — [4] Rich. de S. Vict., *de Præp. in Cat.* — [5] Chrys., h. 4 *in Gen.*

[1] S. Bernar., t. I, p. 2 *Princ.* — [2] Rom., viii, 28. — [3] Luc. Brug., *in Luc.* — [4] Eccli. i, 28. — [5] Id., 16. — [6] Prov., i, 7. — [7] Hugo Card., *ib.* — [8] S. Basil., h. 1 *in Hexam.* — [9] Gen., iii, 11.

Emissenus de hoc bono latrone disserens, ipsum dicentem : *Neque tu times Deum?* districti judice uturi memoriam ei inculcare voluisse asseri [1] : « Hæc dicebat, futuri examinis diem cogitans. » Redemptor enim noster, ut alibi dicetur, in medio horum latronum tanquam justus judex pendebat, ac proinde merito bonus latro in finale se judicium reflectens concepit timorem, indeque efficaciter conversus fuit. S. Bernaadinus in sermone quodam ait [2] : « Tota interim beatitudo nostra est timere Deum, » idque probat sequenti auctoritate Psalmistæ dicentis : *Beati omnes qui timent Dominum.* Porro quam stabiliter bonus hic latro in hoc timore fundatus fuerit, ex facta ei ab æterna et prima veritate promissione : *Hodie mecum eris in paradiso*, facile deduci potest.

**6.** — Verum enim vero ex quo irrefragabile est axioma illud : *Nil coinquinatum intrabit in regnum cælorum,* qua ratione hic latro, qui per totum vitæ suæ decursum innumeris se sceleribus defædarat, hujus promissionis effectum scilicet regnum cœlorum consequi potuit. Respondeo cum eodem Bernardo [3]: « *Timor Domini,* ait Scriptura, *expellit* « *peccatum,* sive quod jam admissum est, sive quod « tentat intrare. *Expellit.* sane quidem illud pœni- « tendo, hoc resistendo. » Etenim tametsi verum sit, quod ad charitatem peccata delere pertineat, juxta illud [4] : *Charitas operit multitudinem peccatorum,* attamen juxta doctrinam S. Augustini asserere possumus, timorem Dei in hoc bono latrone dispositionem fuisse ad acquirendam charitatem. En verba S, doctoris. « Sicut videmus per « setam introduci linum, quando aliquid suitur, « seta enim prius incedit sed nisi exeat, non succe- « dit linum. Sic timor primo occupat mentem, « non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, « ut introduceret charitatem. » Deus apud Ecclesiasticum promittit dicens [6]: *Timenti Dominum bene erit in extremis.* Cum igitur D. Chrysostomus bonum hunc latronem appellet *timoris Dei doctorem* facile colligitur, ad quam excellentem hujus timoris gradum hic latro pertigerit, et ideo nihil mirum, quod adeo feliciter ex hac vita decesserit, prout ei promissum fuerat ab eo, qui de semtipso dicebat[8]: *Ego sum ostium, per me si quis introjerit salvabitur,* ab hoc namque sibi dici audivit : *Hodie mecum eris in paradiso.*

[1] Euseb. Emis., h. *de latr.* — [2] S. Bern,. s. 5 *de Fest. omn. SS.* — [3] Id., s. *de divin. affect. anim.* — [4] I Pet., IV, 8. — [5] S. Aug., tr. 9 *in Joan.* — [6] Eccl., I, 13. — [7] Chrys., h. *de Cæco.* — [8] Joan., X, 9.

## DISCURSUS IV

CONFESSIO QUAM BONUS LATRO DE PECCATIS SUIS FECIT, CHRISTO SUPRA MODUM GRATA IPSI VERO PLURIBUS EX CAPITIBUS UTILIS FUIT.

Idea sermonis. — 1. Bonus latro totum obtulit Deo quod liberum habuit, cor et linguam. — 2. Ostenditur quantum valeat sincera peccati confessio ad impetrandam veniam — 3. Bonus latro peccatorum venia obtenta, adhuc considerabat se juste puniri. — 4. Omnes conantur peccata occultare propter deformitatem illorum. — 5. Ex nostris peccatis cum hoc latrone nobis scalam possumus facere ad ascendendum in cœlum. Confessio boni latronis habuit tres conditiones veri pœnitentis. — 6. Ambo latrones in cruce Christo supervixerunt ad duas horas. In quibus tam a socio quam ab aliis impetitus fuit multis improperiis et ludibriis bonus latro.

*Et nos quidem juste nam digna factis recipimus.* Luc. XXIII, 41.

S. Bernardinus Senensis ad manifestam et publicam hanc confessionem se reflectens, quam bonus hic latro in conspectu infiniti cujusdam populi, de omnibus criminibus suis, pro quibus supplicium illud libenter acceptabat instituit, in hæc verba scribit [1]: « In magnis cognitionibus ferebatur, qui se « juste, digneque pati profitebatur : magna est pars « veniæ apud Deum hoc cognoscere, similiter et « fateri. » Idem paulo ante dixerat : « Quatuor « amores ardentissimos lingua sua de corde ex- « pressit : primus fuit amor confessionis, secundus « compassionis, tertius correctionis, quartus per- « fectionis, » ubi primo loco confessionem statuit subdit vero idem sanctus : « Sua propria, ac totius « humani generis scelera confessus est, asserens, « nos pœnalibus augustiis digne plecti, cum ait : « *Et nos quidem juste,* scilicet patimur : *nam digna* « *factis recipimus.*» Beda in hoc bono latrone valde suspicit quod cum nihil aliud in sua haberet potestate, præterquam cor et linguam: ambo hæc membra Redemptori in peccatorum suorum expiationem obtulerit ita enim scribit [2]: « Quis hujus latronis « animum non miretur? In cruce clavi manus ejus « pedesque ligaverunt, nihil in eis a pœnis liberum « nisi cor et lingua remanserat. Inspirante Deo, « totum illi obtulit, quod in se liberum invenit, ut « juxta hoc quod scriptum est, corde crederet ad « justitiam, ore confiteretur ad salutem. » S. Bonaventura propositi thematis verba exponens, ex glossa idipsum quasi his verbis dicit [3]: « Magna « gratia in hoc latrone eminet. Nullum membrum « a supplicio liberum habet, offert ; credit corde, « confitetur lingua. »

**2.** — David divinam pietatem ad concedendam sibi plenariam quamdam indulgentiam inclinare

[1] S. Bern., t. I, p. 2 *Princ.* — [2] Beda, *in Marc.* — [3] S. Bonav., *in Luc.*

volens inquit[1]: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me.* Motivum autem hujus quam petebat indulgentiæ hoc erat: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Bonus autem hic latro, peccatum suum non solum agnovit, verum etiam illud coram infinito quodam populo publice confessus est, et manifestavit, ut per suarum publicationem, tanto apertius Christus emicare faceret innocentiam. Unde ait: *Nos quidem juste, nam digna factis recipimus, hic autem quid mali fecit?* Lucas Brugensis inquit [2]: « Ne eo quod « dixerat: *In eadem damnatione es*, putaretur cre- « dere Jesum ut supplicii, ita et peccati socium esse, « occurrit, Jesum omni culpæ communione exi- « mens, et a sua, et socii causa secernens. » Et paulo post subdit: « Confitetur peccata sua, quod « initium est conversionis ad Deum, et prudenter « se alteri adnumerat, quamvis pœnitentem, ut « correptio quo modestior, eo sit efficacior. » Tametsi enim jam justificatus, et in gratia Dei constitutus esset, attamen se malefactorem esse fatebatur, ut ostenderet, se solidum veræ humilitatis jecisse fundamentum nam ut sapiens ait[3]: *Justus prior est accusator sui.* Similiter tametsi peccatorum suorum obtinuisset veniam, oculum tamen suum ad pœnam habebat directum, quam se juste pro peccatis pati protestabatur. « Agnoscit se juste affic « morte crucis, » inquit Lucas Brugensis [4], « ac « proinde æquo animo tolerat eam, et accipit de « manu Pilati judicis, tanquam de manu Dei. » Salmeron super propositi thematis verba in hunc modum discurrit: « Noverat iste latro divinæ jus- « titiæ ordinem, quæ malum aliquod impunitum « esse non patitur, et licet horreret sensus exterior, « interior tamen justitiam, qua conficiebatur, ama- « bat, et quasi supplicii oblitus, punientem justi- « tiam verbis extollebat. Proprium enim est cum « ratione loquentium et multo amplius electorum « diligere, atque laudare justitiam, etiamsi illius « decreto aspere torqueantur, et magna pars veniæ « apud Deum est, hoc agnoscere, et fateri. » Juxta sepulcrum SS. Apostolorum Petri et Pauli hic Romæ in basilica Sancti Petri hæc celeberrima verba suspensa leguntur: « Ante oculos tuos Domine culpas « nostras ferimus et plagas quas accepimus, confe- « rimus: si pensamus malum quod fecimus, minus « est quod patimur, majus est quod meremur, « gravius est quod commisimus, levius est quod « toleramus; peccati pœnam sentimus et peccandi « pertinaciam non vitamus. » Quæ ultima verba huic bono latroni nequaquam adaptari poterant siquidem is ex toto corde et spiritu sua detestabatur peccata, fatebaturque ingenue, quia *juste digna factis recipit. Oratio humiliantis se nubes penetrabit* [4], ac proinde ratio hujus boni latronis ad cœlum usque evolavit quod mox ei reseratum fuit, quando sibi dici audivit: *Hodie mecum eris in paradiso,*

**3.** — Scriptor quidam contemplativus inquit: « Plus facit quam teneretur. Sufficiebat tunc con- « fiteri Deo in corde, ipse confessus est etiam ore, « plurimis audientibus. Rursus jam antea judicibus « crimina sua confessus fuerat, sed quia coacta erat « illa confessio, non putabat eam satis fore, ideo « voluntariam alteram adjungit. » D. Chrysostomus ait [2]: Vidisti plenam confessionem? Vidisti latro- « nem in cruce suis renunciasse peccatis? Dic nam- « que, ait, tu iniquitates tuas prior, ut justificeris. « Nullus impulit, nullus necessitate constrinxit, « sed ipse sponte sua peccata publicabat. Non est « ausus dicere: *Memento mei*, nisi confessione sar- « cinam peccata remisisset. Inspice, quantum « præstat confessio. » Enim vero a protoparentibus nostris hæreditatum, et in singulos per peccatum originale transfusum vitium semper fuit, et est, quo peccata propria excusemus, defendamus, et abscondamus. Ac proinde regius psaltes hanc a Deo postulabat gratiam [3]: *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Pro cujus versus expositione, Euthymius ea quæ hic asseruimus, hisce verbis confirmat [4]: « Adam in « Evam et Eva in serpentem peccati causam præ- « texendo rejecere. » Peccatum enim talem in se continet deformitatem, ut unusquisque illud occultare studeat ac proinde velut magnæ virtutis actus in Jobo deprædicatus fuit, quod de se gloriari non dubitarit, dicendo: *Si abscondi quasi homo peccatum meum*, ubi Hebræus legit: *Quasi Adam* S. Gregorius inquit[5] « Usitatum humani generis « vitium est, et latendo peccatum committere, et « commissum negando abscondere, et convictum « defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu « primi hominis hæc augmenta ducimus nequitiæ, « ex quo ipsam radicem traximus culpæ. » Verumtamen bonus hic latro, veluti jam perfecte in regulis veri spiritus, non alio magistro, quam Spiritu Sancto edoctus, idipsum fuit executus, de quo vir ille secundum cor Dei sancte gloriabatur, dicens[6]: *Delictum meum cognitum tibi feci et injustitium meam non abscondi. Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Salvator noster inter tot dolores, inter tot mortis angustias, et anxietates, quas in cruce patiebatur majore sine dubio consolationem accipere non poterat, quam illam, quam a boni latronis confessione hauriebat. nam ut B. Petrus Damianus ait[7]: « Nihil Deo gratius est « quam confiteri et accusare quod fecisti. » Unde in

[1] *Ps.* L. — [2] Luc. Brug., *in Luc.* — [3] Prov., XVIII, 17. — [4] Luc. Brug., *ib.* — [5] Salm., t. X, tr. 40.

[1] Eccli., XXXV, 21. — [2] Chrys., h. 1 *de Cruce et lat.* — [3] *Ps.* CXL, 2. — [4] Euthym., *ib.* — [5] S. Greg., I. XXI *Mor.* — [6] *Ps.* XXXI, 5. — [7] S. Pet. Dam., s. *de* S. *Mich.*

ortunatissimo hoc pœnitente adimpletum fuit, quod S. Bonaventura in hæc verba scribit [1]: « Per « confessionem invenimus faciem Christi placatam, « portam cœli reseratam, coronam regni magni- « ficatam. » Nusquam reperietis, Christus faciem suam versus malum latronem vertisse, quemadmodum serenam exhibuit bono latroni, eidem dicendo: *Amen dico tibi. hodie mecum eris in paradiso.*

**4.** — S. Augustinus super illa verba : *Labia mea non prohibebo, Domine tu scisti* ingeniose inquit [2] : « Lingua boni latronis vacabat, et cor; corde cre- « didit, ore confessus est. » Idem S. Doctor illa verba Psalmi LV [3]: *Pro nihilo salvos facies illos,* ita scribit : « Id est nulli eorum præcedentibus meritis; » etenim non salvabit illos propter agnorum, vel armentorum oblationem, non propter abstinentiæ, vel orationum merita, non propter opera meritoria eleemosynarum, vel peregrinationem, sed ut divinæ suæ gratiæ efficaciam demonstre *pro nihilo salvos faciot illos,* « id est, nullis eorum præcedentibus « meritis » Idque in bono latrone exemplificat, dicens [4]: « Quid ille latro attulerat ad crucem. De « fauce venit ad judicium, de judicio in lignum, « de ligno in paradisum. *Credidit, propter quod « locutus est;* sed ei ipsam fidem quis donavit, nisi « qui juxta pependit. » Idem S. Augustinus in alio quodam sermone docet de peccatis nostris gradus quosdam facere posse ad fabricandam scalam, per quam in paradisum usque conscendamus. Ac proinde hic latro ex innumeris a se commissis peccatis, eadem detestando ac confitendo, scalam quadam fecit, ad conscendendum ac deprædandum paradisum. « De vitiis nostris, » ait S. Augustinus [5], « scalam nobis facimus si vitia ipsa calcamus : ele- « vabunt nos, si fuerint infra nos. » Porro evidens quoddam argumentum, unde bonum hunc latronem peccata sua perfecte detestatum fuisse, et totaliter deposuisse, convincere licet, ex promisso ei a Christo paradiso facile deducitur: siquidem ut S. Ambrosius ait: « Ille vere ascendit, qui propria « peccata deponit. » Et S. Augustinus in sermone quodam de Ascensione ait [7] : « Facile corpus le- « vabitur in alta cœlorum, si non premat spiritum « sarcina peccatorum. » Et ideo quando peccator in extremo vitæ articulo constitutus, curricula quinquaginta, sexaginta annorum examinans, nil nisi peccata sine numero invenit nequaquam de misericordia Dei desperare debet, quia Deus pro cœlesti gloria nobis concedenda, quavis hora contentus est cum illo, quod ei dare possumus, dummodo peccata præterita cordialiter detestemur. Bonus hic latro nihil habebat, quod Deo dare posset, si enim pecunias habuisset, nullas inde erogare potuisset eleemosynas, quia prius ad facultatum aliis ereptarum restitutionem faciendam obligatus erat. Corpus quoque suum in patibulo crucis suspensum movere non poterat, jejunare quoque vel cilicia portare non valebat, sed acerbissimos patiens dolore hosce in scelerum suorum satisfactionem applicare studuit dicendo : *Nos quidem juste nam digna factis recipimus.* Corde quoque suo conatus est excitare actus veræ contritionis, et amoris Dei, vivæ fidei spei firmæ, patientiæ invictæ, suæque cum divina voluntate conformitatis. Linguam quoque suam cum ingenti animositate ad defendendam Christi innocentiam adhibuit, ipsumque Regem cœlorum, Filium Dei, et promissum Israelis regem et messiam confessus fuit; eademque lingua publicam quandam omnium peccatorum suorum confessiouem fecit : idque Redemptori nostro suffecit : idque non tantum ut illi omnia sua condonaret scelera, verum etiam ut eum ad valde eminentem beatitudinis gradum exaltaret. Didacus Stella in Lucas scribens ait [1] : « Habuit hæc latronis confessio tres condi- « tiones veri pœnitentis : prima est, suorum pec- « catorum confessio, qua fatetur se juste, quæ pati- « tur, meruisse, sibi culpam, non carni, mundo, « aut diabolo tribuendo nam tua culpa peccas, « cum peccas. Secunda est, omnis occasionis peccati « remotio : increpavit enim alterum, et ab ejus « amicitia recessit, dicens : *Neque tu times Deum, qui, etc.* Tertio spem, et maximam habuit fiduciam « consequendi veniam, quæ quidem maxime pec- « catoribus necessaria est. Confidit per meritum « Passionis Christi se posse salvari. » Salmeron pariter eamdem habet ponderationem, dum in hoc bono latrone omnes partes ad veram pœnitentiam requisitas concurrisse, his verbis ostendit : « In sig- « num odii, et contritionis peccatorum, reprehen- « debat eum, qui in articulo positus mortis impœ- « nitens perseverabat. Confitetur anteactæ vitæ « suæ delicta, dum digna peccatis recipere prædi- « cat, quod dum fecit, fructus pœnitentiæ dignos « exhibuit et satisfactionis explevit partes. Habuit « fidem in Christum Regem, et ex fide fiduciam « eximiam impetrandæ divinæ gratiæ, cum humi- « litate conjunctam, cum petiit, ut memor esset « ejus in regno. »

**5.** — Porro quod ambo latrones Christo mortuo aliquousque supervixerint, S. Joannes his verbis aperte testatur : *Judæi ergo (quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbatho; erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum non fregerunt ejus crura.* Unde ducto calculo, satis est verisimile, duos hosce latrones Christo mortuo

[1] S. Bon., s. 5 *de Rogat.* — [2] S. Aug., *in Ps.* xxxix. — [3] *Ps.* lv, 8. — [4] S. Aug., *ib.* — [5] Id., s. 276 *de Temp.* — [6] S. Amb., *in Ps.* cxviii. — [7] S. Aug., s. *de Ascens.*

[1] Did. Stella, *in Luc.* — [2] Salmer., *ib.* — [3] Joann. xxix, 30.

duabus adhuc horis supervixisse, quo tempore sine dubio bonus latro multis a malo latrone impetitus fuit improperiis et ludibriis, eo quod in Christum credidisset, cui obstinatus ille contrarius erat. Multo magis vero ab omnibus Judæis, Christi implacabilibus et crudelissimis inimicis, eo quod in conspectu totius populi et præcipue peregrinorum, qui in Paschate Jerosolymam in magno numero convenerant, huicque spectaculo præsentes aderant, Christum innocentem his verbis declarasset : *Hic autem quid mali fecit?* Credibile autem est, bonum hunc latronem duabus hisce horis et toto illo tempore, quo Salvatoris latus, donec expirasset, stipaverat, in fervido et divino amore ardente corde suo innumeros veræ compunctionis et contritionis, nec non et compassionis erga innocentis Salvatoris mortem, excitasse actus. S. Cyprianus vel quisquis alius libri *de operibus Christi cardinalibus,* auctor est, ita scribit : « Latrocinii damnationem me-« ruerat et supplicium, sed cor contritum pœnam « mutavit in martyrium et sanguinem in baptis-« mum. » Enim vero tametsi plenariam obtinuisset a Christo indulgentiam, jamque de æterna beatitudine certus et securus esset (quia [2] *cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*) nihilominus divino lumine perfusus, illud executus est Ecclesiastici monitum [1] : *De propitiato peccato noli esse sine metu,* seque conformavit illi in Apocalypsi tradito consilio [4] : *Qui justus est, justificetur adhuc.*

## DISCURSUS V.

BONUS LATRO EX EO QUOD CHRISTUM IN MONTE CALVARIÆ ANIMOSE DEFENDERIT, EJUSQUE INNOCENTIAM ANIMOSE DEPRÆCAVERIT, MAGNOPERE LAUDATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Summis laudibus extollitur bonus latro quod Christum in cruce tam animose defenderit. — 2. Synagoga intendebat mundo persuadere Christum esse verum latronem. Sed bonus latro hoc eorum consilium confudit, declarando ejus innocentiam. — 3. Aperitur mysterium temporis et occasionis quo hic latro Christi patrocinium in se suscepit. — 4. Hoc testimonium boni latronis tali tempore prolatum ex Jure magnam apud omnes merebatur fidem. Bonus hic latro ex latrone factus est Evangelista. — 5. Bonus latro factus tutor Christi. — 6. Disputatur unde hic latro cognoverit Christum nihil mali fecisse. Hic latro fuit Petrus in cruce et Petrus in domo Caiphæ latro fuit. — 7. Bonus latro primus et solus fuit qui Christi in cruce pendentis innocentiam curatus est. — 8. Boni latronis constantia confertur constantiæ S. Thomæ et aliorum Apostolorum. Bonus latro suo testimonio condemnavit Pilatum, totamque Synagogam de summa injustitia in condemnatione Christi.

[1] S. CYPR., *de Cœna Dom.* — [2] MATT., XXIV, 35. — [3] ECCLI., V, V.— [4] APOC., XXII, 11.

*Hic vero nihil mali gessit.* Luc., XXIII, 41.

**1.** — Quando omnes Synagogæ principes, pontifices, sacerdotes, seniores, magistratus, concilium Synedrin, scribæ et pharisæi, Christum unanimiter quidem, sed tumultuose coram Pilato præsentarunt, ut eum morte crucis afficeret, isque eos interrogasset [1] : *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* omnes uno ore responderunt : *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Nec quispiam per totum Passionis decursum repertus fuit, qui calumniosam hanc imposturam a Christo respondendo propelleret; tametsi innumeri ibi præsentes fuerint, summis ab eo beneficiis affecti. Nicodemus quidem Christi erat discipulus, sed occultus ob metum Judæorum. S. Joannes, utpote pauper piscator, ferocientibus contra magistrum suum principibus, illis sese opponere non audebat; sanctissimæ Matri Mariæ tum ratione sexus, tum quia is, qui calumniam patiebatur, Filius ejus esset, aures nequaquam præbuissent licet ejus defensioni se voluisset accingere; Petrus paulo ante eum negaverat, atque ideo novo se periculo exponere formidabat. Omnes alii Apostoli turpi fuga ab eo discesserant; Christus tanquam Agnus et ovis muta ad macellum perducta, penitus tacebat. Atque ideo a divina providentia hoc defensoris et advocati munus pro Christo obeundum huic bono latroni reservatum fuit, qui in monte Calvariæ, non solum in conspectu ipsorum, verum etiam alterius innumeræ multitudinis alta voce clarum et indubitatum innocentiæ Christi perhiberet testimonium, dicendo : *Hic vero nihil mali gessit.* S. Bonaventura glossando reprehensionem, qua bonus latro malum sodalem suum perstrinxit, simulque Christi innocentiam publice manifestavit, in hæc verba scribit [2] : « Quod dicit detestando alienam culpam, « quod est opus vere pœnitentis, secundum illud : « *Justus es, in omnibus quæ fecisti nobis et egimus* « *recedentes a te.* »Nec etiam tantum agnoscit culpam propriam, verum etiam Christi innocentiam prædicat; unde subdit : *Hic vero nihil mali gessit.* Nec tantum prædicat Christi innocentiam vitæ, verum etiam excellentiam agnoscit potentiæ et ideo subjungit : *Et dicebat ad Jesum : Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Didacus Stella in hujus boni latronis laudem inquit [3] : « Omnes disci-« puli Domini fugerunt et nullus nec coram servis « Pontificis ausus est confiteri, se esse Christi disci-« pulum. Et tu coram principibus, et magnis Christi « inimicis publice innocentiam ejus confiteris? « Adsunt siquidem scribæ, pharisæi, seniores po-« puli. Non vides, quod accuses principes sacerdo-« tum et Pilatum? Non times centurionem et mili-« tes? Non vides, quod lanceis te possunt transfi-

[1] JOAN., XVIII, 29. — [2] S. BON., *in Luc.* — [3] DIDAC. STELLA, *ib.*

« gere? » Arnoldus Carnotensis in tractatu quem de septem verbis a Christo in cruce prolatis composuit, postquam ad expositionem eorum verborum, quibus bonus hic latro Christum affatus est, descendisset, in hæc verba scripsit [1]: « Sane hic « latro mansueti animi, sicut testem Christi dece- « bat, in auditorio publico fidei protulerat argu- « menta et novo philosophandi genere, supplicii « tanti immemor, cum blasphemo illo de timore « Dei et de justitia disputabat : *Neque tu times* « *Deum, qui, etc.* Credit et confitetur, testis est « innocentiæ Christi. Increpat maledicum, nec sibi « parcit, sed tantum accusator sui, seipsum (adver- « sum se sententiæ veritate prolata) persequitur. « Damnatio inquit, similis quidem est, sed causa « differens, cum hic ad hoc destinatus sit ex obe- « dientia, nos ob flagitia. »

**2.** — Synagogæ unicum hoc erat intentum, ut toti mundo persuasum efficeret, Christum verum esse latronem. Ac proinde ad eum velut latrocinii reum capiendum se receperunt : *Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me.* Similiter data optione liberandi vel Christum, vel Barrabam latronem insignem, Christum postularunt ad mortem, homicidam vero a mortis reatu absolverunt. Denique in societate duorum horum latronum, eum ad montem Calvariæ, ibi morituram, eduxerunt. At vero qua ratione, aut quibus mediantibus motivis persuadere voluerunt, Christum hominem esse rapinis et latrociniis deditum, cum tamen hic de seipso dixerit [2] : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos*; *Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet*? Numquid ipsum ex eleemosynis vivere, vitamque Apostolicam summa cum exemplaritate et sanctitate agere sciebant? Plutarchus inquit : « Talis eris, qualis est conver- « satio, quam sequeris. » Mundus enim plus oculo, quam intellectu mediante discurrit. Constituerunt igitur Jesum in medio horum duorum latronum, inquit Chrysostomus, « ut par et de ipso esset existi- « matio. » Verum enim vero, ut incarnata Sapientia maligna pontificum et principum sacerdotum confunderet consilia, disposuit, ut unus horum latronum publice et in conspectu immensi præsentis populi, ejus manifestaret innocentiam, quodque, ut sibi tanto magis crederetur, prius veridicum de se et sodali suo perhiberet testimonium, dicendo : *Nos quidem juste, nam digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit*; atque insuper eodem tempore in hac declaratione et protestatione indicaret, se non a finibus et motivis humanis, sed solo Dei timore motum id fecisse; ideo namque obstinato sodali suo dixit : *Neque tu times Deum, etc.* D. Chrysostomus ait [3]: « Admirati estis cæcum, qui benefici « affectus, patronus effectus est veritatis. Cæcus enim natus, recepto per inauditum superioribus sæculis miraculum (*a sæculo non est auditum*) expedito oculorum lumine, factus est benefactoris sui encomiastes, illumque adversus malignorum et infidorum Pharisæorum calumnias strenuo defendit. Multo vero magis admirandus est hic bonus latro, qui ante promissum sibi præmium, evidenti se patiendorum acerbissimorum dolorum periculo exponens, advocatum et defensorem Christi se facere non dubitavit. Unde idem Chrysostomus ait [1] : « Latronem, qui ante beneficium exceptum, Christi « advocatum egit, admiramini. »

**3.** — Non vacat mysterio occasio et tempus, quo bonus hic latro Christi patrocinium in se suscepit. Christus enim antecedenter munus advocati apud æternum Patrem suum obierat, non solum in beneficium suorum carnificum, sed et omnium aliorum enormissimorum peccatorum, de quorum numero præ aliis bonus hic latro se esse agnoscebat; dixerat enim Christus : *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Ac proinde postquam effectum hujus advocatiæ in semetipso per plenariam peccatorum suorum indulgentiam expertus fuisset, sine ulla mora tanquam gratus, vicissim pro innocentia Christi defendenda, in conspectu totius mundi advocatum Christi agere voluit, libere dicendo : *Hic autem nihil mali gessit.* Porro non sine mysterio dixi : *In conspectu totius mundi*; siquidem Josephus Hebræus refert [2], quod Cestius Syriæ præses statum Judææ Neroni exponere volens, pontificibus et principibus sacerdotum præceperit, ut acurratam numeri victimarum, quæ tempore Paschali, quo crucifixio Salvatoris accidit, offerebantur, redderent rationem; inventumque fuerit, quod ab hora nona usque ad horam undecimam ducenties et quinquagesies sexies mille et quingentæ victimæ a populo immolatæ fuerint; unde si hi qui victimas hasce obtulerunt, in sua distribuantur hospitia, in quibus ad minus decem peregrini degebant, recte ducto calculo deprehendetur, ad illam solemnitatem communiter convenire solitos fuisse duos milliones et septingenta millia personarum. Ex quo igitur infida Hebræorum Synagoga hunc sibi præcipue finem propositum habuit, ut Christi famam gloriosam obscuraret, eumque ab omnibus veluti latronem æstimari facerent (*cum sceleratis reputatus est* [3]) Divina Providentia sapienter disposuit, ut unus ex his latronibus hanc detegeret calumniam, Christique innocentiam adeo aperte manifestaret, ut hæc notitia ad tantam gentis alienigenæ multitudinem transfusa, per omnes divulgaretur terræ populos et nationes, constaretque omnibus, Christum vere innocentem fuisse mortuum : *Hic vero nihil mali gessit.*

**4.** — In Jure Civili Lex quædam reperitur,

[1] Arnol. Carnot., *de 7 Verbis.* — [2] Matt., iv, 20. — [3] Chrys., *de cæco.*

[1] Joan., ix, 12. — [2] Jos. Hebr., *de bello Judaico.* — [3] Isa., liii, 12.

in qua decernitur, quod si quis patibuli reus jam suspendendus, quempiam e falsa accusatione purget ac defendat, *ejus excusatio innocentiæ rei non leve sit argumentum.* Cum igitur bonus latro innocentiæ Christi perhibuerit testimonium, non in prætorio Pilati, nec in via, cum Jerosolyma educeretur, sed in cruce sua pendens, jamque morti vicinus existens, certum est, hoc testimonium magnam apud omnes promereri fidem, prouti in ipsomet effectu experientia docuit, quod *plerique revertebantur percutientes pectora sua.* S. Athanasius inquit[1] : « Crucifigitur ut latro et efficitur Evan« gelista. » In quibus licet paucis verbis multum enuntiatur. Etenim solitus S. Lucæ Evangelistæ stylus est, quod paucis verbis multa exprimat; dum enim in Actibus Apostolorum paucis verbis ait[2] : *Pertransiit benefaciendo*; innumera beneficia, quæ passim, quocumque gradiebatur, dispensaverat, insinuantur. Turbæ illæ, quæ eximio illi miraculo, quo muto et surdo loquelam pariter et auditum restituerat, præsentes adstiterant, acclamabant, dicentes[3] : *Bene omnia fecit.* Cum igitur hic sit Evangelistarum vulgaris stylus, ut paucis verbis multa insinuent, pariter hic ex latrone Christi Evangelista factus, de Christo dicere potuisset quod tota vita sua *fecerit et docuerit*, erudiendo ignorantes, ad viam salutis errantes reducendo, consolando afflictos, ad virtutem exhortando dissolutos, satiando famelicos, ad pœnitentiam convertendo peccatrices, innumerisque corporis animæque salutem conferendo; denique nunquam dicendi finem facere potuisset, si hic Evangelista perorare voluisset de bonis et beneficiis, quibus ad illud usque tempus universam Palæstinam cumularat; siquidem S. Joannes, qui intimus Christi secretarius fuit Evangelium suum hisce verbis conclusit[4] : *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit hæc, et scimus, quia verum est testimonium ejus. Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse cos, qui scribendi sunt libri.* At vero quia de beneficiis a Christo collatis loquendi nec tempus, nec locus opportunus aderat, ei sufficere videbatur, si hanc stipularet veritatem : *Hic autem nihil mali gessit.* Quæ veritas inter omnes totius Scripturæ veritates prior est, cæterisque antiquior; siquidem Moyses in primo totius Scripturæ folio dicit[5] : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat et erant valde bona*; nihil igitur mali gessit, si omnia quæ fecit, valde bona fuerunt.

**5.** — Simon de Cassia de bono hoc latrone inquit[6] : « Tutor in pœnis factus est Christi. Attolle« batur sublimius homo iste, cum Christum agnovit « innocentem, quem judex ad mortem publice con« demnaverat. Quoniam difficillimum est credere, « aut dicere, sine culpa esset, quem judex ordina« rius ad aliquam pœnam damnat ut reum, seu « cum assertione testium, aut acclamationibus po« pulorum. Nam si non testibus, attamen clamori« bus totius populi damnatus est Christus et quem « totus populus postulabat validis vocibus crucifigi. « De hoc latro iste dicit : *Hic vero nihil mali fecit.* » Lucas Brugensis bonum hunc latronem, dicentem : *Hic vero nihil mali gessit,* dicere voluisse inquit[1] : « Nihil unquam fecit, quod reprehensionem me« reatur. Non solum nullo scelere, sed nec ullo vel « levissimo peccato contaminatus est. Opponit Je« sum sibi, ac socio, ut justum injustis, innocen« tem nocentibus. Itaque eludit illorum consilium, « qui Jesum idcirco inter latrones suspenderant, ut « eorum similis haberetur, quibus erat adjunctus; « dum manifestum testimonium innocentiæ Jesu « fert ipse latro, atque eo efficacius, quo pruden« tius latam a judicibus sententiam adversus se « quidem probat, adversus autem Jesum reprobat, « ne putetur sui similem laudare. »

**6.** — Simon de Cassia quærit[2] : « Unde hic « homo agnovit, quod Christus nihil mali fecit, « cum quo non fuerat conversatus, quem ante forte « non noverat, qui nec ad doctrinam, nec ad se« quelam Christi accesserat. » Et vero si hoc testimonium ab illis fuisset perhibitum, qui a primis annis cum Christo conversati fuerant, quales erant S. Jacobus Minor et alii Nazarethani indigenæ, facile ei fides adhiberi potuisset. Hic autem latro vitam suam in sylvis et viis publicis transegerat, spoliando viatores, nec ullam Christi notitiam unquam habuerat : « Quia igitur sibi hæc irrepsit « notitia, quod Christus nihil mali fecerat? Quid? « Quia certe nec scire poterat, quoniam Deus erat. » Tandem vero in hæc verba concludit : « Non « aliunde accepit, quam ab eo, quem asserebat « moriens innocentem et perfusus fidei pietate « dicebat ad Jesum : *Memento mei,* etc. » S. Augustinus ingeniosam quamdam considerationem his verbis instituit[3] : « Sub ipso Passionis tempore ab « ancilla interrogatus unus ex discipulis, S. Petrus, « peculiariter, Christo cognitus, ita respondet : « *Non novi hominem istum.* Et iste qui ante non « noverat, exclamat : *Memento mei,* etc. Quam sin« gularis et quam stupenda devotio! sub illo tem« pore credidit reus, quo negavit electus. » Drogo Hostiensis similiter ait[4] : « Tu fugientibus disci« pulis et Petro negante, socius et comes Passionis « ejus fieri gavisus es. Tu Petrus in cruce fuisti et « Petrus in domo Caiphæ latro. Tamdiu hic Petrus « latro fuit, quamdiu intus latitans Christum foris « negavit et ideo et Petrum præcessisti in Paradi-

[1] S. Athan., *de Cruce.* — [2] Act. Apostol., x, 28. — [3] Marc., vii, 37. — [4] Joan., xxi, 24, 25. — [5] Gen., i, 11. — [6] Sim. de Cass., l. XIII.

[1] Luc. Brug., *ib.* — [2] Sim. de Cass., *ib.* — [3] S. Aug., s. 45 *in Append. de divers.* — [4] Drog. Host., *de Sacram. Dom. Pass.*

« sum, quia qui te in cruce complexus est, dux et « rector tuus, eadem die qua ipse ingressus est, « fidelem et gloriosum militem secum te pariter « introduxit. » D. Chrysostomus sequentes hac de re habet considerationes [1] : « Quando Petrus nega- « bat in terra, latro confitebatur in cruce. Primus « discipulus puellæ vilissimæ minas tolerare non « potuit et latro suspensus, undique populum cir- « cumstantem despiciens, oculis fidei cœlorum Do- « minum pura mente cognovit; dicens : *Memento « mei,* etc. » Parum profecto erat, quod Petrus solum in Coapostolorum suorum præsentia de cœlestis Magistri sui divinitate perspicuum perhiberet testimonium. Multum vero prædicandum est testimonium, a bono hoc latrone in monte Calvariæ de Christi innocentia perhibitum, ne tanquam malefactor aliquis mori videretur.

**7.** — De S. Ezechia rege inquit sacer textus [2] : *Non fuit similis ei in cunctis regibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuerunt.* Cujus præclari encomii sequentem assignat rationem : *Ipse dissipavit excelsa et contrivit statuas et succidit lucos,* etc. Unde patet, Ezechiam regem hanc præ cunctis aliis regibus Juda prærogativam ideo promeruisse, quia primus fuerat, qui superstitiosum falsorum Numinum cultum abolevit. Ob eamdem vero causam bonus quoque hic latro speciale promeritus est laudis encomium; siquidem hic primus et solus fuit, qui eo tempore, quo Christus in cruce pendens, tanquam malefactor certatim ab omnibus impetebatur calumniis, Redemptoris sui innocentiam tutatus fuit. Unde Eusebius Emissenus ait [3] : « Advertamus plenius quo tempore Dominum con- « fitetur. Fervebat impietas persequentium, exul- « tabat impietas blasphemantium, contritio livoris « et vulnera Christum solum hominem demonstra- « bant. » S. Bernardinus pariter ad latronis hujus animositatem, qua in medio sævissimorum inimicorum suspensus, hanc Christi defendit innocentiam, se reflectens, inquit [4] : « Christo condemnato « a Judæis impiis tanquam reo, latro iste ejus « innocentiam prædicavit publice et ipsum Salva- « torem suum morientem tanquam æternum Deum, « armis quibus poterat, tanquam suus collateralis « miles strenue defensavit; unde potest probabi- « liter credi, quod non solum scelestum increpavit « latronem et illi Christi innocentiam allegavit, « et proprium scelus objecit; sed etiam protervos « Judæos, ac malignos principes, post tam diras « contumelias Salvatori illatas, non saturatos de « suppliciis ejus, qui sic impie exierant insultare « morienti Jesu, aspera increpatione confudit. »

**8.** — Apud S. Joannem legitur, quod dum Christus in Judæam redire meditabatur, Apostoli horrendas ibidem vitæ ipsius strui insidias et persecutiones probe scientes, hisce verbis se ei opposuerint [1] : *Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare et iterum vadis illuc?* Quod audiens S. Th. Apost. ad suos se collegas convertens, eosdem animavit, dicendo : *Eamus et nos, et moriamur cum eo.* Quam cum Christo patiendi Thomæ promptitudinem, Laurentius Surius ejus describens vitam, in hæc verba commendat : « Est enim quavis vita melior, « quæ cum Domino accipitur occisio. » Et tamen idem hic apostolus, mox ut in horto Gethsemani a lictoribus et satellitibus adversus Christum, ejusque discipulos, gladios stringi vidit, una cum aliis Apostolis turpi sibi fuga consuluit. Bonus autem latro adeo animosus extitit, ut licet omnes circumstantes ex hac innocentiæ Christi defensione per ipsum facta magnopere exasperandos, ideoque se ab ipsis crudelius torquendum esse prævideret, a cœpta tamen innocentiæ Christi defensione nequaquam destiterit. Porro S. Thomas Apostolus post cœlestis Magistri sui resurrectionem, hanc sibi ab aliis Apostolis enarratam credere nequaquam voluit, sed dixit [2] : *Nisi videro, etc., nisi tetigero, etc., non credam.* Similiter discipuli in Emmaus contendentes, Christique resurrectionem desperantes, dicebant [3] : *Nos autem sperabamus, quia ipse redempturus esset Israel,* etc. Non vero sic bonus hic latro egit, quin potius eo tempore, quo Christum Dei Filium esse, credere difficillimum erat; imo quo unusquisque illum confiteri erubescebat, ipse fide viva in ipsum credidit; ac proinde merito cum regio Propheta dicere potuit [4] : *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum et non confundebar.* Eo ipso namque, quo ex cruce de Christo pronunciabat, dicendo : *Hic vero nihil mali gessit;* tacitus præsidis Pilati condemnabat injustitiam, qua contra Christum iniquam pronunciaverat sententiam, licet idipsum in summam redundaret imperatoris Romanorum injuriam, utpote cujus Pilatus minister erat. Per hanc quoque publicam innocentiæ Christi declarationem, ac tutamen omnes tanquam impios, injustos, innocentis sanguinis sitibundos homicidas redarguit, quia pontifices jam illum condemnaverant, priusquam ad Pilatum præsidem perduxissent; consilium Synedrin et Pilatus in eamdem quoque descenderant iniquam sententiam, ac demum universus populus unanimiter clamaverat : *Tolle, tolle crucifige eum*; adeoque nullus ex omnibus circumstantibus erat, qui per hæc verba : *Hic vero nihil mali gessit;* sese in corde suo vivaciter transfigi non experiretur. His accedit ingens odium, quo Christum ad mortem usque prosequebantur. Ex quo omnino fit credibile, omnes, quotquot hanc innocentiæ Christi per bonum latronem factam declarationem inaudierant, ipsum improperiis et ver-

[1] Chrys., t. III, s. *de latr.* — [2] IV Reg., xviii, 5. — [3] Euseb. Emis., h. *de latr.* — [4] S. Bern, t. I, s. 55, *Princ.*

[1] Joan., xi, 36. — [2] Joan., xx, 5. — [3] Luc., xxiv, 21. — [4] *Ps.* cxviii, 46.

beribus, imo luto, et lapidibus impetivisse, ad vindicandam injuriam a vili hoc, et jam condemnato homine, ut credebant, receptam; et quidem credibile est, tanto liberius omnes in ipsum desæviisse, quanto certiores erant, ipsos idipsum non solum impune, sed et cum universali omnium circumstantium applausu et consensu esse facturos. Et ideo non immerito (ut suo loco dicetur) multi sancti Patres bonum hunc latronem martyris titulo condecorarunt. Inter alias namque rationes, ob quas bonus hic latro gloriosum hoc meruit epithetum, una est quod scilicet ex eo quia Christum, ejusque innocentiam summa cum Judæorum ignominia defendit, multas perpessus est acerbissimas afflictiones et injurias. Doctissimus proinde Salmeron inquit [1]: « A quo nos discere par est, quando gratia « Dei justificati sumus, ut Jesum tueamur, qui in « conspectu carnalium et mundi videtur impugnatus. » Quamnam vero inde sperare liceat retributionem, boni hujus latronis declarat exemplo, dum in persona ejusdem latronis subdit : « Dixisti « Domine : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Ego te « confessus sum justum et Regem, etiam in tuorum hostium præsentia. *Memor esto verbi tui « servo tuo, in quo mihi spem dedisti.*»

## DISCURSUS VI.

BONUS LATRO FIDEM SUAM EGREGIE PROBAVIT, MAXIME CHRISTI MANIFESTANDO DIVINITATEM.

IDEA SERMONIS. — 1. Bonus latro omnibus Christum calumniantibus, ipsius divinitatem et innocentiam confessus fuit. — 2. Conferuntur ad invicem confessio Petri et hujus latronis circa divinitatem Christi. Quo tempore bonus latro hanc confessionem fecerit. — 3. Bonus latro Christum ab omnibus et condemnatum et summe afflictum Deum et Dominum confitetur. — 4. Bonus latro a Propheta designatus fuit per bestiam agri Deum glorificantem. Bonus latro Christum confitetur Regem quem non audierat prædicantem, nec viderat miracula facientem. Fides boni latronis maxima fuit et valde meritoria. — 6. Christus a nemine tam perspicue proclamatus fuit Rex paradisi, quam a bono latrone. — 7. Bonus latro firmissima fide credidit et confessus fuit Christum Regem et absolutum esse Dominum cœlestis regni. Comparatur fides illius fidei SS. Marthæ et Petri. Bonus latro præcipua accusationis synagogæ puncta, contra Christum evacuavit.

*Et dicebat ad Jesum, Domine.* Luc., XXIII, 42.

**1.** — Quod si unquam in toto triginta trium annorum curriculo, quo Christus Redemptor noster hic in terris nobiscum vixit, calumniæ, quibus Judæorum malignitas Salvatorem nostrum, vel tanquam Samaritanum, vel tanquam vini potatorem, vel tanquam dæmoniacum, aut malefactorem exagitavit, magnopere invaluerunt, id utique tempore amarissimæ Passionis Dominicæ vel maxime contigit : illo namque tempore prædictæ a Judæis in Christum evomitæ calumniæ in omnium et singulorum mentibus admodum fuere radicatæ, siquidem videbant, quod non solum Christus ab hisce se calumniis non defenderet aut purgaret, verum insuper quod nemo in publicum prodire auderet, Christi innocentiæ patrocinaturus, quod tamen quibuslibet, quantumlibet vilibus et desolatis reis fieri consuevit. Cui accedit pontificum et principum Synagogæ auctoritas, nec non concilii Synedrin et Pilati præsidis, judicis cæteroquin hactenus incorrupti, circa causam Christi habitum examen et sæpius repetita discussio, in qua inter alia accusationum capita allegabatur, quod Christus divinam sibi filiationem arrogare contenderit : *Filium Dei fecit*; quam illius summam arrogantiam singuli detestantes, illum vel arbitrabantur stolidum et delirum; vel tanquam solemni impostori dirissima quæque parabant supplicia. Et tamen impetuoso huic et universali Judæorum torrenti, solus bonus latro in conspectu omnium sese opposuit, cum Salvatorem nostrum, quantumvis in crucis patibulo suspensum, divinitatis titulo condecorare non dubitavit : *Et dicebat ad Jesum, Domine.* Nimirum quando Christus [1] *cum sceleratis reputatus est*, tunc bonus latro eumdem beatissimi cœlorum Regni Dominum appellavit; unde Beda ait [2] : « Confitebatur Dominum, « quem videbat secum humana infirmitate morien« tem; quando negabant Apostoli eum, quem mira« cula viderant divina virtute facientem. » Lucas Brugensis verbum *Domine*, ita exponit, ut sensus sit [3] : « Domine, quem judico non blaphemiis appe« tendum, sed colendum ut omnium Dominum. « Rara, nobilis et supra modum excellens fides, « credere Jesum a judicibus ut malefactorem con« demnatum, a tortoribus crucifixum, a præsenti« bus omnibus irrisum, misere moribundum, adeo« que a Deo ipso derelictum, in hoc deformi habitu « constitutum, esse Christum, Regem et Domi« num. » Idem bonus latro paulo ante divina collustratus luce, præclaram hanc quæ nonnisi de Christo ejusque sanctissima Matre, utpote quæ peccati originalis, non quidem natura, sed speciali gratia, expers fuit, verificari poterat, enuntiarat propositionem, scilicet : *Hic vero nihil mali gessit*; cum cæteroquin *nemo* hominum *sit mundus a sorde*; atque in conspectu totius Synagogæ, quæ inter omnes totius terræ populus veri Dei notitiam habebat (*notus in Judæa Deus* [4]) illum qui dæmonis ab omnibus credebatur esse instrumentum (*dæmonium habes*) bonus hic latro, ex homine facinoroso subito factus theologus, Deum confessus est ac Dominum, dicens : *Domine.*

[1] SALM., *ib.*

[1] ISA., LIII, 11. — [2] BEDA, *in Luc.* — [3] LUC. BRUG., *ib.* — [4] *Ps.* LXXII, 2.

**2.** — Apud S. Joannem capite sexto legitur, quod S. Petrus, cœlestem Magistrum suum nomine omnium coapostolorum suorum assecurare volens, quod doctrinam et vestigia ejus nunquam esset derelicturus, hac dictione, *Domine*, usus fuerit, dicendo [1] : *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Sed observandum, quod Petrus hoc dixerit, quando de admirabili, quam Christus meditabatur, sacramenti Eucharistiæ institutione Christo sermo erat. At vero quandonam hic bonus latro Christum Dominum appellavit? Quandonam divinum hoc oraculum protulit? Tunc videlicet, quando vix homo esse agnosci poterat, dicente Isaia Propheta [2] : *Vidimus eum et non erat aspectus; absconditus vultus ejus et despectus, nec reputavimus eum.* Quando idem Petrus qui ex æterni Patris revelatione Christum Dei Filium confessus fuerat, eumdem postea paulo ante Christi crucifixionem trinies negaverat; quando Caiphas pontifex, concilium Synedrin, sacerdotes, scribæ et alii velut horrendam interpretabantur blasphemiam, crucis supplicio luendam, quod Christus se Filium Dei appellaret, tunc, inquam, bonus hic latro *dicebat ad Jesum, Domine.* Fuitque proinde ea in occasione adimpletum illud, quod deinceps his verbis scripsit Apostolus [3] : *Infirma mundi elegit Deus, ut fortia quæque confundat.* Neque enim Nathanaelem quemdam in Scripturis apprime versatum, neque Paulum, neque alios in sacrarum litterarum studio detritos; sed latronem quemdam, cæteroquin ignorantem et idiotam elegit, qui subito illuminatissimus factus theologus, ex crucis suæ cathedra eminentissimam hanc de divinitate Christi enuntiaret veritatem. De hoc igitur latrone D. Chrysostomus in sermone quodam in hæc verba scribit [4] : « Non enim illo in « tempore mortuum aliquem reddidit luci, nec « mare a suo tumore compescuit, nec expulit dæ- « mones; sed cruci suspensus, clavis affixus, omni- « bus subjugatus, dedecoris succumbens infamiæ, « insultantium derisione delusus, latronis aversam « mentem valuit commutare, ut ex omni parte « ejus divinitas sentiretur. » De hoc quoque latrone S. Augustinus ita scribit [5] : « Laudabilius hoc « in latrone et magnificentius fuit, quod hominem « addictum cruci et inter extrema deficientem sup- « plicia, Deum credidit, quam si inter virtutum « opera credidisset; » et revera ita est; nam si bonus latro Salvatorem nostrum hoc divinitatis titulo honorasset, tunc quando patrabat miracula, unico dumtaxat verbo procellosum compescendo mare, mutis sermonem, auditum surdis, cæcis oculorum lucem, sanitatem infirmis, defunctis vitam restituendo, nil profecto mirum præstitisset; nunc vero ipsum Deum appellat, et tanquam talem in corde suo illum agnoscit, et cultu latriæ veneratur, et adorat, quando in cruce agonizans, atque a vertice capitis ad plantam pedis usque vulneribus plenus erat, nec non quando collega ipsius blasphemo ore clamabat : *Si Filius Dei es, salvum fac temetipsum et nos.*

**3.** — Eusebius Emissenus in homilia quadam ita scribit [1] : « Sacrarum manuum in ligno crucis « extensio et reverenda confixio, quæ condemna- « bat Adæ et Evæ manus, ad interdictum ligni « cibum, ingemiscenda sæculi transgressione cor- « rectas; hæc, inquam, confixio per omnia infirmi- « tatem hominis asserebat. Illisæ per latus lanceæ « tremenda profusio, quantum ostendebat homi- « nem, tantum abscondebat Dominum. Apostolis « post divina miracula desperantibus, solus hic « non acquiescit scandalo crucis et mortis; solus « hic testis est majestatis, qui socius probatur dolo- « ris et ideo adhuc in latrone positus, invisibilem « Dominum Angelicis jam oculis videt. » Quibus ultimis verbis, boni hujus latronis oculis nobilissimum attribuit titulum, dum eosdem Angelicos appellat, utpote qui in medullam usque divinitatis Christi penetrarunt, tunc vel maxime, quando sacratissimæ humanitatis suæ cortex aliud nihil, præterquam fragilitatem et debilitatem humanam ostentabat. Unde S. Maximus ait [2] : « Illud ad gra- « tiam ejus majoris est meriti, quod Christum in « cruce positum credidit et passio quæ aliis scan- « dalum fecit, illi ad fidem profecit. » S. Bernardinus quoque de eadem hac materia sequentes instituit considerationes, inquiens [3] : « Hujus mira « nimirum fides, qui Christum ab omnibus dere- « lictum, ab omnibus publice condemnatum, afflic- « tum, infirmum, opprobriis hominum, et contu- « meliis saturatum, et jam morti vicinum, et ipse « vicinus morti, a nemine doctus, a nullo præmo- « nitus, Dei Filium, et verum hominem credit; et « ubi, qui ejus doctrinam audierant, miracula « viderant et paulo ante cibum de manibus ejus « sanctissimis corpus illius sumpserant, fugiendo « negabant; ipse solum cum tacente virgine, ipsum « Dei Filium indubitata fide in animo suo crede- « bat. » Taulerus pariter in hujus boni latronis laudem ita meditatur [4] : « Sprevit pœnas omnes, « quæ illi inferri possent : non veritus est furentem « populum, adversus Jesum, ceu canes rabidi voci- « ferantem; sed in conspectu omnium Christum « animo imperterrito confessus est verum Dei Fi- « lium et Dominum totius universi, simulque con- « fudit Judæos, confitens nihil mali egisse, atque « injuria ab eis esse crucifixum. » Cajetanus Spiritus Sancti in anima hujus latronis operationem admiratur, siquidem super illa verba : *Et dicebat ad*

[1] JOAN., VI, 69. — [2] ISA., LIII, 2. — [3] I COR., I, 27. — [4] CHRYS., h. 3 *de Pass.* — [5] S. AUG., s. 45 *in Append. de divers.*

[1] EUSEB. EMISS., *de latr.* — [2] S. MAX., h. 1 *de lat.* — [3] S. BERN., t. I, s. 55, a. 1, c. 2, *Princ.* — [4] TAULER., *de Vit. et Pass.*

*Jesum, Domine*; ita scribit[1]: « Vide Spiritum Sanctum, « in animo latronis operantem agnitionem Domini, « Jesu, quem videbat crucifixum et tam ignominiose « derideri. » Atque ideo præfatus Taulerus in hæc verba subdit[2] : « Quis ejus fidem, virtutumque om- « nium distinctam cognitionem tam citoedocuit, nisi « Patris sapientia, Christus Jesus, qui juxta eum « pendebat in cruce? Quem Judæi ex Patriarcha- « rum promissis, Prophetarum oraculis et confir- « mationibus Scripturarum, institutione et signifi- « cationibus figurarum, vel non potuerunt scire, « vel noluerunt, latro didicit per pœnitentiam. » Idem quoque pius auctor ad tempus se reflectit, in quo latro ait : *Domine*; non enim hoc dixit prope Jordanem, quando apertis cœlis vox Patris audita est, dicentis : *Hic est filius meus dilectus*; non in monte Thabor, quando Christi transfigurati facies velut sol resplenduit; non in horto Gethsemani, quando ad Christum confortandum ablegatus est Michael Archangelus; et Christus, hoc solum verbo : *Ego sum*, prolato, turbas armatas prostravit; sed in hoc verbum in monte Calvario prorupit, ubi Christus vere dicere potuit[3] : *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis*; imo ubi ipsemet paulo ante Christum injuriis et convitiis fatigarat, in hoc, inquam, Calvariæ monte confessus est Christum Dei Filium, quem coram videbat, miseriis, penuriis et cruciatibus plenum, ex humana fragilitate morientem.

**4.** — Didacus Stella bonum hunc latronem interrogat, inquiens[4] : « Quomodo illum *Dominum* « vocas, videns eum nudum, cruentatum et cruci « affixum? Alii crediderunt videntes illum mortuos « suscitantem, sed tu credis, videns illum morien- « tem. » Enimvero Christus venturus Messias olim per Isaiam Prophetam prædixit, inquiens[5] : *Glorificavit me bestia agri.* At vero inquiens; quænam Deo a sylvestri quadam et indomita fera subnasci gloria poterat? Pro resolutione observandum, quod cum feris proprium sit, viatores in agris oberrantes dilacerare, sævamque illis necem inferre; hinc Propheta sub metaphora ferarum, de bono loqui voluerit latrone, qui instar feræ alicujus, dum publicus viarum prædator esset, viatores dilacerabat et deprædabatur; ac proinde evangelicus Propheta prædicere voluit, futurum aliquando tempus, in quo unus ex horum prædatorum numero, summum Christo conciliaturus esset honorem et gloriam, quemadmodum in hac gloriosissima boni latronis confessione reipsa evenit, in qua non solum Christi innocentiam, sed et divinitatem ipsius simul manifestavit, dicendo : *Hic vero nihil mali gessit et dicebat ad Jesum Domine.* Porro cum certum sit, quod *nemo potest dicere, Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto*; credibile omnino est in animam ipsius se insinuasse Spiritum Sanctum, quando dixit : *Domine* (*et dicebat ad Jesum, Domine*). Unde S. Leo ait[1] : « Fit Christi repente confessor et inter illos « accerrimos corporis animique cruciatus, quos « simul et instantia et difficultas mortis augebat, « mira conversione mutatus. Memento, inquit, « mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Quæ « istam fidem exhortatio persuasit? Quæ doctrina « imbuit? Quis prædicator accendit? Non viderat « prius acta miracula, cessaverat tunc languentium « curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuo- « rum; et tamen Dominum confitetur et Regem, « quem videt supplicii sui esse consortem. » Didacus Stella insignem multorum aliorum fidem cum hac boni latronis fide comparans, inquit[2] : « *Cre-* « *didit Abraham Deo*, non in cruce posito, sed de « cœlo loquenti; credidit Isaias, sed sedenti super « solium excelsum; et credidit Moyses, sed de « medio ignis loquenti. Iste vidit Dominum, non « in regali throno sedentem, sed in pœna sociatum « latronibus. Videt in cruce pendentem et adorat « quasi in cœlis sedentem; videt condemnatum et « invocat Regem. » B. Laurentius Justinianus pariter hanc boni latronis fidem admiratur, dicens[3] : « Maxima sancti latronis hujus fides est et nimium « commendabilis. Nullum de eo audierat prædi- « cantem, nullum excusantem, neminemque illum « agnoverat laudantem. » Et vero si quis existimet bonum latronem, Christum appellando Dominum, idipsum dicere voluisse more hujus sæculi quo personas nobiles et divites, dominos appellare solemus, valde decipitur, ut ait B. Laurentius Justinianus, siquidem bonus hic latro « non regales divi- « tias, non honores, non palatia, non miracula, « non æternæ vitæ ab ipso didicerat verba pro- « ferri. » Verisimile igitur est, quod dum bonus hic latro Christum, quoad externam speciem pauperem, nudum mortisque condemnatum, Dominum appellavit, hoc Domini nomine eumdem divinitatis titulo honorare voluerit.

**5.** — Verum enim vero fides hæc boni latronis tanto magis meritoria fuit, quanto eidem magis experientia contradicebat. « Habebat enim meritum « quia ei humana ratio non præbebat experimen- « tum. » Subdit enim idem S. Patriarcha. « Popu- « lum, milites, pontifices senioresque Hæbræorum, « contra illum cernebat insurgere. *Videbant illum* « *et movebant capita dicentes* : *Vah, qui destruis tem-* « *plum Dei, et in triduo illud reedificas.* » Magna igitur, imo maxima fuit hujus boni latronis fides; quis enim reperietur, qui tam aperte toti mundo testificari ausit Christum Deum pariter, et gloriæ regem esse, quemadmodum bonus hic latro fecit. Ostendit insuper. firmiter se credere post hanc vitam secuturam esse alteram vitam beatam, in

[1] CAJET., *in Luc.* — [2] TAUL., *ib.* — [3] *Ps.* XXI, 7. — [4] DID. STEL., *in Luc.*, XXI, 20.

[1] S. LEO, s. 2 *de Pass.* — [2] DID. STELLA, *in Luc.* — [3] B. LAUR. JUST., *de Triumph. Christi agon.*

eaque regnaturum esse Christum, qui regnum illud tanquam absolutus ejus Dominus pro suo dispensat bene meritis arbitrio, idque coram innumerabili populo contestatum fecit. S. Apostolus ad Hebræos scribens, inquit [1]: *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum;* at idipsum vero tunc reipsa adimpletum fuit, quando bonus hic latro Christum, aperto ore, tanquam regem gloriæ præconizare non dubitavit, dicendo : *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.* Porro gloriosissimus crucis titulus videri poterat solum ludibrii causa crucis ligno affixus, at vero post hanc boni latronis declarationem, manifeste constat, Christum cujus hic titulus supereminebat, verum esse immortalis regni monarcham, et regem.

**6**. —Habacuc humanæ redemptionis opus a Deo expostulans, dicendo [2] : *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud* : mox subjungit : *In medio annorum notum facies,* ubi Septuaginta legunt : *In medio duorum animolium cognosceris.* At vero dicet fortasse quispiam : Quænam sunt hæc animalia in quorum medio Deum cognoscendum esse dicit? S. Augustinus dubium hoc resolvit, dum per duo hæc animalia duos latrones intelligit, inquiens [3]: *Quid est, in medio duorum animalium, nisi in medio duorum latronum, cognosceris.* Et vere ita est, siquidem nullibi Christus adeo perspicuis verbis indigitatus est Rex paradisi, sicut a bono latrone de quo proinde B. Laurentius Justinianus ait [4]: « Latro iste, « quod magis est mirandum, eumdem Dominum in « patibulo tam ignominiose positum, mortique « quem intuebatur propinquum, tamen post hanc « vitam, ipsum certissime noverat regnaturum, « proinde constanter aiebat : *Domine memeuto mei « dum veneris in regnum tuum, etc.* Huic S. Augustinus expositioni pariter S. Hieronymus in hæc verba subscribit : « Inter duo animalia, id est, « inter duos latrones cognosceris; » cui expositioni adhærendo, ad hujus boni latronis honorem, illud nobis in memoriam revocare possumus, quod Deus apud Isaiam his verbis dicit [5] : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognovit* siquidem ex duobus hisce latronibus unus Christum verum Dei Filium, cœlestisque gloriæ regem adoravit, totique Israeli manifestum reddidit : cum tamen dilectus Israelitatum populus eumdem Redemptorem non solum non agnoverit, verum insuper impie blasphemarit illuserit, maledixerit ac ignominiosam in crucem tandem egerit. S. Bernardinus de hujus latronis fide in hæc verba scribit [6]: « Considera in quanta fide iste latro fun« datur, qui in moriente credit vitam æternam. « Secundo vide, quanta spe firma ad æterna erigi« tur, qui cum ab omni mundo ejicitur, sperat « regnum cœleste. »

**7**. — Porro observandum est, bonum latronem, dicendo : *Domine memento mei, etc.* de illo Domino locutum fuisse, in cujus femore scriptum legitur : *Rex regum et Dominus dominantium* ; siquidem in prædictis verbis clare satis innuit, Christum beati illius regni quod jam ingressurus erat, absolutum esse dominum et possessorem; ideo enim ait : *Dum veneris in regnum tuum,* non enim simpliciter dicit *in regnum* sed addit *in regnum tuum.* Multum ab hujus boni latronis mente malus latro aberat utpote qui, an Christus Dei Filius esset, subdubitaret ideoque quasi illum deridendo dicebat : *Si filius Dei es salvum fac temetipsum, et nos.* Non vero sic bonus hic latro, qui non ait : *Si es Dominus,* sed absolute inquit : *Domine,* ut bene ponderat S. Augustinus dicens [1] : « Non dixit, si Deus es, de præ« senti supplicio eripe me, sed magis, *quia vere « Deus* de futuro judicio libera me. Quam cito eum « replevit Spiritus Sancti eruditio? » Idem S. doctor in alio quodam sermone incomparabilem hanc boni latronis fidem ad sidera usque his verbis attollit [2]: « Huic fidei quid addi possit ignoro. Titu« baverunt discipuli, qui viderant Christum mortuos « suscitantem, credidit ille quem videbat secum in « ligno pendentem. Quando illi titubaverunt, tunc « ille credidit. » S. Martha munifica Christi hospita Salvatori nostro dixit [3] : *Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi* : sed quid mirum est, si ipsa credidit, quæ ob hospitalitatem per quam illum frequenter domi suæ perbenigne excepit, illum omni humana conditione superiorem fuisse, facile animadvertere potuit? S. Petrus quidem ex instinctu Patris cœlestis confessus est, dicens [4]: *Tu es Christus Filius Dei vivi* : sed quid mirum, si in hanc confessionem proruperit Petrus, qui diuturno tempore in Christi schola ejus existens discipulus, claram hujus veritatis ab æterno Patre receperat notitiam tantoque tempore in aliorum Apostolorum societate fuerat conversatus? Hic autem bonus latro, sine ulla prævia cognitione, in eorum positus medio, qui Christum pro viribus blasphemabant, tot cum circumstantiis divinam Christi revelavit essentiam, ut nullus unquam Theologus, quantumvis eximie doctus, paucis verbis excellentius quid de eo dicere potuisset. Porro delictorum illorum capita, de quibus Pontifices et principes Synagogæ Christum in processus sui summario accusaverant, præcipue ad sequentia tria puncta reducebantur, scilicet, primo quod malefactor esset ; unde dicebant : Si *non esset hic molefactor, non tibi tradissemus eum* hoc autem accusationis caput bonus hic latro per verba antecedente, dicta evacuavit, dum ait : *Hic vero nihil mali gessit.* Secundum delicti caput erat : *Filium*

[1] Hebr., II, 7.— [2] Habac., III, 2.— [3] S. Aug., l. XVIII *de Civit. Dei.* — [4] Laur. Justin., *ib.* — [5] Isa., I, 3. — [6] S. Bern., *ib.*

[1] S. Aug., s. *in Append. de divers.* — [2] Id., s. 144 *de Temp.* — [3] Jorn., XI, 17. — [4] Matt., XVI, 17.

*Dei se fecit, et ideo secundum legem nostram debet mori*, hoc autem nequaquam figmentum, sed certissimam veritatem esse, suo testimonio confirmavit, dum Christum *Dominum* appellavit. *Et dicebat ad Jesum, Domine.* Tertium denique delicti caput erat, quod se regem facere voluerit : *Omnis autem qui se regem facit contradicit Cæsari.* Christum autem verum regem esse, bonus hic latro manifeste declaravit et quidem regem regni cujusdam beati et æterni : *Memento mei dum veneris in regnum tuum.*

## DISCURSUS VII.

### VARIÆ CIRCA BONI LATRONIS FIDEM, ALIOSQUE VIRTUTUM ACTUS, INSTITUUNTUR CONSIDERATIONES.

IDEA SERMONIS. — 1. Bonus latro sua confessione confudit obstinationem Hebræorum. — 2. Quando Petrus Christum negaverit. Et quando bonus latro illum confessus fuerit. — 3. Malus latro malam vitam pejori morte finivit. Quomodo bonus latro tam sublimum Theologiam addiscere potuerit. — 4. Fides boni latronis comparatur fidei trium SS. Magorum. Et Centurionis. — 5. B. latro cognovit Deum esse scrutatorem cordium et renum. — 6. Bonus latro factus fuit Evangelista. — 7. Alii admirabiles actus hujus latronis recensentur.

*Et dicebat ad Jesum : Domine.* Luc., XXIII, 24.

**1.** — Bonus hic latro, per vivam suam in Filium Dei fidem, toti mundo manifestam, Hebræorum efficaciter confudit obstinationem : eo namque tempore quo universa synagoga Christo Messiæ blasphemando, et repudiando unanimiter intenta erat, ipse in cruce suspensus, Christum cœli regem et Dominum esse alta voce pronuntiavit, quod D. Chrysostomus admirans, ait [1] : « illi qui « prophetarum fuerant documentis instructi, qui « signa viderant, qui miracula fuerant contem- « plati, de Christo dicebant : *Dæmonium habet.* « *Seducit turbas.* Latro vero qui prophetas non « audierat. qui prodigia non viderat, qui in cru- » cem suffixum viderat, non attendit ad igno- « miniam, non respexit ad infamiam, sed di- « vinitatem considerans, ait : *Memento* etc. Hoc « sane novum, et inusitatum. Crucem vides, et « regni meministi? Quid dignum regni vidisti? Ho- « minem crucifixum, alapis cæsum, illusum, accu- « satum, sputis conspersum, flagellatum, compunc- « tum. Hæccine sunt quæso digna regno? Vides, « eum oculis fidei respexisse, non ea quæ appare- « bant, expendisse. Propterea neque Deus nuda « verba expendebat, sed ut ille in divinitatem, sic « Deus in cor latronis respiciebat, et ait : *Hodie* « *mecum eris in Paradiso.* »

**2.** — Christus Petrum velut fidei suæ Christianæ quam legem Evangelicam promulgando, in terra de novo plantaverat, elegerat basim et fundamentum, dicendo [1] : *Petre, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* : et tamen basis hæc in triplicata Christi negatione admodum vacillavit; siquidem se Christum nosse pejerando negavit, quamvis ex æterni Patris revelatione eumdem Dei Filium vere esse, antea confessus fuisset. At vero dic sodes, quonam tempore Petrus sui adeo oblitus, dicere non erubuit : *Non novi hominem.* Num forsitan, quando illum in horto Gethsemani conspexit contremiscentem, præ tristitia agonizantem, sanguineoque sudore toto corpore perfusum facieque pallidum et exsanguem, adeoque ab illa ejus specie quam in monte Thabor conspexerat, longe diversum ? Aut vero negavit, se Christum nosse, quando audiit Christum de Patre suo æterno lamentantem, et dicentem : *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me*? Haudquaquam, sed tunc cum negare cœpit, quando Christus coram Caipha alapam, cum omnium circumstantium applausu sibi impactam, accepit, perque illam omnibus aliis derisionibus, improperiis, et injuriis fores apertæ fuerunt. Ita enim S. Thomas notat, quod S. Petrus tunc Dominum negarit, quando eum coram Anna, et Caipha derideri et subsannari conspexit, quid enim ab infinita illa Majestate, *quam adorant Dominationes, tremunt potestates*, magis potest esse alienum, quam a vilissimorum hominum temeritate profectæ derisiones et ludibria? At bonus hic latro in maximo ludibriorum improperiorum blasphemiarum, et derisionum infiniti cujusdam populi furore constitutus, Christum non solum non negavit, aut abjuravit et cœlestis gloriæ Regem agnovit, adoravit, altaque voce præconizavit : *Et dicebat ad Jesum, Domine memento etc.* S. Bonaventura generosam hujus boni latronis fidem dilaudat, inquiens [2] : « Apparet, quod « in latrone fuit veritas fidei, et confessio veritatis, « reprobando bonum et asserendo verum. » Beda super Lucam scribens, eas insuper recenset, quæ in hujus pœnitentis corde delituere, præclaras virtutes. Ait enim [3] : « In corde fidelium tres summopere « manere virtutes, testatur Apostolus, dicens : *Nunc* « *autem manent fides, spes, charitas* ; quas cunctas « subita repletus gratia, et accepit latro, et servavit « in cruce. Fidem namque habuit, qui regnaturum « Dominum credidit, quem secum pariter morien- « tem vidit. Spem habuit, qui regni ejus aditum « postulavit. Charitatem quoque in morte sua vi- « vaciter tenuit, qui fratrem, et conlatronem pro « simili scelere morientem, et de iniquitate sua « arguit, et ei vitam, quam cognoverat, prædica- « vit. » Et vero nisi vivacissimam fidem, et securissimam remunerationis in futura vita subsecuturæ spem habuisset, Christi patrocinium, et defensionem tanta cum animositate nequaquam aggressus fuisset.

[1] CHRYS., s. 8 *in Gen.*

[1] MATT., XVI, 18. — [2] S. BONAV., *in Luc.* — [3] BEDA, *ibid.*

**3.** — Porro malus et reprobus latro omnes etiam pontifices, magistratus, seniores et principes, Christum certatim improperiis onerare audiens, etiam ipse, ut gratiam et benevolentiam ipsorum sibi tanto magis compararet, atque pro renumeratione in libertatem pristinam denuo assereretur Christum pro viribus suis injuriis et blasphemiis lacessere contendit, dicente Gaufrido [1] : « Latro ille, qui in « sinistris positus erat, et adulabatur Judæis, et « convitiabatur Christo, malam vitam pejori morte « finivit, et recepit sicut meruerat. » Non vero sic bonus hic latro faciebat de quo Lucas Brugensis ita scribit [2] : « Notanda est hujus latronis inter alia « constantia in confessione Jesu, dum non veretur, « et principes Judæorum, et Pilatum judicem palam « damnare præsentibus et audientibus eorum « ministris, ut Jesum defendat. Sed unde noverat « iste, Jesum nihil mali gessisse? Celeberrima « fama beneficentia Jesu erga omnes, jamdiu ad « ejus aures pervenerat. » Quæri præterea posset, quonam modo is, qui professione sua latro, et ut quidam existimant, idolatra erat, hanc adeo sublimem adiscere potuerit Theologiam, ut hominem in patibulo suspensum, et a justitia publica mortis condemnatum, titulo Domini honoraret : *Et dicebat ad Jesum, Domine* : imo eumdem regni cujusdam immortalis Regem declararet, dicente : *Memento mei, dum veneris in regnum tuum?* Ambo hæc dubia sequentibus ejusdem auctoris solvuntur verbis ; ait enim : « Accessit nunc singularis illustratio mentis, a « Spiritu Sancto profecta. » S. Augustinus de hoc bono latrone dicit, quod tametsi hactenus talem traduxisset vitam, ac si post hanc vitam præsentem alia vita non superesset, nihilominus tandem a Spiritu Sancto illustratus, oculum mentis, multo autem magis cor suum in solam vitam æternam defixum habuerit : en verba ipsius [3] : « Quam cito eum re- « plevit Spiritus Sancti eruditio, per quam futuri « examinis diem cogitans, etsi intolerabile probat » esse quod sentit, gravius tamen intelligit esse « quod metuit; prædicat sæculis judicem Regemque « sæculorum nondum vocatus, et jam electus; « nondum discipulus, et jam magister, atque ex « latrone, confessor : quia etsi pœna cœperat in « latrone novo genere consummatur in martyre. » Idem S. Doctor in eodem sermone diu ante dixerat : « Videamus, quo tempore fidelis apparuit. « Ecce inter signa, atque virtutes, attestantibus « miraculis, et acclamantibus, aliquoties in discipu- « lis mens jam robusta titubavit ; et nunc Christi « suppliciis quodammodo contradicentibus, in la- « trone fides novella convaluit. » Drogo Hostiensis a S. Augustino didicisse videtur id, quod deinceps de hac materia scripsit, dum sequens prius movet dubium : « Quomodo latro est, si cum Christo in « paradiso? *Non enim juxta te habitavit malignus.* » Moxque per sequentem ingeniosam solutionem respondet, inquiens [1] : « Latro fuerat quando latebat « ante confessionem, justus autem post oratio- « nem, quid enim oravit? *Memento mei dum veneris* « *in regnum tuum.* O magna fides! O magna spes! « O magna charitas! Orat pro futuris, non pro « præsentibus non vult de cruce deponi, sed in « regno Christi reponi: quid enim est aliud dicere, « quam *Cupio dissolvi, et cum Christo esse.* Nescio « quid Paulus magis isto latrone cupierit. » Etenim S. Paulo specialissimum illud obtigit privilegium, quod scilicet raptus fuerit in paradisum ; quid igitur mirum, si paradisum illum tam avide concupierit? At vero bonus hic latro solum a Christo poposcit, ut sui recordaretur, postquam pervenisset in regnum suum, absque ulla regni illius prævie habita cognitione; ac proinde vivacitas fidei, in hoc latrone magis quam in S. Paulo relucet.

**4.** — S. Bernardus in sermone secundo de Sanctis Magis, fidem horum magorum cum fide boni latronis comparens, illum Christum Regis nomine appellare obstupescit dicens [2] : « Ergone per suppli- « cium ille vadit, in regnum? Quis indicavit tibi, « quoniam oportebat pati Christum, et sic intrare « in gloriam suam. » Moxque fidem lynceos habentem oculos, imperscrutabilia mysteria intime penetrare, in hæc verba ostendit : « Mira res, et omni « admiratione digna. Propterea rogo vos, intue- « mini, et videte quam occulata sit fides, quam « lynceos oculos habeat diligentius considerata. « Cognoscit Dei Filium lactentem, cognoscit in ligno « pendentem, cognoscit morientem, siquidem « latro in patibulo, magi in stabulo cognoscunt, « ille clavis infixum, isti pannis involutum. » Magi porro perspectas habebant, quas Prophetæ circa Messiæ adventum prænuntiaverant, prophetias deque eodem adventu, et nativitate certiores facti fuerant per prodigiosam illam stellam quæ in cœlis apparuerat, quæque illis securi ducis loco usque ad natum regem servierat. At vero tempore, quo latro Christum Regem paradisi appellavit, non solum sol materialis, verum etiam verus justitiæ sol obtenebratus erat, totusque aer caliginosis tenebris erat involutus, nec quisquam erat, qui hunc publicum viarum prædonem per prophetias, et figuras catechizaret, et tamen adeo eximio perfusus est lumine tamque sublimi notitia imbutus fuit, ut Christum in cruce pendentem, et jam morti propinquum, cœlestis gloriæ Regem esse agnosceret. Unde licet Christus de fide Centurionis dicat : *Non inveni tantam fidem in Israel,* hoc tamen intelligendum est comparative, quia credibile est, in Apostolis longe majorem fuisse fidem, quam in centurione, licet proportionaliter fides centurionis tanquam militis,

[1] GAUFR., s. 10. — [2] LUC. BRUG., *in Luc.* — [3] S. AUG., s. 45 *in Append. de divers.*

[1] DROG., *de Sacram. Dom. Pass.* — [2] S. BERN., ser. 2 *de Epiph.*

de quibus poeta canit : « Nulla fides pietasque viris « qui castra sequuntur, » fidem Apostolorum quadantenus superasse dici possit. Quod si vero Christus hujus boni latronis virtutes commendare voluisset, quemadmodum aliquando virtutes Præcursoris sui commendavit, firmiter mihi persuasum habeo ipsum panegyricum suum ab hisce verbis fuisse exorsurum [1] : *Non inveni tantam fidem in Israel*; quia inter omnes Israelitas qui tempore passionis Christi ad solemnitatem paschalem, ex variis mundi partibus, in infinito quasi numero concurrerant, multos fuisse ex fine constat, qui illum blasphemabant, deridebant et convitiabantur, nullus vero in laudem Christi linguam suam laxavit præterquam hic latro, qui ipsum verum Deum esse professus est : *Et dicebat ad Jesum : Domine.*

**5.** — Considerandum quoque est, bonum hunc latronem executum fuisse illud ab Ecclesiastico traditum consilium [2] : *Ubi non est auditus, ne effundas sermonem* ; videns namque, quod per reprehensionem, qua collegam suum perstrinxerat, nihil fructificaret, quodque circumstantes defensionem innocentiæ Christi a se factam non audirent, quin potius deriderent ; relictis illis, ad Christum discursum suum et intima cordis sui convertit, prout Divus Chrysostomus hisce verbis notat [3] : « Beatus latro « adstantes docebat, talia disserens, quibus alterum « increpabat ; sed ut vidit extinctos auditus astan« tium, redit consequenter ad eum qui novit præ« cordia ; » quibus verbis alius quidam fidei actus a bono latrone circa divinitatem Christi elicitus innuitur ; intellexit namque, quod solus Deus ea quæ in corde latent, perspecta habeat [4], utpote *scrutans corda et renes Deus.* S. Cyrillus Hierosolymitanus de hoc bono latrone disserens, exclamat inquiens [5] : « Quæ virtus te illuminavit, o latro ? Quis te docuit « adorare contemptum, et simul cruci affixum ? » Profecto nequidem ipsimet Apostoli, tanto tempore in schola cœlestis Magistri eruditi, adeo fuere in fide radicati, quemadmodum bonus hîc latro in brevissimo tempore radicari meruit ; unde S. Augustinus duobus discipulis in Emmaus contendentibus atque dicentibus [6] : *Nos autem sperabamus, quod redempturus esset Israel*, in hæc verba improperat [7] : « Hic est discipulatus vester ? In cruce latro vos « vicit. Vos obliti estis eum qui docebat, ille agno« vit eum, cum quo pendebat. » Porro verisimile est, bonum hunc latronem interius quidem ex parte sua hunc in modum discurrisse : In tota vita mea vix aliud quid feci, quam quod hunc Dei Filium, mihi vicinum, præ cunctis aliis enormissime offenderim ; qua igitur ratione non solum scelerum meorum veniam, verum insuper in regno ipsius præmium sperare potero ? certe aliud non mereor, præterquam furcam, in qua suspensus ostentor, non vero gloriæ coronam. Similiter ex parte Christi hunc in modum ei discurrere licebat : Quod si hic a latere meo crucifixus, quoad usque vixit, magnos facere nequivit suos discipulos, siquidem Apostoli semper pauperes fuere piscatores ; qua ratione me exaltare poterit nunc, quando nudus in cruce pendet, sicut et ego ; quando desolatum se etiam ab æterno Patre suo esse lamentatur ? Qua ratione me in beatum illud regnum introiturum esse sperare potero, quod a quinquies mille et amplius annis tot præstantissimis Patriarchis, infinitis apud Deum meritis conspicuis, clausum remansit ? Verumtamen *captivato intellectu in obsequium fidei*, omnibusque hisce discursibus neglectis, vivacissimæ in se fidei et spei actus excitavit. Unde S. Bernardinus de ipso ait [1] : « Considera ejus firmissimam spem, scilicet « ab illo sperare salutem, quem in corpore proprio « omni videbat salute privatum, » quis enim vitam eamque immortalem se recepturum esse sperare poterit ab eo, qui ipsemet moritur ? Verumtamen velut alter quidam Abraham ad ejus æmulationem *credidit in spem, contra spem.* « Quis non consideret, « quanta fide, » inquit S. Augustinus [2], « quanta « spe, quanta charitate mortem pro Christo vivente « suscipere potuit, qui vitam in moriente quæsi« vit ? » Utique vivæ fidei ipsius fructus erat, quod anima ipsius in sanguine Redemptoris abluta fuerit, propter quod Arnoldus Carnotensis in hæc verba scribit [3] : « Cum jam anima egressum accele« rans, in primis labiis esset, et hora ultima ad« ventaret, æquo animo ibat ; nec urgebat formido « pœnarum conscientiam, quæ se sanguine Christi « præterfluente sentiebat ablutam. » Idem venerabilis scriptor in progressu ejusdem tractatus, in hujus boni latronis laudem subjungit : « Itaque con« cionator illustris, oblato confessionis et fidei « odoramento, impositoque latroni blasphemanti « silentio, victoriæ suæ palmam, et auctoramentum « a judice exigens, ad Christum convertitur, et di« cit : *Memento*, etc. »

**6.** — Ex quo in sacro Evangelio omnium mysteriorum fidei nostræ continetur professio, haud inique bonum hunc latronem, non minus quam S. Matthæus, S. Joannes, S. Marcus, et S. Lucas, Evangelistam fuisse asserere possumus ; maxime si eidem Arnoldo fidem habere volumus, dicenti : « Plagarum, et sanguinis immemor, dictator « Evangelii latro efficitur, et (quod persuaderi illa « hora difficile erat) Christum Deum in cruce fate« tur, ibi orat, ibi adorat. Multa simul pietatis « officia complectitur. Credit, et timet. Compungi« tur, et pœnitet. Confitetur, et prædicat. Amat, « confidit, et orat. Fide illuminatur, timore subdi-

[1] MATT., VIII, 7. — [2] ECCL., XXXII, 6. — [3] CHRYS., *in Cat. græc. in Luc.* — [4] OSEE, VII, 10. — [5] S. CYRILLUS HIEROS., *Cat.* 2. — [6] LUC., XXIV, 21. — [7] S. AUGUST., s. 225 *in Luc.*

[1] S. BERN., t. I, s. 55. — [2] S. AUG., *de anima et ejus orig.* — [3] ARNOLD. CARN., not. *de 7 Verbis.*

« tur, compunctione mollitur, pœnitentia concuti-
« tur, confessione purgatur, prædicatione zelatur,
« dilectione dilatatur, confidentia sperat, oratione
« impetrat. » Taulerus verborum a bono latrone in gloriam, et honorem Christi pronunciatorum medullam penetrare videtur, dum ita scribit [1] : « Qua
« prece Christum professus est cœli Dominum,
« atque ita Deum verum, quando solius Dei cœlum
« est. Nihil in Christo, nisi paupertatem, dolores,
« et livores, eumque jam morti proximum cerne-
« bat, quæ sunt omnia signa, Deo, ac Domino
« prorsus contraria. » Enimvero ad petendum a Christo Paradisum, nullo præditus erat merito ; et tamen sperare petitionis suæ effectum non destitit:
« Cum Christo nunquam fuerat conversatus, » inquit S. Beruardinus [2], « nec forte ante noverat
« eum. Non fuerat secutus doctrinam ejus, nec
« etiam vitam ; sed in impietatis operibus se exer-
« cens, juste patiebatur exitium mortis. » Et ideo quod homo tam vilis, infamis, et ad patibuli supplicium condemnatus, qui nullam cum Christo familiaritatem habuerat; imo qui illum, tanquam Dei Filium, per totum vitæ suæ decursum continuo offenderat : quod, inquam, talis nihilominus partem in Regno ipsius a Christo postulare audeat, id utique fieri non poterat, absque perspicua misericordiæ Christi notitia, qui in illo momento omnes amplexabatur enormissimos peccatores, ut sanguine suo illos purificaret.

7. — S. Maximus alios fidei hujus boni latronis admirabiles actus manifestat, inquiens [3]: « Hæc est
« fidei plena devotio, ut cum de vulneribus Domini
« sanguis profluens cernitur, tunc de potestate
« ejus venia postuletur : cum videtur ejus humi-
« litas, tunc magis timeatur ejus Divinitas : cum
« morti addictus putatur, tunc Regis illi honorifi-
« centia deferatur. Non credidit moriturum, quem
« annuntiat regnaturum. Non putat subdendum
« inferis, quem dominaturum confitetur in cœlo.
« Non arbitratur eum apud tartarum detineri, a
« quo etiam se postulat liberari. » Idem quoque sanctus paulo post subdit : « Intellexit, quod pro
« alienis peccatis has plagas susciperet, pro alienis
« sceleribus hæc vulnera sustineret, et scivit, quod
« illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi
« vulnera, sed latronis ; atque ideo plus amare cœ-
« pit eum, postquam in corpore ejus sua vulnera
« recognovit. » Apostolus quidam, postquam sermonem auscultasset ab illo Magistro pronuntiatum, de quo Petrus dixerat : *Verba vitæ æternæ habes*; postquam a Christo Sacerdos esset consecratus, sanctissimoque Filii Dei corpore cibatus ; tandem nihilominus ex triginta denariorum cupiditate illum tradidit, minorique pretio eumdem vendidit, quam si canem vendidisset. Et ecce latro quidam, qui per totam vitæ suæ ætatem adeo alienarum facultatum cupidus fuerat, ut in viis publicis transeuntes rebus suis spoliare non erubuerit, hic, inquam, Christi innocentiam tuetur adversus illos, qui Christum a proditore Apostolo coemerant, et passionis macello addixerant, eumdemque Dei Filium, et cœli Monarcham esse declarat. Merito igitur S. Maximus ait [1] : « Mirares, plus in cruce latro
« Christum diligit, quam Judas dilexit in cœna. Ille
« per cibum supplantavit Magistrum, hic credidit
« Dominum per dolorem, sicut ait Propheta : *Qui*
« *edebat panes meos, magnificavit super me supplan-*
« *tationem.* » Porro Isaias de Redemptore nostro prædixerat [2] : *Oblatus est, quia ipse voluit*; bonus autem hic latro, ac si perspicuam habuisset hujus Prophetiæ notitiam, Christum ultro citroque morti cunctisque tormentis occurrisse credebat, prout idem S. Præsul his verbis insinuat : « Cognovit
« latro, omnem Dei Passionem ex ipsius fieri volun-
« tate, et in potestate ejus esse, vel morti animam
« tradere, vel ad vitam iterum remeare. » Unde in homilia secunda hanc boni latronis fidem in cœlum usque præclara hac propositione extollit [3] : « Plus
« credidisse Christo, quam sæculo deliquisse, et
« plenioris est meriti, veniam sperasse de Domino,
« quam culpam contraxisse de mundo : sicut enim
« perfidia criminosum fecit, ita fides perfecit in-
« nocentem. » Idem S. Pater postquam ingentem contexuisset meritorum, et gratiarum, magnæ hujus latronis animæ collatarum, catalogum, tandem in hæc verba concludit : « Hanc totam gloriam
« latroni fides præstitit. » Et in progressu ejusdem homiliæ inquit : « Magna, et perfecta fides in isto
« latrone fuit. Magna plane et admirabilis fides, quæ
« Christum crucifixum glorificari magis credidit,
« quam puniri. In hoc enim totius forma salutis
« est. Salvatorem tunc Majestatis Dominum recog-
« novit, cum videbatur humilitatis patientia cru-
« ciari. Unde ait Apostolus : *Si cognovissent, nun-*
« *quam Dominum Majestatis crucifixissent.* Hæc,
« inquam, perfecta fides est, Christum in cruce
« Deum, non reum credere. Unde iste latro justifi-
« catus est, quia Salvatore in patibulo constituto,
« Judæis insultantibus, vel criminosa dicentibus :
« *Libera teipsum, si potes* ; ille certus de divinitate
« ejus, et securus de voluntate, se magis postulat
« liberari. »

[1] TAUL., c. 43. — [2] S. BERN., t. I, s. 55, a. 1, *Princ.* — [3] S. MAXIM., h. 1 *de latr.*

## DISCURSUS VIII.

DE QUIBUSDAM INDICIIS, EX QUIBUS BONUS LATRO IN DIVINITATIS CHRISTI NOTITIAM DEVENIRE POTUIT, DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Quibus inditiis bonus latro convictus Christum agnoverit esse filium Dei et Domi-

[1] S. MAXIM., *ib.* — [2] ISA., LII, 7, — [3] S. MAXIM., h. 2 *de latr.*

num regni cœlorum. — 2. Obscurato sole, commota terra scissisque petris, agnovit latro Christi divinitatem. — 3. Bonus latro audiens Christum orantem pro suis crucifixoribus certo sibi persuasit illum esse filium Dei. — 4. Ex dilectione inimicorum suorum ostendit Christus se vere esse filium Dei. Exemplum Davidis erga Saulem. — 5. Mira Christi patientia persuasit latroni Christum verum esse Deum et Regem gloriæ. — 6. Sufferentia improperiorum ludibriorum et convitiorum declararunt Christi divinitatem. — 7. Bonus latro collata invicem Christi innocenti vita et miraculis, et patientia in morte, conclusit illum esse Deum. — 8. Primarius impulsus cognitionis divinitatis Christi, fuit gratia et illuminatio Spiritus Sancti.

*Et dicebat ad Jesum* : *Domine*. Luc., XXIII, 42.

**1.** — Merito inquirendum venit, ex quibusnam indiciis bonus hic latro (qui totam vitam suam intra sylvarum latebras, spoliandis viatoribus intentus transegit, nec ullum unquam Dei timorem, multo minus ejusdem notitiam habuit; ac proinde cum atheo illo dicere poterat [1] : *Nescio Dominum*) convictus fuerit, ut Christum verum Dei Filium, Regnique cœlorum Dominum esse crederet : ac proinde ad Jesum diceret : *Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum*. Porro prophetæ superne per spiritum propheticum, divinamque lucem illustrati fuerunt; hic autem sceleratus, e sylvarum antris ad carceres, a carceribus ad montem Calvariæ perductus, nunquam suos oculos ad cœlos extulit; et tamen quia *spiritus ubi vult, spirat*, mox ut sanctissimus ille Spiritus se cordi ipsius insinuavit, primus gratiæ excitantis radiis cooperando, hanc a Christo gratiam recepit, ut ejus divinitatem ex certis quibusdam indiciis et conjecturis haud obscure discerneret.

**2.** — Dionysius Carthusianus in ea est opinione, quod quando in Passione Christi universa se natura commovit, lapideum quoque hujus latronis cor (licet paulo ante una cum collega suo Redemptorem blasphemasset) commotum, et liquefactum fuerit; ita namque scribit [1] : « Primum uterque blasphe-
« mavit, dehinc sole fugiente, terra commota,
« saxisque disruptis, et ingruentibus tenebris, unus
« credidit in Jesum. » Idipsum quoque diu ante Dionysium, Euthymius in hæc verba tradidit [2] :
« Primum siquidem ambo, propriorum obliti labo-
« rum, ex crudelitate exprobrabant ei, utpote et
« ipsi Judæi. Forte autem etiam id in gratiam Ju-
« dæorum faciebant, ut propter hoc ipsos depone-
« rent. Postmodum vero alter pœnitentia ductus
« est, videns aerem præter naturam obscuratum. »
Hanc quoque opinionem secutus est S. Hieronymus, dum super Matthæum ita scribit [3] : « Sole fugiente,
« terra commota, saxisque disruptis, et ingruenti-
« bus tenebris, unus credidit in Jesum, et priorem
« negationem sequenti confessione emendavit. »
Confirmat idipsum S. Paschasius, ita scribens [4] :
« Poterat fieri, ut prius ambo improperarent ei,
« deinde unus eorum conversus, videns mira quæ
« fiebant, confiteretur Domino, eo quod ejus cle-
« mentia commotus esset ad pœnitentiam. Quod
« satis congruit ad utrumque populum, dum ambo
« insultabant ei; sed postmodum unus blasphemus
« remansit, alter vero Confessor Christi factus, ve-
« niam implorare non cessat. » Ubi observandum, quod Paschasius dicat : *Mira videns*; vidit enim universalem quamdam totius naturæ, cœlorum quoque et elementorum convulsionem, et commotionem. Considerandum quoque, quod Titus Bostrensis in hæc verba notat [5] : « Ast unde hic, cum
« miracula quæ circa crucem paulo post acciderunt,
« nulla adhuc vidisset, ad mentem rediit? Fortas-
« sis ex oratione, quam Jesus Christus magna cum
« fiducia ad Deum tanquam ad Patrem transmitte-
« bat. *Pater*, aiebat, *ignosce illis, quia nesciunt quid*
« *faciunt*; nam et perinde cum eo loquitur, atque
« par cum pare, et Patrem vocat, et cum magna
« libertate, *dimitte illis*, clamat. Non enim dixit :
« Domine rogo te, ut hanc illis noxam condones;
« sed simpliciter : *dimitte illis*, inquiebat. »

**3.** — S. Vincentius Ferrerius in sermone quodam in Parasceven, eumdem hunc boni latronis, ad suam conversionem, et consequenter ad Divinitatis Christi notitiam consequendam, insinuat impulsum, dum ait [6] : « Videns latro qui pendebat in
« cruce a dextris, quod Christus oravit pro cruci-
« fixoribus, et considerans Christi patientiam,
« habuit fidem de Christo, et contritionem de
« peccatis in corde. » Eamdem quoque conversionis boni latronis causam tradit Euthymius, inquiens :
« Audito, quod etiam pro his qui eum crucifige-
« bant, intercessisset, veluti scripsit Lucas, mox se
« convertit. » Pro cujus clariori intelligentia considerandum est, quod S. Lucas Evangelista, postquam retulisset, Christum in cruce dixisse : *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*, statim immediate subdat hanc boni latronis conversionem, nec non ab eo factam Divinitatis Christi confessionem : *Et dicebat ad Jesum* : *Domine memento, etc.*, quasi per hoc insinuare volens, quod utrumque, scilicet boni latronis conversio, et fidei confessio, veri essent heroicæ istius charitatis, et mansuetudinis effectus, quam Christus in cruce pendens crucifixoribus exhibuerat. Enim vero verisimile est, latronem in Prætorio audivisse, qualiter Pilatus Christum sæpius declaraverit innocentem, quantumvis deinceps ob tumultuosam populi, pontificum, et principum Synagogæ violentiam, eum morti adjudicarit; videritque postea, quod dum ad montem Calvariæ adduceretur, tot afficeretur injuriis, sannis, blasphe-

[1] EXOD., V, 2. — [2] DION. CART., *in Matt.* — [3] EUTH., c. 67 *in Matt.* — [4] S. HIER., *ib.*

[1] S. PASCH., *in Matt.* — [2] TIT. BOSTR., *in Luc.* — [3] S. VINC. FERR., *in Parasc.*

miis, maledictionibus, et improperiis, ut etiam cœlum ipsum ad ejus compassionem fuerit commotum; atque ideo audiens, quod post diuturnam taciturnitatem, et patientiam, cum Patre æterno locuturus, verba pronunciaret, merito credebat, quod adversus impios, et sacrilegos illos divinæ justitiæ fulmina imploraturus esset: at vero quando audivit, quod non solum illis omnem noxam condonaret, verum insuper pro remissione criminum illorum Patrem deprecaretur, intra semetipsum cogitavit: Fieri nequit, ut hæc tanta patientia, et benignitas exerceatur ab alio, quam ab eo, qui vere est Filius Dei. Audiamus idipsum Theophylactum in hæc verba scribentem [1]: « Verisimile autem est, « quod primo quidem duo eum convillati sunt, « deinde unus eorum cordialior, agnoscens bonita- « tem et divinitatem Jesu, ex voce quam fecit pro « crucifigentibus: *Pater*, dicens, *dimitte illis*, quæ « vox non solum omni misericordia plena est, sed « et magnam auctoritatem præsefert. » Apte quoque huic proposito deservit sequens S. Paulini doctrina dicentis [2]: « Vicem injuriæ reddere, hu- « mana ultio est: at inimico etiam diligere, vin- « dicta cœlestis est. » Unde quando Christus coram æterno Patre suo non solum suis crucifixoribus condonabat, sed et pro iisdem advocati officium exercebat, ad placandam conceptam Patris æterni iracundiam, merito bonus hic latro certo et indubitate hinc cognovit, Christum verum Dei esse Filium; siquidem ad tam heroicum charitatis actum humana fragilitas nequaquam pertingere valeat; hocque efficaci motivo permotus, divinam Christi imploravit misericordiam, quasi hunc in modum intra se arguisset: Quod si hic juxta me in cruce pendens adeo se liberalem, et misericordem exhibet erga illos, qui actualiter illum blasphemant, quique eum tanta cum crudelitate, præter usitatum morem, confixerunt in crucem, inauditisque affecerunt tormentis; quanto magis ego veniam ab ipso me obtenturum esse sperare potero, qui ejus innocentiam manifestare, ejusque personam pro viribus defendere sategi, manifestando insuper, ipsum verum esse Dei Filium, et promissum in lege Messiam?

**4.** — Rupertus Abbas in libro *de gloria et honore Filii Dei*, hæc Christi verba ponderans [3]: *Diligite inimicos vestros et benefacite his, qui oderunt vos: orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est*, ita scribit: « In hoc dicto, cum dicit: *Ut sitis filii Patris vestri, « qui in cœlis est*, maxima subjungitur differentia « filiorum multorum et ipsius unici Filii Dei; ille « namque, non ut esset Filius Dei, sed quia erat « Filius Dei dilexit inimicos. » Hæc enim crucifixoribus suis exhibita dilectio, naturæ divinæ attribuenda est, non vero humanæ; quia crucifixionis crimen condonavit potius tanquam Filius Dei, quam tanquam Filius hominis; siquidem actus tam excessivæ charitatis humanam longe superat debilitatem. S. Marcus de centurione, qui militibus illis præerat, qui Christum crucifixerunt in crucem et consequenter paganus et idololatra erat, ita scribit [1]: *Videns autem centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: vere hic homo Fllius Dei erat.* Ubi verbum *clamans*, non solum ad ultima verba refertur, sed ad omnia alia septem verba, quæ Christus in cruce protulit; inter quæ primum est illud, quo pro crucifixoribus suis veniam ab æterno Patre poposcit. Erat igitur facilis de divina Christi filiatione deducta consequentia, quia cum Christus dilectionem inimicorum per universam promulgasset Judæam et Galilæam, cum hac adjuncta promissione [2]: *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est*, ipseque hoc dilectionis præceptum primus fuisset executus, Deumque Patris nomine appellasset, dicendo: *Pater dimitte illis*, et iterum: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, consequens omnino erat, quod ipse verus ejus Filius esset. Audiamus hac de re beatum Petrum Damianum ita scribentem [3]: « Magnum quidem et ultra hominem est, « asperitatem verborum et verberum, non solum « pati, sed et non reddere: illud vero majus est et « divinum quoddam sapit: *Benefacite his qui ode- « runt vos.* » D. Chrysostomus admirabilem, quam David erga Saulem exercuit, considerans mansuetudinem, utpote qui in spelunca Odolla constitutus, Saulem se ad mortem usque persequentem, non solum non occidit, prout commodissime facere poterat; sed et cum propriæ vitæ manifesto discrimine, suos, quos secum habebat, continuit milites, ne violentas ei manus inferrent: hanc, inquam, considerans mansuetudinem inter cætera ait [4]: « Idcirco postea David, non jam ut homini: sed ut « Angelo parebant. » Idem S. Doctor in homilia antecedente ait: « An hunc post hac dicemus homi- « nem, qui natura humana vitam præstiterit Ange- « licam? » Et clarius in alia quadam homilia ita scribit [5]: « Quodnam est opus Filii Dei? Inimicis « remittere, pro crucifigentibus orare, pro his, qui « oderunt, sanguinem effundere. » S. Cyprianus pariter ait [6]: « Quia ad hoc descendisse se dixerat, « ut voluntatem Patris faceret, inter cætera admi- « rabilia virtutum suarum opera, quibus indicia « divinæ Majestatis expressit, paternam quoque « patientiam, tolerantiæ tenore servavit, omnesque « denique actus ejus, ab ipso statim adventu, pa- « tientia comite signantur. »

**5.** — Enim vero quia patientiæ mentionem fa-

[1] THEOPH., *in Luc.* — [2] S. PAULIN., ep. 2 *ad Sever.* — [3] MATT., V, 44.

[1] MARC., XV, 39. — [2] MATT., V, 45. — [3] S. PET. DAM., s. 2 *de Exalt. S. Crucis.* — [4] CHRYS., h. 2 *de David. et Saul.* — [5] ID., h. 14 *ad Ephes.* — [6] S. CYPR., *de bono Patient.*

cere cœpimus, sciendum est, hanc quoque bono latroni evidens fuisse indicium, unde Christum verum Deum et Regem gloriæ esse dignoscere poterat. Dionysius Carthusianus D. Chrysostomi citans auctoritatem, inquit [1] : « Mirabilis fuit patientia « Christi, latroni non respondentis (de malo latrone « Christum in cruce convitiante loquitur) ait quippe « Chrysostomus : Mirabilius est, videre hominem « convicia passum et non motum, quam hominem « percussum et vulneratum et non cadentem. » Paulo post vero de bono latrone disserens, subdit : « Credidit latro Jesum esse Messiam, Regem in lege « promissum, cujus est regnum cœlorum. Hoc « autem credidit ex mirabilibus, quæ aspexit et ex « ineffabili patientia, charitate et mansuetudine « Christi. » Sancta Mater Ecclesia, velut superhumanæ virtutis, in Martyribus Deo plenis, suspicit et admiratur indicium, quod scilicet in iis *non murmur resonet, non quærimonia ; sed corde tacito. mens beno conscia conservet patientiam,* Actus namque patientiæ, minori sunt deceptionis periculo obnoxii, quam miracula et prodigia, hæc enim nonnumquam incantationibus attribuuntur, ac dæmonum præstigiis. At vero heroici patientiæ actus, sub enormissimis injuriis et contumeliis, summa cum lætitia et æquanimitate toleratis, exerciti, a tali radice proficiscuntur, quæ fallere aut decipere nequaquam potest : *Digitus Dei est hic.* Maligni illi Christi persecutores conjuraverant inter se, dicentes [2] : *Contumelia et tormento interrogemus eum, ut probemus patientiam illius.* At vero quonam, obsecro, fine specialiter præ cunctis aliis virtutibus Christi tentare et experiri volebant in tormentis et improperiis patientiam ? Nimirum : *Ut sciamus reverentiam ejus,* id est, ut sciamus, quo cultu et veneratione a nobis tractandus sit. « Neque enim « mentitus fuerat Propheta, » inquit Tertullianus [3], « imo ipsius Dei contestatio, spiritum suum in Filio « cum tota patientia collocantis. » Ad idem hoc nostrum præsens propositum consideratione digna est illa S. Ambrosii sententia, dicentis [4] : « Injuria- « rum acerbitate proditur Deus. »

**6.** — Propheta Evangelicus inter alia signa et indicia, ex quibus venturum Messiam agnoscendum esse dicit, non ponit sequentia, scilicet quod surdis restituturus sit auditum, loquelam mutis, cæcis lumen et vitam defunctis : non item quod tranquillaturus sit furibundi maris procellas, vel quod a populo, cum ramis palmarum ei occurrente, ei tanquam Regi Israelis sit acclamandum : sed ex eo Christum Messiam agnoscendum esse asserit, quod Christus ipsemet per os Prophetæ dicit [5] : *Ego autem non contradico, corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus : faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Enim vero valde est verisimile, bonum hunc latronem in prætorio et dum Christus inde ad montem Calvariæ procederet, oculatum fuisse testem omnium ludibriorum, calumniarum, convitiorum, quibus a Judæis et lictoribus agitatus fuit, iique inter se collatis cum actibus virtutum, quas Christum in cruce exercere conspexerat, indubitanter intra se cogitasse : *Vere hic est Filius Dei.* Astutus ille serpens, tempore Passionis, Pilati conjugem instigavit, ut maritum suum ad Christum liberandum induceret; incipiebat enim suspicari, Christum verum esse Filium Dei et promissum in lege Messiam. At vero inquies fortasse : cur diabolus idipsum non citius suspicatus fuerit, cum ei non defuerint plurima divinitatis Christi evidentia indicia, videlicet tot patrata diversis in occasionibus miracula, Evangelii promulgatio, fidelium Christo adhærentium multitudo, testimonium Patris cœlestis, in Jordane et monte Thabor perhibitum, multaque alia similia ? Respondeo cum B. Laurentio Justiniano [1] : « Dia- « bolus expavescere cœperat, ne esset ipse, per « quem futura esset salus Judæorum. Supra huma- « nam namque consuetudinem, atque virtutem, « patientiam Christi esse cernebat. » Tertullianus ait [2] : « Taceo quod figitur, in hoc enim venerat : « nunquid tamen subeundæ morti etiam contume- « liis opus fuerat. » Moxque contumeliis illis omnino opus fuisse respondet, ut eximium aliquod divinitatis suæ specimen ederet : quod quidem specimen in eo consistebat, quod scilicet patiens fuerit, non solum in suppliciis, verum etiam inter ludibria, blasphemia, calumnias, injurias etc. Unde subdit : « Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis « vestitur, fœdioribus coronatur; miræ æquanimi- « tatis fides. Qui in hominis figura proposuerat « latere, nihil de impatientia hominis imitatus « est. »

**7.** — Euthymius et alii cum ipso, aliam assignat causam vel indicium, ex quo bonus latro Christum Dei Filium esse agnovit. Dicit enim [3], quod Christum agnoverit tanquam Dei Filium et cœlestis gloriæ regem, « Christi signa ad memoriam revo- « cans, ejusque conversationem inculpatam. » Victor Antiochenus hac de re ita scribit [4] : « Fieri « potest, initio utrumque, quod causam, propter « quam Dominus ad mortem condemnatus fuerat, « ignoraret, blasphemasse; postea vero, Christi in- « nocentia comperta, alterum quidem convitiis « valefacisse, alterum vero insanabili animi malitia « detentum, post cognitam quoque Domini inno- « centiam convitiari perrexisse. » Et vero satis est credibile, bonum latronem, memorem miraculorum et celeberrimæ famæ sanctitatis suæ, qua in universa Galilæa et Judæa valde erat conspicuus,

[1] Dio. Carth., *in Luc.* — [2] Sap., II, 19. — [3] Tert., l. *de Patient.* — [4] S. Ambr., l. II *in Luc.* — [5] Isa., L, 6.

[1] B. Laur. Just, *de Triump. Christi agon.*, c. 13. — [2] Tertul., *ib.*, c. 8. — [3] Euthym., *ib.* — [4] Vict. Ant., *in Marc.*

simul eodem tempore cum hac sanctitatis fama inter se comparasse mansuetudinem, charitatem et patientiam Christi, quacum tunc tot patienter opprobria tolerabat, ex iisque per infallibilem consequentiam ejus indubitatam deduxisse Divinitatem.

**8.** — Verum enim vero, quia Salvator apud S. Joannem expresse ait [1] : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* ; fateri omnino oportet, quod impulsus primarius, per quem bonus hic latro ad altissimam hanc pertigit cognitionem, eidem datus fuerit opera Spiritus Sancti. Unde S. Augustinus ait [2] : « Illuminarat credo nascentem « fidem lateri jam credentis in Christum proprius « corpore admota divinitas, quæ se largius sub « momento illo pro peragenda Redemptione infu- « derat. » Dionysius Carthusianus postquam ineffabilem Redemptoris mansuetudinem, charitatem et patientiam ad hoc boni latronis lumen cooperatam fuisse ostendisset, mox nihilominus concludit, inquiens : « Potius tamen ex supernaturali et gratio- « sissima illuminatione Spiritus Sancti, quia vas « misericordiæ fuit. » S. Apostolus de conversione peccatoris et de notitia Dei, quam is post conversionem sibi acquirit, disserens, in Epistola ad Romanos in hæc verba scribit [3] : *Moysi dicit : Miserebor, cui misereor et misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Lucas Brugensis postquam bonum latronem simul inter se famam miraculorum Christi, nec non vitæ ejus immaculatæ et opinionem vulgi, ipsum tanquam Messiam venerantis, inter se contulisse dixisset, paulo post subjungit [4] : « Hæc con- « jungens cum ea, quam coram cernebat, inaudita « Jesu mansuetudine, ac patientia, excitatus est ad « percipiendam animo insignem cum fide spem, « quamquam præcipuum, quod eum moverit, fuerit « Spiritus Sancti gratia, micantibus e dextro Christi « hominum salutem operantis latere, divinæ vir- « tutis radiis, immissa in ejus animum, quem sin- « gulariter purgavit, illuminavit, direxit, atque « accendit. »

## DISCURSUS IX.

BONUS LATRO, EX TRIPLICI, FLUMINIS SCILICET, SANGUINIS ET FLAMINIS, BAPTISMATE MUNDATUS FUIT, UT PARADISUM SIBI COMPARARET, UBI ALIA QUOQUE EJUS MERITA CONSIDERANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Bonus latro potest dici ablutus triplici Baptismo. Bonus latro factus fuit martyr. — 2. Bonus latro fuit primus Evangelicæ legis martyr. — 3. Fuit mundatus pariter baptismo flaminis. — 4. Magna fuit etiam fiducia et spes boni latronis de obtinenda venia. Comparantur ad invicem peccata boni latronis et S. M. Mag. — 5. Extollitur confessio boni latronis. — 6. Comparatio boni latronis eum Semei. — 7. Bonus latro per pœnitentiam violenter rapuit regnum cœlorum. — 8. Quomodo bonus latro temperaverit Christi dolores in cruce pendentis. Conversio hujus latronis et aliorum peccatorum causat jubilum Christo. — 9. Christus quatuor ipsum alloquentibus in cruce, solo bono latroni respondit.

[1] JOAN., VI, 44. — [2] S. AUGUST., s. 45 *in Append. de divers.* — [3] ROM., IX, 16. — [4] LUC. BRUG., *in Luc.*

*Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Luc., XXIII, 42.

**1.** — Ex quo bonus hic latro innumeris animam suam vitæ facinorosæ coinquinaret sceleribus, ex alia vero parte irrefragabile sit illud Sacræ Scripturæ axioma: *Nil coinquinatum intrabit in Regnum cœlorum*; merito dubitare quis poterit, qua ratione quo ad hunc bonum latronem promissio Redemptoris verificari potuerit, dicentis : *Hodie mecum eris in Paradiso*? Christus quidem Nicodemo (a quo de cruce depositus fuit) dixerat [1] : *Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei* ; sacrosanctum namque Baptismatis lavacrum hac est virtute præditum, quod scilicet animam ab omni culpæ et pœnæ reatu expediat et absolvat. At vero, ubinam vel a quo bonus hic latro sacro hoc lavacro immersus fuit? Enim vero clarum est apud omnes, lavacrum istud distingui *in Baptismum fluminis, sanguinis et flaminis*. Nescio autem, an asserere possimus, hanc boni latronis animam, omnium horum trium Baptismatum factam fuisse participem, ab iisque purificatam. Porro quod Baptismum fluminis, sive aquæ attinet, quadantenus dici posset, hujus bonum latronem factum fuisse participem ; hoc videlicet modo, quia enim, ut S. Joannes ait, ex aperto per Centurionem Redemptoris latere *exivit sanguis et aqua*, satis est verisimile, quod cum bonus hic latro Christo crucifixo contiguus fuerit, idem ab hac aqua fuerit conspersus et ablutus. Quoad hoc tamen plus dicere non ausim, quam quod S. Augustinus in hæc verba scripsit ad Regnatum [2] : « Non incredibiliter « dicitur, latronem, qui tunc credidit, juxta Domi- « num crucifixum aqua illa, quæ de vulnere lateris « ejus emanavit, tanquam sacratissimo Baptismo « fuisse perfusum. » Cæterum quod attinet Baptismum sanguinis, quo innumeri Martyres fuere conspersi, hoc Baptismo bonum hunc latronem tinctum fuisse, varia docent sanctorum Patrum testimonia. S. Augustinus enim in eodem loco paulo ante in hujus boni latronis laudem dixerat [3] : « A « Cypriano sancto inter Martyres computantur, qui « suo sanguine baptizantur, quod plerisque non « baptizatis ferventi persecutione provenit. Tanto « namque pondere appensum est, tantumque valuit « apud eum, qui hæc novit appendere, quod con- « fessus est Dominum crucifixum, quantum si fuis-

[1] JOAN., III, 5. — [2] S. AUG , t. VII, l. III *de anima et ejus orig.* — [3] ID., *ib.*

« set pro Domino crucifixus. » Idem S. Doctor in decursu ejusdem capitis subdit : « Inventa est in eo « mensura martyris, qui tunc in Christum credidit, « quando defecerunt qui futuri erant martyres. » S. Cyprianus in sermone de Cœna Domini, in ejusdem latronis laudem ita scribit [1] : « Latrocinium « damnationem meruerat et supplicium, sed cor « contritum pœnam mutavit in martyrium et san- « guinem in Baptismum. » Et paulo post subdit : « Quid tu Domine amplius Stephano contulisti? « Quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui supra « pectus tuum in cœna recubuit? Quid amplius « Pauli meruere sudores? Quid labores Sanctorum? « Quid tot annorum tormenta? Quid Martyrum « plagæ? Una hora huic collatum est præmium, ad « quod illi per tot discrimina pervenerunt. » Hunc eumdem latrones Martyris nomine quoque Drogo Hostiensis honorat, inquiens [2] : « O beatissimum « latronem, imo non latronem, sed martyrem et « confessorem! Necessitatem enim vertit in volun- « tatem et pœnam commutavit in gloriam, crucem « in triumphum. » Spiritus enim Sanctus qui in ejus se animam insinuaverat, veluti expertus magister, illum ex necessitate virtutem facere docuit. Tametsi enim pro suis flagitiis pateretur patibulum, ipse tamen ex fervore amoris erga Christum ita dispositus erat, ut longe plura pro innocentis Redemptoris defensione pati paratus esset. Unde licet universam Hebræorum Synagogam, ob assumptam in se Christi defensionem, adversum se exasperandam et irritandam esse sciret, non tamen ob id injustitiam, in Christi condemnatione commissam, reprehendere, causamque Redemptoris justificare et defendere desistebat ; sed aperto ore dicebat : *Nos quidem juste, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit.* Merito igitur Eusebius Emissenus exclamat, inquiens [3] : « Quam cito eum re- « plevit Spiritus Sancti eruditio? Nondum discipu- « lus et jam magister, atque ex latrone confessor : « *Memento*, inquit, *mei* : gloriosa voce præsentes « temperat diximus, quia etsi pœna cœperit in « latrone, novo tamen genere consumatur in mar- « tyre. » At vero quæres fortasse, qua ratione in bono lutrone verificetur, quod dici solet : *Martyrem non facit pœna, sed causa.* Respondeo bonum hunc latronem non solum fuisse martyrem desiderio, verum etiam de facto, quia quando utriusque latronis fregerunt crura, tunc ad bonum latronem venientes, qui solus in conspectu totius Synagogæ partes Christi defendere et principes Synagogæ, magistratus et seniores, velut injustos, accusare, ejusque, quem Judæi ad mortem persequebantur, Divinitatem et innocentiam propalare non dubitaverat, in fractione crurum illius atrocius et crudelius in eum sævierunt, acerbissimisque affecerunt doloribus, tametsi horum nulla apud Evangelistas mentio fiat. Verisimile quoque est, quod ministri Pilati ejusque milites, qui Christum crucifixerant (quippe cum *nulla fides sit, pietasque viris, qui castra sequuntur*) audientes illum ausum fuisse dicere : *Hic autem nihil mali gessit,* et consequenter Pilatum velut injustum redarguere, illum in pœnam hujus in se in favorem Christi assumpti patrocinii, indignissimis modis tractasse et atrocius quam collegam suum latronem reprobum afflixisse ; unde patet verissimum esse, quod « etsi pœna cœperit in la- « trone, novo tamen genere consummata fuerit in « martyre. »

**2.** — S. Hieronymus inquit [1] : « Latro crucem « mutat Paradiso et facit homicidii pœnam, marty- « rium. » Imo secure dicere possumus, quod postquam Agnus immaculatus in monte Calvariæ sanguinem suum effudit, bonus hic latro primus Evangelicæ legis martyr exstiterit. Drogo Hostensis quoque præclare ait [2] : « In te beatissime confes- « sor, martyr, de totius mundi sterilitate, fidei « reliquias colligit Christus. » Siquidem cum eo tempore, quo sanguis Redemptoris ad redimendum hominem vel maxime bulliebat, innumeri ex iis qui fidem Christi susceperant, pro prohibendo fidei et divinitati Christi testimonio, sanguinem suum fundere et Christum defendere merito debuissent, nullus tamen repertus est, qui Christi innocentiam defendendam in se susceperit, præterquam bonus hic latro ; et ideo bene dicitur, quod in ipso « de « totius mundi sterilitate fidei reliquias colligit « Christus. »

**3.** — Cum igitur ex jam dictis satis constet, boni hujus latronis animam, non solum fluminis, sed et sanguinis baptismo fuisse purificatam, multo magis mundata fuit baptismate flaminis, scilicet baptismo veræ contritionis et compunctionis propriorum peccatorum ; cujus apud S. Augustinum super Psalmum LVIII scribentem, sequens extat testimonium [3] : « Ecce non gratis sed confessione « effudit sanguinem, et factus est aptus cibo Do- « mini. Exclusit iniquitatem suam accusavit eam, « et caruit ea. » *Confessio et pulchritudo* inquit Psalmista [4], *in conspectu ejus, sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.* Tametsi enim adjudicationem hujus boni latronis suffeciffet, si internis vocibus peccata sua summo sacprdoti fuisset confessus ; ipse tamen humillimam confessionem in publico facere voluit, dicendo : *Nos quidem juste, nam digna factis recipimus.* Ob cujus merita confessionis, animo ipsius in conspectu Dei incomparabilem sibi pulchritudinem, et venustatem conciliavit ; nam ut S. Augustinus inquit [5] : « Accusando fœditatem « tuam incipis confiteri, a confessione incipis de-

[1] S. CYPR., s. *in Cœn. Dom.* — [2] DROGO HOST., *de Sac. Dom. Pass.* — [3] EUS. EMISS., h. *de latr.*

[1] S. HIER., ep. 3 *ad Paul.* — [2] DROG. HOST., *ib.* — [3] S. AUG., *in Ps.* LXVIII. — [4] *Ps.* XCV, 6. — [5] S. AUG., *in Ps.* CIII.

« corari. » Quod si objicias, hunc latronem peccatis enormissimis, per totum ætatis suæ decursum, ad fauces usque fuisse immersum : respondeo cum S. Ambrosio, super illa Psalmi verba : *Fiat cor meum immaculatum*, ita scribente [1] : « Si intus coin- « quinaris, prius munda quod intus est ; didicisti « cor esse mundandum, disce quomodo mundes : « mundat confessio peccatorum ; » nam ut S. Laurentius Justiniamus ait [2] : « Fit persæpe, Redemp- « toris nostri se infundente, atque cooperante « misericordia, ut post lapsum vero pœnitenti au- « geatur gratia major, quam habuerat, addatur « spes gloriæ atque præclarior largiatur eidem de « Dei bonitate cognitio, ita ut impleatur quod Apos- « tolus ait : *Ubi abundavit delictum, superabundavit « et gratia.* »

**4.** — Lucas Brugensis vivam boni latronis spem, quam de divina misericordia conceperat, in hæc verba considerat [3] : « Neque solum fidem declarat « latro iste, verum etian insignem fidei conjunctam « fiduciam, qua sperat se, quamvis immanem pec- « catorem, misericordiæ ipsius posse fieri partici- « pem. » S. Maximus, vel ut aliis placet S. Ambrosius in sermone XLV inquit [4] : « Videamus, cur tan- « torum criminum reus, tam cito a Salvatore Para- « disum promeretur, cum alii multorum temporum « lachrymis, frequentibusque jejuniis, vix delicto- « rum suorum veniam consequantur. » Idem quoque dubium circa S. Mariam Magdalenam peccatricem moveri potest, quam S. Lucas in principio velut enormem peccatricem describit, discendo [5] : *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix* ; mox vero priusquam historiam terminet, velut pictor quidam expertissimus, eamdem velut magnam quamdam sanctam depingit, dicendo : *Dilexit multum* ; cujus cœlestis sponsus ejus hanc a posteriori assignat rationem : *Remittuntur ei peccata multa.* Et vero, utrum ex hisce duobus, majoribus ac pluribus existimatis fuisse peccatis obnoxium ? bonumne latronem, aut vero Magdalenam ? Utique latro major, et enormior peccator exstitit, quam Magdalena ; cum igitur Christus summus sacerdos eundem vivæ vocis oraculo canonizarit, dicendo : *Hodie mecum eris in Paradiso*, eonsequens est, quod ei pariter plenariam quamdam indulgentiam dederit ; cujus tamen effectibus frui non poterat, nisi prius ex parte sua per ferventes contritionis, et charitatis actus peccata sua expiasset. S. Gregorius Nyssenus bonum hunc latronem per veram, et stabilem pœnitentiam paradisum deprædatum fuisse his verbis dicit : « Cum in medio latronum vita penderet, altero « quidem convitiante, et obloquente, alter pœni- « tentia paradisum deprædabatur. » Etenim licet reprobus latro suam a patibulo liberationem a Christo postularet, discendo : *Salva temetipsum, et nos* : non vero item et bonus latro, hic enim peccata sua considerans, eo tempore quo Redemptor noster pro peccatorum nostrorum expiatione sanguinem suum copiose effundebat oblata sibi occasione bene uti novit, dum pro remissione peccatorum suorum ad eumdem Redemptorem confugit, ab eoque per ferventem contritionem æternam salutem imploravit, et reipsa obtinuit ; nam ut Arnoldus Carnotensis ait [1] : « Sit qui pœniteat, non deerit qui indul- « geat. Non huic pœnitenti multorum annorum « jejunia imponuntur, non nudipedalibus, vel sac- « co afficitur : simul et confitetur, et justificatur, et « glorificatur. Vide horam, nota personam. Ultima « hora, peccatrix persona. Multa, antiquaque pec- « cata illico abolet gratia, nec processus, moraque « temporis, indulgentia limat corroditque culpæ ru- « biginem, sed ibi repente facto cœlitus sono Spiritus « Sanctus illibitur, quidquid immaduerat, peccati « labe siccatur ; nec ullum fæditatis et vestigium vul- « neris, quod misericordiæ non abluat lavacrum. »

**5.** — Divus Chrysostomus in homilia tertia de pœnitentia, de hoc pœnitente latrone disserens, ejusdem considerat confessionem [2], quam de peccatis suis in hæc verba fecerat : *Et nos quidem juste, nam digna actis recipimus* : in cujus confessionis præmium hac a Christo promissione honoratus fuit : *Hodie mecum eris in paradiso.* « Non dixit : liberum te, et « immunem reddo supplicii, nec de te commissis « expetam ultionem, sed ipsum in paradisum in- « troducit jam justum. Vidisti, ut merito confes- « slonis effectus sit justus ? Quam multæ est Deus « erga nos clementiæ ! Filio non pepercit, ut parce- « ret servo ; unigenitum tradidit, ut redimeret « servos plane ingratos ; sanguinem filii sui luit in « pretium. Nolo mihi dicas : Peccavi multum, « quinam potero tot eximi peccatis ? Tu non potes, « potest Dominus tuus. »

**6.** — In libris Regum legitur, quod cum David, post Absalonis filii sui rebellionem, in pacifica esset totius regni Israelis possessione constiturus, Semei coram ipso comparuerit, ut injuriarum, et improperiorum postularet veniam, quibuscum Davidem, eos qui factionem rebellis filii sui sectabantur, relicta Jerosolyma, fugientem dehonestaverat [3] : *Agnosco*, inquit, *servus tuus peccatum meum, et idcirco hodie primus veni de omni domo Joseph.* Porro David Jerosolymam egrediens, et nudis pedibus, lachrymantibusque oculis a populo Hebræo montem Oliveti ascendere coactus, figura erat Christi montem Calvariæ ascendentis. Et quidem tametsi verum sit, quod omnes Adæ posteri, Christum fuerint persecuti ; utpote qui [4] *captus est in peccatis nostris* ; attamen populus Hebræorum præ cæteris necem illi intulit atrocissimam ; e quorum numero

[1] S. AMBR., s. 10 *in Ps.* CXVIII. — [2] S. LAUR. JUST., l. *de obed.* — [3] LUC. BRUG., *in Luc.* — [4] S. MAXIM., h. *de latr.* — [5] LUC., VII, 37. — [6] S. GREG. NYS., *de resur.*

[1] ARN. CARN., *de 7 verbis.* — [2] D. CHRYS., t. I, h. 3 *de pœn.* — [3] II REG., XIX, 20. — [4] THREN., IV, 20.

unus quoque bonus hic latro erat, qui in principio una cum sodali suo Christum convitiabatur : at vero quando per vivæ fidei obtutum vidit, quod Redemptor noster per triumphale crucis lignum regnum suum quam maxime stabiliret, juxta illud [1] : *Dominus regnavit a ligno* ; et *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* ; primus ante omnes alios in medium prodiit coram Christo crucifixo, ut compunctus, et pœnitens flagitiorum suorum veniam ab ipso postularet, dicendo : *Memento mei dum veneris in Regnum tuum* : et benignissimus Dominus non solum ei plenariam omnium peccatorum suorum concessit indulgentiam, verum insuper hanc ei fecit promissionem : *Hodie mecum eris in paradiso.*

**7.** — Salvator noster apud S. Matthæum prædicando dixerat [2] : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* : quod utique a bono hoc latrone reipsa adimpletum fuit, hic enim utpote muros pro faciendis latrociniis, et acquirendis prædis ascendere assuetus, regnum cœlorum sibi deprædandum esse censuit : at vero scire ne vultis quonam ad hoc faciendum modo usus fuerit ? Audiatis S. Gregorium dicentem [3] : « Per regnum cœlorum « supernum solium designatur, quo cum pecca- « tores quolibet facinore polluti ad pœnitentiam « redeunt et semetipsos corrigunt, quasi latrones « in locum alienum intrant, et violente regnum « cœlorum rapiunt. » Unde merito paulo superius S. Gregorius Nyssenus de hoc bono latrone ait : « Alter pœnitentia paradisum deprædabatur. »

**8.** — Regius Propheta David in Psalmo LVIII, universæ passionis Christi periodos diffuse prædicens, inter alia in persona Christi his verbis lamentabatur [4] : *Et sustinui qui me consolaretur, et non inveni.* At vero numquid mulieres Jerosolymitanæ ipsum deploraverant ? Nunquid in horto Gethsemani Angelus eum confortavit ? Numquid Sanctissima ejus Mater, S. Joannes, et devotæ Mariæ tenerrima eum sunt compassione prosecutæ ? Respondeo, verum quidem hoc esse ; consolationem tamen sibi maxime caram, quam in cruce præstolabatur, quando suum pro humana Redemptione, et abolendo peccato effundebat sanguinem, in hoc constitutam fuisse, ut scilicet aliquem videret avide accurrentem, ad hoc ut in effuso illo sanguine animam suam lavaret, illumque sanguinem in sui Redemptionen sibi proficuum redderet. Cum igitur bonus hic latro solus, ex universo genere humano peccati lepra contaminato, accurrerit ad salutare hoc sanguinis Christi balneum, ut in eo a peccatis se ablueret « gloriosa voce, » ut Eusebius Emissenus ait « Christi temperavit cruciatus ; » quia clamando ad Christum : *Domine, memento mei dum veneris in reguum tuum*, non solum ejus mitigavit dolores, verum insuper infinitum Salvatori causavit jubilum, quem ex pœnitentia, et conversione peccatorum haurire solet. Aponius super illa verba [1] : *Egredimini, et videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo caronavit eum mater sua, in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus,* ad propositum nostrum ita scribit [2] : « Cordis utique erat « lætitiæ dies Domini Christi, quando meretrix « lachrymas fundendo, raptor quadruplo male « direpta restituendo, publicanus relicto telonio, « præsentibus lucris contemptis sequendo, latro « vociferando regnum cœlorum a se longe alienum « pervasisse monstratur. » Salmeron ait [3] : « Ad hæc « cogita, quod ut olim peccatricis pœnitentia, ac « lachrymæ in domo Pharisæi summe Christo gra- « tæ extiterunt, quia ad Christum accessit id « petitura, quod summe Jesus gaudet largiri, id « est, remissionem peccatorum, et gratiam, cum « alii omnes adventarent ad eum, ut sanitates « temporales, ac dæmonum expulsiones, atque alia « beneficia corporea postularent : ita etiam summe « placuit Christo Regi ac Salvatori spiritualis invo- « catio latronis, ex fide petens spirituale regnum. » Rupertus Abbas supradictum examinans Salvatoris lamentum : *Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit* ; multos quidem cum Christo contristatos fuisse probat, at vero subdit [4] : « Ubi ad tantam « insultantium, atquo irridentium multitudinem, « qui condoluerant, præ paucitate nullius fuere « quantitatis aut numeri. » Vel etiam dici potest, multos quidem interius in corde suo Christo compassos fuisse ; hanc tamen compassionem vix nullum foris prodidise, solo excepto hoc bono latrone, qui publice, et manifeste suum redarguit collegam, et velut injustum reprehendit Pilatum, universumque Hebraismum, ob illatam innocenti Christo mortem. Præterea, ut nota S. Ambrosius, cum lupus infernalis sub triumphali crucis arbore festivus exultaret, eo quod ex electi gregis medio (*pusillus grex nolite timere*) in ipsiusmet cœlestis Pastoris conspectu quamdam ejus deprædatus fuisset oviculam, id est, Judam Apostolum, bonus hic latro Christum confortavit, quando damnum hoc reparavit, viam sibi sternendo, qua ipse velut novus Apostolus ad cœleste ovile penetrare posset [5] : « Tripudiabas Dra- « co, » inquit S. Ambrosius, « quod Apostolum sub- « traxeras Christo : plus amisisti, quam sustulisti, « qui latronem vides in Paradisum esse translatum. »

**9.** — Advertendum est, quatuor personarum genera sub cruce Christum ad respondendum extimulasse, scilicet carnifices, et milites Pilati, qui ei dicebant : *Vah qui destruis templum Dei* ; Hebræos qui dicebant : *Descendat nunc de cruce, et credimus ei* ; latronem reprobum, qui et ipse Christo impro-

[1] JOAN., XII, 31. — [2] MATT., XI, 12. — [3] S. GREG., *in Cat. D. Thom., ib.* — [4] *Ps.* LVIII, 21.

[1] CANT., III, 11. — [2] APON., *ib.*, l. *in Bibl. vet. Pat.* — [3] SALM., t. X, tr. 40. — [4] RUPERT. ABB., l. XII *de vict. Verb.* — [5] *Ps.* XXXVII, 14.

perabat, dicendo: *Salva temetipsum, et nos*; ac denique bonum hunc latronem, Christo dicentem: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* At vero quoad omnes alios adimpletum fuit illud propheticum oraculum[1]: *Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum: et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones*; nemini enim illorum vel minimo verbo respondit, bene tamen bono huic latroni, cui æternæ veritatis verbo cœlum promisit, quia scilicet *gloriosa voce suos temperavit cruciatus*, alii vero suis improprieriis dolores ejus adaugebant; ac proinde nullum merebantur responsum. Non vero sic latro hic pœnitens qui per suam conversionem pænosæ passionis Christi amaritudinem indulcorabat.

## DISCURSUS X.

NONNULLÆ ADDUCUNTUR PRÆROGATIVÆ, QUIBUS LATRO IN SUA CONVERSIONE FUIT GAVISUS; SCILICET BEATISSIMÆ VIRGINIS PATROCINIO, CHRISTI UMBRA, ET DEXTERA, NEC NON CRUCIS SUÆ AD CRUCEM SALVATORIS PROPINQUITATE.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus in conversione boni latronis mirabiles conjunxit eventuum circumstantias. — 2. Bonus latro præfigurabat protoparentem nostrum. — 3. Mirabilis historia de bono latrone. — B. Virgo in monte Calvariæ fuit mediatrix inter bonum latronem et filium suum illique impetravit salutem. Et hoc ex motivo gratitudinis. — 5. Bonus latro magnam habuit prærogativam quod ad dexteram Christi fuerit crucifixus. — 6. Quæstio ventilatur an bonus latro paradisum intraverit per portam an per fenestram. — 7. Christus in cruce prius locutus fuit latroni, quam matri suæ. — 8. Bonus latro pendens a dextris, designat, electos constituendos a dextris in judicio. — 9. Umbra corporis Christi in cruce pendentis, latronem tangens illum convertit. — 10. Christus primus cruci affixus fuit. — 11. Multum conduxit bono latroni quod in ligno crucis mortuus fuerit.

*Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso.* Luc., XVIII, 42.

**1.** — Increata Sapientia, quæ mundum hunc inferiorem, ab æterno, per infaillibilem suam providentiam, non casualiter, sed sapientia, et mystica symmetria gubernavit, juxta illud Sapientis[2]: *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti*; hæc inquam, incarnata Sapientia, in repentina boni latronis mutatione, ejusque glorificatione, tam admirabiles ordinavit, et combinavit eventuum circumstantias, ut impossibile videri possit, illas unquam per omnium sæculorum decursum in futurum inter se conjungi, et uniri posse: idque hoc, ut reor, fine factum est, ut nullus ex hujus latronis exemplo ad procrastinandam pœnitentiam, et conversionem suam animetur.

**2.** — Hic porro bonus latro nostrum prægfigurabat protoparentem, qui contra divinam prohibitionem pomum rapuit vetitum; nunc vero sub hac crucis arbore pœnitens constitutus, revocatur ab exilio, et in paradisum remittitur, ipsomet ex crucis solio dicente Domino: *Hodie mecum eris in paradiso.* Redemptor utique noster non sine mysterio, ut S. Anselmus observat, hora sexta pati voluit[1]: « Ratio enim, imo divinæ pietatis ordo exigebat, « ut eodem temporis articulo, quo tunc Adæ « prævaricanti januam paradisi occluserat, nunc « latroni pœnitenti reseraret. » Commentator S. Ephrem manuscriptum quemdam refert S. Athanasii sermonen, latinitati nondum donatum, qui in Bibliotheca Cryptæ Ferratæ asservari dicitur, estque de Passione Domini conscriptus. In hoc autem libro sequentia leguntur[2]: « Quo die Adam de paradiso « ejectus est, eodem quoque latronem in paradisum « fuisse ingressum.» Habemus quoque auctoritatem quandam S. Cyrilli Jerosolymitani, qua idipsum in hæc verba confirmatur[3]: « Miratus sum figurarum « veritatem. In paradiso casus, et in horto salus. « De ligno peccatum, et per lignum salvatio. Post « meridiem Domino perambulante occultati sunt, « et post meridiem a Domino latro in paradisum « introducitur. »

**3.** — Salmeron aliam quamdam subindicat valde admirabilem conversionis hujus boni latronis occasionem quæ, ut videre est in margine, desumpta est ex Jacobo de Voragine, in sermone quodam de S.S. Innocentibus. Dicit igitur præfatus Salmeron[4]: « Quidam ex S. Anselmo referunt, matrem Virginem, « cum Filio, et sponso suo Joseph in Ægyptum pro- « ficiscentem, incidisse in latrones, quorum unus « pueri forma, et aspectu delectatus, dixit: Vere « dico vobis, si fieri posset, Deum carnem nostram « assumere, assererem hunc puerum Deum esse; « et sic socios oratione sua placatos induxit, ut « matrem ac puerum illæsos dimitterent, et hic fuit « Dymas latro. » Et vero tametsi Salmeron idipsum non approbet, sanctus quoque Anselmus idem asseveranter non affirmet; attamen non defuere alii qui idipsum suis quoque scriptis asseverarent. Et quidem Dionysius Carthusianus pro hac opinione citat quoque S. Anselmum. Petrus Esquilinus ut huic historiæ majorem fidem conciliet, hunc hominem Ægyptium fuisse asserit, insuperque adjungit, illum non solum divinum infantem, simul cum matre, ab imminenti eripuisse periculo; verum etiam illis, in domus suæ hospitium receptis, necessariam victus subministrasse annonam. Idem pariter scribit, quod cum idem latro, eodem vespere Salvatori infanti abluendo quoddam præparasset

[1] *Ps.* XXXVII, 14. — [2] SAP., XI, 21.

[1] S. ANSELM., *in Matt.* — [2] S. EPHR., *de Pass.* — [3] S. CAR. JER., *Cath.* — [4] SALM., t. X, tr. 40.

balneum, peracto infantis ablutione, uxor latronis filium, quem habebat lepra infectum, ex divino instinctu in eadem aqua balnearit, qui protinus miraculose a lepra sua mundatus fuit. Unde ambo ex hoc prodigio obstupefacti, infantem Jesum ejusque matrem tamquam Deos adorarunt, eosque die sequenti bona custodia provisos, ad proximam usque civitatem deduxerunt. Quod si veritati consonum esset, utique promissio illa ab æterna et incarnata Veritate, apud S. Matthæum capite decimo stipulata, adimpleta foret, quia dicitur [1] : *Qui me recipit, recipit eum qui me misit : quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli, amen dico vobis : non perdet mercedem suam.* Imo si is, qui calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli uni ex minimis propinat, sua non est frustrandus mercede ; quanto magis hic hospes ampliorem mercedem sperare poterat, qui ipsummet Dei Filium in domus suæ hospitium recipiebat, eumque in imminenti illo periculo tuebatur et protegebat.

**4.** — Pater Sylveira Carmelitanus id, quod Salmeron ex auctoritate S. Petri Damiani [2] refert nequaquam censet improbabile, scilicet, quod Virgo in medio inter hunc latronem et Filium suum, in monte Calvariæ constituta, pro ejus salute impetranda sese velut advocatam, et mediatricem interposuerit. Citatque Escobar (*tom.* I *Evang. Sanct., lib.* II, *sect.* 7, § I, *nu* 7), qui ex auctoritate S. Anselmi, et Dionysii Carthusiani, refert id, quod hic latro pueri Jesu, et Matris ejus in Ægyptum fugientium vitæ securitati prospexerit, et ab imminenti mortis periculo liberarit ; ac proinde quod B. Virgo in monte Calvariæ dictum latronem agnoscens, pro ejus conversione ex motivo gratitudinis efficaciter intercesserit, eidemque veri Dei, et communis Redemptoris lumen et notitiam, et de peccatis suis veram compunctionem impetrarit. Enim vero hujus specialis patrocinii, a sanctissima Virgine Maria in favorem hujus boni latroni applicati, varia habemus diversorum scriptorum testimonia, quæ omnia in virtute gratitudinis fundantur ; siquidem ut in discursibus præcedentibus sæpius observavimus, cum inter innumeros, qui a filio suo beneficiis cumulati fuerant, nec non inter septuagintaduo discipulos, et apostolos, nec non in tota illa infinita multitudine nullus fuerit, qui in defensionem unigeniti sui os suum aperuisset, præterquam hic latro, qui ejus innocentiam in conspectu omnium defendit, et manifestavit, dicendo : *Hic autem nihil mali gessit* ; ipsa inter tot angustias hanc unicam ab illo recipiens consolationem, summopere se illi obligatam esse censuit. Salmeron insuper addit quod beata Virgo Maria, utpote peccatorum refugium, et advocata, videns latronem peccatorum suorum veniam implorantem, filiumque suum Regem cœlorum, verumque Deum aguoscentem, magnopere sibi in hoc complacuerit. En verba Salmeronis [1] : « Summe placuit Christo « Regi et Salvatori, invocatio latronis, expetentis « spirituale regnum et paradisum ; tametsi non sit « dubium, verba Domini magnis cachinnis excepta « fuisse a derisoribus, Judæis, et militibus ; sicut « magno gaudio a latrone, magnaque consolatione « a beata Virgine, quæ singulariter hoc verbo re- « creata est. »

**5.** — Habuit quoque bonus hic latro hanc prærogativam quod videlicet ad manum dexteram Christi crucifixus fuerit, ubi beata Virgo erat, de qua dilectus discipulus ibidem quoque præsens existens non sine mysterio ita scripsit [2] : *Stabat juxta crucem, etc.* hoc enim verbum, *stabat*, communionem quamdam adjutorii, patrocinii, et defensionis subindicat, unde et S. Protomartyr in martyrio exclamavit, dicens [3] : *Ecce video cœlos apertos et Jesum stantem a dextris virtutis Dei.* « Stantem, et non « sedentem vidit Jesum S. Stephannus, » inquit S. Petrus Damianus [4], « ut suam exhibeat Christus « protectionem. » Enimvero, si ex me scisciteris causam, cur non quoque in beneficium alterius latronis sese Virgo advocatam exhibuerit. Responderi poterit, illam id quidem præstitisse ; reprobum tamen latronem, per suam obstinationem, auxilium hoc, hancque ad pœnitentiam invitationem acceptare noluisse ; præterquam quod per hoc nos quoque docere voluerit, quod ipsa ut plurimum ad hoc, ut nobis auxilietur, aliquod pietatis maternæ soleat habere motivum ; vel, enim ob devotionem, et fiduciam, quam erga ipsam habemus ; vel ob merita alicujus boni operis, in ejus honorem præstiti : quod motivum illam urgebat, ut bono latroni patrocinaretur, non vero ut idem officium malo præstaret. S. Bernardinus inquit [5] : « Solus matrem Christi « assosciavit lamentatione dolorosa, morientis Filii « Dei factus est socius in fide, atque dolore, nulla « enim alia creatura præsentis vitæ, Matrem assos- « ciavit in prædictis ; licet enim Joannes, et Mag- « dalena amare deflerent morientem Jesum, non « tamen fleverunt eum ut Deum, pro Redemptione « humani generis morientem. Solius hujus latronis « cum maternis fuerunt accepta lamenta, quia vere « Deum credidit desuper infusa fide, quem cum « incredibili dolore hominem ante oculos suos mo- « rientem vidit.

**6.** — Posset hoc loco aliud moveri dubium, videlicet, an bonus latro Paradisum deprædaturus, illic ingressus fuerit per portam, an vero per fenestram : constat enim Christum apud S. Joannem capite decimo, expressis verbis dixisse [6] : *Amen, amen*

[1] MATT., X, 42. — [2] SYLVEIR., t. V, l. VIII, c. 16.

[1] SALM., *ib.* — [2] JOAN., XIX, 25. — [3] ACT., VII, 35. — [4] S. PETR. DAM., *s. de S. Steph.* — [5] S. BERN., *Princ.* — [6] JOAN., X, 1.

*dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro.* Cum igitur per ovile non immerito intelligatur Paradisus, ubi electi, qui per oves intelliguntur, præmiis suis remunerantur æternis; merito de hoc bono latrone inquiritur, an in Paradisum per ostium ingressus fuerit, an vero per fenestram? Et quidem ex una parte vere dicere possumus, ipsum revera illuc per ostium fuisse ingressum quia ut illuc admitteretur, Christi clementiam imploravit, dicendo : *Memento mei dum veneris in regnum tuum*; hic autem de semetipso ait, in eodem capite : *Amen, amen dico vobis : Quia ego sum ostium : Per me si quis introierit, salvabitur.* Hunc autem bonum latronem salute donatum esse, certum est; siquidem ingentem hanc a Christo audivit promissionem : *Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso.* Verumtamen ex alia quoque parte dicere possumus, bonum hunc latronem, utpote muris conscendendis, et ingressui per fenestram clam attentando assuetus, hoc pariter, ad ingrediendum in cœlum, usum fuisse stratagemate; scilicet illuc sibi aditum parasse, non per ostium, sed per fenestram, id est, mediante Beatissimæ Virginis Mariæ subsidio, et patrocinio, utpote speciali omnium peccatorum asylo, et refugio : hæc enim, ut omnibus notum est, honorificentissimo hoc a S. Matre Ecclesia condecoratur titulo : Fenestra cœli : « Intrent ut astra flebiles, cœli fe- « nestra facta es. »

**7.** — S. Bernardinus aliam quamdam habet considerationem; ait enim [1]: « Necest inconveniens ad « credendum, quod cum ipse supervixerit morienti « Jesu, et videret maternos gestus erga filium, dolorum amaritudines exprimentes, quod aliqua « compassibilia verba filialis dulcedinis plena, illi, « quam suam veram Matrem veraciter cognoscebat, « expresserit. Qui enim jam se redemptum novit « a Christo, non dubitavit se Filium Virginis Matris « ejus, » S. Vincentius Ferrerius considerat, Christum in monte Calvariæ, bonum hunc latronem sanctissimæ Matri suæ prætulisse; unde in hæc verba scribit [2] : « Videns Virgo, quod Filius locutus « est latroni, dicit : O fili, latroni loqueris, et mihi, « quæ morior hic tecum, nihil dicis? Tunc Christus « volens consolari Matrem etc. » Certum est tamen quod Christus, postquam bono latroni locutus fuit, et non antea, Virginem matrem consolatus fuerit eamque dilecto discipulo Joanni consignaverit.

**8.** — S. Augustinus aliud quoddam considerat, conversionem latronis hujus promovens, subsidium, scilicet quod ad latus Christi dextrum suspensus hæserit [3] ad quod ejusdem latus collocabuntur etiam electi in novissimo judicii die, dicente Scriptura [4] : *Statuet oves quidem a dexteris, hædos autem a sinistris.* Collega autem ejus qui in obstinatione mortuus fuit, reprobos præfigurabat. Unde Eusebius Emissenus ait [1]: « Positus in patibulo, velut arbiter « in medio damnatorum, negantem repulit, susci- « pit confitentem : hunc deputat regno, illum re- « linquit inferno. Post hæc ergo credamus in « majestate judicaturum, quem jam in cruce vide- « mus exercere judicium. » Potuit igitur bonus hic latro vere dicere [2] : *Adhaesit anima mea post te, me suscepit dextera tua* : cujus admirabilem conversionem Regius Psalmista in Psalmo CXVII his verbis prædixisse videtur [3]: *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit : salvavit sibi dextera ejus et brachium sanctum ejus : notum fecit Dominus salutare suum.* Redemptor etenim noster experientiam edere volens efficacis salutis generis humani, quam in cruce operabatur, hominem hunc adeo impium convertit; ut proinde dici possit [4] : *In conspectu gentium revelavit justitiam suam, recordatus est misericordiæ suæ* : optime igitur idem latro cum eodem Propheta alio in loco dicere potuit [5] : *Factus est mihi in salutem : dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem : non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini* : quod perfecte in hoc latrone adimpletum fuit, siquidem ut paulo ante ex Arnoldo Carnotensi diximus [6] : « Crucifigitur ut latro, et fit Evangelista. » Idem quoque Psalmista in persona latronis subdit : *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.* Divina namque justitia ex una parte disposuit, ut bonus hic latro pro suis sceleribus condemnaretur ad patibulum; ex alia vero parte liberaretur ab æterna morte, et acciperet Paradisum : ac proinde subjungit : *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino.* At vero quænam aut qualis fuit hæc confessio, quam bonus latro fecit, postquam ingressus est Paradisum? Audite S. Cyprianum dicentem [7]: « Confessus est, reconci- « liationis humanæ privilegium ferens ad superos. » Pie namque meditari possumus, novellum hunc Evangelistam in Paradiso egregium contexuisse panegyricum, de heroicis a Christo in triumphali crucis ligno exhibitis virtutibus, de consummata totius generis humani redemptione, de prostrata et profligata idololatria, atque contra potestates infernales gloriose obtenta victoria. Pergit porro idem S. Cyprianus, et bono huic latroni oratoris, sive legati titulum attribuens, subdit : « Deo Patri, « tantæ legationis fungens honore, in seipso scrip- « turæ hujus experimenta continens, libero, et « securo aditu penetrans præsentavit. »

**9.** — Salmeron aliam quamdam hujus nostri pœnitentis latronis indicat prærogativam, ob quam fuit conversus. En verba ipsius [8] : « S. Petrus Da-

[1] S. Bern., *ib.* — [2] S. Ving. Ferr., s. *in Parasc.* — [3] S. Aug., t. XXV *id Joan.* — [4] Matt., xxv, 22.

[1] Eus. Emisss., h. *de latron.* — [2] *Ps.* lxii, 7. — [3] *Ps.* cxvii, 1. — [4] *Ps.* cxvii, 2. — [5] *Ps.* cxvii, 16 — [6] Arn. Carn., *de 7 Verbis.* — [7] S. Cypr., *de Cœn. Dom.* — [8] Salm., *ib.*

« mianus in sermone quodam scribit, fidelem hunc « latronem ad dexteram Christi fuisse, versus « Aquilonem; et ideo in Meridie umbra corporis « Christi obumbravit illum, et Beatam Virginem, « quæ adstabat Christo crucifixo, ex parte hujus « latronis, pro eo preces fudisse, et propterea con- « versum fuisse. Nam si umbra Petri, discipuli « Christi, sanabat infirmos, quanto magis umbra « corporis Jesu, pendentis in ligno, poterat ani- « mam latronis restituere sanitati? » Incomparabiliter etenim major virtus erat in Christo quam in servo : ac proinde si umbra Petri, a cœlesti ejus Magistro, donum accepit sanandi corpora infirma; quanto magis umbra Redemptoris, et Salvatoris, in eo momento, quo universalem omnium in communi, et singulorum in particulari, operabatur salutem virtutem habuit salvandi animas? Potuit igitur bonus hic latro dicere illud, quod in Psalmo CXXXIV in quo ad passionem alluditur, David in persona hujus latronis dicit [1]: *Domine, Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli.* Apte quoque ad præsens propositum cum Sponsa in sacris Canticis dicere potuit : *Sub umbra illius sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Etenim bonus hic latro, majori, et meliori cum fortuna, sub umbra arboris crucis decerpere potuit fructum illum, de quo quotidie in salutatione Angelica dicimus : *Benedictus fructus ventris tui*; in quo æternæ beatitudinis suavitatem degustavit, postquam sibi dici audiit : *Hodie mecum eris in Paradiso.* « Ratio- « nem quidam assignant, » inquit S. Vincentius Ferrerius [3], « de umbra brachii, quæ ipsum tetigit, « et convertit. » Subditque argumentum *a minor ad majus*, dicens : « Umbra Petri sanabat infirmos. « Non mirum ergo, si umbra Christi salvavit ani- « mam latronis. »

**10.** — Non desunt quoque alii auctores, dicentes, quod cum Christus primus esset, qui crucis patibulo configeretur, instrumenta Passionis a sanguine, et sacratissima humanitate Salvatoris (de quo Evangelista dicit [4]: *Virtus de illo exibat et sanabat omnes*) velut inæstimabili quodam balsamo imbuta, et sanctificata, spiritualibus boni latronis vulneribus occultam quamdam interius infuderint virtutem, qua ad eliciendos veræ compunctionis actus excitaretur. Quod si enim magnes hac præditus est naturali, et occulta virtute, ut ferrum sibi attrahat : quanto magis auctor naturæ, per attractivam sanguinis sui virtutem, ferrum, id est, cor peccatoris illius, antea durum, et perversum, ad se trahere potuit? Redemptor noster de se per os Psalmistæ prædixit [5] : *Similis factus sum pelicano solitudinis.* Pelicanus enim pullos suos mortuos sanguinis sui aspersione vivificat. Eodem modo cœlestis hic Pelicanus, Christus Redemptor noster, huic latroni, in solitudinibus, et sylvis viatores deprædari assueto, per sanguinem suum, immortalem largitus est vitam, dicendo : *Hodie mecum eris in Paradiso.*

**11.** — Multum quoque bonum latronem juvit, ut ad æternæ vitæ littora trajiceret, quod se ligno commiserit non fracto, aut fragili, sed ligno crucis Redemptoris nostri [1]: *Exiguo ligno*, inquit Sapiens, *credunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Qui enim dum mare tranquillum est, ventusque spirat Favonius, navim quamdam ingreditur bene conditionatam, feliciter progreditur, et brevi tempore ingens conficit iter. Eadem bonus hic latro gravisus est fortuna; ligno enim crucis Christi in mari Passionis ejus (*Veni in altitudinem maris*) se commisit, quando in ejus favorem propitius spirabat Spiritus Sancti ventus; et ideo brevissimo tempore in portu cœlesti felicissime appulit. Didacus Stella [2] : « Advertendum est, « quod in Christi cruce est omnis salus, ita ut in « ea primo palam fecerit salutem. Per lignum « enim Adam latro expulsus est de Paradiso, per « lignum crucis primus intrat latro Paradisum. » S. Maximus quoque egregie ad propositum nostrum in hæc verba scribit [3]: « Quod crux ad patriam post « multos errores redire nos faciat, Dominus decla- « rat, dicens latroni in cruce posito : *Hodie mecum « eris in Paradiso.* Qui utique latro diu oberrans ac « naufragus, alias ad patriam Paradisi, de qua pri- « mus homo exierat, redire non poterat, nisi fuisset « arbori religatus. »

[1] *Ps.* XXXIX, 8. — [2] CANT., III, 2. — [3] S. VINC. FERR., *ib.* — [4] LUC., VI, 19. — [5] *Ps.* CI, 7.

## DISCURSUS XI.

ALLÆ CONSIDERANTUR COMBINATIONES, QUÆ IN HUJUS LATRONIS CONVERSIONE OCCURRERUNT.

IDEA SERMONIS. — 1. Bonus latro egregie usus fuit arte furandi. — 2. Extollitur ejus prudentia in laudabili hoc furto. — 3. Plurimum contulit mundo bonus latro Christum publice proclamando Regem cœlestis gloriæ. Boni latronis fides præfertur fidei Apostolorum et aliorum discipulorum Christi. — 4. Petitio hujus boni latronis confertur cum petitionibus variorum Sanctorum. — 5. Bonus latro ex necessitate fecit virtutem. — 6. Bonus latro supplevit defectus Apostolorum. — 7. Bonus latro cibavit Christum pœnitente anima sua. Conversio boni latronis Christo solatio fuit et oblivisci fecit omnium dolorum suorum. — 8. Bonus latro fuit primitiæ fructuum passionis Christi.

### *Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc., XXIII, 42.

**1.** — Bonus quidem latro sibi ipsi Paradisum rapiendo comparavit; multis autem, qui obiter ad ejus exemplum respiciunt, absque eo quod modos

[1] SAP., XIV, 5. — [2] DID. STELLA, *in Luc.* — [3] S. MAX., h. 1 *de Cruce et Pass.*

salutem sibi comparandi, ab ipso adhibitos, confiderent, in progressu sæculorum Paradisum eripuit, non quidem culpa sua, sed culpa eorum qui ad hujus latronis prærogativas et excellentias, quibus cœlestem sibi Paradisum comparavit, se minime reflectunt. S. Gregorius Nyssenus ait [1] : « Non sponte « sua latro ad crucem accessit, sed postea quam « prope salutem fuit : animadvertit acutus, et inge- « niosus fur thesaurum, et nactus occasionem, « vitam rapuit, arte furandi pulchre atque soler- « ter abusus. » Etenim in Filio Dei omnes cœlestes thesauri reclusi latebant, dicente Apostolo [2]: *In quo sunt omnes thesauri absconditi.* Quia vero bonus hic latro ærarium istud apertum deprehendit [3] : *Unus militum lancea latus ejus aperuit*, viditque quod ex omni laceri illius corporis parte, inæstimabile Redemptionis nostræ prætium diffluueret, bonus hic latro, optima hac occasione opportune utens, semetipsum copiose locupletavit. S. Bernardus de visceribus Christi sanguinem stillantibus devote meditatur, inquiens [4]: « Misericordiæ afflunt, nec desunt « foramina, per quæ fluant. » S. Laurentius Justinianus prudentiam hujus latronis in non perdenda occasione dilaudat, dicens [5] : « In cruce, tanquam « Rex in solio, stabat Dominus Jesus, singulis ea « quæ habebat, singula dividens. Furentibus quippe « turbis, et adversum se vociferantibus, eorum tri- « buit veniam ignorantiæ, quando Patrem depre- « catus est, dicens : *Pater ignosce illis, quia nesciunt* « *quid faciunt.* Pontificibus, et senioribus, atque se « crucifigentibus corpus suum tradidit, perhibente « Propheta in persona illius : *Corpus meum dedi* « *percutientibus, et genas meas vellentibus ; faciem* « *meam non averti ab increpantibus, et conspuenti-* « *bus in me.* Militibus se custodientibus, propria « vestimenta reliquit, sicut per prophetam ait : « *Diviserunt sibi vestimenta mea.* » In hac igitur occasione, in qua Christus se adeo exhibebat liberalem, et munificum, bonus quoque hic latro Christum suppliciavit, dicens : *Memento mei dum veneris in Regnum tuum* ; ac proinde subdit S. Laurentius : « Latroni in dextera pendenti, Paradisi gloriam do- « navit, inquiens : *Amen dico tibi : Hodie mecum* « *eris in Paradiso.* » S. Bonaventura aperta Christi vulnera considerans, inquit [6]: Vulnera Christi portæ « cœli sunt, de quibus non solum fluvius sanguinis et « aquæ, sed in sanguine gratiarum profluxit pleni- « tudo. »

**2.** — Taulerus opportunam hujus latronis prudentiam, qua virtuosum, et laudabile cœlestium thesaurorum furtum committere novit, admiratur, inquiens [7] : « O magna latronis prudentia ! Videbat « patere Domini sui thesauros, et penitus profusos « esse. Quis igitur veteret eum accipere, quantum « erat debitum suum, ut satisfaceret Domino suo. » Porro furtum definiri solet, quod sit *contrectatio rei alienæ, invito domino.* Sanguis autem Christi, tametsi Christo proprius fuerat, nihilominus in beneficium nostrum effundebatur, factusque est adeo noster proprius, ut Christo vehementer displiceat, quod singuli homines hoc sanguinis sui thesauro se non locupletent. Sancta Mater Ecclesia in hebdomada Passionis hæc fidelibus proponit verba [1] : *Stabat Jesus et clamabat : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* Quibus verbis Christus illum offerebat fontem, de quo Zacharias prophetavit, dicens [2] : *In illa die erit fons patens domui David et habitantibus in Jerusalem, in ablutionem peccatoris.* Cujus fontis nomine, sanguis Christi intelligitur ; siquidem infallibilis veritatis est hæc propositio [3] : *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Isaias emolumenta quæ ex adventu Christi percepturi eramus, prædicens inquit [4]: *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo, quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Hi autem fontes alii non erant præterquam vulnera Christi sanguinem copiose manantia, in quibus animæ mundantur. Cum igitur humani generis Redemptionem, quam subito post protoparentum nostrorum prævaricationem, in Paradiso terrestri ordinaverat juxta illa verba hymni ecclesiastici : « De parentis protoplasti « fraude factor condolens quando pomi noxialis « morsu in mortem corruit, ipse lignum tunc nota- « vit, damna ligni ut solveret » per quinquaginta sæcula tardasset, tandem post illam tringinta trium annorum lliadem, effundendi hujus sanguis sui factus impatiens, demum in fine patibulo crucis constituto, videntique quod ex toto genere humano nullus reperiretur, qui ad hosce vulnerum suorum fontes accurreret, in iis se balneaturus ; imo quod populus ejus. ei antea unice dilectus, et electus, sanguinem suum præ cunctis aliis conculcaret, hæc ei consolatio obtigit, ut hunc bonum latronum videret, qui viva fide sanguinem illum reverenter in anima sua excipere satagebat : unde Redemptor noster infinito gaudio perfusus, bonus autem hic latro ingenti fuit profectu cumulatus ; dicente S. Bernardino [5] : « Iste latro solus postulavit sa- « lutem, quando Salvator mundi eam recipere me- « ruit, sicut et fecit. » Idem quoque sanctus Pater subdit [6]: « Propterea nec est mediocriter pensan- « dum, quod Christus ei Paradisum spondendo, « singulariter ait : *Mecum eris*, per hoc manifeste « declarans, quod tunc Rex crucifixus habebat in « cruce illum, sicut collateralem militem, secum « strenue compugnantem ; unde in illo, *Mecum*,

[1] S. Greg. Nyss., or. 2 *in* 40 *Martyres circa fin.* — [2] Coloss., II, 2. — [3] Joan., XIX, 34. — [4] S. Bern., s. 61 *in Cant.* — [5] S. Laur. Just., *de Triumph. Christi ag.* — [6] S. Bon., s. 4 *de Parsac.* — [7] Tauler, c. 43.

[1] Joan., VII, 37. — [2] Zach., XIII, 1. — [3] Heb., IX, 22. — [4] Isa., XII, 3. — [5] S. Bern., *Princ.* — [6] Id., *ib.*

« associatio et similitudo Christi regnantis, corres-
« pondens associationi, et similitudini Christi mo-
« rientis, antonomastice denotatur. »

**3.** — Plurimum porro mundi intererat, ut Filium Dei, quantumvis in crucis patibulo confixum, Regem gloriæ non vero malefactorem et hominem facinorosum (qualem illum Hebræi proclamabant) esse cognosceret; tamen ex toto genere humano, imo ex omnibus suis discipulis, nullus erat, qui illum, verum cœlestis gloriæ Regem esse, publice profiteretur, præterquam solus hic bonus latro, qui perspicuum veritatis illius perhibuit testimonium, cum Christo in hæc verba supplicavit : *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Enimvero in vastissimo Ecclesiæ Dei Regno, ad finem usque sæculorum, regia crucis vexilla explicari debebant, sub quibus omnes ejus fideles militaturi erant; at vero paucissimi inveniebantur, qui hoc crucis vexillum, utpote [1] *Judæis scandalum, Gentibus stultitiam,* sectarentur; solus autem hic bonus latro fuit, qui in hoc ligno Regnum illud agnosceret, de quo David vaticinando dixerat : *Dominus regnavit a ligno.* Et Isaias : *Cujus imperium super humerum ejus;* sicque [2] « Passio, quæ aliis scandalum fecit, illi
« ad fidem profecit; siquidem Christum in cruce
« positum, Filium Dei et cœlorum Dominum esse
« credidit. » Discipuli illi in Emmaus proficiscentes omnem spem, quam in Christum habuerunt, penitus amiserant; adeoque dicebant [3] : *Nos autem sperabamus, quod redempturus esset Israel,* quasi dicerent : jam vero omnem spem deposuimus. Quis enim crediturus fuisset, quod furca vel patibulum, signum futurum fuisset prognosticum regni perpetui, quale Ecclesiæ militantis et triumphantis regnum erat? S. Paulus de tribus illis Apostolis ad Galatas ita scribit [4] : *Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi.* Et tamen hæ columnæ, tempore morientis Christi, vel maxime vacillarunt; siquidem S. Petrus Magistrum suum negaverat, S. Jacobus in turpem se fugam receperat. S. Joannes autem, licet una cum Beata Virgine montem Calvariæ ascenderit, in defensionem tamen et patrocinium Christi, ne os quidem suum aperire ausus fuit. Solus autem hic latro inventus est, qui Apostoli, Martyris et Confessoris partes explevit. Unde S. Ambrosius ait [5] :
« Crucis Passio multis scandalum fuit, sicut dicit
« Apostolus : *Nos autem prædicamus Christum cru-*
« *cifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus au-*
« *tem stultitiam.* Recte ergo bonus latro meretur
« Paradisum, qui crucem Christi non putavit esse
« scandalum, sed virtutem et Dei sapientiam. »

**4.** — Ingenti admiratione digna est illa boni latronis a Christo facta promissio; neque enim solum illi pollicitus est Paradisum, verum etiam promptam et sollicitam promissionis illius executionem : *Hodie mecum eris.* Porro insigniores veteris Testamenti Patres aliqualem quidem hujus promissionis spem, vel intentionem habuerant; stipulatam vero Regni cœlestis promissionem nunquam receperant. Abraham, primus credentium Pater, post longas molestasque peregrinationes, aliaque diversa merita, quæ sibi plurimis cum sudoribus acquisierat, Deum interrogavit, inquiens [1] : *Domine Deus quid dabis mihi?* sibique responderi audivit : *Suspice cœlum et numera stellas, si potes; sic erit semen tuum.* Moyses adeo familiaris et dilectus Dei amicus, ab eodem petiit : *Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam;* eique responsum fuit [2] : *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* S. Philippus a Christo postulavit, dicens [3] : *Ostende nobis Patrem et sufficit nobis;* nec tamen desideratum assecutus fuit intentum, sed responsi loco audivit : *Qui videt me, videt et Patrem meum.* Hic autem latro omnibus superior fuit, quia licet non postulasset Paradisum, sed solum simplicem sui memoriam : *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum;* ei tamen stipulata hæc facta est promissio : *Amen dico tibi : Hodie mecum eris in Paradiso.* At vero dices; num igitur latro hic majoribus fuit meritis conspicuus, quam omnes supra nominati illustres Sancti? Ad quod respondeo, me id nescire, nec meum esse, hac de re sententiam ferre quia [4] solus *Deus spirituum ponderator est.* Hoc tamen dicere possum, bonum hunc latronem hanc habuisse fortunam, quod tunc præcise suam Christo porrexerit supplicationem, de concedendo sibi aditu in Paradisum, quando Christus per mortem suam abegit Cherubinum, qui hactenus ingressum in Paradisum impedierat; hic enim amotus est, quando æternus ille Sacerdos *introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.*

**5.** — Magna quoque hujus latronis felicitas fuit, quod sciverit facere ex necessitate virtutem [6], *quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Licet enim ob propria flagitia ad patibulum condemnatus fuisset, hosce tamen dolores, sævaque tormenta, per heroicam patientiam in solutionem et expiationem propriorum peccatorum applicavit, eademque libenter sustinuit, ut Christi in tormentis consors esset et socius. Unde de illo asserere possumus, quod de filia Jephte in hæc verba scribit S. Ambrosius [7] : « Fecit arbitratu spontaneo ut quod
« erat impietatis fortuitum, fieret pietatis sacrifi-
« cium. » Enim vero cum Deus ille, qui *scrutatur renes et corda,* interiorem cordis hujus latronis penetrasset compassionem, qua cum acerbissimis suis doloribus compatiebatur, tacitis ei vocibus dixisse videtur : « Si sustines et conregnabis; particeps in

[1] I Cor., I, 23. — [2] S. Amb., s. 44. — [3] Luc., xxii, 14. — [4] Galat., II, 9. — [5] S. Amb., *ib.*

[1] Genes., xv, 4. — [2] Exod., xxxiii, 23. — [3] Joann., xiv, 8. — [4] Prov., xvi, 2. — [5] Heb., ix, 12. — [6] Rom., iii, 0. — [7] S. Amb., l. III *de Offic.*

« tribulatione et regno. » S. Ambrosius alibi in ejus laudem inquit [1] : « Ideo qui consortio passionis « utitur, consortio Paradisi condonatur. » S. Bernardinus inquit [2] : « Solus latro iste inter Christi « membra corporaliter passus est supplicium crucis « simul cum ipso, in quo condecoratur effigiata « similitudine Salvatoris. » Regum sapientissimus Salomon, tametsi probe sciverit, quod Abiathar, qui se ejus regno opposuerat, diram mereretur mortem, hanc tamen ei condonavit, dicendo [3] : *Equidem vir mortis es, sed hodie non te interficiam quia portasti arcam Domini Dei coram Patre meo et sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laboravit Pater meus.* Porro de Redemptore nostro dicitur : *Ecce plus quam Salomon hic.* Et ideo licet latro ob furta sua et ob convitia, quibus a principio, una cum collega suo Christum dehonestarat, æternam promeritus fuisset mortem; attamen ob exhibitos veræ pœnitentiæ et compunctionis actus, ob patienter toleratum simul cum Christo crucis supplicium, ob publice coram omnibus promulgatam immortalis Regni Christi notitiam, non solum ab æterna morte, quam merebatur, exemptus fuit, verum insuper felix illud nuntium audire meruit : *Hodie mecum in Paradiso.* S. Bernardus de hoc latrone ait [4] : « Justum supplicium sceleribus repen- « sum honestavit decore patientiæ. » Acerbissimos namque cruciatus suos per tolerantiam et fortitudinem Christianam, quam in cruce a Christo didicerat, generose sustinuit; et quidem tanto libentius, quia videbat, quod ob defensam Christi innocentiam, plurima ei ab Hebræis adderentur tormenta et plagæ.

**6.** — Christus Apostolis suis promiserat, inquiens [5] : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus; et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Et tamen, tametsi post resurrectionem Christi omnibus tormentis pro Christi nomine subeundis animose occurrerint, attamen in Passione Domini turpi sibi fuga consuluerant. Hic autem latro Apostolorum supplevit defectus, damna illorum restituit, atque in supplicio in societate Christi patienter tolerando, constans permansit; ac proinde ei promissum fuit : *Hodie mecum eris in Paradiso.* Circa quæ verba Didacus Stella inquit [6] : « Adverte quod non promittit Regnum, nisi exis- « tens in cruce, quia qui non compatitur, non « conregnabit. *Hodie mecum eris in Paradiso,* hoc « est, quia mecum es in cruce, mecum eris in Pa- « radiso. Quam plurimi volunt esse cum Christo in « Paradiso, sed renuunt esse in cruce cum illo. » De Redemptore nostro etiamnum infante sanctus et senex Simeon vaticinatus est, dicens [7] : *Positus est hic in signum cui contradicetur.* Quibus verbis sine dubio ad Christi Passionem allusit. Demum vero ad Mariam Virginem se convertens, subjunxit. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quod oraculum in monte Golgotha verificatum fuit; siquidem ibi cor Virginis factum est quasi meta et scopus, in quem non solum impietatis Hebraicæ, verum etiam divinæ justitiæ fulmina collimabant, cui Christus in cruce satisfaciebat [1] : *Propter scelus populi mei percussi eum.* Jeremias Propheta de Christo prædixit, inquiens [2] : *Posuit me quasi signum ad sagittam.* S. Paulus quoque sub nomine signi, ad bravium accipiendum erecti, exprimit cœlestem gloriam, cujus ejusdem ipsius Dei visio est objectum; ait enim [3] : *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Quis autem est qui nesciat, quod qui vicinius appropinquat ad metam semper, lucretur bravium? Magna igitur hujus boni latronis fortuna fuit, quod præ cunctis aliis bonus hic latro dexteræ Christi vicinior extiterit, suaque viva fide ipsum metæ meditullium tetigerit; ac proinde bravium beatitudinis æternæ reportaverit : *Hodie mecum eris in Paradiso.*

**7.** — Considerare quoque possumus, bonum hunc latronem Christo supra modum fuisse acceptum, eo quod ipsum cibo quodam paverit, quem Christus maximo in pretio habet; scilicet pœnitente et conversa anima sua : Chistus enim quondam Apostolis suis dixit [4] : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Ubi D. Chrysostomus ait [5] : « Hominum salutem cibum appellat, ut « quanta salutis nostræ cura, et desiderio teneatur, « ostendat : sicut enim nos cibum, ita Christus hu- « mani generis salutem desiderat. » Quod vero pœnitens hic latro hunc ei cibum subministrarit, facile deducitur ex eo, quod S. Thomas super prædictum textum in hæc verba scripsit [6] : « Tunc « Deo cibum spiritualem offerimus, quando ab eo « poscimus salutem nostram. » Unde Christus in cruce, non de fame, sed de siti qua laborabat, lamentabatur, utpote qui ex hujus peccatricis animæ conversione restauratus, et refectus fuerat. Ex quo Joseph salvator Ægypti, verus Salvatoris nostri extitit typus, hinc factum est, quod mox ut ei natus est primus ejus filius Manasses, dixerit [7] : *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum.* Eodem modo, postquam Filius Dei arduum Redemptionis nostræ aggressus fuisset negotium, jamque usque ad mortis imminentis articulum variis fuisset internis, et externis doloribus acerbissime cruciatus; videns tamen sanguinem suum efficaciter operari, eo quod adeo impiam animam ad statum gratiæ reduxisset; adeo ingentem inde consolationem percepit, ut quasi omnium hactenus toleratorum tormentorum fuerit oblitus, quia ob unius duntaxat animæ salutem

[1] S. Ambros., s. 44. — [2] S. Bern., s. *de Pass.* — [3] I Reg., xx, 27. — [4] S. Bern., *de Palm.* — [5] Luc., xxii, 29. — [6] Did. Stella, *in Luc.* — [7] Luc., ii, 34.

[1] Isa., liii, 8. — [2] Thren., iii, 12. — [3] I Cor., ix, 24. — [4] Joann., iv, 34. — [5] Chrysost., h. 33 *in Joan.* — [6] S. Thom., *in Joan.* — [7] Gen., xli, 51.

omnia passurus fuisset, quæcunque passus est pro omnibus simul junctis. Enim vero dicere quis posset : quod si in horto Gethsemani Pater Æternus S. Michaelem ablegavit ad confortandum Filium, in vehementi illa agonia, et sudore sanguineo constitutum, quæ tamen ambo ex propriæ voluntatis electione assumpserat ; cur non multo magis in monte Calvariæ, ubi mors ei violenta inferebatur, integros miserit angelorum exercitus, qui Christum crucifixum consolarentur ? Nonnulli contemplativi respondent, in monte Calvariæ officio S. Michaelis, et angelis confortantis functum fuisse bonum latronem ; siquidem hic illum consolatus est, tum per suam conversionem, tum per innocentiæ Christi defensionem, tum denique quia Christum verum Regem gloriæ, Deique Filium esse, publice promulgavit.

**8.** — Ad hoc quoque propositum optime servit pia quædam et consideratione digna Tauleri meditatio, dicentis [1] : « Novum hunc fructum et primum « botrum, quem Dominus Jesus ex infœcundo solo « nostro, multo sudore, multaque pretiosi sangui- « nis sui irrigatione, in ligno crucis suæ obtinuit, « cœlesti Patri suo, ceu pretiosum munus, ingenti « cum gaudio per legatos Angelos misit. Quod si « gaudium est Angelis Dei, super uno peccatore, « pœnitentiam agente : quæ illis lætitia de hujus « est latronis concepta salute, quem jam prope « desperaverant ? Quanto putamus cum gaudio Pa- « ter cœlestis primitias has frugum Passionis Filii « sui susceperit ? »

## DISCURSUS XII.

### ADMIRABILIS PONDERATUR MUTATIO QUÆ CIRCA BONUM LATRONEM IN EJUS CONVERSIONE FACTA FUIT

IDEA SERMONIS. — 1. Bonus latro Paradisum ingressus est non ut latro sed ut præda Christi. Diabolus obstupit ad conversionem boni latronis. — 2. Bonus latro præfiguratus fuit in illis qui hora undecima in vineam venerunt laboraturi. Gloria Alexandri fuit ex inimicis facere amicos ; hoc maxime emicuit in Christo in hac conversione latronis. — 3. Quomodo bonus latro sit in Paradiso. — Christus durissimum cor hujus latronis emollivit. — 4. Discutitur ulterius admirabilis conversio boni latronis. Boni latronis prædicantis cathedra fuit crux ejus, Ecclesia fuit mons Calvariæ. — 5. Conversio boni latronis fuit ingens miraculum. Conversio illius adscribitur ejus fidei. Bonus latro in cruce factus fuit mitis, modestus et charitativus.

*Amen dico tibi : hodie mecum eris in Paradiso.* Luc., XXIII, 42.

**1.** — Mirum profecto est, qua ratione latro, licet prædandi assuetus, beati illius regni gloriam rapere poter t ; tum quia sicut ad portam Paradisi terrestris pro custodia illius quidam collocatus est Cherubinus, ita Salvator noster claves Paradisi cœlestis Petro consignavit, ita ut nemo illuc ingredi possit, nisi ex S. Petri consentientis arbitrio ; tum vel maxime, quia infallibilis est hæc regula : *Nil coinquinatum intrabit in Regnum cœlorum.* Verumtamen dubium hoc Salmeron optime dissolvit, inquiens : « Latro in ostio Paradisi non est cognitus ut latro « sed ut gloriosa Christi præda ; ideo cum honore « magno permissus est intrare. » Etenim latro Paradisum ingrediens, jam non amplius latro, sed præda Christi factus fuerat ; de quo Propheta evangelicus prædixerat [1] : *Velociter spolia detrahe, cito prædare.* Unde hic latro, prima Christi præda, primumque spolium fuit, quod Christus in Passionis suæ triumpho reportavit ; atque ideo non tanquam latro, sed velut victoriosi Christi spolium in Cœlum receptus fuit. S. Athanasius inquit [2] : « Suspensus « latro credebat, ut ostenderetur et revera Salvator « esset et dum moritur, fidem sui fœcundaret. » Ad ista vero obstupescebat diabolus, et magna in anxietate, hæsitationeque detinebatur : eum namque quem latronem in cruce amiserat, cuique olim persuaserat latrocinium, nunc fidem recepisse videbat. Merito igitur serpens infernalis obstupescebat, repentinam adeo in ipso conspiciens mutationem. Hic namque bonus latro postquam una cum sodali suo in crucem subvectus fuit, Christum antea blasphemaverat ; et tamen subitanea mutatione resipuit : « Prius fecit ut alter, » inquit Taulerus [3], « quando « quidem et ipse erat iræ filius ; at ubi Christi pre- « tiosus sanguis in prætium redemptionis nostræ « effunditur, Patrique in abolitionem debiti pen- « ditur, opportune satis in bonum suum eleemo- « synam petiit a Deo, quam et celerrime adeptus « est. » S. Augustinus de miraculis a Deo patratis disserens, inquit [4] : « Secundum suam misericor- « diam servavit sibi quædam, quæ faceret opportuno « tempore, præter usitatum cursum, ordinemque « naturæ. » Ac proinde cum tempore crucifixionis Christi divina Christi omnipotentia et filiatio, ab universo Judaismo in controversiam vocaretur ; conveniens erat, ut eodem tempore quispiam se proderet, qui Judæis, quisnam vel qualis Christus esset, intrepido animo manifestaret : in quod ministerium tempore opportuno bonus hic latro adhibitus fuit, utpote qui Christum non regem ludicrum, aut scenicum, qualem Judæi ipsum esse æstimabant, cum dicerent : *Si rex Israel est descendat de cruce* : sed verum cœlestis gloriæ regem esse e crucis cathedra sonora voce manifestavit. Unde Lucas Brugensis ait [5] : « Singulare in hoc misero « homine, inopinatæ, atque incredibilis Dei gratiæ « exemplum propositum est editum et ad ejus

[1] TAUL., c. 43.

[6] ISA., VIII, 1. — [2] S. ATHAN., *de Pass. et Cruce.* — [3] TAUL., c. 43. — [4] S. AUG., t. XXIV *in Joan.* — [5] LUC. BRUG., *in Luc.*

« salutem et ad Christi gloriam ; tum, ut ne omni « Christus honore inter ignominias destitueretur, « tum ut efficacitas Passionis ejus jam tunc se « exerentis monstraretur. » Etenim axioma est politicum, quod sublata a magnis Principibus primiores deprimendi, infimosque sublimandi potestate, supremum Majestatis ipsorum decus et ornamentum pariter auferatur. Unde Beata Virgo in cantico suo ait [1] : *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos et exaltavit humiles.*

**2.** — Porro bonus hic latro in iis præfiguratus fuit, qui ultimo loco, id est, hora undecima in vineam ad laborandum concesserunt; qui tamen primo omnium loco sua fuerunt mercede donati, licet alii, qui a primo diei diluculo usque ad crepusculum vespertinum laboraverant, graviter super hac re conquerentur; quibus Paterfamilias, Salvatoris nostri typum gerens, in hæc verba respondit [2] : *An non licet mihi quod volo, facere?* Refert Plutarchus de Alexandro Magno, quod maledicum quemdam, qui venenosa lingua sua gloriosam ejus famam dilacerarat, magnis et præclaris cumularit beneficiis, indeque idem antea maledictus detractor postea effectus sit gloriæ Alexandrinæ encomiastes eximius, et præclarus orator ; qui inter alia magnanimi hujus Monarchæ encomia dicere solebat : « Hæc est gloria Alexandri, inimicos reddere ami- « cos. » Similiter gratiam Christus, velut alter Alexander Magnus, bono huic latroni præstitit : cum enim hic una cum sodali suo, ejusdemque secum supplicii consorte, Christum certatim maledictis, et injuriis impeteret; hic Æterno Patri suo supplicando, et dicendo : *Dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt,* cœleste ei impetravit lumen ad eumdem cognoscendum, nec non et gratiam ad concipiendam veram peccatorum suorum compunctionem; et quia utrique huic dono cooperatus fuit, innocentiæ Christi meruit fieri advocatus, æternæque gloriæ, et Divinitatis Christi imperterritus confessor ; ut proinde de ipso ad litteram verificetur illud Propheticum oraculum [3] : *Hæc mutatio dexteræ Excelsi;* vere enim mutatio hæc excelsum fuit omnipotentis dexteræ Christi opus, bono huic latroni impensum, utpote qui in Christi societate ad dexteram ejus crucifixus hærebat. Unde S. Cyprianus ait [4] : « Sic tu Domine armentarios statim facis « Prophetas, opiliones Reges, telonarios Apostolos, « piscatores Doctores. Neque ab his quos sanas « lente languor abscedit, sed illico quem restituis, « ex integro convalescit. » Et ideo sacri interpretes admirabilem hanc boni latronis conversionem, peculiare divinæ, et omnipotentis dexteræ opus esse perpetuo agnoverunt : *Hæc mutatio dexteræ Excelsi est,* inquit S. Augustinus [5], « ut versam vicem red- « deret diabolo Christus; videlicet, ut quemadmodum diabolus primum depravando hominem ab- « stulerat de Paradiso, sic Christus latronem « confitentem erueret de Inferno. Ille præsumen- « tem de interdicto ligno decepit, iste de pœnali « ligno pendentem redemit. »

**3.** — Discussionem quoque meretur, quod Drogo Hostiensis ad propositum nostrum in hæc verba scribere non dubitat [1] : « Tu latronem inducis in « Paradisum, sed neque latro in Paradiso est. » Quis enim hic non sciscitetur, qua ratione latro in Paradiso non esse dici possit, cum tamen prima, et æterna Veritas de ipso, per interpositum juramentum, sequens perhibeat testimonium : *Amen dico tibi : Hodie mecum eris in Paradiso?* Etenim nullus hactenus Sanctorum cœlestem ingressus est Paradisum, qui a supremo illo Pontifice Christo, majori cum prærogativa canonizatus fuerit, vivæ vocis oraculo, præterquam bonus hic latro. Pro hujus dubii resolutione recolenda sunt hæc S. Bernardi, de sancta Maria Magdalena disserentis, præclara verba : ait enim [2] : « Etsi enim unguentum bonum, « quod Maria pedibus Salvatoris effudit : est et me- « lius, quod eadem, si tamen eadem, super caput « recumbentis effudit. » His namque verbis insinuare nititur, quantum Magdalena, post primam unguenti effusionem, in domo Simonis Pharisæi factam, diversa fuerit a semetipsa, jam sancta effecta. In prima namque unctione, pedes Christi pretioso unguento linivit; in secunda vero unctione eadem, si tamen eadem (quia jam non amplius peccatrix, sed pœnitens, sed justa erat) unguentum super caput Christi recumbentis effudit. Subdit vero idem præcitatus Drogo : « Quomodo latro in Para- « diso est? *Non* enim *juxta te habitabit malignus.* » Moxque dubium hoc resolvit, inquiens : « Latro « fuerat, quando latebat ante confessionem, justus « post orationem. » Taulerus hisce verbis exclamat [3] : « O bone Jesu, hæc repentina mutatio est « dexteræ tuæ, ad quam ille pendebat! Hæc intus « tetigit eum, et e vestigio mutavit in virum alte- « rum. Declarasti hic Domine divinam potentiam « tuam, quando cito ex lapide fecisti filium « Abrahæ. » S. Cyprianus inquit [4] : « Considero « Domine te in illo patibulo, ubi videbaris sine ad- « jutorio, qui modo imperatoria potestate latronem « præmittis ad regnum. » Porro lapis durissimus cor hujus latronis fuit, utpote quod per tot annos in enormissimis sceleribus, et vitiis habituatum fuerat. Et quidem licet Ecclesiasticus de inveteratis peccatoribus dicat [5] : *Cur durum male habebit in novissimo,* Divus Chrysostomus tamen de hoc latrone inquit [6] : « Omnium lapidum insensibilitate ani- « mam duriorem ad se traxit, et ad meliora con-

[1] Luc., I, 51. — [2] Matt., XX, 15. — [3] *Ps.* LXXVI, 11. — [4] S. Cyp., *de Cœn. Dom.* — [5] S. Aug., s. 12 *de Temp.*

[1] Drogo Host., *de Sacram. Dom. Pass.* — [2] S. Bern., *de S Maria Magdal.* — [3] Taul., *ib.* — [4] S. Cypr., *in Cœd. Dom.* — [5] Eccli., III, 27. — [6] Chrys., t. III, h. *de Cruce et latr.*

« vertit, et honore summo decoravit. *Hodie* namque « *mecum eris*, ait, *in Paradiso* ; et Cherubim custo- « dientibus Paradisum, latro ad Paradisum induci- « tur. » Eusebius Emissenus sequentem adfert doctrinam, quotidiana fere experientia comprobatam ; ait enim [1] : « Habet hoc infelix consuetudo « peccati, ut quantum quis amplius peccaverit, « tanto minus peccata ipsa intelligat, et tanto plus « eum peccare delectet. » Et tamen licet bonus hic latro (ut in discursibus præcedentibus diximus) Christum infantem, in Ægyptum una cum Sanctissima Matre sua fugientem defenderit, et consequenter per quinquaginta et amplius annos in pessima vita sua perseveraverit ; divina tamen dextera, non sine ingenti miraculo, non solum lumen, et agnitionem Divinitatis suæ eidem clementissime concessit, verum etiam perfectam ei compunctionem, et peccatorum detestationem suggessit, nec non cumulum donorum gratiæ, et virtutum locupletissimum communicavit ; ut proinde ad tantam mox sanctitatem pervenerit, ut audire meruerit : *Hodie mecum eris in Paradiso*. Porro perfectam quam sibi acquisivit, peccatorum suorum agnitionem, expressit, dicendo : *Nos quidem juste, nam digna factis recipimus*.

**4.** — S. Cyprianus admirabilem hujus latronis conversionem admiratur, dum in hæc verba scribit [2] : « In momento impietas religionem, crudeli- « tas induit pietatem, et statim consummatus civis « sanctorum, et domesticus Dei præmissus est in « regnum. » Enim vero, quod S. Andreas in cruce pendens prædicaverit (biduo vivens pendebat in cruce S. Andreas pro Christi nomine, et docebat populum) nihil in se mirum habet, quia integro triennio Christi fuerat Apostolus, et primus magnæ illius scholæ discipulus : at vero criminosus hic malefactor, tanquam latro evectus in crucem, in unico momento mutatus fuit in evangelistam, prædicatorem, magistrum, prophetam, et apostolum ; nam ut D. Chrysostomus ait [3] : « Magister pendebat « in cruce, et sanis persuasionibus alium invitabat « ad vitam. » Taulerus interrogat inquiens [4] : « Unde, obsecro, latroni huic tam cito correctio, « qui dudum blasphemus erat, nunc confessor est, « et Prædicator, discernens bonum a malo, et pec- « catorem reprehendens, atque excusans inno- « centem. » Arnoldus Carnotensis bonum hunc latronem, acerbissimos in cruce dolores patientem et tamen cruciatuum suorum penitus oblitum, atque Redemptori nostro defendendo, ejusque innocentiæ perorandæ unice intentum admiratur, dum ait : « His postpositis, quasi plagarum, et « sanguinis immemor, dictator Evangelii latro « efficitur. » Beda super evangelium S. Marci scribens, latronem hunc a præside Pilato ob crimina sua juste condemnatum, et veluti reum in patibulo pendentem, mox vero sanctum, et Salvatoris Paradisum ingredientis comitem factum considerans, in hæc verba exclamat : « Ille qui talis ad crucem ve- « nit ex culpa, ecce qualis a cruce recedit ex gra- « tia. » S. Bernardinus quoque ad hanc mutationem, speciatim vero ad assumptam sibi innocentiæ Filii Dei defensionem se reflectens, ait [1] : « Unde hic « latro agnovit, quod nihil mali fecit, cum quo non « fuerat conversatus ? Qua via hæc sibi irrepsit no- « titia, quod Christus nihil mali fecerat ? Non uti- « que aliunde accipit, quam ab eo quem asserebat « moriens innocentem. » Porro idem Christus olim suos animaverat discipulos, inquiens [2] : *Dum steteritis ante Reges, et Præsides nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini ; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini ; non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Bonus hic latro, tametsi prorsus idiota esset et indoctus ; attamen haud secus, ac si Christus iisdem quoque verbis ipsum animasset, in cruce in conspectu truculentissimorum Christi inimicorum, videlicet seniorum, magistratuum, principum Synagogæ, summorum pontificum, et turbarum constitutus (*fremuerunt gentes adversus Dominum et adversus Christum ejus, Principes convenerunt in unum* [3]), prædicatoris et evangelistæ sibi munus vindicavit. Et quidem pulpitum, ex quo perorare cœpit, crux ejus fuit : panegyricum vero in laudem et encomium instituit Sancti Sanctorum, cui spiritus beati incessanter acclamant : *Sanctus, Sanctus, Sanctus* ; hunc enim licet in patibulo exspirantem, coram omnibus cœlestis gloriæ Regem et Dominum proclamavit. Ecclesia in qua prædicavit, mons Golgothæus fuit : auditores fuere principes Synagogæ, et universus populus : dies denique in quo peroravit, omnium sæculorum solemnissimus fuit ; ille nimirum in quo genus humanum fuit redemptum. Et vero prædicationem suam in quatuor præcipue partes divisit ; in quarum prima sceleris et supplicii sui consortem latronem reprobum correxit, in secunda semetipsum accusavit, in tertia excusavit et defendit Salvatorem in quarta denique humillimam peccatorum suorum veniam a Christo poposcit. Hanc vero in perorando boni latronis facundiam, non est ut mireris, quia ut suo loco probavimus, Spiritus Sanctus sese pœnitenti ipsius animæ infuderat, eumque doctrinæ aliis tradendæ capacem fecerat, juxta illud [4] : *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia* : id quod in bono hoc latrone adimpletum fuit tunc, quando abscondentibus se, et fugientibus Apostolis, latro hic Apostolorum defectum supplevit. Ad hunc divinum Magistrum S. Bernardus alludere videtur, quando ait [5] : « Clamabat latro de cruce Domine,

[1] Eus. Emiss., h. 5 *ad Mon.* — [2] S. Cypr., *in Cœn. Dom.* — [3] D. Chrys., *ib.* — [4] Taul., *ib.*

[1] S. Bern., t. I, s. 55, a. 1, c. 2, *Princ.* — [2] Matt., x, 17. — [3] *Ps.* II, 1. — [4] Joan., XIV, 16. — [5] S. Bern., s. 2 *de Epiph.*

« *memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Ergone « per supplicium ille vadit in regnum? Quis indi- « cavit tibi, quoniam oportebat pati Christum, et « ita intrare in gloriam suam. » Et vero tametsi quæstionem hanc eo in loco indecisam relinquat, ex prædictis tamen verbis satis liquet, quod dicere velit, hoc bonum latronem a Spiritu Sancto velut Magistro didicisse. Glossa rationem, cur Spiritus Sanctus in forma ignis in die Pentecostes descenderit, declarare volens, simul exprimit effectus, quos in semetipso bonus hic latro fuit expertus : ait enim : « Peccatores Spiritus purgat, illuminat, « accendit, urit; exurit peccata, purgat corda, « torporem excutit, ignorantias illustrat. »

5. — *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Ingens enim miraculum fuit, quod homo, qui tot annorum spatio omnium veluti scelerum sentina fuerat, mox in unico instanti, sanctitate insignis factus, in multos virtutum actus proruperit : « Quis hominis hujus « virtutes digne celebret? » inquit Taulerus [1] : « Quis vel effari eas possit? Quis enim fidem, vir- « tutumque omnium distinctam cognitionem tam « cito docuit, nisi Patris Sapientia Christus Jesus? » Etenim cum ex una parte axioma sit infallibile, quod *sine fide impossibile est placere Deo*; ex alia vero parte bonus hic latro Deo adeo fuerat gratus, et acceptus, ut illum ante quamvis alium sanctum, imo ante ipsammet sanctissimam ejus Matrem, regni sui fecerit consortem; facile colligitur, ipsum fide quadam vivacissima fuisse a Deo illustratum. Unde S. Maximus ait [2] : « Ipsa hora qua paradisus « Deum suscepit, suscepit et latronem; unus passus « est pro salute cunctorum, et duobus pariter im- « mortalitatis janua reseratur. Sed hanc totam glo- « riam latroni fides præstitit. » Idem S. Præsul jam ante in homilia præcedenti dixerat : « Recte « meretur paradisum, qui crucem Christi non pu- « tavit esse scandalum, sed virtutem. » Christus Redemptor noster, Lucæ capit. XIX, sequentem proposuerat parabolam : *Homo nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum et reverti*; quam quidem parabolam bonus latro probissime intellexit, non vero item discipuli et Apostoli Christi; tametsi enim latro hic Christum intueretur, non in throno regio considentem, fulgidoque, et pretioso redimitum diademate, sed in patibulo suspensum, spinisque, per ludibrium coronatum; ipsum tamen invocavit tanquam Regem cœlestis gloriæ, Regnique cœlorum et Ecclesiæ suæ Dominum; de quo Regno S. Gabriel Mariæ prædixerat : *Regnabit in domo Jacob.* Præterea licet latronibus propria sit inverecundia, et impudentia, hunc tamen bonum latronem per omnia modestissimum fuisse comperimus : atque ideo licet latrones ubicumque possunt, suas viatoribus eripere soleant facultates, imo et vitam ipsam extorquere; hic tamen bonus latro, licet forsitan ad ejus pervenisset notitiam, Christum de Regno suo dixisse [1] : *Vim patitur, et violenti rapiunt illud*; intra valde angustos sese continuit limites, nullaque adhibita violentia, modestissime et humillime tantum dixit : *Memento mei dum veneris in Regnum tuum,* quibus verbis solam sui a Christo postulavit memoriam. Taulerus in hujus boni latronis laudem et encomium, sequentem habet aliam considerationem, dum ait [2] : « Venit ad patibulum alieno pollutus « sanguine, et inde ablatus est, mundatus sanguine « Christi. Venit eo adhuc male affectus ex crudeli- « tate, et ira inflammatus; totusque mitis corde, « compassione compunctus, totus amore succensus « est, ita ut plus alienos, quam proprios plangeret « cruciatus. » Enimvero propriissimum amoris Dei in corde hominis exardescentis indicium est, si quis honorem Dei contumeliari videns, zeli sui ardore defendere satagit; hic autem zelus in hujus boni latronis anima, Christum ardentissime amante, mirabiliter illuxit, dum consodalem suum Christum convitiis lacessentem aspera correctione perstrinxit : « Increpabat enim, » inquit Salmeron, « non ex iracundia, neque ex contemptu, sed ex « charitate, ut eum emendatum redderet, ac capa- « cem misericordiæ Domini Jesu, quam ipse jam « erat expertus. » Et paulo post subdit : « Videtur « hic latro magis læsus injuriis Christi, quam pro- « priis pœnis. »

[1] TAUL., *ib.* — [2] S. MAXIM., h. 2 *de latr.*

## DISCURSUS XIII.

BONUS LATRO OCCASIONE OBVIA BENE UTI PROBE NOVIT, QUI TAMETSI PECCATORIBUS SPEM FACIAT, QUOD SCILICET TANDEM IN FINE VITÆ CONVERTI POSSINT; HÆC TAMEN SPES NULLA EST, NISI IPSUM QUOQUE IN EJUS PŒNITENTIA FUERINT IMITATI.

IDEA SERMONIS. — 1. Inanis est spes ad hujus latronis exemplum conversionem suam differentium ad ultimum vitæ periodum. Figura botri uvæ, ex terra promissionis allati, applicatur ad propositum. — 2. Comparatur ad invicem bonus latro, cum latrone Achan. Doctrina pro Ecclesiasticis. — 3. Extolli fortuna occasionis et temporis conversionis boni latronis. Conversio boni latronis erexit spem multorum desperatorum peccatorum. — 4. Conversio boni latronis docet pœnitentiam quantumvis seram Deo esse acceptam dummodo sit vera. — 5. Ad exemplum boni latronis ad conversionem et salutem nostram cooperare debemus. — 6. Oculi nostri etiam dirigendi sunt simul in malum latronem. — 7. Comparantur ad invicem conversio latronis et perditio Judæ. — 8. Vera contritio neminem excludit a venia.

[1] MATTH., XI. 12. — [2] TAULER., *ib.* — [3] SALM., t. X, tr. 40.

*Amen dico tibi : hodie mecum eris in Paradiso.* Luc., XXIII, 42.

**1.** — Tametsi in hujus tractatus discursu II, ostenderimus hoc boni latronis exemplum nequaquam peccatoribus suggerere posse fiduciam ad procrastinandam pœnitentiam, operæ tamen pretium esse duximus, idem hoc utilissimum punctum fidelium cordibus denuo inculcare, ad eruditionem multorum, qui hujus boni latronis exemplo abutentes, Regnum cœlorum non rapiunt, sed ab eodem longe deviant. Audiant, qui tales sunt, Eusebium Emissenum hæc in verba scribentem [1] : « Immittit Diabo- « lus securitatem, ut inferat perditionem, nec « dinumerari possunt, quantos hæc inanis spei um- « bra deceperit. » Qui idem paulo ante dixerat : « Consideranda est in latrone illo, non solum cre- « dulitatis compendiosa devotio, sed temporis « illius, sub quo hæc agebantur, occasio. » Illo namque die lupus infernalis selectissimam gregis Christi oviculam, id est, Judam devoraverat; ac proinde bono huic latroni optima pendebatur occasio ; licet enim ipsius anima pluribus ex capitibus spectaret ad dæmonem, Christus tamen illum sibi rapuit, ut damnum ex surreptione Apostoli sui perpessum feliciter resarciret. Doctissimus Salmeron egregie observat, Salvatorem nostrum mundum latrociniis et latronibus plenum invenisse, et ideo jure merito dicere potuisset (cum omnes homines posteri sint primi Adami, ejusque imitatores, qui vetitum sibi pomum in paradiso rapuit; ac proinde paradisum ingrediens, secum conduxit latrones [2] : *Regnum cœlorum vim patitur, violenti rapiunt illud.* Porro Adam peccatum suum excusando, cœlum amiserat; bonus autem hic latro scelera sua accusando, et Christum ejusque innocentiam defendendo, idem cœlum recuperavit. Unde S. Augustinus in sermone quodam ita scribit [3] : « Cur hic « latro seipsum accusans, et Deum excusans intro- « ducitur in Regnum? In eo quod se accusavit, « Deum laudavit, et vitam suam beatam fecit. » Apud Isaiam Deus hujus Prophetæ labia per Seraphinum quemdam purgasse legitur ad hoc ut Judaismo salutare ipsius verbum prædicaret. *Visio Isaiæ super Judam et Jerusalem,* et tamen idem propheta prædicare incipiens, non Judæos, sed elementa, ut verba ipsius auscultarent, invitavit : « Per « hoc » ut Chrysostomus ait [4], « ostendens, quia ho- « mines elementis insensibiliores facti sunt. » Christus, ut alibi ex sententia S. Augustini diximus, e cruce, haud secus ac e cathedra prædicabat; Hebræis autem surdis auribus verba ejus excipientibus e contra creaturæ insensatæ vocem creatoris sui prompte auscultarunt, cujus signum fuit universalis totius naturæ commotio, dum petræ scissæ sunt, monumenta aperta fuerunt, tota terræ moles contremuit, velum templi scissum est, ac demum tenebræ factæ sunt super universam terram, atque ideo latro, qui antea cor quovis silice durius habuerat, contritus, et in animo suo liquefactus fuit. Hugo Cardinalis illa verba S. Lucæ [1] : *Potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abruhæ,* hunc in modum interpretatur [2]: « Ideo comparantur lapi- « dibus, quia adorantes idola lapidea, quasi lapidei « facti sunt, id est, insensibiles, aliquando tamen « de tenebris ad lumen gratiæ educendi. » Magna profecto hujus latronis quem nonnulli idololatram Ægyptium fuisse dixerunt prærogativa fuit, quod in tali die ad Deum fuerit conversus, in quo durissimi silices et petræ ex compassione erga Creatorem agonizantem dirumpebantur. In ejusdem quoque latronis favorem considerare possumus, quod quia Salvator passionem suam sub metaphora vindemiæ describit, inquiens [3] : *Torcular calavi solus,* facile permittat, ut quis eo tempore quemdam uvæ botrum inde sibi rapiat. Porro exploratores ad terram promissionis ablegati, ingentem uvæ botrum in ligno suspensum inde reportarunt, per quod illud, quod in persona Christi (de quo sacra Sponsa in Canticis ait [4] ; *Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi*) eventurum erat præfigurabatur, bonus enim hic latro prædandi assuetus, tempus et occasionem opportunam botrum hunc sibi rapiendi non neglexit. De quo proinde S. Bernardinus in hæc verba scribit [5] : « Docuit quod sicut tunc, velut in « vindemia, sine mensura toti seipsum exponebat « orbi, sic inæstimabiliter se infunderet illi menti. « Tunc enim, quando mustum amoris amorosi « Jesu in toreulari crucis exprimebatur cum pres- « sione doloris, quo totus mundus erat inebriandus « non debuit quasi in parvo cyatho propinari « latroni sed tota operatio mentis suæ in torculari « cordis Jesu, quasi sine mensura demergi, unde « non puto istum latronem nisi inter sublimes Dei « principes collocandum. » Enimvero quando quilibet Hebræorum Redemptoris nostri sanguinem quasi certatim conculcabat bonus hic latro optimam tibi occasionem præberi duxit, in qua, dum sanguis hic pretiosus abundantissime spargebatur, ipse primus accurreret, in eodemque sanguine animam suam, tot sceleribus coinquinatam, abluere. Unde S. Antoninus de Salvatore nostro ita scribit [6] : « Di- « cere potuerat cum dolore illud Michææ VII : *Væ « mihi, quia factus sum, sicut qui colligit racemum « in autumno*, nam tunc vindemiata vinea, non invenitur nisi aliquis racemus. Ita et in tempore « passionis totam pene vineam humani generis « vindemiaverat diabolus, ut sibi subditam reman- « sit aliquis parvus racemus ut latro conversus,

[1] Eus. Emiss., h. *de latr.* — [2] Matt., XI, 12. — [3] S. Aug., *de Verb. Dom.* — [4] Chrys., *in procem.*

[1] Luc., III, 16. — [2] Hugo Card. — [3] Isa., LXIII, 3. — [4] Cant., I, 14. — [5] S. Bern., t. I, s. 55, a. 1, c. 2, p. 2, *Princ.* — [6] S. Anton., *ib.*

« centurio fidem Christi confessus, et aliquis alius, « quem Christus collegit. » Bonus tamen hic latro hoc merito omnibus aliis superior existit, quia scilicet primus Filium Dei, antequam exspiraret, et totum universum a fundamentis suis commoveretur cognovit et confessus fuit.

**2.** — Negari quidem nequit, quin bonus hic latro utpote qui primus cœlestis Jeresolymæ mænia conscendit, suique juris fecit, ingentem omnibus peccatoribus acquirendæ salutis reliquerit fiduciam. Porro populus Dei electus, multis victoriis opimus, ad terræ promissionis quæ cœlestis paradisi figura erat, possessionem acquirendam magnis passibus properabat; cum ecce in momento, unius latronis culpa, subversa est tantæ fœlicitatis ipsorum fortunata totaque siquidem Achan contra expressam Dei prohibitionem, ante civitatem Jericho virgam quamdam furatus est auream, et chlamydem purpuream, quo facinore miram in populum Hebræum superinduxit miseriam. Sed longe fortunatior bonus hic latro noster fuit, siquidem cum trajectus ad veram promissionis terram, cœlum videlicet, per quinquies mille, et plures annos universo generi humano pertinaciter reclusus mansisset, ipse hic latro virgam illam, de qua apud Isaiam dicitur[1] : *Egredietur virga de radice Jesse;* nec non et purpuram illam, qua Redemptor in prætorio Pilati per ludibrium vestitus fuit, diripiens, omnibus nobis ab beatum illud regnum perveniendi viam aperuit, unde S. Ambrosius verba considerans : *Hodie mecum eris in paradiso,* in hæc verba loquitur[2] : « Nemo est qui possit excludi quando receptus est « latro. » Vernm enim vero quia propositio hæc omnes peccatores animare potest ad obtinendam peccatorum suorum veniam, dummodo in fine vitæ ad veram redigantur pœnitentiam ideo observandum est, quod Didacus Stella ad præsens propositum in hæc verba scribit[3] : « Ut ostenderet Domi- « nus viris Ecclesiasticis, quæ eis cura debeat esse « animarum, pretio sui sanguinis emptarum, ma- « xime quando morti appropinquant ; tunc enim « debent eas allicere misericordia Dei, et spe gloriæ « et præmii cœlestis, ne in mortis articulo despe- « rent, quemadmodum hic derelicta matre, et ami- « cis, huic pauperi morienti et de sua salute sollicito « intendit, eteum regni promissione allicit. Matrem « suam in curam dedit Joanni, animam vero la- « tronis suæ curæ servavit. »

**3.** — Quoniam Redemptor noster, ad acquirendam animarum nostrarum salutem, nostram quoque adhiberi voluit cooperationem, ideo dum suum pro nobis redimendis fundens sanguinem, solam hanc boni latronis animam adeo salutis suæ sitibundam, et cupidam videret, ad eidem subveniendum omne studium suum adhibuit, adeoque quæ huic latroni accidit fortuna, ex ea nata est occasione, cui similis per totam æternitatem nulli unquam obveniet. Erat enim dies ille ex omnibus sæculis ad hoc electus, ut peccatoribus benefaceret. et ideo tametsi in secunda Decalogi tabula primum præceptum conditum fuerit de honorandis parentibus attamen peccatores speciali privilegio condecorare volens, mox ut in cruce suspensus hæsit, primo apud æternum Patrem suum pro crucifixoribus suis intercessit, secundo autem loco conversioni boni latronis operam dedit, ac demum tertio loco ad Sanctissimam Matrem suam consolandam se convertit. Unde B. Laurentius Justinianus, divinæ pietatis erga hunc hominem redundantiam admirans inquit[4] : « In te miserationis suæ Salvator « affluentiam exhibuit, exemplo tui desperatorum « eruditur vita, delinquentium roboratur animus, « erigitur spes, exhilaratur affectus, et antiquatæ « consuetudinis malæ renovotio suadetur. Profectus « quippe tuus aliorum militavit saluti. » S. Bernardus similiter bonum hunc latronem, per suam conversionem, multorum peccatorum desperatorum spem excitasse, his verbis docet[5]: « Quam « subito ex hoste factus est amicus, de extraneo « proximus, de latrone confessor! O quanta latronis « fiducia! Omnis mali, nullius boni conscius sibi, « transgressor Jesus vitæ, simul et substantiæ rap- « tor alienæ, positus in januis mortis in fine vitæ « desperatus de vita præsenti spem vitæ futuræ, « quam toties demeruerat, nunquamque meruerat « concipere, eam requirere non formidat. Quis hic « desperet, latrone sperante? » S. Augustinus in sermone quodam de misericordia Dei huic latroni exhibita diu ante in hæc verba pronunciaverat[6] : « Dum tantum reum benigne relaxat, dum tanto « debitori refundit immanis debiti cautionem, hu- « mano generi conscripsit securitatem, ut consola- « tio ac spes fieret totius populi, absolutio unius « desperati, et privatum donum in publicum cres- « ceret beneficium. » Idem S. doctor ad hoc reflectens, quod bonus hic latro illa die Christum confessus fuerit Filium Dei, in quo S. Petrus eumdem perfide abnegavit, in hæc verba scribit[7] : « Nunquid « quia Dominus acquisivit latronem, Petrum per- « didit negatorem ? Absit, absit. Agebat mysterium « qui fundebat pretium, in Petro demonstrans, « non in se quemquam justum debere præsumere : « in latrone, nullum impium conversum posse « perire. » Ac tandem hoc subnexo salutari monito, concludit, inquiens : « Timeat bonus, ne pereat « per superbiam, non desperet malus de multa « malitia. »

**4.** — Tametsi omnium sæculorum experientia satis edoceat, difficilimum, quasi impossibile esse

[1] Isa., xi, 2. — [2] S. Ambr., *in Ps.* xxxv. — [3] Didac. Stella, *in Luc.*

[4] B. Laur. Just., *de Trium. Chr. ag.* — [5] S. Bern., *de Pass.* — [6] S. Aug., s. 45 in append. *de div.* — [7] Id., l. II *de fid. ad cat.*

quod quis in extremo vitæ articulo se convertens salvetur, attamen boni hujus latronis exemplum clare satis convincit, acceptam esse Deo pœnitentiam, quantumvis tardam, dommoda illa vera existat. Observastisne aliquando, quod latro hic infame hoc nomen etiam post mortem retinere voluerit etiam quum de facto cœlestem incolit Paradisum? Alii quidem Sancti peccatores appellati fuerunt, ita tamen ut simul proprium sibi nomen retinuerint. S. Paulus de se ait [1] : *Blasphemus fui et persecutor*; nec tamen ideo Pauli nomen a se deposuit, S. Matthæus quidem publicanus appellatus fuit, verumtamen proprium sibi nomen conservavit; hic autem justus latro, hoc latronis nomen, etiam postquam sanctus, et justus effectus est, retinere voluit: ideoque nec nomen, nec cognomen, nec patria illius a Scriptura sacra memoratur (tametsi enim a nonnullis proprio appelletur nomine, illud tamen e Scriptura minime deduci potest) et quidem ut existimo, specialiter a Deo impetravit, ut etiam sanctus existens, latro diceretur, ut cunctis sæculis, in comparatione ad iniquitates ipsius, tanto magis divina elucesceret misericordia D. Chrysostomus ait [2] : « An igitur hoc « tantum est admirabile, quod latronem in paradi- « sum introduxit, aliud vero nihil? Potest et aliud « majus dici. Non enim solum introduxit latronem « sed et ante mundum universum, et ante Apostolos « ne quis posterorum se ingredi posse desperet « neque spem omnem suæ salutis abjiciat, cum « innumeris scatentem malis in regio versari pala- « tio videat : » S. Augustinus in alio quodam sermone in hæc verba scribit [3] : « Cui aliquando cha- « rissimi, tarda videatur esse conversio; cum latro- « nis jam pendentis, jam morientis non fuerit « repudiata confessio. » S. Bonaventura specialiter ad verbum hodie se reflexit; tametsi enim bonus hic latro conversionem suam tot annis distulerit, attamen subito ut compunctus fuit, eodem momento æternæ retributionis præmium accepit, in quo, inquit idem Seraphicus Doctor [4] : « Christus « miram ostendit misericordiam, tanquam piissi- « mus Pontifex, quia pœnitentiam latronis, quan- « tumcunque seram, non refutavit, et amplius « quam latro petebat concessit. » Nos quoque per resolutam peccatum detestandi voluntatem, cum divina gratia conjunctam, animam in unico momento mundare, et sanctificare possumus. Unde D. Chrysostomus ait [5] : « Publicanus es? potes fieri « Evangelista. Blasphemus es? potes fieri Apostolus? « Latro es, potes deprædari paradisum. Magus es? « Potes Dominum adorare. »

**5.** — Notanda tamen est sequens valde utilis doctrina, quam D. Chrysostomus pariter super Psalmum quinquagesimum pœnitentialem tradit, inquiens : « Deus misericordiam impertit; at non « simpliciter, verum ait : Da quoque tu aliquid. « verbi gratia infinitis peccatorum sarcinis premeris, « ea levare volo, manum tu quoque porrige, non « quod ego te opus habeam, sed quia te etiam ad « tuam salutem aliquid erogare volo. Et quonam « pacto? Dicam. Latro ille salutem est consecutus, « ac tot peccata dissolvit, nimirum, non per mise- « ricordiam solam, sed etiam per suam fidem, et « qualem? Magnam, sublimem, ac cœlum ipsum « attingentem. Quonam modo? Ego exponam : Ju- « dæi mortuos ad vitam evocari, leprosos purgari, « dæmones e corporibus pelli, maris furorem, furo- « ribus tanquam fræno injecto, reprimi, terram « scaturire, piscem stateram adferre, stellam Magos « ducere, cœlestes, et terrenas creaturas velut sa- « tellilum officio fungi viderunt, et tamen eum in « crucem sustulerunt. Latro nihil horum vidit, « quin potius eum conspui contumeliis affici, « maledictis configi nec tamen offendiculum subiit « verum cœlorum Regem confessus est. Videsne « quemadmodum misericordiam non simpliciter « sit assecutus, verum ipse etiam aliquid erogarit. » Neque enim Christum, tunc in patibulo crucis agonizantem, solum confessus est, verum præter internam ejus compunctionem, illi, *qui scrutatur renes et corda* intime cognita, sua quoque scelera publice confessus fuit; ac proinde sancta Ecclesia in die Jovis Sancto in oratione missæ dicit : *Confessionis suæ latro præmium sumpsit.* Hæc autem confessio principaliter omnipotentis dexteræ Altissimi opus fuit : *Dextera enim Domini fecit virtutem*; cujusmodi miraculum tamen non omnes sibi compromittere possunt. Audiamus Drogonem Hostiensem prærogativam, qua pœnitens hic latro noster gavisus fuit, in hæc verba exponentem [2] : « Quis enim « latro ille, nisi Adam fuit? Qui ex quo primum in « paradiso sui ipsius homicidium perpretavit, tam- « diu a Christo fugit reus, et abscondit se, donec « in crucis articulo novissime consumptus et com- « prehensus, fugere, et amplius latere non po- « tuit, ubi autem comprehensus, conversus est, cul- « pam suam confessus est pœnam, libenter ample- « xus est : tu enim admonebas, ne pati abhorreret, « quod te quoque secum pati videret. »

**6.** — Verum enim vero, oculus noster non solum dirigendus est ad hunc latronem, qui salutem est assecutus, verum etiam, et multo magis ad illum latronem, qui damnatus fuit; nam Scriptura ait [3]; *Beatus homo qui semper est pavidus.* Quod si enim latronis illius qui salvatus est, exemplum duntaxat consideremus qua ratione tot heroicarum virtutum actus, de quibus hactenus in præcedentibus discursibus egimus, exercere et elicere poteri-

[1] I Tim., I, 12. — [2] Matt., X, 3. — [3] D. Chrys., t. II, s. 11 *in Gen.* — [4] S. Aug., s. 22 *de Temp.* — [5] S. Bon., *n Luc.* — [6] D. Chrys.

[1] Chrys., h. 2 *in Ps.* L. — [2] Drog., *de Sacram. Dom. Pass.* — [3] Prov., XXVIII, 14.

mus. Præterea ut B. Laurentius Justinianus ait [1]: « Ultra meritum, præter spem, et supra votum « consecutus est salutem. » Et ideo hoc exemplum ratum, singulare, et sine omni prorsus est exemplo D. Chrysostomus ait [2] : « Non est ausus dicere : « Memento mei, nisi confessione sarcinam pecca « torum remisisset. Inspice, quantum præstat con- « fessio. » S. Bernardinus sequens movet dubium [3]; « Quo merito unus misericordiam accepit, alter vero « in justa damnatione remansit? Sed aliter quidem « hæc, cum sit quæstio nodosa, non solvitur, nisi « Dei misericordiam, et justitiam inspiciamus, et « liberas hominum voluntates consideremus. nam « Deus ex sua misericordia donat peccata conversis « et ex justitia æterna supplicia ministrat aversis. Ubi observanda est dictio *conversis*; nostra etenim conversio primo loco a voluntate et pietate divina, secundario vero a voluntate et libero arbitrio nostro dependet, quorum neutrum nos nobis promittere secure possumus, quia *Spiritus ubi vult spirat* unde S. Augustinus lamentabatur, dicens : « Sus- « pirabam ligatus, non ferro, sed mea ferrea vo- « luntate. »

**7.** — Superest quoque in hac materia aliud quoddam dubium, cujus resolutio ab imperscrutabili dependet divinorum judiciorum abysso, videlicet quadam ratione huic latroni tres temporis horæ in cruce transactæ plus profuerint, quam Judæ tres anni, quibus cum Christo familiariter conversatus fuit plurimaque patravit miracula. Porro latro liberaliter, et pro libito manducabat. Judas autem una cum aliis Apostolis rigidam observabat abstinentiam, latro deprædabatur viatores, Judas vero laboriosas et molestas colligebat eleemosynas, latro blasphemabat, Judas vero orationibus vacabat, et tamen hic, non vero ille, desperabundus vitam finivit. Quot eheu futuri sunt eorum, quibus Salvator responsurus est [4]; *Nescio vos, discedite a me operarii iniquitatis*, idque quia in vita sua hypocritæ fuerunt aut vero ad finem usque in bene cœptis operibus bonis minime perseverarunt. Ambo, scilicet tam Judas, quam latro conversus, latrones erant, cum hac tamen differentia, quod Judas latrocinia sua clam et in abscondito committebat, et ideo tam se, quam plures alii homines, virtutibus præditi censebantur, cum tamen in occulto multis sint peccatis ac sceleribus obnoxii. Bonus latro in sylvis opacis rapinis operam dabat. Judas vero tam Christo, quam collegio Apostolico ea, quæ a piis hominibus erogata fuerant, diripiebat, adeoque commisso a se furto sacrilegium adjungebat. Latro nullam habebat Dei notitiam, Judas autem in tali erat dignitate constitutus, qua major in Ecclesia dari non poterat; ac proinde lapsum passus est irreparabilem, adeo ut de ipso dici possit: *Sicut lumen ejus, ita et tenebræ ejus*, etenim homines mundani, qui in obscuritate erroris ambulant, majorem promerentur excusationem et compassionem, et dum a Deo efficaciter vocantur, vocibus Dei promptius correspondent, et obtemperant ; non vero illi, qui a via Dei insolenter deflectunt, suntque *sicut aspides surdæ et obturantes aures suas* prouti in Juda manifeste putuit.

**8.**— Verum enimvero hujusce tractatus discursus claudere libet per sequentem S. Cypriani discursum : hic enim ita scribit [1] : « Ubi cum judice agit, qui « judicatur, et ipse in partem accusatoris transiens, « etiam in sua proscriptione sententiam approbat » condemnantis, experitur clementiam Salvatoris, « et lætabundus canit : *Domine in voluntate tua « præstitisti decori meo virtutem* Et iterum Isaiam « audit: *In miserationibus magnis congregabo te*, « Sed et in eodem articulo temporis, cum jam « anima festinet ad exitum, et egrediens ad labia « expirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi « Dei benignitas non aspernitur, nec serum est « quod verum, nec irremissibile quod voluntarium « et quæcunque necessitas cogat ad pœnitudinem, « nec quantitas criminis, nec brevitas temporis. « nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas (si vera « contritio, si pura fuerit voluntatum mutatio) ex- « cludit a venia. » Cujus doctrinæ tota vis in illis verbis : *Si vera contritio*, unice consistit; hæc autem contritio, utpote speciale Dei donum, a Divina ejus liberalitate dependet, ac proinde quando quis ad extremum usque vitæ articulum conversionem suam tardat, et differt, omnino incerta et periculosa est, quam de salute sua obtinenda concipit, fiducia.

[1] B. Laur. Just., *ib.* — [2] Chrys., h. *de Cruce et latr.* — [3] S. Bern., *ib.* — [4] Luc., xxiii, 27.

[1] S. Cypr., *ib.*

# TRACTATUS OCTAVUS

## DE BEATISSIMÆ VIRGINIS IN CRUCIFIXIONE FILII SUI SUMMO DOLORE

### DISCURSUS I.

DE INEXPLICABILIBUS BEATISSIMÆ VIRGINIS DOLORIBUS, SUB MARIS METAPHORA DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Dolores passionis Christi, ejusque sacratissimæ Matris, comparantur mari. Cur Concionatores in principio sermonis de passione Christi non implorent patrocinium B. Virginis per salutationem Angelicam. B. Virgo particeps fuit omnium dolorum Christi. — 2. Quocumque B. V. se verteret, occurrebant dirissima filii sui tormenta. — 3. Passionis acerbitas et B. V. dolorosa compassio indicibiles sunt. Cum tam intensi fuerint dolores B. V. cur ex illis non fuit mortua. — 4. Cur nullus Evangelistarum meminerit dolorum B. V. illustratur historia Thimantis.

*Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* Joan., XIX, 25.

**1.** — Propheta Regius in Psalmo LXVIII, multas nobis Passionis Redemptoris nostri delineans periodos, acerbissimos dolores suos marinarum aquarum vehementissimo impetui assimilat, dum ejusdem regii Psaltis ore loquens, ita lamentatur [1] : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi. Veni in altitudinem maris et tempestas demersit me.* Hi autem sævi cruciatus, quos Filius perpetiebatur, ejus quoque Matri sine dubio fuere communes ; de qua proinde Jeremias pariter sub metaphora Jerosolymæ ita scribit [2] : *Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Jerusalem? Cui exæquabo te, virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua.* Quod enim prædictus Propheta hisce verbis de Beata Virgine Deipara, Filii sui acerbissimis doloribus compatiente, loquatur, testis est S. Bernardinus, dum ita fatur [3] : « Ad eam me-« rito dici potest illud *Thren.* II : *Magna est velut* « *mare contritio tua.* » Quod cum ita se habeat, qua ratione debili intellectu meo, rudique et inconcinno calamo exprimere potero excessivum et veluti infinitum Mariæ dolorem, cum Propheta Evangelicus dicere non dubitet [4] : *Quis mensus est pugillo aquas?* Hæreo profecto, an hoc fine, ut scilicet ingentes Virginis dolores exponam, cœleste ejus patrocinium implorare ausim ; siquidem idem S. Bernardinus rationem assignans, cur prædicatores Evangelici, in principio sermonis de Passione, Virginis patrocinium, salutationem Angelicam recitando, prout alias facere consueverunt, non invocent, in hæc verba scribit [1] : « Si dicerem *Ave,* respondere utique « posset : Sed ne quæso dixeris mihi, *Ave,* id est, « sine væ, quæ jucunditatis salutatio est, quia va« dolorum et afflictionum Filii mei dilecti in cruce « pendentis sola compatiendo supporto. Si dicerem « ei, *Maria,* respondere valeret : Ne dicas mihi « *Maria,* hoc est, illuminata cum lumine oculorum « meorum orbata sim. Nec dici possum *Maria,* id « est, illuminatrix, cum locata sim in tenebris et « in umbra mortis. Si etiam adderem ei : *Gratia* « *plena,* iterum responderet : Heu mihi, fili Adæ, « qualis mihi gratia, ante oculos meos videre Fi« lium meum, tot doloribus et confusionibus ple« num, inter latrones pendentem? Si subderem : « *Dominus tecum,* subito responderet : Quomodo « Filius meus Dominus est, qui tanquam male« factor et latro, pendet in patibulo crucis? Nec « etiam, mecum illum dicere vales, quem nec « tangere, nec insuper ei valeo appropinquare. « *Threnorum,* I, vers. 16. *Idcirco ergo plorans et* « *oculus meus deducens lachrymas, quia longe factus* « *est a me Consolator meus.* Si dicerem : *Benedicta* « *tu in mulieribus,* merito responderet : Quomodo « benedicta sum super alias mulieres, quæ ab om« nibus cum dilecto Filio meo sum crudeliter ma« ledicta et blasphemata? Unde *Threnorum,* I, « scriptum est : *Omnes persecutores ejus apprehen« derunt eam inter angustias, omnes qui glorificabant* « *eam, spreverunt eam, quia viderunt ignominiam* « *ejus.* Si subinferrem : *Et benedictus fructus ven« tris tui,* nonne dicere posset : Qua ratione bene« dictum fructum ventris mei nominas, qui continuo « a gente impia Judæorum est blasphemiis et im« properiis maledictus et in eo verificatur, quod in « *Deuter.,* XXI, scriptum est : *Maledictus qui pendet* « *in ligno?* Si adderem quoque, *Jesus,* qui *Salvator* « interpretatur, miraretur utique, dicens : Quo« modo Filium meum Salvatorem nominas, cum « impia Judæorum turba ei improperando dicat :

[1] *Ps.* LXVIII, 2. — [2] THREN., III, 13. — [3] S. BERNARD., t. III, s. 55. — [4] ISA., XL, 12.

[1] S. BERN., t. I, s. 55, in *Princ.*

« *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum fa-*
« *cere* ? Nec insuper subdere possum : *Sancta Maria*
« *ora pro nobis peccatoribus*, quia merito respon-
« dere posset : Quomodo pro vobis peccatoribus
« orare debeo, quæ compati Filio meo dilecto in
« cruce pendenti non sufficio : Sed præ dolore et
« lachrymis toto corde deficio ? » Ex quo hujus sancti Patris discursu clare satis colligitur, quales fuerint beatæ Virginis Mariæ angustiæ et anxietates, salsis aquis marinis non sine mysterio assimilatæ. Nam ut idem S. Bernardinus in alio quodam sermone ait: « Fuit in Passione Filii sui amarum mare;
« omnia enim flumina intrant in mare, » id est, in Mariam. Hæc enim, utpote vera Christi Mater, omnium innumerabilium et inexplicabilium dolorum Filii sui, particeps facta fuit per vivacissimam illius compassionem [2] : « Et quidem in Passione fuit
« amarum beatissimæ Virgini, dulcissimi Filii se-
« paratio, cum esset totus desiderabilis. Propter
« hanc subtractionem Propheta in persona Virginis
« ait : *Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me*
« *virtus mea et lumen oculorum meorum et ipsum non*
« *est mecum*. Vel secundum aliam translationem
« apertius inquit : *Cor meum fluctuavit*. » S. Augustinus legit [4] : *Contristatum est cor meum*. Amari namque maris intensissimorum dolorum Filii sui fluxus et refluxus, in anima et corde Deiparæ Mariæ per renovatos semper dolores incessanter inundabant et fluctuabant. Unde Arnoldus Carnotensis ait [3] : « Erat in anima illa tempestas valida, occur-
« rentibus sibi procellis. »

**2.** — Porro doloris Virginei vehementia mari assimilatur, non quia hæc comparatio dolores Virgini Matris adæquet, sed quia inter omnia creata, nulla dari potest similitudo, quæ intensissimi doloris sui immensitatem vivacius exprimat; ac proinde Propheta Jeremias dicebat [4] : *Cui assimilabo te, cui comparabo te* ? Circa quæ verba Hugo de S. Victore plane obstupescit, quod Jeremiæ, cujus calamus a Spiritu Sancto dirigebatur, difficillimum visum fuerit, adæquatam aliquam inter omnia creata invenire comparationem, qua mediante, pœnosissimum hunc Matris dolorem declarare valeat; tandemque similitudinem a mari desumptam cæteris præeligat, dicens : *Velut mare contritio tua*; quasi diceret : « Quemadmodum mare super omnes
« aquas et mole et amaritudine excellens est : ita
« tuæ contritioni nulla calamitas æquari potest. »
Genæ Virginis Mariæ in sacris Canticis, genis turturum assimilari noscuntur [5] : *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis* ; ubi Pagninus legit : *Propter margaritas*. Quod vero genæ Deiparæ in turture potius, quam in alio quocunque volucrum genere præfigurentur, hujus hæc præcipue est ratio, quia turtures consorte suo viduatæ, continuo ingemiscunt, atque ab earum oculis margaritæ, id est, lachrymæ copiose scaturiunt. Cum igitur in hisce verbis, Beatæ Virginis a Filio suo derelictæ ingens dolor adumbretur, non sine ingenti mysterio lachrymæ ipsius margaritis potius assimilantur, quam verbi gratia adamantibus, topaziis, vel aliis similibus gemmis, quia margaritæ non in dulcibus lacuum, torrentum et fluminum aquis, sed in salsis maris undis generantur : ut per hoc insinuetur, quod lacrymæ Mariæ compatientis, non stillaverint, quemadmodum aliorum lachrymæ manare solent, sed potius omnem excesserint amaritudinem, utpote quæ in amplo quodam doloris mari productæ fuerunt : *Velut mare contritio ejus. Congregationesque aquarum appellavit maria* [1]. Porro per aquas illæ denotantur intensissimorum dolorum pœnæ, quibus ordinarie cor humanum cruciari solet : prouti in sequentium discursuum progressu videbimus. Beata Virgo autem tempore Passionis Filii sui in cordis sui centro omnes excepit acerbissimos cruciatus, quos unquam passi vel passuri sunt omnes Martyres, imo et omnes alios, in finem usque sæculorum sustinendos. S. Bernardus ad fluxum et refluxum, de quo paulo ante diximus, alludens ait [2] : « O ineffabilis reci-
« procatio sancti amoris! Filius patitur et intus
« valde compatitur Matri, Mater vero compassa est
« patienti Filio. Tantus nempe impetus Passionis
« Domini Jesu fuit, ut quasi torrens ipsum imple-
« ret patientem et inebriaret, quia teste Psalmista :
« *De torrente*, scilicet Passionis ejus, *in via bibit*
« Christus, ut sic Christo impleto, in Matrem flueret
« patientem : qua similiter repleta, ad Filium re-
« dundaret inundatio amaritudinis et mœroris. »
Sed parce nimium hic loquitur S. Bernardus, siquidem cor Mariæ non torrens, sed mare quoddam et amarissimus dolorum fuit Oceanus. Unde optime ei adaptari possunt hæc verba [3] : *Ne vocetis me Noemi, sed vocate me Nara, id est, amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens*. Sed quid dico ? Non solum dicere poterat : *Vocate me Mara, id est, amaram*, verum etiam *vocate me maria*, quia magna, non solum velut mare, sed etiam *velut maria contritio ejus*. Cor enim ipsius velut exhaustum acerbissimorum dolorum pelagus quoddam fuit. Quocunque enim se verteret, amarissimorum cruciatuum in eam redundabant fluctus [4] : « Quo se
« illius figebat obtutus (verba sunt B. Laurentii
« Justiniani) mœstus retundebatur animus, visionis
« horrore. In capite coronam spineam, in facie
« sputa, gelatum sanguinem et speciem deforma-
« tam, in manibus ac pedibus clavos infixos, vul-
« nera dilatata, defluentem cruorem, rigidosque
« nervos ; in toto demum corpore livores, tunsiones,
« excoriationes, tumoresque cernebat. Undique

S. Bern., s. 2 cit. t. III. — [2] Id., *ib.*, art. 1, c. 1. — [3] Arn. Carn., *de 7 Verb.* — [4] Thren., II, 13. — [5] Can., I, 9.

[1] Gen., I, 10. — [2] S. Bern., h. *in Evang.* — [3] Ruth. I, 20. — [4] B. Laur. Just., *de Triumph. Chr. ag.*, c. 18.

« vehementissimi doloris aspiciebat insignia. » S. Bernardinus pariter harum aquarum, quibus Maria circumdata erat, amaritudinem his verbis meditatur [1] : « Vidit in eo pretium mundi, pretio vili dis- « tractum. Fortitudinem sanctorum, in agonia « factam. Speciosum forma præ filiis hominum, « plenum sudore sanguineo. Dominum mundi, ut « latronem comprehensum. Virtutem cœlorum, « arctioribus vinculis constrictam. Columnas cœli « contremiscere facientem, ad columnam vinctum. « Orbis conditorem, ictibus lividum. In cujus manu « vita et mors flagellis diruptum et laniatum. Ju- « dicem sæculi, coram impiis, ut judicetur, adduc- « tum. In cœlis glorificatum, a scelestissimis spre- « tum. Cœlorum Regem, a sceleratis illusum. Caput « omnium potestatum arundine percussum. »

**3.** — Consideratione dignissima sunt illa apud Jeremiam expressa lamenta [2] : *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Circa quæ verba Richardus a S. Laurentio ad nostram instructionem ita scribit [3] : « Sicut non fuit dolor, sicut dolor ille, qui transi- « vit corpus et membra Filii, sicut ipse dicit *Thre- « norum* I : *O vos omnes qui transitis per viam, etc.* « Sic non fuit dolor, sicut dolor ille, qui Matris « viscera per compassionem pertransivit. » Merito igitur Jeremias perplexus hærebat, nesciens invenire similitudines, nec verba excogitare, vehementiam doloris Mariæ condigne exprimentia : *Cui exæquabo te, Virgo Filia Sion ?* « Effugit omnem « sensum, inquit idem Richardus [4], humanos intel- « lectus exsuperat, concepta de Passione Nati tris- « titia. » S. Bernardinus de hoc eodem argumento ita discurrit [5] : « Tria faciunt ad compassionem, ex « parte compatientis, ad illum cui compatimur. « Primum est passionis vehementia. Secundum, « ipsius vehementiæ in compatiente notitia. Ter- « tium, ipsius ad compatientem amor et amicitia. « Primum, inquam, est passionis vehementia. « Quanta autem fuerit acerbitas passionis Christi, « inexplicabile est omni linguæ Angelicæ, vel hu- « manæ : superat enim omnis pure creaturæ capa- « citatem. Secundo, hujus passionis apud Matrem « piam maxima fuit notitia, quia astabat Filio suo « morienti, quem noverat esse Filium Dei. Tertium « est, ipsius ad compatientem amor. Summe igi- « tur compassa est, quia summe dilexit eum. Non « tantum quippe afflicta fuisset, si cruciatus illius « non vidisset. » Id vero quod præsenti proposito vel maxime deservit, sunt verba sequentia : « Quanta « fuerit acerbitas Passionis Christi, inexplicabile « est. » Ac proinde cum ut suo loco probabitur, eadem fuerit afflictio, iidemque Matris dolores, qui Filii ; consequens est, ut dolores Beatæ Virginis indicibiles et imperceptibiles existant. S. Bernardus ut de eminentia gloriæ, ad quam magna Dei Mater in cœlos assumpta fuit, dignum in nobis efformare valeamus conceptum, paucis verbis ita loquitur [1] : « Cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum « tanta gloria, quæ tantum decuit filium, assumpta « fuit in cœlum. » Pari quoque proportione de intensissimis, a B. Virgine, tempore pœnosæ Passionis Filii sui, perpessis doloribus disserere licet. Unde idem S. Bernardinus in hunc modum discurrit : « Non credo plane enarrari, vel meditari posse « dolorem Virginis : nisi tantum fuisse credamus, « quantum unquam dolore potuit de tali Filio talis « Mater. » Ponatis igitur, si placet, in unam libræ lancem, amorem talis Matris, quo ferebatur erga tam dignum Filium ; et postea dicatis, si potestis, quousque dolor ex tot a Filio perpessis injuriis, a Beata Virgine conceptus pertigerit. Nescio profecto, an exaggeratio quædam sit, hoc ipsum quod S. Bernardinus in hac materia, hæc in verba scribit [2] : « Tantus fuit dolor Virginis, quod si in « omnes creaturas, quæ pati possent, divideretur, « omnes subito interirent. » Verum enim vero, quia prævideo, vos ex me sciscitaturos esse, qua ratione Beata Virgo impetuosam illam tot innumerabilium, earumque omnium mortiferarum angustiarum vehementiam, sine subsecuta illius morte, sufferre potuerit : ideo per auctoritatem ejusdem sancti Patris, in alio quodam sermone, de hac quæstione tractantis, ipsiusmet verbis respondeo ; ita enim scribit [3] : « Cur non est mortua Beata « Virgo, si tanto dolore repleta fuit, siquidem hoc « audivimus de uxore Phineos I, *Reg.*, 4, quod in « captione Arcæ et viri sui morte, præ dolore mor- « tua est ? Ad hoc respondet Anselmus, quod mor- « tua fuisset, si Spiritus Sanctus eam non confor- « tasset. Unde ait : Pia Domina, non crediderim te « ullo pacto potuisse stimulos tanti cruciatus, quin « vitam amitteres, sustinere, nisi ipse Spiritus vitæ « Spiritus consolationis, Spiritus dulcedinis Filii tui « pro quo moriente tantopere torquebaris, te con- « fortaret, te consolaretur, te intus doceret, non « esse mortem eum assumentem, sed magis trium- « phum omnia ei subjicientem, quod in ipso fieri « coram te moribunda videbas. » Taulerus autem hac de re ita meditatur, inquiens : « Nihil est am- « biguum, quin, nisi divina fuisset bonitate servata, « roborataque, cor illius devotissimum præ dolore « diruptum fuisset. »

**4.** — Quod si mysterium sciscitemini, ob quod nullus Evangelistarum de hoc puncto dolorum B. Virginis mentionem fecerit ? Respondeo, per sequentem de Thimante celebri pictore conscriptam historiam. Cum enim hic Iphigeniam Agamemnonis filiam, tenellamque virgunculam, juxta altare

[1] S. Bernard., a. 3, c. 1, t. III. — [2] Thren., I, 12. — [3] Richard. a S. Laur., l. III. — [4] Id., *de mentis rob.* — [5] S. Bern., a. 1, c. 2.

[1] S. Bern., *de lament. Virg.* — [2] S. Bern., t. I, s. 61, a. 3, c. 2. — [3] Id., t. III, s. 2.

sacrificandam suis delineaturus esset coloribus, ejus quidem proximos cognatos omnino mœstos repræsentavit, patris vero vultum velo quodam contexit; per hoc demonstrare volens, nullius pictoris artem eo posse pertingere, ut dolorem patris dilectam et innocentem filiam suam in sacrificium concremari, et occidi videntis, ad vivum exprimeret. Eodem prorsus modo in præsenti proposito discurrere possumus, quia tametsi S. Lucas, tanquam expertissimus pictor, in adumbrandis aliis mysteriis B. Virginem concernentibus pari cum industria, et arte, penna usus fuerit, et penicillo : attamen immensitatem dolorum compassionis suæ, ne vel unius lineæ tractu delineare præsumpsit, sed omnes hosce compassionis cruciatus sub silentio pertransivit : multo minus vero idipsum alii Evangelistæ facere attentarunt, solo excepto S. Joanne, qui, utpote tempore Passionis sub cruce præsentialiter constitutus, licet eorum, quæ Filius Matri suæ dixit, verborum, nobis communicaverit notitiam; de internis tamen Matris doloribus, ne verbo quidem meminit, sicut nec quid ipsa in lachrymosa hac tragœdia ore suo locuta fuerit, manifestavit; nam ut B. Laurentius Justinianus ait [1] : « Vocem « emittere non valebat, absorbuerat enim cor illius « tristitiæ nimietas, vocisque organum, et linguæ « detinebat officium, ne quid loqueretur ad Filium. « Eo autem angebatur acrius, intusque vociferaba- « tur, quo foris loqui minus poterat. »

**5.** — Tandem præsentem discursum per sequentem Tauleri meditationem claudendum esse duxi. Hic enim Redemptorem nostrum his verbis affatur [2] : « Solus pondus, et gravitatem afflictionum « ejus hominibus universis incomprehensibilem, « compassionis lance trutinasti. » Unde immensitatem dolorum, quos Sanctissima Deipara in compassione erga patientem dilectum Filium suum sustinuit, a nullo alio, præterquam ab unigenito ejus Filio, qui ut Sapiens ait [3] : *Spirituum ponderator est,* scire valemus.

## DISCURSUS II.

### EX VARIIS CHRISTO IN PASSIONE SUA ILLATIS TORMENTIS, CONVICIIS, ET CONTUMELIIS, SANCTISSIMÆ MATRIS EJUS DOLOR FACILE DEDUCITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. B. V. non solum juxta crucem, sed etiam Christi suppliciis aliis præsens fuit. — 2. Quibus tormentis Christi B. V. præsens fuerit. — 3. Alii enumerantur B. V. cruciatus quos passa fuit in monte Calvariæ. Dolores B. V. notabiliter aucti fuerunt ex aspectu et præsentia filii sui patientis. — 4. Inæstimabilis afflixit cor B. V. quod in angustiis filii sui nullum ei posset ferre subsidium. — 5. Christus et B. V. in his afflictionibus omni carent solatio et auxilio. — 6. Multum afflixit B. V. varietas et multitudo accurrentium ad spectaculum passionis Christi.

*Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus.* Joan., XIX, 25.

**1.** — Tametsi Evangelistæ solum expresserint B. Virginis sub cruce Filii assistentiam, non vero, ipsam aliis quoque Passionis Christi periodis præsentem adfuisse, memorent, non tamen ob id credendum est, ipsam tunc solum Christo se præsentem exhibuisse, quando in patibulo crucis suspensus hæsit; siquidem sancti Patres varia testimonia ediderunt in contrarium. Et quidem S. Bernardinus expresse tradit, quod quam primum Deiparæ nunciatum fuit, dilectum ejus Filium in domo Pilati eo usque fuisse processatum, ut jam nihil amplius restaret, quam ut mortis in eum sententia pronunciaretur, mox e Bethania Jerosolymam versus sese properanter receperit. En prædicti Patris ipsissima verba [1] : « Concito gressu, plorantibus cunc- « tis, Jerosolymam adit. Cum obviaret custodibus, « dicunt ei : Quid ploras mulier? Quid quæris? « Respondit : *Num quem diligit anima mea vidistis?* « At illi : *Qualis est dilectus tuus, o pulcherrima mu-* « *lierum?* Et illa : *Dilectus meus candidus et rubi-* « *cundus, electus ex millibus.* Et illi : An forte Filius « tuus est ille, qui hac nocte tanquam malefactor « et latro, ductus est ad domum Caiphæ pontificis « ligatus, et verberatus, et tam atrociter lacera- « tus? Quo audito Maria fere cecidit in terram « præ dolore; sed amore videndi Filium suum, « vires resumens, ocius pervenit ad domum Annæ, « sed non invento ibi Jesu, aliquo referente, didicit, « fuisse transmissum ad Caipham. » In vita Beatæ Veronicæ de Binasco, eidem a Salvatore sequentia revelata fuisse leguntur [2] : « Ingressa Jerusa- « lem Mater mea, cum nox foret, vidit ignis lumen « a longe in domo quapiam illucescere : eo « concessit Mater, comperitque fabrum lignarium. « Hominem interrogat Mater dicens : Nostisne ubi- « nam sit Filius meus? Cui faber : Tuum ignoro « natum. Hoc vero exploratum habeo, Judæos vi- « rum quemdam apprehendisse, qui dicitur Jesus « Nazarenus, et hoc die illucescente, in ligno crucis « crucifigendus est. Tunc Mater exclamans dixit : « O crux, quoties in te morietur Filius meus? » Enimvero satis est credibile, Deiparam eodem tempore certiorem factam fuisse de agonia et sudore sanguineo, qui in horto guttatim decurrit in terram. Similiter de captivitate ejus, postquam a turbis armatis velut latro deductus fuerat in urbem Jerosolymam. Nec non de catenis, quibus ipsum vinxerant, et per iter raptarant : de colaphis, pugnis, calcibus, aliisque similibus injuriis, quibus per publica Jerosolymæ platearum compita affectus

[1] B. LAUR. JUST., *de Triumph. Chr. agon.* — [2] TAUL.' c. 44. — [3] PROV., X, 2.

[1] S. BERN. SENEN., t. I, s. 55, a. 2. — [2] BOLL., 13 jan., f. 921.

fuit; item qualiter Judas ipsum tradiderit, omnes quoque Apostoli eum deseruerint; Petrus eumdem negarit, ipsique Scribæ, Pharisæi, Sacerdotes, Seniores et Principes in pleno concilio Synedrin falsis accusationibus ac calumniis onerarint. Unde prædictus S. Anselmus subjungit [1] : « Adjectus est his « doloribus ejus dolor alius. Petrus, et alii discipuli « de nihilo in Apostolatum electi, etiam in tantæ « celsitudinem virtutis, ut jam dæmonibus imperarent, erecti, nec non secretorum illius conscii, et « familiares in cunctis affecti, instante hora traditionis ejus, fugam ineunt, et eum, pro quo se « mortem paulo ante subituros promiserant, obliti « tantorum bonorum, sponsionisque suæ, solum « ipsi consideranti relinquunt. Videt ipsum ad Pas- « sionem omnibus amicis destitutum tendentem, « quem hac voce sequebatur gemens : Vadis propitiator ad immolandum pro omnibus. Non tibi « accurrit Petrus, qui dixit : *Pro te moriar*. Reliquit « te Thomas, qui ait : *Eamus et moriamur cum eo « omnes*; et nullus ex his, nisi tu solus duceris. »

**2.** — Multorum porro fuit opinio, B. Virginem pariter flagellationi Filii sui adfuisse præsentem. Unde Dionysius Carthusianus, ut suo loco diximus, hæc verba habet [2] : « Scribit sacratissima vidua S. « Birgitta in revelationibus suis, benedicta et gloriosa Virgine Maria sibi enarrante, quod tamdiu, « ac acerrime flagellaverunt Christum, quod costæ « ejus patebant. Item quod in primo ictu flagelli « caro ejus perforabatur, et sanguis exsiliit, et « quod Virgo Maria adstabat, primumque ictum « illum, et Filii sui vulnerationem inde sequentem « conspiciens, cecidit in terram ut mortua, nec « rediit ad seipsam, nisi flagellatione completa; « tuncque aspexit corpus Filii sui dilaceratum, et « undique cruentatum. » S. Anselmus *in dialogo de Passione*, beatam Virginem, pro eo tempore, quo Filium suum crucis ligno in humeris onustum, ad montem Calvariæ procedentem vidit, in hæc verba introducit loquentem : « Una cum Maria Magdalena per viam objacentis plateæ, circa quemdam « fontem concurrimus, quatenus illi obviam veni- « remus; et cum veniremus juxta fontem, obvium « habuimus Filium meum deformatum, pressum « omni dolore, qui benigne se inclinans, ad me di- « cebat : Ave Mater, ac si diceret : Grates tibi « debeo, electa Mater mea, pro multimodis benefi- « ciis mihi impensis, et pro multo labore, quo in « summæ paupertatis abjectione enutrivisti tem- « plum corporis mei, et nunc in destructione con- « stitutum, inter contumelias, et opprobria sequi « non dedignaris, nec vereris, quamvis omnibus « contemptui habeamur. » S. Bernardinus pariter similem refert B. Virginis occursum, dum ita scribit [3] : « Sicut legi in quadam historia fide digna, « quando in quodam concursu viarum, ipso Jesu « portante in humeris suis supplicium crucis, dul- « cissima Mater ejus, cum breviorem, ut eum con- « spiceret, captasset viam, et ex alteratione faciei « ejus, anxietates cordis sui, et duri oppressionem « oneris aspexit, syncopizasse dicitur præ dolore, « in conspectu Filii sui : quod conspiciens et ipse « pietate plenus, manifestis dolorum signis, atque « palloribus, in facie præostensis, totus angustia- « tus, et cordialiter sauciatus, super lapidem ibi « positum, quasi defectuose, et dolorose resedit. « Proinde malefici illi, qui ducebant ad mortem, « eum sic deficere advertentes, angariaverunt « quempiam Simonem etc. In hujus rei testimo- « nium refert historia illa, quod postea ædificata « est Ecclesia in honorem Virginis Matris Dei, quæ « dicta est Sancta Maria de Spasmo; quodque ibi « olim ostendebatur lapis ille sacratus, super quem « Christus tunc resedisse narratur. » Ipsamet Virgo Deipara, id quod sibimet in monte Golgothæo acciderat, S. Birgittæ in hæc verba revelavit [1] : « Cum « venissem ad locum Passionis, omnia instrumenta « vidi ibi præparata ad mortem suam. Rapuerunt « eum sævi tortores, et extenderunt in cruce. » Quia vero, ut suo loco, de nuditate Christi tractantes, diximus, milites et carnifices ipsum omnibus vestimentis suis spoliarunt, Sanctissima Mater ejus acceptum e capite suo velum, super Filii sui lumbos conjecit, ut illos contegendo, majorem ab illo confusionem averteret. Subdit vero eadem Deipara in prædicta revelatione : « In tempore illo audivi alios « dicentes, quod Filius meus latro erat, aliosque, « quod mendax; alios, quod nullus indignior erat, « quam Filius meus : ex quorum auditu dolor « meus renovabatur. Dum primus clavus infigeretur, ego ad primum ictum conturbata ceçidi « quasi mortua, oculis obscuratis, manibusque tre- « mentibus, et nutantibus pedibus. Oculi ejus appa- « ruerunt semi mortui, maxillæ ejus submersæ, et « vultus lugubris, os ejus apertum, et lingua san- « guinolenta, venter dorso inhærens, consumpto « humore, quasi non haberet viscera. Omne corpus « pallidum, et languidum, ex fluxu, et egressione « sanguinis, manus et pedes ejus rigidissime extensi « erant, et juxta formam crucis attracti, et confor- « mati; barba et crines ex toto respersi sanguine. »

**3.** — Satis est verisimile, dolentissimam Matrem, viso hoc lugubri spectaculo, verba illa Davidis sæpius repetivisse : ut bene observat Lanspergius, inquiens : « Quoties hoc verbum in corde ejus « repetebatur, quod David pro Filio suo Absalon « lugendo repetivit : *Quis mihi det, Fili mi Jesu, ut « moriar pro te?* » Eadem Virgo huic S. Birgittæ alios pariter revelavit cruciatus, qui in monte Calvariæ ejus cor transfixerunt; ait enim [2] : « Quan-

[1] S. Ans., *de excell. Virg.* — [2] Dion. Carth., *in Luc.* — [3] S. Bern., t. I, s. 55, a. 4.

[1] S. Brig., *Revel.*, l. I, c. 10. — [2] Ead., *ib.*

« doque dolor de membris, et nervis corporis per-
« foratis, ad cor ascendebat, quod recentissimum
« erat, et incorruptum; et incredibili dolore, et
« passione vexabat ipsum : et quandoque dolor a
« corde in membra lacerata descendebat, et sic
« mortem prolongabat cum amaritudine. » Et vero certum est, quod si homo, quantumcumque ferox, sævus, et crudelis, hominem quemdam vivum cruci affigi videret, sine dubio facile saltem aliquo modo emolliendus, et ad compassionem movendus esset. Quid igitur de illa delicatissima dicemus Virguncula, de qua sancta Ecclesia canit : *Inter omnes mitis*, quæ tenerrimæ existens complexionis, toto ætatis suæ decursu assueverat in solitario recessu cum Angelicis conversari Spiritibus : quid, inquam, de illa nunc dicemus, quando in medio lancearum et ensium, in medio lictorum et militum, implacabilium Christi inimicorum, et carnificum, se præsentem vidit, ut crucifixionis Filii sui spectatrix assistat, simulque cum eo in crucem suffigatur? Porro Virginis Filius benedictæ Matri suæ compatiens, ut in revelationibus S. Birgittæ legitur, his verbis eadem est affatus : « Quando cor meum in cruce
« præ vehementia doloris rumpebatur, cor tuum
« ex hoc quasi ferro accutissimo vulnerabatur; et
« libenter scindi permisisses, si fuisset voluntas
« mea. » Gregorius Metropolita Nicomediensis, auctor valde antiquus, in hæc verba scribit[2] : « Quis
« enumerare sufficiat, quanta id temporis tela vis-
« cera ejus pervaserint? Quis ejus dolores, vim
« omnem sermonis, ac rationis superantes, ser-
« mone enarraverit? Tametsi enim inexpugnabilis
« erat, ac naturæ affectionibus superior, fervens
« nihilominus amor, quo ad desideratum ferebatur,
« exsuperansque impietas, ac ferocium hominum
« insania, intolerabilem ejus animo tristitiam crea-
« bant. » Enim vero ut dolorum suorum perfectius intelligamus augmentum, ad actualem nos Filii patientis reflectere debemus præsentiam ; sæpe enim contingit, quod dum quispiam in libro cruenta legit prælia, in quibus innumera militum multitudo trucidata fuit, adeo ut terra campi illius, in quo commissum fuit prælium, copioso sanguine stagnarit; tamen ex tali lectione nec quidquam ad compassionem movebitur : cum tamen idem ille, si quempiam lethali vulnere sauciari, et sanguinem inde copiose emanare videat, mox in corde suo intenerescens, sauciato intime compatiatur. Dic sodes : undenam hæc procedit in uno et eodem homine differentia? Ratio diversitatis hæc est, quia objectum præsens longe magis movet, quam objecti distantis sola apprehensio. Unde B. Laurentius Justinianus ait[3] : « Quanto illum diligentius atten-
« debat, tanto cruciabatur vehementius. » Didacus Stella in Lucam scribens, hanc tradit ponderationem[4] : « Ostenditur, magnum fuisse ejus dolorem
« ex præsentia Christi patientis; objectum enim
« præsens fortius movet potentiam, quam absens.» Confirmat idipsum S. Bernardinus, dum ait[5] : « Quia
« erat præsens ad videndum, eo quod sub oculis
« ejus Filium crucifigi, et lacerari videbat. Multum
« dolet Mater, quando audit morte horribili Filium
« suum mori; sed maxime cruciatur, quod ante
« oculos suos videt Filium suum vulnerari, et oc-
« cidi. Quanto ergo dolore Virgo benedicta crucia-
« batur, quando videbat Filium suum mortuum
« tanta confusione et cruciatu, et ante oculos
« suos? »

**4.** — Idem S. Pater aliam quamdam valde considerabilem adducit circumstantiam, ineffabilem cordis Virginei angustiam magnopere aggravantem ; scilicet, quod in his angustiis posita, nullum morienti Filio subministrare potuerit subsidium, vel sublevaminis refrigerium. En verba sancti hujus prædicatoris[6] : « Impotens erat ad adjuvandum :
« magna consolatio est Matri, quando assistit Filio
« morienti, et in aliquo illi potest subvenire. Audie-
« bat illum sitire, nec poterat ei porrigere potum :
« videbat corpus ejus vulneribus laceratum, nec
« poterat ejus vulnera alligare : cernebat corpus
« cruentatum, nec poterat abstergere linteo : con-
« siderabat ipsum male tenere caput, et illud non
« poterat sustentare : conspiciebat illum in cruce
« flentem, et lacrymas ejus tergere non valebat :
« prospiciebat sanguinem ejus in terram fluentem,
« et illum recolligere non poterat : contemplabatur
« ipsum animam exspirantem, et illum non poterat
« amplexari. » Salvator noster B. Veronicæ de Binasco revelavit, inquiens : « Me dicente *Sitio*, pia
« Mater exclamavit : Heu me! o Fili mi ego te olim
« lacte pavi, at nunc tibi potum præbere nequeo ;
« atque inter hæc verba solo dilabitur exanimis. » Præterea beatæ Virginis, quæ flagellationem Filii sui lachrymantibus oculis, et corde mœstissimo spectarat, mirum quantum auctus fuerit dolor, quantaque fuerit pœnarum suarum acerbitas, quando sub cruce Filii sui constituta, eumdem flagellis asperioribus cædi audivit, quam fuerint ea quibus in prætorio Pilati cæsus fuerat; improperiis videlicet, blasphemiis et calumniis, quibus a perfidis Judæis vapulabat : neque enim Ecclesiasticus[7] sine mysterio injuriam a lingua inustam, flagelli nomine appellat *flagellum linguæ*, siquidem calumnia animam, honorem, existimationem, partemque individui nobiliorem, id est, rationalem, crudeliter cædit.

**5.** — Inter omnes Christo illatas injurias, et tormenta, nullus erat, qui ad eum defendendum os suum aperire auderet[8]: « Omnes namque Discipuli

[1] Ead., *ib.* — [2] Georgii Metropol. Nicomed., s. 16. — [3] B. Laur. Just., c. 11.

[4] Did. Stel., *in Luc.* — [5] S. Bern., t. III, s. 2, c. 4. — — [6] Id., *ib.* — [4] Boll., *ib.*, f. 912. — [7] Eccl., xxiv, 5. — [8] Id., *ib.*

« fugerant, » inquit S. Bernardinus, « et S. Joan-
« nes, licet cruci Christi una cum Matre adstaret,
« nihilominus et ipse tacebat, utpote qui se ibidem
« nihil fructuose dicere posse conspiceret : nullus
« aderat, a qua posset consilium vel auxilium pos-
« tulare, nullumque in tanta tribulatione, ipsa et
« Filius ejus auxiliatorem invenit; unde in persona
« Domini, vel Virginis Ecclesiasticus capite LI, ait :
« *Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non*
« *erat;* nullum enim habuit compatientem. » Alius quidam auctor contemplativus hac de re meditando, inquit : « Vidit injuriis affectum, et defendere non
« dabatur : vidit diffamatum, et pro eo respondere
« non licebat. » Porro ut de intensissimo Mariæ dolore, quem tot maledicentias, blasphemias, et vituperia contra Filium suum jactata audiens, percipiebat, dignum nobis efformare conceptum valeamus, Taulerus hoc nobis succurrit efficaci argumento [1] : « Si Judæi illi simulatores, et hypocritæ,
« audita blasphemia, vestes suas consciderunt,
« tanquam in doloris argumentum; quomodo
« scissum est præ dolore piissimum cor tuum o
« Maria, cum omnes illas execrabiles, atque hor-
« rendas, adversus Filium tuum blasphemias, inju-
« rias, atque contemptum, jaculari, et conspiceres,
« et audires? sic enim Dominus ait : *Scindite corda*
« *vestra et non vestimenta vestra* : et quidem hac
« ipsa die sincerissimum cor tuum, non semel, sed
« plus centies scissum est. » Dionysius Carthusianus illud S. Simeonis senioris de compassione B. Virginis pronunciatum vaticinium : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* : hoc modo exponit [2] :
« Hoc est amarissimus dolor compassionis, quo
« anima tua implebitur. Iste est gladius spiritualis,
« de quo fertur in Psalmo : *Lingua eorum gladius*
« *acutus.* »

**6.** — Præterea cum Christus in solemnitate Paschali crucifixus fuerit, credibile est, quod eodem tempore Jerosolymis ex omnibus mundi nationibus adfuerint homines, qui cum ad hujus spectaculi novitatem accurrerent, motivum dederunt piissimæ Dei Genitrici, novæ acerbissimæque afflictionis, dum vidit, Filium suum non solum in medio duorum latronum crucis patibulo esse confixum, verum etiam calumniis et improperiis omnium et singulorum adstantium lacessiri, idque non solum a communi hominum plebe, verum etiam a Principibus Synagogæ, Magistratibus, et summis Pontificibus, qui omnes certatim illum deridebant, et convitiabantur; his quoque accedebat titulus in tribus famosioribus mundi linguis conscriptus, et cruci per ludibrium affixus, ut exinde in omnibus mundi partibus vituperaretur. Unde S. Antoninus ita scribit [3] : « Considerans tantam confusionem publican-
« dam per orbem Filii sui, non poterat non summe
« dolere. » Georgius Metropolita, in sermone supra citato, de hisce injuriis et calumniis in hæc verba scribit : « Hæc illi innumerabiles pariebant mortes :
« horum quodlibet ante etiam mortem Dominicam
« lethale illi vulnus infligebat. » Idem in progressu ejusdem sermonis, quoad maledictiones, blasphemias, imposturas, improperia, ludibria et subsannationes, hæc verba subjungit : « Hæc altiorem,
« quam adacti clavi, cruciando infligebant plagam;
« transeuntium inquam dicteria, assistentium deri-
« siones, insultantium atque illudentium voces,
« subsannationes, capitis nutus cum ironia, innu-
« merabilia parricidarum convicia. » Etenim personæ honoratæ et nobili, ingens infertur injuria et ignominia, si ab infamis plebeculæ fæce injuriis impetatur; quid igitur de Deo tantæ Majestatis dicemus, quem, ut sanctissima Deipara probe noverat, *laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates?* hic enim vel ab ipsis latronibus secum crucifixis in principio convicia pati debuit, licet unus illorum postea se ad Christum converterit.

[1] TAUL., c. 44. — [2] DION. CARTH., *in Luc.* — [3] S. ANT. p. 9, tit. 15, c. 48, § 2.

## DISCURSUS III.

### DE GLADIO, QUO SIMEON MARIÆ ANIMA TRANSADIGENDAM ESSE PRÆDIXIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Quis gladius animam B. V. transfixerit in passione Filii sui. — 2. Expenditur vulnus a gladio doloris B. V. inflictum. Omnium dolorum Christi unicum centrum fuit anima B. V. — 4. Gladius doloris diu ante passionem Filii, animam B. V. cœpit pertransire. — 5. Mens B. V. semper intenta fuit cogitandis doloribus et tormentis passionis Filii sui, quæ prævidit ab initio nativitatis ipsius. — 6. Insignis allusio triduani itineris Abrahæ ad montem, ubi immolandus erat Isaac, ad B. V. dolores 33 annorum.

*Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* Joan., XIX, 25.

**1.** — Spiritus Sanctus, Beatissimæ Virginis inclytus sponsus, cujus opera in virgineis visceribus suis Verbum conceperat et generarat æternum, animæ sancti Simeonis senioris sese ingerens (*Spiritus Sanctus erat in eo*) eumdem permovit, ut in Purificatione ejusdem beatæ Virginis et præsentatione partus sui in templo, eidem prædiceret [1] : *Ecce positus est hic in signum cui contradicetur et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Origenes in Catena aurea citatus inquit [2] : « Nulla docet
« historia, M. Virginem ex hac vita gladii occisione
« migrasse, præsertim cum non anima, sed corpus
« soleat ferro interfici; unde restat intelligi gla-
« dium illum, de quo dicitur : *Et gladius in labiis*
« *eorum,* hoc est, dolorem Dominicæ Passionis ani-
« mam ejus pertransisse; quæ et si Christum, utpote

[1] LUC., II, 16. — [2] ORIG., in Cat. D. Thom. *in Joan.*

« Dei Filium, sponte propria mori videret, mortem- « que ipsam non dubitaret esse devicturum, ex sua « tamen carne procreatum non sine doloris affectu « potuit videre crucifigi. » S. Ephrem de Redemptoris nostri Passione disserens, pientissimam et dolorosissimam Matrem introducit hisce verbis sanctum Simeonem seniorem alloquentem [1] : « O « Simeon, ecce gladius, quo cor meum trajicien- « dum prædixisti. Ecce gladium, ecce vulnus, mi « Fili et Deus meus. Mors tua cor meum subiit, « disrupta sunt viscera mea. » Cajetanus hunc S. Lucæ textum : *Tuam ipsius animam, etc.* hoc modo interpretatur [2] : « Perinde sonat, ac si diceretur : « Et tuammet animam, non corpus, ne hinc intel- « ligeretur, corporeo gladio esse feriendam, per- « transibit, hoc est, penetrabit. Metaphorice appel- « latur cruciatus compassionis, quem sustinuit « usque ad intima B. Virgo in Passione Filii. » Didicit idipsum forsitan Cajetanus a S. Cyrillo Alexandrino, qui pariter eumdem textum explicans ait [3] : « Gladium acutum, doloris magnitudinem « appellavit. » Propheta regius de injuriis innocentis Josephi, sine causa calumniati et in carcerem et ad vincula condemnati, disserens, inquit [4] : *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus,* moxque subjungit : *Ferrum pertransiit animam ejus.* At vero ubinam legitur, Josephum gladio vel alio instrumento ferreo fuisse transfixum ? Respondet Beda [5] : « Ferrum « quod animam Joseph pertransisse canitur, nul- « lum melius, quam dura tribulatio mentis intelli- « gitur. »

**2.** — Porro quale dolorosissimum hujus gladii vulnus fuerit, ex pluribus capitibus, prout in sequentibus discursibus ostendemus, facile deducitur. Enim vero, quando Beatissima Virgo dilectum Filium suum amissum per triduum quærens, ac tandem in templo reinveniens, doloris immensitatem exprimere volebat, Filio suo dixit [6] : *Fili, quid fecisti nobis sic* ? ubi verbum *sic* vehementis et excessivi affectus est indicium. Unde Sapientia incarnata infinitam Patris charitatem, in Redemptione generis humani per Filium consummata, exhibitam Nicodemo repræsentare volens, inquit [7] : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* : et ideo hunc loquendi modum ponderans D. Chrysostomus in hæc verba exclamat : « Stupescens « tonitrui filius, consideransque charitatis divinæ « excellentiam, clamabat et dicebat : *Sic Deus « dilexit mundum* ; vide, quanto miracula plena sit « hæc dictio, *sic.* » Ac proinde mirum non est, quod S. Lucas calamo et penicillo suo, doloris Mariæ immensitatem, ex amissione Filii conceptam, delineare volens, eamdem per verbum *sic,* introduxerit lamentantem : *Fili, quid fecisti nobis sic ?* cum tamen eadem Virgo impossibile sciret, Filium suum amitti posse, utpote qui Deus ille est, qui de seipso dicit [1] : *Cœlum et terram ego impleo.* S. Joannes Damascenus ait [2] : « Si ob triduanam Filii dolebat absentiam, « quanto magis in hora passionis ; ob ejus plagas, « ignominiosam crucifixionem et mortem. » Apud Jeremiam dolor, de morte cujusdam filii unigeniti conceptus, his verbis exaggeratur [3] : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Apud Zachariam pariter dicitur [4] : *Dolebunt super eum, sicut doleri solet in morte primogeniti.* Enim vero quisquis intensum hunc Beatæ Virg nis dolorem quadantenus commensurare cupit, huic necessum est, ut æqua trutina verba illa ponderet S. Simeonis senis : *Tuam ipsius animam pertransibit doloris gladius* : non dicit, doloris gladio transadigendum esse corpus illius sed animam et cor, quod vitæ est centrum. Dolor ille, quem in corpore humano pars aliqua nobilis et sensitiva, verbi gratia caput, vel cor præsentiscit, longe est vehementior ille, quem pars aliqua corporis ignobilior, verbi gratia brachium, vel tibia, vel pes experitur. Omnium vero tormentorum et dolorum atrocissimorum, quos Deipara ex Passione Filii sui sustinebat, unicum centrum, Mariæ anima erat ; ac proinde quanto intimior illius dolor fuit, tanto quoque erat vehementior. Moyses Deum, ob genus humanum exterminandum, excessive dolentem exprimere volens, postquam præmisisset [5] : *Delebo hominem, quem formavi, a facie terræ* ; mox hanc loquendi phrasin subjungit : *Tactus dolore cordis intrinsecus.* Sic quoque Arnoldus Carnotensis, septem verba a Christo in cruce pronunciata exponens, dum ad describendos intensissimos Deiparæ dolores se accingit, in hæc verba scribit [6] : « Suspi- « rat intrinsecus et erumpentes revocat lachrymas « et eo amplius anxietas intumescit, quo prohibetur « egredi et per luctus, lamentaque dissolvi. Emer- « gebant quidem aliquando gemitus, sed increpati « reprimebantur, revertebanturque in sinum men- « tis, de quo prodibant ; et collidebant se ad invi- « cem introrsus, eratque in anima illa tempestas « valida, occurrentibus sibi procellis et quasi in « sartagine frixis medullis, obulliebant amaritu- « dines, quas excoquebat et coagulabat exacerbatio « perseverans. Imperabat quippe dolori silentium, « formido ; et ringentium Judæorum torvi in eam « oculi, illos turbines suffocabant. Verum illa tan- « tarum procellarum salsuginem ebibebat et (quod « difficillimum erat) moriebatur et mori non pote- « rat ; et clauso tanto doloris tormento intrinsecus, « alium vultum palam exhibebat, nec poterat ex « facie colligi. » Didacus Stella Simeonis vaticinium exponens, inquit [7] : « Beata Virgo in ea parte passa « est, quæ impassibilis habetur ; ideoque plusquam

[1] S. Ephrem, t. III *de Pass.* — [2] Cajet., *in Luc.* — [3] S. Cyrill. Alex., l. XII *in Joan.* — [4] *Ps.* cxiv, 8. — [5] Beda, in c. 2 *Luc.* — [6] Luc., II, 48.

[1] Joan., III, 16. — [2] S. Joan. Dam., l. *Orth. fid.*, c. 15. — [3] Jer., VI, 26. — [4] Zach., XII, 10. — [5] Gen., VI, 7. — [6] Arnol. Carn., *de 7 Verb.* — [7] Did. Stella, *in Luc.*

« Martyr fuit, quia dolor Passionis oritur a læsione « carnis cum perceptione sensus et redundat in « animam : dolor vero compassionis oritur et inci- « pit in anima et redundat in sensum et carnem. « Quanto igitur anima est potentior et magis do- « minans super carnem et caro est delicatior et « magis subjecta animæ, tanto fit major redun- « dantia; et major dolor est ille, qui incipit ab « anima, quam ille qui incipit a carne. Quia igitur « ita erat in gloriosa Virgine, major fuit dolor « compassionis in ipsa, quam dolor passionis, qui « est ex parte naturæ corruptibilis. In ipsa enim « vera Martyre anima patiebatur et qui moriebatur « erat qui occidebat. »

**3.** — S. Augustinus ad verbum *animam* se reflectens, inquit [1] : « Non ait, carnem, sed animam, in « qua pietatis affectio continetur et doloris aculeus « quasi gladius, operatur. » S. Hieronymus, sive ut alii volunt, Sophronius in sermone quodam de Assumptione inquit [2]: « Constat quia Maria tam doluit « ut totam animam pertransiret ac possideret vis do- « loris. » S. Cyrillus Alexandrinus pariter hunc dolorem declarans, inquit [3]:« Docere, ut ego arbitror, « voluit, tantam Passionis Christi fuisse indignita- « tem, ac magnitudinem, ut Matrem etiam ejus « mors crucis et Judæorum illusiones commoverint; « et ad hæc milites cum risu atque triumpho coram « Matre ad derisionem Christi, vestimenta partien- « tes cooperabantur. » Dionysius Carthusianus super assumpti thematis nostri verba ita scribit [4] : « Quid enim sustinuit mens illa dulcissima virginis « Matris, quando tam prope adstabat Filio partienti « unico et prorsus charissimo, cujus teneritudinem « ac innocentiam nostis, quem licet sciebat fruc- « tuosissime pati, citoque resurrecturum, nihilo- « minus vehementissime ei condoluit, in tantum, « ut consideratio fructus Dominicæ Passionis et « Resurrectionis tolleretur ab intellectu ipsius, quo- « niam vis doloris omnino absorbuit animam ejus.» Ipsamet beatissima Virgo S. Brigittæ inter alia revelavit [5] : « Dum Filius meus me adeo ex compas- « sione ipsius dolentem videret, in tantum amari- « cabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnerum « suorum erat quasi sopitus sibi præ dolore meo, « quem in me videbat. »

**4.** — Nequaquam hoc loco prætereunda est sequens Ruperti Abbatis doctrina, in persona Beatæ Virginis dicentis [6]: « Nolite solam attendere horam « vel diem illam, in qua vidi talem dilectum, ab « impiis comprehensum, male tractari, illudi, spi- « nis coronari, flagellari, crucifigi, felle et aceto « potari, lanceari, mori et sepeliri; nam tunc qui- « dem gladius animam meam pertransivit, sed « antequam sic pertransiret, longum per me tran- « situm fecit; prophetissa namque eram et ex quo « Mater ejus facta sum, scivi eum ista passurum. « Cum igitur talem Filium in sinu meo foverem, « ulnis gestarem, uberibus lactarem et talem ejus « futuram mortem præ oculis haberem, qualem « quantam quamque prolixam me putatis materni « doloris pertulisse passionem? » Ipsemet Deiparæ Filius per os Psalmistæ lamentatur, inquiens [1] : *Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea*; quorum quidem verborum variæ sunt versiones, quæ tamen omnes ad hoc diriguntur, ut Filium Dei, a primo Incarnationis suæ instanti, passioni et afflictioni subjectum fuisse indicent. Alii enim legunt *moriens*: alii *moribundus*; alii *agonizans*; alii denique *pene mortuus a puero*.

**5.** — Christus in Prophetia Habacuc, juxta versionum variarum diversitatem, in medio duorum animalium in præsepio videndus esse prædicitur, idemque ab aliis inter duos latrones in monte Golgotha futurus esse prophetizatur. Ubi Vulgata nostra legit [2] : *In medio annorum notum facies*, Septuaginta vertunt : *In medio duorum animalium cognosceris*. S. Hieronymus vero communem vulgi sententiam in medium adducens, inquit [3] : « Porro « interpretatio et opinio vulgi de Salvatore intelli- « git, quod inter duos latrones crucifixus agnitus « sit. » In sacris Canticis inter alia laudum encomia, Beatæ Virgini hoc quoque attribuitur [4]: *Comæ capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus*. Ubi nequaquam credendum est, Spiritum Sanctum ad aliquam capillorum tincturam alludere voluisse; siquidem certum est, Deiparam ab omni vanitatis umbra fuisse alienam : potius igitur per capillos, ut omnibus in Scriptura aliquantulum peritis manifestum est, cogitationes, desideria et affectus symbolizantur : hæ autem cogitationes et desideria purpurea fuere, id est, doloribus et tormentis in passione Filii sui sustinendis, quæ clare prævidit, continuo intenta fuere. Sciens enim, Filium suum eo fine præcipue fuisse incarnatum, ut sanguinis sui pretio humanum genus redimeret, funestam mortis suæ tragœdiam in mente sua continuo revolvebat; et ideo hic Passionis Filii sui gladius cor virgineum incessanter transadigebat. Unde S. Simeon senior de Filio Virginis, quando etiamnum infans erat, perspicuis verbis prædixit [5] : *Positus est hic in signum cui contradicetur*. Circa quæ verba Euthymius ait [6] : « Quidam signum cui contradicitur, « dicunt esse crucifixionem, quam gladium nomi- « navit acutissimum, maximeque dividentem; qui « penetravit cor Matris Dei, dum Filius ejus cruci « affixus est : de hoc enim cruciatu nunc vaticina- « tus est. » Taulerus inquit [7] : « Hic plane doloris « gladius totam eam penetravit, quando ipsa Regina

[1] S. Aug., t. 2, *ep.* 58. — [2] S. Hier., s. *de Assumpt.* — [3] S. Cyr, Alex., *ib.* — [4] Dion. Cart., *in Joan.* — [5] *Rev.* S. Brig., l. 1, c. 25. — [6] Rup. Ab., l. I *in Cant.*

[1] *Ps.* lvii, 16. — [2] Habac., iii, 3. — [3] Cant., vii, 5. — [4] S. Hier., *ib.* — [5] Luc., ii, 34. — [6] Euthym., c. 3 *in Luc.* — [7] Taul., c. 44.

« Martyrum, in ea parte, quæ impassibilis est, id « est, in anima sua, horribiliter, atque lethaliter « transfixa est, crucisque mortem, ubi immortalis « erat, sustinuit tant o graviorem internam ex- « perta mortem, quanto longius mors externa ab « ea recessit. » Sponsa cœlestis, per quam Virgo Deipara præfigurabatur, de Filio suo ait : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus, mihi, inter ubera mea commorabitur.* At vero cum ab uberibus suavitas dimanet lactis, quænam est, ut esse potest uberibus, lac dulce scaturientibus, cum myrrhæ amaritudine, per quam mors et sepultura Christi symbolizantur, proportio, aut similitudo ? Porro si myrrham cum vulneribus Christi conjunxisset, nulla prorsus esset admirandi ratio : at vero quomodo fasciculus myrrhæ a Sponsa inter ubera collocatur ? Per hoc nimirum Virgo Deipara denotare voluit, se a prima Christi infantia, dum Filium suum etiamnum lactaret, ejusdem passionem serio cogitare et recogitare cœpisse ; duo enim præsepio alligata animalia, duos menti illius repræsentabant latrones : fœni stirpes referebant coronæ spinas : infantis nuditas, illam indicat at nuditatem, qua nudus in crucem agendus erat : præsepium denique Deipara interpretabatur montem Calvariæ. de Rupertus Abbas in persona Beatæ Virginis in hæc verba loquitur [2]: « Vultis au- « dire amici, qualiter exinde fuerit iste dilectus « meus mihi, et ego illi ? Ecce dico vobis : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Conferte istud illi dicto unius ex amicis, justi Simeonis : *Ecce, inquit, hic positus est in signum cui contradicetur, et tuam ipsius animam gladius pertransibit* ; quæ verba Maria velut inter ubera sua conservabat, *conferens ea semper in corde suo.*

**6.** — Deus olim Abrahæ, ut filium suum unigenitum Isaac propria manu in holocaustum ei sacrificaret, his præcepit [3]: *Vade in terram visionis atque ibi eum offeres in holocaustum, super unum montium, quem monstravero tibi.* At vero cur Deus Abrahamum iter aliquod tam prolixum, et difficile adoriri, et hujus victimæ mactationem per integrum triduum differri voluit ? Nunquid majoris obedientiæ actus futurus fuisset, si prompte, et sine mora illum trucidatum sacrificasset ? Respondet Alcuinus, id factum esse [4]. « Quatenus longitudine temporis, ten- « tationis etiam augeretur incrementum ; nam per « triduum iter protenditur, et per totum triduum « crescentibus curis paterna viscera cruciantur. » Verum enimvero Deipara Virgo Maria longe majori amore suum prosequebatur unigenitum, unigenitum, utpote incomparabiliter digniorem Filium, quam Isaac quem diligebat Abraham ; ipsa quoque probe sciebat, Christum Filium suum, non sicut Isaac, evasurum esse mortem ; et tamen dolores, quos Filius suus toleraturus erat, non solum per triduum, sed per triginta trium annorum spatium maternum cor ejus atrociter cruciarunt : « Quo- « modo canes illi sanguinarii, » inquit Taulerus [1], « nunquam a Christi vexatione, et inhumanis affli- « ctionibus abstinuere : ita doloris gladius nec brevi « tempore a materni doloris compunctione ces- « savit ; et ideo hic gladius cor ejus non solum in « decursu passionis incessanter transfixit, sed in tota « vita nec brevi tempore a materni doloris compunc- « tione cessavit. » In sermone XVII qui inter Revelationes S. Birgittæ insertus reperitur, ad experimentum continuum, nec, unquam intermissum dolentis hujus Genitricis dolorem, sequens legitur discursus [2]: « Si alicui mulieri parturienti ita dice- « retur : Filium peperisti vivum, et omnibus mem- « bris sanum, sed pæna illa, quam in partu ha- « buisti, usque ad mortem tuam perdurabit : illa « utique hæc audiens, de sua prolis vita, et sospi- « tate gauderet, de passione vero et morte pro- « pria tristaretur ; talis autem matris mœstitia, « procedens et ex illa recordatione pœnæ, et mor- « tis sui proprii corporis, certe non esset gravior « quam dolor Virginis Mariæ, quotiescunque sui « amantissimi Filii mortem futuram in animo revol- « vebat. Intelligebat Virgo Prophetarum vaticinia « olim prædixisse, quod oportebat suum prædulcem « Filium multas, et graves pænas sustinere ; et « etiam ille justus Simeon, non quasi a longe, ut « Prophetæ, sed in faciem Virginis prædixit, quod « ipsius animam debebat gladius pertransire. « Unde vere notandum est quod sicut vires animæ « ad sentiendum bonum vel malum, corporis vi- « ribus fortiores et sensibiliores existunt, ita et « benedicta Virginis anima, quam gladius ille per- « transiturus erat, gravioribus torquebatur languo- « ribus, antequam suus filius pateretur, quam ali- « cujus matris corpus sustinere valeret, antequam « suam prolem parturiret. Ille namque doloris « gladius, cordi Virginis, omni hora tanto se pro- « pius, approximabat, quanto suus dilectus Filius « Passionis tempori magis appropinquabat. Unde « sine dubio credendum est, quod ille piissimus « Dei Filius innocentissimus suæ Matri filialiter « compatiens, dolores ejus frequentibus consola- « tionibus temperabat ; alioquin ejus vita usque ad « Filii mortem illos sustinere minime valuisset. » In alio quodam loco earumdem Revelationum, beata Virgo quoad vestem inconsutilem, pro qua habenda milites inter se sortiti sunt, S. Birgittæ revelavit sequentia : « Scias, quod quandocunque « ego induebam ipsum illa tunica, propter utili- « tatem sui sanctissimi corporis, tunc oculi mei « statim replebantur lachrymis, et totum cor « meum torquebatur tribulatione et dolore, et

[1] CANT., I, 12. — [2] RUP. AB., *in Cant.* — [3] GEN., XXII, 2. — [4] ALCUIN., int. 204 *in Gen.*

[1] TAUL., s. 19. — [2] *Revelat. S. Brig.*, 8. *Angelico.* — [3] EAD., l. VII, c. 8.

« affligebatur intensa amaritudine, ex eo videlicet, « quod ego bene noveram modum, quo in futu- « rum illa tunica ab eodem Filio meo esset sepa- « randa, scilicet tempore passionis ejus, quando « ipse nudus et innocens a Judæis crucifigeretur. »

## DISCURSUS IV.

### BEATISSIMA VIRGO VARIA HABUIT DOLORIS, ET ANGUSTIÆ MOTIVA.

IDEA SERMONIS. — 1. Adducuntur varia motiva compassionis B. V. — 2. Primum motivum fuit dignitas patientis. Cor B. V. constringebatur triplici funiculo Secundum motivum perversitas Christo innocenti. pœnas inferentium. — 3. Cum Christo condoluerint insensatæ creaturæ, quanto magis S. Mater ejus. — 4. Christus etiam in SS. utero B. V. reperit crucem, — 5. B. V. perfecte cognovit rigorem quo Pater æternus sibi satisfieri volebat a filio suo pro peccatis generis humani. — 6. Dolores B. V. plurimum ex eo aucti fuerunt quod Christus ab omnibus derelictus lamentaretur se a Patre æterno derelictum esse. Dolores B. V. nullam habuerunt admixtam consolationem.

*Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.*
Joan., XIX, 23.

**1**. — S. Antoninus varia, eaque justissima adducit ejus, quam beatissima Virgo Maria erga dolores Unigeniti sui exhibuit, compassionis motiva : « Quorum primum se tenet ex patientis dignitate. « Secundum ex inferentis perversitate. Tertium ex « temporis solemnitate. Quartum ex loci vilitate. « Quintum ex afflictionis universitate. Sextum ex « consustinentis societate. Septimum ex fructus « parcitate. » Ex quibus hoc loco in primis primum considerabimus motivum, scilicet.

**2**. — *Ex patientis dignitate* ; etenim nulla poterat sive in cœlo, sive in terra inveniri, aut excogitari persona dignior, persona ipsiusmet Filii Dei. Unde S. Bernardinus ait : « Captivorum libertas capitur, « gloria Angelorum illuditur, Deus omnium flagel- « latur, candor lucis æternæ, et speculum sine ma- « cula conspuitur ; dolebat de injuriis tanti Filii, « tam Sancti, tam innocentis, sed non minus de « offensa Dei. » Beatus Laurentius Justinianus tres considerat funiculos, quibus mœstissimum cor Virginis adstrictum erat ; ita enim scribit [2] : « Tenebatur funiculo triplici, doloris videlicet, admiratio- « nis et amoris. Dolore equidem, quia præsentis « passionis gladius ipsius transfixerat animam : « verumtamen in corde transverberata gladio, et « mente crucifixa, quo se divertere valebat ? Admi- « ratione autem, cum, quis pendebat, tacita cogi- « tabat. Illum verum Deum esse sciebat, in sui « natura impassibilem, immortalem, invisibilem, « atque beatum. Quoties igitur conferebat in corde « suo, et eundem passibilem et impassibilem, « mortalem et immortalem, visibilem et invisibi- « lem, et miserrimum intelligebat atque beatum, « ultra quam credi possit, admiratione supensa te- « nebatur. Amore vero, quia unicus erat Filius, erat « cunctis formosior, sanctior universis, decoratus « moribus, virtutibus plenus, et gratiarum locuple- « tatione conspicuus. » Optime sciebat, Filium Creatorem suum esse, et Redemptorem tametsi simul creatura esset e virgineis sanguinibus suis progenita. Affligebat quoque ipsam, quod cum Filius ejus ab æterno Patre ei per 33 annos consignatus fuisset in custodiam modo eumdem videre cogeretur inter tot tormenta, et opprobria, in patibulo quodam, summa cum ignominia, in medio duorum latronum, suam terminare vitam ; cum tamen sciret, angelorum hierarchias in cœlis inter se concertare de exhibendis ei summa cum promptitudine obsequiis. Fuit quoque hujus excessivi doloris motivum, infaillibilis, quam de infinita Filii condemnati innocentia habebat, fiducia. Unde Doctor Angelicus in hæc verba scribit [1] : « Dolor augetur ex innocen- « tia, in quantum apprehendit nocumentum illatum « ut magis in debitum secundum illud *Isaiæ*, LVII : *Jus- « tus autem perit, et non est qui recogitet in corde suo.* » Quanto major erat Hebræorum in Christo affligendo, et torquendo lætitia, tanto major Matris erat mœstitia, justiusque lamentum ; utpote cui præ cunctis aliis dignitas et innocentia magis erat perspecta. Regius Psalmista de Josepho, ob adulteræ imposturas, et calumnias incarcerato, et compedibus vincto disserens, ut ejus, utpote innocenter condemnatus, excessivum dolorem exprimeret, inquit [2] : *Ferrum pertransiit animam ejus* : eodem quoque modo justus Simeon Mariæ prædixit : *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit* ; videlicet, ubi viderit illum crucifigi tanquam malefactorem et sceleratum ; hoc enim cordis sui angustias notabiliter adaugebat. « Stabat juxta crucem lachrymis « perfusa, » inquit Lanspergius [3], « toto corde ex « doloribus Filii sauciata : » ubi specialiter observanda sunt verba illa, *toto corde sauciata*. Alii patientes in membris vulnerantur corporalibus, at vero Virgo Deipara in corde suo, et quidem in tota sua latitudine sauciata fuit. Georgius Metropolita Nicodemiensis, auctor antiquus, in sermone VIII de Passione Domini, de Beata Virgine pro eo tempore, quando Filius suus processabatur ad mortem, ita scribit [4] : « Percontabatur, velut utique discendo, « crimen, quidve adversum justum reum decretum « esset. Quænam, inquit, viri causa est, ut hic « peregrinus tentus fuerit ? quodnam impositura est, « ei crimen, cujus nunc reatu tentus est, atque in « judicium actus ? quonam damnatur suffragio ?

[1] S. ANT., p. 4, tit. 15. — [2] B. LAUR. JUSTIN., *de tri. Christi agon.*

[1] S. THOM., 3, p. q. 46, a. 6 ad 5. — [2] *Ps.* CIV, 18. — [3] LANSP., h. 48 *de Pass.* — [4] GEORG. METR. NIC.

« quo ad eum animo feruntur Judices ? quam in « eum proferunt sententiam ? num nullus veniæ « locus ? an omnes indeprecabilem rigorem ostendunt ? His itaque ac similibus percontata verbis, non mollius quidem ut ne deprehenderetur, « miserationis tamen affectu, assensam animo « flammam, qua teneretur, prodebat ; ac partim « quidem compellabatur in publicum proferre, « partim ut suspicionem vitaret, vi comprimebat. « Qua ferebatur mente, videns circumagi ut male« ficum ? quo precor animo videre poterat, nunc « quidem publice damnatum ac flagellis cæsum « nunc autem a militari comprehensum manu, in« numeraque ab eorum malitia sustinentem oppro« bria. » Probe sciebat, quod universus populus multis a Filio suo affectus beneficiis, pleno ore ei antea acclamaverit [1] : *Bene omnia fecit ;* atque ideo incredibiliter affligebatur, videns eorum coram præside Judææ præsentari, velut perniciosum quemdam malefactorem [2] : *Si hic non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Quali existimatis cor ejus oppressum fuisse dolore, quando ex una parte audiens, quod etiam unus ex latronibus, qui crucifixi erant cum eo, Filii sui innocentiam publice in conspectu totius Synagogæ defenderet ; ex altera parte audiit, quod populus ille tot tantisque a Deo honoratus privilegiis (*non fecit taliter omni nationi* [3]. *Facta est Judæa sanctificatio ejus Israel potestas ejus* [4]) nihilominus illum tanta cum impudentia et falsitate calumniaretur blasphemaret, et reum mortis tunc proclamaret, quando ipsemet Pilatus sententiam contra ipsum ferens, eum confitebatur justum esse et innocentem ? Beatus Amadæus in homilia quadam ita scribit [5] : « Tam pro nati morte, quam « pro Judæorum perditione, ineffabili dolore glo« riosæ Virginis pectus urebatur et altissimo pietatis « jaculo confossum, extremas spirabat inter an« gustias. Hausit poculum amarius ipsa morte, « et quod hominum genus ferre non posset, « adjuta divino munere, fœmina valuit sustinere. » Richardus a S. Laurentio in homilia quinta, *de mentis robore,* seu martyrio Beatæ Virginis, in hæc verba scribit [6] : « Ut paulisper omittamus acerbissimam illam de morte Nati mœstitiam, quis explicet, « quo dolore acerbatur B. Virgo, quibus premeba« tur augustiis, cum Propheticis oculis cernebat, « stirpis suæ magna quadam ex parte condemna« tionem, gentis attritionem, casum populi ruinam « patriæ, et illius olim civitatis sanctæ Hierusalem « eversionem. » Et paulo post objectioni cuidam, quæ in contrarium adduci poterat, respondet, dicens : « Ne vero quisquam opponat, Judæos exosos « Dei Genitrici, eo quod Filium suum morte turpis« sima condemnarunt ; quos enim morti æternæ « appropiare videbat, neqnaquam odio suo dignos « existimavit, sed lachrymis multis, et magna mi« seratione. Unde tam particeps charitatis, quam « crucis Jesu, assumpsit orationem pro eis, corde « perfecto paternæ pietatis aures compulsans : « *Pater dimitte illis hanc noxam, quia nesciunt quid* « *faciunt.* Quicunque diligitis Matrem Domini, « advertite, et totis affectum visceribus considerate, « quantum et pro inimicis Unigeniti plangeret mo« rientis. »

**3.** — Efficax quoque argumentum deveniendi in immensi doloris et compassionis Virgineæ notitiam, omnes suggesserunt creaturæ insensatæ, in communis Creatoris sui Passione [1] : « Si quidem « pendente in patibulo Creatore, universa creatura « congemuit. » Quanto igitur magis congemuisse censenda est ipsamet Creatoris vera et indubitata Mater, utpote quæ corpus in quo Redemptor noster patiebatur et torquebatur, subministraverat ? Unde S. Bernardus ait [2] : « Cogitare non licet, quantus « dolor fuerit Matris, cum sic dolebant, quæ insen« sibilia erant. » Simon de Cassia propositionem, et observationem quamdam habet, quæ in pondere Sanctuarii trutinari meretur ; ait enim [3] : « Flebat « uberrime, quod sicut cæteri, oportebat illam re« dimi per crucem, et sanguinem Nati sui. » Idem quoque aliam materni doloris causam non minus considerabilem hisce verbis adducit : « Alia siqui« dem propria, et singularis erat, pro eo quod ad « tanta tormenta carnem præstaverat ipsa passibi« lem, quamvis totius peccati expertem. » Piissimus Taulerus Virginis dolores meditando, his verbis dolentem Deiparam affatur [4] : « Quia Jesum di« lectum Filium tuum, verum quoque noverus « esse Filium Dei, amor tuus ad Divinitatem et « erga Humanitatem dilectio, velut ingentia duo « saxa, cor tuum pœnitus expresserunt, atque le« thalibus coarctarunt augustiis, dum Jesum Dei « Filium in humana natura, e tuis castissimis con« ceptum visceribus, tam horribilibus ac indignis « tractari modis, tamque crudeliter occidi cerneres, « Nimirum hi duo fuere sævissimi mucrones, ani« mam tuam omni dolore crudelius transverbe« rantes. » Et vero ex parte naturæ Divinæ, ra« tione cujus unum erat cum Patre, impassibilis erat. Similiter ex parte animæ, in cujus portione superiori, beatifica fruebatur visione : adeoque consequens erat, ut solum in portione inferior id est, in illa carne, in illo corpore, in membris illis, quæ Mater ei ex sanguinibus suis subministraverat, pateretur et affligeretur.

**4.** — Sancta Mater Ecclesia in Hymno Ambrosiano canit : *Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum.* Ex quibus verbis patet, quod licet uterus Virginalis velut amœnissi-

[1] Marc., vii, 37. — [2] Joan., xix, 30. — [3] *Ps.* cxlvii, 20. — [4] *Ps.* ii, 32. — [5] B. Amad., h. 3. — [6] Richard. a S. Laur., h. 5 *de Mentis robore.*

[1] S. Leo, s. 6 *de Pass.* — [2] S. Bern., *ib.* — [3] Sim. de Cass., l. xiii. — [4] Taul., c. 44 *de Pass.*

mus quidam fuerit Paradisus (*emissiones tuæ Paradisus* [1]) attamen dicere possumus suam quoque ibidem Redemptorem nostrum reperisse crucem; nam ut S. Augustinus ait [2] : « Ad hoc descendit « Christus in uterum Virginis, ut exinde acciperet « membra quæ traderet cruci. » Innocentius III similiter in sermone quodam de Annunciatione ait : « Primus gradus est passibilitas, quam assumpsit. « Ultimus est passio, quam sustinuit. Ad primum « spectant defectus hominis quos suscepit ut pavor, « dolor, fames, et sitis, paupertas, et labor. Ad « ultimum pertinent pœnæ illatæ ab hominibus : « Captus est enim, ligatus, percussus, flagellatus, « irrisus, exprobratus, maledictus, condemnatus, « crucifixus, et lanceatus. » Qui omnes dolores, et tormenta recepta fuerunt in natura humana, Verbo æterno unita; unde Beata Virgo ei dederat, unde pateretur. Ac proinde Eusebius Emissenus Deiparam Virginem his verbis affatur [3] : « Profundendum pro « mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit. » Similiter sciebat Deipara, quod cum anima Filii beata esset, merito quoque corporum gloriosorum dotes, inter quas valde præcipuum locum obtinet impassibilitas, in corpus pariter transfundendas esse ; et tamen easdem per continuum miraculum in parte superiori, præterquam in monte Thabor, mansisse suspensas, idque ut tanto asperius patiendo, majora pro nobis acquireret merita ut copiosa esset apud nos redemptio. Ac proinde affligebatur, quod cum per unicam sanguinis stillam mille mundos *ex toto rigore justitiæ* redimere potuisset, nihilominus integros effundere voluerit sanguinis sui torrentes. Hoc est, quod Taulerus in hæc verba meditatur [4]. « Quando vero ejusdem Filii tui Passio « tanta erat, ut secundum justitiæ rigorem, cuncta « mundi scelera, quæ innumera sunt, et infinita, « suo pondere eam vincere oporteret, ideoque et « ipsa immensa prorsus, et infinita fuit; et quia « dolor tuus illius cruciatibus respondebat, fuit ea- « propter, et crux tua, et afflictio incomprehensi- « bilis, ac immensa, et merita infinita. »

**5.** — Certum est, quod, ut Sancti Patres communiter asserunt, Maria perfectiorem præ cunctis Angelis, aliisque creaturis simul junctis, habuerit gravitatis peccatorum cognitionem; et ideo quia simul perfecte noverat Dei per peccata offensi dignitatem, consequens erat, ut pariter plenissime intelligeret rigorem, quo Pater æternus sibi a Filio suo per Passionem ejus satisfieri volebat; utpote propter quam satisfactionem eumdem Filium in terras miserat : *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum.* Ex alia quoque parte sciebat delicatam complexionem sacrosanctæ illius humanitatis per vigilias, abstinentias, sudorem sanguineum, agoniam, captivitatem, et receptas in eadem injurias, flagella item aliosque innumeros insultus extenuate, adeo ut dicere potuerit [1] : *Nec caro mea ænea est.* S. Antoninus ad idem intentum sequentem tradit doctrinam, dum in persona Beatæ Virginis ita loquitur [2] : « Cum pro quolibet mortali debeatur « pœna infinita, id est, infernalis; nec homo, cum « sit virtutis finitæ, possit per se satisfacere debito « infinito; ut Deo satisfaciat tot offensis, oportet « quod Christus Filius meus, qui infinitus est sua « Divinitate, in Humanitate assumpta patiendo, sic « satisfaceret pro omnibus peccatis nostris, et sic « pœna ejus erit quasi infernalis, et propterea Psal- « mista dicit in ejus persona : *Repleta est. malis « anima mea,* id est, sensitiva, malis scilicet pœna- « rum : *et vita mea inferno appropinquavit*, per si- « miles pœnas, et hoc pro peccatis hominum, *quia « quæ non rapui, tunc exsolvebam*, scilicet in Pas- « sione. »

**6.** — Verum enim vero, quid de dolore ipsius dicemus, quem tunc in anima sua sensit, quando illud Filii sui ad æternum Patrem suum directum lamentum audivit, scilicet : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* ? Etenim jam probe noverat, quod Petrus, qui seipsum nunquam derelicturum esse jactaverat, eumdem nihilominus turpiter negasset, Judas quoque illum tradidisset. Omnes similiter Apostoli probrosa fuga se salvantes, illum deseruissent. Item quod Nicodemus Princeps, aliique Discipuli Christi septuaginta duo se præ timore, et metu Judæorum prodere non fuissent ausi ; quodque *adstiterant Reges terræ, et Principes convenerant in unum adversus Christum ejus.* Demum quod personæ omnis sexus, ætatis, conditionis, et professionis, eum diffamarent, maledicerent, et cruciarent. Quis igitur pro dignitate exprimere poterit dolorem, quem percepit, quando audivit Christum ab omnibus prorsus derelictum, ab æterno quoque Patre suo omni destitutum fuisse solatio ; ut proinde Filius suus lamentari cogeretur, dicendo : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* ? Adhæc, quia Filius ejus, pro dolorum suorum incremento, privare se voluit illa naturæ Divinæ, et gaudiorum animæ beatæ redundantia, quam ad instaurandam fragilitatem suam humanam, in corpus suum transfundere potuisset; hanc eamdem privationem ipsamet quoque Mater experta fuit, ut bene observat idem S. Antoninus, dum ait [3] : « Osten- « ditur magnitudo doloris in Virgine, ex puritate « afflictionis in Filii sui Passione. Puritatem autem « dico, quia non habuit mixturam consolationis : « sicut vinum dicitur purum, quod non habet mix- « turam alterius liquoris. » Et paulo post subdit : « In tanta passione nullam habuit ab alio consola- « tionem, unde dicebat per Prophetam : *Qui me « consolaretur, non inveni.* » Et quidem tametsi

[1] CANT., IV, 13. — [2] S. AUG., s. 10. — [3] EUS. EMISS., h. 2 *de Nat. Dom.* — [4] TAUL., *ib.*

[1] JOB, VII, 12. — [2] S. ANT., § 2. — [3] ID., *ib*

hoc de Filio tantum asseruerit, hæc tamen Filii desolatio, ipsam quoque Matrem inconsolabilem affligebat, quando oculis suis cernebat, quod non consolabantur eum sicut fieri solet morti adjudicatis. Vilissimis namque, infamibus, facinorosis, et reipublicæ perniciosis hominibus, ad mortem condemnatis, quando ad supplicium educuntur, assistere solent homines pii, religiosi, aliique viri prudentes, qui in hoc tam tremendo itinere illos consolantur, benignisque verbis animant, et confortant; imo vinis pretiosis iisdem viribus, et animo prorsus destitutis, refrigerium præstant : cujus contrarium Christo Virginis Filio accidebat. Siquidem omnes certatim ei scelera nunquam ab eo patrata improperabant, deridebant, blasphemabant; imo in siti sua, quam in cruce dolenter insinuabat, fel ipsi et acetum porrigebant : omneque illorum studium ut ipsum ad desperationem provocarent, credentes se tanto acceptius Deo oblaturos esse sacrificium, quanto magis contra ipsum ferociebant. Et inter hæc omnia, quisnam Deiparæ dolor fuerit, et tristitia, quilibet facile dijudicare poterit.

## DISCURSUS V.

AMOR MATERNUS DOLORIS ANGUSTIAS, IN MORTE FILII CONCEPTAS, ADAUXIT; EO NAMQUE MOMENTO EOS EST EXPERTA DOLORES, A QUIBUS IN PARTU EXEMPTA FUERAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Sicut inexplicabilis est amor B. V. in filium suum, sic etiam sunt ejus passiones. Applicatur ad propositum historia N. Test. — 2. Exemplum Job in morte filiorum. — 3. Dolores B. V. comparantur doloribus Jacob lugentis mortem Joseph filii sui. — 4. Quare Abraham celaverit Saram immolationem Isaac. — 5. Dolores B. V. parturientis dilati fuerunt usque ad mortem filii sui. — 6. Dolores B. V. incomparabiliter majores fuerunt doloribus parturientis.

*Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus,*
Joan., XIX, 25.

**1.** — Ad hoc ut condignum de intensissimo Virginis in Passione Filii sui perpesso dolore, formare nobis valeamus conceptum, operæ pretium erit scire, quo usque in ea progressus fuerit; et exarserit amor maternus. Et ideo B. Amadæus, dolorem ejus inexplicabilem, et imperceptibilem fuisse probat, quia nulla unquam inveniri potuit mater, quæ Filium suum magis dilexerit ipsa : « Effugit, » inquit [1], « omnem sensum, humanos nos intellectus « exsuperat concepta de Passione Nati tristitia. « Nulla huc similitudo. Nulla ad tantam mœroris « acerbitatem accedit comparatio. Quæ enim « mater dilexit Filium suum utista? » Porro omnibur notum esse credo illud coram Rege Salomone a duabus matribus habitum litigium, qui, ut quænam occisi pueri vera mater esset, discernere posset, ingeniosum illud invenit stratagema [1]. Jussit enim servos suos *dividere infantem vivum in duas partes, et dare dimidium partem uni, et dimidiam partem alteri. Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus, ad Regem* (*commota quippe sunt viscera ejus super filio suo*) *Obsecro, domine, date illi infantem vivum, et nolite interficere.* Et confestim Rex sapiens ait: *Hæc est mater ejus. Sed ecce plusquam Salomon hic.* Quod si enim illa mater viscera sua sibi interius commoveri sensit, solum audiendo, solum timendo, non vero videndo mortem Filii (*commota sunt quippe viscera ejus super filio suo*) quid de acerbissimis sanctissimæ Matris Christi dicemus doloribus, quæ sub patibulo crucis omnibus tormentis, et agoniæ crucifixi Filii sui personaliter præsens adstitit? *Hæc est vera Mater.* Tertullianus super primum verbum Orationis Dominicæ, scilicet *Pater* scribens, inquit: « Tam pater nemo, » cur igitur similiter de Maria dicere non poterimus : « Tam Mater « nemo? » Omnes alii homines, qui hactenus geniti sunt, et qui deinceps ad finem usque sæculorum generabuntur, filii sunt patris pariter, et matris : At vero in generatione sacrosancti Corporis et Humanitatis Christi, sola Deipara, non vero pater neque vir participium habuit. Ac proinde Lanspergius de Christo ingeniose dicit [2] : « Erat ipsius « solius Filius. Neque enim in terris patrem habuit « Christus sed quidquid utriusque esset parentis, « quod ad naturam pertinet humanam ex sola ac- « cepit Matre, unde quomodo sola genuit Maria sine « viro Christum, ita sola Filii, qui in patrem atque « matrem apud aliorum parentes divisus est, tenuit « amorem. » Ad proportionem autem hujus amoris qui maximus fuit, quam unquam dari possit, adauctus est in ipsa ob tam dilecti pignoris crucifixionem dolor maternus. Etenim tametsi Virgo Deipara perfecte voluntatem suam divinæ voluntati conformatam haberet, atque ipsamet, si id necessitas postulasset, propriis manibus suis, velut alter quidam Abraham, Filium suum pro humana Redemptione in holocaustum offerre parata fuisset, attamen ut bene observat Origenes [3], « ex sua carne « procreatum, non sine doloris affectu potuit videre « crucifigi. » Richardus a S. Laurentio in homilia quadam *de mentis robore, seu martyrio Beatissimæ Virginis* ita scribit [4] : « Quæ enim mater dilexit « filium suum ut ista? non enim fortuito concepit « ut cæteræ mulieres, sed unicus Patris, pia « electione, et gratuita bonitate, Matris visceribus « influxit. Et hoc est, unde magis diligebat. Neque « vero, ut cæteri, offensam in vita sua Matri « retulit, sed gratia gratuitatem infudit, dicente de

[1] B. AMAD., h. 5.

[1] III REG., III, 11.— [2] LANSP., h. 48 *de Pass.*— [3] ORIG., *in Cat. D. Thom.*— [4] RICH. a S. LAUR., *de ment. robor.*

« eo Scriptura : *Qui peccatum non fecit, nec inventus « est dolus de ore ejus.* Item ait de gratia : *Speciosus « forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in la- » biis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* « Hoc est, unde magis diligebat. Eumdem quoque « habuit Deum, quem et Filium, quia *homo natus « est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Et hoc « est unde magis incomparabiliter diligebat : Sola « enim a sæculo meruit habere eumdem Filium, « et Deum. Ergo abyssum abysso invocante, duæ « dilectiones in unam convenerunt, et ex duobus « amoribus factus est amor unus, cum Virgo mater « Filio divinitatis amorem impenderet, et in Deo « amorem Nato exhiberet. Quo igitur magis dili- « gebat plus doluit, et amoris magnitudo attulit « fomenta Passionis. » Taulerns pariter ex materno amore doloris Virginei metitur excessum, dum ait[1] : « Nulla unquam sane genitrix tanto Filium suum « amore complexa est, ut Virgo Beata Unicum « suum nec ulla unquam sic doluit ob Filii discess- « sum, ut ista. » S. Bonaventura qui officium, quod in honorem compassionis, qua Virgo suum prosecuta est Filium ab Ecclesia recitatur composuit, in hymmo ad primas vesperas hæc verba habet[2] : « In cruce dum extenditur, videns mater quod « moritur, nullus dolor amarior, nam nulla proles « charior. » In responsorio primæ lectionis legitur : « Mortem Dei videns quem aluit, nulla mater sic « unquam doluit. Mors Prolis Dei Patris, vita nobis « sit præcibus piæ Matris. » In secundo responsorio pariter dicitur : « Dum videret supplicia prolis « exquisita, torquetur et angustia Mater infinita. »

**2.** — Porro in hoc Mariæ Filio omnes concurrebant conditiones, propter quas filius amore dignissimus existit. Unde S. Bernardinus ait[3] : « In eo « fuerunt omnes conditiones, propter quas mater « diligit Filium, et habuit eas in summo. Erat « quippe Dominus Jesus Christus præ cæteris omnis « potentior, formosior, sapientior, generosior, « atque melior. » Enimvero, quanto thesaurus qui amittitur, est pretiosior, tanto tristitia, qua cor amittentis ob damnum thesauri amissi percellitur, est inconsolabilior. Unde Job (qui mundo per omnia sæcula tanquam speculum, et exemplum patientiæ proponitur) accepto nuntio de subreptis facultatibus, occisisque servis, et armentis : ne minimo quidem edito doloris signo, patientissimus fuit : attamen mox ut audivit[4] : *Filiis tuis et filiabus simul vescentibus, mortui sunt omnes. Tunc scidit vestimenta sua, et tonso capite corruens in terram dixit : Nudus, etc.* Etenim dolor, qui ex damno divitiarum, aliorumque donorum terrenorum percipitur, facile quidem vincitur, at vero quando damnum circa carnem, et sanguinem suorum quis experitur, nullus est qui illud dissimulare queat. Unde Olympiodorus de Jobo ait[1] : « Prolis præcipue « meminit, ut justi naturam exulceret. » Serpens enim astutus, nuntii personam induens artificiose filiorum interitum aperte indicavit, ut vulnus genitoris tanto asperius exacerbaret ; sciebat enim, quod tametsi patientissimus esset, hunc tamen ictum adeo vivaciter esset persensurus, ut sacer textus dicat : *Tonso capite corruit in terram.* Constantior quidem Deipara fuit, *siquidem stabat juxta crucem ;* verumtamen ferrum acutissimum doloris ipsam transfixit, juxta illud Simeonis : *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* S. Paulinus in Epistola quadam ad S. Augustinum ita scribit[2] : « Maternorum viscerum dolore confixa est. »

**3.** — Didacus Stella excessivam Jacob patriarchæ considerat afflictionem, ob nuntium, licet a filiis suis confictum, de Josepho filio suo a bestia quadam devorata. « Amare» inquit[3], « flevit Jacob mor- « tem filii sui Joseph, quando cæteri filii tunicam « sanguine tinctam patri obtulerunt : tamen multo « gravius flevisset, si oculi suis feram illam vidisset « præsentem, quam ipse Jacob dilaniasse filium, et « comedisse existimabat. » S. Antoninus sanctissimam Deiparam dolentem, hisce verbis repræsentat loquentem[4] : « Et si præsens fui, et juxta crucem « steti et hoc totum ad augmentum doloris. Quæ « enim mater quæ habens filium præsentem, etiam « in tormentis, non valeat aliquo modo consolari, « et potum porrigere sitienti ? Ecce Filius meus ad « mortem sitit, nec stillam aquæ possum præbere, « sed illi offertur in mea præsentia acetum et fel. « Vulnera video, nec possum alligare. Sanguinem « effluere, nec possum extergere. Caput ex grava- « mine inclinatum, nec valeo illud brachiis sus- « tentare a me remotum. » De sancta Machabæorum matre ita scribit S. Augustinus[5] : « Isti singuli « in se sentiendo, illa videndo in omnibus passa « est. Facta mater septem martyrum septies mar- « tyr. A filiis non separata spectando, et filiis addita « moriendo. Videbat omnes, amabat omnes. Fere- « bat in oculis, quod in carne omnes. » Numquid igitur de sanctissima Deipara compatiente multo magis dicere poterimus : « Ferebat in corde, quod Filius « in carne. Videbat eum amabat eum? » Non est dubium quin ut Filium a tot doloribus eximere posset, sæpius a Deo loco Flii crucifigi petierit, in hæc vel similia verba fortasse prorumpens[6] : « O si furentes « illi canes, suam in me crudelitatem evomere « vellent, tantum ut tu illæsus abires ! »

**4.** — Abraham post impositum sibi, filium suum unigenitum Isaac sacrificandi[7], præceptum; licet non fuisset jussus properare, nihilominus *de nocte con-*

[1] TAUL., c. 44 *de Pass.* — [2] S. BON., t. VI *in Offic. de Compass. B. M.* — [3] S. BERN., s. 2, a. 1, c. 3. — [4] JOB, I, 18.

[1] OLYMPIOD., *ib.* — [2] S. AUG., t. II, ép. 55. — [3] DID. STELLA, *in Luc.* — [4] S. ANTON., p. 4. tit. 15, c. 41, § 2. — [5] S. AUG., s. 109 *in Append. de divers.* — [6] TAUL. *ib.*, c. 19. — [7] GEN., XXII, 3.

*surgens viam ingressus est* incognitam. At vero cur non expectavit auroram? Cur ad minus conjugem suam, et matrem filii de suo Isaac filium sacrificandi proposito, certiorem non fecit? In promptu est responsio. Nimirum illam hac cordis augustia affligere noluit, ideoque impositum sibi præceptum illam celavit. Non vero sic dolentissimæ Deiparæ accidit, cui per triginta trium annorum spatium æterni patris voluntas nota fuit, qua decrevit, ut Christus Filius ejus adimpleret figuram Isaaci, in cruento crucis sacrificio. Et ideo illi sacrificio præsens asistere voluit (*Stabat juxta crucem Jesu mater ejus.*) B. Virgo S. Anselmo dixit[1] : « quod « Christo captivo abducto venerunt discipuli cur- « rentes et lacrymabiliter clamantes : O charissima « Domina, dilectus Filius tuus magister noster » captus est, et nescimus quo ducatur, vel quid fiat « ei. » Quam cum S. Archiepiscopus interrogasset : « Flevisti tunc, o Domina? » Ipsa respondit : « Licet « scirem, quod genus humanum redimere deberet, « tamen propter maternum affectum doloris gladius « animam meam pertransivit. »

**5.** — Regius Psaltes de B. Virgine Maria in spiritu prophetico prædixit[2] : *Ibi doloris ut parturientis* Sancta quoque Ecclesia in ejusdem Virginis laudem ita canit : « Peperit sine dolore Salvatorem sæcu- « lorum. » Hosce enim dolores usque in mortem Filii experiendos distulit. Unde Lanspergius ait[6] : « Voluit illam Dominus in hac sua crucis passione « secum habere, ut a dolore, a quo illam fecerat in « partu immunem, et a pœna, a qua servaturus « erat illam in morte illæsam (unde dormisse potius « dicitur, quam mortua esse, absque tamen mortis « pœna gustata) nunc sub cruce Filii, et partus « dolorem, et mortis pœnam gustaret. » Hanc eamdem considerationem plures quoque alii habent prout ex sequentibus patet testimoniis. Dionysius enim Carthusianus auctoritatem citat Joannis Damasceni, dicendo[4] : « Vis doloris omnino absorbuit ani- « mam ejus, propter quod asserit Damascenus « quod dolor parturientis fuerit tunc duplicatus in « ea. » Verba autem Damasceni sunt sequentia[5] : « Quas in partu dolores effugerat, passionis tem- « pore sustinuit, ut quæ præ materno suo affectu « viscera sibi lacerari senserit, et dum eum quem « Deum gigendo noverat, ut sontem ac facinorosum « morte affici conspiceret, intimis cogitationibus « tanquam gladio discerperetur; atque ita intelli- « gendum est illud : *Tuam ipsius animam doloris* « *gladius pertransibit.* » In sacris canticis dicitur : *Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua* : Hebræus legit : *Ibi peperit te mater tua, ibi parturivit te genitrix tua,* Porro beata Virgo opera Spiritus Sancti in virgineis visceribus suis verbum conceperat, eique sine culpa etiam originali, corpus ministrarat; ac proinde justum erat, ut a communi aliarum matrum maledictione ; *In dolore paries, etc.* libera evaderet. At vero ut S. Bernardus bene advertit dicens[1] : Nunc « solvis Virgo cum usura, quod in partu non « habuisti a natura dolorem pariendo Filium, non « sensisti, quem millies replicatum Filio moriente « passa fuisti. » Rupertus Abbas super Joannem scribens, interrogat[2] : « Quo jure discipulus, *quem* « *diligebat Jesus,* Matris Domini Filius, vel ipsa « Mater ejus est? » Et respondet : « Eo videlicet, « quia salutis omnium causam et tunc sine dolore « peperit quando Deum hominem factum de carne « sua genuit, et nunc magno dolore parturiebat, « quando (ut prædictum est) juxta crucem ejus « stabat. Si enim Apostolos suos in illa hora suæ « Passionis Dominus mulieri parturienti recte com- « paravit dicens : *Mulier cum parit tristitiam habet* « *quia venit hora ejus ; cum autem peperit puerum,* « *jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia* « *natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc* « *tristitiam habebitis, iterum autem videbo vos, et* « *gaudebit cor vestrum.* Quanto magis mulierem « hanc, stantem juxta crucem suam, mulieri partu- « rientem talem, talis Filius recte similem duxit? « Quid autem dico, similem, cum vere sit mulier, « et vere mater, et veros habeat in illa hora partus « sui dolores? Non enim habuit hæc mulier hanc « pœnam, ut in dolore pareret, sicut cæteræ mu- « lieres, quando infans sibi natus est, sed nunc « dolet, cruciatur, et tristitiam habet; quia venit « hora ejus, illa videlicet hora, propter quam de « spiritu Sancto concepit, propter quam gravida « facta est, propter quam completi sunt dies ut « pareret. »

**6.** — Advertendum tamen est, quod assignata similitudo parturientis, casum nostrum non perfecte adæquet, quia subest ratio, ob quam parturientibus dolores partus tolerabiliores efficiuntur, dicit enim sacer textus : *Cum peperit puerum, jam non meminit preseuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Et ideo matres in doloribus partus non modicam inde hauriunt consolationem, quod mox edituræ sint in lucem filium, sive hominem. Dolor autem Mariæ sub cruce stantis, incredibiliter angebatur, siquidem videbat, quod Filium suum tunc non solum in lucem non ederet, quin potius in cruce moriens agonizaret, et exspiraret ille, qui cunctis hominibus et Angelis simul junctis præponderabat. Neque solum Filium suum conspiciebat moribundum, verum etiam inter medios lictorum enses, in medio duorum latronum, tanta cum ignominia, et crudelitate crucifixum, atque ab omnibus pro maledicto habitum. Verisimile est,

[1] S. Ans., dial. *de Pass.* — [2] *Ps.* XLII, 7. — [3] Lansp., 6 *de Pass.* — [4] Dion. Carth., *in Joan.* — [5] S. Joan. ., l. IV *Orth. fid.* — [6] Cant., VIII, 5.

[1] S. Bern., *in Lam. B. V.* — [2] Rupert. Abb., l. XV *in Joan.* — [3] Joann., XVI, 21.

prout S. Ephrem contemplatur, B. Virginem sæpius in hosce vel similes prorupisse affectus [1] : « Tu mihi » jam crux sanctissima, lignumque benedictum, « decumbe, ut dilectissimi Filii mei, ac Dei me « plagas exosculer, ut Filii mei corpus conplectar: De- « cumbe crux veneranda, decumbe, Eximia, o crux. « tua est gloria, magna tua gratia, immensaque « vis tua, atque potentia. » S. Antoninus quoque de Virgine Matre in hæc verba meditatur [2]: « Dolo- « ribus quasi defecta, ait ad crucem, ut pie credi « potest : Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera, « et rigor lentescat, etc. Ad Filium autem : Mihi non « loqueris? Pro Judæis intercedis, latronem conso- « laris, et mihi non loqueris? Ad quam ille ; *Ecce* « *Filius tuus.* »

## DISCURSUS VI.

CUM AMOR RECIPROCUS, QUO MATER ET FILIUS SE MUTUO DILIGEBANT, VERA SIT MENSURA DOLORIS, DOLOR UTIQUE IN AMBOBUS MIRE ADAUCTUS FUIT, UTROQUE INGENTI ALTERUM DOLORE AFFLIGENTE.

IDEA SERMONIS. — 1. In notitiam vehementis doloris B. V. pervenitur per notitiam vehementissimi amoris erga dilectum suum. — 2. B. V. appellatur fons amoris propter immensitatem amoris quo ferebatur in filium suum. — 3. B. V. non solum pia mensura amoris, sed etiam perfectæ cognitionis divinitatis filii sui, affligebatur de ipsius tormentis. — 4. Secundum proportionem mutui amoris B. V. et filii sui, etiam crevit mutuus dolor et tormentum. — 5. Dolentissima Mater Christo, crucem bajulanti obviam facta, auxit ipsius angores et dolores. — 6. Christus in cruce singularem habuit curam matris suæ.

*Stabat juxta crucem Jesu mater ejus.* Joan., XIX, 25

**1.** — Videmus per experientiam, quod aqua in canalibus reclusa, tantundem ascendat sursum, quantum deorsum descendit. Dolores autem Passionis Redemptoris nostri in Scriptura sacra aquis assimilantur [3] (*intraverunt aquæ usque ad animam meam*) et ideo si in notitiam acerbissimi doloris, a Deipara in morte Filii perpessi, devenire volumus, necessum est, ut præcognoscamus, quam vehemens fuerit dilectio, qui ipsum amavit : nam ut S. Bernardinus ait [4] : « Secundum intensionem amoris, « intensio est doloris. » Unde quanto Judæi apud S. Joannem cap. XI, Christum juxta Lazari sepulchrum viderunt dolentem, lachrymantem, frementem, hanc inde mox deduxerunt consequentiam : *Ecce quomodo amabat eum.* Unde idem S. Bernadinus subjungit : « Judæi comprehenderunt erga Lazarum « amorem Christi, ex dolore et fletu. Unde et dixe- « runt de illo : *Ecce quomodo amabat eum.* Sed Chris- « tus a Matre sua summe fuit dilectus, igitur sub- » tractio sua summa fuit ei amaritudo. » S. Antoninus quoque ait [1]: « Dolor fundatur in amore, tanto » enim quis dolet de amissione, vel læsione alicujus « rei, quanto ipsum plus diligit : et quia summe « diligebat Mater Virgo Filium, dilectione naturali, « et gratuita, et quia Filius, et quia optimus, ut « dici posset utriusque una anima, et unum cor, « ideo bene dictum fuit a Simeone : *Tuam ipsius* « *animam*, id est, animam tuam, quæ est quasi « anima ejus, propter summam ad invicem dilec- « tionem *pertransibit gladius* afflictionis. Pertran- « sibit, id est, per totum transibit, absque refrigerii « admixtione. » S. Augustinus similiter dolorem juxta mensuram amoris adaugeri asserit, unde de personis charioribus, sibique vel amorem vel per amorem vel per sanguinem proximus conjunctis inquit [2] : Ex earum amissione tantum necessa est « urat dolor quantum hæserat amor. « Taulerus argumentum quoddam efformat quod quam vehemens Matris erga Filium fuerit compassio, egregie exprimit. Ita enim scribit [3] : « Quia « dolor omnis, et compassio ex amore nascens pro « amoris modo magnus est : amor autem tuus « modum excessit idcirco et dolor immensus « fuit » B. Amaudæus in homilia quadam de « Virgine dolorosa ita scribit [4]: « Torquebatur « magis, quam si torqueretur ex se, quoniam supra « se incomparabiliter diligebat id, unde dolebat. » Lanspergius in homilia quadam dolorem maternum ex pondere amoris in hæc verba trutinat [5] : « Quo- « modo multum amavit, ita pro Christo etiam « multum doluit, amori enim respondet dolor, ut « quantum amaveris, tantum etiam pro dilecto, si « patiatur, doleat dolor enim compassionis ex « amore nascitur, et juxta amoris magnitudinem « est moriendus. Itaque quanto Jesus Matri fuit « charior, tanto videntis eum in pœnis maxime « afflictum, dolor ejus quoque erat major. »

**2.** — In hymno, *Stabat Mater dolorosa*, quem sancta Ecclesia Mariæ sub cruce stanti adaptat, ita canimus : « Eia mater, fons amoris. » At vero quodnam in eo latet mysterium, quod Ecclesia matrem quamdam in extremis doloribus, et afflictionibus positam, sub hoc titulo fontis amoris invocet : « Eia mater fons amoris. » Respondetur, quod ad exprimendam doloris sui immensitatem, sufficiebat, Matrem Christi patientis simul appellari tontem amoris, et dilectionis, quia juxta mensuram affectus, quo ferimur in objectum a nobis dilectum, et doloribus suppositum, crescit quoque, et augetur dolor, ex dilecti tormentis conceptus. Scitisne, quonam titulo ipsamet Beata Virgo sese indigitet [6]: *Ego*, inquit, *Mater pulchræ dilectionis.* David Rex vehementiam doloris, ex infelici Jonathæ morte concepti, exprimere volens, inquit [7]:

[1] S. EPHR., *de Pass.* — [2] S. ANTON., *ib.* — [3] *Ps.* LXVI, 2. — [4] S. BERN., t. III, s. 2, a. 1.

[1] S. ANT., p. 4, tit. 15. — [2] S. AUG., *de Civ. Dei.* — [3] TAUL., *de Pass.* — [4] B. AMAD., h. 5. — [5] LANSP., h. 48 *de Pass.* — [6] ECCL., XXIV, 24. — [7] II REG., I, 26.

*Doleo super te, frater mi Jonatha, decorus nimis, et amabilis super amorem mulierum; sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* Richardus a S. Laurentio ardentissimi amoris Mariæ rationem his verbis assignat[1] : « Quanto magis Deo, qui ignis « est, proximavit, tanto magis inflammata est cha- « ritate, quia Deus charitas est ; » idque probat ex testimonio S. Joannis in Epistola prima, cap. IV, subditque auctoritatem S. Bernardi dicentis : « Maria « quia plus omnibus dilexit singulare miraculum Deus « Pater in ea perpetravit ; ideo etiam dicit ipsa Canti- « corum cap. V : *Anima mea liquefacta est* per incen- « dium charitatis, sicut metalla liquefiunt per vehe- « mentiam ignis. » S. Bonaventura a S. Augustino directus, ita scribit[2] : « Omnes affectiones radi- « cantur in amore, et quia suus amor ad Filium « fuit incomparabilis amori aliorum, ideo dolor ejus « est quasi incomparabilis. » Lanspergius nonnulla in medium adducit motiva, ob quæ sanctissima Virgo, supra omnem humanam capacitatem, suum dilexerit Filium ; ait enim[3] : « Plus omnibus reliquis « matribus suum unigenitum dilexit ; nulla enim « creatura suum potest tam diligere Creatorem, « nulla suum Deum, nulla mater suum filium, quam « dilexit piissima Mater suum Natum. Multis enim « rationibus plus aliis matribus dilexit, quia plures « diligendi, quam reliquæ, occasiones habuit ; nam « et si de amore sit naturali loquendum, cogebatur « Jesum diligere majori amoris gradu, quam reli- « quæ matres suas amant proles, erat enim hic uni- « genitus. » S. Bernardinus aliam suggerit rationem, inquiens[4] : « Quo majus est gaudium de alicujus « præsentia, eo major est dolor de ejus absentia ; « sed constat, quod Christi præsentia Matri suæ fuit « summe gaudiosa : dicit enim Anselmus de ortu « Virginis : Quo vel gaudio replebatur anima ejus, « quando eum, quem toto corde diligebat, quem « Creatorem, et Dominatorem esse omnium rerum « sciebat, secum habebat, quis capiet ? »

**3.** — Neque solum Beata Virgo interius, ob tormenta, et improperia Filio suo illata, affligebatur juxta mensuram amoris, quo suum prosequebatur Filium ; verum etiam juxta proportionem perfectissimæ notitiæ, et cognitionis, quam de infinita ejus divinitate habebat : « Dilexit ipsum Deum, et Crea- « torem suum, » inquit Lanspergius[5], « eoque id « vehementiore amore, quo præ aliis omnibus fide- « lissima atque certissima illum agnovit. Dilexit « eum benefactorem maximum : adeo enim mira- « bilia, et magna ab eo recepit, adeo singulari dig- « nitate, honore, et officio (utpote Dei Mater) ab « eodem exaltata est, ut ipsa quoque ejusdem be- « neficiis victa, in suo diceret Cantico : *Beatam me « dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna « qui potens est.* »

**4.** — Porro ex quo ab hoc excessivo Matris amore dolor quoque proportionalis processerit, hicque tam Matri, quam Filio communis fuerit, sequitur omnino, ambos hanc amoris reciproci flammam in majorem quoque reciprocum dolorem, et tormentum sibi adauxisse ; unde S. Bonaventura in Officio de hoc mysterio a se composito ait[1] : « Est utrius- « que compassio, nam præcessit summa utriusque « dilectio. » S. Joannes Damascenus inquit[2] : « Sed « forte quis dicat : numquid eum præscierat mori- « turum ? et indubitanter. Numquid non sperabat « continuo resurrecturum ? et fidenter. Super hæc « doluit crucifixum ? et vehementer. Alioquin quis- « nam tu frater, aut unde tibi hæc sapientia, ut « mireris plus Mariam compatientem, quam Mariæ « Filium patientem ? » Et paulo post subdit : « Fe- « cit illud charitas, qua majorem nemo habuit : « fecit et hoc charitas, cui post illam similis altera « non fuit. » S. Bernardinus Senensis hac de re ita scribit[3] : « Iste modus amantium est, velle pro in- « vicem mori. Nec dubium hoc erat amoris in Vir- « gine benedicta signum, ut infinities, si fieri « potuisset, se morti pro Filio tradidisset. Si enim « hoc voluit David pro filio suo, quanto magis hæc « pro suo ? Ut magis conveniat ei vox illa II, Reg., « XVIII : *Quis mihi det, ut ego moriar pro te, fili mi ?* « quippe quasi animam suam diligebat eum. » Lanspergius inquit[4] : « Se mutuo maxime amantem « redamavit : natura enim hoc habet universa, ut « amantes redamemus, atque eos qui vehementius « atque fidelius nos amant, fidelius amemus. Scivit « Beatissima Maria, nec incompertum illi erat, præ « hominibus cunctis, qui supra terram erant, a « Christo se amari. » Dionysius Carthusianus hoc compassionis maternæ mysterium, ad pedem Crucis peractum, narraturus, ita scribit[5] : « Ait Evange- « lista de mutua compassione Christi Filii Dei ejus- « que Genitricis, quæ tanto intimior erat, cordia- « lior, atque pœnosior, quanto ferventior erat « amor unius ad alium. Certum autem, quod in- « comparabili dilectione amaverunt se mutuo ultra « omnem æstimationem. » Hujus porro excessivi amoris S. Bernardinus assignat rationem[6] : quia videlicet « similitudo dilectionis causa est ; cum « igitur Christus Beatæ Virginis simillimus fue- « rit, quia totus de substantia Matris genitus erat, « propterea ab ea fuit summe dilectus. » B. Lau- rentius Justinianus, reciprocum Matris erga Filium affectum sequentibus verbis egregie exponit[7] : « Fi- « lius non minus de materno, quam de proprio « urgebatur dolore. Noverat Genitricis afflictionem

[1] RICH. A S. LAUR., *de Laud. Virg.* — [2] S. BONAV., *in Joan.* — [3] LANSP., *ib.* — [4] S. BERN., *ib.*, c. 4. — [5] LAN., *ibid.*

[1] S. BON., *in Offic. div. Compunct.* — [2] S. JOAN. DAM., l. IV *Orth. fid.* — [3] S. BERN., *ib.* a. 2. — [4] LANSP., *ib.* — [5] DION. CARTH., *in Joan.* — [6] S. BERN., *ib.*, a. 1, c. 3. — [7] S. LAUR. JUST., *de Triumph. Christi ag.*

« noverat innocentiam : proinde sicut de mœstitia, « ita de Matris sanctitate fatigabatur quæ pro tali « pœna dignum nil egerat. Nempe ambo in passio- « nis se exercebant palestra. Ad cor Virginis loque- « batur Verbum, dicens : Ut quid venisti columba « mea formosa mea, immaculata mea ? Mater mea, « dolor tuus meum auget, cruciatus tuus transfigit « cor meum. »

**5.** — Isaias Propheta interrogatat [1] : *Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes* ? Et vero quis est, qui nesciat, quod licet divinus hic Athlas, in horto Gethsemani, propter sudorem sanguineum, et agoniam, mire debilitatus fuerit, ac ex longo itinere, in quo tot verberibus, et injuriis fuit divexatus ; nihilominus crudelem in prætorio Pilati flagellationem, in qua toto corpore laceratus, tantum sanguinem effudit, invicto, et robusto animo sustinuerit ? Similiter humeris suis ponderosissimum Crucis lignum impositum fuit, et tamen vigorosus ad montem Golgotha processit. At vero quando dolentissimam suam Matrem sibi obviam habuit omnem animi vigorem amisit, prouti ex S. Bernardino superius vidimus [2] : postquam enim dolores suos sibi ad invicem communicassent, Redemptor noster ob virium defectum, Simonis Cyrenæi auxilio opus habuit ; unde verisimile est, quod Matri suæ, quam summe diligebat, dixerit : « Dolor tuus meum auget. » S. Bonaventura *in stimulo divini amoris*, hac de re ita scribit [3] : « Ag- « gravabat eum non tantum pœnæ illatio et nostra « ingratitudo, sed et assistentis Matris afflictio, « quam sic diligebat, et quasi deficere præ compas- « sionis dolore videbatur. Ibi Filius crucifigebatur « cum Matre, et propter mutuam et intensam dilec- « tionem ex compassione mutua erat nimia afflictio « utriusque, et maxime cum pro invicem paterentur. « Sciebat Mater, quod Filius patiebatur pro ipsa, « sicut pro reliquis redimendis : sciebat Filius, et « certissime scrutabatur, quod suus gladius ex « compassione Matris animam pertransibat ; unde « passio Filii erat passio Matris. » Porro dolores, et consequenter merita Redemptoris, per intensos Matris dolores, ad ingens nostrum adaucta fuere beneficium, prout Salmeron, rationem reddens, cur Christus Matrem suam sub cruce stantem habere voluerit, sequentibus verbis insinuat [5] : « Ut in alia « præsente, et dolores Filii spectante, gravius « pateretur, non tantum in se, sed et in amantissima « Matre. Et Virgo non solum in seipsa, sed et in « Filio suo charissimo cruciaretur. »

**6.** — Enim vero ardentissimo Deiperæ amori Filius egregie correspondit, ejus sibi vendicando specialissimam curam, et sollicitudinem, qua eamdem dilecto discipulo suo recommandavit. Unde Guerricus Abbas ait [1] : « Merito igitur ibi Mater « agnita est, et cura ipsius idoneo tutori delegata « est, ubi maxime probata est, et Matris ad Filium « sincera charitas, et Filii de Matre vera humanitas. « Nam alias velut dissimulasse Matrem visus est, « sive cum in nuptiis flagitanti miraculum, ait : « *Quid mihi et tibi mulier* ? sive cum in mediis « sermonibus Evangelii, dicenti cuidam : *Ecce* « *Mater tua, et fratres tui foris stant, quærentes te* : « *Quæ est*, inquit, *Mater mea*, sed et Matri, cum « miraculum posceret, sic respondendum erat, ut « aliunde, quam a Matre, se miracula patrandi « facultatem habere, significaret. » Porro Christus sub Cruce affectum pariter, et reverentiam erga Matrem egregie exhibuit ; prout bene advertit Ludolphus Carthusiamus inquiens [2] : « Hoc tertium « verbum Christi fuit maximæ sollicitudinis, et pie- « tatis, eo quod in tantis doloribus constitutus, « Matris mæstissimæ curam gessit, et ei de ministro « providit ; in quo docuit nos compati parentibus « nostris afflictis, et in necessitatibus subvenire, ac « eis, quando indigent, curam et debitum ob- « sequium impendere. » Et quidem bene observandum est, quod licet Evangelista aliarum quoque Mariarum mentionem faciat, Christo in Monte Calvariæ proxime assistentium ; Redemptor tamen noster nulli harum vel minimum verbum dixerit : cujus D. Chrysostomus rationem reddens, inquit [3] : « Cum aliæ mulieres adstarent, nullius meminit « nisi Matris, docens nos, plus aliquid matribus « præbere. Sicut enim parentes circa spiritualia « adversantes, neque nosse oportet : ita quando « nihil impediunt, omnia decet eis præbere, et aliis « præferre. » Lanspergius inquit [4] : « Linguam « habuit liberam solam et oculos Jesus et utrumque « in obsequium atque ministerium Matris con- « vertit. »

[1] Isa., XL, 12. — [2] S. Bern., t. I, s. 65, a. 4, c. 2. — [3] S. Bon., *Stim. div. amor.* — [5] Salm., *ib.*

## DISCURSUS VII

### DEIPARA OMNES FILII SUI DOLORES IN PERSONA SUA PROPRIA PARTICIPAVIT

IDEA SERMONIS. — 1. Ex summa sympathia naturarum B. V. omnes Christi sensit dolores. — 2. B. V. vocatur cruciformis. — 3. Anima Virginis plus fuit in Christo, quem unice amabat, quam in ipsa. — 4. Cor B. V. erat in Christo crucifixo, suo thesauro.

*Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* Joan., XIX, 25.

**1.** — S. Antoninus, de doloribus a Virgine Deipara in passione Filii sui toleratis disserens, ita scribit [5] : « Nullus fuit in Cruce cum Christo, susti- « nendo scilicet tantam pœnam, quantam ipsa : sed

[1] Guerr. Ab., s. 4 *de Assumpt.* — [2] Lud. Cart., c. 63. — [3] S. Chrys., h. 84 *in Joan.* — [4] Lansp., *ibid.* — [5] S. Anton., p. 4, tit. 15.

« nec Paulus ; quamvis enim dicat ; *Crucifixus sum,* « non tamen dicit, quod sit affixus Cruci Christi, « sed suæ : quis enim ferre posset crucem Christi? « certe nullus. Omnes igitur Sancti juxta crucem « stant, propinquius ad eam Mater ejus ; et merito, « cum esset illud corpus de ejus substantia, licet « alia persona ab ea : permaxime igitur stabat « juxta crucem Mater ejus, propinquissima in dolo- « ribus, ut posset dicere illud *Thren.* : *O vos omnes « qui transitis per viam,* scilicet vitæ præsentis, « *attendite, si est dolor sicut dolor meus.*» Ubi consi- derationem merentur verba illa : « Cum esset illud « corpus de ejus substantia ; » hoc enim S. Augus- tinus confirmat, dicens [1] : « Caro Christi, càro est « Mariæ. » Subdit vero paulo post idem S. Augusti- nus : « Quamvis gloria resurrectionis, fuerit magni- « ficata, eadem tamen mansit, quæ suscepta est de « Maria. » Suarez inter alios, per rationes admodum ponderosas probat, eandem Humanitatem, quam Mater Christo filio suo subministravit, a colore natu- rali minime fuisse dispersam, sed semper eamdem omnino continuatam fuisse : « Nunquam fuisse « omnino dimissam, » inquit, « aut continua caloris « naturalis actione solutam ; sed eandem omnino « fuisse semper conservatam, et Verbo Dei uni- « tam. » Qua veritate supposita, quid mirum est, si Mater in membris Filii simul fuerit transfixa ? « Considera filia Passionem Filii mei » inquit Sanc- tissima Deipara ad S. Brigittam [2] « cujus membra « fuerunt mihi quasi membra mea, et quasi cor « meum : nam sicut alii filii in visceribus matris « solent esse, sic fuit in me ; sed ipse conceptus est « ex ferventi charitate divinæ dilectionis, alii autem « ex concupiscentia carnis. Ipse erat mihi quasi cor « meum : cum pateretur, sensi quod cor meum « patiebatur. » In eadem vero Revelatione eadem Sanctissima Virgo clarius subjungit : « Sicut illud « quod dimidium est extra, et dimidium intra, et « si illud pungitur, quod est extra, æque sentit dolo- « rem quod intus est : sic ego cum flagellabatur, et « pungeretur Filius meus, quasi cor meum flagel- « labatur. » S. Bonaventura Mariam Virginem interrogat, dicens : « Ubi stabas ? nunquid tantum « juxta Crucem ? imo certe in Cruce cum Filio, ibi « crucifixa eras secum. » De ipsa namque verifica- batur illud : *Erunt duo in carne una* : poterat namque Mater dicere : *Os ex ossibus meis, et caro de carne mea,* quia in generationem Filii sui nulla alia crea- tura concurrerat, quemadmodum in aliis contingit. Quid igitur mirum, si inter ipsos talis fuerit relatio, et sympathia, ut quod patiebatur unus, pateretur et alter ? Devotus quiquam Auctor hac de re ita scribit : « Summa fuit inter Christum, et Mariam sympa- « thia naturarum, complexionum, morum propen- « sionum, et voluntatum conjunctio : consequenter « eximia quædam dolorum communicatio. Quod « igitur pro salute nostra Christus in corpore suo « de condigno, et ex omni æquitate, et rigore jus- « titiæ Patri satisfaciens patiebatur, hoc Maria de « congruo, impetratorio, ut vocant, merito, procu- « rabat. » Richardus a S. Laurentio in Homilia quadam *de mentis robore, seu Martyrio Beatissimæ Virginis* de hac sympathia ita scribit [3] : « Pallidus « vultus Jesu exsanguem reddidit vultum Genitricis. « Ille carne, illa corde passa est. » Et in alio quodam operum suorum loco inquit [3] : « Notandum, quod in « passione, et Mater Filio, et Matri Filius, quasi « relative compatiebantur. Unde dicit B. Augus- « tinus, loquens ad Christum : Foderis Domine « clavis aspere extra, asperius intra ex compas- « sione Virginis Matris, tecum hoc omnia partici- « pantis ; patiente siquidem Filio, potuit de Matre « verissime dici illud Isaiæ : Vere dolores ejus ipsa « tulit, et languores ejus ipsa portavit, scilicet per « compassionem. » S. Bernardinus in sermone « quodam, textum illum observat S. Joannis : *Stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus.* Et subdit [3] : « Parum dixisti, o Evangelista : perfectis auribus « aliquid majus dicere potuisti. *Stabat,* inquis, « *juxta crucem Jesu Mater ejus,* cum in ipsa Cruce « penderet, vel ei plus utique debes, quam reliquis, « de quibus dicis : *Et Maria Cleophæ, et Maria « Magdalenæ* : omnino illa plus ad crucem appro- « pinquabat, quam quicunque alii, quia non solum « juxta crucem stabat, verum etiam cruce pendebat, « de se enim in se nihil remanserat ; tota commi- « graverat in dilectum. » S. Bonaventura postquam *in stimulo divini amoris* dixisset : « Cum Filio ibi cru- « cifixa eras secum, » mox subjungit [3] : « Sed hoc « distat : Quia ipsa in corporo, tu autem in corde.» Taulerus sanctissimam Virginem his verbis affatur [3] : « Id quidem maxime exaggeravit dolores passionis « tuæ, quod non modo in corpore tuo, sed etiam, « in materno corde crucifixus eras, quando et illius « crux tua erat, et tua vicissim illius. » Idem in alio loco B. Virginem, priusquam juxta crucem staret, dolorosam, et transfixam fuisse considerans, ita scribit [5] : « Licet corporaliter nec dum adesses Filio « tuo, hoc ipsum tamen, quod eum pati sciebas, « ideo scidit cor tuum, ac si ipsamet in tuo fuisses « passa corpore ; ipsumque cor tuum, velut in « ardenti fornace intra te torrebatur, liquescebat, « exardescebatque præ amore ferventissimo, et « devastante flamma afflictionis, et crucis. »

**2.** — S. Epiphanius non sine magna emphasi sanctissimam Virginem nobili titulo condecorat, dum eam *cruciformem* appellat [7], quasi inter ipsam, et crucem magnam esse uniformitatem, nec unam

[1] S. AUGUST., c. *de Assumpt. Virg.* — [2] *Revelat. S. Brig.*, l. I, c. 95.

[1] RICH. A S. LAUR., h. 5 *de mentis robore.* — [2] ID., *de laud. Virg.* — [3] S. BERE. SEN., t. I, s. 55, a. 1, 2. — [4] S. BON., *Stim. amor.* — [5] TAULER., c. 43. — [6] ID., 19. — [7] S. EPIPH., *de laud. Virg.*

ab alia condistingui posse, asserere vellet. Simon de Cassia hanc inter dolores Matris, et Filii conformitatem, sequentibus verbis pariter indicat [1]. « Erat « sui Filii per omnia, et super omnes conscia pas- « sioni, ut pro corpore torqueretur. » Idem aliud quoddam in medium adducit notabile punctum; ait enim : « In directione Spiritus Sancti, et Ange- « lorum custodia flebat, ejulabat, dabatque singul- « tus amaros, et pœnam hujus affixi deplorabat, et « causam; et videbat, quod non ex transfuso semine, « quod non erat, non ex Deo, quia impassibilis « erat, sed ex carne duntaxat quam ex ipsa susce- « perat, patiebatur Natus. » Unde lamentabatur, se causam esse, cur Filius in corpore ex ipsa suscepto pateretur.

**3.** — Axioma est ab omnibus receptum, quod amor vehemens, cor et affectum amantis in objectum amotum transformet, et convertat, quia ut habet trita illa S. Augustini sententia : *Anima magis est ubi amat, quam ubi animat.* Quis autem est, qui nesciat, qualis, et quantus fuerit immensus ille Matris, erga tam dignum, et amabilem Filium, amor? « Si D. Paulus, » inquit Taulerus [2], « mul- « tum utique amans, ex ferventi amore, multaque « erga Natum tuum compassione dixit [3] : *Christo « conflixus sum cruci, et stigmata Jesu circumfero in « corpore meo*; quanto magis tu una cum Christo « crucifixa es, cunctaque illius vulnera intus susce- « pisti? » Quod si hic Apostolus Filium Virginis ardentissime amans, dicebat : *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus* : quanto cum majori jure Mater ejus hoc dicere poterat, scilicet quod per Spiritum Filii sui viveret, et respiraret? Porro veritatem hanc, videlicet, quod mens, anima, et cor Mariæ, in dilecto Filio suo absorpta fuerint, varia sanctorum Patrum testimonia confirmant, et quidem in primis observandus est discursus quem S. Bonaventura cum ipsa his verbis miscet [4] : « Quare « ivisti ad Calvariæ locum? non est tua consuetudo, « Domina, ad talia spectacula properare : cur te « non retinuit pudor mulieris? Cur te non retinuit « horror facinoris? cur te non retinuit verecundia « virginitatis? cur te non retinuit loci turpitudo, mul- « titudo vulgi, detestatio mali? cur te non retinuit « clamoris vehementia, stultorum vesania, dæmo- « niacorum caterva? Hanc eandem observationem quoque S. Bernardinus in hæc verba tradit [5] : « Est « mirandum, Virginem insolitam in publicum videri, « divitantem aspectum hominum, consortia mulie- « rum, silentio frænatam, virtutibus præditam, « viduatam viro, derelictam virili consortio, cruci- « figendum Filium sequi, cum mos mulierum non « sit, velle videre filios trucidari. » Per experientiam constat, sexum hunc recipiendis variis in publico insolentium hominum insultibus valde esse subjectum, præterquam quod timere poterat, ne agnita Mater illius, qui unanimiter ab omnibus viva voce, tanquam latro maxime detestabilis, postulabatur ad patibulum, timere, inquam, poterat, ne summa cum ignominia repelleretur : at vero S. Bonaventura respondet, inquiens [1] : « Hæc non « considerasti, Domina, quia cor tuum alienatum « totum præ dolore non erat in te, sed in afflic- « tione Filii, et in vulneribus unici, et in morte « dilecti. Non considerabat cor tuum vulgus, sed « vulnus; non pressuram, sed fixuram; non cla- « morem, sed livorem; non horrorem, sed dolo- « rem. » Etenim anima Virginis Matris potius in laceris Filii quam in propriis visceribus præsens aderat. Unde S. Bernardinus inquit [2] : « Reperiemus « eam sic Filio suo dilecto, tam horribiliter concul- « cato, et crucifixo, totis visceribus, omnibus sen- « sibus, et cunctis cogitationibus compati, et sic in « eum totaliter transformari. » De hac transformatione disserens B. Laurentius Justinianus dicere velle videtur, Matrem, et Filium quasi per eundem halitum, et spiritum vixisse, et respirasse; ita enim scribit [3] : « Cum extincto Filii corpore spiritualiter « expiraverat. Supererant tamen lachrymæ, ac « mœror, quatenus mortua viveret, et vivendo « moreretur. Et in cap. XVIII ejusdem libri ita scri- « bit [4] : Tota erat cum Filio, et tota rapiebatur in « Filium : in corpore Filius, in mente vero Genitrix « crucifixus erat. »

**4.** — Dilectus ejus Filius quondam dixerat [5] : *Ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum est.* At vero qualem Virginis thesaurum fuisse existimatis? Num quid Filius? Ubinam vero hic thesaurus erat? Nimirum in collybistica crucis mensa publice expositus erat, ac proinde ibi parit cor et anima Matris præsens aderat. Hugo Cardinalis super illa verba S. Simeonis senis [6] : *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit*, ita scribit [7] : « Id est, quæ est, ipsius « anima gladius, id est, passio; sed tunc dicendum « est tuam ipsius animam, id est, animam ipsius « Christi, quam reputas et diligis ut tuam. » Guerricus Abbas super illa verba : *Stabat juxta crucem*, inquit [8] : « Plane *juxta crucem Jesu stabat*, cujus « mentem dolor crucis simul crucifigebat, suam- « que ipsius animam tam multiplex pertransibat « gladius, quantis confossum Filii corpus cernebat « vulneribus. » Anima enim Mariæ amoris et compassionis violentia, in desideratissimis Filii visceribus præsens, in quacumque humanitatis illius parte percutiebatur et saucia fiebat; imo et anima Matris simul patiebatur, maxime cum de anima dicatur, quod sit *tota in toto et tota in qualibet parte.* Lanspergius in homilia quadam inquit [9] : « Immiserat

[1] SIM. DE CASS., I. XIII. — [2] TAUL., c. 44. — [3] GAL., II, 20. — [5] S. BON., *ib.* — [6] S. BERN., *ib.*, a. 4, c. 2.

[1] ID., *ib.* — [2] S. BERN., *in Princ.* — [3] B. LAUR. JUST., *de Triump. Christi agon.*, c. 21. — [4] ID., *ib.*, c. 18. — [6] MATT., VI, 21. — [7] HUGO CARD., *in Luc.* — [8] GUERR. AB., s. 4 *de Assumpt.* — [9] LANSP., h. 48.

« Mater in cor Filii amoris compassionisque sagit-
« tas, vulnerantes Jesum usque ad mortem. Rursus
« ab eodem Filio amoris jaculo, atque passionis
« ejus gladio vulnerata ac transverberata. Hoc ita-
« que modo mutuum sibi augebant dolorem : voluit
« enim eam Christus cooperatricem nostræ Redemp-
« tionis sibi adstare. »

**5.** — Christus in sacris Canticis Matri suæ pati-bulum crucis suæ prædicens, ait [1] : *Sub arbore malo suscitavi te* ; et paulo post subdit : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio.* Porro sigillum sive signaculum, ut omnibus notum est, suam ceræ vel alteri simili materiæ, quam premit, imprimit effigiem ; ac proinde Filius matri suæ his verbis dicere voluit, se mediante forti dilectione et amore suo, cordi ejus velut sigillum quoddam imprimi velle et censequenter suam quoque Crucifixi, spinis coronati, clavis transfossi dolentissimam effigiem, ut hac ratione « fieret ceu simulachrum quoddam, » ut Taulerus inquit [2] : « et effigies Filii sui cruci-
« fixi. » Eadem Deipara Virgo in iisdem sacris Canticis lilio inter spinas efflorescenti assimilatur [3] : *Sicut lilium inter spinas.* Circa quæ verba Rupertus Abbas ita scribit : « Maria fuit *lilium inter spinas,*
« quia quæcunque spinæ, Filium, eadem Matrem
« confixerunt et lacerarunt, vulneribus condolen-
« tiæ et compassionis. » B. Laurentius Justinianus inquit : « Audiebat populorum perstrepentium
« sonitum et confusas militum crucifigentium vo-
« ces ; audiebat malleorum clavos infigentium
« ictus, totiesque in corde suscipiebat doloris ja-
« cula, quoties super clavos resonabant percutien-
« tium verbera. Penetrabant etiam illius aures
« sparsim per Calvariæ devexa vociferationes, ge-
« mitus, lacrymæque plangentium turbarum. »
Taulerus pariter idipsum in hæc verba considerat [4] :
« O quoties in angoribus posita erat dulcissima
« Dei Mater ! Quam singuli quique ictus malleorum,
« quos dum Filius crucifigeretur, audivit, cor illius
« piissimum pulsarunt ! Quam totum in se porta-
« vit crucis imaginem, eidem ipsa vicissim omnino
« impressa et in eam quasi transformata ! Nec du-
« bium est, quin per ingentem compassionem una
« cum Filio cruci affixa fuerit, sicque passa intrin-
« secus, quidquid Christus foris perpessus est. »
Idem Taulerus ibidem, XVIII, de hac Matris et Filii reciproca Passione disserens, his verbis Deiparam alloquitur [7] : « Cujus omnem passionem corpora-
« lem et externam, tu intrinsecus pertulisti. Ejus
« namque crux tua erat et tua illius. »

[1] CANT., VIII, 6. — [2] TAUL., c. 44. — [3] CANT., II, 2. — [4] RUP. AB., *ib.* — [5] B. LAUR. JUST., c. 16, *ib.* — [6] TAUL., c. 34. — [7] ID., c. 18.

## DISCURSUS VIII.

### GRAVITAS DOLORUM, QUIBUSCUM MARIA CONFLICTABATUR, UTPOTE QUI QUADANTENUS FILII DOLORES EXCEDEBANT, MATURE EXPENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Gravitas dolorum B. V. de Christo crucifixo expenditur. — 2. Cor B. V. fuit clarissimum speculum Christi patientis. — 3. Vehemens apprehensio alicujus mali redundat in corpus. Patet in variis sanctis passionem Christi devote et ferventer meditantibus. — 4. Quomodo B. V. dici possit plus passa quam filius ejus. Dolores Christi membra animam et cor B. V. profundissime penetrarunt. — 5. Præsentia astantis afflictæ matris auxit dolores filii. B. V. fuit gladius Christum acerbissime saucians.

*Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* Joan., XIX, 25.

**1.** — S. Bernardus piæ et compassivæ contemplationis oculum in Redemptoris Matrem, juxta crucem Filii stantem, defigens, interrogat [1] : « Quo-
« modo stabat circa crucem Jesu Mater ejus ? Vere
« juxta crucem stabat, quia crucem Filii, præ cœ-
« teris Mater majori cum dolore ferebat. » Cum enim maternum cor ejus, erga Filium adeo dignum ardentissimo amoris igne præ cunctis aliis flagraret, consequens erat, ut dolor ejus de Filio crucifixo conceptus, præ cunctis aliis doloribus pœnosior esset, atque acerbior ; siquidem dolor suam ab amore capit mensuram : « Quo enim quisque ma-
« gis Deum diligit, eo magis de ejus offensa trista-
« tur ; nemo autem tantum Deum dilexit et coluit,
« ac Beatissima Virgo. » Doctor Seraphicus *in stimulo divini amoris,* de B. Maria dicit [2] : « Tota es
« in vulneribus Christi, totus Christus crucifixus est
« in intimis visceribus cordis tui. » Porro ad exprimendam reciprocam hanc dolorum Filii in mœsta Genitrice sua correspondentiam, S. Laurentius Justinianus ingeniosam quamdam a speculo desumptam deducit similitudinem ; speculum enim fideliter et distincte omnia illa per reflexum exprimit objecta, quæcunque in illud respiciunt ; illa namque concavitati speculi eodem prorsus modo et figura imprimuntur, quo exterius in realitate existunt. Eodem quoque modo anima et cor Mariæ, ejusque casta viscera, intra se sigillatim omnia illa persentiscebant tormenta, improperia, doloresque acerbissimos, quibus dilectissimus Filius suus cruciabatur. En verba S. Laurentii [3] : « Clarissimum
« speculum Passionis Christi effectum erat cor
« Virginis et perfecta mortis imago ; in illo agno-
« scebantur sputa, convicia, verbera et vulnera
« Redemptoris. » Nullus humeris filii sui infligebatur flagellorum ictus, nulla spinæ punctura caput

[1] S. BERN., c. 10 *de Pass.* — [2] S. BON., *Stim. amor.* — [3] S. LAUR. JUST., *de Triumph. Chr. agon.*

ejus transadigebat, quæ non pariter et Matrem transfigeret. Georgius Metropolita, auctor antiquus, in sermone quodam de hoc mysterio ita scribit [1] : « Proh, quomodo clavus manui impingebatur, ejus « cordi impingebatur plaga lethalis ; cum interim « singula membra perforarentur, miserabilius « animo sociabatur. » S. Laurentius Justinianus exclamat, dicens [2] : « O amor, o timor Mariæ ! Fi- « lium quippe flagrantissimo amore intueri sata- « gebat, illiusque cruciatus aspicere perhorrebat. « Hinc timor, inde amor Matris præcordia lania- « bat. » S. Bonaventura similiter in devotos hosce prorumpit affectus inquiens [3]: « Aspicio, Domina, « cor tuum et id non cor, sed myrrham, et absyn- « thium et fel video. Quæro Matrem Dei et ecce « invenio sputa, flagella et vulnera, quia tota con- « versa es in ista. Cur vas sanctitatis fecisti vas « pœnalitatis? »

**2.** — Joel Propheta de funesto hoc spectaculo vaticinando, dixit [4] : *Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem.* Sol etenim justitiæ Christus, in monte Calvario eclypsatus et obtenebratus fuit ; luna autem, per quam sanctissima ejus Mater interpretatur, tota in sanguinem conversa dici potest, ut impleretur illud Simeonis : *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Porro luna suum a sole recipit lumen et ideo dum hic obscuratur, consequens est, quod fuscam quoque et caliginosam lucem in illum transfundat planetam, cui lumen suum communicat. Multo autem major sympathia et relatio intercedebat inter hanc Matrem et Filium ejus, quam inter solem et lunam. Albertus Magnus prædicta Joelis verba in sermone quodam exponens, inquit [5] : « Per lunam figuratur « Virgo Maria, unde quidam Sanctus dicit in lau- « dem ipsius : Tu *pulchra ut luna* diceris, eique « non immerito compararis. In hac luna, id est, « in Beata Virgo Maria factum est signum mirabile, « quia scilicet conversa fuit in sanguinem : hoc « etiam prædixit Joel, c. II : *Luna convertetur in* « *sanguinem.* Tunc autem Beata Virgo conversa « fuit in sanguinem, quando intellexit dulcissimum « suum Filium traditum et captum et colaphizatum « et consputum et ad crucis martyrium postulatum. « Tunc vero tota luna facta est ut sanguis, quando « assistens cruci vidit Filii sui caput spinis lacera- « tum et dorsum et omne corpus sanguine cruen- « tatum : cum etiam vidit manus et pedes clavis « perforari et postremo latus ejus crudeli lancea « transfigi. Quis sufficienter explicare poterit, « quantos dolores tunc sustinuit Virgo Maria ? » Tametsi carnifices Matrem actualiter non vulnerarint, excessivus tamen amor et compassio, qua erga Filium ferebatur, omnes illius dolores sibi quasi faciebat proprios. S. Bonaventura auctoritatem adducens S. Hieronymi, ita scribit : « Quia « mente passa est, plus quam martyr fuit : unde « quia ipsa veraciter diligebat, ex affectu intimo « vehementer compatiebatur. » Dum cytharœdus cytharæ suæ chordas ad consonantiam debitam adaptat, mox ut unam chordam plectro suo tangit, eaque resonare incipit, alia proxime vicina pariter movetur. Filius autem et Mater, velut duæ chordæ erant unius cytharæ ; ac proinde Spiritus S. Mariæ Sponsus in ejus persona per Psalmistam dicit [1] : *Exsurge gloria mea, exsurge psalterium et cythara,* mox vero Filius respondet : *Exsurgam diluculo.* S. Apostolus ad Corinthios scribens, inquit [2] : *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Quanto igitur magis credendum est de Virgine quod Filio suo compassa fuerit, qui corporis hujus mystici caput erat ; siquidem ex ipsius duntaxat substantia et non ex alia, delicatissimum illud corpus Christi passibile genitum erat? In revelationibus S. Brigittæ intima hæc inter dolores Matris et Filii intercedens relatio his verbis describitur : « Vere « dicere possum, » ait B. Virgo ad S. Brigittam [3], « quod sepulto Filio, quasi duo corda in sepulchro « fuerunt. Nunquid non dicitur : *Ubi est thesaurus* « *tuus, ibi est et cor tuum* ? »

**3.** — Per continuam omnium sæculorum experientiam comprobatur, quod vehemens aliqua apprehensio in ipsum quoque corpus transfundatur suasque operationes exerceat ; nam ut in tract. II, disc. 19 et 20, de sudore Christi sanguineo disserentes, diximus, nonnulli fuere homines, qui ex vehementi apprehensione sanguinem e venis emiserunt : alii ex timore mortis in unica nocte toto capite et barba incanuerunt. Ex veridicis notis et ab Ecclesia authenticatis constat historiis, multos servos Dei erga Christi Passionem devotissimos, per vivacissimam pœnarum et dolorum Passionis Christi contemplationem et compassionem, eosdem quoque dolores in suis persensisse corporibus ; adeoque adimplevisse illud S. Pauli documentum [4]: *Hoc enim sentite in vobis et in Christo Jesu.* In corpore S. Francisci, passionem Christi intima devotione meditantis, Christi vulnera in manibus, pedibus et latere fuere impressa. In S. Catharina Senensi et Maria Magdalena de Pazzis, aliisque Dei ancillis, eadem quoque stigmata, non solum illarum cordibus, verum etiam corporibus fuere infixa. In vita S. Franciscæ Romanæ legitur, quod si quando meditabatur verbi gratia, pedum Christi crucifixionem, acerbissimos quoque in suis pedibus senserit dolores, haud secus, ac si acutissimis ferris fuissent transfixi : meditando vulnus pectoris Christi, ex suo quoque pectore vivum præ nimia compassione fundebat sanguinem. In corde S. Claræ de Monte

[1] GEORG. MET., c. 3. — [2] S. LAUR., c. 11. — [3] S. BON., *ib.* — [4] JOEL., III, 31. — [5] ALB. MAG., s. 2 *in Dom.* II *Adv.*

[1] *Ps.* LVI, 5. — [2] I COR., XII, 26. — [3] *Revel. S. Brig.*, l. II. — [4] PHIL., II, 5.

Falco insculpta reperta fuere omnia Passionis Christi instrumenta. Quando igitur hoc supposito, credibilius est, acerbissimos hosce Christi dolores, non solum animæ, verum etiam visceribus sanctissimæ Matris suæ, fuisse immissos et communicatos? Prædictæ devotæ animæ pœnas Christi per intellectum, affectum, devotamque compassionem sibi apprehendebant vicinas, temetsi cæteroquin multis sæculis ab iisdem distarent: Sanctissima autem Deipara *stabat tamen juxta crucem Jesu,* Filiumque suum coram oculis suis patientem cernebat, objectum vero præsens multo magis commovet viscera, nostramque compassionem excitat. Imo ut S. Bernardus notat, præsentia Matris dolores Filii magis magisque adaugebat [1] : « Adaugebat vulnerum « passionem materna compassio, » inquit Doctor mellifluus, « quam contritissimo corde, manibus « complosis, oculis lachrymarum torrente fluenti- « bus, vultu contracto, voce querula et totis viribus « cordis destitutam, viriliter vidit sibi adstare pa- « tienti. »

**4.**— In Officio de Compassione dolorosæ Virginis a S. Bonaventura composito, sequens legitur propositio quæ, utpote a tanto viro tradita, fidem meretur, tametsi forsitan locutus fuerit poetice, ut compilator in Officii illius proœmio notat : dicit igitur [1] : « Hæc dolorem majorem habuit, quam « Salvator, qui tot sustinuit. » Enim vero quonam putatis mysterio S. Simeon senex, Mariani cordis in morte Filii prædicere volens angustias, non ferri absolute, sed gladii mentionem fecit? Non enim nominavit cultrum, non sagittam, non sclopetum, sed gladium. Rationem hujus hanc fuisse existimo, quia videlicet *gladius ex utraque parte acutus,* adeoque ad utrinque vulnerandum idoneus est : Beata Virgo autem doloris gladio, tam in corpore, licet non materialiter, quam in anima transfossa fuit. Porro flagella, spinæ, clavi, fel, exteriores quidem sacratissimæ illius humanitatis partes cruciarunt; superiorem tamen animæ portionem, quæ, utpote beata, clara Dei visione fruebatur, minime affecerunt. At vero iidem dolores per vehementem Matris compassionem, non solum membra, sed et animam et cor Matris profundissime penetrarunt. Unde B. Amadæus inquit de Filio [3] : « Ille carne, illa corde « passa est. » Ictus autem cordis inflictus, quantumvis levissimus sit, semper est mortalis, omnisque cordi iffata punctura intolerabiles semper adfert dolores. Christus Filius ejus in corpore et sacrosancta sua passus est humanitate; Virgo autem in corde, illius enim dolores ad animam usque penetrarunt. Quando pedes Filii ferro transfodiebantur, Virgo pariter ab iisdem clavis transfigebatur in corde. Coacervetis velim simul omnes Filii cruciatus, vulnera, puncturas, flagella, aliosque dolores; et tunc demum libere dicatis, Beatam Virginem totidem in corde suo persensisse tormenta. Anima tota est in toto et tota in qualibet parte corporis. Anima autem Mariæ certo quodam et mirabili modo dici potest fuisse in Filio (*anima enim magis est, ubi amat, quam ubi animat*) et ideo mirum non est illam in quocunque Filii sui cruciatu a gladio doloris mortaliter fuisse transfixam : « Deiparæ anima « Jesu affecta, tota in qualibet parte residens : « Cum pedes percutiuntur, tota vulneratur. Cum « terebratur caput spinis, tota vulnere afficitur : « Unde tot toti Virgini plagæ et exitialia vulnera, « quot singulis Jesu membris cruciatus et dolores. « Hæc igitur majorem dolorem habuit, quam Sal- « vator, qui tot sustinuit, quia quoties ille aliquid « sustinebat in parte, Deipara idipsum sustinebat « in toto. » Præterea omnia Filii vulnera et plagæ, non solum in ejus transfundebantur corpus, sed et cor ac animam afficiebant. S. Bonaventura similiter postquam dixisset [1] : « Cum Filio crucifixa eras se- « cum. Sed hoc distat, quia ipse in corpore, tu au- « tem in corde; » mox subjungit : « Nec non et « ejus vulnera, per corpus ejus dispersa, sunt in « corde tuo unita. Ibi, Domina, lanceatum est cor « tuum, ibi spinis coronatum, ibi illusum, expro- « bratum et contumeliis plenum. » Porro Taulerus rationem cur innumerabiles fixuræ cor Mariæ sauciarunt, assignat, inquiens [2] : « Cor tuum non se- « mel, sed plus centies scissum est. Neque aliquid « sub tuo aspectu Filio molestiæ illatum est, quod « non secuerit cor tuum. »

**5.** — Fuit et alius huic afflictæ Matri dolor acerbissimus, cunctisque aliis longe superior; hic videlicet, quod sciret suam præsentiam, suumque dolorem, ferrum esse crudelissimum, quo Filii viscera transfigebantur : quia omnia alia supplicia libenti animo sufferebat, quippe qui per illa pro peccatis nostris ex ardenti charitate sua satisfaceret (qui autem amat, non laborat) at vero angustiæ et dolores, quos in innocenti et compatiente Matre sua aperte videbat is, *qui scrutatur corda et renes Deus;* hi, inquam, præ cunctis aliis, ipsum vel maxime affligebant et cruciabant; et hi Filii sui exinde nati cruciatus, notabiliter quoque dolores Matris adaugebant, dum videret, quod per suam præsentiam, Filio suo non solatium aliquod, vel refrigerium, sed majorem adderet pœnam et dolorem. Unde Taulerus ait [3] : « Quis, bone Jesu, meditando con- « sequi possit, quo fueris intus dolore affectus, cum « (qui corda nosti omnium) cuncta Matris viscera et « membra per internam compassionem tecum pa- « riter in cruce extensa et clavis confixa videres? » Enim vero tametsi ad excitandam in fidelibus devotionem et compunctionem cordis, cuncta Passionis Dominicæ instrumenta, vel in charta, vel in tela,

[1] S. Bern., c. 10 *de Pass.* — [2] S. Bon., *t.* VI *in Offic. de Compass.* — [3] S. Amad., h. 5.

[1] S. Bonav., *Stim. div. amor.* — [2] Taul., c. 44. — [3] Id., *ib.*

vel in ligno delineari, vel sculpi soleant ; inter hæc tamen me ensem unquam vidisse delineatum minime recordor. Lancea quidem, clavi, flagella, spinæ, depinguntur ; non vero ensis, vel gladius, tametsi hic præ reliquis usitatissimum esse soleat mortis instrumentum. Milites quoque gladio accincti Christum ad montem Calvariæ usque deduxerunt et custodierunt, iisdemque gladiis armati eumdem in horto Gethsemani acceperunt captivum; estque verisimile, quod hisce gladiis multos Christo intulerint ictus et puncturas. Cur igitur gladius, aliis Passionis instrumentis non adjungitur ? Nimirum : *Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus.* Gladius enim Redemptorem nostrum quovis alio ferro acerbius saucians, Mater ejus, cruci constanter assistens, revera exstitit, utpote *cujus animam doloris gladius pertransivit* : ac proinde gladium præter Virginem exprimere superfluum erat. Quamnam existimatis fuisse causam, quod lictores implacabili erga Filium Virginis odio exardescentes illud non pariter in Matrem exercuerint, cum tamem eamdem in sua haberent potestate positam ? Nimirum probe sciebant, ipsam Filio suo torquendo majorem causaturam esse dolorem. Id quod per doctrinam quamdam D. Chrysostomi de Noe, non filium suum Cham, sed Chanaan ejus filium, licet Cham malefactor fuisset et peccati reus, maledicente, disserentis, apte probatur. Ita enim hic S. Doctor scribit [1] : « Scitis, quomodo sæpenumero patres orant, ut « filiorum pœnas ipsi ferant et quomodo gravius « illis est videre filios supplicio affici, quam si ipsi « iis forent obnoxii. Factum igitur est hoc, ut ille « ob naturalem in Filium amorem, majorem sen- « tiret dolorem. » Procopius pariter hac de re ita scribit [2] : « Major dolor cruciabat Patrem, cum vi- « deret filium maledictione perstringi : gravius « enim affligimur calamitate liberorum, quam si « nobis aliqua miseria objiceretur. » Cham illud merebatur supplicium et tamen idipsum a Chanaan filio ejus sustinetur, nec inique ; credibile enim est illum quoque erroris paterni quadantenus fuisse participem. At vero S. Virgo videbat innocentissimum Filium tot sustinere tormenta et cruciatus, qui omnes in ipsam redundabant. Et quidem dolores Filii per ejus mortem finem acceperunt, at vero in Deipara usque ad Filii sui Resurrectionem semper continuarunt. Richardus a S. Laurentio in homilia quadam inquit [3] : « Mors Domini illi ama- « rior morte fuit. » Didacus Stella in Lucam scribens, inter cætera inquit [4] : « Carnifex erat amor, « et non mori, omnibus malis mors major erat. » Nos quidem ab omnibus liberamur malis et a cunctis ærumnis eximimur, dum vitam morte terminamus ; Christus quoque in cruce expirans pati desiit at vero Deipara Virgo tum vel maxime dolores suos reduplicavit, præcipue propter vulnus lateris Filii sui ; hoc enim Filio suo infligi videns, a lancea, vulneris instrumento, cor ejus pariter, ut infra dicetur, transfixum fuit.

[1] CHRYS., h. 29 *in Gen.* — [2] PROCOP., *ib.* — [3] RICH. A S. LAUR., h. 5 *de mentis rob.* — [4] DID. STELLA, *in Luc.*

## DISCURSUS IX.

### MARTYRIUM B. V. OMNIUM MARTYRUM TORMENTIS SUPERIUS FUISSE DECLARATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. B. V. Regina Martyrum, plus omnibus martyribus passa est. — 2. Intensissimus amor filii, fuit carnifex B. V. — 3. Instrumentum martyris B. V. fuit Christus moriens. — 4. Alii martyres plus et majora passi sunt extensive B. V. vero majora illis plus intensive. Filius et mater certatim se obtulerunt Deo Patri in sacrificium. — 5. Martyrium B. V. novum inauditum et gravissimum fuit, eo quod fuerit in anima. — 6. Licet B. V. sciret filium suum brevi surrecturum attamen dolores ejus hanc notitiam absorberant. — 7. Alii martyres in suis tormentis sæpe cœlestibus consolationibus perfusi fuerunt, B. V. vero ex omni parte afflicta fuit. Omne solatium aliorum Martyrum cessabat in B. V.

*Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus*, Joan., XIX, 25.

**1.** — Sancta Mater Ecclesia inter alia gloriosa epitheta, quibus Sanctissimam Virginem morti Filii sui tenerrime compatientem honorat, hoc quoque præclaro titulo eandem extollit, quo *Regina Martyrum* in Litaniis salutari noscitur. Et quidem Ecclesia, ni fallor, per hunc titulum declarare nobis nititur quod B. Virgo in suis doloribus, et cruciatibus omnes alios excesserit Martyres : id quod a sacris Doctoribus et Patribus similiter concordibus votis admittitur. Et quidem si Ecclesia ad honorem S. Martiui hisce verbis canere non dubitat [1] : « O sanctissima, « anima quam et si persecutoris gladius non abstulit, « palmam tamen martyrii non amisit. » Quanto magis idipsum de Virgine Deipara affirmari poterit, utpote in qua Propheticum illud Simeonis oraculum : *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit* infallibiliter adimplendum erat ? Ricardus a S. Laurentio inquit [2] : « Quod non fuerit tam ama- « rum martyrium aliorum Sanctorum, manifestis- « sime patet. Non fuit talis Filius, non fuit talis « Mater. Non fuit tam indigna mors, non fuit dolor « tantus. Sciebat siquidem Mater, qualis erat « Filius, unde conceptus, et quomodo, et cætera « hujusmodi, et ideo quanto dilexit tenerius, tanto « vulnerata est profundius. » S. Antonius in Summa sua hanc statuit conclusionem [3] : « Cum Beata Virgo « immunis fuerit ab omni peccato, voluit ipsam « Deus experiri tantam pasionem in morte Filii,

[1] LUC., II, 35. — [2] RICH. A S. LAUR., l. III *de laud. Virg.* — [3] S. ANT., p, 4, c. 15.

« quantam unquam ullus Martyr sustinuit in sua « passione. » Eamdem dolorosissimi Mariæ martyrii vehementiam idem paulo ante citatus Richardus paucis verbis expressit, dum ait [1] : « Quanto « diligebant ardentius, tanto vulnerata est profun- « dius. »

**2.** — Alii Martyres a Diocletianis, Domitianis, Neronibus, aliisque crudelibus Christianis nominis persecutoribus suum perpessi fuere martyrium. Et hi quidem lateribus eorum admoverunt carnifices qui per sæva et inusitata supplicia catastarum, equuleorum, uncinorum, et plumbatorum, per fornaces ignitas, per ferarum voracitatem, aliaque tormenta, vitam illis eripiebant. At vero Deipara Virgo in martyrio suo, tempore Passionis Filii sui tolerato, carnificem quemdam habuit, qui illam omnibus, per sæcula superiora in martyrum carnificina visis cruciatibus, et doloribus vivacissime discruciavit ; et hic alius non fuit, quam infinitus ille amor, quo erga suum ferebatur Filium. Porro de amore, ipsomet Spiritu Sancto teste, constat, quod fortior sit morte, et inferno [2] : *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus.* Amor autem B. Virginis excessivus, cunctisque aliis amoribus possibilibus, et imaginabilibus superior erat, quia tendebat in talem Filium, qui creatura simul et Creator erat, quoque sive in terra, sive in cœlo dignor dari non potest. Ricardus a S. Laurentio hac de re discurrens, ait [3] : « Cum alii Martyres passi « sint propter fidem, Maria passa est propter cha- « ritatem; unde dicit in Canticis, secundum aliam « litteram, quam ponit Gregorius: *Vulnerata chari-* « *tate ego sum* ; et sicut charitas major est quam « fides, I, *Cor* XIII : *Major autem horum est charitas*: « sic Mariæ martyrium quantalibet excellit marty- « ria Sanctorum. »

**3.** — Nescio, an aliquando ad hoc vos reflexeritis, quod scilicet S. Ecclesia admittat, et venereretur multorum martyrum picturas quibus martyriorum quoque instrumenta clare exprimuntur ; verbi gratia S. Laurentium depingere solet cum craticula, S. Stephanum cum lapidibus, S. Catharinam cum adjuncta rota, S. Andream cum adnexa cruce. At vero Deiparam dolorosam in morte Filii delineari facit non cum aliquo martyrii sui instrumento, sed eamdem duntaxat Filium suum mortuum in sinu ipsius, et inter brachia tenentem repræsentat. Unde clare videtur, quodnam fuerit martyrii sui præcipuum instrumentum, scilicet Filius ejus in cruce moriens, de quo dici poterat [4]: *Deus charitas est ; dilectus meus mihi, et ego illi, inter ubera mea commorabitur.* Quis pro dignitate explicare poterit, quantas dolorosa hæc Mater experta fuerit cordis angustias et dolores, quando Filium suum vidit in sinu quo positum, tanto cum improperio crucifixum, totaliter lacerum ac dilaniatum, copiosoque sanguine tinctum ? « Stans juxta crucem pura, et « immaculata Virgo, » inquit S. Ephrem, « Salva- « toremque in ea suspensum cernens, dirissimas « plagas perpendens, et clavos, magno cum planctu « lamentisque dolore plenis exclamabat, dicens : « Fili mi dulcissime, quomodo crucem istam « portas ; » Quis satis exprimat, quales dolorosa Virgo interius in corde suo volverit cogitationes, quando vidit Filium Dei in medio duorum latronum crucifixum ? Quando eum, coram quo sublimes cœli Potestates contremiscunt, a vilisma hominum fæce in monte Calvariæ derideri audivit ? Quod si illi martyres plus promeriti fuisse censentur, qui de Passionibus Christi capitis sui magis participarunt, ipsiusque doloribus propinquius accesserunt, quis hac matre Passionis Christi vicinior unquam adstitit, de qua S. Joannes ait : *Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus* ? B. Amadæus inquit [1] : « Ve- « neranda cruci Dominicæ Passionis inhæsit, hausit « calicem, bibit Passionem, et torrente doloris po- « tata, nulli unquam similem potuit perferre dolo- « rem. Currit post Jesum, non tantum in odorem « unguentorum, sed et in multitudine dolorum. » In Revelationibus S. Birgittæ legitur, B. Virginem huic sanctæ viduæ hac de re revelasse, ut sequitur [2]: « Ego propinquior ei fui in Passione, nec separabar « ab eo. Ego stabam vicinius cruci ejus, et sicut « gravius pungit, quod vicinius est cordi, sic dolor « ejus gravior erat præ cæteris mihi. Cumque re- « spexisset ad me de cruce, et ego ad eum, tunc de « oculis meis, quasi de venis, lacrymæ exibant. Et « cum ipse me cerneret dolore confectam, in tan- « tum amaricabatur de dolore meo, quod omnis « dolor vulnerum suorum erat quasi sopitus sibi « præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea « audacter dico, quia dolor ejus erat dolor meus, « quia cor ejus erat cor meum. »

**4.** — Quod si objicias, multos fuisse martyres, qui tum in numero, tum in specie majora pertulere supplicia, prouti ex illorum actis evidenter cernitur. Respondeo id quidem esse verissimum, scilicet, quod multi majora passi sint, quam Beata Virgo, sed *extensive* tantum, non vero *intensive*. Porro Mariæ martyrium interius fuit, in parte nobiliori, magisque sensitiva, scilicet in anima seu in corde ; ac proinde in quibusdam picturis cum gladio cor ipsius penetrante depicta conspicitur. Beatus Amadæus ait [3]: « Sciendum, duo esse genera martyrii, « unum in manifesto, aliud in occulto ; unum pa- « tens, aliud latens ; unum in carne, aliud in spiritu. « Carne sancti Apostoli et Martyres passi sunt. « Spiritu illi passi sunt, qui aliquid passione car- « nis durius in suis spiritibus pertulerunt. Spiritu « passus est Abraham, quando filium suum Isaac

[1] RICHARD., *ib.* — [2] CANT., VIII, 6. — [3] RICHAR., *ib.*, f. 196. — [4] CANT., II, *ib.*

[1] B. AMAD., h. 5. — [2] *Revelat. S. Birg.*, l. I, c. 35. — [3] B. AMAD., *ib.*

« jussus, quem unice diligebat, immolare, paterno « pertentabatur affectu, et ab imis visceribus pietate « nati movebatur. » Et paulo post subdit : « Supra « carnem passus est, quia filium quem carne « propria plus amabat, et fide et devotione offerre « non distulit. » Nos quoque adjicere possumus, quod D. Chrysologus ad aliud licet intentum, his verbis dicit [1] : « Mirum sacrificium, ubi corpus sine « corpore, sine sanguine sanguis offertur.» Inferius suo loco dicetur Filium et Matrem certatim semetipsos æterno obtulisse Patri; ille enim se obtulit in sacrificium immolavit. Quidam Mariæ devotus scriptor ad illum se reflectit Numerorum textum [2]: *Abscinderunt palmitem cum uva sua, quam portaverunt in vecte duo viri*. Porro Filius Dei in sacris Canticis botrus uvæ appellatur [3]: *Botrus Cypri* ; hicque ex vera promissionis terra, cœlo videlicet, allatus, et in lignum crucis suspensus, a duobus portatus fuit : « Uva enim « Christus, palmes virgo, uterque in vecte, id est « in cruce, Christus in corpore, Maria in corde. » Quanto autem anima nobilior est corpore, tanto magis excessivus, et superior est dolor animæ, carnis dolore. Alii martyres passi sunt in corpore, Deipara virgo autem in anima : « Tuam ipsius « animam doloris gladius pertransibit. Et vere « pertransivit animam tuam gladius doloris, » inquit S. Anselmus [4], « qui amarior fuit omnibus « doloribus cujusvis passionis corporeæ. Quidquid « crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, « leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ pas- « sionis, quæ nimirum sua immensitate transfixit « omnia penetralia tua, tuique benignissimi cordis « intima. » Contexatis velim integrum quemdam innumerabilium martyriorum, a tot Martyribus toleratorum, catalogum, ac tum demum libere dicere poteritis, omnes hosce dolores, et tormenta simul sumpta nullam habuisse proportionem cum doloribus B. Virginis : *Leve fuit, aut potius nihil etc.*

**5.** — S. Ildephonsus in sermone quodam de magna hac Dei Matre ita scribit [5]: « Clarissima inter « Virgines candidior est inter Martyres. Quia etsi « illi martyrio coronati dealbaverunt stolas suas, « et candidas eas fecerunt in sanguine Agni, nihi- « lominus hæc Beata et Vener. Virgo, candidior « digne prædicatur, eo quod, et si corpora Marty- « rum pro Domino supplicia pertulerunt, nihi- « ominus hæc admirabilis Virgo in anima passa, « teste Domino, comprobatur; ait enim Simeon, « vel Dominus ad eam : *Tuam ipsius animam dolo- « ris gladius pertransibit*. Quod si gladius usque ad « animam pervenit, quando ad crucem stetit, fu- « gientibus Apostolis, cum videret Dominum pen- « dentem, etiam plus quam Martyr fuit, quia in « animo, non minus amoris, quam mœroris est « intus gladio vulnerata. Parata enim stetit, quæ « nimio amore vulnerata testis existit Salvatoris, « et præ mærore in animo cruciatum sustinuit Pas- « sionis. » Richardus a S. Laurentio hujus in Virgine martyrii novitatem his verbis expendit [1]:« Vere « novum et inauditum martyrium, quod Maria « passa est in Unigeniti Passione, in ea parte quæ « est impassibilis, sicut dicit S. Hieronymus : No- « vum genus martyrii multis de causis. Cum enim « alii Martyres patientur in corpore, ipsa passa est « in corde, vel in anima. Gladius Passionis qui tran- « sivit corpus, et membra Filii, pertransivit, id est « perfecte transivit per compassionem animam Ge- « nitricis ; et *tunc omnis plaga* fuit in *tristitia cordis « ejus*, Eccli., XXV, 17. » S. Bonaventura in cap. II. S. Lucæ scribens idem punctum tangit, dum in hæc verba scribit [2]: « Ad martyrium maternæ com- « passionis adjicitur gladius compunctionis, unde « ipsi competitt illud : *Ferrum pertransiit animam « ejus*. Dolores quos pariens effugit, tempore Pas- « sionis sustinuit. » Idem Seraphicus Doctor super Joannem scribens, exemplum adducit S. Felicitatis, inquiens [3]: « Si enim beata Felicitas fuit plusquam « martyr, propter mortes filiorum, ut ait Gregorius ; « multo magis Beata Mater Dei ; ideo dicitur : « *Tuam ipsius animam gladius pertransivit*, id est « tribulatio, qua anima vulnerata est doloris affectu, « ait Augustinus. Dolores ergo quos Filius sustine- « bat in corpore, quasi rivi infundebantur in pium « cor maternum. » S. Hieronymus similiter ait [4] : « Plus omnibus dilexit, ut tantum animam ejus « totam possideret et pertransiret vis doloris. Adest « testimonium eximiæ dilectionis, quæ quia mente « passa est, plusquam martyr fuit, nimirum ejus « dilectio amplius fortis quam mors fuit, quia mor- « tem Christi suam fecit. » Idem S. Doctor aliud quoddam subnectit valde considerabile motivum, inquiens : « Alii Sancti passi sunt pro Christo in « carne, tamen in anima, quæ immortalis est pati « non potuerunt : Beata vero Genitrix, in ea parte « passa est, quæ impassibilis habetur, quia spiritua- « liter, et caro ejus passa est gladio Passioni Christi, « plusquam martyr fuit. » Considerabilis quoque est sequens Richardi a S. Laurentio de Martyrio Virginis discursus ; ait enim [5] : « Alii Martyres etsi « tormenta sentiebant in corpore, interim tamen « consolatione refrigerabantur in mente : etsi « eorum corpora pertransibant gladii tormentorum « pro Christo, tamen animæ eorum recreabantur « in Christo. Filius etiam simul fruebatur et patie- « batur, quia fuit in via comprehensor ; unde dicit : « *Providebam Dominum in conspectu meo semper*. Sed « anima Matris torquebatur in Christo, et totam « ejus animam vehementia doloris possidebat. »

[1] CHRYS., s. 108. — [2] NUM., XIV, 24. — [3] CANT., I, 14. — [4] S. ANS., *de laud. Virg.* — [5] S. ILDEFONS., ser. 2 *de Assumpt.*

[1] RICH., *ib.*, f. 192. — [2] S. BON., *in Luc.* — [3] ID., *in Joan.* — [4] S. HIER., s. *de Assumpt.* — [5] RICHARD., *ib.*

**6.**— Beata Virgo tametsi sciret, vivacissimaque, et indubitata fide crederet, Filium suum post 40 horas immortalem et gloriosum esset resurrecturum; attamen in vastissimo illo amarissimorum dolorum suorum Oceano adeo erat absorpta, ut ad aliud, quam ad dolores suos, mentem suam applicare nequiverit, prouti S. Augustinus his verbis testatur [1]: « Quam utique ad crucem Domini, in qua « tunc sui tantum corporis Filium cogitabat, ma- « terna mens duxerat, ut cum eum vidisset mor- « tuum, humana infirmitate lugeret, sepelien- « dumque colligeret, nihil sibi de ipsius resurrec- « tione præsumens, quia subseculuræ admirationis « fidem, in oculis posita passionis pœna cæcabat. » Oculos namque suos nonnisi ad plagas, et patibulum Fili innocentis tenebat apertos. « Hinc videbat « caput spinis coronari, » inquit Richardus [2], « hinc « genas convelli. Hinc vultum conspui, hinc pedes « et manus configi : hinc eos felle potari, hinc ca- « put expirantis super humerum inclinari, hinc « latus mortui lancea aperiri, ut vere posset dicere : « Angustiæ mihi sunt undique. Tunc, sicut canit « Ecclesia, *circumdabant eam flores rosarum*, id est, « infinita martyriorum genera, quæ figurantur in « rosis, quarum rubor attestatur martyrium. »

**7.** — Filius Virginis in corda, et animas Martyrum nectar effundebat cœlestium consolationum, dum considerabant, quod pro defensione fidei, et honoris sui paterentur, ita ut factum est sæpius, quod in atroci suppliciorum carnificina positi, præ gaudio exilirent, et exultarent; anima autem Matris ex omni parte doloris ferro transfixa erat. Unde Simeon non dixit, *transibit*, sed *pertransibit gladius doloris*. Quæ verba S. Antonius hunc in modum declarat [3]: « *Tuam ipsius animam*, id est, ani- « mam tuam, quæ est quasi anima ejus propter « summam ad invicem dilectionem, pertransibit « gladius afflictionis. *Pertransibit*, id est, per totum « transibit, absque refrigerii admixtione; siquidem « quanto quis est delicatior, et complexionem « habet corporis melius dispositam, tanto magis « affligitur, et dolorem sentit ex aliqua læsione cor- « poris ipsius. » Taulerus hac de re ita meditatur [4]: « Tanta ejus crux tanta afflictio erat, ut tametsi « invenire quidpiam consolatorium in Filii Passione « potuisset, suis levandis doloribus accommodum, « mox ab illo amaritudinis impetu atque profluvia « fuerit absorbendum, haud secus, quam si gutta « suavissimi vini in mare salsissimum mittatur. » Porro Martyres hanc in dolorum perpessione habebant consolationem, quod ex hac valle lacrymarum, vitam mox ingressuri essent beatam. Unde mater illa Melitonis, filii sui auribus ne se a tyranno perverti sineret, hæc verba, insonabat : « Fili, sustine « paulisper, ecce Christus ad januam stat. » Mater Symphoriani adolescentis eidem acclamabat: « Nate, « nate, memento æternæ vitæ. » Mater pariter Machabæorum septem filios suos suggesta æternæ resurrectionis spe roborabat. Magnus Basilius Modeto præfecto, mortem sibi comminanti, respondit: « Mors beneficii loco mihi erit, citius enim me ad « Deum transmittet. » Omne vero ejusmodi solatium, quo martyres fruebantur, in Deipara Virgine cessabat, utpote probe sciente, animam Filii sui ab instanti conceptionis suæ, cœlesti frui beatitudine. S. Augustinus de viris perfectis in hæc verba scribit [1] : « Viri in charitate perfecti patienter quidem « vivunt, sed delectabiliter moriuntur. » Porro Virgo Deipara Filium videbat non eo fine morientem, qui consolabatur Martyres, scilicet, ut cum Deo uniretur; siquidem is Deus ipse erat : sed lamentabatur ; quod Filius suus pro nobis vilissimis, et ingratissimis terræ vermiculis moreretur, ut pro nostris satisfaceret crimiulbus ; cumque sciret, quod *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus*; hinc magnopere affligebatur, videndo quod Filius suus pro nobis sanguinis sui effunderet torrentes, qui unica duntaxat sauguinis sui stilla nos redimere potuisset. Alii martyres hac fruebantur consolatione, quod in illa paterentur carne, quæ ipsis aliquando peccati fomes extiterat. At vero Deipara Virgo in anima immaculata patiens, non habebat, unde consolaretur; sed in se, et in Filio immensam, et infinitam sustinebat pœnam, sine ullo vel minimo culpæ reatu.

[1] S. Aug., t. II, ep. 58. — [2] Rich., *ib.*, f. 193. — [3] S. Anton., *ib.*, § 2. — [4] Taul., c. 44.

## DISCURSUS X.

### VARIA TANGUNTUR MYSTERIA, OB QUÆ FILIUS MATREM SUAM SIBI SUB CRUCE ASSISTERE VOLUIT.

Idea sermonis. — 1. Adducuntur rationes et mysteria ob quæ Christus voluerit matrem stare juxta crucem. — 2. Stetit B. V. juxta crucis lignum, ut deleret peccatum Evæ in ligno vetito commisum. — 3. B. V. cooperatrix nostræ salutis, juxta crucem merito stare debebat. B. V. stetit a sinistris S. Crucis tanquam advocata peccatorum. — 4. Ictus lanceæ lateri Christi mortui inflictus, transfixit cor B. V. — 5. Duo potentissima remedia contra peccatum et infernum, sunt crux Christi et B. V. — 6. Quare Christus B. V. non citius recommendaverit quam cum jam vicinus esset morti. Devotissimæ orationes ad B. V. pro obtinenda felici morte. — 7. Christus recommendans Matrem suam docere voluit proles curam gerere parentum. — 8. B. V. astans cruci ut cooperatrix nostræ salutis obtulit Deo Patri in sacrificium animam suam.

[1] S. Aug., t. IX, in ep. 1 *Joan.* — [2] I Pet., II, 24,

*Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* Joann., XIX, 25.

**1.** — Cum omnes Redemptoris nostri, qui *omnia in sapientia fecit,* actiones, ad mystica directæ fuerint Sacramenta, æqua ratio postulat, ut motiva examinemus, ob quæ S. Matrem suam, funestæ illi mortis suæ tragœdiæ, in monte Calvariæ præsentem esse voluerit; maxime cum non constet, eamdem multis aliis mysteriis, quantumvis eximiis, a Christo patratis, aliquando adstitisse præsentem.

**2.** — *Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* Simon de Cassia, auctor antiquus, pius et ingeniosus, hanc circa prædicta verba habet reflexionem : « Stat juxta crucem opprobrii, atque pœnarum, « quia Heva stetit juxta suave lignum; vidit illa « prima omnium mulier, quod bonum esset lignum, « vidit Virgo virginum, quod crux utique melior « futura futuris credentibus esset, quia illud dam- « nationem, ista germen edidit in salutem; et illud « lignum bonum ex natura, lignum vero crucis « potius ex gratia. » Porro ruina humani generis ab Adamo et Eva machinata fuit. Ad resarciendum igitur damna, quæ in universum transfuderunt genus humanum, Filius Dei mox ab infausto illo die, in paradiso terrestri lignum sibi studiose elegit, e quo formaretur patibulum, in quo in progressu sæculorum crucifigi volebat. Unde Ecclesia canit : « De parentis protoplasti fraude factor con- « dolens, quando pomi noxialis morsu in mortem « corruit; ipse lignum tunc notavit, damna ligni « ut solveret. » Sub cruce in monte Golgotha primus Adam sepultus jacebat, super cujus cadaver sanguis secundi Adami guttatim stillabat; merito igitur ibidem Mariam in persona præsentem esse voluit, utpote de qua sancta Ecclesia canit : « Quod « Eva tristis abstulit, tu reddis almo germine. « Sumens illud ave Gabrielis ore, mutans Evæ, « nomen. » Sicut Eva ex arbore vetita pomum decerpendo, omnis nostræ ruinæ instrumentum extitit, ita Filius hominis Redemptor voluit, ut Virgo fructum illum, de quo sibi dici audivit : *Benedictus fructus ventris tui* (licet tunc *maledictus esset qui pendet in ligno*) videns, per dolorum suorum amaritudinem, cooperaretur et ipsa generis humani saluti et restaurationi. Unde Taulerus meditando ait [1] : « Sicut Eva usurpans temere de arbore scien- « tiæ boni et mali, homines in Adam perdidit, ita « tu de arbore crucis dolorem in te suscepisti, « satiataque amaritudine, una cum Filio tuo homi- « nem redemisti. »

**3.** — *Stabat autem juxta crucem,* etc. Cum Filius Virginis Mariæ peccatorum operaretur Redemptionem, ejus vero Mater eorumdem futura esset refugium et advocata, minime convenisset, illam ab hoc loco, in quo tunc peccatores actualiter Æterno Patri reconciliabantur, procul esset et remota. S. Bonaventura in Officio de compassione Matris in passione Filii, a se composito, sequens inserit responsorium [1] : « Virgo tuum Filium in cruce concla- « vatum, redde tuis precibus, miseris placatum; » id quod in conversione boni latronis egregie præstitit, nam tametsi, ut suo loco diximus, bonus latro a principio simul cum sodali suo Christum blasphemasset; attamen Virgo per interpositam intercessionem suam eum resipiscere et vere ad Deum converti fecit, atque ab illo tempore pro peccatorum conversione intercedendi munus inchoavit, ejusque possessionem aggressa fuit. Unde S. Bernardinus de ipsa in hæc verba scribit [2] : « Tota « commigraverat in Dilectum et dum ille corpus, « ista spiritum immolabat. Sed qua parte stabat « Virgo juxta crucem? Utique ad sinistram Christi « juxta Alexandrum de Ales, scilicet ut pro pecca- « toribus Filium exoraret, qui a sinistris Domini « sunt. » S. Bonaventura in oratione quadam ejusdem Officii, hisce verbis dolorosæ Matri supplicat [3] : « Propter doloris gladium, qui pertransivit animam « tuam, Virgo dulcissima, quando Filium tuum « dilectissimum cernebas nudum, in cruce levan- « dum, clavis perforatum et per omnia laceratum « plagis, ac verberibus, nec non et vulneribus; « adjuva nos, ut cor nostrum nunc compassionis et « compunctionis gladius perfodiat, divinique amo- « ris lancea vulneret, ita ut omnis peccati sanguis « effluat a pectore nostro et a noxiis vitiis emun- « demur. »

**4.** — *Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* Ex quo ictus lanceæ mentionem fecimus, minime prætereundum est id, quod observavi, scilicet, quod cum Redemptor noster supra omnem modum pro amore nostro patiendi avidissimus esset, sciretque ictum lanceæ lateri suo infixæ pro Redemptione nostra cassum futurum esse et inutilem; siquidem ipsi jam mortuo infligendus erat, quando neque in statu merendi positus, omnisque doloris percipiendi incapax esset, cum jam anima e corpore existeret separata; sapientissima sua providentia disposuit, ut ibidem dolorosa Genitrix ipsius præsens adesset, atque in ipsius conspectu ferrum illud latus suum penetraret, ad eliciendum e defuncto corpore suo sanguinem, multo magis vero ad cor ejus transfigendum, ut hac ratione per excessivum compassionis suæ dolorem, humanæ redemptioni aliquale meritum accresceret, illudque cum Filii sui doloribus conjungeret. S. Bernardus in sermone quodam ad Virginis Mariæ honorem ita scribit [4] : « Ipsius

[1] TAUL., c. 18.

[1] S. BON., t. VI *in Offic. Compas. B. M.* — [2] S. BER. t. I, s. 55, a. 2. — [3] S. BONAV., *ib.* — [4] S. BERN., ser. *Signum magnum.*

« plane non attigit animam crudelis lancea, sed « tuam utique animam pertransivit; ipsius quidem « anima jam ibi non erat, sed tua plane inde « nequibat evelli. » Mox vero notabilem quamdam et præcedentis discursus proposito convenientem, subnectit propositionem, inquiens : « Tuam ergo « pertransivit animam vis doloris, ut plusquam « martyrem non immerito prædicemus, in qua ni- « mirum corporeæ sensum passionis excesserit « compassionis affectus. » Idem mellifluus Doctor, a S. Bonaventura, caput secundum S. Lucæ commentante, citatus, inquit [1] : « Dum perforatur lan- « cea ille tuus Jesus, omnium quidem, sed specia- « liter tuus, tuam ipsius animam mundam gladius « pertransivit, quia jam ille exspiraverat; unde te « plusquam martyrem prædicamus. » Porro omnia alia Filio Virginis in decursu passionis suæ, usque dum in cruce expiraret, illata vulnera, ambobus scilicet Matri et Filio fuere communia (prout in discursibus antecedentibus probavimus); at vero ictus lanceæ solum transfixit cor Mariæ, tametsi materia liter etiam cor Redemptoris sauciarit, unde certo quodam modo Apostolo ad Colossenses scribente gloriari potuit dicendo [2]: *Adimpleo quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Deipara Virgo S. Birgittæ revelavit, dicens [3] : « Cum extraheretur hasta, apparuit cuspis « rubea sanguine : tunc mihi videbatur, quod quasi « cor meum perforaretur, cum vidissem cor Filii « mei charissimi perforatum. »

**5.** — *Stabat autem juxta crucem Jesu,* etc. Auctor quidam contemplativus Salvatorem nostrum per hoc nos docere voluisse asserit, duo præcipue esse adversus infernum et peccatum potentissima et efficacissima remedia; crucem videlicet et Virginem; de quibus Regius Psaltes prophetice dixit [4] : *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt;* ubi per virgam Virgo Sanctissima intelligitur, de qua Isaias vaticinatus est, dicendo [5] : *Egredietur virga de radice Jesse;* per baculum autem crux figuratur, de qua Jacob in Genesi ait [6]: *In baculo meo transivi Jordanem istum et nunc cum duabus turmis regredior.* Cum hoc baculo verus David infernalem aggressus est Goliath eumque prostravit. Prædictus igitur contemplativus insinuare nobis voluit, quod tum per devotionem erga Christi passionem exercitam, simulque per Sanctissimæ Matris ejus intercessionem, in majoribus angustiis nostris, id est, in puncto mortis consolandi simus. Porro Evangelistæ toto tempore Passionis Christi, inter tot agoniæ et sudoris sanguinei in horto Gethsemani e poris expressi, captivitatis, præsentationis coram Anna, Caipha, Pilato et Herode factæ, flagellationis item et progressus ad montem Calvarium insignia mysteria, nullam Mariæ fecere mentionem; solus S. Joannes dicit : *Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus*; unde oritur quæstio, quænam causa fuerit, quod cum ob eum præcipue finem cruci adstaret, ut eamdem Joanni in locum Matris consignaret; Christus omnia sibi eventura præsciens et prævidens, eumdem Matri suæ non recommendaverit, quando die præcedenti e cœnaculo Sionitico recessit? Numquid aliæ deerant idipsum faciendi occasiones? Cur Joannem Matri et Matrem Joanni recommendare distulit, donec vicinus esset morti, jam jamque exspiraturus? Nimirum per hoc fideles et sequaces suos, quorum dilectus discipulus figura erat, docere voluit, quod in fine vitæ suæ confidenti animo ad Sanctissimam Matrem suam se convertere, eamque in adjutorium invocare debeant; ac proinde S. Ecclesia nos docuit, ut hisce ad eam verbis confugiamus [1] : « Maria Mater gratiæ, « Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege et « hora mortis suscipe. » Ad hoc quoque duæ in Officio compassionis a S. Bonaventura compositæ Orationes alludunt, quarum prima est [2] : « Propter « angustias et cruciatus, quos cor tuum sustinuit, « Virgo Beatissima, quando audisti Filium tuum « dilectissimum adjudicatum morti et crucis supplicio, succurre nobis tempore infirmitatis nostræ, quando corpus nostrum dolore infirmitatis « cruciabitur et spiritus noster hinc propter insidias dæmonum, illinc propter terrorem districti « Judicis angustiabitur, subveni nobis, Domina tunc, « ne damnationis æternæ contra nos proferatur « sententia. » Secunda vero Oratio hæc est : « Propter tormentum quo torquebatur spiritus tuus, o « Virgo, quando juxta crucem, Filium tuum, præ « doloribus voce magna clamantem, te Matrem « dilectam Joanni commendantem attendebas, succurre nobis in fine vitæ nostræ et maxime tunc, « quando lingua nostra nequiverit se ad te invocandum movere, cum oculi nostri lumine privabuntur, aures surdescent et obturabuntur, omnesque vires sensuum nostrorum deficient. » Salvator noster in deserto et super pinnaculo templi, nec non super montem a Sathana tentatus fuit; et licet hunc fortiter satis a se repulerit, attamen S. Lucas ait [3] : *Consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.* Hoc autem tempus, in omnes vires suas exserere distulit, aliud non fuit, quam tempus mortis suæ, in monte Calvario toleratæ, ut Glossa ait; et ideo cum per sanguinis sui effusionem animarum nostrarum operaretur salutem, probeque sibi perspectum haberet periculum, quod dæmones hominibus in extremo vitæ adferre solent, operæ pretium esse duxit, exemplo suo, suaque assistentia et per Sanctissimæ Matris suæ invocationem nos defendere; hanc enim

[1] S. Bern., cit. a S. Bonav. in c. 2 *Luc.* — [2] Coloss., I, 24. — [3] *Revel. S. Brig.*, l. I, c. 10. — [4] *Ps.* xxii, 4. — [5] Isa., xi, 1. — [6] Genes., xxxii, 10.

[1] S. Bon., t. VI, in *Offic., ib.* — [2] Luc., iv, 13.

in tali occasione nostram declaravit advocatam et quidem in articulo mortis præcipue.

**6.** — *Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* D. Angelicus super S. Joannem scribens, aliud nobis insinuat mysterium, inquiens[1] : « Nota secundum S. Augustinum quod Christus in cruce pendens, se habuit sicut Magister in cathedra; unde et docet nos, parentibus existentibus in necessitate subvenire et de eis curam habere, ut dicitur Exodi c. xx. » Eamdem doctrinam Dionysius Carthusianus his verbis tradit[2] : « Ex hoc facto Christi docentur filii habere ordinatam ac debitam curam suorum parentum, præsertim in tempore tribulationis et necessitatis.» S. Cyprianus de hac recommendatione sanctissimæ Matris suæ a Christo S. Joanni facta, ita scribit[3] : « Considero te in cruce de Matre sollicitum, cui volenti loqui tecum, cum evangelizares (Lucæ, cap. VIII), negaveras retroactis diebus colloquium et prætuleras Matri auditores verbi, dicens, eos tibi esse pro matre et fratribus, qui voluntati Patris obtemperant. Nunc materno moveris affectu et thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendas; et provides sedulo benedictæ inter mulieres Apostolicam clientelam et obsequium Virginis virgini discipulo tradis; et jam non Joseph tanti mysterii oneratur præpositura, sed Joannes, quia jam exigebat ratio, ut conjugii removeretur opinio, nec ultra pater Christi æstimaretur. » S. Cyrillus Alexandrinus idem quoque tangit motivum, inquiens[4] : « Honorandos esse parentes, docere nos voluit. »

**7.** — *Stabat autem juxta crucem,* etc. Taulerus aliud quoddam hujus assistentiæ Marianæ meditatur mysterium, dum ait[5] : « Ut Pater cœlestis unicum Filium suum in ara crucis vivam obtulit hostiam et quotidie adhuc offert in sacramento pro salute hominum, quo perpetuus esset inter ipsum et homines intercessor, ita et electam Filiam suam Beatam Virginem Mariam dure pati permisit, ejusque oblationem in gratum suscepit sacrificium, ad utilitatem et salutem totius humani generis, quo et ipsa perpetua esset mediatrix inter Deum et homines. » Cum enim et Matrem, quæ humanitatem, in qua patiebatur, ei subministraverat, aliquo saltem modo, universali hominum redemptioni cooperari vellet; ideo ut et ipsa sub patibulo præsens existens, acerbissimorum suorum dolorum particeps fieret, provide disposuit : « Voluit adstare sibi Matrem, » inquit Lanspergius[6], « in doloribus, ut ex iis quæ oculis foris cerneret, intus animo vulneraretur et quod Filius pateretur foris, ipsa intus pateretur. » At vero quonam fine incarnata Sapientia (cui devotæ turbæ olim honorifice acclamabant[1] : *Bene omnia fecit.* Matrem suam innocentem et immaculatam, quam incredibiliter diligebat simul secum pati, omniumque asperrimorum tormentorum suorum consortem fieri voluit? Respondet Lanspergius ibidem : « Ut sic Christi Passionis, redemptionis quoque nostræ fieret particeps et cooperatrix, quomodo Incarnationis fuerat divinæ. » Quæ doctrina optime correspondet illi, quod Taulerus in eodem cap. XVIII, in hæc verba meditatur : « Sicut electa erat a Deo, ut in generatione humani generis Redemptionis cooperaretur; ita nihilominus et in passione huic etiam voluit cooperari, ut quemadmodum parens nobis fuit, generans nobis Salvatorem, ita et liberatrix esset, portans intrinsecus passionis crucem cum Filio suo et doloris sentiens gladium peracutum. » Idem quoque Taulerus ibidem cap. XLIV, duo nobis in monte Golgotha sacrificia, duo quoque altaria repræsentat, inquiens : « Jam vere duo hic videre erat altaria, cœlesti Patri præparata; unum in Christi corpore, alterum in corde Virginis Matris. Christus quidem carnem suam et sanguinem obtulit. Maria animam suam; et certe optabat Mater dulcissima sanguinem suum miscere sanguini Filii sui, ut cum ipso simul humanæ Redemptionis officium exequeretur; sed privilegium hoc solius erat Pontificis, ut cum sanguine intraret in sancta sanctorum; unde tametsi sacrificium suum, sanguinem pro Deo foris fundendo, Virgo Beata perficere non potuerit, intus nihilominus cum ferventissimo amoris atque doloris igne decoxit et absumpsit. Et certe obtulit Deo gratum sacrificium, quemadmodum Propheta ait : *Cor contritum,* etc. Loco sanguinis profusas obtulit lachrymas et inter suavissimi fumi thuris accensi, gemitus illius in cœlum ferebantur. »

[1] S. THOM., *in Joan.* — [2] DION. CARTH., *in Joan.* — [3] S. CYPR., *de Pass.* — [4] S. CYRIL. ALEX., l. XII *in Joan.* — [5] TAULER., *ib.* — [6] LANSP., h. 88.

## DISCURSUS XI.

### B. VIRGINIS, SUB CRUCE FILII CONSTITUTÆ, CONSTANTIA PONDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Omnes piæ mulieres stabant quidem mœstæ sed a longe, B. V. autem stabat juxta crucem Jesu. — 2. Christus studio disposuit ut mater ejus staret juxta crucem suam. B. V. juxta crucem stantis expenditur constantia. — 3. Sunt duo actus fortitudinis. — 4. Fortitudo et constantia B. V. lente præcelluit constantiæ matris Machabæorum. — 5. B. V. comparatur Resphæ, quæ filiis in crucem actis, die nocteque constanter astitit. — 5. Fortissima Virgo juxta crucem stans, assimilatur palmæ. — 7. Fortissima Virgo comparatur adamanti.

*Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* Joan., XIX, 25.

**1.** — Sancta Mater Ecclesia, præ cunctis aliis

[1] MATTH., VII, 37.

Apostolis, de S. Joanne, dilecto Dei discipulo et Evangelista, ita canit : « In medio Ecclesiæ ape-« ruit os ejus et implevit eum Dominus spiritu « sapientiæ et intellectus ; utpote qui fluenta Evan-« gelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte pota-« vit ; » hic autem S. Evangelista, juxta sanctissi-mam Virginem in monte Calvariæ constitutus, ejusque admirans invictam et heroicam constantiam, eamdem per verbum *stabat*, egregie expressit: nam ut S. Laurentius Justinianus ait [1] : « Undique « vehementissimi doloris aspiciebat insignia et « tamen juxta crucem stabat. » Porro ex textu Matthæi, Beatam Virginem a multis devotis mulieribus associatam fuisse, clare deducitur ; ait enim sacer Evangelista [2] : *Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes illi : inter quas erant Maria Magdalena et Maria Jacobi et Joseph Mater et mater filiorum Zebedæi.* S. Joannes quoque Mariæ Cleophæ et Mariæ Magdalenæ meminit. S. Marcus pariter ait [3] : *Erant autem et mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalena et Maria Jacobi minoris et Joseph mater et Salome.* S. Lucas denique de iis ita scribit [4] : *Stabant autem omnes noti ejus a longe et mulieres quæ secutæ erant a Galilæa, hæc videntes.* De omnibus autem hisce devotis Mariis S. Marcus et S. Lucas aperte testantur, quod mœstæ quidem et dolentes in monte Calvariæ steterint, sed procul a patibulo : *de longe aspicientes,* inquit S. Marcus, *a longe* dicit S. Lucas : non vero sic magna et generosa Dei Mater ; de hac enim S. Joannes dicit : *Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* Adeoque hæc veritas non solum a Spiritu Sancto dictata fuit, verum etiam hujus testem habemus oculatum Evangelistam illum et Apostolum, qui juxta illam steterat ; ut vere dicere possimus : *Qui vidit, testimonium perhibuit.*

**2.** — Salmeron hanc Virginis Mariæ juxta crucem viciniam, a Filio ejus dispositam fuisse, dicit[5] : « Ut in illa præsente et dolores Filii spectante, « gravius pateretur, non tantum in se, sed in « amantissima Matre : et Virgo non solum in « seipsa, sed in Filio suo charissimo cruciaretur, « utpote cujus clavi manus, ac pedes suffigentes, « cor matris penetrabant. Hinc *juxta crucem* esse « dicitur, corpore scilicet ; nam mente atque animo « in ipsa cruce Christi erat, sicut et Christus in « Matre ; habebantque se tanquam duo specula, « mutuo se spectantia, ita ut quidquid esset in « uno, esset quoque suo modo in altero. » Taulerus hanc magnæ Matris admirans constantiam, eamdem his verbis interrogat [6] : « Unde tanta tibi « fortitudo ? non utique ferreum, aut saxeum « habuisti corpus, ut hodie toties doloris gladio « conficereris, toties crucifigereris una cum Filio « tuo, ac nihilo secius fixo et constanti animo et « corpore perstares. Forsitan truces illi, atque « horridi clavi et te pariter ita detinebant in cruce « Filii tui, ut collabi non posses. » Cardinalis Toletus in commentario super Joannem ita scribit [1] ; « Perpende constantissimum Beatissimæ Virginis « erga Filium amorem, plenum fide et fortitudine : « non enim timuit, nec erubuit inter tam feros et « multos inimicos, quamvis Mater ejus qui crucifi-« gebatur, agnosceretur assistere et publico in « loco, omnibusque conspicuo stare. » In hujus autem amoris et constantiæ suæ præmium, meruit a Filio suo defendi, ne ullam a lictoribus et satellitibus pateretur injuriam ; nam ut Arnoldus Carnotensis ait [2] : « Non est passus Christus, ut Judaica « rabies in sanctuarium suum profanam mitteret « manum, vel aliqua infestatione violaretur illud « templum Spiritus Sancti. Positus est fidelis ædi-« tuus ad tanti thesauri custodiam. » Lanspergius verbum *stabat* ponderans ait [3] : « Vere *stabat*, quia « Apostolicis viris fugientibus, omnibusque aliis « recedentibus, quando jam Jesus ad dexteram « considerabat et sinistram, et non erat qui cogno-« sceret eum ; ipsa gloria universi generis fœminei, « inter tot pressuras Filii constanter cum eodem « sola perseverabat. » Enim vero individua hujus sexus comes esse solet verecundia et solitudo, quam Virgo sanctissima tot annis observaverat, utpote quæ ut plurimum cum nullis aliis præterquam cum Angelis conversari solebat ; et tamen in hac occasione, ut notat Beatus Amadæus [4] : « In tanta « posita adversitate, nec resolvit pudorem verecun-« diæ, nec amisit vigorem constantiæ. » Licet enim cum illa militum gentilium, lictorum, carnificum, Judæorumquæ capitalissimorum Filii sui inimicorum insolentissima turba permixta staret, non tamen ob id suam amisit verecundiam et tolerantiam.

**3.** — Doctor Angelicus duos distinguit fortitudinis actus, scilicet [5] : « Res adversas sustinere, res « arduas fortiter aggredi. » De quorum primo actu in discursibus præcedentibus fusius disseruimus ; quod vero secundum actum attinet, quamnam desiderare possumus in Virguncula quadam solitaria, verecunda, inermi et delicata fortitudinem et generositatem majorem, quam quod in densam carnificum turbam, inter gladios militum et carnificum lanceas penetrarit, ut ad pedem crucis Filii sui sine impedimento pervenire posset ? *Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* In libris Machabæorum dicitur [6] : *Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ et mori ad acuendos in prælium.* Quemadmodum igitur coloris sanguinei aspectus elephantis vires sugge-

[1] S. Laur. Just., *de Triumph. Chr. agon.* — [2] Matt., xxvii, 55. — [3] Marc., xv, 40. — [4] Luc., xxiii, 40. — [5] Salm., t. X, tr. 41. — [6] Taul., c. 44.

[1] Tolet., *in Joan.* — [2] Arnold. Carn., *de 7 Verbis.* — [3] Lansp., h. 48 *de Pass.* — [4] B. Amadæus, h, 5. — [5] S. Thom., 2. 2., q. 133, a. 6. — [6] I Mach., vi, 34.

rebat et audaciam ad præliandum : eadem quoque proportione nos dicere possumus, quod Virgo Mater ex cruentæ humanitatis Filii sui aspectu suam mire adauxerit constantiam et virtutem heroicam. S. Ambrosius, a S. Thoma in catena citatus, inquit [1] : « Mundum quidem alii concussum in Passione « Domini conscripserunt, cœlum tenebris obduc- « tum, refugisse solem, in Paradisum latronem, « sed post piam confessionem, receptum. » Quis enim non admiretur eam quæ Creatore in patibulum suspenso accidit, totius mundi commotionem ; siquidem ut superius ex S. Leone diximus : « Pen- « dente in patibulo Creatore omnis creatura conge- « muit ; » et tamen in hisce totius universi ruinis, quando divisi sunt montes, terra a fundamentis suis contremuit, durissimæ petræ disruptæ sunt, de hac magna Matre dicitur : *Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus* : nimirum sub illo crucis trunco, coram Filio suo immobilis, intrepida et in pedes erecta stabat. Multum quoque huic proposito deservit, quod Seneca moralis in libro cui titulus est : *Quare bonis viris mala accidant, cum sit providentia*, de Catone in hæc verba scribit [2] : « Ecce spectacu- « lum dignum, ad quod respiciat intentus operi « suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum « mala fortuna compositus, utique si et provocavit. « Non video, inquam, quid habeat in terris Jupiter « pulchrius, si convertere animum velit, quam ut « spectet Catonem, jam partibus non semel fractis, « stantem nihilominus inter ruinas publicas rec- « tum. » Tametsi in illo terræ motu universa terra contremisceret, tametsi cœlum, elementa et totum conquassaretur universum, *stabat tamen juxta crucem Jesu Mater ejus* : quo spectaculo Filius ejus nullum unquam gratius, aut mirabilius conspexit ; et ideo licet oculi ejus a spinis transfixi essent, sanguine conspersi, sputisque et aliis spurcitiebus contecti, illos tamen aperuit et in Matrem defixit, testante sancto Joanne qui ait : *Cum vidisset ergo Jesus Matrem stantem.* « Non video, quid habeat in « terris pulchrius, si convertere animum velit, « quam ut spectet Matrem stantem inter ruinas « publicas. »

**4.** — Inter omnes veteris Testamenti sanctos, Ecclesia sanctos Machabæos, relictis tot aliis Patriarchis et Prophetis, sanctitate et meritis eminentibus, specialiter Divino Officio prima die Augusti celebrando privilegiavit. In horum vero historia, speciali admiratione digna est invicta illa mater, quæ septem filios suos tanta cum generositate ad martyrium animavit ; veumtamen observandum est, quod sacer textus dicat [3] : *Contigit autem; et septem fratres una cum matre sua comprehensos compelli a Rege, etc.* Unde colligitur, ipsam se sponte propria Antiocho minime obtulisse, sed una cum filiis ab eo in vin-

[1] S. Amb., in Cat. ù. Thom. *in Joan.* — [2] Senec., l. *Quare bonis viris.* — II Machab., vii, 1.

cula fuisse conjectam. Longe igitur excellentior fortitudinis actus fuit ille, quem Beata Virgo sub cruce exercuit, siquidem ultro citroque, non vero capta cum Filio, neque ab hoc postulata, montem Calvariæ ascendens, prope crucem se statuit : *Stabat autem juxta crucem, etc.* In medium ferocissimarum turbarum, Filium suum crucifigentium, generose penetravit, atque in corde et anima omnes dolores, qui lacerum Christi corpus affligebant, intrepida sustinuit. Unde Guerricus Abbas in ejus laudem ita scribit [1] : « Plane mater, quæ nec in terrore mortis « Filium deserebat. Quomodo enim morte terreri « poterat, cujus charitas fortis ut mors, imo fortior « quam mors erat. » Ipsa evidenter amorem filialem in seipsa superiorem esse, omnemque terrorem morte ipsa horribiliorem vincere ostendit, « quia « *stabat juxta crucem* : cujus mentem dolor crucis « simul crucifigebat, suamque ipsius animam tam « multiplex pertransibat gladius, quantis confossum « corpus Filii cernebat vulneribus. » De hac eadem Machabæorum matre S. Augustinus ita scribit [2] : « A filiis non separata spectando et filiis addita « moriendo. Ferebat in oculis, quod in carne om- « nes ; nec solum non terrebatur, sed etiam exhor- « tabatur. » Quod ipsum multo magis de sanctissima Virgine asserere possumus, utpote a cujus oculis ad cor ejus omnia transmittebantur Filii tormenta, taliter ad divinum ejus beneplacitum conformata, ut, quemadmodum suo loco dicemus, illa ipsa, si opus fuisset, unigenitum Filium suum propriis suis manibus Æterno Patri pro humana redemptione in sacrificium obtulisset.

**5.** — Cum Gabaonitæ septem illos e stirpe Saulis crucifixos ad stipitem suspendissent, sacer textus de Respha, velut magnum virtutis actum, memorat, dicens [4] : *Non admisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem.* Et vere actio hæc superior fuit, quam quæ a sexu fœmineo, cœteroquin fragili et imbelli, expectari poterat ; quod scilicet inter noctis tenebras se solam feris opposuerit, ne cadavera illa lacerarent, aut devorarent. Porro de Virgine Deipara non minus vere asserere possumus, quod tam per diem quam per noctem crucifixi Filii sui continuo adstiterit ; per diem quidem, ut patet : per noctem vero, quia quando *tenebræ factæ sunt super universam terram*, nunquam crucifixum Filium deseruit, donec sepulturæ esset commissus ; et quoadusque potuit, ferociæ se carnificum (quos Scriptura animalium ferorum nomine appellat [4] : *Tauri pingues obsederunt me, sicut leo rapiens et rugiens*, generose se opposuit, effecitque, ne post mortem corpus ejus dilaniaretur aut crura confringerentur, juxta illud [5]. *Os non comminuetis ex eo.* Dignam meretur ponderationem,

[1] Guerr. Abb., s. 3 *de Assumpt.* — [2] S. Aug., s. 109 *de Append.* — [3] II Reg., xxi, 10. — [4] *Ps.* xxi, 13. — [5] Joan., xix, 36.

quod Novarinus ad hoc propositum in hæc verba scribit [1] : « Conspiciebat Maria Filii vulnera et « Filium suum agnoscebat, quia vulneratus fortiter « occubuisset : Filii sui notæ erant plagæ. » De Lacedæmoniis matronis ita scribit Plutarchus in *Apoph.* « Altera cum audisset, quod filius fortiter « in prælio se gerens occubuisset : nimirum, inquit, « meus erat : contra cum de altero audisset, quod « ob timiditatem prælium detrectans, salvus esset : « ergo, inquit, non erat meus. Potuit ergo et Virgo « vel ex vulneribus, veluti notis, agnoscere Chris- « tum Filium suum esse, sicut et nos ex Virginis « fortitudine, Matrem ejus fuisse deprehendimus. » Canisius in libro IV, de hoc mysterio fusius tractat, hancque maternam ponderans constantiam, inquit [2] : « Stabat, suæ virtutis atque constantiæ, « quæ rebus adversis probanda erat, memorandum « exemplum posteris præbitura ; quando quidem « nec tribulatio, nec angustia, nec periculum, nec « persecutio, nec gladius ; nec mors, nec vita, ne- « que alia creatura illam separare posset a chari- « tate Christi, cui mente cohærebat. »

**6.** — Inter alia præclara epitheta, quibus magna Mater a cœlesti sponso, id est, filio suo, honorata fuit, unus hic est [3] : *Statura tua assimilata est palmæ.* Porro palma naturali hoc prædita est instinctu, quod cœlum versus directe se in sublime erigat et quanto magis a pondere, quantumvis immenso, aggravatur, tanto minus non solum terram versus se inclinat, verum etiam pondus illud eidem servit, velut medium, ad tanto se eminentius et sublimius in cœlum erigendam. Ecce igitur, quam apte Maria sub cruce constituta palmæ assimiletur, quia quanto magis ingratæ et crudeles illæ turbæ contra innocentem Filium suum ferociebant, tanto illa reddebatur fortior : *Stabat autem, etc.* « Stabat sexu « imbecillis, » inquit Petrus Canisius [4], « animo « virilis et intrepida, ipsis etenim Apostolis fortior, « tanto licet impiorum et immanissimorum hos- « tium agmine circumsepta, tantoque sanctæ di- « lectionis igne succensa, ut neque Judæorum « furore, neque militum sævitia, neque compri- « mentium turba, neque doloris acerbitate, a sta- « tione sua posset dimoveri. » Guillelmus Parisiensis aliud quoddam hujus arboris insinuat præconium, inquiens [5] : « Per palmam, qua manum victoris « antiquo ritu ornatur, insigne illud, ac victoriosum « crucis lignum notatur ; cui nimirum Evangelista « staturam piæ Matris assimilatam insinuans, ait : « *Stabat juxta crucem,* inquit, sui *Jesu,* atque ea « ipsa quodammodo sibimet crux erat. » Salmeron ad memoriam nobis revocat Rachelem, quæ Beatæ Virginis figura exstitit ; ait enim [6] : « Stabat sicut « Rachel juxta therebinthum, parturiens cum do- « lore filium : stabat sub palma, sive juxta palmam, « ut Debbora fortisstma, spectans prælium Barach « contra Sisaram, id est, Christi in dæmonem. »

**7.** — Philosophi naturales de adamante scribunt, eum adeo esse fortem et impenetrabilem, ut ad repetitos malleorum ictus non confringatur ; sed tantum hoc ei eveniat, postquam arietis sanguine tingitur. Eodem modo tametsi omnes malleorum ictus in corde Matris resonuerint, clavique non tam in manus et pedes Redemptoris, quam in viscera ejus confixi fuerint ; attamen ad prosternendam ejus constantiam minime prævaluerunt, imo ne quidem ad tantum Filii sui occisi sanguinem conspectum, minime cessit vel inclinata fuit. Unde Taulerus his eam verbis alloquitur [1] : « At vero « multo fortius amor potentiss mus, ipsa quoque « morte fortior, te sustinuit, ut cadere nequires. « Stabas ceu fidei columna immobilis, ut leæna « insuperabilis, quæ raptis catulis, ad nullius oc- « cursum, minasve expavescit. » De Agar muliere Ægyptia, Abrahæ consorte, legitur, quod cum Ismaelem filium suum in Bersabeæ deduxisset solitudinem, in qua magna aquæ penuria erat, videns eum præ nimia siti de morte periclitari, eum sub arbore quadam positum dereliquerit, dicendo : *Non videbo morientem puerum.* Quid igitur de Deiparæ dicemus materno dolore, quando Filium suum audiens clamantem, *sitio,* nec tamen vel minimam aquæ stillam ei subministrare potuit, sed a lictoribus aceto et felle potari vidit ; « Vidit « suum dulcem Natum, morientem desolatum, dum « emisit spiritum ? » Profecto longe excellentior hic Filius est Ismaele, longeque præstantior Mater quam Agar ; et tamen fortis et constans remansit : *Stabat autem juxta crucem, etc.* Richardus de S. Victore de differentia, quæ intercessit inter sacrificium Abrahæ et hoc Beatissimæ Virginis holocaustum disserens, virtutemque ejus heroicam commendans, ita in ejus laudem scribit [2] : « Absit, ut dicamus, « vel credamus, B. Virginem Mariam propter me- « tum patiendi, vel timorem cadendi, mortis desi- « derio urgeri. De nullo enim sanctorum rectius « creditur, quam de ipsa, quod parata fuerit sem- « per, quantum in ipsa fuit, ad omnia tormentorum « genera pro Christi nomine sustinenda. Metu vero « cadendi quomodo urgeri potuit, quæ in carne, « qua Christi carnem genuit et nutrivit, nil contra- « dictionis portavit ? »

[1] Novarin., l. IV *Columba vir. excur.* — [2] Pet. Can., p. 2, l. IV. — [3] Cant., VII, 7. — [4] Petr. Canis., *ib.* — [5] Guil. Par., c. VII *in Cant.* — [6] Salm., *ib.*

[1] Taul., c. 44. — [2] Rich. de S. Vict., p. 1, *de differ. Sacr. Abr. a Sacr. B. M.*

## DISCURSUS XII.

BEATÆ V. MARIÆ, INTER EXCESSIVOS FILII DOLORES, EXTERIOR COMPOSITIO, EJUSQUE CUM VOLUNTATE FILII CONFORMITAS CONSIDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Omnibus notis et mulieribus a longe stantibus, sola Virgo intrepida stabat juxta crucem Jesu. — 2. B. V. non tantum corpore, sed et fide stabat juxta crucem. — 3. Discutiuntur actus interni B. V. stantis juxta crucem. — 4. Examinatur an B. V. juxta crucem stans lacrymas fuderit aut alios incompositos gestus ediderit. — 5. B. V. in passione filii omnino conformis fuit divinæ voluntati.

*Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* Joan., XIX, 25.

**1.** — Tametsi devotæ mulieres aliquot sanctissimam Virginem ad montem Calvariæ usque secutæ, crucifixionique Salvatoris intime compassæ fuerint, attamen ad patibulum propius accedere formidarunt, ad quod tamen Virgo Mater animose advolavit. Unde Georgius Metropolita Nicomediensis, auctor valde antiquus, in sermone quodam ait[1] : « Omnes « sane noti, nec non mulieres, quæ simul secutæ « erant, præ timore non audentes proprius accedere, a longe, ea quæ gerebantur, considerabant. « Mater vero propius semper assectata, propinquior erat et immobilis perseverabat. » S. Laurentius Justinianus Filium Virginis desolatam Genitricem suam his verbis alloquentem introducit[2] : « Cruciatus tuus transfigit me. Fas non est, ut « virginalis pudor homicidarum admisceatur cœtibus et ut aures tuæ Angelicis assuetæ colloquiis, « turbarum furentium clamoribus pateant. » Unde valde verisimile est, verecundam hanc Virgunculam in densa illa inimicorum Dei et implacabilium Filii sui persecutorum, lictorumque multitudine, supra modum fuisse afflictam. Cur igitur Æternus Pater personalem hanc ejus sub cruce assistentiam permisit? Audite hac de re in hæc verba disserentem Taulerum[3] : « Quia Pater æternus Unigenito « Filio suo nullum excellentius, vel præclarius, « quam crucis sive Passionis donum conferre potuit (hoc namque post ipsum, gratissimum, beatissimumque munus est, quod charissimis præstat « amicis suis) ideo et Virgini intemeratæ hoc ipsum « donum largitus est. » Cui dono ipsa per invincibilem quamdam tolerantiam cooperari optime novit.

**2.** — Lanspergius *stabat* hunc in modum interpretatur[4] : « Non corpore tantum, sed fide *stabat* : « perfecte enim credidit, et absque ulla hæsitatione tenuit, non penitus Christum interiturum, « sed prima die resurrecturum esse. » S. Antoninus vivam hanc, et indubitatam fidem solum in Virgine scintillasse arbitratur, non vero in dilecto discipulo ait enim, « Joannes, etsi usque ad crucem secutus « juxta crucem stabat corpore, a longe tamen « mente constitutus erat, nec ipse agnoscens divi- « tatem. Sola Beata Virgo stabat, fide elevata, et « fixa de ejus divinitate, expectans indubie suam « resurrectionem tertia die, ut merito dicatur » Maris Stella a stando, et lumen fidei mundo « naufrago retinendo. » Idem sanctus Archiepiscopus idipsum per quindecim candelarum declarat mysterium, quæ in septimana sancta accensæ, tandem omnes extinguuntur, unica duntaxat excepta, hoc enim dicit indicare stabilitatem fidei, in qua Beata Virgo in omnibus Passionis Filii sui pœnis semper radicata permansit. En verba sancti præsulis : « In hujus signum in triduano officio Dominicæ « passionis, cum quindecim candelæ accensæ pau « latim, et successive omnes extinguuntur, sola una « accensa absconditur, quæ post officium omnibus « præfertur ad illuminandum. Quindecim candelæ « accensæ designant duodecim Apostolos, et tres « Marias, Magdalenam, Salome et Alphæi, quæ præ « cæteris cum Apostolis videbantur fide illustratæ « et firmatæ; sed in illo triduo omnes extincti sunt « a lumine fidei deitatis Christi, solum in Virgine « remansit lumen fidei occultum, quod postea « omnibus patefactum est, ad omnes suo exemplo « illuminandos. » Similem prorsus doctrinam apud Richardum a S. Laurentio his verbis traditam reperio[2] : « Bene dicitur stabat, quia cum omnes « Apostoli vacillarent in fide, tempore Dominicæ, « Passionis, ipsa in fide stetit immobilis. » Idem auctor alibi ita scribit[3] : « In verbo standi, notatur « perseverantia in fide, ideo notabiliter dicitur « Joannis XIX quod stabat juxta crucem Jesu, ideo « dixerat Dominus, *Isa.*, LXIII : *Torcular calcavi solus* » *et de gentibus non est vir mecum*, non dicit, *mulier*. « Torcular mors, quæ sicut torcular vinum ab uvis « sic exprimit animas a corporibus humanis. Sed « Dominus pressus in hoc torculari, pressit ipsum « torcular, quia mortem devicit, et de se uva nobis « expressit calicem vini, vel sanguinis meracissimi, « quem bibimus in altari, et tunc vere potuit dicere : « *Non est vir mecum*, per firmam credulitatem, sed « sola hæc mulier cum eo mansit per fidem »

**3.** — Canisius de Deipara diffuse disserens, dum ad hoc mysterium descendit, specialiter quales fuerint Beatæ virginis actus interni, in quibus juxta crucem stans se occupabat, considerat, inquiens[4] : « Stabat, ineffabilem amoris flammam mente « revolvens, qua Filius ejus arderet. Tot hostium « probris atque injuriis adeo non exasperatus, ut

[1] GEORG. METROP., s. 8. — [2] S. LAUR. JUSTINIAN., *de Triumph. Chr. agoniz.*, c. 11. — [3] TAULER., c. 44. — [4] LANSPERG., h. 48 *de Pass.*

[1] S. ANTONIN., p. 4, tit. 15, c. 41, § 1. — [2] RICH. A S. LAUR., l. VI *de laud. Virg.*, fol. 387. — [3] ID., l. VIII, f. 491. — [4] PET. CANIS., l. IV *de Deipara.*

« quidquid perditi homines molirentur, id ultro « illis omnibus condonaret, utque summam illorum » crudelitatem excusaret ac pro salute scelestissimo- « rum sollicite precaretur. » Et paulo post subdit: « *Stabat* partim gratulabunda, quod Filium tam glo- « riose certantem, hostesque omnes brevi victurum « intelligeret, partim mœrore quasi confecta, quod « solum calcantem torcular Filium, et non humana « modo, sed divina virtute destitutum, et undique » suo conspersum sanguine, extremosque trahentem « spiritus conspicaretur, se vero hoc unico in » terris thesauros, suo fraudatum iri deberet. » Blosius Virginis *in* hac occasione meditans affectus sequentem subnectit aliam considerationem, dum ait [1]: « Attendens ut ille Filius suus acerbissimam « passionem, plenissima cum patientia, absque ulla » murmure, ex ingenti, atque ardentissimo erga « nos amore, cum gaudio spiritus pertulisset, ipsa « quidquid patiendum occurrebat flagranti deside- « rio, et astuanti dilectione cum lætitia tolerabat. »

**4.** — Porro an sanctissima Virgo lacrymas ab oculis ob excessivum suum dolorem effuderit, apud sanctos patres controversum relinquitur qui forte in sequentibus fundantur S Ambrosii verbis dicentis [2]: « Stantem lego, plorantem non lego. » Richardus a S. Laurentio similiter ait [3] : « Stare in illa cordis « amaritudine, magnæ adscribitur constantiæ ; ab- « stinere a lacrymis verecundiæ annotatur. » B. Amadœus sententiam sequens S. Ambrosii huic quoque opinioni se adhærere profitetur, dum ait : « Ad cujus rei probationem ait de ea B. Ambrosius: « Lego stantem juxta crucem Domini, non lego « plorantem. Stare namque in illa cordis amaritu- « tudine, magnæ adscribitur constantiæ : cohibere « a lachrymis, summæ verecundiæ annotatur. Cohi- « bebat illa lacrymas præ pudore ; stabat sublimis « sima quadam animi magnanimitate. Itaque nec « dolor excussit lacrymas , nec animum pœna « dejecit. » Verum enim vero pro contraria opinione « sententiam habemus Ecclesiæ, quæ in hymno *Stabat Mater dolorosa* ipsam vere plorasse aperte profitetur, dum immediate subjungit : *Juxta crucem lacrymosa.* Et quidem idipsum multi sacri interpretes diserte confirmant. Etenim Lanspergius in eadem homilia supra citata dolentem Matrem his verbis describit [4] : « *Stabat* quia decentissimis, gra- « vissimis, itemque honestissimis semper utebatur « moribus, unde quantocumque tabesceret dolore, « nihil tamen in opere, nihil in moribus, nihil in « gestu corporis, aut sermone indisciplinatum, « nihil immodestum, inverecundumve, aut non « sanctum, doloribus, maternave pietate superata « exhibuit. Non igitur vociferata fuit, non ejulavit, « non rugiit dolore, non se percussit, quomodo aliæ « interdum desolatæ faciunt mulieres; sed virginalis « disciplina, modestiaque singularis, dolorem in- « ternum ne turpiter erumperet foras, coercuit. « Nihilo tamen propterea minus sed multo etiam « vehementius intus dolebat, quod foris honestatis « maturitatisque causa suum non manifestabat « dolorem. » Potuisset quidem Filii sui defendere innocentiam totque calumnias, et improperia, quibus ipsum onerabant, facillime depellere; nec tamen ipsam, neque ad hunc, neque ad alium affectum, os suum aperuisse constat, ut virginalis status sui docentiam conservaret. Interius quidem in corde suo amare tristabatur, verumtamen exterius maturitatem exhibebat omnem, et compositionem. B. Laurentius Justinianus ipsam quoque lacrymosam his verbis repræsentat : « Erecta quidem stabat « tremulis genibus, voce rauca, lacrymis defluen- « tibus. » Enim vero nisi in se hujus nostræ humanitatis experta fuisset effectus, hæreticis utique occasionem datura fuisset dicendi, ipsam verum non fuisse hominem, utpote cui proprium est, in ejusmodi funestis occasionibus vehementer contristari ; tametsi aliunde ad virtutem probandam spectarit, per patientiam, et suæ voluntatis cum divina conformitatem excessum temperare doloris. S. Bernardinus B. Mariæ Virgini illud Threnorum cap. II, expressum lamentum : *Magna est velut mare contritio tua*; adaptans, inquit [1] : « Et hoc mare per « impatientiam non redundabat. Omnia flumina « intrant in mare, id est, in Mariam, et mare non » redundat, scilicet per impatientiam. » Metaphrastes similiter hanc apparentis, et exterioris doloris sui temperantiam tangit, inquiens [2] : « Dicunt « tii, qui de rebus hisce tractaverunt, Virginem ab « initio usque ad finem se fortiter, ac constanter gessisse, honesto quidem, et non indecoro utentem « motu, factis etiam ostendentem, se esse matrem, « sed matrem omnino illius, qui amico mortuo, « motum animi certis finibus continuit. » Porro in confirmationem hactenus dictorum, opportune deservit doctrina quædam S. Vincentii Ferrerii, qui postquam nonnullorum repudiasset opinionem, credentium beatam Virginem præ doloris excesso suos sibi evulsisse capillos, pectus percussisse, aliasque similes valdeque inconvenientes exercuisse gesticulationes, mox subdit [3] : « Cum amarum do- « lorem in corde gestaverit, nihil tamen fœdum « aut indecens gessit, nequaquam obliviscens fidei « Catholicæ et Virginalis pudicitiæ. Fides enim quam « habuit, in ea sola permansit, de Resurrectione Filii sui. Dolorem incomparabilem sic temperavit, « ne indisciplinatum quid committeret. Et Origines « in quodam sermone de Passione : Dolor conceptus « sic intra animæ suæ claustra detinebatur, nec « nimiæ impatientiæ, aut inordinationis signo ex-

[1] Blos., *Spir. inst. App.* 1, c. 2, n. 5. — [2] S. Amb., *in obitu Valent.* — [3] Rich. a S. Lauren., h. 5 *de mentis rob.* — [4] Lansp., *ib.*

[1] S. Bern., t. III, s. 2, a. 2. — [2] Metaph., s. *de Dom. Virg.* — [3] S. Vinc. Ferr., ser. *in Parasc.*

« terius se proderet, nisi in quantum lacrymarum « effluxio materni impetuosam anxietatem indica- « bat ; unde maximam compunctionem cum Christo « habuit. » Apud S. Bonaventuram, in procemio Officii, ab eodem de compassione Matris erga Christum crucifixum exhibita, compositi, sequentia quoad ejus dolorum me legisse memini : « Tantum « fuisse credamus dolorem, quantum unquam « dolere potuit de tali Filio talis Mater. Veruntа- « men, ait Bernardus, de lamentatione Virginis : « Rectum erat amoris et mœroris continens modum « Non desperabat, sed pie et juste dolebat. »

**5.** — Nulla unquam, sive inter spiritus Angelicos sive inter quælibet alia creata, inventa fuit creatura, divinæ voluntati conformior Maria. Et quidem hæc conformitas si unquam alias, in hac maxime resplenduit occasione. Taulerus inquit[1] : « Verisimile » est, Spiritum Sanctum omnes Deiparæ Vir- « ginis complexum esse vires animæ, forti- « terque sibi totam illius voluntatem, intellec- « tum, amorem, et affectum vendicasse, creatum « illius spiritum erigens ad gloriam Patris, eamque « legi, et Scripturis, quæ erant de Filio ejus, red- « dens subjectam. Unde sicut Christus non seipsum « quæsivit, sed gratissimam Patris voluntatem, et « salutem exequi animarum, ita et Maria unigenito « Filio suo non pepercit, sed et ipsa eum ultro ad « omnem illam obtulit Passionem, quam ab illo « Deus Pater exigebat, tolerandam. » S. Antoninus pariter hanc ejus admirabilem admirans conformi- tatem, inquit[2] : « *Stabat*, Dei voluntati conformata, « Sciebat Beata Virgo, quod Dei voluntas erat « Filium suum pati, et propter hoc in mundum « venerat, et Scripturæ, quæ satis sibi notæ erant, « hoc pronunciabant, quæ falli non poterant, et « cum in omnibus requiem quæreret, ut de ipsa « canitur, quæ non aliter vere quæritur, et possi- « detur, nisi conformando se divinæ voluntati se- « cundum rationem, ideo stabat, non murmurabat, « quod Filius innocentissimus pateretur. Non blas- « phemabat, Judæos quod ab eis, quibus tot fece- « rat beneficia, tam crudelite tractaretur. » Taulerus loco paulo ante citato hanc Virginis conformitatem prosequendo, inquit [3]: « Nec attendit doloris gla- « dium, quo cor suum scindendum erat, non « thesaurum pretiosissimum, quo privanda erat, « consideravit; nec denique una se hora omni « gaudio, solatio, ac ipso demum charissimo Filio « suo destituendam contuita est, sed totam se cum « omni facultate sua simul in gratissimam resigna- « vit Dei voluntatem, parata omnem ferre pressu- « ram, afflictionem, et gravissimos cruciatus, qui « hinc ei accidere possent. » Idem piissimus auctor excelsæ hujus virtutis aliud quoddam singulare subnecti encomium, dicens : « Ambiguum nulli esse « potest, Beatissimam illam Matrem, et Dominam « nostram, tanto erga Deum, et cunctos homines « amore flagrasse, adeoque salutem sitiisse ani- « marum, quod et ipsa libentissime crucis subiis- « set mortem, si ita visum fuisset omnipotenti Deo, « et quia id fieri non debebat, tantam intrinsecus « crucem, et dolorem sustinuit, quantum absque « cordis disruptione ferre potuit. » Idem diu ante in c. xxx in hæc verba scripserat [4] : « Neque tamen « insolitam aliquam præ se tulit deformitatem, non » ullam exhibuit forinsecus impatientiæ notam, « utique quæ se funditus Deo resignarat. » Mox ut sanctissima Virgo æternum hoc verbum concepit, Filius ejus, ut suo loco probavimus, suam exorsus est passionem, pro cujus ultima periodo mons Calvariæ deserviit. Sanctissima autem Virgo pœnas ejus in corde suo incessanter ferebat, in quas, sicut ad quævis alia, voluntatem suam conformavit, quando dixit : *Fiat mihi secundum verbum tuum.* S. Antoninus Deiparam his verbis alloquitur [5] : « Ita divinæ voluntati conformis fuisti, ut salutis « humani generis avidissima esses; ut dicere au- « deam, quod si nullus fuisset repertus, qui illum « crucifigeret, ad hoc ut sequeretur salus hominum, « et adimpleretur voluntas Dei secundum rationas « si oportuisset, ipsa posuisses, in crucem. Neque « enim credendum est, minoris fuisse perfectionis, « et obedientiæ ad Deum, quam Abraham, qui pro- « prium filium obtulit Deo in sacrificium, propriis » manibus occidendum, et comburendum. »

[1] Taul., c. 44. — [2] S. Ant., p. 4, tit. 10, c. 43, § 1.
[3] Tauler., *ib.*

## DISCURSUS XIII

BEATA VIRGO REDEMPTIONI A FILIO CONSUMMATÆ QUANTUM SCIVIT ET POTUIT, COOPERATA FUIT; AC PROINDE DUM SE IN HUNC EFFECTUM EODEM DILECTO FILIO SUO SE PRIVARI LIBENTER PERMISIT, NOSTRA QUOQUE FACTA EST MATER.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus voluit habere matrem suam cooperaticem nostræ redemptionis. — 2. B. V. cum filio suo obtulit se in holocaustum pro redemptione omnium hominum. B. V. in passione filii pro ipso nec aperuit os suum, ne impediret redemptionem generis humani. — 3. Lacrymosi oculi B. V. comparantur piscinæ in Hesebon, sive aquis, Siloe. B. V. sponte se obtulit immolandam cum filio suo pro redemptione nostra. — 4. Quia B. V. pro nostra salute libenter filio suo se privavit, omnium nostrum Mater effecta est. — 5. B. V. sub cruce nos peperit in filios adoptivos.

*Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.*
Joan. XIX. 25

**1.** — Inter alia mysteria ob quæ Filius Dei deso-

[4] Id., c. 30. — [5] S. Anton., *ib.*

latam Genitricem suam, in monte Calvario, funestæ mortis suæ tragœdiæ languido corde præsentem esse voluit, unum hoc fuit quod B. Virgo S. Birgittæ revelavit, inquiens[1] : « Sicut Adam, et Heva « vendiderunt mundum pro uno pomo, sic Filius « meus, et ego redemimus mundum quasi cum uno « corde. » Porro quod Redemptor noster disposuerit, ut Mater ejus, quantum et possibile erat, humanæ quoque Redemptioni cooperaretur, idipsum variæ probant sanctorum interpretum auctoritates. Lanspergius in homilia XLVIII *de Passione Domini* cujus in præcedentibus discursibus frequentem fecimus mentionem B. V. Mariam humanæ cooperatam fuisse redemptioni, his verbis tradit : « Hoc itaqne « modo mutuum sibi augebant dolorem (nempe « Mater et Filius) voluit enim eam Christus coope- « ratricem nostræ redemptionis sibi adstare, quam « futuram nobis constituerat dare misericordiæ « Matrem. » Canisius de Virgine sub cruce stante disserens, eamdem nobis in duobus affectibus contrariis apparenter immersam his verbis repræsentat[2] : « Notat et Gerson nobilis ille Cancellarius, « Mariam non solum cum Jesu gaudente gavisam « esse, sed et cum flente flevisse, ac tempore « quidem Dominicæ passionis, tam in Filio quam « in Matre duplex quoddam canticum profundis- « simæ nimirum lamentationis, et altissimæ exul- « tationis repertum esse. Summum enim luctum, « nec minorem lamentationem, sicut super morte « Primogeniti, hæc pia Mater assumpsit, quæ simul « quoniam humanæ Redemptionis fuit singularis « amatrix suum Filium, suaque viscera in crucem « ac mortem durissimam tradi consensit, neque sine « gaudio talem hostiam, quæ toti mundo purga- « tionem et salutem adferret, una cum ipso Filio, « Patri cœlesti obtulit in odorem suavitatis qua « ratione illud implevit, quod a Paulo scriptum est : « *Hilarem datorem diligit Deus.* »

**2.** — Enimvero vespere antecedente Salvator noster in horto Gethsemani dixerat : *Spiritus quidem promptus est caro autem infirma*; ac proinde Maria, utpote tam digni Filii Mater, ex una quidem parte viscera sua ob internam quam erga tam atroces Filii sui dolores ferebatur compassionem dilacerari sibi sentiebat, ex alia vero parte passionem ejus primo quidem loco ad ipsam redimendam, postea vero ad totum genus humanum salvandum, ordinatam esse sciens, plurimum gaudebat, seque in hujus holocausti offerrebat consortem. S. Bonaventura ait : « Præcipue merebatur in Christi Filii sui « Passione beatissima Mater, et Virgo Maria, cui « patienti, quantum sexus muliebris fragilitas sus- « tinere poterat, compatiebatur. Nullo tamen modo « est dubitandum, quin virilis ejus animus, et ratio « constantissima vellet etiam tradere Filium suum « pro salute generis, ut mater per omnis conformis « esset Patri, et in hoc miro modo debet laudari « et amari, quod placuit ei, quod Unigenitus suus « pro salute geueris humani offerretur, et tantum « etiam compassa est, ut si fieri potuisset, omnia « tormenta quæ Filius pertulit, ipsa multo libentius « sustinuisset. » Reatus Amadæus Virginem afflictam huicque compassivo Filii spectaculo intentam exhibet, dicens[1] : « Aspiciebat, speciosa forma præ « filiis hominum non esse speciem, neque decorem « excelsum super omnes gentes despectum, et « novissimum reputatum. Sanctum sanctorum cum « sceleratis et iniquis affixum, cervicem sublimem « sustinentis omnia, humeris inclinatam pendere; et « tamen ut S. Joannes de ipsa scribit, *Stabat juxta « crucem* etc. Ante crucem stabat » inquit S. Ambrosius[2], « et piis spectabat oculis Filii vulnera, quia « expectabat non pignoris mortem, sed mundi salu- « tem. » Adeoque oculos mentis suæ, non tam in vulnera et lacerum Redemptoris corpus quam in salutem universalem, quam in patibulo operabatur, tenebat defixos. Præliabantur in corde ejus hinc amor maternus, quo Filii sui vitam desiderabat; istinc amor, quo totum prosequebatur genus humanum, pro cujus salutem Filius confixus pendebat. Unde Rupertus Abbas in persona Virginis ita loquitur[3] : « Optabam quidem, ut non moreretur talis « dilectus, sed amplius desiderabam humani generis « salutem. » Auctor quidam pius et contemplativus ad hoc se reflectit, quod scilicet beata Virgo, quæ ab Ecclesia *Sedes Sapientiæ* appellatur, in illa quidem occasione Synagogæ, et Judaismo facili negotio lumen, et notitiam Divinitatis Filii sui insinuare et persuadere, hacque ratione eumdem a probrosa illa morte eximere potuisset; nec tamen vel os suum, sive pro hoc, sive pro alio fine aperuit, ne communem humani generis Redemptionem impediret[4], *quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* In Revelationibus S. Mechtildi factis sequentia verba leguntur[5] : « Omni creatura « in morte Filii Dei dolente, ipsa sola cum divini- « tate immobilis et gaudens, Filium suum pro « mundi salute voluit immolari. » Idipsum S. Ambrosius de eadem Virgine in hæc verba scribit[6] : « Quia cognoverat, per Filii mortem mundi re- « demptionem secuturam, aula regalis putabat, se « et sua morte publico muneri aliquid additurum. « Sed Jesus non egebat adjutorio ad omnium re- « demptionem, quia dixit : *Factus sum sicut homo « sine adjutorio inter mortuos liber.* Suscepit quidem « Matris affectum, sed non quæsivit hominis auxi- « lium. » Ex quibus verbis liquet, S. Ambrosium non negare, quin Filius amorem, et consequenter

[1] *Revel. S. Brig.*, l. I, c. 35. — [2] PET. CAN., p. 2, l. IV, c. 28. — [3] MATT., XXVI, 41. — [4] S. BONAVENT., l. I *Incarnat.*, dist. 48.

[1] B. AMAD., h. 4. — [2] S. AMB., l. X *in Luc.* — [3] RUP. AB., l. I *in Cant.* — [4] I COR., II, 8. — [5] S. MECHTILD., c. 56. — [6] S. AMB., *ib.*

dolorem, et compassionem Mariæ acceptarit; siquidem dicit : « Suscepit Matris affectum. » Taulerus ait [1] : « Ea de causa Jesum secuta est, ut simul cum « eo suam ferret crucem. Idcirco accessit Calvarium, « ut cum eo intus spiritualiter crucifigeretur. » Ubi observandum est verbum *intus*, non enim extrinsecus suas dilacerabat vestes, aut evellebat capillos, vel pectus percutiebat, nec alia similia violentæ turbationis edebat signa ; sed *stabat*, id est, modestiam et constantiam servabat, licet intus in corde amarissime doleret.

**3.** — Sponsus in Canticis de oculis Sponsæ ait [2] : *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon.* At vero inquies : cur non potius lacrymosi ipsius oculi torrentibus assimilati fuerunt, juxta illud [3] : *Deduc quasi torrentem lacrymas?* Pro resolutione igitur sciendum est, Hierosolymis admirandam quamdam fuisse piscinam, Siloe denominatam, ad quam Christus cæcum natum destinavit, ut se lavaret, ex cujus spondis aquæ in magna copia dimanabant, ita tamen quod licet aliæ aquæ strepitosum quoddam murmur in cursu suo excitent, hæ tamen placide et in silentio fluebant; et ideo apud Isaiam dicitur [4] : *Aquas Siloe quæ vadunt cum silentio.* Quia igitur lacrymæ sanctissimæ Virginis nequaquam cum strepitu et ejulatu sociatæ erat, quemadmodum lacrymæ aliarum angustiatarum et dolentium mulierum; sed potius ex virtute heroica omnia fortiter tolerabat; ideo lacrymæ ipsius per hasce aquas figurantur, quia [5] *in silentio et spe erat ejus fortitudo.* Taulerus inquit [6] : « Quia Dei intelligebat esse voluntatem, ut una cum Filio suo pate« retur, sponte sese ad hoc obtulit, etiam mori « paratissima una cum Jesu, dulcissimo Filio suo, « pro salute ac redemptione miserorum. » S. Bonaventura, *in stimulo divini amoris*, sanctissimam Virginem his verbis affatur [7] : « O Domina, cur « ivisti immolari pro nobis? Numquid non suffi« ciebat Filii Passio pro nobis, nisi crucifigeretur « et Mater? O cor amoris, cur conversum est in « globum doloris? » Taulerus hac de re in alio quodam capite ita meditatur [8] : « Stabas juxta cru« cis arborem, ut hominis Redemptioni per dolo« rem acerbissimum cooperareris, aspiciendo vitæ « fructum, quemadmodum Heva hominem olim « perdidit, stando delectabiliter juxta arborem, « mortis fructum contemplando. » Idem pius auctor sacrificii metaphoræ insistendo, in cap. XXX dixerat : « Quemadmodum Christus Jesus ultro se « Patri obtulit hostiam vivam, pro salute morta« lium; ita et Virgo Beatissima, dulcissima Maria, « ipsa quoque Filium suum obtulit pro humani « generis salute, satisque ei gratius fuit suo desti« tui solatio, quam hominum impedire Redemptio« nem. » Arnoldus Carnotensis hanc tradit doctrinam, inquiens [1] : « In tabernaculo illo duo videres « altaria; aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore « Christi; Christus carnem, Maria immolabat ani« mam. Optabat quidem ipsa ad sanguinem Filii, « animæ et carnis suæ addere sanguinem et eleva« tis in cruce manibus, celebrare cum Filio sacrifi« cium vespertinum et cum Domino Jesu corporali « morte Redemptionis nostræ consummare myste« rium; sed hoc solius summi Sacerdotis privile« gium erat, ut de sanguine munus intra sancta « inferret. Nec poterat ei consors hæc esse cum « aliquo dignitas et in reparatione hominis, nulli « Angelo, nulli homini, cum eo fuit, aut esse « potuit, communis auctoritas. Cooperabatur ta« men plurimum, secundum modum suum, ad « propitiandum Deum, ille Matris affectus; cum « tam propria, quam Matris vota, charitas Christi « perferret ad Patrem, cum quod Mater peteret, « Filius approbaret, Pater donaret. » De hac autem Mariæ efficaci intercessione idem pius auctor distinctius in hæc verba loquitur : « Diligebat Pater « Filium et Filius Patrem, Mater vero post utrum« que ardebat, unumque erat, quod diversa exhi« bebant officia, quod Pater bonus, quod Filius « pius, quod Mater sancta intendebat, quod in « communi elaborabat dilectio, simulque se com« plectebantur pietas et charitas et bonitas, Matre « supplicante, Filio interpellante, Patre propitiante; « Filius ad pectus Matris et ubera; Pater ad Filii « crucem et vulnera respiciebat. Et quid inter hæc « tanta pignora non moverent? Quid illa sancti« tatis schola, nisi pietatem doceret, nisi miseri« cordiam informaret? » Idem Carnotensis paulo ante idipsum, quod in discursu præcedenti diximus, notavit, videlicet, sanctissimam Virginem sine ullo strepitu et turbatione externa sese in holocaustum obtulisse; ait enim : « Crux illa animæ et « patibulum spiritus, in qua erat hostia viva bene« placens Deo et medullatum holocaustum, quod « cum ipsa incenderet, tantum conscientiæ minis« terio utebatur, ipsaque sine strepitu seipsam « mactans in altari interiori, et ligna, et flammas, « et latices congerebat. »

**4.** — Cum igitur hæc pia Mater, utpote Redemptionis generis humani avidissima, libenter se Filio suo privarit; justum omnino erat, ut fœcunda omnium fidelium adoptivorumque filiorum suorum Mater fieret. Unde Rupertus Abbas inquit [2] : « Qua « vere ibi dolores tulit ut parturientis et in Pas« sione Unigeniti omnium nostrum salutem B. V. « Maria peperit plane omnium nostrum : Mater « est. » Verum enim vero, quærere hoc loco nonnemo posset, cur Salvator noster, qui salutis nostræ tantam habuit sollicitudinem, B. Virginem

[1] TAUL., c. 30. — [2] CANT., VII, 4. — [3] THREN., II, 18. — [4] ISA., VIII, 6. — [5] ID., XXX, 15. — [6] TAULER., *ib.* — [7] S. BONAV., *Stim. amor.*, c. 3. — [8] TAUL., c. 44.

[1] ARNOLD. CARN., *de 7 Verbis.* — [2] RUP. ABB., l. IV *in Joan.*

tamen nobis in persona dilecti discipuli sui in Matrem assignare, ad illud usque tempus distulerit, quo ipsa sub cruce stabat? Observandum igitur, quod quia matres filios suos cum ingenti dolore et sanguinis effusione in lucem enituntur, hinc ad illud usque tempus nos illi in filios consignare distulit, quo dolentissima et desolata sub cruce stetit. Unde patet, quod si ad imitationem ipsius, filiationis velimus esse participes, necessum sit, ut crucem quoque ejus et passiones participemus; ac proinde S. Bonaventura dicebat[1] : « O Domina, si non vis « mihi dare Filium tuum crucifixum, nec cor tuum « vulneratum, saltem quæso mihi tribue Filii tui « vulnera, contumeliasque, et illusiones, ac oppro- « bria, et illa quæ in te sentis. Quæ enim Mater « est, quæ si posset, et a se, et a suo Filio non « auferret passiones, et in suo poneret servo? Aut « si sic inebriata es istis, quod nec ea vis a tuo « corde, nec a tuo Filio separare, saltem o Domina, « illis ignominiis et vulneribus, indignissimum me « conjunge, ut tibi et Filio tuo solatium sit habere « socium pœnarum. » Verum revertamur ad probanda ea, quæ paulo ante asseruimus. Dionysius Carthusianus ait[2] : « Discipulus ille electus desig- « nat unumquemque fidelem; quemadmodum ergo « Christus dixit Joanni : *Ecce Mater tua*, sic uni- « cuique Christiano dedit Matrem suam in ma- « trem. » Filia Pharaonis Moysen juxta Nili aquas in suum adoptavit filium : Sanctissima Virgo pariter omnes fideles in suos filios adoptavit, quando aquæ tormentorum et mare Passionis vel maxime inundabant. Michol filia Saulis Davidem derisit, quando in processione Arcæ devotionem suam exhibiturus, se nudavit[3], *tanquam si nudetur unus ex scurris*. Hæc autem Michol Synagogam repræsentabat, quæ Christum in cruce nudum subsannavit; ac proinde perpetua quadam sterilitate mulctata fuit. At vero sanctissima Virgo, eo tempore, quo milites Filium suum vestimentis suis spoliarunt, eaque inter se sortiendo diviserunt, Filiumque suum velut vilissimum scurram unanimiter subsannarunt; eumdem tanquam verum Dei Filium agnovit et venerata fuit, et ideo facta est fœcunda genitrix cunctorum fidelium.

**5.** — Ludolphus Carthusianus ait[4] : « Ex hoc « articulo, ubi dictum est : *Ecce Mater tua*, intelli- « gitur, quod Virgo Beata non solum Joanni in « Matrem traditur, imo toti Ecclesiæ universisque « peccatoribus in Matrem assignatur, cum dicitur : « *Ecce Mater tua*, etc. Si o peccator, Maria est Mater « tua, ergo et Jesus est frater tuus et Pater ejus « Pater tuus; ergo et regnum ejus, et hæreditas « tua est, ergo gratia Mariæ, quam invenit apud « Deum, est thesaurus tuus. » Idem quoque punctum S. Bernardinus Senensis his verbis tangit[5] : « Mystice intelligimus in Joanne, omnes animas « electorum, quorum per dilectionem B. Virgo « facta est Mater. Filius enim in Græco nomen « amoris est, omnis enim Christi amor in amorem « Virginis transit, ut merito Filius, id est, amor « Virginis nuncupetur. Voluit Christus in cruce « pendens, antequam moreretur, per omnia præ- « ostendere charitatem, et quantum dignitatis hu- « manæ naturæ contulerat, ut firma spes esset « remeationis ad Patrem; unde si *dedit potestatem « filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus,* « quod non per naturam, sed penitus per gratiam « fit; cur non dedisset nobis, ut filii essemus Matris « ejus, quæ fit per gratiam, quæ infinitæ potentiæ « est, non per naturam, quæ est potentiæ limi- « tatæ? » Lanspergius in homilia sæpius citata eamdem hanc adoptionem his verbis observat[1] : « Debebat piissima Christi Mater sub cruce nos « parere filios adoptionis, ut quæ naturalis (hoc « est corporalis) esset Mater Christi, esset adop- « tione, atque spiritualiter omnium quoque nos- « trum Mater. » Idem Lanspergius in progressu ejusdem homiliæ verba illa : *Ecce Mater tua,* ponderans, inquit : « In hoc verbo haud modica nobis « est consolatio, scientibus non Joanni tantum, sed « omnibus Christi discipulis, omnibusque filiis gra- « tiæ de Maria Beatissima a Christo dictum : *Ecce « Mater tua.* O S. Maria, amodo non potes te « negare, deprehensa es Mater esse nostra. » Taulerus meditatur, inquiens[2] : « Quid magis consola- « torium a Christo nobis dici potest, quam hoc « ipsum : *Ecce Mater tua?* tanquam si diceret : Ecce « Mater vestra misericordiæ plena, ut vos filios « suos nunquam non suscipiat; plena item et gra- « tiæ, ut vos pascat, foveat et exsatiet. »

**6.** — Observanda hoc loco est notabilis quædam circumstantia; nam quando Christus Beatam Virginem S. Joanni in Matrem assignavit, non illum appellavit nomine proprio, nec Apostolum, sed discipulum vocavit; hoc enim nomine tunc omnes appellabantur fideles : « Ut ex eo cognoscas, » inquit contemplativus quidam, « omni homini « qui est Christi discipulus, Beatam Virginem da- « tam esse in Matrem. » S. Lucas de Deipara ait[3] : *Peperit Filium suum primogenitum;* at vero ex quo Beata Virgo unicum tantum habuit Filium, cur illum Evangelista vocat primogenitum et non potius unigenitum? Respondeo, Evangelistam id magno cum mysterio dixisse, quia sicut S. Joannes de nobis dicit[4] : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus;* ita quoque Matrem suam nos omnes tanquam adoptivos filios suos recipere voluit[5] : « Omnes nos curæ Beatæ Virgi- « nis et protectioni ejus ac intercessioni commen- « davit, nobisque fiduciam dedit, ut tanquam ad

[1] S. Bonav., *Stim. amsp.* — [2] Dion. Cart., *in Joan.* — [3] II Reg., VI, 30. — [4] Lud. Cart., c. 65. — [5] S. Ber., I.

[1] Lansper., *ib.* — [2] Tauler., c. 44. — [3] Luc., II, 7. — [4] Joan., I, 12. — [5] Tolet., *in Joan.*

« Matrem et Dominam dilectissimam in omnibus « nostris necessitatibus confugeremus. » Rupertus Abbas inquit[1] : « Igitur quod de hoc discipulo dic- « tum est ab eo justissime, qui curam suæ Matris « habebat : *Mulier ecce Filius tuus* ; itemque ad « eumdem discipulum : *Ecce Mater tua* ; recte et de « alio quolibet discipulorum, si præsens adesset, « dici potuisset, nisi quia licet omnium (ut dictum « est) Mater sit, pulchrius tamen huic, ut Virgo « Virgini, commendari debuit. »

[1] Rup. Ab., *ib.*

# TRACTATUS NONUS

## DE SEPTEM VERBIS A CHRISTO DOMINO IN CRUCE PROLATIS

### DISCURSUS I

DE AMORE ET EFFICACIA, QUA CHRISTUS PATRI PRO VENIA CRUCIFIXORIBUS SUIS IMPERTIENDA, SUPPLICAVIT.

Idea sermonis. — 1. Discutitur ratio quare, cum Christus coram Pilato et Herode siluerit, tandem in cruce non solum loqui, sed et alte clamare inceperit. Christus plus sensit perditionem suorum inimicorum quam plagas sui SS. corporis et hinc de illa curanda primo agit. — 2 Christus oblaturus Patri seipsum in sacrificium, prius hostibus suis reconciliationem obtulit. — 3. Isaac figuravit immolationem Christi in monte Calvario et ligno crucis. Christus summum exhibuit amorem odientibus ipsum. — 4 Christus videns divinam justitiam paratam ad punitionem crucifigentium, ultronee se obtulit pro illis in advocatum. Similis charitas reperta non fuit in tota S. Scriptura. — 5. Magna fuit Christum crucifigentium crudelitas, sed multo major ipsius erga illos amor et benignitas. — 6. Christus crucifixores suos non inimicos, sed dilectissimos amicos judicabat. — 7. Hoc Christi exemplo docemur condonare injurias.

*Jesus autem dicebat : Pater dimitte illis.* Luc., xxiii, 34.

**1.** — Quod si Salvatorem nostrum, juxta id quod Propheta Evangelicus de ipso prædixerat[1] : *Non aperuit os suum ; quasi agnus coram tondente se obmutescet,* perpetuum coram Herode et Pilato silentium servasse : *ita ut miraretur Præses vehementer* ; atque ad tot calumnias, improperia, et ludibria, tacentem vidisses, eumdemque postea cum in crucis patibulum erectus fuisset, primitus audires in verba aliqua prorumpentem ; quonam, obsecro, fine illum secum quoad taciturnitatem dispensasse existimares! Num forte ut causam suam defenderet, propter quam ad circumstantium sollicitationem in crucem actus fuerat? aut vero ut dolorosam Genitricem suam consolaretur? vel ut dolorem suum aliqua saltem ex parte mitigaret? vel ut ab æterno Patre suo imploraret auxilium ad confundendos perfidos et incredulos Judæos, sibi objicientes, quod tanquam Filius in Patrem suum frustra et in vanum confideret? vel denique ut ex irritatæ divinæ justitiæ arcu adversus implacabiles persecutores suos fulminum tela evibraret? Minime gentium : quin potius ex motivo penitus contrario in cruce loqui cœpit ; siquidem acerbissimorum dolorum suorum oblitus, licet ad summum usque pervenissent, nullam tamen majorem persensit pœnam, et afflictionem, quam quod cœlestis iræ fulmina, adversus crucifixores suos præparata videret. B. Laurentius Justinianus ait[1] : « Quid est « quod audio ? quid est quod loqueris, o Domine ? « O Domine, te isti filii Belial turpissima damnarunt « morte, te in medio duorum latronum suspende- « runt, quasi eorum principem ; et ais : *Pater* « *ignosce illis*? Esne oblitus irrogatæ injuriæ ? « an dolor tuus transiit? » Porro per experientiam videmus, quod is, qui verbi gratia septem memorialia habet, magno cuidam principi præsentanda, primo semper loco recommendare soleat illud, circa quod majori sollicitudine angitur, quia merito timere potest, ne acceptis gratiis, minus illum prementibus, Principe ab aliis jam impretratis supplicationibus fastidiosior factus, id quod maxime cordi habet, eidem deneget. Enimvero septem fuerunt verba, a Christo in cruce prolata ; non enim sæpius, quam septies in cruce locutus fuit ; quando autem primitus os suum aperuit, satis evidenter ostendit, quam anxie ab æterno Patre impetrare concupierit, quod illum tam instanter rogabat. Elevavit igitur vocem suam, ut ab omnibus audiretur circumstantibus, imo clamori lacrymas adjunxit (illum ex omni corporis parte effundendo

[1] Isa., liii, 1.

[1] B. Laur. Just., *de Triumph. Chr. agon.*, c. 17.

sanguinem, de quo in veritate dici poterat [1], *quod melius loqueretur, quam sanguis Abel;* siquidem Apostolus expresse dicit, *quod cum clamore valido, et lacrymis locutus fuerit.* Arnoldus Carnotensis de septem verbis in cruce prolatis quemdam composuit tractadum, in cujus principio ita scribit [2]: « Modo ultro eloquitur, qui paulo ante ad Herodis « et Pilati inquisitiones conticuit; » loquendo mortem evadere potuit, et tamen tacuit; nunc autem se eloquentem, et facundum esse probat ad patrocinandum illis ipsis, qui asperrimam ei mortem inferebant. Idem Arnoldus subdit : « Fossis « manibus, pedibusque, et scisso vepribus capite, « vivebat in cruce, et parricidialium mentium « intuens vota, non tam clavorum acumine, quam « illorum crimine pungebatur. Pro his igitur ad « Patrem convertitur, et charitatis argumento pro- « lato in medium, inauditum dicendi genus novus « Orator assumit, et inimicorum in causa allegans, « ipsis invitis atque negligentibus parti contrariæ « suffragatur; » id quod apud Jeremiam ante multa sæcula cum æterno Patre suo colloquens, his verbis prædixerat [3]: *Recordare, quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis.* Ubi *steterim,* efficacis cujusdam patrocinii et defensionis est indicativum : hoc autem advocati munus increata, et incarnata Sapientia tunc sibi vendicavit, ut a carnificibus suis æterni Patris sui irati fulmina averteret. Et quidem considerandum est, quod inter omnia corporis sui membra, nullam habuerit partem liberam, præterquam linguam; et hanc, tametsi sitibundam, ardentem [4]: *raucæ factæ sunt fauces meæ,* felleque amarissimo imbutam : *dederunt in escam meam fel,* in beneficium illorum qui illam hac amaritudine intoxicaverant, tanta cum facundia laxavit, ut in eos nectaris derivaret torrentes. Quod considerans S. Bernardinus exclamat [5] : « O Judæi « lapides estis, sed lapidem percutitis molliorem. « De quo resonat tinnitus pietatis, et ebullit oleum « charitatis. Quomodo potabis desiderantes te tor- « rente voluptatis tuæ, qui sic perfundis crucifigen- « tes te oleo misericordiæ tuæ ? » S. Augustinus in sermone quodam ita scribit [6]: « Isti qui sanos se « putabant, multo periculosius, et desperatius « ægrotabant, et ipsa ægritudine, qua mentes « perdiderant, etiam medicum cædebant. Parum « est cædebant; non solum cædebant, sed etiam « occidebant. Ille autem etiam cum occideretur, « medicus erat; vapulabat, et curabat; patiebatur « phreneticum, nec deserebat ægrotum; tenebatur, insultabatur ei, ligno suspendebatur, undique circumfremebatur, et medicus erat. Agnoscis « phreneticum, agnosce et medicum. *Pater, ignosce « illis, quia nesciunt quid faciunt.* Illi perdita « mente sæviebant, et medici sanguinem sæviendo « fundebant; ille autem etiam de ipso sanguine « suo medicamenta faciebat. » Plus enim mortalia sentiebat vulnera, quibuscum crucifixorum suorum animæ sauciatæ erant, quam illa, quibuscum Humanitatem suam laceram et perforatam transfixerant : « Magis Christus peccata hominum dole- « bat [1], inquit Didacus Stella, quam pœnas quibus « torquebatur; nam vulnus, quod aliquis vulnera- « tus præ cæteris sentit, de illo conqueritur primo, « illudque primo sanari desiderat, et postulat : « sed primum verbum, quod Christus dixit in « cruce, est dolor de peccatis hominum quibus « peccatis facere medicinam desiderat. » B. Laurentius Justinianus diu ante in hæc verba in persona Christi dixerat [2]: « Plus eorum animas, quam « animos, quam corporis mei magnipendo salu- « tem; nam et si cruciatus quem patior, mihi gra- « vissimus est, eorum tamen acerbior mihi esset « perditio. Solum ne pereant, hæc perfero. »

**2.** — Redemptor noster apud Matthæum, quoad sacrificia et oblationes, hunc præscripserat ordinem [3] : *Si offers munus tuum altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* Et ideo quia de Salvatore nostro S. Lucas dixit [4] : *Cœpit Jesus facere, et docere,* hinc dum super altari crucis æterno Patri suo cruentum sui ipsius oblaturus erat sacrificium, ut totum genus humanum ei reconciliaret; videns quam mortiferum esset illud odii venenum, quo sui secundum carnem fratres, id est, Judæi, intoxicati erant, tametsi eos erga seipsum irreconciliabiles futuros esse sciret, ab altari crucis non recessit (utpote cui immobiliter affixus erat) tametsi illum ad descendendum de cruce instigarint; sed subito ut in crucem ascenderat, ex eadem cruce eos æterno Patri suo reconciliare studuit, ut tanto gratius magisque meritorium ei esset holocaustum, ad quod offerendum accingebatur.

**3.** — Inter insigniores hujus sacrificii figuras fuit Isaaci sacrificium; cum enim sanctus hic juvenis ligna in humeris suis, Abraham vero ignem portarent, filius patri dixit [5] : *Ecce ignis et ligna, ubi est victima holocausti?* Et vero super eodem monte, in quo Isaac immolatus fuit (ut alibi diximus) figuratum quoque, id est, Christus, æterno Patri suo in ligno crucis sacrificatus esse noscitur : quem si quis interrogaturus fuisset : *Ubi est ignis ?* responsurus utique fuisset : *Abscondi ignem in sinu meo;* et quidem ignis ille amoris adeo cor ejus exarsit, ut etiam in ipsomet actu crucifixionis ad

[1] Heb., xii, 24. — [2] Arnold. Carn., *de 7 Verbis.* — [3] Jer., xviii, 20. — [4] *Ps.* lxviii, 22. — [5] S. Bern., ser. *in Fer. IV hebdom. pœnos.* — [6] S. Aug., ser. *de Verb. Apost.*

[1] Did. Stella, *id Luc.* — [2] B. Laurent. Just., *ib.* — [3] Matt., v, 25. — [4] Act. Ap., i, 1. — [5] Gen., xxii, 17.

suos usque crucifixores sese extenderit, quando pro ipsis tunc intercessit, quando eum actualiter blasphemabant, conviciabantur, et irridebant. Porro priusquam de afflictissima Matre sua dilecto discipulo, spirituque æterno Patri suo recommandando cogitaret, jam se anxium esse declaravit, et sollicitum pro salute eorum, qui pedes, et manus suas acutis ferris transfigebant; per hoc verum esse ostendere volens, quod deinceps Apostolus in laudem charitatis dixit scilicet [1]: *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Unde Christo certo quodam modo improperari potuisse videbatur, quod Joab David objecit, quando eo tempore adeo se de salute Absalonis sollicitum esse ostendit, quo degener hic filius ad eripiendam ei una cum regno vitam, omnes vires suas adhibebat; dicebat enim Joab Davidi [2]: *Diligis odientes te, et odio habes diligentes te.* Verumtamen hæc Davidis sollicitudo exscurari poterat ob motivum naturale, quod David habebat, quia Absalon filius ejus erat; hi autem lictores erant, et carnifices; multique eorum idololatræ et et milites erant, de quibus Poeta canit : « Nulla « fides pietasque viris qui castra sequuntur. » S. Gregorius Nyssenus ait [3] : « Ubi gladii, et fustes, « et vincula, verbera, alapis maxillæ percussæ, « facies sputis oblita, humori verberibus traditi, « judicium impium, credelis sententia; milites « subsannationibus, irrisionibus, contumeliis, et « calami percussionibus, immitem sententiam per « delicias exacerbantes: clavi, et fel, et acetum, « et gravissima quæque illi sine causa illata, imo « vero pro innumerabilibus beneficiis reddita : tunc « ille quomodo illa patrantes ultus est? *Pater,* « inquit, *ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.* « Nonne poterat contra eos superius vel cœlum « perfringere, vel ipsos terræ hiatibus abolere, vel « dimovere ex propriis mare, et voraginibus « terram submergere, vel sodomiticum ignis im- « brem demittere unico verbo, vel aliquod aliud « acerbum supplicium irrogare? Attamen hæc « omnia miti patientique animo pertulit, vitæque « suæ per seipsum leges patientiæ dedit. » Verum S. Pater parce nimium locutus fuit, siquidem non solum inter tot tormenta constans, et patiens permansit, nec quidquam se vindicando : non solum illis omnem sibi illatam injuriam condonavit, non solum creaturas coercuit, ne in sui defensionem, et vindictam contra perfidos sese armarent : verum insuper advocati partes efficaciter agens, apud æternum Patrem suum se interposuit, ut iræ suæ fulmina contineret, eademque adversus ipsos evibrare desineret.

**4.** — Deus apud Ezechielem lamentatur, dicens [4]: *Quæsivi virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, et non inveni.* Et vero maxima est admirandi ratio, quod cum Christus per tot annos innumera innumeris contulerit beneficia (*pertransiit benefaciendo*[1]) attamen in infinito Hebræorum populo nullus fuerit inventus, qui pro innocentiæ suæ defensione os suum aperuerit : magis tamen admirandum fuit, quod Christus, divinam justitiam fulminibus armatam videns, contra suos crucifixores ejaculandis, ipse opportune, tanta cum efficacia, ad eadem fulmina coercenda se interposuit. *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [2] : at vero longe ardentior fuit hæc Christi charitas, pro inimicis suis intercedentis, qui actualiter eum transfigebant. Alii advocati clientum suorum defensionem adorientur, quando ab illis sunt requisiti, illisque spes certa est amplæ mercedis recipiendæ : Christus autem crucifixorum suorum causæ, tanquam advocatus, patrocinatus fuit, quando vel maxime contra ipsum, et æternum Patrem suum rebelles exstabant : quando exsecrandissimum facinus quoddam, quo execrabilius nulla, sive humana, sive diabolica perfidia imaginari sibi poterat, scilicet mortem Filii Dei, machinabantur. præterea munus advocati pro causa crucifixorum assumens, non solum motus non est spe alicujus retributionis (nam *bonorum nostrorum non eget*) verum insuper tunc favorabiliter pro illis peroravit, quando illum in crucem confixerant, atque insuper per ludibria et improperia ad vicinam ejus pœnosissimam morten auhelabant. Profecto similis charitatis excessus in universo, et amplo sacrorum Bibliorum volumine minime reperitur. Etenim Noe derisus derisorem Cham filium suum maledictione ferivit : Elias ignem de cœlo descendere jussit, qui iteratis vicibus milites illos, qui ad illum capiendum missi fuerant, in cineres redegit : Elisæus a pueris illis, rationis etiamnum expertibus, derisus, subito vidit egredientes e silva ursos, a quibus dilacerati fuerunt : David, quantumcumque mansuetus fuerit, Salomoni filio suo præcepit, ut post mortem suam Semei et Joab digno supplicio mulctaret : Duo germani fratres, Jacobus et Joannes, ob injuriam cœlesti Magistro suo illatam, in injuriatores per flamman cœlestem animadvertere volebant. Verum enim vero hæ prædictis sanctis viris illatæ injuriæ, nullam prorsus cum contumeliis, convitiis, et tormentis Christo irrogatis habent proportionem; et tamen non solum contumeliatores non castigavit, verum etiam illatas sibi injurias dissimulavit : imo parce nimis loquor, quia insuper veniam, et remissionem iis rependit, idque absque ulla spe premli, aut emolumenti alicujus; sed solum ex infiniti amoris sui motivo motus est, ut tanto cum fervore pro ipsis apud æternum suum Patrem intercederet, ad im-

[1] I Cor., XIII, 4. — [2] II Reg., XIX, 6. — [3] S. Gregor. Nyss., *de Perfecta Christi forma.* — [4] Ezech., XXII, 30.

[1] Act. Ap., X, 3. — [2] Joan., XV, 13.

plorandam illis non solum veniam : sed et efficacem eorum conversionem.

**5.** — Ludolphus Carthusianus ait [1] : « Primum « verbum fuit in ipso actu crucifixionis, in quo pro « suis crucifixoribus, inimicis crudelissimis, ipsum « ad crucem affigentibus, oravit, dicens : *Pater* « etc. Quid majus miraculum hac benigna pietate ? « hoc quippe verbum magnæ patientiæ et mansuetu- « dinis, magni amoris et indicibilis bonitatis, magni « dulcoris et veniæ fuit, in quod triplex actus chari- « tatis maxime apparuit. Primo, quia pro crucifixo- « ribus affectuosissime oravit ; secundo quia orationi « lacrymas adjunxit ; tertio quia cum valido « clamore, et lacrymarum effusione pro ipsis pre- « ces obtulit. » Taulerus innocentis hujus agni mansuetudinem his verbis suspicit [2] : « Tam ama- « bilis, tam dulcis est Dominus, ut nesciat hostibus « aliud, quam amorem, et amicitiam impendere. « Osculatur proditorem se capere volentem : sanat « auriculam abscissam : orat pro se crucifigentibus ; « imo illorum, ipsorum peccata, et duritia gra- « viori eum cum cruciatu afficiebant in corde « quam pœna exterior quam sustinebat, in cor- « pore. Illi quidem dicebant, inquit Chrysostomus [3] : « *Si filius Dei es, salva reipsum* ; ipse vero elabora- « rabat, quomodo illos salvaret. Illos inquam, « a quibus opprobria perpetiebatur, et illudeba- « tur. » Profecto si lictorum, et carnificum truculentiam et obstinationem ponderare velimus, unusquisque fateri cogetur, illam ad summum usque apicem pertigisse, ita ut major esse non posset ; et tamen amor, et charitas Salvatoris, illam longe superexcessit. Audiamus Arnoldum, hac de re in hæc verba loquentem [4] : « Ut edisserit esse incon- « veniens, ut amplioris sit virtutis delictum, quam « donum, et prævaleat malitia bonitati, et per- « ditio saluti : cum enim ipse ad hoc niteretur, ut « salventur et Judæi ; ad hoc ut non damnentur, « plus debet apud Deum posse Filii charitas, quam « populi cecitas. »

**6.** — Enimvero si ex me causam sciscitemini, ob quam Salvator Patri non dixit : *Dimitte illis, sicut ego dimitto*, confestim respondebo, dicendo, quod Christus cruciatus, et tormenta sua non reputaverit esse injurias, sed summæ gratiæ loco habuerit ; et ideo carnifices suos non æstimabat suos esse inimicos, sed potius amicos dilectissimos. Et quidem ut hoc verum esse perspicue videatis, revocandum vobis erit in memoriam, quid Christus apud Zachariam interrogatus [5] : *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum* ? quid inquam, responderit : hoc videlicet : *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me* : et ideo in toto passionis sua decursu nusquam reperietis, quod inter tot, tormenta, a quantumvis maximo cruciatu vel minimam ostenderit aversionem. Præterea si Christus se quoque illis ignoscere dixisset, hoc utique loquendi modo se ab illis offensum fuisse, ac proinde inimicorum loco ab ipso habitos fuisse ostendisset. S. Augustinus ait : « Quando in cruce pendens orabat, vi- « debat et prævidebat omnes inimicos (inimicos « illos appellat ex parte ipsorum, non vero ex parte « Christi, quia irreconciliabiles Christi persecutores « erant) sed multos ex illis futuros amicos prævi- « debat, et ideo omnibus veniam postulabat : illi « sæviebant, ille orabat : illi dicebant Pilato : *Cru- « cifige* ; ille clamabat : *Pater ignosce* ; in asperis « clavis pendebat, sed lenitatem non amittebat. « Illis jam petebat veniam, a quibus tantam acci- « piebat injuriam. Illi sæviebant, illi circumlatra- « bant, illi insultando caput agitabant, quod sanum « non habebant, et quasi in uno summo medico, « in medio constituto, phrenetici circumquaque « sæviebant : pendebat ille, et sanabat : *Pater* « *ignosce, etc.* »

**7.** — Quis adeo reperietur duri cordi esse, in quo attenta hac antithesi, durissimus odii sui silex non confringatur, et emollescat ; siquidem Christus non solum crucifixoribus suis condonat, verum etiam pro ipsis apud æternum Patrem suum tanta cum cordialitate intercedit ? Didacus Stella de reconciliatione inter Herodem, et Pilatum facta disserens, ad nostrum præsens propositum hanc tradit moralem considerationem [1] : « Impletum est « illud : *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* « Si tu odio habes proximum, et propter Christum « in cruce mortuum veniam non concedis, « pejor certe es Pilato, et scelestior Herode, qui « ad invicem amicitiam inierunt, Christo Domino « nostro, qui vera pax est, intercedente. Vide quam « sancta vestigia et tempora teris, quando contra « amicitiis, et concordiis indulges ; siquidem ma- « ximum, et præcipuum, quod Deus veniens in « mundum intulit, fuit pax. » Verum emimvero, quod si hoc exemplo non moveamur ; quomodo saltem indurari poterimus, considerato exemplo illo, quod Christus nobis reliquit, dum pro crucifixoribus suis, in ipsomet actu crucifixionis occupatis, et obstinate ad mortem usque ferocientibus, intercessit ? Hoc argumento usus est S. Hieronymus, dum in hæc verba scripsit : « Si Dominus persecu- « torem suum, et proditorem osculo suscepit, et « pro crucifigentibus Deum orat, nos pro fratribus « nostris quid facere debemus. » Auctor quidam contemplativus hac de re ita discurrit : « Quis es tu « respectu Dei, quo ignoscente non ignocis ? unn- « quid tu major es Deo ? aut honorem tuum pluris « æstimas, quam sit honor Dei ? Cœli et terræ « Dominus est, qui hæc dicis in cruce pendens ;

[1] LUD. CARTHUS., p. 2. — [2] TAUL., c. 15 *de Pass.* — CHRYS., *in Parasc.* — [4] ARN. CARNOT., *ib.* — [5] ZACH., XIII, 5.

[1] DID. STELLA, *in Luc.* — [2] S. HIER., *in Ps.* CXVIII.

« omnes suos hostes perdere in gehenna poterat, « injuriam tamen dissimulat; imo ignoscit, et « ignosci orat. »

## DISCURSUS II

### PONDERANTUR VERBA QUIBUS CHRISTUS PERSECUTORIBUS SUIS VENIAM A PATRE SUO IMPLORAVIT

IDEA SERMONIS. — 1. Cur omnes unanimiter in Christum sævirent blasphemiis, ludibriis, opprobriis, ipse pro illis orabat. — 2. Christus in hoc actu ostendit se verum esse Salvatorem. — 4. Adducuntur mysteria quæ continentur in dictione : Pater.— 5. Verbum dimitte indicat Christum loqui modo imperativo. — 6. Quinam contineantur in dictione : illis. Quare Christus non specificaverit illos quibus volebat ignosci. — 7. Qualem Christus inimicorum intelligat ignorantiam. — 8. Christus inimicis suis non solum ignoscit, sed etiam illos tuetur, defendit et excusat. — 9. Pro quibus Christi precatio fusa fuerit.

*Jesus autem dicebat*: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*. Luc., XXIII, 34.

**1.** — Christus Redemptor noster multis sæculis ante de sua pœnosa passione in psalmo XXI, vaticinatus fuerat, dicens[1]: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me : aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, et rugiens:* etenim unusquisque e crudeli et ingrato illo populo adversus Salvatorem vociferabatur, imposturis, calumniis, improperiis, et ludibriis eum dehonestando : omnes intenti erant novis adinveniendis modis, ad illum magis torquendum, et cruciandum, fel et acetum illi præparando : innocentiæ vitæ ejus manifeste detrahebant, hypocritam, a Deo reprobatum, omnique maximo supplicio dignum illum appellantes[2]: *Putavimus eum quasi leprosum, et percusum a Deo, et humiliatum.* Unde olim apud Jeremiam lamentatus fuit, dicens[3]: *Dedi dilectam animam meam in manum inimicorum : Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva, dedit contra me vocem.* Porro famelicus leo rugit, suoque rugitu omnes alias feras perterrefaciens, easdem sibi in prædam cedere facit ; atque ideo Judaismus, qui electa Dei hæreditas erat, instar leonis coram præside Judææ rugitus edidit, ad terrefaciendum, et consternandum omnes illos, qui Christi defensionem molituri fuissent ; omnes namque una voce clamarunt : *Tolle, tolle crucifige eum : si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum ; prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes : Vah qui destruis templum Dei ; latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei ; summi Sacerdotes illudentes ad alterutrum cum Scribis dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* At vero dicite, obsecro, quidnam benignissimus Salvator noster inter tot ludibria et blasphemias cogitabat? quid dicebat? in quænam verba post longum continuatum silentium tandem prorupit? num forte in talia, per quæ illatas sibi a se repelleret injurias ? aut quibus calumniarum falsitatem evidenter convinceret? aut forte Angelorum legiones per illa sibi in adjutorium mitti postulabat? Nequaquam : sed *Jesu dicebat* : *Pater dimitte illis, etc.*

**2.** — *Jesus autem.* Merito S. Lucas Christum in hac occasione sanctissimo hoc nomine *Jesus* appellat, quia eodem tempore, quo hoc sanctum nomen cœlitus indicatum fuit[1]: *Vocabis nomen ejus Jesum* mox pariter subjuncta fuit hujus impositi nominis ratio : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Tunc igitur se verum Salvatorem esse ostendit, quando pro maximis peccatoribus, quales illi erant, qui mortem ei inferre satagebant, advocatum agebat. S. Bonaventura ait[2]: « In hoc nomine « consequimur veniam :» quod optime consonat cum illo, quod S. Petrus diu ante hisce verbis docuerat[3]: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus* : atque hæc causa est, cur sanctissimum hoc nomen ex divino instinctu, in inscriptione, et titulo crucis primo loco positum fuerit. Alibi in Actibus Apostolorum S. Petrus in hæc verba prædicasse legitur[4] : *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ecce igitur tibi primum fructum quem vitalis crucis arbor, subito ut erecta, et in fonte sanctissimo hoc nomine Jesu insignita fuit, progerminavit ; siquidem prima supplicatio æterno Patri pro salvatione enormissimorum peccatorum præsentata fuit B. Laurentius Justinianus Redemptorem nostrum Patrem suum cœlestem in hæc verba alloquentem introducit[5] : « An ignoras, quod non propter justos, sed propter « peccatores justificandos in hoc sæculum veni? « justificabuntur plane in sanguine, quem crude- « liter fundunt : vis ut sontes perdam? quis oro « salvabatur? » Didacus Stella sequens peccatoribus scriptum reliquit solatium[6]: « Nemo debet despe- « rare de salute sua quamdiu peccator est, quan- « tumcumque peccatum grave commiserit ; siqui- « dem nunc videt Dominum orantem pro suis « persecutoribus. Quid enim conversis et contritis « non ignoscetur, si sanguis Christi fusus agnos- « citur? »

**3.** — *Dicebat.* Nimirum hunc affectum, hanc charitatem, hancque voluntatem in interiori cordis sui minime retinuit, quin eadem forinsecus manifestaret ; vult audiri a suis crucifixoribus, et ab omnibus aliis, qui clamarant : *Tolle, tolle crucifige* ;

[1] *Ps.* XXI, 13. — [2] ISA., LIII, 4, — [3] JER., XII, 3.

[1] MATTH., I, 21. — [2] S. BONAV., s. 4 *de circ.* — [3] ACT. AP., X, 43 — [4] IBID., IV, 12. — [5] B. LAURENT. JUSTIN., *de Triumph. Chr. agon.* — [6] DID. STELL., *in Luc.*

unde S. Bernardus ait : « Alta voce clamavit, ut ab « omnibus audiretur : » cui consonant illa S. Pauli verba [1] : *Cum clamore valido* : voluit enim ut unusquisque proprii sceleris sperare posset veniam.

**4.** — *Pater.* Porro hæc dictio multa in se continet mysteria. Observandum namque, quod quando Patri pro semetipso Christus supplicavit, eum non hoc nomine Patris, quod amoris et teneritudinis est expressivum, appellarit, sed dixerit : *Deus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* Idque ad demonstrandam differentiam, quæ est inter amorem, quo ad crucifixorum anhelabat salutem, qui longe superabat, et excedebat propriæ suæ salutis corporalis impetrandæ curam. S. Bernardus ait : « Oratio quæ « a paterno dulcescit nomine, omnium petitionum « impetrandarum mihi fiduciam præbet. » Et vero ut sententiam meam aperiam, videtur mihi hoc loco Filius his quasi verbis Patrem alloqui voluisse : O Pater æterne, priusquam ego hunc funderem sanguinem, in lege naturæ, nec non in lege scripta *Deus exercituum et Deus ultionum* denominabaris : nunc vero quia ex venis meis hunc promo sanguinem (*sanguinis aspersionem, melius loquentem, quam Abel* [2]) necessum est, ut mutato nomine te voces [3] *Patrem misericordiarum. Videbis enim sanguinem et transibis, nec erit plaga disperdens* [4]. Quando Deus se olim exhibere volebat severum, dicere consueverat : *Ego sum Dominus qui loquor ;* quando autem se exhibere volebat benignum et misericordem, hac phrasi loquendi utebatur : *Ego ero eis in Patrem.* Atque ideo cum hic Dei stilus Christo Filio ejus optime cognitus esset, in usu positum habebat, ut quotiescumque rem aliquam efficaciter vellet, hac dictione *Pater* uteretur. Ita enim fecit in resuscitatione Lazari quatriduani, dum ait [5] : *Pater, gratias ago tibi, quia semper audivisti me.* Similiter in principio probrosæ passionis suæ dixit : *Pater clarifica Filium tuum, Pater mi, Pater sancte.* « Nec allocutus « est judicem, qui prece non flectitur, » inquit S. Bernardus « sed paterno nomine blandiens Geni- « tori, sibi quasi conclusit, nihil tanto Filio dene- « gandum. ». S. Bernardus puerorum aducit exemplum, qui ut id, quod desiderant impetrare valeant, hoc nomen Patris usurpare solent. En verba melliflui Doctoris [6] : « Quare nomen Patris ponit? Solent « pueri aliquid affectuosius orare volentes, nomen « paternum nominare, ut naturalem dilectionem « ipsis ad memoriam reducant, per quam facilius « petitionis suæ consequantur effectum. Sic et « Redemptor noster, miserator, et misericors, « patiens, et multum misericors, et suavis in uni- « versis, quamvis se a Patre sciret semper audiri, « tamen nobis commendans, eum quanto affectu sit « pro inimicis orandum, nomen posuit charitatis. »

[1] Heb., v, 7. — [2] Hebr., xii, 24. — [3] II Cor., i, 3. — [4] Exod., xii, 13. — [5] Joan., xi, 42. — [6] S. Bernard., *de Pass.*

Christus non semel, sed sæpius, hoc æterni Patris sui testimonium e cœlo audiverat [1] : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui :* ac proinde modo paterni hujus amoris experientiam sumere volens, non petit liberari a patibulo, non facultatem descendendi a cruce, hacque ratione evadendi mortem (*Si Filius Dei es, salva temetipsum*) neque ut adversus carnifices suos iræ suæ fulmina apprehendat ; quin potius dicit : *Pater dimitte illis, etc.* Quibus veobis toti mundo divinæ filiationis suæ irrefragabile perhibere voluit testimonium ; siquidem dum dilectionis inimicorum præscripsit præceptum, hanc, præceptum illud adimplentibus promiserat remunerationem [2] : *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, pluit, etc.*

**5.** — *Dimitte.* Circa hoc verbum observandum est, Christum in hac occasione positum, non modo deprecativo, sed imperativo fuisse locutum. Unde Titus Bostrensis ait : « Perinde cum eo loquitur, atque « par cum pari ; et Patrem vocat, et cum magna « libertate, *Dimitte illis*, clamat. Non enim dixit : « Domine rogo te, ut hanc illis noxam condones, « sed simpliciter : *Dimitte illis*, inquiebat. Ostendit « per hæc autem, quæ Judæi per injuriam, et « contumeliam in illum committebant, ea propter « utriusque naturæ et Divinitatis identitatem, in « ipsius quoque Patris injuriam, et contumeliam « redundasse. » Non est usus illa precandi formula, qua in horto Gethsemani usus fuerat, quando portio inferior, propter calicis amaritudinem eumdem bibere subterfugit ; ibi namque dixerat : *Pater si possibile est, transeat a me calix iste* : hic autem absolute dicit, *dimitte*. Non enim volebat justitiam causæ examinare, an scilicet condonatio hæc conveniret, an vero non ; sed absolute inquit : *Dimitte*, per modum imperantis.

**6.** — *Illis.* Enimvero si per verbum *illis*, intelligat Christus lictores et carnifices, qui illum in crucis patibulum confixerant, et actualiter deridebant, non immerito B. Laurentius Justinianus interrogat, inquiens [3] : « Nunquid de eo, quod nequiter ege- « runt, compuncti sunt, ut eorum debebant ignosci « debita? Plane veniam meretur, qui de peccato « dolet, et desinit peccare. At vero neutrum eorum « in illiis conspicio. Numquid mitius, quam Dathan, « et Abiron, quos vivos, in abyssi barathrum « demersisti, isti peccavere? Agnoscant merito in « suppliciis te, quem in miraculis contempserunt. » Lucas Brugensis vocem *illis*, ita explicat [4] : « *Illis*, qui « crucifigunt : non loquitur nisi de iis, a quibus in « cruce adigitur. » Dionysius Carthusianus ita declarat [5] : « Illis, id est, tam Judæis, pœnam hanc « procurantibus, quam gentilibus, eam inferentibus,

[1] Matt., iii, 17. — [2] Id., v, 45. — [3] B. Laur. Justin., *de Triumph. Chr. agoniz.* — [4] Luc. Brug., *in Luc.* — [5] Dion. Cart., *ib.*

« clementer ignosce ; specialiter tamen oravit hoc « Christus pro peccato, quo tunc peccabant in « eum. » Posset quoque hoc loco indagari mysterium, ob quod Christus personas, pro quibus orabat, non specificaverit, sed infinite dixerit : *Illis* : non enim expressit, nec indicavit illos, pro quibus intendebat, implorare veniam. Potuisset utique manifestare, quinam illi essent, an scilicet vellet, ut indulgerentur illis, qui illum flagellaverant, an vero turbis qui clamabant : *Tolle, tolle crucifige. Non hunc, sed Barrabam* ; an vero summis sacerdotibus, et synagogæ principibus ; siquidem multi, variorumque statuum et conditionum erant illi, qui ad mortem Christi machinamdam concurrerant. Respondetur igitur, benignissimum Redemptorem ex parte sua neminem ab hac venia voluisse excludere, sed potius indifferenter pro omnibus precari statuisse. At vero quodnam in eo latet mysterium, quod non alio verbo quam voce, *illis*, usus fuerit, dum Patrem rogavit ? Num forte non audebat illos vocare inimicos, persecutores, carnifices, traditores ? Respondeo, hoc quidem nomine illos meruisse appellari ; verumtamen Christum cum summa prudentia dixisse, *illis*, ne forte verbum aliquod proferret, unde vel per umbram conjici potuisset, se illis indignari, aut persecutores suos parvi facere. Didacus Stella eamdem habet considerationem, dum ait [1] : « *Dimitte illis*, ac si diceret Patri : Pater, ego et tu « unum sumus, una voluntas, et una bonitas. « Jam quod in me perpetrant, eis indulgeo : qua« propter Pater, indulge illis. Adverte, quod non « dicit, ego condono illis, aut ignosco, ne aliquis « in suum animum induceret, Christum eos tan« quam infestos sibi, et inimicos habere ; nam « quamvis ipsi erant inimici crudeles, non erat « opus, ut Christus eis ignosceret, quandoquidem « jam ignoverat. Quod quidem aperte ostendebat « per hoc, quod ut verus amicus pro ipsis orabat ; « ideo a Patro postulat, ut condonet, sicut ipse jam « condonavit. »

7. — *Non enim sciunt quid faciunt.* Lucas Brugensis super hæc verba ita scribit [2] : « Addit « rationem, qua adduci Pater queat ad ignoscen« dum scilicet ignorantiam. Sed an ejusmodi igno« rantiam intelligat, quæ extenuet peccatum, an « ejusmodi quæ aggravet, disputatur. Ego pro « varietate personarum, pro quibus orat, variam « intelligere credo ignorantiam ; nunc extenuantem, « dum gentiles respicit et quosdam de rudi vulgo « Judæorum : nunc aggranvatem, dum Principes, « majoresque Judæorum considerat, qui ex pluribus « argumentis, præsertim vero operibus, Jesum « cognoscere potuissent esse Christum Filium Dei « vivi, nisi sic excæcasset eos malitia eorum « (*Sapient.* II, 20). Et non tantum non se offendere « Deum, verum etiam recte agere putarent, pro « tuitione loci et gentis suæ, dum interficerent « Jesum. Fuit hæc ignorantia crassa non solum, « ac supina, verum etiam affectata, procurata nimi« rum voluntariis invidiæ, odiique actionibus. » Simon de Cassia de Pilati militibus, et publicæ justitiæ ministris, ita scribit [1] : « Nesciebant quem « crucifigebant, quamobrem misericorditer subve« nit eis gratia Salvatoris, et omnis culpa est mitior, « facilius que meretur veniam, quæ ab ignorantia, « quam quæ a malitia sumit exordium. Potest au« tem ex Christi magna benignitate comprehendi « quod etiam Judæi ad hanc intercessionem pro « consequenda indulgentia pertinerent, illi duntaxat « qui Christum nullo modo cognoverunt. Si vero « scientes in istam orationem venissent, frustra « dimissionis causam invenisset Salvator, dicendo : « *Quia nesciunt quid faciunt.* » Ludolphus Carthus. nonnullos Judæorum excusare nititur, eos videlicet, quibus deerat lumen, et notitia sufficiens ad discernendum qualitates personæ, quam offendebant ; ait enim [3] : « Erant ibi aliqui simplices, et illiterati, a « sacerdotibus Judæorum decepti, qui persèque« bantur Christum zelo legis, et pro istis oravit. » Christus enim persecutiones Apostolis intentandas prædicens, ait [3] : *Absque Synagogis facient vos. Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Sed hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* S. Paulus tametsi in sacris litteris doctissimus esset, de horum tamen numero erat ; quia ad Timotheum scribens, expresse fatetur, quod dum Christianos persequeretur, id ignorans fecerit, credens se exinde meritum comparaturum esse apud Deum. S. Thomas in articulo quo dam tertiæ partis Summæ suæ Theologicæ quærit [4] : « Utrum Christi persecutores eum cognoverint ? » et quidem pro ratione dubitandi adducit parabolam illam Matthæi cap. XXI descriptam, ubi agricolæ dixerunt [5] : *Hic est hæres, venite occidamus eum.* Circa quæ verba S. Hieronymus inquit : « Manifeste « Dominus probat ex verbis Judæorum, principes « non per ignorantiam, sed per invidiam Dei Filium « crucifixisse. » Præterea Joannis cap. XV, ait Christus : *Nunc autem et viderunt, et oderunt, et me, et Patrem meum.* Verumtamen S. Thomas opinionem sustinet contrariam, pro se adducens illum Apostoli textum [6] : *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Præterea S. Petrus Judæis dixit [7] : *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri*, Probatque idipsum ex ipsiusmet Christi verbis ; dicentis : *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Tandem vero hanc statuit conclusionem : « Majores Judæorum, quamquam noverint, Jesum « fuisse Messiam in lege promissum ignoraverunt

[1] DID. STELLA, *in Luc.* — [2] LUC. BRUG., *ib.*

[1] SIM. DE CASS., l. III. — [2] LUD. CART., p. 2, c. 63. — [3] JOANN., XVI, 2. — [4] S. THOM., 3. p. q. 47. — [5] MATT., XXI. — [6] I COR., II, 8. — [7] ACT. AP., III, 17.

« tamen ipsum fuisse Deum verum ; quorum igno-
« rantia inexcusabilis fuit. Minores vero non cog-
« noverunt illum fuisse Filium Dei, nec Messiam. »

**8.** — Admiranda nihilominus est, imo et obstupescenda, excessiva illa charitas Christi. Pauci enim sunt, qui postquam inimicis suis ex corde suo ignoverunt, insuper etiam omnem adhibeant artem et studium, ad inimicos suos excusandos et defendendos ; et maxime dum quis scit, se innocenter ex solo invidiæ, et odii motivo ab illis fuisse injuriatum : etenim natura nostra valde ad hoc inclinat, ut injustitiam et malignitatem eorum, qui nos offendunt, magis exaggeret, et elucescere faciat, ut hac ratione heroicus mansuetudinis nostræ actus, tanto majori cum laude resplendeat. Non vero sic fecit Salvator noster, sed inimicos suos tuetur, excusat, et defendit, dicendo : *Non enim sciunt quid faciunt* ; malitiam illorum diminuere sategit, et præterquam quod illis ignoverit, apud Patrem æternum insuper efficaciter peroravit, ut et ipse illis ignosceret. « *Pater ignosce illis* (ita scibit S. Ber-
« nardus) etquasi quæreretur indulgentiæ ratio in
« tam horrendo facinore, sequitur : *Quia nesciunt*
« *quid faciunt* ; ac si diceret : eo digni venia, quo et
« pusilli scientia sunt. Ideo ignosco illis, quia non
« agnoscor ab illis. » Auctor quidam contemplativus hac de re ita meditatur : « Excusare non poterat
« Pilati injustitiam, militum crudelitatem, Pontifi-
« cum invidiam, populi ingratitudinem. Hoc ergo
« solum restabat, ut excusaret ignorantiam. *Nes-*
« *ciunt*, id est, non cogitant, nec advertunt, quam
« graviter delinquant. »

**9.** — Consideratione digna est hoc loco moralitas quædam, quam Taulerus, magnus vitæ spiritualis Magister, hujusque mysterii Passionis devotissimus cultor ex his verbis elicit, dum ita scribit [2] : « Neque
« tamen hæc illius precatio pro illis duntaxat fusa
« est, qui tunc eum manibus crucifigebant, et lin-
« guis blasphemabant ; verum etiam pro omnibus
« illis, qui Dominum Jesum pravis suis actionibus
« denuo crucifigunt. Hi tales revera nesciunt quid
« agant, cum sint quintuplici cæcitate correpti.
« Primo namque *nesciunt*, quam dire justi Judicis
« potentiam exasperent, tam potentis Domini jussa
« contemnendo. Secundo ignorant, quam benignum
« offendant Patrem, quam fidum deserant Protec-
« torem, cujus perdant amicitiam. Tertio non
« norunt, quam turpiter, elegantes atque præclaras
« suas deforment animas, factas ad imaginem Dei.
« Quarto minime compertum habent, quam horri-
« biles tartareos mereantur cruciatus. Quinto latet
« eos, quantam gloriam cœlestiaque amittant
« gaudia. »

[1] S. Bern., *de Præcep. et disp.* — [2] Taul., *de Pass.*, c. 40.

## DISCURSUS III

### CIRCA EAMDEM VENIÆ POSTULATIONEM, QUAM CHRISTUS PRO CARNIFICIBUS SUIS A PATRE POPOSCIT ALIÆ INSTITUUNTUR CONSIDERATIONES.

Idea sermonis. — 1. Christus plus sollicitus fuit pro suis crucifixoribus salvandis, quam de suis cruciatibus medendis. — 2. Christus tanquam alter Moyses opposuit se Patri æterno pro crucifigentibus efficaciter orando — 3. De admirabilibus effectibus hujus orationis Christi. — 4. Quare Pater æternus ad Christi petitionem nullum dederit responsum. — 5. Patientia Job confertur cum patientia Christi. Inimici diligendi monentur. Duo præclara et notabilia condonationis injuriarum exempla.

*Jesus autem dicebat : Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Luc, xxiii, 34.

**1.** — Salvator noster apud S. Matthæum capite v, inimicos diligi jusserat, inquiens : *Diligite inimicos vestros, orate pro persequentibus et calummiantibus vos.* Ac proinde ut ait Lucas Brugensis : « Confir-
« mat doctrinam suam datam : *Orate pro perse-*
« *quentibus vos*, dum non solum vindictam
« remittit iis, a quibus injustissime simul et crude-
« lissime tractatur ; verum etiam de illorum salute
« magis, quam de suis cruciatibus sollicitus, medetur
« illis, a quibus vulneratur ; et vitam procurat iis,
« a quibus occiditur, salutem eorum commendans
« Patri. » Enimvero cum sanguis Abel pro ejus fratricidio imploravit vindictam, longe utique enormior erat crucifixio illius Dei, qui contra crucifixores omnia divinæ iræ fulmina evibrare poterat : « Lex
« clamat : *Oculum pro oculo*, » inquit Didacus Stella, « *dentem pro dente.* Et ecce quasi prævaricator legis
« tu pro occidentibus clamas : *Pater ignosce.* Si pro-
« prio Filio non pepercit innocenti, quomodo parcet
« tantæ impietati ? Quomodo igitur a Patre petis :
« *Pater ignosce* ? Mirabilis res, si bene perspexeris :
« *Molliti sunt sermones ejus*, scilicet Christi, *super*
« *oleum*, hoc est, super omnem misericordiam, *et*
« *tamen ipsi* ei *sunt jacula* mortis. Rursus sic con-
« donas inimicis tuis ? Si sic pro eis ex corde
« Patrem efflagitas, quid Domine Jesu amplius
« facturus es amicis tuis ? Sed quamvis hæc ita esse
« videantur, non mireris, quod Patrem orat, quia
« major est misericordia Crucifixi, quam iniquitas
« crucifigentium. *Melior est misericordia ejus super*
« *vitas*, etiam si mille ei auferantur. Quod si volue-
« ris testimonium, audi Apostolum *Rom.*, v, dicen-
« tem : *Sed non sicut delictum, ita et donum.* Plus
« enim potest salus, quam perditio, vita quam mors,
« gratia quam peccatum, *ut ubi abundavit delic-*
« *tum, superabundet* et gratia. Quod si fel ei dede-
« runt, quod parum fellis immixtum immenso

[1] Luc. bruh., *in Luc.* — [2] Did. Stella, *ib.*

« dclio mellis? Nonne mel absorbebit et totum fel « in mellis dulcedinem convertet? Quid ergo mira- « ris, si se continere non possit Fons misericordiæ, « si ex abundantia effluat super inimicos suos? « Allegas legem talionis et non audis Apostolum « dicentem : *Neminem ad perfectum adduxit lex* ? « Dicis sanguinem Abel clamare vindictam et non « audis Apostolum dicentem : *Sanguinem Christi « melius clamantem, qnam Abel* ? Etsi peccatum « crucifigentium fuit maximum, nonne didicisti, « quod abyssus miseriarum invocet abyssum mise- « ricordiarum. » Porro de hujus sanguinis efficacia S. Bernardus in Epistola quadam ita scribit[1] : « Fuit « sanguis, qui effusus est, tam multus ad ignoscen- « dum, ut ipsum quoque peccatum maximum, quo « factum est, ut effunderetur, deleret. » Et vero quam efficaciter Christus exemplo suo fidelium mentibus imprimere studuerit præceptum de delic- tione inimicorum, Arnoldus Carnotensis hisce verbis exponit[2] : « Scisso dorso verberibus, vellicatis « genis, facie sputis illata, puncto capite vepribus, « latere saucio, terebratis palmis, pedibus confossis, « tanquam agnus jugulatori suo alludens, carnem « suam non reluctans explicuit et nudum corpus « quasi incudem, malleatorum ictibus patienter « supposuit. Poterat utique accitis multis millibus « Angelorum, agere pro se et de tantis ludibriis « erui ; sed qui præceperat percussori sinistræ « maxillæ porrigi dexteram et auferenti pallium, « præberi et tunicam, voluit ut a capite patientiæ « forma prodiret in membra. » Enim vero quia incudis et malleorum mentionem fecimus, memo- randum nobis erit, quot ut in Genesi legitur[3], Jubal et Tubalcain primarii fuerint auctores, unus qui- dem musicæ et organi, alter vero artis ferrario- rum : *Sella enim genuit Tubalchain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera æris et ferri.* Ab hoc vero Jubal consonantias didicit et tonos musicæ ; ex resonantibus nimirum super incude malleorum ictibus. Unde sacer Textus ait : *Jubal fuit pater canen- tium in cythara et organo.* Quis vero cantus suavior edi poterat a divino hoc cytharœdo, quam dum ait : *Pater dimitte illis, etc.* Ubinam hasce jucundas didicit consonantias, præterquam inter ictus malleo- rum, quibus clavi manibus et pedibus infigebantur? « Fecit optimus Magister (inquit Albertus Magnus[4]) « charitatem, quam docuit. »

**2.** — Quando Moyses divinæ justitiæ gladium in populum suum evaginatum esse vidit, mox pro impetranda illi peccatorum suorum venia, tanta cum efficacia apud Deum se interposuit, ut dicere non dubitarit[5] : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti.* Imo ipsimet Deo considerandum proposuit, quemnam inde habiturus esset honorem, si populum illum ob commissum scelus deleret, ipsique Dei inimici dicerent, ideo hunc populum e servitute Pharaonis fuisse exemp- tum, ut in hoc deserto exterminaretur et periret, absque eo, quod Deus illius, quem suum profite- batur defensorem, eos liberare, potuisset. At vero quanto melius Filius Dei coram æterno Patre suo in secreto cordis sui hunc in modum perorare potuisset : Cognosco equidem, quod peccatum generis humani, in mea crucifixione commissum, ingens et grande sit ; verumtamem majus malum futurum esset, si mors illa, quam ego ex tuæ volun- tatis arbitrio sustineo, converteretur in venenum, cum tamen ordinata sit ad dandam illis vitam ; et si Redemptio perpetuam illis conciliaret servitutem. Et ideo necessum est, ut saltem pro honore et æsti- matione mea illis hanc noxam remittas, ut inde appareat, quod ego sim Filius tuus dilectus, qua- lem me supra Jordanem, et in monte Thabor sonora voce declarasti. Quis filius reperiri poterit adeo modice a patre suo dilectus, ut dum morti vicinus aliquam a patre suo gratiam postulat, eam- dem protinus non impetret ? Quis reperietur Sacer- dos, qui se in suis sacrificiis exaudiendum esse non confidat ? Et quidem in hoc holocausto, quod in hoc crucis altari tibi offero, illo insuper præfulgeo titulo et merito, ut infallibiliter exaudiar, tan- quam summus Sacerdos et quidem[1] : *Sacerdos in æternum, qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offe- rens, exauditus est pro sua reverentia.* Glossa bene observat, quod inter alios tres Evangelistas, solus S. Lucas hanc Patri pro crucifixoribus præsentatam supplicationem referat ; idque ea de causa, quia cum Evangelium suum a Sacerdotio exordiatur, Christum quoque in specie Sacerdotis nonis repræ- sentare voluerit. En verba Glossæ : « Quia Lucas « Christi Sacerdotium scribere disposuit, recte « Dominus apud eum pro persecutoribus jure « Sacerdotis intercedit. »

**3.** —. Enimvero si ad examinandam hujus ora- tionis efficaciam nos accingere vellemus, admira- biles utique illius deprehenderemus effectus. Alber- tus Magnus ait[2] : « Cum Christus in omnibus « exauditus sit, videtur, quod omnibus illis debita « sint dimissa. Sed non oravit, nisi pro ignorantibus « et animum a proposito revocantibus. » In cujus probationem illa Christi apud S. Joannem adducit verba[3] : *Pro eis rogo, non pro mundo, sed pro his qui crediturі sunt.* Et vero sine hac Christi oratione omnes in tenebrosa perditionis abysso utique fuis- sent sepeliendi. Glossa super illa Isaiæ verba[4] : *Pro transgressoribus oravit*, ita scribit : « Ad hanc vocem « secundum Evangelium Nazarœnorum multa mil-

[1] S. Bern., ep. 190. — [2] Arnold. Carn., *de 7 Verbis.* [3] Gen., iv, 22. — [4] Albert. Magn., *in Luc.* — [5] Exod., xxxii, 31.

[1] Heb., v, 7. — [2] Alb. Mag., *ib.* — [3] Joan., xvii, 9. — [4] Isa., liii, 12.

« lia circa crucem adstantium crediderunt. » Salmeron existimat, Christum per hanc occasionem Judæis quadraginta duorum annorum impetrasse spatium, priusquam Hierosolyma desolaretur, populique illius in omnes mundi partes dispersio fieret, ut interea per Apostolorum prædicationem resipiscere, deque suo scelere vere pœnitere possent. S. Leo inquit[1] : « Admisit in se impias manus « furentium, quæ dum proprio incumbunt sceleri, « famulatæ sunt Redemptori ; cujus etiam circa « interfectores suos tanta erat pietatis affectio, ut « de cruce supplicans Patri, non se vindicari, sed « illis postularet ignosci, dicens : *Pater ignosce illis, « quia nesciunt quid faciunt.* De cujus utique ora- « tionis potentia fuit, ut prædicatio Petri Apostoli « ex iis qui dixerunt : *Sanguis illius super nos et su- « per filios nostros,* multorum ad pœnitentiam corda « converteret, et ut uno die baptizarentur tria mil- « lia Judæorum, fieretque cor unum et anima una « paratorum jam pro eo mori, quem poposcerant « crucifigi. »

**4.** — At vero quænam est causa, quod nullum a Patre æterno auditum fuerit responsum ? Pro hujus dubii resolutione sciendum est, Salvatori in usu positum fuisse, ut quando cuipiam desideratam volebat facere gratiam, factis potius, quam verbis responderet : unde quando Discipuli a Johanne Baptista ad Christum missi dicebant : *Tu es qui venturus es* ? per patrata a se miracula iisdem respondit : similiter quando tributorum exactores ab ipso pariter tributum postulabant, Petrum ad mare misit, ad eripiendam e piscis illius faucibus monetam. E contra vero quando gratiam postulatam dare nolebat, per verba respondere consueverat ; quemadmodum fecit duobus illis fratribus ambitiosis, primas in regno Christi sedes prensantibus ; his enim per verba respondit[2] : *Nescitis quid petatis, non est meum dare vobis.* Hoc enim supposito, cum Christus dicat : *Ego et Pater unum sumus,* verisimile est, quod licet Pater æternus ad hanc Christi orationem nullum e cœlo vocale responsum dederit, hanc tamen Filii sui orationem exaudierit, quia tunc neminem ex impiis illis crucifixoribus castigavit tametsi alias omnes creaturæ, ex injuriis communi Creatori illatis irritatæ, ad faciendam de impiis vindictam se obarmassent. Nemo quoque falsorum testium, aut Christum flagellantium, vel crucifigentium, a terræ motu absorptus, vel a montibus sese dividentibus, contectus fuit. Imo multi egerunt pœnitentiam, quia *revertebantur percutientes pectora sua.* Christus Dominus B. Veronicæ de Binasco hanc de Longino tradidit revelationem[3] : « Lancea latus « meum sævissime vulneravit, sanguis vero pretio- « sissimus lancea decurrens, manum militis attigit, « qui continuo oculos deliniens, lumen oculorum, « quo carebat, recepit et mentis tenebras una de- « pulit. Et qui me duro afflixerat vulnere, in quem « ego ipse pro suis criminibus vindicem manum « exercere poteram, saluti mentis et corporis sola « mea pietate donatus est. His ducti exemplis, « homines noxas dimittant omni nocenti se, bonum « pro malo reddentes ; hoc enim mihi quam gra- « tissimum est. » Effectus quoque hujus orationis fuit ingenis illa compunctio, quam multi ex illis Hebræis, qui clamarant : *Crucifige, crucifige ;* in die Pentecostes exhibuerunt, dum S. Petro dixerunt[1] : *Quid faciemus ?* Dicit enim sacer Textus : *His auditis, compuncti sunt corde et dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos : Quid faciemus* ? Merito igitur S. Augustinus ita scribit : « Magnum facinus erat, « cujus consideratio illos faceret desperare ; sed « non debebant desperare, pro quibus in cruce « pendens Dominus dignatus est orare. »

**5.** — Merito quidem videri poterat, quod patientiæ Jobi nullum in Scripturis sacris reperiatur exemplum ; verumtamen qui penitius illam consideraverit, reperiret utique, eam quasi a necessitate dimanasse, adeoque Prophetam hunc per illam ex necessitate novisse facere virtutem. Etenim eo usque miseriarum redactus fuerat, ut in sterquilinio sedens, a capite ad calces usque lacer, desolatus ab omnibus, a subditis derisus, a propria conjuge contumeliatus, pauper et debilis, movere se nequaquam posset ; nec consequenter injurias sibi inferentibus indignari, vel imposturas et calumnias sibi impositas a se repellere. At vero Redemptor noster idem ipse erat, qui præcedenti vesperi unico verbo : *Ego sum,* omnes ad se capiendum destinatas prostraverat turmas armatas : idem ipse erat, de quo scribitur : *Qui respicit terram, et facit eam tremere* et tamen omnipotentiam suam, qua illos in abyssum præcipitare poterat, transmutavit in charitatem, mansuetudinem, et benignitatem, ut inimicos suos ad veram Dei notitiam compararet, nobisque inimicis ignoscendi exemplum post se relinqueret. S. Augustinus hac de re sequentem nobis scriptam reliquit doctrinam[2] : « Sic dilige « inimicos, ut in societatem tuam vocentur ; sic « enim dilexit ille, qui in cruce pendens ait : *Pater « ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Neque « enim dixit : Pater, vivant isti multo tempore, me « quidem occidant, sed isti vivant : sed quid ait ? « *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Mortem « sempiternam ab eis expellebat prece misericor- « dissima, et potentia præstantissima : multi ex eis « crediderunt et dimissus est eis fusus sanguis « Christi. Primo fuderunt cum sævirent, biberunt « cum crederent. » Et paulo post ad nostram eruditionem subdit : « *Qui dicit se in ipso manere, debet « sicut ille ambulavit et ipse ambulare.* Forte hoc nos

[1] S. Leo, s. 11 *de Poss.* — [2] Matt., xx, 22. — [3] Boll., 13 jan., fol. 922.

[1] Act. Ap., 37. — [2] S. Aug., tr. 1 *in Joan.*

« monet, ut ambulemus in mari? Absit. Hoc ergo, « ut ambulemus in via justitiæ. In qua via ambu- « labat : ipsa est via charitatis. *Pater ignosce illis, « quia nesciunt quid faciunt.* Si ergo didiceris orare « pro inimico tuo, ambulas viam Dimini. » Arnoldus Carnotensis unum ex præcipuis mysteriis, ob quod Redemptor noster Patri suo pro hac venia supplicavit, hoc esse existimat ; ut scilicet nobis stimulum adderet ignoscendi inimicis nostris, siquidem vehemens quædam, et quæ nos præ aliis tentationibus sæpe pulsat, tentatio est odium ; ait enim [1] : « Seipsum inter regulas suas concludens, voluit, ut « a capite forma prodiret in membra et in hoc « æmulatio filiorum probaretur, si non se dege- « neres exhiberent, » Ludolphus Carthusianus auctoritatem citans Augustini, iis, qui inimicis difficulter ignoscunt, in hæc verba imprecatur [2] : « Cur formica, festuca, cinis, pulvis et « favilla, vindictam expetis, remissionem protra- « his, cum videas Regem gloriæ, Dominumque « virtutum, remittentem minas, contumelias, et « blasphemias et condonantem crucis injurias. » In vita S. Philippi Nerii refertur [3] : quod cum juvenis quidam sibi illatam injuriam obstinate remittere nollet et licet a S. Philippo multis rationibus convictus et persuasus esset, nihilominus contumax perstiterit ; vir Dei sancta apprehensa Crucifixi imagine, ingenti cum spiritu ei dixerit : Respice huc et cogita, quantum sanguinem hic Dominus pro amore tuo effuderit et non solum inimicis suis condonaverit, verum etiam Patrem æternum, ut eis ignosceret, enixe rogavit. Non vides, o miser, quod dum quotidie tuum *Pater noster* oras, non tibi postules peccatorum tuorum veniam, sed vindictam efflagites ? Quo dicto, præcipit ei, ut in genua procumberet, et una secum verba quædam in modum orationis ad Crucifixum illum enunciaret. Qui quidem in genua procubuit, at vero dum orationem illam dicere tentaret, ne verbum quidem formare potuit ; sed toto corpore contremiscere cœpit, ac paulo post ad ignoscendum inimico dispositus, S. Philippo, ad faciendum ea omnia, quæ hac in re præcepturus esset, promptum se obtulit. Cæsarius de hac materia sequens narrat exemplum, in hæc verba scribens [3] : « Miles alterius militis patrem « occiderat : casu accidit, ut occisi filius occiso- « rem caperet ; quem cum in ultionem patris « extracto gladio trucidare vellet, ille pedibus ejus « postratus, ait : Rogo vos, Domine, per honorem « sanctissimæ crucis, in qua Deus pendens miser- « tus est mundo, ut mei misereamini. Quibus « verbis ille compunctus, cum staret et quid facere « vellet, deliberaret, invalescente misecordia, homi- « nem levavit et ait : Ecce propter honorem sanc- « tissimæ crucis, ut mihi qui in eo passus est, « peccata mea indulgeat, non solum tibi culpam « remitto, sed et amicus ero ; deditque ei osculum « pacis. Non multo post, idem miles cruce signatus « mare transiens, cum Eclesiam Dominici sepul- « chri, aliis perigrinis de sua provincia commixtus, « intraret et ante altare proximum transiret, imago « Dominici corporis illi satis profunde inclinavit de « cruce. Hoc cum aliqui ex eis considerassent, nec « tamen scirent, cui tantum honorem exhibuisset ; « eo consilio singillatim reversi sunt, nec alicui « eorum inclinatum est, nisi cui prius. Tunc cau- « sam, sciscitantes, cum ille diceret se indignum « tanto honore, quæ supra dicta sunt, memoriæ « occurrerunt. »

[1] ARN. CARN., *ib.* — [2] *Vita S. Philip. Nerii*, l. II, c. 9, n. 4. — [3] CÆSAR., l. VIII, c. 2.

## DISCURSUS IV.

SUPER ILLA BONI LATRONIS VERBA : *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum,* VARIE DISCURRITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Discutitur humilitas et modestia orationis boni latronis. Quæ virtutes contineantur in oratione boni latronis. — 2. Aliæ virtutes emicant in hac oratione, singulariter resignatio in voluntatem Dei. Bonus latro comparatur filio prodigo. — 3. Oratio boni latronis præfertur petitioni filiorum Zebedæi. Ejus petitio confertur cum petitione Joseph incarcerati. — 4. Extollitur admiranda notitia quam habuit bonus latro de Christo, tanquam regni cœlestis Domino. — 5. In quo Christi statu bonus latro illum agnoverit Deum et Dominum paradisi. Quare bonus latro Christum potius nominaverit Regem, quam Filium Dei.

*Et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Luc., XXIII, 42.

**1.** — Ex quo mens boni latronis superna fuerat luce illustrata, illum utique scire oportebat id, quod Sanctus Apostolus deinceps ad Romanos scripsit [1] : *Dives in omnes qui invocant illum ;* cur igitur in sua petitione Christo proposita, intra tam angustas se continuit limites, petendo tantum : *Memento mei ?* Verum quidem est, Christum in crucis patibulo nudum pependisse, ut verificaretur id, quod prædixerat [2] : *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet :* verumtamen scire debebat, quod Christus *propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus.* Quod si oculum suum ad innumera, quæ commiserat, scelera defixum habebat, cur non quoque infinitam respexit Redemptoris misericordiam ? de qua Apostolus ait [3] : *Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati.* Verum enim vero

[1] ROM., X, 12. — [2] MATT., VIII, 20. — [3] EPH., II, 4. —

his omnibus non obstantibus, Christum rogaturus, modeste et humiliter dicit : *Memento mei*, quasi diceret juxta expositionem Victoris Antiocheni [1] : « Clementer succurre ; » summa enim cum fide, humilitate et modestia, in extrema sua miseria postulavit subsidium ; non tamen ausus fuit petendo ulterius progredi, sed modeste dixit : *Memento mei, etc.* Drogo Hostiensis in laudem hujus boni latronis exclamat [2] : « O cor contritum et humiliatum ! « quid minus, vel humilius potuit rogare, quam ut « sui memor esset? » S. Vincentius Ferrerius humillimum hujus supplicationis sensum in hæc verba exprimit : « Habuit fidem de Christo et contritio- « nem de peccatis in corde et dixit cum lachrymis « Christo : *Memento mei, Domine, dum veneris*, etc. « quasi dicat : Non dico, quod modo parcas mihi, « quia non sum dignus, sed postquam in purga- « torio fuero, tunc memento mei. » Lucas Brugensis similiter hujus oratoris (ab illo Magistro edocti, qui apud Isaiam dicit [4] : *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu* ?) internum sensum exponit, dicens [5] : Non audet dicere : fac me « participem Regni tui, conscius sibi scelerum, « vilitatisque suæ ; sed qua est modestia, suffi- « cit ipsi, si vel minimum aliquid boni a morte « impetret. Non dicit ut alter dixerat : Salvum fac « temetipsum et nos, ab hac cruce quam patimur ; « ut enim credebat, possibile quidem facileque esse « Jesu, semetipsum sociosque a cruce liberare, si « vellet, sed divinæ esse dispensationis, quod in « cruce moreretur : ita non desiderabat ipse a cruce « liberari, quam pro sceleribus suis libenter tole- « rabat, ut satisfaceret divinæ justitiæ ; nec in eo « constituebat salutem suam, ut ab illa liberaretur « sed in eo potius, si Jesus memor ipsius a morte « foret, ipsique benefaceret. » Eamdem quoque hujus boni latronis supplicationem omni ex parte examinavit Taulerus, multosque in illa observat virtutum actus, dum ita scribit [6] : « Multam in hac « prece justitiam, humilitatem, resignationem præ « se tulit, cum pro parva sui memoria duntaxat « petiit, indignum se agnoscens, qui grande quid- « piam peteret. » Et vero homo animalis nihil charius habet propria vita (dico *animalis*, quia [6] *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*) quid enim pro illius conservatione et prolongatione non tentat, aut molitur? Experientia docet, paucos, etiam illorum, qui perfectioni acquirendæ dant operam, cum S. Paulo [7] *desiderium habere dissolvi et esse cum Christo* ; hic autem bonus latro, tametsi sciret, quod Salvator unico duntaxat voluntatis actu illum ab hoc mortali supplicio eximere posset, hoc tamen ab illo impetrare minime sategit, sed illatum sibi supplicium libenter sustinuit, in sceleratæ vitæ expiationem : oculos mentis suæ cœlitus illustratæ in solam defixos habens æternitatem, petiit : *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Unde idem Taulerus ibidem subdit [1] : « Neque « corporis salutem precatus est, quandoquidem « ultro voluit mortem oppetere pro peccatis suis, « eratque ei optatius mori cum Christo, quam « diutius vivere ; nec oravit etiam a pœnis inferni, « vel Purgatorii servari a Domino, nec cœlorum « Regnum petiit, sed penitus se in divinam resi- « gnavit voluntatem. »

**2.** — S. Bernardinus in honorem hujus latronis multas habet considerationes ; et quidem inter cæteras ait [2] : « Vide, quanta spe firma ad æterna « erigitur, qui ab illo, qui ab omni mundo ejicitur, « sperat regnum cœleste. Pondera in quanta « excessiva charitate loquatur, qui sola dilecti Jesu « memoria contentus est. Considera, quali fortitu- « dine roboratur, qui sic subito super omnia scelera « sua superfertur : quali temperantia contentatur, « qui in sola Salvatoris voluntate præmii mensuram « relinquit. » Enimvero altissimum ; ad quod homo pertingere potest, perfectionis culmen, in voluntatis humanæ cum divina conformitate consistit ; unde ipsemet Deus de Propheta Regio declarat, inquiens [3] : *Inveni hominem secundum cor meum.* At vero per quid bonus David cor Dei sibi acquisivit? Per hoc nimirum quod subditur : *Quia faciet omnes voluntates meas* ; et ideo identidem repetere solebat : *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Hanc autem resignationem et conformitatem sacri interpretes concorditer in hac admirantur supplicatione : *Memento mei, etc.* ; dicere enim volebat : Fac de me quidquid tibi placet, nihil aliud a te postulo, præterquam id : *Memento mei.* « O magna fides ! o ma- « gna spes ! » exclamat Drogo Hostiensis [4] : « O « magna charitas ! orat pro futuris, non pro præ- « sentibus ; non vult de cruce deponi, sed in regno « Christi reponi : quid enim est aliud dicere, quam « *cupio dissolvi et esse cum Christo?* Nescio quid « Paulus magis isto latrone cupierit : *memento mei.* « *O cor contritum et humiliatum !* Quid minus, vel « humilius potuit rogare, quam ut sui memor « esset? memento mei : cujus? mei inquam, tam « indigni, tam peccatoris : *iniquitatem meam ego* « *cognosco* et *peccatum meum contra me est semper* : « confundor oculos meos ad cœlum levare ; *tibi soli* « *peccavi* : tu solus potes a peccato meo me mun- « dare : *malum coram te feci.* » Salmeron bonum hunc latronem coram Redemptore ad instar filii prodigi se præsentasse dicit [5] : degener enim filius cum profundissima sui humiliatione dicebat intra se [6] : *Surgam* ; *et ibo ad Patrem meum et dicam illi* : *Pater peccavi in cœlum et coram te* : *jam non sum*

[1] VICT. ANT., *in Marc.* — [2] DROG., *de Sacram. Dom. Pass.* — LUC. BRUG., *in Luc.* — [4] ISA., LVI, 2. — [5] TAUL., C. 43 *de Pass.* — [6] I COR., II, 14. — [7] PHIL., I, 23.

[1] TAUL., *ib.* — [2] S. BERN. SEN., t, I, s. 55, a. 1, c. 2. — [3] ACT. AP., XIII, 22. — [4] DROG., *de Sacr. Dom. Pass.* — [5] SALM., t. X, tr. 40. — [6] LUC., XV, 17.

*dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Eodem quoque modo bonus hic latro in memoriam sibi innumeros, quos in vita sua commiserat, revocavit excessus, et quamvis Christum, Dominum esse sciret paradisi (*et dicebat ad Jesum : Domine*) tametsi ipsi perspicua esset Christi benignitas, qua peccatores recipiebat (*hic peccatores recipit, non veni vocare justos, sed peccatores*) attamen humilis, modestus et semetipsum contemnens, multis passibus a Christo velut indignus retrocessit et solum dixit : *Memento mei, etc.*, quasi diceret, inquit Salmeron [1] : « Non actionum mearum, quæ « omnes contaminatæ sunt ; sed sicut Pater excipit « filium prodigum, a regione longinqua redeuntem « lacerum et pannosum : ita tu me excipe. »

**3.** — Filii Zebedæi, non obstante, quod multo tempore illam frequentassent scholam, in qua cœlestis Magister hanc præ cæteris sollicite prælegebat lectionem [2] : *Discite a me, quia mitis sum et humili corde* ; attamen in medium prodeuntes, primos in Christi Regno thronos, matre ipsorum mediante, a Christo deposcere non dubitarunt. At vero quodnam, vel quale a Christo retulerunt responsum [3] ? *Nescitis quid petatis.* Bonus autem hic latro, qui in toto vitæ suæ decursu suum scholæ Christi nunquam intulerat pedem, attamen dignus factus fuit, pedem suum figere primitus supra montem Golgotha, quando incarnata Sapientia e cathedra quadam de qua S. Augustinus ait [4] : « Lignum ubi erant « fixa membra morientis, etiam cathedra fuit Ma- « gistri docentis. » Lectionem prælegebat et inculcabat de virtute humilitatis, siquidem [5] *humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* ; et quidem in brevi temporis spatio ad eam usque eruditionem pervenit, ut sicut supra diximus, *dictator Evangelii effectus sit.* Præterea humilitatem didicit, prouti ex modestissima hac, quam Christo præsentavit, supplicatione clare deducitur, in qua non primas postulavit sedes, non locum in regno ejus, sed solum dixit : *Memento mei.* Joseph tametsi in divinam voluntatem resignatus esset ; siquidem in carcere constitutus, a pincerna Pharaonis petiit dicens [6] : *Memento mei, dum bene tibi fuerit* : verumtamen huic petitioni hanc insuper adjunxit appendicem : *Ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere, quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum et hic innocens in lacum missus sum.* Bonus autem hic latro non se jactavit innocentem, tametsi in virtute contritionis suæ revera talis esset ; quin potius aperte confessus fuit : *Nos quidem juste, nam digna factis recipimus* : non petiit liberari ab illo patibuli supplicio, prout collega ipsius faciebat ; sed solum dixit : *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* Filii Zebedæi in pœnam ambitionis suæ turpem passi fuere repulsam a Domino, dicente : *Nescitis quid petatis, non est meum dare vobis* : at vero bonus hic latro sibi dici audivit : *Hodie mecum eris in paradiso.* Certum quidem est, quod ex quo Spiritus Sanctus boni hujus latronis mentem illustrasset ad cognoscendum Christum, tanquam verum gloriæ Regem, simul etiam infinitam ejus in peccatoribus recipiendis agnoverit misericordiam, nec non iisdem remunerandis liberalitatem ; et tamen solum peccata sua considerans, petiit : *Memento mei, etc.* Sciebat quidem esse Purgatorium, et quod *spes quæ differtur, affligit animam* [1] ; attamen a beati illius regni consecutione se procul positum esse censuit, tum ut peccata sua tanto magis expiaret, tum etiam ex motivo humilitatis. At vero quia res ei cum illo erat, qui promiserat : *Qui se humiliat exultabitur* ; hinc ab illo sibi dici audivit : *Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso.*

**4.** — *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Admiranda profecto est hæc boni latronis notitia, qua Christum regni cœlorum Dominum esse credidit. Qua de re Salmeron ita scribit [2] : « Declaravit « se agnoscere id, quod coram Pilato Dominus « dixit : *Regnum meum non est de hoc mundo*, sed « cœleste. » S. Bernardus ait [3] : « Omnes amici, et « proximi et noti, fratres quoque, imo et ipsi discipuli, unanimes et electi de mundo a Domino Jesu « Christo, in tantarum pressurarum molestia, in « tanta confusione et tantis opprobriis, percusso « pastore, velut erraticæ oves sunt dispersi. Fugerat « quoque ille Discipulus, quem diligebat Jesus, ille « ardens a longe sequebatur, signorum immemores « divinorum, quæ Salvatorem toties viderant ope- « rari, imo et ipsi in nomine ipsius fuerant operati. « Et nunc latro inter tot improperia et miserias, « imo et inter tot tormenta crucis et mortis, prius « non cognitum confitetur et ab eo fiducialiter petit « auxilium, qui auxilio videbatur indigere. » Bonus enim hic latro Christum condemnatum et ab omnibus, etiam a Patre suo æterno derelictum, gloriæ Regem esse pronunciavit, cum dixit : *Dum veneris in Regnum tuum.* Lucas Brugensis hæc verba ita exponit [4] : « *In Regnum tuum*, quod futurum « credo : in Regnum cœlorum, quod prædicasti, « quod Dei promissione tuum est ; tu enim vere es « Christus rex, quod rident impii isti ; » et paulo post subdit : « Quibus vel notis, vel insignibus or- « natum videbat Christum, ut mentem ad ejus « Regnum attolleret ? Huc usque Apostoli ipsi hac- « tenus non profecerant, qui et hoc ipsum, quod « profecerant, pene deseruerant, quando in latrone « fides ista repente invaluit. »

**5.** — Apud Ecclesiasticum dicitur [5] : *Quis credit ei, qui non habet nidum et deflectens ubicunque obscu-*

[1] Salmer., *ib.* — [2] Matt., xi, 29. — [3] Id., xx, 21. — [4] S. Aug., tr. 119 *in Joan.* — [5] Phil., ii, 8. — [6] Genes., xl, 14.

[1] Prov., xiii, 12. — [2] Salm., *ib.* — [3] S. Bern., c. 9 *de Pass.* — [4] Luc. Brug., *ib.* — [5] Eccli., xxxvi, 28.

*raverit, quasi succinctus latro exsiliens de civitate in civitatem*? Quibus verbis Christus forsitan ad illum allusit Scripturæ textum et in quo de semetipso ait [1] : *Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet* : id quod ad litteram eo tempore adimplebatur, quo Christus in cruce suspensus hærebat; tunc autem latro non solum in ipsum credidit, tanquam in Dei Filium, verum etiam tanquam in Paradisi patronum et Dominum : nam ut Cajetanus ait [2] : « Non « solum in præsenti Deum fatetur, sed Regem « euntem ad accipiendum Regnum proprium et « credit et profitetur. Mirabilis valde adest, tam « fides interior, quam professio exterior, tunc « temporis, quando ab Apostolis et Discipulis tanto « tempore eruditis, derelictus est. » S. Augustinus quoque hanc temporis, in quo latro Christum regni cœlorum Dominum confessus est, circumstantiam considerat, dicens [3] : « Sic credidit, ut, quem vide- « rat crucifixum, confiteretur non solum resurrec- « turum, sed etiam regnaturum. »

**6.** — Investigari quoque hoc loco potest, quonam mysterio hic latro Christum Regem potius, quam Filium Dei appellaverit; magisque fecerit mentionem regni, quam cœli, vel paradisi? Ad quod responderi potest, quod cum in schola Christi novitius esset Discipulus, primo, qui ei occurrit, titulo adhæserit : ac proinde quia in titulo crucis Regis nomen descriptum vidit, ideo hoc nomine potius, quam Filii Dei usus fuit. Ita enim Didacus Stella scribit [4] : « Cum titulus, jussu Pilati cruci « impositus, magni Principis signum præseferret, « non abs re erat, ut sicut Rex maxima beneficia « servo conferret. » Porro inter Hebræos vulgaris erat opinio, quod scilicet promissus illorum Messias temporaliter regnaturus esset; in quo errore pariter Apostoli hærebant, prout colligitur ex interrogatione, quam Christo, dum in procinctu redeundi ad cœlum positus esset, proposuerunt; dicebant enim [5] : *Domine quando restitues Regnum Israel*? Christus autem coram Pilato expresse dixit : *Regnum meum non est de hoc mundo*; et ideo hic latro multo melius, quam Apostoli, in hac materia illuminatus, ipsum non in hac, sed in altera vita regnaturum esse existimavit : et ideo quando dixit : *Cum veneris in Regnum tuum*, dicere voluit : « *In regnum* « *tuum* cœleste, » ut exponit Dionysius Carthusianus [6], « jam enim credidit latro, Jesum esse Regem « Messiam in lege promissum, cujus est Regnum « cœlorum; » credibile enim est, ipsum aliquando audivisse istam Psalmistæ prophetiam : *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno*. D. Chrysostomus bonum hunc latronem his verbis interrogat : « Dic mihi : regnum commemoras? quid « enim Regni vides? clavi et crux est quod inspicis « sed ipsa crux, inquit, Regnum est. Imperatorum « est pro omnibus mori et Regis optimi, pro com- « muni utilitate nunquam recusare supplicium. » S. Maximus sequentem tradit doctrinam : « Magis « crederet, utile sibi esse de æterno judicio petere, « quam de temporali supplicio postulare. Remi- « niscens enim scelerum suorum et pœnitudinem « gerens, plus incipit dolere quod sperat, quam « sentire quod patitur; potuit enim, nisi de futuris « amplius cogitasset, qui in Christum semel credi- « derat, de præsenti magis supplicio deprecari. » At ille oculum in vitam futuram defixum habens, Christum supremum agnovit esse Judicem; nec immerito, quia certum est, quod propter merita passionis judiciariam sibi meruerit potestatem : unde S. Thomas [1] : « Christus in hoc, quod injuste « judicatus est, seipsum humiliavit; *oblatus est* « *enim, quia voluit* et meritum humilitatis est judi- « ciaria exaltatio, qua *ei omnia subduntur*, ut dicitur « *Philip.*, II. » Bonus igitur hic latro probe intellexit, quod S. Augustinus his verbis scribit [2] : « Ipsa « crux, si attendas, tribunal fuit; in medio enim « Judice constituto, unus latro, qui credidit, libe- « ratur; alter, qui insultavit, damnatus est. Jam « significabat, quid facturus esset de vivis et mor- « tuis, alios posiurus ad dexteram et alios ad si- « nistram. »

[1] MATT., VIII, 20. — [2] CAJET., *in Luc.* — [3] S. AUGUST., tr. 109 *in Joan.* — [4] DID. STELL., *in Luc.* — [5] ACT. AP., I, 6. — [6] DION. CART., *in Luc.*

## DISCURSUS V.

VERBA ILLA CHRISTI : *Hodie mecum eris in paradiso*, MULTIFARIAM PONDERANTUR; SIMULQUE RATIONES TANGUNTUR, OB QUAS CHRISTUS, PARADISUM INGREDIENS, LATRONEM QUEMDAM IN SUA VOLUERIT HABERE SOCIETATE.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus ad omnia tormenta et convicia silens ad orationem boni latronis benigne respondebat. — 2. Referuntur mysteria quibus turget verbum Hodie. — 3. Christus nullatenus distulit satisfacere petitioni boni latronis. — 4. Accurate expentitur illud : Mecum eris. — 5. Christus in conversione hujus latronis ostendit sapientiam et omnipotentiam suam. Honorificum fuit paradiso, eo introduci latronem et consolatorium nobis. — 6. Quare Evangelistæ nihil insinuent de boni latronis natalibus, patria nec statu vitæ. — 7. Christus cum bono latrone simul in paradisum introduxit totum mundum. In hac latronis in paradisum introductione ostendit se mortis et diaboli est victorem.

*Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi : hodie mecum eris in paradiso.* Luc., XXIII, 43.

**1.** — Tametsi Salvator noster, etiam coram Præside Pilato, rigorosum semper observarit silentium,

[1] S. THOM., 3 p., q. 59. — [2] S. AUG., tr. 3 *in Joan.*

neque a calumniis, ob quas ad crucifixionem condemnatus fuit, se purgare voluerit, *ita ut miraretur Præses vehementer* [1]; similiter tametsi innumera improperia, quibus in monte Calvario impetitus fuit, surdis exceperit auribus : nihilominus petitionem boni latronis, benignam ei exhibens aurem, favorabili rescripto signavit, dicendo : *Hodie mecum eris in paradiso.* Quod admirans Lucas Brugensis ait : « Qui ad convicia surdum se præbebat, ac « mutum, orationi postulationique credentis in- « cunctanter respondit et memor officii sui, ut Sa- « cerdos pœnitentem absolvit et consolatur. » E contra vero reprobo latroni, qui ei dixerat : *Salvum fac temetipsum et nos*; nequidquam respondit : sciebat enim, quod tanquam homo desperatus et plane obstinatus loqueretur; unde cum Psalmista dicebat [2] : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*; licet spem collegam ipsius lucrandi, ejusque ad suam misericordiam refugium considerans, illum sine mora exceperit, eique plusquam postularat concesserit. Salmeron hoc Christi responsum considerans, inquit [3] : « Hoc verbo saluberrimo ac « suavissimo, prospicit Jesus peccatoribus pœni- « tentibus, acceptando eorum dolores ad gratiam. « Priori verbo consuluerat peccatoribus, qui nec- « dum faciunt pœnitentiam, sicut tertio verbo pro- « videt justis, quos donat in filios Matri suæ. » Moxque ad id quod paulo ante diximus, se reflectens, subdit : « Observa Jesum, qui hactenus ad « puncturas clavorum et ad aculeos sentium et ad « injuriosa et amarulenta Principum et Sacerdotum « convicia mutus erat ac surdus, nunc ad verba « latronis ex fide prolata auditum præstare cœpit, « et affectu oviculæ suæ vocem agnovit bonus « pastor et ideo respondit : nam nulli eum clavi, « nulla verba tam tetigerunt, quam vox fidei. »

**2.** — *Hodie mecum eris.* Verbum *hodie* ex pluribus capitibus variis turget mysteriis; siquidem cum hic latro tot annis adeo sceleratam duxerit vitam, videbatur per aliquod spatium in hac vita, vel in patibulo relinquendus esse, ut sua purgaret peccata; prout Lucas Brugensis his verbis notat [4] : « Plerumque Deus affligi sinit hoc in sæculo eos, « quos diligit, efficiens, ut omnia eis cooperentur « in bonum salutemque æternam. » S. Bernardinus verbum *hodie* ita exponit, ut sensus sit [5] : « Sine « diutina mora, ut magis florida gratia elucescat. » Porro cœlum empyreum, quod postquam ab hoc Verbo incarnato pro nobis fabricatum fuisset (*verbo Domini cœli firmati sunt* [6] : *paratum vobis Regnum a constitutione mundi* [6], per quinquies mille et amplius annos reclusum permanserat, nunc ad verba latronis hujus sine mora aperitur. Quando autem idem Dei Filius in triumphali Ascensionis suæ die cœlum ingressurus erat, mora aliqua interposita fuit, donec portæ cœli aperirentur; quod patet ex illis verbis [1] : *Attollite portas, Principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ*; quibus verbis beati Angelorum exercitus responderunt : *Quis est iste Rex gloriæ?* nimirum prius scire voluerunt, quisnam aut qualis esset; nunc vero Redemptor sine diutina mora subito respondit : *Hodie mecum eris in paradiso.* S. Ambrosius hanc facilitatem et in indulgenda gloria velocitatem, et ipse admiratur dicens [2] : « Ille adhuc rogabat, ut meminisset sui, « cum venisset in Regnum; et Dominus cum non- « dum venisset, etiam Regnum cœleste tribuebat. « Quam velox misericordia! tardius votum pre- « cantis, quam remunerantis est præmium. » S. Augustinus in sermone quodam considerans, latronem solum in tempore futuro a Christo petiisse, ut animæ suæ recordaretur (*memento mei, dum veneris in Regnum tuum*) in laudem hujus latronis ita discurrit [3] : « Tu differs te, ego agnosco te; quando « hoc speraret latro, adductus de latrocinio ad « Judicem, a Judice ad crucem, de cruce ad para- « disum? Deinde ipse attendens merita sua, non « dixit : *Memento mei*, ut liberes me hodie, sed, « *cum veneris in Regnum tuum*, tunc memor mei « esto : si mihi tormenta debentur, patiar, vel « quousque veneris in Regnum tuum; et ille : Non « sic : invasisti Regnum cœlorum, vim fecisti, cre- « didisti, rapuisti : *Hodie mecum eris in Paradiso.* « Non te differo tantæ fidei, hodie reddo quod « debeo. » Et vero licet Christus S. Petro cœlorum consignasset claves, attamen a Christo sibi dici audivit : *Non potes me modo sequi*; ideoque retrorsum manere coactus est, licet ipsum gyganteis passibus sequi promisisset. Observavit idipsum S. Maximus, dum ait [4] : « Petro dicitur a Christo : *Non « potes me modo sequi, sequeris autem postea*; et « huic dicitur : *Hodie mecum eris in Paradiso.* Non « in aliud differtur tempus, non in diem alteram « reservatur; ipsa hora qua paradisus Deum sus- « cepit, et latronem. » S. Bernardus assecurare nos volens de promptissimo sanctorum, a nobis in nostrum adjutorium invocatorum, subsidio, exemplum adducit pincernæ Pharaonis, de quo Moyses scribit, quod licet a Josepho imploratus fuisset, ut sui memor esset, *tamen succedentibus prosperis oblitus est, etc.*, moxque subdit [5] : « Absit, absit a vobis « animæ sanctæ, Ægyptia illa crudelitas pincernæ « Pharaonis, qui in gradum pristinum restitutus, « statim oblitus est Joseph sancti, qui in carcere « tenebatur. Non enim erant unius capitis membra « nec aliqua pars fidelis cum infideli, aut ulla « societas Israelitæ ad Ægyptium, non plus quam « luci ad tenebras; interpretatur enim Ægyptus

[1] MATT., XXVII, 14. — [2] *Ps.* XV, 4. — [3] SALMER., t. X, tr. 40. — [4] LUC. BRUG., *ib.* — [5] *Ps.* XXXII, 6. — [6] MAT., XXV, 34.

[1] *Ps.* XXIII, 7. — [2] S. AMBROS., *in Ps.* XXXVII. — [3] S. AUG., s. 144 *de temp.* — [4] S. MAXIM., h. 2 *de latr.* — [5] S. BERN., s. 5 *in Fest. omn. SS.*

« tenebræ, Israel vero videns Deum ; atque ideo « ubicunque Israel erat, lux erat. Non sic noster « Jesus crucifixi secum latronis potuit oblivisci : « factum est utique quod promissum est : ipsa die, « qua compassus est, conregnavit. » Eusebius Emissenus in homilia quadam ita scribit [1] : « Videamus, « quid inter ipsa respondeat dives et larga Dei « bonitas, quæ sicut excedit vota, ita gratiam ad- « jungit ad merita : Hodie, inquit, tanquam si « diceret : Quid me, o fidelis meus comes et unicus « tanti testis triumphi, quid me tantopere exoran- « dum putas, ut in diem judicii mei meminerim « tui ? Quid me ad præsentem retributionem para- « tum longe dissimulas ? Quid in futura sæcula « fidem in te perfectam fatigas ? *Hodie mecum eris* « *in paradiso.* » Quod si quis rescire posset numerum annorum, quibus publicus hic viarum prædo, quotidie suas in sanguine humano contaminaverat manus, utique in annis ipsius plura reperturus esset delicta, quam annos, et tamen *ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia. Nam patientia et benignitas Dei ad pœnitentiam eum adduxerunt* ; et ideo sicut de ipso verificatum fuit illud Psalmistæ : *Veloces pedes ejus ad effundendum sanguinem* : ita quoque Salvator noster non minus velox fuit in remuneranda ejus conversione : nam ut S. Ambrosius ait [2] : « Unius diei spatio non patitur prote- « lari. »

**3.** — Sapiens hoc nobis tradit consilium [3] : *Ne dicas amico tuo : Vade et revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Porro cœlestis Magister noster Apostolos suos præclaro illo amicorum titulo honoraverat, dicendo [4] : *Jam non dicam vos servos : vos autem dixi amicos, etc.,* verum hi hoc sibi facto honore abusi sunt, quia *omnes relicto eo, fugerunt.* Enim vero veri et boni amici in tempore necessitatis dignoscuntur ; talem autem bonus hic latro se esse probavit, quia innocentiam Christi in cruce pendentis solus defendit, dicendo : *Hic vero nihil mali gessit* ; eumque non solum Regem Israelis et promissum in lege Messiam, verum etiam Monarcham cœlestis paradisi declaravit : et ideo mirum non est, quod Christus latronem hunc, tanquam fidelem amicum suum, agnoverit et dicenti sibi : *Memento mei dum veneris in Regnum tuum* ; responderit : *Hodie mecum eris in Paradiso.* Nos heu tardi et pigri sumus in ordine ad Deum et tametsi de ingenti nostro agatur emolumento, illum sæpe per menses et annos exspectare cogimur, priusquam divinis ejus inspirationibus respondeamus. Unde S. Bernardus ait : « Exspectat Dominus, ut misereatur « vestri » : at vero remunerari nos volens sollicitus est, et minime differt ; unde Salvatorem nostrum in hæc verba loquentem introducit : « Non differo « quod promitto, quia hodie mecum eris : Bonus « enim et dulcis Jesus cito exaudit, cito promittit, « cito dat. » Lucas Brugensis hanc dictionem *hodie* ita interpretatur [1] : « Non aliquando duntaxat, « quod petis, verum hoc ipso die statim a morte « tua, cui proximus es. » Regius propheta David indurata peccatorum corda et in mala peccati consuetudine habituata, his verbis invitat [2] : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra* ; et ideo quando cœlestis ille pastor oviculam amissam, postea vero a se inventam, humerisque suis impositam, ad cœleste ovile suum reducere voluit, bonus hic latro, per oviculam designatus, ei libenter est obsecutus (*oves meæ vocem meam audiunt et ego vitam æternam do eis* [3]) nec in corde suo induratus permansit, sed penitus liquefactus, conversus est ad Deum ; ac proinde in præmium hujus velocis obedientiæ felicissimum illud *hodie* audire meruit. S. Cyrillus Hierosolymitanus ait [4] : « Rex adest, « qui gratiam confert ; longa erat petitio, sed « celerrima gratia. *Amen dico tibi, hodie mecum eris* ; « quia hodie vocem meam audisti et non obturasti « cor tuum : celeriter contra Adam tuli sententiam « celeriter tibi gratificor : illi quidem dictum est : « *Quacumque die comederitis, morte moriemini* : tu « vero obedisti fidei, hodie quoque tibi salus, ille « propter lignum excidit et tu de ligno introduce- « ris in Paradisum. » D. Chrysostomus potentia divinæ gratiæ huic pœnitenti collata auxilia notans, ita scribit [5] : « Intelligas, Domini benignitatem « totum negotium peregisse : quid enim latro « dixit ? quid fecit ? num jejunavit ? num flevit : « num se afflixit ? num longo tempore pœniten- « tiam exhibuit ? nequaquam ; sed in ipsa cruce « post sententiam salutem obtinuit. Vide celerita- « tem a cruce in cœlum, a supplicio in salutem. »

**4.** — *Mecum eris.* Valde præclara est hæc singularis et excelsa, simul cum Christo in paradisum ingrediendi prærogativa. Unde Lucas Brugensis Christum hoc modo introducit loquentem [6] : « Non « solum ero tui memor, verum etiam mecum eris : « ubi ego hodie ero, mihi eris socius, nunquam a « me separandus : *ubi ego ero, illic et tu minister* « *meus eris,* juxta id quod alias promisi (*Joannis,* « XII, 26). » Porro hic latro per totam ætatem suam homines sceleratos sibi similes sodales habuerat ; ac proinde merebatur, ut in morte consortium haberet spirituum infernalium : at vero insignis ejus compunctio et heroici virtutum actus, in quibus cœlestibus cooperando auxiliis, in brevissimo temporis spatio se exercuerat, illum fecere dignum, qui comes fieret Regis gloriæ individuus : « Mira « benignitas ! » inquit S. Bernardus [7], « non dicit « simpliciter : *Eris in paradiso,* vel cum Angelis « eris, sed *mecum eris.* Satiaberis in eo quem

[1] Eus. Emis., h. *de latr.* — [2] S. Ambr., *in Ps.* cxviii. — [3] Prov., iii, 28. — [4] Joan., xv, 15.

[1] Luc. Brug., *in Luc.* — [2] *Ps.* xiv, 8. — [3] Joann., x, 27. — [4] S. Cyrill. Hier., *Catech.* 13. — [5] D. Chrysost., t. II, s. 8 *in Gen.* — [6] Luc. Brug. — [7] S. Bern., *ib.*

« desideras, videbis in Majestate, quem confiteris « positum in infirmitate. » Salmeron quoque hanc dictionem *mecum* ponderans, inquit : « Recte ait « *mecum*, quia sine Christo non est regnum nec « beatitudo. » Et vero, ex quo faciem Christi in monte Calvario viderat sputis deformem, transfixam spinis, sanguine luridam, pallidam, decoloratam et lividam, sine dubio eadem facies paulo post visa fuerit longe pulchrior et talis quidem, *in quam desiderant Angeli prospicere ; speciosus forma præ filiis hominum. Revelata facie gloriam ipsius speculans*, sine dubio superabundantem receperit vivæ fidei suæ remunerationem. S. Bernardinus ait [1] : « Divina innuitur societas, cum dicit, *mecum* : nam « *qui adhæret Deo, unus spiritus est* cum eo. » S. Anselmus hæc verba [2] : *Hodie mecum eris in paradiso*, obtupescens ait : « Tu clavis confixus es « cruci : et paradisum promittis ; tu in patibulo « suspensus hæres et dicis : *Hodie mecum eris in* « *paradiso*. O desiderium animarum ! ubi est para- « disus ? An paradisus tecum est et ubi tu vis, pa- « radisus est ? Credo, Domine, credo, quod ubi tu « vis, ubi tu es, ibi paradisus est, et esse tecum, hoc « est esse in paradiso: quoniam ille venerabilis con- « fessor et gloriosus martyr tecum fuit, per totum « illud hodie et postea omni tempore. » Dici quoque posset, quod dictio illa *hodie*, æternitatis sit expressiva, juxta illud : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te* ; ac proinde secundum hunc sensum Christus dicere velle videatur, animam illam beatam per totam æternitatem suam futuram esse sodalem.

**5.** — Enim vero excessivum videri poterat fuisse præmium, si Christus solum dixisset : *Hodie eris in paradiso*, tametsi verbum *mecum* non adjunxisset ; et tamen illi dicere libuit *hodie mecum eris in paradiso*. « Imperatori quidem, » inquit Chrysostomus [3], « vel cuilibet habenti potestatem, injuriosum « putatur, si personam vilissimam participem sui « actus accipiat : Christo autem nostro non injuriæ « fuit sacram ingredienti patriam, facere ingressus « sui latronem participem ; nam secum eum per- « duxit, non confundens calcantibus latronis pedi- « bus paradisum, sed honorem præstans paradiso: « honor enim loci est, talem Dominum promereri, « qui et latronem dignum reddiderit paradiso. » Porro Redemptor noster Rex gloriæ in conversione hujus latronis sapientiæ et omnipotentiæ suæ ostentationem facere voluit, dum in unico quasi momento titionem quemdam inferni in Seraphinum transmutavit paradisi. Magnus quidam politicus dicere consueverat : Sublata a Principe magnos deprimendi et infimos exaltandi potestate, excellentior Majestatis suæ splendor pariter sublatus erit. Unde B. Virgo ait : *Fecit potentiam in brachio ; deposuit potentes de sede et exaltavit humiles*. Et hoc est, quod Chrysostomus dicere voluit, dum ait : « Honor loci est, talem Dominum promereri, « qui et latronem dignum reddiderit paradiso. « Quando publicanos et meretrices in Regnum vo- « cabat, non utique id fecit cum sui dedecore « Regni, sed potius majori cum honore ; ostendit « enim ejusmodi esse, qui etiam meretrices et « publicanos tam probatos facere queat, ut videan- « tur digni ea quæ inibi est, gloria. » Profecto si primi, quos Christus Rex gloriæ in sua societate introduxit in paradisum, innocentissimi fuissent, qualis Abel fuit ; vel perfectissimi, quales fuere Abraham et Joannes Baptista, peccatores de sua salute utique desperassent ; ac proinde ut peccatoribus spem ingereret salutis, hunc latronem in suam elegit societatem.

**6.** — Evangelistæ de hoc bono latrone nihil prorsus in particulari referunt, non patriam, non religionem, quam profitebatur, an scilicet ex illa Hebræorum, an vero paganorum fuerit ; non ætatem, non natales, nec statum in quo vixit, an scilicet conjugatus fuerit, vel liber et an filios genérarit et tamen quando de Simone Cyrenæo scribunt, qui Salvatorem in portando crucis patibulo adjuvit, hujus distincte referunt nomen, cognomen, patriam, imo et filiorum nomina, nec non et locum, unde discesserat. Quonam vero putas hanc spectare differentiam ? Responderi potest, quod cum in casu de bono hoc latrone, de salute agatur æterna et de paradiso comparando, Spiritus Sanctus, qui Evangelistarum gubernavit calamum, insinuare nobis voluerit, quod ad hoc ut salvemur, nihil conducant nobilitas, divitiæ, sexus, nomen, professio, filiorum multitudo ; sed sola ad hoc cooperetur charitas, amor Dei et vera pœnitentia.

**7.** — Idem Chrysostomus acute observat, bonum hunc latronem non solum cum Christo ingressum fuisse paradisum, tametsi solius in numero singulari facta fuerit mentio : « Non enim, » inquit S. Doctor, « solum introduxit latronem, sed et mundum « universum ; » adeoque omnibus peccatoribus, quorum plenus est mundus, spem ingessit salutis. Rex gloriæ infinitum paradiso conciliare voluit jubilum et lætitiam, in suo ingressu : at vero in quonam hæc lætitia præcipue consistit ? Num forte in animabus innocentibus ? Nequaquam, sed audite ipsummet Salvatorem dicentem [1] : *Dico vobis, quod gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia* : præterquam quod insignem hunc peccatorem secum introducendo in paradisum, omnes quoque alios ad eamdem animarit fiduciam. S. Augustinus quoque hac de re ita scribit [2] : « Unde maxime potentiam suam declarat

[1] S. Bern., *ib.* — [2] S. Anselm., *Alloq. cœlest.*, c. 30. — [3] Chrys., t. III, h. *de cruce et latr.*

[1] Luc., XX, 7. — [2] S. Aug., ser. 49 *in Append. de div.*

« Omnipotens, non mortuum suscitans, non mari « et ventis imperans, non dæmones ejiciens; sed « justificatio et glorificatio peccatoris, vel maxime « ejus facit elucescere potentiam, magis quam mi- « racula. » Unde paulo post de bono latrone subdit : « Et quidem nemo regum aliquando est « passus, latronem hominem, aut quempiam alium « ejusdem naturæ conservum secum assumens, ita « in civitatem introducere : sed Christus hoc fecit, « qui mortis et diaboli victor secum sacratissimam « ingrediens patriam latronem introduxit. » Merito igitur S. Paulus justificatione impii, gloriam nominat Dei; ipse namque idipsum in se expertus fuit, quando Christus illum ex Saulo in Paulum, ex lupo in agnum, ex filio iræ in vas electionis, ex persecutore in Apostolum transmutavit : *Omnes peccaverunt,* inquit Apostolus ad Romanos, *et egent gloria Dei* : « id est, » ut Hugo Cardinalis exponit : « Justifica- « tione, qua Deus apparet gloriosus : ibi relucet « ejus benignitas, apparet ejus potentia, imo om- « nipotentia, quia dicit Augustinus : Majus est de « impio facere pium, quam creare cœlum et ter- « ram. *Sapient.*, XI : *Misereris omnium, quia omnia* « *potes*; id est, in hoc manifestas potentiam tuam, « quia *misereris omnium.* » Hæc boni latronis conversio omnibus aliis opponi poterat omnipotentiæ suæ miraçulis; plus enim conversio latronis Christum verum Dei Filium esse ostendit, quam totius mundi commotio. Dionysius Carthusianus inquit : « Quemadmodum medicus corporum, aliquem lan- « guidissimum et desperatum infirmum subito « curans suam pandit peritiam et magnam conse- « quitur famam : sic Christus hunc salvans latro- « nem, omnibus nobis suam declaravit ad igno- « scendum, atque salvandum clementiam, sapientiam « atque potentiam. »

## DISCURSUS VI.

QUALITER NOMEN PARADISI, BONO LATRONI PROMISSI, INTELLIGENDUM SIT; ET QUID IDEM LATRO PRO EODEM PARADISO OBTINENDO EX SUA QUOQUE PARTE CONTRIBUERIT, DECLARATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Bonus latro multo plus obtinuit, quam petierat. — 2. Christus excessive liberalis est in præmiandis animabus pœnitentibus. Latro felicissimus, sero veniens primus omnium accipit mercedem. — 3. Indagatur quid per promissum intelligatur. Per paradisum intelligitur vita beatifica. — 4. Quare Christus non dixerit; Hodie mecum erit in regno meo. — 5. Impletur in assumptione boni latronis figura V. T. de Jehu et Jonadab. — 6. Ad acquirendum regnum cœlorum sufficit cor contritum.

*Amen dico tibi : hodie mecum eris in Paradiso.* Luc., XXIII, 34.

**1.** — Bonus hic latro ad Salvatorem se convertens, aliud nihil petiit, quam ut sui tantum dignaretur habere memoriam, postquam in regnum suum appulisset. Quod autem a Christo retulit responsum, longo intervallo superexcedit, non solum desiderium, sed et imaginationem orantis; siquidem dici sibi audivit : *Amen dico tibi : hodie mecum eris in paradiso.* Circa quæ verba Euthymius ait [1] : « Petente latrone sui memoriam in regno Salvato- « ris assequi, ipse aliud quiddam, quod supra id « erat, promisit. » S. Ambrosius Dei in præmiandis nobis promptitudinem exhibere volens, hoc utitur exemplo, dum ait [2] : « Aufert dilationem, ubi inve- « nit justi confessionem. Sane alibi ait [3] : *Hodie me-* « *cum eris in paradiso.* Potuit dicere : *mecum eris in* « *paradiso,* sed addidit, *hodie,* ne dilatione gratia « minueretur. »

**2.** — Celebre est illud, quod de Alexandro Magno refertur facinus. Cum enim Perillus pro quadam filia sua congruam ab eo postulasset dotem, subito ei quinquaginta talenta numerari jussit. Perillo autem dicente, quod decem abunde sufficerent, magnanimus Rex respondit : « Tibi accipere quidem « satis est, at mihi dare nequaquam. » Eodem modo bonus quidem latro ad sua se reflectens demerita, abunde sibi satisfactum iri existimabat, si Christus in regnum suum veniens, ejus recordaretur; et ideo dicebat : *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* At vero idipsum satis non erat excessivæ Redemptoris magnificentiæ, utpote quæ liberalis et profusa est, in animabus pœnitentibus condigne præmiandis. Unde S. Cyrillus Hierosolymitanus in hæc verba exclamat [3] : « O ingentem et inenarra- « bilem gratiam! Nondum Abraham fidelis ingres- « sus et latro ingreditur! Admiratus est etiam ante « te Paulus, dicens : *Ubi abundavit peccatum, super* « *abundavit et gratia.* » Idem quoque sanctus Pater alludendo ad parabolam vineæ, in qua primo loco merces data est illis, qui circa vesperam ad laborandum in eam concesserant, ultimo loco relictis iis, qui per totius diei decursum portaverant pondus diei, et æstus, in hæc subdit : « Qui tulerunt « æstum, nondum ingressi sunt et qui undecima « hora venit, ingressus est, » S. Athanasius similiter in sermone quodam in hæc admirationis verba prorupit [4] : « O miraculum, ingens maledictionis « crucifixæ, aperuit paradisum in promissione la- « troni! O te beatum latronem rapuisti in mundo « latrocinando, rapuisti item regnum cœlorum is- « siusmodi confessione. » B. Laurentius Jnstinianus hanc confessionem sequentibus verbis summopere commendat [5] : « O felix latro, quantum tua confessio « valuit! Quantum Deo fides tua extitit grata! Sine « ferro, sine cruciatibus et absque labore pœniten- « tiæ, populorum arripuisti regna, ad undecimam

[1] EUTHYM., c. 81 *en Luc.* — [2] S. AMBR., *in Ps.* CXVIII. — [3] S. CYRILL. HIEROS., *cat.* 13. — [4] S. ATHANAS., *Con. omn. hæres.* — [5] B. LAUR. JUST., *de Triumph. Christi agon.*

« horam in vineam vocatus es, et mercedem prior « accepisti : præcessisti, non meritis, sed beatitudi- « nis fruitione, antiquos Patres, discipulos et Apos- « tolos. » D. Chrysostomus ait[1] : « Paradisum quin- « que vel eo amplius millia annorum fuisse præclu- « sum, Scriptura testatur. » Et tamen hoc tandem post quinquaginta sæcula apertum fuit, non ad præ miandum illum, qui claves cœli habuit, nec propter Joannem Baptistam et Præcursorem, qui eum vicinum esse pronunciavit, nec denique ob suam beatissimam Matrem, licet hæc ab Ecclesia tanquam *Janua cœli* invocetur ; sed ad latronem quemdam præmiandum. Idem Chrysostomus ibidem subdit [1] : « Uno tempore duo beneficia videmus esse « concessa. Unum, in quo paradisum patescit. « Alterum, quo latronem in eum introduxerit. » Didacus Stella sequenti consideratione omnem a nobis admirationem abesse jubet, inquiens[2] : « Christus dicit nobis, ne nimium miremur, « quandoquidem enim Deus dives cum latrone « inope ad crucis mensam sedet, ut pro eo sym- « bolum det. Primo latroni Adam parenti nostro. « qui de cibo vetito ad mensam comesturus sedit, « quid dixisti? *Terra es, et in terram ibis* : sed huic « alteri, qui in tua arbore etiam comedit, quid « inquis? Cœlum es, et in cœlum ibis. »

**3.** — *In Paradiso.* Hoc loco dubium quoddam subnasci potest, de quonam paradiso Christus locutus fuerit constat enim cœlum empyreum solum in die triumphalis Ascensionis apertum fuisse, et non antea; et tamen is qui de seipso ait[3] : *Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur.* Per verbum æternæ veritatis bono latroni promittit *Hodie mecum eris in paradiso.* Porro quod non de paradiso terrestri locutus fuerit, Simon de Cassia probat, inquiens[4] : « Non autem in hac promis- « sione paradisum, scilicet locum ad Orientem, a « quo exulavit Adam, intelligamus repromissum, » quoniam hodie latro post Christum descendit ad « lymbum. Præcessit Christus hora nona mo- « riendo latronem, secutus est latro quasi vesperi « crurifragio celebrato. Cum ergo utriusque anima, « quamvis non eadem hora, Christi scilicet et « latronis, ad lymbum descenderit, a quo Christi « anima non egressa, quousque plene a mortuis « resurrexerit, protinus credendum est, quod in « illo Paradiso terrestri, die illa neutrius anima « fuerit. » S. Augustinus de sinu Abrahæ, qui animarum, ad gloriam destinatatum depositum erat. disserens, ait [5] : « Quanto magis ergo post hanc « vitam, etiam sinus ille Abrahæ paradisus dici « potest, ubi jam nulla tentatio, ubi tanta requies, « post omnes dolores vitæ? Neque enim et lux ibi « non est propria quædam, et sui generis, et pro- « fecto magna, quam dives ille de tormentis: etc. » Idem quoque sanctus doctor, ut hanc doctrinam probet. in hæc verba subdit : « Quapropter animæ « illius latronis, cui dixit : *Hodie mecum eris in* « *paradiso*, non utique inferos præstitit, ubi pœnæ « sunt peccatorum, sed illam requiem sinus Abrahæ « etc. » Lucas Brugensis, in indagandis opinionibus ad eruendos veriores litterales sensus securioribus, exactissimus, ita scribit [1] : « In paradiso, in æterna « futuri sæculi vita, in quieto, felicique justorum « a morte loco, mihi socius in paradiso, et gaudio « eris. Promittit vitam beatitudinemque æternam « eo die inchoandam in paradiso, id est, eo in loco « in quo jam justi omnes a morte requiescunt, « quem alio nomine Judæi vocabant sinum Abrahæ « Porro quod promisit Jesus latroni, hoc et præsti- « tit ; postquam enim prior ipse uno die mortuus « descendisset, ad inferos in sinum Abrahæ, latro- « nis posterius eodem die mortui animam justam « eo per Angelos deportati, excepit : qui locus eo « tempore paradisi nomen tanto justius merebatur, » quanto magis præsentia Jesu illustrabatur, et « beatificabatur. » S. Ambrosius prædicta verba commentando, ita scribit [2] : « Vita est esse cum « Christo, quia ubi Christus, ibi regnum. » Et ideo communior, certiorque opinio est, per paradisum intelligi visionem beatificam, non vero cœli empyrei possessionem, in hac namque simul cum Salvatore usque in diem Ascensionis inlrare distulit. Unde Salmeron ait [3] : « Recte dixit *in paradiso* non « in cœlo empyreo, ad quod Christus non ascendit » usque ad quadragesimum diem post resurrec- « tionem, Non in paradiso terrestri, quia Christus « mansit in lymbo per illud triduum. Significat vox « paradisi statum Beatorum Deum videntium. » S. Bernardinus similiter per paradisum æternam intelligit beatitudinem, quæ in clara Dei visione consistit, quæque loco non est alligata? pro ut ipsemet Filius Dei asseruit. quando de Angelis in terras, ad nostram custodiam, et ad ministerium, ac gubernationem universis destinatis ait : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* En verba Bernardini [5] : « *In paradiso*, id est, in « Dei beata fruitione. Nam secundum Alexandrum « de Ales *super Lucam*, notanter advertendum est, « quod eodem tempore atque horat qua Adam « juste de paradiso ejicitur, latroni misericorditer « aperitur. » Dionysius Carthusianus inquit [6] : « *In* « *paradiso*, id est, in statu, et affluentia beatitudinis « veræ. Paradisus dicitur participatio beatificæ vi- « sionis, » Titus Bostrensis sequentem nobis hac de re tradit doctrinam [7] : « Quod Christus Dominus « noster sua divinitate impleret omnia, et in cruce

[1] D. Chrys., t. III *de latr.* — [2] Did. Stella, *in Luc.* — [3] Joan., x, 9. — [4] Sim. de Cass., l. XIII. — [5] S. August., l. XII *de Gen. ad litt.*

[1] Luc. Brug., *ib.* — [2] S. Amb., l. X *in Luc.* — [3] Salm., t. X, tr. 40. — [4] Matt., xviii, 10. — [5] S. Bern., t. I, s. 55, a. 1, 2. — [6] Dion. Carth., *ib.* — [7] Tit. Bost., *in Luc.*

« erat secundum carnem, et in cœlo secundum « divinitatem. De cruce rursus depositus, et in « inferno erat secundum animam, et suæ nihilo- « minus divinitatis virtute, latronem in paradisum « inferebat. Forsitan latronem, qui in ipsum cre- « diderat, prius transtulit in paradisum quam ipse « ad inferos descendit. » Ubi Pater ille non de paradiso terrestri loquitur, sed de visione beatifica, quæ ut plurimum appellari solet paradisus. Cajetanus super Lucam scribens, ait [1] : « Duo inau- « dita prius, noviter manifestantur. Alterum est, « paradisi nomen translatum ad significandum « æternæ beatitudinis felicitatem. Paradisus enim « Græca est dictio. Alterum est, quod remissio « culpæ, et totius pœnæ, hic primum habetur : « Peccatrici siquidem mulieri remissa sunt peccata « multa, sed dictum est de remissione pœnæ. » Latroni autem ex hoc ipso, quod illo die promit- » titur ei beatitudo, dimissa est non solum culpa: « sed pœna omnis. » Tametsi enim innumera ei peccata expianda restarent, dicere tamen convenit, quod propter pœnæ temporalis satisfactionem (quæ utique magna nimis fuit) Deus illi tale, infuderit gratiæ augmentum, quod sufficiens esset ad excitandos in ipso tam ferventes veræ contritionis, et amoris actus, qui totaliter magnam illam peccatorum sarcinam ab eo tollerent; siquidem B. Laurentius Justinianus hoc de eo perhibet testimonium [2] : « Fortunatus hic peccator, qui sua « confessione justificatus, cœlum acquisivit, et « sanctorum cœtibus non tactis purgatorii flammis, « associatus est! Satis illi videbatur, facinoribus « acclamantibus, si de eo in cœli regno tantum « memoria haberetur. » Et vero ad quem beatitudinis gradum felix hic latro pertigerit, solus id novit ille [3], *qui spirituum ponderator est*, quique ei dixit : *Hodie mecum eris in paradiso.* Et quidem si Arnoldo Carnotensi fides est adhibenda, ad gradum valde sublimem evectus fuit. Ita enim ille de eo scribit [4] : « Ibi latro locatur, unde Lucifer corruit : « et cui forsitan tu Petre ultra septies ignoscere « velles, ultra septuagies septies reus absolutus a « bono Jesu, modo cum Angelis conversatur. »

**4.** — Salmeron hoc loco ingeniosum quoddam movet dubium, nimirum cum bonus latro regni mentionem fecerit : *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*, cur incarnata Sapientia ei non dixerit : *Hodie mecum eris in regno meo*, sed *mecum eris in paradiso*, ejusque sequentem assignat rationem [5] : « Ut indicet, se per mortem homines « reducere in paradisum, unde per peccatum Adæ « ejecti erant. » Verumtamen ex Epistola quadam S. Ambrosii aliud quoddam eruitur mysterium, quod licet potius pœnitentis nostri latronis merita diminuat, non tamen a nobis prætereundum videtur. Dicit igitur [1] : « Latroni illi confitenti dici- « tur : *Amen, Amen dico tibi; hodie mecum eris in* « *paradiso.* Ille dixerat : *Memento mei, dnm veneris* « *in Regnum tuum* : Christus non de Regno res- « pondit sed ad causam : *Hodie mecum eris in pa-* « *radiso*, id est, reformandum est ante, quod amis- « sum est, postea conferendum id, quod augendum « est, ut per Paradisum ad Regnum perveniatur, « non per regnum ad Paradisum. Servatur disci- « pulis, quod plus conferatur pro laboribus ideoque « incolatum promisit, regnum distulit. Itaque is, « qui sub ictu mortis convertitur, et confitetur « Dominum Jesum, mereatur incolatum Paradisi, « qui vero multo ante se exercuit, et Christo mili- « tavit, acquisivit populorum animas, pro Christo « se obtulit, habeat paratum stipendiis suis Dei « Regnum, cujus se remuneratione donatum gau- « deat. » Verumtamen quisquis sacros pervolverit Interpretes, eaque quæ hactenus in præcedentibus discursibus diximus, attente consideraverit, inveniet utique illum, in brevissimo licet tempore, præclarissima sibi comparasse merita [2] : « Habuit bonus hic « latro jus emptionis » inquit Salmeron [3] : « Reg- « num siquidem cœlorum, teste Augustino, tantum « valet quantum habemus : et quia latro nihil « aliud integrum, et liberum habebat, præter cor, « et linguam attulit cor credens, et linguam con- « fitentem, siquidem corde creditur ad justitiam: « ore autem confessio sit ad salutem. » Drogo Hostiensis merito solum hunc latronem hanc sortitum fuisse dicit prærogativam, ingrediendi videlicet illa die simul cum Christo ad perfectam beatitudinis possessionem (*mecum eris in paradiso*) quia solus pariter inter omnes alios viventes illum honoraverat, eique tanquam Regi gloriæ religiosum cultum exhibuerat. Unde idem Drogo subdit : « Ille tibi de toto hoc mundo solus, et unus adhæsit « et ideo solus de toto hoc mundo tecum in para- « disum intravit, ubi et tam firmiter non jam « custos paradisi, sed civis et domesticus Dei collo- « catus est, ut amplius inde cadere jam non possit. » S. Augustinus in hujus latronis laudem, et improperium Apostolorum, ita scribit [3] : « Tunc fides « ejus de ligno floruit, quando discipulorum fides « emarcuit illi desperaverunt de moriente, ille « speravit in commoriente. Refugerunt illi aucto- « rem vitæ, rogavit ille consortem pœnæ. Dolue- « runt illi tanquam hominis mortem, credidit ille « regnaturum esse post mortem. Deseruerunt illi « sponsorem salutis, honoravit ille socium crucis. Atque hanc ob causam Arnoldus Carnotensis S. Petrum his verbis affatur [4] : « Ne irasceris princeps « Apostolorum, tibi dico Petre, cui claves Regni « cœlorum commissæ sunt, et te amare flentem « Christus respexerat, et donaverat negationis rea-

[1] CAJET., *.b.*— [2] B. LAUR. JUSTIN., *ib.*— [3] PROV., XVI, 2. — [4] ARN. CARN., *de septem verbis.* — [5] SALM., *ib.*

[1] S. AMBR., *epist.* 19. — [2] SALM., *ib.* — [3] S. AUG., t. VII, l. I *de anima et ejus orig.* — [4] ARN. CARN.

« tum, quia non ex sententia, sed ex infirmitate « desciveras. Te tamen juxta crucem non video, « territus lates, nec saltem Matrem Christi, fœmi- « nasque sanctas prosequeris, quæ spectaculo lu- » gubri adstabant immobiles, nec ibi Apostolica « auctoritate uteris ubi ad invicem fixis juxta cruci- « bus, privata miscent colloquia Salvator et pecca- « tor. Absens et ministerii tui claves (quod pace tua « dixerim) modo non profers. Supplet vicem tuam « summus sacerdos, apertisque seris antiquis latro « primitiæ delictorum, introducitur (aperiente « Christo) in Regnum cœlorum. » S. Bernardinus alia hujus latronis, præter supradicta, ad paradi- sum insinuat merita, dum ait[1] : « Considera ejus « ferventissimam, imo ardentissimam charitatem « ad eum quem videt ipsa die pretio suæ mortis « paradisum sibi conferre, tot sceleribus irretito. « Unde totum quod habuit ipse Jesu in amoris « perfecti sacrificium immolavit. Manibus ejus, « et pedibus crucifixus non valuit sibi servire, nisi « tantum cum duobus membris, primo, scilicet « corde secundo lingua. Primo enim sibi cor in « thymiama perfecti odoris ardenti charitate sacra- « vit; secundo vero linguam sibi obtulit, verificando « quod Dominus (*Matth.* XII) ait : *Bonus homo de « thesauro cordis sui profert bona.*

**5.** — Cum Jehu, qui antea privatus tantum miles fuerat, ad regnum assumptus esset, vide- retque, quod ad stabilimentum hujus regni plurimum sibi profuturum esset, si in partem suam sectatores quoque adsisceret Achabi, post cujus mortem septuaginta filii ejus superstites manserant fortuito obvium habuit Jonadab, cui factio contraria magna ex parte adhærebat, eumque interrogavit[2] : *Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab : Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille levavit cum se in currum dixitque ad eum : Veni mecum,* At vero *hæc omnia in figura contingebant illis.* Etenim Redemptor noster, utpote Messias, Rex erat non tantum cœli, sed Israelis, et populi Judaici; unde Gabriel Mariæ in Annunciatione, et Incarna- tione Verbi dixit : *Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus.* Licet vero Synagoga huic Christi sceptro semper se opposuerit, Præses tamen Judææ, non obstante resistentia a Synagoga facta, titulum cruci ejus imposuit, in quo scriptum erat Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Quia vero latronis plurimum in- tererat, quod in ea esset occasione positus, in qua Christum Regem esse, perspicuis verbis testificari posset ideo mox ut bonus latro hoc adimplevit, confestim dixit : *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Quid igitur mirum, si Christus illum in triumphi sui currum ascendere jusserit, eique di- xerit. Veni mecum : *Hodie mecum eris in paradiso?*

[1] S. Bern., *ib.* — [2] IV Reg., X, 15.

**6.** — Ex hactenus dictis perspicue deducitur, quod ad hoc ut paradisum nobis acquiramus, Rex gloriæ contentus sit modico illo, quod habemus unde dicit[1] : *Præbe filii mi cor tuum mihi.* Hoc enim ei velut æternæ beatitudinis pretium abunde suffi- cit, dummodo cor illud contritum sit, et amore ac charitate erga illum ardescat : « Deus coronat « bonam voluntatem, » inquit S. Augustinus, « quando non invenit facultatem. » Bonus latro post acquisitam Dei notitiam in brevi illo temporis spatio, se in totum servitium et honorem ejus super- rimpendit, fecitque quantum potuit; hocque illi sufficit, ut tam excellenti donaretur præmio, quale fuit illud : *Hodie mecum eris in paradiso.* Unde huic latroni pœnitenti dici poterat, quod demum Beda in hæc verba scripsit[2] : « Regnum cœleste aliud non « quærit prætium, quam seipsum. Tantum valet « quantum es tu : te da, et habebis illud. Quid tur- « baris de pretio? Christus semetipsum tradidit, ut « acquireret te in Regnum Deo Patri : ita et tu te » ipsum da, ut sis regnum ejus, ac non regnet « peccatum in mortali tuo corpore, sed spiritus in « acquisitionem vitæ. »

## DISCURSUS VII

CHRISTUS BONO LATRONI LONGE PLURA DEDIT, QUAM IPSE POSTULAVIT. IDQUE IN VIRTUTE MULTORUM MERITORUM SUORUM, QUÆ TUNC SIBI ACQUISIVIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus bono latroni plura et citius dedit quam postulavit. — 2. Licet Christus Matrem suam afflictissimam juxta crucem videret stantem prius tamen consolatus fuit latronem. Deus semper plus tribuit, quam petatur. — 3. Adducuntur rationes quare Christus bono latroni beatitudinem æternam adhuc viventi promiserit. B. V. bono latroni a Filio suo impetravit peccatorum remissionem et cœlestes benedictiones. Bonus latro cœlum non rapuit, sed aliqua ex parte promeruit. — 4. Judæi Christum inter latrones crucifigentes traducere co- nabantur tanquam omnino facinorosum. — 5. Figura Berzellai impleta fuit in bono latrone.

*Et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei, dum ve- neris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Luc., XXIII, 49.

**1.** — Quantopere hæc boni latronis supplicatio Redemptori nostro placuerit, facti negotio ex ob- tento ad eamdem favorabili rescripto deducitur. Ipse etenim a benignissimo Domino, solum ut sui memor esset, petiit, mox ut regni sui possessionem adiisset, sibique verbo æternæ veritatis responderi audivit : *Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso* « Excedit humanam conditionem ista promissio; » inquit S. Leo[3], « nec tam de ligno crucis quam de

[1] Prov., XXIII, 26. — [2] Beda, ser. 18 *de Sanct.* — [3] S. Leo, s. 2 *de Pass.*

« throno editur potestatis. Ab illa altitudine præ-
« mium fides datur in qua chirographum humanæ
« transgressionis aboletur. » Eusebius Emissenus propitium hoc, et oratoris desiderio ac merito superius rescriptum, hisce verbis exprimit [1]:« Quid
« me ad præsentem retributionem paratum longe
« dissimulas? Quid in futura sæcula fidem in te
« perfectam fatigas? *Hodie mecum eris in paradiso,*
« tanquam hæreditaria, et paterna sede, quæ ex-
« pulsis duobus, clausa innumeris populis me in-
« troeunte reserabitur. Ingredere illuc primus, sed
« ingressu feliciori quam primus. Intra paradisum
« nequaquam ultra cum Adam visurus infernum. »

**2.** — Observandum est, quod Filius Dei, quoad naturam humanam, Spiritus Sancti opera ex sanctissima Matre sua genitus, afflictionem intensissimam, quia pia Mater ob vicinam Filii mortem opprimebatur, probe sciebat imo videbat ad oculum intelligebat quoque quod propter innumeras doloris, et cordis angustias, consolatione et corroboratione opus haberet, quodqpe primum secundæ tabulæ præceptum, quod ipsemet condiderat, honorem imperaret filiis et reverentiam, genitoribus suis debitum, et tamen priusquam se ad ipsam consolandam converteret, jam ante consolari voluit hunc latronem. Id quod Taulerus ad præsens propositum opportune his verbis meditatur [1] : « Neque
« retulit precem ejus Dominus, dicendo : En
« gravissimis his pendeo in pœnis, coramque Ma-
« trem meam maxime afflictam tantis hic in an-
« gustiis stare video, cui adhuc ne verbum quidem
« locutus sum, ita ut modo exaudire te mihi non
« sit integrum, quin potius mox præcantem exau-
« divit, » Ardens in corde Mariæ videbat et legebat desiderium, quo ab ipso unico saltem ad minus verba confortari gestiebat; et tamen, cum primo loco Patri pro indulgenda crucifixoribus venia supplicasset, secundo loco boni latronis supplicationem per favorabilem rescriptum expedire voluit; ac demum tertio loco ad Mariam se convertit, prout suo loco dicemus. Observandum quoque est, quam præclarum fuerit præmium, quo heroicos hujus latronis actus remuneravit; siquidem illum certo quodam modo sanctissimæ Matri suæ anteposuisse videtur, quia hanc S. Joanni consignavit, dicens : *Mulier ecce Filius tuus;* bonum vero latronem Filius Mariæ in suam potestatem assumpsit, individuumque suum comitem effecit : *Hodie mecum eris in paradiso.* Porro visio beatifica, intima quædam est fruitio, ac indivisibilis unio Dei cum anima. Beda super *Lucam* ita scribit [2] : « Pulcherrimum affec-
« tandæ conversionis exemplum, quod tam cito
« latroni venia relaxatur et uberior est gratia, quam
« precatio : semper enim plus Dominus tribuit,
« quam rogatur. Ille enim rogabat, ut memor sui
« esset Dominus, cum venisset in Regnum suum :
« Dominus autem ait : *Hodie mecum eris in para-*
« *diso.* » Ad eamdem quoque liberalitatem considerandam, Salmeron nos his verbis invitat [1] : « Per-
« pende Christi liberalitatem, qui merita supplicum
« excedit et vota et qui dat superabundantius,
« quam petimus, aut intelligimus, ut ait Aposto-
« lus. » Euthymius inquit [2] : « Quomodo petente
« latrone sui memoriam in Regno salutis assequi,
« ipse aliud quiddam, quod supra id erat, promisit,
« conversationem videlicet in paradiso? Quia latro
« ignorans, quid esset ejus Regnum, non ad deter-
« minatum aliquid et cognitum, fecerat petitionem
« sed solum per hujusmodi petitionem precabatur,
« ut bonum aliquod consequeretur. Christus vero
« sciens ejus intentionem, promisit, quod illi om-
« nium optatissimum videbatur. » Glossa ex V. Beda hanc adducit doctrinam [3] : « Uberior gratia,
« quam precatio; semper enim Dominus plus tri-
« buit, quam rogatur. » Sic enim Abraham instanter a Deo filium postulans, dono accepit filium adeo sanctum, qualis Isaac erat, ex cujus stirpe redempturus genus humanum, sacratissimam humanitatem suam assumere voluit. Jacob hanc a Deo sibi gratiam concedi petiit, ut Benjamin sanum ac salvum, sine ulla molestia redeuntem revidere posset; et non solum hoc obtinuit, verum etiam, ut Josephum, quem tot annis mortuum deploraverat, in regium Ægypti thronum sublimatum videre, ejusque præsentia frui posset. Tobias senior pro felici Tobiæ junioris filii sui reditu Deum rogavit, obtinuitque non solum, ut is salvus rediret, verum insuper, ut sub ducatu Archangeli Raphaelis, ab Altissimi throno in ejus custodiam destinati, multis reverteretur divitiis onustus. Judith pro liberatione Bethuliæ, ac dilectæ patriæ suæ salute Deo supplicavit, Deusque illi tantum inspiravit et infundit animi robur et generositatem, ut non obstante imbelli sexu suo, caput Holoferni detruncaret, ejusque invictum exercitum, qui multa subjugaverat regna, disperderet. Salomon pro felici regni sui gubernatione sapientiam a Deo petiit et Deus majorem illi dedit, quam unquam hactenus dedisset, vel deinceps daturus esset aliis, idque cum inexhaustorum thesaurorum incremento. Rex Ezechias infirmatus, breve a Deo postulavit temporis spatium, in quo ad felicem mortem se præparare posset; et Deus illi quindecim vitæ annos indulsit. Ita quoque hic latro solum petierat : *Memento mei*, et Christus illi dixit : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso ;* id quod profecto tam excellens donum fuit, quo munificentia et omnipotentia Dei majus dare non poterat; siquidem per illud præter regnum suum seipsum illi donabat. Herodes a filia Herodiadis lascivis saltibus adeo captus fuit, ut ei exorbitan-

[1] Euseb. Emiss., hom. *in latr.* — [2] Tauler., c. 43 *de Pass.* — [3] Beda, *in Luc.*

[1] Salm.. t. X, tr. 40. — [2] Euthym., c. 81 *in Luc.* — [3] Gloss., *ib.*

tem hanc promissionem fecerit : *Etiamsi dimidium regni mei petieris, dabo tibi.* Salvator noster in saltu, quem bonus latro, ligatis licet pedibus, e monte Calvario ad cœlum empyreum fecit (*Memento mei dum veneris in regnum tuum*) adeo sibi complacuit, ut in hujus saltus præmium Regnum suum cœleste et immortale illi donarit : *Hodie mecum eris in paradiso.* Merito igitur Apostolus de liberalitate Dei ait [1] : *Qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus.*

**3.** — Quærat fortasse aliquis, quodnam in eo lateat mysterium, quod Salvator noster bono huic latroni æternam beatitudinem impertiri volens, eamdem ei in hac vita promiserit ; cum tamen ipsemet in Exodo dicebat [2] : *Non videbit me homo et vivet* ; imo in hac vita *nemo scit, utrum amore, vel odio dignus sit* [3]. Poterat insuper huic latroni æternam salutem suam in secreto revelare, eumque de hac adipiscenda securum reddere, absque eo quod hanc declarationem manifeste et patenter in conspectu omnium faceret ; cur igitur id ei non in secreto, sed manifeste dicere voluit ? Responderi potest, id Redemptorem nostrum fecisse, ut omnibus manifestum faceret, se verum promissum Redemptorem, Dei Filium, cœlorum Regem et beati illius regni Dominum esse. Dici quoque potest, ipsum mundo palam facere voluisse, quantum sibi placeant, quantumque a se munerentur illi, qui non obstantibus contradictionibus in ejus sequela occurrentibus, suos se declarant esse sequaces. Septuaginta discipuli sui, una cum apostolis, turpi se fuga subduxerant et in latibulis hærebant ; Nicodemus quoque sese manifestare non audebat ; et tamen bonus hic latro, imperterrita fronte, Christum crucifixum paradisi cœlestis Dominum esse confessus est ; unde Salmeron de illo ait [4] : « Ita summe placuit Christo Regi et Salvatori invocatio latronis, « ex fide petentis spirituale regnum et paradisum, « tametsi non sit dubium, verba Domini magnis « cachinnis excepta fuisse a derisoribus Judæis et « militibus. » S. Ambrosius hoc meritum, quod magni faciendum est, in hæc verba ponderat [5] : « Recte plane et Dominus huic donat paradisum, « qui quem Judas Ischarioth in hortulo paradisi « distraxerat, hic in crucis patibulo confitetur. Mira « res ! confitetur latro, quem Discipulus abnegavit. « Mira, inquam, res ! latro honorificat patientem, « quem Judas prodidit osculantem. Ab hoc pacis « blandimenta venduntur, ab illo crucis vulnera « prædicantur. » Magno utique dolore beata Virgo in corde suo afflicta et transfixa fuit, dum videret innumeros, variis a Filio suo beneficiis cumulatos, non solum non se erga illum demonstrasse gratos, verum omnes uno ore contra illum acclamasse : *Tolle, crucifige,* illumque etiam sub cruce, ludibriis, injuriis et blasphemiis defatigasse, nec ullum comparuisse Apostolorum, qui in ejus defensionem os suum aperiret ; ac proinde verisimile est, quod audiens bonum hunc latronem innocentiam Filii sui defendere, eumque tanquam Regem gloriæ præconizare, ipsa tamquam *refugium peccatorum,* ei a Filio suo petierit et impetrarit peccatorum remissionem, cunctasque alias cœlestes benedictiones. Quod si ipsa innocentiam Filii sui tueri voluisset, ei utique tamquam mulieri et matri, nulla adhibita fuisset fides : at vero hic latro, qui paulo ante una cum sodali suo Filium suum blasphemando, ejus se declaraverat inimicum ; postea respicens, suumque errorem agnoscens, imo et causæ Christi patrocinium exhibens, majori fide dignior erat. Sanctus Ambrosius fidem hujus latronis in Christum, tanto magis admiratur, quanto minus illum talem, qualem ipsum esse prædicabat, credendi motivum habebat ; unde ait [1] : « Salvatorem tunc majestatis « Dominum recognoscit, cum videtur humilitatis « patientia cruciari. Justificatus est, quia Salvatore « in patibulo constituto, Judæis insultantibus et vel « criminose dicentibus : *Libera teipsum, si potes,* « ille certus de divinitate ejus et securus de voluntate, se magis postulat liberari. » Idem sanctus doctor ulterius ostendit, bonum hunc latronem cœlum non rapuisse, sed potius illud aliqua saltem ex parte promeruisse ; ait enim : « Dominus secundum « fidem et merita, tribuit et remunerationis obsequium. » Et paulo ante dixerat : « Magna fides « in illo latrone fuit et sanctis Apostolis comparanda, nisi quod et forte præcesserit ; præcessit « etenim devotione, qui præcessit et præmio, prior « enim latro ad paradisum, quam Apostoli pervenerunt. Omnes, sicut legimus, in passione Salvatoris discipuli trepidarunt, omnes eum pene, « cum traderetur, reliquerunt ; factum est, sicut « scriptum est : *Percutiam pastorem et dispergentur « oves gregis.* Denique fidem Petrus nec admonitus « potuit custodire, toties lapsus est, quoties ne laberetur, admonitus et nisi modum quemdam « tertio denegandi ei Dominus statuisset, forsitan « sæpius interrogatus, sæpius abnegasset. Tantam « enim trepidationem discipulis intulit passio Salvatoris, ut quod Apostolo Christus prædixerat, « ancilla destrueret et magis prævaleret ostiaria ad « perfidiam, quam Apostolus ad cautelam. » Quæ omnia in boni hujus latronis militant favorem, qui non sine causa Redemptori adeo fuit acceptus, quia damna a negatione S. Petri accepta resarcire novit. « Petrus qui claves regni acceperat, » inquit Chrysostomus [2], « cum gloriæ Regem in crucem actum « videret, abjectis clavibus se conjecit in fugam : « at latro cœlorum reserans januam, claves ipse « rapuit paradisi. » Drogo Hostiensis suum ad hunc

[1] Ephes., III, 20. — [2] Exod., XXXV, 20. — [3] Eccle., IX, 1. — [4] Salm., *ib.* — [5] S. Amb., s. 44.

Id., f. 45. — [2] Chrys., or. de *infernor. descens. et latr.*

latronem dirigens discursum, his eum verbis affatur [1] : « Tu fugientibus discipulis et Petro negante, « socius et comes passionis ejus fieri gavisus es. Tu « Petrus in cruce fuisti et Petrus in domo Caiphæ « latro ; tamdiu hic Petrus latro fuit, quamdiu « intus latitans, Christum foris negavit; et ideo et « Petrum præcessisti in paradisum, quia qui te in « cruce complexus est, Dux et Rector tuus, eadem « die qua ipse ingressus est, fidelem et gloriosum « militem secum te pariter introduxit. » S. Augustinus Apostolorum redarguit pusillanimitatem, dum illis hanc boni latronis his verbis improperat animositatem [2] : « A latrone Apostoli victi sunt, qui « tunc credidit, quando illi defecerunt. »

**4.** — Impii et maligni Hebræi omnes suos adhibuere conatus, ut omnibus hunc de Christo conceptum imprimerent, quod videlicet homo esset facinorosus et latronum coriphæus ; qua de re in horto Gethsemani lamentatus fuit, dicens : *Tanquam ad latronem existis comprehendere me*: ipsum quoque Barrabæ postposuerunt, latroni insigni, atque insuper in via ad montem Calvariæ, in medio duorum latronum deduxerunt, ibidemque eum in eorumdem societate crucifixerunt. Videns igitur Salvator, quod bonus hic latro in conspectu omnium et publice, se innocenter mori protestaretur, dicendo : *Hic autem nihil mali gessit*; et consequenter eum ab infami hac latronis calumnia purgaret, atque insuper eum Regem gloriæ esse confiteretur : jure meritissimo in hac ejus defensione sibi complacuit, eamdemque amplissime remuneravit, dicendo ; *Hodie mecum eris, etc.* Salmeron auctoritatem adducit S. Athanasii, in sermone quodam *de Parasceve*, ita scribentis [3] : « Dederunt operam, ut latrones in « morte socios haberet innocentissimus Jesus, ut « supplicii communicatio, esset infamia sepulturæ: « sed ignorabant, a se una cum Christo crucifigi « latronem, ejus ipsius regni futurum præconem, « illis verbis : *Domine memento mei, dum veneris in « regnum tuum.* » Judæi Cæsaris potius præeligentes tyrannidem (*non habemus regem nisi Cæsarem*) Christum Regem gloriæ esse negabant, ut S. Leo notat ; latro autem ipsum regem et quidem regem gloriæ esse manifestavit [4] : « Non viderat prius acta « miracula et tamen Dominum confitetur et regem. » Per ludibrium in titulo patibulo crucis imposito ipsum Regem Judæorum esse scripserant; at bonus hic latro ipsum insuper æterni et beati regni regem esse declaravit, in cujus præmium audire meruit [5] : *Hodie mecum eris in paradiso.* Salvator quidem per Psalmistam lamentatus fuerat [6] : *Considerabam ad dexteram et videbam et non erat qui cognosceret me . Oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde* : at vero quando in crucem elevatus fuit, audiens, quod latro ad dexteram suam suspensus, non solum illum tanquam Redemptorem agnosceret, verum insuper tamquam Regem cœlorum deprædicaret, dicendo : *Memento mei dum veneris in Regnum tuum* ; quid mirum, si Christus suam, quam in eo habebat, complacentiam ostensurus, eidem præmii loco promiserit paradisum ?

**5.** — Berzellai Galaadites, decrepitæ ætatis senex quia eo tempore, quo David infestabatur ab Absalone, vita eum pariter et regno privare cupiente, eidem devictus annona prospexit, eumque pro viribus suis defendit ; hinc quando David, post rebellis filii sui mortem, in solito suo regio stabilitus fuit, ab eodem Jerosolymam invitatus est, ut regiæ suæ frueretur deliciis [1] : *Veni mecum. ut requiescas securus in Jerusalem. Omnia in figura contingebant illis* : per hoc namque præfigurabatur, quod quando Redemptor noster, cui turbæ paulo ante festive acclamaverant (*Hosanna Filio David*) ab Absalone rebelli filio, id est, a populo Judaico, quem veluti filium suum amabat, a Jerosolyma pulsus, in tanta fuit constitutus penuria, ut dicens *sitio*, potum postularet ; bonus hic latro sciens, ipsum non tam potum corporalem, quam animarum salutem sitire, eidem dedit animam suam et loco præmii a Redemptore invitatus fuit ad cœlestis Jerosolymæ delicias : *Hodie mecum eris in paradiso.*

[1] Drog., *de Sacram. Dom. Pass.* — [2] S. Aug., *in Ps.* lxviii. — [3] S. Athan., a Salm. cit. — [4] S. Leo, s. 2 *de Pass.* — [5] Luc., xxiii, 43. — [6] *Ps.* cxli, 5.

## DISCURSUS VIII.

NONNULLA TANGUNTUR MYSTERIA, OB QUÆ FILIUS DEI BEATAM VIRGINEM MARIAM, NON MATREM, SED MULIEREM NUNCUPARIT.

Idea sermonis.— 1. Joannes meminit recommendationis Joannis ad matrem et matris, ad S. Joannem. — 2. Quare Christus dixerit mulier et non mater. — 3. Alia ejusdem ratio. — 4. Christus B. V. cum altissimo mysterio non virginem, sed appellavit mulierem. — Alia ratio cur illam non matrem sed mulierem appellarit. — 6. Christus B. V. non vocavit matrem ne per teneritudinem hujus nominis dolor ejus augereiur. — 7. Per hoc nomen mulier B. V. omnium fidelium constituta fuit mater. — 8. S. Joannes datur B. V. in filium pro filio Dei. — 9. S. Joannes typum gerens Eccl. commendatur B. V.

*Cum vidisset ergo Jesus Matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri : Mulier ecce Filius tuus ; deinde dicit Discipulo : Ecce Mater tua.* Joan. xix, 26.

**1.** — Sanctus Ambrosius in Commentario super Lucam, pulchre considerat, hanc Matris suæ a Christo factam commendationem, a solo S. Joanne fuisse recensitam [2] : « Solus me docet, » inquit, « quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce

[1] I Reg., xix, 37. — [2] S. Amb., l. X *in Luc.*

« positus appellaverit Matrem, pluris putans, quod « victor suppliciorum atque pœnarum, victor Dia- « boli, pietatis officia dividebat, quam quod regnum « cœleste donabat. Nam si religiosum est, quod « latroni venia donatur a Domino, multo religio- « sius, quod Mater honoratur a Filio. » Verisimile est, quod Beata Virgo a prætorio Pilati usque ad montem Calvariæ suum subsecuta fuerit Filium et consequenter unusquisque consideret, quanto dolore cor Mariæ perstrictum fuerit, audiens, quod Filius suus interpellaret Patrem pro venia crucifixoribus impetranda, ac demum bono latroni per promissionem paradisi suggereret fiduciam et tamen sibi ne unice quidem verbo loqueretur; at vero ut B. Laurentius Justinianus notat[1]: « Se alloquentem « ut audivit mœstissima Mater, revivisçere cœpit et « deperditas parumper resumpsit vires. Mœrentem « quippe ejus animam, unice lenivit alloquium. » Arnoldus Carnotensis in favorem Matris ita alloquitur[2]: « Ubi sunt misericordiæ antiquæ, Domine? « Quid differs? *Jam venit hora*, Mater tua coram te « est, latroni loqueris et Matri non loqueris. »

**2.** — *Dicit Matri suæ* : *Mulier.* B. Laurentius ex parte Mariæ hunc texit discursum[1]: « Tamquam « prudentissima, secum singula discutere initiavit « verba, nec non et verborum sententias. Cur mu- « lier, inquit et non potius Mater? Mater utique illi « sum, tametsi meritis et conditione indigna. Na- « tura et sexus mulierem me fecerunt, gratia vero « et prolis conceptio Matrem. Ut sim mulier, sicut « cæteræ, gratias accepi; ut autem sim Mater, ex « speciali amoris privilegio consecuta sum. Mater « illi sum, mulier mihi. *Mulier,* inquit, *ecce Filius « tuus.* Quid est quod loquitur? Unicus mihi est, « uniceque dilectus, post ipsum nullum habui, sed « neque cum illo alium habere volo. Plane si de se « ait, si seipsum insinuare voluit, dicere debuerat: « Ecce me Filium tuum, ecce quem genuisti: vel « cur ostenderet præsentem, quem video, quem « cognosco? Si autem de alio aliquo, inquit, de « quo dicat, certam me reddat, ne dilaniata et va- « riata in multis ab eo divellar. Imprudenter locutus « non est, est enim Sapientia Dei Patris, cui omnia « nuda et aperta sunt. Sed neque cor meum repre- « hendit me, ut illum adversum me in aliquo con- « citaverim, unde non Matrem, sed mulierem « vocare debuerit. » Paulo post vero hæc lamenta subjungit: « O Fili, cordis mei singularis amor et « doloris ac secretorum conscie meorum, loquere « ad eam, quæ te genuit et ambiguitatis altercatio- « nem edissere: cur mulierem me potius, quam « Matrem vocaveris, aut quem loco tui mihi osten- « das filium, vel forte tribuere velis mihi miserrimæ « manifestare digneris. Filius es mihi et ego tibi « sum Mater: si ego Genitrix, nomen hoc dulcissi- « mum mihi et mœroris mei mitigativum quare « conticuisti? Verum si tu mihi Filius, cur alte- « rum demonstrasti? Quomodo alium quam te, seu « loco tui mihi censebo in Filium, cum tui neque « in cœlo neque in terra similis sit? Nam quamvis « te in stipite pendentem, vulneratum et semine- « cem videam, quamquam paululum hinc te tran- « siturum ad Patrem, nullum tamen volo præter « te. Tu mihi omnibus charior, tu mihi amabilior « universis. Te volo sic lividum, sic cruentatum, « sic transfixum. »

**3.** — *Dicit Matri suæ* : *Mulier.* Cardinalis Viguerius filium Mariam mulierem, non vero Virginem, appellasse asserit, ut ab ea averteret multos insultus et injurias, quas alias milites Pilati, carnifices, Judæi et cuncti alii de plebe, ei illaturi fuissent, si illam intellexissent suam esse Matrem. Canisius huic eidem opinioni subscribens, ait: « Sive mulier « dicta sit, ut minus invidiosum hoc, quam nomen « Matris esset apud adversarios. » Salmeron observat, Deum olim populo Judaico præcepisse, ut si quando matrem cum pullis in nido reperturi essent, pullos acciperent, matrem vero liberam dimitterent. [1] « Hoc servarunt Judæi, nam Dominum ce- « perunt et crucifixerunt: Apostolos fugaverunt, « relicta Matre tantummodo: quod mirum fuit in « tanto Judæorum furore. » Deus pariter in antiqua lege præcepit, ne eodem die filius, seu pullus simul sacrificaretur cum matre, neque agnus conqueretur in lacte illius, a qua genitus fuerat: gentiles vero Pilati ministri harum legum incapaces erant, iisque minime subjecti: Judæi e contra acceptissimum se Deo facturos esse sacrificium putabant, si prævaricata omni lege, contra Christum desævirent. Ecce tibi igitur unam rationem, cur Christus nomen Matris coram hisce lictoribus subticuerit et latere voluerit.

**4.** — *Dicit Matri suæ* : *Mulier.* Auctor quidam contemplavitus meditatur, quod altissimo cum mysterio Christus Beatam Virginem mulierem, non vero Matrem appellarit; per hoc namque Filius illius illam honorate prætendit, similem sibi, et æterno Patri suo eam efficiendo: ipse namque omnibus, imo et sibi ipsi renunciarat, sola cruce contentus; ac proinde insuper etiam amantissimæ Genitrici suæ renunciare voluit, alium eidem assignando filium. Voluit pariter, ut æternum suum imitaretur Patrem, qui pro redemptione generis humani proprio se spoliaverat filio, eodemque fine ipsa quoque se illo privaret. Beatus Laurentius Justinianus alio in loco in persona Filii ita loquitur[2]: « Vocavit te mulierem, non matrem, ut ma- « gnanimitatis fidelibus meis exempla præberem. « Nam naturalis dilectio, tametsi reprehensibilis « non sit, est tamen sensualitati propinqua: te

[1] Arnold. Carnot., *de septem vepbis.* — [2] B. Laur. Just., *ib.*

[1] Salm., t. X, tr. 40. — [2] B. Laur. Just., *ib.*

« amplius diligo, quia sancta, quia pudica, quia « humilissima, quia charitate succensa es, quamquia « Mater, et de te secundum carnem procreatus sim.» Ammonius Alexandrinus in harmonia Evangelica, hæc post se scripta reliquit : « Commendabat Jesus « Mariam genitricem, cruci vicinam, Joanni disci- « pulo, mulierem appellans, ne quid affectibus huma- « nis tribuere videretur, qui Patris cœlestis jam age- « ret negotium.» Præterea Judæi Redemptori nostro improperarant, quod Filii Dei nomen sibi usurpasset; dicebant enim : *Filium Dei se fecit : si Filius Dei est, descendat de cruce, et credimus ei* : ac proinde tunc tempus erat, ut Filium Dei, non vero a Matre mortali genitum se esse ostenderet; tametsi enim illam ejus genitricem esse cognovisset, nequaquam tamen intellecturi fuissent modum, quo ipse eum in virgineis visceribus suis de Spiritu Sancto concepisset. Beda ait [2]: « Hæc nimirum est illa hora, de qua Jesus, aquam in vinum conversurus, dixerat Matri : *Quid mihi et tibi est « mulier? nondum venit hora mea*. Hanc itaque « horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, « in qua deberet agnoscere moriturus, de qua « fuerat mortalis natus. Tunc ergo divina facturus, « non divinitatis, sed infirmitatis Matrem, velut « incognitam repellebat : nunc autem humana « jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu « commendabat humano. » E contra vero observandum, quod æternum Genitorem suum in cruce, non semel, sed sæpius Patris titulu honorarit; scilicet, qnando illum pro venia crucifixoribus impertienda rogavit, et quando in cruce exspirans, animam suam in ejus manus commendavit; ne videlicet ullus esset, qui excusare se posset, quasi intellexisset, ipsum verum Dei Filium esse, et promissum Redemptorem.

**5.** — *Dicit Matri suæ : Mulier.* S. Epiphanius varias confutans hæreses, ad suum usque sæculum disseminatas, ita scribit : « Accepimus nonnullos eo « dementiæ progressos, ut pro Deo nobis illam « (de Virgine loquitur) obtrudere vellent. » Et « paulo post subdit : « Sanctum erat Mariæ corpus, « fateor, nec tamen Deus illa fuit. Sanctum nos « Evangelium præmunire voluit, in quo ita Chris- « tus loquitur : *Quid mihi et tibi mulier? nondum « venit hora mea* ; ubi idcirco *mulierum* appellavit ; « *quid mihi*, inquit, *et tibi mulier* ? ne quis B. V. « excellentioris alicujus esse naturæ crederet. » Doctissimus P. Sylveira Carmelitanus aliud quoddam ingeniosum in hoc adinvenit mysterium, inquiens [4]: « Nomen Matris, vel Mariæ tacet, et voca- « bulum mulier profert, forsitan in materni nomi- « nis commendationem : ardebat namque Christus, « hominum redemptionem sua morte consummare, « et ideo capite inclinato, morti, ut accederet, « annuebat : ne ergo Mariæ nomine mors territa « defugeret, mulierem dicit; Mariam tacuit. »

**6.** — *Dicit Matri suæ : Mulier.* Communiores nihilominus, verioresque sacrorum interpretum sententiæ in hoc conveniunt, scilicet ideo Filium se continuisse, ne matrem illam appellaret, ne per nominis hujus teneritudinem major sanctissimæ Virgini dolor adaugeretur. Chrysostomus interrogat [1]: « Cur, o bone Jesu, Matrem tuam erubescis, « quæ tanta cum devotione te nutrivit, tanto cum « affectu lactavit, tantis cum obsequiis tibi servi- « vit? Sed ideo factum esse arbitror, ne materno « nomine Matris dolorem amplius excitares. » Lyranus similiter ait [2] : « Non dixit ei, Mater, sed « *mulier*, vocans eam communi nomine, ne ex te- « neritudine nominis materni, si exprimeretur, « aggravaretur animus Virginis, videntis passio- « nem Filii, » Baptista quoque Mantuanus ex ordine Carmelitarum Poeta eximius, ita canit [3]:

> Talibus admonuit Matrem sine nomine Matris,
> Ne materna pium laceraret viscera nomen.

Idem quoque motivum Ludolphus Carthusianus his verbis refert [4]: « Non dixit ei Mater, sed *mulier*, « ne Matris dolorem amplius excitaret; » citatque auctoritatem Chrysostomi in homili CXLIII, *de passione*. Lanspergius inquit [5]: « Non nominat Matrem, « parcit enim Virginis tenero amori, ne suavius lo- « quendo, dum amicabile hoc nomen exprimeret, « Matris, delicatum cor Virginis rumperet, puta si « tam fidelem, tam amantem, tam benignum, « tamque dignissimum Filium, jam jamque a se « recessurum, sibi audiret dicere : Mater etc. » P. Ludovicus Granatensis in suis de hoc mysterio meditationibus Christum, Genitricem suam hisce verbis allocutum fuisse, contemplatur [6] : « O quibus « verbis tempore separationis te alloquar! si te « appellavero Matrem eo tempore, quo perdis « Filium, viscera tua, voce hac audita, dissecabun- « tur. Si te non appellavero, et tam longum iter « gressurus, licentiam a te non petiero, novus « dolor aliis doloribus accedet. Ergo non Matrem, « sed mulierem te appellabo. » Cajetanus in commentario super Joannem, hæc verba exponens, hanc eamdem assignat rationem, dum ait [7] : « Non « dixit : *Mater*, ne dolorem exaggeraret; sed com- « muni sexus nomine ipsam appellavit. » B. Laurentianus in persona Christi hisce verbis loquitur [8]: « Nolui te vocare Matrem, ne prolis dulcedine, « quæ sub hoc latet vocabulo, tua transfigerentur « præcordia : facile, ut nosti, filiorum blanditiis vi- « scera materna complentur. »

**7.** — *Dixit Matri suæ : Mulier.* Virgo Mater in-

[1] Ammon. Alex., *in Harmonia Evang.* — [2] Beda, *in Joan.* — [3] S. Epiph., t. II, l. III. — [4] Sylveira, *ib.* — Chrys., h. 84 *in Joan.* — [2] Lyran., *ib.* — [3] Baptist. Mant. — [4] Lud. Cart., c. 63. — [5] Lansperg., h. 48. — [6] Granat., *Medit. vit. Christi.* — [7] Cajet., *in Joan.* — [8] B. Laur. Just., *ib.*

temerata præfulgens virginitate, specialissima prærogativa a Christo Filio suo hoc mulieris sortita est nomen ; si enim illam Matrem appellasset, a plerisque minime credita fuisset Virgo : quia tametsi opera Spiritus Sancti conceperit, attamen [1] *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus* : et ideo mulieris nomine appellata fuit, utpote quod tam Virginibus, quam Matribus indifferenter competit. Nec defuere, qui Christum hoc mulieris nomine ad ejus constantiam alludere voluisse asseruerunt, illud Sapientis [2] : *Mulierem fortem quis inveniet ?* Taulerus aliam tradit considerationem, inquiens [3] : « *Mulier*, non tantum mea Mater, sed ge-« neraliter *mulier*, ob ingentem fœcunditatem « tuam, diceris quemadmodum olim Deus ad « Abrahæ conjugem dixit, quod non amplius Sarai, « sed Sara diceretur, quia matrem multarum gen-« tium te constitui : per hosce, quos modo pateris, « dolores, proles edes innumeras, erisque Mater « omnium, qui per gratiam meam in me sunt « credituri. Hos omnes, ceu propr ios filios tuos, « in sinu maternæ gratiæ tuæ confovebis. »

**8.** — *Ecce filius tuus.* S. Anselmus hic exlamat [4] : « O commutatio ! pro æterno et incommutabili « Deo, purum et corruptibilem hominem : pro « naturali et unico filio, servum accepit in filium. » S. Vincentius Ferrerius in sermone quodam die Veneris sancto in hæc verba prædicavit [5] : « Tunc « Christus volens consolari Matrem, capite signando « Joannem, dixit : *Mulier ecce filius tuus* ; et Joanni : « *Ecce Mater tua*, honora eam, servias illi ut Matri. « Respondere potuisset Virgo : O Fili, et qualis est « hæc consolatio, quale cambium est istud, dare « filium Creatoris, pro filio piscatoris ; Filium Dei, « pro filio Zebedæi ? O Fili mi, modo completa est « prophetia Simeonis dicentis : *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit*. » Similem quoque exclamationem Dionysius Carthusianus fecit, dum ait [6] : « Qualis est ista mutatio, o Domina « benedicta, amantissima Virgo Maria ? Tibi pro « filio Creatoris, filius piscatoris : pro vero Deo, « pura creatura datur : pro Domino, servus pro « filio naturali, adoptivus. » S. Anselmus in dialogo *de passione*, inquit [7] : « O quam miserabilis li-« centia. » Apud S. Joannem Damascenum hæc verba leguntur [8] : « Annon tibi plus quam gladius « fuit sermo ille, revera pertransiens animam, et « pertingens usque ad divisionem animæ et spiri-« tus : *Mulier ecce filius tuus ?* » Apud Bollandum in vita Beatæ Veronicæ de Binasco hæc legitur revelatio [9] : Mater omni pietate divinum prosequens « Filium, cum animadverteret eum morti proxi-« miorem, vicinior eidem effectâ, dixit : Nunc scio, « Fili mi, quod me Matrem missam facias : quæ-« nam hæc, o Fili, divina permutatio ?

**9.** — B. Laurentius Justinianus circa hanc consignationem, sequentem ponderationem adducit [1] : « Præclarum scito in hac commendatione Discipuli « latere mysterium : ipse namque typum gerit « Ecclesiæ, quæ est immaculata et Virgo : hanc in « persona Discipuli tibi reliquo. Tu illam tam-« quam me dilige, exhortationibus robora, con-« firma, confilia, erudi. » Arnoldus Carnotensis similiter ita scribit [2] : « Jesus, ut per omnia pietatis « fœdera commendaret, antiquum decretum, quod « de honorandis parentibus decreverat, observavit ; « et Matrem adhuc volens sic esse, ad consolatio-« nem Apostolorum reservavit superstitem, ut ex « his quæ ipsa ab initio audierat, et viderat, et « contulerat in corde suo, senatus Apostolicus do-« ceretur, et Evangelica confirmaretur doctrina. » Considerandum quoque est tempus, a S. Joanne notatum, in quo hanc fecit recommendationem ; scilicet, quando lictores inter se vestimenta sua diviserunt, et super unitatis typo (prouti Christus S. Petro Alexandrino revelavit) miserunt sortem ; quasi in hac occasione insinuare voluisset, quod eo tempore, in quo Ecclesiam illæsam in figura conservare voluit, Matrem pariter S. Joanni recommendarit, utpote qui in dogmatibus ad ipsum pertinentibus ab eadem erudiendus erat Ludolphus Carthusianus ait [3] : « Hic nota quod erat quidam religiosus, qui « tantam habebat devotionem in isto verbo, sci-« licet : *Mulier, ecce Filius tuus*, quod fere per vi-« genti annos continuavit lachrymas in tanta abun-« dantia, quod multum de illis bibebat ; unde « quando incipiebat cogitare totam passionem « Domini, et veniebat ad locum istum, totus in la-« menta et lachrymas dissolvebatur, et dicebat « Matri : O Mater mea, ecce qualiter in cruce pen-« det Filius tuus : vide, quomodo derelictus est, et « moritur Filius tuus. Item dicebat Filio : Ecce « Mater tua lachrymosa et dolorosa : vide, quo-« modo stat Mater tua derelicta. Tu ergo charissime, « frequenter ita cogita, et loquere ad Filium pro « Matre, et ad Matrem pro Filio, ut gratiam obtineas « utriusque. »

[1] I Cor., II, 15. — [2] Prov., XXXI, 10. — [3] Taul., c. 44. — [4] S. Ans., *de excel. B. M. V.* — [5] S. Vinc. Ferr., ser. *in Parasc.* — [6] Dion. Cart., *in Joan.* — [7] S. Ans., dial. *de Pass.* — [8] S. Joan. Damasc., l. IV *orth. fid.* — [9] Boll., 13 jan., fol. 912.

## DISCURSUS IX.

### DE MYSTERIIS TENEBRARUM, ET SOLIS IN PASSIONE CHRISTI OBSCURATI, DISSERITUR

Idea sermonis. — 1. Discurritur de tempore crucifixionis Christi, quæ fuit bifaria, una linguis Judæorum altera manibus lictorum. — 2. Christus hominem eadem die hac hora hominem redemit quam primus

[1] B. Laur. Just., *ib.* — [2] Arnold. Carn., *de septem verbis.* — [3] Lud. Cart., *ib.*

homo peccaverat. Tenebræ factæ tempore passionis Christi fuerunt supernaturales. — 3. Obscuritas tenebrarum illarum fuit universalis per totum mundum. — 4. Allegantur oracula Prophetarum de tenebris illis. — 6. Obtenebratio solis designabat excæcationem Judæorum. — 7. Omnes creaturæ insensibiles commotione sua protestatæ fuerunt se de Christi morte esse innocentes. — 8. Adducuntur aliæ variæ rationes contemplativorum circa tenebras illas. — 9. Quare tenebræ illæ tantum duraverint tribus horis.

*A sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam.* Matt., XXVII, 45.

**1.** — Magna est inter sacros expositores controversa, qnomodo inter se concordari possint S. Marcus cum S. Matthæo, et S. Joanne; siquidem hi duo Redemptorem nostrum hora sexta crucifixum fuisse asserunt, cnm tamen primus aperte dicat : *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.* Cum igitur intentum nostrum sit, ea potius considerare, quæ ad nostram pertinent devotionem et spiritum, quam ventilare dubia, et quæstiones circa veritatem historiæ emergentes; hinc est, quod ab omnibus illis me expedire modicis verbis decreverim. Hugo Cardinalis super S. Marcum scribens, ait [1] : « Utraque hora crucifixus « est Dominus : hora tertia linguis Judæorum, qui « pejores, et priores in Domini crucifixione : hora « sexta fuit crucifixus manibus militum. » Beda super Marcum sequentia habet verba [2]: « Quia scie- « bat a militibus Dominum crucifixum, non a « Judæis, occulte ostendere voluit, eo magis cruci- « fixisse, qui clamaverunt, ut crucifigeretur, quam « illos, qui ministerium Principi suo secundum « suum officium præbuerunt. Intelligitur ergo « fuisse hora tertia, cum clamaverunt Judæi, ut « Dominus crucifigeretur. Quod ergo maxime vi- « deri fecisse nolebant, hoc eos hora tertia fecisse « S. Marcus ostendit; verissime indicans, magis « fuisse Domini necatricem linguam Judæorum, « quam militum manus. » S. Ignatius Martyr in Epistola quadam ita scribit [3] : « Hora tertia accepit « sententiam, sexta crucifixus est, nona emisit spi- « ritum. » Reflexionen quoque meretur discursus, ab eodem Hugone Cardinali de hoc proposito factus; adducens enim quamdam a S. Hieronymo his verbis motam difficultatem [4] : « Videtur quod non « possit stare : Quia *hora sexta factæ sunt tenebræ « usque ad horam nonam*, qui cum non possent mi- « lites videre qualiter eum crucifigerent, neque « Judæi illusiones facere, quas ei faciebant, non « videtur probabile, quod tunc fuerit crucifixus : » hunc in modum respondet : « Ad hoc potest dici, « quod Dominus fuit crucifixus inter tertiam et « sextam, a militibus, et a Judæis, et potest ab « utroque extremorum in diversis respectibus no- « minari. Verbi gratia si aliqua seditio fieret in « civitate intra tertiam et sextam, si quæreretur ab « aliquo qui interfuit principio, quando facta fuit « hæc seditio, responderet : hora tertia; alius qui « interfuisset fini, diceret : hora sexta, et uterque « verum diceret. Ita est hic, et hoc innuit Joannes « qui non dicit præcise, hora sexta, sed hora quasi « sexta; et quod Marcus simpliciter dicit, hora « tertia, debet intelligi, quasi tertia : tamen dicit « tertia simpliciter, quia crucifixionem linguarum « Judæorum voluit comprehendere simul : inde « est quod Ecclesiis cathedralibus missa major de « Domini passione celebratur inter tertiam et sex- « tam. »

**2.** — *A sexta autem hora etc.* Hæc hora mysteriis turget juxta interpretationis Bedæ, dicentis [1] : « Ratione, imo divinæ pietatis ordo poscebat, ut « eodem temporis articulo, quod olim prævaricanti « occluserat januam paradisi, et qua hora primus « Adam peccando, mortem huic mundo invexit, « eodem secundus Adam mortem moriendo des- « trueret. » P. Sylveira inquit [2] : « Adamus feria « sexta conditus est, feria sexta, Christus crucifigi- « tum, ac moritur Adamus hora sexta : hoc est in me- « ridiana apud nos, comedit pomum vetitum; ea- « demque hora sexta Jesus crucis patibulo affigi- « tur, ut eadem hora, qua homo lapsus est, erige- « retur; et qua hora commissum est debitum, da- « retur solutio. Hora nona, hoc est, tertia post « meridiem, venit Deus ad auram post meridiem « ad Adam, ut eum ejiceret de paradiso; eademque « hora nona meus Jesus verus Dei Filius, spiritus « oris nostri, sub cujus umbra vivimus, animam « efflavit, ut eadem hora omnes nos revocaret a « tartareis faucibus ad vitam ac salutem. » Procopius in caput tertium Geneseos similiter inquit [3]: « Die sexto compositus est homo, hora sexta pec- « cavit. » Theophylactus super Matthæus hanc eamdem habet reflexionem, dum ait [4] : « Sexta die « homo est conditus, qui et sexta hora de ligno « comedit : Qua igitur hora Dominus hominem « condidit, eadem et lapsum curavit. Sexta die hora « affixus est. » S. Thomas super Matthæum inquit [5]: « Competit transgressioni primi hominis, quia « Adam post peccavit. » Salmeron harum tenebra- « rum diffuse, et per multas reflexiones examinat mysterium; et quidem quæstionem instituit, an tenebræ hæ naturales, an vero miraculosæ fuerint; respondetque, infallibiliter sustinendum esse, fuisse supernaturales [6]: « Cum enim Jesus sit crucifixus in decima quinta luna, sive in plenilunio, « sequitur, quod sole existente supra verticem cœli, « in meridie, sive hora sexta, luna erat in opposito

[1] Hugo, *in Marc.* — [2] Beda, *ib.* — [3] S. Ignat. Mart., *ad Trull.* — [4] Hugo Card., *ib.*

[1] Beda, *in Matt.* — [2] Sylveira, *ib.* — [3] Procop., in c. 3 *Gen.* — [4] Theoph., *in Matt.* — [5] S. Thom., *ibid.* — [6] Salm., t. X, tr. 40.

« puncto solis sub terra ; et ideo consueto, et regu-
« lari naturæ ordine, non potuerunt hæ tenebræ
« effici per lunæ interpositionem. » Adducitque S. Dionysii Areopagitæ testimonium, qui in Hierapoli, Ægypti civitate, quæ nunc Damiata appellatur, constitutus, dum hanc obscuritatem, et eclipsin contra omnem naturalem ordinem fieri videret, exclamavit, dicens : « Aut Deus naturæ patitur, aut « tota mundi machina dissolvetur. » Idem ad ipsum probandum aliam subdit rationem, inquiens : « Tenebræ naturales, eclypses, non in plenilunio, « sed in novilunio contingunt ; et tenebræ naturales, « universales non possunt existere, ut hæ fuerunt « Ergo non fuerunt a natura, sed a Deo Auctore « naturæ, supra facultatem ejus operante. » S. Thomas in commentario super Matthæum, ex sententia Origenis de quibusdam gentilibus scribit, quod audientes id, quod Evangelistæ de his tenebris scripserant, velut de effectu quodam prodigioso, inter se riserint, easdem naturaliter contigisse asserentes. Tandem Doctor Angelicus in hæc verba quæstionem decidit [1] : « Non fuit hæc « eclypsis naturalis, sed miraculosa. Sed si vultis « videre, audite quid Dionysius dicit, qui erat xxv « annorum, et studebat in astris, in civitate Helio- « polis : et dum viderent, admirati sunt ipse, et « Apollonius, et videbatur eis, quod non erat na- « turalis, et consideraverunt quatuor miracula. « Primum ex tempore ; quia cum esset dies, qua « Pascha debebat fieri, erat decima quinta, ubi « luna est in oppositione ad solem ; sed naturalis « eclypsis fit ex conjunctione lunæ ad solem. Se- « cundum miraculum fuit, quando sol in occidente « est, luna debet esse in oriente, sed hic mutatus « est cursus Lunæ. Item tertium signum est, quod « semper obscuratio incipit a parte Occidentis, « quia omnes planetæ habeut duplicem motum, « proprium et communem ; luna quoad proprium « motum velocior est, et cum venit ad corpus solis, « venit ab occidente ; sed sic non fuit hic, quia ab « oriente venit. Quartum miraculum fuit, quod ab « eadem parte incipit obscuratio, et redit illumi- « natio ; sed hoc tunc non fuit, quia illam partem, « quam primo occupavit, ultimo dimisit, quia » luna ab oriente venit usque ad corpus solis, et « tunc retrocessit ; unde illa pars primo fuit illumi- « nata. Et ideo ista considerans, in adventu Pauli « se convertit, et post convertit socium suum. « Quintum miraculum, quod est majus, ut dicit, « est, quod naturalis ecclypsis parum durat. Non « enim sol patitur, sed fit obscuratio solis ; per « interpositionem lunæ, sed corpus lunæ non est « majus, quam solis, ideo moram non habet : sed « istud duravit tribus horis, et ideo magnum fuit « miraculum. »

[1] S. THOM., *in Matt.*

**3.** — Obscuritas porro hæc, non solum, nonnulli crediderunt, in Judæa visa fuit, sed univer- « salis extitit. Unde Theophylactus ait [1] : « Tene- « bræ factæ non erant, juxta naturæ ordinem, ut « ex eclypsi solis naturaliter factæ ; supra naturam « erant. In toto mundo erant, non in parte mundi, « sicut in Ægypto, ut monstretur, quod lugeat in « Passione Conditoris creatura, et quod a Judæa « lux recessit, Judæi quoque petens signum de cœlo, « nunc videant solem obtenebrari. » S. Paschasius primo quidem loco duorum Evangelistarum propositum resolvit, ac demum de S. Matthæo subjungit [2] : « Ab hora sexta, quando Dominus in cruce « manus tetendit, tenebras dicit esse factas super « universam terram ; et Lucas addidit, quia *sol* « *obscuratus est* : et ideo non aliunde, sicut qui- « dam volunt, tenebræ factæ sunt, quam ex de- « fectu solis, quamvis tunc temporis eclypsis solis « non esset. » Idem quoque opinionem confutat illorum, qui hanc obscuritatem nequaquam universalem fuisse credunt, eo quod antiqui Auctores de hac universalite nihil trandant ; unde subdit : « Cæterum, quod aiunt, in nullis hæc inveneri « historiis audiant, quid Paulus Orosius noster « scribat, quod die, quando patibulo affixus est « Dominus, maximo terræ motu per totum orbem « facto, saxa in montibus scissa sunt, maximarumque « urbium plurimæ partes plus solito concussione « ceciderunt. Eadem, inquit, die in hora diei « sexta, sol in toto mundo obscuratus est tetraque « nox subito obducta terris, et sicut dictum est :

Impia æternam timuerunt sæcula noctem.

« Deinde addidit, usque adeo hoc miraculum præ- « fulsisse, ut neque lunam lumini solis, neque « nubes obstitisse manifestum esset ; verum quarta « decima die lunam, sicut omnibus notum est, tota « cœli regione interjecta, longissime a conspectu « solis abfuisse, sed et stellas tunc in illis diur- « nis horis, vel potius in illa horrenda nocte, toto « cœlo fulsisse. Quod non solum, inquit, sancto- « rum Evangelicorum fides, verum etiam aliquanti « Græcorum libri attestantur. Et ideo non sicut « isti volunt, Evangelii veritas sine testibus mani- « festa fulget, quando et Phlegon quidam gentilis « teste Origene, hoc factum narrat in Chronicis « suis, sub principatu Tiberii Cæsaris ; nisi quod si- « gnificavit plena luna hoc factum. »

**4.** — *Tenebræ factæ sunt, etc.* Varia de hisce tenebris habemus Prophetarum oracula, prout S. Hieronymus observat, inquiens [3] : « Nulli dubium est « Paschæ tempore lunam fuisse plenissimam ; et ne « forsitan videretur umbra terræ, vel orbis lunæ « soli oppositus, breves et ferrugineas fecisse te-

[1] THEOPH., *ib.* — [2] S. PASCH., l. XII *in Matt.* — [3] S. HIER., *ib.*

« nebras, trium horarum spatium ponitur, ut omnis « causantium occasio tolleretur; et hoc factum « reor, ut compleatur Prophetia, dicens [1]: *Occum-* « *bet sol in meridie, et contenebrabitur super terra in* « *die lux.* Et in alio loco ; *Occubuit sol, cum adhuc* « *media esset dies.*» Salmeron post allatas hasce Prophetias subdit : « Ad hæc non videretur tanta po- « tentia Crucifixi, operantis solum in aere, quanta « esset si in cœlo et sole ipso signa essent edita, « sicut olim Josue soli et lunæ imperavit. »

**5.** — *Tenebræ factæ sunt, etc.* S. Hieronymus obtenebrationis solis, et consequenter omnium aliorum planetarum, hanc assignat rationem, inquiens [2]: «Videtur mihi clarissimum lumen mundi, « hoc est, luminare majus, retraxisse radios suos, « ne aut pendentem videret Dominum, aut impii « blasphemantes sua luce fruentur. » S. Athanasius similiter inquit [3] : « Atqui Sol interim radios « contrahit, non sustinent videre suspensum in « stipite Dominum. » Origenes observat, quod sicuti Moyse manus suas cœlum versus extendente, prouti in c. IX. Exodi legitur, densæ illæ productæ sunt super Ægyptios tenebræ, qui populum Dei in dura servitute positum affligebant [4] : Ita quoque Redemptore nostro hora sexta suas in cruce manus cœlum versus, et populum illum extendente, qui clamaverat : *Tolle tolle, crucifige*, in tantæ impietatis et ingratitudinis pœnam, in ignorantiæ, et cæcitatis tenebris sepulti remanserint, juxta illud regii Prophetæ : *Obscurentur oculi eorum, ne videant et dorsum eorum semper incurva.*

**6.** — *Tenebræ factæ sunt etc.* Inter alia implacabilis a Judæis contra Christum concepti odii signa, hoc quoque unum fuit, quod apud Sapientem dicere non dubitaverunt [5]: *Gravis est nobis etiam ad videndum.* Merito igitur Redemptor aer tenebris obtexit, ne eum distincte videre possent; unde deinceps perpetua quadam cæcitare fuere puniti Et qnidem unum ex majoribus supplicii, quibus Judæi ob crucifixionem Messiæ puniti fuere, fuit hæc ignorantia, de qua aqud Isaiam prædictum fuit [6]: *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava et oculos ejus claude, ne forte videat oculis et corde suo intelligat, et convertatur.* Victor Antiochenus super Marcum scribens, ait [7] : « Erat obscuratio illa « tanta, tamque stupenda, ut sola ob miraculi ma- « gnitudinem sat esse potuerit ad convertendum « omnes, quotquot spectaculo huic præsentes ade- « rant, maxime vero, quod eo tempore accidis- « set, quo Judæorum Principes contumeliarum « et injuriarum tela jam absolverant. Jam tum « enim Deum missum fecerant, jam dicteria et « probra in illum jactare desierant. Jam cuncta « quæ volebant, maledicta et convicia in Jesum « meum effuderant. » Elementa enim, omnesque aliæ creaturæ insensatæ, ad sumendam de injuria communi Creatori illata vindictam, unanimiter armatæ erant; unde Chrysostomus ait [1] : « Sentio « moliri nescio quid creaturam, et intestinis moti- « bus nonnihil elementa intelligo parturire. Mina- « tur ecce propria mundus excidia, et rerum natura « inusitato pavore terretur. Dies medius tenebrarum « tyrannide discluditur, et perdidit cursum fugitiva « luce fraudatus. Expectabant cuncta elementa « exitum proprii Conditoris, axem suum mundus « extremum vergere cupiebat in limitem. Volebat « credo, sæculum protinus ire in ruinam, ne Auc- « toris sui tacens præteriret injuriam. » Salmeron causam ob quam Deus creaturis, ut se de injuriis Salvatoris illatis vindicarent, permiserit, his verbis insinuat [2]: « Elementis et soli dedit vim plangendi « Deus suo modo mortem Christi, et dedisset et « vindicandi, ut statim terra dehisceret et absor- « beret eos, ut Core, Dathan, et Abyron; aut ut « aqua submergeret, ut Pharaonem cum Ægyptiis : « sed potius voluit extingui vitam, quam suam « elementiam, et concessit soli et elementis, ut « hominem terrerent, non occiderent. »

**7.** — *Tenebræ factæ sunt, etc.* Voluerunt, ut reor, omnes aliæ creaturæ irrationales, et insensibiles, se coram Deo, et toto mundo purgare, et ostendere quod nullam in morte Christi partem habeant. Audite hac de re dicentem Chrysologum : « Creato- « ris injuriam tota fugerat creatura. Necem Do- « mini sui mundus evitare contendit, sciens ad « totam domum vindictam protendere, in qua « fuerat servorum scelere Dominator occisus. Hinc « est, quod suis se deserentibus fundamentis terra « tremuit. Sol ne videret, aufugit; dies ne interes- « set, abscessit. » S. Bernardinus aliam quandam ingeniosam considerationem adjungit, inquiens [3]: « Ecce quod aer obscuritate vestitur in testimonium « sceleris, quia contra naturam patitur verus sol; « et Auctori vitæ morienti nobilis lux condoluit. « Et quodam jure vindictæ, datæ sunt tenebræ « ignoranti mundo, quoniam *mundus* Dei Filium « *non cognovit.* » Eodem porro tempore sol abominabile crucifixionis Christi facinus detestari, et universum mundum in ejusdem exequiis luctuose vestire voluit. Nam ut S. Augustinus ait [4]: « Ut tota « cœli facies Dominicæ Nativitatis gloriam nova luce « testatur, ita crucis injuriam novis tenebris detes- « tatur. » S. Ephrem sequentem adducit similitudinem, inquiens [5] : « Si quis ex inopinato de morte « charissimi alicujus sui amici nuncium accipiat, « vel etiam repente ipsum dilectum suum ante « oculos mortuum videat, mox ejus immutatur vul- « tus : sic quoque sol lucidus, ex sublimitate cœli,

[1] Amos, VIII, 8. — [2] S. Hier., *ib.* — [3] S. Athan., ser. *cont. omn. hæres.* — [4] Orig., tr. 35 *in Matt.* — [5] Sap., I, 15. — [6] Isa., VI, 10. — [7] Vict. Ant., *in Marc.*

[1] Chrys., ser. 3 *in Fer. V in Pass.* — [2] Salm., *ib.* — [3] S. Bern., t. I, s. 55, a. 1 *Princ.* — [4] S. Aug., s. 45 *in Append. de div.* — [5] S. Ephrem, t. III *de Pass.*

« contumeliam Domini pendentis in ligno crucis « cernens, immutata facie contraxit suæ serenita- « tis radios injuriam Domini contueri non susti- « nens, sed luctu se ac tenebris induit. »

**8.** — *Tenebræ factæ sunt, etc.* Advertendum est quod in creatione mundi tenebræ lucem præcesserint, dicente Apostolo [1] : *Qui dixit de tenebris lucem splendescere* : ad eumdem modum, quia nunc mundus renovandus erat, per novæ legis Evangelicæ exordium, ideo tenebræ illæ velut figura præcedunt tenebrarum illarum, de quibus præcedenti vespere vera Lux prædixerat [2]: *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum* : e quibus lumen notitiæ veri Dei, et Evangelii mox promicaturum erat.

**9.** — Non defuit, qui diceret, æternum Patrem, a genere humano per crudelem mortem Filii sui (quem mundo dederat, ut illum a peccato, morte, et inferno redimeret) provocatum, aera tenebris contexisse, ut illum majori cum severitate, et cæco quodam modo, ut dici solet, castigaret. Pientior tamen videtur illorum contemplativorum meditatio qui dicunt Deum peculiari cum mysterio universum mundum tenebris cooperire voluisse, quando Unigeniti sui morti intentus erat, ut nobis per hoc insinuaret, quod mortem illam se non videre aut scire simulet. Execrandum enim hoc crucifixionis facinus dissimulabat, et sufferebat, haud secus, ac si nullam illius haberet notitiam, aut quasi in abscondito sub tenebris fuisset commissum. Unde Salmeron ait [3] : « Ita ergo Deus in morte Christi se « gessit erga homines, tam horrendum flagitium « perpetrantes non puniens, quasi non videret. » Simon de Cassia aliam habet reflexionem ; ait enim [4]: « Hæ tenebræ præter id, quod invisibiliter « in exterioribus gestum est in aliora mentes homi- « num tollunt ; nam miro modo voluit tunc Deus « circumcidere oculos hominum cum tenebris den- « sis, ne visus in objecta forinsecus vagaretur, « sed ut ingrederentur ad cor, ad considerationem « eorum, quæ agebantur in Dei Filio : et diem « verterunt in noctem, ut intensior fieret comtem- « platio arcanorum : cum remittitur exterior visus, « intenditur interior oculus. Unde definierunt « sancti noctem, quam diem, esse speculationibus « aptiorem. »

**10.** — Indigari quoque hoc loco potest, cur hæc tenebræ tribus duntaxat horis, et non amplius duraverint ? Dicit enim sacer Textus : *Asexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque od horam nonam.* Ad quod respondetur, quod quia tribus istis horis communis Creator in patibulo crucis immaniter cruciabatur, ac tandem sanctissimam exhalaturus erat animam suam ; ideo sol, vero justitiæ soli Christo, in monte Calvario eclypsato, se intime compati ostenderit. Simon de Cassia aliud hujus obscuritatis considerat mysterium, inquiens [1]: « Ecce quod aer obducitur tene- « bris, obscuritate vestitur, in testimonium sceleris « quod innocens moritur. Eclypsatur, contra natu- « ram Sol, quia contra justitiam patitur verus Sol : « et Auctori vitæ morienti nobilis lux condoluit, « et quodam jure vindictæ, datæ sunt tenebræ « mundo ignoranti, quoniam *Mundus* Dei Filium « *non cognovit.* »

[1] I Cor., IV, 6. — [2] Luc., XXIII, 63. — [3] Salm., *ib.* — [4] Sim. de Cass., l. XIII.

## DISCURSUS X.

### RATIONES EXAMINANTUR, OB QUAS REDEMPTOR IN CRUCE ALTA VOCE CLAMARIT.

Idea sermonis. — 1. Eruitur mysterium clamoris Christi, facti circa horam nonam. Christus, quantumvis clamavit tamen voce magna. — 2. Christus magno suo clamore insinuavit acerbitatem dolorum suorum. — 3. Quare Christus moriens magna voce clamaverit. — 4. Hic Christi clamor sonoram addidit resonantiam voci Apostolorum in conversione infidelium. Christus in hoc clamore assimilatur parturienti. — 5. Vox clamoris Christi penetravit usque ad ipsum infernum. — 6. Christi clamor fuit rugitus leonis. — 7. Christus suo clamare docuit tam in hora mortis quam aliis periculis fortiter ad Deum clamandum esse.

*Circa horam nonam clamavit Jesus voce magna.* Matth., XXVII, 46.

**1.** — Clamor, quem Redemptor noster in hac hora in cruce edidit (*Circa horam nonam clamavit Jesus*) magnis est plenus mysteriis. Albertus Magnus hanc horam fuisse existimat, in qua olim, in mundi exordio, Verbum incarnatum in paradiso terrestri post primi Adæ prævaricationem comparens, vocem suam exulit, dicendo : *Adam ubi es* ? Ait enim Albertus [1]: « Circa horam nonam, quando a principio « clamaverat : *Adam ubi es* ? S. Paschasius super illa verba : *Clamavit voce magna,* ita scribit [2] : « Credo, quia in his verbis magnum aliquod nobis « ostendit sacramentum, et profundissimum in se « mysterium absconditum, in eo quod clamat ad « Deum. » Origenes vero diu ante ad idem propositum ita scripserat [3] : « Digne Deo requirendum « est, quæ fuit illa magna vox Christi, utrum « magna rebus significantibus mysteria aut magna « sensibili, et corporali magnæ vocis auditu. Puto « autem, quod omnis vox Christi Filii Dei magna « est, etsi fuerit lenis ; et testatur de hoc ipso « Scriptura, in locis maxime illis, in quibus vult « erigere auditorem. » Porro motivum hunc Christi clamorem et elevatam vocem admirandi, hoc est quia ut in Psalmo LXVIII in quo de ejus Passione tracta-

[1] Id., *ib.* — [1] Alb. Mag,. *in Marc.* — [2] S. Pasch., l. XII *in Matt.* — [3] Orig., tr. 35 *in Matt.*

tur, prædixerat, vox ejus rauca facta fuerat, et fauces ejus exaruerunt : *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* Experientia namque verissimum esse docet, quod Sapiens in Proverbiis ait : *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Eumdem quoque clamorem Albertus Magnus admiratur, inquiens [2]: « Licet esset debilitatus, et cum in debilibus, et « præcipue qui exsangues, et jam pene exanimes « facti sunt, sit vox acuta et debilis; tamen clamavit voce magna. » Consideratione digna est observatio illa, quam Lucas Brugensis circa veritatem historiæ his verbis facit [3] : « Circa horam nonam clamavit, cum jam tribus et amplius de cruce « pedendisset. Ante tenebras allocutus e cruce Matrem, Discipulum, et latronem. Totum tempus « tenebrarum in summo egit silentio. » Per trium namque horarum spatium continuum in atrocissimis doloribus servavit silentium, et postea alta voce clamans, ingenti cum mysterio locutus est ; maxime quia, ut idem Auctor notat, « exclamavit non coactus, aut animi mœstitia, quam impie Calvinus « docet : sed propria sponte, animo sedato, optimeque composito, judicante clamorem sibi edendum esse (quem, ut suarum fuit affectionum « Dominus, potuisset non edere) ob causas rationi « consonas. » Pergit idem auctor ostendere, hunc clamorem et vocis elevationem, nec non omnia quæ protulit, et articulate pronunciavit, præmeditata fuisse; ait enim : « Non deformem clamorem, rugitum aut ejulatum edidit, qualem alii eo in supplicio constituti edere potuissent ; sed vocem articulatam emisit, nec eam quamvis, sed præmeditatam. »

**2.** — *Clamavit Jesus voce magna.* Lucas Brugensis rationem quamdam adfert litteræ valde conformem, dum ait [3] : « Ut cruciatuum quos patiebatur, « acerbitatem declararet. » » Dionysius Carthusianus ait [4]: « Non ex impatientia, sed ad insinuandum « vehementissimum esse suum dolorem, clamavit « in omnibus enim membris patiebatur, et propter « complexionis suæ teneritudinem, erat summe « passibilis et perceptivus doloris. » Albertus Magnus similiter ita scribit [5]: « Clamat, immensitatem « acerbitatis in dolore mortis ostendens : quod triplici ex causa fuit : una quidem naturalis est, quia « speciosus forma præ filiis hominum, optimæ « complexionis, et decentissimæ fuit compositionis, « et ideo in morte acerbissimi doloris, maxime « cum nec ætate confectus neque infirmitate in « aliquo fuerit destitutus. Alia autem causa divina « fuit, quia morte assumpta mortuus fuit. Hanc « autem talem assumpsit, qua tantum lueret peccata, quantum Protoplastus et alii commiserant, qui totam naturam perdiderant, et « hanc oportuit omnibus mortuis esse acerbiorem. Tertia autem moralis est, quia dicit Aristoteles, quod mors tanto molestior est, quando « bonis melioribus privat morientem. Et ideo dicit « mortem virtuosi hominis esse molestiorem, quam « mortem turpis, quanto bonis per mortem melioribus privatur sciens. Oportuit ergo istam esse « molestissimam, quæ tot bonorum divitem et « inclytum privavit Deum vita. *Thren* I : *O vos omnes « qui transitis per viam, attendite, et videte, si est « dolor similis, sicut dolor.* Voce igitur magna clamavit, *Psal.* CXLII : *Anxiatus est in me spiritus « meus.* » Hugo Cardinalis eidem opinioni subscribit, inquiens [1]: « Exclamavit præ dolore magno, in « quo et veritas humanitatis, et virtus ostenditur « Divinitatis. Si enim esset purus homo, in morte « fortiter clamare non posset. » Se autem hominem esse ideo ostendere voluit, quia cum natura divina humanæ naturæ hypostatice esset conjuncta et sacratissima ipsius humanitas, anima informaretur beata; nisi alta voce clamasset, dubitari potuisset, an a Diuinitate, et anima beata, corroborata humanitas vere pateretur. Unde sacer quidam Interpres inquit : « Quod nisi clamando aliquod suorum atrocissimorum dolorum edidisset signum, multi, « cohibito clamore portentosam hanc patientiam « non humanam esse, sed in fictitio corpusculo « mentitam blasphemarent. » Salmeron quoque suam quoad hoc opinionem his verbis exponit [3] : « Voce magna usus est, ut ostenderet veritatem « humanæ naturæ, et magnitudinem suæ passionis. Idcirco hac voce conquestus est de sua derelictione, ne quis putare valeat, illum sensum doloroum, in tot acerbissimis tormentis, non habuisse ; nam etsi Passio omnium oculis pateret, quædam tamen erant intrinsecus doloris incrementa, quæ per clamorem ostendit. » Dolor enim, quando excessivus est, ad lamenta et clamores edendos hominem adigit : ac proinde clamor ille manifestum erat indicium, quod corpore nostro passibili, passionibus vere subjecto, vestitus esset. B. Laurentius Justinianus ait [4] : « Non arbitrandum « est, ex carentia patientiæ talem clamoris emisisse « rugitum ; sed se verum esse hominem, se carnem gestare passibilem, se mortem pavere insinuare curavit. »

**3.** — *Clamavit voce magna.* Chrysostomus super hæc verba ita scribit [5] : « Voce magna exclamavit « Dominus, ut ostenderet, sua totum id fieri potestate. » Nec solum in summo atrocissimorum dolorum suorum gradu constitutus, alta voce clamavit, verum etiam in ipso actu moriendi. Unde Matthæus ait [6] : *Iterum clamans voce magna emisit spiritum.* Et S. Marcus pariter inquit [7] : *Emissa voce*

[1] PROV., XVII, 12. — [2] ALB. MAG., *in Matt.* — [3] LUC. BRUG., *ib.* — [4] DION. CART., *ib.* — [5] ALB. MAG., *in Luc.*

[1] HUGO CARD., *in Marc.* — [2] JOAL. FERR. — [3] SALM., t. X, tr. 43. — [4] B. LAUR. JUST., *de Triumph. Christi agon.* — [5] CHRYS., h. *in Matt.* — [6] MATT., XXVII, 50. — [7] MARC., XV, 38.

*magna expiravit.* Hujus autem clamoris in morte sua editi, S. Thomas hoc dicit fuisse mysterium[1]: « Voluit mori cum magna voce, ad designandum, « quod ex potestate et non ex necessitate morie- « batur: unde aninam suam posuit cum voluit et « accepit cum voluit: unde facilius fuit Christo, « animam ponere et recipere, quam alicui dormire « et excitari. » Albertus Magnus inquit[2]: « Exilem « vocem consueverunt habere et acutam afflicti et « exsangues, in propria potestate spiritum et « vitam non habentes: et ideo in hac vocis magni- « tudine ostendit, quod dixit Joannis x: *Nemo tollet « a me animam meam, sed ego ponam eam et iterum « sumo eam; potestatem enim habeo ponendi animam « meam et iterum sumendi eam.* » Eidem quoque opinioni adhæret Cajetanus, inquiens[3]: « Vocem « magnam emittendo expiravit, ut intelligerent « etiam præsentes ibi, quod in potestate ejus est « miracula facere, quod voluntarie moritur, qui « tanto assumpto robore expirat, qui paulo ante « adhuc non crucifixus portare nequivit crucem. » Lucas Brugensis, inter alias hujus clamoris rationes, hanc ultimo loco adducit[4]: « Ut se « mori ostenderet, non tam violentia inimico- « rum, quam voluntate, propria mori. Clamor enim « hujusmodi, a Christo moribundo editus, supra « humanæ naturæ vires fuit; nam solet, non « solum morientes, verum et timentes mortem, vox « deficere. » Christus igitur ad ultimum usque spiritum se ex voluntate et potestate propria, non vero ad arbitrium crucifixorum suorum mori, ostendere voluit: id quod S. Thomas in articulo quodam his verbis notat[5]: « Ad secundum dicendum, quod « ut Christus ostenderet, quod Passio illa per vio- « lentiam ejus animam non eripiebat, naturam cor- « poralem in sua fortitudine conservavit, ut etiam « in extremis positus, voce magna clamaret, quod « inter alia mortis ejus miracula computatur: unde « dicitur Marci xv: *Videns autem Centurio qui ex « adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: « Vere hic homo Filius Dei erat.* » S. Bernardinus hanc vocem triumphalem appellat, inquiens: « Quasi triumphali tuba certaminis victoriam mani- « festans, ostendit, quod dolens vincebat, patiens « superabat, derelictus debellabat et moriens trium- « phabat contra aereas potestates. » Mors quæ passionem ejus sigillare et claudere debebat, utpote a vera vita, quæ Christus erat, valde distans, propius ad ipsum accedere non audebat, quia *stipendium peccati mors*; peccatum autem locum non habebat in Christo, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*: et ideo ut Salmeron ait: « Levavit vocem « suam quasi mortem advocans, ut propius acce- « deret. » S. Ambrosius in commentario super Lucam hunc clamorem examinans, inquit[1]: « Cla- « mavit homo Divinitatis separatione moriturus: « nam cum Divinitas mortis libera sit, utique « mors esse non poterat, nisi vita descenderet, « quia vita Divinitas est. » Quem Ambrosii modum loquendi, satis obscurum, Angelus de Pas super Lucam scribens, ita explicat: « Quod oret Christus pro « separatione divinitatis, hoc est, quod divinitas « animam a corpore separet. » Albertus Magnus aliam quandam tradit considerationem valde notabilem, inquiens[3]: « Clamat ut ostendat, se vitæ et « mortis habere imperium (*Sap*, xvi), quia jam « sanguine effluxo, vexatis viribus, prolungato et « multiplici martyrio, clavis ad interiora pene- « trantibus, adhuc mortem sustinet, ne nisi volenti « superveniat. » Didacus Stella ad hoc propositum ita argumentatur[4]: « Clamavit Jesus voce magna, « quando Lazari animam ab Inferni dentibus evo- « cabat; quanto ergo majori voce erat necesse « clamare, ut fera illa truculentissima terribili cla- « more deterrita, vinctos, quos in lacu premebat, « liberos esse permitteret? » Ob eamdem rationem dici potest, quod cum anima Christi a corpore separanda esset, conveniens fuerit, ut alta voce clamaret, quasi licentiam morti concedens, hanc faciendi separationem; ut tam cœlo, quam terræ et inferno manifestum fieret, quod ex voluntatis suæ libera electione animam exhalaret.

4. — *Clamavit voce magna.* Vox, sive Verbum Dei, universum debebat convertere mundum, qui tunc idololatriæ totus immersus erat. Etenim quoad crucifixionem suam futurum prædixerat[5]: *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum,* scilicet per Apostolorum prædicationem. Hæc autem vox clamori Apostolorum (de quo Psalmista prædixerat[6]: *In omnem terram exivit sonus eorum*) sonoram addidit resonantiam, quam clamor Apostolorum ex se non habuisset: « Totus quippe sonus « eorum, clamor erat Jesu invitantis, » inquit Rupertus Abbas[7], « ut omnes sitientes venirent ad « aquas et accipere gratiam properarant, in remis- « sionem peccatorum. » Quibus verbis alludit ad id, quod S. Joannes ait[8]: *In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus et clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Alludit quoque idem Rupertus ad Christi passionem, quæ paulo post secutura erat: « In illa namque novissima fes- « tivitate magna stetit Jesus in conspectu Patris, « *preces, supplicationesque,* ut ait Apostolus, *offerens « cum clamore valido et multis lachrymis* dum per- « cussus violentia Passionis, sicut præfiguratum est « in illa petra, quam Moyses virga percussit, effudit « nobis de semetipso quod biberemus. » Porro

[1] S. Thom., *in Matt.* — [2] Albert. Magn., *in Luc.* — [3] Cajet., *in Matt.* — [4] Luc. Brug., *ib.* — [5] S. Thom., 3 p., q. 44.

[1] S. Ambr., h. 80 *in Luc.* — [2] Angel. de Pas, *ib.* — [3] Alb. Magn., *ib.* — [4] Did. Stella, *ib.* — [5] Joan., xii, 32. — [6] *Ps.* xviii, 5. — [7] Rupert. Abb., l. VII *in Joan.* — [8] Joan., vii, 37.

Christus vespere præcedente in sermone ultimæ Cœnæ, mulieri parturienti se assimilaverat [1]: *Mulier cum parit, tristitiam habet*: in cruce enim innumeros Evangelio et novæ legis gratiæ genuit filios, cujusmodi illi erant, de quibus Apostolus ait [2]: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Proprium vero est parturientium, in acerbissimis partus doloribus clamare [3]: *Sicut parturiens loquor.* Ex filiis in hoc partu editis, unus fuit centurio idololatra, qui ad hanc vocem se convertit: et multi alii, de quibus dicitur: *Revertebantur percutientes pectora sua.* Porro de centurione dicit Evangelista [4]: *Videns autem Centurio, quod sic clamans expirasset, ait : Vere Filius Dei erat iste.* « Consideravit enim Centurio, » ut Dionysius Carthusianus ait [5]: « clamorem illum non fuisse natu-« ralem, vel humanum, sed divina virtute forma-« tum ; præsertim cum alii instante separatione « animæ a corpore, tantæ sint debilitatis, ut vix « exiguam valeant producere vocem. »

**5.** — *Clamavit voce magna.* Hæc vox mira sua efficacia ad ipsum usque Infernum penetravit, creaturasque insensibiles adeo fortiter pulsavit, ut præ nimia erga mortem Christi compassione totum mundum susque deque vertere velle viderentur. Nam et Paulus de Palatio ait [6]: « Clamat; ut voce sua « illa terribili prædam Infernus dimitteret, quam « tot antea sæculis tenacissime in faucibus tenebat. » Ludolphus Carthusianus ait [7]: « Validus et magnus « clamor ille usque in Infernum auditus fuit et « cœlum terramque tremere fecit. Quare vox illa non « fuit naturalis, sed miraculosa: et non naturæ, « sed Dei virtute formata. » Hæc totius universi commotio, quæ virtute hujus vocis Christi secutura erat, ab Ezechiele multis sæculis antea in spiritu prævisa fuit: ait enim [8]: *Audivi vocem commotionis magnæ.* Lanspergius in Homilia quadam ita scribit [9]: « Vide in Christi morte, quam singulare fuerit, « quod clamans expiravit : validus hic namque erat « clamor, ac potens, atque ut dicunt, ad Infernum « usque (quod tamen de hujus virtute magis, « quam sono debet intelligi) auditus fuit, cœlum « faciens fremere, ac terram : quare vox hæc cla-« morosa atque sonora, miraculosa et soli Christo « propria fuit, non naturalis. » Origenes commotionem considerans omnium creaturarum, quæ in morte Christi facta fuit, subjungit [10]: « Magna sunt « facta ex eo, quod magna voce clamavit Jesus. » Hugo Cardinalis ex auctoritate Chrysostomi inquit [11]; « Hæc vox velum scindit, monumenta aperit. » Ac proinde Centurio conversus fuit, inquit Albertus Magnus super Marcum [1]; « videns enim quia sic cla-« mans in tenebris et scissura petrarum et monu-« mentorum apertione, divisione veli templi et « maxime in clamore valido vocis, quæ in morien-« tibus acui solet. »

**6.** — *Clamavit voce magna.* Omnes sacri Doctores in hoc unanimiter conveniunt, quod benedictio, quam Jacob Judæ, sub metaphora leonis, impertitus fuit, ad Messiam fuerit directa, qui e tribu Juda carnem assumpturus erat, quique pariter in aliis Scripturæ locis sub hoc leonis nomine præfiguratus fuisse noscitur. Ac proinde Rupertus Abb. super illa verba (*Prov.* XIX, 12) : *Sicut fremitus leonis, ita ira Regis*, interrogat, dicens [2] : « Cui ? Nonne Inferno « et sempiternæ morti et diabolo, terrenarum « rerum Principi ? Talem fremitum tanti leonis, « quomodo senserunt spiritus illi, quando quidem « terra insensibilis et inanimata sensit ? Mota est « enim clamante Domino voce magna et motu suo, « cum scissura petrarum, fremit tum illum se susti-« nere non posse clamavit. Pulchre igitur dictum « et veraciter adimpletum est : *Juda, adorabunt « te filii etc.* »

**7.** — *Clamavit voce magna.* Angelus de Pas hanc hujus clamoris assignat rationem moralem [3]: « Ma-« gna voce exclamavit, ut in magnis tribulationi-« bus, quibus sæpe usque ad mortem vexatur corpus « ejus, quod est Ecclesia, sciant Christi fideles vigi-« lare Christum et clamare et in magnis miseratio-« nibus opem ferre. » Hugo Cardinalis ex hoc clamore aliud quoddam elicit documentum, inquiens [4]. « Est forma pœnitentis expressa, qui moriens, de « peccato dolet per contritionem, clamat per confes-« sionem, plorat per satisfactionem et sic tradit « spiritum in manus Dei. » Salmeron inquit [5]: « Do-« cet nos suo exemplo, ut tempore mortis clame-« ad Dominum, ut spiritum nostrum suscipiat. » Nam ut Paulus de Palatio ait [6] : « In illo novis-« simo momento jacitur vitæ alea, ibi igitur de « capitis periculo, ibi cœlum nobis, gloria, « Deus periclitantur. In eo puncto totius salutis « nostræ cardo versatur. Clamet igitur magna « voce, qui se in magno periculo videt, voxque « magna magnum excitet Deum ut magno auxilio « accurrat in magno periculo laboranti. » B. Laurentius Justinianus ita arguit [7] : « Si in tormentis « positus fortissimus sic vociferatus est gigas, « quid aget infirmus homunculus ? Si turris invic-« tissima tempestatis impulsu pene mota est et « tremuit, quid arundo tenuis et delicata ? » Quibus verbis insinuat, non solum in morte, sed et in omnibus aliis periculis ad Deum recurrendum ei

[1] JOAN., XVI, 21. — [2] GAL., IV, 19. — [3] ISA., XLII, 14. — [4] LUC., XXIII, 12. — [5] DIONYS. CARTH., *in Marc.* — [6] PAUL. DE PAL., *in Matt.* — [7] LUD. CART., p. 2, c. 64, — [8] EZECH., III, 12. — [9] LANSPERG., h. 52 *de Pass.* — [10] ORIG., tr. 35 *in Matt.* — [11] HUGO CARD., *in Luc.*

[1] ALB. MAGN., *ib.*— [2] RUP. ABB., l. XIII in c. 26 *Matt.* — [3] ANG. DE PAS, l. II, c. 46 *in Luc.* — [4] HUGO CARD., *ib.* — [5] SALM., *ib.* — [6] PAUL. DE PAL., *in Matt.* — [7] B. LAUR. JUSTIN., *ib.*

clamandum esse. Unde Hugo Cardinalis ait[1] : « Revera magna fuit vox illa, quia magna ostendit. In hoc enim quid faciendum sit nobis in omni periculo tentationis et in ipso articulo mortis, edocuit bonus Magister : tunc enim Pater invocandus est, tunc ei filiali amore medullitus adhærendum, tunc potissimum ei spiritus commendandus est. »

## DISCURSUS XI

DERELICTIO, DE QUA CHISTUS IN CRUCE LAMENTATUS FUIT, IN EO PRÆCIPUE CONSISTEBAT, QUOD IN PASSIONE SUA OMNI DESTITUTUS ESSET CONSOLATIONE.

IDEA SERMONIS. — 1-2. Adducuntur variæ rationes quare Christus voce magna conquestus fuerit de sua derelictione. — 3. Christus suo clamore voluit declarare naturale suum desiderium. — 4. Divinitas sensibilem partem humanitatis dereliquit in puris naturalibus. Eruitur sensus litteralis hujus derelictionis. Modus quo humanitas Christi a Deo derelicta fuit declaratur apta similitudine. Christus in cruce ita passus fuit, ac si esset peccator. — 5. Figura duorum hircorum, applicatur Christo patienti. — 6. Mellis oblatio in Domini sacrificio prohibita, figuravit illam Christi derelictionem.

*Clamavit Jesus voce magna, dicens : Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est, Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth., XXVII, 47.

**1.** — Sanctus Leo Papa in sermone XVI, *de Passione* hoc Filii Dei in cruce pendentis ad æternum Patrem suum editum lamentum considerans, inquit[2] : « Vox ista dilectissimi, doctrina est, non « querela. » Et ideo, ut alibi sæpius diximus, S. Augustinus crucis patibulum cathedram appellavit, ac proinde operæ pretium erit documenta diligenter investigare, quæ cœlestis Magister noster nobis tradere intendit, quod præsenti discursu faciemus.

**2.** — Consideratione digna est circumstantia illa, ab evangelistis observata, scilicet quod Christus loquendo levarit vocem suam et clamarit : *Clamavit voce magna.* « Exclamavit enim, » ut Angelus de Pas ait[3], « non propter absentiam ejus, ad quem « exclamat, quia *ego*, inquit, et *Pater unum sumus* ; « neque voce magna exclamat, quod vel mitiori, « vel silentio non potest exaudiri, qui est omnia in « omnibus. » Cum enim Redemptor sapientia et verbum sit Patris, utique ad hoc ut intelligatur, opus ei non est, ut vocem suam elevet ; et tamen clamavit Jesus voce magna. Porro cur vocem suam elevarit, S. Bernardus a S. Bonaventura citatus, indicat, dicens[4] : « Valide clamavit, ut audiretur ob omnibus, clamori lacrymas addidit, « ut homo compateretur. » Didacus Stella in Lucam ita scribit[1] : « Voluit edere hanc magnam vocem « jamjam moriturus, ut nos desides, jacentes, « somniculosos, imo et mortuos, ad tam incredibile miraculum aspiciendum excitaret, « quale erat, quod vita moreretur et Deus pateretur. » Eadem verba apud Paulum de Palatio leguntur, qui alia prosequens motiva, inquit[2] : « Clamat cum moritur, ut attendamus eam mortem, quæ mortem nostram destruit, eam mortem, « quæ mortis mors fuit, morsus inferni. Annon « merito Christus clamat, ut spectaculum illud inspiciamus, quo nullum neque fuit, neque erit in « orbe majus ? magna voce clamat, quasi diceret : « O surdi mortales, hactenus docui, hactenus prædicavi, hactenus clamavi : Jam me non estis amplius audituri, neque prædicantem, neque clamantem. Clamans nunc morior, ut unicus hic « clamor in auribus vestris perseveret, qui vos sciat admoneat, ut caveatis peccata : ea enim mortis hujus causa fuere. » Salmeron quoque Christum clamasse dicit[3] : « Ut ingratum genus « humanum ostenderet, nam cum miraculum tenebrarum idoneum esset sua magnitude ac novitate « ad eos convertendos, tamen non noverunt, quæ « esset causa ejus, quod gerebatur ; quare ipse « loquitur clamans, ostendens se esse earum auctorem. » Chrysostomus ait[4] : « Ut intelligerent ab eo « tenebras factas fuisse. » Inter hasce porro tenebras extulit vocem suam, ut ab obstinato et surdo illo populo audiretur, illisque clarissimum divinitatis suæ lumen et notitiam donaret. Siquidem juxta plurium sacrorum interpretum opinionem Salvator noster, Psalmum XXI, in quo præcipua passionis ejus mysteria prædicantur, recitavit. « Exclamat, ut « videatur implere oracula, » inquit Angelus de Pas[5] : « *Voce mea ad Dominum clamavi : in tribulatione « mea invocavi Dominum et ad Deum meum clamavi. « Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus.* » S. Thomas super Matthæum idipsum notat, scilicet Salvatorem hæc verba recitare voluisse, ne Hebræi se excusare possent, quominus illum agnovissent ; citatque auctoritatem S. Hieronymi dicentis[6] : « Impii sunt, qui Psalmum illum aliter exponere « volunt, quam de passione Christi. » Clarius tamen idipsum Euthymius in hæc verba scripsit[7] : « Davidicum est verbum (scilicet quod Christus in Psalmo « XXI recitavit) Hebraice autem hunc Psalmum « clamavit, ut solis Hebræis notum fieret, qui soli « Davidica noverant. »

**3.** — *Clamavit voce magna, dicens : Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Lucas Brugensis super hoc lamentum valide considerabile movet dubium[8] : « Jam si quæratur, ut Christus verbis declarare

[1] HUGO CARD., *in Matt.* — [2] S. LEO, s. 16 *de Pass.* — [3] ANG. DE PAS, *in Luc.* — [4] S. BERN. cit. a S. BONAV.

[1] DID. STELLA, *in Luc.* — [2] PAUL. DE PAL., *in Matt.* — [3] SALMER., t. X, tr. 40. — [4] CHRYS., h. 48 *in Matth.* — [5] ANG. DE PAS, *ib.* — [6] S. THOM., *in Matt.* — [7] EUTHY., c. 67 *in Matt.* — [8] LUC. BRUG., *in Matt.*

« voluerit naturale desiderium et non potius silen-
« tio illud premere, quod, ut satis erat notum iis
« qui aderant, ita declaratum, non commiseratio-
« nem, sed gaudium erat eis excitaturum ? Respon-
« deo : non tam eorum causa, qui præsentes ade-
« rant, quam eorum qui crediturii erant in ipsum,
« Dominum declarasse naturæ suæ desiderium. Licet
« enim possent ii qui præsentes aderant, observare
« una ex parte Domini inter cruciatus mansuetudi-
« nem, patientiam et constantiam, ad miraculum
« usque omnis turbationis expertem ; alia tamen ex
« parte suppetebant ipsis ad oculum argumenta
« naturæ laborantis quæ, cum iis qui crediturі
« erant, non essent apparitura, periculum erat, ne
« hi, dum præteritam Domini jam redivivi et ad
« Patris dexteram, gloria et honore coronati, pas-
« sionem essent audituri, vel lecturi, crederent
« patientiam, constantiamque illam, portentosam,
« non humanam fuisse, sed in fictitio corpusculo
« ementitam ; aut certe existimarent, Dominum
« non vel saltem leviter sensisse crucem :
« cruciatus ab ipso toleratos, fuisse aut nul-
« los, aut interiori animi gaudio, solatioque.
« quod a sua Divinitate acceperit, ita mitiga-
« tos, ut non admodum acerbi ipsi fuerint,
« nisi intelligerent, eum fusis precibus Deo ipsi
« exposuisse et palam omnibus declarase, quam
« gravis et acerba crux ipsi fuerit. »

**4.** — Lanspergius in homilia quadam ad nostram eruditionem ita scribit [1] : « Verba hæc Deitatis
« non sunt, quia divinitas non est passa, sed huma-
« nitas : nec etiam intelligi debent, quasi divini-
« tas ab humanitate separata sit, sed ita humani-
« tatem dereliquerit, ut sensualitas nullum conso-
« lationem, nihil refrigerii, nihil sustentationis
« susceperit, sed in sua derelicta sit infirmitate pati,
« quæcumque erant patienda. » Verissima etenim est illa a Spiritu Sancto per os Psalmistæ, quoad humanam Redemptionem facta declaratio, scilicet quod *copiosa apud eum sit Redemptio*. Cum enim natura divina humanitatem assumpserit, ipsumque Christi corpus ab anima beata informatum fuerit, hæc ambo utique humanitatis debilitatem suffulcire et corrobare potuissent ; si nimirum anima beata in portionem inferiorem gloriosas transfudisset dotes et quidem ad minus impassibilitatem ; vel etiam natura divina, per cœlestium consolationum affluentiam, dolorum ipsius temperasset amaritudinem et acerbitatem ; verumtamen, ut copiosor nostra esse redemptio, ipseque magis mereretur, intra hujus nostræ fragilis naturæ angustias derelictus cruciari et pati voluit. Unde Lanspergius ait : « Dicit se dere-
« lictum, quo pœnæ suæ ostenderet magnitudi-
« nem. » Et B. Laurentius Justinianus hac de re ita scribit [2] : « Minime arbitrandum est, ipsum a Deo
« totaliter fuisse derelictum, quem in unitate sum-
« pserat personali, sed in puris naturalibus sensi-
« bilem partem dereliquit ; fluenta enim æternæ
« voluptatis continuit, ne impetu, quo solebant,
« emanarent in Christum : quamobrem toto super
« se humanæ infirmatatis incumbentis onere, atque
« divinæ æquitatis in se suscepto flagello, ad
« Patrem vocis suæ dirigendo clamorem inquit : »
*Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* ? Porro quis hujus derelictionis sit sensus litteralis, Lucas Brugensis in hæc verba declarat [1]. « Deseruisti me
« inter manus inimicorum, nec liberans me ex his
« tormentis, nec consolans me, aut dolores et
« mœrores, influxus tui dulcedine mitigans. Affir-
« mat se derelictum a Domino suo, non quod exis-
« timet, aut metuat Deum sibi offensum vel Dei
« gratia se excidisse. » Et paulo post ulterius progrediens, subdit : « Solet Deus sanctos suos in tribu-
« latione constitutos, si non mox liberare ab iis, qui-
« bus affliguntur malis, certe interiori solatio ita levare
« ut exteriora mala levius ferant : unde (Ps. xxxv, 9) :
« *Secundum multitudinem dolorum meorum, conso-*
« *lationes tuæ lætificaverunt animam meam* : atqui
« Christo homini in cuce nec tantillum solatii per-
« misit Deus fluere, vel a Divinitate, vel a supe-
« riori ratione humana, in inferiores animi vires
« nedum in corpus ; sed totum ipsum et animam
« et corpus exposuit tormentis crucis, mortisque
« ad tempus tolerandis. Idcirco igitur se derelictum
« ait, nam is modus loquendi hominum est, nec
« tantum vulgi, sed etiam sanctæ Scripturæ consue-
« tudine probatus, ut se derelictos a Deo dicant, si
« non adjuventur a Deo, ita ut liberentur a calami-
« tatibus suis, postquam Deum id oraverint. » Et ideo Christum a Patre derelictum esse, idem est, quod Patrem ei in passione ejus suam subtraxisse assistentiam et protectionem, per quam dolores et acerbitatem passionis suæ, tam interioris, quam exterioris, mitigare potuisset. Unde Hugo de S. Victore, ait [2] : « Non autem reliquit, quia præsentiam
« abstulit ; protectionem quidem subtraxit, sed non
« separavit unionem. » Id quod sequenti similitudine apte explicari posse videtur. Ponamus enim hunc casum ; quod ego tuque simul invicem ambulemus : dum vero ego te, tanquam amicus, sequor, supervenit inimicus, meque graviter sauciat : tu vero, licet me vulnerari videas, te tamen nequidquam moves, quasi non curans quod ab inimico vulnerer ; in hoc igitur casu merito de te conqueri possum quod me dereliquer, tametsi satis videam te mihi præsentem et nequaquam a me separatum esse : *juxta es loco, sed longe es auxilio*. Eodem modo circa hoc Redemptoris lamentum discurrere licet : tametsi enim natura divina humanitati inseparabiliter conjuncta fuerit ; attamen ubi huic patien-

[1] Lansperg., 40. — [2] B. Laur. Justin., *de Triumph. Christi agone.*

[1] Luc. Brug., *ib.* — [2] Hugo de S. Victore, *de Sacris Patribus.*

dum, moriendum et pro nostra Redemptione merendum erat, illa aliud ei non subministravit auxilium, quam ut illam eo fine corroboraret, ne cito deficeret; sed ad longiores, vehementiores, acerbioresque cruciatus sustinendos vigorosiorem efficeret : cæterum vero omnem consolationem interiorem tempore passionis eidem subtraxit. Unde venerabilis Blosius hoc ipsum considerans, in hosce devotionis afflectus prorupit[1] : « Ave dulcis « Jesu, laus tibi et honor et gloria, Christe, qui « vulneribus hiantibus et capite spinis obsito, in « cruce miserabiliter pendens, omni solatio te des- « titutum esse professus es : præsta, ut in omnibus « adversitatibus, tentationibus, atque derelictioni- « bus, plena fide ad te Patrem piissimum semper « confugiam et de me penitus diffidens, in te solo « sperem, tibique me totum resignem et credam. » Dionysius super Matthæum derelictionem hanc ita exponit[2] : Dicit autem se Christus a Deo derelic- « tum, non quod privatus esset gratia, vel gloria, « sed quia tam graviter patiebatur, ac si peccator « et a Deo contemptus fuisset : et quoniam voluntati « impiorum expositus erat et quia nulla fiebat pro « tunc redundantia consolationis et alleviationis, a « superiori parte animæ in partem ejus infe- « riorem. » Hæc porro derelictio in psalmo LXXXVIII his verbis prædicta fuit : *Factus sum sicut homo sine adjutorio*. Cum enim alii, qui innocenter patiuntur, in tormentis suis magna ex eo fruantur consolatione, quod scilicet ab omni sint culpa exempti; hoc tamen solatium in Christo, quantumvis innocentissimo, locum non habebat, eo quod omnia peccata nostra in cruce expianda adeo sibi vendicarat, ac si ipsius propria fuissent : ac proinde observandum, quod in psalmo XXI, quem in cruce pendens recitavit dixerit : *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti ? longe a salute mea verba delictorum meorum. Deus meus clamabo per diem et non exaudies* : tametsi enim a suis, non tamen a nostris peccatis exemptus erat.

**5.** — In Levitico (cap. XVI) ritus circa duos hircos observandus et a Deo præscriptus fuisse recensetur : hanc autem ceremoniam S. Cyrillus Alexandrinus præsenti nostro proposito his verbis adaptat[3] : « Describebatur per utrumque unus Christus et « moriens pro nobis secundum carnem et morte « superior demonstrabatur secundum divinitatis « naturam. » Hæc autem, utpote impassibilis, præfigurabatur per hircum emissarium, qui liber in solitudinem dimittebatur : hircus vero immolandus naturam significabat humanam, quæ patiendi necessitati innexa manebat et sine ullo a divina natura manante solatio, pro peccatis sacrificabatur. Theodoretus quoque super Leviticum scribens, inquit[4] : « Cum per unum hircum adumbrari commode non « possit, tam mortalitas, quam immortalitas Christi « Domini (nam hircus mortalis est solum) necessa- « rio duo adducti sunt, ut ille, qui mactatur, « carnis passibilem præfiguret, qui vero solveba- « tur, divinitatis indicaret naturam impassibilem. »

**6.** — In eodem Levitici libro Deus, quoad sua sacrificia sibi offerenda, hanc statuit legem[1] : *Nec quidquam mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Porro mel, quod suavitatem et gratum saporem continet, figura est consolationum et dulcedinum spiritualium : ac proinde cum Filius Dei æterno Patri suo in altari crucis in perfectissimum offerendus esset holocaustum, quid mirum est, si hoc sacrificium ne vel unica mellis stilla, id est solatio, vel gaudio, fuerit respersum ? De sanctis martyribus ita canit Ecclesia : « Traduntur igni Martyres « et bestiarum dentibus : armata sævit ungulis « tortoris insani manus : nudata pendent viscera, « sanguis sacratus funditur : sed permanent immo- « biles vitæ perennis gratia. » In eorumdem honorem pariter Ecclesia ita canit : « Non murmur reso- « nat non querimonia, sed corde tacito mens bene « conscia conservat patientiam. » At vero cum Christus caput sit martyrum, debueritque futuris sæculis omnibus martyribus esse patiendi exemplar, cur æternus Pater Filium suum in acerbissimis cruciatibus suis hunc in modum lamentari permisit ? Respondetur, hanc Christum inter et martyres intercedere diversitatem; quod scilicet hi libere Deo dicere poterat : *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* : unde quod in tormentis manserint immobiles, mirum non est, quia ad hoc vitæ perennis gratia illos confortabat : Redemptor autem noster, qui omnia peccata nostra, quæ in inferno per totam æternitatem luenda erant, in se assumpsit, sine ulla consolatione inferni doloribus circumdatus erat : *Circumdederunt me dolores mortis et pericula inferni invenerunt me.* Præterea non erat ei opus, ut gloriam sibi acquireret, quia jam de facto anima ejus æterna fruebatur beatitudine, ac proinde nihil erat, quod aliquam ei consolationem adferre posset, sed omnia ejus adaugebant tormenta.

[1] BLOS., *Sacell. animæ*, end. 11. — [2] DION. CART., *in Matt.* — [3] S. CYRILL. ALEX., l. XIX *cont. Julianum.* — [4] THEOD., q. 22 *in Levit.*

## DISCURSUS XII.

ALIA INSINUANTUR MYSTERIA, OB QUÆ CHRISTUS SE DERELICTUM ESSE, QUERULA EST VOCE PROTESTATUS.

IDEA SERMONIS. — 1. Discutitur ulterius quare Christus conqueratur se derelictum a Deo in suis cruciatibus. — 2. Christus ab omnibus suis in passione derelictus fuit. — 3. Christus illis verbis ostendit naturale desiderium diutius vivendi. Christus in hac querela

[1] LEVIT., II, 11.

derelictionis, tanquam caput, agit causam corporis sui omnium nimirum fidelium. — 5. Loquitur Christus in illis verbis, ut homo ostendens fragilitatem corporis. Deus hominem non derelinquit nisi prius ab illo derelinquatur.

*Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth., XXVII, 47.

**1.** — Propheta Regius protestatur, inquiens [1] : *Junior fui etenim senui et non vidi justum derelictum.* Et vero si hoc Davidicum effatum, de divina providentia pronunciatum, in servis Dei vere adimpletur, quod scilicet nunquam derelinquantur : quanto magis in Christo verificandum erat, qui per antonomasiam *justus* appellatur? *Hoc est nomen, quod vocabunt eum,* inquit Jeremias [2] : *Dominus justus noster*; sed nec minus perspicuis verbis Propheta Evangelicus illum justum esse insinuat, dum ait [3] : *Justus perit et non est qui recogitet in corde.* Similiter in decursu passionis suæ et ab eo qui illum tradidit et ab illo qui mortis illum condemnavit, justi nomine honoratus fuit : Judas enim se accusavit, dicens : *Peccavi, tradens sanguinem justum*; et uxor Pilati maritum suum monuit, dicens : *Nihil tibi et justo illi*; Pilatus post promulgatam adversus Christum sententiam protestatus est, dicens [4]: *Innocens ego sum a sanguine justi hujus*; et tamen eumdem hunc, ut ab omnibus audiatur, alta voce audimus clamantem : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Numquid ipse idemmet erat filius, qui paulo ante protestatus fuerat, dicendo [5] : *Qui me misit, mecum est et non reliquit me?* « Mirum certe videri poterat, » inquit Lucas Brugensis [6], « Deum, qui non solet derelinquere speрantes in se, imo vero præsto adesse invocantibus, « et humana spe, consolationeque destitutis, hunc « hominem peculiariter suum, invocantem, confi« dentem, innocentem, sanctum, adeoque personæ « suæ unitum, in extremis malis, angustiisque « præter proprium meritum versantem, deserere « et atrocissimis tormentis confici sinere. » Taulerus quoque hanc derelictionem obstupescens, inquit [7] : « Et qua paternum hoc ferre potuit cor « tuum, o benignissime Pater, ut dilectissimum « Filium tuum, coæqualem tibi Deum tam inhuma« nis videres obrui cruciatibus, ut et hostibus suis « esset aspectu miserabilis? Oppressis et afflictis « omnibus subvenis, opem illis ferens, etiam pro « suis dum patiuntur sceleribus et quare dilecto « non adfuisti Filio tuo? » Æternus Pater bina vice, semel scilicet in monte Thabor et deinde super Jordanem, eidem acclamaverat, dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* : Qua igitur ratione nunc eum, qui dilectus ipsius est Filius et in quo tantopere sibi complacuit, totaliter derelinquit. « Cur in tantis non es solatus eum an« gustiis » subdit idem auctor? « Cur eum, o Pater « piissime, dereliquisti? » Redemptor noster in psalmo XXI (in quo de ejus passione agitur, hæcque a Patre facta derelictio memoratur) Patrem suum his verbis affatur [1] : *In te speraverunt Patres nostri, speraverunt et liberasti eos : ad te clamaverunt et salvi facti sunt, in te speraverunt et non sunt confusi, ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis.* Et quidem neque ipsi vermes totaliter derelinquuntur, ant negliguntur, maxime illi qui serica fila texunt : sed habentur in pretio : sicut et alii, qui sæpe serviunt velut esca ad aves illaqueandas, vel ad capiendos pisces : Christus autem licet vermis ille fuerit, per quem in mari passionis suæ, ad hamum crucis suspensum, Leviathan captus remansit, adeo ab omnibus contemptus fuit, ut ipsemet subdat [2] : *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput*: et ut apud Matthæum legitur [3], *moventes capita sua, prætereuntes blasphemabant eum.* In populo illo Hebræorum cui per longum tempus summa contulerat beneficia, quique ante quinque dies eidem, tanquam promisso Messiæ, acclamaverat, nullus prorsus fuit, qui ad eum a tot calumniis defendendum, os suum aperiret, solo excepto bono latrone, qui quoad potuit, illum defendit, dicendo : *Quid enim mali fecit?* S. Paschasius ait [4]: « Derelictus est « non per se, qui semper unus erat cum Patre, « sed pro omnibus nobis, ut talia et tanta sustine« ret Deus et homo Christus, ut usque ad mortem « veniret et mortem crucis, quæ inter homines « turpissima videbatur : non enim derelictus est, « ut non esset Deus cum Deo et in Deum, sed de« relictus est venire usque ad crucem, usque ad « flagella, et sputa, usque ad spineam coronam. » In hisce igitur angustiis ab æterno Patre se derelictum esse lamentatur.

**2.** — S. Vincentius Ferrerius inquit [5] : « Me di« mittunt amici, apostoli et discipuli : et si quæsi« visset aliquis ab eo : O Domine, ubi sunt cæci, « quos illuminasti? Ubi infirmi, quos curasti? Ubi « dæmoniaci, ubi leprosi, quos mundasti? Ubi « mortui, quos resuscitasti? Ubi Apostoli, quos « honorasti? respondisset : *Omnes dereliquerunt « me.* » Verumtamen de his minime lamentatus fuit, quia quod Apostolos attinet, his jam in horto Gethsemani prospexerat, ne turbæ armatæ illis nocerent, sed liberos abire permitterent : Nicodemus et cum illo forsitan alii, se odium Judæorum sibi forsitan conciliaturos esse metuebant; siquidem hi decreverant [6], *ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.* At vero cum

[1] *Ps.* XXXVI, 25. — [2] JER., XXIII, 6. — [3] ISA., LVII, 1. — [4] MATTH., XXVII, 24. — [5] JOANN., VIII, 29. — [6] LUC. BRUG., *in Matt.* — [7] TAUL., *de Vit. et Pass. Christi.*

[1] *Ps.* XXI, 5. — [2] *Ps.* XXI, 8. — [3] MATT., XXVII, 40. — [4] S. PASCH., *in Matth.* — [5] S. VINC. FERR., *in Parasc.* — [6] JOAN., IX, 22.

Pater æternus [1] : *Qui respicit terram et facit eam tremere,* adversus crucifixores divinæ iræ suæ fulmina e cœlo evibrare potuerit, cur modo in tanta necessitate constitutum Filium suum dereliquit? Merito sanctissima Virgo Deipara Patrem æternum his apud Taulerum verbis alloqui potuisset [2] : « Ergone et tum eum deseruisti, quem discipuli « reliquerunt? quæ illius in te culpa, ut sic eum « suis traderes hostibus? An quia potens es Domi- « nus, nec ullius egens, idcirco nulla te afflicti « tangit miseratio? Quia spiritus es, ideo insensi- « bilis es? Quia in cœlo habitas, non te movet quid « agatur in terris? An denique quia in gloria es, « non aspicis, non attendis contemptum, injuriam, « contumelias, afflictionem et postremo mortem « perhorrendam unigeniti Filii tui? » Origenes faciens comparationem gloriæ illius, quam habuit apud Patrem ad confusionem, quam contemnens sustinuit crucem, inquit [3] : « Si enim ille erat *sicut* « *sol in conspectu Dei et sicut luna perfecta in æter-* « *num,* et erat testis ejus fidelis in cœlo, postea « autem pro quibus dicit : *Quare me dereliquisti?* « et superaddit, dicens : *Tu autem repulisti et pro* « *nihilo deduxisti et distulisti Christum tuum: evertisti* « *testamentum servi tui, profanasti in terra sancti-* « *tatem ejus.* » Porro quod in Jordane et monte Thabor, apertis cœlis divinam Christi filiationem toti mundo testificatam fecerit, hoc quidem eximiæ erga tantum filium dilectionis signum fuit : longe autem major urgebat necessitas, ut nunc coram Judæis et gentilibus, in persona militum et ministrorum Pilati repræsentatis, eum filium suum esse testaretur, quia nunc eum tanquam Dei Filium deridebant, dicentes : *Si Filius Dei est, descendat de cruce* : et tamen non solum hoc de ipso non edidit testimonium, verum etiam, ut idem dilectus ejus Filius alta voce se ab illo derelictum esse clamaret, permisit. Idem Origenes ait [4] : « Videntes eum, « qui in forma Dei fuerat constitutus, ab hujusmodi « magnitudine descendentem et semetipsum exi- « nanientem, per hoc quod formam Dei suscepit; « et videntes in his voluntatem ejus, qui ad hæc « talia eum misit, intelligimus, quoniam quantum « ad illa, in quibus fuerat forma Dei invisibilis et « imago secundum Patrem, derelictus a Patre est, « quando suscepit formam servi et derelictus pro « hominibus; ut talia et tanta susciperet et usque « ad mortem veniret et mortem crucis, quæ inter « homines turpissima esse videtur. »

**3.** — *Ut quid dereliquisti me?* Valde mirandum est, quod qui in tot acerbissimorum flagellorum ictibus, in spineæ coronæ impositione, in manuum pedumque crucifixione, nec non in tot aliis intolerabilibus doloribus os suum non aperuit ad lamentandum, nunc vocem suam elevans per clamores et ejulatus, se a Patre suo derelictum esse lamentetur. Lucas Brugensis in Matthæum ita scribit [1] : « Sic affirmat se derelictum, ut non, aut desperet « de salute, aut impatientia, vel tædio victus Deo « obmurmuret; sed solummodo conqueratur, affec- « tionem exprimens voluntatis naturalis, seu infe- « riorum animi virium, quibus ut grave erat hæc « pati, ita gratum fuisset ab his liberari. » Citatque Victorem Antiochenum, in Marcum ita scribentem [2] : « Ostendit per hæc æque se omnes cum natura « nostras miserias et languores in se transtulisse. » Adducit pariter auctoritatem Theophylacti, dicentis [3] : « Ostendit se hominem verum et non juxta appa- « rentiam : siquidem homo cum vitæ sit cupidus, « naturalem habet vivendi appetitum; sicut enim « in mœstitudine fuit ante crucem, ostendens ti- « morem nostræ naturæ congruentem, sic et nunc « inquit : *Ut quid dereliquisti me?* insinuans natu- « ralem vivendi cupiditatem. »

**4.** — Arnoldus Carnotensis tamen huic se opinioni minime subscribit, sed potius existimat, Redemptorem nostrum, ad hoc ut tanto asperius pateretur, certo quodam modo fecisse, ut natura divina quasi ab illo nonnihil elongaretur, ne se humanitati proximius insinuans, vigorem subministraret. En verba Carnotensis [4] : « Agit caput « causam corporis sui et pro infirmis suis sollicitus « medicus in tantum compatitur, ut etiam ex parte « se infirmari non dedignetur et ut amplius dicam, « fit peccatum, qui abradebat peccatum. In qua « parte patitur, derelinquitur, quia naturæ impas- « sibili in nullo congruit injuriari vel pati: absentat « se passioni divinitas; hoc solius carnis est : in « hoc solo se deseri Filius innuit. » Cum enim Divinitas impassibilis sit, totum patiendi pondus delicatissimæ Christi humanitati incumbebat. S. Joannes Damascenus ait [5] : « Deitas impassibilis « cum sit, minime cum corpore patiebatur : Deum « quidem carne passum dicimus, divinitatem au- « tem carne passam, aut Deum per carnem pas- « sum, non item. Quemadmodum enim si sole « arbori illucescente, securis arborem incidit, sol « tamen intactus, atque ab omni injuria incolumis « manet : eodem modo, ac multo etiam magis im- « passibilis Verbi divinitas carni personaliter unita, « patiente carne, incolumis mansit. » Pro indubitata tamen veritate tenendum est, quod nisi natura divina humanæ naturæ fragilitatem in Christo fortificasset, hæc tam pœnosæ passionis crudelitati minime resistere potuisset; quia vero tunc, scilicet, quando jamjam erat expiraturus, Divinitas in corporis illius debilitatem influere desiit, Redemptor noster amorosam illam querelam ad Patrem transmisit : *Quare me dereliquisti?* quasi sitibundus pro-

[1] *Ps.* CIII, 32. — [2] TAULER., c. 45 *de Vit. et Pass.* — [3] ORIG., tr. 35 *in Matt.* — [4] ID., *ib.*

[1] LUC. BRUG., *in Matt.* — [2] VICT. ANT., *in Marc.* — [3] THEOPH., *in Matt.* — [4] ARNOLD. CARN., *de septem verb.* — [5] S. JOAN DAMASC., l. II *Orth. fidei.*

lixioris passionis (quemadmodum in verbo immediate post prolato, scilicet, *sitio*, clare demonstravit) lamentaretur, quod ad ulteriora tormenta sustinenda vires deficerent. Audiamus Bedam in hæc scribentem [1] : « Christus ex vi tormentorum suam « mortem accelerari videns et volens diutius pro « nobis ferre tormenta, hanc amore refertam que- « rimoniam Patri proposuit, dicens : Pater, cur « tam cito me mori disposuisti ? cur non moras « protrahis, ut magis magisque pro hominum sa- « lute adhuc crucier ? »

**5.** — *Ut quid dereliquisti me* ? Idem Beda super Marcum scribens, aliam tradit expositionem, dum ait : « Ostendebat corporis fragilitatem : ut homo « loquitur, meos circumferens motus, quod in « periculis positi, a Deo nos deseri putamus; » quamvis id malè à nobis fiat, nam ut Simon de Cassia ait [2] : « Quis tenellæ conditionis et carnis immur- « muret cum affligitur, cum Christus de Spiritus « Sancto conceptus, derelictus in cruce configitur ? « quietem menti, silentium ori apposuit omnibus, « quomodolibet patientibus, dum exclamavit : « *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* ? » Idipsum quoque paulo ante Christi innocentis, et Filii Dei, sine ulla consolatione patientis, persuaserat exemplo, dicens : « Derelictus ipse innocens, cau- « sam agens in cruce salutis nostræ, ne nos peccato- « res, et miseri turbaremur, aut miraremur, si « aliquando pro spe supernorum, in agonibus Mar- « tyres audiverimus derelictos, aut si quispiam per- « secutoribus exactus pro Christo proposita spe « relinquatur ad tempus : Quoniam hoc habet ordo « divinæ justitiæ in veris fidelibus; ut derelicto « corpore, roboretur spiritus interior. » Ab hac porro Salvatoris querela redarguuntur, qui existimant, quod Deus animam in ariditate interiori positam derelinquat; siquidem Filius Dei licet adeo dignus esset, *ut peccatum non fecerit, nec inventus fuerit dolus in ore ejus* : licet *sit Unigenitus qui est in sinu Patris et splendor paternæ gloriæ* ; nihilominus lamentatur, inquiens : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* ? Unde Salmeron quoad hoc sequentem statuit conclusionem, scilicet, quod Deus creaturam rationalem nunquam derelinquat, gratiam suam ei subtrahendo, eamque consignando in appetitum suorum potestatem et dominium, nisi creatura prius Creatori suo dorsum vertat; « si enim dereli- « queritis eum, Deus derelinquet vos. » Potest quoque in alio sensu dici, quod Deus nos derelinquat, ita tamen ut suam nobis non subtrahat gratiam, sed non subministrando nobis speciale aliquod auxilium, in imminentis tentationis periculo opportunum, ad quod ministrandum non tenetur ; hoc modo regius psaltes se a Deo derelictum fuisse conquerebatur, dum aiebat [3] : *Ut quid Deus dereliquisti me in finem, iratus est furor tuus* ? et alibi se in periculo constitutum videns conquerebat [1] : *Ut quid Deus recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione* ? Etenim sæpe numero contingit quod homo auxilia et gratias, alias sibi a Deo concessas, parvi æstimarit, vel nullum ex eis fructum hauserit, aut vero illis abusus fuerit, vel denique pro illis se nequaquam gratum exhibuerit : ac proinde talibus in casibus dignus non est, qui alia similia specialia auxilia recipiat, tametsi ei gratia sufficiens nunquam desit : de quo proinde homine dici potest [2] : *Deus dereliquit eum; persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Estque hic scopulus quidam, in quem fragile animæ nostræ lignum impingens, frequens patitur naufragium; quantumvis in potestate nostra anchoram habeamus, per quam nos ab omni periculo sub trahere possumus; illam videlicet, quam concilium Tridentinum sequentibus indicat verbis [3] : « Nun- « quam Deus deserit hominem, nisi prius ab ho- « mine deseratur. » Habemus pariter omnes hanc prærogativam, quod nullus nos ex manibus Dei eripere possit, nisi noster accedat consensus; ac proinde S. ille monachus qui semper et ubique hilaris erat et lætus, hujus suæ hilaritatis hanc assignabat rationem : « Christum a me tollere nemo « potest. » Forsitan etiam Christus in cruce voce peccatoris, utpote cujus formam induerat exprimere voluit infelicem animæ a Deo derelictæ conditionem et statum, utpote de quasi magnus Basilius ita scribit [4] : « Dei abalienatio, ac aversio inter « eas omnes pœnas, quæ in gehenna expectantur, « longe intolerabilior ac gravior ei est qui plec- « titur. »

[1] Beda, *in Matt.* — [2] Sim. de Cass., lib. III. — [3] *Ps.* lxxiii, 1.

## DISCURSUS XIII.

ALIÆ INSINUANTUR RATIONES ET MYSTERIA, OB QUÆ CHRISTUS SE DERELICTUM FUISSE CONQUESTUS FUIT.

Idea sermonis. — 1. Querela illa Christi procedebat a nostra humana fragilitate. — 2. Adducuntur piæ rationes derelictionis Christi. — 3 Examinatur ratio quare Christus tam tarde, nimirum cum jam tribus horis in cruce pependisset hoc lamentum ediderit. Quare Christus conquestus fuerit de Patre et non de crucifixoribus. — 4. Adducitur et refellitur objectio Arianorum de Christi lamentatione. — 5. Aliud mysterium alti istius clamoris. — 6. Quare Christus conquestus fuerit per modum interrogationis. Christus sua lamentatione ostendit nullam sibi inhæsisse mortis causam sibi propriam. Aliqui volunt Christum conquestum de derelictione Judæorum. Christus conqueritur de exiguo fructu suæ passionis.

[1] *Ps.* x, 1. — [2] *Ps.* lxx, 11. — [3] *Conc. Trid.*, sess. 6, n. 11. — [4] S. Basil., or. 83 *de fut. Jud.*

*Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth., XXVII, 47.

**1.** — Hæ voces non erant voces a natura divina, vel Filio Dei, sed a nostra humana fragilitate proficiscentes, prouti S. Leo Magnus bene observavit, dum ait [1] : « Cum in Christo, Dei et hominis una « persona sit, nec ab eo potuerit relinqui, a quo « non poterat separari, pro nobis trepidis, et in- « firmis interrogat, cur caro pati metuens exau- « dita non fuerit. Instante enim Passione, ad sa- « nandum, et corrigendum nostræ fragilitatis me- « tum dixerat : *Pater, si est possibile, transeat calix « iste a me; verumtamen, non sicut ego volo, sed « sicut tu* ; et iterum · *Pater, si non potest hic calix « transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tuas.* Qui « ergo trepidatione carnis evicta, jam ad paternum « transierat voluntatem, et toto mortis terrore cal- « cato ; opus suæ constitutionis implebat, cur in « ipso tantæ victoriæ exaltatus triumpho, causam « et rationem, qua sit relictus, id est, non exaudi- « tus, inquirit, nisi ut ostendat, alium esse illum « affectum, quem ad humanæ formidinis excusa- « tionem recepit, alium illum, quem ex æterno « placito Patris pro mundi reconciliatione præele- « git? Unde ista vox non exauditi, magni est expo- « sitio sacramenti, quod nihil humano generi con- « ferret Redemptoris potestas, si quod petebat, « nostra obtineret infirmitas. » Auctor quidam comtemplativus idipsum sequenti explicat similitudine : « Sicut pater non audit filium male affec- « tum, quia a chirurgis scinditur, et uritur, cla- « mantem et opem ejus invocantem, quia novit « hanc illi medelam esse : sic Deus Pater non audi- « vit, etc. » S. Bernardus similiter in voce Christi nostram agnoscit fragilitatem, inquiens [2] : « Tanta « unitate spiritus et charitatis nobis conjunctus « est, ut etiam personæ nostræ infirmitates in se « tam manifestis verbis transfigurare dignatus sit « qui adhuc etiam apud Patrem ostensione vulne- « rum suorum interpellat pro nobis, orans, ne « derelinquatur in inferioribus membris suis, qui « in se capite nequaquam potuit derelinqui. » Inter alias rationes, ob quas Pater Filium suum sine ulla consolatione in dolorum suorum angustiis dereliquit, una hæc est, quam Simon de Cassia his verbis assignat [3] : « Ideo Christus est derelictus « in pœnis, ne nos derelinquamur in peccatis : ut « ipsius derelictio sit nostrorum liberatio peccatorum « Ideo derelictus in pœnis suis, ne nos derelinque- « remur, cum compateremur in nostris. Tempora- « lis ista derelictio Christi, suos fideles exemit ab « æternitate pœnarum. » Considerabilis valde est pariter sequens S. Bernardi doctrina, dicentis [4] : « Quod autem hæc verba loqueretur ex persona « hominis assumpti, qui cum ipso Dei Filio una « persona fuit, patet per hoc, quod ait : *Deus « meus* ; quod utique non diceret ipse, qui unus « est Deus cum Patre ; nisi hominem assumpsisset. « Quid est autem hoc, quod ait : *Ut quid dereliquisti « me* ? Numquid Pater unicum suum Filium poterat « derelinquere ? Absit, sed pro toto corpore suo, « id est, pro se, et pro tota Ecclesia loquitur ista. « Caput enim nostrum Dominus Jesus volens uni- « tatem commendare, et charitatem suam, quam « habet ad Ecclesiam Sponsam suam, se quoque in « omnibus membris suis passurum ostendit, quia « nunc in capite sustinuit passionem, hoc est in « proprio corpore, quod assumpsit de Virgine : « Clamat autem se derelictum, qui derelinqui non « poterat, quia multa membrorum suorum ad tan- « tam tribulationem erant ventura, ut a Deo dere- « licta penitus esse viderentur : quorum personam « gestabat ille, qui dicebat : *Qui custodiebant ani- « mam meam, concilium fecerunt in unum, dicentes : « Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehen- « dite eum. quia non est qui liberet eum.* » Idem mellifluus Doctor sequentem subjungit aliam considerationem : « Potest et ita accipi, quod Dominus « prævidens aliquos, imo plurimos in corpore suo, « qui ab unitate Ecclesiæ suæ per hæreses, sive « per alia criminalia peccata erant discessuri ; « illorum personam in se transfigurando clamabat : « *Ut quid dereliquisti* ? Ac si diceret : Quare aliquis « eorum abiit retrorsum, ut pereat ab unitate « corporis mei, qui tanto cruciatu mihi sunt uniti ? »

**2.** — *Ut quid dereliquisti me* ? S. Bernardinus alium hujus lamenti tradit sensum, vaticinio multis ante sæculis ab Isaia Propheta facto plane conformem : ait enim [1] : « Derelictus est, quia solus onus « suæ Passionis portavit, eo quod ipse solus pug- « navit, ex propria gratia, ab omni adjutorio liber « cui gratia sua, tanquam radici meriti, debebat « connecti ; unde (*Isa.*, LXIII) Dominus ait : *Torcular « calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* : « nam tota dolorum suorum fiebat supportatio in « seipso ; quia nulla creatura plene poterat ei com- « pati, sed ipse patientis, et compatientis tenuit in « se actus, atque dolores. »

**3.** — Advertendum præterea est, quod hoc lamentum alta voce clamando tunc pridem ediderit, posquam tribus horis in cruce pependit. Unde merito quæritur, cur adeo tarde clamarit ? Nunquid crucifixores clavis acutis manus, et pedes perforando, aliaque tot tormenta infligendo, acutissimis illum doloribus jamdudum cruciarant. Respondeo, verum quidem hoc esse ; attamen, ut suo loco probavimus, dolores interni Christo pœnosiores fuerunt tormentis corporalibus. Ac proinde potius ex horum vehementia lamentatus fuit. Vi-

[1] S. Leo, s. 46 *de Pass.* — [2] S. Bern., c. 12 *de Pass.* — [3] Sim. de Cass., l. XIII. — [4] S. Bern., *ib.*

[1] S. Bern., t. I, s. 55, a. 1 *Princ.*

dens enim, se tam diuturno tempore modo jam dicto a natura divina, et Patre suo derelictum, nec dolores suos interiores aliquo refrigerio et solatio interiori temperari, aut mitigari, valde inde afflictus, et in corde suo vivacissimo doloris sensu cruciatus fuit. Quod si quæsieris, cur de Patre, non vero de carnificibus, qui illum crucifixerant, conquestus fuerit, imo pro crucifixoribus intercesserit? Item cur non fuerit, lamentatus de iis, qui fel ei propinarunt, vel de blasphemantibus aut deridentibus ipsum, sed solum dixerit : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* ? Responderem utique, proprie ideo ipsum de crucifixoribus non fuisse lamentatum, quia tunc tempus aderat, in quo Redemptor Patri suo dicere poterat : *In me transierunt iræ tuæ : Elongasti a me amicum, et proximos, et notos* : cum enim ab eo in terram missus fuerit ad divinam placandam justitiam, et ad reconciliandum cum Deo genus humanum, nec non ad satisfaciendum de toto rigore justitiæ, pro infinitis tot peccatorum debitis : ideo tunc vere tempus erat, in quo *Electus ejus staret in confractione* factus velut signum, in quod omnia iræ cœlestis fulmina ejacularentur, quæ in discursu sæculorum contra nos evibranda erant [1]. *Positus enim est in signum cui contradicetur.* Tunc adimplebatur id, quod in persona Dei apud Isaiam dicitur [2] : *Propter scelus populi mei percussi eum.* Etenim Pater ipsum, utpote omnibus peccatis nostris onustum, non agnoscebat tanquam Filium [3] : *Quasi absconditus vultus ejus et despectus ; unde nec reputavimus eum : Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit : et nos putavimus eum, quasi leprosum, et percussum a Deo.* Idem Propheta in capite sequenti hanc brevem derelictionem prædixit, inquiens : *Ad punctum in modico dereliqui te.*

**4.** — Circa hanc quoque derelictionem notanda est doctrina quædam S. Epiphanii, ad confundendos Arianos fidei nostræ inimicos his verba tradita [4] : « Nobis objiciunt : Dixit pendens in cruce Christus « *Eli, Eli, lamma sabactani, hoc est, Deus, Deus* « *meus, quare dereliquisti me ?* Vides, inquiunt, ut « miserabiliter imploret, ac lugeat, et dicat : *Quare* « *me dereliquisti ?* Neque hoc animo percipiunt « homines, virulenta hac Arii infamia, velut qua- « dam crapula gravati, ac Dei cognitionis expertes, « humanos omnes affectus in Christo Domino « agnoscendos in vera illius Incarnattone, ac confi- « tendos esse. » Et paulo post illorum repellit stultitiam, inquiens : « Quando a Patre derelictus est « Filius ? aut quando non in Patre Filius extitit, et « Pater in Filio ? Etenim cum ille ipse Filius, ac « Deus Verbum in terra consisteret, cœlum interim « attingebat, et inimicos omnes gloriæ suæ splen- « dore complebat. » Ac tandem post multa sacræ Scripturæ testimonia subdit : « Ecquis non videt' « ex hominis persona, atque humano more, et « affectu, usurpatum esse hunc sermonem ? Humana « quippe Christi natura minime separata per se « est. Neque enim velut ex persona seorsim exis- « tentis divinitatis, aut humanitatis ista aiebat, « quasi aliud quiddam ambo forent ; sed sic tam- « quam cum divinitate conjuncta esset hominis na- « tura, adeo ut una utriusque sanctitudo foret ; « ipsaque hominis natura in divinitate perfectis- « sima quæque cognosceret, utpote cum Deo co- « pulata, et in unam consociata divinitatem. Quæ « cum hanc ipsam divinitatem cum anima velut in « cinctu quodam esse videret, ut sanctissimum « corpus relinqueret, ex Dominici hominis per- « sona, hoc est, humanæ naturæ a Verbo susceptæ. « Quippe divinitas omnia, quæ ad passionis myste- « rium attinebant, perficere decreverat, et ad in- « feros cum anima descendere, ut eos, qui antea « mortui erant, hoc est, sanctos Patriarchas, in sa- « lutem assereret. Cum igitur ista jam agitaren- « tur ex humanæ naturæ persona, vox ad conjunc- « tam divinitatem illa est edita : *Deus, Deus meus,* « *quare me dereliquisti ?* » Hactenus S. Epiphanius.

**5.** — *Quid me dereliquisti* ? Hanc quærelam Filius Dei adeo alta voce exclamavit, ut credibile sit omnes circumstantes, illam audivisse, gavisosque fuisse, quod ex oris ipsius confessione audirent ipsum a Deo quoque derelictum esse, existimantes id ei in pœnam peccatorum suorum accidisse, et consequenter desperasse. Unde Bellarminus eos hoc modo intra se discurrisse ait [1] : « Ipse confitebatur : « *Cur me dereliquisti* ? Deus autem non probos viros « sed improbos derelinquere solet. » At vero advertere debuissent, quod idem Bellarminus subdit : « Certe superbi omnes valde cavent, ne aliquid di- « cant, unde possint, qui audiunt, suspicari, indi- « gnitatem aliquam suam eos ipsos confiteri. Sed « humiles, et patientes, quorum Rex Christus fuit « libenter occasionem omnem arripiunt humilitatis « et patientiæ, modo nihil falsi dicant. » S. Paulus ante de Christo ait [2] : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ;* quippe qui similitudinem induerat peccatoris. S. Cyprianus ait [3] : « Ibi dolorum, et conviciorum « immemor subtiliter investigas, et ipse exponis. « quare derelictus fueris, indicans anxietates illius « quærimoniæ, verba esse delictorum tuorum, « quorum personam, et causam assumpseras, in « tantum, ut per Moysen, et per Apostolum susti- « neres vocari peccatum et maledictum, pro simi- « litudine pœnæ, non culpæ. »

**6.** — Certus quidam auctor causam sciscitatur, ob quam Christus per modum interrogationis quæsierit : *Ut quid dereliquisti me* ? Certum est utique,

[1] Luc., II, 34. — [2] Isa., liii, 8. — [4] Id., liv, 7. — S. Epiph., l. II, t. II, *hær.* 69.

[1] Bell., l. II *de Sept. Verbis.* — [2] Phil., II, 8. — [3] S. Cypr., *de Pass.*

id eum non interrogasse, quasi causam illius nesciret, quin potius inquit : « Hoc fecit, ut testaretur « mundo innocentiam suam, et se pati ob alienam « culpam, quod sciri a mundo necessario debebat, « Hoc fortasse significant illa verba *Psalm* XXI. Ex « quo verbum istud desumpsit Christus, scilicet : « *Quare dereliquisti me ? Longe a salute mea verba « delictorum meorum* id est : calumniæ delictorum « quæ mihi Pater imposuit, et isti mihi impingunt, « longe absunt a salute, id est, a vita mea. Seu, « non sunt delicta mea, sed aliena. » Albertus Magnus in memoriam revocat, quod Verbum Increatum, postquam *Adam de manu Dei cecidit in peccatum*, in Paradiso terrestri vocem extulerit [1], clamando : « *Adam ubi es* ? hoc est, vide, in quan- « tam incidisti miseriam, quæ et te ad necessitatem « moriendi, et me ad mortem conducit tuæ redemp- « tionis. » Et subdit idem Albertus : « Ideo cla- « mat hic voce magna : *Deus. Deus meus*, etc. et « subjungit Spiritus Sanctus, quod hæc sunt verba « delictorum eorum, qui sui erant in mundo, pro « quibus cum tormento pati conveniebat. » Victor Antiochenus a Luca Brugensis citatus, inquit [2] : « Ostendit per hæc inter cætera, nullam mortis cau- « sam sibi cohæsisse. Nos enim iis eramus, qui a « Deo projecti, abjectique, per illius crucem, et « mortem a Deo denuo in filios assumpti et in vitam « revocati sumus. Ipse vero Christus secundum se, « nunquam a Patre desertus, nunquam ab illo ab- « jectus fuerat. » S. Bernardinus Salvatorem nostrum in hoc lamento Passionis suæ, in peccatorum nostrorum expiationem oblatæ, vehementiam exprimere voluisse existimat ; ita enim scribit [3] : « Sen- « tiens anima Christi super se recidere diram sen- « tentiam pro omnibus peccatoribus, pondus dolo- « rum omnium perfecte contemplans, quasi ad Pa- « tem querula admiratione proclamat, dicens : *Ut « quid dereliquisti me* ? Quasi dicere velit : Sic prop- « ter amorem humani generis, passionibus, et con- « tumeliis mortis opprobriosa a te traditus sum, ut « quasi illius beatæ unionis, et inviolabilis commu- « nionis, qua in Dei supposito ista dolorata natura « inserta est, tu Pater zelo justitiæ videaris obli- « tus ? » Taulerus illa verba : *Ut quid dereliquisti me* ? hunc sensum habere meditatur [4] : « Ergone ob vi- « lissimos peccatores, ob nequam et ingratos servos, « ob scelestos, et immorigeros prævaricatores, di- « lectissimum Filium, ac obedientissimum puerum « tuum dereliquisti ? » S. Anselmus inquit [5] : « Hu- « mana natura propter peccatum a Deo fuerat dere- « licta ; sed quia Filius Dei factus est noster advo- « catus, et causidicus ideo quorum suscepit naturam, « eorum deplorat miseriam. » Deplorabilis enim peccatoris miseria est, ipsum a Deo per gratiæ suæ subtractionem esse derelictum ; et ideo Christus in cruce peccatoris personam sustinens, merito se derelictum esse lamentatur. Subdit idem S. Anselmus [1] : « In quo ostendit, quantum flere debeant, « qui peccant, quando sic flevit, qui nunquam pecca- « vit. » Idem ille Apostolus, qui ad Hebræos Filium Dei in cruce clamasse scripsit (*Cum clamore valido, etc.*) idem, inquam, pariter Romanos his verbis erudit [2] : *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato.* Vox igitur magna, quam Christus in cruce edidit, vox veteris hominis, et peccatoris fuit, simul cum Christo in crucem suffixi. Unde S. Augustinus ait [3] : « Unde hæc vox, nisi quia « in carne infirmitatis agnoscebatur vox peccato- « ris ? Qui enim suscepit similitudinem carnis « peccati, cur non susciperet similitudinem vocis « peccati ? »

7. — *Ut quid dereliquisti me ?* Theophylactus Christum in persona populi Hebræi, ex quo sacrosanctam humanitatem suam assumpserat, de æterno Patre suo lamentatum fuisse credit, eo quod illum derelicturus erat. En verba Theophylacti [4] : « Christus enim, tanquam ex Judæis natus : « *Dereliquisti me*, dicit, hoc est, meam cognatio- « nem. » Et quidem, si ita est, jam etiam ei illa verba Psalmi conveniebant [5] : *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me.* Pater quidem, quia nullum ei præstabat solatii præsidium ; Mater vero ejus, id est, Synagoga, illum repellebat et aspernebatur. Veriorem tamen hujus lamenti causam illam esse mihi persuadeo, quam Lanspergius his verbis tangit [6] : « Potest hæc Christi declamatio « intelligi quoque, ut de fructu suæ Passionis « Christus querelatus sit, quod tantis pœnis atque « doloribus, minor atque debuit, respondit. Pro « universo namque mundo, pro singulis item ho- « minibus, ab initio usque ad mundi finem, satis- « factionem dignam, atque justam Patri obtulit, in « ipsa tamen passione, neminem, nisi latronem, « sibi adhærentem obtinuit. » Huic expositioni quoque subscribit Ludolphus Carthusianus dum inquit : « Se derelictum a Deo Patre dicit, quia « tunc fere inutilis videbatur ejus passio ; de toto « enim genere hominum non videbatur aliquis « redimi, nisi latro, qui fere solus in eum crede- « bat. » S. Hilarius rationem assignans, cur Christus in cruce moriturus, magna voce clamarit, similiter ita scribit [7] : « Spiritum cum clamore magnæ « vocis emisit, dolens, omnium se peccata portare. » Lyranus ait [8] : « Ostendit ex clamore supernaturali, « quod ex maxima charitate tradidit nostræ salutis « pretium. » Albertus Magnus similiter hunc clamorem ita interpretatur [9] : « Clamat etiam, ingen-

[1] Alb. Mag., *in Luc.* — [2] Vict. Antioc., *in Marc.* — [3] S. Bern., *ib.* — [4] Taul., c. 45. — [5] S. Ans., *in Matth.*

[1] Id., *ib.* — [2] Rom., VI, 6. — [3] S. Aug., *in Ps.* XLIX. — [4] Theoph., *in Matt.* — [5] *Ps.* XXVI, 2. — [6] Lansp., h. 49 *de Pass.* — [7] S. Hil., can. 33 *in Matt.* — [8] Lyran., *ib.* — [9] Alb. Magn., *in Luc.*

« tem ad nos ostendens amorem, pro quibus tot « pœnas assumpsit. » Glossa Interlinearis illis verbis : *Cum clamore valido et lacrymis*, hoc glossema adjungit : « Cum intentione efficacissima. »

## DISCURSUS XIV.

### SITIS QUA CHRISTUS IN CRUCE UREBATUR, DESIDERIUM INDICABAT, QUO MAGIS MAGISQUE EX AMORE ERGA NOS PATI CUPIEBAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Examinatur cur Christus potius de sua siti, quam aliis tormentis fuerit conquestus. — 2. Christus verbo *sitio* insinuavit desiderium plura patiendi pro salute generis humani. — 3. Christus comparatur cervo sitienti. Ratio cur fuerit Christus potatus aceto. — 4. Quare Christus bibere noluerit vinum myrrhatum. Biberit autem acetum, vel potius gustatum recusaverit. — 5. Similitudo alludens ad sitim Christi. — 6. Acetum Christo propinatum fuit ut eo citius moreretur.

*Dixit* : *Sitio*. Joan., XIX, 28.

**1.** — Omnes sacri interpretes hanc Christi querelam, qua post prodigiosam quamdam in tot doloribus exhibitam patientiam, sitim suam manifestavit, plurimum admirantur. Et vero, ut Lucas Brugensis advertit consideratione digna sunt verba illa, quæ S. Joannes, priusquam hanc sitim referret, præmisit. Ait enim : *Postea sciens Jesus*, etc. « Nihil « enim temere, » inquit prædictus Brugensis [1], « nihil præter opinionem, aut fecit, aut passus est « quod ipse non prænoverit et facere, patique « consulto paratus fuerit. » Porro tametsi in decursu passionis suæ per multiplicem crudelitatem atrocissimis fuerit tormentis cruciatus, non tamen constat, quod de ullo illorum os suum ad lamentandum aperuerit ; non enim conquestus est de flagellis, nec de cruce, nec de spinis, nec denique de clavis, sed solum de siti conquestus fuit. Hæc enim unica ipsius fuit lamentatio, imo ultima pœna, quam sustinuit. Unde S. Bernardus inquit [2] : « Numquid crudelius siti, quam clavis, et cruce « torqueris? Omnia quæ hucusque tulisti, æquo « animo tacuisti, et nunc solummodo de siti con- « quereris? » Hæc autem admiratio, ut S. Bernardinus observat, magnopere adaugetur, si consideretur, quisnam ille sit, qui se sitibundum esse conqueritur [3] : « Admiranda est, » inquit S. Bernardinus, « ista sitis Domini nostri et mirum equi- « dem est, quod fons sitis, imo quod omnium « aquarum redundantia sitit. Et qui omnium sitim « venerat tollere, patitur, quod ab aliis venerat « auferre. » S. Joannes in cap. VII Evangelii sui de Christo dicit [4] : *In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, et clamabat, dicens : Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Verum quidem est, quod idem Evangelista cap. IV. Christum ex itinere sitibundum a muliere Samaritana potum sibi dari postulasse scribat ; hæc tamen sitis eo dirigebatur, ut illam ex suo fonte aquæ vivæ copiose potaret. Unde ait Christus [1] : *Si scires, quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere ; tu forsitan petisses ab eo et dedisset tibi aquam vivam.* Et paulo post subdit : *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* S. Isaias, qui per antonomasiam propheta evangelicus appellatur, in principio capitis quinquagesimi quinti Redemptorem nostrum introducit, omnes his verbis invitantem [2] : *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite absque argento, et absque ulla commutatione.* Apud Jeremiam idem Redemptor noster de eodem ingrato populo, cui nunc suam sitim indicat, lamentatur, inquiens [3] : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ et foderunt sibi cisternas dissipatas.* Manifestius autem Isaias, cap. XII, ait [4] : *Ecce Deus Salvator meus factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* An non igitur merito Salmeron Christum his verbis alloquitur [5] : « Ad teipsum recurre, qui es fons « sapientiæ, Verbum Dei in excelsis, torrens volup- « tatis, abyssus dulcedinis, fons hortorum, puteus « aquarum viventium. »

**2.** — Verum enim vero si bene consideretur, quænam, vel quales fuerint hæ aquæ in Christo, velut in fonte, redundantes, fatebimur utique, Christum merito de siti sua fuisse conquestum. Jonas qui verus Christi typus fuit in persona Redemptoris conquerendo, ait [6] : *Pelagus operuit caput meum* ; Redemptor noster quoque per os Psalmistæ ait [7] : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, et non est substantia ; veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.* Threnis Jeremiæ passio ejus mari assimilatur [8] : *Magna velut mare contritio tua.* Quis autem est, qui aquas pelagi vel maris salsas et amaras esse ignoret? Quæ proinde non solum sitim non extinguunt, sed quanto plus quis ex illis bibit, tanto majorem sibi sitim accendit. B. Laurentius Justinianus interrogat, dicens [9] : « An vitæ fons « sitire valet? Potest, quoniam vult. Sitit utique et « inebriatus amaritudine, adhuc duriora sustinere « desiderat. » Idem Justinianus Christum in hæc verba æternum Patrem suum alloquentem introducit : « Si hæc quæ tolero, pauca videntur, adde « flagellum flagello, appone vulnera vulneribus, « lacera, ure, confige, percute, occide ; universa

[1] LUC. BRUG., *in Joan.*— [2] S. BERN.— [3] ID., t. I, s. 55. — [4] JOAN., VII, 37.

[1] ID., IV, 10. — [2] ISA., LV, 1. — [3] JEREM., XII, 3. — [4] ISA., XII, 3. — [5] SALM., *ib.* — [6] *Ps.* LXVIII, 2. — [7] THR., II, 13. — [8] B. LAUR. JUST., *de Triumph. Christi agon.*

« hæc et majora, toto desiderio sitio. » Taulerus de hac siti ita meditatur [1]: « Habuit aliam sitim, « puta amplius patiendi, atque expressius eviden- « tiusque suum nobis immensum demonstrandi « amorem; ac si diceret homini: Aspice, ut tuæ « salutis causa exhaustus, et consumptus sum, et « tamen adhuc sitio, nondum satisfactum est cordi « meo. » Quæ omnia prædictos auctores a S. Bernardo didicisse existimo, qui ante omnes, dum de Passione dissereret, in hæc verba scripserat [2]: « Quando Passionis calicem, quem antea rogaveras « auferri, jam exhausisti, dixisti: *Sitio*, dilectionis « erga nos tuæ magnitudinem commendans, tan- « quam diceres: Quamvis passio mea tam acerba « fuerit et quantum ad humanitatis sensum illam « declinare potuerim, tamen tua, o homo, me cha- « ritate vincente, et ipsa tormenta crucis supe- « rante, adhuc plura et majora, si necesse sit, sitio « subire tormenta. » Hæc igitur sitis, ardentissimi desiderii, quo Christus jam jam animam in manus Patris sui consignaturus, diutius pati et cruciari concupivit, indicium erat.

**3.** — Observandum quoque est tempus, in quo Christus hanc sitim suam indicavit; nam ut Lucas Brugensis ait [3]: « Significat Evangelista perpetuum « Jesu studium ad perficienda ea omnia, quæ Pater « decreverat, quantumvis ipsi molesta essent et « dura. » Idem supra verbum *postea*, subjungit: « Tribus horis post; nam ante tenebras, paulo « postquam crucifixus fuerat, commendaverat Do- « minus Matrem discipulo. Demum vero sub finem « tenebrarum, instante morte, dixit: *Sitio*. » Nimirum quando acerbissimi dolores ejus ad summum et pœnosissimum culmen pertigerant, tunc se magis quam unquam, malorum dolorum, acerbiorumque tormentorum sitibundum esse ostendit. Regius Propheta ait [4]: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Porro cervus hanc habet naturalem indolem, quod quando in venatione a canibus insectatur, valde agitetur, incalescat et consequenter magna siti affligatur. Præterea ex quo serpentibus loco nutrimenti vescitur, venenum illud intra ejus viscera serpendo, eum properare facit ad fontes, ut sitim suam extinguat. Eodem modo cum Salvator noster ab inimicis suis, velut a canibus, integra nocte et fere integra die crudeliter agitatus fuisset (*Circumdederunt me canes multi* [5]) et peccata innumerabilia totius humani generis, velut totidem serpentes, in cruce devorasset, mirum non est, quod se sitibundum esse clamet, quæ tamen sitis merum erat atrociora patiendi desiderium. Observanda hoc loco est insignis quædam Lucæ Brugensis doctrina, dicentis [6]: « Aderat paratum ace- « tum pro crucifixis, non ideo ut illud eis potatum « daretur (nec enim curæ judicibus, aut lictoribus « erat, ut cruciatorum levarent sitim, quorum pro- « curabant mortem) multo minus ut citius eo « interficerentur; sed contra, ut diutius in tor- « mentis viverent, demumque sub vesperam, « etiamnum de cruce depositi, crurifragium subi- « rent. Duplici enim virtute, quæ ad prorogandam « vitam facit, acetum præditum est, una quod « semianimes recreet appositum ori, aut naribus; « altera, quod sistat sanguinem admotum vulneri- « bus. Si ergo contingeret, reum crucis, metu « mortis deficere animo, interea dum crucifigere- « tur, aut priusquam adesset mortis tempus a « judice decretum, vel in eo supplicii genere con- « suetum (erat enim crucis supplicium, ut lenta « morte sui reos afficeret) admovebatur acetum na- « ribus ejus, ut ad se rediret et resumeret ani- « mum. Rursum si vulneribus clavorum distrac- « tione, aut concussione nimium dilatatis copiosior « affluerat sanguis, essetque proinde periculum, ne « minus diu in tormentis viveret, quam justitia « postularet, adhibebatur vulneribus acetum, ut « fluxus sanguinis sisteretur. »

**4.** — Quando Christus ad montem Calvariæ pervenit, ut S. Marcus scribit [1]: *Dabant ei bibere myrrhatum vinum et non accepit*; causa autem ob quam vinum illud bibere noluerit, hæc erat, quia potius ille a personis devotis ipsis præparabatur reis ad eos confortandos et refocillandos. Unde Sapiens ait [2]: *Date siceram mœrentibus et vinum his qui amaro sunt animo*; ac proinde hocce refrigerio se privare voluit. Non vero aceto, de quo dicitur: *Cum acce- pisset acetum*; sciens enim hoc ad eum finem præparatum, ut in doloribus illis diutius persisteret, alta voce clamavit: *Sitio*. Nimirum ut Lucas Brugensis ait [3]: « Declaravit sitim suam, ad cujus « declarationem certo prænoverat sibi propinan- « dum acetum. » Sciebat quidem, imo videbat, quod malignitas Hebræorum secum in montem Golgotha amarissimum fel attulisset, ut aceto misceretur; et tamen amaritudinem calicis illius exhauriendi avidissimus dixit: *Sitio*. Christus in Psalmo LXI, innumeros quos ei Judæorum crudelitas inflixerat, dolores considerans, exclamat [4]: *Quousque irruitis in hominem?* (etenim humana natura passibilis, divina autem omnis erat incapax pœnæ) *Interficitis universi vos tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ? Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere: cucurri in siti*; ubi præcipue notanda sunt ultima verba. Enimvero videns Redemptor noster, Judæos nihil adeo sollicite curare, quam ut illum omnibus, quos excogitare possent, acerbissimis modis cruciarent; sciensque illos acetum felle mixtum sibi præparasse, ideo ut se magis patiendi

[1] TAUL., c. 47 *de Vita et Pass.*— [2] S. BERN., c. 13 *de Pass.* — [3] LUC. BRUG., *in Joan.* — [4] *Ps.* XLI, 2. — [5] Ps. XXI, 7. — [6] LUC. BRUG.

[1] MARC., XV, 23. — [2] PROV., XXXI, 6. — [3] LUC. BRUG. *in Joan.* — [4] *Ps.* LXI, 4.

avidum, quam illos cruciandi cupidos esse demonstraret, prævenire illos voluit, dicendo : *Sitio*. S. Bernardus sequens movet dubium. Nam præcedente vespere in horto Gethsemani labia sua amaro Passionis calici exhauriendo apponere exhorruerat, dicens : *Pater si possibile est, transeat a me calix iste* ; cur igitur nunc postquam calicem illum amarissimum exhauserat, jam jamque exspiraturus erat, ardentissimam suam insinuat sitim, dicendo : *Sitio*? En verba S. Bernardi [1] : « Per calicem, quem « bibiturus erat, procul dubio Passionem signifi- « cans quam erat passurus, nunc vero eodem calice « Passionis jam ebibito, dicit : *Sitio*. Quid est hoc? « Antequam gustes, o bone Jesu, petis calicem « omnino auferri et postquam ebibisti sitis ? Ut « video, mirabilis potator es tu. Numquid vino « jucunditatis et non potius compunctionis et « summæ amaritudinis repletus fuit calix tuus? « Imo vero compunctionis amarissimæ plenus est, « qui non sitim sed potius potandi fastidium gene- « rare deberet. Sed ut existimo, ante Passionem « calicem ipsius tui Patris a te transferri orasti, « non ut Passionem declinares pro qua veneras « patienda et sine qua salus humano generi non « adesset. »

**5.** — Videmus per experientiam, quod quando is, qui dexter est et agilis, ingentem quemdam vult edere saltum, aliquot passibus retrocedere soleat, ut saltus ille notabilior evadat. Videri quidem alicui posset, talem potius ex viciniori, quam a magis remoto loco saltum suum adoriri debuisse; et tamen in praxi omnino fit contrarium. Eodem modo in proposito nostro dicere possumus, Christum aliquam quidem ab exhauriendo nauseabundo illo calice præ se tulisse aversionem, non quod labia sua eidem admovere detrectaret, sed ut nobis calicis illius nauseam, quam in se habebat, tanto fortius imprimeret; cæteroquin satis constat, quod Petrum, Malchum invadentem, his verbis perstrinxerit : *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum*? Et ideo dum vidit, Judæos sibi ex mixtis inter se aceto et felle potum præparare, nequaquam id sibi displicere ostendit, sed potius mox clamare cœpit : *Sitio*.

**6.** — Non defuit ex interpretibus, qui hanc sustineret opinionem, acetum videlicet reis potius accelerare mortem; qui proinde dicit : *Dabant ei bibere, ut citius moreretur*. S. Anselmus in Dialogo *de Passione Domini*, dicit [2] : Quod ex quo eo tempore, quo Christus crucifigebatur, hora erat abeundi ad manducandum Pascha (*Erat enim magnus ille dies Sabbati*) siquidem ultra meridiem dies processerat; ideo Hebræi maluissent eum potius videre mortuum, ut prandium illis tanto jucundius esset, magisque conduceret; vel etiam ut sese ab omni infelici eventu, qui vel fortuito, vel miraculose evenire potuisset, securiores et tutiores essent : ac proinde verisimile est, quod mortem ejus valde accelerarint. Et ideo Toletus ait [1] : « Acetum valde « probabile est ministrari solitum, ut citius more- « rentur, nam acetum valde vulneratis nocet. Ut « igitur myrrhatum vinum a principio propina- « bant, ut minus dolores sentirent, ita etiam postea « aceto potabant, ut citius a tormento illo per « mortem liberarentur. » At vero Evangelista dicit : *Cum gustasset, noluit bibere*; et ideo merito quærendum venit, cur acetum hoc bibere renuerit? Aut quando illud bibere nolebat, cur illud gustarit? Respondetur, voluisse gustare fellis amaritudinem, non tamen sumere acetum, quia quantum est ex parte sua, diuturniori tempore pati desiderabat, tametsi id æterni Patris sui voluntas non permiserit. Sed inquies iterum : ex quo Redemptor noster per verbum *sitio*, ardentissimum suum patiendi desiderium indicare voluit, cur potius sitis quam famis metaphorâ usus fuit? S. Bernardus huic dubio respondet, inquiens : « Immensitatem nobis « ardentissimæ charitatis voluit commendare, quia « ab homine sitiente multo ardentius desideratur « potus, quam cibus ab esuriente. » Profecto si medicus alicui infirmo facultatem concessisset bibendi, quantum vellet, illeque integrum quoddam, ut ita dicam, mare exhausisset et tamen sitis ejus magis cresceret; nullus esset, qui illum ardentem quamdam fornacem intra se habere non diceret. Porro Redemptor noster in horto passionis suæ calicem, qui velut integrum quoddam mare in se continebat (*velut mare contritio tua*) exhauserat, prout liquet ex tormentis et acerbissimis doloribus, quos sustinuerat; et tamen denuo dicit : *sitio*, nimirum [2] *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, quæ velut fornax quædam amoris in ejus corde ardescebat, *nec flumina obruent illam*; et ideo S. Paulus dicit [3] : *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cum essemus mortui*. Et B. Laurentius Justinianus inquit : « Sitis hæc de ardore dilectio- « nis, de amoris fonte, de latitudine nascitur cha- « ritatis. » Et quidem excessivi hujus amoris indicium fuit, quod integrum quoddam passionum mare, aut pelagus (*velut mare contritio tua*) calicem appellarit, dicendo : *Calicem quem dedit mihi Pater*, etc. « Non est verisimile, » inquit Simon de Cassia [4], « et a veritate omnino discrepare videtur, « quod ad refocillandam sitim, ipse dixerit : *Sitio*; « sed forte vox illa enunciavit, quod pati sitiebat, « non vero quod quæsiverit remedium. » B. Laurentius Justinianus ait [5] : « In cruce stat positus, et « propinquus est morti, et amoris vehementissimo

[1] R. Bern., c. 13 *de Pass.* — [2] S. Anselm., in *Dial. de Pass.*

[1] Tolet., *in Joan.* — [2] Thren., VII, 7. — [3] B. Laur. Just., *de Triumph. Christi agon.* — [4] Sim. de Cassia, l. XIII. — [5] B. Laua. Just., *ib.*

« igne exæstuans, atque refrigerari gliscens, cla-
« mat : *Sitio.* »

## DISCURSUS XV

SITIS, QUÆ LICET IN CHRISTO NATURALIS FUERIT. MAXIMUM TAMEN TORMENTUM ERAT ; IDEO PRÆCIPUE A SALVATORE NOSTRO MANIFESTATA FUIT, UT ARDENTISSIMUM, QUO TENEBATUR SALUTIS NOSTRÆ DESIDERIUM NOBIS EXPRIMERET.

IDEA SERMONIS. — 1. Expenditur gravitas tormenti sitis. — 2. Christi sitis ex fatigatione provenit. — 3. Sitis Christi mystica fuit et spiritualis salutis nimirum animarum. — 4. Christus sitivit nos et salutem peccatorum. — 5. Continuatio ejusdem materiæ.

*Dixit* : *Sitio.* Joan. XIX, 20.

**1.** — Hæc sitis, de qua Redemptor noster in cruce conquestus fuit, occasionem præbet dubitandi, an naturalis, et corporalis fuerit, an vero aliquod denotaret mysterium. Enimvero tametsi omnia tormenta, Salvatori illata, atrocissima fuerint, illa tamen tanto cum silentio, et patientia sustinuit, ut ne minimum quidem signum doloris, vel displicentiæ ediderit : at vero quando siti cruciari cœpit, continere se nequivit, quin clamaret : *Sitio.* Est enim sitis tam atrox, et intolerabile tormentum, ut nonnulli reges regno cesserint, quia sitim tolerare non valebant [1] : « Lysimachum memoria prodit,
« cum fuisset in Thracia prælio victus a Dromichete
« ac siti fere enectus, se exercitumque hosti per-
« misisset, ut sitim extinguere posset, jam desi-
« derio expleto : O Dii, inquit, quam pusillæ volup-
« tatis gratia in servitutem me ex tanto rege
« conjeci. » Plutarchus aliam quamdam refert historiam, ex qua, quam excessivum sit sitis tormentum, clare conjicere possumus ; ait enim [2] : « Fama
« est, Soum inter Lycurgi majores clarissimum,
« cum in loco arido, et aspero circumsideretur,
« a clitoriis pactum fuisse, si ipse, totusque exer-
« citus suus ex propinquo fonte bibissent, agrum
« se, quem iis ademerat redditurum. Cum id fœdus
« jurejurando sanci tum, concione, advocata suo-
« rum, pronunciasse, regnum se ei, qui non bibis-
« set, dare, ubi nemo se temperare potuit, sed
« biberunt omnes. » Porro Lucas Brugensis Redemptorem nostrum vere ardentissimæ cujusdam sitis dolorem expertum fuisse censet, dum ait [3] :
« Vera ac gravi siti Dominus premebatur, tum
« propter exhaustas diuturnis laboribus ac cru-
« ciatibus vires, unde conqueritur (*Ps.* XXI, vers. 16).
« *Arut tanquam testa virtus mea et lingua mea*
« *adhæsit faucibus meis.* Solet sitis defectos urgere
« magis etiam quam fames, calefactis, atque exsic-
« catis faucibus, qui paucis nonnunquam vini, aut
« aquæ guttulis refocillantur. Quare Jesus vere
« dixit : *Sitio* et desideravit appetitu naturali leva-
« men sitis. S. Cyrillus Alexandrinus sitis acerbitatalem similiter ponderat, inquiens [1] : « Cum trucu-
« lenter omnia impietate Judæorum essent peracta,
« nec quidquam ad summam crudelitatem deesset
« tandem sanctissima caro Christi naturale quid
« patitur ; multis enim ac variis doloribus exsiccata
« siti torquetur, multum enim possunt dolores ad
« commovendam sitim, innatum enim calorem
« exagitantes, vel quod in profunditate humidum
« est, consumunt, et igneis ardoribus dolentis vis-
« cera urunt. Sicut igitur cæteras passiones, sic
« hanc etiam Christus sponte perpessus est. »
Enimvero quotidie videmus, quod quanto magis quis sudat tanto majorem patietur sitim. Christus autem præcedenti vespere in horto copiosum sanguinem fuderat, et longe abundantiorem e tot vulneribus per flagella, spinas, et crucifixionem inflictis effuderat. Lassus ex molestis circumductionibus, et defatigatus erat, nec non cor ejus tristitia, et tædium plane omnino iucesserat : *tristis est anima mea ; cœpit tædere, pavere, et mæstus esse*; *spiritus autem tristis exsiccat ossa*; nocturno tempore vestibus suis denudatus, frigori expositus fuerat ; unde de S. Petro dicitur : *Calefaciens se* : mane pariter multis horis in patibulo nudus pependerat ardentibusque solis radiis expositus fuerat et propter distensos per violentiam omnes nervos, membra obriguerant, ideoque ob omnes hasce causas nequaquam mirandum est, Redemptorem nostrum ardentissima fuisse siti vexatum. Salmeron hanc rationem assignat, dicens [2] : « Ex eo constare
« potest, quod omnium laborum suorum, ac dolo-
« rum oblitus, sitis acrimoniam querula suppli-
« catione indicat, et propheta causam hujus sitis
« explicuit, dicens : *Factum est cor meum tamquam*
« *cera liquescens in medio ventris mei, aruit tanquam*
« *testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus*
« *meis.* Hæc autem corporis pendentis in cruce sitis
« in Christo. primum probat veram humanitatem
« et veros dolores ejus, deinde probat Scripturam,
« et implet prophetiam dicentem ; *Et dederunt in*
« *escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto.*»

**2.** — Quemadmodum iter a Christo in Samariam institutum adeo eum defatigaverat, ut S. Joannes dicat [4] : *Fatigatus ex itinore sedebat sic supra fontem*; et præ nimia siti a Samaritana potum sibi dari petiit, non obstante quod facile prævidere poterat illam dicturam esse : *Quomodo tu Judæus cum sis. bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* ita quoque varia quæ Christus per noctem, et mane sequenti fecerat itinera, quando innumeris cum insultibus ad varia fuerat raptatus tribu-

[1] CÆL. RHOD., l. IV, c. 13 *Antiq. lect.* — [2] PLUTARCH. *in Lycurgo.* — [3] LUC. BRUG., *in Joan.*

[1] S. CYR. ALEX., l. X *in Joan.* — [2] PROV., XVII, 22. — [3] SALM., t. M, tr. 44. — [4] JOAN., IV, 6.

nalia, valde eum defatigaverant, magnamque ei sitim causarant. Refert Surius de S. Emmeramo. quod cum particulatim dilaniatus, et concisus, quasi ex toto corpore copiosum effudisset sanguinem, corpore ejus velut trunco relicto, de nullo tamen alio dolore conquestus fuerit, quam de ardentissima siti, quam patiebatur. Porro alios humanitatis Redemptoris nostri cruciatus, oculi astantium satis perspicue videre, vel saltem mens comprehendere poterat, at vero sitis quod patiebatur tormentum cum absconditum fuerit, adeo facile agnosci non potuisset, nisi ipse idem per verbum *sitio*, illud manifestasset. Dionysius Carthusianus pariter [1] : « Ad litteram Christus corporaliter sitie-
« bat, ex diuturna afflictione, vehementi labore, et
« sanguinis effusione, in tantum, ut dicat in psalmo
« *Lingua mea adhæsit faucibus meis.* Quæ utique
« sitis pœnalissima fuit. » Toletus inquit [2]: « Hujus
« verbi *sitio* solus Joannes meminit » et immediate subjungit : « Vere Christus sitiebat, et maxima
« premebatur siti. »

**3.** — Porro tametsi hæc sitis corpus Salvatoris notabiliter affligeret, attamen eam non manifestavit ideo, ut aliquod in siti sua a lictoribus acciperet potus refrigerium, neque ut nobis persuaderemus, illam corporalem potius, quam spiritualem, et mysticam fuisse, unde Simon de Cassia ait [3] :
« Nec videtur, quod clamaverit pro auferenda siti
« corporea, qui omnem compassionem ad suum
« corpus diruperat, et sibi erat omnino incompas-
« sibilis factus ut etiam ad mortem voluntarie
« festinaret. Non est fas credere, corporis quæ-
« sivisse fomenta, qui ipsum tam prompte tradebat
« in mortem. » Eamdem quoque doctrinam Lucas Brugensis his verbis tradit [4] : « Vere dixit, *Sitio*,
« et desideravit appetitu naturali levamen sitis;
« sed cum sitim hanc, ut alia multo graviora,
« dissimulare fortiter potuerit, non eo consilio eam
« indicavit, ut accepto congruo potu sedaretur,
« quem ut noverat sibi non esse præbendum, ita
« non magis desideravit voluntate rationali, quam
« quodvis aliud cæterorem malorum suorum sola-
« men (sitis salutis hominum erat, quam desidera-
« bat explere) verum hoc consilio aperuit, ut
« humanæ naturæ et supplicii non simulati verita-
« tem in se manifestaret, proprium crucis laborisque
« effectum se sentire professus. » Enimvero qualis hæc sitis fuerit, B. Laurentius Justinianus his verbis declarat, dum ait [5] : « Nempe animarum succensus
« zelo, divinam ad pietatem volens justitiam flec-
« tere, erecta ad cœlum mente, corpore vero
« nudato, vulnerato, clavato Patri clamabat, *sitio*.
« Hæc pro electorum salute patior, ista pro tuo
« honore sustineo. Ignosce igitur illis, placabilem
« te illis exibe, pro quibus tantis me exposui cru-
« ciatibus. Verum hæc quæ tolero, pauca videntur,
« adde flagellum flagello, appone vulnera vulne-
« ribus, lacera, ure, confige percute, occide, uni-
« versa hæc, et majora toto desiderio *sitio*. »
S. Hieronymus super ista Psalmistæ verba : *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti*, expositionem quamdam tradit, proposito nostro valde congruam; ait enim [1] : « Cucurrit
« Christus de cœlo, venit in uterum, de utero in
« præsepium vel cætera his similia : cucurrit sitiens,
« venit ad fontem, esuriens venit ad arborem. Vel
« sitivit, id est, salutem humani generis in cruce
« sitivit, unde dictum est [3] *De torrente in via bibet.* »
Eneas Sylvius de Rudolpho. Imperatore refert quod cum contra Ottocharum Bohemiæ, regem belligerans, ardentissimam pateretur sitim hydria aqua plena, quæ messoribus deferebatur, ad illum delata fuerit; quam ipse accipere recusavit, dicendo :
« Reddite homini vasculum; ego enim non mihi,
« sed exercitui sitiebam. » Porro de Filio in cruce suspenso, S. Laurentius Justinianus ita scribit [2] : « Fontem habet vitæ, de quo illi per
« Prophetam dicitur ; *Apud te est fons vitæ*, sed
« etiam ipse est fons vitæ. Porro si non esset fons
« vitæ in templo minime clamasset : *Si quis sitit*
« *veniat, et bibat, et flumina de ventre ejus fluent*
« *aquæ vivæ*. Fons vitæ erat, et tamen sitiebat.
« Aquam promittebat, et bibere cupiebat. Sitiebat
« nos et dare se nobis desiderabat. » Blosius, huic passionis mysterio devotissimus, dum hanc sitim meditando recogitabat, in sequentes prorupit devotissimos cordis affectus : « Laus tibi et honor, et glo-
« ria Christe, qui exhausto corpore, exsanguis in
« cruce anhelans, vehementissima siti cruciabaris,
« et nostræ saluti ineffabili desiderio æstuabas : da
» mihi honorem tui, animarumque salutem ar-
« dentissime sitire, et me totum pro illis, juxta
« voluntatem tuam, hilariter impendere. »

**4.** — Albertus Magnus quoque hanc sitim, expressionem quamdam censet fuisse illius aviditatis, qua animas lucrari desiderabat pro quibus in illo momento tantis cum doloribus operabatur Redemptionem; unde dicit : « *Sitio*, desiderio salutis redi-
« mendorum, » citatque versum illum Psalmi LXII : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Adducit quoque auctoritatem S. Bernardi dicentis : « Domine quid sitis ? plus te cruciat tua
« sitis nostræ salutis, quam tua crux; de cruce siles,
« de siti clamas : *sitio*, inquam, vestram salutem. »
S. Laurentius Justinianus intensissimum hoc desiderium sequentibus verbis confirmat. « Omnes ad se
« trahere, sibique copulare peroptabat, insinuare
« cupiens illis quanta, qualiaque pro ipsis suppli-
« cia, pateretur, quatenus grati pro beneficio, ani-

[1] DION, CART., *in Joan.* — [2] TOLET., *ib.* — [3] SIM. DE CASS., l. XIII. — [4] LUC. BRUG., *ib.* — [5] B. LAUR. JUST., *de Triumph. Christi agon.*

[1] S. HIER., *in Ps.* LXI, 5. — [2] B. LAUR. JUSTIN., *ib.* — [3] BLOS., *ib.*

« mati pro munere, de tam immenso charitatis « obsequio rependerent gratiam. Proinde sicut « pendens extensis brachiis, apertis manibus, per- « fossis pedibus, inclinato capite, universos invita- « bat, dicens, *sitio*, vos, inquit, volo, vos cupio, « vos corpori meo unire, vos mihi associare *sitio*. « Hanc vocem in spiritu audisse testificatus est « David, inquiens : *Pretium meum cogitaverunt « repellere ; cucurri in siti.* Curramus igitur et nos « fratres, curramus singuli, curramus omnes, et « sitiente Christo in potum illi præbeamus nos ipsos. « Sitit nos propter nos : inebriare nos vult. » Diu vero ante idipsum meditatus fuerat S. Bernardus dum ait[1] : « Licet etiam veraciter possumus acci- « pere quod sitiverit, qui per totum corpus san- « guinis effusione siccatus, ossa habuit sicut cre- « mium arefacta. » Paulo post tamen subdit, quod Christus in hac siti naturali significare intenderit mysterium et documentum; ait enim : « Non satis « credibile est, ipsum de siti corporali dixisse, ut « potum peteret carnalem, qui in instanti se scie- « bat carnaliter moriturum, sed potius desiderium « ardentissimum salutis nostræ, ipsum credimus « sitivisse. » S. Anselmus in Dialogo de passione quærit[2] : « Quid tu Domine sitis. » moxque in per- sona Redemptoris respondet : « Salutem peccato- « rum. »

**5.** — In colloquio, quod Christus cum Samaritana quam convertit, miscuisse scribitur, lucrum hujus animæ, cibi nomine appellatur; nam cum apostoli ei cum hac muliere colloquenti cibum præsentarent, Dominus respondit[3] : *Alium cibum habeo manducare* : quod dicebat alludendo ad hujus lascivæ mulieris conversionem, et salutem quam procuraverat, sicut et ad salutem multorum Samaritanorum, quam futuram esse prævidebat. Simon de Cassia de Salvatore nostro similiter ait[4] : « expressit per corporis vocem vehementem animæ « suæ nostræ salutis affectum sitiebat enim salu- « tem omnium animarum. Ab Æterno Deus creare « homines, et salvare disposuit, et non ex acci- « denti, quia Deus erat, ei sitis affuit animarum : « non enim accidunt accidentia Creatori, sed quod « erat æternum, atque secretum, humanatus Filius « modo sitivit in carne, tempore passionis, vide- « licet, quando celebrata sunt mysteria nostræ sa- « lutis. Nec decebat, tale desiderium alio in tem- « pore aperiri, nisi eo tempore, quo Redemptionis « nostræ pretium per mortem, et sanguinem sol- « vebat. » S. Antonius Patavinus super illa a Sal- vatore nostro Samaritanæ proposita petitione, *Mulier, da mihi bibere*, scribens interrogat[5] : « Quid « sitis, Domine, certe salutem illorum, ut ait « S. Augustinus, pro quorum salute tuum san- « guinem profudisti. Sitis ex calore procedit in- « trinseco, hunc calorem, scilicet accensum amo- « rem, Christus habebat, qui ipsum faciebat « sitire. S. Ambrosius postquam quæsiisset, quo sensu Christus post quadraginta dies famelicum se, et sitibundum esse ostenderit, ipsemet respondet dicens[1] : « Esuriit, non cibum hominum, sed salutem. « Cibus Christi, est redemptio populorum cibus « Christi, est paternæ voluntatis effectus, sicut « ipse ait : *Meus autem cibus est, ut faciam voluntа- « tetem Patris mei, qui me misit.* » Quod idem de hac siti quoque dicere possumus. Idem S. Doctor in sermone XXX de Samaritana dixerat : « Aquam « Salvator a muliere postulat, et sitire se simulat, « ut sitientibus æternam gratiam largiatur. Neque « enim poterat fons sitire, neque in quo est aqua « viva, poterat undam terrenæ fæcis haurire. Sitie- « bat ergo Christus? Sitiebat plane ; non potum « hominum sed salutem sitiebat; non aquam mundi « sed redemptionem generis humani. » Simon de Cassia, cur Christus se sitire indicaverit, ad nos- tram instructionem his verbis exponit ; « Pro nobis « omnibus loquitur, se sitire contestans, velut caput « pro membris : et desiderium, quod humanum « genus habet, aut habere debet salutis propriæ, « ipse Christus expressit in cruce ; et sitim expri- « mens, sitim a nobis exposcit, ut si nos sitit, et « nos sitiamus ad eum: hoc enim Psalmista præ- « docuit : *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* « etc. » Hugo Cardinalis super ista Christi verba : *Mulier da mihi bibere*, admirabundus ita scribit[2] ; « Mirum est, quod fons sitit, sed propter nos. » S. Vincentius Ferrerius refert, quod quando Chris- tus clamavit : *Sitio*, sanctissima ejus mater ibidem præsens ei dixerit ; « O fili, non habeo nisi aquam « lacrymarum. » Sed o quam ei hæc aqua, a nobis illi oblata, placeret hæc enim infallibile futura esset indicium, quod siti ejus corresponderemus, saluti nostræ per veram compunctionem coope- rando. Taulerus Salvatorem nostrum hisce verbis nos alloquentem introducit[3] : « Itaque tam siti- « bundus hic pendeo, juxta fontem cordium ves- « trorum animadvertam devotas animas vestras « huc accurrentes ad hauriendum ex immenso pas- « sionis meæ puteo. Igitur *puella, cui dixero, da mihi « pauxillum aquæ ad bibendum de hydria* conscientiæ « tuæ, aquam scilicet devotionis, compassionis, « lacrymarum, et amoris mutui, et illa si inclina- « verit ad me hydriam suam, et responderit : « *Bibe Domine mi; quin et camelis* id est, servis tuis, « qui quotidie suo te portant in corpore, et nocte, « dieque tuo jugo vincti tenentur. *similiter hauriam « aquam* fraternæ charitatis ipsa est puella, quam « præparavit Dominus filio Domini mei, ut sit « sponsa Verbi divini. »

[1] S. Bern., c. 13 *de Pass.* — [2] S. Anselm., in dial. de *Pass.* — [3] Joann., IV, 34. — [4] Sim. de Cass., l. XIII. — S. Ant. Pat., ser. *in fer. VI post Dom. III Qnadr.*

[1] S. Amb., s. 20. — [2] Hug. Card., *in Joan.* — [3] S. Vin. Fer., s. *in Parasc.* — [4] Taul., *de Vit. et Pass. Christi*

## DISCURSUS XVI

### VARIÆ CIRCA HANC CHRISTI SITIM CONSIDERATIONES INSTITUUNTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus sitivit ut impleretur Scriptura, quæ prædixerat hanc ipsius sitim. — 2. Varia exempla sitientium V. T. conferuntur cum siti Christi, Sisaræ. — 3. Omnibus Christi membris cruciatis, tandem etiam lingua cruciata fuit siti ardentissima. — 4. Sitis Christi dirigebatur ad intentissimum desiderium conversionis omnium ad fidem Dei veri. — 5. Christus nostram hydropisim portans pro nobis sitivit. — 6. Qualiter Christus infirmitates nostras in se suscipiens illas curaverit. — 7. Christus nos sitiens a nobis sitiri vicissim desiderat. Et Christianorum ingratitudo. — 8. Negligentia salutis Christianorum addidit vulnera vulneribus Christi.

*Sciens Jesus, quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio.* Joan., XIX, 28.

**1.** — Cum Redemptor noster hoc edidisset lamentum : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? sciens quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit, Sitio.* Hæc autem Scriptura quæ consummanda erat, juxta interpretationem Salmeronis, versus ille erat Psalmi [1] : « In siti mea « potaverunt me aceto. » Lucas Brugensis pariter ait, quod inter alia mysteria, ob quæ Christus sitim hanc indicavit, hoc quoque fuerit : « Ut consumma- « retur Scriptura, quæ prædixerat, Christum in siti « sua aceto potandum, id est, ut Patri obediret, « qui per Scripturam declararat, mentem suam « esse, ut Christus inter cætera etiam hoc patere- « tur, ut in siti potaretur aceto. Quamvis ergo « acerbissimos ferret dolores, non tamen eximere « se voluit vel hoc cruciatu reliquo, ut plane Patri « satisfaceret, et suis omnibus numeris passio cons- « taret, nullo eorum, quæ divinitus decreta fuerant « prætermisso. » Rupertus Abbas ad illa verba : *Sciens quia jam consummata sunt omnia,* hanc Glossam adjicit : « Subauditur, quæ illum pati « oportebat : nec enim eo nesciente, sed bene « sciente, et omnia disponente, fiebant ista, qui et « per Prophetas omnia prædixerat. »

**2.** — *Dixit : Sitio.* Sisara belli dux celeberrimus, stragem exercitui suo a Barach illatam fugiens, cum sub Jahelis tabernaculum receptus fuisset, magna cum instantia potum sibi dari petiit : *Da mihi, obsecro, paululum aquæ, quia sitio valde.* Et quidem mirum non est, quod lassus ex itinere, turbatus animo ex suorum strage et fere moriens præ siti, secure sub Jahelis ingressus fuerit tabernaculum ; majus autem sine dubio admirationis motivum est, quod Redemptor noster in cruento prælio suo victor existens Synagogæ, quæ mortem ei intulerat, se sitire indicaverit. S. Anselmus ait [1] : « Populus Judaicus erat vitis aliena in amaritudi- « nem conversa. » S. Cyrillus Alexandrinus Judæorum crudelitatem his verbis detestatur : « Illi adeo « longe ab omni humanitate aberant, ut pro « juvante potu, atque jucundo, nocentem et acer- « bum attulerint et humanitatem, qua moveri vi- « debantur, in impietatem converterint. » Jahel Sisaræ tempora clavo transfixit, Synagoga Christi manus et pedes clavis perforavit : cum hac tamen differentia, quod Jahel Sisaræ sitim lacte extinxerit, Synagoga autem Regem suum fellis et aceti amaritudine potaverit. Sampson, qui, ut omnibus notum est, Salvatoris nostri typus fuit, cum de Philisthæis gloriosam reportasset victoriam [2], *sitiens valde clamavit ad Dominum et ait : Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, itaque victoriam : en siti morior. Aperuit atque Dominus molarem dentem in maxilla asini et egressæ sunt ex eo aquæ, quibus haustis, refocillavit spiritum et vires recepit.* At vero longe melius Christus Æterno Patri suo dicere poterat : *Dedisti in manus servi tui salutem hanc maximam* : etenim post operatam universalem generis humani salutem, post devictam mortem et infernum debellatum (*nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* [3]) merito sibi in cruce gloriosum Salvatoris titulum comparaverat ; et tamen clamavit in monte Calvario : *En siti morior*, qua paulo post revera expiravit. Magna autem Christum inter et Sampsonem intercedebat differentia, quia in refrigerium Sampsonis, ex aridæ maxillæ asini cujusdam dente fons aquæ vivæ prosiliit ; pro Christi vero sibi extinguenda, nemo fuit, qui vel stillam aquæ ei præberet, sed acetum et fel ei præsentarunt. Sampson *refocillavit spiritum* : Christus autem *emisit spiritum.* Deus olim Agar ancillæ Ægyptiæ, in sylva quadam summa cum mœstitia sedenti, ad refocillandum moribundum filium suum Ismaelem, puteum ostendit [4], unde aquam haurire posset ; et tamen magnæ matri Mariæ, longe digniori, quam Agar, ne vel stillam aquæ providit, unde Filium suum agonizantem, qui Rex gloriæ et Deus erat illius paradisi, ubi [5] *fluminis impetus lætificat civitatem Dei,* refocillare posset. Vix David os suum aperuit ad manifestandum desiderium bibendi pauxillum aquæ ex cisterna, quæ erat in Bethlehem [6], civitate arcta obsidione a Philisthæis cincta, cum ecce subito prodierunt milites aliqui, qui ad dictam cisternam, cum manifesto vitæ periculo, per hastas lanceas et enses viam sibi paraverunt, ut dictam aquam Regi adferrent : Salvator noster vero, qui paulo ante in triumpho palmarum filius David proclamatus fuerat (*Hosanna filio David*) in conspectu

[1] *Ps.* LXVIII, 22.

[1] S. ANS., *in Matt.* — [2] JUD., XV, 8. — [3] JOAN., XII, 31. — [4] GENES., XXI, 19. — [5] *Ps.* XLV, 5. — [6] II REG., XXIII, 15.

ejusdem populi ardentissimam sitim suam indicavit, nec tamen inventus fuit, qui se moveret, præterquam ad propinandum ei fel et acetum.

**3.** — Inter alia motiva, ob quæ dilectus hic Filius paulo antequam de siti conquereretur, de Æterno Patre suo lamentatus fuerat, dicendo : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* nonnulli contemplativi hoc quoque unum fuisse dicunt, quia se derelictum ideo conquerebatur, quod cum omnia totius corporis Christi membra sana habuerint cruciatus, sola lingua omnis tormenti expers permanserit. Enimvero caput a pungentibus spinis transfixum erat, oculi ejus velati, genæ ipsis frequentibus alapis et colaphis cæsæ et sputis consputcatæ ; collum ponderosa quadam catena ligatum, humeri et dorsum flagellis dilacerata, manus et pedes inclavati, aures calumniis, improperiis, maledictionibus et blasphemiis fatigatæ, nares multarum spurcitierum fœtore vexatæ fuerant ; siquidem præcedenti nocte Filium Dei in loco quodam squalido et fœtido collocaverant, quibus insuper Calvariæ fetores accedebant ; sola autem lingua supererat, quæ a nullo prorsus supplicio cruciata fuerat ; ac proinde situm suam indicat, probe sciens, fauces suas una cum lingua subito fellis sapore amaricandas esse : atque ideo postquam Salvator dixisset : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* miles quidam prodiit, qui aceto et felle linguam ejus imbuens, cruciare cœpit. Eoque tormento peracto, nullum aliud supplicium reliquum esse sciens, dixit : *Consummatum est.* Habet porro hic conceptus suum in S. Bernardo fundamentum, qui ait [1] : « Fractis membris omnibus, « dulcis Jesus voluit puniri et lingua. »

**4.** — *Dixit* : *Sitio.* Spiritus Sanctus in sacra Scriptura populos per aquas sæpius denotat : *Aquæ multæ, populi multi.* Quia igitur omnes mundi nationes sua coram falsis numinibus et dæmonibus curvabant genua ; Judæa similiter (licet de ea Psalm. dicat : *Facta est Judæa sanctificatio ejus*) Dei Filium in crucem suspenderat ; ideo cum paulo ante prædixisset : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum* : hæc sitis mere dirigebatur ad intensissimum desiderium, quo omnes populos ad fidem suam et veri Dei notitiam converti cupiebat : « Pro « salute populorum, inquit Salmeron, ut per crucis « patibulum eos traheret ad se, mori desiderans, ait : « *Sitio.* » Et vero quonam alio fine potum sibi a Samaritana dari petiit, quam ut non solum illam, sed et universam Samariæ civitatem, per quam gentilitas præfigurabatur, ad se et fidem suam converteret? S. Augustinus ait [2] : « Sensit illa prior sitientem, ut « biberet ille credentem. Et in cruce positus : *sitio,* « dixit, quamvis illi ad hoc non dederint, quod « sitiebat ; ipsos enim ille sitiebat. » Idem S. doctor paulo infra in Psalmo LXVIII, scribens, ita discurrit : « Quando dixit mulieri : *Sitio,* fidem illorum « quærebat, pro quibus dixerat : *Pater ignosce illis, « quia nesciunt quid faciunt.* Sed illi homines quid « propinarunt sitienti ? Acetum. Acetum enim vi- « num vetus dicitur : merito de veteri homine « propinarunt, quia novi esse noluerunt. » Idem super Psalm. XXXIV, ita scribit : « Dixit in cruce : « *Sitio* : quid sitivit, nisi bona opera nostra ? in illis « enim crucifigentibus et persequentibus, quia « nulla bona opera invenerat, jejunabat ; tribue- « bant enim sterilitatem animæ ipsius. Nam quale « jejunium ipsius fuit, qui vix invenit unum latro- « nem, quem in cruce gustaret ? » Ideo similiter in sermone primo de Psalmis ita loquitur : « Quod « vero sitire se in cruce positus dicit, fidem incredulæ gentis, concupiscit ; sed e contra acetum « malitiæ porrigunt ; quia vinum Sapientiæ, quod « a Deo acceperant, peccando corruperant. » S. Laurentius Justinianus pariter hanc sitim de conversione populorum interpretatur, dum ait : « Que- « madmodum aquarum fontes desiderat cervus, ita « ipse mediator cœlestis Jerusalem restaurationem « anhelabat. Affectabat equidem, ut numero, ut « felicitate, ut unitate compleretur, quatenus revelata Dei gloria, laus et honor Deo persolveretur « et gloria, quæ affatim nonnisi ex perfecta ejus « cognitione perficitur ; cujus exsolutionis debitum, « laudisque holocaustum, non illi cui redditur, sed « ipsius, qui laudat, efficitur beneficium. Sitiebat « plane angelorum redintegrationem, sitiebat etiam « corporis, ac membrorum unitatem, quorum ca- « put erat ipse : omnes ad se trahere, sibique co- « pulare peroptabat. »

**5.** — *Dixit* : *Sitio.* Porro Isaias propheta de Redemptore nostro prædixit, inquiens [1] : *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit, livore ejus sanati sumus.* Ubi languoris et infirmitatis nomine, nostra indicantur peccata et iniquitates, quæ in febribus malignioribus et ardentioribus ingentem causare sitim solent. S. Bonaventura in sermone quodam de Parasceve ita scribit [2] : « Hy- « dropicum fuit genus humanum per avaritiam ; « sicut enim hydropici, quanto plus bibunt, tanto « plus sitiunt, ita avari, quanto plus temporalia « crescunt, tanto plus in avaritiam inardescunt. « Istum languorem Dominus portavit pro nobis per « similitudinem ; hydropici enim multum sitiunt « et Christus sitivit. » Salmeron sequentem hac de siti tradit considerationem [3] : « Sciens se aceto « potandum, sitivit ; nam cum cæteri omnes sensus, « visus, auditus, odoratus et tactus, læsi essent et « excruciati, voluit postremo in gustatu, qui inter « ger, intactusque supererat, affligi. Quemadmodum « Eva ultimo peccavit in gustu ; antequam enim

[1] S. Bern., c. 73 *de Pass.* — [2] S. Aug., *in Ps.* LXI.

[1] Isa., LIII, 4. — [2] S. Bonav., s. 2. — [3] Salm., *ib.*

« fructum vetitum ederet, jam deliquerat concu-
« piscendo et manum extendendo, scientiamque
« Deorum appetendo. Quoties ergo de gula tenta-
« mur, hujus potus Christo exhibiti meminerimus,
« sicut ipse ait : *Recordare paupertatis et transgres-*
« *sionis meæ, absynthii et fellis* Mirum est autem,
« illi vel guttam aquæ denegatam. »

**6.** — *Et dixit* : *Sitio.* Apud S. Matthæum dicitur [1] : *Omnes male habentes curavit, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem* : *Ipse infirmitates nostras accepit et ægrotationes nostras portavit.* Nonnulli Scriptores verisimile esse dicunt, quod quoties Christus infirmitatem aliquam curavit, his fere vel similibus verbis Æternum Patrem suum affari solitus fuerit : Hic quidem infirmus, surdus, mutus, paralyticus, aut cæcus in pœnam peccatorum suorum esse merebatur ; verumtamen hanc pœnam a me exigere et a misero hoc tollere digneris : adeoque omnes nobis debita infirmitatum pœnas Christus sibi assumpsit (*vere languores nostros ipse tulit*) et per earum pœnalitatem, non solum culpam nostram, sed et pœnam expiavit : et quidem cæcitatem sustinuit, per velamen oculorum, quod cum percussionum insultibus conjunctum fuit : *Prophetiza quis est, qui te percussit* : mutus fuit, per continuum suum silentium, dum coram nullo tribunali, quantumvis instigatus, innocentiam suam defendit : pœnam surditatis toleravit, dum falsas accusationes, derisiones, contumelias et blasphemias surdis quasi auribus excepit. Hydropisim sustinuit, dum sitim hanc ardentissimam perpeti dignatus fuit [2] : « Pœna enim peccati
« est sitire et non habere, quid bibat, neque qui
« potum præbeat : vel qui præbeat quidem, sed
« per contemptum potum amarum ; et hanc pœ-
« nam peccato debitam portat Jesus. » Et vero hujus doloris, hujusque sitis, talem ostendit fuisse angustiam et tormentum, ut idipsum dissimulare nequaquam potuerit, haud secus ac si omnium tormentorum acerbissimum fuisset. Unde idem Salmeron paulo post subdit : « Angustias animi
« interiores, per diram et intolerabilem sitim ex-
« pressit, ut sciremus, Christum illas esse exper-
« tum, quo animas omnium nostrum, qui credimus,
« liberatas esse intelligeremus. » Enimvero quantum sitibundus ex siti patiatur tormentum, in divite Epulone clare conspicitur ; siquidem flammarum infernalium acerbitas, a S. Luca in parabola [3], seu potius historia de divite epulone, in tormento sitis, de quo reprobus ille specialiter lamentabatur, vel maxime exprimitur ; ac proinde Salvator noster qui per suam Redemptionem ab illis pœnis nos liberare voluit, ideo ardentissimam hanc sitim in beneficium nostrum sustinere decrevit.

**7.** — *Et dixit* : *Sitio.* S. Bernardinus inquit [4] :

[1] MATT., VIII, 16. — [2] SALM., *ib.* — [3] LUC., XVI, 24. — [4] S. BERN., t. I, s. 55, a. 1, c. 5 *Princ.*

« Pro nobis omnibus loquitur, se sitire contestans,
« velut caput pro membris ; et desiderium, quod
« genus humanum habere debet, gloriæ sempi-
« ternæ, Christus expressit pendens in cruce :
« proinde sitim exprimens, sitim a nobis exposcit,
« ut si nos sitit et nos sitiamus ad eum. » At vero tametsi Redemptor noster se salutem Judæorum magnopere sitire ostenderit, ipsi tamen in sua obstinatione magis magisque induruerunt. Salmeron ait [1] : « Nihil vilius, aut minus alicui exhiberi
« potest, quam aqua, cum aquæ elementum omni-
« bus sit commune ; et tamen moribundo porrigunt
« acetum, quo eorum feritas et immanitas detegere-
« tur, qui in moribundum hominem ita sæviebant
« contra legem dicentem : *Date siceram mœrentibus*
« *et vinum his qui amaro sunt animo.* Et contra
« aliud præceptum legis dicentis : *Si esurierit ini-*
« *micus tuus, ciba illum* : *si sitit, da ei aquam*
« *bibere, prunas enim congregubis super caput ejus.*
« In quod impegerunt Judæi, qui nec ut inimicum
« quidem illum tractarunt ; siquidem dare acetum
« hostile est et immanitatis plenum, maxime vul-
« nerato. Hæc autem eo graviora erant, quo is qui
« potum petebat, dederat illis terram fluentem
« lacte et melle et tot vinea Engaddi. » Hoc autem improperium longe magis mereri Christianum populum, utpote qui majora a Christo, quam Judæi, beneficia acceperunt, facile unusquisque videre poterit, dummodo attendere voluerit detestabilem quæ in majori fidelium parte cernitur, ingratitudinem et inexcusabilem propriæ salutis negligentiam. S. Laurentius Justinianus nos monet, ut si sitienti Christo refrigerium aliquod exhibere volumus, sequentem observemus cautelam : « Ta-
« les simus, ut non nauseet super nos, atque de
« ore evomat suo : simus mundi a sordibus, a cu-
« piditatibus alieni et a delicti desiderio extranei,
« ut hauriat, bibatque nos. » Idem sanctus Patriarcha paulo ante dixerat : « Ne tardi inveniamur ad
« sitientem currere fontem. »

**8.** — Redemptor noster per os regii vatis lamentatur, inquiens [2] : *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Hoc autem doloris Passionis suæ incrementum, ut contemplativus quidam ait, in eo positum erat, quod videret, hominem ex sua Passione nequidquam proficere, quin potius, licet Christus tam ardenti pro homine patiendi siti anxiatus fuerit, hanc tamen sitim ejus magis magisque adaugere, dum peccata peccatis adjicere non cessat. Nec sub silentio prætereunda est sequens doctissimi Salmeronis observatio, videlicet, quod cum Christus unicuique, qui ex amore Dei calicem aquæ, frigidæ pauperi propinaverit, promptam mercedem promiserit (*non perdet mercedem suam*) nos utique longe ampliorem ab ejus liberalitate

[1] SALM., *ib.* — [2] *Ps.* LXVIII, 27.

sperare possimus mercedem, si in hisce mortis suæ angustiis potum ei desideratum porreximus : « Sitit « enim sitiri a nobis. » Et ideo refrigerium, quod a nobis exigit, salus est animarum nostrarum, pro quibus vitam prodegit, suumque sanguinem in crucis patibulo profudit.

## DISCURSUS XVII.

PROMPTITUDO JUDÆORUM EXPENDITUR, QUA CHRISTO SITIM SUAM PER VERBUM, *Sitio*, DECLARANTI, ACETUM FELLE MIXTUM DARE SATAGEBANT : FUITQUE HIC FRUCTUS, QUEM VINEA EJUS, ID EST, SYNAGOGA, EI PROTULIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Ille continuo currens ad acetum, designat promptitudinem humanæ malitiæ ad offendendum Deum. Taxatur nostra tepiditas et pigritia ad servitium Dei. — 2. Synagoga, vinea Dei electa, amarum Christum propinavit potum. Christus in sua siti atrocius subiit supplicium damnatis. — 3. Quid intelligatur per fel aceto immixtum. — 4. Quinam signentur per spongiam ori Christi admotam. Taxatur Judæorum crudelitas in exhibitione talis potus. — 5. Afferuntur varia mysteria, quare Christus acetum felle mixtum gustatum, noluerit bibere. — 6. Per acetum intelliguntur relabentes in pristina vita.

*Continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto et imposuit arundini, et dabat ei bibere.* Matth., XXVII, 48.

**1.** — In hoc facto verificatum est illud regii Vatis contra Judæos ingratos et rebelles, Christo Regi et Messiæ suo, per improperia, calumnias, maledictiones et blasphemias, insultantes, pronunciatum oraculum, scilicet [1] : *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Vix enim Redemptor noster dixerat : *Sitio*, cum ecce sine mora certatim accurerunt, ut eum deridendo et subsannando, aceto et felle potarent. *Continuo*, omni sepositа cunctatione : *Currens.* Ubi enim de Deo offendendo agitur, prompta semper est humana malitia, non vero lenta : *Veloces pedes eorum.* Cum Herodes in lascivæ illius puellæ tripudiis sibi complacens, eidem medietatem regni sui promisisset in præmium, sine mora, a matre ita instructa, caput Præcursoris sibi dari petiit. At vero observandum, sub qua phrasi loquendi S. Marcus hanc historiam referat [2] : *Cum introisset statim*, inquit, *cum festinatione ad regem, petivit, dicens ; Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.* Ubi enim de explendis inordinatis appetitibus agitur, impii solliciti sunt, omnisque moræ impatientes : *Pedes illorum ad malum currunt*, inqait Sapiens [3], *et festinant, ut effundant sanguinem.* Unde merito S. Isidorus Hispalensis ait [4] : « Omnis ars sæculi hujus strenuos amatores « habet et ad exequendum promptissimos. » At vero Christus e contra plerosque hebet sectatores languidos, tepidos, pigritia et inertia congelatos. Etenim, ut in discursibus præcedentibus diximus, cum Christus in cruce pendens nihil adeo sitiret, quam animarum nostrarum salutem ; attamen per illud trium horarum et amplius spatium, quibus in crucis patibulo vivus pependit, solus latro bonus hoc Christo præbuit refrigerium, ut veraciter se ad illum converteret ; alii autem certatim illum deridebant, eique insultabant : *Continuo currens, etc.* Unde quoad impios verificatur, quod Christus alibi dixerat [5] : *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Videmus per experientiam, quod reis dum ad supplicium educuntur, usque ad ultimum spiritum devotæ quædam personæ assistant, quæ eos consolantur et pro viribus refrigeria præstant. At vero quando Christus in monte Golgotha ardentem, quam patiebatnr, sitim insinuabat, nullus ex sequacibus et discipulis suis, quorum aliqui ibidem præsentes erant, nullus inquam, se movit, ut vel unicam aquæ stillam ei in refrigerinm præberet. E contra vero lictores et carnifices pro complenda sævitia sua solliciti erant : *Continuo currens, etc,* « Cucurrit iste, » inquit Lucas Brugensis [6], « partim exultans præ gaudio, quod oblata « ipsi esset occasio illudendi Domino, partim veri- « tus, ne ipse ab alio in eo præveniretur, quod « voluptati ipsi foret facere. » Enimvero hæc dictio *currens*, non insinuat, quod aliquos Jerosolymam miserint, qui acetum, fel, spongiam, arundinem et hyssopum in montem Calvariæ adferrent ; hoc enim non erat necessum, siquidem hæc omnia in promptu habebant ; id quod idem auctor his verbis declarat : « Postquam cucurrisset ad locum, ubi vas « aceto plenum collocatum erat, non longe a cru- « cibus Jesu, ac latronum ; nec enim ita prope ad- « stabant vel milites ipsi, quin spatium aliquod « vacuum inter cruces et se, spectatoresque relin- « querent. » Simon de Cassia ait [7] : « Vas paratum « erat plenum aceto et forte proprie acetabulum erat « ad Passionis augmentum, ex certa malitia magis, « quam casu fortuito præsentandum. Illi vero « spongiam impleverunt aceto. Hanc enim ipsi de- « tulerant seriosa impietate, quam sic paratam « habebant, ut nec ad civitatem recurrere foret « opus : quod ostendit, quales erant, qui in ejus « Passione convenerant. »

**2.** — *Implevit aceto.* Apud Jeremiam Deus ait de Synagoga [8] : *Ego plantavi te vineam electam. Quomodo ergo conversa es mihi in pravum?* Salvator

[1] *Ps.* XIII, 5. — [2] MARC., VI, 25. — [3] PROV., I, 10.

[1] PROV., I, 10. — [2] S. ISID. HISP., l. II *de summo bon.* — [3] LUC., XVI, 8. — [4] LUC. BRUG., *in Matt.* — [5] SIM. DE CASS., *ib.* — [6] JER., II, 21.

quoque noster paulo ante Passionem cum incredulis Hebræis sermones miscens, illisque se mortem, quam illi illaturi essent, evidenter scire demonstrans, parabolam adduxit de vinea, a S. Matthæo capite vigesimoprimo descriptam. Quam S. Thomas de Synagoga Hebræorum interpretatur, textum illum citans Isaiæ[1] : *Vinea Domini domus Israel est.* Cui consonat illud prophetæ regii[2] : *Vineam de Ægypto transtulisti.* Et S. Paschasius super prædicta verba ita scribit[3] : « Hinc loquitur « Deus per prophetam Jeremiam : *Ego te plantavi « vineam electam, quomodo conversa es in amaritu- « dinem vitis aliena?* Amara quidem vitis amarum « acinum fecit, quod propinavit Domino Jesu ; ut « impleretur, quod scriptum est : *Dederunt in « escam meam fel et siti mea potaverunt me aceto.* » Merito igitur sancta Ecclesia mane in die Veneris sancto, in adoratione crucifixi, sequentia ordinavit cantari verba : « Quid ultra debui facere tibi, et « non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam « speciosissimam, et tu factas es mihi nimis amara. « Aceto namque sitim meam potasti. » Isaias, cap. v, prophetiæ suæ ab his verbis orditur : *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei; et sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam, et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular exstruxit in ea.* Moxque integrum innumerabilium beneficiorum contexit catalogum, quibus Deus populum illum cumulaverat; ac tandem subdit idem Isaias : *Expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas.* Imo non solum hæc vinea uvas progerminavit sylvestres et amaras; sed et fellis produxit amaritudinem. Ac proinde populus ille, tanquam ingratus, rigide a Deo castigatus fuit, prouti idem Propheta prosequitur, prædicendo : *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ : Auferam sepem ejus, et erit in conculcationem, et ponam eam desertam.* Enimvero innumera, quibus Deus populum illum locupletavit, bona, ad perpetuam rei memoriam in sacris litteris ample descripta leguntur; sed ecce tibi quam ei retribuerunt mercedem. Etenim in inferno[4], *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat,* non sumitur tam atrox de damnatis supplicium, quale ipsi Christo intulerunt. Etenim dives epulo Abrahæ dixisse legitur[5] : *Mitte Lazarum, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Et quidem tametsi verum sit, quod hæc ejus petitio exaudita non fuerit; attamen non constat, quod huic ejus ardentissimæ siti major cruciatus accreverit. Solus autem Christus, a Synagoga majori cum crudelitate fuit tractatus, utpote cui postquam dixisset : *Sitio,* acetum felle mixtum præsentatum fuit. Simon de Cassia quoad hoc tormentum illi linguæ illatum, de qua S. Petrus ait[6] : *Verba vitæ æternæ habes,* ita scribit : « Implacabili odio Judæi « linguam illam talibus ordinarunt amaricari sapo- « ribus ; memores enim erant, quoniam damnatos « eorum mores arguerat. » Etenim Verbum incarnatum, quod de seipso dixerat[1] : *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel;* hoc, inquam, toto studio in hoc incubuit, ut pessima Judæorum vitia corrigeret, eosque dirigeret in viam salutis æternæ : ipsi autem omnes ejus admonitiones contempserant. Ac proinde evenit eis id, quod Christus circa præceptum correctionis fraternæ præscripsit, dicens[3] : *Si te non audierit, dic Ecclesiæ.* Cum enim Judæi nec Redemptorem, nec Apostolos ejus audire vellent, ipsi illis relictis, conversi sunt ad gentilitatem, id est, ad Ecclesiam ex gentibus congregatam : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus!* Quia enim Judæi prædicationi Ecclesiæ aures patulas præbere nolunt, ideo ab eadem in aliorum infidelium catalogo connumerantur.

**3.** — Fel piscis illius, de quo in libro Tobiæ legitur, lumini oculorum amisso recuperando præsentaneum remedium fuit[2] : *Fel valet ad ungendos oculos in quibus fuerit albugo.* Hoc autem fel, quod Synagoga Christo propinavit, eam penitus excæcavit, veroque lumine, et notitia veri Dei destituit populum illum, de quo Psalmista ait[4] : *Notus in Judæa Deus; facta est Judæa sanctificatio ejus;* quia ad finem usque sæculorum in ignorantiæ suæ tenebris infeliciter sepulta manebit. S. Paschasius ait[5] : « Aceto usque in hodiernum diem, Judæi, et « omnes increduli Dominicæ resurrectionis, et felle « potant Dominum. Felle videlicet amaritudinis « vitiorum, et aceto infidelitatis; quia sicut per « vinum novum, honor et virtus designatur im- « mortalitatis, ita et per acetum corruptio vitio- « rum. Nam vinum per vitium et incuriam fre- « quenter in vasis acescit. » Porro philosophi naturales scribunt, quod cor sit primum, quod in animali generatur, fel autem ultimo loco producatur; in morte autem animalis fel primum est quod corrumpitur, cor autem ultimum quod moritur. Quemadmodum vero fel ultimo loco in homine nascitur, ita quoque in toto corpore nihil illo vilius reperitur. Et sicut inter omnes liquores, nullus est bono vino pretiosior, quia *vinum lætificat cor hominis;* ita e contra vino corrupto nullus est potus abominabilior. Judæi igitur Salvatori acetum, id est, vinum corruptum et fel amarissimum, utpote pestiferos Synagogæ fructus gustandos dederunt, quia nihil utroque vilius, aut abominabilius excogitare potuerunt; nimirum hoc Christo propinarunt, quod habebant, imo seipsos quia Judæorum Synagoga in felle denotatur; quia sicut hoc pars est vilior animalis, et ultimum quod in eo gignitur,

[1] Isa., v, 7. — [2] *Ps.* lxxix, 9. — [3] S. Pasch., *ib.* — [4] Job, x. 23. — [5] Luc., xvi, 24. — [6] Joan., vi, 69.

[1] Matt., xv, 24. — [2] Id., xviii, 15. — [3] Tob., vi, 9. — [4] *Ps.* lxxv, 1, et *Ps.* cxiii, 2. — [5] S. Pasch., *ib.*

ita Synagoga tunc in ultimo vitæ suæ spiritualis momento, et in tam abominabili statu constituta erat, quo nullus dari poterat detestabilior. De hoc aceto et felle dicitur in Deuteronomio [1] : *Uva eorum, uva fellis, venenum aspidum insanabile.*

**4.** — S. Paschasius de spongia, qua acetum ori Christi appositum fuit, in hæc verba scribit [2] : « Spongia illa, quid aliud, quam ipsos Judæos « figurabat? Quisquis considerat spongiæ naturam, « quam cavernosa sit, quam tumida, et inflata, « quam mollis, ac fragilis, ac resoluta, potest « agnoscere, quid significet; quæ licet humores a « se inflata trahat, cito evanescit et evomit omnia « in se expressa. Sic et Judæi, seu quilibet tumidi, « qui nihil aliud in se gerunt, quam acetum pec- « cati, et corruptionis, omnem flagitiorum collu- « vionem in se trahentes, quos in calamo fragili- « tatis suæ ipsa superbia erigit, et si quidpiam « fuerint depressi, mox intima evomentes sua, « vacui remanent, ac leves; ac per hoc ipsi sunt, « qui seipsos Domino offerunt in mortis poculum, « a quibus et in quibus mors Domini ministratur. » Divus Chrysostomus Synagogæ improperat, inquiens [3]: « Hoccine de te, Judæa, Dominus noster « promeruit, qui te in deserto per quadraginta « annos panibus Angelicis annonavit et ex petræ « visceribus, cum sitires, salutaris aquæ potum « exhibuit? Et qui aquam in nuptiis pretiosum « mutavit in vinum, meruitne, ut in siti sua a te « acciperet acetum? » Ex qua D. Chrysostomi sententia Taulerum sequentes hausisse existimo devotos affectus, dum ita scribit [4] : « O quantopere « piissimum affligebat Dominum, cujus natura « bonitas est, cum venenatum, atque amarulentum « aspiceret fundum, inextinguibilem crudelitatis « ardorem, et saxeam atque obstinatam malitiam « Judæorum, quod hi, quos tot annorum curriculis « in eremo manna cœli paverat, omnem in se sua- « vitatis saporem habente, in extrema atque maxima « sua necessitate talem ei nihilominus non vere- « rentur porrigere potionem! » Enimvero audiamus, quid de hoc potu Rupertus Abbas in hæc verba scripserit [5] : « *Uva eorum, uva fellis et botrus « amarissimus; fel draconum, vinum eorum.* Spon- « giam circumposuerunt arundini. Hæc omnia « facientes, satis aperuerunt, quanto felle amaritu- « dinis ipsorum præcedentia redundarent et quod « vere non jam Domini Sabaoth illa domus Israel, « et illa domus Juda germen ejus delectabile esset, « sed de vinea Sodomorum vinea eorum; et quam « veraciter per prophetam Dominus idem præ- « dixisset quod expectante se, ut facerent uvas, « fecerunt labruscas. »

**5.** — *Cum gustasset, noluit bibere.* At vero quænam causa fuit, quod acetum et fel degustatum Salvator noster bibere recusarit? Num forte liquorem illum a felle nimis amaricatum, ob saporis nauseam abhorruit? Nequaquam, sed varia in hoc latent mysteria. S. Anselmus inquit [1] : « Quod « autem ait : *Cum gustasset, noluit bibere*; hoc « indicat, quod gustaverit quidem mortem amaram « pro morte, sed tertia die resurrexit. » Paulus de Palatio in Matthæum scribens, sequens inde eruit Sacramentum, dum ita scribit [2] : « Mandavit in « lege Deus, ut, qui Domino se vellet consecrare, « nec vinum, nec acetum ex vino, vel ex alia « potione potaret. Cum ergo Dominus se Patri suo « in sacrificium et holocaustum consecraret, legem « volebat implere, mandantem, ne vinum biberet, « aut acetum, ne non Patri suo consecratus vide- « retur; quod magnopere iniqui illi, semel et « iterum vino exhibito, videre cupiebant. » Simon de Cassia sequentem illius assignat rationem, inquiens [3] : « Gustavit Christus omnes Passiones, sed « non absorbuit; et quamquam sua Passione nostra « peccata deleret, non tamen mortem abstulit, nec « passiones, ut non essent, absorbuit. Relinquen- « da profecto erat, divino, et infallibili decernente, « decreto mors hominibus, et passibiles passiones, « cum quibus humana natura restaret ad præ- « mium. » Lucas Brugensis aliud indicat mysterium, ob quod acetum et fel degustatum bibere noluerit; ait enim [4] : « Voluit gustare, tametsi « præsciret, potum esse felleum, partim ne con- « temnere videretur vinum de more datum, utque « indicaret, se vere sitire ex itinere, afflictionumque « laboribus; partim ut gustu mappæ felleæ, mede- « retur gustui nostro delicatiori. » At vero præ cunctis aliis Rupertus Abbas ad nostrum propositum præclare in hæc verba scribit [5] : « Per hoc, « quod oblatum sibi acetum felle mixtum, cum « gustavisset, noluit bibere, reprobationem signifi- « cat ejusdem vineæ suæ. » S. Bernardinus quoad propinatum Christo acetum ita scribit [6] : « Acetum, « quod fuit natura vinum, sed alteratione in ama- « ritudinem est conversum, naturam ostendit Ju- « dæorum et crucifigentium Jesum, qui cum essent « natura boni a Deo creati, ex horrendis affectioni- « bus, odiis et invidiis, atque ex corruptis mori- « bus, contra Christum in amaritudinem crudelis- « simam suam sunt conversi. » Quemadmodum enim bonum acetum, ante optimum fuit vinum; ita quoque in multorum contingit perversione, qui cum antea homines virtuosi et perfecti fuissent, demum pessimi fiunt, quia ut dicitur in Proverbio : *Corruptio optimi pessima.* Id quod in Judæis videre licet, qui cum tanquam populus a Deo electus, multis ab eo fuissent donis et gratiis locu-

[1] Deut., xxxii, 32. — [2] S. Pasch., *ib.* — [3] Chrys. s. 4 *in Fer.* V *Pass.* — [4] Taul., c. 48 *de Vit. et Pass.* — [5] Rup. Abb., l. XXIII *in Joan.*

[1] S. Ans., *in Matt.* — [2] Paul. de Pal., *ib.* — [3] Simon de Cass., *ib.* — [4] Luc. Brug., *ib.* — [5] Rup. Abb., *ib.* — [6] S. Bern., t. I, s. 55 *Princ.*

pletati; iis tamen abutentes, hæc omnia perdiderunt, adeo ut de illis vere dici possit : *Sicut lumen eorum, ita et tenebræ.*

**6.** — Nequaquam hoc loco prætereunda est moralis quædam, præsenti proposito nostro aptissima, quam Rabanus ex illo Numerorum cap. VII Nazaræis a Deo imposito præcepto eruit, in quo dicitur : *Acetum non bibant*; quis enim adeo est corrupto palato, qui acetum bibere appetat? Servit quidem acetum ferculis quibusdam parandis, condimenti loco, purum vero acetum nemo bibere amat. Ac proinde Rabanus merito litterali sensu relicto, ad mysterium recurrit, inquiens [1] : « Ace« tum bibunt, qui post vitæ sanctitatem, in vetus« tatem præteritorum vitiorum labuntur et cor« ruptioni veteris nequitiæ delectantur. » Ut igitur Christus ostendat, quanta cum nausea exhorrescat illos, qui postquam illuminati sunt et spiritum Dei degustarunt, ad pristina denuo peccata redeunt, quæ fuerant detestati; *cum gustasset, noluit bibere*; quia exhorrescit illos, « qui post vitæ sanctitatem « in vetustatem præteritorum vitiorum labuntur. »

## DISCURSUS XVIII.

### ALIÆ HUJUS ACETI, FELLIS ET HYSSOPI CONSIDERANTUR MORALITATES ET MYSTERIA.

IDEA SERMONIS. — 1. Christo irrisorie forte oblatus fuit ille potus. — 2. Lictores pietiosum vinum pro Christo præparatum epotarunt et ei obtulerunt, vinum felle mixtum. — 3. Christus hoc tormento potus aceti et fellis pro peccato primorum parentum satisfecit et passionem suam conclusit. Pulchrum exemplum fratris Minoris. — 4. Acetum adhiberi solebat ad sistendum sanguinem, sicuti et spongia. Spongia illa asservatur, Romæ. — 5. Christus in sua prædicatione propinavit lac et mel illi e contra ipsi acetum et fel. — 6. Christus suis fidelibus reliquit fel persecutionis et mortificationis.

*Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* Joan., XIX, 29.

**1.** — Inter alia, quæ regius propheta David in Psalmo XXI, de passione Christi expressit, unum quoque hoc fuit [2] : *Opprobrium hominum et abjectio plebis; omnes deriserunt me.* Quod vel maxime in hac occasione adimpletum fuit; siquidem postquam Christus ardentissimam sitim suam per verbum, *sitio*, insinuavit, milites subito eum deridentes, acetum felle mixtum ei obtulerunt. Unde Lucas Brugensis ait [3] : « Unus militum accepto poculo « pincernam agens, irridebat, rogabatque ut re« gem, an bibere vellet : sic Theophylactus Lucam « enarrans. » Sunt et alii auctores, qui dicunt, quod Judæi, ut subsannationem suam magis ridiculam efficerent, priusquam fel ei propinarent, Christo Domino suaserint, ut, ne vinum jejuno ejus stomacho noceret, prius oblatum sibi myrrhæ bolum, ori appositum, acciperet et manducaret.

**2.** — Inter alias perfidorum Judæorum transgressiones, hæc quoque apud Amos prophetam legitur [1] : *Vinum damnatorum bibebant.* Pro quorum verborum intelligentia sciendum est, quod quando rei educebantur ad supplicium, personæ quædam piæ et devotæ, vinum myrrhatum, aromaticum et generosum ex motivo pietatis et compassionis erga miseros illos, in illorum refrigerium præparare solitæ. Ac proinde quando Salvator noster in monte Calvario constitutus erat, referente S. Marco [2] : *Dabant ei bibere myrrhatum vinum et non accepit.* Est enim verisimile, devotas illas mulieres, quæ ipsum usque in prædictum montem secutæ fuerant, hoc ei vinum more solito præsentasse : quod tamen refrigerium Redemptor admittere nequaquam voluit. Verisimile quoque est, impios lictores et carnifices, bonum hoc vinum epotasse, et loco illius acetum felle mixtum substituisse, siquidem S. Matthæus ait [3] : *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum; et cum gustasset, noluit bibere.* Hæc omnia Dionysius Carthusianus insinuat, dum ait [4] : « Aliqui dicunt, quod piæ mulieres ex consuetu« dine contulerunt vinum damnatis ad mortem et « etiam Christo atque latronibus, dantes vasculum « vini ductori eorum. » Victor Antiochenus sequentem tradit aliam considerationem, inquiens [5] : « Cum milites multa nefaria, summa cum licentia, « in Jesum designarent (prout in magna insanien« tis multitudinis confusione fieri consuevit) unus « obtruderet hoc, alius illud, alius item aliud, etc.» S. Paschasius autem vinum myrrhatum, idem, quod felle plenum, fuisse existimat; ait enim : « Matthæus fel pro amaritudine posuit, quoniam « myrrhatum vinum amarissimum est. Quamquam « fieri potest, ut et fel, et vinum, et myrrham mis« cuerint, ut amarius esset, quatenus hæc potio « omnem amaritudinem eorum, in carne et anima, « seu spiritu exprimeret, per quam plane plena « passionis amaritudo designatur. » Lucas Brugensis carnificum impietatem hisce verbis insinuat [6] : « Videmus ex composito non agi cum « Domino Jesu, ut cum aliis damnatis morte, sed « omnia quæ excogitari queant ludibriorum ge« nera, in ipsum edi. Moris erat, qui et hodie apud « nos in usu est, ut sceleratis ad locum supplicii « adductis propinaretur vinum et quidem præstan« tissimum, juxta illud *Proverb.*, XXIV, vers. 6 « (sicut jam circa latrones observatum fuisse haud « dubium est) idque ut sitibundi, et ex itinere, « aliisque laboribus fatigati, animum reciperent

[1] RABAN., l. I *in Num.* — [2] *Ps.* XXI, 8. — [3] LUC. BRU., *in Matt.*

[1] AMOS, II, 8. — [2] MARC., XV, 23. — [3] MATT., XXVII, 34. — [4] DION. CARTH., *in Joan.* — [5] VICT. ANTIOCH., *in Marc.* — [6] LUC. BRUG., *in Matt.*

« prope exanimes; denique ut potu exhilarati, « mortem et minus considerarent, et facilius tole- « rarent. Judæi igitur, ea quidem specie, qua pium « morem observarent, re autem vera, ut Jesu rur- « sus illuderent, vappam evacidam, mucidam, at- « que acidam afferri curarunt; neque hoc solum, « verum etiam felle mixtam. Fel desiccatum, panis « loco, vappæ intriverunt, non ad confortandum « cor, sed ad affligendum fellis amaritudine Jesu « gustum, quem solum hactenus non læserant, ne « qua pars corporis ipsi esset cruciatu libera, deni- « que ne quid ipsi omitterent ludibrii. » Idem Lucas Brugensis super S. Marcum ita scribit [1] : « Ut Judæi Jesu odio flagrantes, curaverunt ad- « ferri vinum acidum felle mixtum; ita alii aman- « tes Jesum, attulerunt vinum præstantissimum « myrrhatum, de quo hic S. Marcus, Maria forte « Magdalena, aut soror ejus Martha, vel alia ex « illis, quæ Jesu ministrabant. Et non accepit, « noluit nec gustare. Prius propinatum sibi vinum « felle mixtum gustavit, quod Matthæus ait; sed « myrrhinum ne gustavit, quod nullam vellet ad- « mittere consolationem inter afflictiones, ut eo « copiosius pro nobis satisfaceret. »

**3.** — Porro cum Salvator post tenebrarum horas, jam jam exspiraturus dixisset : *Sitio,* præter vinum myrrhatum, quod ei priusquam crucifigeretur, propinatum fuit, acceptam spongiam, aceto felle mixto intinctam, ei per arundinem porrexerunt, ut biberet. Et quidem quo doloris sensu subsannatio hæc, et derisio a Redemptore nostro excepta fuerit, S. Bonaventura declarat, observans, quod mox, ut ei hoc acetum felle mixtum propinatum fuisset, omnia ejus tormenta, et cruciatus suo fuerint fine consummati : *Cum ergo accepisset Jesus acetum,* inquit Evangelista, *dixit* : *Consummatum est,* quia ut dictus S. Bonaventura ait : « Cum passus esset in « auditu per contumelias, in visu per lachrymas, in « tactu per plagas, non restabat, nisi ut pateretur « in gustu, et lingua, contra illam delectationem, « quam in esu pomi habuit Adam et Eva. » Cum enim primum peccatum gulæ in delectatione et gustu pomi commissum fuerit, Redemptor noster in fine Passionis suæ per hoc acetum hyssopo et felle mixtum, quo ultimum ei tormentum illatum fuit, expiare idipsum voluit. S. Laurentius Just., ait [2] : « A sæculo non est auditum, ut homini, lasso, « vulnerato, ac morienti, pro sitis refrigeratione « acetum, hyssopo et felle daretur mixtum. Exce- « dit totius humanitatis limites ista crudelitas. « Ingrati, scelesti, sine pietate, absque misericor- « dia, quod brutis impeditur, sitienti Dei Filio « denegarunt. » Meritissimo igitur jure dicere potuit [3] : *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Unde Ludolphus Carthusianus ex S. Hieronymo in cap. XIV S. Marci ita scribit [1] : « Hoc acetó succus lethalis « pomi abstergitur et non accepit id pro quo pati- « tur; unde de eo dicitur : *Quæ non rapui, tunc* « *exsolvebam.* » S. Augustinus in meditationibus suis Crucifixum his verbis alloquitur [2] : « Ego pomi « dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem. » Cui consonat illa S. Athanasii sententia, dicentis [3] : « Fel gustat, ut dulcedinem amaræ voluptatis « Adami sanet. » Porro cur Salvator acetum felle mixtum gustaverit quidem, non tamen deglutiverit, hujus Lucas Brugensis hanc assignat rationem [4] : « Indicavit, se non imbibisse antiqui serpentis ve- « nenum, sed solam peccati pœnam absque inte- « riori macula assumpsisse. » Devotissimus autem Blosius et hujus potus amaritudine, eximiam elicere novit spiritus suavitatem, dum in hæc devota verba prorupit [5] : « Victimam gulæ irritamenta et « carnis concupiscentias in me extinguas, facias- « que, ut impuræ et illicitæ delectationi nunquam « consentiam; sed ad gloriam nominis tui, cibum, « potumque sobrie sumam, te solum esuriam, te « solum sitiam, in te solo delecter. » P. Bollandus, B. Angelæ de Fulginio a Crucifixo Sponso suo hæc verba dicta fuisse refert [6] : Pro peccatis oris tui et gulæ tuæ, qua delectata fuisti in commensatione, et ebrietate, et ciborum suavitate, ego habui os fame et jejuniis, et siti tabefactum, et aceto, myrrha et felle amaricatum. Idem auctor de B. Antonio de Stronchone Ordinis Minorum refert sequentia [7] : In cœnobio carceris, summis etiam æstatis mediæ caloribus, calidam bibebat, absynthio temperatam, ut gustatum acrius cruciaret. Monentibus fratribus, ut frigidam potius biberet tali tempore, respondit, id nimium suo corpori molle ac delicatum fore. Annis 24 cum siti luctatus est. Dum a cœnobio carceris Assisium proficiscitur, nunquam a fonte, qui in ea via est, bibit, quamvis sæpenumero molestissima siti torqueretur, quam malebat in memoriam ac honorem sitientis in cruce Salvatoris tolerare.

**4.** — *Spongiam plenam aceto.* Lucas Brugensis ait [8] : « Milites aceto illo ad usus quos diximus. pa- « rato » (nimirum ad reos, si quando deliquium animi paterentur, confortandos; vel etiam ad sanguinem sistendum, naribus, vel vulneribus illud admovendo) « abusi sunt; nimirum ut Domino illu- « derent, illud sitienti potus loco propinarunt, quod « ad sitim accendendam, non extinguendam va- « let. » Porro quo fine acetum iis, qui ad supplicium ducebantur, adhibitum fuerit, in Annalibus Ecclesiasticis colligitur [9]. Nimirum, quia, ut, dictum est, virtutem habet sistendi sanguinem. Quo

[1] Luc. Brug., *in Matt.* — [2] S. Laur Just., *de Trium. Chr. agon.* — [3] *Ps.* LXXIII. 5.

[1] Lud. Cart., p. 2, c. 63. — [2] S. Aug., t. IX *Medit.* — [3] *S.* Athanas., q. 136 *ad Antioch.* — [4] Luc. Brug., *in Matt.* — [5] Blos., *Sacell. animæ, end.* 11. — [6] Bolland., 4 jan., fol. 4203. — [7] Idem, 7 feb., fol. 147. — [8] Luc. Brug., *in Joan.* — [9] Baron., an. 34, n. 124.

etiam fine spongia servit, et hyssopus, prout multis in locis Plinius affirmat, asserens, acetum, hyssopo conditum, sanguinem sistendi virtute pollere. Quod idem Dioscorides ibidem citatus his verbis confirmat : « Acetum erumpentem undecunque sangui-« nem potum sistit. » Idipsum Plinius de spongia vulneribus applicata testatur. Ac proinde quando reus aliquis crucifigendus erat, Judæi præcipua ad sistendum sanguinem in promptu habere solebant remedia; unde S. Joannes ait : *Vas ergo positum erat aceto plenum.* Baronius tamen verius esse censet, quod Theophylactus ex textu Græco eruit, scilicet, acetum hoc non purum fuisse, sed hyssopo commixtum, huncque liquorem, Christo per spongiam, eodem liquore imbutam, porrectum fuisse, non eo præcipue fine, ut liquorem illum biberet, sed ut idem vulnera ejus abluerentur, et manans inde sisteretur sanguis. Cujus indicium essse dicit, quod hæc spongia Romæ in Basilica Lateranensi, quasi aliquando sanguine tincta fuisset, ruborem quemdam adhuc in se retineat, quem semel imbibisset. Unde credibile esse dicit dictus Baronius, hanc spongiam vulnerum sanguine imbutam, prius fuisse expressam, et denuo aceto hyssopo condito intinctam, ori Redemptoris fuisse applicatam. Quod autem his ad sistendum sanguinem uti consueverunt Judæi remediis, id nequaquam ab eis humanitatis intuitu, sed potius ferali fævitia factum fuisse creditur, ut sic diutius pœnis, atque ærumnis cruci affixi detinerentur, ac demum crudelissima fractura ossium, ante solis occasum (ut mos erat) ad vesperum necarentur. Non desunt quoque auctores aliam opinionem sustinentes, scilicet acetum adhibitum fuisse ad velocius reis cruci affixis accelerandam mortem. Cajetanus etenim ait [1] : « Ratio hujus vasis « pleni aceto in promptu est, ut citius crucifixi mo-« rerentur; quod erat gratum militibus, et Judæis : « militibus quidem, ne diutius morarentur in custo-« dia : Judæis autem, quia debebant illo die « secundum legem sepeliri crucifixorum corpora, « ut patet *Deuter.cap.* XXI. » Eidem opinioni subscribit Dionysius Carthusianus inquiens [2] : « Milites vero « dederunt Christo acetum, ut citius moreretur, « sicque de ejus in cruce custodia expedirentur. » Consentit quoque Lyranus, dum super illa verba : *Vas ergo positum erat aceto plenum* : ita scribit [3] : « Illud enim portaverant milites, ut darent cruci-« fixis ad bibendum, ut per hoc citius morerentur ; « talis enim potatio aceti mortem accelerat cruci-« fixis, ut dicunt aliqui. » Ab hac pariter opinione Hugo Cardinalis non recedit, dum de militibus inquit [4] : « Tædebat eos tantum morari, » quasi diceret : et ideo per porrectum acetum accelerari ejus mortem volebant. S. Bonaventura similiter opinionem illam non reprobat [5], quin potius eadem multis aliis interpretibus communem esse asserit. Verum enim vero, quia Christus incredibili ardebat diutius patiendi siti, ideo *cum gustasset, noluit bibere*; ex intensissimo enim, quo pro nobis plus merendi extimulabatur desiderio, dolores suos in longum usque tempus prolongari cupivisset; nec gratum habebat ; quod manans e vulneribus sanguis sisteretur, sed potius illum totaliter desiderabat effundi, ut *copiosa esset apud eum redemptio*; maxime, cum *sine sanguinis effusione non fiat remissio* [1].

**5.** — *Spongiam plenam aceto obtulerunt ori ejus.* Ad melius intelligendam Judæorum erga Christum ingratitudinem, necessum est, ut æqua trutina ponderentur ex una bilancis parte fellis cum aceto, et hyssopo mixti, ingens nausea, et infinita amaritudo; ex alia vero parte constituatur illud Christo Judæis prædicanti a Spiritu Sancto attributum encomium, scilicet [2] : *Mel et lac sub lingua tua.* Christus autem in sua ad Judæos tam frequenter habita prædicatione, mel, et lac quasi auribus eorum instillabat. Hebræi vero pro hoc salutarium monitorum, et consiliorum propinato melle, et lacte, quo malos eorum mores reformare Christus satagebat, acetum et felle mixtum, inaudita cum ingratitudine, ministrarunt. Merito igitur S. Bernardinus in hæc verba exclamat [3] : « O implacabilis feritas Judæorum, quæ « linguam illam mellifluam, quæ docuerat dulcia « verba vitæ, in compensationem, imo potius in « vindictam, amarissimis saporibus, cruciasti, ut « claresceret, quod Judæi interius repleti erant odio « amarissimo contra Christum ! » Simon de Cassia diu ante prædictum sanctum eadem de re in hæc verba scripsit [4] : « Lingua quæ docuerat dulcia « verba vitæ, recompensationem habet in vino « myrrhato, alicujus animalis amarissimo felle mix-« to. » O injuriam atrocem, et inexcusabilem ingratitudinem ! inquit D. Chrysostomus [5] : « Mellis da-« tor cibatur felle, propinator fontium potatur « aceto. » Verum enim vero non est quod ingratitudinem detestemur Judæorum : inspiciamus nosmetipsos, et inveniemus, quod nos quoque Christiani sæpe sæpius multo deteriorem potum Salvatori propinemus, quam fuerit ille, qui ab ingratis Judæis eidem fuit exhibitus; nam ut S. Paschasius ait [6] : « Per acetum significatur corruptio vitiorum : nam « vinum per vitium, et incuriam frequenter in va-« sis arescit. » Taulerus quoque inter alia sic ait [7] : « Alii Christo instar Judæorum vinum præbent « felle mixtum. Hi sunt peccatores magni, quibus « adhuc voluntas adjacet male agendi ; qui tametsi « bona faciant opera, sunt tamen felle amarissimo « infecta omnia. De his Moyses dicit : *Uva eorum,* « *uva fellis, et fel draconum, vinum eorum.* Et S. Pe-

[1] CAJET., *in Joan.* — [2] DION. CARTH., *ib.* — [3] LYRAN., *ib.* — [4] HUG. CARD., *in Matt.* — [5] S. BON., s. 2 *in Par.*

[1] HEB., IV, 22. — [2] CANT., IV, 11. — [3] S. BERN., t. I, s. 55. — [4] SIMON DE CASS., l. XIII. — [5] CHRYS., s. 6 *de Pass.* — [6] S. PASCH., *in Matt.* — [7] TAULER., *de Vita et Pass.*

« trus ad Simonem Magum loquens, ait : *In felle « æmaritudinis video te esse, et cor tuum non est rec- « tum coram Deo.* » Idem quoque pius auctor alios considerat perversos fideles, Christum aceto pariter potantes ; ait enim : « In die adhuc æque felle, « et aceto affligitur, præcipue a Christianis omnibus. « qui veritatis quidem iter, ac Dei voluntatem ex- « ploratam habent, nec tamen faciunt quod debe- « rent. » Citatque illa regii prophetæ verba [1] : *Ego te plantavi vineam electam, quomodo conversa es, etc.* Subditque de nonnullis aliis : « Alii vinum quidem « Christo porrigunt, sed corruptum et acerbum, et « acidum, versumque in acetum ; hi sunt homines « leves, qui a mortiferis peccatis abstinent, sed a « quotidianis, et venialibus, sicut minime sibi ca- « vent, ita sæpissime in ea labuntur. » Ludolphus Carthusianus quoque ad spiritualem recurrens sen- sum, inquit [2] : « Acetum cum felle mixtum Domino « propinat, qui de male acquisitis Domino sacrifi- « cat. » Et paulo post subdit : « Vinum myrrhatum, « vel cum felle mixtum, est bonum opus cum culpa « factum ; quia sicut modicum myrrhæ vel fellis « bonum vinum corrumpit, sic modicum culpæ mo- « talis totum bonum opus destruit. » S. Paschasius aliam adducit moralitatem, inquiens : « Nos ei tunc « damus myrrhatum vinum bibere, atque acetum « cum felle mixtum, quando eum consopire credi- « mus, ne mala nostra videat. »

**6.** — Considerari quoque hoc loco potest, Deum Hebræorum populo de tali prospexisse terra, quæ mellis, et lactis scaturiebat abundantiam, copiam illis tribuendo bonorum temporalium in hac vita : nam *de pinguedine terræ fuit benedictio eorum.* Po- pulo autem Christiano fel suum reliquit, quia illum ad supremam prædestinasti Jerusalem, *ubi fluminis impetus lætificat civitatem ;* prisquam tamen ad illam perveniat, necessum est, ut hoc fel degustet, id est, ut passionem, et crucem ejus participet, et imitetur ; ac proinde Tertullianus de Redemptore nostro inquit : « Favos post fella gustavit, nec an- « tea Rex gloriæ a cœlestibus salutatus est, quam « Rex Judeorum proscriptus in crucem. » Fel nobis reliquit persecutionum, paupertatis, macerationum, mortificationum, jejuniorum, pœnitentiarum, ut nos doceat : *Quod si sustinebimus, et conregnabimus* : hoc enim fel passionum in ore habentes, unusquisque nostrum, ad supernam hæreditatem suspirans, Æterno Patri dicere poterit : *In manus tuas commendo spiritum meum.*

## DISCURSUS XIX.

### CIRCA SEXTUM VERBUM, IN CRUCE A CHRISTO PROLATUM, SCILICET, CONSUMMATUM EST, DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Notatur ratio temporis quo Christus dixit : *Consummatum est.* — 2. Quæritur an Christus omnes passiones sustinuerit. Dolores Christi majores fuerunt doloribus omnium Martyrum et unquam ab hominibus toleratorum. — 3. Illud *Consummatum est*, indicabat charitatem Christi ad supremum gradum pervenisse. — 4. Sicut peccatum consummatum generat mortem, sic passio Christi consummata destruxit peccata. — 5. Significavit Christus omnia consummata esse quæ requirebantur ad nostram redemptionem.

*Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit : Consummatum est.* Joan., XIX, 30.

**1.** — S. Joannes, qui tanquam testis ex auditu, sub cruce, una cum sanctissima Virgine, præsens adfuit, testatum facit, quod Christus hoc verbum, quod inter alia septem sexto loco prolatum fuit, scilicet, *Consummatum est*, tunc præcise dixerit, quando porrectum sibi acetum degustavit : *Cum ergo accepisset Jesus acetum dixit : Consummatum est.* Circa quæ verba Ludolphus Carthusianus ait [1] : « Acetoso et felleo poculo propinato, intulit : *Con- « summatum est,* tanquam si in gustu aceti, et « fellis, totius amarissimæ passionis consummata « plenitudo consisteret. » S. Leo quoque ad hujus temporis circumstantiam se reflectit, dum ait [2] : « Hinc jam degustato aceto, quod illa dabat vinea, « quæ ab Auctoris sui plantatione degenerans, con- « versa fuerat in amaritudine vitis alienæ, Domi- « nus, *Consummatum est*, ait, hoc est, completæ « sunt Scripturæ, non est, amplius quod insaniam « populi furentis expectem, nihil minus pertuli, « quam me passurum esse prædixi. » S. Bernardus similiter ita scribit [3] : « *Consummatum* quippe *est*, « id est, perfectum fuit testimonium Scripturæ, quæ « dicit : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea « potaverunt me aceto.* » Apollinarius in catena Græca super Joannem ait [4] : « Qui omnem malorum « tolerantiam pro nobis explendam susceperat, ubi « acetum biberat, ait : *Consummatum est* ; hoc nimi- « rum propositum adventus sui, atque omnium in « eo gestorum finem declarans : » nimirum ulti- mum tormentum, a Synagoga (quæ in multis Scrip- turæ locis vinea appellatur) illatum, hoc fuit, quod scilicet illum aceto felle mixto potarint ; ac proinde merito ait : *Consummatum est*, quia omnia pœnosæ passionis suæ tormenta finem acceperant ; et ideo S. Joannes immediate subjungit : *Et inclinato ca- pite, tradidit spiritum.* S. Cyrillus Alexandrinus in- quit [5] : « *Consummatum* jam esse Salvator dicit, quia « sæviendi Judæorum potestas in ipsum, per mor- « tem suam terminum habuit. Quid enim non ex- « cogitarunt, aut quid supremæ inhumanitatis re- « lictum sibi est ? Quis cædendi, quis contumelia- « rum modus non adhibitus ? Merito igitur, *Consum- « matum* esse ait. » Merito, inquam, morti jam vi-

[1] JEREM., II, 21. — [2] LUD. CARTH., *ib.*

[1] LUD. CART., p, 2, c. 63 *de Vit. et Pass.* — [2] S. LEO, s. 4 *de Pass.* — [3] S. BERN., *de Pass.* — [4] APOLLIN., *in Cat. græc. in Joan.* — [5] S. CYRILL., l. XII.

cinus ad acerbissimos se reflectens cruciatus, quos sustinuerat, quosque in separatione enimæ a corpore passurus erat, inquit : *Consummatum est*, quasi dicere volens, se jam supremum acerbissimi doloris sui culmen attigisse. Unde Lanspergius in Homilia quadam ait [1] : « Observa, quod multa terribiliaque « Christus legitur passus, nihil tamen terribilius, « nihil amarius, nihil quod majorem illi inferret « cruciatum, sustinuit, quam mortem : omnium « enim pœnarum acerbissima est mors, quæ cum « omnibus mortalibus, Christo tamen præcipue « erat amarissima, propter personæ dignitatem, « ac nobilitatem. Si enim propter naturalem incli- « nationem, quam in cœteris mortalibus habet « anima ad corpus, difficilis eorumdem est separa- « tio, multo erat hæc naturali modo difficilior in « Christo, atque pretiosior; utpote dum talis esse « unio solvenda, ubi anima tam digna, ab hoc « Christi corpore, cui utique Divinitas fuerat singu- « lari conjunctione in unitate suppositi unita, debe- « bat separari. » Taulerus quoque Christum Æterno Patri suo dicere voluisse meditatur, quod scilicet nihil sibi patiendum reliquum esset; ait enim [2] : « Fidelis hic servus, et prudens, Dominus Jesus « Christus, suo dixit Domino, ac Patri : *Consumma-* « *tum est. Opus consummavi, quod dedisti mihi ut* « *faciam. Quid amplius potui facere atque non feci?* « Ne unum quidem membrum mihi superest, quod « non labore, atque doloribus, fatigatum, atque « turbatum sit. Venæ meæ exaruerunt, sanguis « omnis effusus est, medullæ consumptæ guttur « meum clamando jam raucet. »

**2.** — S. Thomas in III. p. quemdam proponit articulum, in quo quærit [3] : « Utrum Christus omnes « passiones sustinuerit. » Et quidem pro ratione dubitandi auctoritatem adducit S. Hilarii, in lib. XII de Trinitate dicentis : « Unigenitus Dei ad per- « agendum mortis suæ sacramentum, consummasse « se omnes humanarum genus passionum testatur, « cum inclinato capite emisit spiritum. » Ipse tamen S. Doctor sequentem statuit conclusionem : « Passus « est Christus omnes passiones humanas, non qui- « dem secundum speciem, sed secundum genus; » cujus tamen conclusionis hanc subnectit declarationem : « Loquimur de passionibus ab extrinseco « illatis, quia passiones ab intrinseco causatas (sicut « sunt ægritudines corporales) non decuit eum pati. « Sed secundum genus passus est omnem passio- « nem humanam, quod quidem potest considerari « tripliciter. Quo modo ex parte hominum, a qui- « bus passus est. Passus est enim aliquid, et a gen- « tilibus, et a Judæis, et a masculis, et a fœminis; « ut patet de ancillis accusantibus Petrum. Passus « est etiam, et a Principibus, et a ministris eorum, « et a popularibus, secundum illud Psalmi : *Quare* « *fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* « *Astiterunt Reges terræ, et Principes convenerunt in* « *unum, adversus Dominum, et adversus Christum* « *ejus.* Passus est etiam a familiaribus, et notis, si- « cut patet de Juda eum prodente, et Petro ipsum « negante. Alio modo patet idem ex parte eorum, « in quibus homo potest pati. Passus est enim Chris- « tus in suis amicis, eum deserentibus. In honore, « et gloria, per irrisiones, contumelias ei illatas. In « rebus quia vestibus spoliatus est. In anima per « tristitiam, tædium, et timorem. In corpore, per « vulnera, et flagella. Tertio potest considerari « quantum ad corporis membra. Passus est enim « Christus in capite pungentium clavorum. In facie « alapas et in toto corpore flagella. Fuit etiam « passus secundum omnem sensum corporeum : « secundum actum quidem, flagellatus, et clavis « confixus : secundum gustum, felle et aceto pota- « tus : secundum olfactum, in loco fœtidorum ca- « daverum mortuorum (qui dicitur Calvariæ) appen- « sus patibulo : secundum auditum, lacessitus voci- « bus blasphemantium, et irridentium : secundum « visum videns matrem, et discipulum, quem dili- « gebat, flentes. » Idem Angelicus Doctor in articulo sequenti probare contendit, dolorem passionis Christi majorem fuisse omnibus martyrum tormentis, cunctisque, qui unquam alias ab hominibus tolerati fuerunt, doloribus; unde hanc statuit conclusionem : « Dolores, quos Christus passus est, omnes « excesserunt dolores, quos homines, pati possunt « in hac vita. » Idque ex pluribus probat capitibus; et primo quidem propter crucifixionem, quæ in partibus fit nervosis, et consequenter maxime sensitivis, præcipue ob pondus corporis, in cruce pendentis. Secundo dolor ejus excessivus fuit, propter dolorem internum, quia fundabatur super omnibus humani generis peccatis, pro quibus rigorosam exhibebat satisfactionem. Tertio dolor ejus, et angustia augebatur ex imminenti, electo a se, et dilecto sibi populo, extremo exterminio. Quarto, ex discipulorum multorumque aliorum, qui ipsum crucifigebant, scandalo, Quinto, ex delicata ejus complexione, utpote cujus corpus miraculose, et opera Spiritus Sancti in utero virginali efformatum fuerat, et in quo consequenter omnes sensus mirifice vigebant. Sexto, et anima ipsius, siquidem potentiæ ejus vivacissimæ erant. Septimo, quia cum in aliis reis dolor, rationabili aliqua consideratione mediante, quæ in portionem inferiorem redundet et influat, mitigari, et solatium aliquale accipere soleat, Christus e contra omni se consolatione privare volens, cuique virium permisit agere, quod est sibi proprium. Octavo denique immensi, et infiniti doloris ejus valde notabilis ratio hæc est : « Quia passio « a Christo voluntarie fuit assumpta propter ho- « minum liberationem, et ideo tantam quantitatem « doloris assumpsit, quanta esset proportionata ma-

[1] LANSP., h. 12 *de Pass.* — [2] TAUL., c. 49 *de Vita et Pass.* — [3] S. THOM., 3 p., q. 46.

« gnitudini fructus inde nascituri. » Lanspergius inquit [1] : « Christi mors omnium erat acerbissima, « eo quod solus ipse pro omnibus gustavit mortem, « atque ideo solus mortis acerbitatem, distinctim- « que singulas ejusdem, sive torsiones, sive pœnas « sensit : nos enim, antequam ad hoc tempus per- « venerimus, quando anima est egressura, sensi- « bus, viribusque deficimus, vis quoque apprehen- « siva, qua discernere inter pœnas deberemus, in « nobis tunc desiit. » Redemptor etenim noster omnes sensus suos, multoque magis potentias ani- mæ interiores vivacissimas habebat, tantumque vo- luntarie assumpserat dolorem, quantus pro ex- piandis *ex rigore justitiæ* omnibus generis humani infinitis peccatis abunde sufficeret. S. Bernardinus quoque Christum per hoc verbum, *consummatum est*, ad dolorum suorum supremum culmen alludere voluisse existimat, quasi dixisset, eousque se passum fuisse, ut amplius jam pati nequaquam posset. En ipsissima S. Bernardini verba [2] : « Consummatæ « sunt in ejus corpore, tempore passionis, omnes « augustiæ, omnes illusiones, omnes peregrinatio- « nes, omnes lassitudines, omnes fames, omnes vi- « giliæ, omnes pœnæ, omnes lachrymæ, omnia fla- « gella, omnia sputa, omnia suspiria, omnia desi- « deria. Et si considerantur omnia Christi membra, « omnia consummationem sui corporis manifestant. « Nam passus est in pedibus, non solum confixione « clavorum, sed etiam multa fatigatione itineris, « in suæ vitæ decursu, prædicando cum multo la- « bore. In tibiis, supportando corpus in laboribus « suis. In genibus, procidendo, ac genuflectendo. « In cruribus, corpus sustinendo. In omnibus junc- « turis, sæpe multo labore lassatus, utpote tener, et « delicatus, tam duris laboribus subditus, vigilando, « et orando, prædicando, clamando, super dura « stramenta, jacendo, imo sæpe in terra pernoc- « tando. Membra vitalia, et respirantia, sicut cor, et « pectoris concavum, et similia, extiterunt afflicta « in multorum suspiriorum, et gemituum assump- « tione pro salute nostra. Scapulæ, et costæ corpo- « ris, lateraque, et dorsum, in flagellatione fuerant « afflicta. Brachia dure ac stricte ligata. Humeri, « dura crucis portatione. Collum, chamo in eo « apposito, per quem ad majorem contumeliam « traheretur. Aures fuerunt oppletæ opprobriis. « Nares, fœtore horribili sputorum abominabilium « Judæorum. Genæ et facies tumefactæ, tam alapis, « quam percussionibus duris. Oculi fuerunt vela- « tione confusi, fletu multiplici eliquati, dum illas « diabolicas facies hostium suorum aspiciebat, ins- « pirantes in eum iracundiæ ignem. Demum cum « quodlibet membrum Christi acceperit passionis « supplicium, lingua quoque non fuit immunis in « amaro gustu abominabilis potus, tam fellei ante « crucifixionem, quam nunc in potu aceti, ut sic in « amaritudine omnia ejus consummata sint mem- « bra : unde merito clamat : *Consummatum est.* » Hactenus S. Bernardinus.

**3.** — *Consummatum est.* Charitas et amor Christi jam ad supremum usque pervenerant apicem, siquidem vitam suam non solum pro amicis, verum etiam pro persecutoribus et crucifixoribus suis pro- degerat, atque pro ipsorum salute apud Æternum Patrem suum intercesserat. Unde S. Bernardus opti- me arguit, inquiens : « *Majorem charitatem nemo* « *habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis* « *suis* : tu majorem habuisti, Domine, ponens eam « pro inimicis. » Porro, liber debiti totius humani generis debitoris apertus erat : extracti erant omnes computus, debitorumque et creditorum summaria, inventumque fuit credita, id est, merita Redemp- toris, debitum illud in immensum superexcedere, prouti ex sequentibus S. Pauli verbis facile deduc- citur ; ait enim hic Apostolus : *Et vos cum mortui essetis in delictis et præputio carnis vestræ, convivi- ficavit cum illo donans vobis omnia delicta, delens, quod adversum nos erat, chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Porro unica duntaxat pretiosissimi san- guinis sui stilla pro infiniti debiti nostri exsolutione abunde sufficiebat, nec tamen amoris sui sufficiebat immensitati : unde Chrysostomus ait : « Quod suf- « ficiebat Redemptioni, non satis erat amori : » et ideo Christo non sufficiebat dicere [2] : *Ego veni, ut vitam habeant*, nisi insuper adjungeret : *Et abun- dantius habeant.*

**4.** — *Consummatum est.* Consideratione dignum est, quod super hæc verba Simon de Cassia hisce verbis scribit [3] : « Sicut peccatum, cum consumma- « tum fuerit, generat mortem : sic mors Christi, « cum consummata fuit, destruxit ipsa peccata. « Unde Christus cum Scripturis consona voce cla- « mat : *Consummatum est*, ut eodem tempore, « atque mysterio, sit nequitia per excessum et jus- « titia per Dei Filium consummata ; quod ipse « David spiritu prophetico longe ante se vidisse « protestatur, dicens : *Omnis consummationis vidi* « *finem.* » Et vero debiti hujus a Redemptore facta exsolutio, adeo excessiva fuit, ut etiam ad ipsum- met atrocissimum delictum, quo carnifices eum cru- cifigebant, expiandum et abolendum abunde suffe- cerit ; cujus manifestus in eo patuit effectus, quia « revertebant percutientes pectora sua : ipso redem- « ti sanguine, quem fuderunt. » Idem Simon de Cassia ait : « Prædixerat David : *Consummetur nequi-* « *tia peccatorum* : nunc vero consummata est, quo- « niam nullo major nequitia, quam Dei Filium « interficere. » S. Hilarius super hoc verbum *con- summatum est*, ita scribit [4] : « Quia omne vitium

[1] Lansperg., *ib.* — [2] S. Bern., t. I, ser. 55, a. 1, c. 6, *Princ.*

[1] Coloss., II, 13. — [2] Joan., X, 10. — [3] Sim. de Cass., l. XIII. — [4] S. Hilar., can. 30 *in Matt.*

« humanæ corruptionis hausisset, ideo dicit : *Con-*
« *summatum est* : » in illo enim amarissimo passionis calice omnes humanæ malitiæ fæces deglutivit. S. Augustinus prædicta Psalmistæ verba : *Consummetur nequitia peccatorum*, ita exponit [1] : Tunc con-
« summata est, cum homines in ipsum Deum ausi
« sunt manus injicere. » Tametsi enim hoc debitum, a malitia humana contractum, insolubile esse videretur; pretium tamen sanguinis Christi tanti erat valoris (*empti estis pretio magno*) ut facta debiti cum credito collatione, hoc illo superius esse, illudque longe excedere, comperiatur. Ludolphus Carthusianus ejusdem verbi, *consummatum est*, genuinum sensum sequenti ingeniosa exponit similitudine, inquiens [2] : « Hoc verbum sextum magnæ
« perfectionis fuit, cum dixit : *Consummatum est*,
« per hoc insinuans, quod omnia consummaverat,
« quæ pro salute humana ipsum Christum pati, vel
« agere oportebat et exemplariter ; nam sicut bonus
« medicus primo pro infirmo dietam taxat : secundo
« sudorem procurat : tertio si predicta non sufficiunt,
« indicit minutionem, pro humorum correctione :
« quarto ministrat potionem, pro malæ materiæ
« evacutione : sic Christus (ut nos a morbo peccati
« salveret) nobis primo quadraginta diebus jeju-
« navit : secundo sudorem sanguineum pro nobis
« emisit : tertio per totum corpus suum minutio-
« nem celebravit, quando pro nobis totum sangui-
« nem suum abundantissime sine mensura fudit, sic
« quod corpus suum, in cruce pendens, tanquam
« cremium exaruit : quinto et ultimo, prædictis
« antidotis non contentus, potionem amarissimam
« sumpsit, quando pro nostra ægritudine fuganda,
« felle et aceto se potari permisit ; et ideo ratio-
« nabiliter dixit : *Consummatum est*, innuens per
« hoc, quod omnia compleverat, quæ pro nostra
« salute fienda erant. »

**5.** — *Consummatum est.* Lanspergius aliam insinuat expositionem, inquiens [3] : « Dixit autem : *Con-*
« *summatum est*, quasi simul omnia recolens, quæ
« passus fuerat, atque eadem omnia Patri in opus
« Redemptionis nostræ offerens, quasi diceret :
« Pater mi, omnia quæ mihi injuncta sunt a te,
« quidquid Scriptura, aut Prophetæ de me vaticinati
« sunt, quidquid in opus Redemptionis humanæ
« facere debui, quidquid denique humanæ est
« saluti necessarium, consummatum tibi offero.
« Nihil restat aliud, quam ut me jubeas venire ad
« te ; *opus enim consummavi, quod dedisti mihi, ut*
« *facerem.* »

**6.** — *Consummatum est.* Simon de Cassia sequentem habet circa hoc verbum considerationem ; ait enim : « Consummavit, ut prius recitat Prophetа-
« rum : Creator omnium Deus omnia opera sua in
« die sexto et die septimo requievit. Sic Christus in
« cruce sexto die omnia opera recreationis perfecit
« et requievit Sabbatho in sepulchro : » cui addi posset, quod inter septem verba sextum pariter hoc sit : *Consummatum est* : quod idem significat, ac : Perfeci omnia, quæ mihi injuncta fuerunt.

[1] S. Aug., *in Ps.* vii, 10. — [2] Lud. Carthus., *ibid.* — [3] Lansp., *Elucid. in Pass.*

## DISCURSUS XX

### ALIA EJUSDEM VERBIS : *Consummatum est*, EXAMINANTUR MYSTERIA

Idea sermonis. — 1. Christus Apostolis prædixerat hanc consummationem. — 2. Christus comparatur Noe et crux Arcæ. — 3. Omnia sacrificia 500 annorum in sacrificio crucis completa fuerunt. — 4. Consummate fuerunt figuræ V. T. — 5. Quænam consummaverit Christus. — 6. Christus insinuavit consummatum esse grave jugum V. L. — 7. Quænam ulterius per hoc verbum consummata intelligantur. — 8. Ex hoc verbo pulchra documenta moralia eruuntnr.

*Dixit* : *Consummatum est.* Joan, xix, 30.

**1.** — Quemadmodum cosmographi minutis punctis vastas regiones et subtilissimis lineis in mappa mundi navigabilia repræsentare solent flumina : ita quoque æterni Patris Verbum, unico verbo, valde tamen abbreviato, altissima et imperscrutabilia exprimere voluit mysteria, omnes scilicet pœnosæ Iliadis triginta trium annorum periodos : in hoc namque verbo *consummatum est*, omnes complentur Scripturæ, prophetiæ, cunctaque veteris Testamenti oracula, utpote quæ ad Incarnationem et Redemptionem suam, omniaque heroica facinora, ac miracula in vita patrata alludebant. Unde Ludolphus Carthusianus inquit [1] : « Sciendum quod con-
« summare idem est, quod simul summare, unde
« tunc aliquid consummatur, quando omnia singil-
« latim acta, vel passa, simul summantur, id est,
« in summa recolliguntur. Sic fuit in proposito,
« nam postquam Christus omnes pœnas passionis
« suæ sigillatim pertulerit et nihil aliud circa
« mortem patiendum restaret, tunc demum omnia
« perpessa rememorans, recollegit ea simul in
« unam summam et obtulit ea Deo Patri dicens :
« *Consummatum est*, quasi diceret : Consummatum
« est opus obedientiæ, quam assumpsi ; consumma-
« tum est opus totius passionis meæ, quod tibi Deo
« Patri meo offero pro salute humani generis :
« unde Apostolus : *Consummatus factus est omnibus*
« *obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* » Et ad Hebræos ait [2] : *Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum, ut gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum*

[1] Lud. Cart., *de Vit. et Pass.* — [2] Heb., ii, 10.

*per passionem consummare.* Ubi *consummare* idem significat, quod *complere, perficere,* vel *ad finem perducere*: id quod Redemptor noster tunc tanta cum punctualitate perfecit, ut Rupertus Abbas dicat[1]: « Illud mirandum est, in illis Dominicæ mortis « ministris, imo in illo, quo cuncta hæc disposita « fuerant, consilio divinitatis, quod tam ordinate, « tamque integre cuncta egerunt, ac si se cunctas « in illo juravissent implere voces Prophetarum. » Porro quidnam Christus per hoc verbum *consummatum est,* dicere intenderit, Lanspergius his verbis declarat[2]: « Quando Christus ad Patrem dixit: « *Consummatum est,* pro eo fuit, atque dixisset: « Pater omnipotens, quæ scripta erant de me, per- « feci omnia: quiquid injunxisti mihi, consumma- « tum est: hoc unum restat, mori et ad te redire. » Rupertus Abbas super S. Joannem commentando, in hæc verba scripserat[3]: « Quid consummatum « dixit, nisi quidquid propositum, vel dispositum « fuerat secundum Scripturas, eum pati? Ergo, « inquit, consummatum est, certamen obedientiæ « peractum est, ad summam cursus perventum « est: nunc demum gloriæ et honoris corona super « est. » Lucas Brugensis modum considerans, quem S. Joannes Evangelista in recensenda hac historia servavit, dum inquit: *Postea sciens etc.* in hæc verba scribit: « Declarat, quod non præter « expectationem acetum accepisset, sed ut conscius « omnium, quæ ipsi essent toleranda, ac quamdiu « toleranda, postremam hanc esse passionis suæ « periodum pronunciat, finemque ac terminum « adesse eorum, quæ pro humano genere pati « debuerat: *Consummatum est,* inquit, id est, « peracta et perfecta sunt omnia. » Huic expositioni subscribit quoque S. Bernardinus Senensis inquiens[5]: « In Christi passione et morte, consummatæ sunt « omnes Scripturæ, omnes prophetiæ: insuper con- « summata sunt omnia præcepta, omnia promissa, « omnia sacrificia. » Omnes enim Scripturæ sacræ, ad passionem Filii Dei alludentes, tunc perfecte adimpletæ fuerunt: id quod P. Ludovicus Granatensis insigne religionis Dominicanæ decus et splendor, in sua ad Symbolum fidei introductione, clare et diffuse probare nititur.

**2.** — Salvator noster apud S. Lucam, paucis ante diebus, Apostolis suis, simul cum ipso Jerosolymam ascendentibus, prædixerat, inquiens[6]: *Ecce ascendimus Jerosolymam et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis: tradetur enim gentibus et illudetur, et flagellabitur, etc.,* quo etiam respiciunt verba sequentia, quæ apud Isaiam leguntur[7]: *Consummatio abbreviata innundavit justitiam: consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Ubi per *medium omnis terræ,* juxta quorumdam opinionem, mons Calvariæ intelligitur, qui veluti est quidam terræ umbilicus, juxta illud regii vatis oraculum[1]: *Operatus est salutem in medio terræ*: huc quoque spectant verba illa Epistolæ ad Romanos[2]: *Verbum consummans et abbrevians in æquitate, quia verbum breviatum faciet Dominus super terram.* S. Hieronymus in commentario super Isaiam, pro nostra eruditione ita scribit[3]: « Vates transit ad « posteriora tempora (Isaias nimirum) et plenam « salvationem dicit esse sub Christo: quod et « Apostolus Paulus intelligit, scribens ad *Rom.*, « *cap.* IX, v. 25. Ubi ergo tanti viri præcedit auc- « toritas, cesset alia omnis interpretatio. »

**3.** — B. Laurentius Justinianus per Noe Christum Redemptorem nostrum præfigurari notat inquiens[4]: « Quod Apostolus palam per Dominum Jesum « completum esse commemorat, hoc idem Dominus « sub compendio expressit, inquiens: *Consumma-* « *tum est.* Confixus ergo in stipite Christus, tam- « quam propiator optimus, in nubibus elevatus est, « quemadmodum Noe sancto repromiserat, dicens: « *Arcum meum ponam in nunibus et erit signum* « *fœderis inter me et inter terram, cumque obduxero* « *nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus et* « *videbo illum et recordabor fœderis sempiterni, quod* « *pactum est inter Deum et omnem animam*: proinde « completis omnibus, quæ de adventu, nativitate, « prædicatione, passione et morte sua, sanctis « Patribus testamenti veteris, in figuris et ænigma- « tibus variis fuerunt præmonstrata, atque a sanctis « vaticinata Prophetis, ait: *Consummatum est.* » S. Cyrillus Alexandrinus per arcam Noe, crucem Christi intelligens, ait[5]: « Hæc est arca Noe, per « quam salvamur a diluvio inundantis aquæ vitio- « rum et incolumes servamur. » Eidem arcæ S. Augustinus diu ante crucis patibulum comparaverat, ad hoc specialiter reflectens, quod Deus ejusdem arcæ ostium in ejus latere fabricari præceperit; ac proinde subdit[6]: *Quod ostium in latere accepit, profecto illud est vulnus, quando latus crucifixi lancea perforatum est*: et paulo post eamdem arcam Ecclesiæ figuram fuisse ostendit, utpote « quæ fit salva per lignum, in quo pependit Media- « tor Dei et hominum, homo Christus Jesus. » Quod vero in hac figura vel maxime proposito nostro deservit, est forma, quam Deus Noe arcam fabricaturo præscripsit, inquiens: *In cubito consummabis eam*: ad quam formam alludens Simon de Cassia ita scribit[7]: « Perfecit Noe arcam in 100 « annis, quam uno consummavit in cubito, ut in « genus humanum salvaretur ibi, duntaxat octo « animabus reservatis. Consummavit Christus in

[1] RUP. ABB., *ib.* — [2] LANSP., *ib.* — [3] RUP. ABB., *in Joan.* — [4] LUC. BRUG., *ib.* — [5] S. BERN. SEN. — [6] LUC., XVIII, 31. — [7] ISA., X, 22.

[1] *Ps.* LXXIII, 12. — [2] ROM., IX, 28. — [3] S. HIER., l. IV *in Isa.* — [4] B. LAUR. JUST., *de Triumph. Chr. agone.* — [5] S. CYR. ALEX., l. XVI *in Joan.* — [6] S. AUG., l. XV *de Civ. Dei.* — [7] SIM. DE CASS., l. XIII.

« cruce salutem totius humani generis, si merito « justo fuisset accepta in cunctis præcedentibus, « similiter et suscepta in sequentibus singulis, « quam salutem in cruce, velut Noe in arca et « crucem et passionem asperam in unitate fidei « consummavit. »

**4.** — *Consummatum est.* Omnia sacrificia per quinque millium et amplius annorum spatium vero Deo oblata, umbræ erant et figuræ sacrificii illius incruenti, quod Christus æterno Patri suo in ara crucis obtulit : quæ proinde omnia hic consummata sunt, suumque complementum et adimpletionem habuerunt. Unde S. Leo ait[4] : « Inter omnia opera « misericordiæ Dei, quæ ab initio saluti sunt im- « pensa mortalium, nihil est mirabilius, nihilque « sublimius, quam quod pro mundo crucifixus est « Christus. Huic enim sacramento universa præce- « dentium sæculorum mysteria servierunt et quid- « quid hostiarum differentiis in propheticis signis « et legalibus institutis sacra dispensatione varia- « tum est, hoc prænunciavit dispositum, hoc promisit « implendum ; et nunc imaginibusque figurisque « cessantibus, hoc prosit credere jam effectum, « quod ante profuit credidisse faciendum. » Idem sanctissimus Pontifex in sermone VIII, ait : « Nunc « carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes « differentias hostiarum una corporis et sanguinis, « tui implet oblatio, quoniam tu es verus agnus « Dei, qui tollis peccata mundi : et ita in te uni- « versa perficis mysteria, ut sicut unum est pro « omni victima sacrificium, ita unum de omni « gente sit regnum. »

**5.** — *Consummatum est* ; quia adimpletum est mysterium costæ ab Adamo desumptæ, ex qua Eva formata fuit. Adimpleta fuit figura innocentis Abelis, a maligno fratre, id est, ab invido Hebræo- rum populo occisi. Consummata fuit figura Isaac, super ligna positi, ut a patre sacrificaretur. Con- summata fuit figura Davidis, qui baculum manu tenens, id est, crucem, quinque lapidibus, id est, quinque vulneribus, superbum Goliath prostravit. Consummata fuit figura serpentis ænei in deserto super palum suspensi ; et sic de innumeris veteris Testamenti figuris discurrere licet.

**6.** — *Consummatum est.* Ludolphus Carthusianus varias hujus verbi tradit interpretationes ; ait enim[3] ; « *Consummatum est,* id est, totum completum est in « opere, etiam usque ad aceti potum, quidquid de « me Lex et Prophetæ prædixerant et quidquid de « me scriptum erat. Omnis pœna et omnis pugna « consummata est, et completa, omnisque labor et « dolor, quem suscipere veneram est finitus. Tem- « pus quoque quo inter homines esse debui, ad « honorem Dei Patris et utilitatem fidelium, est « completum ; et obedientiam. quam dedit mihi « Pater, perfecte complevi. » Adducensque aucto- ritatem S. Augustini subdit : « Dixisti, Domine « *Consummatum est.* Consummatæ enim erant vati- « cinia Prophetarum, figuræ hostiarum, acerbitas « et diversitas pœnarum, emendatio culparum. »

**7.** — *Consummatum est.* Finem enim suum lex scripta accepit, quam Augustinus *sarcinam innume- rabilium observationum* appellat ; qui et alibi de ejusdem onoroso pondere disserens, in c. IX. Epistolæ ad Romanos ita scribit : « Remotis innu- « merabilibus et multiplicibus sacramentis, quibus « Judaicus populus premebatur. » Unde et S. Pe- trus, ut quæ inter vetus Testamentum et legem gratiæ intercedit, ostendat differentiam, legem veterem claris verbis jugum insupportabile appel- lat, inquiens [1] : *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri neque nos portare potuimus* ? Hæc autem lex tunc finem suum ultimum accepit, quando Christus di- xit : *Consummatum est* : post ejus namque mortem nova lex Evangelica promulganda erat S Gregorius rationem insignans, cur primo Psalmo pœnitentiali tituli loco hæc verba præmittantur : *In finem,* inquit [2] : « Christus finis dicitur, quia est consum- « matio legis et Prophetarum ; sicut ipse pendens « in cruce testatus est, cum aceto et felle potatus, « dixit : *Consummatum est.* » Status enim perfec- tionis novæ legi reservabatur, nam ut S. Paulus ad Hebræos scribit [3] : *Nihil ad perfectum adduxit lex* : nobis autem Christus dixit [4] : *Ut sitis perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Et ideo Apostolus ad eosdem Hebræos scribens, in persona Dei ait [5] : *Ecce dies venient, dicit Dominus et consummabo super domum Israel et super domum Juda Testamentum novum* : pro quo novo Testamento stipulando, In- carnata Sapientia 33 annis hic in terris nobiscum commorata, per sanctorum operum suorum exem- plaritatem, Evangelii prædicationem et præclara nobis relicta dogmata, ultimam suam voluntatem, æterni Patris sui voluntati conformem, nobis tra- dere et relinquere voluit ; cumque Testamentum hoc cum omnibus suis requisitis solemnitatibus compilando absolvisset, in ipso momento, quo jam jam expiraturus erat, dixit : *Consummatum est,* id est, perfectum et conclusum est.

**8.** — *Consummatum est,* id est, ut Simon de Cas- sia exponit [6] : « Impletum est paternum imperium « perfectum est filiale obsequium, adimpletum est « desiderium Patrum, destructum est dæmonum « dominium violentum. » Mors enim et infernus suam in mundo tyrannidem exercentes, utrique victi et debellati fuerunt. Unde apud Oseam ait Dominus [7] : *O mors ero mors tua, morsus tuus ero in- ferne.* Paulo post vero, quando Salvator *descendit*

[1] Act. Apost., XV, 10. — [2] S. Greg., *in Prologo Psal. Pœnit.* — [3] Hebr., VII. 19. — [4] Matt., V, 48. — [5] Heb., VIII, 8. — [6] Sim. de Cass., *ib.* — [7] Ose., XIII, 14.

[4] S. Leo, s. 3 *de Pass.* — [3] Id., s. 8 *ib.* — [3] Ludolph. Cart., *ib.*

*ad inferos*, limbus Patrum omnes ibidem depositas animas justas sine mora dimisit et mors multa mortuorum cadavera vitæ restituit, dicente sacro textu : *Multa corpora resurrexerunt*. Præterea apud Danielem prophetatum fuit : *Ut consummetur prævaricatio et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas*. Porro Lucas Brugensis sequens movet, pariterque solvit dubium, inquiens [1]:« Roget quis, « quomodo consummata esse omnia Salvator pro- « nunciet, cum mors præcipuum omnium obeunda « restet. Respondeo, sic Dominum Jesum loqui de « iis quæ ante mortem ferre debuerat, ut mortem « ipsam jamjam imminentem complectatur, quasi « diceret : Consummatum, impletumque est, quid- « quid pro hominum salute in hac mortali vita, aut « agendum mihi, aut tolerandum mihi fuerat ; « nihil restat, nisi ipsa mors : tempus est igitur, « ut animam ponam : nihil opus est diutius vivere, « quo circa *Pater, in manus tuas commendo spiritum* « *meum*. Mors enim mox subsecuta declarat, Domi- « num hæc dicere voluisse. » Ac proinde per anticipationem hoc dicit, priusquam expiraret, siquidem jam mortuus idipsum dicere non potuisset : « Pro- « ferre idipsum expediebat, ut significaret mortem « suam, consummationem legi, perfectionem, « finemque daturam ; neque casu accidisse, ut « moreretur, sed ea sane ratione, tempore, ac « circumstantiis omnibus, quibus erat a Deo dispo- « situm et a Prophetis in Scripturis prædictum. »

**9.** — *Consummatum est.* Lanspergius circa hoc verbum sequens nobis insinuat morale documentum, inquiens [2] : « Hic discendum est, ita a nobis « esse vivendum, ut in ultima hora vitæ nostræ « securi, atque cum gaudio conscientiæ dicere « possimus : *Consummatum est* ; hoc est, quidquid « me Deus agere, patique voluit, finem habet : « omnia perfeci, omnia toleravi, nihil mihi supe- « rest aliud, quam ut egrediar ad Dominum Deum « meum, a quo coronam vitæ recipiam. Hoc Paulus « audebat dicere, *bonum*, inquit, *certamen certavi,* « *cursum consummavi, fidem servavi, reposita est* « *mihi corona justitiæ*. » Etenim ut Ludolphus Carthusianus ait [3] : « Non est præmium in inchoa- « tione, sed in consummatione. » Huc quoque spectat doctrina S. Bernardi, ad propositum nostrum ita scribentis [4] : « Sicut caput nostrum pro peccatis « nostris acerbitatem sustinens passionis, usque ad « consummationem, id est, usque ad perfectionem « omnium Scripturarum, quæ de ipso erant, per- « severavit patienter, ita et nos, si hujus capitis « membra esse volumus, in omnibus adversitatibus « nostris virtutem perseverantiæ conservemus, ut « ad finem omnium passionum nostrarum, ipso « benigno Jesu duce, venientes, cum ipso confi- « denter possimus dicere : *Consummatum est* ; hoc « est, tuo adjutorio, non mea virtute, *bonum* « *certamen certavi, cursum consummavi, fidem* « *servavi* : redde ergo, quod legitime certantibus « in agone, te promittente, repositum est, scilicet « coronam justitiæ, quam tu justus Judex reddes « in illa die. » Idem mellifluus Doctor alio in loco observat, adeo dignam et necessariam esse hanc perseverantiæ virtutem, ut ipsemet Filius Dei eamdem ad finem usque habere voluerit, ut generis humani Salvator esset. Unde cum Judæi dicerent : *Si Filius Dei est, descendat de cruce, et credimus ei* ; ipse tamen constanter in cruce persistere elegit [1] : « Imo vero, » inquit S. Bernardus, « si descendis- « set, neminem salvum fecisset ; cum enim salvus « esse non possit, nisi qui perseveraverit usque in « finem, quanto minus poterit esse Salvator. » Ludolphus Carthusianus hujus verbi occasione corporale nobis quoddam tradit remedium, inquiens [2] ; « Quod verbum magnæ efficaciæ esse in periculis « perhibetur ab expertis et specialiter valere dici- « tur in immoderato fluxu sanguinis e naribus, si « cum eodem sanguine scribatur idem verbum in « fronte patientis ; et non mirum, si tantum effi- « caciæ sit verbum istud, in quo tota summa Pas- « sionis Christi continetur. » Hæc tamen doctrina præsupponit, idipsum ex fide, non vero ex superstitione fieri.

[1] Luc. Brug., *in Joan.* — [2] Lansp., h. 51 *de Pass.* — [3] Lud. Carth., *ib.* — [4] S. Bern., c. 14 *de Pass.*

## DISCURSUS XXI.

SUPER ULTIMUM VERBUM, SCILICET : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum,* RATIOCINATIO INSTITUITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus primum et ultimum verbum a verbo *Pater* exorsus fuit. — 2. Hujus adducitur ratio. — 3. Primum verbum quod a Verbo incarnato fuit prolatum, erat verbum ; Pater. — 4. Centurio ex clamore Christi conversus agnovit illum esse filium Dei. Affertur ratio magni clamoris Christi. Rationes quare Centurio crediderit Christum esse Filium Dei. — 5. Quare Christus appellaverit Deum nomine Patris. — 6. Continuatur eadem materia. — 7. Doctrina moralis qua instruimur de cura felicis mortis.

*Jesus ait* : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Luc., XXIII, 46.

**1.** — Ex omnibus septem verbis, ab incarnata et crucifixa Sapientia e cathedra crucis prolatis, hoc ultimum fuit : *Pater, in manus tuas, etc.* Et quidem sicut primum verbum : *Pater, dimitte illis, etc.* suum ab hoc suavissimo Patris nomine principium habuit, ita per illud ipsum Patris nomen, ultimum verbum exorsus fuit, ut toti mundo innotesceret, quod a primo vitæ suæ exordio, usque ad ultimum

[1] S. Bern., s. 1 *de Pasch.* — [2] Lud. Carth., *ibid.* — [3] Isa., LIII, 8.

spiritum, tamquam obedientissimus Filius, voluntati paternæ adimplendæ totaliter intentus fuerit : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me.*

**2.** — Æternus Christi Genitor apud Isaiam dixerat : *Propter scelus populi mei percussi eum.* Et apud eumdem prophetam bis eadem verba leguntur : *Vidimus eum despectum.* Ac proinde merito quis suspicari potuisset, Patrem in eo non amplius, sicut in Jordane et Thabor, tamquam in dilecto Filio suo sibi complacere (*Hic est Filius meus dilectus*) maxime cum ipsemet Filius alta voce clamarit : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quapropter Filius necessarium esse duxit, palam facere omnibus, nihil sibi propter hoc filialis reverentiæ suæ diminutum esse, utpote qui tamquam Patri suum recommendabat spiritum, eumdemque in manus illius resignabat.

**3.** — Regius propheta in persona Christi ait [1] : *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui.* Hunc autem librum superius, in Tractatu primo Ærarii hujus, Discursu tertio, ipsummet crucifixum esse ostendimus ; cujus prima pagina verbum *Pater* continet, siquidem prima Christi lectio, quam e crucis cathedra tradidit, hæc fuit : *Pater, dimittis ille, etc.* Idem quoque nomen *Patris* ultimum fuit, quando ait : *Pater in manus tuas, etc.* Porro primum verbum, quod ab hoc Patris Verbo, ab hac increata et incarnata Sapientia in mundo auditum fuit, teste S. Luca Evangelista, æternum suum Genitorem exprimebat. Qua de re Didacum Stellam auscultemus, hæc in verba disserentem [2] : « Observa, quod primum « verbum, quod Evangelista Lucas Christum pro- « tulisse dicit in mortali corpore, fuit : *Nesciebatis, « quod in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* « Sic etiam ultimum verbum fuit : *Pater, in manus « tuas commendo spiritum meum* ; nam statim exspi- « ravit post hæc verba, ut intelligas ab extremis « media verba pendere, ad declarandam et pro- « pagandam fidem æternæ processionis suæ a Pa- « tre. » Inter alias quoque accusationes, quibus ipsum in tribunali Præsidis Pilati, tamquam mortis reum, convincere nitebantur, hæc præcipua fuit, quia scilicet *Filium Dei se fecit.* Similiter ideo punctum Christo, coram Caipha pontifice præsentato, propositum et discussum fuit ; cumque Salvator se Filium Dei esse apertis verbis declarasset, Caiphas ipsum blasphemasse existimans, vestimenta sua discidit. Cumque idem assertum diluculo matutino in pleno Concilio Synedrin ratificasset, omnes eum unanimiter ad Pilatum perduxerunt, ut mortis contra eum sententiam pronunciari curarent. Sub cruce pariter [3] : *Principes sacerdotum illudentes, cum scribis et senioribus dicebant : Confidit in Deo, liberet nunc, si vult, eum, dixit enim ; quia Filius Dei, sum.* Merito igitur ad ultimum usque spiritum incredulis illis, se Filium Dei esse, manifestare voluit, dicendo : *Pater in manus tuas, etc.* ne ulla ratione excusare se possent.

**4.** — Observandum porro est, quod S. Lucas hanc expresserit circumstantiam : *Et clamans voce magna Jesus ait : Pater in manus tuas commendo spiritum meum, et hæc dicens, exspiravit.* Moxque subjungit : *Videns autem centurio, quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens : Vere hic homo justus erat.* Imo S. Matthæus eum insuper dixisse ait [1] : *Vere Filius Dei erat iste.* Hinc enim videmus hominem idololatrum, fide sua illum præcessisse populum, de quo regius Vates dixerat : *Notus in Judæa Deus : Facta est Judæa sanctificatio ejus;* postquam enim Christum, dum jamjam moriturus erat, alta voce audisset clamantem : *Pater in manus tuas, etc.* mox eumdem verum Dei Filium esse confessus fuit et quidem Divinitatem ejus arguere cœpit ex elatione vocis editæ in ultimo articulo mortis, divinam vero ejus filiationem ex eo apprehendit, quia scilicet Deum, qui in cœlis est, tamquam verum Patrem suum invocabat. Lucas Brugensis de Redemptore nostro ita scribit [2] : « Palam ostendit se mori, non « violenter, quasi nequiret seipsum diutius in vita « servare, sed propria voluntate ; nam qui mori- « bundus valuit clamorem edere ingentem, valuit « et a morte se servare : impossibile est enim, ut « a clamore valido statim quis moriatur, siquidem « morte lenta interficiatur ; nam qui simul confo- « ditur gladio, nihil mirum, illum clamare simul « et mori ; absque viribus autem et laterum robore, « impossibile est altum clamorem edere. » Forsitan quoque mens Centurionis illustrata fuit, ut intelligeret et crederet id, quod deinceps S. Hieronymus vel quisquis alius Commentarii super Marcum auctor est, in hæc verba scripsit [3] : « Cum ima voce, vel « sine voce morimur, qui de terra sumus. Ille vero « cum exaltata voce expiravit, qui de cœlo descen- « dit. » Victor Antiochenus aliam hujus clamoris reddit rationem, scilicet, quod morte superior existat, utpote qui tamquam Deus, vitam et mortem in manu sua habet [4] : « Per hoc factum, » inquit, « Dominus Jesus demonstrabat, se totam vitam, « mortemque suam, in libera sua potestate posi- « tam habuisse. » S. Paschasius quoque super Matthæum ita scribit [5] : « Clamat qui ad auram post « meridiem ambulat in Paradiso, clamat, inquam, « ac dicit : *Adam ubi es?* Sed hic voce magna cla- « mat, quod contra naturam, ut ita dicam, morien- « tium est ; unde quærendum, in quo fuerit magna « Christi vox, utrum ne solummodo sonitu clamo- « ris, an magna in mysterio. Ubicunque in Scriptu-

[1] Ps. XXXIX, 9. — [2] DID. STELLA, *in Luc.* — [3] MATTH., XXVII, 9.

[1] MATT., XXVII, 55. — [2] LUC. BRUG., *in Matt.* — [3] S. HIERON., *in Marc.* — [4] VICT. ANT., *ib.* — [5] S. PASCH. *in Matt.*

« ris sacris clamor Jesu, aut clamor Dei, aut clamor « Sapientiæ legitur, semper aliquod magnum et « ineffabile sacramentum intelligere oportet. » Porro Centurio paganus in momento effectus est fidelis ex auditu et visu [1] : *Fides ex auditu. Videns quod sic clamans exspirasset, ait: Vere Filius Dei erat iste.* Considerans namque hanc vocis exaltationem effectum quemdam esse humana fragilitate, eo præcipue tempore, quo illa in procinctu est, ut deficiat, longe superiorem; atque insuper Christum audiens dicentem : *Pater in manus tuas, etc.* ipse, utpote de numero ovium illarum existens, de quibus Pastor æternus dixerat : *Oves meæ vocem meam audiunt,* subito ei fidem adhibuit : *Captivavitque intellectum in obsequium fidei* ; ad quod tanto facilius disponi potuit, quanto ei proprius notum erat, Redemptorem nostrum in universa Judæa, fama sapientiæ, sanctitatis et virtutis hactenus clarissimum omnique humana conditione superiorem ab omnibus habitum fuisse, idque vel maxime propter miracula, quæ frequenter patrabat; sic enim et alius quidam centurio, occasione infirmitatis servi sui ad Christum accedens, eumdem plusquam hominem esse confessus fuerat, dum ait : *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum : dic tantum verbum et sanabitur puer meus.* Credibile est igitur, hunc centurionem, qui dixerat : *Vere Filius Dei erat iste,* nequaquam sibi persuadere potuisse, Christum, in extremo mortis articulo positum, arroganter fuisse mentitum, dum Deum Patrem suum appellans, Filium Dei se declarabat. Cui accedit, quod idem centurio probe sciverit, Pilatum ipsum pronunciasse innocentem, tametsi metu tumultuantis illius populi eumdem condemnarit ; intelligebat quoque imo manu quasi palpabat, Hebræorum malignitatem, ac proinde sine dubio intra se verissimum esse cogitabat, *quod per invidiam tradidissent eum.* Admiratus insuper fuerat densam tenebrarum caliginem, quæ universum mundum per trium horarum spatium obduxerat, nec non terribilem illum terræ motum, scissuras petrarum, omnium denique elementorum perturbationem ; atque ideo in has voces prorupit : *Vere Filius Dei erat iste.* Salmeron ait [2] : « Solent postrema verba parentis, « aut sapientis alicujus, qui jam animam agit et « morti est vicinus, ab stantibus magna diligentia « observari, quod ut plurimum eo temporis mo- « mento, non nisi vera et solida, et quæ intus « homines sentiant, loquantur, quasi jam prodeant « a spiritu, omni prorsus sensu corporis destituto. » Et ideo Christus in cruce pendens non solum in primo, sed et in ultimo verbo, cœlo, terræque manifestum facere voluit, quod tamquam verus Dei Filius et consequenter tamquam generis humani Redemptor et Salvator, ac promissus Messias moreretur. Unde Lucas Brugensis ait [1] : « Deum ad « hæc Patrem suum esse affirmare etiam in extre- « mo vitæ spiritu constitutus pergit, mortem op- « petens in confessione ejus, quod Dei Filium se « dixerat. »

**5.**— *Pater.* Salmeron inquit [2] : « Hujus dulcissimi « nominis memoria inter tot tormenta ac pœnas delec- « tatus est. » At vero dices fortasse : nunquid Pater erat ille, qui Christum in mortem tradiderat, quique apud Isaiam dixerat : *Propter scelus populi mei percussi eum* ? Quo igitur motivo ductus, Patrem illum appellat, sibique in hoc nomine complacet, quod amorem, non vero rigorem insinuat ? Respondeo, in primis certissimum esse illud divinum oraculum, quo dicitur [3] : *Flagellat omnem filium, quem recipit;* præterea perlibenter, ac spontanee omnes in se assumpserat culpas et pœnas, pro his nobis debitas ut divinæ satisfaceret justitiæ. Et quia [4] *multa sunt flagella peccatoris,* ideo nequaquam dolebat, quin potius gaudebat plurimum, quod Pater in summum beneficium nostrum illum percuteret. Ac proinde percussio illa amorem et reverentiam Patri debitam necquidquam diminuit. Unde Salmeron ait [5] : « Patrem appellat, suam erga Deum pietatem « omnibus testatam faciens et se non minus eum « diligere, quam faciat obsequentissimus Filius « erga pientissimum parentem ; ut ostendat, se « nec ulla tormentorum acerbitate a filii pietate « et amore erga parentem suum dimoveri po- « tuisse. » Propter hæc igitur et alia mysteria, Deum Patris nomine appellavit.

**6.** — *Ait Jesus, Pater.* Auctor operis imperfecti rationem assignat, cur cœlestis Magister noster, principio Orationis Dominicæ, nos Deum sub patris nomine invocare docuerit, volueritque, ut diceremus : *Pater noster, qui es in cœlis*; ait enim [6] : « Pa- « trem se magis, quam Deum voluit dici, ut nobis « magnam fiduciam daret ad petendum et spem « largam ad impetrandum. » Chrysologus quoque ait [7] : « Cum patrem postulat, multa prece filius « non laborat. » Quia igitur Christus, dum ait : *Pater in manus tuas, etc.* in procinctu erat, ut humanam redemptionem perficeret, divinam justitiam placaret, hominemque reconciliaret cum Deo, eidemque de toto rigore justitiæ pro innumeris debitis nostris per sanguinis et mortis suæ pretium satisfaceret : ideo ultimam supplicationem suam ab hoc patris nomine exordiri, eamque corroborare voluit. Idipsum S. Apostolus Paulus quoque insinuare intendit, dum ad Hebræos in hæc verba scripsit [8] : « Qui in diebus carnis suæ preces, sup- « plicationesque ad Deum, qui possit illum salvum « facere a morte, cum clamore valido et lachrymis « offerens, exauditus est pro sua reverentia ; et

[1] Rom., X, 17. — [2] Salm , t. X, tr. 40.

[1] Luc. Brug., *in Luc.* — [2] Salm., *ib.*— [3] Heb., xii, 6. — [4] *Ps.* xxxi. 1. — [5] Salm., *ib.* — [6] Auct. *Imperfect.* — [7] Chrys., s. 171. — [8] Heb., v, 7.

« quidem cum esset Filius Dei, etc. » Ut igitur majori cum facilitate et efficacia exaudiretur, non dixit : *Deus, Deus meus,* prout antea dixerat, sed : *Pater in manus tuas, etc.* Nam ut S. Augustinus ait [1] : « Hoc nomine charitas excitatur. »

**7.** — *Ait Jesus, Pater.* Porro Judæi coram Pilato uno ore clamaverant : *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Similiter Christum velut caput et antesignanum latronum condemnari fecerant, ut verificaretur illud Prophetæ : *Cum sceleratis reputatus est.* Denique eum in indignatione Dei positum esse credebant, dicentes : *Si Filius Dei est, liberet eum.* Merito igitur Christus Deo se recommendans, Patrem illum appellavit, ut unicuique manifestum fieret, ipsum non mori tamquam talem, qualem Judæi ipsum esse opinabantur. Unde Lucas Brugensis ait [2] : « Accessit, quod idcirco « clamore sit usus magno, ut ab omnibus sermo « ipsius intelligeretur, nec ut facinorosus, sed ut « pius, Deique studiosus mori agnosceretur et pie « moriendi exemplum omnibus relinqueret ; non « enim clamorem edidit informem et rudem, sed « articulate clamavit hæc verba : *Pater in manus « tuas, etc.* »

**8.** — *Ait Jesus* : *Pater.* Nimirum cœlestis Magister noster, nostrarumque animarum Salvator, his verbis docere nos voluit, quod spiritum et animam a Deo Patre nostro creatam in extremis eidem commendare, inque ipsius manus deponere debeamus : *Nunquid enim non ipse est Pater tuus, qui fecit et creavit te* ? Unde et sancta illa heroina, septem filiorum Machabæorum mater, iisdem dixit : « Neque ego spiritum et animam donavi vobis et « vitam, sed mundi Creator. » Et S. Augustinus « ad cœlestem hunc Patrem se vertens, dicebat : « Creasti nos Domine ad te. » Sancta quoque Mater Ecclesia quotidie in Completorio hæc verba dici ordinavit : *In manus tuas Domine, commendo spiritum meum* Cui enim majori cum sollicitudine et fiducia animam nostram recommendare poterimus, quam Deo Patri nostro, qui illam creavit, eandemque sanguinis Filii sui pretio redemit, et sanctificavit ? Cajetanus super illa verba : *In manus tuas etc.* ita scribit : « Humano more divinam custodiam « significat, similitudine manuum ; solemus enim de- « positum commendantes charum, in manus pro- « prias amici consignare. » Ac proinde cum pretiosorem non habeamus thesaurum anima nostra (*Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*) Deus autem optimus sit noster amicus, et Pater noster (*Nunquid non ipse est Pater tuus*) nulli alteri hunc thesaurum melius recommendare possumus, quam ipsi. « Nemo enim nisi stultus, » inquit Salmeron [7], « commendat rem charam, et pretiosam alicui, « nisi virtute et sapientia præditus sit, ut illam « servare queat, et nisi bonitate et fidelitate præ- « tet in servando : proinde stultissimi sunt, qui se, « vel sua hominibus committunt, de quibus Spiri- « tus S. ait : *Nolite confidere in principibus, neque « in filiis hominum, in quibus non est salus. Maledic- « tus homo, qui confidit in homine, et ponit* etc. « Quomodo custodire poterunt spiritum nostrum « qui nequeunt corpora sua, aut bona fortunæ ad « tempus custodire ? Deinde et si maxime potentes « essent ad servandum, sunt tamen infideles, et « mendaces ; ideo beati, qui totam spem suam in « uno Deo collocant, et cum Paulo dicunt : *Scio cui « credidi, et certus sum, quia potens est deposi- « tum meum servare in illum diem.* » Lucas Brugensis finem, ob quem Redemptor noster spiritum suum Patri recommendavit, exponens, inquit [1] : « Voluit Dominus Jesus pie moriendi exemplum « hic nobis relinquere, ne ut bestiæ, aut ut homi- « nes athei moriamur ; sed persuasi animam nobis « esse immortalem, quæ victura sit etiam mortuo « corpore, commendamus eam Dei benignitati, « ut servetur, tum a malis spiritibus tum a suppli- « ciis futuri sæculi et tandem aliquando cor- « pori beate restituatur. » Ad idem quoque intentum persuadendum formari potest efficax argumentum : Si enim Christus animam suam, quæ a primo instanti, quo creata, et sacratissimæ humanitati suæ unita fuit, beatifica fruebatur visione ab eaque inseparabilis erat [2] : *Qui adhæret Domino unus spiritus est cum eo* (tam enixe recommendavit, quanto magis unusquisque nostrum animam suam cœlesti huic Patri recommendare debebit, qui illam creavit ? Idque non solum, quandiu in mari hujus vitæ a tot tempestatum procellis agitatur, verum etiam et multo magis, quando tempus adest, ut suum agatur in portum, *et revertatur pulvis in terram suam, unde erat* ut ait Ecclesiastes [3] *et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Præterea non sine mysterio Salvator dixit : *In manus tuas etc.* Potuisset quidem dicere : *Commendo tibi spiritum meum* ; manuum tamen mentionem facere voluit, ut nobis insinuaret, quanto cum fructu animas nostras Patri recommendemus. Etenim ut Sapiens ait [4] : *Longitudo dierum, et anni vitæ in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ, et gloria.* De hisce manibus pariter dicitur [5] : *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.* In hisce manibus omnis reperitur securitas, *quia non rapiet eas quisquam de manu mea,* ait Christus [6]. Imo sola harum manuum umbra ad salvandos nos abunde sufficit, teste Isaia, qui ait [7] : *In umbra manus, suæ protexit me, et posuit me quasi sagittam electam.*

[1] S. Aug., s. 2 *de Ser. Dom. in Monte.* — [2] Luc. Bru., *in Matt.* — [3] Deut., xxxii, 6. — [4] II Mach., vii, 21. — [5] Cajet., *in Luc.* — [6] II Cor., iv, 7. — [7] Salm., *ib.*

[1] Luc. Brug., *in Luc.* — [2] II Cor., vi, 17. — [3] Eccl., xii, 7. — [4] Prov., iii, 16. — [5] Id., iii, 1. — [6] Joan., x, 28. — [7] Isa., xlix, 2.

## DISCURSUS XXII.

### MULTA TANGUNTUR MYSTERIA, OB QUÆ CHRISTUS SPIRITUM SUUM IN MANUS PATRIS RECOMMENDAVIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Afferuntur aliæ considerationes hujus commendationis spiritus Christi in manus Patris. — 2. Magnum solatium ex hoc verbo capere possunt morientes. — 3. Christus illis verbis declaravit extremam confidentiam erga Deum Patrem. — 5. Per spiritum Patri recommendatum intelligi potest pretium redemptionis humanæ. — 6. Christus Patri obtulit gratissimum et perfectissimum sacrificium. — 7. Christus his verbis Patri suo commendavit nos et totam Ecclesiam suam. — 8. Docemur in hac commendatione quid nobis in fine vitæ sit agendum. — 9. Continuatio ejusdem materiæ et documenti.

*Jesus ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Luc., XXIII, 46.

**1.** — Præter adducta in præcedenti discursu ultimi hujus verbi a Redemptore in cruce prolati mysteria multæ aliæ supersunt a sacris expositoribus pie traditæ considerationes. Et quidem Cajetanus hæc verba in tempore futuro legit, scilicet : « *Commendabo* seu *deponam spiritum meum.* Per « hoc enim significat commendationem depositi « resumendi, id est, futuri temporis, et significat « ad litteram certitudinem suæ resurrectionis. » Idem eodem in loco unicam Christi prærogativam fuisse dicit, quod scilicet circa futurum animæ suæ statum certitudinaliter sibi promittere potuerit ; ac proinde tanta cum libertate fuerit locutus. En verba illius : « Asserere futuram depositionem in « morte, proprium fuit Christo ; quilibet enim mo- « riens potest dicere in præsenti : In manus tuas « commendo, sed non potest asserere : Commen- « dabo, quia nescit, quid futurum post mortem sit « de spiritu suo. Et rursum, quilibet alius moriens « desinit per mortem esse ipsemet, ac per hoc non « potest assere, quod ipsemet deponet spiritum « suum in manus alterius : Christus autem solus « per mortem non desiit esse ipsemet, quoniam « hypostasis eadem perseveravit post mortem, et « proptorea solus potuit vere dicere : Commendabo « spiritum meum. »

**2.** — *In manus tuas etc.* Salmeron Christum hoc loquendi modo nobis insignem quamdam insinuare voluisse dicit prærogativam, qua animæ electæ deinceps gavisuræ erant, scilicet, quod jam non amplius in sinum Abrahæ, prout sæculis superioribus fieri consueverat, sed in manus Dei, sive in Paradisum cœlestem transferendæ, et collocandæ essent : ita enim scribit [2] : « Quo verbo indicavit, « olim spiritus justorum ad inferos descendere « solitos jam vero post Christi mortem, in manus « Domini reddi, et commendari. » Lanspergius in homilia quadam idem punctum tangit, dum ait : « Bene quidem in manus Patris tradit spiritum : « ante enim Christi mortem in manum inferi reci- « piebantur omnes animæ, nunc vero per ipsius « mortem in manu Dei sunt justorum animæ. Sic « etenim non se solum, sed omnes nos in sua « morte vivificatos Patri commendat ; sumus enim « omnes ejus membra, juxta illud Apostoli : *Omnes* « *unum estis in Christo Jesu.* » Didacus Stella in Lucam scribens, eamdem hisce verbis tradit observationem : « Declarare voluit, quod ex eo tempore « Sanctorum animæ in manus Dei ascendunt ; nam « prius ab inferis omnium animæ tenebantur, « donec venit, qui captivis redemptionem prædi- « cavit. Non tamen hæc loquitur, quasi quid timeat « animæ suæ. »

**3.** — *In manus tuas commendo spiritum meum.* Enimvero quia timeri poterat, ne quispiam erga Christum maligne affectus, suspicaretur Christum, ob extremam Passionis suæ acerbitatem, erga Patrem, a quo eamdem provenire sciebat (*propter scelus populi mei percussi eum*) exasperatum fuisset quod verba illa paulo ante prolata subindicare videbantur. « Quando ait : *Deus, Deus meus, utquid de-* « *reliquisti me*, inquit Salmeron, commendavit spiri- « tum, ut doceat se, cum dixit, *ut qui dereliquist* « *me ?* nullo motu diffidentiæ adductum ea verba « dixisse ; quare singularem suam in Patrem con- « fidentiam in extremo mortis articulo declaravit. » Præterea Deum Patris nomine invocavit, ut idem Salmeron observat quia « qui olim duodecim natus « annos, contestatus fuerat coram parentibus suis, « oportere ipsum in his quæ Patris sui sunt, assidue « esse, totumque vitæ suæ cursum in negotiis pa- « ternis explendis perpetuo tenore duxerat, merito « hanc vitam mortalem exacturus, ut responderent « novissima primis invocavit Patrem. » Denique Deum sub titulo Patris invocavit, ut nobis insinuaret, quod licet a Patre secundum totum rigorem justitiæ paternis pro nostris peccatis castigatus fuerat, ob id tamen ne minimum gradum amoris, et reverentiæ erga Patrem remiserat. Unde Angelus de Pas ait : « Ut confunderet eos, qus dicebant : « *Deus dereliquit eum non est salus ipsi in Deo salu-* « *tari ejus* ; ideo dum loquuntur mendacium, Psal- « mum inchoat : *In te Domine speravi, non confun-* « *dar in æternum*, qui hisce verbis terminatur : *In* « *manus tuas commendo spiritum meum.* »

**4.** — *In manus tuas commendo spiritum meum.* Didacus Stella, Christi in hac sanctissimi Spiritus sui in manus paternas recommendatione, admira-

[1] CAJET., *in Luc.* — [2] SALM., t. X, tr. 40.

[1] LANSP., h. 55 *de Pass.* — [2] DID. STELL., *in Luc.* — [3] ANG. DE PAS, *in Luc.* — [4] *Ps.* XXX, 6.

tur magnificentiam, dicens. « Vide Christi Salvatori « nostri magnificentiam. In vita sua magnificus fuit, « ita et in morte, nihil enim sibi retinuit, sed aliis « omnia donavit. Nam Petro Ecclesiam dedit, « Joanni Matrem suam charissimam, Patri dedit « animam suam pretiosissimam, latroni dedit pa- « radisum, Nicodemo et Joseph dedit corpus pro- « prium, nobis omnibus dedit suam carnem sacra- « tissimum, et pretiosissimum sanguinem in cibum « et his qui eum crucifixerunt, vestimenta. » Similem considerationem Salmeron non sub metaphora donationis, seu testamenti his verbis adducit [1]: « De « omnibus bonis suis testatus fuerat; Apostolis « pacem legaverat, crucifixoribus veniam, latroni « paradisum, Joanni Matrem commendaverat, ac « Matrem Joannem, vestes militibus divisione et « sorte distribuenda reliquerat : solum supererat « de spiritu suo disponere, atque hunc jure magno « Patri suo fideliter in depositum servandum, et « suo tempore repetendum, et reddendum com- « mendavit. »

**5.** — *In manus tuas commendo spiritum meum.* Nonnulli per hunc spiritum, humanæ redemptionis pretium sive sanguinis sui lytrum, vel mortem, per separationem animæ a corpore consummatam, intelligunt : quem proinde spiritum Christum Patri recommendasse dicunt, ut per illum omnia humani generis debita aboleret, efficeretque, ut ad universalem applicaretur salutem, ne Redemptionis suæ merita inutilia remanerent. Salmeron hanc phrasin loquendi ; *In manus tuas, etc.* observans inquit [2] : « Dupliciter potest accipi : primo pro eo, quod est « in potestate et arbitrio alterius se constituere, ut « is cui res commendatur, agat de ea, prout ei vi- « sum fuerit ; deinde commendatur aliquid in ma- « nus alterius, quod ejus custodiæ et protectio « committimus. » Ambobus vero hisce modis Filius passionis suæ pretium, suorumque meritoum thesaurum Patri commendavit ; tum ut de eo pro suo beneplacito disponeret, tum ut apud ipsum optime custoditus remaneret : « Patrem Deum exorat, » ait Angelus de Pas [3], « præsenti clamore, ut passionem « suam opus Patris ostenderet. » Merito autem passionem suam velut opus æterni Patri sui agnoscebat, non solum quia ipsum ad patiendum in mundum miserat, verum etiam quia per illam divinam suam adimpleverat voluntatem ; unde apud Psalmistam ait [4] : *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui et legem tuam in medio cordis mei.*

**6.** — *In manus tuas commendo spiritum meum.* Pro hujus verbi intelligentia, considerandus est textus quidam Apostoli, in Epistola ad Hebræos, ubi Filium Dei his verbis æternum Patrem suum alloquentem introducit [5] : *Ingrediens mundum, dicit : Hostiam, et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi : holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi : Ecce venio : In capite libri etc.* Postquam enim Christus in terram missus fuit, æternus Pater sacrificia, et holocausta antiquæ legis, id est, animalia pro peccatorum expiatione oblata, quodam modo, ut ita dicam, nauseare cœpit, quia umbræ erant et figuræ cruenti illius holocausti, quod ipsemet Dei Filius de semetipsum in ara crucis oblaturus erat ; ac proinde, ut hoc tanto esse æterno Patri acceptius, majoremque spiraret odoris fragrantiam ; non solum corpus, sed una cum illo animam quoque et spiritum, per separationem utriusque, quam voluntarie subibat, offerre voluit, mortem ulto citroque acceptando ; ac proinde dixit : *Commendo spiritum meum, et hæc dicens exspiravit.* O sacrificium Deo acceptissimum ! *Spiritus contribulatus cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.* In aliis sacrificiis pars una oblationis victimæ immolabatur Deo, altera vero in beneficium cedebat sacerdotum, et offerentium ; at vero sacrificium perfectissimum, id est, holocaustum, totaliter in divinæ Majestatis honorem et gloriam consumebatur. Porro Christus hactenus corpus et sanguinem in peccatorum nostrorum expiationem, sacrificii loco obtulerat : at vero ut oblatio isthæc perfectissimum fieret holocaustum, insuper animam et spiritum Deo offerre voluit.

**7.** — *In manus tuas etc.* Sacri Doctores in hoc unanimiter consentiunt, quod Redemptor noster in hac oratione non tam se, quam nos patrocinio et tutelæ Patris committere. et commendare voluerit. Unde B. Laurentius Justinianus in persona Christi ita loquitur [2] : « Ne in hac ultima hora constituti, « quos mihi dedisti, formident se deseri, audiant « clamantem me, et se agnoscant in me, atque « orationem istam me fudisse pro se, sane intelli- « gendo, non dubitent ; dico : *In manus tuas commendo spiritum meum.* Spiritum utique meum in « manus tuas commendo, non tantum quem gero « ut homo, sed quem ut Mediator, et Redemptor « acquisivi mihi, Meum plane dixerim spirtum, « membra mea : Ecclesiam meam, sponsam meam, « quam patiendo pro illa, meam facio, hanc spiri- « tum meum nuncupo. » Nec mirum est, quod Redemptor noster tam sollicite, tantoque cum fervore Ecclesiam suam Patri recommendarit ; siquidem eandem per sanguinis sui effusionem, quam tunc actualiter faciebat, sibi acquisivit, teste Apostolo, dicente [3] : *Posuit vos Deus regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Porro hæc B. Laurentii doctrina optime consonat cum eo, quod Simon de Cassia in hæc verba scribit [4] : « In altiora « vehitur animus, cum legimus Christum spiritum, « seu animam Patri commendasse, quia nulla ei

[1] SALM., *ib.* — [2] ID., *ib.* — [3] ANG. DE PAS, *tb.* — [4] *Ps.* XXXIX, 8. — [5] HEB., X, 5.

[1] *Ps.* L, 19. — [2] B. LAUR, JUST., *de Triumph. Christi agon.* — [3] ACT. AP., XX, 25. — [4] SIM. DE CASS., l. XIII.

« dominabatur adversitas, quem nulla gravabat « iniquitas, et quod agebat, aut dicebat ad seipsum. « et pro se ipso, non erat necessitas, sed voluntas; « ac per hoc magnum latet in hac commendatione « secretum. Erant quippe in anima Christi, per « omnia unita Deitati, inscriptæ tota notitia omnes « animæ de suo sanguine redimendæ, quas ut « animam suam ad gloriam dirigebat; pro quibus « in lachrymis et clamore valido exauditus est pro « sua reverentia, quas suam animam Patri com- « mendans, in ipsa omnes Patri altissimo commen- « davit. » Lucas Brugensis ut hanc animarum electarum, per suam passionem redemptarum, exprimeret commendationem, et oblationem, hac utitur similitudine, inquiens [1]: « Omnium fidelium « animas, quas ut spolia ex hostibus accepta, ducit « suas, uno quasi fasciculo complexas, paternæ « committit curæ, ut simul cum sua serventur, et « egressæ corporibus, recta ascendant in manus « Patris, ad beatam visionem Dei. » Victor Antiochenus super Marcum quasi idipsum his verbis scribit : « Hæc quoque Christi commendatio in « animarum nostrarum commodum cedebat, quippe « quas ille a corpore, quod inhabitaverant, absolu- « tas, quasi quoddam depositum in Dei viventis « manus ea oratione tradebat. » S. Athanasius contra Arianos, *de humana natura ab Unigenito verbo suscepta*, disserens, hanc eandem doctrinam ante omnes alios his verbis insinuat[2]:« Cum in cruce « dixit : *Pater in manus tuas commendo spiritum* « *meum*, in eo omnes homines apud Patrem depo- « nit ac commendat per ipsum et in ipso vivificandos « membra enim illius sumus, et multa ista membra « unum corpus sunt, quod ipsum est ipsa Ecclesia, « quemadmodum Apostolus Galatis scribit : *Vos* « *omnes non nisi unum estis in Christo* Jesu : omnes « igitur in se Deo commendat.» S. Bernardinus Si- « monis de Cassia consectans doctrinam, ait : « Su- « pereminens charitas Christi cum omnem salvan- « dam animam, suam animam faciebat, reor qui- « dem pia fide, hoc caput pro corpore exorasse. « Caput vero et corpus personam faciunt unam, « cujus est anima una : hoc igitur sensu orat, ve- « lut corporis Ecclesiæ cum ipso capite Christo « esset anima una, ut amoris ejus vehementia, « unionis charitatis, et fidei sacramento, mystice « dicat Christus Patri de spiritibus omnibus sibi « adhærentibus in veritate, quasi de spiritu uno, « Commendo spiritum meum secundum Apost., I, « *Cor.* VI : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo.* « Velut schedula quædam rationalis, et viva, « omnes prædestinatos scriptos habens, anima « Christi fuit commendata Patri, ut non pro con- « tinente fuerit oratio facta, quia jam salvus erat, « (comprehensor enim fuerat a conceptionis ins- « tanti) sed pro contentis emittebatur, ut passionis « suæ et mortis meritum obtinerent. »

**8.** — *In manus tuas commendo spiritum meum.* Cum omnis Christi actio, nostra sit instructio, per hanc spiritus in manus paternas commendationem. Christus nobis insinuare voluit, in periculosis tentationum certaminibus, quæ in fine peregrinationis, seu vitæ nostræ vehementiora esse solent, ad Deum nobis toto corde recurrendum esse. « Tunc « Pater vocandus est, » inquit Hugo Cardinalis [4], « tunc ei filiali amore medullitus adhærendum est, « potissimum est ei spiritus commendandus. » Et Salmeron ait [5]: « Ne quisquam justus, et sanctus « putaret se tutum ac securum a dæmone, qui in- « sidiatur calcaneo vitæ hominis, spiritum suum « Patri commendavit. Refert historia scholastica ex « Bedæ sententia, Satanam super brachium sinis- « trum stetisse crucis, observantem diligenter, an « in eum aliquod jus habere posset, et an aliquam « maculam in eo inveniret; nec inde recessit, « donec spiritum Christus reddidit. In capite quarto S. Lucæ legitur, quod cum Christus Satanam in deserto, et monte iterum iterumque repulisset [3], *consummata omni tentatione, diabolus recesserit ab illo, usque ad tempus* : id est, ut Glossa declarat, usque ad passionem et mortem ejus; tunc enim reversus est, fortunam suam tentaturus, licet Christus apertis verbis protestatus fuisset dicens : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.* Albertus Magnus Christum in hac spiritus sui commendatione dicere voluisse inquit [6]: *Commendo spiritum meum* debentem congredi cum diabolo et inferno, ad suorum liberationem. S. Bernardinus, Christum in hac commendatione ad animas prædestinatas, sanguine suo redemptas, respexisse ait; idque seqenti similitudine exponit, inquiens [5]: « Quasi fuerit Christus hamus piscationis æternæ, « et tanquam sagena latissimæ charitatis, in mari « præsentis sæculi a divinitate jactata, quæ nunc « ad littus paterni pectoris reducitur cum omni « multitudine electorum, unaque secum omnes « intra paterna viscera collocavit, cum expiraret in « mortem. »

**9.** — *In manus tuas commendo spiritum meum.* S. Bernardinus verborum Redemptoris, quæ in passione sua protulit, accuratissimus interpres, quærit, inquiens [6] : « Quid est, quod ille coæternus, et « consubstantialis Patri Filius, animam suam ita « manifeste in manus Patris commendabat, cui « non minus commendata esset, etiam si hoc, non « dixisset? In Evangelio Joannis habemus, quod « cum Dominus Jesus suscitaturus esset Lazarum, « dixit *Gratias tibi Pater ago, quia me semper au-* « *dis* ; *sed propter astantes dixi, ut ipsi credant, quia*

[1] Luc. Brug., *in Luc.* — [2] Vict. Antioc., *in Marc.* — [3] Athan., *ib.* — [4] S. Bern., t. I, s. 55, a. 1.

[1] Hugo Card., *in Matt.* — [2] Salm., *ib.* — [3] Luc., IV, 3. — [4] Alb. Mag., *in Luc.* — [5] S. Bern., *ib.* — [6] Idem, c. 15 *de Pass.*

« *tu me misisti.* Ita profecto et nunc : quamvis enim « sciret, animam suam sanctissimam Patris esse « manibus commendatam, qui paulo ante dixerat : « *Venit princeps mundi hujus,* id est, Satanas, *et in « me non habet quidquam* : tamen ut erudiret nos, « qui terra sumus, et cinis, ut spiritum nostrum « disceremus Patris æterni manibus commendare, « ne ab hujus mundi principe, cum a corpore « egressus fuerit, comprehendatur, qui in nobis, « heu ! non pauca, quæ ad ipsum pertineant, inve- « niet ; ipse qui peccato nil debebat, imo qui etiam « tollere peccata venerat, spiritum suum purissi- « mum, a purissimo corpore egressurum, non uti- « que necessitatis, sed exempli gratia, Patris sui ma- « nibus commendavit. » Simon de Cassia similiter de Salvatore nostro inquit [1] : « Moriendi exemplum « cæteris dereliquit. Nam in illo congressu, ubi « dolor acerrime cum natura luctatur, quod mors « sensum penitus adimit, nil aliud potioris, aut ta- « lis habemus refugii, nisi ut animam tanta digni- « tate creatam, tam alte pieque redemptam, inhæ- « sitanter Domino commendemus, qui solus potens « est, hoc depositum incolume servare. » Bollandus in vita B. Angelæ de Fulginio scribit, ipsam jam-jam morientem, dum hæc verba proferret : *Pater in manus tuas,* etc. hanc cœlitus delapsam audisse vocem [2] : « Quod impressum est cordi tuo in vita, « impossibile est quod non habeas, in morte. » Paulus de Palatio ex hisce Redemptoris verbis se- quens deducit documentum, inquiens [3] : « Christus « docuit magna voce, magno nisu nobis esse in « tempore mortis clamandum, ut Dominus spiri- « tum suscipiat nostrum ; ubi enim jacitur vitæ « alea, ibi cœlum nobis, gloria, Deus, periclitantur : « in eo puncto totius nostræ salutis cardo versatur. « Clamet igitur magna voce, qui se in magno peri- « culo videt, voxque magna magnum excitet Deum, « ut magno auxilio accurrat in magno periculo labo- « ranti. »

## DISCURSUS XXIII

CIRCA ILLA VERBA : *Et inclinato capite,* ETC. RATIONES, OB QUAS CAPUT MORIENS INCLINAVIT, INVESTIGANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Variæ rationes adducuntur quare Christus moriens inclinaverit caput. — 2. Christus inclinavit caput quasi homini daturus osculum pacis. — 3. Alii sancti morientes oculos elevant in cœlum. Christus in terram cujus diversitatis adducitur ratio. — 4. Christus pastor bonus nos quasi oviculam perditam in humeris portans, caput inclinat. — 5. In statera S. Crucis appensa fuerunt nostra peccata et merita passionis Christi. — 6. Applicatur ad propo- situm sacrificium columbæ. — 7. Christus inclinando caput, annuit morti, ut accederet, alias accedere non audenti.

[1] SIM. DE CASS. — [2] BOLL., 4 jan., fol. 234. — [3] PAUL. DE PAL., *in Matt.*

*Inclinato capite, tradidit spiritum,* Joan., XIX, 30.

**1.** — S. Joannes, intimus Verbi incarnati secre- tarius, de quo S. Ecclesia canit : *Fluenta Evangelii de sacro Dominici pectoris fonte potavit* : hic inquam, tamquam testis oculatus, non sine mysterio notabi- lem hanc retulit circumstantiam, quod scilicet Christus moriens caput inclinarit, et postea mor- tuus fuerat : *Inclinato capite, tradidit spiritum* : si- quidem non solum ratio, sed et experientia, mo- rientes, postquam exspirarunt, caput inclinare de- monstrat ; quia tunc caput spiritibus vitalibus, et anima quæ illud sustinet, est destitutum. Ac proinde B. Laurentius Justinianus ait [1] : « Non abs re scripta « sunt : nempe quæcunque scripta sunt, ad nos- « tram doctrinam scripta sunt, ut in facto myste- « rium, et in littera eliciamus spiritum. »

**2.** — *Inclinato capite.* S. Augustinus ad modum, quem Sapientia divina in Incarnatione Verbi serva- vit, se reflectens, inquit [2] : « Fuit similis reparatio, « quomodo et fuit hominis creatio. » Ac proinde eadem proportione dici posse videtur, quod cum passio et mors Filii Dei, ad reparandum genus hu- manum, in primo Adamo deperditum, ordinata fue- rit (dicente Ecclesia : « De parentis protoplasti « fraude factor condolens, quando pomi noxialis « morsu in mortem corruit, ipse lignum tunc nota- « vit, damna ligni ut solveret » primum vero pecca- tum, quod omnibus hominibus abyssum aperuit, capite, cervice, et oculis in altum elevatis commis- sum fuerit (*vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile*) hinc secun- dus Adam, peccatum illud expiaturus, oculos clau- dere, et caput inclinare voluit. Unde S. Bernardi- nus ait [3] : « Caput inclinavit in morte, in expiatio- « nem erectionis ad vetita. » Porro peccatum, su- perbiæ et elationis humanæ : qua caput fastuose erigitur, verus partus est, teste Sapiente, qui ait [4] : *Initium omnis peccati est superbia.* Et ideo Deus, qui per peccatum offenditur, inter alias, peccatum aggravantes circumstantias, hanc quoque notat [5] : *Elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulavérunt extento collo, et nutibus oculorum ibant.* Cum igitur Redemptor noster ad expianda totius generis humani peccata venerit, moriens caput suum inclinare voluit, quia ut Simon de Cassia notat : [6] « Erecta cervice com- « missum est, unde mulctatus est et sublevata su- « perbe mente agitur, unde contemptus est : proinde « moritur vice versa inclinato capite. » Multorum celebrium auctorum, ut suo loco diximus, constans est opinio quod ad pedes patibuli crucis, primi Adami cranium sepultum fuerat : quam etiam opi- nionem S. Augustinus non reprobat, quin potius eamdem corrobare videtur, dum ait [7] : « Dignum

[1] B. LAUR. JUST., *de Triumph. Christi agon.* — [2] S. AUG., s. 7 *de Temp.* — [3] S. BERN., t. I, s. 55. — [4] ECCL., XV, 10. — [5] ISA., III, 16. — [6] SIM. DE CASS., l. XIII. — [7] S. AUG., s. 71 *de Temp.*

« fuerat, ut ubi occiderat humana superbia, ibi se « inclinaret divina misericordia : et sanguis ille « pretiosus, etiam corporaliter pulverem antiqui « peccatoris, dum dignatur stillando contingere re- « demisse credatur. » Hoc igitur tanquam vero supposito, memorandus nobis est modus, quem Deus servavit, dum hominem in prima sua creatione vivificaret ; dicit enim sacer textus [1] ; *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* Cum igitur primus ille homo per peccatum innocentiam amisisset, et gratiam, a qua vita animæ dependet, ipse Dei Filius hanc jacturam per suam redemptionem resarcire volens, Adamo, totum humanum genus repræsentanti, suum de novo, dum moreretur, infundere voluit spiritum, ut revivificaretur ; ac proinde inclinato versus Adamum, ad pedem crucis sepultum, capite, tradidit spiritum : « Ut vitæ spiraculum in faciem nostram, » ut Salmeron ait [2], « inspirare se declararet, ut qui « peccato mortui eramus, justitiæ vivere incipia- « mus. »

**3.** — *Inclinato capite.* S. Apostolus de Christo ait [3] : *Ipse est pax nostra* : hoc enim fine e cœlis in terram descenderat, ut nos æterno suo Patri reconciliaret : et licet pro hac pace stabilienda per XXXIII annorum spatium negotiatus fuisset, attamen vespere præcedenti, et non ante dixit : *Pacem relinquo vobis* : quia postquam hic arcus in monte Golgotha inter nubes apparuit [4], *signum fœderis inter Deum et homines* esse cœpit. Unde tunc, et non ante, divina justitia in hujus mystici agni sacrificio dixisse videtur [5] : *Videbo sanguinem, et transibo, nec erit in vobis plaga disperdens* ; ac proinde moriens caput inclinavit, quasi osculus pacis homini dare volens. Id quod plurium sacrorum interpretum auctoritate probatur : et quidem in primis Taulerus ait [6] : « Dimisit caput, quo pacis nobis, reconciliatio- « nisque, et amoris præberet osculum. » S. Augustinus quoque ante omnes alios scripserat [7] : « Salvator noster caput inclinavit in morte, ut os- « cula daret suis dilectis : toties Deum osculamur, « quoties in ejus amore compungimur. » B. Laurentius Justinianus inquit [8] : « Inclinavit caput, et « spiritum reddidit : reconciliavit nos Patri, et pro « nostris reatibus in cruce moriens satisfecit. Caput « namque Christi Deus, quemadmodum caput ho- « minis Christus, dicente Apostolo : *Caput mulieris « vir, caput viri Christus, caput Christi Deus.* Caput « hoc, dum passionum ludibria, et mortis supplicia « pro hominibus pertulit Mediator, liquefecit ad « misericordiam, flexit ad gratiam, et inclinavit ad « indulgentiam ; quo peracto, integerrimum electo- « rum numerum, et humanitatis suæ in manus Pa- « tris tradidit spiritum. » Devotissimus Blosius pariter inquit [1] : « Caput ad osculandum inclinans. » Ludolphus Carthusianus similiter hanc actionem examinans, inquit [2] : « Quasi me, Patre reconciliato, « nuncians mihi pacem salutet et osculum mihi præ- « beat. » Huic quoque opinioni S. Bonaventura in sermone quodam subscribit, dum ait [3] : « Tunc faciem « suam quasi ad osculum pacis dandum inclinavit. » Citatque sequentem ex cap. VI Numerorum textum : *Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem* : ac tandem cum S. Bernardo concludit : « Vide « caput inclinatum ad osculandum. »

**4.** — *Inclinato capite, tradidit spiritum.* In aliis Dei servis, prout in vitis Sanctorum legitur, hoc communiter observatur, quod morientes, oculos suos sursum in cœlum elevare soleant. Unde sancta illa mater Symphorianum adolescentulum filium suum ad constantiam in martyrio conservandam his verbis adhortabatur : *Cœlum suspice.* S. Stephanus protomartyr similiter moriens, oculos in cœlum defixos habebat : *Intendens in cœlum.* S. Martinus pariter morti propinquus, dicebat [4] : « Sinite me potius cœlum, quam terram aspicere. » Denique S. Petrus tametsi cœli claves sibi commissas haberet, nihilominus moriens, capite deorsum crucifigi petiit, ut in cœlum suspicere posset. Quonam igitur mysterio Christus moriens oculos, et caput suum versus terram inclinavit ? Simon de Cassia inquit [5] : « Qui caput inclinat, subjecta oculis respicit, et « Christus vultum declinavit ad terram, ex qua se- « cundum carnem sumptus erat in illa condendus, « quamquam non resolvendus in pulverem. » Pro hujus dubii resolutione advertendum est, magnam inter Filium Dei morientem, et servos ejus exspirantes, intercedere, differentiam ; ipsi namque minime opus erat, ut exspirans, in cœlum suspiceret, quemadmodum nos facere debemus, dum morimur ; quia cœlum sive cœlestem beatitudinem, animæ suæ, ut ita dicam, jam de facto insertam habebat, utpote quæ a primo creationis suæ instanti visione fruebantur beatifica ; caput igitur suum terram versus, et ad nos inclinavit, ut se nobis suam vitam, suumque spiritum, et animam suam in beneficium dare insinuaret ; non enim pro cœlo, sed pro terra moriebatur. Salmeron ait [6] : « Exspiravit capite in- « clinato ad nos, ut innuat, se spiritum suum in Pa- « tris manus ad nostram commodum, et beneficium « deponere. » Voluit quoque capite ad nos inclinato animam suam exhalare, ut se non pro spiritibus Angelicis ; sed pro nobis, qui Adæ posteri sumus, passum, et crucifixum fuisse ostenderet ; *nam propter nos homines, et propter nostram salutem* mortuus est : unde per hanc capitis inclinationem dicere

[1] GEN., I, 7. — [2] SALM., t. X, tr. 40. — [3] EPH., II, 16. — [4] GEN., X, 13. — [5] EXOD., XII, 13. — [6] TAUL., *de Vit. et Pass.* — [7] S. AUG., *in Manuali.* — [8] B. LAUR. JUST., *ib.*

[1] BLOS. *in Sacel. animæ.* — [2] LUD. CARTH., p. 2, 63. — [3] S. BON., s. 1 *in oct. Parasc.* — [4] ACT, AP., VII, 55. — [5] SIM. DE CASS., *ih.* — [6] SALM., *ib.*

voluisse videtur : Caput meum, inclinando, meumque mittendo spiritum, vobis annuncio, adimpletum esse id, quod vobis dixi [1] : *Respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

**5.** — *Inclinato capite.* Christus apud S. Lucam, per pastorem illum denotatur, qui perditam sollicite quæsivit oviculam, quam post multos sudores inventam, humerisque suis impositam, salvam et incolumem ad ovile reportavit. Quis autem non videt, quod ei, qui grave pondus in humeris suis portat, caput inclinare necesse sit ? Dionysius Carthusianus ait [2] : « Assumpta in unitate personæ natura « humana, quæsivit genus humanum : pro illius « conversione, reductione, salvatione, orando, præ« dicando, moriendo, miracula faciendo. *Eratis sicut « oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pasto« rem.* » Glossa ad propositum nostrum ait : « Ovem « in humeris posuit, qui humanam naturam susci« piens, peccata nostra ipse portavit ; unde humeri « Christi crucis brachia sunt, illic peccata nostra « deposuit. » S. Ambrosius a S. Bonaventura in « Commentario super Lucam citatus inquit [3] : « Humeri isti sunt brachia crucis, in hoc humeris « ovem perditam imposuit, quia ibi peccata nostra « portavit. » Lanspergius sequentem habet ingeniosam considerationem [4] : « Neque enim absque « ratione putamus fuisse, quod Jesus inclinaverit « caput. Solent enim ii caput inclinare, qui onere « prægravati deprimuntur. Hoc modo Christus, quia « omnium super se peccata portabat, prægravatus « tanto peccatorum nostrorum pondere atque mole, « caput inclinat. » Unde Psalmista ait [5] : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me : putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, curvatus sum.* Mirum igitur non est, quod Christus, qui omnia humani generis peccata in se assumpserat, dicente S. Petro [6] : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum,* caput suum moriens inclinaverit. Salmeron idipsum egregie exponit sequentibus verbis [7] : « Ostendit se portare crucem, cujus principa« tus super humerum ejus, et onera peccatorum « nostrorum, sicut Petrus ait, *peccata nostra ipse « pertulit in corpore super lignum* ; unde mortuus « est expressa forma hominis sarcina prægravati, « caputque propterea deflexum habentis ; nam « revera Christus Pater erat, ovem errantem por« tans super humeros. » Apud Isaiam peccator his verbis Christum alloquitur [8] : *Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Postquam vero fortissimus hic Athlas insupportabilem illam, ponderosamque peccatorum in cruce sustinuisset, nostraque peccata per excessivos dolores suos in eadem expiasset, divinæ justitiæ *ex toto rigore* satisfaciendo ; in ipso mortis momento eandem in profundum pœnosæ passionis suæ mare projecit ; ac proinde Michæas Propheta ait [1] : *Miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra* ; ac proinde, ut Salmeron alio in loco notat : « Dum humeros suos ab hac peccato« rum sarcina exonarabat, fieri non poterat, quin « caput suum inclinaret. » Hugo Cardinalis contrarium fere asserit mysterium, dum ait [2] : « Redemp« torem nostrum inclinasse caput, quasi supponens « humerum ad portandum nos, et onera nostra. »

**6.** — *Inclinato capite.* Ecclesia non sine mysterio crucem stateræ nomine appellavit : *Statera facta corporis* : humanum etenim genus infinitum, et insolubile penes divinam justitiam ob innumera commissa peccata contraxerat debitum pro cujus exsolutione Redemptor noster in crucem conscenderat, in qua velut in statera, in conspectu totius cæli posita fuere ex una parte immensa debita nostra, ex alia vero parte incomparabilia Filii Dei et passionis suæ merita collocata erant, deprehensumque fuit, hæc illis longe præponderare, quia *copiosa apud eum redemptio* ; unde factum est, quod declinante ex illa parte bilance, vere dici potuerit : *Inclinato capite.* Audiamus sequentem a Job pronunciatam sententiam : ait enim : *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui et calamitas quam patior, in statera : quasi arena maris hæc gravior appareret.* Circa quæ verba S. Bernardus ait [3] : « Crucis attendamus « mysterium : ipsa est statera corporis Christi, « quam desiderabat, qui dicebat : *Utinam appen« derentur peccata mea, quibus iram merui, et cala« mitas quam patior, in statera* : Crux facta est sta« tera corporis Christi. Cum ipse crucifigeretur, « appensa sunt cum ipso peccata quæ commisimus, « calamitas quam incurrimus. Ipse vero erat inno« cens, impollutus, segregatus a peccatoribus et « excelsior cœlis conversatio ejus : et quoniam talis « ac tantus, tam indigna dignatus est in cruce pati, « præponderare cœpit calamitas, et in crimina levi« gari. Cum adhuc tamen in cruce erectus staret, « vacillare videbatur statera, nec plane cognosce« batur, qua cedere deberet, donec inclinato capite « emisit spiritum, ut calamitas præponderando ca« deret, et quasi arena magis gravior appareret. »

**7.** — *Inclinato capite.* Inter alios a Deo pro sacrificiis præscriptos ritus, unus hic fuit, ut scilicet quando in holocaustum offerebatur columba, caput ejus ad collum retorqueretur ; ait enim sacer textus [4] : *Offeret eam sacerdos ad altare, et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem. Omnia autem hæc in figura contingebant illis* : per altare namque crux significabatur in qua ipsemet Christus, summus Sacerdos, æterno Patri

[1] Luc., xxi, 28.— [2] Dio. Cart., *ib.*—[3] S. Amb., *in Luc.* — [4] Lansperg., in h. 32 *in Pass.*— [5] *Ps.* xxxvii, 5. — [6] I Petr., ii, 24. — [7] Salm., *ib.* — [8] Isa., xxxviii, 17.

[1] Mich., vii, 18. — [2] Hug. Card., *ib.* — [3] S. Bern., h. *de duobus disc. eunt. in Emmaus.* — [4] Levit., i, 15.

suo in holocaustum offerebat semetipsum, id est, immaculatæ animæ, et humanitatis suæ columbam, quæ post copiosum illud tot peccatorum, in inundantibus passionis suæ aquis expiatorum, diluvium (*intraverunt aquæ usque ad animam meam*) in ore suo speciosam detulit pacis olivam, quam subito ut a mortuis resurrexit, mundo annunciavit; et tametsi retorto ad collum capite, attamen *inclinato capite tradidit spiritum.*

**8.** — *Inclinato capite.* Ex quo Christus omnis culpæ expers fuit, utpote *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*; mors utique nullum in ipso locum habere poterat, quia *per peccatum mors.* Et licet ex alia parte Verbum æternum eo fine in terram descenderat, ut nos solum etiam moriendo redimeret, mors tamen ad illum propius, licet eum videret agonizantem, accedere non audebat. Unde Chrysostomus ait [1] : « Cum jam « nihil restet ex pœnis, mors refugit, mors mora- « tur, quia suum ibi esse nihil sentit. Suspecta est « vetustati novitas; hunc enim primum, hunc so- « lum vidit hominem, peccati nescium, noxa libe- « rum, juris sui legibus nil debentem. » Porro ex S. Lucæ textu constat, Christum jam jam moriturum vocem suam extulisse, et inclinasse caput; ita enim sacer Evangelista [2] : *Et clamans voce magna Jesus ait : Pater in manus tuas commendo spiritum meum, et hæc dicens, exspiravit* : S. Joannes vero, qui tamquam testis oculatus morienti Christo astitit, insuper addit : *Et inclinato capite, tradidit spiritum.* Mysterium vero, ob quod Christus vocem suam extulit, Theophylactus, a Bellarmino abbreviator Chrysostomi appellatus, his verbis indicat [3] : « Id- « circo et magna voce inclamat mortem, non au- « dentem accedere nisi vocaret. » Observandum vero est tempus, quo illam advocavit : prius enim dixit : *Consummatum est*; ac postea ait : *Pater in manus tuas, commendo spiritum meum*; actum demum *inclinato capite* morti innuit, ut protinus accederet, ac vitæ suæ stamen præcideret. Quod idem confirmat Euthymius [4] : « Cum dixisset, *Pater in* « *manus tuas*, etc. tunc demum morti permisit, ut « ad se accederet. » S. Athanasius, non in *quæst.* 76 *ad Antiochum*, prout a multis citatur, sed, in libro, cui titulus est : *Dicta et interpretationes Sacræ Scripturæ* q. 41 interrogat [5] : « Quidnam illud est : « *Inclinato capite tradidit spiritum*? Nam omnes « moribundi moriuntur primum, et tunc demum « inclinant capita. » Responsio, quoniam omnes « Scripturas adimplevit; scilicet incarnationem, « nativitatem, tinctionem in aqua, signorum decla- « rationem, efficacem doctrinæ demonstrationem, « familiarem cohabitationem discipulorum, humana « denique omnia, passionem crucis, illusiones, « vulnera clavorum : istis, inquam, omnibus imple- « tis, quæ pati debuerat, sola mors restabat adhuc, « atque hæc quidem sibi metuens, appropinquare « non audebat; ideo Christus inclinato capite voca- « vit ipsam, nam antequam caput inclinasset, vere- « batur propius accedere : ideo inquit Euangelista : « *Et inclinato capite, tradidit spiritum.* »

[1] Chrys., s. 6 *de Pass.*— [2] Luc., xxiii, 46.— [3] Theo., *in Matt.* — [4] Euthym., *ib.* — [5] S. Athan., l. *dicta et Interpr. Sacrc Script.*

## DISCURSUS XXIV

### CIRCA EAMDEM CAPITIS CHRISTI MORIENTIS INCLINATIONEM VARIA CONSIDERANTUR MYSTERIA.

Idea sermonis. — 1. Aliæ rationes hujus inclinationis capitis. — 2. Christi mors fuit somnus. — 3. Christus inclinavit caput suum, quia non habebat quo illud reclinaret. — 4. Christus inclinavit caput ex reverentia erga Patrem suum. — 5. Capitis inclinatione Christus exercuit actus humilitatis et obedientiæ. — 6. Christus inclinatione capitis Patri agit gratias pro reconciliatione mundi.— 7. Christus inclinavit caput ad nos, ut videat nostras necessitates et audiat preces nostras. Inclinavit caput quasi nos ad se vocans. — 8. Christus inclinavit caput versus suos hostes, offerens illis gratiam et veniam. — 9. Inclinavit caput ut fructum crucis facilius decerpere possimus. — 10. Inclinavit caput versus centrum terræ et limbum. — 11. Christus inclinatione capitis valedixit matri. — 12. Salutare monitum. Insigne exemplum.

*Inclinato capite, tradidit Spiritum.* Joan. xxx, 50.

**1.** — Verissimum est illud vulgatum axioma, quo dicitur, plura in sacris litteris contineri sacramenta, quam verba : *Tot sacramenta, quot apices*, vel ut melius dicam, *Plura sacramenta quam apices*, et ideo indubitatum est, quin S. Joannes hanc circumstantiam, quod scilicet Christus jam moriturus caput inclinarit, non sine mysterio expresserit, quia ut videbimus, præter jam adductas rationes, plures quoque aliæ sanctis doctoribus considerantur.

**2.** — *Inclinato capite.* Salmeron auctoritatem adducit Ovidii, per quam morientem caput inclinare, naturæ consentaneum esse probat; ita enim scribit : « Poeta Ovidius hanc inflexionem capitis natura- « lem esse judicavit, dicens : »

> Sic corpus moriens jacet et defecta vigore,
> Ipsa sibi est oneri cervix, humeroque reëumbit

Quod tametsi se ita habeat, in casu tamen præsenti contrarium accidit, quia Christus primo caput inclinavit, postea vero suam exhalavit animam : *Inclinato capite tradidit spiritum* : id quod, ut in sequenti discursu dicetur factum est præter omnium morientium consuetudinem. Subdit vero idem Salmeron : « Simili fere ratione quando homo stans aut « sedens dormit, inflectit caput in dexteram. » Christus igitur caput inclinavit, quia mors Christi somnus fuit, et ideo ab Apostolo Christus appellatur. *Pri-*

[1] Salm., t. X, tr. 46.

*mitiæ dormientium.* et apud Psalmistam ait [1]: *Ego dormivi, et soperatus sum, et exsurrexi.* S. Paschasius super Matthæum scribens, similiter ait [2] : « Ac si sopitus somno pacis, inclinato capite, tra- « didit spiritum. » Post quadraginta vero horarum spatium evigilatarus erat, ac proinde in illo intermedio somno, instar dormientis caput inclinavit, Lucas Brugensis ait [3] : « Congruebat hic gestus ei « morti, quæ propter subsequentem resurrectio- « nem, non tam mors, quam somnus dici mereba- « tur, veluti si dormiturus caput lecto reclinet. »

**3.** — *Inclinato capite*, Christus apud S. Lucam contemptum bonorum terrenorum insinuare voleus, inquit [4]: *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos. Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Porro sæculi hujus magnates, imo et pauperes, licet in hac vita nihil possideant, nihilominus ut plurimum in infirmitatibus suis in publica recipiuntur hospitalia, in quibus super mollibus plumis jacentes, dum in fine moriuntnr, caput molliter inclinant : non vero idipsum Filio Dei accidit, siquidem locum non habuit, in quem caput suum, ab innumeris acutissimis spinis perfossum, reclinaret. Unde Ludolphus Carthusianus ait [5] : « In hora, et in « tempore illo flebili, speciosa terræ latitudo, sibi « defecerat, ita ut non haberet, ubi caput miseriis « fessum reclinaret, sed inclinatum dependebat. » S. Antonius de Padua in sermone quodam de Parasceve, rationem reddit cur Christus, caput suum supra pectus suum declinarit, ait enim [6]: « *Inclinato* « *capite*: quia alibi non habuit, ubi reclinaret caput. » Lanspergius quoque in homilia quadam ita scribit [6]: « Iterum quod caput inclinavit, alia fuit ratio. « Adeo enim fuit pauper, ut, quo caput suum recli- « naret, non haberet, proinde caput suum reliquit « nobis pendulum, in exemplum testimoniumque « suæ pauperatis »

**4.** — *Inclinato capito.* Observandum est, quod S. Paulus de hoc puncto tractans, scilicet quod Redemptor noster in patibulo crucis elata voce orans, in hac oratione profundæ erga Patrem reverentiæ signa simul expresserit dicat [7] : *Preces supplicationesque ad eum cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Merito autem S. Joannes Christum caput inclinasse dicit quia Patrem invocavit : *Pater, in manus tuas, etc.* Alius quidam auctor in hæc verba scribit: « Non tantum in accessu, sed etiam in abcessu per- « sonis honoratis caput inclinatur; » unde in Genesi servus ille Abrahæ in signum reverentiæ *inclinavit se et adoravit Dominum.* In lib. I *Reg.*, c. XXVIII, dicitur : *Inclinavit se super faciem suam, et adoravit.* Quia igitur Christus semeptisum æterno Patri in sacrificium offerebat, ut, ideo pro salute universali orans, profundæ humilitatis actus exercuit. Sacerdos in Missa dicere solet : *In spiritu humilitatis, et in animo contrito, suscipiamur a te Domine et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, ut placeat tibi Domine Deus.* Unde Drogo Hostiensis de Christo ait [1]: « Orasti inclinato capite, clamans voce magna ex- « spirasti : orasti inclinato capite, et spiritu humi- « litatis. »

**5.** — *Inclinato capite.* Celebris est ille S. Pauli ad Philippenses de Redemptore nostro conscriptus textus [2]: *Humiliavit semeptisum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quibus verbis Apostolus, quas præcipue Christo in cruce exercitas admiratur virtutes, humilitatem scilicet, et obedientiam; ad quarum expressionem multi sacri interpretes hanc capitis inclinationem directam fuisse existimant. Considerandum porro est, titulum cruci superimpositum adeo fuisse speciosum, ob titulum Regis, quo insignitus erat, ut eum Christo Judæi plurimum inviderint. Ac proinde, ut Taulerus meditatur [3] : « Inclinavit Christus caput versus ter- « ram, declinando a glorioso illo crucis titulo, os- « tendens, se gloriam omnem et honorem flocci- « pendere totamque vitam suam in abjecta, et « humili se velle claudere paupertate. » Idipsum quoque Ludovicus Carthusianus his verbis observavit [4]: « Etiam quasi declinare a crucis titulo se os- « tendens, et vanam gloriam vitare nos docens ; ac « si diceret : Nolo hic regnare ; nolo scribat, aut « nominet me Regem Pilatus. » Mira res ! ubi agitur de acceptandis in dorso suo flagellis, et virgis, de transfigendis per spinas temporibus, de perforandis per clavos manibus et pedibus, de irrisionibus, maledictionibus, injuriis, et blasphemiis, horum nihil recusavit, nec aures suas maledictionibus occlusit. At vero quando agebatur de honorificis, et speciosis titulis acceptandis, hoc inclinato capite fugit, et declinavit siquidem *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Idem auctor ait : « *Inclinato capite* versus Patrem suum, quasi osten- « dens ex modo moriendi, quod moriebatur ex « obedientia Patris. » Idipsum quoque Dionysius Carthusianus, scribens in Joannem, confirmat, dum ait : « Inclinato capite factus est Patri obediens « usque ad mortem. » S. Bernardinus cœlestem Magistrum per inclinationem capitis ex crucis suæ cathedræ prædictas virtutes docere voluisse, his verbis tradit [5] : « Caput quoque inclinavit in morte : « simul suasit revereutiam, obedientiam docuit, « humilitatem in operibus usquequaque monstra- « vit, cum omni peracto mysterio, inclinato capite « exspiravit. » Lucas Brugensis in Commentario super Joannem [6] hujus actionis sensum litteralem

[1] *Ps.* III, 6. — [2] S. PASCHAS., *in Matt.* — [3] LUC. BRUG., *ib.* — [4] LUC., IX, 58. — [5] ANT DE PAD., *in Par.* — [6] LANSP., h. 52 *de Pass.* — [7] HEBR., V. 7.

[1] DROG., *de Sacr. Dom. Pass.* — [2] PHILIPP., II, 8. — [3] TAUL., *de Vit. et Pass. Chr.* — [4] LUD. CARTH., *ib.* — [5] S. BERN., t. I. s. 55, a. 1, c. 7. — [6] LUC. BRUGENS., *in Joan.*

declarat inquiens [1] : « *Capitis inclinatio* seu submissio « eximiam Jesu erga Deum Patrem obedientiam « declarat, quod humiliet semetipsum, obediens « usque ad mortem, mortem autem crucis. » Communiter videmus, catellos erga dominos suos, a quibus sustentantur, adeo esse reverentes, et obsequiosos, ut licet nonnunquam percutiantur, ad nova tamen verbera recipienda sua erga illos capita inclinent. Ita quoque Salvator noster, licet sciret, æternum Patrem suum de illo dixisse [2] : *Propter scelus populi mei percussi eum* : quia tamen morti vicinus dicere poterat cum Davide cujus ante quatuor dies a turbis applaudentibus appellatus fuerat Filius : *Hosanna Filio David* [3] : *Quem persequeris? canem mortuum persequeris* : ideo ut se erga illum magis quam unquam exhiberet obedientem, ejusque paternæ voluntati conformem, coram illo inclinavit caput seque post tot tormenta insuper ad mortem subeundam promptum obtulit, dicendo : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum,* ac proinde *inclinato capite, tradidit spiritum,* quasi humilis et obediens Filius dicere voluisset [3]; *Ita Pater,* libenter moriar ; *quoniam sic placitum fuit ante te.*

**6.** — *Inclinato capite.* Capitis inclinatio, actus quidam esse solet gratiarum actionis, exhibitæ illi a quo beneficia accepimus ac proinde nonnulli existimant, Christum per hanc actionem Patri suo voluisse agere gratias. Arnoldus Carnotensis super duo illa ultima verba in cruce a Christo prolata, discurrens, ita scribit [4] : « Inclinas caput, quasi « gratias agens. » Qua autem de causa gratias egerit, Salmeron his verbis exponit : « Quasi gra- « tias egisse Patri videtur, caput inclinando, pro « venia peccatorum obtenta, pro victoria contra « peccatum, diabolum, mortem, infernum, ac « mundum impetrata, et pro Patre placato, ac « reconciliato mundo. » Enimvero per triginta tres annos in maxime arduo humanæ reconciliationis cum æterno Patre negotio strenue laboraverat, jamque ad terminum pervenerat, in quo dicere poterat : *Consummatum est,* ac proinde, ut Dionysius Carthusianus ait [6] : « *Inclinato capite,* quasi gratias « agit Patri. » Salmeron ait [7] : « Cum caput Christi « sit Deus, ait Apostolus, ideo inclinato capite « Christum emittere spiritum, nihil aliud est, quam « Patre reconciliato, et ad gratiam misericordiæ « inflexo, per virtutem suæ Passionis, a nobis « recedere. »

**7.** — *Inclinato capite.* Ludolphus Carthusianus Christum caput in nos inclinasse existimat, ut ostendat, se tunc vel maxime benignas precibus nostris paratum esse porrigere aures; ait enim : « Aures meis precibus, quæ prius non profecerunt « ad exaudiendum, inclinat. » Idem quoque inclinationis motivum Salmerou his verbis insinuat [1] : « Oculos suos in nos inclinavit, ut videat necessitates « nostras, et aures ut exaudiat nos orantes, juxta « illud : *Quia inclinavit aurem suam mihi et in diebus* « *meis invocabo.* » Quia enim oratio ejus eo tempore quo in cruce pendebat efficacissima erat, magis quam alias, dicente Apostolo [2] : *Cum clamore valido, et lacrymis exauditus est,* et quia jam jam suos clausurus erat oculos, prius illos in nos deflectere, auresque suas nobis porrigere voluit, ut priusquam per mortem suam e mundo discederet, in favorem necessitatum nostrarum se apud Patrem pro nobis velut advocatum sisteret. Hugo Cardinalis eamdem amplectitur sententiam, dum ait [2] : « Exspiravit ca- « pite inclinato ad nos, ut insinuet se spiritum suum « in manus Patris ad nostrum commodum, et bene- « ficium deponere. » Confirmat idipsum Taulerus, dum in hæc verba meditatur [3] : « Aspice gratissima « Christi membra jam emortua, nihilosecius « eumdem nobis, quem adhuc viventia habebant, « demonstrare amorem, et benevolentiam. Exten- « sa manent brachia, ut nos complectantur. Oculi « demissi, ut nos aspiciant. Submissum caput, quo « nos osculetur. Patentia, atque hiantia vulnera, ut « in ea nobis ingredi atque confugere liceat. « Ipsum quoque caput, quod ante ad Patrem sus- « tulerat, sese illi cum lachrymis offerendo modo « ad nos per amorem inclinavit, nostræ cum Patre « reconciliationis nobis offerens optatissimum nun- « cium, atque in placationis signum præbens os- « culum pacis. » Idem Hugo Cardinalis benignissimum Salvatorem totaliter dicit fuisse intentum ad supplicationes nostras expediendas, porrigendasque aures miseriis nostris : « *Inclinato capite,* inquit, « ut ostendat, quod porrectas habet aures, et incli- « natas ad exaudiendum preces humilium, unde « Psalmista ait ; *Inclina Domine aurem tuam mihi.* » Neque enim ei sufficiebat, quod bono latroni donasset paradisum, quin potius, tunc quando humanam operabatur redemptionem, desiderasset, ut innumeri meritis passionis suæ proficerent proinde inclinabat caput, ut videret, num forte aliquis esset, qui gratiam aliquam ab eo postularet. Taulerus ait [4] : « Inclinavit caput ad homines universos tan- « quam ultimum *Vale* dicens, extremamque petens « copiam discedendi. » Didacus Stella in Commentario super Lucam prædictis subscribit, inquiens [5] : « Cum spiritum emittit caput inclinat, quasi signum « faciens vocationis, ut ad eum te conferre pro- « peres. » Enimvero intensissimo flagrabat desiderio comparandi ad sui notitiam animas, ac proinde non solum alta usus est voce, sed jam jam moriturus caput suum inclinavit, quasi dicere vellet : *Accedite ad me, et illuminamini* : id quod paulo post centurioni feliciter cessit, qui lumen recepit oculo-

[1] Isa., liii, 8. — [2] I Reg., xxiv, 23. — [3] Luc., x, 21. — [4] Arn. Carnot., *de sept. verbis.* — [5] Salmer., *ib.* — [6] Dion. Carth., *in Joan,* — [7] Salm., *ib.*

[1] Heb., v, 7. — [2] Hugo Card., *ib.* — [3] Taul., c. 51. — [4] Id., *ib.* — [5] Did. Stell., *in Luc.*

rum, et mentis : nec non aliis, qui *revertebantur percutientes pectora sua.* Simon de Cassia ait : « Non « credamus, terram istam, quæ pedibus subjecta « calcatur, Christum Dominum adspexisse, sed « defixit vultum ad ima, sicut valefaciens mundo. » Cum enim in suo a nobis discessu, suam nobis benedictione impertiri non posset, utpote cujus manus clavis cruci affixæ erant, illam nobis dare voluit, capite ad nos inclinato, participes nos faciens sui sanctissimi Spiritus.

**8.** — *Inclinato capite.* Porro videri potcrat, Christum erga crucifixores suos exasperari debuisse, eo quod illum tam insolitis, acerbissimisque tormentis cruciassent ; et tamen tantum abest, quod illis fuerit indignatus, ut etiam caput suum super pectus inclinarit, quasi ostendere volens, solum lanceæ ictum adhuc reliquum superesse, ut residuum sanguinis : atere suo emanare, ipsique cor ejus aspicere. et in amorosissima viscera ejus aditum habere possent : *in viscera*, inquam *misericordiæ, in quibus nos visitavit oriens ex alto.* « Con sideremus, quam amanter « vera cum fidelitate, » inquit Blosius [1] « ad hostes « suos, qui mortem ipsi inferebant, brachia sua ad « excipiendum illos extendens, caput ad osculan- « dum inclinans, cor (quo in ipso habitare possent) « aperiens, multaque alia dilectionis signa præfe- « rens obierit. » Salmeron Christum caput suum versus latus dexterum inclinasse existimat : ita enim scribit : « Dicendum, Dominum caput inflexisse in « dexterum latus, versus pectus ipsum, quod erat « lancea aperiendum. » Alius quidam auctor ita scribit [2] : « Caput inclinavit, per hoc nos etiam con- « solari volens, ut sciamus, eum non aversum a « nobis. »

**9.** — *Inclinato capite.* Insignis quidam auctor inter multos conceptus poeticos, quibus ad hanc capitis inclinationem alludit, primum habet sequentem, hisce ejus verbis expressum : Enimvero dic sodes, o Domine, cur caput tuum inclinas ? Num forte, ut supremum arboris illius ad nos inclines verticem, ut quilibet nostrum tanto facilius illius sibi possit decerpere fructum ? Crux arbor est. Ita enim canit Ecclesia : *Arbor decora et fulgida* Arboris vero hujus fructus tu es. Ita enim te Elisabeth appellavit, dum ait : *Benedictus fructus ventris tui.* Potuisset idem auctor addere, Ecclesiam inter alia hæc quoque verba recitare : *Flecte ramos arbor alta*, ad hoc enim, ut quis fructum ex hac arbore vitæ pendentem decerpere posset, necessum erat, ut fructus sc deorsum flecteret, et inclinaret.

**10.** — *Inclinato capite.* Notat Salmeron, Christum caput suum inclinando, in centrum terræ, sive in limbum suum defixisse obtutum, utpote in quem ejus sanctissima anima paulo post abitura erat, ut animas ibi detentas consolaretur, easdemque a diuturno liberare exilio. Addit insuper idem Salmeron : « Inclinando caput in partem inferiorem, significa- « vit tempus esse, ut spiritibus prædicaret apud « inferos ; venit enim, ut tam vivorum, quam mor- « tuorum dominaretur. » Idem paulo ante in favorem nostrum dixerat : « Christus in eam partem « deflectens caput, versus Europam dilectam, et « in fide stabilem inclinavit ; quemadmodum mo- « ribundus, qui recumbit in lecto, finemque videt « adventare, in eam partem, ubi viderit dilectum, « caput inflectit. »

**11.** — *Inclinato capite.* Alii Christum ad illam partem caput inclinasse dicunt, ubi dilectissima ejus Mater erat, « quasi salutando ac valedicendo « Matri, » inquit idem Salmeron ; quod ante ipsum S. Vincentius in sermone quadam de Parasceve his verbis tradiderat [1] : « *Inclinato capite*, quasi vale « diceret Matri sic emisit spiritum. » Lanspergius pariter in homilia quadam idipsum confirmat, inquiens [2] : « Caput suum versus Matrem inclinavit. « quasi ultimum eidem Ave, seu vale dicturus. « Itaque in angustiis, doloribusque multis tunc « constitutus, hoc signo innuit, ac si Matri eidem « corpus suum vulneratum, dilaceratum, ac crude- « liter nimis dissipatum commendaret ; rursumque « se erigens, et Patri se recommendans, valido dixit « clamore : *Pater, in manus tuas commendo spiritum* « *meum*, quibus verbis dictis *inclinato iterum* capite, « *emisit spirttum.* »

**12.** — Orgienes non exhortatur, inquiens [3] : « Festinemus vitam nostram servare, ut in exitu « nostro possimus et nos magnam voeem clamare, « et sic emittere spiritum, sicut Jesus, qui incli- « navit caput, et quasi super Patris gremium illud « repausans erigit, qni poterat illud in sinu suo « fovere, et confortare. » Nequaquam prætereundum est, quod magnus quidam Dei, et sanctissimæ Matris ejus servus, Originis exhortationem secutus, in se expertus fuit. Nam Joachim Senensis, ordinis Servorum B. Virginis, adeo gravi morbo correptus fuit, ut caro illius ab exortis vermibus consumeretur nec tamen a medicis curari, aut Deum (quem pro aliis infirmis exorabat) rogare voluit, iliud Apostoli usurpans : *Cum infirmor, tunc potens sum.* Cum qua die Christus pro mundi salute cruci affixus est, mori a Deo postulasset, in die Cœnæ Domini sacra refectus commnnione, Fratres cœpit rogare, ut pro se preces ad Deum funderent, quo securior sequenti die migraret. Itaque dum illi in die Paracesves passionem Dominicam decantantes, ea verba pronunciarent : *Et inclinato capite, emisit spiritum*, ipse quoques spiritum Deo reddidit anno salutis 1035, ætatis 47.

[1] Blos., *in Sacell. animæ.* — [2] Joan. Ferus, *in hist. Pass.*

[1] S. Vinb. Fer., *in die Parasc.* — [2] Lansp., h. 52 *de Pass.* — [3] Orig., tr. 35 *in Matt.*

## DISCURSUS XXV

### CIRCA ILLA VERBA : *Emisit, tradidit spiritum,* MULTA PRÆCLARA DICUNTUR

IDEA SERMONIS. — 1. Quare anima Christi vocetur spiritus. — 2. Emissione spiritus significatur Christum sua sponte mortuum esse. — 3. Fuit in Christi libera potestate mortem subire. — 4. Probatur ulterius libera illa potestas moriendi in Christo. — 5. Continuatio ejusdem materiæ. — 6. Christus excessivum sustinuit dolorem in separatione animæ a corpore suo. — 7. Christus eadem hora mortuus est qua Adam peccavit. — 8. Christus emisit animam suam quasi columbam ferentem olivam reconciliationis.

*Emisit spiritum.* Matth., XXVII, 51.

**1.** — Mors Redemptoris ab Evangelistis per varia verba describitur ; nam S. Matthæus inquit : *Emisit spiritum* ; S. Marcus et Lucas dicunt : *Exspiravit.* S. Joannes vero est : *Tradidit spiritum.* Omnes autem hi varii modi in eo concordant, quod subsecutam animæ a corpore Christi separationem exprimant. Cajetanus rationem assignat, cur animam Christi spiritum appellarint ; ita enim scribit [1] : « Spiritum, non animam appellant, quia usque ad « mortem, res quæ est anima, statum animæ habet, « quoniam animat, seu vivificat corpus ; in morte « autem transit in statum spiritus, quoniam existit « illo modo, quo puræ spirituales substantiæ exis- « tunt. » Idem quoque super Joannem scribens, inquit : « Dicit *spiritum,* quia spiritus est nomen rei « ita incorporeæ, quod etiam independens est a « corpore, juxta id, quod superius dictum est : « *Spiritus est Deus.* Et exinde translatum est, ut sit « etiam nomen status, ut scilicet significet rem illam « in statu sine corpore ; et sic sumitur in proposito. « Protperea non dicit : *Tradidit animam,* quia non « tradidit illam in statu animæ ; sed dicit : *Tradidit* « *spiritum,* quia tradidit illam in statu spiritus. »

**2.** — Lucas Brugensis verbum *Emisit spiritum,* ita exponit [2] ; « Id est, animam suam a corpore « permisit jussitque separari. Emittendi enim « verbo ultronea mors significatur, quod scilicet « emiserit animam e corpore sponte sua. » S. Ambrosius hujus verbi ponderans significationem, ita scribit [3] : « Bene tradidit, qui non invitus amisit. « Denique Matthæus ait : *Emisit spiritum* ; quod « enim emittitur, voluntarium est ; quod amittitur, « necessarium. » Porro Lucas Brugensis ad nostram eruditionem subdit : « Christianus Druthmarus « scribens in hunc locum ait : Quid enim est emit- « tere spiritum, nisi et animam ponere ? Qua de re « Augustinus IV de *Trinit.* c. 13 : Spiritus Mediatoris « carnem non deseruit invitus, sed quia voluit, « quando voluit, quomodo voluit ; quippe Dei « Verbo ad unitatem commixtus est homo. Hinc « ait : *Potestatem habeo ponendi animam meam et* « *iterum sumendi eam.* » Salmeron quoque idem confirmat, dum ait [1] : « Observa ex Chrysostomo « et Euthymio, quod ut ait Joannes, prius inclinavit « caput, postea exspiravit, sive tradidit spiritum. At « in nobis contrario modo contingit : Primo exspi- « ramus, deinde caput vita desertum inclinatur. « Secus in Christo, ut se Dominum vitæ et mortis « ostenderet. Hinc præclare Augustinus, Tractatu « XX in *Joan* : Quis ita dormit, quando voluerit, « sicut Jesus mortuus est, quando voluit ? Quis ita « cum voluerit, obit, quomodo cum voluerit obiit ? « Quanta speranda vel timenda potestas est judi- « cantis, si apparuit tanta morientis ? » Idem ponderans verbum S. Joannis, scilicet : *Tradidit spiritum,* inquit : « Quod tradimus, aut emit- « timus, proprie loquendo id in nostra potestate « situm est ; non autem tradimus, nec emittimus, « quod a nobis tollitur vi, sive eripitur. Nec est « quod Christus timeret suo spiritui, ex eo quod « Patri commendavit, sed Patri reddidit animam, « quam ab eo accepit et quam omnes reddere « debent. Ita dicitur in Ecclesiaste : *Revertatur* « *pulvis in terram suam, unde erat ; et spiritus* « *redeat ad Deum, qui dedit illum.* In quæ verba « scribens Augustinus, lib. qu. XXIV, ita dicit : Non « arbitror, de omnibus posse dici, sed de iis qui sic « vixerunt, ut ad Deum redire mereantur, tan- « quam auctorem a quo creati sunt. Neque enim « hoc de illis intelligi potest, de quibus dicitur : « *Spiritus ambulans et non revertens.* » S. Ambrosius super illa verba : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum,* ita scribit [4] : « Et bene com- « mendatur spiritus, qui servatur : quod enim « commendatur, utique non amittitur. Bonum ergo « pignus est spiritus, bonum depositum. Unde et « ille ait : *O Timothee, bonum depositum custodi,* « Commendatur ergo Patri spiritus ; et ideo ait : « *Quoniam non derelinques animam meam in in-* « *ferno.* » Cum hactenus dictis optime consonat sequens doctrina S. Paschasii, dicentis [3] : « *Emisit* « utique et non *amisit,* quoniam aliud est emittere, « vel tradere spiritum, sicut Joannes ait quod « inclinato capite tradidit spiritum ; et aliud amit- « tere, quia quod amittimus, aliquando perdere « probamur : sed Christus, seu emiseriet, seu tra- « diderit, vel juxta Lucam expiraverit, in sua potes- « tate fuit, quando, vel quomodo, vel cui suum spi- « ritum commendaverit, seu tradiderit ; alioqui non « est in natura hominis per se exhalare spiritum. »

**3.** — Porro mortem, quando volebat subire, in libera fuisse Christi potestate, duobus præcipue argumentis convincitur : Primum est, quia clamavit, priusquam exspiraret ; et postea in ipso actu

[1] CAJET., *in Joan.* — [2] LUC. BRUG., *in Matt.* — [3] S. AMB., *ib.*

[1] SALM., t. E, tr. 46. — [2] S. AMB., *ib.* — [3] S. PASCH., *in Matt.*

exhalandi spiritum, prout apud S. Matthæum legitur, alta voce clamavit : *Iterum clamans voce magna, emisit spiritum.* Secundum vero est, quia prius inclinavit caput, et postea emisit spiritum, ejusque beatissima anima a corpore separata fuit. Quod primum argumentum attinet, præter id, quod in Tractatu IX, Disc. 10, diximus, S. Bonaventura in Commentario super Lucam ita scribit[1] : « Ideo « simul clamans et lachrymans exspiravit, ut in « lachrymis intelligatur vera Christi passio et « humanitas, in clamore vero Divinitas ; quia cum « nullus possit clamare per naturam, nisi qui habet « sanguinem sufficientem in corde et spiritum ad « respirationem, impossibile est, quod per naturam « quis expiret et clamet. Ideo ostendit in clamore « mortis se omnipotentem et verum esse, quod « dixit : *Potestatem habeo ponendi animam meam « et potestatem habeo iterum sumendi eam.* » Victor Antiochenus super Marcum scribens, idipsum confirmat, inquiens[2] : « *Emissa voce magna.* Per « hoc factum Dominus Jesus demonstrabat, se totam « vitam, mortemque suam in libera potestate « positam habuisse. » Lucas Brugensis sensus litteralis accuratus interpres, super illa verba *Clamans voce magna*, similiter ait[3]. « Fuit plane maxima « hæc vox, profecta ex maxima Christi virtute, « maximo vehementissimoque orandi affectu, « maxima denique certitudine suæ erga Patrem « commendationis ; confidentissime enim mortem « advocat. » Observandum porro est, quod priusquam S. Joannes Christum expirasse dicat, hæc verba præmittat[4] : *Postea Jesus sciens, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura.* Ac poinde S. Augustinus sequentem nobis tradit doctrinam[5] : « Tanquam ad hoc expectaret, ut perfectum in illo esset, quod de illo prophetatum erat, « qui utique cum vellet, moreretur. » Idem S. Doctor alio in loco inquit[6] : « Obtulerunt ei acetum « in cruce ; accepit et ait : Perfectum est, et inclinato capite, reddidit spiritum. Videtis potestatem « morientis, quia hoc expectabat volens, donec « omnia complerentur, quæ de illo prædicta fuerant « ante mortem futura. Dixerat enim Propheta : « *Dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto.* Expectabat ut hæc omnia complerentur. Posteaquam completa sunt, dixit : Perfectum est, et abscessit potestate, quia non venerat « necessitate. Ideo quidam plus mirati sunt istam « potestatem morientis, quam potentiam miracula « facientis. » Porro superius ex sententia S. Athanasii diximus, Christum caput suum inclinando, præcepisse, seu annuisse morti, ut accederet, denotando per hoc suam, quam in ipsam habebat, auctoritatem. Unde in eo momento verificatum fuit id, quod canit Ecclesia : *Mors et vita, duello conflixere mirando.* Nullius porro unquam viventium, per sæcula, quinque millibus et amplius annis præterita, morti dominari potuit ; sed ipsa independentem et absolutam in omnes indifferenter possederat auctoritatem : ac proinde nunc Christum vitæ auctorem considerans, quasi attonita hæsit, nec propius ad ipsum appropinquare præsumpsit, tametsi illum ob tot perpessos dolores moribundum conspiceret : « *Tradidit* igitur *spiritum*, id est, potestative, » ut Dionysius Carthusianus inquit[1], « animam suam a « proprio corpore separavit. » Hæc autem separatio subsecuta est opera mortis, velut instrumenti ; hæc enim accepto a Christo imperio, animam a corpore rescidit.

4. — Alterum argumentum est : *Inclinato capite, emisit, spiritum.* Circa quæ verba Toletus ita scribit[2] : « Caput inclinavit ad mortem, ut significaret, quod « ipse dixerat : *Ego ponam animam meam, nemo « tollet a me* : idcirco voce magna clamat, ut non « virtutis et naturalis roboris defectu mori videretur, « sed ponié animam ponere : inclinat ipsemet « sponte caput et spiritum tradit. Cæteri omines « non sic jam morientes clamant, nec ante inclinant caput, sed potius per mortem, spiritu et « vigore omni deficiente, caput suo pondere declinat. » S. Bonaventura interrogat, dicens[3] : « Cum « in morientibus prius fiat emissio spiritus, sive « expiratio et deinde inclinatio capitis, sive demissio, qualiter ordinat hic e contrario ? Et ad istud « respondet Chrysostomus. Quod ita est in nobis, « quod post expirare, inclinamus caput ; e contrario « in Christo : per quæ omnia indicavit Evangelista, « quod ipse Dominus omnium habeat potestatem « ponendi animam et non ponendi. « Verba Chrysostomi in homilia LXXXIV super Joannem sunt sequentia : « *Inclinato capite*, quod affixum non erat, « *tradidit spiritum.* Atqui non post inclinatum caput « expiratur, sed post expirationem caput inclinatur. « Hic autem contra accidit, per quod ostendit eum « Evangelista esse omnium Dominum. Pro majori hujus intelligentia, necessum est, ut supponamus in facto, quod Lucas Brugensis hac de re in hæc verba scribit[4] : « *Inclinato capite*, quod hactenus una « cum corde suo Deum Patrem versus erectum « tenuerunt ; inclinato, inquam, in latus alterum, « aut potius in pectus (utpote quod solum habebat « liberum, solumque non erat affixum) contra « morientium, ac presertim crucifixorum, id est, « de manibus pendentium, morem. Capite erecto, « aut certe nutabundo esse coguntur moribundi, « presertim si pendeant, non de capite, idque ut « trahant miserum spiritum : maxime vero cum « jam reipsa moriuntur, etiamsi antea fuissent for« tassis capite in pectus inclinato, mortis et spi-

[1] S. Bon., *in Luc.* — [2] Vict. Ant., *in Marc.* — [3] Lug. Brug., *in Luc.* — [4] Joan., XIX, 28. — [5] S. Aug., l. II *de Conf.* — [6] Id., tr. 31 *in Joan.*

[1] Dion. Carth., *in Joan.* — [2] Tolet., *ib.* — [3] S. Bon., *ib.* — [4] Luc. Brug., *ib.*

« ritus egredientis vi caput violenter erigere; nec « enim in morte, sed a morte demum spiritu « emisso et vigore extincto fiet, ut ejus, qui pendeat « crucifixus, caput suo pondere in pectus inclinet. « Porro Christus Dominus contrario modo capite, « nec erecto, nec subito exsiliente, sed inclinato et « incumbente pectori expiravit, ut modis omnibus « intelligendum daret, se ponere animam, non « tolli abs se; se non violenter, sed voluntarie « mori; et leniter spiritum reddere, non necessitate « ut debilem, sed potestate ut fortem. »

**5.** — Ad probandum ea quæ hactenus diximus, addenda est doctrina quædam S. Paschasii, quam a nullo aliorum notatam fuisse mihi constat; siquidem tametsi alias de flagellatione disseruisset, hic tamen de alia quadam flagellationis specie mentionem facit, dum ita scribit[1]: « Consuetudo erat « Romanorum et omnium eorum, qui flagellabant « eos, qui crucifigebantur: percutiebant quidem « eos primum, qui pro suis sceleribus tenebantur « rei, et multis macerabat suppliciis, ne majorem « sustinerent cruciatum; quia post crucifixionem « cum multo dolore longiorem, nimium sustinebant « tormentum, si non prius cruciarentur sub scapu- « larum et nervorum percussionibus. Sed quia in « Jesu ista prius non fuerant facta, eo quod Pilatus « volens satisfacere populo universo, qui clamaverat, « crucifige, crucifige, timensque tumultum eorum, « non jussit fieri ea in Jesu, ut non cito moreretur « in cruce. Quia quibus mors accelerata non esset « in cruce, solebant vivere usque in triduum, etiam « et usque in quatriduum: Jesus autem cum non « fuisset ita percussus, sperabatur diu pendens, in « cruce vivere et majori pati tormenta. Sed quia « venerat hora ejus, uti post triduum in prima « Sabathi resurgeret, oravit ad Patrem, atque « exauditus est, atque ut clamavit, pacifice recep- « tus est, quasi potestatem habens ponere animam « suam. Et ideo inclinato capite, sic posuit eam, « quando voluit et quomodo voluit. Quod prodi- « gium contra omnium eorum consuetudinem, qui « cruciabantur in cruce, videns Centurio, dixit: « *Vere hic homo Filius Dei erat*; miraculum enim « fuit, quia post tres horas receptus est, qui forte « biduum, vel triduum victurus esset in cruce, si « secundum consuetudinem eorum viveret qui « suspendebantur. » B. Laurentius Justinianus quoque de Redemptore nostro ita concludit[2]: « Quan- « tum voluit, vixit; quando voluit, tradidit « spiritum; non enim coacte, sed sponte et nemine « cogente exspiravit. Potestatem habuit ponendi « animam suam et iterum sumendi eam. Sacra- « mentum tamen maximum nobis commendavit in « eo, quod dicit: *Inclinato capite, tradidit spiritum.* « Potestatem moriendi se habere indicavit. »

[1] S. Pasch., *ib.* — [2] B. Laur. Justin., *de Triumph. Chr. agon.*

**6.** — Excessivum, quem Christus in hac animæ a corpore separatione perpessus est, dolorem, Taulerus his verbis exponit[1]: « Videamus quis illic « mœror, quæ angustia, quæ pressura fuerit, cum « anima illa excellentissima a dignissimo illo, « atque sacratissimo corpore, in quo triginta tribus « annis tam dulciter, pacifice, jucunde et sancte, « non secus quam duo amantes in lectulo uno, « quieverat, jam jamque discedere cogeretur. Quam « ægre se divelli ab invicem patiebantur, inter quæ « nulla unquam discordia, lis nulla, dissidium « nullum! O quam gravis et ineffabilis illa crux « erat, quando sanctum illud corpus, tam fidum « amicum, tam pacificum patremfamilias, tam « pium denique cogebatur præceptorem et magis- « trum dimittere! »

**7.** — Didacus Stella hac in re sequentem habet considerationem[2]: « Eadem hora, qua Adam pec- « cavit, Christus expiravit; nam primus Adam post « meridiem peccavit, quia mox ut peccavit, vocem « Domini audivit deambulantis ad auram post « meridiem; et tunc circa horam nonam secundus « Adam expiravit. Unde qua hora primus Adam « peccando induxit mortem huic mundo, eadem « hora secundus Adam mortem moriendo destruxit; « et qua hora illi Paradisus est clausus, eadem « hora iste Paradisum aperuit. »

**8.** — Vincentius Bellovacensis ad propositum nostrum in hæc verba scribit: « Nota, quod bene « dicit Matthæus: *Emisit spiritum*, scilicet tanquam « columbam ex arca, quæ ramum olivæ tulit, id « est, reconciliationem nostram Deo Patri, juxta « illud: *Reconciliati sumus Deo, per mortem Filii « ejus.* Joannes dicit: *Tradidit*, scilicet quasi pre- « tium nostræ Redemptionis solvens. De quo pretio « S. Paulus omnibus fidelibus inquit[3]: *Empti estis « pretio magno.* » Isaias propheta capite LIII, in quo omnes præcipuas Passionis Dominicæ periodos ad unguem delineavit, de Christo passo inquit: *Tradidit in mortem animam suam.* Ubi Pagninus legit: *Effudit in morte, etc.* quod verbum magnam exprimit prodigalitatem et parvipensionem; unde Psalmista ait[4]: *Sicut aqua effusus sum.* Oleaster ex hoc verbo sequentem eruit conceptum; ait enim: « Nonne dicebam tibi, Deum suo more nimium in « operibus salutis? Nonne vitam suam prodegit? « quæ enim effunduntur, non reputantur: videtur « ipse suam vitam pretiosissimam non reputare, « postquam eam tradidit pro iis, qui morte digni « erant. » S. Bernardinus dum Christi mortem meditando, omnes Passionis suæ ponderasset dolores, tandem in hæc verba concludit[5]: « Consi- « dera tu, homo redempte, quis, qualis et quantus « est hic, qui pro te mortuus est; et vere omnium « lapidum duritiem superabis, si ad tanti rememo-

[1] Taul., c. 60 *de Pass.* — [2] Did. Stella, *in Luc.* — [3] I Cor., VI, 20. — [4] *Ps.* XXI, 5. — [5] S. Bern., t. I, s. 55.

« rationem piaculi, nec terrore concuteris, nec « compassione afficeris, nec compunctione scin- « deris, nec pietate molliris. » Taulerus inquit [1] : « Sic vita in cruce occubuit,ut de ligno crucis vitæ « fructum porrigeret. Sic sic excellentissimum hoc « pretium pro nobis fusum est. » At vero modicum nimis dixit, siquidem vere dicere poterat : *Pro me et pro te effusum est* ; quia idem inæstimabile pretium pro unica duntaxat anima redimenda libenter exsolvisset. Unde S. Bernardus ait [2] : « *Tradidit « semetipsum pro me*, quia eadem charitate, qua « mortuus est pro omnibus, mortuus est pro sin- « gulis. » D. Chrysostomus super illa verba S. Pauli [3] : *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me*, his verbis Apostolum interrogat [4] : « Quæ pro toto terrarum orbe facta « sunt, tibi facis peculiaria ? Non enim dixisti : Qui « dilexit nos, sed, *qui dilexit me.* » Demum vero concludit, inquiens : « Declarat, par esse, ut quis- « que nostrum non minus agat gratias Deo, quam « si ob ipsum solum advenisset ; neque enim recu- « saturus erat, vel ob unum tantam exhibere dis- « pensationem. » Unde S. Thomas ait [1] : « Propter « se solam quælibet anima reputet illa omnia esse « facta. » Et vero ut ea quæ Redemptor noster pro nobis clementer est passus, per devotam meditationem cordi nostro inseramus, totam hanc materiam claudendam esse censeo sequenti memorabili Salviani sententia, dicentis [2] : « Christus, sicut pro « omnibus passus est, sic pro singulis ei totum se « dedit universis et singulis totum : ac per hoc « quidquid Passione sua Salvator præstitit, sicut ei « debent universi, sic totum singuli. »

[1] Taul., c. 5 *de Pass.* — [2] S. Bern., s. 42 *in Cant.* — [3] Gal., II, 20. — [4] S. Chrys., *ib.*

[1] S. Thom., *opusc.* LXVI. — [2] Salv., l. I.

# TRACTATUS ADDITITIUS

E PROMPUARIO SACRO DEPROMPTUS

## DE INVENTIONE SANCTÆ CRUCIS.

### DISCURSUS I.

AGITUR DE MODO, QUO SANCTA CRUX INQUISITA ET INVENTA FUIT. NONNULLÆ ETIAM CONSIDERANTUR MORALITATES PAÆCIPUÆ CIRCA TRES CRUCES.

Idea sermonis. — 1. Lignum Crucis quærit B. Helena. Tres cruces invenit. Sanctissimam crucem Domini miraculum manifestat. — 2. Nobis quærenda crux Christi : signum inventæ crucis. — 3. Quænam sit crux Christi? crux mali latronis? crux boni? — 4. Non eadem crux similiter omnibus proficit.

**1.** — Jure meritissimo Sancta Mater Ecclesia hunc diem magna cum solemnitate concelebrat, utpote in quo erutus et in publicam lucem eductus est inæstimabilis ille crucis Redemptoris nostri thesaurus, tot retro annis in montis Calvariæ rupe absconditus. Equidem Constantinus Magnus Imperator, ut Berengosius Abbas scribit [1], triumphale hoc lignum, omnium a se gloriose partarum hactenus victoriarum et triumphorum unicum instrumentum, omni adhibito studio conatus est investigare : « Lignum Dominicum inquirere cœpit a « sapientibus, eo studiosius scilicet cupiens ejus- « dem Crucis venerari memoriam quo per eam ab « hostibus suis antea meruit habere victoriam ; sed « quoniam ipse pro fide Christi et negotiis Imperii « animarum suum in plura divisit ; ideo B. Hele- « nam matrem suam pro se Hierosolymam misit. » Hæc autem sanctissima Imperatrix insuper, ut in matutinalibus lectionibus habemus, somnio quodam cœlesti fortius ad hoc obsequium instigata fuit ; « In somnis admonita, » inquit jam citatus Berengosius « ut eo studiosius ibi inquireret crucem ; « quo ad hanc inquisitionem ipsum crucifixorem « assensorem haberet ac ducem. » Porro divinum illud Davidici oris oraculum jam olim tot ante sæcula perspicue prædixit [1] : *Commoveatur universa terra*. Visum namque sibi fuit totum universum ad commotionem seu potius admirationem quamdam invitari et causam protinus subjungit : *Quia Dominus regnavit a ligno* (ita enim legit Psalterium antiquum Romanum, S. Augustinus et alii) universus etenim mundus suspensus hærebat, nesciens quo fine tanta tamque Augusta Imperatrix tanto cum apparatu longum illud et molestissimum adoriretur iter, quemque finem spectarent ingentes illi Magni

[1] Bereng., *de laudibus sanctæ Crucis.*

[1] *Ps.* XCIX, 9.

Constantini conatus et expeditiones, quæ utique in exaltandam illius sibi adeo benefici ligni gloriam dirigebantur. S. Ambrosius Imperatricem hunc in modum intra se discurrentem introducit [1] : « Ego « in regnis et Crux Domini in pulvere ? Ego in « aulis et in ruinis Christi triumphus ? » Imaginemini vobis obsecro, quales ad tanti momenti negotium absolvendum adhibitæ fuerint præparationes. « Militarem manum » scribit Severus Sulpitius [2], « et omnem provincialium multitudinem adhibuit, « ut montem illum excavare posset, » in quo Crux Dominica sepulta esse videbatur. Ad sacrosancti hujus ligni investigationem rite faciendam ingens armatorum militum concurrebat numerus, aliique complures ex circumvicinis Provinciis adunabantur imo ipsamet Augusta Imperatrix tali conatui assistere nan fuit dedignata, de qua S. Ambrosius ait: « Festinabat tangere remedium immortalitatis. » Demum vero post multos sudores superatos ad absconditi hujus thesauri pertigerunt divitem gazam ; tres etenim repertæ sunt cruces : proh, Deum immortalem ! cum quanta lætitia, quantoque cum jubilo ! « Cum tres pariter cruces, » inquit S. Paulinus [3], « ut quondam fixa Domino et latronibus « steterant, repertæ fuissent, gratulatio repertarum « cœpit anxia dubitatione confundi justo piorum « metu, ne forsitan aut pro cruce Domini patibu- « lum latronis eligerint ; aut salutare lignum pro « stipite latronis abjiciendo, violarent. » Qualis hic esse debebat sanctæ hujus Imperatricis, imo et totius Christianismi perplexitas, utpote qui utrinque ad se coram hac arbore vitæ prosternendum, seque eidem per venerabundam devotionem et obsequium adstringendum avidissimi erant, nec tamen quænam ex tribus hisce arboribus arbor illa esset cognoscere valebant. Verumtamen ut idem sanctus dicit, benignissimus Deus noster « Respexit pias « fideliter æstuantium curas et ipsi potissimum, « quæ tam piæ sollicitudinis princeps erat, hujus « consilii lumen infundit ; ut aliquem recens mor- « tuum inquiri et inferri juberet : nec mora ver- « bum factum, cadaver illatum est ; deponitur : « jacenti una de crucibus admovetur : sed earum « ligna mors sprevit (id est, quæ erant in crucibus « amborum latronum) Postremo Dominicam cru- « cem prodiit resurrectio et ad salutaris ligni tac- « tum, morte profuga, funus excussum et corpus « erectum est. » Rufinus autem, prouti in hodiernis lectionibus audivimus, scribit, quod experientiam facturi, quænam crux Salvatoris esset, adductæ ad locum crucis infirmæ cuidam morti proximæ, sensibusque omnibus destitutæ singulas tres cruces admoverint, dumque prima et secunda crux eidem applicaretur, infirma nequidquam se movit : ad contactum vero tertiæ, « Repente adapertis oculis « mulier consurrexit et stabilitate virium recepta « alacrior, quam cum sana fuerat, tota domo dis- « currere et magnificare Dei potentiam cœpit. » Nicephorus denique et alii utrumque miraculum per crucem patratum esse existimant, cui opinioni verba illa fidem faciunt quæ in responsorio quintæ lectionis recitavimus. « Ad crucis contactum resur- « gunt mortui, magnalia reserantur. »

**2.** — Circa hanc autem miraculosam crucis inventionem ad nostrum spiritualem profectum utiliter discurrere possumus. Velut enim indubitatum suppono neminem nostrum crucis in se susceptioni refragari velle, utpote sine qua salvari non possumus; dicimus enim « Salva nos Christe « Salvator, » sed quanam id ratione fiet ? « per « virtutem crucis ; » utique quilibet nostrum cruci Christi astringi vellet, non item crnci latronis improbi; an non ita est? at vero ex quo omnes tres inter se uniformes sunt, oculus autem ad Redemptoris crucem discernendam haud æquus sit judex, quonam nobis consilio utendum erit ? indubitatum (mihi credite) crucem Christi discernendi signum vobis indicabo ; si forte Deus infirmitatem aliquam mortalem, vel squalidum carcerem aut molestam litem, vel tyrannicam persecutionem, vel quamvis aliam adversitatem immiserit, vel imminenti mortis periculo aut manifestæ jacturæ facultates vestras, vestram quoque famam et existimationem exposuerit ; tunc vel inde aperti sunt vestri oculi, lumen Deique notitiam vobis comparastis, malos vestros emendastis vitæ mores, bonaque proposita stipulatasque Deo factas promissiones executioni mandastis, Deoque pro recepto a vobis beneficio gratos exhibuistis, aut vero nihil horum a vobis præstitum fuit? si omnia hæc in vobis adimpleta esse cernitis, scitote crucem hanc veram Christi crucem esse ; nam ut statim diximus : « Re- « pente adapertis oculis mulier consurrexit et sta- « bilitate virium recepta, etc. » Quod si autem ad talis crucis immissionem immobiles maneatis, id est in peccato mortui esse perseveretis ; id est si post talis tribulationis et angustiæ immissionem, pristinam vitæ dissolutionem continueris, malam societatem non deserueritis, neque deposito odio illatam vobis ab inimico vestro injuriam condonaveritis nec inique parta restitueritis, quin potius vitiis vestris magis quam unquam hactenus insordescatis, scitote certeque vobis persuadete crucem hanc improbi latronis crucem esse, nam ut S. Paulinus scribit : « Ita (ut crucem Christi decuit) expe- « rimento resurrectionis inventa et probata crux « Christi est. » Si enim hæc crux in te obtinere nequivit, ut a morte peccati ad gratiæ vitam resurgeres, crucem Salvatoris nequaquam invenisti, quin potius improbi latronis supplicium, siquidem ad pœnitentiam minime commoveris, imo magis quam hactenus unquam in culpa obstinatus persistis.

[1] S. Amb. — [2] Sev. Sulp. — [3] S. Paul., *epist.* 11.

**3.** — Verum enimvero merito hic quærat aliquis qua ratione tres hasce cruces inter se distinguere possimus, quando omnes tres eamdem præseferebant figuram et apparentiam, atque ex uno eodemque ligno omnes fabricatæ erant? Respondeo per moralem quamdam distinctionem adhibitam: scitisne, quæ et qualis crux Christi fuerit? nimirum sine culpa sustinere pœnam [1]: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Unde in Christi cruce illi nobis præcipue exhibentur, qui ex motivo charitatis faciunt pœnitentiam, pro aliena affliguntur salute, bonum pro malo reddunt propriam suam abnegant voluntatem, quique in Christiana licet innocentia viventes vitam tamen traducunt rigidam, austeram et pœnitentem, haud secus ac si enormissimorum peccatorum rei essent, ita contemnuntur, humiliantur. Scitisne item, quonam modo crux mali latronis dignosci possit? nimirum quis in hac vita præsenti a divina justitia ob crimina et scelera sua per carceres, facultatum jacturas, incurabiles infirmitates, aliasque similes ærumnas castigatus, hanc se crucem jure commeruisse non agnoscit, quin potius Divinam providentiam velut injustam arguit, maledicit, blasphemat, ac tandem in desperatiouis baratrum sese deturbat. Hæc etenim crux est improbi latronis propria. Verum quæ res iterum, quænam dicenda sit crux boni latronis? equidem quoad externam apparentiam hæc eadem esse videtur quæ latronis improbi; cum hac tamen differentia et distinctione quod licet tribulationes et ærumnæ tales nostrorum sint demeritorum justa supplicia, in iis tamen ferendis ita constituti simus, ut ferientem nos ferulam humiliter exosculemur, nosque illam commeruisse libenter agnoscamus, eamque tum ad divinæ justitiæ satisfaciendum, tum ad conformandum nos divinæ voluntatis beneplacito perlibenter sustineamus. Hinc est, quod dum bonus latro e patibulo suspensus penderet, ad sua scelera reflectens ultro citroque confessus fuerit, dicens [2]: *Nos quidem juste: nam digna factis recipimus*, hacque ratione supplicium et crucem illam in peccatorum suorum satisfactionem ordinaverit, spemque firmam in Dei misericordiam conceperit, dicens: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*, atque ideo per hanc crucem primum inter omnes mortales in cœlos auditum habere meruerit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Felicissimus igitur hic nobis nuntius est, haud obscure significans, quod non in sola Christi cruce, verum etiam in cruce boni latronis salvari possimus. Unde Chrysostomus ait [3]: « Introivit latro de cruce mercans salutem. » Certum quidem est, quod Christi crucem humeris nostris difficulter adaptare possimus, siquidem *Nemo mundus a sorde*; præterquam quod admodum pauci sint illorum, qui in magna interioris hominis reformatione vivant et ad perfectionem adspirent: atque ideo Christus nobis aliam ad cœlum obtinendum faciliorem viam patefecit, dum videlicet indulsit, ut boni latronis crucem apprehendere possimus, non solum ex necessitate faciendo virtutem, id est, ærumnas quæ in hac vita utpote misera quadam lachrymarum valle copiosissime occurrunt ex amore Dei tolerando, verum etiam agnoscendo nos tali peccatorum nostrorum supplicio dignos esse, ideoque illud summa cum patientia suscipiendo. Bonus equidem latro totam vitam suam in assassiniis, latrociniis et homicidiis traduxerat, ac proinde ex millenis capitibus patibulum ei debebatur; verumtamen eo quia libens se illud juste commeruisse fatebatur suumque cor ad Christum dirigebat, per supernaturalem quemdam gratiæ instinctum agnoscendo quod is pro eis et totius mundi salute pateretur, ideo crux sua eum in cœlum sustulit, eumque a peccatis omnibus purgavit. Unde S. Augustinus ait [1]: « *Digna patimur* « *his, quæ commisimus*; vidisti, quomodo in cruce se « exuit a peccatis. » Nos igitur, sic quicquid adversitatum a Deo nobis immittitur, ex amore illius libenter substineamus, crucem quamdam portamus, quæ virtute est patrandi miracula, eaque non inferiora illis, quæ ab ipsiusmet Salvatoris cruce proficiscuntur. Imo teste S. Chrysostomo [2]: « Pro « Christo pati munus est majoris admirationis, « quam sit revera mortuos suscitare: nam illic « quidem debitor sum; hic vero debitorem habeo « Christum. »

**4.** — S. Augustinus, dum in tres hasce cruces in Calvario consistentes oculum defigit, dicit: « Tres cruces in uno loco erant. In una latro « liberandus, in alia latro damnandus, in media « Christus alterum liberaturus, alterum damnatu- « rus. Quid similius istis crucibus? quid dissimi- « lius istis pendentibus? » Exterior utique oculus omnes hasce tres cruces eodem fine claudendas fuisse, credere potuisset; et tamen quam sunt inter se differentes? multi sæpe eidem paupertatis vel infirmitatis cruci subjacebunt et tamen inde unus proficiet et utilitatem hauriret, alter vero non item; imo uni lignum illud crucis serviet, ut ipsum in igne æterno ardere faciat: alteri vero serviet loco scalæ, per quam in cœlum conscendat.

## DISCURSUS II.

### CUR DEUS SANCTAM CRUCEM TOT ANNIS SUB VENERIS IDOLO ABSCONDITAM ESSE VOLUERIT. UBI SIMUL CRUCIS A PECCATO CARNIS AVERSIO INSINUATUR.

IDEA SERMONIS. — **1.** Crux Veneri totaliter contraria est. A Venere quasi sepelitur. Crucis consideratio

[1] I PET., II, 22. — [2] LUC., XXIII, 41. — [3] S. CHRYSOST., *de Cruce et latr.*

[1] S. AUG., s. 49 *in Append.* — [2] S. CHRYS., h. 4 *ad Phil.*

remedium efficacissimum contra vitium carnis. Ulysses et Syrenes, pulchra comparatio. — 2. Christus in homine vitio dedito iterum crucifigitur. Crux diu abscondita demum adoratur. — 3. Summa inimicitia crucem inter et lubricum vitium. Exemplum datur. — 4. Quid sit ponere idolum Veneris juxta Filium Virginis.

*Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est.* Ad Philippenses, VII, 18.

**1.** — S. Paulus Apostolus, qui omnem gloriam suam in cruce Redemptoris nostri posuit, quinam illi sint, qui inimici sunt ejusdem crucis, perspicue satis nobis declaravit, ii videlicet : *Quorum Deus venter est*, id est, ii qui ventrem suum velut idolum adorant, sive qui deliciis et voluptatibus carnalibus totaliter dediti existunt. Hi autem vel ideo crucis inimici existunt, ut Lyranus exponit, « quia hæc « contrariatur eorum carnalitati. » Porro inimicus infernalis qui sacrosancto hoc ligno mediante debellatus fuit, ut omnem qui huic ligno a fideli populo debebatur, aboleret memoriam, cultumque subverteret, quamnam ad hunc finem consequendum adhibuit machinam ; nimirum tam Hebræos, quam Gentiles eo instigavit, ut super illum locum, in quo sancta crux sepulta delitescebat, Veneris collocarent statuam, ut hac ratione, si forte Christianorum nonnemo ad eam adorandam illuc se contulisset, obsequium istud et veneratio huic impudicæ Deæ exhibita esse crederetur : aut vero ne hoc causaretur scandalum, unusquisque ab hujus loci cultu desisteret. Verum enimvero quonam putas mysterio astutus et vafer serpens ille eo in loco potius idolum Veneris, quam Junonis, Palladis, Mercurii, vel alteri Deitati simili erigi curavit ? scimus etenim, quod super locum Præsepii Adonidem, in Resurrectionis loco Jovem collocarint, cur autem super defossæ crucis locum Veneris erexerunt simulachrum ? nimirum ut nos veritatem hanc edoceret, quod scilicet nullum sit vitium, quod sanctam crucem ab oculis nostris fortius submoveat et quasi sepultam esse facit, subque pedibus turpiter conculcet, quam hoc Veneris lubricum vitium, sive carnis turpe peccatum. *Inimicos crucis Christi*, siquidem « contrariatur eorum carnalitati. » S. Hieronymus scribit [1] : « Ab Adriani temporibus usque « ad imperium Constantini, per annos circiter cen- « tum octoginta in loco Resurrectionis simulachrum « Jovis ; in crucis rupe statua ex marmore Veneri « a gentibus posita celebratur ; existimantibus per- « secutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem « Resurrectionis et crucis si loca sancta per idola « polluissent. » Certum est etenim crucem Veneri totaliter contrariam esse, nam ut idem Apostolus ad Ephesios scribens asserit [2] : *Qui sunt Christi crucifixerunt carnem suam cum vitiis et concupiscentiis suis.* Inter spinas et rosas infinita quædam intercedit contrarietas et antipathia, id est, inter voluptates carnales ex una et mortificationes austeritatesque corporales vel spirituales ex altera partibus, quia : *Caro concupiscit adversus spiritum et Spiritus adversus carnem.* Crucis et spinarum inimici sunt, qui rosis coronari amant. Ecce tibi autem hoc Veneris Idolum hodie subversum, ex quo crux hodie inventa fuit. Per quod egregie docemur, adversus vitium hoc quod præ cunctis aliis validiorem circa cor humanum tyrannidem exercet, nullum esse potentius remedium, quam per seriam quamdam considerationem oculos nostros in hoc crucis patibulum extollere. « Deus meus pendet in patibulo » (ita doctissimus meditatur Bernardus [3]) « et ego « voluptati operam dabo. » Vetusta est illa Homeri fabula, in qua fingitur, quod Syrenes illecebrosis cantibus suis viatores in profundum quemdam somnum sepultos devorare consueverint, Ulyssen autem utpote providum et circumspectum, hujusque periculi probe conscium, ne instar aliorum iisdem in prædam fieret, sese ad navigii quo vehebatur malum sive arborem arctissime ligari fecisse. S. Ambrosius in hisce illecebrosis cantibus carnis ac sensualitatis voluptates adumbratas esse docens, hoc inde elicit documentum, scilicet ut si carnem nostram ejusque titillationes vincere et detriumphare velimus, operæ pretium sit ; ut per vivam quamdam meditationem ad crucis arborem fortiter nos adstringamus [3] : « Non corporalibus ut Ulyses « ad arborem vinculis alligandus : sed animus ad « crucis lignum spiritualibus nexibus vinciendus. » Quænam autem inde reportabitur utilitas et fructus ? « Ne lassus viarum moveatur illecebris, cur- « sumque naturæ detorqueat in periculum voluptatis. » Idem quoque mellifluus Bernardus ulterius meditatur crucem refugium et vexillum nostrum esse, per quod ad fornicationem nos tentans inimicus in fugam abigatur [4] : « Si pulsat te turpis cogi- « tatio, si premit te caro, si dæmon paravit insidias, « fuge ad signum crucis Christi et liberaberis. « Syrenarum quædam suavis figura est mollis con- « cupiscentia voluptatum. » Idem quoque Ambrosius alio in loco dicit, ubi de cruce tractat et in eamdem jam insinuatam fabulam paulo latius diffunditur, dicit sapientissimum illum belli ducem Ulyssem postquam integro decennio per varias tempestates in mari fluctuans, patriæ suæ desideratum portum assequi non potuisset, tandem in eum locum appulisse, in quo incantatrices potius quam cantatrices Syrenæ demorabantur : « In quo « Syrenarum dulcis cantus crudeli varietate reso- « nabat et advenientes sic blanda modulatione

[1] S. HIER., l. I, ep. 14 *ad Paulin.*

[1] EPH., V, 24. — [2] S. BERN., *In forma vit. hon.* — [3] S. AML., l. IV *in Luca.* — [4] S. BERN., *de Cr. Christi.*

« mulcebat, ut non tam spectaculum voluptatis ca-
« perent, quam naufragium salutis incurrerent. »
Tandem vero quonam usus fuerit consilio narrare
incipit, dicens : « Igitur cum Ulysses incidisset in
« hoc dulce naufragium et suavitatis illius vellet
« declinare periculum : dicitur inserta cera auribus
« sociorum, seipsum ad arborem navigii religasse. »
Quæ omnia sanctus Doctor proposito nostro aptis-
sime applicat. In hoc etenim procelloso mundi
mari, in quo tot sunt Syrenæ, id est, carnalium
voluptatum atque deliciarum irritatrices, hoc ligno
seu malo navigii S. Petri mediante securitati et
saluti nostræ unice consulimus : « Arbor enim
« quædam in navi est crux in Ecclesia. Hodie omne
« genus hominum de mortis periculo crucis arbor
« eripuit. In hac navi quisquis aut arbori crucis se
« religaverit, aut aures suas Scripturis divinis clau-
« serit, dulcem procellam luxuriæ non timebit. »
Ad idem quoque propositum dicere possumus id
quod monet Ecclesiasticus, dicens [1] : *Sepi aurem tuam spinis*, id est, Christi Crucifixi spinas medi-
tando, sertaque rosacea pedibus nostris subjiciendo
et conculcando.

**2.** — *Inimicos crucis Christi.* Enimvero crucis
patibulum adeo est peccato venereo contrarium et
inimicum, ut nonnulli pulchre observarint, increa-
tam Sapientiam, cui in veritate dici potest : *Omnia in sapientia fecisti*, crucis lignum non sine pecu-
liari mysterio in die veneris, utpote a Venere
denominationem suam habente, conscendisse.
Mysterium autem istud non est aliud, quam ut hac
ratione Veneris regnum pro virium suarum poten-
tia debellaret. Unde S. Bernardus devotæ contem-
plationis oculos in hoc lignum elevans, ad nos
conversus ait [2] : « Et hæc intuens, qui dicitur
« Christianus, propriis nihilominus voluptatibus
« indulgere nullatenus erubescit? » verba illa quæ
Christus per regii prophetæ Davidis os dolenter
enuntiavit, scilicet : *Infixus sum in limo*, nonnihil
consideremus. Propheta igitur se limo infixum esse
dolet : S. Bernardus alibi nos vere lutum hoc esse
dicit [3] : « Homo enim formam crucis habet, quam,
« si manus extenderit, exprimet. » Hæc autem
crux displicet Christo (*iterum Christum in semetipsis crucifigentes*) cum enim tantus sit zelator puritatis
(*candor lucis æternæ speculum sine macula*) in car-
nalis sensualitatis nostræ luto sive limo se denuo
crucifixum esse reputat. S. Augustinus super illa
in initio posita verba : *Inimicos crucis Christi*,
ita scribit : « Cum enim crux Christi in omnibus
« electis carnem affligat et mortificet vitia, illi
« e contrario carnem voluptatibus fovent. » Quod-
nam insuper in eo mysterium latuisse arbitraris,
quod nunquam errans aut vacillans Dei providen-
tia ita disposuerit, ut sacrosanctum hoc lignum
postquam tot retro annis absconditum delituisset,
hodie per quamdam summa majestate præfulgidam
fœminam mundi imperatricem Helenam nomine
e terra erutum et in publicam denuo lucem resti-
tutum fuerit? pro cujus mysterii elucidatione me-
morandum est, quod ut poetæ fabulantur, alia
quædam raræ venustatis mulier fuerit, eodem He-
lenæ nomine insignita, quæ impudicæ Veneris
trophæa passim erexit. Adsit igitur, inquit Deus,
alia quædam longe commendabilior Helena, quæ
crucem meam studiose requisitam inveniendo las-
civæ Veneris illecebrosam tyrannidem prosternat
et dejiciat; inventamque crucem toti orbi Christiano
prædicando, fidelium cordibus carnalium voluptа-
tum horrorem, e contra vero pœnitentiæ, austeri-
tatis internæque mortificationis, in qua crux spiri-
tualis præcipue consistit, affectum efficaciter im-
primat. Præterea aliud quoddam non minus
profundum mysterium observandum est quod tunc
præcipue accidit, quando in sacrosanctæ crucis
custodiam Roma Hierosolymæ successit : Deus ete-
nim pretiosissimum hoc lignum, ab omnibus fide-
libus honorari volens, magnam crucis partem Ro-
mam deferri, ibique erigi et collocari disposuit.
*Omnia in sapientia fecisti.* Cum enim sancta crux
Hierosolymis tot annis sub Veneris idolo delites-
cens, intolerabili esset injuria affecta et contume-
liata, siquidem adoratio et reverentia quæ eo in
loco publice fiebat non huic sacrosancto ligno, sed
impudicæ illi deæ deferebatur, ideo Deus in harum
injuriarum ab hoc idolo cruci illatarum vindictam
disposuit et Constantino Magno, ejusque augustæ
matri Helenæ inspiravit, ut non simulachrum quod-
dam, sed olim in Veneris honorem erectum sump-
tuosissimum templum funditus solo æquaretur, in
ejusque ruinis aliud quoddam erigeretur templum
priori longe magnificentius, ut pretiosissimum
crucis lignum in eodem templo erectum, summa
cum devotione a cunctis fidelibus veneratur; estque
quæ hodiedum videtur famosa illa Basilica, sanctæ
crucis in Hierusalem intitulata.

**3.** — *Inimicos crucis Christi.* Tanta porro crucem
inter et lubricum hoc vitium inimicitia et hostilitas
intercedit, ut S. Franciscus super aliquem huic vi-
tio immersum infirmum solum crucis signum ma-
nibus efformare exhorruerit. Refert etenim S. Bo-
naventura de quodam Canonico Aretino, quod
postquam is lubricam, infamem, valdeque licen-
tiosam vitam traduxisset, ex infirmitatis vehemen-
tia jam moribundus, Seraphici Francisci in illam
civitatem adventum intelligens, eum instanter pro
impetranda sibi a Deo reconvalescentia et sanitate
rogarit, eidemque sanctus dixerit : « Cum vixeris
« olim secundum desideria carnis, non veritus
« judicia Dei, quomodo te cruce signabo? verum
« propter devotas intercedentium preces signo te
« crucis signabo in nomine Domini. » Sciendum

[1] Eccli., xxviii, 28. — [2] S. Bernard., *in declam.* — [3] Id., s. 4 *in Vig. Mat.*

est autem, hoc loco sanctum post recuperatam sanitatem mox ei dixisse, ut tamen videas crucem Christi ab omni carnali sensualitate infinitam habere aversionem : « Scito te graviora passurum si « ad vomitum redieris liberatus. » Id quod eidem revera accidit; postquam enim in idem lubricitatis peccatum denuo recidivus factus fuisset, Deus disposuit, ut sub corruentis fortuito domus cujusdam ruinis ipse subitaneam et improvisam inveniret sepulturam. Notandum adhæc est, quod S. Mariæ Ægyptiacæ evenit, quæ cum per solidos septemdecim annos vitam traduxisset turpissimam, hodierna die Hierosolymam ad præsentem festivitatem contendit, non ut ipsa crucem adoraret, sed potius ut in contumeliam crucis ipsa a lascivis hominibus adoraretur. Cum autem in vestibulo Ecclesiæ esset, ut eam ingrederetur, ab invisibili quodam manu retrorsum pellivet urgeri sensibiliter percipiebat; cumque adversus Divinam hanc sibi illatam vim tribus quatuorve vicibus per violentiam se opponere conata fuisset, sed irrito cassoque semper eventu, tandem in semetipsam conversa, atque a Deo interius commota, crucem ejus vitæ turpitudinem abominari, ac proinde indignam se esse, quæ coram ea compareret, intellexit; quæ proinde postquam vitæ superioris pœnitudine mota pectus fortiter percussisset, ad quandam Deiparæ Virginis (utpote quæ commune est peccatorum refugium) imaginem conversa, ejus præsidium imploravit, factoque proposito vitam suam emendandi, ac superiorem vitam condigna pœnitentia expiandi, nec unquam deinceps carnis peccatum per umbram committendi, post excitatos in corde suo ad instar Magdalenæ cujusdam ferventis contritionis actus, in templum crucis facilem aditum invenit, in eoque inæstimabilem illum crucis thesaurum summa cum devotione est venerata; ac demum per reliquum vitæ crucem illam humeris suis imposuit, de qua Chrysostomus ait : « Crucem non ligni esse « patibulum, sed vitæ virtutisque propositum. »

**4.** — *Inimicos crucis Christi.* Quid si e Christianis non neminem videres, qui æquo religionis cultu idolum quoddam Veneris et Filium Dei in sanctissimo Sacramento altaris in unum eumdemque locum reponeret, numquid illum abominationem quamdam sacrilegam committere diceres? Audi Petrum Blesensem [1]: « Quicumque ad altare Do- « mini accedit inquinatus luxuria, juxta Filium « Virginis idolum ponit Veneris. »

[1] Pet. Bles., s. 38.

## DISCURSUS III.

### EXPLICANTUR ALIQUÆ ANALOGIÆ, QUÆ INTER JOSEPHUM ÆGYPTI SALVATOREM ET CRUCIS INVENTIONEM ET ENCOMIA INTERCEDUNT.

Idea sermonis. — 1. Multæ sunt in Veteri Testamento Christi et crucis ejus figuræ : præcipua vero Joseph. — 2. Joseph damnatur ne sit rex. Mittitur in cisternam unde extrahitur, sicut Christus in sepulchrum unde resurrexit. Crux ipsa similiter resurgere videtur. — 3. Divina providentia omnia disponit. — 4. Duo præter Joseph in vinculis destinebantur quorum unus salvatur. — 5. Joseph pervenit ad gloriam mediante somnio. Eodem modo, crux ad honores. — 6. Joseph a Pharaone valde honoratur et ornatur; idem de cruce ab Helena. — 7. Calix Joseph absconditur in sacco Benjamin : Crux apud Hebræos. — 8. Lignum causa omnis culpæ refugium fit omnium peccatorum. — 9. Crux panem cœlestem nobis communicat. — 10. Lætus moritur qui crucem invenit.

*Gloriosum diem veneratur Ecclesia, dum triumphale reseratur lignum.*

**1.** — Diem præsentem jure merito solennizat sancta mater Ecclesia, propter sacrosancti ligni Crucis Redemptoris nostri felicissimam inventionem, quæ, postquam tot annis sub terra sepulta atque ab oculis et veneratione fidelium subducta fuisset, hodie accidit. Multæ equidem in veteri Testamento Christi, ejusque crucis figuræ extiterunt, nulla tamen est, quæ ut Berengosius fuisse probat, Christi et crucis mysteria vivacius repræsentarunt, quam S. Josephi salvatoris Ægyptii vita et gesta.

**2.** — In primis igitur fratres S. Josephi metuentes ne somnium ejus de sole, luna et stellis eum adorantibus verificaretur, truculentam illam adversus eum moverunt persecutionem, dicentes intra se [1] : *Numquid Rex noster erit?* Etenim Ismaelitis cum vendiderunt in famam publicam divulgantes, eum a fera pessima devoratum esse, ut hac ratione a Jacobi patris sui eum præ cæteris tenerius diligentis memoria penitus aboleretur. Ubi specialiter una præ cæteris circumstantia observari meretur, nimirum quod Joseph ex consilio et suasu Judæ venditus fuerit [2] : *Dixit Judas fratribus suis : melius est, ut venundetur.* Ad eumdem igitur modum Hebræi, qui Christi secundum carnem fratres fuere, metuentes ne Christus ipsis deinceps dominaretur et super ipsos regnaret, publice protestati sunt dicentes [3] : *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Atque mera erga eum invidia moti, mortem ei sunt machinati [4] : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* ac demum Judas inter alios triginta denariorum pretio eum vendere præsumpsit. Quia vero omnibus passim notum erat illud

[1] Gen., xxxvii, 8. — [2] Id., 28. — [3] Joan., xix, 15. — [4] Id., xi, 47.

Davidis valicinium : *Dominus regnavit a ligno,* ideo est omnem ei ad regnum perveniendi viam atque aditum præscinderent, in crucis patibulum, utpote illius temporis maxime infame supplicium, eum suspendere sategerunt; at vero singulari Divinæ sapientiæ dispositione factum est, ut illo crucis infami ligno mediante regnum suum in universam usque terram extenderet, regiumque illud reipsa verificaretur oraculum : « Impleta sunt, quæ con- « cinit David fideli carmine dicens : In nationi- « bus regnavit a ligno Deus. » Adhæc Joseph cui Calvatoris universæ Ægypti deinceps inditum fuit nomen, in squalidam quamdam immissus fuit cisternam, in eadem ad illud usque tempus permansit, donec vinctus et ligatus velut mancipium consignaretur externis. At vero, ut supradictus auctor ait [1], sicut Joseph e caverna ista velut sepulchro ereptus Resurrectionem adumbravit Christi Salvatoris, ita quoque Crux ejus, quæ subtus terram tot annis velut in cisterna sepulta delituit, exinde eruta et in lucem producta, multorum tam corpore, quam anima tenus mortuorum resurrectionem operata fuit [1]. « Sicut extractio Joseph e cis- « terna Dominicam Resurrectionem significat, sic « extractio crucis a terra eamdem potest habere : « quia sicut Joseph pro salute fratrum suorum « extractus est a cisterna, ita crux Dominica pro « salute populorum hodie trahebatur a terra. » Imo ut fert nonnullorum contemplativorum opinio, Christus in nocte Passionis suæ, in cisterna quadam per aliquod temporis spatium collocatus misere delituit et detentus fuit. Crux etiam « pro « salute populorum » subtus terram occultata remansit; de ea enim ita canimus : « Salus agris, « vitæ lignum, mortis remedium. » Josephum fratrum invidia in cisterna illa vivum quasi sepelivit : Hebræorum quoque invidia crucem Christi tot annis subtus terram sepultam detinuit, ne ab omni populo Christiano adoraretur, quamdamque Veneris statuam desuper erexerunt, ut vel sic ne unus quidem debitum loco illi deferret obsequium, utpote qui impudicum illud Veneris simulachrum adorare credi poterant.

**3.** — Et quidem sancti Josephi fratres persuasum porro sibi habebant, quod eum veluti mancipium vendendo, eum deinceps penitus sustulissent e medio, utpote quem inter catenas et compedes deinceps semper quasi captivum victurum credebant; et tamen hac eadem via illum licet inviti ad sceptra exaltarunt et ad coronas. Id quod ut sanctus Leo dicit, cruci pariter accidit [2] : « De « instrumento, quod iniquitas Judæorum paravit « ad pœnam, potentia Redemptoris gradum nobis « fecit ad gloriam. » Nisi enim Hebræi sanctam crucem tot annis sepultam occuluissent, Constantinus imperator et Helena augusta mater ejus tantam in eadem investiganda, tantaque cum gloria eruenda non adhibuissent operam atque industriam, qualem hodierna die adhibuisse noscuntur, ad omnium totius universi nationum venerationem eam exaltando et manifestando a se receptos eadem mediante triumphos atque victorias. Et hoc sine dubio mysterium illud fuit, ob quod illa nunquam errans cœli providentia ita disposuit, ut cœleste hoc pignus in illud usque tempus non detegeretur, ut deinceps sub hoc imperatore tanto amplius ab omnibus populis ejus exemplo communiter honoraretur. Et hic forte fuit illorum verborum S. Paulini sensus, cum dicit [1] : « Non ne divina manu latuit, « ut nunc inveniretur, cum religiose quæreretur. »

**4.** — In hisce vinculis quibus sanctus Joseph innexus fuit, duo quoque alii præter ipsum detinebantur, scilicet pincerna et Magister pistorum seu coquorum Pharaonis. Pincerna in bonam Domini sui gratiam rediit et quem commiserat, errore condonato, pristino suo muneri restitutus fuit. Magister autem pistorum in patibulo quodam suspensus, Joseph denique ad solium regium sublimatus fuit. Porro circa sanctissimæ crucis inventionem aptior dari similitudo non potuit. In illa namque fossa seu terræ caverna tria distincta patibula occultebantur, nimirum crux latronis iniqui, in supplicio Magistri pistorum præsignata, ille namque in ira et indignatione Dei ad mortem usque permansit; crux latronis justi in Pincerna expressa; quamvis enim hic antea reus et culpabilis extiterit; sui tamen Regis gratiam sibi recuperavit, sicut gratiam Christi sibi acquisivit latro bonus : Crux autem Christi in S. Josepho adumbrabatur, qui cum innocens esset (*Innocens huc in lacum missus sum*) propter facinus adeo heroicum et gloriosum, quale erat lascivæ illius mulieris illecebris, restitisse ipsammet Filii Dei innocentiam repræsentavit; sicut etiam Joseph e vinculis ereptus sublimiter exaltatus fuit, ita crux hodie e terræ visceribus eruta super omnia mundi sceptra et regna sublimari meruit.

**5.** — Enimvero quanam putas industria mediante S. Joseph ad hoc pervenit, ut se in tantam Regis gratiam insinuare, compedesque in sceptra regia, ferreasque catenas in torquem auream adeo felici eventu commutare potuit? nimirum per occasionem somnii alicujus, quod duobus illis Pharaonis regiis aulicis in vinculis est interpretatus, nec non per alterius somnii a Rege habiti congruam interpretationem. Simili modo sancta Helena ut regium illud crucis lignum ex obscuro et tenebroso illo terræ carcere, in quo diu latuerat, erueret, per cœlestem quemdam instinctum in somnis admonita fuit : « Helena Constantini mater

[1] BERENG., l. I, c. 1. — [2] S. LEO, ser. 4 *de Pass.*

[1] PAUL., in ep. 12 *ad Sever.*

« in somnis admonita, conquirendæ crucis studio « Hierosolymam petiit. »

**6.** — S. Joseph glorioso illo vice regis titulo, ab ipsomet Pharaone rege condecoratus fuit[6] : *Uno tantum regni solio te præcedam.* Purpura quoque vestitus est, missusque est annulus in digitum ejus, ad collum vero torques aurea suspensa fuit, jussusque est currum regium conscendere, et in eo per compita urbis gloriose circumvehi præcone præeunte, et altum vociferante, ut omnes coram eo se prosternerent, eumque adorarent. Ita quoque hodie quando pretiosum hoc lignum e subterraneis illis cavernis exemptum fuit, ut idem Berengosius Abbas scribit[1] ; « Sicut Joseph a Pharaone annulo « et stola et torque aurea ornatus est ; sic Helena « lignum crucis exornavit, quando de regalis mag- « nificentiæ thesauro eamdem crucem gemmis de- « coravit et auro. » Audite insuper, qualiter Salvator noster, ex mente S. Ambrosii triumphalem crucis currum conscenderit[2] : « Currum suum « triumphator adscendit. » S. Leo dicit Christum Dei filium, dum sacro crucis ligno onustus Calvariæ montem ascenderet, Hierosolymitanarum mulierum planctum remisse recipere : « Quia non « decebat luctus triumphum, nec lamenta victo- « riam ; » adeoque et hic sanctus doctor lignum istud triumphi titulo condecoravit. Porro ad illa verba : « Ecce lignum crucis, venite adoremus, » omnes quotquot præsentes adsunt, in terram cernui sese prosternunt. Adhæc sicut Pharao Josepho dixit : *Uno tantum regni solio te præcedam*, ita quoque licet sancta Crux adoratione latriæ adoretur, ob membrorum Redemptoris nostri contactum, prouti S. Thomas doctor Angelicus aperte docet, attamen longe major latriæ cultus Christo Domino deferri videtur, ita ut ab eodem ad patibulum crucis suæ dici possit : *Uno tantum regni solio te præcedam.* Verum enimvero num forte etiam annulos in hoc triumpho desideratis ? Ecce clavos. Num purpuram ? nec hæc ei deest, tametsi lacera sit et purpureo Christi sanguine tincta. Num denique torquem auream, quæ auctoritatis insigne esse noscitur ? Ecce gloriosum crucis titulum, in quo omnium populorum exprimitur dominium, siquidem per hunc titulum Christi declaratur regnum, idque tribus illis linguis, quæ sunt omnium mundi linguarum celeberrimæ.

**7.** — Joseph semetipsum fratribus suis in hoc tam sublimi gradu constitutus manifestatus, calicem suum, qui ob auguria, quæ eo mediante faciebat, valde ipsi pretiosus erat, in sacco Benjamini occultari præcepit, ut hoc modo illum apparenter furti reum faceret, revera autem se ipsi et cunctis aliis fratribus suis cognoscendum præberet, eumque tanquam chariorem majori cum benegnitatis affectu deliniret. Unde Chrysostomus scribit ; « Fecit reum rapinæ, ut teneret obsidem gratiæ. » Eodem prorsus modo Salvator noster calicem Passionis suæ, id est, crucem (*calicem quem dedit mihi Pater*) aliquanto tempore in campo Benjamini, id est, hebraismi, populi nimirum paulo ante plurimum a se dilecti absconditum esse voluit, ut hac ratione eodem calice apud eum reperto, id est, semeptiso pro majori parte populi ab eodem, tanquam qui verus Messias sit, agnito suas illi gratias participaret. Unde non solum illi quibus se manifestavit, verum et alii multi conversi sunt. Similiter quando pretiosus ille sanctæ crucis thesaurus inventus, et Hierosolymis summo cum honore depositus fuit, multa circa eumdem populum fuit miracula operatus.

**8.** — Proh Deum immortalem quantum sibi fratres Joseph timuerunt, ne se ab ipsis venditum esse recordaretur, non solum quando se illis manifestavit, verum etiam deinceps diu post Patris sui mortem ! Et tamen ipse in voluntate illis omnem noxam perfecte condonandi constans et immobilis permansit. Similiter licet lignum unica causa fuerit omnis culpæ, Deus tamen voluit ut per contrapositionem ligni sanctæ crucis, quod est omnis perfectæ veniæ nobis comparandæ unicum instrumentum, omne aboleretur peccatum. Origenes caute considerat protoparentes nostros mox ut divinum præceptum prævaricati fuerunt, sub arbore quadam suum accepisse confugium[1] : « Impulsu quodam » primos parentes ad arborem, tanquam ad asylum « se contulisse putandum est : ut significaretur jam « tunc unicum perfugium peccatorum, quod subinde « constitutum est in arbore crucis. »

**9.** — Joseph in quadam summa annonæ caritate Ægypto, et aliis omnibus partibus circumvicinis de frumentorum copia abunde prospexit, adeo ut granum apud illos nunquam defecerit, quin potius pœnes singulos superabundarit. Pari quoque modo Crux panem nobis cœlestem ad finem usque sæculorum copiose communicavit, adeo ut sanctissimum altaris sacramentum ad finem usque mundi nunquam defecturum sit. Unde Hesichius Hierosolymitanus scribit[3] : « Crux carnem crucifixi, quæ ante « passionem esui videbatur inepta, post aptam « fecit : si enim non fuisset crucifixus, sacrificium « corporis ejus non comederetur. »

**10.** — Ehem quanta fuit Jacob patris sui lætitia et jubilus, quando Joseph fratribus suis se manifestavit ? *Jam lætus moriar.*, inquiebat sanctus senex. Eamdem quoque pie meditari possumus fuisse S. Helenæ lætitiam et jubilum, postquam S. Crucem diligenter conquisitam tandem invenit. Utfque et ipsa dixit : *Jam læta moriar*, erat enim tunc, ut Theodoretus[1], in octoginta annorum ætate

[1] Gen., xli, 40. — [2] Berenc., l. XX *in Luc.* — [3] S. Amb., s. 10 *de Palm.*

[1] Orig., h. 1 *in Fen.* — [2] Theod., l. I *Hist. cap.*

constituta. Quanta item fuit Constantini totiusque Christianismi exultatio? Andreas Cretensis in quadamo ratione, quam de cruce habuit, dicit [1] : « Reve- « latum est maxime insigne opus imperii Christia- « norum, suum ornamentumhodie accepit Ecclesia « quia quam illaperdiderat drachmam, regale accepit imperium, » Ita quoque Jacob supra modum consolatus permansit, filium suum, quam a feris devoratum esse crediderat, non solum etiamnum vivere, verum etiam tanquam vice regem Ægypti toti regno dominari, videns [2] : *Filius tuus vivit, et ipse dominatur in tota terra Ægypti.*

## DISCURSUS IV

OSTENDITUR CRUCEM, QUÆ OLIM ERAT CRIMINOSORUM SUPPLICIUM. NUNC REGIUM ESSE VEXILLUM ET ARMATURAM.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus exaltatus a terra trahit omnia ad seipsum. — 2. Crux significat principatum. — 3. Matris filiorum Zebedæi fides. — 4. Dominus regnavit a ligno. — 5. Per crucem diabolus vincitur. — 6. Et filius Dei Christus agnoscitur.

*Vexilla regis prodeunt, fulget crucis mysterium.*

**1.** — Nullum præteritis sæculis inter omnia suppliciorum genera adeo fuit ignominiosum et infame, ut cruci comparari posset, teste S. Anselmo Chrysostomo et aliis. Unde in Scriptura sacra nullum aliud supplicium dictum fuit maledictum, præterquam supplicium crucis. *Maledictus a Deo qui pendet in ligno;* ut est in Deuteronomio. Et tamen Dei Filius lignum istud vix ascendit, cum ecce statim eidem acclamat sancta Dei Ecclesia : « Vexilla « regis prodeunt, » adeoque deinceps velut regium quoddam insigne honoratur, et in veneratione summa habetur. Verum inquies fortasse, quomodo connecti et copulari inter se possunt infamia et gloria patibulum et sceptrum? lignum et regnum? et tamen regium hocce oraculum impletum esse verissimum est » Impleta sunt, quæ concinit David « fideli carmine, dicens : In nationibus regnavit a « ligno Deus. » Memorandum est igitur principem tenebrarum, idololatria mediante, toti universo tyrannice dominatum fuisse, adeo ut regnum Dei quaquaversum desolatum et prostratum jaceret, atque adeo Redemptor noster de sanctissima passione sua tractans ait [4] : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* Quonam autem modo immanis illa principis tenebrarum tyrannis prosternenda esset mox declarat, cum in eodem momento futurum esse ait, quo ipse in hoc ligno, seu in regio illo crucis vexillo erigendus et sublimandus esset [5] : *Et ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat,* subdit Evangelista, *significans qua morte esse moriturus.* Et vere ita factum est, siquidem centurio idololatra ipsum verum Dei confessus est filium : *Verus filius Dei erat iste.* S. Dionysius Areopagita Atheniensis, dum universi mundi subversionem in extraordinaria illa eclypsi præsentiret terræque motum qui in ejus crucifixione acciderat, verum Dei filium in humana carne pati mox agnovit et credidit, et tanquam talis agnitus et adoratus est, postquam crucis patibulum conscendit. Hugo Cardinalis ait : « Proprie dicitur exaltari, « quando rex coronatur, et sceptrum ponitur in « manu ejus; in passione coronatus est. » Hicque sensus fuit verborum illorum in sacris canticis [1] : *Egredimini filiæ Syon, et videte Regem vestrum Salomonem, in diademate coronatum, quo coronavit eum mater sua.* Ipsa namque synagoga a qua hasce mortalitatis nostræ exuvias assumpserat, fuit illa, quæ clamavit : crucifige, crucifige. Considerabile est utique illud Davidis præsagium [2] : *Commoveatur a facie ejus universa terra.* Quamobrem vero? *Dicite in gentibus quia Dominus regnavit a ligno.* Ita enim juxta S. Augustinum, S. Justinum martyrem et alios legi debet. Et eodem modo legit antiquum psalterium romanum. Commotus est igitur totus mundus, quando se regiis hisce insignis subjecit : « Quo enim non porrectum erat Romanum impe- « rium, Christus jam possidet crucifixus, » inquit S. Augustinus, « et quod adhuc clausum est hisce « qui ferro pugnant, non est clausum his, qui « ligno pugnant. » Hoc autem Davidis oraculum de hoc pretioso ligno, per quod Christus omnes terræ populos legi suæ subjecit, intelligendum esse certum est. Unde Tertullianus Marcioni ita scribit [3] : « Expecto, quid intelligas, nisi forte lignarium ali- « quem Regem significari Judæorum; et non Chris- « tum qui exinde a passione ligni superata morte « regnavit. » De quo enim id alias verificari, quam de Christo poterat; nemo enim unquam inventus, qui regna sibi per crucis viam acquisiverit?

**2.** — *Dominus regnavit a ligno.* Si præsagium prophetæ Evangelici considerare velimus, inveniemus ipsum inter alias prærogativas Messiæ venturi hanc quoque enumerare [4] : *Factus est principatus super humerum ejus.* S. Augustinus considerans hisce verbis scribit [5] : « Christus principatum super hu- « merum habuit, quando crucem in montem Cal- « variæ portavit : nec incongrue crux significat « principatum, quia per ipsum et diabolus vinci- « tur, et mors superatur, et totus mundus ad Christi « notitiam et gratiam revocatur. » Signum illud quod Redemptor noster, in cujus fœmore scriptum legitur : *Rex Regum, et Dominus dominantium,* super humeros suos portavit, idipsum esse debebat, quod

[1] SUR., t. V, 14 nov. — [2] GEN., XLV, 26. — [3] DEUT., XXI, 23. — [4] JOAN., XII, 31. — [5] ID., *ib.*, 32.

[1] CANT., III, 11. — [2] *Ps.* XCV, 9. — [3] TERTUL., l. III *cont. Marcion.* — [4] ISA., IX, 6. — [5] S. AUGUST., s. 72 *de Temp.*

in futurorum sæculorum progressu imperia stabilire debebat, atque hinc est, quod postquam tot annis sepultum fuit, Divina providentia disposuerit, ut tanta cum gloria et honore investigaretur, et ab Imperatrice quadam ad magni Constantini filii sui, qui monarchiæ suæ stabilimentum cruci in acceptis referebat instantiam, inveniretur. Ad hæc quis est, qui nesciat, ut bene notat S. Augustinus [1], « quod a « locis suppliciorum fecit transitum ad frontes « Imperatorum? » In medio namque diadematum et coronarum imperialium crux collocatur, veluti pretiosissimum quoddam monile, quod regna ipsorum locupletat, et adauget. Ac proinde summa gloria est, hanc crucem portare. Unde Salmeron ad Simonem Cyrenæum conversus ait : « O Simon « noli erubescere de cruce quam gestas, quia « quod tuis humeris portas, erit oculis regum ado- « randum, Imperatorumque brachiis reverenter et « peramanter amplexandum. » Ehem, quantum Heraclius Imperator, hoc idem pretiosum crucis lignum super Calvariæ montem deferens, honoratum se esse censuit?

**3.** — *Regnavit a ligno.* Considerabilis profecto est illa supplicatio, quam duo fratres Jacobus et Joannes matre mediante, quoad primas in regno Filii Dei sedes occupandas, Christo proposuisse leguntur [2]: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram in regno tuo.* Quamnam poterant hi duo discipuli ad regnandum spem concipere, quando videbant, quod Christus vere esset [3] *opprobrium hominum et abjectio plebis?* Et quidem admiratio rei magis augetur; si consideretur, quod petitionem hanc in tali quadam conjectura fecerint, quando nimirum Salvator de vicina passione sua agebat [4]: *Ecce ascendimus Hierosolymam, et filius hominis*, etc. Eratne tunc idonea regna postulandi occasio, quando nonnisi patibuli et ligni crucis sit mentio? Basilius Seleucius devotæ hujus mulieris fidem summe demiratur. [5] « Vis mulieris « fidem cernere supplicationis? quære tempus : « quando libellum supplicem offert? quod postula- « tionis tempus. Crux erat parata. » Id quod Evangelista forsitan in illo significanti verbo : *Tunc accessit*, significare voluit, id est, ex illa conjectura, in qua cruce de potissimum agebatur; nota etenim illis Davidis prophetia erat dicentis : *Dominus regnavit a ligno.* Et quidem notandum quod præter supplicationem reverenter porrectam, eum adorarit, *Adorans et petens*, adoratio etenim actus quidam est obsequii et honoris regibus præstari et exhiberi solitus.

**4.** — *Regnavit a ligno.* S. Hieronymus de cruce ejusque dimensionibus et forma tractans ita scribit: « Ipsa species crucis quid est, nisi forma quadrata « mundi? Oriens de vertice fulgens, Arcton dextera « tenet, Auster in læva consistit, Occidens sub plan- « tis firmatur. » Quidnam vero hoc præsignificabat, inquit Beda, [1] nisi quod Christi regnum in quatuor mundi partes extendendum erat? Nonne universus christianismus in invitatorio Matutini ita intonat : « Christum pro nobis in cruce exaltatum venite « adoremus. » Porro Filius Dei eo fine de cœlo descenderat, ut supremus totius universi agnosceretur Rex et Monarcha [2], *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ : reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos.* Etenim tanquam supremus terræ cœlique monarcha agnoscendus erat : *Et tunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore.* Verum inquies, cur igitur regni sui possessionem non accepit, quando obsequiosæ in deserto per eum saturatæ turbæ regem eum acclamarunt? Cur potius fugit? seque abscondit? Hoc mysterio id factum est, quia præstolabatur tempus illud, quo in cruce suspensus verus Rex agnoscendus erat, crux enim verus ejus thronus regius futurus erat; unde divina dispensatione contigit, quod Pilatus gloriosum hunc titulum *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, capiti ejus superimponi fecerit. Et quidem non obstante quod Hebraismus, cui in omnibus complacere satagebat, concordibus animis et vocibus, fortiter apud illum solicitarit, ut titulum hunc vel moderaretur, vel penitus tolleret, ipse tamen resolute respondit : *Quod scripsi, scripsi.* Estque singulariter advertandum, quod, ut supra quoque diximus, titulus non sine mysterio tribus diversis linguis sive idiomatibus trium præstantissimarum nationum quæ in mundo sunt, propriis incisus vel scriptus fuerit; id namque contigit ad denotandum ligni hujus regnum in omnes mundi partes extendendum esse : *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit a ligno.* Ad hæc licet titulus hic per ludibrium et subsannationem cruci superpositus fuerit, sicut etiam purpura vestitus, spinis coronatus et tradito in manus ejus ludicro sceptro arundineo, Rex per ludibrium salutaturus fuit attestante tamen S. Athanasio : « *Illudebant ei dicentes* . « *Ave Rex Judæorum.* O miraculum novum et inau- « ditum ut ei, quem per ludibrium et subsanna- « tionem pulsabant, triumphalia apponerent orna- « menta. » S. Augustinus circa hoc talem considerationem instituit [4]. « Christus domuit orbem non « ferro, sed ligno; vicit mundum non armato « milite, sed irrisa cruce. »

**5.** — *Regnavit a ligno.* Perfidi Hebræi, cum hisce verbis ut de cruce descenderet, stimularunt *Si Rex Israel est, descendat de cruce.* Ubi S. Bernardus optime considerat, consequentiam hanc nequa-

[1] S. Aug., *in Ps.* xxxvi. — [2] Matt., xx, 21. — [3] *Ps.* xxx, 7. — [4] Matt., xx, 18. — [5] Bas. Sel., or. 24.

[1] Beda, *id Apoc.* — [2] *Ps.* ii, 8. — [3] S. Athan., s *de Cruce et Pass.* — [4] S. Aug., *in Ps.* lxi.

quam valere, sed mancam esse : « Non est bona « consequentia ista. Imo si Rex Israel est, scep- « trum regni non deserat. » Probe etenim sciebat, quod ad inimicum infernalem, qui idololatria mediante fortiter invaluerat, debellandum, operæ pretium esset, ut in regio crucis throno stabiliretur, eoque mediante inimici vires debiliores efficeret. « Dæmones hoc ei immiserunt; » scribit S. Basilius, « qui vellent, ut descenderet, statim enim « crucis virtutem senserunt. et vires suas confrac- « tas. » Observandum est etiam, quod mox ut in Pilati prætorio crucis facta est mentio, dæmon vicinum tyrannidis suæ exterminium prævidens, desperatam illam Judæ inspiraverit facti sui pœnitudinem, nec non ut traditionis a se factæ pactum reportare pretium, innocentem eum declarando. Insuper etiam ejusdem Pilati conjugi sub nocturna quiete in sommo apparuerit, ut hac ratione mulier ista, sibi ad eum a crucis morte liberandum cooperaretur[1] : *Nihil tibi et justa illi : multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* S. Ignatius martyr ita scribit [2]: « Cum paranda esset crux, diabolus « tumultuabatur, et pœnitentiam immisit proditori, « et mulierculam turbans in somniis, ut a crucifi- « xione cessarent, inducere moliebatur, suam ipsius « perniciem sentiebat. »

**6.** — *Regnavit a ligno.* Enimvero quod homo quidam facinorosus, qui inter rapinas et homicidia vitæ suæ annos transegerat, aut una cum Christo e cruce pendebat, quod, inquam, divina luce perfusus, ipsum tanquam verum Dei filium agnoverit, quid mirum [4]? *Siquidem potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* At vero quod eum æterni cujusdam regni regem et monarcham contestatus fuerit quoad hoc merito cum S. Augustino interrogare eum hisce verbis quis posset [5] : « Dicito mihi latro « regnum petens, quid in eo tale vides ex quo pe- « tis? Dic mihi : nam quod in conspicuo est, clavos « et crucem cernis. Sed hæc, inquit, crux ipsa « regni insigne est, et propterea regem appello « quia video crucifixum. »

## DISCURSUS V

### DE VARIETATE CRUCIS SPIRITUALIS AGITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Alia crux est corporalis, alia spiritualis. — 2. Crux spiritualis speciosior et pretiosior. — 3. Optima crux peccato resistere. — 4. Item contumelias et opprobria patienter ferre. — 5. Prosequitur eadem materia. — 6. Crux Domini est scala cœli. — 7. Propter Dei amorem crux sustinenda. — 8. Christus nobis porrigit partem suæ crucis ut nos salvet. — 9. Pauci se ob Christi amorem publice diffamari patientur. — 10. Efficax admonitio.

[1] MATT., XXVII, 12. — [2] ID., 19. — [3] S. IGNAT. M., ep. *ad Polyn.* — [4] MATT., III, 9. — [5] S. AUG., ser. 49 *in Append. de div.*

*Christi confixus sum crucis.* Ad Galat. II, 25.

**1.** — S. Paulum nequaquam crucis sustinuisse martyrium, prouti fecere, S. Petrus, S. Andreas et S. Philippus, sed caput ejus detruncatum fuisse, certius est, quam quod probatione indigeat : sed dices, quanam igitur ratione scribit : *Confixus sum cruci*? S. Bonaventura respondet [1] : « Est duplex « crux, una materialis, alia spiritualis ; prima est « interior quæ portatur in corde; secunda est ex- « terior, quæ consistit in opere, crux corporalis « bonorum est et malorum, sed spiritualis est « tantum beatorum. » Huic igitur cruci S. Paulus confixus erat, valde eam cordi suo semper impressam portans, dicere jure merito poterat : *Christo confixus sum cruci.* Et quidem undenam existimatis crucem hanc suam obtinuisse nomenclaturam? Audite respondentem S. Gregorium dum ait : « Crux a cruciatu. » Quicquid enim tam corpus quam animam affficit et cruciat, crux dixit meretur. « Crux Domini, » inquit sanctus Augustinus « non tantum illa dicitur, qua passionis tempore « ligni affixione construitur : sed illa quæ totius « vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus « coaptatur. » Porro vitam hic in terris ducere immaculatam, continentem, omnibusque Christianis virtutibus informatam, cum majori semper Spiritu ad excellentiorem perfectionem contendendo, vera quædam crux dici meretur. In patibulo crucis ligneo Redemptor noster tribus duntaxat horis confixus hæsit et non diutius, at vero in hac, de qua loquimur, cruce triginta trium annorum spatio pependit *In laboribus a juventute mea* [3], vel ut alii legunt, *Moribundus agonizans a puero.* Et hæc est illa crux quam Christus nobis prædixit, quamque tollentes ipsum sequi debemus, optime namque scivit vires nostras ad ponderosissimam crucem suam, utpote cui pondus omnium peccatorum totius humani generis adhæsit, portandam impares nimium esse. Quidnam obsecro Cyrenæo humeros suos materiali ligno crucis Christi supposuisse potuisset, nisi eosdem alteri quoque cruci submisisset, ejusque se sequelæ ac disciplinæ, nec non divinorum præceptorum ejus observantiæ consecrasset? Neque enim desunt auctores, qui ipsum ad sanctam fidem nostram conversum vitam Christianam atque Evangelicam duxisse opinentur. Omnis increatæ et incarnatæ sapientiæ conatus solidis illis triginta tribus annis in id unice collimavit, ut crucem hanc spiritualem nobis imprimeret, nobisque ut eum non in morte et passione sua, sed in vita et quæ in ea post se nobis reliquit, exemplis imitaremur. Et hinc est, quod non dixerit [4]: *Qui vult venire post me, tollat crucem meam*, sed *tollat crucem suam.* Quia teste D. Augustino [5]: « Tota vita Christiani, si secundum

[1] S. BON., s. 3 *de S. Andr.* — [2] S. AUGUST., s. 32 *de Sanct.* — [3] *Ps.* LXXXVII, 16. — [4] MATTH., XVI, 24. — [5] S. AUG., h. 38 *de Sanct.*

« Evangelium vivat, crux est. » Qui Chosroæ Persarum regi crucem Domini tot annis in suo potestate et Dominio habuisse profuit? Quot ipso fuere feliciores ex eo quod crucem spiritualem cœlum illis aperientem assidue portarent, cum tamen ipse præcipitatus sit in infernum? Quonam obsecro fine Christus Deus noster brachia sua in hoc ligno late adeo extendit? Num forte id in nostrum exemplum fecit, ut nos idem quoque faciamus? Minime gentium; quin potius D. Augustinum id exponentem audite [1] : « Ideo extensa sunt manus ejus in « cruce ut manus nostræ extendantur ad bona « opera. »

**2.** — *Confixus sum cruci.* Enimvero si quænam Apostoli tam interna quam externa mortificatio fuerit, consideremus, inveniemus utique ipsum eidem mortificationi crucis titulum haud sine mysterio attribuisse. « Duo sunt crucis genera (ita olim « Monachis suis prædicabat Eusebius Emissenus [2]) « unum corporale, alterum spirituale : unum a potu « atque epulis temperare : appetitum gulæ a delec- « tationibus et mollissimis suavitatibus coercere ; « ab his quæ per tactum, per gustum visumque « decipiunt, sensum viriliter revocare ac violenter « abstrahere. » Postea vero consequenter mortificationem internam majoris meriti crucem esse luculenter ostendit, dicens : « Alterum genus crucis est « speciosum atque sublime, motus animi regere et « pertubationes illius modestiæ tranquillitate « pacare, ac superbiæ impetus quasi feram bes- « tiam refrænare, litigare quotidie contra vitia sua, « increpare se quadam austeritate censoriæ virtu- « tis et rixam quodammodo cum hoste interiori « conserere. » Nec solus Emissenus hanc crucem agnovit, siquidem S. Augustinus in illa verba : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, declaraturus qualenam hac sit hoc adeo pretiosum martyrium dicit : « Pretiosa in conspectu Dei et « gloriosa crux, cogitationes malas in potestatem « redigere, voluntates proprias abnegare, easque « interiori examine discutere et regentis imperio « subjugare. » Idemmet sanctus alibi S. Apostolum expressius in exemplum adducit et præmittit : « Tollit crucem suam, qui aut per abstinentiam « corpus affligit : utroque modo crucem suam tulit « qui dixit : *Castigo corpus meum et in servitutem « redigo.* Ecce in afflictione corporis audivimus cru- « cem carnis ; audiamus nunc in compassione pro- « ximi, crucem mentis : *Quis infirmatur et ego non « infirmor?* » S. Bonaventura quoque in sermone S. de Andrea crucem hanc mortificationis nobis commendat, dicens : « Vere dicuntur crucem ferre, « qui noverunt a delictis abstinere et carnem ne « valeat lascivire, sobrietate coercere. Unde dici- « tur : *Qui autem Christi sunt, carnem suam cruci- « fixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* » Cassianus hac de re ita discurrit ; dicit enim ferrum clavorum, per quod qui ex spirituali hac cruce pendent, tenentur suspensi, timorem Domini esse debere [1] : « Ut affligentes timore Domini carnes nostras, uni- « versas voluntates nostras ac desideria ; non nos- « træ concupiscentiæ servientia, sed mortificationi « ejus habeamus affixa. » Utiturque similitudine illius, qui cruci affixus se pro suo arbitrio vertere aut movere nequit : « Ita et nos voluntates nostras « et desideria non secundum id, quo nobis suave « est et delectat ad præsens, sed secundum legem « Domini, quod nos illa constrinxerit, applicare « debemus. » Et sicut qui in cruce hæret, non jam amplius de rebus hisce inferioribus sollicitus est, sed alteram semper vitam cogitat voluptatibus valedicit, sibique appetitus suos dominari nequaquam permittit : « Nulla concupiscentia possidendi per- « movetur ; nulla superbia, nulla contentione, « nulla æmulatione succenditur, non de præsentibus « dolet injuriis, non præteritarum jam recordatur, » Eodem modo qui cruci huic spirituali confixus est, omnia hæc ut adimpleat necessum est.

**3.** — Aliam quamdam Crucem, quæ unicuique adaptari potest, nos docet Chrysostomus, dum hanc duobus illis fratribus datam responsionem : *Potestis bibere calicem*, maturius ponderat ; dicit igitur : « Calicem hunc Passionem Domini dicimus (id est « crucem) non solum persecutionem gentilium, « sed omnem violentiam quam patimur, contra « peccata certantes. » Non est crux aliqua reperibilis, quæ cœlo nos securius ingerat, quam sit illa ; siquidem *Regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud.* Ubi S. Augustinus [2] : « Quamdiu, » inquit, « id agunt corpora nostra, ut evacue- « tur corpus peccati, quamdiu exterior homo « corrumpitur, ut interior renovetur de die in « diem, tempus est crucis. » Quæ doctrina ab ipsomet Apostolo Paulo desumpta fuit, qui ait : *Christo confixus sum cruci ;* etenim hic Romam scribens, hoc nobis salutare reliquit monitum : *Vetus homo simul cum Christo crucifixus est.* Quonam autem fine id factum fuerit, subjungit [3] : *Ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.*

**4.** — *Christo confixus sum cruci.* Quibus verbis Apostolus fortassis ad contumelias, ignominias et opprobria quæ sustinuit, alludere voluit : quæ etiam crux quædam est spiritualis [4] : *Spectaculum facti sumus mundo et Angelis et hominibus. Facti sumus omnium peripsema. Nos stulti propter Christum.* Porro crux apud Latinos idem est, quod patibulum, quod suam denominationem non solum a *patiendo*, verum etiam a patendo, seu *patere*, id est, patefieri, seu in conspectu omnium manifestari obtinuit ; ii enim, qui crucifigebantur, omnium

[1] S. Aug., *in Ps.* LXII. — [2] Eus. Emiss., h. 2 *ad Mon.*

[1] Cass., l. IV *de institut.* — [2] S. Augustr., ep. 149. — [3] Rom., VI, 9. — [4] I Cor., IV, 13.

exponebantur oculis, ut ipsorum tanto magis publicaretur infamia. Hæc autem magni meriti crux est, dum aliquis in conspectu omnium mortificatur et pro Dei amore contemnitur et posthabetur. *Nos stulti propter Christum.*

**5.** — *Confixus cruci.* S. Augustinus ait[1]: « Quid « est *tollat crucem suam*? Ferat quidquid molestum est et sic me sequatur. Tollat crucem suam, « hoc est, toleret in mundo pro Christo, quicquid « intulerit mundus. » Adeo ut S. Paulus, quid dici sibi audit[2]: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati,* a primis diebus, quibus scholæ Christi pedem suum intulit, hanc in humeros suos crucem sibi assumpserit: verum enimvero, si verba hæc « quicquid intulerit mundus, » bene considerentur, etiam illi, qui magno sui cum dispendio mundo inservierunt, per hanc crucem salvari possunt, dum nimirum opprobria, injurias, aliaque omnia damna, quæ mundus, suos ut plurimum traditorie damnificans et dicipiens, illis intulit, patienter sufferunt. « Solet Christus (sunt « verba ejusdemmet sancti) passiones et afflictiones « crucem vocare. » At vero quia axioma quoddam est indubitatum, quod *Nil coinquinatum intrabit in regnum cælorum,* ideo Salvator animas nostras hac cruce mediante purificare et mundare contendit. Unde Chrysostomus[3]: « Aurifex, » inquit, « donec « aurum bene purgatum viderit, de fornace non « extrahit; sic et Deus non abducit aliquando « crucem, donec penitus emundaverit. »

**6.** — *Confixus cruci.* Etenim multi sunt, qui iis qui in monte Calvariæ præsentes fuerunt, aut vero sacrosanctum hoc lignum Hierosolymis venerati sunt, quodammodo felicitatem hanc invident; hi autem, quotquot sunt, sanctum Hieronymum ad sanctum Pauliuum scribentem auscultent, dicit enim[4]: « Et crucis et resurrectionis loca prosunt « his, qui portant crucem suam et cum Christo « resurgunt quotidie, qui dignos se tanto « exhibent habitaculo. » Enimvero viam quæ ducit ad cœlum Deus noster facilitate contendit, adeo ut in omni loco, in quavis ætate, in omni conditione et professione unumquemque velut suam posse portare crucem: « Et de Hierosolymis et de Bri- « tania æqualiter patet aula cœlestis. » S. Bernardus in mystica illa Jacobi scala Salvatoris nostri crucem agnoscit[5]: *Crux Christi,* » inquit, « scala utique est, « quæ merito per scalam Jacob signatur. » Sicut enim varii in illa gradus conspiciuntur, per quos in cœlum conscenditur, qui varios nobis status et vocationes repræsentant, ita quoque insinuare vult sanctus hic Doctor, crucem quæ Paradiso nos inserit, omni ætati, sexui, et personarum conditioni adaptari: Jacob scalam illam videns exclamavit: *Vere non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli* Quo eodem titulo Hugo Cardinalis crucem insignivit, dum ait: « Crux dicitur domus Dei. » De qua Redemptor noster[1]: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt,* quæ nimirum variis singulorum vocationibus correspondent.

**7.** — Equidem hæc est inter crucem, quam mundus dat et crucem quam Deus immittit differentia, quod crucem a mundo provenientem, a Deo nobis immissam esse minime agnoscemus, adeoque nec illam ob Dei amorem sustinemus, ac proinde velut crux improbi latronis æternam nobis perditionem conciliat. Non vero similis conditionis sit ea, quæ a Deo nobis imponitur, hanc enim sustinemus, ut ei placeamus, ideoque spiritualem nobis impertitur salutem. Pulcherrima profecto est illa a S. Augustino adducta similitudo, dum ait[2]: « Qui « trucidat, non considerat, quemadmodum laniet: « qui autem curat, non considerat, quemadmodum « secet: Ille enim persequitur sanitatem, iste « putredinem. »

**8.** — Quamnam putas esse causam, ob quam Christus crucem suam portaturus alios in auxilium sui adhiberi voluerit? Salmeron mysterium istud tetigit, dum ait: « Perpende Christum non velle por- « tare crucem sine te, proinde partem crucis tibi « porrigit gestandam, quia qui fecit te sine te, non « salvabit te sine te. » Ipsemet Christus crucem suam semper portare noluit, sed non voluit, ut illam semper portaret Cyrenæus, quin potius laborem inter se partientur et dividunt, ut exinde intelligeremus, laborem nostrum sine passionis suæ meritis non sufficere, nec hæc in adultis sufficiunt sine nostra cooperatione, adeoque crux ejus nobis nihil profutura fuisset, nisi et nos eamdam assumpsissemus in humeros nostros. Id quod in figura adimpletum fuit, quando ingentem illum uvæ bothrum detulerunt[3]: *Absciderunt palmitem cum uva sua, quam portaverunt in vecte duo viri.* Porro de Simone Cyrenæo S. Thomas ait: « Quod dicitur, « *coegerunt eum,* significat illos, qui exterius cru- « cem, ferunt interius autem coacte ferunt, quia « non propter Deum, sed propter mundum. » Hugo Cardinalis ait: « Per istum Simonem, » inquit, « qui « portat crucem Christi in angaria, significantur « hypocritæ, qui labores multos sustinent in hoc « mundo pro laudè humana. »

**9.** — Poterat quidem Christus Redemptor noster alicui ex sibi devotis, qui ejus se discipulatu adjunxerant, nimirum Nicodemo vel Josepho ab Arimathæa crucem suam secum portandam imponere: at verisimile est, quod in singulis eorum summum agnoverit renisum et reluctantiam, eo quod crux infamiæ instrumentum esset. Pauci etenim sunt, qui ad eam usque perfectionem pertigerunt, ut se

[1] S. AUGUST., s. 47 *de divers.* — [2] ACT., IX, 16. — [3] S. CHRYS., h. 4 *ad Antioch.* — [4] S. PAULIN., l. II, ep. 24. — [5] GEN., XXVIII. 17.

[1] JOANN., XIV, 12. — [2] S. AUG., ep. 48. — [3] NUM., XIII, 24.

ob Christi amorem publice diffamari patientur ; ideo namque Nicodemus absconditus et nocturno tempore occulte eum convenit, ne ab aliis videretur.

**10.** — Demum vero ut crucem Christi, id est, quas nobis in præsenti vita immittit passiones cum fructu feramus, ad ea quæ S. Augustinus scribit, reflectere oportet. Dicit enim [1] : « Quanta patientur « pro sua iniquitate latrones ? quanta patientur « pro suis sceleribus perditi ? pro sua nequitia « luxoriosi ? pro sua avaritia negotiatores mare « transmeantes, ventis, tempestatibusque corpus « et animam committentes, sua negligentes, ignota « quærentes. »

## DISCURSUS VI

### DE CRUCE SUB THESAURI CUJUSDAM SIMILITUDINE HIC AGITUR

IDEA SERMONIS. — 1. Crux fuit thesaurus absconditus in agro. Apud multos hic thesaurus in magna fuit æstimatione. — 2. Crux est clavis quæ paradisum aperit.

*Sola digna tu fuisti ferre sæcli pretium*

**1.** — Nihil reperiri posse existimo per quod sacrosanctæ Crucis prius absconditæ, postea vero tanto cum jubilo inventæ mysterium vivacius exprimatur, quam parabola illa, in qua increata illa Sapientia Regnum cœlorum thesauro cuidam in agro abscondito comparavit [2] : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Neque enim negari potest, quin sacrosancta illa crux in agro absconditus thesaurus quidam fuerit inæstimabilis, eo quod *sola digna fuit portare sæcli pretium.* Unde S. Petrus Damianus ait [3] : « Hodie quia crucis inven- « tionem colimus, qua si reperto communi totius « mundi thesauro, communiter in Christo gaudere « debemus. » Sicut enim Christus in sollicito illo Pastore adumbratus est, qui inventa, quam dolenter amiserat, ove, omnes, ad secum congaudendum invitavit : « Ita et nos invento eo, non quod ipse « perdiderat, sed quo nos perditos acquisierat jus- « tum est gloriari. » Enimvero non sine mysterio S. Petrus Damianus crucem thesauro comparavit abscondito, si factum istud consideretur, quod Tiberio Imperatori accidit. Cum enim christianus hic Imperator vir summæ pietatis et religionis, atque in pauperes liberalissimus in magnam redactus fuisset pecuniarum penuriam, accidit, ut dum palatium suum perambularet, in quemdam pavimento insertum lapidem offenderet, in quo crux quædam effigiata erat, qui proinde elevatis in cœlum oculis in hosce devotionis prorupit affectus : « Cruce « tua Domine frontem nostram munimus et pec- « tora ; et ecce crucem sub pedibus conculcamus ? » Cumque lapidem hunc in decentiorem locum transferre volens, illum e pavimento erui jussisset, mox sub eodem alium quemdam lapidem similem eadem cruce insignitum offendit : quo etiam eruto, mox sub eodem tertium lapidem invenit, eadem pariter cruce signatum ; cumque et illum e pavimento sustulisset, tandem opulentissimus quidam ibidem absconditus thesaurus sese prodidit, quocum non solum pauperum, verum et omnium suo subditorum imperio egestati et necessitati abunde subvenit, Constantinus Romanorum imperator in virtute crucis Christi, quæ in cœlo ei miraculose apparuerat, Mazentium tyrannum gloriose superavit, adeoque dictæ crucis virtute in suo erat stabilitus imperio, unde non solum hujus beneficii causa, sed et quia modo adeo prodigioso a lepra liberatus fuerat, postrata et dissipata omni idolloatria, fidem nostram Christianam est amplexatus ; cumque deinceps in summa regnaret prosperitate, pie credere possumus eum Augustæ Imperatrici et matri suæ Helenæ frequenter dixisse : Nos in virtute crucis in tante pace regnamus et gloria et crux quæ hanc nobis gloriam peperit, semper manebit in terra sepulta et abscondita ? Quæ vicissim, si sancto Ambrosio fidem adhibere volumus, intra se sæpe repetebat [1] : « Ego in regnis et Crux Domini in « pulvere ? Ego in aulis et in ruinis Christi trium- « phus ? » Tandem vero, ut Berengosius Abbas ait, ambo ad thesaurum hunc sollicite pervestigandum strenui fuerunt et assidui [2] : « Licet inveniendæ « Crucis una duobus esset intentio, filium tamen « inquisitio et matrem nobilitavit inventio, dum « enim eidem inquisitioni uterque operam dedit, « lignum Crucis filius inquisivit, mater invenit. » Helena igitur Hierosolymam cum venisset, in eruendo agro illo, in quo pretiosus hic thesaurus absconditus esse credebatur, ingentem adhibuit diligentiam, fueruntque tres quidem cruces plane inter se conformes inventæ, at vero sub tertia quæ Christi erat, thesaurus ille tandem inventus fuit, per quem redemptus est mundus, unde Andreas Cretensis Archiepiscopus in oratione in Exaltatione S. Crucis ait [3] : « Thesaurus qui fuerat absconditus « exterræ meditullio refulsit. » Berengosius Abbas lignum istud similiter thesaurum esse dixit : « Ad « contumeliam nostram (ita de malignis Hebræis « scribit) tanto tempore thesaurum divinitatis abs- « conderunt. » Enimvera adæquata et inter cæteras principalior ratio, cur sanctissimæ crucis ligno hoc imponatur gloriosum epithetum, hæc esse potest, quia in hoc ligno, velut in opulentissimo quodam ærario, solutum est pretium quoddam infinitum ; siquidem unica sanguinis Christi stillula mille mun-

[1] S. AUG., s. 245 *de Temp.* — [2] MATTH., XIII, 44. — [3] S. PET. DAM., s. *de Invent. Crucis.*

[1] S. AMBROS., *in obitu Theod.* — [2] BERENGOS., l. II. — [3] Apud *Surium*, 14 sept.

dis redimendis abunde sufficiebat. Et quia Crux *Digna fuit ferre sæcli pretium.* Cui consonat pia illa melliflui Bernardi meditatio, dicentis [1] : « Totus iste « mundus ad unius animæ pretium æstimari non « potest : non enim pro toto mundo animam suam « Deus dare voluit, quam pro anima humana « dedit. » Quotquot autem salvantur animæ, prompto sanguinis Christi crucifixi pretio salvari noscuntur. Unde de sancta Cruce dici potest, omnes animas ea mediante fuisse liberatas. « Per sanctam « Crucem tuam (ita Christum alloquitur) redemisti « mundum. » Crux dives illud ærarium est, ex quo hactenus et semper deinceps, in redemptionem cunctarum animarum totum deprometur litrum et pretium, « Sola fuisti digna portare talentum « mundi. » Memorabundus hoc loco est negociator ille Evangelicus adeo circumspectus et prudens, qui pro invento pretioso quodam monili, omnia a se possessa libens volens erogavit [2] : *Inventa una pretiosa margarita, abiit, vendidit omnia quæ habuit et emit eam.* Negotiator iste, sancto Leone teste [3], Filium Dei adumbravit, qui pretiotissima hujus lignj margarita inventa, utpote quam super omnia mundi regna æstimavit, omnia erogavit, quæ in sua erant facultate, adeo ut ad omnimodam se nuditatem redegerit, in eaque nuditate, et paupertate, inque illis opprobriis inæstimabiles voluit esse divitias reconditas, per quas unaquæque anima locupletatur, cœlorumque regnum sibi comparat. Hinc est, quod Apostolus dicebat [4] : *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce.* Quinam autem sancti Pauli in hac sua gloriatione sensus fuerit, Divus Augustinus interpretatur, et scribit [5] : « Poterat « Apostolus gloriari in sapientia Christi, et verum « diceret, poterat in majestate, poterat in potes- « tate, et verum diceret ; sed dixit *in Cruce.* Ubi « mundi philosophus erubuit, ibi Apostolus thesau- « rum reperit. » Ex quibus verbis perspicue deducitur sanctum Paulum in Cruce inæstimabilem reperisse thesaurum, quia certum est, quod tribulatio, paupertas, mortificatio, omnesque aliæ mortificationes Christi amore toleratæ gloriam nobis vere concilient [6]. *Momentaneum hoc, et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in cœlis.* Quodsi in potestate tua haberes universum aurum Peruvianum, per illud tamen ne unicum quidem beatitudinis gradum tibi lucrari posses : at vero si pro Christi amore patiaris, si vel unicum humerum tuum Cruci ejus submittas, certo lucraberis Paradisum. Job cap. XXXVII scribitur : *Ab Aquilone aurum venit* ; ex alia vero parte in Jeremia legitur [7] : *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Qua autem ratione fieri potest, dicet fortasse aliquis, quod aurum quod passim apud omnes in tanta est æstimatione, quod-

[1] S. BERN., Med. 3. — [2] MATTH., XIII, 46. — [3] S. LEO, s. 3 *de Pass.* — [4] GAL., VI, 14. — [5] S. AUG., ser. 20 *de de Verb. Apost.* — [6] I COR., IV, 14. — [7] JER., I, 14.

que omnem dominis prosperitatem secum adfert, ab eodem climate deportetur, ex quo alias universa mala velut e centro suo in nos dimanant? Responderi quidem ad id posset, aurum vel ideo omnis mali occasionem esse atque originem, quia humana cupiditate homines investigante, omnes habet sibi insidiantes. Verum aptius ad præsens propositum responderi posse videtur, quod ubicunque est tribulatio, Crux, ærumna, afflictio, ibi quoque semper sit aurum ; sed aurum tale, quo cœlum lucrari, et Deum nobis comparare possumus. S. Ambrosius in vastissima illa regna quæ Magnus ille Constantinus, veluti totius universi Monarcha possidebat, oculos suos conjiciens, hocque pretiosum crucis lignum ab Augusta Imperatrice matre ejus inventum esse conspiciens, ait [1] : « Multo amplius invenit, quod « Imperatori conferret, quam quod ab Imperatore « acciperet. »

**2.** — In principio hujus discursus diximus, quod *simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Per hoc autem cœlorum regnum Ecclesiam interpretari possumus, quæ omnes thesauros suos in Cruce habet repositos : at vero si per regnum cœlorum Paradisum intelligere volumus, certum est, quod tanti Crux valeat, quanti beatitudo, et gloria cœlestis valere noscitur. Unde sanctus Petrus Damianus [2] : « Per lignum de Paradiso fueramus « ejecti : per lignum sumus ad Paradisum revo- « cati. » *Dabo clavem domus David super humerus ejus* ; ita vaticinatur Isaias Propheta [3], id est, Crucem, quæ clavis est domus veri Davidis, et gloriosum regni Christi stemma et insigne. Observastisne aliquando, quotnam sæculis cœlum clausum permanserit ? aut quisnam primus omnium illud ingressus fuerit ? Num forte Adam, Abel, Noe, vel Abraham protoparens omnium credentium, aut vero Sanctus quidem Joannes Baptista ? Nequaquam, sed latro quidam ante omnes cœlos intravit : *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ubi S. Augustinus ait [4] : « Crux « nobis Paradisum, quinque ab eo amplius anno- « rum millibus præclusum patefecit. » Chrysostomus quoque ait [5] : « Iste latro de Cruce mercatur sa- « lutem, furatur cœleste imperium. » Nescio, an aliquando notaveritis, quod Ecclesia postquam cecinit : *Sola digna tu fuisti ferre sæculi pretium* ; mox subjungit : *Atque portum præparare arca mundo naufrago.* Hoc etenim pretiosum Crucis lignum efficit, ut in hoc procelloso mundi mari, tot inter tempestates ad fortunata Paradisi littora feliciter appellamus. Unde S. Augustinus ait [6] : « Interjacet « mare hujus sæculi, quid fecit ? instituit lignum, « quo mare transeamus, nemo enim potest transire « mare hujus sæculi, nisi Cruce Christi portatus. »

[1] S. AMB., *in obitû Theod.* — [2] S. PET. DAM., ser. *de Invent. Cruc.* — [3] ISA., XXII, 22. — [4] S. AUG., s. 40 *in Append. de divers.* — [5] S. CHRYS., h. *de Cruce.* — [6] S. AUG., tr. 2 *in Joan.*

Tritum est illud Evangelicum axioma [1] : *Regnum Cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Quisquis autem crucem portat, in hoc singularis existit, quod ex quo in præsenti vita pro amore Christi patitur, opus non habeat, ut ad habendum in cœlos aditum, aliquam illis violentiam inferat, utpote qui Paradisum in manu sua habet. « Qui in cruce est, « non vim facit, est crux, et statim Paradisus. » Optime S. Leo consideravit, Hebræos quidem incredulos Redemptorem nostrum per patibulum voluisse affligere : hoc tamen illorum consilium per omnipotentiam et sapientiam suam, in suam nostramque gloriam transmutatum fuisse. In suam quidem gloriam quoad honores, venerationem et obsequia, quibus sancte a summis quoque et metuendis mundi monarchis afficitur : in gloriam vero nostram, quia [2] « Quod iniquitas Judæorum paravit ad pœnam, « potentia Redemptoris gradum nobis fecit ad glo- « riam. »

## DISCURSUS VII

OSTENDITUR CHRISTUM VELLE UT PROPRIAM QUISQUE CRUCEM, ID EST, EAM QUÆ STATUI ET VOCATIONI SUÆ CONJUNCTA EST, NON VERO UT SUAM PORTET.

IDEA SERMONIS. — 1. Nemo est qui sive sponte sive invite crucem non tollat. — 2. Crux nostra facilis et levis. — 3. Crux armata perducit ad cœlum. — 4. Tollit crucem suam qui seipsum quotidie mortificat. — 5. Crucem alienam portant qui nimium fidunt meretis alienis. — 6. Crux nostra nostris viribus aptatur. — 7. Quisque propriam, non aliorum crucem respiciat.

*Qui non bajulat Crucem suam, non potest meus esse discipulus.* Lucæ, XIV, 27.

**1.** — Nos sine Cruce Cœlum ingredi non posse adeo verum est et indubitatum, ut probatione non indigeat. Unde Chrysostomus verba illa [3] : *Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam*, maturius ponderans, hoc inde elicit argumentum [4] : « Christus intravit in gloriam suam per Passionem, « et tu vis intrare in alienam sine cruce? » Etenim cœlum antea firmiter obturatum et clausum, post quinque millia annorum et amplius eo præcipue tempore apertum fuit, quo Crux Christi fabricata fuit. « Revera, » inquit Chrysostomus, » non « est vita sine miseria, nec potest sine tribulatione, « nec potest sine tristitia vita præsens transigi. » Cujus convincentem hanc subdit rationem : « Sicut « enim immortalis homo non potest inveniri, ita « neque absque tristitia et cruce : a Christiani vita « vinculum insolubile est tribulatio. » Similem in modum Thomas de Kempis meditatur, dum ait [5] : « Dispone et ordina omnia secundum tuum velle et « videri, et non invenies, nisi aliquod pati debere, « aut sponte, aut invite, et ita crucem semper in- « venies. » Unde difficultas in eo solum consistit, qualis a nobis crux portanda sit, ut Christum sequamur, siquidem sine hac salvari nequaquam possumus [1]. *Qui non bajulat crucem suam, non potest meus esse discipulus* ; quæ est æternæ protestatio veritatis. Num forte ipsissimam Christi Crucem humeris nostris imponere debemus? Minime. Quis enim humeros tali oneri submittere præsumet, quod a divino illo Athlante, qui tribus digitis universam mundi sustinet machinam, ferri vix potuit? Advertendum est igitur, quod Christus non dicat : *Qui non bajulat Crucem meam.* Cur ita? Numquid Crux ejus pretiosissima erat, utpote quæ gratiis meritisque innumeris referta erat, et in qua humani generis redemptio consummata fuit? Hoc totum verum est quidem ; verumtamen eadem Crux omnibus generis humani culpis et pœnis onusta erat [2] : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore super lignum.* Unde S. Thomas de Villanova ait : « *Tollat crucem* « *suam*, nam meam non poterit; gravissima est « enim quam nullius puri hominis humerus portare « sustineat. » Christus etenim crucem portavit, omnibus nobis debitam. Adhæc dicere possumus, Christi crucem evangelicorum consiliorum complementum, veramque perfectionis viam esse, vel etiam immaculatam quamdam esse innocentiam, quæ illis verbis insinuatur [3] : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Quinam autem futuri essent humeri illi, quibus crux ista adaptari possit? Væ nobis, si nobis aditum in cœlum per hanc innocentiæ aut perfectionis religiosæ semitam comparandus necessario esset : quam pauci enim tunc forent salvandi? Ac proinde notanter et non sine mysterio dixit : *Qui non bajulat crucem suam.* Etenim qui vivere nequit sicut homo religiosus, valdeque perfectus, vivat at minus sicut timoratus Christianus, præcepta adimpleat, si consilia evangelica sectari non præsumat [4] : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Unde S. Bernardinus hac de re ita scribit : « *Tollat crucem suam*, id est, sibi passibilem, « non autem dicit *meam* : quia totius mundus non « potest portare minimam partem crucis ejus. » Quilibet in statu et vocatione sua propriam Crucem habet, ac proinde opus nequaquam est, ut studiose illam inquirat. Salutare igitur est illud Apostoli monitum [5] : *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Quodsi igitur unusquisque in sua vocatione salvari potest, nec quisquam sine cruce salvari queat, per consequentiam necessariam quotquot in statu et vocatione sua salvantur, in eadem suam quoque crucem habebunt. Id quod ad Ephesios scribens expressius declaravit,

[1] MATT., XI, 12. — [2] S. LEO, s. 4 *de Pass.* — [3] LUC., XXIX, 26, — [4] S. CHRYSOST., h. 66 *ad pop.* — [5] THOM. A KEMP., l. II, c. 12.

[1] LUC., XIV, 2. — [2] I PET., II, 24. — [3] ID., II, 22. — [4] MATT., XXIX, 17. — [5] I COR., VII, 20.

dicens [1] : *Obsecro, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis ; cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate.* Ecce tibi crucem. Melius profecto ad propositum nostrum dicere non poterat aureum illud Chrysostomi os, et calmus aureus [2]. « Omnes cujuscunque « sortis sint, varias Crucis causas habent, hic qui- « dem ab uxore, hic a filio, alter a servo, alter ab « amico, ex vicino quidam, quidam ex fortunarum « jactura. » Enimvero credetis fortasse magnates qui in deliciis et splendoribus degunt, suam quoque crucem propriam non habere ? at vero audite eundem Chrysostomum : « Verumtamen nec Rex « procul a curis et cruce vitam degit sed vitam vivit « plenam multis tribulationibus et curis. » Unde Poeta quidam cecinit. Habet suas quoque purpura spinas. Etenim Plinii sententia est : « Nullum vesti- « menti genus, quod tinearum injurias magis « sentiat, quam purpura. » Ita quoque nullus magis infestatur curis et molestis animi angoribus, quam Princeps aliquis ; « Neque tu diadema respi- « cias », inquit Chrysostomus [3] ; « Sed curarum « tempestatem : non ita corona caput circumdat, « sicut animam sollicitudo : nec enim privata do- « mus tot curis plena reperiri posset, quot regiæ « sunt cruces per singulos dies expectandæ. » Cum igitur Deus noster unicuique in suo statu crucem suam imposuerit, ejus expectationi satisfaciemus, si illam fortiter et patienter sustinuerimus. Et hoc est, quod Apostolus dicere velle videtur, dum ait : *Cum humilitate, mansuetudine et patientia supportantes.* Etenim illi patrifamilias incumbit, ut bono exemplo patientiæ, humilitatis aliarumque virtutum suis præluceat ut prolem suam, cunctosque alios sibi subjectos, in bona educatione coerceat. Ad illum prælatum spectat, ut sollicite super grege suo. invigilet, divini verbi panem, et sanctissima sacramenta eidem subministrando animarum suæ curæ commissarum salutem strenue promovendo, earumque necessitatibus tam corporalibus quam spiritualibus subveniendo, imo et vitam suam exponendo, ubi idipsum requisierit necessitas.

**2.** — *Tollat crucem suam.* Crux juvenis illius erit v. gr. patienter ferre, si a sodalibus suis cæteroquin dissolutis, digito monstretur ; eorum societatem fugere qui ipsum nituntur seducere, in occurrentibus sibi in via Dei mortificationibus modicam erubescentiam æquanimiter tolerare, continenter vivere, ebullientis sanguinis fervorem et æstum vincendo, oculosque a voluptatum incentivis in bona custodia continere. Hæc enim crux ad cœlum ipsum infallibiliter perducet. Neque enim Redemptor noster a nobis exigit, ut crucem nostram per flagella, spinas, clavos, fella, myrrhas, aliasque similes amaritudines deferamus, prouti suam ipse tulit : « Age igitur pœnitentiam pro peccatis tuis « et sufficit mihi, jejuna, plora, vigila, afflige mo- « dicum carnem tuam, et satis mihi est, » inquit veluti in persona Dei S. Thomas de Villanova : ac proinde in persona Christi subjungit : « Non meam « injungo ; sed tollat suam levem et facilem. »

**3.** — *Tollat crucem suam.* S. Augustinus ait : [1] « *Tollat crucem suam*, hoc est toleret in mundo « pro Christo, quicquid intulerit mundus. » Illam nimirum paupertatem, infirmitatem illam vel aliam quamvis ærumnam, quæ a mundo nobis crucis loco immittitur. Quæ tunc vel maxime ad cœlum nos perducet, si eam ex amore Christi fortiter sustinuerimus, immissas nobis afflictiones ad amorem et gloriam ejus dirigendo, nosque ejus sanctissimæ voluntati conformando. Verum enim vero sæpe numero continget, quod adversitates occurrentes peccatorum nostrorum fructus existant : siquidem fortassis illam tibi conciliasti infirmitatem per has vel illas obscænorum peccatorum enormitates, per crapulas immoderatas, per rixas et contentiones. Carcerem illum seu bonorum jacturam per contracta debita, per jocos, ludos, luxus, aliaque delicta petrata tibi adscivisti. Molesta lis illa, quæ mire te contorquet, contractuum illicitorum, seu usurarum palliatarum tuarum est effectus. Et tamen hoc non obstante, inquit sanctus : « Toleret pro « Christo, » id est, crucem illam, illam tribulationem, justum, et pro sceleribus suis digne promeritum supplicium esse recognoscat, percutientem se ferulam osculetur, divinæ voluntatis arbitrio se conformet, fructumque pro anima sua ex immissa sibi cruce eliciat, se humiliando, et intima de peccatis dolendo et pœnitendo, ac demum sciat, quod [2] *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* « Etiam peccata, » addit Glossa.

**4.** — Verumtamem aliam quamdam crucem audite longe faciliorem. Chrysostomus ait : « Tollit « crucem suam, qui ita paratus est ad pericula « cædem, et crucem, ut is qui eam portat ; ita pa- « ratus est, ut is, qui eam humero sustinet. In præ- « paratione animi. » Si videlicet promptus sit pro amore Dei vitam suam prodigendi, vel omnibus aliis periculis eam exponendi. *Crucem suam.* Est quoque alius modus pro commissis peccatis pœnitentiam faciendi, si quis stabile sibi faciat propositum, eadem per Dei adjutorium nunquam denuo committendi, vel iterandi. Dionysius Carthusianus ait : « *Tollat crucem suam,* id est, seipsum quotidie « per opera pœnitentiæ mortificet. » Constat Crux materialis duobus lignis, uno directo, altero transverso ; quorum hoc statum significat illorum, qui multis subjacent miseriis et ærumnis ; et hæc crux a majori hominum parte portatur, et sensibiliter admodum percipitur : lignum vero directum pros-

[1] Eph., iv, 1. — [2] S. Chrys., h. 67 *ad pop, Antioch.* — [3] Id., h. 66 *ib.*

[1] S. Augus., s. 72 *de div.* — [2] Rom., viii, 28.

peritatis statim significat. Verum inquies, ergone etiam in illo statu crux aliqua reperiri poterit? cuinam pœnæ subjiciuntur, qui vivunt juxta animi sententiam in summis deliciis, et gaudiis, miseriarum omnium expertes? Nimirum illi subjiciuntur Cruci, quæ consistit in Christiana innocentia perpetuo continuata. Quam crucem S. Bernardus existimat [1] quodvis aliud excedere quantumvis pœnosum martyrium. Trita enim est illa sententia : « Quod « martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, « inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate « premi inter divitias ? » Quondam insignis hæc laus S. Carolo Borromæo hisce verbis attributa fuit : « Crucifixus mundo minime blandienti. »

**5.** — *Tollat crucem suam.* Id quod notanter dicit. Multi enim crucem in se accipiunt alienam sicut Simon Cyrenæus, qui humeros suos non suæ, sed Christi cruci supposuit. Quod sunt hoc errore seducti, ut se per crucem alienam, id est, per aliena merita abstinentiarum, orationum, confessionum, aliorumque similium operum salvandos esse existiment, bonis Dei servis sese recommendando, animæ vero suæ culturam, divinorumque præceptorum viam penitus negligendo ? Quot sunt, qui confidunt in devotionibus externis, verbi gratia in sanctorum advocatorum suorum intercessionibus, vel in vocalibus sacri habitus Carmelitani, vel Rosarii, vel ad S. Paduanum directis orationibus, parum considerantes hasce illis ad æternæ gloriæ consecutionem parum profuturas esse, quamdiu divinæ leges observantes non fuerint? Crucem propriam portare oportet : *Crucem suam tollat.* Per opera et merita propria, non vero aliorum salvemur, necessum est. *Opera enim illorum sequuntur illos* [2]. Persuadere fortassis qui sibi poterit Heraclium Imperatorem omnium fuisse fortunatissimum, et Redemptori maxime acceptum, eo quod lignum illud, in quo is crucifixus fuerat, quodque e Cosroe Persarum regis potestate recuperarat in humeris suis portarit : at vero ex alia parte sciendum est illi, quisquis ille est, id dicto Imperatori parum admodum profuisse, siquidem ejusdem Imperatoris negligentia Mahometis secta in Christianismo firmum sibi pedem fixit, finisque illius admodum probrosus extitit. Verum quidem est, quod crucem Christi sibi ferendam imposuerit, non vero suam ; cum tamen Christus dixerit : *Tollat crucem suam.* Verum enimvero hactenus quidem multorum, præcipue vero magnatum errorem deteximus, nimirum quo sibi persuasum habent, per aliena merita salvari se posse, cum tamen ipsi spinarum, clavorum, fellis, et crucis inimici, solarumque rosarum, avidi existant : attamen ex quo simul etiam Cyrenæi mentionem fecimus, scire percuperem, cur incarnata illa Sapientia non disposuerit, ubi sibi Crucem ponderosissimam portanti non Simon sed alius, v. g. S. Joseph ab Arimathæa, Nicodemus, vel similes alii compatientes suppetiat in Cruce ferenda ferrent, quin potius gentilem quemdam advenam, prolibus onustum, agricolam, et patremfamilias sibi subvenire voluerit. Et quidem quoad mihi videtur causa illius hæc fuit, ut scilicet exinde intelligeretur, quod Christus omnes et singulos Crucis suæ partem habere velit, vult enim, ut omnes et singuli meritorum passionis suæ participes evadant, vult, inquam, ut singuli in suo statu salventur, dummodo humeros suos cruci submittant quam Deus unicuique in suo gradu immisit. Porro Cyrenæus iste pariter cum filiis suis ad fidem conversus est.

**6.** — *Tollat crucem suam* Hugo Cardinalis ait : « Notanter *suam*, juxta virtutis mensuram : » Siquidem fidelis Deus qui non patietur non tentari supra id, quod possumus. Ac proinde S. Anselmus ad idem propositum scribit : « Illud facit pro- « venire, quod potest humana fragilitas sustinere ; « cum viribus tentamenta modificat. »

**7.** — *Crucem suam.* Multi in aliorum cruces oculum suum dirigunt, ideoque tentantur, et contra Deum murmurant et lamentantur, quasi crux illorum gravis nimirum sit, et intolerabilis, siquidem alios majori supplicio et castigatione dignos esse arbitrantur. Nequaquam, inquit Deus ita fieri convenit, neque enim vestrum est id examinare, quin potius quid per peccata vestra mereamini ponderare debetis, et impositæ vobis cruci acquiescere. S. Petrus Christum interrogavit, quam et qualem crucem S. Joannes portaturus est : *Domine hic autem quid* ? Verum Salvatore ei respondisse videtur, ut suam crucem respiceret, nec oculum seu mentem suam in alienam crucem deflecteret. *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te ?*

## DISCURSUS VIII.

CHRISTUS PER ILLA VERBA : *Qui vult venire post me, abneget, etc.* CRUCEM FACILITER PORTANDI MODUM NOS DOCET.

IDEA SERMONIS. — 1. Non coacte crux ferenda. — 2. Qui tollit crucem suam Jesum aspiciat. — 3. Abneget semet ipsum. — 4. Per totam vitam tollat crucem. — 5. Faciat quæcumque Christus jusserit. Multi crucem tollunt sed non Jesum sequuntur.

*Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam, et sequatur me.* Lucæ, IX, 23.

**1.** — Verum crucem portandi modum Redemptor noster paucis quidem, sed valde mysticis verbis nos edocet. Et quidem in primis Chrysosto-

[1] S. BERN., *s. in Fest. omnium Sanct.* — [2] APOCAL., XIV, 13.

[1] HUG CARD., *in Matt.* — [2] JOAN., XXI, 22.

mns, verba illa : *Qui vult,* bene considerans ait [1] : « Vide ut nullam necessitatem verbis suis adjungit « Non enim dixit : velitis, nolitis, hoc vobis perfe- « rendum est, sed quomodo ? *Si quis vult me sequi* : « non vim affero, non cogo, sed suæ quemque « voluntatis dominum facio, utrum crucem suam « mei amore velit ferre. »

**2.** — *Post me.* Levius utique pondus impositæ nobis crucis videbitur, si oculum nostrum in eum desigamus, de quo scriptum est [2] : *Qui peccatum non fecit*; qui tamen sanctam crucem omnibus peccatis nostris maxime oneravit, quia *peccata nostra ipse pertulit super lignum,* unde et gravissime aç ponderosissima extitit. Non parum quoque sublevaminis nobis in cruce positis conciliabit, si quanta cum lætitia et alacritate crucem suam portari, consideremus : *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est* Unde et Apostolus nos exhortatur dicens [3] : *Aspicientes in consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Post me.* Si quis Christum præcurreret, is certe oculos suos in ipsum defigere minime posset, ac proinde quia oculos nostros in se perpetuo vult habere defixos, dicit *post me.* Ad hæc dicere etiam possumus ; Christum nobis hisce verbis insinuare voluisse, cavendum nobis esse, ne de nobis ipsis nimium præsumamus, pedes nostros ante Christum figere, seu eum præcurrere volentes prouti nonnullis accidit, qui de seipsis adeo præsumunt, ut suam in gratiam et auxilia divina fiduciam nequaquam ponunt. Et forte hoc est unum ex mysteriis, ob quæ Christus Zachæo ut ex arbore Sycomoro, quam ejus videndi causa ascenderat, cito descenderet, præcepit : *Præcurrens ascendit in arborem sycomorum* ; quia enim arbor illa Crucem repræsentabat, quam Christus ipse nondum ascenderat, ideo Zachæus Christum aliquo modo præcurrere velle videbatur. Unde Chrysostomus : « Si bene « ascenderat, quare ei dicitur *descende* ? superius « dixit : *Præcurrens ascendit arborem,* præcurrit ser- « vus Dominum ; et ante Zachæus ascendit arborem « quam crucem dominator ascenderet ; hinc est, « quod dicitur ei *festinans descende.* » Demum vero ad propositum nostrum loquitur, dicens : *Nisi quis tulerit crucem suam et secutus me fuerit,* non dixit *præcesserit.* Cyrenæus quidem Christum in cruce portanda adjuvit ; ad illam tamen portandam Christus ipsum non aliter admittere voluit, quam ut non ante, se post Jesum incederet : *Imposuerunt illi crucem portare post Jesum.* Sunt, qui in dubium revcarent, an Christus simul cum Cyrenæus crucem portarit, an vero Cyrenæus illam tulerit solus Cajetanus dubium hoc dirimit dum ait : « Compule- « runt ad hanc ignominiosam sarcinam, quem non « solus portabat : sed post Jesum ne Simon videre- « tur crucifigendus. » Multi adeo sunt temerarii et præsumpuosi, ut multa ex seipsis seu propria virtute se facere posse existiment, qui tamem deinceps turpiter cadunt. Quando Petrus Christum ad Calvariæ montem, ut crucifigeretur, contendere velle audivit, multoties se una cum ipso mori velle arroganter protestando promisit, non obstante futuri lapsus sui prædictione a Christo ei insinuata, ac proinde qui pari passu cum Christo incedere voluit ut turpiter caderet, promeruit. *Post me,* inquit S. Bonaventura [1] : « Quid est crucem tollere, et post « Dominum ire, nisi post dictam jam humilitatem « gratiam pœnitentialem accipere, et sic semper « post Dominum ambulare ? nam et ipse in nos- « trum exemplum prius se humiliavit, pedes disci- « pulorum lavit. »

**3.** — *Abneget semetipsum.* Origenes ait [2] : « Abne- « get ergo seipsum, qui priorem vitam suam « malam bona conversione relinquit : ut puta « aliquando luxuriosus denegat se injustum, cum « cœperit servare justitiam ; et sic in omni malitia « denegat, quod fuerat. » Eamdem interpretationem S. Bonaventura hisce verbis adjecit, dicens [3] : « Quid « est, se abnegare, nisi omnem superbiam cordis « abjicere, et perfectam humilitatem induere ? S. Hieronymus ait [4] : « Abnegare seipsum est, vete- « rem hominem cum operibus suis deponere. » S. Ambrosius quoque dicit : « Abneget semetipsum « sibi homo, et totus mutetur. » Chrysostomus autem verbum illud *Abnegare* specialiter considerans dicit : Advertamus diligenter, quid abnegare seipsum significet. Qui negat se nosse alium, sive is filius sit, sive frater, vel alius quicunque amicus, is tametsi omne malum eidem accidere, eumque pessime ab alio tractari videat, nullum tamen ei auxilium porrigit, quia eum abnegavit nec eum defendit, nec ex ejus infortunio turbatur, eo quod omnem ab eo affectum subtraxerit : « Sic ergo vult nos Deus corpus nostrum negli- « gere » inquit Chrysostomus « ut si qui nos ipsius « causa vel verberent, vel supplicio afficiant, vel « quid aliud faciant, negligamus. Hoc est enim ab- « negare, hoc est nihil secum habeat, sed seipsum « periculis objiciat. » Crucem pondus suum habere nemo inficiari potest, quodsi autem quis ponderi huic aliud pondus majus adjicere velit, id est, si ei affigere velit amorem proprium, seu propriam voluntatem, utique illam prompte portare tandem eidem impossibile erit. S. Augnstinus enim amorem nostrum pondus dicere non dubitavit : « Amor « meus, pondus meum. » Quodsi autem in hoc crucis pondere portando facultatem aliquam et levitatem experiri volumus, opus erit ut ab alio pon-

[1] S. Chrys., h. *de adorat. Cruc.* — [2] I Pet., II, 22. — [3] Id., *ib.*, 24. — [4] Exod., xxv, 40. — [5] Hebr., II, 8. — [6] Luc., xix, 4. — [7] S. Chrys., s. 54. — [8] Luc., xxiii, 23.

[1] S. Bon., s. 2 *de S. Andrea.* — [2] Orig., *in Matt.* — [3] S. Bon., *ib.* — [4] S. Hier., *de Pass.* — [5] S. Ambr., h. *de Ador. cruc.*

dere nos exoneremus, id est, voluntatem propriam ab eadem retrahamus, abnegando illam, ipsamque Deo subjiciendo. Prius Dominus noster dixerat [1] : *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* At vero cum de cruce a nobis portanda dissierere incipit, etiam nosmetipsos abnegare suadet. Unde S. Gregorius ait [2] : « Ibi di- « citur ut abnegemus nostra : hic dicitur, ut ab- « negemus nos, et portasse laboriosum non est « homini relinquere sua, sed vaide laboriosum est « relinquere semetipsum. » Hugo Cardinalis vocem *semetipsum* prudenter ponderat, et dicit, quod quanto renuntiatio aliqua Deo gratior, et acceptior fuerit, tanto quoque sit majoris perfectionis, et aptitudinis ad crucem salubriter portandam. « Est « relinquere et abnegare seipsum, se, sua, suos, » deserere seipsum, propria voluntate carere, ab omni eo quod quis habet, haud secus alienari, ac si suum non esset ; denique carnem, sanguinem, et parentes proprios derelinquere, proprium est eorum religiosorum, qui in summa exemplaritate vitam degunt.

**4.** — *Tollam Crucem suam*. Chrysostomus ait [3] : « Non semel et bis ; sed continuo per totam vitam « hanc tecum mortem circumferas, et continuo ad « necem paratissimus sis. » Ubi notandum quod nos quoque Crucem amplecti et ferre debere dicat. Quærunt etenim sacri Interpretes quid Christo opus fuerit hominem aliquem in cruce portanda auxiliatorem habere ? Albertus Magnus respondet : « Hoc ipsum Spiritus Sanctus ordinavit, non enim « sufficit, quod Christus solus portet pro nobis « crucem : sed oportet, quod etiam nobis impona- « tur. » Neque enim sufficit, quod Christus pro nobis sit passus, nosque pretioso sanguine suo redemerit, nisi nos quoque ex parte nostra cooperemur, utendo nimirum Sacramentis in quibus passionis suæ fructus continentur. *Tollat crucem suam.* Nobis etenim crux nostra exemplo Christi etiam portanda est, eum in amara Passione sua imitando, eamque crucem quam Deus in statu et vocatione nostra nobis immittet, pro ejus amore libenter tolerando.

**5.** — *Et sequatur me.* Chrysostomus ait [4] : « Ne « credas ipsius Passionis per se naturam sufficere, « causam ejus subjecit : quam ? ut quæ dicta sunt « universa faciens atque patiens ipsum sequaris ut « scilicet propter ipsum omnia sustineas, id est, « recte Dominum sequi, si propter ipsum cuncta « sufferas, et alias virtutes non negligas. » In sacro Evangelio voluntaria illa juvenis Evangelici oblatio describitur *sequar te* inquit ad Christum *quocunque ieris.* Ubi Chysologus [5] : « Decipit, non accedit, qui « promittit Dominum incaute sequi : sed ad omnia « posse quis promittit ? dixisset [cautius, *se-* « *quar te quocunque jusseris,* humanius cer- « te, *quocunque volueris. Sequar te, quocunque* « *iveris.* Sic dicit, qui inter se et Dominum, quid « intersit, ignorat. Petrus per mare sequitur, sed « submergitur : ad passionem sequitur, sed negat. » Examinemus autem quidnam Christus ei responderit : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Verum, inquies, quænam est inter juvenis illius spontaneam oblationem, et hoc Christi responsum proportio ? S. Augustinus ait : « Intelligimus istum « hominem, si sequeretur Christum sua quæsitu- « rum fuisse, non quæ Jesu Christi. » Quot sunt, qui crucem quidem portant, non tamen pro Christo quin potius crucem ferunt, ut ad hanc vel illam prælaturam pertingant, vivunt in summa exemplaritate et observantia, ut apud homines bonum sibi nomen et existimationem concilient, non vero ut Christum imitentur, multo minus ut vel propriæ, vel alienæ saluti cooperentur. Quot sunt, qui in hac vel illa aula gravem ignominiæ, dispendiorum, aliarumque omnium laborum, molestiarum, fastidiorumque crucem libenter quidem et patienter ferunt, et tamen hoc totum eo tantum fine faciunt, ut ad ambitionis suæ metam feliciter perveniant. Unde S. Bernardus ait : « O ambitio ambientium « crux. » Quot sunt, qui Christum ad statum usque religiosum consectantur, sed eo tantum fine ut conditionem altius sublimiusque promoveant, cum alias, utpote origine sua humiles et viles, domi suæ pauperes fuerint et abjecti ? « Respondit, » inquit S. Augustinus : « *Vulpes foveas habent, filius autem* « *hominis non habet ubi caput reclinet* : sed ubi non « habet ? in fide tua : vulpes enim foveas habent in « corde tuo, quia dolosus es. » Quot inveniuntur hypocritæ ? *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces,* « Volatilia cœli « habent nidos in corde tuo, quia elatus es, » inquit S. Augustinus. Unde concludit : « Dolosus « et elatus non me sequeris, » *Sequatur me,* Hugo Cardinalis verbis illis hanc glossulam adjecit [6] : « Non mea, ut ambitiosi. » Chrysostomus quoque pulchre observavit, quod postquam Christus dixisset : « *Tollat crucem,* subjunxerat, *sequatur me.* « Posset enim aliquis crucem fere, et grandia pati : « Christum tamen non sequi, » prout multis qui in hac vita affliguntur, accidit, at vero afflictiones ob fines et respectus humanos sufferunt. Idemmet Hugo ait : « Quidam recedunt, quidam antecedunt « quidam cum eo vadunt, quidam post eum : rece- « dunt, quia via opposita currunt ad inferos, id est, « per delicias et honores : antecedunt, qui propriæ « voluntati et sensui proprio innituntur : cum eo « vadunt, qui de sua salute et aliorum sunt solliciti :

[1] Luc., xiv, 33. — [2] S. Gregor., h. 52 *in Evang.* — [3] S. Chrys., h. *de ad Crucis.* — [4] Id., h. 96 *in Matt.* — [5] Matt., viii, 20. — [6] S. Chrys., s. 19.

[1] S. Augustin., s. 7 *de verb. Dom.* — [2] Hugo, h. 59 *in Matt.*

« Sequuntur Jesum veri obedientes. » Adhæc dicere possumus, quod verbum *sequatur me* perseverantiam nobis significet, quam in cruce portanda ad finem usque habere debemus : Salvator etenim tametsi ad deerendum patibulum suum, indeque descendendum, Hebræorum vocibus invitatus ac stimulatus fuerit, in ea tamen ad finem usque cruciari elegit, donec dicendo *Consummatum est, emisit Spiritum* vel donec manibus e cruce deponeretur. S. Augustinus hac de re valde salutare nobis monitum post se reliquit [1] : « Cum quis cœperit Chris-
« tum sequi, multos habebit contradictores, multos
« habebit prohibitores, multos habebit dissuasores,
« et hoc de ipsis quasi comitibus Christi ; cum
« Christo ambulabant, qui cœco clamare prohibe-
« bant : sive ergo minas, sive blandimenta, sive
« quaslibet prohibitiones, si sequi vis, in crucem
« verte, tolera, porta, noli succumbere. »

## DISCURSUS IX.

### CONSIDERANTUR NONNULLA MYSTERIA, OB QUÆ CHRISTUS REDEMPTOR NOSTER CRUCEM INTER OMNIA ALIA SUPPLICIA ELEGERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus elegit crucem non gaudium. — 2. Elegit mortem crucis ut parati simus ad omne genus opprobrii et supplicii. — 3. Ut homo salvaretur per lignum per quod perierat. — 4. Ut moriendo viam cœli apertam omnibus ostenderet. — 5. Variæ crucis figuræ in veteri Testamento. — 6. Brachia Christi extenta quid significant ? — 7. Crux nobis est vexillum et gladium semper paratum. — 8. Per mortem in cruce aufert a nobis maledictionem.

*Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta.* Heb., Cap. XII, 2.

**1.** — Cum Pater æternus unigenito Filio suo in hunc mundum pro humani generis redemptione ordienda venienti, non solius animæ, sed et corporis gloriam proposuisset, adeo ut non ad patiendum, sed ad gaudendum et favendum venire potuisset, ipse gaudio posthabito crucem est amplexatus, eidemque se adstrinxit. Id quod Biblia Regia asserere voluere, quæ legunt : *Pro gaudio quod habebat, sustinuit Crucem.* Unde dubium istud merito nascitur, cur scilicet increata hæc Dei Patris sapientia inter omnia alia suppliciorum instrumenta crucem vel maxime elegerit ? Cujus difficultatis hoc discursu elucidare decrevi.

**2.** — Una ex occurrentibns difficultatibus ob quas haud immerito credi potuisset, minime decuisse, ut Christus in cruce moriretur, hæc est ; quia nimirum omnia antiquæ legis sacrificia mortem Christi præfigurabant, hæc autem partim ferro, partim igne perficiebantur, adeoque ut sua figuris hisce veritas corresponderet, minime expedire videbantur, ut ei ad moriendum Crucis proponeretur patibulum Veruntament ut S. Thomas respondit, omnino conveniebat, ut qui pro universali humani generis salute moriturus, nec non pro primi hominis peccato satisfacturus advenerat, aliam quam crucis mortem nequaqnam sustineret hujus quidem opinionis aliquot adducit rationes. *Primo propter exemplum virtutis,* quia ut S. Augustinus declarat [2] : « Sapientia Dei hominem ad
« exemplum, quo recte viveremus, suscepit : per-
« tinet autem ad vitam rectam, ea quæ non sunt
« metuenda, non metuere. » Sunt etenim nonnulli qui licet mortem in semeptipsa non exhorrescant, genus tamen mortis summopere formidant ; ne igitur recte vivens homo ullum deinceps mortis genus, quantumvis illud atrox sit, exhorresceret, Salvator noster homo factus crucem elegit, utpote quod inter omnia mortis instrumenta maxime est probrosum et formidabile. Adhæc prævidebat Christus, multos sequacium suorum ad prodigendum pro eo vitam suam promptos futuros esse, et quibus tamen multi a prodigenda insuper per infamem et vituperosam mortem fama et existimatione haud immerito deterriti fuissent, ideo eosdem exemplo suo animare volens crucis patibulum elegit utpote quod pœnas atrocissimas pariter et infamiam homini natum est adsciscere ; nam hoc instar gladii crucifixi manus et pedes, ut ita dicam, intersecat, corpus ejusdem extendit instar equulei, velut uncini corpus membratim dilaniat, velut ignis idem adurit, siquidem crucifixus lento velut igne consumitur, ardorem sustinens et sitim inextinguibilem. Beatus Laurentius Justinianus de triumphali Christi agone, de Christo in cruce pendente ita scribit : « In Stephano lapidabatur, in Laurentio assabatur,
« sicque in singulis singula martyrum, cætero-
« rumque justorum sustinebat tormenta. »

**3.** — *Cruce.* Insuper lignum istud Christo conveniebat, utpote culpæ protoparentum nostrorum, quæ propitianda erat, proportionatum. Hæc etenim culpa in decerpto ex ligno pomo verito consistebat : « Ideo conveniens fuit, » inquit S. Thomas, « quod
« Christus ad satisfaciendum pro illo peccato seip-
« sum pateretur ligno affigi, quasi restituens, quod
« Adam sustulerat, secundum illud Psalmi [3] : *Quæ non rapui, tunc exsolvebam* ; » utiturque S. Doctor illo S. Augustini testimonio dicentis [4] : « Contempsit
« Adam præceptum, accipiens ex arbore pomum
« sed quidquid Adam perdidit, Christum in cruce
« invenit. » Quodsi enim Adam fructum e ligno isto sustulit, Salvator eumdem perfecte reposuit ; siquidem a crucis arbore pendere visus est fructus ille, de quo scribitur : *Benedictus fructus ventris tui.* Idemmet alibi S. Augustinus exponit, dicens : « Sa-
« crarum manuum in ligno Crucis extensio, et

[1] S. AUG., s. 47 *de div.*

[1] S. THOM., 3 p. q. 46. — [2] S. AUGUST., l. 81. — [3] *Ps.* LVIII, 5. — [4] S. AUG., s. *in App. de div.*

« reverenda confixio, quæ condemnabat Adæ et « Evæ manus ad interdictum ligni cibum ingemis- « cenda sæculi transgressione, porrectas. » Porro præcipua motiva, quo primi Parentes nostri ad divinæ prohibitionis transgressionem ducti sunt, non fuerunt alia præterquam ambitio, et voluptas. Ambitio quidem, quia se sublimandos et ad celsa evehendos esse sperarunt [1] : *Eritis sicut Dei.* Voluptas autem : quia *vidit lignum pulchrum oculis, aspectuque delectabile* (mulier videlicet) *et tulit et comedit, deditque viro suo, qui comedit*, ut inquit S. Augustinus : « Ne contristaret delicias suas, » id est, Evam. Mérito igitur et ingenti cum mysterio secundus hic Adam crucem elegit, ut per hujus vituperosissimi supplicii ignominiam et infamiam prævaricatorum superbiæ et ambitioni, perque ejusdem supplicii asperrimos cruciatus et tormenta, habitæ ab ipsis in esu fructus vetiti voluptati et delectationi satisfaceret, easque expiaret. Hisce tamen adjungi potest motivum aliud, cujus in præfatione sit expressa mentio : « Salutem humani « generis in ligno crucis constituisti, ut qui in « ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. » Inimicus etenim infernalis mediante ligno hominem prostraverat, ideoque ruinæ nostræ reparator alio quodam ligno mediante eundem hominem liberare, hostemque vincere et debellare disposuit. Unde S. Petrus Damianus ait [2] : « Lignum ligno opposuit, « dum per Crucis amaritudinem expuit in venena- « tam pomi illius vetit voluptatem ; » adeo ut venenum quod serpens in extremam perniciem nostram evomuerat, crucis ligno mediante, in ejus denuo fauces rejectum fuerit. S. Anselmus in libro : *Cur Deus homo*, ita scribit : « Et ut Diabolus, qui per « gustum ligni, quam suasit, hominem vicerat ; « ita et per Passionem ligni, quam intulit, ab « homine vinceretur. » Aliud quoque hujus mysterium superius a nobis insinuatum S. Gregorius Nazianzenus tetigit, dicens : « Ad vitæ lignum unde « excideramus, per ignominiæ lignum revocati « sumus. » S. Ambrosius ait : « Mors per arborem, « vita per crucem » S. denique Joannes Damascenus dicit [4] ; « Pretiosam Crucem præfigu- « ravit vitæ lignum quod in Paradiso plantatum « est a Deo : nam posteaquam per lignum moris. « oportebat per lignum donari vitam. »

**4.** — *Crucem.* Utitur etiam idem S. Thomas auctoritate Chrysostomi dicentis, Christum voluisse pati non sub tecto, sed sub dio in aere aperto : « Ut « etiam ipsius aeris natura mundetur ; » postquam terra per effusum ejus sanguinem purificata fuisset; et illa S. Joannis verba : *Exaltari oportet filium hominis*, in medium adducens, ait : « Exaltari audiens, « suspensionem intelligas in altum, ut sanctificaret « aerem, qui sanctificaverat terram, ambulando in « ea. » Considerat pariter idemmet Angelicus doctor, quod in sublimi moriens, « ascensum nobis « parat in cœlum. » S. Cyprianus in Redemptore Moysen manibus et brachiis extensis in monte illo ad Amalec debellandum orantem memoria repetens, ita scribit [3] : « Elevatum in sublimi et quasi « cœlo proximum, superioribus inferentem con- « summati agonis vexillum et inferioribus erexisse « scalam in Patris occursum. » Observandum præterea est, quod patibulo crucis priusquam appropinquasset, paulo ante dixerit [2] : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras ; et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Tanquam belli dux generosissimus inimicos suos in eorumdem vallis debellare voluit : *Contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, inquit Apostolus. « Visibiliter Dei « filius in carne crucifixus est, » inquit Origenes [3], « invisibiliter vero Diabolus in ea cruce cum po- « testatibus et principatibus affixus est. » S. Athanasius scribit [4] : « Dominus venit, ut Diabolum præ- « cipitaret et viam ad cœlum nobis inveniret. » Etenim viam versum cœlum a spiritibus rebellibus aera occupantibus valde impeditam aperire nobis voluit, unde S. Leo ait [5] : « Sanctorum pœna mem- « brorum (de Christo in crucem acto loquitur) « inimicarum fuit interfectio potestatum. » His adde, quod ex quo Filius Dei universis populis valde conspicuus esse debuerit, adeo ut sua in eum oculorum lumina figere possent, conveniens erat, ut elevaretur et exaltaretur [6] : *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* : Crux enim a terra evehit illum, quia in ea crucifigitur.

**5.** — *Sustinuit crucem.* Sciendum quoque est varias veteris Testamenti figuras, quæ mortem ominabantur Messiæ, huic mortis generi correspondendo prælusisse. Arca enim in qua salvatum est genus humanum e ligno fabricata fuit, Virga Moysis qua percussum est mare rubrum et populus a Pharaonis tyrannide liberatus fuit, pariter lignea fuisse noscitur. Moyses quoque lignum quoddam in aquas maris conjecit, easque dulces reddidit, quæ antea amarissimæ fuerant.

**6.** — *Crucem.* Christus in cruce brachia semper extensa tenens, veluti dicere voluit, se semper erga nos deinceps misericordem futurum, ideoque apertis semper brachiis nos præstolari, ut dulciter nos complectatur et excipiat [7] : *Non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat.* Ubi Oleaster ait : « Quæ enim major potest esse misericordia, quam « manum semper extensam habere ad levandum et « dandum. »

**7.** — *Crucem.* Ut Christianus sub crucis vexillo conscriptus miles, arma quibuscum cum inimico confligendum et pugnandum est, ad manum

[1] GEN., III, 5. — [2] S. PET. DAM., *de invent. S. Cruc.*— [3] S. GREG., OR. *de seipso.* — [4] S. PET. DAM., *de ort. fid.* [1] S. CYP., *de Pass.* — [2] JOAN., XII, 31.— [3] ORIG., h. 8 *ad Jos.* — [4] S. ATHAN., de *Incarn. Verbi.* — [5] S. LEO, *de Pass.* — [6] JOAN., XII, 32. — [7] ISA., LIX, 1,

summa cum facilitate semper haberet ; si Redemptor noster ferro mortuus, vel lapidibus et saxis percussus, aut igne consumptus fuisset, hæc arma nobiscum habere adeo facile non fuisset ; sed crucis signum summa cum facilitate ab unoquoque fieri potest. Ita S. Augustinus discurrit [1] : « Noluit lapidari, aut etiam gladio percuti : quod videlicet nos « semper nobiscum lapides, aut ferrum ferre non « possumus, quibus defendamur : elegit vero cru« cem, quæ levi motu manus exprimitur, qua et « contra inimici versutias armamur. » Hæc arma semper in promptum habemus. Unde Tertullianus scribit [2] : « Ad omnem progressum, atque promo« tum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum « et calceatum, ad lavacra, ad mensas et lumina, « ad cubilia, ad sedilia quæcunque nos conversatio « exercet, frontem crucis signaculo terimus. »

**8.** — *Crucem.* Redemptor noster de cœlo descenderat, ut omnia mundi peccata in se reciperet, proque iis satisfacere et præcipue quidem ad portandam maledictionem illam a mundi exordio terræ naturæ nostræ humanæ post peccatum impressam (*peccata nostra ipse pertulit super lignum*) quonam igitur aptiori instrumento quam crucis ligno uti poterat, de quo scriptum est [3] : *Maledictus a Deo est qui pendet in ligno.* S. Athanasius inquit [4] : « Nam « si ideo venerat, ut nostra piacula execrationesque « portaret, quomodo alia ratione execratio vel pia« culum fuisset, nisi execrabilem mortem in se « recepisset ? Est autem hoc ipsum crux, quemad« modum scriptum est : *Execrabilis quicunque,* « pendet in ligno. »

## DISCURSUS X.

### CRUX ARMATURA QUÆDAM EST AD INIMICOS NOSTROS VINCENDOS ET DEBELLANDOS

IDEA SERMONIS. — 1. In virtute crucis inimicorum nostrorum victores efficimur. Gladius est quo veri Goliæ caput amputatur. Therebintus est subter quem Jacob abscondit idola. Moyses manus in monte extendens crucem adumbrat. Crux est malus navigii Ecclesiæ ; inexpugnabis murus, etc. — 2. Qui sub dæmonis insignibus militat, parum utilitatis confert ei signum crucis. Crucifige sensus tuos ut tibi crux Domini prosit.

*Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.*

**1.** — Ex quo crux Christi vexillum quoddam sit victoriosum, multis victoriis et trophæis præclarum, nil mirum si nos quoque in virtute illius omnium inimicorum nostrorum victores efficiamur. « Trium« phale reseratur lignum, » canit hodie in sanctæ crucis inventione sancta Mater Ecclesia. Et in Hymno ad matutinum : « Pange lingua gloriosi « prælium certaminis et super crucis trophæum « dic triumphum nobilem, qualiter Redemptor « orbis immolatus vicerit. » Porro quocunque locorum nos verterimus, semper crucem hisce, trophæi nimirum, victoriæ, triumphi, aliisque similibus honoratam inveniemus. S. Ambrosius de Helenæ Imperatricis in cruce sub rupe quadam profunde sepulta eruenda, sancta anxietate scribens, hac phrasi utitur : « Accedit ad Golgotham et ait : Ecce « locus pugnæ, ubi est victoria ? » Quo nomine ipsam de cruce loqui certissimum est, siquidem paulo post eidem cruci armaturæ nomen attribuit, per quam prostratus fuit Goliath ille infernalis : « Video, quid egeris, Diabole, ut gladius, quo pe« remptus es, obstrueretur. » Unde paulo post subjungit : « Promatur gladius, quo veri Goliæ « caput est amputatum. » Andreas Archiepiscopus Cretensis in Oratione quadam in exaltatione sanctæ crucis habita optime considerat, primos, qui ad sacrosanctum hoc lignum exaltandum et glorificandum conati sunt, fuisse Constantinum Magnum Augustamque ejus matrem Helenam Imperatricem idque ex motivo, quoniam eximias in ejusdem crucis virtute obtinuerant victorias. Dicit igitur : « Cum « triumpho totius simul Ecclesiæ, veluti ex excelsa « quadam specula jusserunt eam in altum extolli, « et ostendi ; » hic etenim usus passim apud omnes obtinuit, ut insignia victoriosa et triumphalia in alto suspendantur : « Triumphale reseratur lig« num, in quo callidum aspidem superavit. » Enimvero astutissimus hic hostis Dei et noster, adorationem et latreuticum veri Dei cultum sibi usurpaverat ; unico enim Judææ exiguo angulo excepto, totum universum coram idolis suis genua sua flectebat. Quid igitur hic Deus faceret ? In Calvariæ montem lignum hoc victoriosissimum erexit, atque infernales potestates pariter debellando, totius humani generis universale debitum, quo divinæ justitiæ obstringebatur, extinxit. Estque hoc idipsum quod innuere voluit Apostolus [1] : *Delens quod adversus nos erat chyrographum, affigens illud cruci et exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Enimvero in Antiphonis, quæ ad *Benedictus* et ad *Magnificat* in secundis vesperis canuntur hæc inter alia verba legimus : « Super omnia ligna cedrorum tu sola « excelsior : in qua Christus triumphavit, Crucem « sanctam subiit, qui infernum confregit. » Dic sodes, si nosti, quonam mysterio factum est, quod quando Jacob idola sepelivit [2] : *Terror Dei invasit omnes per circuitum* ? Num forte Jacob tantis erat viribus præditus, tantaque potentia præcellens, ut omnes illos invadere potuerit populos ? Etenim observandum est, quod infodit ea subter therebinthum hæc autem therebinthus ex mente S. Ambrosii et

[1] S. AUG., *in Append. de div.* — [2] TERT., *de Corona mil.* — [3] DEUT., XXI, 23. — [4] S. ATHAN., *de Inc. Verbi.*

[1] COL., II, 14. — [2] GEN., XXXV, 5.

Hugonis sacrosanctam denotabat crucem, id quod conforme est textui illi Ecclesiastici, ubi dicitur [3] : *Ego quasi therebinthus extendi ramos meos.* Hugo Cardinalis ait [2] : « Hostes Jacob, id est, dæmones in « crucis memoria effugantur. » Quando Christus in crucem exaltatus fuit, idola sepulta sunt et prostrata est infernalis tyrannidis potentia. Imo illi ipsi reges et monarchæ, quiab initio huic cœlesti vexillo adversabantur, eamdem crucem deinceps super diademata sua extulerunt, seque passi sunt sub glorioso hoc crucis vexillo conscribi. S. Augustinus ait [3] : « De cruce sua vicit Reges et subjugatis eis « ipsam crucem in fronte fixit, » quod amplius quid est, quam quod in ipsa usque diademata subvecta et inserta fuerint. Cuivis notum esse existimo situm et posituram illam Moysis, qui populo Dei adversus Amalecitas dimicante, in monte constitutusperbrachiorum suorum continuam extensionemde hostibus gloriosam reportavit victoriam. Circa quod Nazianzenus ait : « Moyses manus in monte exten- « dens, ut crux adumbrata et ante indicata victo- « riam ferat. » David quondam coram Deo intime lætatus est in verbis illis [4] : *In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.* At vero quidnam in eo excellentiæ conspicitur, quod Deus exercituum inimicos suos omnipotentiæ suæ brachio dissiparit et ad nihilum redegerit ? *Tui sunt cœli et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti.* Scitisne forsitan, quidnam ex mente Hugonis Cardinalis dicere voluerit ? « *In brachio virtutis tuæ,* id est, in « brachio extento in cruce, *dispersisti* quasi victos « et confusos *inimicos tuos,* scilicet dereas potesta- « tes ; » siquidem per brachiorum Christi in cruce extensionem, dissipata et comminuta sunt falsa profanæ Deitatis simulachra, mundus quoque universus legi Evangelicæ subjectus, infernus autem debellatus est. Profecto valde considerabile est propheticum illud oraculum, quod dicitur [5] : *Cornua in manibus ejus. Ibi abscondita est fortitudo.* Illis namque verbis prædicitur, Christum omnem suam fortitudinem in clavis habiturum esse, ac proinde ulterius prosequitur, dicens : *Ante faciem ejus ibit mors ; egredietur Diabolus ante pedes ejus ;* nam tam mors quam dæmones per lignum istud victi et detriumphati fuere. Usitatum est passim inter Christianos, quod hoc salutare crucis signum in omni Ecclesia erigatur, cujus causam S. Maximus egregiam reddit, dicens [6], quod sicut malo vel arbore in navigio aliquo deficiente, navigium istud ventorum ludibrium et unicus scopus maritimarum tempestatum et in continuo est submersionis periculo. At vero malo navis salvo manente, navis ista ab omni contrario vento defenditur et protegitur : eodem modo Ecclesia, quæ propriæ navis illa est, de qua dicitur [1] : *Erat navis in medio mari,* quam etiam ob causam Ecclesia ut plurimum in forma navis fabricatur, ut ab omnibus inimicorum insultibus, cunctisque aliis tempestatibus sese tueri ac defendere possit, lignum hoc sacrosanctæ crucis in medio sui erigi facit. « Sicut autem Ecclesiam sine « cruce stare non potest, ita sine arbore navis in- « firma est ; statim enim Diabolus inquietat et illam « ventus allidit : at ubi signum crucis erigitur, « statim et diaboli iniquitas repellitur et ventorum « procella sopitur. » S. Ephrem de cruce ita scribit : « Insuperabilis Christianorum armatura. » Lactantius Firmianus hoc ei tribuit encomium : *Inexpugnabilis murus.* A Theodoreto vocatur : *vallum sacrosanctum et inexpugnabile.* Enimvero perspectum est omnibus palmam victoriæ symbolum esse; atque ideo sancta illa anima merito dixit : *Ascendam in palmam et apprehendam fructus ejus,* S. Bonaventura dicit [2] : « Palma quæ arbor victorialis « est crucem significat, per quam de diabolo om- « nis homo triumphat. » Idque adeo verum est, ut opus non sit corporaliter in crucem ascendere, multo minus eam humeris suis imponere : quin potius sufficiat seria quædam de eadem cruce habita meditatio, ut per eamdem singularem concipiamus generositatem et alacritatem. Audite pulchrum illud S. Petri monitum, dicentis [3] : *Christo igitur passo in carne et vos eadem cogitatione armamini.* Non dicit : Eadem cruce, sed cogitatione. Hugo Cardinalis ait : « Sola memoria et cogitatio « passionis et crucis Christi maxima est fortitudo ; « et arma contra dæmonis potentiam. » S. Bernardus in suis meditationibus ita loquitur : « Si « dæmon paravit insidias, fuge ad signum crucis « Christi, » *et liberaberis.* Sicut enim ii quos serpentes momorderant, oculos suos in serpentem æneum veram hujus patibuli crucis figuram elevando, a serpentini morsus veneno liberi manebant; « ita et modo quemcunque momorderit « astutia Sathanæ, intueatur Christum in ligno « pendentem et salvabitur. » Num forte aliquando ad benedictiones illas reflexistis, quas David divinæ suæ Majestati gratitudinis ergo recitavit, eo quod digitos suos ad præliandum erudiisset ? [4] *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium et digitos meos ad bellum.* In quo versu prima quidem verba omni difficultate carent, siquidem constat manum ad ferrum stringendum et prælian dum aptissimum esse instrumentum; sed non satis capio quamobrem specialem quoque ad distinctam digitorum mentionem faciat ? haud dubie ad illud alludere prælium voluit, quod nobis cum infernalibus intercedit inimicis, vel etiam cum nostris passionibus et appetitibus inordinatis, insinuando nos certam de utroque hoste per sola digitorum arma,

[1] ECCLI., XXIV, 22. — [2] HUG. CARDIN., *in Ps.* XLV. — [3] S. AUG., ap. 12. — [4] *Ps.* LXXXVIII, 2. — [5] HAB., III, 4. — [6] S. MAXIM., h. *de Cruce.*

[1] MARC., VI, 47. — [2] S. BONAV., *de S. And.* — [3] I PET., V, 9. — [4] *Ps.* CXLIV, 2.

id est, per signum crucis digitus expressum obtenturos victoriam[1] : *Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me et confundantur : quoniam tu Domine adjuvisti me.* Theodoretus de Juliano Apostata refert, quod dum vice quadam nigromanticus quidam in spelunca quadam ad suam requisitionem dœmones peremptorie adesse fecisset, ipse perterritus crucis signum ante se formaverit, ad cujus efformationem diaboli omnes subito disparuerunt. Astutus vero sagaxque Magus ei innuit, dæmones ob efformatum crucis signum minime fugam cœpisse, quin potius ob actionem illam impiam (ita vocabat factam crucis efformationem) adeo ipsis exosam indignati abscesserint.

**2.** — Et tamen singulariter notanda est doctrina quædam, maximum in se momentum complectens, a S. Augustino nobis tradita, qua dicitur : « Signum « crucis a nobis expellit exterminatorem, si tamen « cor nostrum habeat Deum inhabitatorem. » Enimvero qua ratione is qui sub dæmonis insignibus militat, sperare potest, quod quamdiu sub Christi insignia se non recipit, Christi vexillo uti, ejusque beneficio perfrui possit? De famosissimo quodam belli duce narratur, quod ensis ejus qui prodigiosa hactenus virtutis suæ specimina ediderat, in imminenti prælio ab eo per inimicum ejus postulatus fuerit, qui de valore ensis hujus experientiam capere volens, nec tamen eumdem famæ respondentem inveniens, illud ab ensis datore responsum acceperit, scilicet bonitatem ensis in brachio illum stringente et vibrante potissimum consistere. Eodem prorsus modo in casu nostro nobis licet discurrere : « Per signum crucis de inimicis « nostris libera nos Deus noster; » quando autem liberationem per virtutem signi crucis præcipue sperare possumus? si nimirum inimici pactis constricti non fuerimus, si sub ejus vexillo nos sacramento militari non obstrinxerimus, sed fideles fuerimus sectatores ejus vexilli, de quo scribitur : « Vexilla Regis prodeunt, fulget crucis myste- « rium. » S. Augustinus ait : « Ubi signum cruci- « fixi cum fide et devotione præcesserit, ibi inimi- « cus non nocebit. » *In brachio extento in cruce* (ut diximus) *dispersit inimicos suos.* Brachia sua movere quidem non poterat, sed ea in cruciatu et dolore atrocissimo constitutus extensa semper tenebat et tamen inimicum suum dispersit. Eodem modo si nos quoque hoc sacrosancto ligno mediante victoriam de inimicis nostris reportare volumus, opus nobis erit, nostros crucifigere sensus, nostrasque passiones mortificare : *Carnem nostram crucifigere oportet eum vitiis et concupiscentiis*; de Helena sanctæ crucis augusta inventrice Berengosius Abbas dicit[2] : « Quæ de vitiis ad virtutes jam tunc bene « operando transivit, non immerito thesaurum « Divinitatis inquisivit, inquisitum invenit, inven- « tum custodivit. »

[1] *Ps.* LXXXVI, 7. — [2] BER., l. I, c. 5 *de Cpuc.*

## DISCURSUS XI

### DE GLORIA ET HONORE, IN QUO SANCTA CRUX PASSIM HABETUR

IDEA SERMONIS. — 1. Filius Dei ex cruce gloriam et honorem recepit. Exaltatus a terra omnia traxit ad seipsum. Crucifixus per totum mundum fuit adoratus. — 2. Ignominia crucis gloria fuit Patris et Filii. Angeli non erubuerunt crucem. — 3. Reges terræ crucem honorant. Crux est splendidior omnibus astris. Lumine Crucis in die judicii sol obscurabitur.

*Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi*

**1.** — Infame illud crucis patibulum, quod olim adeo ignominiosum, destinatumque enormissimis peccatoribus supplicium erat, ecce nunc factum est gloriæ signum, summæque majestatis gloriosum vexillum, adeo ut Apostolus ad Hebræos scribens, Filium Dei ex cruce velut a corona gloriam et honorem recepisse dicat, factusque sit celebris et venerabilis toti universo[1]. *Videmus Jesum propter Passionem mortis gloria et honore coronatum.* Quem textum S. Ambrosius glossa sua dilucidans ait: « Hic ostendit, quia gloria et honor crux est « Christi. » Etenim quid est, quod ipsum passim ab omnibus Deum agnosci fecit? sola crux. Neque enim id ex eo obtinuit, quod tres crearit angelicorum spirituum hierarchias in novem choros ordinate distinctas, neque quod tanta cum venustate ac opulentia cœlum crearit empyreum ; neque tandem ex eo quod amplas cœlorum sphæras extenderit, vel quod vastissimæ huic mundi machinæ solo verbo esse suum impertitus fuerit : *Dixit et facta sunt.* Jam enim quinquies mille et amplius annis major pars generis humani non solum hunc Deum non agnovit, verum etiam genua sua coram idolis impie curvare non erubuit; at vero vix Christus crucem ascenderat, cum ecce *vidimus Jesum gloria et honore coronatum*, siquidem abinde omnes populi sub hoc crucis vexillo militare cœperunt; id quod ab ipsomet Redemptore nostro dudum prædictum fuerat, dicente: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Cœlorum regnum a primo die quo cœli fabricati sunt, nunquam apertum fuit, nec beatitudo illius ulli animæ communicata fuit. Isaias quidem scribit, se die quadam oculos suos in Deum defixisse, veruntamen solus fuit[2] : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*; siquidem in sinu sive throno paterno sedebat et ideo paucis notus erat, præterquam spiritibus angelicis, major enim humani generis pars falsa simulachra

[1] HEB., II, 9. — [2] IS., VI, 1.

Dei loco colebat; et ille alius tam vasti imperii rex et monarcha se Deum nescire aperte confitebatur: *Nescio Dominum.* Verum enimvero dicite obsecro, quandonam hic Deus noster ab omnibus universim populis agnosci et adorari cœpit ? quo tempore præcipue Isaias omisso verbo singulari, vidi, in plurali dicere cœpit: *Vidimus Dominum* ? quando in crucem elevatus fuit: *Vidimus eum et non erat aspectus*[4]. *Vidimus nunc per passionem mortis gloria et honore coronatum.* In magnifico illo Patris solio eum adoratum fuisse ignoramus, nisi ab Angelis duntaxat, non vero ab hominibus; tunc enim Isaias dicit: *Vidimus eum et non erat aspectus et desideravimus eum*; tunc et non ante venerabundæ illæ acclamationes audiri cœperunt: « Adoramus te « Christe et benedicimus tibi, quia per sanctam « Crucem tuam redemisti mundum. » Christus orbem terrarum, inquit Chrysostomus[1] « per Crucem ad se « allexit. » Quot, obsecro, hic Deus noster, tam in veteri quam in novo Testamento operatus est prodigia; neque tamen hoc ab universa terra obtinuit, ut tanquam Deus agnosceretur et honore latreutico adorationis afficeretur ? In Nativitate sua tres soles radiare fecit. Scintillans item et prodigiosa in cœlo apparens stella tres, ab Oriente Reges ad eum adorandum evocavit, mutavit aquam in vinum, panes multiplicavit, cœcos illuminavit, mortuis vitam restituit et tamen unicus duntaxat Petrus ei dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi*: alii vero alium ei non detulerunt per honorem, quam eum ad summum, qui magno Prophetæ debetur: *Propheta magnus surrexit in nobis.* At vero quando in crucem ascendit, omnia ad se converti, ita ut ab omnibus deinceps per totum mundum tanquam verus Deus fuerit adoratus. Unde S. Leo ad eum conversus ait[3]: « Traxisti Domine ad te omnia; et cum extendisses « tota die manus tuas ad populum non credentem « et contradicentem tibi, confitendæ majestatis « tuæ sensus totus mundum accepit. » *Descendat de cruce* [4] (sic eum maligni Hebræi ad crucem deserandam invitabant et instigabaot) *et credimus ei.* Imo hæc una fuit e precipuis causis, cur de cruce descendere noluerit, quia nimirum fidem veram virtute crucis in mundo plantandam et stabiliendam esse sciebat. S. Ephiphanius tunc nos veram supremæ majestatis Christi agnitionem habituros esse dicit, quando cum *potestate magna et majestate* venturus est judex universorum, tunc enim lignum istud ab omnibus populis adorabitur[5]. « Atque hoc « signum adventus illius erit, cum videlicet lignum « gentes omnes adorabunt. »

**2.** — Quando Judas traditor ad iniquum et execrabilem mercatum suum complendum e cœnaculo egressus est, Filius Dei paulo ante adæternum Patrem suum conversus, tempus quo glorificandus esset, jam advenisse dixerat[1]: *Venit hora, clarifica filium tuum; ut filius tuus clarificet te.* Quis mihi hic rite explicare poterit, de quanam gloria Filius Dei hoc in loco loqui intenderit ? nunquid enim glorificatus fuit, qnando per triginta trium annorum decursum, tot stupenda patravit miracula, propter quæ ab ipsis quoque malignis spiritibus infernalibus Filius Dei acclamatus et solemniter appellatus fuit ? Advertendum est igitur legem ejus Evangelicam nunquam promulgatam fuisse, multo minus aliquos se eidem populos subjecisse, nisi postquam in cruce suspensus fuit. Unde modernus quidam expositor super illa Evangelii verba: *Sicut Moyses exaltavit serpentem, etc.* scribens, ex communi omnium aliorum sententia opinatur[2]: « Eam claritatem, « quam miraculis consecutus fuerat, si cum ea com- « paretur, quam postea victo per crucem hoste, « consecutus est, tenebras fuisse. » Etenim tametsi pauculos e synagoga ad divinitatis suæ agnitionem virtute miraculorum suorum perduxerit, veruntamen per sanctam crucem suam sub tributum fidei redigit universam gentilitatem, id est, universum mundum. *Omnia traxit ad seipsum.* S. Cyrillus Hierosolymitanus super illa verba S. Joannis: *Venit hora, ut clarificetur filius hominis*, ita scribit[3]: « Vides, quomodo gloriam propriam sciebat esse « crucem. » Chrysostomus quoque ait[7]: « Non sic « in gloria esse putabatur, quam cum pro me affi- « gebatur cruci. » Quibus verbis quidem de immenso amore tractat, quo cum Filius Dei ex nostro amore dignatus est pati, simul tamen etiam quantum lignum hoc honorarit, nobis innotescere facit. « Audi ipsum dicentem: *Clarifica me* « *tu Pater.* Quid dicis ? Ad crucem duceris cum « latronibus maledictam sufferre mortem; cons- « puendus, cædendus colaphis et hæc gloriam « appellas ? » Et paulo post concludit, quod « Glo- « riam vocans etiam id patrio throno magis adjicit « gloriæ. » Idem Chrysostomus alibi etiam considerat, quod increata illa sapientu crucem æterni Patris sui gloriam appellarit, siquidem patibulo mediante gloriam et honorem recipere postulat, ut hæc tandem in Patris sui gloriam denuo redundet[7]: « Ignominiam crucis non sui solius crucifixi, sed et « Patris gloriam appellat. » Et tandem inter montem Calvariæ comparationem instituens, dicit: « Ibi accipis gloriam a Patre, hic accipit Pater glo- « riam a te. » Quando Salvator noster in cœlos triumphabundus reddit, omnes ei angelicæ potestates acclamarunt, dicentes[6]: *Attollite portas principes vestras et elevamini portæ æternales et introibit Rex gloriæ.* Circa quem versum scire percuperem, quid opus fuerit portas illas æternales ab ipsis car-

[1] Is., LIII, 2. — [2] S. Chrys., h. 1 *ad Cor.* — [3] S. Leo, *de Pass.* — [4] Matt., XXVII, 42. — [5] S. Epiph., *de Vita Pro.*

[1] Joan., XVII, 1. — [2] Maldon. — [3] S. Cyril. Hieros., *Cat.* — [4] S, Chrys., *de Patriar. Job.* — [5] Id., *in Joan.* — [6] *Ps.* XXIII, 7.

dinibus eximere? « Pulchre jubentur levari portæ « et in sublime erigi; siquidem juxta dispensatio- « nem carnis et mysterium et victoriam crucis, « major regreditur ad cœlos, quam ad terras vene- « rat. » Enimvero quoniam Angelorum mentio- nem facere cœpimus, apte hoc loco mihi occurrit illa doctissimi Salmeronis observatio, videlicet quod Angeli primi fuerint, qui Christi patibulum honorarunt. *Scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis*; quibus verbis in ipsa quoque resurrectionis gloria crucis mentionem facere non dubitarunt. « Angeli primi non erubescunt crucis nomen, « aut prædicationem et merito sane; quia, ut Eu- « thymius ait, his quidem, qui ante ipsum crucifixi « sunt, crux ignominia erat, cum argumentum « esset maleficii eorum, hic vero potius gloria, cum « fuerit beneficii demonstratio in homines collata, « propter quod ad crucem condemnatus est. »

**3.** — *Gloriari in cruce.* Observandus quoque est modus, quo Apostolus Redemptorem denominavit, quando de ejus crucifixione disseruit, siquidem tunc ipsum notanter Dominum gloriæ appellavit [3]: *Si cognovissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* « Opportune Dominum gloriæ vocavit, » inquit Chrysostomus, « etenim quoniam crux igno- « miniæ esse videtur maximæ, gloriæ eam esse « ostendit. » Crucem mundi reges et monarchæ in tanta habent veneratione ut eamdem medio diadematis sui veluti inæstimabilis valoris et pretii gemmam inserere non erubescant. Unde S. Augustinus [3]: « Quæ gemma pretiosior in diademate, quam crux « Christi regnantium in fronte? » Chrysostomus in Oratione *quod Christus sit Deus*, scribit: « Hoc « mortis genus quovis diademate gloriosius est: « nam Reges positis diadematis, crucem suscipiunt; « in purpuris crux, in diadematis crux, in armis « crux, in toto orbe crux et super solem fulget « crux. » Hæc ultima verba velim nonnihil examinemus. Canit quoque sancta mater Ecclesia: *O crux splendidior cunctis astris.* Ac proinde sciendum est, quod, ut Anastasius Sinaita observat, priusquam rota solaris, omnesque alii planetæ et stellæ firmamenti formarentur, Deus arbores producere voluerit, cujus ratio est, ut idem auctor inquit, quia cum ex ligno arboris crux sua fabricanda fuerit, voluit Deus arboris præ sole, luna, stellis, cunctisque aliis planetis, primatum creationi concedere. Quod etiam mysterio factum est, (inquit idem) quod Deus primo parenti nostro Paradisi arbores assidue cultivare præceperit. « Quando audis, quod jubetur « colere lignum fructiferum, nihil aliud intelliges, « quam lignum crucis faciens fructum. » Equidem certum est, quod dicit sancta mater Ecclesia, nimirum Deum post protoparentum nostrarum peccatum et prævaricationem, in Paradiso in arborem crucis suos defixisse oculos: « Ipse lignum tunc nota- « vit, damna ligni ut solveret; » adeoque Deum ante tota sæcula, ab ipso mundi exordio oculos suos in hocce lignum direxisse. Cæterum quod hæc eadem crux tanta fuerit luce amicta, ut ipsam quoque solis claritatem præcellere videatur, facillime ostenditur: *Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit.* De eodemque tempore Evangelista dicit [1], quod tunc *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, stellæ cadent de cœlo et virtutes cœlorum movebuntur.* Moxque causam subjungit, dicens: *Tunc parebit signum filii hominis in cœlo.* Ex quo sequitur, crucem adeo luminosam futuram esse, ut stellæ, sol et luna, ad ipsam comparatæ suam videantur lucem penitus amisisse. Unde S. Augustinus ait: « Considerasti quanta sit virtus crucis? Sol obscu- « rabitur, luna non dabit lumen suum: crux vero « fulgebit et obscurabit luminaria cœli, dilapsis « sideribus sola radiabit: ut discas, quoniam crux « luna lucidior et sole præclarior sit. » Imo Deus in ipsis quoque umbris et figuris, quantumvis remotis, quæ ipsam debebant crucem præcedere, eis gloriam demonstrare voluit. Botrus ille uvæ e terra promissionis delatus, quædam Christi in cruce pendentis figura fuit, ut diximus (*Botrus Cypri*) quia ad instar uvæ cujusdam in patibuli crucis torculari expressus fuit (*torcular calcavi*) Sciendum etiam est, quod ad hunc Botrum deferendum, ex innumerabili hoc populo viri excellentissimi delecti fuerint [2]: *Mitte viros ex Principibus.* Similiter quando populus Israeliticus contra Amalec dimicabat: Moyses autem distensis in formam crucis brachiis in monte consistebat, quisnam tunc Moysi ad ejus subsidium designatus fuit? Nobilissimi profecto et præclarissimi viri Aaron et Hur. Unde Timotheus Antiochenus ait [1]: « Aaronem de Israe- « litico magistratu, Hur de regio, sciebant enim « crucem sacerdotio et regno conservari. » Adhæc cujusnam opera usus est Deus, quando Filium suum de cruce depositum esse voluit? Nequaquam abjectorum natalium viros ad hocce munus adhibuit; sed potius Josephum ab Arimathæa decurionem nobilissimum et Nicodemum synagogæ Principem. Denique quando lignum hoc tot annis absconditum delitescebat, voluit ut non ab alio, quam ab Imperatore quodam, qui universæ terræ monarcha erat et ab Augusta matre ejus Helena Imperatrice investigaretur, ac demum ad tantam gloriam sublimaretur, ut sumptuosissima ad illius custodiam templa erigerentur. Tandem quando a Cosroa Persarum rege captum fuit, Deus providentia sua singulari disposuit, ub ab eodem, quantumvis jurato Christi et fidei suæ inimico in summa æstimatione et respectu haberetur, nec non ut a nullo, quam ab alio quodam Imperatore recuperaretur, nimirum ab Heraclio et ab eodem tanta cum gloria exaltaretur.

[1] SALM., t. XI, tr. 9. — [2] 1 COR., II, 8. — [3] S. AUGUS., s. 63 *de div.*

[1] MATT., XXIV, 29. — [2] NUM., XIII, 3. — [3] TIM. ANT., *de Transfig. et Cruc.*

# ÆRARIUM
# DIVINI AMORIS
## LOCUPLETISSIMUM

## PARS SECUNDA

### DE SACRIFICIO MISSÆ, DE SS. EUCHARISTIA ET DE COMMUNIONE TRACTATUS TRES

## TRACTATUS PRIMUS

### DE INCRUENTO MISSÆ SACRIFICIO

#### DISCURSUS I.

MISSA FIDEI NOSTRÆ COLUMNA EST ET FIRMAMENTUM; AC PROINDE DÆMON, QUI PER IPSAM GRAVITER VAPULAT, HÆRETICOS AD EAMDEM ABOLENDAM INSTIGAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Sacrosanctum Missæ sacrificium et Sacerdotes illud offerentes, sunt bases, et fundamenta, quibus innititur Ecclesia. — 2. Diabolus semper conatus fuit hoc fundamentum per Ecclesiæ hostes evertere. — Antichristus omni modo conabitur firmamentum sacrificium Missæ evertere. — 4. Hoc ipsum omni studio conatus fuit facere per Lutherum. — 5. Missa per antonomasiam vocatur mysterium fidei. Diabolus persuasit Luthero in quadam disputatione Missam esse abrogandam. Albigenses hæretici Sacerdoti, qui Missam celebraverat, linguam evulserunt. Cum diabolus Missam prorsus tollere e medio non potest, illam saltem depravare conatur. — 6. Per oblationem SS. Sacrificii Missæ tolluntur infestationes malignorum spirituum. Pulchrum exemplum de S. Pet. de Alcantara. Simile exemplum S. Bernardi circa energumenam. Aliud S. Per Tarantasiensis. — 7. Malignus spiritus Judam omnibus modis conatus fuit, impedire institutionem sacrificii Missæ. Historia notabilis.

*Et erit firmamentum in terra in summis montium.* Ps. LXXII, 16.

**1.** — Regius Psaltes felices Ecclesiæ in lege Evangelica futuros eventus (prout ex decursu Psalmi LXXII evidenter colligitur) in spiritu prophetico prædicens, eamdem Ecclesiam incruento Missæ sacrificio, tanquam basi, fulcro et firmamento suo innixuram esse dicit; ac proinde sciendum est, quod ubi nos legimus : *In summis montium,* Lyranus per hosce montes, sacerdotes intelligendos esse dicat [1] : « Sacerdotes sunt montes « Ecclesiæ; » qui utpote hujus sacrificii ministri frumentum super capita elevant, dum in eodem sacrificio sanctissimum sacramentum super caput suum extollunt; nam Rabini loco dictionis, *firmamentum,* legunt, *placentam,* quæ dictio sacræ hostiæ, in hoc sacrificio immolatæ, aptissime convenit; unde Osorius in concione quadam de hoc sacrificio ita scribit [2] : « De quo præclare vaticinatus est Da« vid dum ait : *Et erit firmamentum in terra in* « *summis montium;* quo loco hebræa habent : *Et* « *erit placenta tritici,* vel memorabile triticum *in* « *capitibus sacerdotum.* » Merito autem Missæ sacrificium firmamentum appellatur, quia basis religionis Christianæ catholicæ huic principaliter innititur. Unde Rupertus Abbas *de div. officiis* disserens, verbaque illa, quæ Christus Apostolis suis in ultima cœna dixit, videlicet : *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis,* ponderans, ita scribit [3] : « Aufer a cœtu Ecclesiæ quotidianas Salvatoris « nostri hujusmodi exequias et vide quam merito « dicat ipse Salvator : *Quæ utilitas in sanguine meo?* « Refrigescente enim ea, quæ in hoc mundo nunc « ubique calet, ejus memoria, refrigescet universa « charitas, mutila erit fides, claudicabit spes, con« ticescet magnus ille clamor sanguinis justi Abel, « qui per traditum tanti sacrificii ritum, quotidie « laxat os libantis et vociferantis terræ, scilicet

[1] LYRAN., *ib.* — [2] JOAN. OSOR., *conc. de divin. sacrif.* — [3] RUP. ABB., *de div. offic.*

« Ecclesiæ, maledictum coarguens Cain, et ma-
« turam indigne fusi sanguinis vindictam repos-
« cens. Calente ergo memoria tam celebri, charitas
« Christi concalescit, perstat super fundamentum
« suum ædificium fidei. »

**2.** — Inimicus quidem infernalis omnibus viribus suis in procinctu semper stetit, ut sublime illud ædificium, quod Filius Dei super fundamentum petram plantaverat, quando ait : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* in terram funditus demoliretur, ut Christus Apostolis suis (de quibus Ecclesia pariter canit : *Isti sunt; qui plantaverunt Ecclesiam*) his verbis prædixerat [1] : *Ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum.* At vero Christus discursum suum ad Petrum specialiter dirigens, dixit ei [2] : *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua,* at vero quonam præcipue tempore hanc gratiam infallibilem Petro est pollicitus? Tunc videlicet, ut ex eodem capite S. Lucæ colligitur, quando immediate ante sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum instituerat, et consequenter primam Missam primumque sacrificium celebraverat. Quid mirum igitur, si tunc Petro dixerit : *Non deficiat fides tua?* Siquidem Ecclesiam super incruentum hoc sacrificium, velut super columnam et firmamentum, ut diximus, fundaverat et stabilierat. Unde Doctor Seraphicus in tractatu *de præparatione ad Missam,* de hoc sacrificio ita scribit [3] : « Perstat super fundamentum suum ædi-
« ficium fidei, per hoc stat Ecclesia, viret et viget
« Christiana religio, et divinus cultus. » Ideoque Antichristus in extremo mundi labentis fine, quando fidem et religionem Christianam exterminare tentabit, primo omnium loco hoc firmamentum in terram prosternet [4]; *firmamentum panis conteret;* Missamque abrogabit et e medio tollet, sicut Daniel his verbis prædixerat; *a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium,* id est, ut Lyranus exponit, [5] « a
« tempore illo, quo sacrificium altaris cessabit ce-
« lebrari. » Irreconciliabilis namque persecutor ille omnibus viribus ad hoc conabitur, ut Missam, ejusque ritus, et cæremonias profligat, et exterminet, ut tanto facilius religionem et fidem invertere possit; siquidem ut Osorius de divinissimo hoc sacrificio disserens, asserit [7] : « Missa est compendium et
« summa totius Christianæ religionis. » In cujus veritatis probationem S. Bonaventura ait [8] : « Tolle
« hoc sacramentum de Ecclesia et quid erit in
« mundo, nisi error et infidelitas? Et populus Chris-
« tianus erit quasi grex porcorum dispersus et
« idololatriæ deditus, sicut expresse patet in cæte-
« ris infidelibus. »

**3.** — Inimicus infernalis ad subministrandum hæreticis errorum suorum fomentum et augmentum et ad bonum doctrinæ catholicæ semen suffocandum, potentiorem non habet machinam, quam ut Missam fidelibus abominabilem reddat, eamque per impias hæreticorum sectas in exilium proscribat. Unde dæmon Luthero visibiliter apparens, eidem post diuturnum colloquium efficacissimis, ut ipsemet fatetur, rationibus necessarium esse persuasit, ut ad pessimam hæreseos suæ zizaniam radicandam, divinum sanctissimi Sacramenti altaris frumentum et specialissime Missam eradicaret. Unde in Annalibus Ecclesiasticis sequentia verba leguntur [1] : « Illud vere admirandum, quod in
« causa tam ardua, ex qua mutatio publici status
« in orbe Christiano pendebat, obtentu revelationis
« in eam se viam duci passus est (scilicet Lutherus)
« quam eamdem Satan ipse non transformatus in
« Angelum lucis, sed aperta fronte congressus de-
« monstrabat; quam ingredi viam non potuit, nisi
« Melchisedechicum sacerdotium abrogaret, Christi
« hyerarchicum ordinem in Ecclesia convelleret et
« ad evertendum juge sacrificium viam Antichristo
« muniret. » In iisdem Annalibus paulo ante congressus ab eodem hæresiarca cum dæmone habitus in hæc verba recensetur : « Inita nocte cum caco-
« dæmone disputatione, magistri argumentis vic-
« tus, Missæ sacrificium, quod antea levioribus
« oppugnarat, abolendum decrevit; quo eodem
« tempore ejus socii, Augustani Uvittenbergenses
« hæresi contaminati, diabolico impulsu Missam
« abrogarunt. » Ipsemet Lutherus in libri, quem contra Missam conscripsit, frontispicio, hæc verba Amos Prophetæ reposuit [2]: *Leo rugiens, quis non timebit?* « Quasi vocem editurus esset, » inquit idipsum referens auctor, « ad quam orbis Christia-
« nus jure contremiscat et certe rugitum in hoc
« libro dedit, de tremendis Eucharistia mysteriis,
« ad quem pia mens non injuria perhorrescat;
« rugitum, inquam, illius leonis, qui circuit, quæ-
« rens quem devoret, cui fide resistendum monet
« S. Petrus; hic enim, diabolus, inquam, quem
« Apostolus leoni prædæ desiderio rugienti compa-
« rat, de jugi sacrificio, deque sacerdotio novæ
« legis nocturnum cum Luthero colloquium habuit
« et quas auribus illius animoque blasphemias
« irriguit, eas ille velut astro percitus in vulgus
« sparsit. »

**4.** — Missa a Sancta Matre Ecclesia *mysterium fidei* per antonomasiam appellatur, quia tametsi multa alia mysteria, videlicet Incarnationis, Passionis, Resurrectionis Christi, sicut etiam Sanctissimæ Triados et omnia alia, fidei innitantur; attamen videtur, quod ex mente Spiritu Sancti hoc Missæ sacrificium speciale sit fidei fundamentum ac basis, ac proinde leo infernalis contra hoc mysterium specialiter omnes vires suas exerit, firmiter

[1] MATT., XVI. 18. — [2] LUC., XXII, 32. — [3] S. BON., *de præpar. ad Missam.* — [4] *Ps.* CIV, 16. — [5] DAN., XII, 11. — [6] LYRAN., *ib.* — [7] OSOR., *ib.* — [8] S. BON., *ib.*

[1] An. 1521, RAYN. — [2] AMOS, III, 8.

sibi persuadens, quod per extirpationem illius, religionem quoque catholicam magna ex parte evertat. Thomas Bozius inter alia Ecclesiæ Dei signa, Missæ quoque sacrificium recensens, reflexionem similiter facit super hoc dæmonis cum Luthero habitum colloquium et dicit [1] : « Lutherus « libros de Missa angulari scripsit, ejus enim hæc « sunt verba. Diabolum et se inter sese mutuum « familiariter nosse : et quod plus uno salis modio « simul comederit, illumque dulci alloquio se fre- « quenter convenisse et nocte excitasse, ac stimu- « lasse, ut contra Missam scriberet et ad eam rem « argumenta suppeditasse. » At vero quia argumenta pro parte Catholicorum adversus ipsum prævalebant, iis convictus, ut Cardinalis Bellarminus refert, hanc fecit protestationem [2] : « Si nihil ha- « betur quod dicatur, tutius est omnia negare, « quam Missam esse sacrificium, concedere. » Et in libro *de Abroganda Missa* in initio ita scribit : « Pro- « fiteor in primis adversus eos, qui clamaturi sunt, « quod contra ritum Ecclesiæ, contra statuta pa- « trum docuerim, nihil horum me auditurum. » Cum igitur dæmon hæreseos seminator existat, ipse una cum sequacibus suis ut falsa perversarum sectarum suarum dogmata tanto magis stabiliat, ad hoc præcipue connititur, ut primo omnium loco Missa abrogetur. De hæreticis Albigensibus scribit Cæsarius [3], quod adversus sacerdotem quemdam, qui contra ipsorum prohibitiones et decreta, Missam quantumvis privatam celebrarat, adeo fuerint exasperati, ut linguam eidem e faucibus evulserint, quantumvis hæc ei deinceps a B. Virgine miraculose restituta fuerit. Idem Bozius in alio quodam loco, de Missæ sacrificio ita scribit [4] : « De jussu « Christi est ab Apostolis instituta Missa, hanc te- « nent cunctæ nationes ab Apostolis traditam. Hanc « isti (scilicet heretici) ut aliquid abominandum ex « impulso et consilio Diaboli, ut Lutherus ipse tes- « tatur exterminarunt. » De Hussitis quoque hæreticis nominatim tradunt Annales Ecclesiastici, quod in Regno Bohemiæ notabiliter invaluerint [5] : « Aucta « est in dies Hussitarum impietas ; sed quo putatis « effectu ; adeo ut et sacros Missæ ritus immutare « ausi sunt et quisque sacerdos novam Missæ for- « mam condiderit ; » ita namque serpens astutus, dum frumentum, id est sacrificium incruentum totaliter abolere non potest, zizania ad minus super bonam sementem spargere satagit ; ex quibus Missam velut spinam in oculis, seu tanquam transversum in ejus corde clavum esse colligitur, prout ipsemet diabolus aliquando B. Julianæ confessus est, juxta quod Manipulus exemplorum in hæc recenset verba [6] : « Dæmon apprehensus a B. Ju- « liana, inter alia, quæ sibi confessus est, dixit, « quia tunc a Christianis maxime elongabatur, « quando mysterium Dominici corporis agebatur. » In quorum omnium confirmationem imprimis deservit illud, quod Martinus Delrio tanquam factum memorabilissimum, his enarrat verbis [1] : « Superat « omnem admirationem, quod de Guidone de La- « chia memorat Bernardus Luzemburgicus, in « catalogo hæreticorum litteraG hunc in Episcopatu « Brixiensi ita simulasse sanctitatem ut pro altero « Joanne Baptista a populo haberetur ; sepultus « itaque fuit honorifice. Post mortem certis testi- « moniis Inquisitores deprehenderunt, hæreticum « fuisse ; quare de concilio Episcopi et aliorum « prudentium assessorum, sententiam tulerunt, « cadaver exhumandum comburendumque. Exhu- « matur astante populo et ossa projiciuntur in « ignem ; sed ecce sibi statim dæmones (qui nulli « cernebantur) ex rogo elevant et in aere suspensa « tenent. Inde nata populi indignatio exclamat : « Occidatur Episcopus et Monachi, qui stimulati « livore ossa sancti viri comburere conati sunt. « Quid cessamus? Deus id sibi non placere de- « monstrat. Extimuit Episcopus, sed inquisitores « eum adhortati sunt, ut ad Missam celebrandam « se accingeret : Deum potius miraculum facturum « quam fidei causam sinat in periculo versari. Ubi « ventum est ad corporis Dominici elevationem, « dæmones in aere clamare cœperunt : O Guido de « Lachia, nos defendimus te quantum potuimus, sed « modo non plus possumus, quia adest major no- « bis, Confestim ossa in rogum recidere et incendio « in cinere redacta fuere. »

**5.** — S. Augustinus in capite quodam de miraculis, quæ, ut mundus in Christum crederet, facta sunt et fieri mundo credente non desinunt, inter alia unum præsenti proposito nostro deserviens, in hæc verba recenset [2] : « Vir Tribunitius Hesperius, « qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi « fundum Cubedi appellatum, ubi cum afflictione « animalium et servorum suorum, domum suam, « spirituum malignorum vim noxiam perpeti com- « perisset, rogavit nostros, me absente, presbyteros, « ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus « cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium « Corporis Christi ; orans quantum potuit, ut ces- « saret illa vexatio, Deo protinus miserante cessa- « vit. » Idem Delrius testatur, quod etiam frequens demonstrat experientia, scilicet quod « fateantur « hodie maleficæ se, dum Missam audiunt, ab omni « dæmonis vexatione liberas esse ; ideo se diutius « ad horam usque meridianam in catholicorum « templis, in quibus plures Missæ dicuntur, moras « trahere. » Quod si vero nonnuquam accidat, quod Spiritus in obsessis, tempore Missæ, strepitus et ejulatus excitent, idipsum non aliunde, quam ab

Bozius, *de Signis Eccl. Dei*, t. I. — [2] Bell., *de Miss.* — [3] Cæs., l. VII, c. 24. — [4] Bozius, l. XII *ib.* — [5] Ann. 1419 Rayn. — [6] *Manip. Exemp.*

[1] Mart. Del., *disq. mag.* — [2] S. Aug., *de Civit. Dei*, l. XXII, c. 8.

infestatione quam ex præsentia Corporis Christi et virtute tremendi illius sacrificii, quod asperrime illos torquet, sibi inferri sentiunt, proficiscitur. In Vita sancti Petri de Alcantara libro II, capitul. 14, legitur [5], quod, cum in die ultimo Paschatis in territorio *del Pedroso*, magna solemnitas fieri consuevisset, incolæ illius B. Petrum ad Missam ibidem celebrandam invitarint; quia vero Ecclesia ad populum, qui ad eam solemnitatem concurrerat, capiendum ampla satis non erat, altare quoddam extra Ecclesiam ruri sub dio erexerunt; cumque viro Dei Missam inchoante omnes circumstantes ad compunctionem moverentur, accidit, ut post dictum *credo*, aer, qui antea serenus erat, turbari cœpit, moxque excitatus fuit ventus adeo impetuosus, ut omnes vehementer metuerent, ne Altare in quo Missa dicebatur, ex impetuosi venti vehementia inverteretur; unde omnes ex hoc turbine vehementer commoti sunt, tametsi pauci a sacrificii loco recederent. Sanctus autem vir Dei cum in sua quiete persistens, ad primum *Memento* pervenisset, dæmones haud secus ac si a fulminis sagittis percussi fuissent, per aera fremebundi discurrebant, atque ut sacrificium turbarent, longe sæviorem excitarunt tempestatem, horrendis excitatis tonitruis, evibratis ex fulmine sagittis, obscurato aere et copiosa dilapsa pluvia. Inter hæc vetuit sanctus, conjurationes fieri a parocho, neque toto eo tempore vel minima super Altare, vel super circumstantes, qui Missæ assistebant, cecidit gutta, licet circam circa rivi diffluerent aquarum; imo nec venti quantumcunque impetuosi, luminaria delere potuerunt. Quare sanctus ut pro tam singulari protectione. Domino gratias agerent, præcepit, dicendo, miraculum hoc virtuti Missæ, eorumque qui illi devote assistunt, merito adscribendum esse. Eo tempore, quo S. Bernardus in civitate Mediolanensi præsens, in Ecclesia S. Ambrosii Missam celebraret, sequens accidisse legitur eventus; cum enim ad sanctum virum Dei adducta fuisset energumena quædam, per multos annos adeo graviter vexata, ut monstro similis esse videretur, sanctus abbas illam prope altare adduci et teneri præcepit [1], « quoties vero « de more sacro hostiam signabat, toties ad mulie- « rem quoque conversus, eodem signo crucis edito « spiritum nequam athleta fortis impugnat. Ex- « pleta autem oratione Dominica efficacius hostem « aggreditur, patenæ siquidem calicis sacrum Do- « mini corpus imponens, talia loquebatur : Adest « ille, qui pro nostra salute passurus, tunc, inquit, « princeps ejicitur foras. Hoc illud corpus, quod de « corpore Virginis sumptum est, quod in stipite « crucis extensum est, quod in tumulo jacuit, quod « de morte surrexerit, quod videntibus discipulis « ascendit in cælum. In hujus ergo majestatis ter- « ribili potestate, tibi spiritus maligne præcipio, « ut ab hac ancilla ejus egrediens, contingere eam « deinceps non præsumas : » post quæ verba protinus egressus est spiritus malignus et energumena deinceps semper libera remansit. In Surio lugubris quædam refertur tragœdia cujusdam mulieris, quæ maleficorum veneficiis adeo effascinata fuerat, ut per multos annos variis peregrinis modis a spiritu maligno torqueretur, qui fusius in vita S. Abbatis Petri de Tarantasia, qui ipsam sanavit, referuntur. « Adfuit, » inquit Surius [1], « R. Petrus antistes, « cui divinitus servabatur tanti miraculi plenitudo. « Offertur mulier Missarum solemnia celebranti, « sicut præceperat vespere præcedenti, moxque ab « omnibus præstigiis fuit liberata. »

**6.** — Observastisne aliquando, quantum dæmon eo tempore, quo Christus æternus sacerdos sanctissimum hoc sacramentum instituit, et primam missam in cœnaculo Sionitico celebravit, in corde Judæ laborarit, et contenderit, ut functionem illam turbaret saltem, si tollere non posset? Credebat inimicus tartareus, quod, si illum, Judæ ministerio, in manus Hebræorum ad crucifigendum consignaret, mysterium hoc sanctissimi sacramenti, qnod beilum ipsi movebat, et etiamnum quotidie prosternit, pedem solidum nequaquam figera posset; virtutem tanta sacramenti minime intelligebat dæmon, nec sciebat adimpletum esse illud in hoc Sacramento, quod Christus dixerat, videlicet : *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Enim vero dicite sodes, cur idem dæmon per totum triginta trium annorum decursum, quo Christus nobiscum in terris vixit, nunquam tanto cum studio ejus machinatus est mortem, sicut in cœnaculo Sionitico fecit apostatam extimulando discipulum, ut e cœnaculo egressus, caput fieret lictorum, et apparitorum, ad necem Magistro suo sine mora inferendam. Utique dicendum est, dæmonem agnovisse, quod sacrificium illud, quod Christus tunc instituit, ut in Ecclesia sua perennaret : *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis,* quod inquam, illud sacrificium directe ad profligandam tyrannidem ejus tenderet, prout æterna et incarna- Veritas paulo ante ejus institutionem prædixerat, inquiens [2] : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* Ideo, ut consilium Christi everteret, immisit in cor traditoris, ut Magistrum suum in mortem traderet: *Cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas,* non enim poterat tolerare sacrosanctum incruenti sacrificii mysterium utpote a quo occultam sibi inferri sentiebat violentiam. In sermone quodam Discipuli sequens legitur historia [4] : « Fuit « quædam mulier tristata valde, et a diabolo mul- « tum tentata, quæ sibi laqueum ad suspenden- « dam se ipsam præparavit quæ dum cœpta cona-

[1] *Vita* S. *Pet. de Alcant.* — [2] FLOR., *Vita S. Bernar.*, l. II, c. 3.

[1] SUR., t. III, 8 maii. — [2] JOAN., XII, 31. — [3] ID., 2. — [4] *Discip. Set., de S. Steph.*

« retur perficere, ecce pro elevatione corporis « Christi, juxta morem audivit campanulam; tunc « flexis genibus, sicut a juventute in consuetudine « habuit oravit, et dixit : Domine Jesu Christe, Fili « Dei vivi, miserere mei : et ecce mox trabs, et « funis suspendii confractæ sunt, dæmonibus fu- « gientibus, et dicentibus, quia virtus præsentiæ « corporis Christi te liberavit a temporali, et æterua « morte. »

## DISCURSUS II

OMNIA SACRIFICIA ANTIQUA, FIGURÆ ET UMBRÆ FUERUNT SACRIFICII MISSÆ, QUOD ÆTERNO PATRI EST ACCEPTISSIMUM CUM FILIUS EJUS IN EO SACERDOS SIMUL, ET HOSTIA EXISTAT. MIRACULA QUOQUE IN EJUS HONOREM PATRATA, QUAM HOC SACRIFICIUM DEO GRATUM SIT TESTIFICANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Sacrificium soli Deo debetur. Ab ipsis mundi initiis sacrificia Deo oblata fuerunt, quæ tamen meræ fuerunt figuræ et signa sacrificii a Christo in cruce offerendi. Missa dicitur sacrificium verum et plenum. — 2. Respectu sacrificii Missæ, sacrificia vetera dici possunt fuisse falsa. — 3. Sacrificium Missæ in se eminenter continet omnia bona. In omni ætate et apud omnes nationes fuit aliqua oblatio sacrificiorum. Homo naturaliter tenetur Deo offerre sacrificium. — 4. Nullum sacrificium Deo Patri gratius fuit, aut esse potest sacrificio corporis Christi. In sacrificio Missæ considerari debent persona offerens, ille cui offertur et finis oblationis. — 5. Christus ipsemet est sacerdos et hostia, quæ offertur. — 6. Pulchrum miraculum circa venerationem sacræ hostiæ, in Missa elevatæ. — 7. Aliud miraculum patenæ, in mare delapsæ.

*Ingrediens mundum, dicit, hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Heb. x, 5.

**1.** — S. Augustinus libro X *de civitate Dei, cap.* 4 veritatem quandam expressit, quam quovis tempore practicatam fuisse videmus, tametsi major pars hominum cœcutiens, eo quod vero lumini oculos non aperuerit in objecto : dicit enim : « Sacrificium « certe nullus hominum est, qui audeat dicere « deberi, nisi Deo soli, » nullus enim unquam creaturæ, ut tali sacrificium offerre præsumpsit, nisi eidem divinitatem quandam affingeret; sic gentiles Jovi, Mercurio, Veneri aliisque falsis numinibus sacrificia offerebant, per hoc simul innuentes, veram illis inesse Deitatem, cum enim religio sit cultus divini essentialior actus, sacrificiumque supremus sit actus, quo divinitati obsequium præstamus. Unde in lege naturæ ab ipsis mundi nascentis primis crepundiis, Cainum et Abelem, duos primos fratres sacrificium Deo obtulisse invenimus. In lege Mosaica autem ipsemet Deus sacerdotes, sacrificia, et oblationes varias instituit, et ordinavit; omnia tamen illa sacrificia typus, et umbra erant illius veri sacrificii, quod in progressu sæculorum, Filius Dei super altare S. Crucis de se ipso oblaturus erat quem proinde S. Paulus æternum Patrem suum, hunc in modum alloquentem introducit : *Ingrediens mundum, dicit, hostiam etc.* Unde concilium Tridentinum de hoc incruento sacrificio ita definit [1] : « Per varias sacrificiorum naturæ, et legis tempore « similitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia « per illa significata, velut illorum omnium con- « summatio, et perfectio complectitur. » Et ideo S. Cyprianus sacrosanctum missæ sacrificium eximio hoc indigitat epitheto, vocans illud [2] : *Sacrificium verum, et plenum.* Etenim alia sacrificia nec vera erant, nec plena, quia illius tantum umbræ erant, et figuræ. Quæ enim inter tauros, oves et vitulos, et ipsum Unigenitum Dei Filium, qui de sinu Patris descendit, dari potest proportio? Audite Michæam prophetam [3] : *Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? nunquid offeram Deo holocaustomata, et vitulos anniculos? nunquid placari potest Dominus millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium.* Nequaquam, respondet Dei Filius : *Hostiam et oblationem noluisti.* (quando scilicet in mundum venit, hisce mortalibus indutus exuviis) *corpus autem adaptasti mihi, tunc dixi : Ecce venio.* Quæ verba doctor Angelicus ita explanat [4] : « Quando corpus adaptasti mihi in « conceptione, dixi : *Ecce venio* ad passionem, ut « offeram me. » Quo et S. Augustinus respexit, dum ait [5] : « Postquam venit unicum sacrificium, « cujus umbra fuerunt illa omnia, non hoc impro- « bantia, sed hoc significantia. Sicut enim res una « multis locutionibus, et multis linguis significari « potest, sic unum verum, et singulare sacrificium « multis est antea sacrificiorum significatum figu- « ris. » Unde et in quadam missæ secreta legimus : *Deus qui legalium differentiam hostiarum, unius sacrificii perfectione sanxisti.* Qua de re et S. Leo quodam in sermone ita discurrit [6] : « Nunc etiam « carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes « differentias hostiarum, una corporis, et sanguinis « tui implet oblatio, quoniam tu es verus Agnus « Dei, qui tollis peccata mundi; et ita in te univer- « sa perficis mysteria, ut sicut unum est pro omni « victima sacrificium, ita unum de omni gente sit « regnum. »

**2.** — S. Augustinus omnia alia priora sacrificia in hujus unius incruenti comparatione, falsitatis epitheto afficere non dubitat, dum ait [7] : « Huic « summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa « cesserunt. » Cujus hæc potest esse ratio, quia

[1] S. AUG., t. X *de Civ. Dei.*

[1] *Conc. Trid., sess.* 22. — [2] S. CYPRIAN., l. II *ep.* — [3] MICH., VI, 6, — [4] S. THOM., *ib.* — [5] S. AUG., l. *Conc. adv. leg. et Proph.* — [6] S. LEO, s. 8 *de Pass.* — [7] S. AUG., *de Civ. Dei.*

cum illa hujus nostri duntaxat habebant, apparentiam : quæ enim inter caprum, Deique Filium potest esse similitudo? Ut proinde idem sanctus alibi antiqua illa sacrificia umbram merito appellaverit, dicens [1]: « Cujus umbræ fuerunt omnia prio- « rum genera sacrificiorum, » quo eodem titulo B. Algerus utitur cum ait [2] : « Nec solum pius Do- « minus umbras, et figuras veteres, et superfluas, « superveniente novitate, et veritate sui sacrificii, « distulit ; sed et multiplicitatem sacrificiorum ve- « terum singularitate sui sacrificii abbrevians, oc- « cupationem exteriorum nobis minuit, beneficio- « rum nobis gratiam multiplicavit, uno unico suo « sacrificio redemptionem, remissionemque pecca- « torum faciens, profectuque fidei, cæterarumque « virtutum ad vitam æternam perducens. Scieu- « dum enim quod ideo Deus tam multa sacrificia « dedit in lege, ut nullum eorum sufficiens esse « ostenderet, quia cætera essent superflua, si unum « sufficere posset, ut unum suum sufficiens magis « desideraretur. » Igitur in quadruplici differentia vetera erant sacrificia. Primum ad solvendum honoris gloriæque Altissimi tributum ordinatum erat, dictum holocaustum. Secundum in gratiarum offe- rebant actionem, appellaturque sacrificium laudum et gratiæ. Tertium in peccatorum offerebatur expiationem, dicebaturque propitiatorium. Quantum offerebatur ad novas impetrandas gratias, tituloque gloriabatur hostiæ pacificæ, et sacrificii impetratorii. Quæ omnia sacrificia Deus benigno duntaxat respiciebat oculo; quatenus dispositione, figuræ et umbræ erant veri perfectique sacrificii Unigeniti sui; in cujus probationem ita scribit Irenæus [3] : « Malachias sic præsignificavit; *non est mihi volun-* « *tas in vobis, dicit Dominus omnipotens, et sacrifi-* « *cium non accipiam de manibus vestris, quoniam ab* « *ortu solis usque ad occasum offertur nomini meo* « *oblatio munda.* »

**3.** — Suarez sacrificium nostrum modo quodam eminenti omnia in se continere bona, quæ ab oblationum sacrificiorumque veterum varietate poterant sperari, his probat verbis [4]: « Reperiuntur in hoc « sacrificio conjuncta bona omnia, quæ in aliis « sacrificiis divisa reperiebantur. » Id quod in subsequentium discursuum progressu discurremus fusius : et quidem quod simpliciter ad rationem genericam spectat sacrificii, S. Thomas sacrificiorum oblationem *de jure naturæ* esse, ab omnium sæculorum præteritorum probat experientia, dicens [5] : « In qualibet ætate, et apud quaslibet hominum « nationes semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio « quod autem est apud omnes, videtur naturale « esse. » Id quod et aliis rationibus confirmat, dum inquit : « Naturalis ratio dictat homini, quod alicui « superiori subdatur propter defectus, quos in se « ipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget « adjuvari, et dirigi, et quidquid illud sit, hoc est, « quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in « rebus naturalibus naturaliter inferiora superiori- « bus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat « homini secundum naturalem inclinationem, ut « ei quod est supra hominem, subjectionem et « honorem exhibeat secundum suum modum. Est « autem modus conveniens homini, ut sensibilibus « signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex « sensibilibus cognitionem accipit; et ideo ex « naturali ratione procedit, quod homo quibusdam « sensibilibus rebus utatnr, offerens eas Deo in « signum debitæ subjectionis, et honoris, secundum « similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua « offerunt in recognitionem dominii. » Qua supposita veritate, sequitur naturaliter, quod homo ad suam Deo exhibendam protestandamque subjectionem, sacrificium ei offerre debeat. Quale autem Deo gratius, efficacius, utiliusque, quam hoc inincruentum offerri poterit, quod omni momento (utpote *juge sacrificium*) Ecclesia sancta per suos offert filios qua de oblatione Eucharistica S. Laurentius Justinianus ita scribit [1] : « Quæ nulla major « nulla utilior nulla amabilior, nullaque oculis « divinæ majestatis est gratior, dum honorem Deo, « Angelis contubernium, exulibus cœlum, religioni « cultum, justitiæ debitum, normam sanctitati, « obedientiam legi, gentibus fidem, lætitiam mundo « credentibus gaudium, unitatem populis, sacra- « mentis legalibus finem, initium gratiæ, virtuti « robur hominibus pacem, lucem mentibus, spem « laborantibus, peregrinantibus viam, et perve- « nientibus tribuit speciem. »

**4.** — Notandum autem, quod postquam Redemptor Æterno Patri suo dixisset, se humanitatem accepisse, ut ipsi in sacrificium eam offerret (*corpus autem aptasti mihi*) paulo post subjecerit, dicens : *Quia hostias, et oblationes et holocaustomata pro peccato noluisti nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi : Ecce venio ut faciam Deus voluntatem tuam.* Quibus ex verbis clare colligitur, hoc Unigeniti Filii Dei sacrificium ante apud Deum gratius existere, quanto majus, ut ita dicam in antiquæ legis sacrificiis habebat fastidium : *Noluisiti nec placita sunt tibi.* Si autem quam Deo grata hæc sit victima, plenius dignoscere cupitis, eumdem S. Justinianum auscultate, dicentem : « Vides perspicue, nullum acceptabilius Deo « posse offerri sacrificium, ad exsolvendum laudes « sive ad exhibendum gratias, seu ad impetrandam « indulgentiam, vel ad gloriam promovendam, « quam corporis, et sanguinis Christi sacrosanc- « tum mysterium. » Quæ namque Patri Æterno

[1] Id., *Conv. adv. leg. et proph.* — [2] B. Alg., *Bibliot. vet. pat*, — [3] S. Iren., *Cont. hær.* — [4] Suar., t. III *de Socr.* — [5] S. Thom., 2. 2., q. 85.

[1] B. Laur. Just., ser. *de Corp. Christi.* — [2] Heb., x, 8. — [3] B. Laur. Just., *ib.*

poterat esse satisfactio, dum sibi arietes, oves tautosque offerri videret, loco Unigeniti sui, de quo sæpe protestatus, fuerat dicens [1]: *His est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*? Trutinæ committite omnia alia opera meritoria, orationes, jejunia, perigrinationes, cilicia, aliaque similia hinc illæ, exinde vero solum collocaturi sacrificium incruentum reperietisque nullam inter hoc, et ista dari proportionem. In missa enim Patri Æterno Filius offertur [2], *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, quique in seipso inæstimabilem meritorum vitæ, et passionis suæ recludit thesaurumque, cujusque omnipotens est intercessio pro omnibus infiniti valoris divitiis, quas in hoc sacrificio obtinere volemus : non enim Deus ministrum respicit celebrantem, sed ad principalem, qui Filius ejus est, attendit offerentem, dicente Suarez [3] : « Quando sacerdos offert « hoc sacrificium, Pater æternus intuens donum « illud, non sistit in sacerdote, sed in illo, respicit « personam Filii sui, quem repræsentat, et ideo « acceptat illam purissimam oblationem, ut summe « gratam, et acceptabilem sibi. » Quo et Zacharias respexit, dum ait [4] : *Quid enim bonum, quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines*? Id quod de sacrificio intelligitur, quod juxta Melchisedech figuram, sub panis vinique speciebus Deo offertur. In sacrificio intelligitur quod juxta Melchisedech figuram, sub panis vinique speciebus Deo offertur. In sacrificio igitur considerari possunt persona quæ offert, cui offertur, res oblata finisque oblationis. Secundum quas omnes rationes sacrificium hoc summæ Dei Majestati acceptissimum esse reperie mus. In primis namque persona sacrificans est ipse Christus, *Sacerdos in æternum Christus Dominus*. Juxta quod in Tridentino decisum est verbis sequentibus : « Una ea- « demque est hostia, idem nunc oflerens sacerdo- « tum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce ob- « tulit. » Quod S. Dionysius Carthusianus in hæc confirmat verba [5]: « Deus acceptans sacrificium, « ipse est secundum divinam naturam idem offe- « rens seipsum secundum naturam assumptam. » Infallibilis namque cœli providentia ita disposuit, ut ille ipse, qui sacrificatur, sit secundum naturam divinam una eademque res cum sanctissima Trinitate. In honorem cujus ad ejusdem gloriam, nostramque utilitatem offertur sacrificium, ipse quoque hujus sacrificii offerens, unum idemque nobiscum factum est, pro quorum beneficio offertur, quia nostram humanitatem assumpsit, quæ eadem in altari sacrificatur.

**5.** — *Corpus autem aptasti mihi.* Ille ipse quoque sacerdos est, et hostia, quæ offertus, quæ omnia Suarez magna cum perspicuitate his verbis declarat: « Christus Dominus est summus sacerdos, qui « principaliter offert sacrificium Eucharistiæ, quan- « docunque, et ubicunque offertur. » Citatque auctoritatem S. Augustini, qui lib. IV de Trinit. cap. VII et XIV dicit : « Christus ipsa offerens, ipse « et oblatio. » Cyprianus pariter ab eodem Suaresio citatus, in Epistola LXIII de Sacerdote inquit : « Sacerdos in Altari vice Christi fungitur, » citat quoque S. Chrysostomum in homel. LXXXIII super S. Matthæum dicentem [2] : « Qui tunc in illa cœna « confecit, ipse nunc quoque operatur. » et in homilia de proditione Judæ idem S. Doctor ait : « Cum videris sacerdotem offerentem, ne ipsum « consideres hoc facientem, sed Christi manum in- « visibiliter extensam. » Qui idem paulo post ostendit, omnino conveniens fuisse ut sacrificium hoc ab ipsomet Christo offerretur, ut illud acceptum, et gratum efficiat ei, cui offertur : « Ideo, » inquit, « a simili offerente principaliter offerri « debet, ut talis oblatio nunquam fieri possit a « persona, quæ non sit Deo grata. » Nunc autem impossibile est, quod hoc sacrificium non sit acceptabile, quia persona offerens est illa ipsa, cui offertur, quia Filius simul cum Æterno suo Patre, et Spiritu Sancto illud acceptat, offerendo se ipsum in nostra humanitate assumpta, et per concomitantiam, pariter divinitatem. Quam veritatem S. Augustinus sequentibus verbis confirmat, inquiens [3] : « Cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, « cum quo et unus Deus est, tamen in forma servi « sacrificium maluit esse, qnam sumere : ne vel « hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sa- « crificandum esse creaturæ, per hoc et sacerdos « est, ipse offerens, ipse et oblatio. » Et ideo si Deus sacrificium Abel, qui typus Christi fuit, benigno oculo aspexit, quanto gratior futurus est Agnus immaculatus ad dexteram ipsius collocatus? Porro in hujus acceptabilitatis cunfirmationem varios considerare possumus miraculosos eventus, ab Altissimi omnipotentia patratos ad honorandum hoc sacrificium.

**6.** — Frater Franciscus Durasse in Ojera, religiosus Franciscanus [4], culinæ servitio destinatus, quotidie pro sua devotione multis Missis inservire solitus erat ; at vero cum die quadam ob ejus a culina absentiam in præjudicium refectorii notabile damnum accidisset, a superiore jussus est, post ministratam primam Missam subito in culinam se recipere, nec ab ea recedere ; cui præcepto prompte obedivit, ita tamen, ut quotiescunque audiret signum elevationis hostiæ, genua sua flectendo in terram, hostiam illam e longinquo adoraret. Accidit vero, quod dum in præcipua quadam solemni-

[1] MATT., XVII, 5. — [2] COLOSS., II, 9. — [3] SUAR., *ib.* — [4] ZACH., IX, 17. — [5] DION. CARTH., *de vita cur.*

[1] D. CHRYS., h. 81 *in Mart., de prodit.* — [2] S. AUG., l. X *de Civ. Dei.* — [3] JAC. HAUTIN., l. XII, n. 2221.

tate signum elevationis, in Missa solemni factæ, omnibus simul campanis compulsatis dari audiret, in genua corruens, dixerit : « O dulcissime Salva-« tor, ex quo præsidum voluntate in culina deti-« neor, careo ea voluptate, quam mihi dulcissimam « pariebat cultus divinæ hostiæ coram adoratæ ; se « bene ac beateres habet, quam tu utcunque habere « voluisti. » Vix autem hæc verba elocutus fuerat, cum ecce inauditum hoc contigit miraculum ; nam « muri inter templum, et coquinam interjecti sta-« tim aperti sunt adeo, ut Dei servus Christi corpus « in ara cernere, et adorare posset ; qui tamen « continuo rejuncti sunt, non obscuris recessus « hujus prodigiosi notis relictis. » Hujus autem servi Dei corpus in conventu de Ojera, ubi miraculum hoc accidit, publica veneratione colitur, multisque miraculis illustratur. In catechismo exemplorum, ex Laurentio Surio hæc verba leguntur [1] : « Nec prætereundum puto, qualiter cœlestis signi « visione S. Uldaricum, episcopum Augustanum, vo-« luerit Dominus mirificare ; nam in ipsa solemni « die Paschæ, multa fratrum caterva astante, dum « sanctus sacerdos divina celebraret mysteria, dex-« tera quædam apparuit superna, quæ cum ipsius « dextera divina sacrificavit sacramenta. » Quo exemplo Deus manifestare voluit, qualiter divina ejus dextera sit, quæ invisibiliter sacrificat ; sacerdos autem non sit aliud, quam simplex ministerii illius instrumentum.

**7.** — S. Vulfranus, Archiepiscopus Senonensis in Francia, cum in mari constitutus Frisiam versus navigaret, anchoram ejici jussit, ut navem pro Missæ sacrificio celebrando immobilem redderet. Postquam vero ad illam Missæ partem pervenit, in qua Diaconus sacerdoti patenam porrigit, ad eandem recipiendam, manum suam extendit ; dumque illam Episcopus mundare vellet, e manibus ejus in mare decidit, de quo Episcopus dolenter se excusans, in genua corruit, divinamque bonitatem anxie rogavit, ut sicut tot prodigia in mari rubro patrarat, ita quoque præsentes ejus preces exaudire dignaretur. Finita autem oratione jussit, ut Diaconus in eundem locum, in quem patena lapsa fuerat, manum suam extenderet ; quod ubi factum fuit, subito patena ex profundo enatans, in ejus manum rediit. De S. Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, in eisdem Annalibus scribitur [2] quod, dum Missam celebraret, divinus panis in ejus manibus instar cœlestis ignis splendescere visus fuerit, ipsaque crux altaris, præcipue elevationis tempore, visa fuerit moveri simul, et exaltari.

[1] Flor., ex. 50, c. 5. — [2] Bar., 878.

—

## DISCURSUS III

DE INSTITUTIONE MISSÆ, IN QUA IPSEMET CHRISTUS QUI PRIMUS CELEBRANS FUIT, PRÆSENS ASSISTIT : UBI ETIAM SACRIFICII HUJUS SUBLIMITAS EX MULTIS ALIIS MYSTERIIS CONSIDERATUR.

Idea sermonis. — 1. Christus fuit auctor et primus celebrans sacrificii Missæ. — 2. Tota Christi vita fuit unum Missæ sacrificium. — 3. S. Petrus pro reverentia tanti mysterii multos ritus et cæremonias missæ ordinavit. — 4. Sacri Doctores sub dignissimis epithetis loquuntur de hoc sacratissimo mysterio. Ferventissima admonitio S. Francisci ad fratres, quanti æstimare debeant Sacerdotium et tremendum altaris mysterium. Sacrificium Missæ maximam excellentiam et dignitatem. — 5. Sacrificium missæ est breve compendium Passionis Christi. Pulchra historia cujusdam in Anglia puniti ob auditam missam. — 6. Idem Christus, qui in sacrificio Sionitico et S. Crucis fuit principalis consecrator et offerens, etiam est adhuc in sacrificio missæ. Sacrificium crucis fuit cruentum : illud S. missæ est incruentum. Christus in sacrificio Missæ per corporalem præsentiam seipsum in altari offert pro salute nostra. Omnia christianæ Religionis mysteria tantam honorabilitatem et dignitatem non habent quantam habet sacrificium missæ.

*Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens, fregit, et dixit : Accipite et manducate, hoc est corpuo meum, quod pro vobis tradetur ; hoc facite in meam commemorationem.* I. Cor. XI, 23.

**1.** — In his Doctoris gentium a prima, et æterna Veritate revelatis verbis, prima declaratur Missæ institutio, cujus author, et primus celebrans Christus summus et æternus Sacerdos fuit. Unde sacrum Concilium Tridentinum definit in hæc verba [1] : « Cor-« pus et sanguinem suum sub speciebus panis, et « vini Deo Patri obtulit, et sub earundem rerum « symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti « sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et « eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut « offerrent, præcepit per hæc verba : *Hoc facite in* « *meam commemorationem.* » Hæc igitur prima missa fuit, quæ post ejus institutionem seu potius simul cum jam dicta institutione, in cœnaculo Sionitico celebrata fuit, quæque tunc connexionem habuit cum sacrificio cruento, sequenti die in Altari Crucis offerendo ; de quo idem Concilium ita scribit [2] : « Et si semel se ipsum in ara crucis morte « intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æter-« nam illic redemptionem operaretur, quia tamen « per mortem sacerdotium ejus extinguendum non « erat, in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut « dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ, visibile, sicut homi-

[1] *Conc. Trid., sess.* 22. — [2] *Ib.*

« num natura exigit, relinqueret, sacrificium, quo « cruentum illud semel in cruce peragendum re- « præsentaretur, ejusque memoria in finem usque « sæculi permaneret, sacerdotem secundum ordi- « nem Melchisedech se in æternum constitutum de- « clarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus « panis, et vini Deo Patri obtulit. »

**2.** — Dionysius Carthusianus existimat, non solum incruentum sacrificium cœnaculi Sionitici, nec non cruentum in morte Calvariæ consummatum, verum etiam totam Christi vitam a primo conceptionis suæ instanti usque ad mortem ipsius nihil fuisse aliud, quam Missam quandam solemnem; et quidem priusquam verba, quibus idipsum asserit, in medium adducam, haud abs re futurum esse arbitror, si et ea quæ antecedenter ad illa præmittit, insinuem; dicit igitur [1]: « F. Uberinus lib. IV « de *vita Salvatoris* de hac ipsa materia loquitur « satis devote his verbis : Fuit autem Christus non « solum sacerdos, et hostia, sed sacrificium quoque, « quia ut ait Augustinus lib. quarto de Trinit. « Omne sacrificium visibile, est invisibilis sacrificii « sacramentum, id est, sacrum signum. Ideo expo- « sitio, qua Christus tam infallibiliter se exposuit « in extremis in hostiam, et sacrificium, tam in « isto sacramento, quam in crucis patibulo, si- « gnum est illius ineffabilis expositionis, et sacrifi- « cationis, qua spiritum suum jugiter immolavit « Deo Patri pro nobis in templo latissimo cordis « sui, in quo se ipsum obtulit a conceptionis suæ « instanti, usque ad horam mortis; universa quæ « dixit, fecit ac pertulit, pro nostra agendo ac pa- « tiendo salute ad gloriam Patris. Omnia namque « quæ Christus fecit, ac passus est, meritoria nobis « fuerunt. Ideo tota vita Christi in sæculo quasi « una solemnissima Missa fuit, in qua ipse fuit « altare, et templum, sacerdos, et hostia. » Quæ doctrina consonat cum eo, quod S. Bonaventura docet, qui considerans, qualiter Filius Dei continue, et sine intermissione a cœlo ad altare descendat, ut pro nostra salute offeratur in sacrificium, ita scribit [2]: « Non minus videtur facere Deus in hoc, « quod quotidie dignatur descendere de cœlo super « altare, quam cum de cœlo descendens, naturam « humani generis assumpsit factus homo; et ideo « hoc est memoriale totius dilectionis suæ, et quasi « compendium quoddam omnium beneficiorum « quod nobis reliquit, et incarnationis, redemptio- « nis, glorificationis, et justificationis figuram in « hoc inclusit. »

**3.** — Post institutionem hujus sacrificii a Christo factam, prout ex S. Isidoro colligitur, S. Petrus Christi Vicarius pro reverentia tam alti, et ineffabilis mysterii, multos ritus, et cæremonias sacras in terra ordinavit : « Ordo Missæ, » inquit S. Isidorus [3], « vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia con- « secrantur, primum a sancto Petro est institutus, « cujus celebrationem uno eodemque modo uni- « versus peragit orbis. » Observandum porro est, quod non constet Apostolos prius celebrasse Missam, hocque sacratissimum mysterium frequentasse, præterquam post adventum Spiritus Sancti, ut tanto dignius per hujus Sancti Spiritus assistentiam, sacrosanctum illud sacrificium celebraretur. Ex tunc enim, ut in Actibus Apostolorum cap. II. dicitur : *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis.* Et ex cap. XIII. eorundem Actuum clare deducitur, Apostolos in negotiis Ecclesiæ maxime arduis semper ad Missæ celebrationem confugisse : ita enim habet sacer textus : *Ministrantibus autem illis Domino, dixit illis Spiritus Sanctus : Segregate mihi Saulum, et Barnabam ad opus, ad quod assumpsi eos*; adeoque priusquam hi ad Apostolatum eligerentur, Spiritus Sanctus Missam celebrari voluit. Nam ut Salmeron observat : « Loco illius verbi, *ministrantibus*, græce « legitur *sacrificantibus*, seu munere publico in sa- « cris deservientibus, nimirum in sacro Missæ « officio. »

**4.** — De hoc sacratissimo mysterio sacri Doctores sub diversis disserunt dignissimis epithetis. Albertus Magnus de hoc mysterio ita scribit [1] : « Ibi « sonant verba divina, angelica, et humana; divina « quidem, cum dicitur, vel cantatur *Pater noster*, « et leguntur verba Domini in Evangelio; angelica « vero, quando dicitur *Gloria in excelsis Deo*; hu- « mana autem, ut in collectis, et hujusmodi. Ibi « audiuntur tria idiomata nobilissima, scilicet He- « braicum, ut *Sabaoth*, et *Osanna*. Græcum ut *Kyrie* « *eleison*. Latinum vero, ut in aliis quæ sunt ibi. « Angelis ibi existentibus, ibi est Deus cœli, et « terræ; » merito igitur sanctus, et seraphicus Franciscus (qui licet ad eminentes evectus fuisset sanctitatis gradus, indignum tamen se censuit, qui ad sacerdotium eveheretur) merito inquam; suos Fratres monuit, ut sublimem illam gradus sacerdotalis dignitatem, nec non tremendi illius sacrificii majestatem maximi semper facerent [2]; « Videte, » dicebat, « dignitatem vestram Fratres sacerdotes, « et estote sancti, quia ipse sanctus est, et sicut « super omnes propter hoc mysterium honoravit « vos Dominus Deus, ita et vos propter hoc myste- « rium diligite eum, reverémini et honorate. Ma- « gna miseria, et miseranda infirmitas, quando « ipsum sic præsentem habetis, et aliquid aliud in « toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus « mundus contremiscat, et cœlum exultet : quando « super altare in manibus sacerdotis est Christus « Filius Dei vivi. O admiranda altitudo, o stupenda « dignatio! o sublimitas humilis, quod Dominus

[1] DION. CART., l. *de Vita Curator.* — [2] S. BON., t. VII *de Instit. nov.* — [3] S. ISID., *de offic. eccl.*

[1] ALB. MAGN., *Comp, The. ver.* — [2] *Opusc. Franc.*, t. I, ep. 12.

« universitatis, Deus, et Dei Filius sic se humiliet, « ut pro nostra salute sub modica panis formula se « abscondat. » P. Franciscus Suarez de hoc Missæ sacrificio ait [1] : « Dicendum, habere sacrificium « Missæ maximam quandam excellentiam, et digni- « tatem. Res oblata est infinitæ dignitatis : quod « pertinet ad significationem, est in hoc sacrificio « suprema, quæ esse potest tam in rebus significa- « tis, quam in modo significandi ; est enim expressa « quædam, et viva imago passionis Christi, et con- « sequenter Incarnationis, et aliorum Christi mys- « terium, quibus nihil altius, et excellentius est, « nisi Deus. » Idem pariter ex parte offerentis consi- derat dignitatem actuum perfectionis, in quibus se exercet ; ait enim : « In ordine ad offerentem hoc « sacrificium, quantum in se est, significat animum « valde religiosum erga Deum, et ad Christum « maxime gratum, nam hic fit perfectissima quæ- « dam professio divinæ potentiæ et dominii in om- « nem creaturam, quam ad nutum voluntatis suæ « unico verbo transmutare potest ; fit etiam eximia « quædam confessio supremæ excellentiæ, et ma- « jestatis, quæ tanta est, ut res infiniti valoris ei « debeat in sacrificium offerri. Fit etiam grata « commemoratio beneficiorum Christi, et charitatis « erga humanum genus. » Idem in progressu hujus materie alias instituit considerationes circa perso- nam illius, qui principalis est offerens, qui est Christus ; sacerdos enim visibilis, hujus ministerii solum est instrumentum, non vero agens prima- rium. Sic ergo loquitur : « Igitur sub hac ratione « sacrificium hoc habet infinitatem quamdam in ge- « nere sacrificii, non tantum ex parte rei oblatæ, « sed etiam ex parte offerentis, non minus quam « habuit sacrificium, quod Christus per se obtulit « in cœna ; nam est prorsus idem et ejusdem di- « gnitatis. Nam quod nunc interveniat ministerium « sacerdotis, est quippiam valde materiale, quod « non diminuit moralem æstimationem, seu valo- « rem oblationis. »

**5.** — Discipulus in sermone quodam ad ingeren- dam nobis summam, erga Missam, reverentiam, et venerationem ex S. Chrysostomo hæc transcribit memorabilia verba [2] : « De utilitate Missæ dicit « Chrysostomus : Tantum valet celebratio Missæ, « quantum mors Christi in Cruce ; unde Thomas de « Aquino ait : In qualibet Missa invenitur omnis « fructus, et utilitas, quam Christus in die Parasce- « ves operatus est in Cruce cum morte sua. » Enim vero in dubium revocari nequit, quin Missa breve aliquod sit Passionis Christi compendium ; nam ut Alcuinus scribit [3] ; « Celebratio Missæ in comme- « morationem Passionis Christi peragitur ; sic enim « ipse præcepit Apostolis, tradens eis Corpus, et « Sanguinem suum : *Hoc facite in meam commemo-* « *rationem* ; hoc est in memoriam Passionis meæ, « tanquam si diceret : Quod pro vestra salute passus « sum, in memoriam revocate, et pro vestra ves- « trorumque salute eadem perferre curate. » Jaco- bus Hautinus, fide dignissimus auctor, curiosam quandam refert historiam, huic proposito nostro haud importunam ; dicit enim [4], quod cum in An- glia Catholicus quidam, cujus nomen Cœlo notum est, ad certam quandam, et notabilem summæ pe- cuniariæ mulctam condemnatus fuisset, eo quod contra decretum regium Missæ sacrificium auscul- tasset, mulctam hanc expedire volens, cum omni possibili industria ad hoc conatus fuerit, ut mone- tas aureas, noviter in Lusitania cusas, et ponderis excessum habentes, numerare posset. Fiscus pecu- niam hanc recepturus, ejusdem speciem, et pondus admiratus, catholicum, quonam mysterio tam ex- quisitam pecuniam exolveret, interrogavit : qui respondit ei : « Scito, id a me studio factum, « quoniam pro sacrificio solvuntur, quo nihil uspiam « pulchrius esse potest ; et quia id a me quæsisti, « reliquum tibi aperio, scilicet nummos hac Crucis « quam vides, nota impressos, a me de industria « lectos esse, magna quod sit Crucis, et Eucharis- « tiæ cognatio. »

**6.** — Multi quidem sunt, qui se felices futuros fuisse existimant, si sacrificio, quod Filius Dei vel in cœnaculo Sionitico vel in monte Calvariæ, Æterno Patri suo de semetipso obtulit, personaliter præ- sentes esse potuissent ; ac proinde sancta quadam æmulatione sancto Joanni, et Mariis invident, utpote qui utrique sacrificio astiterunt ; at vero quisnam est, qui in missa illum ipsum offerri nesciat, de quo S. Paulus ad Ephesios scribit [1] : *Tradidit semeptisum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis* ? Et quidem tametsi Redemptor noster Apos- tolis suis, et consequenter toti Ecclesiæ præceperit, ut sacrificium hoc in memoriam passionis suæ cele- brarent : *Hoc facite in meam commemorationem*, certum tamen est, quod missa non solum memoria, et repræsentatio sit utriusque illius sacrificii, verum etiam Christus ipsemet interveniat, tanquam agens principale, et præcipuus sacrificans, qui semetip- sum obtulit, tam in cœna, quam in monte Calvario ; ac proinde est ejusdem valoris et efficaciæ hoc sa- crificium, cujus illa fuerunt, quia idem ille, qui tunc se sacrificavit pro nostra salute, idem inquam, nunc continuo semetipsum per ministerium sacerdotis offert in Missa. In cujus probationem advertendum est, quod sacerdos in consecratione non dicat : *Hoc est enim corpus meum.* Hæc enim est differentia inter sacrificium in monte Calvario oblatum et hoc nostrum, quod quotidie offertur, quod illud fuerit cruentum, hoc vero non ; atque ideo Missæ sacrifi- cium incruentum appellatur ; tunc enim Filius Dei

[1] SUAR., *de sacr.* [2] *Discip.* 48. — [3] ALCUIN., l. *de div. offic.*

[1] JAC. HAUT., *Sacr. amor.* — [2] EPH., v, 2.

passibilis et mortalis erat, nunc vero tametsi in sacrificio offeratur sacrosancta ejus humanitas immortalis et impassibilis existens, sanguis tamen ejus minime funditur [1], *quia jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* nec tamen propter hoc inexhaustis defraudamur meritorum et gratiarum suarum thesauris, quos tunc in altari crucis pro nobis lucratus fuit. Unde sacrum Concilium Tridentinum in hæc verba desinit [2] : « In divino hoc sa-« crificio, quod in Missa peragitur, idem ille « Christus continetur et incruente immolatur, qui « in ara Crucis semel se ipsum cruente obtulit. » In mysteriis, quæ per anni circulum celebrat Ecclesia, videlicet Incarnationis, Nativitatis, Resurrectionis, Ascensionis, aliorumque similium, Ecclesia memoriam renovat Christi, olim in utero Virginali incarnati, nati in Bethlehem, in monte Oliveti ascendentis in cœlum : at vero in Missa non solum fit commemoratio institutionis sanctissimi sacramenti in cœnaculo Sionitico peractæ, nec non sacrificii cruenti, Æterno Patri in cruce oblati, verum insuper ipse Dei Filius in propria persona ille ipse, qui in cœnaculo et monte Calvario erat, ille ipse inquam, est, qui de novo per corporalem suam præsentiam pro salute nostra in altare offertur et sacrificatur, seque ipsum offert et sacrificat [3] : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris* ; ubi observanda sunt verba illa, *ipse est* non vero alius. Joannes Osorius de sacrificio Missæ disserens, ita scribit [4] : « Missa est totius vitæ Christi repræsenta-« tio, ut, qui eum in terris conversantem videre « non potuimus, in Missa ejus effigiem videamus. « Unde ipse ait : *Hæc quotiescunque feceritis, in mei « memoriam facietis.* » Quibus verbis parum nimis dixisse videtur, quia ut ex auctoritate Concilii Tridentini probavimus, in Missa Christus personaliter præsens est, cum corpore, anima et divinitate et per concomitantiam tres quoque divinæ personæ. In aliis sacramentis Deus non est personaliter præsens, sed solum divina ejus gratia, quæ operatur : de fide autem est, quod Christus in Eucharistia, ejusque sacrificio incruento, personaliter et corporaliter præsens sit; ac proinde sacramentum ac sacrificium istud jure meretur, ut excelsis et sublimibus titulis afficiatur et honoretur. Unde B. Algerius ait [5] : « Egregium et super omnia excellens « sacramentum nobis providit in sacrificio suo. » Salmeron de Missæ sacrificio tractans, Eusebium citat Cæsariensem, qui in libro de demonstratione Evangelica t. I, c. 10, Missam appellat *sacrificium honore plenissimum*, et merito, quia omnia Christianæ Religionis mysteria simul juncta tantam honorabilitatem et dignitatem uon habent; quantam hoc solum obtinet, quia in sacrificio incruento ut diximus, præter realem et veram corporis, animæ et divinitatis Christi præsentiam, consequenter ibidem per concomitantiam sacrosanctæ Triados divinæ personæ veraciter assistunt : « Illud non « silebo, » inquit Salmeron [1], « quod Dionysius « Areopagita de hoc sacrificio loquitur; est enim « juxta inclytum Præceptorem nostrum (S. Paulum « videlicet, cujus ipse fuit discipulus et a quo in « Areopago conversus fuit) sacramentorum con-« summatio. » Idem quoque Salmeron Suidam citat, qui græci cujusdam epitheti, quo Missa insignita fuit intelligentiam his verbis explicat : « Hoc « est sacrificium mysteriosum, maximum et hono-« rabile, ab his, quæ ab ipso fiunt, impensis dena-« minatum. Plato etiam *Taletas* vocat expiationes, « id est, perfecta sacrificia, quæ non solum priva-« torum, sed et civitatum essent, pro vivorum et « mortuorum peccatis expiandis : quæ omnia qua-« drant Eucharistico sacrificio : nam mysteriosum « est, maximum omnium et honore latriæ venera-« bile ; fiunt magnæ in ipso expensæ, nam omnes « Ecclesiæ redditus, proventus, decimæ, primitiæ, « donaria, templa, altaria, vasa aurea et argentea, « ornamenta multiplicia, ministri, Sacerdotes. « Episcopi ad hoc unum sacrificium honorifican-« dum referuntur. Est et non solum unius privati « sacrificium, sed et totius Ecclesiæ, quia pro om-« nibus offertur; nec tantum pro vivis, sed etiam « pro omnibus vita defunctis ; diciturque sacrifi-« cium sacrificiorum, vel quia omnia vetera sacri-« ficia in illo consummarentur, vel quia reliqua « Ecclesiæ sacramenta ab ista hostia vim expiandi « habent, ut et si ipsa per se sacrificia non sint « virtute tamen hujus sacrificii per illa operantis « sacrificia aliquo modo dici possint. » David, de quo Scriptura ait [2] : *Sedens in cathedra sapientissimus*, hic inquam, in *Ps.* CXVIII, 100, ait [3] : *Super senes intellexi*, siquidem omnia abstrutissima divinæ Sapientiæ mysteria emedullavit, prout ex ejus Psalterio sufficienter colligitur ; et tamen quando ei facienda erat mentio hujus sacrificii, quod ex revelatione cœlesti in spiritu præviderat, quasi obmutescens in Psalmo LXXI ait [4] : *Et erit firmamentum in terra, in summis montium*, quæ verba ad Missam alludere, in discursu primo probavimus ; tandem postquam Ecclesiæ progressus, in virtute hujus sacrificii comparatos, exposuisset, in fine Psalmi concludit, dicens : *Defecerunt laudes David filii Jesse*, quasi diceret : Laudes hujus sacrificii dum exprimere volo, verba mihi deficere experior. Cujus ratio esse potest, quia ut Seraphicus Doctor ait [5] : « Missa tam plena est mysteriis, sicut mare « guttis, sicut sol atomis, sicut firmamentum stellis, « sicut cœlum empyreum Angelis. »

[1] ROM., VI, 9. — [2] *Conc. Trid., ib.* — I JOAN., I, 2. — [4] JOAN. OSOR., *Conc. de divinis. sacrific.* — [5] B. ALG., 1. *de sacr.*

[1] SALM., t. IX, tr. 23. — [2] II REG., XXIII. — [3] *Psal.* CXVIII, 100. — [4] *Ps.* LXXI, 16. — [5] S. BONAVENT., *Comp. Theol. vet.*

## DISCURSUS IV.

### SPIRITUM S. ET ANGELORUM EXERCITUS DIVINO HUIC SACRIFICIO ASSISTERE, MONSTRATUR.

IDEA SERMOONIS. — 1. Spir. S. descendit de cœlo ad sanctificandum SS. missæ sacrificium. Angeli illi assistunt cum reverentia et stupore. Sacrificium missæ oblatum non fuit, nisi post missum Spiritum S. — 2. Probatur ulterius, cœlum aperiri et Spir. S. cum Christo descendere, dum offertur sacrificium missæ. Descensus Spir. S. tempore sacrificii Missæ probatur duabus præclaris historiis.— 3. Asseritur assistentia Angelorum in SS. Missæ sacrificio. — 4. Altare in quo Missa celebratur, circumdant integri cœlestes exercitus. — 4. S. Nilus vidit Angelos cum magna reverentia assistere altari sub Missa. F. Jo. Parm. Fratrum Minorum generali ad Missam servivit Angelus in specie ministri. — 5. Angeli sancti non solum in obsequium Corporis Christi, sed etiam in utilitatem nostram assistunt Missæ.

*Spiritu Sancto misso de cœlis, in quem desiderant Angeli prospicere.* I Pet., I, 12.

**1.** — Incruentum Missæ sacrificium adeo est stupendum et venerabile, ut ipsemet Spiritus Sanctus de cœlo descendat ad illud sanctificandum; Angeli pariter attoniti turmatim et reverenter illud circumdent, illi obsequantur illudque continuo aspiciant et admirentur : *Spiritu Sancto misso de cœlis, in quem desiderant Angeli prospicere.* Et quidem Spiritus Sanctus in pane hoc cœlesti eas dici potest subire partes, quibus fungitur ignis in coquendo et perficiendo pane nostro usuali, qui absque eo minime auxiliaris foret, quin potius massa insipida, stomachoque nociva. Quapropter Ecclesia sancta, in quadam officii Corporis Christi antiphona canit : *O quam suavis est Domine Spiritus tuus!* Spiritus autem Filii Dei citra omnem controversiam est Spiritus Sanctus, *quiex Patre Filioque procedit.* Notandum vero, quod post factam suavissimi illius Spiritus mentionem immediate Ecclesia subjungat : *Qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito esurientes reples bonis.* Qua de re Rupertus Abbas ita scribit [1] : « Contra cibi vetiti « culpam cibus, et potus gratiæ est, contra serpen- « tis venenum. » Sanctus Spiritus antidotum est; et S. Hieronymus de efficaci mensæ hujus, quæ fomitem mitigat atque diminuit, substantia et innumerabilibus effectibus tractans, inquit [2] : « Ca- « lore Spiritus Sancti exsiccat fontes libidinum. » Porro longe evidentius Spiritum Sanctum hoc in sacrificio cooperari patebit, si Apostolos post ejusdem in cœnaculo Sion institutionem, per L dierum spatium (quantum constat nobis) nunquam ipsum celebrasse considerabimus, imo nec quando post ascensionem in eodem sese absconderunt cœnaculo, adventum exspectantes Spiritus Sancti; quo præsente S. Lucas de mysterii hujus celebratione mentionem facit et quidem particula illa [1] : *Communicatione fractionis panis;* ubi versio Syriaca legit : *Fractione Eucharistiæ.* Quam eamdem ob causam Ecclesia sancta a Sancto Spiritu edocta, solemne devotionis tributum sanctissimo Christi Corpori persolvere volens, ex omnibus totius anni diebus septimanam, quæ Pentecostem sequitur, elegit, in eaque solemnitatem instituit Corporis Domini. Quantumvis aliud institutionis hujus pro eo tempore motivum verbis sequentibus assignet Doctor Angelicus [2] : « Ut, qui per totum anni « circulum, hoc sacramento utimur ad salutem, « ejus institutionem illo tempore specialiter recola- « mus, quo Spiritus Sanctus corda discipulorum « edocuit ad plene cognoscenda hujus mysteria « sacramenti, nam in eodem tempore cœpit hoc « sacramentum a fidelibus frequentari. » Quod idem Dionysius Carthusianus in discursu super festi hujus Evangelium considerat, videlicet Apostolos non ante Spiritus Sancti descensum, sacrificium hoc exorsos fuisse; ait enim [3] : « Inceperunt gloriosi « Apostoli, cæterique fideles, sub eorum regimine « sacramentum hoc celebrare, consecrare, accipere « et aliis dare. »

**2.** — S. Laurentius Justinianus, in suo de Eucharistia sermone, cœlum aperiri, simulque cum Filio consecrationis tempore super oblationem descendere, arbitratur Spiritum Sanctum vi cujus tota Ecclesia gaudio repleatur et jubilo : « In cujus « oblationis hora (verba sunt sancti [4]) quantum fas « est credere, aperiuntur cœli, mirantur Angeli, « sancti laudant, exultant justi, captivi visitantur, « compediti solvuntur, infernus luget. » Illa autem quæ ad nostrum singulariter deserviunt propositum, verba sunt sequentia : « Sancta in spiritu mater, « beata lætatur Ecclesia. » Quasi diceret quod tempore Missæ gaudeat, jubiletque Ecclesia ob Spiritus Sancti assistentiam. Hinc et in quadam antiphona, qua S. Martinum Episcopum Turonensem honoramus, ita legitur :« Sacerdos Dei Martine, aperti sunt « tibi cœli. » Ubi licet, quando cœli aperti sint, nondicatur, credibile nihilominus est id contigisse, dum tremendum celebraret sacrificium, visibiliterque super eum descenderet Spiritus Sanctus, siquidem in quodam responsorio ita in ejusdem laudem canimus : « Dum Sacramenta offerret B. Martinus, « globus igneus apparuit super caput ejus. » S. Ambrosius in præparatione ad Missam pro Feria VI, verba aliqua habet, quæ hactenus dicta egregie confirmant; ita enim orandum esse docet [5]: « Peto « clementiam tuam, Domine, ut descendat super

[1] RUP. ABB., *de Sap.* — [2] S. HIER., *in epit. Licinii.*

[1] ACT., II, 48. — [2] S. THEOPH., *opusc.* 57. — [3] DION. CART., s. 2 *de solemn. Corp. Christi.* — [4] S. LAURENT. JUST., *de Corp. Christi.* — [5] S. AMB., s. 6.

« panem tibi sacrificandum plenitudo tuæ bene-
« dictionis et sanctificatio tuæ divinitatis. Descenda
« etiam, Domine, illa Sancti Spiritus tui invisibilis
« incomprehensibilisque majestas, sicut quondam
« in patrum hostias descendebat. » Idem quoque argumentum ex Annalibus Ecclesiasticis duabus probare possumus historiis[1] ; quarum prima sit Eugenii III Papæ. Cum enim ab hoc Pontifice episcoporum Armenorum legati benigne accepti, Missæ per eum celebratæ assisterent, unus illorum, qui episcopus erat, in pleno consistorio testatus est, quod celebrante Pontifice, super ejus capite splendidum quemdam radium et in eodem duas vidisset columbas, ascendentes et descendentes; et quamvis hic episcopus per omnes loci ipsius partes hinc inde circumspexisset, nusquam tamen aperturam aliquam videre potuit, per quam tum columbæ prædictæ, tum etiam radii illi luminosi ingredi potuissent, unde rem divinam esse interpretatus est; nec sine fundamento, siquidem Spiritus Sanctus ab Ecclesia lucis nomine honoratur : « O lux beatis-
« sima, reple cordis intima tuorum fidelium, » præterquam quod Spiritus Sanctus sæpius etiam in columbæ specie visus sit descendisse. Verum enim vero clarior est illa ejusdem Spiritus Sancti super sacrificium incruentum facta apparitio, cujus circa annum Domini 536, in iisdem Annalibus[2] fit mentio, quæ cuidam accidit Episcopo, munus suum pastorale in Formelio, loco urbi Romanæ vicino, qui eo tempore insignis civitas erat, digne exercenti; quæ etiam apparitio, ut idem Baronius fidem facit, in *Prato spirituali*, cap. CL, describitur. Hic igitur episcopus, quantumvis magnæ virtutis et insignis meriti prælatus esset, a nonnullis terræ illius incolis apud S. Agapitum Papam accusatus fuit, quod e vase quodam sacro manducaret. Quod audiens Pontifex, perterrefactus duos illuc clericos misit, qui ipsum pedibus manibusque vinctum, Romam ad carceres perducerent. In quibus cum triduo hæsisset, superveniente Dominica, summus Pontifex Agapitus dormiens, ad ortum auroræ vidit quemdam in somnio sibi dicentem : Hac Dominica nec tu, nec alius Prælatus celebrabit, sed solum episcopus ille, quem tenes in vinculis. Expergefactus Pontifex, somniumque considerans, in corde suo dicebat : ergone sacrificaturus erit ille, contra quem non ita dudum tam enorme apud me depositum est delictum ? Moxque iterum obdormiscens secunda vice eamdem audivit vocem, sibi dicentem : Jam dixi tibi, solum episcopum vinctum, hodie sacrificaturum ; cumque S. Agapitus nihilominus æque maneret anceps, eadem vox tertia vice idem, quod prioribus duabus dixerat, repetens audita fuit. Quapropter Pontifex evigilans, episcopum ex carcere ad se accersiri fecit, cumque illum, quænam ejus opera essent, qualemque vitam ageret, interrogasset, episcopus aliter non respondebat præterquam duo hæc verba : *Peccator sum.* Cumque Pontifex aliud ex ore ejus elicere nequiret responsum, dixit episcopo : Hodie coram nobis celebrabis. Episcopus igitur cum diaconis, aliisque circumstantibus ministris Altari assistens, solemnem exorsus est missam et recitata quatuor vicibus oratione oblationis, sive secreta, nec tamen eamdem concludens, omnibus hanc moram indigne ferentibus, Pontifex eumdem cur ita moraretur interrogavit; qui mox respondit : Ignosce mihi Pater Sancte, ideo enim orationem non terminavi, quia Spiritum Sanctum super oblata descendere non vidi ; quapropter rogo te, o sanctissime Domine, ut diaconum illum, qui ventilabrum manu versans lateri meo assistit, ab Altari removeri jubeas, siquidem ego illum inde abigere non præsumo. Mox igitur, ut diaconus Pontificis jussu recessit, tam Pontifex, quam episcopus Spiritum Sanctum descendere, velumque, quod Altari super impositum erat, ultro nemineque cooperante levari et quasi trium horarum spatio Papam, episcopum et omnes Altari assistentes diaconos contegere et obnubere viderunt. Ex quo miraculo S. Agapitus prælati illius sanctitatem agnoscens, vehementer dolere cœpit, quod unquam molestiæ quippiam ei intulisset, firmiterque apud se statuit, deinceps contra neminem procedere, nisi prius causam majori cum maturitate discussisset. Ex quo aliisque multis similibus exemplis, quæ libens omitto, perspicue verissimum esse colligitur, quod videlicet Spiritus Sanctus super incruentum hoc sacrificium descendat, *Spiritu Sancto misso de cœlis* ; at vero insuper etiam super idem sacrificium turmatim exercitus descendunt angelici, prout statim dicturi sumus.

**3.** — *In quem desiderant Angeli prospicere.* Post consecrationem peractam sacerdos in canone, Æterno Patri hunc in modum reverenter supplicat : « Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube
« hæc perferri per manus sancti Angeli tui in
« sublime altare tuum, in conspectu divinæ majes-
« tatis tuæ. » Ex quibus verbis clare satis colligitur Ecclesiæ sensum esse, quod angeli Missæ veraciter assistant; siquidem rogat, ut Angelus custos altaris illius, in quo Missa celebratur, ad divinam hanc oblationem Altissimo præsentandam cœlos adeat. Præterea observandum est, quod priusquam ad consecrationem, in qua magna ex parte sacrificii essentia consistit, deveniatur, sacerdos Deum in præfationem roget, ut voces nostras spirituum Angelicorum vocibus conjungere dignetur ; dicit enim : « Cum quibus et nostras voces ut admitti
« jubeas, deprecamur, supplici confessione dicen-
« tes : Sanctus, Sanctus, etc. » Unde Divus Chrysostomus ait : « Numquid hanc vocem agnovistis ?

[1] BAR., an. 1145, n. 24. — [2] ID., 536.

[1] CHRYS., h. *in Seraph.*

« nunquid nostra est, an vero Seraphim? Et nostra et Seraphim, beneficio Christi, qui medium « parietem maceriæ sustulit et pacificavit omnia, « quæ in cœlis sunt et quæ in terris. Antea quidem « in cœlis tantum iste hymnus canebatur, postquam « autem in terram venire dignatus est Dominus, « hunc etiam concentum ad nos detulit. Propterea « quoque magnus hic Pontifex, cum juxta sacram « hanc mensam constiterit, ut sacrificium offerat « incruentum, non suppliciter nos ad hanc faustam « acclamationem invitat, sed ubi prius Cherubim « nominavit et Seraphim mentionem fecit, tunc « demum ad hanc tremendam vocem mittendam « omnes adhortatur et dum eorum nos admonet, « qui nobiscum choros agitant, mentem nostram a « terra subducit, unumquemque nostrum his pro- « pemodum verbis excitans : Una cum Seraphim « canis, una cum Seraphim sta, cum illis alas ex- « tende, cum illis regium thronum circumvola. » In oratione præparatoria ad Missam, feria II, S. Ambrosius inter alia hæc verba præscribit [1] : « Corpo- « ris castitate et animæ puritate istud divinum et « cœleste sacrificium est celebrandum, ubi terrena « divinis junguntur, ubi adest sanctorum Angelorum « præsentia. » D. Chrysostomus, ut nobis persuadeat, quod tempore Missæ optima sit occasio secretissime negotiandi cum Deo et impetrandi quicquid volumus, sequens hoc efficax motivum adducit [2], quia videlicet Missæ assistunt Angeli, pro nostra salute intercedentes. Imo dicit, altare, in quo Missa celebratur integri circumdant spirituum bonorum, Cherubinorum et Seraphinorum cœlestes hi veredarii avolant, ut Purgatorii carceres aperiant, aliaque exequantur, quæ ab Altissimo sacrificii intuitu concessa fuerunt. D. Chrysostomus lib. *de sacerdotio* ita scribit [3]: « Per id tempus et Angeli sacerdoti « assident et cœlestium Potestatum universus ordo « clamores excitat et locus altaris vicinus in illius « honorem, qui immolatur, Angelorum choris « plenus est. Id quod credere abunde licet vel ex « tanto illo sacrificio, quod tum peragitur. Ego « vero et cum memorantem quemdam audivi, cum « diceret senem quemdam virum admirabilem, ac « cui revelationum mysteria multa divinitus fuis- « sent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione « dignum habitum a Deo esse, ac per illud quidem « tempus derepente Angelorum multitudinem aspe- « xisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) « candidis vestibus indutorum, altare ipsum cir- « cumdantium; denique sic capite inclinatorum, ut « si quis milites præsente Rege stantes videat. » Blosius similiter cœlestes Angelorum choros Missæ assistere, his verbis testatur [4]: « O quam stupendus « et quam inexplicabilis est summi Dei erga nos « vermiculos amor, qui in Missæ sacrificio quotidie « cum numerosa Angelorum multitudine se mire « præsentem nobis exhibere (etiamsi sacerdos, qui « sacrificat, malus sit), dignatur; ita ut apud nos « non minus vere sit ipse Dominus Jesus, quam in « cœlo est. » Quibus omnibus revelationibus et apparitionibus S. Augustinus apprime suffragatur, quando de Missæ sacrificio tractans, ita scribit [1] : « Tunc nobis favent, nobisque congaudent, atque « ad hoc ipsum pro suis viribus nos adjuvant An- « geli quique, virtutesque superiores. » Et S. Ambrosius de Angelica, quæ S. Zachariæ obtigit, apparitione agens, ita discurrit [2] : « Utinam nobis « quoque adolentibus Altaria, sacrificium deferen- « tibus assistat Angelus, imo præbeat se videndum; « non enim dubites assistere Angelum, quando « Christus assistit, Christus immolatur. » Nec verearis, nec turbetur cor tuum Angeli visione.

**4.** — Hucusque dicta diversi confirmant successus; et imprimis quidem Angelos, ut D. Chrysostomus inquit, Missæ assistere, in Annalibus stabilitur Ecclesiasticis [3], quando alios inter sanctus Nilus in sua ad Anastasium Epistola attestatur, se quasi semper Ecclesiam vidisse Angelis plenam, maxime autem tempore sacrificii, quando nimio plenus gaudio et stupore idipsum spiritualibus quibusdam et principalioribus amicorum suorum, per hæc et similia private sæpius intimavit verba. Postquam sacerdos sanctum inchoasset sacrificium, plurimi de cœlo descendentes Angeli, candidissimis induti vestibus, pedibus nudis circumdederunt Altare, fixos tenentes oculos, stantesque inclinati versus ipsum cum silentio et reverentia magna usque ad sacrificii finem. Deinde per Ecclesiam ipsam dispersi, magna cum industria adjuvabant eos, qui Corpus et pretiosissimum ministrabant Domini Sanguinem. De Euthymio pariter, dum Missam legeret Catechismus exemplorum ita loquitur [4] : « Videns « ignem velut in quodam diffusum linteo desuper « descendentem, quem etiam ipsum Euthymium « intus complexum, aiunt dixisse fratribus quibus- « dam, qui seorsim cum eo versabantur, quod « sæpe videret terribilem Angelorum visionem, una « secum Deo ministrantem et sacra contrectantem. » Ibidem de alio quodam sancto sequens traditur visio [5] : « Sancto Usvaldo Episcopo sacrificanti adest « Angelus, eique ministrat. Audivit Angelum ad « singula respondentem, eique officiose ministran- « tem; » scilicet clericus ille, qui insolita illa perterritus visione, in remotiorem se receperat Ecclesiæ angulum. Neque minorem expertus est favorem Frater Joannes Parmensis, qui Fratrum Minorum existens Generalis, officium illud solitudinis amore abdicavit; de eo namque chronicon Minorum ita

[1] S. Ambr., *Præpar. ad Miss.* — [2] Chrysos., *de Inc. Dei nat.* — [3] Id., *de Sacerdotio.* — [4] Blos., *Append. ad Enchir. parv.*

[1] S. Aug., l. X *de Civ. Dei.* — [2] S. Amb., l. I *in Luc* — [3] Bar., a. 107. — [4] *Cat. histor.*, 5, c. 5. — [5] *Ibid.* it. 31.

scribit [1] : « Factum est, ut diuturnioribus antelucanis precationibus fatigatus, ita somno oppressus « jacuerit, ut hora etiam ministrandi sacro proxima « nihilominus consopiretur. Interea vir sanctus ministrum perquirit, nec reperit ; sacris se accingit « peragendis spe ministri proxime more suo venturi. Hora constituta aderat, nec comparebat « Frater, adest Angelus et fit minister vultu ac « veste referens religiosum. Sacrificio ad finem « perducto, adhuc quiescens Frater in somnis, se a « Fratre Joanne accersitum percipit ; excitatur, « sacerdotem adit et ait : Placetne Pater sacrum « facere ? Tunc vir Dei cognovit Angelum, non « religiosum sacro ministrasse. » Quam eamdem veritatem de Angelica coram sacrificio hoc assistentia catechismus historialis, in hæc confirmat verba [2] : « Senex sacris operans, Angelos sibi « assistere conspexit ; factumque, ut inter sacrificandum, quædam verba more hæreticorum recitaret, quod advertens Diaconus, homo litteratus, « corrigi ab eo errorem voluit. Perstitit in errore « senex, quod Angelos coram aspiceret ; ille interim « pergit esse molestus. Rogat igitur ab Angelo « alter, cur se non corrigat, atqui, inquit Angelus, « homines ab hominibus erudiri Deus vult. »

**5.** — Ex quadam vero Origenis homilia angelicos cœtus non modo in Corporis Christi obsequium, sed etiam in utilitatem nostram sacrificio divino assistere clare deducitur, ait namque [3] : « Angeli « Dei ascendunt et descendunt ad Filium hominis : « perquirunt et curiose agunt, quid in unoquoque « nostrum inveniant, quod offerant Deo. Vident et « perscrutantur uniuscujusque nostrum mentem « si habeat aliquid tale, si tam sanctum aliquid cogitet, quod Deo mereatur offerri. » Cui veritati illa consonat, quæ in festo S. Michaelis Archangeli, omniumque aliorum Angelorum canitur antiphona : *Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua.* Quid namque verbis istis significatur aliud, quam quod Angelus accinctus stet, atque intentus colligendo orationum nostrarum incenso, ut ipsum pro fœlici et favorabili obtinenda votorum gratia coram throno præsente Altissimi ? Ad altare proinde, dum incruentum celebratur sacrificium, quod, ut suo loco dicemus, impetratorium est, stare describitur Angelus. Si itaque tanta cum reverentia sacrificii tempore non ad suam, sed nostram utilitatem, altare cingunt Angeli, quanto magis conveniens erit, ut nos circa ipsum reverentes obsequiososque geramus !

[1] *Chron. Min.*, t. II. — [2] *Cat. Hist.*, c. 5. — [3] ORIG., h. 9 *in Lev.*

—

## DISCURSUS V.

MISSA EST SACRIFICIUM PROPITIATORIUM, QUOD IN REMISSIONEM PECCATORUM NOSTRORUM ET AD IRAM DEI PLACANDAM OFFERTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Sacrificium Missæ est vere propitiatorium et peccatorum remissivum. Certum est in altari peragi opus redemptionis nostræ. Nullum excellentius munus Deo pro peccatis nostris offerri potest sacrificio Missæ. Hoc ipsum probatur ulterius. Munus corporis Christi extinguit æterni Patris iram. — 3. Essentia sacrificii Missæ consistit in consecratione ambarum specierum. Qualis sit differentia inter sacramentum et sacrificium. Primus et principalis fructus Missæ, est remissio peccatorum. — 4. Hoc argumentum deducitur ulterius. Cur necessario in altari, in quo celebratur, crux apponi debeat. Cum devotione et cordis compunctione Missa est offerenda. — 5. Virtus hujus sacrificii est indulgentia peccatorum. Si sacrificium Noe Deum potuit placare, multo magis hoc poterit SS. Missæ sacrificium. Probatur ex SS. Patribus, Missam esse sacrificium propitiatorium. — 6. Sacrificium Missæ impetrat donum pœnitentiæ, vim suam habens a sacrificio crucis.

*Ipsa est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Joan., II, 2.

**1.** — Principalissimum sacrificii Missæ effectum esse, quod sit propitiatorium, præterquam quod ex verbis consecrationis calicis evidenter colligatur, sacrum insuper Concilium Tridentinum apertis verbis asserit et definit, inquiens [1] : « Sancta synodus decernit sacrificium istud vere propitiatorium « esse, perque ipsum fieri, ut si cum recto corde et « vera fide, cum metu et reverentia contriti et « pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam « consequamur et gratiam inveniamus in tempore « opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum pœnitentiæ concedens, « crimina et peccata etiam ingentia dimittit. » S. Joannes, qui non solum sacrificio incruento cœnaculi, verum etiam cruento montis Calvarii præsens astitit, sacrificium hoc quasi in bilance trutinans, non solum sufficiens esse judicavit ad placandam divinam justitiam pro peccatis nostris, verum etiam pro peccatis totius mundi. Unde ait : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed totius mundi.* Similiter in oratione quadam secreta Missæ hæc verba dicuntur [2] : « Hostias « tibi Domine placationis offerimus, ut delicta « nostra miseratus absolvas. » Ad hæc certum est, quod opus redemptionis, in altari crucis perfectum, ad peccatorum nostrorum expiationem fuerit ordinatum ; at vero Missa quid est aliud, quam quædam

[1] *Conc. Trid., sess.* 22. — [2] *Orat. secret. in Dom. V Epiph.*

redemptionis nostræ renovatio? Unde Ecclesia in alia quadam oratione secreta dicit [1] : « Quoties « hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus « nostræ redemptionis exercetur. » Præterea si in monte Calvario quispiam nostrum peccatis onustus; sacrificio cruento crucis præsens adfuisset, utique securam de se in virtute Sanguinis Redemptoris mundando spem concepisset, siquidem *sine sanguinis effusione non fit remissio.* Sic enim bonus latro factus est sanctus, patibulum in Paradisum commutando, quantumvis totam vitam suam in latrociniis perpetrandis consumpsisset. Idem vero Redemptor, qui tunc sacrificatus est in cruce, est ille ipse, qui nunc in Missa Æterno Patri in sacrificium offertur pro expiatione peccatorum nostrorum. Deinde dona et munera ad hoc præcipue ordinantur, ut placent et reconcilient iratum. Unde Poeta canit : « Munera placant hominesque Deos- « que; » nullum vero munus excellentius Deo, peccatis nostris irascenti, offerri potest, quam Missæ, in quo ipse Unigenitus Dei Filius Deo Patri offertur. Ac proinde Osorius optime monet, dicens [2] : « Sta- « tim ni Deum placare possis, placa eum munere « dato ingenti, offer illi Christum, ejus merita et « satisfactionem. Plus ille Patri placuit, quam ut « displicere potueris et universus mundus. Dic ergo « Patri, indignus ego venia sum; peccavi supernu- « merum arenæ maris; sed ecce Filium tuum, « quem mihi dedisti, tibi offero, qui plus tibi pla- « cuit, quam ego displicuerim; majora sunt ejus « merita, quam peccata mea. »

**2.** — Propheta Evangelicus futuros Ecclesiæ in nova lege Evangelica progressus in spiritu prævidens, de divino hoc sacrificio, quo sub specie panis offertur, ait [4] : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus*; populus enim Christianus ob innumera peccata sua, præda factus fuisset incendii infernalis, nisi Deus Ecclesiæ hoc semen frumenti electorum reliquisset, per quod, mediante hoc sacrificio, illum placaremus. « Illius enim salu- « taris virtus, » ut Concilium Tridentinum inquit [5], « in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie « committuntur, peccatorum, se extendit. » Ad hunc propositum nostrum optime deservit sequens S. Laurentii Justiniani discursus et quam inde deducit, consequentia; ait enim [6] : « Offertur « Æterno Patri Nati assumpta humanitas, quatenus « agnoscat ipse quem genuit, quemque pro homi- « num salute misit in terras, ut interventione ipsius « delinquentibus veniam, lapsis manum et justifi- « catis præroget vitam. Clamat idem Redemptor « ad Patrem, corporis sui cicatrices ostendens, qua- « tenus ab æternis suppliciis sua homines interpel- « tione custodiat. *Advocatum*, inquit Joannes « Apostolus, *habemus apud Patrem Jesum Christum « justum et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, « non pro nostris tantum, sed etiam pro totius « mundi.* Vides perspicue, nullum acceptabilius « Deo posse offerri sacrificium ad impetrandam « indulgentiam. » Porro Sapiens in parabolis suis ait [1] : *Munus absconditum extinguit iras et donum in sinu indignationem maximam.* Corpus autem a Filio Dei assumptum, donum est Æterni Patris, generi humano collatum : at vero tale est donum, quod oculis nostris sub accidentibus sacramentalibus prorsus est absconditum. Hoc igitur donum extinguit iram et indignationem Æterni Patris, juste peccatis nostris irascentis. Michæas propheta interrogat [2] : *Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Porro omnia sacrificia et victimæ, quæ superioribus legis naturæ et scriptæ sæculis oblata fuerunt, ex se ipsis ne quidem ad unicum peccatum expiandum sufficiebant; vel si nonnunquam ex his peccatorum remissio obtenta fuerit, id nequaquam attribuendum erat ipsis sacrificiis et victimis, sed fidei offerentis et meritis hujus sacrificii Filii Dei, cujus antiqua holocausta et sacrificia figuræ erant. Unde Cardinalis Bellarminus hac de re ita disserit [3] : « Recte Apos- « tolus dicit, *impossibile esse sanguine hircorum et « vitulorum auferri peccata*; sed tamen expiabant « maculas legales et etiam Deum propitiabant, « quoad pœnas temporales et etiam quoad culpas ex « offerentium fide, cujus fidei protestationes erant « sacrificia illa. »

**3.** — S. Apostolus ad Hebræos scribens, ait [4] : *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Quodnam vero donum Deo acceptius et gratius offerri potest, quam sit Filius ejus, de quo sæpius testatus est, dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?* Pro distinctione autem sacramenti a sacrificio, notanda est doctrina quædam quam Rodriguez in tractatu *de sacrificio Missæ* in hæc fere verba affert [5]. Est inter Theologos recepta sententia, quod essentia hujus sacrificii in consecratione ambarum specierum consistat, quodque in hac consecratione vere offeratur; sicut enim in ipso momento, quo Christus exspiravit, consummatum est sacrificium cruentum, in quo Christus se Æterno Patri in cruce pro nobis obtulit, ita hoc Missæ sacrificium (quod est vere repræsentativum cruenti et idem numero cum illo) essentialiter in eo momento finitur, in quo finiuntur verba consecrationis

[1] *Or. secr. in Dom.* IX *post Pent.* — [2] HEB., IX, 22 — [3] JOON. OSOR., *de Miss. div. sacrif.* — [4] ISA., I, 9 — [5] *Conc. Trid.*, *ib.* — [6] S. LAUR. JUST., *de Christi corp.*

[1] PROV., XXI, 14. — [2] MICH., VII, 7. — [3] BELLARM., l. VI *de Sac.* — [4] HEB., V, 1. — [5] RODRIG., t. II, tr. 8, c. 14.

super panem et super vinum prolata, quia tunc in virtute et vi verborum, est ibi corpus in hostia et sanguis in calice, atque in illa sanguinis consecratione, quæ finita consecratione corporis instituitur, effusio sanguinis Christi et consequenter separatio animæ a corpore, quæ ex illa sanguinis effusione, ejusdemque a corpore separatione resultat, ad vivum repræsentatur ; adeo ut per verbum consecrationis producatur sacrificium, quod offertur et iisdem verbis fit oblatio. At vero quantum attinet adesse sacramenti, hoc semper manet consecratum, quamdiu durant species panis consecratæ, sive conservetur in custodia vel sacrario, sive portetur ad infirmos, sive plebs fidelis ex iisdem speciebus communicetur, sed tunc non habet rationem et vim sacrificii. Est inter sacramentum et sacrificium et alia differentia, scilicet, quod, in quantum est sacramentum, prosit recipienti, sicut et alia sacramenta, gratiam ei conferendo, propriosque suos in eo producendo effectus. At vero in quantum est sacrificium, prodest non solum recipienti, sed etiam aliis pro quibus offertur ; atque ita Concilium Tridentinum notat, Christum divinum hoc mysterium duas ob causas instituisse ; primo videlicet, ut tanquam sacramentum animæ esset nutrimentum, quo mediante vitam spiritualem conservare, restaurare et renovare posset. Secundo ut Ecclesia perpetuum quoddam haberet sacrificium, Deo offerendum in remissionem et satisfactionem peccatorum nostrorum remedium, in gratiarum actionem pro receptis beneficiis, nec non pro impetrandis et consequendis novis gratiis et favoribus Domini nostri. Hactenus præfatus auctor piissimus pariter et doctissimus. Quod vero nobis præcipue advertendum est, in eo consistit, quod videlicet primus et principalis fructus Missæ sit remissio peccatorum ; id quod evidenter ex consecratione calicis colligitur; quæ sic habet : *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Idem quoque optime Cardinalis Bellarminus his verbis observat [1] : « Nam illa verba *hic* « *est sanguis, qui pro vobis funditur in remissionem* « *peccatorum*, apertissime docent, Christum obtu- « lisse in cœna sacrificium pro peccatis Apostolo- « rum. Idem autem est sacrificium nostrum cum « illo, quod in cœna oblatum fuit. » S. Ambrosius prorsus idem considerat, dum ita scribit [2]: « Si « quotiescunque effunditur Sanguis Christi, in « remissionem peccatorum sumitur, debeo illum « semper sumere, ut semper mihi peccata dimit- « tantur. » Porro textus græcus in tempore præsenti legit : *Effunditur*, quasi in Missa, quæ *juge sacrificium* appellatur, divinus hic Sanguis pro peccatis nostris, quæ incessanter committuntur, pariter incessanter offeratur et effundatur.

4. — Ludovicus Blosius de Alexandro Papa, Evaristi successore, scribit, quod in Epistola quadam *ad omnes Orthodoxos* sequentem doctrinam tradat [1] : « Crimina atque peccata oblatis his Do- « mino sacrificiis delentur. Idcirco passio ejus in « his commemoranda est, qua redempti sumus et « sapius recitanda, atque hæc Domino offerenda « talibus hostiis delectabitur, atque placabitur Do- « minus et peccata dimittet ingentia. Nihil enim « in sacrificiis majus esse potest, quam Corpus et « Sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, « sed hæc omnes præcellit. » Ecclesia in quadam oratione secreta Missæ in hæc verba precatur [2] : « Supplices te rogamus Omnipotens Deus, ut his « sacrificiis peccata nostra mundentur, quia tunc « veram nobis tribuis et mentis et corporis sanita- « tem. » Enim vero priusquamSacerdos sacrificium consumat, pectus suum percutit, hæc verba pronunciando : *Agnus Dei qui tollis peccata mundi* ; et merito, quia Missa a Concilio Niceno appellatur *Agnus, qui tollit peccata mundi.* Porro mysterium ob quod Ecclesia disposuit, ut non celebretur in altari, nisi in eodem Crucifixi imago posita fuerit, S. Bonaventura his verbis declarat [3]: « Statutum est « a sanctis Patribus, ne quisquam sacerdotum in « aliquo altari Missam celebraret, nisi ibi imago po- « sita fuerit Crucifixi, quam sacerdos intuens et « brachia extensa in ea cernens, pro populi delictis « exorando, brachia sua ad eum extendere admo- « dum crucis nullatenus erubescat. » Cum enim in Missa nostra eadem sit victima, idemque offerens qui in monte Calvario sacrificavit, quis dubitare poterit, quin, sicut ibi Patrem pro suis crucifixoribus oravit, bono latroni peccata sua dimisit, multis lictorum et crucifixorum suorum compunctionem cordis impetravit, propter quam causam [4] *revertebantur percutientes pectora sua* ; ita quoque in hoc eodem sacrificio pro peccatis nostris intercessurus sit, dum simul cum ipso Missæ sacrificium Æterno Patri suo cum reverentia, devotione et compunctione offerimus. Non sine causa dixi, cum compunctione; quia in hac materia necessario sciendum est, quod Angelicus Doctor in hæc verba docet [5] : « Dicen- « dum, quod Eucharistia non solum est sacramen- « tum, sed etiam est sacrificium; in quantum « autem est sacramentum, habet effectum in omni « vivente, in quo requiritur vitam præexistere ; sed « in quantum est sacrificium, habet effectum etiam « in aliis, pro quibus offertur, in quibus non præ- « exigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia « tantum et ideo si eos dispositos inveniat, eis, « gratiam obtinet, virtute illius veri sacrificii, a quo

[1] Bellarm., l. II *de Sac. Missæ.* — [2] S. Amb., l. IV *de Sacr.*

[1] Blos., *in defens. fid.* — [2] *Orat. secret. fer. IV post Dom. IV Quadr.* — [3] S. Bonav., *de exposit. Missæ.* — [4] Luc., xxv, 48. — [5] S. Thom., *in 4 sent.*, d. 12.

« omnis gratia in nos influxit; et per consequens « peccata mortalia in eis delet, non sicut causa « proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis « impetrat. » Sicut enim multi peccatores cum Christo in terris conversantes, se ad culpam deponendam extimulari sentiebant, ita multi Missæ assistentes, impulsus sæpe experiuntur internos, quibus incitantur, ut ad pœnitentiam confugiant. Et ideo bene monet Blosius, dicens [1] : « Quoties « interes divinissimo Missæ sacrificio, hostiam in « eo per sacerdotem consecratam offer devota « mente Deo in expiationem et satisfactionem pro « peccatis tuis. Offer eam illi in odorem suavitatis « et laudem æternam, pro tua, omniumque sa- « lute. »

**5.** — Joannes Osorius efficacissimam adducit rationem ad probandum, virtutem hujus sacrificii esse indulgentiam peccatorum; dicit enim [2] : « Lex « fuit inviolata, quam Paulus ostendit, *sine sangui-* « *nis effusione non fit remissio*; remittebat olim « Deus peccata et eorum pœnas et propitius erat « hominibus, cum ei sacrificia offerebantur, sed « non propter sacrificia illa, quid enim erat in eis, « quod Deo placere posset? Fides ergo Mediatoris, « et fides sacrificii Christi, quod illa figurabant, « efficiebant, ut grata essent Deo. » In cujus probationem illud adducit Apostoli argumentum, ad Hebræos in hæc verba scribentis [3] : *Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* Idem Osorius hactenus dicta alio quodam motivo confirmat, dicens : « Quando quisquam graviter læsit alium, « curat, si ejus amicitiam desiderat et peccati ve- « niam, aliquid ei gratum offerre, quo læsus inju- « riam remittat et offensori reconcilietur. Sic Jacob « dixit : *Placabo eum muneribus.* Ita cum nos in « Deum graviter peccaverimus ut ei reconciliemur « indigemus sacrificio. Christus vero sacrificium « est expiationis; hoc enim facto ait Augustinus, « solent servi delinquentes veniam consequi, si filios « charissimos dominis objiciant, quibus ira miti- « gatur; sic orabat Psalmista, *respice in faciem* « *Christi tui.* » S. Augustinus Missæ sacrificium dignissimo hoc epitheto honorat [4], dum illud vocat « victimam sanctam, *qua deletum est chyrographum* « *quod erat contrarium nobis*; qua triumphatus est « hostis, computans nostra delicta et quærens quid « objiciat et nihil inveniens in illo, in quo vinci- « mus. » Post diluvium, quo Deus quantum divina ejus justitia generi humano indignata fuisset, ostendit [5] : *Noe ædificavit altare Domino et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suavitatis et ait : Nequaquam ultra maledicam terræ.* Quod si autem sacrificium quoddam ex vitulis, ovibus et volucribus Deo oblatum tantæ efficaciæ fuit, ut in finem usque sæculorum fulmina maledictionum, mundo ad ejus interitum immittendarum, coercere potuerit, quid de illo sacrificio dicemus, in quo Æterno Patri Unigenitus Filius ejus pro salute nostra offertur? « Per humanam « carnem, » inquit S. Laurentius Justinianus [1], « pacis se Dei et hominum fecit auctorem. Hujus « pacis se obsidem fecit, cum se in hoc præbuit « sacramento, propterea ait : *Ecce ego vobiscum sum* « *omnibus diebus usque ad consummationem sæcali.* » In oratione quadam secreta Missæ, Ecclesia has Deo porrigit preces [2] : « Oblationibus nostris quæsumus « Domine, placare susceptis et ad te nostras etiam « rebelles compelle propitius voluntates. » Salmeron observat [3], quod « in Missa græca sacerdos « adorat et diaconus in eo, in quo est loco, ter « mystice dicentes : *Deus propitius esto mihi pecca-* « *tori.* » S. Gregorius in homilia quadam de salutaribus Missæ sacrificii effectibus disserens, ait [4] : « Mittamus ad hunc legationem nostram, sacras « hostias offerendo; singulariter namque ad abso- « lutionem nostram, oblata cum lacrymis, benigni- « tate mentis, sacri Altaris hostia suffragatur, quia « is, qui in se resurgens a mortuis, jam non mori- « tur : adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis « iterum patitur, nam quoties ei hostiam suæ pas- « sionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nos- « tram passionem illius reparamus. » Bellarminus [5] ut Missæ sacrificium propitiatorium esse contra hæreticos convincat, eosque confutet, multas citat Sanctorum Patrum auctoritates [6]. Allegat enim Origenem, qui in homilia super Leviticum, adductis illis Christi verbis: *In mei memoriam facietis,* subjungit : « Ista « est memoratio sola, quæ propitium facit Deum « hominibus. » Citat quoque S. Athanasium, quem etiam Damascenus allegat, dicentem [7] : « Incruentæ « hostiæ oblatio, propitiatio est. » S. Basilius Magnus in liturgia sua ita scribit : « Dignos efficito « nos, qui puro corde stremus coram te, tibique « ministremus et offeramus sacrificium hoc vene- « randum, ad abolenda delicta nostra et pro piaculo « populi tui. » S. Cyrillus Jerosolymitanus postquam Eucharistiam, propitiationis hostiam appellasset, subjungit, inquiens [8] : « Christum pro nostris pecca- « tis mactatum offerimus, ut et nobis et illi eum, « qui est benignissimus, propitium reddamus. » D. Chrysostomus in libro VI de sacerdotio supe-

[1] Blos., Spec. *sive conclavi animæ.* — [2] Joan. Osor., *Miss. sacrif.* — [3] Heb., IX, 11. — [4] S. Aug., l. IX *Conf.* — [5] Gen., VIII, 21.

[1] S. Laur. Just., *de casto connub.* — [2] *Or. secr. sab post Dom.* IV *Quadr.* — [3] Salm., t. IX, tr. 23. — [4] S. Greg., *in Evang.* — [5] Bell., t. II *de Sacrif. Missæ.* — [6] Orig., h. 13 *in Levit.* — [7] S. Athan., s. *de dei unct.* — [8] S. Cyr. Jeros., *Mystag.*

raddit, inquiens [1] : « Sacerdos pro universo orbe « terrarum legatus intercedit, deprecatorque est « apud Deum, ut hominum omnium, non viven- « tium modo, sed etiam defunctorum peccatis pro- « pitius sit. » Neque minorem quædam S. Augustini in Leviticum attestatio considerationem meretur, dum inquit [2] : « In multis sacrificiis, quæ pro pecca- « tis offerebantur, unum hoc nostrum sacrificium « significatur, in quo vera sit remissio peccato- « rum, » qui idem S. Doctor alibi eamdem prose- quens materiam [3], ingeniosam admodum, quare Missa nonnisi ad sæculorum finem duratura sit, assignat rationem, quia scilicet tunc non amplius invenietur, cui remittantur, aut condonentur peccata, utpote cum tunc omnis desinat offendens.

**6.** — Pro horum nihilominus omnium intelli- gentia, dogma quoddam singulariter advertendum est Cardinalis Bellarmini, quod in hæc tradit verba : « Non majorem vim habere potest sacrificium Missæ, « quam sacrificium crucis, cum sacrificium Missæ « vim habeat a sacrificio crucis ; sacrificium autem « crucis non efficienter et immediate justificavit, « sed tantum impetratorie et meritorie, alioquin « continuo omnes homines justi effecti essent, cum « Dominus pro omnibus hominibus se Deo in sacri- « ficium obtulerit. » Ideoque sic concludit, dicens : « Sacrificium Missæ non justificat homines imme- « diate, sed impetrat, ut ex merito sacrificii detur « hominibus gratia et donum pœnitentiæ. »

## DISCURSUS VI

### SACRIFICIUM MISSÆ IMPETRATORIUM ESSE, VARIIS PROBATUR RATIONIBUS ET EXEMPLIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Incruentum SS. Missæ sacrificium est impetratorium et aliorum mysteriorum comple- mentum. — 2. Probatur Missæ sacrificium esse im- petratorium. Cum sacrificia veteris legis merita impetraverint, quanto magis sacrificium Missæ. — 3. Væ mundo si hoc sacrificium nobis deesset, per illud enim impetramus auxilia gratiæ. Quid designet, quod Amos viderit Dominum stantem super altare. — 4. Sacrificium Missæ impetratorium esse, probant varia sequentia exempla. Triginta ægroti audita Missa sanantur. Mulier quædam munita sacrificio Missæ, ab insolentia lenonis miraculose defensa fuit et leno a cane occisus. — 5. Anima per S. Mis- sam liberatur a purgatorio. Alia historia confirmans sacrificium Missæ esse impetratorium. — 6. Aliæ similes historiæ S. Phil. Ner. quatuor adolescentibus hebræis per sacrificium Missæ impetravit conversio- nem ad Christi fidem. Adduntur alia stupenda mi- racula tum S. Hostiæ tum SS. Missæ sacrificii.

*Christus Jesus interpellat pro nobis.* Rom., VIII, 45.

**1.** — Ex his Apostoli verbis Doctor. Angelicus sacrificium incruentum impetratorium esse dedu- cit, inquiens : « Humanitatem pro nobis assump- « tam, et mysteria in ea celebrata conspectui pa- « terno repræsentando. » Missæ sacrificium, ut nemo nescit, omnium aliorum mysteriorum est comple- mentum, unde in consecratione calicis appellatur *mysterium fidei.* Volens itaque Christus seipsum sa- crificans, continuas pro nobis a Patre obtinere gra- tias, hoc frequenter, tanquam efficacissimum adhi- bet sacrificium, in quo suam repræsentat humani- tatem, cui nulla dari potest repulsa : « Putasne « aliud esse altare » interrogat S. Paschasius [1], « ubi « Christus Pontifex assistit, quam corpus suum, per « quod et in quo Deo Patri vota fidelium, et fides « credentium offertur ? » Ex quo loquendi modo pater, non aliud hoc esse altare, in quo cœlestium gratiarum expeditur signatura, quam sanctissimam Filii Dei, ad Patris dexteram residentis, humanita- tem, *qui interpellat pro nobis,* dum absque eo, quod se elonget inde, in incruentum descendit hostiæ sacrificium. Qua de re S. Irenæus ita scribit [2] : « Ver- « bum dedit populo præceptum faciendarum obla- « tionum, quamvis non indigeret eis, ut disceret Deo « servire. Sic et ideo nos quoque offerre vult munus « ad altare frequenter sine intermissione. Est ergo « altare in cœlis, illuc preces nostræ, et oblationes « nostræ diriguntur. » Imo non qualescunque, sed omnipotentes sunt sacrificii hujus intercessiones : idem namque qui hic offertur super altare lapideum consecratum, ad dexteram residet Patris tanquam advocatus, et veluti secunda sanctissimæ Trinitatis Persona, simul cum Patre et Spiritu S. tam dignam, tamque meritoriam, qualis ipse est, mortali hoc vestitus corpore, acceptat oblationem.

**2.** — Ad penetrandam Missæ efficaciam, impe- trandasque quas, in ea petimus gratias, utilissima se insinuat per Osorium facta consideratio, dum inquit [3] : « Solet, qui beneficium aliquod ab alio « impetrare desiderat, muneribus datis, ejus volun- « tatem lenire et disponere ; sic ergo Patris Æterni « voluntatem cura tibi conciliare Christi oblatione, « ut nihil tibi neget eorum, quæ petis. Sed obsecro, « qui gratias, et sine ullo pretio innumera bona « concedere solet, qui pro minimis maxima donat, « quid tibi negabit Christum offerenti ? Obtulit Abra- « ham filium, et continere se non potuit, quin dice- « ret : *Benedicens benedicam tibi, et multiplicabo « semen tuum sicut stellas cœli* : quid negabit offe- « renti Christum ? Quid amplius Ecclesiæ dari po- « tuit, ut confidenter universa peteret, quam Chris- « tus, quem offerat in eorum pretium, quæ petit ? » Cardinalis Bellarminus ut hæreticos, qui se Missæ sacrificio opponunt, evidentibus rationibus convin- cat, Missæ sacrificium impetratorium esse probatu- rus, sacrificium Davidis eo tempore oblatum addu- cit, quo Jerosolyma per pestilentiam brevi temporis

[1] D. CHRYS., l. VI *de Sacerd.* — [2] S. AUG., *in Levit.* — [3] ID., l. XX *de Civ. Dei.* — [4] BELL., l. II *de Missa.*

[1] S. PASCH., *de Corp. et sang. Christi.* — [2] IREN., l. IX. — [3] OSOR., *de Missæ div.*

spatio in cœmiterium quoddam redacta fuit : tunc enim David rex, pietate et compassione commotus, pro salute populidivinæ majestati sacrificavit, cessavitque subito mortalitas[1]: « David,» inquit, « obtulit « pacifica pro peste avertenda, et impetravit. Onias « obtulit hostiam salutarem pro vita temporali He- « liodori, quam etiam impetravit. I Esdræ, v, immo- « labant hostias pro vita regis Darii et filiorum ejus.» Ex quibus exemplis hanc deducit consequentiam, quod si sacrificia illa, quæ nostri sacrificii umbra tantum, et figura erant, iis, pro quibus offerebantur, impetrabant gratias, quanto æquius est, ut similes gratias vivaciter speremus, quando in Missa offerimus, et sacrificamus eundem Dei Filium, qui coram Patre suo pro salute nostra continuo assistit, et intercedit ? S. Cyrillus Jerosolymitanus hac de re ita scribit [2] : « Postquam confectum est illud « spirituale sacrificium, et ille cultus incruentus « super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum « pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate « mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro « ægrotis, et afflictis, et pro omnibus qui egent « auxilio. » Bellarminus virtutem hujus sacrificii impetratoriam sequenti pariter probat ratione : « Sacrificium crucis fuit meritorium, satisfacto- « rium et impetratorium vere, et proprie : quia « Christus tunc mortalis erat, et mereri, et satisfa- « cere poterat ; sacrificium Missæ proprie solum est « impetratorium, quia Christus nunc immortalis « nec mereri nec satisfacere potest. Cum autem di- « citur propitiatorium, vel satisfactorium, id intel- « ligendum est ratione rei quæ impetratur. Dicitur « enim propitiatorium, quia impetrat remissionem « culpæ ; satisfactorium, quia impetrat remissionem « pœnæ ; meritorium, quia impetrat gratiam bene- « faciendi, ac merita acquirendi. »

**3.** — Væ mundo, nisi pietas, et providentia divina hoc ei sacrificium reliquisset, quia cum in hac valle lacrymarum [4], *ubi circumdederunt nos mala, quorum non est numerus*, *Ps.* XXXIX, 13, multis indigeamus gratiis et auxiliis, hæc nunquam consequi possemus, utpote qui per tot offensas, quibus divinam bonitatem continuo exasperamus, gratiis illis nos prorsus indignos efficimus ; et tamen experientia constat, quod etiam dum peccatores, et rebelles sumus, Dei erga nos beneficia sentiamus : quæ utique nulli alteri causæ attribuenda veniunt, quam quod in sacrificio Missæ, quovis momento, et quavis hora in terra per totum Christianismum offeratur Jesus Christus, qui *interpellat pro nobis* [5] ; cum enim ipse sit sol justitiæ, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos* [6], continuo pro nobis intercedit, et necessaria saluti nostræ bona postulat. Amos Propheta in quadam visione dicit [7] : *Vidi Dominum stantem super altare.* At vero quidnam in eo latet mysterii, quod Dominum in eo situ positum super altare conspexerit ? Pro meliori hujus intelligentia reflectendum est ad id, quod in Actibus Apostolorum de protomartyre Stephano scribitur, videlicet quod Christum ad dexteram Patris stantem conspexerit [1] : *Ecce, video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei.* Ubi Glossa ait : « Per vocem *stantem* habitus auxi- « liantis ostenditur. » Oecumenius similiter ait [2] : « *Stantem* et non sedentem vidit Jesum B. Stepha- « nus, ut suam exhibeat Christus protectionem » : idem igitur in præsenti asserere possumus, videlicet quod Amos Dominum stantem super altare viderit, « ut suam exhibeat protectionem.» Cum igitur ut S. Joannes Apostolus ait [3] : *Advocatum habeamus apud Patrem Jesum Christum justum,* qui nobis juxta thronum Dei patrocinatur, quique cum ipso ejusdem est substantiæ, et essentiæ, ejusque sacratissimam humanitatem in sacrificium Deo offeramus, qui ejus intercessionem omnipotentem apud Deum futuram esse non videt : maxime cum ut Apostolus ait [4], *introiverit in cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Illuc spectat viri cujusdam sapientis et pii, atque erga Missæ sacrificium plurimum devoti discursus, quem Osorius in hæc verba refert [5] : « Vir « fuit insigni pietate præditus, qui dicere solebat : « videor mihi, quod peto, nihil esse, cum Missæ sa- « crificium offero ; tanta enim res est, quæ Deo offer- « tur, ut nihil reputandum sit omne, quod a Deo « petitur. Finge te adfuisse Cruci Christi, quando « sanguinem fundebat pro mundo, quando latro « exauditus est, si tunc sanguine Christi collecto « propter illum dona a Deo peteres, qua obsecro « fiducia obtinendi postulares ? Hac fiducia in Missa « tibi petendum est. Idem enim sacrificium ibi of- « fertur, idem sanguis, eadem merita Deo propo- « nuntur. »

**4.** — Porro sacrificium hoc impetratorium esse, innumeri in historiis recensiti eventus confirmant. Etenim Bozius sequens, quod in Japonia contigit, miraculum in hæc verba enarrat [6] : « Erant in domo « quadam Funai circiter ægroti triginta. Missam « celebrari in loco, ubi morabantur, supplices pe- « tierunt. Concessum est illis ; sacrificio peracto, « repente omnes e lecto sani surrexerunt. » Fuit igitur salus corporis horum infirmorum, illius sacrificii effectus, utpote, quod pro salute corporis obtinenda sæpenumero offertur ; unde in oratione quadem secreta, quæ recitatur in Missa dominicæ quartæ Adventus, sacerdos hoc modo precatur : « Sumptis muneribus, quæsumus Domine, ut cum « frequentatione mysterii crescat nostræ salutis « effectus » quæ verba tametsi principaliter de animæ salute intelligantur, idem tamen effectus

[1] Bell., *de Sac. missæ.* — [2] S. Cyr. Jer., *Cat. Myst.* — [3] Bell., *ib.* — [4] *Ps.* XXXIX, 13. — [5] Matt., V, 45. — [6] Amos, IX, 11.

[1] Act., VII, 45. — [2] Occum., *ib.* — [3] I Joan., II, 2. — [4] Hebr., IX. — [5] Osor., *ib.* — [6] Thom. Boz., *de Signis Eccl.*

merito sperari potest etiam quoad salutem corporalem obtinendam, prouti prædicti in Japonia infirmi expecti fuerunt. Et ideo S. Ambrosius *in præparatione Missæ pro die sabbatino,* ita orandum esse monet [1] : « Esto tu tamen, continua salus « animæ et corporis mei. » In historiis selectis Augustini Manni sequens refertur historia. Cum enim juvenis quidam insano erga mulierem quamdam raræ pulchritudinis, accensus amore, eamdem promissis, precibus et blandimentis in sua conatus fuisset seducere desideria, ac tandem eadem potitus fuisset, mulier illa mox erroris sui commissi pœnitens, eumdemque amare deplorans, omnem carnali huic juveni deinceps aditum præclusit. Qui repulsam hanc sufferre nequaquam valens, quamdam prædictæ mulieris ancillam conveniens, eidem si commoditatem sibi dominam ipsius adeundi subministraret, ingentem pecuniæ summam pollicitus fuit : quæ auri amore excæcata, sequentem eam conveniendi modum lascivum juvenem edocuit, videlicet ut domina sua ad Missam audiendam e domo egressa, ipse domum illius ingrediens, clam in cubili absconderetur. Juvenis lenæ consilium executus, muliere prædicta in Ecclesia Missam auscultante domum mulieris ingressus, in abditissimis ejus se recondidit penetralibus, ut desideratam expectaret prædam ; subdit vero historia : « Cum « mulier reversa esset sacrificiis munita, ille ex « improviso objicit sese conspectui mulieris, æstro « libidinis et spiritu nequissimo comitatus ; insurgit « rogans et ne diutius deneget ei, quod tam vehe- « menter concupiscebat, variis blanditiis animum « mulieris primum sollicitabat. Turbata est illa « in conspectu ejus et expavit et cœlum suspiciens, « quanta potuit vi, juvenis rejecit petulantiam. « Deinde cum pararet ei violentas inferre manus, « astitit illico canis ferocissimus, qui fœminæ pa- « trocinium suscipiens, contra juvenem dente ira- « cundo prosilivit et apprehenso collo ejus tam « ferociter tam immaniter huc et illuc discerpsit, « donec amputatum a corpore separaret. Canis « cruentum caput secum detulit et disparuit. » Quis autem hanc adeo miraculosam pudicitiæ hujus mulieris defensionem majori ex parte Missæ fructum et effectum fuisse non agnoscat ? Neque enim frustra auctor historiæ mulierem hanc sacrificiis munitam fuisse dicit.

**4.** — De Ivone Dominicano refertur [2], quod, dum in Palestina Provinciatis fuisset, pro quodam religiosorum suorum tunc defuncto Missæ sacrificium obstulerit, postque consecrationem hostiæ, Christum sub speciebus panis latentem hisce fuerit verbis affatus : « Dulcissime Jesu si Turca captivum « teneret, cui redimendo subditorum quispiam « tanti pretii munus offerret quanti est hoc quod « manu teneo, procul dubio voti compotem faceret. « Atqui tu profecto Domine mi, tu inquam dulcis- « sime Jesu, non cedis humanitate illi barbaro, « immo tantum abest, ut etiam in immensum illi « præstes. Eia igitur Fratris animam purgantibus « flammis detentam, pro cujus litro te ipsum tibi « offero redde cœlo, cui condidisti. » S. Gregorius Magnus paulo ante vitæ suæ annos, accidisse refert, quod certus quidam vir ab inimicis suis captus et in regiones longinquas velut mancipium deductus fuerit, qui longo temporis spatio catenæ alligatus hæsit, nemine suorum de status sui conditione conscio. Ejus vero conjux ipsum jam dudum mortuum fuisse arbitrata, quavis septimana pro anima ipsius Missas celebrari curabat : quisnam vero hujus pietatis effectus fuerit, ex ipsissimis historiæ verbis auscultare libebit. Dicit igitur S. Gregorius : « Cujus toties vincula solvebantur in captivitate, « quoties ab ejus conjuge, oblatæ fuissent hostiæ « pro animæ ejus absolutione. Non longo post tem- « pore reversus, admirans valde suæ indicavit uxori « quod diebus certis hebdomadibus singulis, ejus « vincula solvebantur, quos videlicet dies ejus uxor « atque horas discutiens ; tunc eum recognovit « absolutum, cum pro eo sacrificium meminerat « oblatum. » Tandem vero S. Gregorius historia hac enarrata, ad nostram eruditionem ita concludit [1] : « Hinc ergo Fratres charissimi, hinc certa conside- « ratione colligite, oblata a nobis hostia sacra, « quantum in nobis solvere valeat ligaturam cor- « dis, si oblata ab altero potuit in altero solvere « vincula corporis. »

**5.** — Huic simillima est illa, quam Venerabilis Beda refert, historia [2]. Cum enim nobilis quidam adolescens *Junna* nomine, in cruento quodam prælio ab hoste captus fuisset, fratremque habuisset sacerdotem, hic eum in prælio mortuum existimans, pro anima fratris sui Missam frequenter celebrabat ; unde factum est, quod a nemine ligari aut vinciri potuerit. Interrogatus igitur a Comite, cujus erat captivus, an idipsum ex præstigiis magicis ei sortilegio procederet, respondit, omnino sibi persuasum esse idipsum in virtute sacrificii Missæ contigisse, quam frater ejus sacerdos pro ipso quotidie celebraret. Quapropter indulta ei fuit commoditas de litro suo tractandi, quod consecutus, a vinculis liber evasit. In annalibus Ecclesiasticis [3] alia quædam legitur historia, quæ in Perside accidit, prædictis plurimum conformis. Quidam enim a Persis in servitutem redactus et in carcerem quemdam conjectus fuit, qui *Lethe* appellabatur. Persis autem lex firma erat, quod, quisquis in hunc carcerem conjiceiebatur, inde erui numquam posset ; ac proinde *Lethe* vocabatur, quod latine idem significat, quod oblivio. Cum autem quidam e Perside

[1] *Hist. Sel.* Aug. Manni. — [2] Jac. Haut., l. II, c. 3, d. 8.

[1] S. Greg., h. 27 *in Evang.* — [2] Beda, l. IV *Histor Ang.* — [3] Bar., an. 614, n. 39.

fugientes, in Cyprum venissent, parentibus hujus adolescentis ipsum in carcere mortuum esse dixerunt, quo nuncio permoti parentes, tres quovis anno Missas pro ejus anima celebrari curarunt. Post quatuor vero annos adolescens e carcere fugiens, in domum rediit paternam quem pater et mater ejus non ut e carcere fugitivum, sed ut a morte redivivum ingenti cum stupore videntes, post multos inter se habitos sermones ei indicarunt, pro anima ipsius quovis anno ex paterna pietate tres Missas procuratas fuisse, videlicet in festo Epiphaniæ, Paschatis et Pentecostes ; quibus ipse subjunxit, se iisdem quoque a viro quodam, qui ardentem portabat lampadem, a vinculis suis exsolutum, omni gavisum fuisse securitate, cum tamen diebus sequentibus iisdem se vidisset vinculis nexum quibus antea.

**6.** — In catechismo historiali aliud quoddam, tempore Missæ patratum, narratur miraculum [1]: nam parens quidam filium claudum habens, venerat ad S. Launomarum, ut filio sanitatem impetraret. Ille autem hoc solius Dei opus contestatus, utrumque in Ecclesiam induxit, ac sub ipso Missæ sacrificio pro sanitate pueri Deum precatus filium curavit. Porro quantæ efficaciæ S. Philippi Nerii orationes fuerint, horum exemplorum plena ejus vita [2]. Veruntamen quando rem aliquam efficaciter impetrare, suumque intentum infallibiliter consequi volebat, ad Missæ sacrificium semper confugiebat. Inter cætera vero de quatuor adolescentibus Hebræis, eodem patre progenitis, in vita ejusdem Sancti refertur quod cum longo tempore, ut ad fidem nostram comparentur, diu opugnati fuissent, ipsi vero semper obstinati et inconcussi persisterent, S. Philippus tandem vesperi quodam eos rogavit, ut velint Deum Isaac, Jacob, Abrahæ interpellare, ut eorum mentes veritatis luce collustrare dignaretur, spoponderitque se proximo adveniente die vim Deo facturum ; animadversum igitur fuit, eo prorsus tempore, quo Philippus Missam celebrabat, illos ad suscipiendam Christi fidem aures aperuisse et ut Christiani fierent, consensum dedisse. Interea vero unus illorum in febrim incidit, atque adeo sexta die morbus exasperatus est, ut a medicis desereretur ; quem cum sanctus vir Dei visitaret, dixit ei : ex hoc morbo fili nolim decedas ; jactarent enim Hebræi tibi a Christianis mortem illatam; quapropter juveni, se die sequente pro ejus salute rogaturum esse promisit. Rem miram ! vix sanctus sacrificium perfecerat, cum adolescens plane sanus consurgit et lecto insidens, totaliter a febri liber remansit : adeoque hisce fratribus idem prorsus accidit, quod S. Gregorius de Missæ sacrificio in hæc verba scribit [3]: « Hæc victima singulariter ab « æterno interitu anima salvat. » Sicut et quod venerabilis Beda de eodem Missæ sacrificio his verbis asserit [4] : « Sacrificium hoc salutare ad redemptionem valet animæ et corporis sempiternam. » P. Rho alia inter de Eucharistia adducta exempla, hoc pariter, nostro imprimis proposito citat accommodum. Miles quidam privatus alapam impegerat, juveni nobili atque vivacis spiritus, cui nomen Leo Pererius, qui vindictæ avidus persecutorem insequens, inque Ecclesia assequens, pectori ejus pugionem superimposuit, confossurus adversarium ; quando hic opportunissime ob amorem hostiæ, quæ tunc elevabatur, adolescenti supplicat, dicens : « Per hanc te obsecro « parce. » Res stupenda ! Mox juvenis retracto brachio vultuque, ast corde longe magis serenatus, in hæc prorupit verba : « Hæc te servat. » Quod quidam Discipuli sermo in hæc confirmat verba, dum de Missæ sacrificii contra casus omnes efficacia ita scribit [1]: « Si illo die, quo Missam audivisti, « incideres periculum vitæ tuæ, tunc securior eris « et Deus misericorditer de manibus inimicorum « te persequentium eripiet. » Qui idem paulo ante eam, quam in exaudiendis nobis Missa continet prærogativam, his indicat verbis: « Oratio tua citius « exauditur in Ecclesia et in præsentia Dei et etiam « oratio sacerdotis celebrantis, quia quilibet sacer- « dos in qualibet Missa tenetur orare pro circums- « tantibus. Hoc patet in canone, in Missa ; ubi « dicitur : Et omnium circumstantium, quorum tibi « fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi « offerimus, vel tibi offerunt. Et etiam orationes « Sanctorum et Angelorum; nam pie credendum est, « quod Sanctus iste vel ille, de quibus legitur Missa, « imo Angeli, qui præsentes sunt, in speciali orant « pro celebrante et circumstantibus et tales oratio- « nes citius exaudientur. » Quo fine et Concilium Tridentinum nos in Missis, quæ in Sanctorum honorem celebrantur, eorumdem intercessiones sperare ac implorare ait, ita tamen, ut ipsum sacrificium nulli possit aut debeat, præterquam soli offerri Deo, unde et sacerdotem observat non dicere : « Offero tibi « sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo ; ex illorum « victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, « ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, « quorum memoriam facimus in terris. »

[1] *Catech. hist.*, c. 5, t. XVIII. — [2] *Vita S. Philippi Nerii*, l. I, c. 12. — [3] S. GREG., l. IV *Dial.* — [4] BEDA, l. IV *Hist. suæ gentis.*

## DISCURSUS VII

### SACRIFICIUM MISSÆ INSTITUTUM EST AD REFERENDAS PRO CONTINUIS, QUOD A DEO ACCIPIMUS, BENEFICIIS GRATIAS, NOSTRÆQUE SALUTI TAM SPIRITUALI, QUAM CORPORALI PLURIMUM CONFERT, NOSQUE A MULTIS ERIPIT PERICULIS, PROUT VARIIS OSTENDITUR EXEMPLIS.

IDEA SERMONIS. — 1. SS. Missæ sacrificium etiam offertur in gratiarum actionem pro innumerabilibus et continuis beneficiis divinis. — 2. Fines, ob quos hoc

[1] *Discip.*, s. 48.

sacrificium institutum est, sublimissimi sunt, qui hic enarrantur. — 3. Finis ob quem vetera sacrificia et victimæ oblatæ fuerint. Antequam Christus primum instituerat et offer. sacrif. corp. et sanguinis sui, Patri æterno egit grat. Quod ipsum nobis faciendum est. Virt. SS. sac. Missæ sæpe e gravissim. eruimus periculis.— 4. Celeber. hist. quomodo aulicus innocens audiendo Missam evaserit periculum mortis. — 5-6. Aliud exemplum vere stupendum. — 7. Quidam alius non audiens Missam, fulgure tactus fuit.— 8. Duo in die dominica sacrum audire negligentes, submersi sunt : tertius audito sacro periculum evasit. — 9. Aliud miraculum exemplum de stupenda efficacia SS. sacrificii Missæ.

*Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi ? Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo.* Ps. CXV, 12.

**1.** — Psalmista incruentum in Ecclesia, spiritu prophetico prævidit instituendum sacrificium, quod præterquam quod propitiatorium et impetratorium esset, insuper in gratiarum actionem ordinatum fuit pro innumerabilibus, iisque continuis, larga Dei manu in nos collatis beneficiis, ideoque cœlo gratias acturus, dicebat : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retuibuit mihi?* oculumque in calicem conjiciens salutarem, id est, in Missæ sacrificium subjungit : *Calicem salutaris accipiam etc. Tibi sacrificabo.* Quam forte ob causam ritus jubet ecclesiasticus, ut sacerdos ante consecrationem in præfatione tributum offerat gratiarum, dicendo : « Gratias agamus Domino Deo nostro, » cui respondet minister : « Dignum et justum est, » repetitque sacerdos, dicens : Vere dignum et justum est, « æquum et salutare, nos tibi semper et ubique « gratias agere. » Ideoque S. Augustinus nos admonet, dicens [1] : « Sacrificii Deum non egere quis « nescit ? Sed nec laudibus nostris eget. Verum sicut « nobis, non illi utile est laudare Deum : sic nobis « non illi utile est, offerre sacrificium Deo. » Qui idem S. Doctor regium Vatem mysterium hoc prædixisse considerat, dum psalleret : *Deus Deorum Dominus locutus est et vocavit terram, a solis ortu usque ad occasum, ex Sion species decoris ejus* et dum paulo post invitans, subderet : *Congregate illi Sanctos ejus qui ordinatis testamentum ejus super sacrificia.* In fine autem Psalmi eum dicere advertit : *Sacrificium laudis honorificabit me et ibi via, qua ostendam illi salutare Dei.* « Quod est autem sacratius laudis « sacrificium, quam in actione gratiarum ? Et unde « majores agendæ sunt gratiæ quam pro ipsius « gratia per Jesum Christum Dominum nostram » et paulo post nos Missam, non quod Deus nostro egeat cultu, sed ut gratiarum ei tributum præstemus, offerre in hæc docet verba : « Offerimus ei, non quasi « indigenti, sed gratias agentes donationi ejus.» Id quod S. Laurentius Justinianus expressit, dum ait [2] : « Sane nullo alio sacrificio honorificentius laudatur « Deus quam per Altaris immaculatam hostiam, « quam præcipue ob divinæ laudis exhibitionem « complendam, Ecclesiæ suæ Christus offerandam « instituit. Ante quem in eadem penitus conformitate multo prius tempore ita scripserat D. Chrysostomus [1]. « Optima beneficiorum custos est ipsa « memoria beneficiorum et perpetua gratiarum « actio, propterea et reverenda ac salutaria illa « mysteria, quæ in omni certe Ecclesiæ congrega- « tione celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum « actio nuncupatur. Sunt enim beneficiorum recor- « datio plurimum, caputque ipsum divinæ erga « nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas « Deo gratias semper exolvere. »

**2.** — Concilium Tridentinum *de sacramentis in genere* tractans [3], hanc iis attribuit laudem : « Per « quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta « augetur. » Hic autem effectus longe excellentior in Eucharistia tanquam in sacramento et sacrificio relucet ut proinde S. Epiphanius de Missa agens, in quadam ad Joannem Episcopum Jerosolymitanum epistola, Eucharistiam appellare non dubitet *Christianorum præcipuam salutem* ; cujus fines, ob quos instituta fuit omnino sublimissimi sunt, scilicet ad infinitam Sanctissimæ Triadi dandam gloriam : ut Christus tanquam sponsus suæ semper præsens adesset Ecclesiæ sponsæ, ut vivam in se fideles semper foverent mortis Christi, Redemptionisque nostræ memoriam ; ut infinitam justitiæ divinæ nostris identidem irritatæ peccatis offerret satisfactionem ; ut per infinitæ gratiarum actionis actus Deo placeret, immensamque illi præstaret complacentiam, tam dilecti ab eo pignoris oblatione ; ut pietatem nostram augeret et devotionem et nostram æternam assecuraret salutem, hinc in quadam oratione secreta supplicat sacerdos [3] : « Devotionis « nostræ quæsumus tibi Domine, hostia jugiter im- « moletur, quæ et sacri peregat instituta myste- « rii et salutare tuum in nobis mirabiliter operetur.» Quapropter et S. Bernardinus in quodam sermone *de modo audiendi Missam*, hunc triplicem assignat fructum, dicens [4] : « Primus est, peccatorum remis- « sio, secundus ab æterna morte salvatio, tertius « salutis æternæ participatio. » S. vero Augustinus nulla inter animæ corporisque salutem facta distinctione [5] : « Unicum sacrificium pro salute nostra. » Distinctius tamen S. Damascenus utrique ipsum mirifice suffragari, his astruit verbis [6] : « Hoc vide- « licet illud sacrificium est purum et incruentum « sacrificium, quod Dominus a solis ortu usque ad « occasum oblatum iri per Prophetam prædixit. « Corpus et Sanguis Christi est ad animæ et Cor- « poris nostri incolumitatem tendens, quod nec

[1] S. Aug., l. I *Cont. advers. leg. et prophet.* — [2] S. Laur. Just., *de Corp. Christi.*

[1] D. Chrys., h. 26 *in Matt.* — [2] *Conc. Trid.*, sess. 7 *in Proœm.* — [3] *Or. secr. in Dom. III Adv.* — [4] S. Bern., t. II. — [5] S. August., *cont. Cresc.* — [6] S. Joan. Dam., l. IV *Fid.*

« consumitur, nec corrumpitur, verum ad nostram « substantiam et conservationem tendit atque « omne desiderium propulsat. »

**3.** — Philo Hebræus in libro *de offerendis victimis* finem, ob quem legis antiquæ sacrificia instituta fuere, his assignat verbis [1] : « Quia perennes Dei « gratiæ nec deficiunt, nec intermittuntur, sed « interdiu noctuque fovendas se præbent hominibus, « altaris sacra flamma figurat semper instaurandam « gratiarum actionem, ne quando extinguatur. » Ubi ad illud in Levitico datum alludit Dei præceptum [2] : *Ignis in Altari meo semper ardebit.* Quia igitur astutus serpens in hoc unice incumbit, ut in animabus nostris memoriam applicationemque aboleat beneficiorum divinorum, quæ nobis tamquam totidem ad eum amandum venerandumque calcaria esse debebent, ideo Incarnata Sapienta alia ex parte hoc ipsum sacratissimæ Humanitatis suæ sacrificium adinvenire voluit, ut continua ejus oblatio divinam nostram indesinenter in memoriam revocaret beneficentiam, continuasque Æterno Patri gratias ageret, nomine nostro ; quam forte ob causam ipsemet Salvator, priusquam ad specierum Sacramentalium consecrationem in prima Missa, quam in cœnaculo Sion celebravit, deveniret, Patri gratias egit, dicente Evangelista [3] : *Et accepto calice, gratias egit* ; hinc et in canone ante sacrificii inchoationem dicimus : *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas et elevatis oculis in Cœlum at te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, etc.* Ad quod se reflectens Rupertus Abbas in libro *de glorificatione Trinitatis*, in hæc prorumpit verba [4] : « Dulciter illud « memoriæ nostræ occurrit, quia primus egit gra- « tias Deo, ante quem non facile quempiam invenies, « sive in lege, sive in Prophetis, de que manifeste « scriptum sit, quod Deo gratias egerit, » Quapropter Joannes Rusbrochius magnæ vir sanctitatis, ubi de Missa agit, nos ita exhortatur, dicens [5] : « Sub Mis- « sæ sacro Jesu Christi passionem tibi proponas, « amanti cum passione eam commemorans, ac « animo revolvens et humili cum devotione gratias « illi agens, qui tui ac peccatorum tuorum causa « homo fieri, vivere, ac turpissimam et acerbissi- « mam perpeti mortem voluerit, eamque Patri « cœlesti et te ipsum simul et omnes necessitudines « tuas et quidquid ad Sanctæ Ecclesiæ utilitatem « pertinet, offerens, sicut et ipse moriens fecit, « atque nunc etiam facit in vita æterna coram « cœlesti Patri suo. » De cujus ejusdem sacrificii excellentia. S. Martialis Episcopus in quadam epistola tractans [6], ipsum vocat « oblationem mun- « dam, unicum remedium ad vitam æter- « nam præstandam et mortem effugandam. » Conformiter ad illam forsitan orationem secretam quam Deo offerimus in hæc verba [1] : « Concede, ut « oculis tuæ majestatis munus oblatum et gratiam « nobis piæ devotionis obstineat et effectum beatæ « perennitatis acquirat. » Et quidem quod casus atque pericula tam corporalia spectat quam temporalia, certissimum est, nos virtute Missæ sæpius ab iisdem exemptos fuisse. Unde in alia pariter secreta nos Deo recommandamus supplices : « Concede, ut « hujus sacrificii munus oblatum fragilitatem nos- « tram ab omni malo purget semper et muniat ; » prout ex sequentibus fusius patebit eventibus.

**4.** — Celebris imprimis favet historia quædam, relata in vita Sanctæ Elisabethæ, Reginæ Lusitaniæ, quæ summe in pauperes liberalis, aulicum quendam optimæ virtutis, multæque pietatis intuitu, ad eleemosynarum distributionem, aliorumque piorum operum exercitia jugiter adhibebat ; cui alius quidam invidens, conjugis ejus regis pariter aulicus, calumniose reginam quasi inordinato in adolescentem illum ferretur affectu, ad regem detulit ; qui licet verbis fidem non adiberet omnimodam, cum tamen subdubitaret, innocemtem morte occulta statuit tollere e medio. Decursuque temporis aliquando eques egressus, forte fortuito fornacem calcariam, actualiter ardentem, pertransiit, ubi ministris illis, ut primum auliculum, quem ipse hac cum legatione missurus esset, si, quod rex præceperat, executi fuissent, subito cum furia arreptum, in calcem projicerent, præcepit. Postridie igitur aulico innocenter accusato, ut ad dictam fornacem cum insinuato mandato abiret, imposuit ; obedit puer, gradiensque per viam, campanam quamdam in Ecclesia pro signo elevationis hostiæ sonare inaudiit, ingressusque ædiculam, residui illius sacrificii parti et duabus aliis astitit Missis. Quod intra temporis spatium rex de successu sollicitus, alium illum innocentis æmulum eodem cum mandato ad fornacem ablegavit, quem conspicientes calcarii, apprehensum indilate projecerunt in ignem. Interim finitis Missis suum prior prosequens iter accedit et utrum regis mandato satisfactum sit, interrogat, habitoque responso, repetit aulam. Quem rex ut vidit, responsumque audiit, stupefactus, casumque evenisse contrarium ratus, reducem arguit de negligentia ; dumque protractæ moræ causam peteret, respondit puer, se pluribus astitisse Missis, siquidem a patre moriente, sibique benedictionem impertiente hoc acceperat documentum, ad quas jam inchoatus accessurus esset unquam, usque si finem audiret. Atque ita rex tam reginæ quam juvenis innocentiam, simulque justum Dei cognovit judicium ac justitiam contra impostorem.

[1] PHIL., l. *de offer. vict.* — [2] LEV., VI, 12. — [3] LUC., XXII, 17. — [4] RUP. AB., t. II, l. VIII *de glor. Trin.* — [5] JOAN. RUBOSC., l. *de Sept. custod.* — [6] S. MART., l. *ad Burdig.*

[1] *Or. secr. in Dom. inf. Oct. Nat.*

**5.** — Neque inferior eo sequens sese insinuans opportunissimus casus, quem his reperio expressum verbis : « Omittendum non putavi aurigam « illum Drahomiræ matris S. Venceslai, qui a præ« senti nece ita servatus est. Cum enim impiam illam « parentem post sanctum regem ac filium suum « Boleslai natu minoris manu interemptum, cum « aliis veheret, contigit, ut in tintinabulo monitus « elevari in vicino sacello sacram hostiam, protinus « ex equo desiliens, illuc subiret adoraturus, frustra « illum revocante Drahomira et diris persequente. « Cum ecce terra protinus discedente, illa cum « vectoribus aliis in ultionem cædis impiæ absorpta « est, atque adeo servatus auriga. »

**6.** — Ecclesiasticis in Annalibus id scriptum reperio, quod in dialogis suis S. Gregorius in hunc tradiderat sensum : Agatho, Episcopus Palermitanus, prout multi fide digni diversique Religiosi mihi testificati sunt atque testificantur (discursus est Pontificis sancti) Romam a meo antecessore fuerat vocatus, dumque in itinere constitutus esset, aquæ tanta cum tempestate accreverunt, ut nulla effugiendi spes superesset. Quo tempore nauclerus nomine Baraca (hodie Ecclesiæ illius clericus) cymbam regebat post navim, ruptoque fune, quo cympa alligata fuerat, nauclerus altissimas inter undas cum navicula subito disparuit, navis vero, in qua Episcopus degebat, post varia tandem discrimina in Insulam appulit Usticam ; ubi Agatho ne quidem tertio die nauclerum advenire ingemiscens, mortuum credidit, proque anima ejus Missam legi ordinavit. Qua finita post navis resartionem, quæ passa fuerat plurimum, iterum mare ingressus, tandem portum attigit Romanum, ibique sicuti omni absque expectatione, ita maxima cum lætitia suum invenit Baracam, a quo qualiter tot inter pericula salvus evasisset, interrogavit ; qui respondit, declaravitque qualiter sæpe ab importunis fluctibus sursum deorsumque cum navicula sua versus et inversus fuisset, qualiter cum eadem aquis plena natitasset, eidemque inversæ insedisset et similia diu noctuque incessanter attentasset, numquam fame aut labore continuo superatus, atque ita tandem a misericordissimo Deo liberatus fuit. Inter alia autem testificatus est, dicens : tanto denique impar labori, ex improviso me gravari sensi in mente ita, ut nec mihi vigilare, nec somno oppressus esse viderer, quando quis nescio mihi apparens, ori meo panem imposuit, quem cum vix sumpsissem, totum me adverti corroboratum, pauloque post navem transire contigit, quæ me de tanto ereptum periculo ad terram conduxit. Quod Episcopus inaudiens, diem quo id contigerat petiit, eumdemque fuisse reperit, quo sacerdos in prædicta insula pro naufragio celebraverat. Ecce vobis, quoniam præsentissimum omnibus in periculis asylum, refugium, divinum hoc est sacrificium. Ad quod si confugisset semper quidam Ducis Galeazzi Sforzæ capitaneus, numquam inimicorum suorum mortisque factus fuisset præda. Implacabili illum indies ferocia sui persequebantur hostes, sed incassum semper utpote quorum insidias reverentiali quotidie Missæ assistentia illudebat. Quam ubi semel neglexit, in adversariorum protinus incidens manus, vitam perdidit.

**7.** — S. Antoninus in *Summa* sua hoc salutare nobis præbet documentum [1] : « Qui assistit Missæ « (quam etiam deberent fideles ex sua devotione « quotidie audire, cum possunt, licet non teneantur, « multa bona spiritualia consequitur. Quinimo multa « pericula et mala evadit. Unde legitur, quod cum « quadam die festiva duo juvenes socii exirent civi« tatem suam, ut irent ad aucupandum, unus « eorum prius adivit Missam, alter non ; proficis« centibus igitur cœpit aer perturbari et minari « pluvias, tonitrua rugire, corruscationes frequen« tari ; auditaque est vox de cœlo ab his duobus, « dicens : percute eum : ad quam exterriti cum « prosequerentur iter, fulgur descendens interfecit « eum, qui Missam illo mane non audiverat ; quo « viso alius, præ pavore quasi amens effectus, « quid ageret ignorans, quia ad locum destinatum « appropinquabat, secutus est viam suam et iterum « audivit vocem, dicentem : percute, percute eum. « Quantum iste exterritus fuit, recolens de socio « suo, post talem vocem fulgure percusso, quilibet « potest per se imaginari : sed post hanc vocem « supervenit alia dicens : non possum, quia audivit « hodie *Verbum caro factum est* : ex eo scilicet, quod « audierat Missam cujus finis est, *Verbum caro fac*« *tum est*, secundum communem morem ; et sic « evasit mortem illam terribilem. » Circa quam historiam verisimilius videri debet, hominem illum Missæ semper devotum fuisse, ideoque, licet die isto, venationis, pruritu agitatus foras exiisset, attente Missam prius audivisse ; siquidem cœleste hoc meruit testimonium ; *Audivit hodie* ; *Verbum caro factum est.*

**8.** — Anno 1570, mense Novembris, sequens hic prope Romam accidit casus [2]. Tres Eugubienses ad nundinas convenerant in loco, cui nomen Cisterno, ibidemque elegerant hospitium. Finitis nundinis, duo illorum de itinere cras instituendo discurrere cœperunt, concluseruntque sub auroram discedere, ut eodem vesperi in patriam pervenirent. Audiens hoc alter protestari cœpit, dicens : Ego quidem cras, cum sit dies dominicus, sacro inaudito nullo pacto discedam, ideo si simul abire volumus, prius Missam audiamus, ac deinde paululum cibo refecti, in nomine Domini proficiscamur. Quod si Eugubium pervenire nequibimus, in oppido Castelli diversabimur. Saluberrimo hujus consilio non acquieverunt

[1] S. ANTON., *in Summ.*, p. 2, t. IX, c. 10. — [2] *Hist.* sel. AUG. MANNI, c. 145.

cœteri, sed replicantes, sese prostridie vesperi Eugubium omnino pervenire velle, Deumque ipsos si pro ista vice Missam audire non possent, excusatos, habiturum ; sequenti die dominico sacræ rei adesse con curantes, summo mane equos conscenderunt, ac Eugubium versus iter dirigentes, ad flumen usque Corfuone appellatum, a Cisternæ oppido per duo ferre milliaria distans, pervenerunt; cumque ambo ligneum pontem equis conscendissent, ut flumen, quod ob magnos, qui præcedenti nocte defluxerant imbres, valde rapidum erat, pertransirent, pons valido aquarum impetu ictus repente decidit, amboque una cum pecuniis, quas ex mercium venditione secum deferebant, juxto Dei judicio demersi sunt, ac eodem puncto vitam, facultates (et utinam non animæ salutem) miserrime perdiderunt ; quorum corpora jam extincta a vicinis, qui illuc accurrerant, ad ripam extracta fuere equis in tuto deductis ; qui quidem pons eo tempore ad perpetuam hujus rei memoriam numquam refectus fuit. Alius, qui remanserat, socius, prudentior, ac timens Deum, audita Missa et ipse alacri animo ingressus est iter ; cumque ad flumen pervenisset, in duo sociorum cadavera nihil tale cogitans, ibidem prope ripam jacentia, magno animi terrore incidit ; quo facto valde commotus, cognito Dei judicio, gratias ipsi Deo agens, suum iter sanctius cæptum felicius absolvit. Pro majori autem hujus historiæ fide auctor supra citatus subjungit : « Hoc terribile exemplum Thomas Bozius referebat.»

**9.** — Idem Thomas Bozius tome II *de signis Ecclesiæ*, memorabile quoddam refert exemplum, a Petro Cluniacensi in honorem Missæ sacrificii ad perpetuam memoriam in hæc verba conscriptum : Est in Gratianopolitano Episcopatu locus, in venis subterraneis plurimum ferri habens, quod multo incolarum sudore assidue eruitur, ac fornacibus coctum et expurgatum, per circumjacentes terras fabris ferrariis, vel quibus libet pro lucro venditur ; inde et villa, quam iidem homines juxta incolunt, ferraria nuncupatur. Solent autem hujusmodi homines, dum terræ abdita fodiendo perscrutantur, spe majoris lucri longius procedere et per subterraneos specus pertinaciter majorem ferri materiam perscrutari. Huic operi dum quodam tempore quidam rusticus indefessus instaret et intima terræ fodiendo, acriter rimaretur, repente maxima moles terræ delapsa aditum, per quem ingressus fuerat, obturavit; quia tamen fodiendo longius processerat, ac multum post se spatii ex hausta terra inane reliquerat, mortem evasit et velut in domo clausa, ac validis munitionibus undique circumsepta egredi quidem non potuit, incolumis tamen permansit : sed tenebris tam tenebricosi carceris circumpseptus, spe omni evadendi sublata, ac velut in amplo sepulchro sepultus, mortem ipsam adhuc vivens jam se cernere existimabat ; quem jam per aliquot dies non apparentem uxor sua mortuum credens, ad animam ejus spiritualibus beneficiis adjuvandam conversa est. Unde per annum integrum omni hebdomada unam ei Missam celebrari a sacerdotibus faciens et pro eo panem et candelam offerens, salutari sacramento, ut mos est Ecclesiæ, animæ defuncti mariti subvenire satagebat. Una tamen in anno hebdomada extitit, qua mulier aliis intenta negotiis Missam, ut proposuerat, marito providere neglexit. Et ecce totius anni pene emenso spatio, rursus fossores metalli officio assueti, irrequieti instantes, ad locum in quo jam dictus rusticus adhuc vivens latebat, paulatim fodiendo perveniunt, quorum dum voces et malleorum sonitus jam appropinquantium rusticus inclusus audisset, quantis potuit nisibus vociferari cœpit ; cujus illi vocem audientes et (utpote artis illius periti) hominis subterranei esse cognoscentes, sese invicem cohortati sunt et ad eum tandem post multum fossionis laborem pervenerunt ; quem accensis luminibus curiose circumspicientes, illum esse, quem anno jam præterito ibidem obrutum esse sciebant, agnoverunt. Admirati et ut par erat, tanta rei novitate stupefacti, quomodo illic vivere potuisset, instantissime requirebant ; at ille respondit : Isto, quem modo removistis, terræ obice foramini, per quod intraveram objecto, cum hoc carcere quem videtis, retentus fuissem, atque aliquantis diebus sine cibo et lumine permansissem, subito mihi pene deficienti, cum pane simul et lumine quidam astitit, qui me confortans et ad cibum capiendum admonens, tetras tenebras illa candela, quam ferebat, clarissime illustrabat et pane per spatium septem aut octo dierum, ut mihi videbatur, refectus, totidem diebus illa candela illustratus et famis periculum evadebam et hujus fossæ tenebras evitabam ; post septem vero vel octo dies rursum ille, qui prius, cum recenti pane et renovato lumine adveniebat, eaque mihi dimittens, recedebat. Hoc per unius (ut mihi videbatur) anni excursum æquo pene temporis intervallo nunquam facere destitit, excepto unius hebdomadæ spatio, quo mihi præsentiam suam, munusque solitum, nescio qua de causa subtraxit. Hoc illi ab eo audientes et quod illi uxor ejus per totum annum fecerat, mentem revocantes, cuncta ei protinus exposuerunt.

## DISCURSUS VIII

CONCEPTAM ERGA MISSÆ SACRIFICIUM DEVOTIONEM, VARIAS PROMERUISSE DE INIMICIS OBTENTAS VICTORIAS, NOSQUE ADVERVUS HOSTES INVISIBILES COMMUNIRE, EXEMPLIS QUIBUSDAM PROBATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Sanctissimum Missæ sacrificium præsentissimum confert auxilium contra hostes in conflictu. — 2. Cum angustiamur ab hostibus ad sacrificium Missæ confugiendum est. — 3. Panis subcineritius Gedeonis figura fuit panis Eucharistici.

quem profligantur inimici. — 4. Variis exemplis probatur efficacia sacrificii Missæ in pugna contra hostes. Justinianus et Justinus imperatores contra Persas hoc experti fuerunt — 5. Etelredus Rex Angliæ contra Danos.— 6. Lotharius imperator contra Ruggierum Siciliæ Regem. Robertus Rex contra Scotos. Vladislaus Rex Poloniæ. — 7. Dum quidam Hispanus belli Dux tempore incumbit audiendis Missis Angelus in specie ipsius pugnat contra hostes, illosque profligat. — 8. Obsessum castrum virtute sacrificii Missæ liberatur ab hostibus. — 9. SS. Missæ sacrificium etiam efficacissimum tutamen contra hostes invisibiles. — 10. Adducitur hujus figura ex Deuteronomio. Quidam nobilis virtute sacrificii Missæ liberatur a gravi et diuturna tentatione seipsum suspendi.

*O salutaris hostia, quæ cœli pandis ostium, bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium.*

**1.** — Laudabilis est Ecclesiæ usus, quod, dum periculosa cum inimicis ineunda prælia imminent, ingenti cum fiducia ad Sacrificium incruentum confugere soleat, utpote in quo hostia illa salutaris offertur, quæ adversarios profligat, invictumque animi robur et vigorem ad hostem superandum subministrat; unde in similibus periculosis temporibus canere solet: « O salutaris hostia, quæ Cœli « pandis ostium, bella premunt hostilia, da robur, « fer auxilium. » De Felice Episcopo Bituricensi, annales referunt Ecclesiastici [1] quod pulcherrimum quoddam vas aureum, in formam turris elaborari fecerit, in illudque sanctissimum Eucharistiæ sacramentum reverenter immiserit, quasi alludere volens ad iila Cantici verba [2]: *Sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

**2.** — S. Prophetæ Jeremiæ in plateis Jerosolymitanis ingens quædam virorum morientium in spiritu ostensa est strages, quæ ipsum commovit, ut in hæc verba lamentaretur [3]: *Cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas.* At vero quamnam existimatis hujus mortalitatis fuisse causam? Nimirum, quia deerat eis triticum et vinum et ideo Propheta statim subjungit: *Ubi est triticum et vinum?* Quæ verba ad propositum nostrum applicare possumus, quia quando ab inimicis angustiamur, ad Missam nobis recurrendum est, dicendo: *Ubi est triticum et vinum?* Ubi est sacrificium illud incruentum, in quo panis et vinum in corpus et sanguinem Christi transubstantiata, omnes a nobis repellunt bellorum hostiliumque armorum augustias, omnemque a nobis metum auferunt? ut proinde Ecclesia longe prosperioribus auspiciis dicere possit, quod olim dixit Numa Pompilius, cui cum annonciatum fuisset, in propinquo adesse hostilem exercitum, respondit ille: *Et ego sacrificabo.* Isaias Propheta quondam Dei nomine populo Israelitico prædixit, inquiens [4]: *Requiescere faciet Dominus super eum: in tympanis et cytharis et in bellis præcipuis expugnabit eos*; id est, ut Cornelius a Lapide ad nostrum propositum exponit, « Assyrii et Sennacherib vincentur. » At vero quo modo id futurum erat? an forte per bellatores exercitus, vel per evibrata e cœlo fulmina, aut vero stragem hanc facturi sunt, enses stringentes Angeli? nequaquam: « Vincentur non armis, sed sacrifi- « ciis. » Quod si igitur sacrificia, in quibus oves et boves sacrificabantur, ad Cœli armamentarium instruendum, atque ad obtinendas in favorem populi illius de inimicis victorias, sufficiebant, quanto securius sperari victoria poterit ab illo sacrificio, in quo ipsemet Dominus exercituum Deo sacrificatur et offertur? « O salutaris hostia, quæ etc. sacrificiis, « quæ cum typanis et cytharis offerebantur. » Ubi in Hebræo est dictio quædam idem significans, quod *elevationem*; ubi enim Vulgata nostra legit apud Isaiam: *Et in bellis præcipuis*, in Hebræo habetur: *sacrificiis elevatis expugnabit eos.*

**3.** — Eo tempore, quo electus Dei populus a Gedeone tanquam Judice gubernabatur, a numeroso quodam hostili exercitu omnes præ timore consternati trepidabant; nam ut sacer textus ait: *Omnes orientales populi fusi jacebant in valle, ut locustarum multitudo*; et tamen certi cujusdam panis augurio innumerabilis hic exercitus dispersus et dissipatus fuit: dicebat enim Gedeon [1]: *Videbatur mihi quasi subcinericius panis volvi et in castra Madian descendere, cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud atque subvertit et terræ funditus coæquavit.* Quod utique in figura contingebat illis, nam panis ille Eucharisticum præfigurabat sacrificium, cujus est illa propria virtus, quod hostiles dissipare queat exercitus: panem vero illum a Gedeone visum Eucharistici sacrificii fuisse figuram, Cajetanus ex sequenti observatione demonstrat inquiens [2]: « Ex eo quod scribitur *volventis se*, « insinuatur, quod hujus modi panis erat orbicularis « figuræ, hæc enim figura ad motum revolutionis « valde est habilis; » ac proinde hostiam sacram significat, quæ in Missa consecratur; hæc enim secundum usitatum Ecclesiæ ritum figuram præsefert rotundam, adeoque habilis est, ut ad dissipandos hostiles exercitus in eosdem devolvatur. Favet quoque huic intento, scilicet, quod panis a Gedeone visus, Eucharistici sacrificii typus existat, quia loco ejus, quod Vulgata legit, *quasi subcinericius panis*, Chaldæus vertit: *Ecce placenta panis*; quæ lectio ad illam a nobis in primi discursus principio allegatam alludit, nam ubi in Vulgata dicitur [3]: *Firmamentum in summis montium*, alii legunt: *Placentula in capitibus sacerdotum.* Merito igitur Ecclesia ad sacram hanc hostiam in Missa recurrit, dicens: *O salutaris hostia, etc.* Salmeron rationem assignat [4]: cur Isaias lautum illud convivium (quod [5] *convivium pinguium,*

[1] Baron., an. 570. — [2] Cant., iv, 4. — [3] Thren., ii, 11. — [4] Isa., iii, 12.

[1] Judic., vii, 12. — [2] Cajet., *ib.* — [3] *Ps.* xxxii, 26.— [4] Salm., t. IX, tr. 2. — [5] Isa., xxv, 6.

*convivium vindemiæ, pinguium medullatorum et vindemiæ defæcatæ* appellat non simpliciter a Deo, sed a Domino exercituum præparatum fuisse dicat; licet hoc prima facie improprie dici censeri possit ex quo enim convivium hoc mensam et sacrificium Eucharisticum repræsentat, merito a Domino exercituum præparari dicitur, ut per hoc insinuetur, in hunc præcipue finem convivium illud institui, ut contra sævos inimicos tartareos, aliosque visibiles corroboremur, « quia pro exercitibus Ecclesiæ « militantis corroborandis institutum est. »

**4.** — Variæ sunt historiæ, quæ sacrificii incruenti ad nos contra inimicorum visibilium furorem protegendos, probant omnipotentiam, ut proinde non immerito clamemus : « Da robur ; fer auxilium. » Ita exercitus imperialis, regnante Justiniano imperatore, insignem apud Colchos contra Persas obtinuit victoriam, in virtute hujus incruenti sacrificii. Hinc et Justinus ejusdem in imperio successor primam in hac incruenta victima fiduciam ponens, postquam Missam in quadam Ecclesia, quæ in summa apud Christianos veneratione erat, devote audivisset, ipse solus cum mille militibus equos conscendens, sanguinolentam hostibus intulit stragem, fugavit, prostravit.

**5.** — Anno 871, juxta quod refert Baronius [1], postquam exercitus Danorum irreparabilibus Angliam orientalem devastásset desolationibus atque minis, victoriosus et insolens, ad Angliæ occidentalis se convertit exterminium, ubi intrepidam constantemque ab Etelredo rege expertus est resistentiam. De hoc autem piissimo principe alias inter virtutes principaliter memoratur et illa, quod, dum Missæ assistens sub tentorio suo sæpe sæpius ad conflictum invitaretur et provocaretur ab hostibus, docerentque circumstantiæ illam opportunissimam nequaquam omittendam prælianti occasionem, nihilominus pientissimus rex se nec pedem promoturum asseruerit, donec Missam finiisset Sacerdos ; ac proinde sacra illa hostia fortificatus et animatus, postea prorupit in Danos cum gloriosissimæ victoriæ successu ; ubi non abs re causam fuerit indagare, cur Ecclesia sancta, a Spiritu Sancto gubernata, hunc sacrum introduxerit ritum, ut custodia sancta intra vas, quod tabernaculum militare exprimat in figura, conservetur ? Ecce igitur præsentissimam vobis rationem : « O salutaris hostia ; bella premunt « hostilia, da robur, fer auxilium. » Hoc namque in tabernaculo Christiani milites contra omnes tam visibiles quam invisibiles, ut latius patebit in digressu, se animant hostes.

**6.** — Lotharius II, Imperator, Innocentii favens partibus, ingenti cum exercitu Ecclesiam ab antipapa oppressam liberavit [2], inque ejusdem sanctæ sedis favorem contra Ruggierum Siciliæ regem præliatus est ; ast illud observetis velim, quod de hoc piissimo principe ex Petri Diaconi testimonio annales referunt Ecclesiastici. Expeditioni intentus, mane sub auroram, unam audiebat Missam pro mortuis, alteram pro suo exercitu et tertiam denique in die : quæ inter devotionis exercitia, prospera semper fruens vita et salute, centesimum attigit annum. Quam eamdem ab hac gloriosa victima obtinuit gratiam Robertus Rex contra Scotos, ingenti apparatu militari Angliam oppugnantes ; de eo namque Catechismus historialis ita memorat [1] : « Robertus Rex audito sacro ad eos veniens, tam « læta victoria hostes omnes subegit, ut suorum « nemo, qui Missæ sacrificio interfuisset, desidera- « retur. » Cui non absimile favet illud, quod in quodam magnæ fidei auctore scriptum reperio in hæc verba [2] : « Vladislaus Jagellone, Poloniæ Rex, « appetitus anno 1410, a centum et quinquaginta « hostium millibus, ipso die pugnæ, erecto in loco « certaminis tentorio, Missam fieri jussit ; cui cum « interesset, quamquam accurrentibus nunciis, qui « hostes adesse clamarent, non tamen avelli nisi « peractis sacris potuit. Porro ita post brevi ejus « auspiciis dimicatum est, ut cæsis hostibus quin- « quaginta millibus et captis quadraginta millibus, « victoria Polonis cesserit, desideratis paucis nos- « tris. » Deinde subdit auctor S. Stanislaum in aere apparuisse, habitu indutum sacerdotali, nostrosque ad prælium animasse, quasi in vestitu illo immensam sacrificii oblati demonstrare voluisset virtutem, illudque ibi locum haberet : « O salutaris hostia, « bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium. »

**7.** — Osorius fusius de Missa tractans [3], hunc refert eventum, qui in Hispania circa Comitem accidit de Castella, Garziam Fernandez in arce, cui nomen Santistevan de Gormaz. Numerosissimo Æthiopum appetitus exercitu sub Regis Corduensis ductu, Comes postridie manus cum inimico conserere decrevit, auditaque Missa cum omnibus suis prosiliit in campum ; reliquos autem inter nobilicres heroes quidam eminebat nomine Pasqual Vives qui a teneris annis tantam in audienda quotidie Missa conceperat devotionem, ut assisteret omnibus, quotquot in die hac et illa celebrarentur in Ecclesia, ad quam pro temporis locorumque diversitate accedebat. Eo igitur die, quo prælium inchoandum erat, armatus atque ad pugnam procinctus, Ecclesiam duntaxat ingressus est S. Martini ubi octo audivit Missas, totidem namque Monasterium illud habebat Religiosos, quo interim tempore minister ejus ad portam Ecclesiæ equum custodiebat domini sui, de nimia illius lamentans tarditate, simulque ordinatam habens lanceam et scutum. Interim nostri reportarunt victoriam ; quam omnes Pasqual Vives unanimiter adscripserunt, utpote qui

[1] Bar., an. 871, n. 101. — [2] Id., an. 1137, n. 22.

[1] *Catech. hist.*, c. 5. — [2] Jac. Hautin., *Sacr. an.* sub n. 1222. — [3] Osor., t. IV *de Miss. div. Sacr.*

per omnes barbari exercitus partes visus fuerit eques discurrere, animose pugnare, turbare, insignia eorum auferre, numerosamque et sanguineam de hostibus stragem sumere. Sub vesperam igitur obtenta victoria, Vives ad se accersiri fecit Comes, usque modo in Ecclesia hærentem; neque enim in publicum prodire præsumebat, timens ne tamquam ignavus vilipenderetur ab omnibus, nesciens insuper, quod contigerat. Ast tandem prodire coactus, dum omnes ejus applauderent valori, illique victoriam adscriberent, dicentes, quod ipsum vidissent præliantem, piissimus miles interius a Deo illustratus, Angelum loco suo, inque figura sibi simili bellasse intellexit, dum ipse sanctis sacrificiis cum reverentia assisteret. Et quidem sub octavæ Missæ principium pugnam terminatam, plenamque de hostibus victoriam reportatam fuisse deprehensum fuit.

**8.** — In Annalibus Ecclesiasticis [1] circa annum 998, scribitur quod cum Burgundiones Roberto Regi Franciæ rebellassent, is in manu potenti conducto secum Richardo Comite Rotomagensi, una cum triginta Normannorum millibus Burgundiam ingressus, civitatem Antisiodorensem forti obsidione cinxerit et licet eam sæpius per fortes insultus ad deditionem compellere tentasset, in vanum tamen cessere omnes ejus conatus; tandem vero totum belli apparatum castello S. Germani expugnando applicuit et S. Odiloni Abbati Cluniacensi, pro concordia componenda suam opem interponenti, aures minime præbuit. At vero quid tandem evenit? « Dei subito adfuit præsens auxilium, nam ejusdem « castri universa capacitas ita replesa est hora præ- « lii teterrima nebula, ut nemini hostium a foris « pervius foret jaculandi aditus, cum ab intro re- « pugnantibus cernerent se gravi cæde prosterni, « sicque cum suorum maxime Normannorum con- « cisione dimiserunt castrum incolume, quos, licet « tarde, pœnituit adversus magni meriti locum « arma sumpsisse. » Sed undenam castrum hoc miraculosum et opportunum illud obtinuit subsidium? « *O saluturis hostia,* etc., contigit enim, ut « hora, qua Regis exercitus adversus locum sacrum « certamen inire cœpisset, vir religiosus Gisleber- « tus, ejusdem loci monachus, super altare B. « Mariæ semper virginis, quod decentius cæteris « in vertice ejusdem constat esse Ecclesiæ (qne- « madmodum hora tertia diei quotidie consueve- « rat) Missarum sacramenta celebrare inciperet; « quod scilicet factum satis cœlitus præstitæ con- « gruit victoriæ. »

**9.** — Advertendum tamen est, quod cum S. Thomas non distinguat inter hostes, adversus quos sacra hæc hostia nos communit, sed tantum dicat: « Bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium; » hinc quoque libere asserere possimus, sacram hanc hostiam non solum fugare inimicos visibiles, sed etiam invisibiles, spiritus videlicet tartareos, obstinatissimos hostes nostros. Unde D. Chrysostomus super illa Psalmistæ verba [1]: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me,* ita scribit: « Ista mensa agnoscitur altaris Domini « consecratio, nam vide quid dicit Sapientia [2]: « *Sapientia ædificavit sibi domum, etc.* Qui sunt isti, « qui nos tribulant? Suggestiones inimici, exagi- « tationes, cupiditates, delectationes, sæculi hono- « res, etc. Veniant ad mensam potentis, conside- « rantes ea, quæ apponuntur eis, accipere cum « timore et tremore et tribulationes efficientur « consolationes, auferentur ea, quæ sunt carnis, « infundentur ea, quæ sunt spiritus. » Hugo Cardinalis considerans verba illa Sapientis, de sapientia dicentis: *Immolavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam suam,* verba illa ad sacrificium Missæ alludere dicit: « *Victimas suas,* » inquit [3], « id est, se ipsum; dicit vero pluraliter victimas, « quia hæc una victima Christus per multas hostias « in lege figurata fuit; » immediate vero subjungit: « Hæc Sapientia *misit ancillas suas,* id est, « prædicatores, *ut vocarent ad arcem et ad mœnia « civitatis,* id est, ut idem Hugo exponit: Ad « sacramentum corporis Christi, quod est contra « inimicos munimentum, quia hoc sacrificium dat « robur, fert auxilium. »

**10.** — Albertus Magnus verba illa Moysis Deuteronomii, XXXIII, 7, de tribu Juda loquentis adducit videlicet [4]: *Manus ejus pugnabunt pro eo et adjutor illius contra adversarios ejus erit.* Quærit vero idem Doctor [5], unde ista confidentia fortitudinis tribui Judæ evenerit? Et respondet, derivatam esse a benedictione, quam Jacob Patriarcha huic tribui est impertitus, dicens: *Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvæ pallium suum.* Etenim per hoc vinum, incruentum intelligitur sacrificium, quod sub speciebus panis et vini consecratur: unde subdit: « Nisi enim stolam conversationis in vino sa- « cramenti sibi spiritualiter infuso lavisset, hoc « est, nisi sanguine benedictæ uvæ Jesu Christi « pallium charitatis intinxisset, pro certo tantam « confidentiam in Deo contra inimicos non habuis- « set. Hoc est, quod dicitur (I *Mach.*, VI): *Ostende- « runt elephantis sanguinem uvæ et mori, ut acuerent « eos in prælium.* Ex natura enim habet hoc animal, « quod audax et bonæ spei efficitur, quando ali- « quid simile videt sanguini; quia elephas propter « castitatem et fortitudinem virium, Sanctum « signat, qui acuitur sanguine Christi in prælium. » Unde B. Petrus Damianus, modum docere volens, quo adversus inimicum infernalem, certam nobis promittere possimus victoriam, in quadam Epistola ita scribit [6]: « Videat occultus hostis labia tua,

[1] BAR., an. 998, n. 5.

[1] CHRYS., *in Ps.* XXII. — [2] PROVERB., IX, 1. — [3] HUGO CARD. — [4] DEUT., XXXII, 7. — [5] ALB. MAG., *de Euch. dist.* — [6] S. PET. DAM., t. VI, ep. 28.

« Christi cruore rubentia, quæ territus perhorres-
« cat et mox in tenebrarum suarum latibula pave-
« scendo diffugiat. » In Missa autem specialiter species sacramentales vini, quod in sanguinem Christi transsubstantiatur, consecrantur et sumuntur. Æneas Sylvius [1], qui postea summus Pontifex factus, Pii II nomen sibi assumpsit, historiam quandam refert, præsenti proposito peropportunam; dicit enim, in Provincia Istriæ nobilem quemdam fuisse admodum pium, qui tamen Deo ita disponente, a dæmone continuo molestabatur, ut laqueo sibi vitam adimeret; fuitque hæc tentatio adeo vehemens, ut sæpius in procinctu fuerit exequendi, quod a dæmone continuo suggerebatur. In hisce vero angustiis constitutus, statum conscientiæ suæ religioso cuidam docto et timorato aperuit, salutare ab ipso deposcens auxilium. Qui postquam illum pluribus consolatus fuisset, hoc tandem ei suggessit consilium, ut videlicet sacellanum quemdam conduceret, qui quotidie coram eo Missam diceret; cumque remedium hoc nobilis velut opportunum amplexus fuisset, cum Sacerdote quodam de stipendio pactus, cum eodem in arcem quamdam bene munitam, quam ruri habebat, secessit. Cumque annum integrum quietus in eadem cum sacerdote vixisset, contigit, quod die quadam prædictus Sacerdos licentiam ab hoc nobili peteret adeundi villam quamdam, arci prædictæ vicinam, ut cum Sacerdote loci illius amico suo festum occurrens celebraret, quam a nobili facile obtinuit, utpote qui ad eumdem se locum cum Sacerdote conferre, ibidemque Missam auscultare decreverat; verumtamen per occurrens aliquod negotium ad tempus usque meridianum impeditus fuit, quo absoluto cum ab arce valde anxius digrederetur, timens ne tempus Missam auscultandi elapsum fuisset, in pristinam denuo incidit tentationis vehementis molestiam; tandem vero cum ab obvio quodam rustico a prædicta villa redeunte, officia divina in Ecclesia terminata esse intellexisset, valde contristatus, maledicere cœpit iis, qui illum a Missa ea die audienda impediverant, jam enim se perditum et de salute sua actum esse existimabat. Rusticus autem illum consolaturus, his eum verbis est affatus: Ne affligaris quæso, Domine mi, nam MIssam quam audivi necnon ut meritum, quod inde apud Deum mihi comparavi, libenter tibi resignabo, dummodo aliquam mihi impertitus fueris retributionem; oblationem sibi factam libenter acceptavit nobilis et rustico vestem quamdam qua indutus erat, dare promisit, eaque rustico data ab eodem recessit. Nobilis igitur cœptum prosecutus est iter, ut in Ecclesia villæ illius, ubi festum agebatur, communes cum aliis fidelibus lucraretur indulgentias; in reditu autem (o res miranda!) cum ad locum, ubi Missæ meritum sibi per simoniam compararat, pervenisset, prædictum rusticum ex arbore quadam suspensum invenit, Deo idipsum permittente, eo quod tam vili pretio inæstimabilem Missæ thesaurum vendidisset, seque validissimis privasset armis, quibus inimico infernali resistere poterat. Nobilis autem in devotione Missæ audiendæ magis confirmatus, deinceps semper, quoties tentabatur, Missæ sacrificio adhibito victor semper evasit. Merito igitur S. Ignatius Martyr primos Ecclesiæ Ephesiæ fideles ad Missam audiendam his verbis assidue invitabat [1]: « Date operam, ut sæpius congregemini
« ad Eucharistiam et gloriam Dei, cum enim sæ-
« pius in idem loci convenitis, labefactantur vires
« Satanæ. »

[1] Æn. Sylv., *in Cosmog. Europæ.*

## DISCURSUS IX.

VARIA CONSIDERANTUR BONA SPIRITUALIA ET TEMPORALIA, QUÆ EX DEVOTIONE MISSAM AUDIENDI IN HOMINES REDUNDANT.

Idea sermonis. — 1. Sanctissimum Missæ sacrificium confert nobis abundantiam omnium bonorum spiritualium et temporalium. — 2. Enumerantur bona spiritualia sacrificii Missæ. Sacrum Altare est anticamera Regis Regum. — 3. Micæ quæ cadunt de mensa Eucharistica, sunt multa beneficia et gratiæ Dei. Qui moritur illa die qua Missam audivit, illi assistit Christus in mortis tempore. Angeli custodiunt illum qui in dies audit Missam. Anima e Purgatorio liberata gratias agit pro Missis pro se dictis. — 5. Missa etiam bonis temporalibus plurimum suffragatur. Præclara monita S. Francisci Salesii de Missa quotidie audienda. — 7. Angeli supplent labores agricolæ audientis Missam. — 8. Alia similis historia.

*Altare facietis mihi et offeretis super eo holocausta, et pacifica vestra, oves vestras, et boves; veniam ad te, benedicam tibi.* Exod., xx, 24.

**1.** — Quod si sacrificium illud, in quo Deus olim a populo Hebræo oves et boves, aliaque similia animantia sibi immolari volebat, tantas pariebat benedictiones, spiritualesque et terrenas prosperitates, quales his verbis insinuantur, *veniam ad te, benedicam tibi;* longe utique magis ipsemet Dei Filius in sacrificio incruento, in quo realiter præsens est, seque ipsum æterno Patri suo offert, omnia nobis desiderabilia bona adferre debebit. Nam ut S. Thomas ait [2], Christus corpus, quod a nobis assumpsit, ut in sacrificio immolaretur, ad nostram salutem et utilitatem ordinavit: « Quod de nostro
« assumpsit, » inquit, « totum nobis contulit ad
« salutem. » Et ideo extra omne est dubium, quin sicut Isaac Jacob benedicens [3], eidem pro benedictione dedit *de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini*; ita quoque hoc sacrifi-

[1] S. Ignat. Mart., ep. 14 *ad Ephesios.* — [2] S. Thom., op. 57. — [3] Gen., xxvii, 28.

cium sub speciebus panis et vini institutum, nobis allaturum sit rorem cœli et pinguedinem terræ, id est, omnia bona tam spiritualia, quam temporalia; nam ut S. Paulus ait [4] : *Qui pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* « Qui nullius indigens est Deus, » inquit S. Irenæus [2], « in se assumit bonas operationes nostras ad hoc, ut præstet nobis retributionem bonorum suorum. » Osorius hac de re ita discurrit : « Si Pater negotiatori filio decem millia auri talenta daret, ut negotiaretur parva adhibita diligentia maximum reportaret lucrum; attende quas tibi Pater in Missa dat, ut similis sis homini negotiatori quærenti bonas margaritas; cura ut plurima tibi acquiras; dat tibi Christum Dominum, et qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donavit? Donat ergo tibi Filium et omnia illius merita, satisfactiones et investigabiles ejus divitias, ut eorum particeps fias. Ecce quæ quotidie in Missa accipias. Sed quæ lucra reportasti? Esne de illis, de quibus Paulus ait : *Quoniam divites facti estis in illo in omni gratia?* Si ditissimus non es, id negligentia tua factum est. »

**2.** — Porro bona spiritualia, quæ Christianus ex auscultato Missæ sacrificio percipit, prorsus sunt innumera. S. Mater Ecclesia in oratione quadam secreta ita orat [3] : « Hostias, quæsumus, Domine, placatus assume, quas et pro renatorum expiatione peccati deferimus, et pro acceleratione cœlestis auxilii; » et quidem tametsi oratio specialem cœlestia et divina auxilia impetrandi virtutem habeat, attamen eadem per Missæ sacrificium longe efficacius et abundantius accelerantur. In alia quadam oratione pariter secreta Ecclesia Deum his verbis precatur [5] : « Sacrificia nos Domine, immaculata purificent, et mentibus nostris supernæ gratiæ dent vigorem. » Est et alius hujus sacrificii eximius effectus, ab Ecclesia in alia quadam simili oratione expressus, siquidem in ea ita orat [6] : « Hostias tibi, Domine, placationis offerimus, ut et delicta nostra miseratus absolvas, et nutantia corda tu dirigas. » Enim vero per quotidianam experientiam videmus, quod ii, qui in aulis regum et principum iu suis servitiis magis sunt assidui majorem sibi principis, cui serviunt, concilient benevolentiam et gratiam, seque majoribus beneficiis dignos efficiant. Porro anticamera Regis illius, in cujus fœmore titulus hic scriptus legitur : *Rex Regum et Dominus dominantium;* alia non est, quam sacrum altare, atque ideo, qui illud cum venerabundo obsequio assidue frequentat, cœlestibus se gratiis divinisque favoribus dignissimum efficit. Unde fit, quod sacerdos in progressu Missæ tam sæpe ad populum circumstantem se vertens, secure eidem dicat : *Dominus vobiscum;* et in fine ejusdem Missæ eidem populo in nomine Dei benedictionem impertitur, ut verificetur illud in assumpto themate adductum : *Veniam ad te et benedicam tibi.* Consideratione digna est doctrina illa, quam in hac materia doctissimus tradit Suarez, inquiens [1] : « De cæteris privatis offerentibus, qui proprium aliquem concursum habent ad oblationem sacrificii cum sacerdote seu per ipsum, dicendum censeo, omnibus ac singulis respondere proprium aliquem fructum ex opere operato, ita ut, si constituamus hominem assistentem vel ministrantem sacrificio Missæ, cui sacerdos intentione sua speciali nullum fructum sacrificii ex opere operato applicet, de hujusmodi homine pie ac probabiliter credimus, consequi proprium fructum suum ex opere operato. »

**3.** — Mulier Cananea, quæ typus est Ecclesiæ ex gentilibus congregatæ, non sine mysterio Salvatori nostro dixit [2] : *Catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum;* nam devoti Christiani, qui mensam altaris, quando in ea consecratur panis Eucharisticus, circumstant, decidentes ab illa micas, id est, multa beneficia, et gratias ad sui utilitatem colligunt, quas gratias, et emolumenta ab auscultatione Missæ in fideles circumstantes redundantia, Discipulus in sermone quodam his verbis insinuat [3] : « Qui Missam audivit, prosperabitur in illa die in laboribus, in artificio, in emptionibus, in peregrinationibus, et Dominus confortat eum in corpore, et anima; » moxque aliam maximi momenti gratiam ex Missa provenientem adducit inquiens : « Si contigeret te illo die, quo Missam audisti, mori, tunc Christus præsens erit tibi in extemis, et vult tibi astare, sicut tu præsens fuisti, et sibi astisti Missam audiendo : » nam cum in Missa mors, Christo in monte Calvario illata, commemorative renovetur, sicuti si quis morti Christi astitisset, ea die moreretur dignus esset, cujus morti ipsemet quoque Christus assisteretque ita quoque; typicæ morti Christi, sacrificio incruento consummatæ, assistit, dignus est, cui et Christus in morte, ea die, qua Missam audivit subsecuta, assistat. Surius in vita S. Elisabethæ Reginæ Hungariæ ita scribit [4] : « Dum sanctissima fœmina die quadam infra canonem, plicatis sub chlamyde manibus, intentius orans, fervido in Christum moveretur affectu, lux eam cælica circumfulsit. Astitit autem tunc sacerdos quidam, bonæ conversationis opinione et devotione laudabilis, cujus aperuit Deus oculos, et in hora consecrationis corporis Dominici vidit

[1] Rom., VIII, 32. — [2] S. Iren., l. IV *Cont. hæres.* — [3] Osor., l. IV, Conc. *de div. sacr.* — [5] *Orat. secr. post Pasch.* — [6] *Or. sec. in Dom. infr. Octav. Asc.* — [3] *In Dom. V post Epiph.*

[1] Suarez, *de ac.* — [2] Matt. XV, 27. — [3] Discip., s. 48, — [4] Sur., 19 nov.

« faciem ejus charitate nimia divinitus illustratam « tanquam solem radios luciferos emittentem, ut mi- « rabilis circa mentem illustrationis, mira circa « corpus illustratio testis esset. »

**4.** — Discipulus in eodem sermone illo, qui Missam audiunt, spirituum angelicorum socios et collegas esse his verbis dicit [1] : « Angeli delecta- « biliter morantur cum illo homine, et sollicite « eum custodiunt, qui ipse se fecit socium ipsorum « in assistendo, et laudando Regem angelorum : » adducitque auctoritatem S. Ambrosii, qui, ut in discursu quarto diximus, in dubium nequaquam vocandum esse arbitratur, quin angelorum chori sua sacrificio incruento præstent obsequia ; indeque hanc nobis utilissimam infert consequentiam, dicens « Unde angeli custodiunt illo die hominem « illum, quo audit Missam ubique locorum. » Reverendissimus dominus Sperelli Episcopus Eugubinus in libro, quem de sacrificio Missæ composuit, quamdam refert historiam, ex sermone LXVIII, *Dormi secure* desumptam, quæ si vera est, magnam meretur reflexionem, omnibusque fidelibus stimulus esse debet, ut huic sacrosancto sacrificio tanto frequentius et ferventius assistant. Etenim anima cujusdam timorati Christiani, sacerdoti cuidam apparuit, ut eidem pro quibusdam Missis pro ea e Purgatorio liberanda celebratis, gratias referret ; quæ cum ab eodem sacerdote de gratioribus Deo operibus, quæ dictus devotus fidelis in vita præstiterat, interrogaretur ; respondit, hanc sibi perpetuam fuisse consuetudinem, ut quovis die domum egrediens, primo in ecclesiam se pro Missa auscultanda reciperet ; per plateas vero ambulans, unum *Pater noster et Ave Maria* recitaret, rogando eum, ut se dignum faceret, qui domum ejus ingredi posset, utpote qui se ejus ingressu indignum semper censuisset, denique quod debita cum attentione sacræ functioni illi astiterit et postquam coram certa quadam crucifixi imagine præfixam sibi peregisset devotionem, Missam cum majori qua poterat animi applicatione, auscultarit firmiter sibi imaginando, se coram ipsomet Deo præsentem stare : quod dicens, discursum suum finivit.

**5.** — *Veniam ad te et benedicam tibi.* Suarez quoque Missam bonorum temporalium emolumento plurimum suffragari ratus, inquit [2] : « Ecclesia sæpe « consuevit hoc sacrificium offerre pro temporali- « bus beneficiis, pro nostra et totius mundi salute. » Id quod olim præfiguratum fuit in Patriarcha Jacob, qui odium Esau jam multis ab annis inveteratum pertimescens, dum illi occurreret, mitigatum invenit, eumque summa cum benignitate sibi reconciliavit ; postquam scilicet sacrificia obtulisset, cumque Angelo contendisset, dicens [3] : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Quæ omnia quis in Eucharistia Missæ oblatione veraciter adimpleri non videt, siquidem facie ad faciem non modo cum Deo agimus, sed etiam pro libito nostro sacratissimum ejus tractamus corpus, potiori jure quam Jacob, dicturi : *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* In lib. III Vitæ Ven. dominæ deChantal [1], quæ dilectissima S. Francisci de Sales spiritualis filia et prima planta fuit, per quam Institutum Visitationis fundavit, legitur, quod in littera quadam ad religiosam, quam ad domum quandam noviter fundandam miserat, scripta, hoc primum, et præcipuum documentum tradiderit : Supplico tibi, o charissima filia, ut ante omnia capellam vestram in bonum redigas ordinem, ut quavis die Missam audire valeatis : quod si domi propriæ obstinere non potestis, summa cum modestia ad eamdem auscultandam in Ecclesiam vicinam vos recipiatis, siquidem potens est animæ firmamentum pro reliquo diei tempore, si quis matutino tempore Salvatori suo in hoc divino officio præsenti, adeo propinque astiterit. S. Franciscus de Sales [2] cuidam monialium suarum, eum interroganti, an ad hoc, ut Missam audire posset, orationem mentalem vel intermittere vel interrumpere liceret, an vero necessum esset illam prosequi, tametsi Missa non audiretur, maxime quando dies festivus non esset ? Cui sanctus Præsul respondit : Expedientius est, ut quotidie sacrum Missæ officium audias, quam ipsum negligas sub orationis in domo vestra continuandæ prætextu, quia realis humanitatis Domini nostri præsentia, qua in Missa gaudemus, compensari nequit per præsentiam mentalem, quantumvis quis per quemvis dignum respectum ab illa se absentet ; tum etiam quia Ecclesia quotidianam Missæ auscultationem valde desiderat. Ipsi quoque nascentis Ecclesiæ primi fideles, quam proficuum saluti publicæ, universalique tranquillitati, et quieti hoc sacrificium sit, probissimè noverunt, quia S. Paulus ad Timotheum ita scribit [3] : *Obsecro, primum omnium fieri orationes, obsecrationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate.* Præterea ex sequentibus verbis Tertulliani, qui Apostoli temporibus vicinus vixit, clare deducitur, quod eo quoque tempore pro supremi principis salute Missæ officium celebratum fuerit ; sic enim præfatus vetustus auctor ait [4] : « Sacrificamus pro salute Imperatoris. »

**6.** — Discipulus in eodem sermone de eo, qui Missam frequenter auscultat, ita scribit [5] : « Nec erit « pauperior anno elapso, etiamsi quotidie audiverit « Missam ; unde *Matth.*, VI, Christus ait : *Primum « quærite Regnum Dei, et justitiam ejus, et omnia « adjicientur vobis.* » Et quidem, ut hanc veritatem tanto magis confirmet, sequentem duorum artifi-

[1] DISC., *ib.* — [2] SUAR., *ib.*, d. 7. — [3] GEN., XXXII, 30.

[1] *Vit. Chantal*, l. III. — [2] SALES, l. III. — [3] I TIMOT., II, 1, — [4] TERT., *ad Scap.* — [5] DISCIP., *ib.*

cum adfert historiam ; quorum unus uxorem, et familiam habebat, et tamen Missæ quodidie audiendæ adeo deditus et devotus erat, ut eandem propter nullam rem mundi intermitteret, unde Deus eum mirabiliter adjuvabat, ita ut in domo ejus cuncta prospere agerentur, omnesque ejus facultates multiplicarentur ; alter vero e contrario nec filios, nec familiam alens, sed solam in domo habens conjugem, laborabat diu noctuque, etiam diebus festivis, et rarissime Missæ sacrificio assistebat, et tamen miseriam suam superare non valens continuam eamque magnam patiebatur inopiam ; qui proindre audiens alterius res tam prospere adaugeri, eumdem die quadam sibi obvium interrogavit ; undenam ejus tanta in bonis abundantia, tantaque lucra quotidiana procederent, cum tamen non solum conjuge, sed et filiis, et alia familia onustus esset, ipseque e contra solus cum conjuge sua existens, et continuo laborans, miseriam suam declinare non posset. Cui alter respondit, se Missæ quotidie audiendæ operam dare, ac proinde si par, secum prosperitate gaudere vellet, sequenti die se paratum esse locum illum ei demonstrare, ubi quotidie lucra sua adaucta inveniret. Sequenti igitur diluculo domum miserabilis coopificis sui pertransiens, eumdem secum ad Eccclesiam induxit, ibique post auscultatam ab ambobus Missam eidem egeno opifici, ut jam domum rediret, e laborem suum aggrederetur, dixit. Idem quoque die sequenti fecit, at vero tertio die per domum alterius iterata vice transiens, ut illum secum ad Ecclesiam perduceret, hoc ab eo responsum retulit, Frater mi, quando mihi statutum est ad Ecclesiam concedere, viam illuc ducentem probe teneo, ac proinde suo ducatu aut societate non indigeo, solum a te scire desiderabam locum, ubi tantam vitæ commoditatem atque divitias inveneris, meque ad eundem perducendo, fortunæ tuæ participem redderes ; cui ille respondit, pro quærendo thesauro corporis, et obtinendo vitæ æternæ præmio nullum alium scio aut possideo locum, præterquam Ecclesiam ; et pro hujus confirmatione dixit, numquid audisti Dominum in Evangelio dicentem : *Primum quærite Regnum Dei, et justitinm ejus : et hæc omnia adjicientur vobis ?* Quod bonus ille vir audiens, intellexit mysterium, et de peccato suo compunctus, vitam emendavit in melius, factusque est erga Missam quotidie audiendam valde devotus : in cujus virtute omnia sua deinceps prospere processerunt.

**7.** — In vita S. Isidori Agricolæ legimus [1], quod dum æmulorum adversus sanctum hunc virum continuaret persecutio, ejusque dominus ipsum tarde nimis ad agriculturam procedere vidisset, ad iracuudiam motus et graviter adversus ipsum stomachatus fuerit ; qua durante indignatione, cum ad agros, quos S. Isidorus araturus erat, procederet, ecce ibi duos vidit Angelos, qui simul cum Isidoro in duobus jugis boum candidorum agros sulcabant, qui tamen domino propius accedente disparuerunt ; unde paterfamilias verum esse cognovit, quod sanctus illi sæpius dixerat : Tempus servitio Dei impensum, nequaquam perditum esse æstimari debere, ipse namque Dei servus quolibet die Missam devote audiebat, priusquam labores suos adoriretur, idque in Ecclesia B. Mariæ Virginis de Atocha PP. Dominicanorum. Et licet hanc ob causam tardius ad labores se reciperet, nihilominus vesperi plus cæteris laborasse deprehendebatur, Quod si quis videre posset, quot pericula, in quæ alias ruituri essent, evadant illi, qui quotidie Missæ officium frequentant illorum numerum utique sino numero esse deprehenderet.

**8.** — Thomas Cantipratensis hac de re sequentem refert historiam [1] : « Sacerdos de Dacia, nomine « Andreas, cum suis terram sanctam peregrinis « adivit. Transito mari in vigilia Paschæ perve- « nerunt in Jerusalem, et summo mane recedere « voluerunt, quibus sacerdos dixit : Sanctissimus « dies est hic resurrectionis Dominicæ, audiatis « prius Missam. Abnuentibus omnibus, et recedentibus, Sacerdos solus remansit, et dicta Missa solus cœpit insequi præcedentes, quem ut attigit « quidam in equo sedens, quid est, ait, quod solus « properas peregrinus ? Et ille factum narrans, « hac inquit, de causa sum a sociis relictus : tunc « ille, ascende retro me ; quod cum fecisset, sic « residens obdormivit ; circa vesperam vero cum « evigilaret, et circumspiceret ubi esset, dixit ductor : Potesne cognoscere locum istum ? et ille « præ timore maixmo vix respondere valens dixit : Videretur mihi Domine mi, quod Ecclesia hæc, quæ ante nos est, Ecclesia mea « sit, et domus hæc proxima in qua mansi ; cui « ductor ejus ait : Recte tibi videtur, Christum « glorifica, cujus sacramenta veneratus es. » De B. dominica de Chantal, quæ cum opinione sanctitatis est mortua, in supra dicto libro III vitæ ejus in Missa habiturum esse memoriam, eidem in hæc prudentissima verba responderit : Nihil est, quod ardentius desidero, nec quidquam majoris æstimo tametsi omnia regna mundi conjurarent, ut me in supremam totius universi principem coronari facerent. In vita S. Guilielmi Archiepiscopi sequentia scribuntur [2] : « Missæ sacrificio mirabili afficiebatur gratia compunctionis. Vidisses ex oculis ejus « tanquam ex fonte quodam indeficienti uberrimas « manare lacrymas, pia quadam dulcedine et « sanctæ devotionis ardore conditas. » Enim vero credibile est, quod, dum in ipso momento consecrationis cœlestis aperitur Jerosolyma super omnes,

[1] *Vita S. Isid. Agricolæ*, c. 6.

[1] THOM. CANT., l. II. — [2] BOLL., jan. 8, *Vit. S. Guil.* c. 4, n. 17.

qui divino huic sacrificio devoti sunt, stilla aliqua decidat et ab iis imbibatur ex beato illud flumine quod cœlestem Jerosolymam inundat, de quo Psalmista ait : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* In annalibus Ecclesiasticis inter alias Nicolai tertii laudes hæc quoque describitur quod scilicet « devotissime celebrabat et semper in Missa flebat.» Ludovicus Blosius postquam in Missa eamdem esse Christi corporalem præsentiam, quæ in Cœlo est, ostendisset, in hæc verba subjungit : « Merito ad « tantam divinæ charitatis dignationem ac dulcedi- « nem corda nostra, amore resoluta, penitus liques- « cerent. Merito etiam iter prolixum promptissime « et cum ingenti exultatione suscipere deberemus, « quo possemus ipsius Missæ sacrificio, divinisque « mysteriis interesse; sic enim animæ nostræ su- « pernis fulgentibus frequenter irradiatæ, caduca « omnia facile contemnerent, et ea quæ sursum « sunt ardenter amarent. »

## DISCURSUS X.

HONOR, ET MERITUM ILLORUM, QUI MISSIS INSERVIUNT, VARIIS DECLARATUR EXEMPLIS; UBI ETIAM VARII ADDUCUNTUR, QUI ERGA HUJUS SACRIFICII EXERCITIUM DEVOTI FUERUNT.

IDEA SERMONIS. — 1. Qui devote inserviunt sacris, magnum acquirunt honorem et meritum. Angeli sancti assistunt sacrificio Missæ et illi servienti se adjungunt. S. Thom. libenter serviebant sacris. Duo pulchra exempla. Primus S. Missæ minister fuit S. Stephanus. Thom. Morus libenter serviebat sacris. — 2. Enarrantur utilitates servientis Missæ. — 3. Minister Missæ ante omnes participat fructus illius. Quidam devote inserviens sacro, meruit illo servitio coronam martyrii. — 4. Defectu ministri B. Virgo in Missa respondit Sacerdoti celebranti. — 5. Pœnitentes a Confessariis admonendi sunt ut quotidie audiant sacrum. — 6. Ferdinandus Telavera maximis negotiis implicatus, quotidie celebrabat. Similiter S. Carolus Boromæus. — 7. Sancti et magni Reges quotidie plures audierunt Missas. — 8. Afferuntur alia exempla illorum qui magna devotione affecti fuerunt erga S. sacrificium Missæ.

*Ministrantibus autem illis Domino, dixit illis Spiritus Sanctus : Segregate mihi Saulum, et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Act. Apost., XIII, 2.

**1.** — S. Lucas de Sauli, et Barnabæ ad Apostolatum assumptione, per Spiritum Sanctum facta, disserens, prius dicit in Ecclesia fuisse Doctores, et prophetas : *Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ et doctores,* et postea subjungit : *Ministrantibus autem illis Domino* ; ex quo colligitur, quod tametsi hi Prophetæ, et doctores in conspicuo, et sublimi essent statu constituti, nihilominus tamen Missæ ministrare, et inservire non erubuerint. Erasmus ex græco traducit : *sacrificantibus,* quia summus honor est ministrare, juvare et inservire sacerdoti celebranti ; is enim, qui ad Missam ministrat, duas habet egregias prærogativas, quia in primis sacerdoti inservit, in altissima dignitate constituto, et simul etiam Christo Dei Filio, qui est principalis offerens et sacrificans ; unde de eo, qui Missæ inservit, dici potest illud S. Ambrosii : « Dignitas est servum esse potentis. » Unde Angeli, Throni, Principatus, Dominationes, Potestates, Cherubim ac Seraphim tremendo huic sacrificio reverenter assistere non dubitant; id enim præfatio, quæ Canoni Missæ præmittitur, claris his verbis indicat : *Quem adorant Dominationes, tremunt Potestates, cœli cœlorumque Virtutes ac beata Seraphim.* Imo in hoc ministerio obeundo tanto ferventiores merito esse deberemus, quanto Filius Dei nobis in eo redditur familiarior, et tractabilior, quam ipsismet Angelis. Id quod D. Chrysostomus observans, ait : « Una cum Seraphim sta, cum illis alas extende, « cum illis regium trhonum circumvola. Quid vero « mirum, si cum Cherubim steteris, cum ea quæ « Seraphim non audent attingere, tibi confidenter « Deus concesserit ? » Et ideo S. Bonaventura sicut pariter Doctor Angelicus Thomas de Aquino, singularem in eo devotionis habebant ardorem, ut sacerdotibus Missæ celebrantibus inservire possent ; imo præfatus Doctor Seraphicus Religiosos suos, quorum Generalis Minister fuit, ad hoc ministerium sacrum obeundum exhortans, sequens inter alia adducit motivum : « Hoc est officium Angelorum, ipsi enim « Deo suo ubique ministrant devotissime. » Unde apud Danielem dicitur : *Millia millium ministrabant ei,* et in Psalmo CII : *Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Imo, ut in discursu quarto vidimus, spiritus beati certatim advolant, ut Missæ devotæ et reverenter assistere, eaque ministrare valeant : quanto ergo minus homo nequaquam ministerium hoc dedignari, quin potius de eo gloriari deberet, quod, cum sit vilissimus vermis, ad tam sublimem nihilominus honorem assumptus fuerit ? In Catechismo exemplorum legitur, quod « S. Methildis virgo vidit animam cujusdam con- « versi in magna claritate, eo quod speciali devo- « tione, et diligenti studio, ubicumque poterat, « ad altare serviebat. » In Chronicis Fratrum Eremitarum S. Augustini sequentem legimus historiam : « Narratur de Joanne Reutino, insignis vir- « tute juvene, qui Sacerdotibus omnibus indifferen- « ter ad Missam summa cum diligentia libentissime « ministrabat ; per aliquot autem ante obitum dies « ad eum veniens philomela, quotidie ante fenes- « tram suaviter canebat ; et interrogatus quid sibi « ea vellet ; respondebat jocose, sponsam esse

[1] Ann. 128, n. 26 RAYN.

[1] S. AMBR., *in I Tim.* — [2] CHRYS., h. *in Seraph.* — [3] S. BONAV., t. VII *de Instit. novit.* — [4] DAN., VII, 10. — [5] *Flor. exempl.*, t. VIII.

« suam, invitantem se ad Paradisum. Hic die qua-
« dam ad Missam ministrans, vidit super altare lu-
« cem divinam, et eadem die cœpit decumbere, et
« magna cum devotione spiritum reddidit Crea-
« tori. »

**2.** — Enim vero quemnam existimatis primum fuisse clericum, qui primus Missæ ministraverit? Plenus Spiritu Sancto, prodigiosorum operator miraculorum, sanctissimus Protomartyr. Unde S. Ignatius Martyr in sua ad quemdam Ecclesiæ Antiochenæ diaconum, nomine Heronem, epistola, ministerii hujus dignitatem verbis ei inculcare nititur sequentibus[1]: « Tu autem ipsis ministras, ut Ste-
« phanus S. in Jerosolymis, Jacobo et Presbyteris. »
Cujus vestigiis fideliter institit Thomas Morus, magnus Angliæ cancellarius, qui pro fidei Catholicæ defensione palmam meruit martyrii. De eo namque in ipsius vita scribitur[2]: « In ipsa sua Ecclesia sacer-
« doti canenti indutus superpelliceum concinebat,
« quod cum etiam regni cancellarius faceret, moni-
« tus a duce Northfolciæ, qui aliquando superve-
« niens, eum sic superpelliceo in choro canentem
« deprehenderat, hunc ejus agendi morem Regi
« haud dubie displiciturum, ut nimis humilem ac
« dignitati, qua fungeretur, minus congruum; res-
« pondit: Domino meo regi displicere non potest,
« quod ipsius regis Domino obsequium impendo.
« Jam vero sacrificanti (supplens locum idiotæ) ad
« altare ministrabat. » Ad quam veritatem penetrandam profundius non abs re fuerit, cum S. Bonaventura utilitatem considerare, quam Missæ serviens præ aliis ei assistentibus acquirit. Ait igitur Seraphicus[3]: « Opus Angelicum est, cum quibus Deo
« ibi præsenti ministras, sicut et illi; ex hoc non
« solum sacerdos, cui ministras tunc orare pro te
« specialiter, sed et omnes circumstantes, quo-
« rum vices geris, debent, imo tota Ecclesia, ubique
« terrarum, quia tu geris vicem omnium fidelium,
« qui Deo suo, de cœlo venienti, cum gratissima
« actione deberent ministrare, si possent adesse;
« et vix potest esse quin Dominus speciali gratia
« remuneret etiam in præsenti, qui libenter et
« devote ministrat ad illud sacramentum, quo nihil
« sanctius et devotius potest esse in cœlo et in terra
« et quod est admodum præcipuum indicium divi-
« næ dignationis et dilectionis ad hominem. »

**3.** — Copiosissimus sacrificii incruenti fructus citra controversiam omnem ad ipsos quoque se extendit circumstantes, juxta illa canonis verba: « Et omnium circumstantium, » ipseque sacerdos in numero plurali, nomine omnium ait: « Pro
« quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt. » Hos autem inter clericus pariter cum celebrante sacrificium offert nomine omnium; unde post oblationem sequentia minister recitat verba: « Suscipiat
« Dominus sacrificium de manibus tuis ad utilita-
« tem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ
« sanctæ. » Quis igitur negabit, quod præ omnibus aliis, divini hujus sacrificii fructus participet minister? Mirabilem auscultate eventum, quem hisce temporibus nostris vidit[1] et obstupuit Neapolis P. Franciscus Mastrilli insignis Japoniæ Martyr, dum in urbe illa studiis vacaret, quodam vacantiarum die ad domum abiit professam Societatis Jesu, ingressusque sacristiam, patrem Evangelistam de Gatti, ut jam celebraret, procinctum reperit, sed clerico ministro destitutum, quare ille suum obtulit servitium. At discretus Pater primitus repulsam dedit, dicendo, diem illum studentium recreationi destinatum esse, ideoque tardius eum ad villam venturum cum reliquis, maxime cum ipse celebrans in Missa admodum prolixus esset; nihilominus adolescens suæ insistens petitioni, contentionem vicit, ad altare ministraturus abiit. In *Memento* igitur ministrum remuneraturus celebrans, ipsum efficaciter recommandavit Deo; quatenus hujus actionis merita speciali aliquo præmiaret favore. Post multos vero annorum circulos dictus Mastrilli in Goa ante S. Francisci Xaverii sepulchrum orans, causam petiit, quare tot inter alios se longe capaciores ad illam Japoniæ missionem, tot sancti Patris prodigiis comprobatam, electus fuisset a Deo; cui respondit sanctus, id factum fuisse in remunerationem ministerii et servitii illius, quod ante tot annos tali die Neapoli præstiterat, missæ ministrando P. Evangelistæ; in qua pater ille magno cum fervore oraverat pro eo. Quo audito, relationem subito per litteras Neapolim eidem misit patri, immensas pro ejus intercessione agens gratias. Et sane, qui martyrii illius coronam servitio dicto radicaliter adscriberet, nequaquam a vero aberraret; præsertim si sequentis orationis secretæ enucleatius considerentur verba[2]: « In tuorum
« Domine pretiosa morte justorum, sacrificium
« illud offerimus, de quo martyrium omne sumpsit
« principium. »

**4.** — Cæsareus admirabilem pariter de Moniali quadam in hæc verba recenset eventum[3]: « Ante-
« quam veniret ad ordinem, essetque nubilis et
« adulta, die quadam stans ad missam in Ecclesia
« quadam, cum lecto Evangelio campanarius
« abiisset, putans se, posse redire ante *Sanctus* et
« sacerdos expletis secretis dixisset *per omnia sæcula*
« *sæculorum; Dominus vobiscum; sursum corda* et
« quæ ibi sequuntur, imago Deigenitricis semperque
« Virginis Mariæ, desuper altare ad singula res-
« pondit. » Quo ex successu clare deduci potest, quantum scilicet magnæ Deiparæ pariter servitium placeat, quod Filio ejus exhibetur in Missa. Quare et S. Franciscus de Sales potsquam ordinem insti-

[1] S. Ign., *epist. ad Heronem.* — [2] Staplet., *Vit. Th. Moric.* — [3] S. Bon., *ib.*

[1] Jac. Hautin., *Sacr. Amor.* — [2] *Or. secr. fer. V post Dom. III Quadr.* — [3] Cæsar., l. VII.

tuisset Visitationis sub auspiciis sanctissimæ Virginis, domina de Chantal, quæ fundamentalis hujus ædificii lapis fuit[1], sollicitissime curabat, ut Religiosæ ejus quotidie Missam audirent, ac quando cumque, ut in vita ejus traditur, unum e monasteriis ejus ad eas paupertatis angustias redactum esse intelligeret, ut sorores Missam quotidianam audire non possent, indilate sacerdotem iis misit, anni unius dotatum stipendio, rogans sorores, ut si penuria porro continuaret, novum peterent subsidium. Quando etiam fusius in suis protestata est, nullum omnino monasterium suorum necessitatem adeo sibi cordi esse ac istam, seque extreme doluisse, quod filiæ Visitationis quotidie huic sancto sacrificio vitæ et amoris assistere non potuissent.

**5.** — Quanta porro cum sollicitudine, amantissima salutis filiorum suorum Mater Ecclesia, dictam sacrificii hujus devotionem iis inculcare satagat, ex sequenti Concilii Tridentini colligi potest decisione[2]: « Mandat sancta synodus pastoribus et singulis, « curam animarum gerentibus, ut frequenter hujus « sacrificii aliquid declarent; præsertim diebus « dominicis et festis. » Cui pariter inhærens S. Carolus Boromæus[3]: diversas circa Missam fecit constitutiones, specialiter autem in confessariorum instructione iis præscribit, ut pœnitentes suos ad quotidianam Missam auscultandam exhortentur, ex ea namque nullus non Christianus maximum participat emolumentum in omnibus casibus actionibusque suis. Unde S. Ambrosius ita aliquando Dominum legitur allocutus fuisse[4]: « Profero etiam Domine « (si digneris propitius intueri) tribulationes ple- « bium, pericula populorum, captivorum gemitus, « miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, « inopiam debilium, desperationes languentium, « defectus senum, suspiria juvenum, vota virgi- « num, lamenta viduarum. » Quibus verbis illa consonat oratio præparatoria Feriæ III, in qua dicitur[5]: « Oramus, ut nullius sit irritum votum, nullius « vacua postulatio; tu nobis preces suggere, quas « ipse propitius audire et exaudire delecteris. »

**6.** — S. Ferdinandus de Talavera, primus Archiepiscopus Granatensis[6]: dum in aula ageret, multis gravibusque occupatus regni negotiis, plurimos patiebatur æmulos, qui cum innocentem accusare non possent, adversus quotidianum ejus sacrificium murmurare cœperunt eorum aliqui, qualiter scilicet tanta, tamque ardua pertractans negotia, animum dispositum, quietum et ad quotidie celebrandum recollectum habere continuo posset, quasi in monasterio degeret; quod cum Cardinalis Hispanus et Archiepiscopus Toletanus, Joannes Gonzalez de Mendozza, die quadam eidem familiter insinuaret, respondit servus Dei: Ita Domine, quia Majestas sua tam arduis me implicavit negotiis, onusque mihi imposuit meis superius viribus, ideo ne in terram prolabar, quod unicum mihi superest refugium; inquiro quotidie scilicet altare sanctum ut eo mediante negotia fœliciter terminare, optatamque de omnibus valeam reddere rationem. Quod ipsum a S. Carolo Boromæo pariter constantissime practicatum fuisse, sancti præsulis hujus vita attestatur, in qua Missam narratur celebrasse quotidie cum magna orationum tam vocalium, quam mentalium præparatione, præviaque quotidiana sacramentali confessione; idque priusquam negotia sua aggrederetur, dicere solitus, maxime indecens sacerdotibus esse, res temporales aggredi ante S. Missæ celebrationem. Quin in tot tantisque occupationibus suis, frequentissimusque itineribus, Missam numquam omisisse legitur.

**7.** — Annales Ecclesiastici, diligentes, piasque multarum insignum personorum circa sanctum hoc sacrificium memorant sollicitudines et in primis quidem de S. Ludovico Franciæ rege ita loquuntur[1]: « Raro accidebat, quin quotidie duas Missas « audiret et frequenter tres vel quatuor; cum autem « audisset, quod nobilium aliqui murmurabant « super hoc, quod tot Missas audiret, respondit, « quod si in duplo tempore poneret in ludendo ad « aleas et currendo per sylvas pro venationibus et « aucupiis, nemo super his loquetur. » Qui eidem annales de Henrico, tunc quoque temporis regnante in Anglia, sequens perhibent testimonium[2]: « Singulis diebus tres Missas audire solebat, « ac cum sacerdos corpus Dominicum elevaret, « manum sacerdotis tenere et illam exosculari sole- « bat. Contigit aliquando S. Ludovicum, Fran- « corum regem, cum eo super hoc conferentem » dicere, quod non semper Missis, sed frequentius « sermonis audiendis est vacandum. Cui faceta « urbanitate respondens, ait: Se malle amicum « suum sæpius videre, quam de eo loquentem, etsi « bona dicentem, audire. » S. quoque Odoardus et ipse Angliæ Rex, a primis unguiculis maxima erga Missam excelluit devotione; sicut et Wenceslaus rex Bohemiæ; ut proinde mirum non sit, si in vocatione, quæ cæteroqui spiritui et perfectioni adec repugnat, in humanarum inquam, magnificentiarum statu, ad sublimissimos nihilominus sanctitatis pervenerit gradus.

**8.** — In iisdem annalibus de Nanckero, Episcopo Wratislaviensi, scribitur[3], quod « in morte ejus « quædam religiosa fœmina dulcem audiverit can- « tum, cui revelatum est, animam Episcopi Nanc- « keri Wratislaviensis, ab Angelis in Cœlum « deferri. Fertur hic Episcopus miræ devotionis « fuisse et Missas quotquot legi poterant in Eccle-

[1] *Vit. Chantal.* — [2] *Conc. Trid.*, sess. 22. — [3] *Act. Eccl. Me.* — [4] S. AMBR., s. 4 *in præp. ad Missam.* — [5] *Ib.*, s. 3. — [6] RODRIG., p. 2.

[1] An. 1270, n. 19 RAYN. — [2] An. 1272, n. 61 *ibid.* — [3] An. 1341. n. 43 *ib.*

« sia in qua aderat, audivisse et ad quamlibet « earum, specialem oblationem obtulisse. » Surius quoque in vita S. Petri Cœlestini refert, quod dum die quadam ex alia vero parte indignitatem suam considerasset, simulque in memoriam revocasset, Paulum primum eremitam, S. Antonium magnum, S. Franciscum Assisinatem pluresque alios Dei servos altissimum Missæ mysterium exercere ausos non fuisse, circa frequentiam hujus mysterii multum anxius, per aliquot dies præ timore ac reverentia Domini, ab hoc sanctissimo sacramento et sacrificio abstinuerit, donec tandem Romam accedere decreverit, summum Pontificem consulturus, an non melius foret, a celebratione illius sacrificii per tempus aliquod totaliter abstinere? Cum igitur cum hac intentione Romam versus iter institueret, sanctus quidam Abbas, haud pridem mortuus, in via ei apparuit, a quo habitu monastico indutus fuerat, qui ei dixit : Quis est, o Fili, qui licet Angelus sit, celebratione hujus mysterii dignus dici possit ? Verumtamen suadeo tibi, ut cum amore et reverentia erga Deum, prout hactenus consuevisti, celebrare pergas. De Thoma Moro præterea, quæ paulo ante diximus, scriptum reperio[4], quod tum tamquam magnus regni Anglicani cancellarius, in ejusdem regni negotiis occupatissimus esset, ad ea tamen nunquam se applicaverit, nisi postquam prius Missam auscultasset. Imo dum quadam vice Missam auscultans, vocaretur a rege se majori Domino, quam rex sit, in præsentiarum servire respondit : quod responsum regi insinuatum, eumdem ne quidquam offendit.

## DISCURSUS XI.

AD HONORANDUM HOC SACRIFICIUM POSTULATUR APPLICATIO MENTIS ET DEVOTIO INTERIOR ET EXTERIOR, SILENTIUM ITEM ET MENTIS RECOLLECTIO. UBI PARITER ILLI, QUI ERGA HOC SACRAMENTUM IRREVERENTES SUNT, PERSTRINGUNTUR

IDEA SERMONIS. — 1. In sacrificio Missæ cor est elevandum ad Dominum. — 2. Tota mentis applicatione assistendum Missæ sacrificio. Figura hujus ex veteri Testamento. — 3. Alia figura ejusdem significativa. SS. Mysterio Missæ ita assistere debemus, ac si purus essemus spiritus. Cum summo silentio et applicatione animi. — 4. Quænam congitanda et meditanda sint sub SS. Missæ sacrificio. — 5. Gentiles sub sacrificiis suis summum ab assistentibus exigebant silentium. Quanto magis tale silentium exigitur a Christianis tempore SS. Sacrificii Missæ. — 6. Continuatur materia de summo silentio servando in oblatione Missæ. — 7. Cur conveniendum sit in Ecclesia. Dum sacerdos dicit sursum corda. Respondetur : Habemus ad Dominum. Ubi cavendum, ne mentiamur. Sub sacrificio Missæ nulla ratione confabulandum aut ridendum est.

[4] JAC. HAUTIN., *Socr. amor.*

*Sursum corda ; habemus ad Dominum*

**1.** — S. Berdardinus de modo, quo Missa audienda est, disserens, hunc ab Ecclesia institutum considerat ritum, quo sacerdos, priusquam canonem Missæ incipiat, circumstantes ad mentes, et corda ad Deum elevanda, his verbis invitat : *Sursum corda* ; post quæ dum clericus omnium nomine respondit : *Habemus ad Dominum*, sacerdos ad complendum sacrificium ulterius progreditur. Cujus ritus mysterium in hæc verba exponit[1] : « Ideo sacerdos « ante orationem præfatione præmissa parat Fra- « trum mentes, dicendo : *Sursum corda*, ut dum « respondet plebs : *Habemus ad Dominum*, admo- « neatur, nihil se, aliud cogitare debere quam « Dominum. » Observandum vero est, quod sacerdos absoluta præfatione subito silentium servet et orationes in secreto dicere incipiat, ut tempore approximantis sacrificii a circumstantibus non intelligantur. Sicut enim Redemptor noster passione sua appropinquante, juxta desertum in civitatem Ephrem se subduxit, seque in publico videri non permisit ; ita quoque cum Missa passionis et mortis Christi sit representativa, videtur, quod ad imitationem illius, appropinquante consecrationis tempore, similiter nos in nobismetipsis et mentem nostram recolligere et in solitudinem quasi revocare debeamus.

**2.** — S. Antoninus doctrinam quamdam affert, qua fideles de necessitate applicationis mentis et devotionis, quacum Missæ assistere debent, egregie instruuntur. Ita enim scribit[2] : « Debent accedere « ad orandum et tunc a se removere debent cogi- « tationes temporalium ad Deo vacandum. Unde « Cyprianus *de Consec. dist.* I, ait : « Quandostamus « ad orationem fratres, invigilare et insistere ad « preces toto corde debemus. Cogitatio carnalis « tunc et sæcularis hominis abscedat, nec quicquam « tunc animus aliud, quam in solum cogitet, quod « precatur et ideo sacerdos in Missa ait : *Sursum* « *corda*, ut, dum plebs respondet ; *Habemus ad* « *Dominum*, admoneamur, nihil aliud quam Domi- « num cogitare debere ; claudatur contra distrac- « tiones pectus et soli Deo pateat. » Deus olim S. Patriarchæ Abrahaæ certam quamdam animalium oblationem in hæc verba præscripsit[3] : *Sume mihi vaccam triennem et capram trimam et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam ; qui tollens universa hæc, divisit ea per medium et utrasque partes contra se altrinsecus posuit, aves autem non divisit ; descenderunt que volucres super caduvera et abigebat eas Abraham.* Quia vero antiqua sacrificia incruentum hoc nostrum præfigurarunt, ut in discursu secundo probavimus, quid per hanc avium animalium offerendorum carnibus insidentium,

[1] S. BERN., t. II *de observant. sabb.* — [2] S. ANTON., p. 9, tit. 9. — [3] GEN., XV, 11.

abactionem aliud insinuatur, quam quod Missæ, celebrandæ vel audiendæ, tempore a cordibus et mentibus nostris omnem cogitationem et imaginationem importunam, quæ quietem et recollectionem mentis perturbare possit, abigere debeamus ? Unde Bollandus devotionem, qua S. Guilielmus, Archiepiscopus Bituricensis, erga hoc sanctum sacrificium ferebatur, describere volens, inquit [1] : « Si quæ se « animo illius voluissent peregrinæ cogitationes « ingerere, cum S. Abraham eas abigebat, nostræ « redemptionis mysteria in tanto sacrificio non sine « maxima spiritus delectatione revolvens, nec aliter « illud peragens sacrificium, quam si Christum « Dominum coram cerneret pati et crucifigi. »

**3.** — Enim vero quia Abrahæ mentionem facere cœpimus, revocandum est in memoriam, quid sanctus ille Patriarcha fecerit, quando ex jussu Dei ad Isaac filium suum (qui, ut in sequentia sanctissimi corporis Christi legimus, præcipuus et significantissimus Missæ nostræ typus fuit, *in figuris præsignatur, cum Isaac immolatur*) in sacrificio jugulandum se accinxit. Postquam enim post tertium itineris sui diem, locum illum vidisset, in quo Deus ipsi altare pro sacrificio erigere jusserat, ad servos suos conversus, illos ibidem montis radices expectare jussit, donec peracto sacrificio ad eos reverteretur: *Die autem tertio*, inquit sacer textus [2], *elevatis oculis vidit locum procul, dixitque ad pueros suos : expectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Porro per asinum hoc loco corpus nostrum, per servos vero passiones et appetitus, imaginatio item et cogitationes sæculares et terrenæ, quæ nos perturbant, intelliguntur, has autem, dum ad incruentum hoc sacrificium accedimus, eousque dimittere debemus, donec ab adoratione Agni immaculati revertamur. S. Simeon senex ideo dignus fuit qui divinum illum infantem, qui velut in pugillo quodam totum constringit universum, inter brachia sua stringeret et amplecteretur, quia teste Spiritu veritatis, *venit in spiritu in templum.* Ita quoque faciendum est omni homini, qui ad Missam audiendam vel celebrandam accedit; nimirum divinis hisce mysteriis eo modo omnes deberent assistere, ac si purus essent spiritus, atque ab omni corporea mole exuti. Cæsareus Heisterbacensis silentium animique applicationem sacræ huic actioni convenientem exprimere volens, sequens format argumentum [3]: « Si Sacerdos legalis, oraturus pro salute « populi, solus ingrediebatur in sancta sanctorum et « omnis populus sicut de Zacharia legitur, erat foris, « expectans, hora incensi, ne orantem impediret; « quanto magis sacerdos gratiæ, qui jam non cor- « ruptile pro una gente sacrificium, sed pro totius « mundi salute, Patri offert Filium, summam in « altari pacem requirit et silentium ? Unde B. Am- « brosius post Evangelium monere solebat popu- « lum, ut a tussi et omni inquietudine se temperaret « tempore canonis. » Ritus et ceremoniæ tanta cum sollicitudine ab Ecclesia prescriptæ circa vestes sacerdotales multas et varias, circa calicem, patenam, corporale, pallam, velum, purificatorium ; item circa sacras benedictiones, cruces, manuum elevationes, totque aliæ observantiæ, quid aliud ex mente Concilii Tridentini significant, quam debitam a Christianis devotionem, seriamque mentis applicationem, qua tanto mysterio interesse et assistere debent? En ipsissima Concilii Tridentini verba [1] : « Ceremonias adhibuit et mysticas benedictiones, « lumina, thymiamata, vestes, aliqua id genus « multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo « et majestas tanti sacrificii commendaretur et « mentes fidelium per hæc visibilia religionis et « pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc « sacrificio latent, contemplationem excitarentur. »

**4.** — S. Ambrosius in oratione aliqua præparatoria ad missam, quamdam a Deo postulavit gratiam quam merito implorare deberent omnes illi, quotquot Missæ sacrificio assistunt, ut debita cum attentione illi interesse possint [2] : « Fac me, » inquit D. Ambrosius, « per gratiam tuam semper « illud de tanto mysterio credere et intelligere, « sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, « quod tibi placet, et expedit animæ meæ. » Merito enim, quisquis huic sacrificio assistit, attente meditari deberet, quod hoc sacrificium ad utilitatem, et salutem animæ in primis, et deinde corporis, ad prosperitatem omnium bonorum temporalium; specialiter vero ad expiationem peccatorum nostrorum, et satisfactionem pro iisdem, nec non ad removenda a nobis divinæ justitiæ, culpis nostris juste iratæ, flagella celebretur. Hæ merito esse deberent cogitationes, quas devoti fideles in mente sua revolverent, dum huic sacrificio interveniunt. Divus Chrysostomus ait [3]: « Terribilia atque horri- « fica fuisse ferunt, quæ gratiæ tempus præcesse- « runt, quod genus fuere tintinnabula, mala pu- « nica, lapides pectori sacerdotis, itemque alii « superhumerali ejusdem superpositi, mitra, cida- « ris, vestis ad pedes usque demissa, lamina aurea, « sancta sanctorum, ingens intus quies, atque si- « lentium. At vero si quis ea, quæ gratiæ tempus « nobis advexit examinet, terribilia atque horrifica « quæ dixi, judicabit esse admodum levia, ac quod « de lege a Paulo dictum est, hic demum verum « esse comperiet, nam dum conspicit Dominum » immolatum, et illic situm sacerdotem sacrificio « incumbentem ac præces fundentem, tum vero « turbam circumfusam pretioso illo sanguine in-

[1] BOLL., jan. 10, *Vit. S. Guil.* — [2] GEN., XXII, 1. — CÆSAR., l. IX *Mir.*

[1] *Trid., sess.* 22. — [2] S. AMBR., *or. prop. in Dom.* — [3] CHRYS., *de Sacerd.*

« tingi, atque rubefieri, etiamne te inter mortales « versari, atque in terra consistere censes. » Quando enim Agnus ille sacrificandus est, qui in throno paradisi residens super altare descendit, merito nobis imaginari deberemus, in cœlo potius quam in terra nos constitutos esse : et ideo sacerdos dicit : *Sursum corda*; in illa namque actione collegæ sumus spirituum angelicorum. Unde sacerdos dicto *sursum corda*, et enarraris angelicarum hierarchiarum ordinibus, subjungit : « Cum « quibus. » scilicet Angelis, « et nostres voces ut « admitti jubeas, deprecamur. »

**5.** — Gentiles olim falsis dæmonum numinibus sacrificaturi, ut Seneca refert, indispensabile per præconem promulgari faciebant silentium, clamante præcone : *Favete linguis*. « Hoc autem ver- « bum, » inquit idem Seneca, « non ut plerique « existimant, a favore trahitur, sed imperatur si- « lentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla voce « mala obstrepente. » Et paulo post snbjungit [1] : « Quod multo magis necessarium est imperari « vobis, ut quoties aliquid ex illo profertur oraculo « intenti et compressa voce audiatis. » Alexander ab Alexandro scribit, quod, quoties Isidi et Serapidi sacrificia offerenda erant, in publicum produxerint Harpocratis statuam (quem Deum silentii existimabant) qui digito labiis imposito, omnes silentii commonefaciebat. Quod si igitur cœci idololatræ in sacrificiis, quæ dæmonibus offerebantur, tantam requirebant attentionem et silentium, quanto æquius erit, ut cum digna animi recollectione, et taciturnitate cultum nos exhibeamus illi Deo, de quo scribitur *Te decet silentium Deus?* S. Ambrosius de silentio, divinorum officiorum tempore, requisito ita scribit [2] : « An quicquam est indignius quam oracula divina « circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne « revelentur, circumsonare sacramenta confusis « vocibus ut impediatur oratio pro salute de- « prompta omnium, cum gentiles idolis suis reve- « rentiam tacendo deferunt? Unde illud exemplum « proditur, Alexandro sacrificante, Macedonum « rege, puerulum, qui ei lumen accenderat, ex- « cepisse ignem brachio, atque adusto corpore « mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse « gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu. Tanta « in puero barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut « naturam vinceret, atqui ille non deos, qui nulli « erant, sed regem timebat. Quid enim timeret « eos, qui si idem ignis eos attigisset, arsissent? » Quonam, obsecro, sunt Christiani, qui ob exiguam suam erga Missæ sacrificium reverentiam, in die judicii coram tribunali Dei ab hoc puero barbaro condemnabuntur In sacrificio Missæ enim non dæmoni sacrificatur, sed in holocaustum offertur Deo vivo Unigenitum Filius ejus, de quo Spiritus veritatis dicit : *Deus ignis consumens est*, S. Franciscus de Sales, qui suo tempore etiamnum juvenis, speculum fuit sacerdotum. quoad devotionem erga Missam has sibi regulas præscripsit [1] nam ut in vita ipsius legitur « cum adhuc esset juvenis, has sibi « pro Missa audienda regulas constituit : Interero « quotidie Missæ sacrificio, ac ut mysterio tam « ineffabili decenter assistam, invitabo omnes ani- « mæ meæ facultates, debitum ut hic suum agant : « *Venite et videte opera Domini, quæ posuit pro-* « *digia super terram. Transeamus usque Betlehem et* « *videamus hoc verbum, quod factum est, quod Do-* « *minus ostendit nobis.* Eamus in Ecclesiam, ibi « enim fit panis supersubstantialis virtute verbo- « rum, quæ ad consolationem nostram in sacerdo- « tum ore posuit Deus. »

**6.** — Divus Chrysostomus in visione Isaiæ seraphinos illos considerans, qui attoniti et venerabundi alis suis Deum in throno suo considentem, circumdabant, discursum suum ad nos dirigens, his unumquemque nostrum verbis affatur [2] : « Non co- « gitas ipsum hic invisibiliter adesse Dominum, « qui uniuscujusque motum metitur et conscientiæ « rationem habet? non cogitas, quod Angeli hic « stupendæ assistant mensæ, cumque reverentia « hanc circumvallant. » In propheta Habacuc inter cætera dicitur [3] : *Dominus in templo Sancto suo, sileat a facie ejus omnis terra.* Longe autem specialius Deus in Ecclesia in sacramento altaris, quod esse suum a Missæ sacrificio obtinet, per præsentiam suam corporalem nobis adest, ac proinde quodnam illi obsequii, et cultum tributum ibi præstandum esse existimas ? Certe non aliud, quam quieti animi recollectionem et silentium : *Sileat a facie ejus omnis terra. Silete a facie Domini Dei*, ut Sophonias inquit [4]. S. Dionysius Areopagita [5] Missam *saluturis hostiæ oblationem* appellat; at vero, visne scire, quomodo oblationem hanc honorare debeas? *Bonum est*, inquit Jeremias in Threnis suis [6], *præstolari cum silentio salutare Dei.* Unde sicut quando Filius Dei incarnatus fuit, de Cœlo summo in silentio descendit, Sapiente teste, qui ait [7] : *Dum quietum silentium tenerent omnia, omnipotens sermo tuus de Cœlo a regalibus sedibus venit* : Ita quoque summum silentium servandum est, dum Filius Dei per consecrationem a sacerdote factam, descendit in sacramentum altaris, quod est veluti quædam *extensio incarnationis*, ut SS. Patres loquuntur. S. Isidorus Pelusiota præceptum Aaroni, omnihusque posteris ejus a Deo datum consideransvidelicet quod ad offerendum Deo sacrificium tabernaculum ingessuri, in ministerio suo sacerdotali non laneis, sed lineis vestimentis uterentur, ita scribit [8] :

[1] SEN., l. *de Vita beata.* — [2] S. AMBR., l. V *de Virg.*

[1] *Vita S. Francis. Sales* — [2] CHRYS., *de Ver. Isa.* — [3] HAB., II, 20. — [4] SOPH., I, 7. — [5] S. DION. AREOPAG., *Eccl. Hier.* — [6] THREN., III, 26. — [7] SAP., XVIII, 14. — [8] S. ISID. PEL., l. II, ep. 45.

« Cum Aaron ejusque successores in templum, « sacrificii causa, ingrediebantur, laneis omnibus « vestimentis abjectis, vestes ex lino contextas in- « duebant arcanum aliquid continentes, atque illud « significantes, externos tumultus tum memoria « deponendos esse, nam qui rei sacræ causa ad « Deum accedit, nihil alienum, nec ullam rerum « ex materia constantium sarcinam afferre potest. »

**7.** — Inter decreta Ecclesiæ Gallicanæ epistola quædam inseritur Theodolphi episcopi in qua sequentia verba leguntur : « Non debetis ad Eccle- « siam ob aliam causam convenire, nisi ad laudem « Domini, et ejus servitium faciendum. Disceptа- « tiones vero, et tumultus, et vaniloquia, et cœ- « teræ actiones ab eodem sancto loco penitus pro- « hibendæ sunt. Ubi enim Dei sacrificium offertur, « angelorum frequentia inesse non dubitatur, peri- « culorum est tale aliquid dicere vel agere, quod « loco non convenit. Si enim Dominus de templo « illos ejecit, qui victimas, quæ sibi offerebantur, « vendebant et emebant ; quanto magis illos iratus « inde abjiciet, qui mendaciis, vaniloquiis, risibus, « et hujusmodi nugis locum divino cultui manci- « patum fœdant. » S. Anasthasius Synaita illos merito reprehendit Christianos [1] qui, postquam sa- cerdos unumquemque cor sursum levare hortatur, dicendo : *Sursum corda*, voces suas conjungere audent vocibus clerici, omnium circumstantium, nomine respondentis : *Habemus ad Dominum*, quomodo enim cor ad Dominum habet directum, qui de nulla re minus, quam de Domino cogitat? Si cor et oculos tuos in lascivam dirigis mulierem, si de rebus cogitas temporalibus et profanis, qua fronte in præsentia æternæ illius veritatis, quæ scrutatur renes et corda, mentiri audes, dicendo : *Habemus ad Dominum*? En verba ipsissima S. Anasthasii : « Quid vero adhuc respondemus ipsi? Habemus ad « Dominum quid ait ? Quid agis? Cujus mens cor- « ruptibilia temporaliaque errans cogitat? De pe- « cunia augenda, de voluptatibus, de prosequendis « litibus cogitas, et audes dicere : Habemus ad « Dominum? Vide quæso nunc, an animum sursum « ad Deum habeas, an ad diabolum potius. » Et paulo post in ejusdem orationis progressu hujusce dissolutionis erga mysterium quoddam, cui omnis debetur reverentia, et tanta attentio, summam his verbis ostendit inconvenientiam, et indignitatem : « Magna omnino miseria, magna socordia nostra « est; nam cum in omni orationis ac deprecationis « genere intentos nos ardentesque esse oportet, « tum vero vel maxime in illa divinorum operatione « mysterium, et in hujusmodi synaxi, cum ti- « more ac tremore assistamus Domino. Nunc autem « neque pura oratione, neque contritis mentibus « sensibusque offerentes utimur, lites, causas, « resque vanissimas his in conventibus agitemus. »

Divus Chrysostomus in homilia quadam illos perstringit fideles, qui non solum orationis tempore, verum etiam sub divino sacrificio fabulis vacare, et ridere præsumunt [1] : « Alios, » inquit « video stare, « et nugari dum præces fiunt, et quosdam ex illis » adhuc meliores, scilicet idem facientes non solum » dum fiunt preces, sed etiam dum sacerdos bene- « dicit, o audaciam ! quando erit salus quomodo « poterimus Deum placare. » Paulo post, ut nos ad reverentiam, divino officio exhibendam, permoveat, sequens suggerit motivum : « Nescis quod cum « Angelis stas cum illis cantas, cum illis hymnos « dicis, et stas ridens? Etenim non esset mirum, si « fulmen demitteretur ; digna fulmine sunt hæc. » Et quidem si in conspectu principum terræ tanta cum reverentia assistitur, quanto æquius est, ut in timore assistamus supremæ illi majestati, *quam adorant Dominationes , tremunt potestates* : maxime descendente ex æterni Patris sinu in altare ipsomet Dei Filio, ut fiat victima, in utilitatem et beneficium nostrum offerenda? In Concilio sexto Constantiensi hæc verba leguntur : « Non liceat mulieribus in « celebrationis tempore loqui, sed ut est vox Pauli « sileant, I, *Cor.*, XIV, v. 34, *Mulieres in Ecclesiis* « *taceant.* »

## DISCURSUS XII

IN CELEBRANTE MISSAM SINE DUBIO NECESSARIA EST CONSCIENTIÆ PURITAS, QUÆ EADEM MERITO ETIAM A CIRCUMSTANTIBUS EXIGITUR, UT MISSÆ FRUCTUM PARTICIPARE VALEANT.

IDEA SERMONIS. — 1. Summa conscientiæ puritas requiritur in celebrante Missam. Cur Sacerdos antequam consecret, lavet manus. — 2. Etiam audientes sacrum assistere debent cum puritate conscientiæ. Ad quod insinuandum ponitur in ingressu Ecclesiæ vas aquæ benedictæ. — 3. Antequam ad altare accedamus, omne peccati venenum deponendum est. Missæ sacrificium est vera effigies et repræsentatio cruenti sacrificii crucis, quod serio considerandum est. — 4. Quare Ecclesia præceperit diebus festivis et Dominicis audiendum sacrum et abstinendum ab operibus servilibus. Cum tantus sit fructus in sacrificio Missæ audiendo, cur non præcepit Ecclesia ut in dies audiatur. Cur tantum semel in anno præcepta sit. S. Communio. — 5. Missæ assistendum pura conscientia et sancta intentione. Cur requiratur sanctitas in ingredientibus templum multo magis in accentibus ad altare. — 6. Omnia quæ circa Sacramentum altaris sunt, debent esse sancta et sacrata. — 7. Ex ritibus et cæremoniis quibus olim sacrificia offerebantur colligitur quid de sacrificio Missæ sit sentiendum. Sacrificium Missæ per antonomasiam vocatur opus Dei. — 8. Sacrificium Missæ purificat animas nostras ab omnibus sordibus et maculis. Quamvis Christus, primarius offerens, purus sit ab omni macula, talis tamen etiam debet esse sacerdos, tanquam instrumentum Christi. Salutare monitum S. Caroli Borromæi pro audituris Missam.

[1] S. ANASTH. *Syn. orat. de sacra syn.*

[1] CHRYS., h. 84 *in Act.*

*Mundamini, et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo.* Gen., XXXV, 2.

**1.** — Sancto Patriarcha Jacob, ut videre est, Gen., XXXV, in principio sequens a Domino accepit præceptum : *Surge et ascende Bethel, et habita ibi facque altare Deo.* Observandum verum est, quod, priusquam in executione hujus præcepti altare pro sacrificio offerendo erigeret, prius sollicitus fuerit, ut omnes domus suæ familiares Deo gratos redderet et acceptos, nam ut Scriptura ait : *Jacob vero convocata omni domo sua, ait : Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini*; hac autem mundatione peracta, domesticis suis dixit : *Surgite et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare.* Quia vero *omnia in figura contingebant illis,* ideo sine dubio divina Sapientia nos Christianos docere voluit, quod, priusquam pro sacrificio Missæ celebrando vel audiendo ad altare accedamus, si condignum inde fructum percipere volumus, necessum sit prius e domo cordis et conscientiæ nostræ, idola, id est affectus inordinatos, appetitus, vitia et peccata penitus eliminemus, et ideo *mundamini* quia ut Oleaster ait [1] : « Qui Deo summo est litaturus, « oportet eum mundari intus et extra. » Quodnam obsecro, in eo existimatis latere mysterium, quod accedente consecrationis tempore sacerdos ante Canonem aqua manus lavet, illa Psalmi verba recitando : *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine etc.* Certe nullum aliud, quam ut per hoc insinuetur mundities, cum qua accedendum est ad sacrificium illud, in quo Agnus sine macula offertur. Sed dices fortasse, quod secundum rituale sacerdos manus suas lavet, priusquam paramentis sacerdotalibus se induat, quo igitur fine eædem manus aqua denuo abluuntur? Pro responsione igitur observandum est, quod sacerdos celebrans in altari, solum digitorum lavet extremitates, ad denotandum, quod conscientia nostra non solum a culpis gravibus, per manus præfiguratis, verum etiam a minoribus culpis per digitos significatis, purificari debeat, quantum humanæ possibile est infirmitati.

**2.** — Verum enim vero quia etiam sæculares et circumstantes simul cum sacerdote hoc sacrificium offerunt, necessum est, ut et ipsi debita conscientiæ puritate ad sacrificium hoc auscultandum accedant. Porro in libro Exodi Aaroni et Filiis ejus Deus præcipit [2] : *Facies labrum æneum cum basibus ad lavandum, ponesque illud inter tabernaculum testimonii et altare.* Quo vero fine Deus lavacrum istud erigi præceperit, sacer textus manifeste declarat, dum inquit : *Missa aqua lavabunt in ea Aaron et filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri erunt ad altare, ut offerant id eo.* Circa quæ verba persuadere mihi facile possem, solum in ministris sacerdotalibus hanc requiri munditiam et puritatem interiorem ; nisi Oleastro videatur, eamdem quoque requiri in omnibus aliis, qui ad altare accedunt, etiam Missam duntaxat auscultaturi : quod conveniens esse existimo, licet non sit necessarium, nec omissio ejus mortaliter culpabilis existat : « Adumbrat, » inquit Oleaster [1], « locus iste examen, quod « quisque facere tenetur, cum ingreditur domum « Dei, ut nonnisi lotus ingrediatur ; sed timendum « valde est, ut Augustinus notavit, ne maculas a « corpore extergas et laves, non autem a mente. » Ubi præcipue notanda sunt verba illa : « Quisque « facere tenetur. » Notat porro Cardinalis Baronius [2], quod in loco lavacri ænei, ab Ecclesia introducta fuerit pia illa consuetudo, ut in ingressus Ecclesiarum in promptu sit vas aquæ benedictæ, qua fideles se conspergant, priusquam ad altare appropinquent, lavent faciem pariter et manus. Habuitque ritus iste suam a populo electo originem quibus manus lavare usitatum erat, etiam priusquam ad orationes faciendas se accingerent. Imo et ipsi gentiles, priusquam templis suis pedem inferrent, lavandi se consuetudinem habebant, si quidem, ut Baronius subjungit, naturalis quidam est instinctus, quo homines Deo appropinquare prohibeantur, nisi puri sint et mundi. At vero qua ratione homo Deo magis approximare poterit, quam quo homo in sacramento et sacrificio Missæ appropinquat, ubi ipsemet Dei Filius corpore et anima tenus præsens assistit, nec solum sacerdotum contrectatur manibus, verum etiam in sacra communione nobis invisceratur ? Examinate omnes veterum sacrificiorum oblationes, quæ in tabernaculo offerebantur, quales fuerint ; et invenietis, quod mundiores inter illas, fuerint sacrificia incensi, thymiamatum et odorum ; sed quam hæc proportionem habere possunt cum Filio Dei, de quo dicitur, quod sit [3] *candor lucis æternæ, speculum sine macula.* Et tamen Propheta Regius in vetus tabernaculum ingredientibus irreprehensibilem et immaculatam præscribebat conscientiam [4] : *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo ? Qui ingreditur sine macula ; innocens manibus et mundo corde.*

**3.** — S. Epiphanius inquit [5] : « Serpens cum ve- « nerit ad bibendam aquam, priusquam bibat, « extra fontem evomit venenum suum, et postea « bibit ; ita et nos, quando ad altare Dei accedimus, « seponamus venenum pessimum ». Venenum vero animarum nostrarum est odium, invidia, rapina, concupiscentia carnalis, et omnia alia peccata, quæ æternam nobis mortem conciliant. Omnes domestici ad Jacob Patriarchæ familiam spectantes, mox ut altare illud erigendum esse intellexerunt, promptissimam Jacob exhibuerunt obedientiam ; dicit

[1] OLEAST., *ib.* — [2] EXOD., XX, 18.

[1] OLEAST., *ib.* — [2] BARON., an, 57, n. 106. — [3] SAP., VII, 36. — [4] *Ps.* XIV, 1. — [5] S. EPIPH., hær. 37.

enim sacer textus [1] : *Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, et inaures quæ erant in auribus eorum ; at ille infodit ea subter terebinthum,* Quo exemplo merito omnes incitari deberent Christiani, ut sacro altari cum fructu assistere possent, sepeliendo subter terebinthum, id est, sub arbore crucis omne inordinati affectus idolum ; Missa etenim nihil est aliud, quam viva quædam effigies, et repræsentatio sacrificii cruenti et crucifixionis Christi. Unde Origenes ait [2] : « Certum est, quia ubi mors Christi « animo circumfertur, non potest regnare peccatum ; est enim tanta vis crucis Christi, ut, si illa « ante oculos ponatur, nulla concupiscentia, nulla « libido, nullus furor, sed continuo ad ejus præsentiam totus ille peccati, et carnis fugatur exercitus » ; hoc autem in sacrificio Missæ perfecte completur, utpote quod memoriale est crucis, et passionis Domini nostri ; ac proinde Salvator noster monuit, dicens : *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Nullus profecto est verior aut securior nos interius purificandi modus, quam si serio consideremus, priusquam ad Missæ sacrificium accedamus, quod in eadem Missa Redemptor noster in altari Crucis, æterno Patri fuo ad salurem nostram de novo offeratur, idque non cum alia a sacrificio cruento crucis differentia' quam quod Missæ sacrificium sit incruentum ; quisquis enim hoc mysterium de industria, et ex proposito meditatus fuerit, omnem a corde culpam profligabit. Concilium Tridentinum in decreto *de observandis, et vitandis in celebratione Missæ,* hoc format argumentum [3] : « Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus « adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie « immolatur, satis etiam apparet omnem operam, « ac diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta « maxime fieri potest, interiori cordis munditia, et « puritate, atque exteriori devotionis, et pietatis « specie peragatur. »

**4.** — S. Augustinus ad propositum nostrum apte declarat mysterium, cur S. Mater Ecclesia fideles omnibus diebus festivis et solemnibus, quibus ad Missam audiendam singuli obligantur, ab operibus servilibus abstinere, et feriari voluerit ; nimirum ut ab omni negotio, et strepitu mundi expediti, tanto possent promptius vacare animarum saluti [4] : « Sciendum est », inquit « quod ideo a SS. Patribus « constitutum est Christianis et mandatum, ut in « solemnitatibus Sanctorum, et maxime in Dominicis diebus otium haberent, ut a terreno negotio « vacarent, et paratiores ac promptiores essent ad « divinum cultum, relinquerentque eo tempore « terrenam sollicitudinem.» Verum quæret aliquis, cur sancta mater Ecclesia, de salute filiorum suorum adeo sollicita, solum in diebus festis, ex præcepto obligantibus, fideles ad Missam audiendam astringere voluerit ; cum tamen ex sacrificio Missæ tanta Christianis proveniat utilitas, ut merito ad illam quotidie audiendam præcepto constringendi essent ? Ad hoc responderi potest, Ecclesiam multiplicandis transgressionibus nequaquam voluisse præbere ansam, siquidem prævidebat, tantam futuram esse majoris partis Christianorum negligentiam, ut vix etiam diebus præceptis ad Missam audiendam conveniant, ideoque eorum condescendere voluisse infirmitati ; cur enim eadem Ecclesia solum semel in anno, id est, temqore paschali, sacram communionem a fidelibus sumendam esse præcepit, cum tamen exinde tanta in animas singulorum redundet utilitas ? Verum quidem est, antiquum primis fidelibus usum fuisse, quotidie sacra se Eucharistia cibare, qui usus etiam aliquanto tempore duravit quando videlicet fideles omnes Missæ præsentes in eadem communicabantur ; at vero salutaris hæc consuetudo per multorum Christianorum negligentiam in desuetudinem abiit, ac proinde Ecclesia fideles nonnisi semel in anno ad communionem sumendam obligare voluit. Quamvis ut sacrum Concilium Tridentinum ait [1] : « Optaret quidem sacro « sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles astantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior perveniret. » Unde tametsi Ecclesia quemlibet Christianum semel tantum in anno communicare præceperit, per hoc tamen non excludit, nec prohibet, quin id frequentius facere possit, imo ad hoc sollicite exhortatur, et suadendo urget. Sicut enim medicus, videns infirmum nauseare cibum, qui ipsum sanitati restituere posset, eidem præcipit, ut ad minus semel in die cibum illum sumat, imo secus si faciat, mortem illi comminatur, nec tamen per hoc frequentiorem alimenti illius sumptionem prohibet, imo tandem desiderat, eique pro salute corporis recuperanda illam sumendam proponit ; ita quoque facit S. Mater Ecclesia. Porro una ex rationibus, ob quas Ecclesia potius diebus festivis, et dominicis Missam auscultari præceperit, quam in diebus profanis mea quidem opinione hæc est, ut videlicet hisce diebus ab omnibus sæcularibus curiis expediti, suam tanto studiosius mundare conscientiam possint, ut tanto majori cum reverentia, et fructu Missæ assistant.

**5.** — In vita B. Guilelmi Presbyteri, qui vitam duxit eremiticam, Bollandus ita scribit [2] : « Dum « semel tremendo altaris Sacrificio interesset, in « spiritu raptus, puerum Jesum vidit, pacem ab al- « tari susceptam per universam Ecclesiam distri-

[1] GEN., XXXV, 4. — [2] ORIG., *in Rom.* — [3] *Trid., sess.* 22. — [4] S. AUG., s. 151 *de temp.*

[1] *Trid., sess.* 22. — [2] BOLL., 10 feb.

« buere, pluribus tamen prætermissis, qui puritate « conscientiæ contempta, peccatorum labe erant « inquinati. » Nam ut Salvianus ad propositum nostrum optime dixit [1] : « Etsi peccator non prohi- « betur ab ingressu templi, debet tamen is aliter « non intrare, nisi ut mala antiqua defleat. » Et ideo tametsi Missa sit sacrificium propitiatorium, proque nostris peccatis offeratur, attamen ad eam accedere debemus tanquam peccatores, peccata commissa detestantes, proponentesque eadem deinceps amplius non committere. At vero quod sanguineis lachrymis deplorandum est, ea est hisce diebus multorum impiorum, Christiano nomine indignorum, Missæ sacrificio ad peccatorum suorum incrementum abutantur, dum videlicet ad eam accedunt, ut lascivæ mulieres spectent et spectentur ab ipsis, multasque animas retibus suis innectant. Divus Chrysostomus ingeniose observat [2], Regem illum Evangelicum, eum qui sine veste nuptiali ad nuptias accesserat, non condemnasse ideo, quia cum aliis convivio nuptiali accubuerat, sed quia ad locum nuptiarum intraverat : dicebat enim : *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem*? Non vero ait : *Ut quid discubuisti*? sed *cur intrasti*? Enim vero si in loco, Deo consecrato, sanctitatis in iis, qui ad illum ingrediuntur, requiritur, dicente Psalmista : *Domum tuam decet sanctitudo*, quanto magis eadem sanctitas circa altare requiretur, ubi præsens est agnus ille immaculatus, quem hisce verbis invocamus : *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*? David in Psalmo IV, dicebat : *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam. adorabo ad templum sanctum tuum in timore*; Cajetanus legit : *In multitudine gratiæ tuæ*; constat vero quod in templi illius altaribus boves tantum et oves aliaque animalia jugulata, immolata fuerint; tamen David non nisi cum conscientia munda et cœlestibus refertus gratiis in templum illud intrare satagebat.

**6.** — Dionysius Carthusianus in libro de vita curatorum ita scribit [3] : « Deus acceptans sacrifi- « cium, ipse est secundum divinam naturam, offe- « rens seipsum secundum naturam assumptam. Et « quoniam ipse Jesus Christus, est totus sanctus et « sanctitas, idcirco sacrificii hujus minister, qui « tenet vicem Christi, debet esse totus sanctificatus; « omnia, quæ circa sacramentum hoc sunt, debent « esse sacra, et sacrata, ut Ecclesia, calix, altare, « corporale, et ornamenta. » Et quia non solus sacerdos, sed etiam circumstantes in oblatione hujus sacrificii partem suam habent, ideo justum quoque est, ut et ipsi eandem sibi procurare munditiem teneantur; quam utique facile sibi comparabunt, si ea, quæ in Missa aguntur vel leguntur, attenta mente consideraverint; nulla enim est oratio, ritus nullus vel ceremonia, quæ ingentem non spiret sanctitatem. Et quidem de canone Missæ sacrum Concilium Tridentinum ita docet [1] : « Ut digne re- « verenterque offerretur ac perciperetur, Ecclesia « Catholica sacrum canonem multis ante sæculis « instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in « eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac « pietatem quandam redoleat, mentesque offeren- « tium in Deum erigat, is enim constat ex ipsis « Domini verbis, tum ex Apostolorum traditioni- « bus, ac sanctorum quoque Pontificum piis insti- « tutionibus. »

**7.** — Tametsi in lege veteri scripta, oves solum et boves, farina, incensum, aliæque similes oblationes in se ipsis viles immolarentur, nihilominus Deus Moysi pro illorum sacrificiorum æstimatione et decore, tot ritus, ceremonias, et circumstantias præscribere dignatus est, eo solum fine, ne sacrificia illa despicerentur. Ordinavit, et modo quodam miraculoso Aaronem in summum sacerdotem elegit; tribum Levi specialiter ad hoc ministerium deputavit; varia altaria, tabernaculum, arcam et sanctuarium fabricari jussit; præscripsit quoque varias vestes sacerdotales, multaque vasa aurea et argenta summo artificio, et pretio elaborata, quamvis sacrificiorum illorum victimæ præter boves et oves, aliaque similia animalia, nihil essent. Quid igitur de hoc sacrificio incruento dicemus, cujus omnia legis naturæ, et scriptæ sacrificia remotissimæ solum umbræ erant? Hoc argumentum Concilium Tridentinum in decreto *de observandis, et vitandis in celebratione Missæ* adduxit, dum ait [2] : « Quanta cura « adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ sacrificium « omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, « quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, « maledictum in sacris litteris vocari [3], qui facit « opus Dei negligenter. » Quis autem est, qui sacrificium istud ex pluribus capitibus *opus Dei* per antonomasiam appellandum esse non videat? In aliis namque operibus, Deus solum per sapientiam, omnipentiam, et concursum suum adest. Hic autem Dei Filius præsens est quoad corpus, animam et divinitatem, imo et omnes tres divinæ personæ per concomitantiam; præterquam quod Filius Dei ipsemet in persona propria in hoc sacrificio pro nostra salute operatur, et offert. Unde Blosius merito ait [4] : « Nihil in sacrificiis majus esse potest, quam corpus « et sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, « sed hæc omnes præcellit; quæ pura conscientia « Domino offerenda est, et pura mente sumenda, « atque ab omnibus veneranda. » In Liturgia S. Jacobi Apostoli (qui primus episcopus Jerosolymitanus, frater quoque Domini, ab utero materno purus, et, ut ex annalibus Ecclesiasticis colligitur primus fuit, qui post Christum Missam celebravit) referente eodem Blosio, sequentia verba leguntur [5] : « Non

[1] SALV., *de provid.* — [2] CHRYS., *ad Ephes.* — [3] DION. CART., *Vit. Cur.*

[1] *Trid.*, *ib.*, c. 4. — [2] ID., *ib.* — [3] JER., XLVIII, 10. — [4] BLOS., *in defers. hd.* — [5] *Ibid.*, c. 1.

« sum dignus, qui oculos obvertam huic sacræ, et « spirituali mensæ, in qua Unigenitus Filius tuus, « et Dominus noster Jesus Christus mihi, qui pec- « cator sum, et omnibus maculis labefactatns, mys- « tice proponitur in sacrificium. Proinde hanc ora- « tionem, et gratiarum actionem tibi offero, ut « mihi Spiritus Paraclitus mittatur fortificans, et « instaurans me ad hanc Missam. »

**8.** — Inter alios hujus sacrificii effectus S. Joannes Damascenus hunc quoque assignat, quod scilicet animas nostras ab omnibus sordium maculis purificet; ita enim scribit[1] : » Ad nostram conser- « vationem tendit, atque omne incommodum pro- « pulsat, eamque vim habet, ut spurcitiem omnem « abstergat. » S. Anastasius Synaita in oratione quadam irreverentiam, et abusus fidelium, circa Missam commissos, perstringens, inquit[2] : « Qua « ergo conscientia, quo animo, quid denique cogi- « tans, ad illa venis mysteria? » Suarez ad propositum nostrum sequentem adducit utilissimam doctrinam, inquiens[3] : « Oblationis dignitas ex « offerentis dignitate maxime pendet, juxta illud : « *Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus.* « Propterea hoc etiam quodammodo postulat digni- « tas rei oblatæ in hoc sacrificio, quæ infinita est, « et purissima, et ideo a simili offerente principa- « liter offerri debet, ut talis oblatio numquam fieri « possit a persona, quæ non sit Deo grata, et in « omnibus actionibus suis pura et sancta; nam ut « sacrificium sit purum, non satis est, quod res « oblata pura sit, sed idem requiritur in persona « offerente, quia sacrificium in oblatione, et ac- « tione consistit; sola autem Christi persona est per « se sancta, et in omnibus actionibus suis rectis- « sima; non ergo debuit hoc sacrificium ab alio, « quam a Christo principaliter offerri. » Verum enim vero tametsi Christus sit principalis offerens, non tamen ideo sacerdos, quo Christus tanquam instrumento utitur, immunis est ab obligatione sanctitatis et puritatis, utpote qui sacratissimum ejus corpus manibus contrectare debet; imo eadem puritas etiam in circumstantibus ob jam dictam rationem requiritur, quia cum sacerdote simul offerunt, et concelebrant; unde sacerdos in canone dicit : « Et omnium circumstantium quorum tibi « fides cognita est, et nota devotio, pro quibus tibi « offerimus, vel qui tibi offerunt, etc. » Unde S. Carolus in instructione prædicatorum, iisdem serio præcipit, ut hoc punctum populo in sermonibus suis inculcent, ut, dum per campanam signum imminentis Missæ dari audiunt, quilibet « paulisper se « colligens, mortalis peccati conscius, dolore ex eo « affectus, proposito illius confitendi suscepto, sup- « plex a Deo veniam petat. » In Concilio provinciali Mediolanensis tertio hæc verba leguntur : « Cum « audiendæ Missæ rationem populum parochus do- « cet, quo ex propitiatorio illo sacrificio uberiorem « ille fructum capere possit, hoc eum sæpe admo- « neat, ut campana signo dato, quo fideles ad Missæ « sacrum vocantur, sese quisque colligens, si sibi « alicujus mortiferi peccati conscius est, summo ex « dolore affectus, vitæque emendandæ certo sta- « bilique proposito suscepto, supplex a Deo veniam « petat. » Nimirum S. hic Archiepiscopus utpote in beneficium gregis sui a Deo eximie illuminatus, probe cognoscebat, quanti referat huic sacrificio cum conscientia, si non omnino pura, ad minus per actus veræ compunctionis, veræque emendationis proposito præparata assistere, ut fructus inde percipi possit. Unde sacerdos in oratione quadam secreta dominicæ primæ adventus ita orat : « Hæc sacra nos Domine, potenti virtute mundanos « ad suum faciant puriores venire principium. » Albertus Magnus, a S. Antonino citatus, inquit[4] : « In mortali existens non debet multo intuitu res- « picere corpus Domini, sed indignum se reputare, « et in transitu videre. » Et in Liturgia S. Jacobi Apostoli, ut Baronius scribit[5], diaconus ad populum conversus, alta voce intonabat : *Sancta Sanctis.*

[1] S. Joan. Dam., l. IV *fid. orthod.* — [2] S. Anastas., *Syn. or. de sacra synaxi.* — [3] Suar., t. III *de sacr.*

## DISCURSUS XIII.

DE MODESTIA, ET REVERENTIA MISSÆ SACRIFICIO DEBITA; UBI ETIAM HI, QUI ERGA SACRUM ALTARE, DUM IN EO MISSA CELEBRATUR, IRREVERENTER SE HABENT, REPREHENDUNTUR; VARIAQUE RECENSETUR SUPPLICIA ILLORUM, QUI MISSAM CONTEMPTUI HABENT, VEL AUDIRE NEGLIGUNT.

Idea sermonis. — 1. Non solum in sacrificante, sed etiam auscultante maxima exigitur veneratio erga tremendum hoc mysterium. Allusio inter sacrificium Eliæ et sacrificium Missæ. Alia allusio ad devotionem et reverentiam gentilium erga sua delubra. Multo major veneratio debetur nostris templis et altaribus. Imitari debemus in hac veneratione Cherubim et Seraphim. S. Elisabeth cum maxima veneratione audiebat Missam. Taxatur vanitas mulierum in Ecclesia. — 2. Theodosius Junior ineffabili veneratione prosequebatur templa et sacra altaria. Invectiva in illos, qui in templo sunt garruli et insolentes. Et carnalia petractant. — 3. Qui hoc faciunt, similes sunt Hebræis, qui Christum in cruce deridebant. Quando sacrilegus rex Balthasar senserit iræ divinæ fulmina. Propter peccata, quæ committuntur in contemptum altaris, Deus est inexorabilis. — 4. Afferuntur variæ historiæ, quomodo puniti fuerint diversi, S. Missam contemptui habentes.— 5-7. Alia exempla.

*Pavete ad sanctuarium meum.* Levit. XXVI, 2.

**1.** — Deus olim in tabernaculo suo a populo Hebræorum timorem, et tremorem sanctum in conspectu sanctuarii exigebat; cum tamen illud non

[4] Ant., p. 2, tit. 9. — [5] Bar., an. 63, n. 17.

nisi purum lignum esset, ex quo etiam arca constructa erat. Qualis igitur erga sacrum altare a nobis exigetur veneratio, in quo Deus ille in persona propria, et sacrosancta ejus humanitate sacrificatur, quem *adorant Dominationes, tremunt Potestates*? S. Ambrosius in oratione quadam præparatoria ad Missam [1], a Deo petit edoceri « quanta cordis con-« tritione, et lacrymarum fonte, quanta reverentia, « et tremore, quanta corporis castitate, et animæ « puritate, istud divinum et cœleste sacrificium sit « celebrandum. » Quod idem quoque considerandum est ab iis, qui Missam auscultant. D. Chrysostomus nos invitat, ut mentem nostram ad miraculosum illud elevemus sacrificium quod olim Elias obtulit, indeque discamus, quid nobis circa sacrificium hoc incruentum faciendum incumbat. En verba ipsius [2] : « Ponito ob oculos Eliam illum, « præterea et infinitam illam turbam circumfusam, « et sacrificium lapidibus superpositum; tum vero « reliquos omnes admodum quietos, et taciturnos, « solum autem Prophetam preces fundentem; se-« cundum id flammam de repente de cœlo dela-« bentem, sacrificiumque ipsum lambentem; mira « sunt ista profecto, ac stupore omni plena. Ab illis « ergo sacris ad nostra sacra te transfer, nec ea « mira modo esse videbis, sed etiam omnem stu-« porem excedentia; adest enim sacerdos, non « ignem gestans, sed Spiritum Sanctum, is preces « diuturnas fundit, non quo flamma cœlitus de « lapsa sacra apposita absumat, sed ut gratia in « sacrificium influens, per illud ipsum omnium « animos inflammet, et puriores reddat. » Ex quibus omnibus venerationem deducit, qua nobis Missæ sacrificio est assistendum, continuamque devotionem erga illud, qua a nobis omne, erga idem sacrificium, propellamus, ideoque subjungit : « Hoc « enim mysterium est omnium maxime horren-« dum, verendumque, quis igitur, qui non admo-« dum sit insanus, fastidire ac despicere illud po-« terit? » Idem quoque S. Doctor alibi in quadam homilia, nostra sacrificia nostramque erga illa devotionem cum illa confert reverentia, qua gentiles olim, non solum officiis assistere, sed et Philosophum Pythagoram venerari solebant; ita enim loquitur : « Et quid me dicere necesse de Deo divi-« nisque rebus? In homine quoque eos hoc fecisse « manifestum est seductore, atque mago Pythagora, « quem velut oraculum observabant, dicentes : Hoc « ille dixit; atque in templis eorum superne, silen-« tium inscriptum est, continebatque digito os, et « labia comprimebat, prætereuntes omnes de silen-« tio admonens. An vero illa honestiora, quam « nostra sunt, ut in illorum comparatione ridicula « nostra esse putentur? » Seneca Philosophus de diis gentilium profanis disserens, inquit [3]: « Egre-« gie Aristoteles ait : Numquam nos verecundiores « esse debere, quam cum de diis agitur. Si intra-« mus templa, compositi sumus si ad sacrificium « accessuri, vultum submittimus, togam adduci-« mus; si in omne argumentum modestia fingi-« mur, quanto hoc magis facere debemus cum de « sideribus, de stellis, de deorum natura disputa-« mus. » Quæam vero potest esse proportio inter ritus gentilium, et ritus sacrosanctos Christianorum, maxime si de illis sermo sit, qui ad ineffabile incruenti sacrificii mysterium ordinantur? Quanto major illis debetur veneratio, quam quæ olim dæmoni exhibebatur? maxime cum D. Chrysostomus *sacrificium hoc horrore, et veneratione plenissimum* esse dicat [1]. Apostolicas inter constitutiones, in quibus de Missæ sacrificio tractatur, hanc ab Apostolis in ejusdem honorem legimus pronunciatam [2] : « Stemus erecti cum metu et tremore, ad offeren-« dum. » Qua propter Ecclesia sancta, priusquam hostiam consecremus sacrificiumque offeramus, sapientissime statuit, ut in præfatione infinitæ meminerimus reverentiæ, qua in supremæ Majestatis illius conspectu Cherubim assistunt et Seraphim. Quasi per hoc nos admonere voluisset, quod si sublimissimi illi spiritus adeo contremiscunt, nos multo magis in tanti sacrificii præsentia, timere et contremiscere debeamus, qui vilissimi sumus vermiculi; ad quod se reflectens D. Chrysostomus, inquit [3]: « Ubi prius Cherubim nominavit, et Sera-« phim mentionem fecit, tunc demum ad hanc « tremendam vocem mittendam omnes adhortatur; « et dum eorum nos admonet, qui nobiscum choros « agitant, mentem nostram a terra subducit; « unum quemque nostrum his prope modum verbis. « Una cum Seraphim canis, una cum Seraphim sta.» Cui fidelissime paruisse mandato legimus S. Elisabetham, Ungariæ reginam, de qua Surius ita scribit [4] : « Consuevit ab adolescentia sua cum hu-« militate maxima super Missarum sacris mysteriis « interesse, oculi namque fidei, excellentiam inef-« fabilem intuens sacramenti, ad propriæ eondi-« tionis parvitatem respiciens, ornatum corporis « exteriorem, capitis, pectoris, brachiorum, digi-« torum, cætororumque membrorum infra Missæ « officium solvit et minuit, inclinavit, vel penitus « removit. Hora vero Evangelicæ lectionis et cano-« nis, et qua Dominicum corpus et sanguis a sacer-« dote immolatur et sumitur, hanc humiliationem « præcipue studuit exhibere. » Indubie illius Apostolici ad Corinthios memor documenti [5] : *Debet mulier potestatem* (id est velum) *habere super caput propter Angelos*. Ubi Apostolus de Eucharistiæ institutione et consequenter de prima Missa tractat quasi Apostolus cum illa exteriorem quoque conjungere

[1] S. Ambr., s. 3 *in præpar. ad Missam.* — [2] Chrys., *de sacerd.* — [3] Sen., l. VII *Nat.*

[1] Chrys., l. VI *de Sacerd.* — [2] *Const. Apostol.* — [3] Chrys., *de Cherubin.* — [4] Sur., 19 nov. — [5] I Cor., xi, 10.

voluisset modestiam, præsertim autem mulierum, quæ (maxime autem in Ecclesiis) causa ruinæ esse solent. Quem textum S. Thomas ita ad præsens explicat intentum[1] : « Debet mulier velamen habere « semper in Ecclesia propter Angelos, id est, propter « sacerdotes, duplici ratione ; primo quidem propter « eorum reverentiam, ad quam pertinet, quod mu- « lieres coram eis honeste se habeant. Secundo « propter eorum cautelam, ne scilicet ex conspectu « mulierum non velatarum, ad concupiscentiam « provocentur. » Quam proinde aliquarum insolentium fœminarum dissolutionem S. Anastasius Synaita, ubi de Missa et Eucharistia, ad quam fideles conveniebant, tractat, in hæc reprehendit verba[2] : « Nonnullæ mulieres diabolo inservientes in Eccle- « sia non tam vacant orationi, quam spectari, « incautosque ac simplices multos in errorem stu- « dent inducere. »

**2.** — Infinitam nullo non sæculo meretur laudem reverentiam, qua Theodosius junior ineffabile hoc mysterium prosecutus fuit, ut enim id, quod Concilium Ephesinum statuerat, executioni incunctanter mandaretur ab omnibus, suis ipse insigne præbuit exemplum, quando in sacri altaris reverentiam et honorem, diadema imperiale deponere non dubitavit, prout ipsemet his attestatur verbis : « Nam « et nos, qui legitimi imperii armatis semper cir- « cumdamur ; quosque sine armatis stipatoribus « esse non convenit, Dei templum ingressuri foris « arma relinquimus, et ipsum etiam diadema, « regiæ majestatis insigne deponimus, et sacra « altaria munerum tantum offerendorum causa « accedimus quibus quoque oblatis ad extimum, « communeque attributum mox nos recpimus. » Audiant hoc, qui debitum erga sacrificium amisere respectu, sed magis expavescant, quod contra ipsos in antiquo concilio quodam in hæc statuitur verba[3] : « Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo » sacrificiis deleatur, quid de cœtero pro delicto- « rum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa « sacrificii oblatione peccatur? » Ad quod idem Origenes se reflectit, dum ad vocabulum *Zacharias* quod *memoriam Dei* significat alludens, illum explicat Matthæi textum : *A sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum, et altare.* In hujus namque textus commentario ita discurrit[4] : « *Inter templum et* « *altare* ab impiis memoria interficitur Dei, quando « et templum Dei a lascivis corrumpitur, et altare « ipsius sorditatum coinquinatur per negligentiam « orationum. » At vero quid dicemus, si altare Dei non solum per orationis neglectum, verum etiam per dissolutiones, et licentiam sensualem, et carnalem contaminetur? S. Anastasius Synaita adversus irreverentes erga hoc sacrificium his verbis invenitur[1] : « Quid autem tu audes homo? Angeli « sacro funguntur ministerio; sex aliferi mensam « mysticam obtegunt? adstant cherubim hymnum « trisagium clara voce canentia, seque reverenter « inclinantia. Sacerdos autem tibi laborat, tibi « misericordiam poscit, omnibus denique cum ti- « more ac tremore intentis, dum videlicet Agnus « Dei ceditur, dum Spiritus Sancti gratia cœlitus « adlabitur ; Angeli nobis nihil videntibus, cunc- « tum populum circumeunt, corda fidelium quasi « digitum intendentes ostendunt, et tanquam des- « cribunt, nec tu contremiscis, imo vero contem- « nis. » At vero qui de illis temerariis dicemus, qui non solum non contremiscunt, et pavent, sed præsumptuosi, et sacrilegi, in ipsomet actu, qua sacra hostia æterno Patri pro ipsorum salute offertur. transgressionibus et injuriis mortalibus ipsum actualiter offendunt? Idem Anastasius paulo ante inverecundam eorum describit insolentiam, qui non tam alio tempore, quam quo celebratur, strepitus et rumores excitare non formidant, ita enim scribit « Alii in templo Dei non horam quiescunt, futiliter « inter se garrientes, et ineptiis potius, quam ora- « tionibus strepentes. Alii sacri ministerii, cultus- « que divini desertores, carnis sese dedunt volup- « tatibus. Alii minime vacant, neque suam atten- « dentes conscientiam peccatorum sordes agnos- « cunt, et purgant, sed peccatorum onera sibi ipsis « majora etiam atque etiam cumulant imponuntque; « fœminarum pulchritudinis, fœminarumque stu- « diosi spectatores in Ecclesia Dei, effrænata amen- « tique libidine, sic ut in prostibulo versantur. Alii « de mercimoniis confabulantur horam illam pror- « sus horribilem, quasi agendo utendoque foro « ducunt. »

**3.** — Contemplativus quidam, inquit, quod cum Missæ sacrificium repræsentatio quædam sit mortis Redemptoris, in Calvario monte toleratæ, hi qui coram facie Christi, dum sacrificatur, rident, garriunt, lascivisque aspectibus altare profanant, similes sint Hebræis illis, qui Christum in Crucis patibulo suspensum deridebant et subsannabant[2], ac *prætereuntes blasphemabant moventes capita sua.* Et tamen quis est, qui nesciat, Missam non alio fine institutam esse, quam ad sanctissimæ Trinitatis gloriam, et nostram utilitatem? Unde S. Irenæus ait[3] : « Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit « offerri in universo mundo, purum sacrificium « reputatum est apud Deum, et acceptum est ei, « non quod indigeat a nobis sacrificio, sed quoniam « is qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, « si acceptetur munus ejus. » Considerastisne aliquando tempus, quo divinæ iræ fulmina, in sacrilegum Balthasarem regem evibrata fuerunt? Non utique quando se inebriavit vino neque quando

[1] S. Thom., *ib.* — [2] S. Anast., *Syn. orat. de sac. Syn.* — [3] *Conc. Bracar.* — [4] Orig., *tr. 26 in Matt.*, xxiii, 35.

[1] S. Anastas. Syn., *ib.* — [2] Matth., xxvii, 39. — [3] S. Iren., l. IV *cont. hær.*

cum concubinis suis voluptuabatur sed quando vasa sacra, sacrificiis in templo sancto Jerosolymitano in honorem veri Dei offerendis destinata, ausu sacrilego profanavit[1]; quando *enim biberunt in eis rex, et optimates ejus, uxores et concubinæ illius, in eadem hora apparuerunt digiti, etc.* Ostendit olim Deus, Ezechieli prophetæ impios illos, qui dorsum altari vertebant[2]: *Et ecce in ostio templi inter vestibulum et altare, quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini.* Quod scelus Deus paulo post exagerans in hæc verba protestatur : *Conversi sunt ad irritandum me; ergo et ego faciam in furore; non parcet oculus meus, nec miserebor; et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos;* quasi dicere vellet : Propter peccata, quæ in contemptum altaris mei committuntur, sum inexorabilis : nam ut D. Chrysostomus ait [3] : « Quomodo veniam pos-
« tulabis tuorum delictorum ? quomodo ad miseri-
« cordiam Dominum inflectes, qui usque adeo con-
« temptim offers præcationem. » S. Anastasius quoque ejusmodi irreverentibus, et dissolutis Christianis in hæc verba exprobrat : « Quid agis homo
« Sacerdos pro te sacrificium offert incruentum, et
« tu spernis ? Sacerdos tua causa laborat, atque ut
« horribili in judicio sic altari adstans deprecatur,
« nimirum Spiritus Sancti gratiam ad se cœlitus ut
« eliciat et tu salutem non curas tuam. »

**4.** — Porro in historia multa leguntur illis irrogata supplicia, qui præceptum Ecclesiæ transgredientes, Missam diebus festis auscultare negligunt vel illam se contemptui habere factis ostendunt. In Catechismo historiali legitur[5], quod « prope Apa-
« mæam Syriæ pueri, pro recreatione, Missæ sa-
« crum, sacerdote, et cœteris ministris ex suo nu-
« mero lectis, imitari instituerint, altaris loco in-
« gens saxum elegerint, in eo panem collocarint
« et sacrum super eo canonem, (quam ex fre-
« quenti auditione memoriter tenebant) recitarint,
« indeque longius ad communionem profecti sint,
« cum de repente fulmen de cœlo saxum comminuit
« ipsos humi fudit, panis speciem absumpsit, pa-
« rentes dum liberos suos requirunt, ad eum
« locum cum perveniunt, exanimatos domum re-
« portarint nocte demum exacta receperint se pau-
« latim, atque exanimationis causam declarantes,
« Deo in monasteriis mancipati fuerint. »

**5.** — In eodem Catechismo historiali, paulo ante refertur de Michaele III Imperatore (qui ob ebrietatem suam alter Nero; ob temeritatem, et ausum alter Phaeton; ob carnis petulantiam alter Sardanapalus fuit) quod inter alia sua scelera etiam in contemptum Missæ valde fuerit sacrilegus; nam [6]
« per contemptum, et ludibrium sinapi in vase
« obtulit, et cum ob id a matre reprehenderetur,
« impius etiam in eam, quæ ei vitam tribuisset,
« a verberibus non abstinuit, sed a Basilio post eum
« imperante, gladio in æde sacra tanti sceleris
» supplicium luit. »

**6.** — Ibidem alius quidam terribilis casus refertur [1], qui quodam e societate Jesu sacerdote celebrante contingit; cum enim « Petrus Phac germa-
« nus, societatis Jesu, in civitate Elbinga, ubi con-
« cionabatur contra Lutheranos, aliquando celc-
« braret, et sacram Eucharistiam elevaret, ausus
« est homo quidam turpissimus depositis in medio
« templo caligis obcœnissimas corporis sui partes
« altare versus exponere sed audaciam hominis
« secuta est ultio divinitus irrogata, nam illico in
« eodem loco concidit, cum pes unus cespitasset,
« sociorumque manibus in proprias ædes deporta-
« tus graves pœnas suæ in Deum contumeliæ per-
« solvit. »

**7.** — In vita S. Defendentis P. Bollandus portentosum quemdam refert eventum, qui prima face, incredibllis esse videtur dicit enim de hoc sancto [2]:
« De quo miraculum Odoloviæi pago diœcesis Casa-
« lensis narratur, quod cum quidam in die festo au-
« cupatum potius ire, quam Missam audire voluisset
« mox ut perdices captas coquere cœpit, ille statim
« rediviva eo obcæcato evolarint, qui tandem facti
« pœnitens ad aram sancti martyris orans, et ve-
« niam impetravit, et visum recuperavit. » Similiter anno 1573, ut idem Catechismus historialis refert, Hispaniæ comitatu quodam accidit, quod Parochus in die dominica, Missa nec audita nec celebrata venatum abierit qui dum manum suam foramini immitteret, in quod cuniculum quemdam ingredientem videret, mox vivus a terra absorptus fuit, et licet socios inclamaret pro ferendo sibi auxilio, nullus tamen sociorum opem illi ferre potuit.
« Paucis vero diebus post Beatæ Virginis patrocinio
« damnationi subtractus, apparuit in æde Deiparæ
« Guadelupæ gratias acturus, dicebatque se pœnas
« ineffabiles sustinuisse, et hortabatur omnes ad
« Missæ auditionem, et cultum Deiparæ. » In eodem Catechismo sequens refertur [4]: nam « Adolescens
« quidam spretis parentum monitis, post habita
« Missa, aliorsum ut luderet, declinavit quem dæmon
« ligatum in piscinam detrusit, ut eum præfo-
« caret, sed parentes a servo inquisitore ejus,
« quo in statu res ejus versaretur, certiores facti,
« confestim avolantes, fluitantem illum morti eri-
« piunt, et sensu excussum sancti Procopii ossibus
« applicant sanumque eorum beneficio reducunt. »
E contra vero immensa laude digna fuit illa, de qua scribitur, quod zelo singulari ad missam audiendam extimulata fuerit tametsi a matre ab eadem audienda prohiberetur, « En verba Catechismi [5] :
« Geruntia S. Genovefæ solemni quodam festo ad

[1] DAN., v, 3. — [2] EZECH., VIII, 16. — [3] CHRYS., h. 1 *de Verb. Iso.* — [4] S. ANAST., *ib.*— [5] *Catechism. hist.*, c. 5. — [6] *Ibid.*, n. 2.

[1] *Ibid.*, tit. 29. — [2] BOLL., c. 8 *Joan.* — [3] *Cat. hist.*, c. 4, tit. 6. — [4] *Ibid.*, t. II, c. 5. — [5] *Ibid.*, t. IX.

« templum vadens, filiæ domum custodire præci-
« piebat, quæ monitorum S. Germani Episcopi
« memor, et semel datæ Deo fidei respondit matri,
« se salva conscientiæ suæ integritate domi manere
« et a sacro abesse non posse, proinde malle ma-
« trem, quam Deum offendere : mater irata cola-
« phum filiæ impegit, pro quo punita a Deo bienni
« cœcitate fuit, donec agnita culpa a S. Virgine
« visum recuperavit. »

## DISCURSUS XIV.

TÆDIUM ET NAUSEA ILLORUM, QUI MISSAS AUSCULTARE FASTIDIUNT, REPREHENDITUR, SIMULQUE DECLARATUR, QUOD LICET MISSA A MALO SACERDOTE CELEBRETUR, EJUS TAMEN VALOR INTEGER PERMANEAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Hebræi nauseaverunt esum mannæ multi Christiani panem Eucharisticum, cujus illud figura fuit. — 2. Cum SS. Missæ sacrificium sit quotidianum, illud audire negligimus. Pulchra similitudine perstringitur talis negligentia. — 3. Multi conqueruntur de prolixitate Missarum, quæ tamen olim fuerunt multo prolixiores. — 4. Aliqui fastidiunt audire sacrum quod legitur a sacerdote criminoso et scandaloso. — 5. Durante sacrificio Missæ Deus sacerdotem immundum purificat, qui Missa absoluta, easdem contrahit sordes. — 6. Aliud simile exemplum. Malus sacerdos nihil officit valori Missæ sacrificii. — 7. Miserabilis visio S. Theresiæ circa pravum Sacerdotem, Missam celebrantem.

*Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo.* Num., XXI, 5.

**1.** — In dubium revocari nequit, quin ut ex ipsiusmet Salvatoris testimonio Joan., VI, colligitur, superni illius manna suavitas Eucharistiæ sacramentum præfigurarit ; quemadmodum vero Hebræorum populus olim cibum illum cœlitus præparatum fastidiens, dicebat : *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo,* eodem modo, ut per experientiam videmus, multi Christianorum hunc Angelorum panem aversantur, non solum sub ratione communionis sacramenti, verum etiam ut sacrificium est et ideo cum tædio semper illi assistunt. Porro S. Joannes Evangelista refert, quod quando Incarnata Sapientia ineffabile institutionis sacratissimi corporis sui, quod in Missa consecratur, mysterium prædixit, nonnulli ex Christi sequacibus inter se dixerint [1] : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ?* Hisce plurimi hoc tempore inter Christianos simillimi videntur; quod enim sunt, quibus durum esse videtur, tempus Missam auscultando conterere, magnamque proinde illius etiam diebus festivis audiendæ nauseam et fastidium habent?

**2.** — Sacrificium hoc incruentum, ut ex verbis S. Pauli, quibus a sacerdote calix consecratur, colligitur, *mysterium* fidei appellatur : et merito quidem, siquidem non oculis corporeis, sed solum puro et sincero fidei oculo conspicitur; unde S. Thomas ait [1] : « Quod non capis, quod non vides « animosa firmat fides, etc.» Enim vero si sciremus quod Filius Dei in Ecclesiam quandam visibiliter descensurus esset, multis Angelorum choris circumdatus, idque eo præcipue fine, ut allatis secum paradisi thesauris circumstantes locupletaret, quisnam ex nobis futurus esset adeo segnis et piger, qui, ut gloriosum illud spectaculum videre posset velocissime non accurreret? quis non libenter non dies solum, et septimanas, sed annos et sæcula integra non expectaret, ut tali visione frui posset? Jam vero fides ipsa nos docet, quod Verbum incarnatum nostro intelligendi modo, a dextera Patris in terram veniat, ut hostiam consecratam subingrediatur, cœlique ærarium patefaciat, ad nos locupletandos ; *quomodo non enim etiam cum illo omnia nobis donavit* ? ut inquit Apostolus. Quod si in decursu totius anni in toto mundo Christiano unica duntaxat missa celebraretur, quis non libenter ingressurus esset iter quantumque longum, molestum et sumptuosum, ut illi interesse posset? Nunc vero quia tanta sacrificiorum missæ copia et multitudo, ut quovis momento illam auscultare possimus ideo illam nihili facimus, imo fastidimus, ut proinde dicere liceat, quod sanctus Augustinus de miraculosa panum multiplicatione, in solitudine facta, disserens, ait [2]: « Servavit sibi quædam, quæ face-
« ret opportuno tempore, præter usitatum cursum
« ordinemque naturæ, ut non majora, sed insolita
« videndo stuperent, quibus quotidiana viluerunt. »
Quod si ad eum modum, quo Hebræis olim prohibitum fuit, ne montem Sinai, in quo Deus Moysi loquebatur, ascenderent, nobis quoque interdicere tur, ne missæ sacrificio assisteremus, quantum inde contristandi essemus, utpote qui tam sublimi honore, bonoque adeo infinito destitueremur? Nunc vero quia ad illud sacrificium quotidie tam facilem habemus aditum, immensum hoc beneficium non solum non æstimamus, verum etiam fastidimus. Si princeps aliquis quolibet mane promptam daret audientiam, signaturamque gratiæ instituerat, ad subscribendum favorabilia rescripta et memorialia, hinc inde sibi præsentata ; ad benevole audiendum alienas necessitates, illisque succurrendum; ad eximendum a vinculis captivos, tam illos qui delictorum capitalium rei essent, quam qui civilibus essent debitis onusti, quis non promptus accurreret, quis non libenter tempus illud audientiæ expectaret, ut emolumentis tam eximiis gaudere posset? Nunc vero ex discursibus præcedentibus missam sacrificium propitiatorium et impetratorium esse, indeque

[1] JOAN., VI, 61.

[1] ROM., VIII, 32. — [2] S. AUG., tr. 34 *in Joan.*

in nos immensa bona derivari audivimus, ut proinde merito nos mutuo hortari deberemus, dicendo [1] : *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Et tamen quot sunt hisce temporibus, qui, nisi præcepto Ecclesiastico sub pœna culpæ mortalis ad missam diebus festivis audiendam obligarentur, numquam ad illam auscultandam accederent?

**3.** — *Nauseat anima nostra, etc.* Quot sunt hisce diebus, qui de Missarum prolixitate, et longitudine nauseabundi conqueruntur? Et tamen S. Proclus, ut annales Ecclesiastici referunt [2], Episcopus quondam Constantinopolitanus existens, *de traditione Missæ* brevem quemdam tractatum post se reliquit, in quo Missam olim longissimam fuisse, postea vero a S. Basilio abbreviatam, ac tandem a S. Joanne Chrysostomo ob pigritiam, et nauseam Christianorum, in Ecclesia potius lenocinantium, quam Missam auscultantium, compendiosiorem factam fuisse tradit. Idem Baronius refert, quod inter alios abusus a S. Augustino sublatos unus fuerit, quod videlicet multi e Missa recederent, priusquam eidem finis impositus fuisset; alter vero quod quo tempore Missa celebrabatur, circumstantes fabulis vacare consueverint, quem utrumque abusum, præcipue vero Missarum prolixitatem fastidientium, idem Augustinus graviter reprehendit. Cum aliquando insigni illi Dei servo Angelo de Paz annunciaretur plurium querela, qui illum prolixam nimis Missam celebrare lamentabatur, is se excusavit, dicendo : Certus sum, quod Missa mea nunquam ad illud usque tempus se extendat, quod Christus Missæ sacrificii cruenti in monte Calvario celebratæ impedit, hæc enim quatuor horarum spatio duravit. Considerent, obsecro, hi, qui de Missæ prolixitate conqueruntur, damnum, quod sibi ipsis conciliant, quia si subditus prolixam Principis sui desiderat, et ambit audientiam; benignumque, et familliare illius colloquium, quantumvis diuturnum, ut hac ratione desideratos ab eo favores, et gratias implorare, aut ad beneficia aliis impetranda occasionem habere possit; quanto magis Christianus gaudere deberet, se opportunitatem fuisse nactum, ut in Missa longo tempore, præsentia corporali Filii Dei ibidem ad nos divina gratia sua cumulandos, bonorumque terrenorum prosperitate locupletandos realiter existentis, frui possit? D. Chrysostomus se intelligere non posse profitetur, quomodo Christianus comœdiis profanis quantumcumque prolixis oculos, et aures avidas sine ullo fastidio præbere possit, et postea verbum Dei auscultare adeo fastidiat : « Hic « vero, » inquit, « ubi loquitur Deus [4], ne exiguum « quidem patientiæ tempus expectat. » Quæ verba etiam illis, qui Missas impatienter audiunt, facile applicare possumus ; in hac enim non solum Deus in propria persona loquitur, verum etiam ipsemet est sacerdos, victima et sacrificium. En ipsamet D. Chrysostomi verba : « Centum et sexaginta « horas habenti in hebdomada, unam et solam « horam sibi segregavit Deus, et hanc in opera « sæcularia et ridicula et conventicula insumis? »

**4.** — *Nauseat anima nostra.* Sunt et alii, qui Missam quidem absolute non fastidiunt, sed in quantum ab hoc vel illo criminoso et scandaloso sacerdote celebratur; qui tamen non majus habent nauseæ suæ fundamentum, quem alii, siquidem ut in sententia gravissimorum auctorum dicturi sumus, valor sacrificii nec quicquam deperditur ex eo, quia manu sinistra oblatum fuit, id est, quia minister ejus malus et scandalosus existit. In cujus probationem deservit illa Concilii Tridentini decisio, qua dicitur [1] : « Et hæc quidem illa munda oblatio « est, quæ nulla indignitate aut malitia offeren- « tium inquinari potest. » S. Bonaventura similiter in hac materia ita resolvit [2]: « Dicendum, quod de « Missa est loqui, quantum ad substantiale, quod « est ibi et hoc est consecratio corporis et sanguinis « Domini; et quantum ad hoc æqualitas est in « omnibus, quia unum et idem ab omnibus sit; « sunt etiam in Missa aliqua circumadjacentia, « sicuti orationes, petitiones, obsecrationes et devo- « tus modus et affectus; et quantum ad hoc, melius « valet Missa boni sacerdotis, quia magis provocat « ad devotionem. » Idem quoque Seraphicus Doctor alibi eamdem repetit doctrinam, sequenti adhibita consueta theologica distinctione, *operis* videlicet *operati et operis operantis*; dicit enim : « Omnes « Missæ sunt æque bonæ quantum ad opus opera- « tum; una tamen est melior altera quantum ab « opus operans; unde melius est audire Missam « boni sacerdotis, quam mali, sicut in mensa corpo- « rali eumdem cibum jucundius accipimus a mundo « ministro, quam ab immundo. » Huc quoque spectant verba illa S. Ambrosii, in oratione quadam præparatoria ad Missam, quibus ita loquitur [3] : « Quoniam me peccatorem, inter te et eundem « populum tuum, medium esse voluisti, licet in « me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, « officium saltem dispensationis creditæ non recu- « ses, nec per me indignum, eorum salutis pereat « pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es « esse redemptio. » Ad hanc quoque veritatem confirmandam curiosum quoddam subservit exemplum, quod in vitis Patrum hunc in modum refertur. Solitarium quemdam statis temporibus convenire solebat certæ cujusdam Basilicæ sacerdos, ut in Missa coram eo celebrata eundem communicaret. Hic vero solitarius tandem audita ab alio quodam sinistra de hoc sacerdote relatione, sinis-

[1] Heb., iv, 16. — [2] Ann. 446, n. 28 Baron. — [3] Ann. 418, n. 36. — [4] Chrys., l. I *in Matt.*

[1] *Trid., sess.* 22. — [2] S. Bon., l. IV. — [3] S. Ambros., *or. præp. ad Miss.*

trum quoque et ipse de eo formavit judicium ; ac proinde cum idem sacerdos pro sua consuetudine reverteretur ad dicendam Missam et Eucharistiam solitario ministrandam, bonus eremita jam de hoc sacerdote scandalizatus eum a se repulit, nec ostium cellæ aperire voluit ; quo viso sacerdos, recessit : « Et ecce vox facta est ad solitarium, « dicens : Tulerunt sibi homines judicium meum ; « et factus est velut in excessu mentis et videbat « quasi puteum aureum, et situlam auream et « funem aureum et aquam bonam valde ; videbat « autem et quemdam leprosum haurientem et refun- « dentem in vase et cupiebat hibere et non poterat, « quia leprosus esset ille qui hauriebat ; et iterum « vox ad eum dicens, cur non bibis ex aqua hac ? « quam causam habet, qui implet ? Implet enim « solummodo et effundit in vase. In se autem rever- « sus solitarius et considerans virtutem visionis, « vocavit presbyterum et fecit eum sicut et prius « sanctificare sibi oblationem. »

**5.** — B. Petrus Damianus aliud quoddam refert exemplum, ex quo manifeste colligitur, quod licet sacerdos in se ipso sit immundus, Deus tamen in actu ministerii illius illum exterius purificet, quamdiu durat sacrificium, hocque exemplum in civitate Beneventana in epistola ad Alexandrum II, scripta his verbis refert[1] : « Princeps ejusdem civitatis « presbyterum habebat sanctæ conversationis « virum et in divinis officiis, ac præcipue in « solemnitate Missarum indesinenter assiduum, « qui dum quotidie sacris mysteriis reverenter « insisteret, Angelus Domini ex consuetudine ve- « niebat et vidente principe, sacramentum Dominici « Corporis ex offerentis manibus assumebat. Sed « o ruinalis vitæ hujus lubrica et incerta conditio ! « nam qui angelicis fruebatur mundis obsequiis, « in fœdæ luxuriæ voraginem repente prolapsus « est. Quid plura? per agendi sacri mysterii tempus « advenit; presbyter consuetudine foris exigente « compellitur, sed gravius conscientia remordente « torquetur; ornatur, accedit, trepidat, palpitat, « tamen offerre præsumit. Ecce Angelus, ut assuetus « fuerat, venit et inspectante principe, spongiam « infectam aqua super caput illius expressit, totum- « que ejus tergendo purgavit. Expletis autem mys- « teriis, eamdem spongiam rursus expressit, omnes « sordes atque squalores, quos ex corpore illius « ante contraxerat, membris ejus omnibus iterum « superfudit. Hoc viso princeps admiratus obstu- « puit, presbyterumque semotis omnibus secreto « convenit; inquisitus itaque presbyter, si noviter « aliquid criminis admisisset, primo quidem quasi « perhorrecens facinus abnegat, deinde mali sibi « conscius, ac principis auctoritate compulsus, tan- « dem corruisse se nocte præterita in quamdam « ejusdem principis cubiculariam confiteretur. »

**6.** — S. Isidorus Pelusiota ad Zozimum presbyterum simile quid in hæc verba scribit[1] : « Vir quidam « disertus atque moribus integer et vita splendi- « dus (nam quod etiam ipse luculenta dignitate « ornatus sit, non scribo) me convenit, illudque « narravit, se ad venerandum quidem altare acces- « sisse, ut divinam mysteria perciperet; at ubi se « hominem ætate quidem senem, dignitate autem « presbyterum, libidine vero vigentem, atque om- « nes, quorum impudicitia hominum sermone « celebratur, superantem, illic adstare conspexit, « pedem retulisse ; quod silicet indignum se esse « duxisset sacrosancta mysteria per impuram ac « scelestam manum suscipere. Ego vero his auditis « quantum animo vulnus acceperim, dicere præ- « termittam ; quibus autem verbis eum gravissime « reprehenderim, exponam. Nullo inquam, detri- « mento, vir sapientissime, is qui suscipit, afficitur, « etiamsi is qui tribuit, indignus esse videatur, « neque contaminata mysteria conspurcantur, « etiamsi sacerdos omnes mortales improbitate « superet. Quod si mihi diffidis corvum cogita, « impurum inquam, illud atque in pullos suos cru- « dele animal, cujus opera ille in cœlum excurrens « ac cœli civis, Elias, alebatur. » Cardinalis Bellarminus de Missæ sacrificio tractans, postquam ad hoc punctum descendit, quod scilicet malus sacerdos valori sacrificii ne quicquam præjudicet, hanc illius assignat rationem, dicens[2] : « Nec pendet « virtus hujus instrumenti a bonitate ministri, sed « a sola Dei institutione. Alio modo si opus quidem « quod fit, non fit instrumentum efficienter et « immediate producens effectum, sed tamen infal- « libiliter et independenter a bonitate ministri « moveat Deum ad effectum producendum. Exem- « plum esse posset in rebus humanis. Si quis igno- « tus vel etiam invisus Principi, aliquid ab eo pete- « ret nomine alterius, cui Princeps nihil negare « posset, ista enim hujus hominis supplicatio infal- « libiliter impetrat et tamen non habet vim ex « opere operantis, id est, ex bona qualitate suppli- « cantis, cum sit ipse ignotus vel invisus Principis. » Hanc eandem veritatem confirmat D. Chrysostomus, in homilia quadam in hæc verba scribens[3] : « Sacra « ipsa oblatio, sive illam Petrus, sive illam Paulus, « sive cujusvis meriti sacerdos illam offerat, eadem « est, quam dedit Christus ipse discipulis, quaque « sacerdos modo quoque conficiunt. Nihil habet « ista, quam illa minus, cur id ? Quia non hanc sanc- « tificant homines, sed Christus, qui illam ante « sacraverat. » Principalis enim offerens Christus est; ipse est victima et sacrificium, ipse est sacer-

[1] S. Pet. Dam., l. I *Epist.*

[1] S. Isidor. Pel., l. III, — [2] Bell., l. II *de Missa.* — [3] Chrys., h. 2 *in* II *Tim.*

dos, qui semetipsum æterno Patri suo offert, ipse consecrat; minister vero solum est hujus sacrificii instrumentum. Et ideo, ut prædictus Cardinalis Bellarminus ait: « Sacrificium Missæ, ut a Christo « offertur, vim habet ex opere operantis, sed infal- « libiliter, quia placet ex bonitate offerentis Christi, « quæ semper est eadem et nec minui, nec crescere « potest. Ut autem offertur ab homine, vim habet « ex opere operato, quia placet Deo, etiamsi homo, « qui offert, Deo non placeat. » Ludovicus Blosius de immensa Dei in Missa beneficentia disserens, inquit: « O quam stupendus et quam inexplebilis est « summi Dei erga nos vermiculos amor, qui in « Missæ sacrificio quotidie cum numerosa angelo- « rum multitudine, se mire præsentem nobis exhi- « bere (etiamsi sacerdos, qui sacrificat, malus sit) « dignatur. »

**7.** — In vita S. Theresiæ legitur [1], quod die quadam pro sacra communione recipienda ad altare accedens, duo in abominabilissima figura conspexerit dæmones, cornibus suis velut laqueo quodam fauces sacerdotes constringentes, ex quo illa sacerdotem hunc in peccata constitutum intellexit; et tamen in hostia, in turpis hujus sacerdotis manibus constituta, sanctissimam Christi humanitatem ineffabili majestate et gloria, haud secus, ac si in sinu æterni Patris sui constituta fuisset, conspicuam est intuita, coram qua dæmones attoniti, et reverenter stantes fugere quidem et occultare se conabantur, sed Christi humanitas id ipsis non permittebat: sanctæ autem et seraphicæ matri, ut se pro sacerdote illo, ad pœnitentiam revocando, per orationes suas interponeret, præcipiens Christus, eidem pariter dixit, ideo se hoc illi exhibuisse spectaculum, ut exinde vim verborum consecrationis ediscceret, in quorum virtute ipse in hostiam descendere non dedignaretur, quantumcumque malus sit sacerdos, qui illa profert. Verumtamen est, quod Christus sacratissimum corpus suum sacerdoti indigno non sine aversione et nausea communicet, prout ex sequenti exemplo ab auctore fide digno allato colligitur; etenim sacerdote quodam, Missam celebrante, quidam servus Dei eamdem auscultans, vidit in patena, tempore sumptionis, non speciem panis, sed venustissimum quemdam puerulum, dumque sacerdos illum ori suo immitteret, puerulus faciem suam ab eodem avertens, magnumque erga sacerdotem illum horrorem et nauseam ostendens, pedibus renitebatur, ne illum sumere posset; quod cum ille Dei servus non semel, sed sæpius conspexisset, die quadam cum eodem sacerdote colloquens, ab eodem sacerdote audivit, quod, quotiescumque in Missa communicaturus esset, corpus Domini non sine magna difficultate sumere posset: tunc servus Dei, ea quæ sæpius viderat, seriatim ei narravit, eique suasit, ut bene attenderet, quid sibi in Missa faciendum esset, seque emendaret; quam exhortationem sacerdos æquanimiter accipiens, compunctus est, vitaque quam in meliorem commutavit. Unde idem servus Dei, quotiescumque deinceps ejus Missam audivit, infantulum quidem in eadem, qua antea, forma conspexit; at vero quando ad communionem corporis Christi deventum fuerat, vidit eumdem infantulum, manibus pedibusque junctis, magna cum velocitate os ejus ingredientem.

[1] *Vit. S. Theres.*, c. 6.

## DISCURSUS XV.

### DE MYSTERIIS, PROPTER QUÆ SACRIFICIUM HOC INCRUENTUM MISSÆ NOMINE SIC APPELLATUM.

IDEA SERMONIS. — 1. Cur hoc sacrificium vocetur Missa — 2. Unde hoc nomen *missa* sumpserit originem. — 3. Sacrificium Missæ repræsentat oblationem Christi in ara Crucis. — 4. Alia derivatio verbi *Missa*. — 5. Hoc verbum ab initio Ecclesiæ fuit in usu. — 6. Alia ratio hujus verbi. — 7. Missa etiam dicitur a mittendo. — 8. Alia ratio hujus verbi.

*Oblatus est, quia ipse voluit.* Isa., LIII, 7.

**1.** — Propheta Evangelicus, qui omnes Ecclesiæ novæ legis gratiæ successus in spiritu prævidit, per præfati thematis verba, ineffabile incruenti sacrificii mysterium, præcipuum magisque usitatum nomen ab hoc verbo *Missa* mutuaturum esse, prædicere voluisse videtur; siquidem, ut paulo post dicemus; verbum *Missa* in lingua Hebræa idem significat, quod *oblatio spontanea*. Unde doctissimus Salmeron [1] sequens Deuteronomii adducit testimonium, in quo electo Dei populo in hæc verba præceptum fuit [2]: *Celebrabitis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, Missah,* « id est, ut vertit « Interpres, oblationem spontaneam manus tuæ, « quam offeres juxta benedictionem Domini Dei « tui; et quadrat, ut denominatio fiat a nobiliori « actu Missæ, id est, ab oblatione, eo quod eleva- « tione manuum fieret. » Concilium Tridentinum quoque sub hoc verbo *oblationis* describit, inquiens [3]: *Hæc munda oblatio est.*

**2.** — Cardinalis Baronius in annalibus Ecclesiasticis [4] ad longum, hoc examinat dubium, videlicet, unde hoc nomen *Missa* suam sumpserit originem; inter cætera vero ait: « Cum multa sint hujus sa-

[1] SALM., t. IX, tr. 40. — [2] DEUT., XVI, 10. — [3] *Trid., sess.* 22. — [4] *Ann.* 34, n. 59.

« crificii nomina, illud est antiquissimum et apud « Latinos usitatius atque frequentius, *Missa*, quod « quidem (sicut et Christiana fides profitetur) ex « Hebraica vel Chaldaica Nomenclatura acceptum « esse videtur; quod enim in nostra Vulgata legi- « tur, spontanea ob atio, Hebraice et Chaldaice di- « citur *Missah*, quam offerebant Domino in gratia- « rum actionem de fructibus terræ, quæ eo « vescebantur in templo cum recordatione præterea « servitutis et ab eadem liberationis. Quæ quidem « omnia cum optime conveniant a Christo instituto « sacrificio, eo potius majores nostri usi sunt no- « mine, quam cujuspiam alterius sacrificii, nam et « ea potissimum ratione ab illis id factum esse vi- « detur, quod spontanea recolatur prima illa sui « ipsius a Domino Jesu Christo facta oblatio, de « qua Isaias : *Oblatus est, quia ipse voluit;* et Domi- « nus de se ipso : *Potestatem habeo ponendi animam « meam et potestatem habeo iterum sumendi eam.* « Sane quidem creditur ejusmodi nomen ab ipsis « Apostolis Petro et Paulo, ex Hebraicis fontibus « traditum esse Romanis. » Imo idem Baronius sacrificium hoc ab ipsis Romanæ Ecclesiæ principiis *Missam* appellatum fuisse probare satagit, inquiens: « Ea voce usa videtur suo ipsius exordio Romana « Ecclesia; nam Pius Papa, proximus Apostolorum « temporibus, scribens ad Justum episcopum Vien- « nensem, idem sacrificium *Missam* vocat. » Quam eamdem *Missæ* denominationem sanctus quoque Isidorus Hispalensis, ubi *de Officiis Ecclesiasticis* agit, his insinuat verbis [1] : « Missa a voce Missah; » idque ex citato jam Deuteronomii et alio probat Levitici textu, ubi novi sacrificii hujusmodi fit mentio [2] : *Offeretis sacrificium novum Domino.* In quo nostrum utique figuratum fuit, vere novum, quia ut in primo discursu probatum est, in Ecclesia institutum fuit, ad novæ legis, gratiæ et Evangelicæ fulcrum; unde in festo corporis Christi canimus: « In hac mensa novi Regis, novum Pascha « novæ legis, phase vetus terminat. » Et quidem si nomen *Missah* idem est quod *oblatio spontanea*, citra omne dubium nostro unice appropriatur sacrificio, cujus essentia specialiter in oblatione consistit et victima; qua de re Cardinalis Bellarmini placeat audire doctrinam [3] : « Sacrificium Missæ, » inquit ille, « a tribus offertur; a Christo, ab Ecclesia, a « ministro; sed non eodem modo; Christus enim « offert ut primarius Sacerdos et offert per sacer- « dotem hominem, ut per suum proprium minis- « trum; Ecclesia non offert, ut sacerdos per minis- « trum, sed ut populus per sacerdotem. Itaque « Christus per inferiorem offert, Ecclesia per « superiorem, sacerdos enim quatenus talis, major « est reliquo populo, quippe qui ut mediator qui- « dam pro populo apud Deum intercedit, nec est « proprie in ea re minister Ecclesiæ, sed Christi « principalis. »

**3.** — Missam, ut alias diximus, certissimum est, quamdam oblationis, quam Redemptor noster de se ipso in crucis ara æterno Patri suo fecit, repræsentationem esse, ideoque dum sacrificium hoc instituerat, ipsum in passionis suæ memoriam a nobis celebrari præcepit. Hinc et omnes vestes atque ornamenta sacerdotalia hoc ipsum repræsentant mysterium. Et in primis, quidem amictus velum significat, quo Judæi vultum Christi velarunt, quando alapas ei impingentes, dicebant: *Prophetiza quis est, qui te percussit?* Alba candidam denotat vestem, qua ipsum ludibriose induit Herodes. Cingulum, aut prima ligamina seu funes, quibus dum caperetur, ligatus fuit, aut flagella significat, quibus cæsus est. Manipulus secunda exprimit vincula, quibus ad columnam constrictus fuit. Stola ultimos indicat funes, quibus collum ejus ligavêrunt impii, dum in Calvarium duceretur crucifigendus. Planeta vestis est expressiva purpureæ, quam per opprobrium portavit; vel sicuti aliis placet, tunicæ signum est inconsutilis, qua, dum in patibulum elevandus esset, spoliatus fuit. Cruces et signa, quæ Sacerdos super hostiam et calicem facit multiplicitatem et varietatem repræsentant cruciatuum, quos pro nobis subiit in Calvario. Hostiæ calicisque elevatio post consecrationem, nobis in memoriam revocant, quando in patibulo suspensus in aera sublimatus fuit, ut videretur ab omnibus. Verum enim vero ut oblationis et sacrificii hujus incruenti significationem, mysteriumque magis penetremus, sciendum, Missam idem omnino esse cum sacrificio illo, quod in Calvario oblatum, idem namque Dei Filius, qui ibi se Patri obtulit, idem inquam, omnino in Missa ob eumdem finem atque effectum offertur quotidie, dicente Concilio Tridentino. « Is igitur Deus et Dominus noster, et si « semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente, « Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redem- « ptionem operaretur, quia tamen per mortem « sacerdotium ejus non erat extinguendum, ut di- « lectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile sicut hominum « natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruen- « tum illud semel in cruce peragendum represen- « taretur, corpus et sanguinem suum sub speciebus « panis et vini Deo Patri obtuli. »

**4.** — Salmeron etiam, cur sacrificium hoc Missa appelletur, in hæc verba assignat rationem [2] : « Non « involvam silentio ipsam vocem *Missæ*, quæ vox, « vel Hebræa est, ut multi volunt, vel Latina. Qui « Hebræam esse vocem tuentur, *Missæ* nomen a « verbo, *mas*, sive *masas* derivant, quod est pensio- « nem, vectigal, tributum vel munus personale « pendere; vel a verbo *Neza*, quod significat lega-

[1] S. Isid., l. I *de Offic.* — [2] Levit., xxiii, 16 — [3] Bel., l. II *de Missa.*

[1] *Trid. sess.*, c. 1. — [2] Salm., *ib.*

« tionem pensi, unde illud, *elevatio manuum mea-*
« *rum sacrificium vespertinum*, non solum enim
« Christus elevatus fuit in cruce, sed etiam in
« Eucharistia a sacerdote super capita erigitur. »

**5.** — S. Isidorus de origine Missæ disserens, jam a primis Ecclesiæ sæculis usitatum fuisse refert, ut Diaconus alta voce intonaret : *Ite, Missa est*. Ita enim scribit [1] : « *Missa* tempore sacrificii est,
« quando catechumeni foras mittuntur, clamante
« Levita : Si quis catechumenus remansit, exeat
« foras et inde Missa, quia sacramentis altaris inte-
« resse non possunt, qui nondum regenerati no-
« scuntur. » Etenim magis præcipua Missæ pars incipit ab offertorio usque ad *Pater noster* ; eaque Missa sacrificii appellatur, ad quam soli Christiani intervenire possunt. Et ideo Diaconus ex pulpito præcipere solebat, ut catechumeni ante offertorium discederent et tunc dicebatur : *Ite, Missa est* ; quasi diceretur : Abite, discedite, quia Missa, id est, sacrificium jam inchoatur, cui vobis assistere non licet. Estque hæc pars Missæ præcipua, in qua fit consecratio et quod consecratum est, offertur.

**6.** — Alcuinus prædictis verbis, *Ite, Missa est*, aliam adhibet interpretationem, inquiens [2] : « Fi-
« nitis omnibus astanti et observanti populo abso-
« lutio datur, inclamante Diacono : *Ite. Missa est*,
« Missa ergo nihil aliud intelligitur, quam *dimissio*,
« id est absolutio, quam celebratis omnibus tunc
« Diaconus pronunciat, cum populus a solemni
« observatione dimittitur. Vel *Missa est*, id est
« *directa*, sive *missa est*, id est *perfecta* est pro nobis
« oblatio et oratio. »

**7.** — S. Bonaventura pariter hujus nominis mysteria examinans inquit [3] : « Quæritur circa hæc
« verba S. Augustini, quare *Missa* sic nominetur et
« si in omni sacrificio mittatur hostia ? Respondeo :
« *Missa* dicitur, quia mittitur cœlestis ille missus
« (sicut exponit Innocentius) est magni consilii
« Angelus. Iste mittitur ad consecrandum, quia
« iste est sacerdos invisibilis, quia consecrat et
« conficit hoc Sacramentum ubicunque conficiatur. »
Confirmatque hactenus dicta, auctoritate Hugonis de S. Victore ita scribentis [4] : « Ista hostia sacra *missa*
« vocari potest, quia transmissa est, primum scili-
« cet a Patre, ut esset nobiscum, postea a nobis
« Patri, ut apud Patrem pro nobis intercederet.
« Primum a Patre nobis mittitur per Incarnatio-
« nem. Secundum a nobis Patri per Passionem.
« Similiter in Sacramento. Primum a Patre nobis
« per sanctificationem, qua nobiscum esse incepit,
« postea a nobis Patri per oblationem, qua pro
« nobis intercedit. » Idem Seraphicus Doctor alibi *de expositione Missæ* tractans, idipsum confirmat in hæc verba [5] : « Dicitur autem *Missa* a mittendo et
« repræsentat legationem inter homines et Deum.
« Deus enim mittit Filium suum Christum in altari
« et iterum mittit Ecclesia fidelis eumdem Christum
« ad Patrem, ut pro peccatoribus intercedat. » Et vero quonam modo Mundus ab ira et justitia Dei, per continuam et nunquam intermissam innumerabilium criminum nostrorum multitudinem irritata, immunis esse possit, quo minus per ejus immissa fulmina interiret, nisi Ecclesia jugi hoc sacrificio quotidie uteretur, in quo Æterno Patri suum transmittit Unigenitum, qui illum nobis placatum reddat et propitium ? Ideo Ecclesia in oratione quadam ita orat : « Oblatum tibi Domine sacrificium, vivifi-
« cet nos semper et muniat ; » est enim sacrificium hoc velut propugnaculum et munimentum quoddam, quod nos ab armis juste irascentis Dei tuetur et defendit, siquidem qui in eo offertur, est ille, de quo S. Joannes ait [1] : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum*. Unde Ecclesia hoc sacrificium offerens, velut *legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt* [2] : ac proinde priusquam sacerdos se communicet et hostiam oblatam et consecratam consumat, pectus suum percutiens, in hæc verba prorumpit : *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*. Christus enim in hostia existens, velut Angelus pacis ad Æternum Patrem in cœlum a nobis missus, cum ipso nos perfecte reconciliat [3] : *Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed et pro totius mundi*.

**8.** — Auctor quidam orationum illarum, quæ in missa recitatæ *collectæ* vocitantur, originem observans, inquit : « Nomen inde ductum, quod
« sacerdos legatione fungens apud Deum pro po-
« pulo, omnium petitiones hujusmodi orationibus
« colligat et eidem Numini repræsentet. » Hoc enim est æterni Sacerdotis Christi, qui principalis est offerens, munus et opus, quod scilicet supplicationes nostras in cœlum deserat et repræsentet, ut ab Æterno Patre favorabili rescripto subsignentur ; et ideo sacrificium hoc non solum est propitiatorium, sed etiam impetratorium, Alcuinus in eodem loco, de divinis officiis agens, ita scribit [4] : « *Missa*
« dicitur, quasi transmissa, vel quasi transmissio
« eo quod populus fidelis de suis meritis non præ-
« sumens, preces et oblationes, quas Deo omnipo-
« tenti offerre desiderat, per ministerium et oratio-
« nem sacerdotis ad Deum transmittat, quem
« mediatorem inter se et illum esse cognoscit,
« confidens per ejus orationem, atque intercessio-
« nem a malis omnibus liberari, atque Creatori
« suo reconciliari et omnibus corroborari. Alio
« modo potest dici *Missa*, eo quod nos mittat ad
« Deum. » Cum enim inter nos et Deum infinita sit distantia et creatura a Creatore plus distet, quam cœlum a terra, Incarnata Sapientia modum adin-

[1] S. Isid., l. VI *Orig.* — [2] Alcuin., l. *de div. offic.* — [3] S. Bon., l. IV *Sent.*, dist. 13. — [4] Hugo a S. Victore, p. 9, c. 14. — [5] S. Bon., *ib.*, c. 2.

[1] I Joan., II, 1. — [2] Luc., XIV, 21. — [3] I Joan., II, 2. — [4] Alcuin., *ib.*

venit, quo humanitas nostra per hoc sacrificium et Sacramentum in ejus propria persona, qui se hac nostra mortali carne vestire dignatus fuit, Æterno Patri suo transmitti possit; idque sit, dum in Missa ad nostram utilitatem sacrificatur et offertur, idque non somel, vel sæpius, sed sine intermissione. Considerari quoque meretur dictio hæc, *Angelus*; cum enim hæc idem significet, quod *missus*, prout ex verbis canonis colligitur, videtur, quod Angelus quidam de cœlo mittatur ad altare, qui sacrificium incruentum coram throno Dei deferat et præsentet; unde Ecclesia hunc in modum orat : « Jube hæc « perferri per manus S. Angeli tui in sublime « altare tuum, in conspectu divinæ Majestatis tuæ. » Porro arca, ex aliqua parte, hujus nostri sacrificii erat figura, quia in ipsa recludebatur manna et super ipsam pendebat propitiatorium; non sine causa vero in cortinis quæ arcam adornabant, effigiati erant Angeli, siquidem hi turmatim altare cingunt et sacratissimæ illi hostiæ obsequuntur reverenter. Suarez post relatas multas circa hoc nomen, *Missa*, opiniones, dubium hoc resolvens, concludit : « Hanc vocem esse latinam a verbo « *mitto*, ita ut *missa* dicatur, quia oblatio sacrificii « ad Deum mittitur et missa est; vel quia Deus ad « nos mittit hostiam hujus sacrificii, quam nos ad « ipsum iterum per sacerdotem in sacrificio remit- « timus, juxta illius quod in Canone Missæ dicitur : « Jube hæc perferri per manus S. Angeli tui in « sublime altare tuum. »

# TRACTATUS SECUNDUS

## DE EUCHARISTIA ET COMMUNIONE

### DISCURSUS I

EUCHARISTIA AD ECCLESIÆ FULCIMENTUM, AD MULTIPLICANDAM, ET STABILIENDAM POPULORUM FIDEM, CONTRA HÆRESIM INSTITUTA FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Benedictio Isaac figuravit S. Eucharistiam. Hæc est fundamentum Ecclesiæ. — 2. Per illam viget et viret Christiana religio. — 3. Per S. Eucharistiam firmatur mundus. Est anis nos confirmans. Est baculus cui innitimur.— 4. Hoc Sacramento deficiente vacillaret Ecclesia. — 5. Cœlum et terra concertarunt utri deberetur possessio Corporis Christi.— 6. Per Eucharistiam multiplicantur fideles in Ecclesia. — 7. Ingeniosa hujus multiplicationis eruitur ex speciebus Eucharistiæ. Eucharistia sanctificat omnia alia Sacramenta. — 8. Hoc Sacramento sublato, merus esset error et infidelitas in Ecclesia. — 9. Hoc Sacramentum institutum est ad destruendas hæreses. 10. Præclarum exemplum Francisci I Reg. Franciæ.

*Frumento et vino stabilivi eum*, Genes., XXVII, 37.

**1.** — Ecclesiæ augmentum, solidumque populi Christiani fundamentum, Eucharistiæ ascribamus oportet, ideoque tot ante institutionem ejus sæculis oraculum cœleste per Isaac de Jacobo Patriarcha tractans prædixerat, inquiens : *Frumenta, et vino stabilivi eum*. Jacob, si S. Hyppolito martyri quem SS. Isidorus, et Hieronymus sequuntur, credimus, Ecclesiam, et fidelem significat populum : « Jacob « portat imaginem Ecclesiæ, » inquit Carthusianus [1]: nunc igitur ad immediate præcedentem eidem datam nos reflectamus benedictionem [1]; *det tibi Deus abundantiam frumenti, et vini*. « Hæc est multi- « tudo, » inquit Glossa, « quam colligit de Sacra- « mento Corporis, et Sanguinis; » quia ut dicemus infra, virtus Sacramenti Altaris, et fideles multiplicat, et populos ad fidem convertit, et sublime stabilit Ecclesiæ ædificium. Notandum autem, quod non sine mysterio in spiritu prophetico Isaac, post adductam Eucharistiæ sub panis et vini speciebus instituendæ mentionem, etc. immediate subjunxerit : *Serviant tibi populi, et adorent tribus*. Ubi Cajetanus ita discurrit [2]: « adorent, honorationem si- « gnificat, actu incurvandi seipsum, » cultus enim hic est latriæ, qui Cœlesti huic pani exhibetur. Isaac igitur, ex instinctu divino loquens, cum diceret : *Frumento, et vino stabilivi eum*, ex mente S. Paschasii [3], in sensu mystico prophetizans, asserere voluit, populum Christianum Corporis, et Sanguinis mei dono stabilivi : « Hoc est aperte dicere : « firmavi cum pane Corporis Christi, et vino San- « guinis. » Quem sensum longe clarius nobis expressit Albertus Magnus dum eumdem textum in tractatu de Eucharistiæ Sacramento explicat in hæc verba [4]: « *Stabilivi eum*, quia tota domus Jacob « id est, Ecclesia fundata est super hoc sacramento « frumenti, et vini, quia materia in eo est fru- « menti et vini; » cui veritati omnium SS. Do-

[1] DION. CART., *ib.*

[1] GEN., XXVII, 28. — [2] CAJET., *ib.* — [3] S. PASCHAS., *de Corp. et Sanguin.* — [4] ALB. MAGN., t. II *de Euchar.*

eterum, quotquot examinare voluerimus, conformes ostendemus sententias.

**2.** — Doctor Seraphicus de præparatione ad missæ sacrificium necessaria tractans, has sacramento præsenti tribuit laudes [1] : « Per hoc stat « Ecclesia, viget Christiana Religio, et divinus cul« tus. « Rupertus Abbas de officiis divinis tractans, ubi sacrosancti hujus mysterii ingerit mentionem, de quo Salvator ait : *Hoc facite in meam commemorationem,* ita discurrit [2]: « Calente memoria tam « celebri, perstat superfundamentum tuum ædi« ficium fidei. » Inimicus enim infernalis omnes « adhibuit machinas ad evertendum, duodecim Apostolis, de quibus canimus : « Isti sunt, qui vi« « ventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine « suo, » innixam atque erectam Christi Ecclesiam ; « ast quando putatis vel insolentissime suas applicasse vires, in extremum ejusdem exterminium ? In ultima cœna, quando divinus hic panis institutus fuit, quando pariter ad S. Petrum Ecclesiæ caput et in quo tanquam in solidissima petra ingentem hanc fabricam erexit. Salvator ait [3]: *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* ; id quod Christus ad ipsum dixit paulo post institutam sub speciebus sacramentalibus Eucharistiam.

**3.** — Novum sacramento huic encomium tribuit Timotheus presbyter Hierosolymitanus, inquiens [4] : « Divinæ ac mysticæ mensæ operam demus, per « quam mundus firmatur, per quam terrarum orbis « consistit. » Quod idem præconium in aureo libello suo eidem attribuit sacramento V. Thomas a Kempis inquiens [5]: « Dolendum valde, quod multi pa« rum hoc salutare mysterium advertunt, quod « cœlum lætificat, et mundum conservat uni« versam. » Quod idem mysterium in spiritu prophetico contemplans Psalmista, quali cum titulo illud honorasse arbitramini ? Nimirum *Firmamenti*, artifex etenim supremus excelsam empyrei, et firmanenti molem construxerat : *Creavit Deus cœlum, dixit quoque, fiat firmamentum.* Postea in sæculorum progressu terram fortificaturus, ne aberraret, novum illi contulit spirituale, et mysticum firmamentum, meminimus supra, scilicet *frumento, et vino stabitivi eam,* cujus firmamenti stabilitatem regius Vates prosequitur latius, quando excelsam gloriam, et felicissimus Christi in Ecclesia commemorans progressus inquit [6] : *Dominabitur a mari usque ad mare* ; *coram illo procident Æthiopes ; reges Tharsis, et Insulæ munera offerent, adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei, adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei.* Cujus gloriosi adeo stabilimenti rationem assignaturus prosequitur dicens : *et erit firmamentum in terra in summis montium* ; quæ hæc montium cacumina ? qui montes isti ? Lyranus respondet [1]: « Sacerdotes sunt « montes Ecclesiæ. » Sed quæ montes inter et firmamentum connexio ? idem auctor pro *firmamentum,* vertendum auctumat *frumentum super capita elevant* ; super sacerdotum enim capita quotidie elevatum adoramus electorum frumentum ; quo fine antiquorum Rabinorum a Galatino citatam refert opinionem, qui pro *firmamentum, placentam* interpretati sunt. Rabini, qui ante Christi vixere adventum, conformiter Scripturæ sacræ omnia tandem sacrificia finienda, unicunque eis, a Davide prædictum, successurum prædixere sacrificium ; qui iidem cum Lyrano pro verbo *montes, sacerdotes* legendum auctumarunt. Porro dictum nomen *firmamentum,* convenientissime, ut idem David alibi attestatur, accommodatur frumento, ait enim : *Omne firmamentum Panis contivit.* Et alibi [3] : *Panie cor hominis confirmet.* Specialius autem Eucharistiæ competit firmamenti nomen, siquidem ut firmamentum Ecclesiam sustinet, dicente Seraphico [4]: *Per hoc stat Ecclesia.* Porro vivacissima figurarum omnium sacramenti hujus extitit agnus Paschalis ; dicente Doctore Angelico [5]: « In figuris præsignatur, « agnus Paschæ deputatur ; » quem Deus olim manducari voluit baculis in manus assumptis ; mysterium ne penetrastis, inquit Abulensis [6]? « Per « *baculum* designatur conditio Eucharistiæ, quia « sicut baculus est id, super quod aliquis se potest « firmare, ita Eucharistia est firmamentum nos« trum. »

**4.** — Rupertus Abbas ad periculum se reflectit vacillationis præsentissimæ, quod sublimi ædificio Ecclesiæ immineret, si sacramenti hujus deficeret adminiculum ; ideoque de Eucharistia sub nomine memorialis passionis, et sacrificii incruenti agens, concludit : « Aufer a cœtu Ecclesiæ quotidianas « Salvatoris nostri hujusmodi exequias, et vide « quam merito dicat ipse Salvator, *quæ utilitas in « sanguine meo* ? refrigescente enim ea, quæ hæc « modo nunc ubique calet ejus memoria, refrigescet « universa charitas, muta erit fides, claudicabit « spes, conticescet magnus ille clamor sanguinis « justi Abel. » Supremum SS. Triados decreverat consistorium, ut Verbum incarnatum, consummata Redemptione humana, cum corpore suo glorificatum ascenderet in cœlum ; ast altera ex parte cum Ecclesiam suam hic in terris stabilire, et ad fidem suam omnes attrahere vellet gentes, summe huic operi necessariam cognoscebat esse corporalem sacratissimæ humanitatis præsentiam ; ut igitur illi suffragaretur, nec alteri deficeret parti, hanc Sapientia incarnata invenit methodum, a S. Pas-

[1] S. Bon., t. VII *de præpar. ad Miss.* — [2] Rup. Abb., l. II *de Offic.* — [3] Luc., xxii, 31. — [4] Timoth., Presbyt. Hier., or. *de Proph. Simeonis.* — [5] V. Thom. a Kemp., IV, c. 1. — [6] Gen., I, 1. — [7] *Ps.* lxxi, 1.

[1] Lyran., *ib.* — [2] *Ps.* civ, 16. — [3] *Ps.* ciii, 15. — [4] S. Thom., *ib.* — [5] S. Bonav., *ib.* — [6] Abul., in c. xxv, *Matt.*

chasio sequentibus assignatam verbis [1]: « Sed quia « illum secundum carnem Cœlos oportuit penetrare « reliquit nobis hoc sacramentum, visibilem figu- « ram, et characterem carnis, et sanguinis. » Observandum autem quod postquam mundi conversionem ad fidem, ejusdemque in sacrosancto lavacro regenerationem Apostolis præcepisset, dicens [2]: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis*, tandem subjungat, *et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, sicuti alter Elias, qui triumphalem ascensionis suæ currum conscendens, Elisæo, id est, popnlo Christiano, pallium, exuvias scilicet corporis, et sacratissimæ carnis suæ reliquit.

**5.** — Otto Imperator, duo aliquando nactus ambiguo jure decertantes de agri cujusdam dominio, cum nesciret, cui justitia plausibilis faveret, ut utrique satisfaceret, terram illam emit, uni prætendentium pretium, alteri agrum ipsum consignans. Ita pariter imaginari nobis possumus], cœlum concertasse, et terram, circa inæstimabilis Corporis Christi thesauri prætensionem, ut itaque utrique satisfaceret Imperator Cœlestis, modum reperit, ut Christus, et in empyreum rediret simulque eodem tempore per præsentiam corporalem degeret subsisteretque in Ecclesia. Unde Drogo Ostiensis ait [3]: « Ecce sublatus es, amplius te tuus non « videbit Elisæus, remansit tamen ei pallium tuum « in memoriam tui ut præsentia absentiæ tuæ, do- « lorem ejus, semper et augendo leniat, et leniendo « augeat, pallium tuum est caro tua. » Ideoque et S. Bonaventura de Eucharistia tractans, citata pariter applicat Salvatoris verba, dicens [4]: « Unde in- « quit Christus: *ecce ego vobiscum sum usque ad* « *consummationem sæculi.* »

**6.** — *Frumento et vino stabilivi eum.* Sacramentum Altaris non modo stabilivit, sed et multiplicavit populum fidelem; id quod regius Psalmista prophetice denunciavit, dicens [5]: *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Inferre forsitan voluit David, quod illi ad patris dexteram elevato, populi certatim sese submiserint, Evangelicam amplexaturi fidem; utique si hoc insinuasset, nihil a vaticinio suo alienum asseruisset [6], *et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Septuaginta vertunt: *Epulas instruxisti filiis hominum.* Cui illa accommodat Psalmistæ verba [7]: *A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt*; « multipli- « catione spiritualis, » inquit Albertus Magnus, « qua « fideles multiplicantur ex sacramentorum procreatione. » In cujus confirmationem, mirabilem quamdamn ecessum est observetis circumstantiam. S. Lucas enim in secundo Actuum Apostolicorum capite, primum vix memorarat nascentis illius Jerosolymitanæ Ecclesiæ augmentum, dicens [1]: *Appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia* quando illius rationem immediate subnectens: *Erant perseverantes in communione fractionis Panis.* Ex eo momento, quod consecationis Panis extitit principium, stabilita et dilatata fuit Ecclesia; dicente Ruperto Abbate [2]: « Magnum hoc sacramentum caro Christi, quæ « ante passionem solius erat caro Verbi Dei, per « passionem ita crevit, adeo dilatata est, ita mun- « dum universum implevit, ut omnes electos, qui « fuerunt ab initio mundi, vel futuri sunt usque ad « ultimum electum in fine sæculi, nova conspersi « sione hujus sacramenti in unam Ecclesiam faciat « Deum, et homines æternaliter copulari. Caro illa « unum erat granum frumenti, quod antequam ca- « dens in terram mortuum fuisset, nunc postquam « mortuum est, crescit in altari, fructificat in ma- « nibus, corporibus nostris, et ascendente magno, « et divite Domino messis, terram fructiferam in « qua crevit, secum vehit in horrea cœli. »

**7.** — Ingeniosa se offert ratio, quare species sacramentales panis, et vini ad hoc augmentum, et fidelium multiplicationem adaptentur, quam S. Cæsarius Arelatensis his verbis insinuat [3]: « Sicut « frumentum solita purgantis sollicitudine præpa- « tum in candidam speciem, molarum labore per- « ficitur, ac per quam, et ignem in unius panis « substantiam congregatur: sic variæ gentes unum « de se Christi corpus efficiunt. » Quam veritatem plenius nobis successus exhibent Historici, a Patre Rho, de primo Japoniæ Christiano, cui nomen Angarus, conscripti in hæc verba: « Affirmabat, tum « omnia sibi in Christiana republica vehementer « probari, tum nihil melius, aut quo magis animus « caperetur, ipso Christi corpore sibi videri, itaque « mirari se admodum, si qui forte reperirentur qui « tantis paratis bonis non avide atque jucunde de- « fruerentur. » Rex Salomon, Christi typus (*ecce plus quam Salomon hic*) hoc ipsum prædixit, media Eucharistia, in omnes Ecclesiæ populos derivandam; siquidem aperte ait: *Sapientia ædificavit sibi domum.* Ubi interlinearis dicit: « *Sapientia* Verbum « Dei, *ædificavit domum*; id est, » inquit Glosa ordinaria, « Ecclesiam; *excidit columnas septem*, id est, juxta Lyranum, « septem sacramenta instituit, qui- « bus fulcitur tota Ecclesia. » Nihilominus omnium principalissimum est illud altaris, quod Hugo Victorinus nuncupare non dubitat [7], « sacramentum « omnia sacrificans sacramenta. *Immolavit victimas* « *suas.* » Verbum enim divinum in sacrificium suo se

[1] S. Pasc., *de Corp. et sang. Dom.* — [2] Matt., xxviii, 20. — [3] Drog. Host., *de Sacr. Pass.* — [4] S. Bonav., *ib.* — [5] *Ps.* xi, 0. — [6] Joan., xiv, 22. — [7] *Ps.* iv. — [8] Alb. Magn., t. XXI.

[1] Act., ii, 41. — [2] Rup. Abb., *de divin. offic.* — [3] S. Cæsar. Arel., h. 7 *de Pass.* — [4] P. Rho, *Hist.*, l. III. — [5] Prov., ix, 1. — [6] Lyran., *ib.* — [7] Hugo Vict., t. III *in Spec. Eccl. erud.*

obtulit Patri æterno, primitus in hoc sacramento, postea autem super altare Crucis, cujus in hæc verba meminit Interlinearis : « Assumpta humani-« tatis sacramenta patefecit. » Ut igitur universum ad se attraheret mundum, convivium instituit Eucharisticum, *miscuit vinum, et proposuit mensam suam*; quibus præmissis, Apostolos ablegavit, qui ad Ecclesiæ sinum omnes invitarent populos, « *mi-« sit ancillas suas* ; prædicatores infirmos, » inquit Glossa ordinaria, « despicabiles; *ut vocarent ad « arcem, et ad mœnia civitatis*; ad Christi fidem » inquit Lyranus [1], « *Insipientibus locuta est*, id est, « gentibus, qui divinitatem attribuebant lignis et « lapidibus. » Ast qua esca eos ad conversionem allectos fuisse arbitramini ? *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.* « In *pane* corpus, » inquit Glossa, « in *vino*, san-« guis ejus quo in altari satiamur. » Beda inquit : « Sacramentum quo subjugatus est mundus. »

**8.** — Notatu dignissima et eidem proposito accommoda in præsenti se insinuant pariter S. Bonaventuræ verba, dicentis [2]: « Tolle hoc sacramen-« tum de Ecclesia : et quid erit in mundo, nisi « error, et infidelitas ? et populus Christianus erit « quasi grex porcorum dispersus et idololatriæ de-« ditus, sicut expresse patet in cœteris infidelibus. » In pessimo utique statu squalebat mundus ante Eucharistiæ institutionem, ideoque prosequitur dicens : « Per hoc sacramentum roboratur fides. » Porro S. Anselmus ad convivium alludens, ad quod pauperes, debiles, claudi, et cæci invitati fuere, sequentem format discursum [3]: « Erant gentiles, quia « nec legis divitias, nec virtutum fortitudinem, « qua resistere possent Diabolo, nec scientiæ lu-« men, vel illuminatos cordis oculos habebant, nec « in via justitiæ rectis pedibus incedebant, qui ta-« men invitati ad convivium Christi, divites spiri-« tualiter, et fortes facti sunt, et interius illuminati, « dum in via Dei non erant, sed recto tramite « gradiuntur. »

**9.** — Veraciter utique S. asseruit Augustinus : « Sacramento Corporis Christi subjugatus est mun-« dus. » Invalescen ibus enim multiplicatisque mirum in modum hæresibus, ex instinctu Divino Urbanus IV solemnitatem instituit, et processiones SS. Corporis Christi, juxta declarationem sacri Concilii Tridentini; ad destruendas hæreses, eorumque; confundendos sequaces, aut certe ad Ecclesiæ gremium reducendos ; prout fuse probavimus in secundo Promptuarii sacri Tomo, in septimo hujus solemnitatis discursu. Inimicus namque infernalis qui non dormit, sed incessanter zizania per campum Ecclesiæ supra bonam veritatum, et doctrinarum catholicarum sementem spargit, hoc maxime electorum frumentum obruere allaboravit, nauseam ejusdem creans in catholicis, quos in multos errores et præcipitia, in multis provinciis, et regnis a Sede Apostolica separatis atque divisis, degenerare fecit.

**10.** — Esau ab Isaac patre suo benedictionem postulans, eam a Jacobo fratre sibi surreptam didicit ; dicente patre : *Frumento, et vino stabilivi eum, et tibi post hæc fili, mi, ultra quid faciam* ; in tam divite, et opulenta domo panis equidem, et vini benedictio deficere non poterat, qua natu majori filio conferretur ; sed *omnia in figura contingebant*. Esau enim infidelem præfigurabat præscitumque populum, qui particeps esse nequit benedictionis panis, et vini Eucharistici, collatæ Jacobo qui populum Christianum representabat, ut Christi fideles usque in sæculorum finem stabiliat atque confirmet. Franciscus primus Franciæ rex propter continuos, et implacabiles regni sui bellicos motus, in subditos suos hæreseos, errorumque pestem cum ingenti fidei præjudicio transfusam advertens, sequens adhibuit remedium et antidotum : « Ex-« cita pietate celeberrimam Parisiis supplicationem « instituit ; divinamque hostiam circumferre jubet, « adest ipse facemque manu præferens, aperto « triumphali capite prosequitur, mox coactis in « templo Proceribus de augustissimi omnium mys-« terii, de veneratione cultuque regia disserit elo-« quentia, obortisque extrema concione lachrymis, « se Henricum suum unicam regni spem, si errores « concepisset, illico Divinæ veritati immolaturum « vociferatur. »

[1] LYRAN., *ib.* — [2] S. BON., *ib.* — [3] S. ANSELM., enarr. *in Evnag.*

## DISCURSUS II.

SACRAMENTUM HOC VITAM DONAT MUNDO PER COLLATIONEM, JUSTITIÆ DIVINÆ NOSTRIS IRRITATÆ PECCATIS RETRAHIT FULMINA, NOSQUE IN DEI TIMORE FUNDAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus nobis datus est non solum in pretium, sed etiam in cibum. — 2. Mors dominabatur in mundo, donec per hunc cibum daretur remedium vitæ. Per hoc Sacramentum reparavit Deus ruinam pomi vetiti. — 3. Ante institutionem hujus sacramenti, erat fames in universa terra. — 4. Applicatur huic sacramento prandium, quod Habacuc tulit famelico Danieli. — 5. In hoc S. sacramento continetur vita gratiæ. — 6. Hoc sacramentum est causa vitæ nostræ. — 7. Ex hoc sacramento accipimus salutem corporis et animæ. — 8. Quomodo hoc sacramentum det vitam mundo. — 9. Et confortet fideles in fide. Specialiter SS. Martyres ad subeunda tormenta.

*Panis Dei est, qui de Cœlo descendit et dat vitam mundo.* Joan., VI, 33.

**1.** — Salvator die quadam cum Nicodemo de

[1] P. RHO, *ib.*

Æterni Patris sui excessivo versus genus humanum amore discurrens, ita eum affatus est[1] : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam, non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Quæ verba interpretans S. Bonaventura, considerat, unigenitum Dei Filium in mundi salutem et vitam, datum fuisse, non modo ut pretium et Redemptionem, sed etiam ut cibum et nutrimentum[2] : « *Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum daret*, et in pretium et in cibum. »

**2.** — Ingeniosum est epithetum, quod Blosius in *Margarita spirituali* divino huic Pani attribuit, dicens[3] : « O stupenda Sapientia Dei, quæ hunc « subtilem, et salutarem mundum pro salute nostra « instituit; » pro cujus intelligentia notandum, quod priusquam Verbum æternum e sinu patris in hanc terram descenderet, mors in hoc mundo prævalens triumphum egerit; unde Zacharias Deum rogabat, dicens[4] : *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.* Etenim vita vera in cœlo, in Patre scilicet, residebat[5] : *In pso vita erat, et vita erat lux hominum.* Hæc autem mors eo usque continuabatur, donec ad terram per hunc panem Eucharisticum, de quo S. Ambrosius ait[6] : « Hic est « cibus, in quo vita definitur æterna, » vivificandam, Filius Dei mitteretur : mundi nomine autem, ut Beda declarat, non mundi elementa, sed fideles et credentes qui sunt in mundo, intelliguntur. Unde idem Beda ait[7] : « Dat vitam in mundo, non ele- « mentis, sed hominibus habitatoribus mundi. » Petrus Blesensis vero in quadam Epistola aliis nobilibus epithetis Eucharistiam honorat, dicens : « Magnum hoc est sacramentum, supra omnem « æstimationem, supra omnem intelligentiam, supra « omnem eminentiam, in qua salus est mundi, « pretium sæculi. » In sequentia a Thoma composita, Ecclesia canens ait : « Laudis thema specialis. « Panis vivus et vitalis hodie proponitur. » Ingeniosa quoque est, quam Rupertus Abbas Tuitiensis facit, reflexio circa modum, quo Deus mundi ruinas, a serpente per pomum vetitum causatas, reparavit[8]. Hic etenim Salvatorem ad SS. Corpus suum sumendum invitantem his verbis loquentem introducit[9] : « *Accipite et comedite, hoc est corpus meum*, et « protinus subjungit. Cum hoc dicit Agnus Dei, « opportune nobis ad memoriam recurrit illud, « quod dixit serpens, immo per serpentem Diabolus « hostis humani generis : *accipit et comedite, eritis « sicut Dii,* » sicut enim per escam pomi vetiti, mors in hunc mundum intravit; ita Filius Dei per cibum Eucharisticum, mortem in fugam pepulit, vitam nobis donando; unde ipsemet Salvator ait : *Hic est panis qui de cœlo descendit et dat vitam mundo.* « Ille serpens erat, » inquit Rupertus, « iste « agnus est; ille vetus peccator, iste antiquus crea- « tor; ille per terram repsit, iste de cœlo venit. « Ille spiritus Diaboli falsum sibilans, iste spiritus « Dei verum evangelizans; ille mortis artifex, iste « vitæ opifex; ille de ligno non suo raptor obtulit, « iste de corpore et sanguine suo largitor dedit; « ille quod non habet, mendaciter promisit, eritis, « inquiens, sicut Dii; iste quod habebat et quod « semper naturaliter habet, fideliter dedit, ut simus « Dii, dum manet ipse in nobis. » Tandem vero per os Salvatoris loquens, et ad divinum hoc alimentum nos invitans, dicit : « Contra cibum mortis, panem « comedite vitæ æternæ et calicem bibite salutis « perpetuæ. » S. Bernardinus Senensis in sermone quodam humiliter ait[1] : « Sicut demeritum culpæ « cœpit in homine ex auditu diabolici verbi, mortis « pabulum suggerentis, ita vita gratiæ in humano « genere reformatur per verbum Christi, vitæ ei « cibum veraciter proponentis. »

**3.** — In libro Geneseos mundum extrema quadam fame oppressum fuisse invenimus[2] : *In universo orbe fames prævaluit, in cuncta autem terra Ægypti panis erat; omnia autem,* ut Apostolus ait, *in figura contingebant illis.* Sed quænam erat hæc fames, cui tunc universa terra subjacebat? fames nimirum panis spiritualis. Audite Chrysologum de filio prodigo ita scribentem[3] : « *Facta est fames « valida;* famem magnam cognoscendæ veritatis « sustinebat. » Sed quonam remedio rex Ægypti famem a regno suo profligabat? *Ite,* inquit, *ad Joseph; aperuitque Joseph universa horrea.* Porro Joseph iste Salvatorem nostrum præfigurabat, qui frumentum appellatur electorum. Audiamus S. Prosperum hac de re ita loquentem[4] : « Aperuit « Joseph horrea tempore famis et ministrabat po- « pulis; hoc et de nostro dictum est : *oculi Domini « super justos* et sequitur, *ut eruat a morte animas « eorum et alat eos in fame,* nimirum illa, quam « Deus per Amos comminatur, dicens : *Mittam fa- « mem in terram, non famem panis, sed audiendi « verbi Dei,* in hac fame positus noster Joseph « Christus Dominus ex horreis suis nobis divinam « sui Corporis annonam ministrat. »

**4.** — Seriæ considerationis nostræ oculos in Babyloniam convertamus, ibi hamque Danielem inveniemus in lacu leonum famelicorum, ab iisque, faucibus apertis corpus ejus, velut prædam anhelantibus, circumdatum, tametsi nullus illorum corpus ejus attingere præsumpserit. Huic igitur Deus, compassione erga illum commotus, Angelum misit, qui Habacuc prandium messoribus ferentem, per

[1] JOAN., III. 16. — [2] S. BONAV., in c. 6. — [3] BLOS., *in Margarit. Spir.* — [4] LUC., I, 79. — [5] JOAN., I, 4. — [6] S. AMBROS., *de Parad.* — [7] VEN. BEDA, *in Cat.* — [8] PETR. BLES., e. 123. — [9] RUP. ABB., *de Oper. Spir. S.*

[1] S. BERNAR., t. II, s. 5. — [2] GENES., XLII, 54. — [3] D. CHRYSOL., s. 5. — [4] S. PROSP., *de Promp. et præd. ver. Dei cit.*

comam capitis apprehensum in lacum transtulit, ut cibus ille Danieli Dei servo dispensaretur, clauderenturque famelicorum ora leonum. Porro S. Hieronymus optime observat [1], dictionem illam *Habacuc*, idem significare, quod *amplexator*, ideoque per illum, Filium Dei præfiguratum fuisse dicit, utpote qui in Incarnatione sua humanam naturam nostram est amplexatus, ut proinde hæc dicere possit: *Dextera illius*, id est, Divinitas, *amplexabitur me.* Messores autem, quibus prandium ab Habacuc præparatum erat, Angelos significant, de quibus in Evangelio dicitur [2]: *Messores autem Angeli sunt*; his enim Panis Eucharisticus revelata facie fruendus semper præsto est [3]: *Beatus qui manducabit Panem in Regno Dei*; de quo etiam pane S. Raphael Archangelus ait [4]: *Ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* Denique genus humanum præfigurabatur in Daniele, qui in medio Babyloniæ, famelicis leonibus ad prædam ejus aspirantibus, quaquaversum circumdatus morabatur, quia universus mundus, parvulo duntaxat Judææ angulo excepto, idola adorabat et dæmonibus serviebat, qui leones sunt, de quibus S. Petrus ait: *Tanquam leo rugiens, etc.* Universus igitur mundus fame illa, de qua D. Chrysologus loquitur, vexabatur, adeo ut dicere potuerit: *Quanti in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* Ecce tibi igitur Habacuc, id est, Christum Incarnatum, magni consilii Angelum, divinum hoc convivium, de quo sæpe canit Ecclesia: *O sacrum convivium, etc.*, toti mundo præparantem, eumque ab infernalium leonum faucibus eripientem.

**5.** — *Dat vitam mundo.* Quidnam obsecro mundus, priusquam lux in eo crearetur, aliud, quam confusum quoddam chaos erat [5]? *Tenebræ erant super faciem abyssi, dixitque Deus, fiat lux et facta est lux*; quam tenebrosa abyssus erat universus mundus, impietate quaquaversum repletus, quamdiu ante formatam in eo Evangelicæ gratiæ lucem, princeps tenebrarum dominabatur? hæc autem lux in sole justitiæ Christo, sub nubibus accidentium sacramentalium reclusa et obvelata, consistit [6]: *gratiæ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* S. Bernardus de Eucharistia disserens, ait [7]: « Panis « iste per excellentiam Eucharistia dicitur, id est, « bona gratia, in hoc enim sacramento, non solum « quælibet gratia, sed ille a quo est omnis gratia, « sumitur. « S. Bernardinus Senensis similiter inquit [8]: « Est fons omnis gratiæ et virtutis; unde « Sacramentum hoc Eucharistia, id est, bona gratia « nominatur, ideo Eccl. 24, ipsa Eucharistia de se « ait: *In me omnis gratia viæ et veritatis; in me « omnis spes vitæ et virtutis.* » Olim in paradiso terrestri universus mundus per pomum infectus fuit toxico æternæ mortis; unde Deus ait: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*; at vero in Sion Eucharistia instituta fuit, in quam cœlestis ille panis descendit, qui nostram vivificavit mortalitatem; unde Albertus Magnus in persona Christi ait [1]: « Quia in corporali cibo vitam perdidistis, « ideo ego corporalem cibum præparavi vobis, in « quo vitam invenietis. » Idem quoque præsul illum Apostoli ad Hebræos textum [2]: *Optimum est gratia stabilire cor*, adducens, ait: omnem fidelium in pietate et religione, ac quovis alio bono constantiam et stabilitatem, hujus sacramenti esse effectum: « Gratia cor stabilit et confortat ad hoc, in« quit, quod in bono divino permaneat, hoc autem « specialiter hæc gratia facit, sicut dicitur Psalm. « CIII: *Panis cor hominis confirmat.* » S. Paulus Apostolus qui ad hoc a Deo destinatus erat, ut mundum Evangelicæ legis prædicatione, et fidei Christianæ notitia vivificaret, hoc cibo vitæ restauratus, et confortatus fuisse legitur; unde idem Albertus Magnus ait [3]: « Diu nutaverat Paulus et sicut « dicitur (Act. IX) *cum accepisset, gratiæ hujus cibo « confortatus est.* » Perspicua similiter est, circa propositi thematis verba S. Bonaventuræ expositio, dicentis [4]: quod per hanc vitam, mediante hoc pane mundo collatam, divina gratia denotetur, cujus viva quædam scaturigo est Eucharistia, nam « hic « Panis dat vitam mundo, id est, dat gratiæ vitam « vivificantis, »

**6.** — Observandum quoque, Salvatorem nostrum apud S. Joannis, c. VI, verbis propositi thematis præmisisse, dicendo [5]: *Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis; hunc enim Pater signavit Deus.* Signum autem, quo æternus ejus Pater hunc cibum signaverat, erat vita immortalis, cujus semen et pignus est gratia. Valde etiam ad propositum nostrum considerari merentur verba illa S. Hilarii l. VIII *de Trinitate* de hac materia tractantis, dicit enim [6]: « Hæc vero vitæ nostræ causa est, quod in « nobis carnalibus manentem per carnem Christum « habemus, victuris nobis per eum ea conditione, « qua vivit ipse per Patrem. » Christus enim apud eumdem Joannem ibidem protestatus fuerat, dicens [7]: *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me*; unde S. Hilarius hanc deducit consequentiam: « Vivit ergo per Patrem et quomodo per « Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus « vivemus. » Apte ad propositum nostrum observat S. Bonaventura quod incarnata Sapientia, dum in capite VI Joannis de hoc sacramento, quod institu-

[1] S. HIER., *de nom. Hebraicis.* — [2] MATT., XIII, 54. — [3] LUC., XIV, 16. — [4] TOB., XII, 19. — [5] GEN., I. — [6] ROM., VII, 25. — [7] S. BERN., ser. *in Cœna Dom.* — [8] S. BERN. SEN., t. II, ser. 55.

[1] ALB. MAGN., t. XTI, dist. 6. — [2] HEB., XIII, 9. — [3] ALB. MAG., *ib.*, dist. 1, *c.* 4. — [4] S. BON., *in Joan.* — [5] JOAN., VI, 27. — [6] S. HILAR., l. VIII *de Trinitat.* — [7] JOAN., VI, 58.

tus erat, diffuse loquitur, non semel, sed decies vitæ mentionem faciat : « Decies, » inquit [1], « repe- « ritur hic actus vivificandi et attribuitur pani. » S. Augustinus in quodam sermone de hujus sacramenti salutari Calice, inquit [2]: « Illum bibere, quid « est, nisi vivere? manduca vitam, hibe vitam, « habebis vitam et integra est vita. » In Canone Missæ post consecrationem hæc verba recitantur : *panem sanctum vitæ æternæ et calicem salutis perpetuæ* : similiter ante consecrationem in eodem Canone oblationem hostiæ, non solum pro salute animæ, sed etiam corporis, præsentamus dicendo : *pro spe salutis et incolumitatis*; ubi Remigius Altisiodorus notat dicens [3] : « Nec solum pro salute « æterna, sed etiam pro temporali incolumitate, id « est, corporali sanitate, incolumitas enim dicitur « sanitas et integritas, utraque enim sanitas ab illo « est, animæ et corporis. » S. Basilius pariter in quadam epistola punctum hoc tangit immortalitatis, cujus panem hunc cœlestem dicit esse instrumentum; « quis jam dubitabit, » inquit [4], « quin « vitam frequentius participare, non sit aliud om- « nino, quam frequenter vivere? » quibus verbis hoc sacramentum vitæ nomine indigitat. Sicut enim ad sustentandam vitam corporalem, necessarius est cibus, ita quoque ad spiritualem animæ vitam conservandam cibi Eucharistici urget necessitas; nam ut Salvator ait [5]; *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus* : circa quæ verba Seraphicus Doctor ait [6] : « Quæritur, quid ait *vere est cibus!* « Et ad hoc respondet Augustinus, quod cibos et « potus ideo appetunt homines, ut non esuriant « neque sitiant, hoc autem non præstat veraciter, « nisi iste cibus et potus, qui eos, a quibus sumitur, « immortales facit. »

7. — Præterea *Dat vitam mundo*, quia fulmina Divinæ justitiæ adversum nos irascentis coercet, quæ alias mundum continuis sceleribus immersum, in nihili abyssum redigeret : « Panis iste super sub- « stantialis, » inquit S. Cyprianus « et Calix, benedic- « tione solemni sacratus, ad totius hominis vitam « salutemque profuit, simul medicamentum, et « holocaustum ad sanandas infirmitates et purgan- « das iniquitates existens. » Rupertus Abbas ad altare quod Noe erexit et in quo sacrificium obtulit, se reflectens, ait [7] : « Qui arcam facere jusserat « homini, in qua salvaretur, digne illi homo altare « ædificat, in quo idem Salvator suus adoretur. » Quando enim Deus cruentum indignantis justitiæ suæ gladium in vaginam recondere, mundoque reconciliari volebat, tunc altare illud, in honorem suum erigi, in eoque holocaustum offerri disposuit; ut denotaret, quod sacramentum terram salvet et in incolumitate sua sustineat, ne annihiletur et totaliter intereat : *Dat vitam mundo*. Albertus Magnus verba Proverbiorum [1] : *Munus absconditum extinguit iras et donum in sinu indignationem maximam*, de Eucharistia explicat, dicens [2] : « Omnem « enim iram et indignationem Dei, hoc pretiosis- « simo dono extinguimus. » Deus olim apud Isaiam conquerebatur, dicens [3] : *Jugiter tota die nomen meum blasphematur*. Porro certum est, unicam blasphemiam, vel unicum tantum peccatum mortale, ad annihilandum totum universum abunde sufficere; quanto igitur magis abunde ad id sufficere si *jugiter tota die nomen Dei blasphemetur*? quodnam igitur cœlestis pietas ad mundum conservandum providit antidotum? audite Isaiam idipsum insinuantem : *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum*, quasi diceret, ex nunc, scilicet a tempore Incarnationis meæ per præsentiam meam corporalem in hoc sacramento, iræ Patris mei opponam, usque in mundi finem, unde alibi dicit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Equidem licet *jugiter tota die nomen ejus blasphematur*, nihilominus ex alia parte continuum nobis providit sacrificium, *juge sacrificium* a Daniele nuncupatum [4], siquidem per totam Christianitatem, omnibus cujuscunque diei horis sacrificium offertur incruentum, quando enim apud nos dies est, noctem habent antipodes et e converso, atque ita toto cujuscumque diei naturali cursu et quocumque ejus momento, æterno Patri Filius ejus in salutem nostram offertur, ut illud adimpleatur : *Dat vitam mundo*.

8. — « *Dat vitam mundo*; hoc est hominibus in « ipsum credentibus, » ut exponit Carthusianus [5]; siquidem certum est, ut suo loco plenius dicemus, fideles in panis hujus virtute, vitam, id est, gratiam et amicitiam Dei conservare. *Panis cor homini confirmat*, inquit Psalmista [6], cujus hanc ad intentum nostrum rationem subdit S. Thomas [7], « quia sci- « licet Corpus Christi fideles suos in bona vita con- « firmat et confortat. « Cui doctissimus subscribens Salmeron, inquit [8]: « Virtutes Theologicas et mo- « rales, quæ ad salutem nostram faciunt, eorum- « que incrementa, nulla ratione magis nobis pol- « liceri possumus, quam per hoc ipsum fidei, et « charitatis sacramentum; quippe ejus frequenta- « tione illæ nobis inferuntur, illæ nobis insertæ « augentur, atque auctæ perficiuntur, non secus « ac cibo corporeo singulæ corporis partes et mem- « bra accrescunt, aut saltem conservantur. » In primis illis sæculis, nec non successive in aliis, quando fideles ad fidei confessionem compellebantur, eamque non uno, sed multifario ore medios

[1] S. Bon., *in Joon.* — [2] S. Aug., s. 2 *de Verb. Apost.* — [3] Remig. Altiss., *de Celebrat. Miss.* — [4] S. Bas., ep. *ad Cæsar.* — [5] Joan., vi, 55. — [6] S. Bonav., *ibid.* — [7] Rup. Abb., *in Gen.*

[1] Prov., xxi, 14. — [2] Alb. Mag., *ib.* — [3] Isa., lii 5. — [4] Dan., viii, 11. — [5] Dion. Carth., *ib.* — [6] *Ps.* ciii, 16. — [7] S. Thom., *ib.* — [8] Salm., t. IX, tr. 26.

inter sanguinum rivos defendebant, unde vigorem roburque, nisi a sacra communione obtinuere? eumdem audiamus auctorem : « Martyres pro « Christo, » inquit ille[1], « extrema subituros tor- « menta, magnus Cyprianus Eucharistia muniebat, « quemadmodum magnum inituri prælium, in « quo ut ardentius pugnent, cibo potuque se com- « municare solent. » Quam veritatem fusius confirmat Baronius[2], quando in annalibus Ecclesiasticis anno 255, ardens recenset, quod fideles propter fidem incarcerati habebant, desiderium sumendi Eucharistiam; id quod in aliis eorumdem annalium locis fusius prosequitur, probans, fortissimam atque impenetrabilem Christianorum armaturam inter persecutiones, unicam extitisse communionem, quam etiam ob causam in sæculis illis admodum periculosis Ecclesia permittebat, ut fideles panem hunc consecratum, domum secum deportarent, ut occasione data, atque persecutoris tyrannide imminente, hoc se pabulo cibare atque munire possent; cujus et Apostolus ab Alberto Magno citatus meminit in hæc verba[3] : *Rogo vos accipere cibum pro salute vestra, quia nullus vestrum capillus de capite peribit*; « cibus enim salutis saluberrimus omnibus « et confortat in gratia, et salvat a periculo, » subnectit dictus auctor.

## DISCURSUS III.

### QUARE EUCHARISTIA PER MODUM CIBI, SUBQUE SPECIEBUS PANIS INSTITUTA FUERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Cur Christus hoc sacramentum instituerit per modum cibi et potus. — 2. Per esum ligni vetiti intravit mors. Per esum hujus panis intrat vita. Animæ æque necessarius est cibus, ac corpori, ille autem est Eucharistia. — 3. Notanter hic cibus datus est sub speciebus panis. Hunc panem petimus in oratione dominica et notanter dicitur, panis noster. — 4. Christus huic sacramento assignavit panem qui est cibus omnibus communis. — 5. S. Euchar. est nutrimentum vitæ. — 6. Manducare panem, in Script. S. idem est, ac laute epulari. — 7. S. Euchar. est panis uniens fideles. — 8. Panis naturalis restaurat in corpore, quicquid calor naturalis consumpsit. Sic S. Euch. restaurat quicquid animæ deperiit per delectationes carnales. — 9. Panis conficitur ex tribus : sic et Euchar. constat ex tribus. — 10. Nemo afficitur tædio ex gustu panis : sic, etc. — 11. S. Euch. proprium est, animam vivificare. — 12. Pessimum signum est, nausea hujus panis.

*Accepto pane, dedit eis dicens : hoc est corpus meum.* Luc. XXII, 19.

**1.** — Scire quidem optarem, cur in ultima Cœna Salvator noster sacramentum Altaris, in agno Paschali principaliter figuratum, instituturus, Panem et vinum carni prætulerit? aut cur non potius manna impertierit, simillimum Eucharistiæ typum? « Commutanit Dominus sacramentum agni, » inquit Seraphicus[1], « in Sacramentum panis, quia iste est « cibus magis communis et naturalis. » Nihilominus in capite discursus, laudabili sanctaque cum curiositate interrogare libet, cur Dominus sacramentum hoc nobis subministrare voluerit *per modum cibi et potus*; quam distinctionem reliqua inter sacramenta habere novimus Eucharistiam? Hugo Victorinus dubium hoc sequenti enodat responso, dicens[2] : « Voluit sapientia Dei, quæ se per visibi- « lia manifestat, ostendere, quod ipsa animarum « refectio est et cibus; et propterea carnem as- « sumptam in edulium proposuit, ut per cibum « carnis ad gustum invitaret Divinitatis. » In terram enim descenderat Verbum, ut nos beatæ æternæque vitæ redderet participes; quemadmodum igitur hæc vita corporalis per cibum fovetur, ita pariter in via ut sempiternam animæ vitam consequeremur, alium nobis subministravit cibum : « Hic pereat « physicale nutrimentum (verba sunt S. Bernardi) « cibus iste non est ventris, sed mentis; non est « enim datus ad ruinas hujus vitæ, quæ vapor est, « ad modicum parens, sed ad æternam vitam animæ « conferendam; illuc reducit hominem, unde traxit « originem. »

**2.** — Per cibum serpens nostram operatus est ruinam; per cibum pariter Divina sapientia nostrum restauravit interitum; unde Rupertus Abbas ait[3] : « Contra cibi vetiti culpam, cibus et potus « gratiæ est, contra serpentis venenum, S. Spiritus « antidotum est. » Cui et illa consonat Didaci Stellæ doctrina[4] : « Non solum ejus altitudo sapientiæ « ostensa est per hoc, quod cum homine mansit, « sed etiam per modum, quo id facere excogitavit; « nam eo modo, quo mors in mundum intravit, « voluit, ut eodem intraret vita; per esum ligni « vetiti intravit mors per esum etiam intravit « vita. » Angelicus Doctor ad illam Christi assertionem[5] : *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus*, se reflectens, sanctique Chrysostomi innixus auctoritati, inquit : « Quia cibus et potus sumitur « ad refectionem hominis; » deinde duas in nobis considerat partes, quarum principalior anima, minus autem principalis corpus est; essentia hominis in anima, non in corpore consistit; animæ itaque sustentandæ necessarius erat cibus; qui non alius, quam Eucharistia est, quæ in multis Dei servis ipsi etiam corpori virtutem et nutrimentum communicavit; ideo S. Doctor subjungit[6] : « Illud autem, « quod est homo, est per animam, non per corpus, « illud ergo est vere cibus, qui est cibus animæ et « hoc est, quod Dominus dicit : *Caro mea vere est*

[1] SALMER., t. IX, tr. 2. — [2] BARON., ann. 255, n. 5. — [3] ALB. MAGN., l. *de Euchar.*

[1] S. BON., *ib.* — [2] HUGO DE S. VICT., *de erud. Theol. sacr. fide.* — [3] RUP. ABB., l. III *de Sap.* — [4] DID. STEL., *in Luc.* — [5] JOAN., VI, 55. — [6] S. THOM., *ib.*

« *cibus,* quia non solum est cibus corporis, sed « etiam animæ. » Quod intentum S. Carolus Borromæus mire promovet, compendiosa hac, sed emphatica doctrina, qua proportionem cibi corporalis et Eucharistici exhibet in hæc verba : « Quos usus « corpori panis et vinum affert, eos omnes animæ « saluti et jucunditati ; ac meliori quidem et per« fectiori ratione, Eucharistiæ sacramentum præ« bet. » Quod idem documentum Concilium Tridentinum tradit, a S. hoc Cardinali in medium adductum, perfecteque consummatum ; ait enim : « Sumi voluit sacramentum hoc, tanquam spiritua« lem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes, ut illius, qui dixit ; *Qui manducat « me et ipse vivet propter me.* »

**3.** — Non solum autem *per modum cibi*, sed etiam sub speciebus panis, Eucharistiam instituere voluit Dominus, qui *accepto pane dedit eis dicens, hoc est corpus meum.* Non desunt Interpretes sacri, qui in oratione Dominica nos a Christo jussos astruunt, panem petere sacrosancti Corporis ejus ; unde S. Matthæus [1] pro *verbum panem nostrum quotidianum,* habet : *super substantialem,* ad quod se reflectens S. Hieronymus, ait [2] : Illud quod in Evan« gelio secundum Latinos Interpretes scriptum est ; « *panem nostrum quotidianum* ; melius habetur in « Græco ; *panem nostrum egregium*, præcipuum, pe « culiarem, eum videlicet, qui de cœlo descendens « ait : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* » Quam eamdem sententiam tenuere Tertullianus, S. Ambrosius et alii : id quod per illam confirmari potest particulam, *panem nostrum*, siquidem circa alium panem libera nobis non est dispositio, sed a beneficentia Dei illum expectemus oportet ; hic autem adeo in nostra est potestate, ut sacerdote super materiam verba consecrationis proferente, substantia panis necessario in Christi corpus convertatur ; *obediente Deo voci hominis.* Aut etiam dici potest, panem usualem non dici *nostrum*, siquidem omnibus communis est, etiam idololatris, Mahometanis et atheistis : *solem suum oriri facit super bonos et malos* ; panis autem Eucharisticus solis concessus est nobis Christianis Catholicis : « Nobis datus ; vere « panis filiorum non mittendus canibus ; » *panem nostrum,* quia eum nostrum fecit, qui dixit : *Qui manducat meam carnem, in me manet et ego in illo ;* ad quem panem sumendum ita nos extimulat S. Chrysologus [3] : « Cœlestis Pater, cœlestem panem, « cœlestis Filii, ut postulemus, hortatur, ipse dixit : « *Ego sum panis, qui de cœlo descendi.* Ipse est pa« nis, qui satus de virgine, fermentatus in carne, « in passione confectus, in fornace coctus sepulchri « in Ecclesiis conditus, illatus altaribus, cœlestem « cibum quotidie fidelibus subministrat. »

**4.** — *Accepit Jesus panem et benedixit, ac fregit, deditque discipulis et ait : accipite et comedite, hoc est corpus meum.* Utique non sine mysterio in sacramenti hujus materiam Christus assignavit panem, siquidem hic omnibus cujuscumque status, sexus, ætatis, conditionis et professionis communis est hominibus [1] : « *Dedit,* non vendidit,» inquit Hugo Cardinalis, « quia venditum ad paucos derivatur ; dedit « ergo et omnibus dedit, multis ante sæculis ad ejus « participationem nos invitans, per Isaiam dicens [2] : « Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis « argentum, properate, emite et comedite ; venite, « emite absque argento et absque ulla commuta« tione vinum et lac. » Inter omnes equidem materias comestibiles, maxime indifferens, atque universalis est panis, nullius non deserviens necessitatibus, ideoque B. Algerus ait [3] : « Qui in suis « beneficiis nostram abstulit expensam, ne grava« remur, suam contulit incomparabilem gratiam, « ut hilarius juvaremur. Si enim in quibuslibet « pretiosissimis speciebus sacramenta sua Deus « instituisset, quæ natura et quantitate sua, ita « essent pretiosa, ut mundus totus non sufficeret « ad ea comparanda ; non quidem sacramentorum « esset digna comparatio, sed difficilis ; et onerosa « pauperibus, ad ea erat accessio. Ideoque ut gra« tia Dei omnimode esset gratuita, in sacramentali« bus speciebus non quæsivit dignitatem, sed « aptitudinem. »

**5.** — *Accepto pane.* Experientia teste, panis principalissimum hominis est nutrimentum ; cui proinde Psalmista insigne hoc attribuit epithetum, *firmamentum panis.* S. autem Martianus Eucharistiam eadem de causa « unicum » appellat [4] « vitæ remedium ;» quem effectum S. Bernardinus fusius considerans, ab alimento materiali ita ad spirituale digreditur [5] : « Sicut alimentum corporale habet, vitam corporis « servare, sic hoc sacramentum, cum sit animæ « cibus, habet, ipsam in gratia solidare, quæ ipsius « animæ vita est. » S. porro Bonaventura de hoc eodem agens Sacramento, Sapientiam Incarnatam nos ad vitam immortalem corpore suo sub speciebus panis nutrire voluisse concludit, dicens [6] : « Sapientia providit, ut rationales animas homi« num, quas tam care redemit et per gratiam « magnificavit, ac effecit similes Angelis Dei, « cibaret illo pane, quo Angeli nutriuntur, sine « quo nec illi, nec isti vivere possunt et hoc per « aliquem modum convenientem nobis parvulis, « quo impossibile est nobis comedere cum isto « mortali corpore illum panem vitæ in soliditate « propriæ formæ, scilicet divinitate. » Quas easdem sacratissimi Christi Corporis, specierumque panis et vini, proportiones considerans S. Cyprianus,

[1] MATTH., VI, 11. — [2] S. HIER., cit. a SALMER — [3] D. CHRYS., s. 67.

[1] HUG. CARD., *ib.* — [2] ISA., LV, 1. — [3] B. ALGER., l. III *de sacr.* — [4] *Ps.* CIV, 16. — [5] S. MART., ep. *ad Bev.* — [6] S. BERN., t. I, ser. 54. — [7] S. BONAV., *de Præpar. ad Miss.*

inquit [1] : « Potus et esus ad eamdem pertinent « rationem, quibus sicut corporea nutritur substan- « tia et vivit et incolumis perseverat ; ita vita « spiritus hoc proprio alimento nutritur. » Qui idem sanctus paulo ante verba præmiserat sequentia : « Sicut panis communis quem quotidie edimus, « vita est corporis, ita panis iste super substantialis « vita est animæ. » Quam eamdem rationem B. Algerus in hæc adducit verba [2] : « Quia panis et « vinum homini incorporatum, vita est temporalis, « ideo Christus hoc sacramento nobis tanquam « caput membris incorporatus, fit vita æterna fide- « libus. » Quæcumque alia materia, ad institutionem hujus sacramenti eligibilis, ad nostram minus nutritionem, quæ in animabus in ordine ad vitam æternam exercetur, repræsentandam adaptari potuisset.

**6.** — *Accepto pane.* Honorius Augustodunensis *panis* nomen in Scriptura Sacra præ omnibus aliis cibis expressivum esse advertit, dicens [3] : « Panis, « omne dicitur, ideo hic offertur, quia omnis salus « animæ et corporis in eo percipitur. » Porro manducare panem, ut ex variis deducitur S. Scripturæ locis, idem est, quod lautæ assidere mensæ. Cujus sacramenti in hæc verba meminit Ecclesia sancta : *Panem de cœlo præstitisti eis omne delectamentum in se habentem.* « Si quis esurit, accedat ad illum : » inquit Thomas de Villanova [4], « et omnem in eo re- « periet satietatem. » Panis insuper proprietas ea est, ut notat Seraphicus, ut omnes condiat, præparet, sapidosque reddat cibos [5]. « Panis cum omni « cibo apponitur et omne animal panem desiderat « et in cæteris cibis vincit utilitas panis et quia « prædictæ sunt summe in Filio Dei, ideo merito « dicitur panis ; » ita et Eucharistia, omnes eam digne sumentes vegetos efficit, ejusque palati efficit participes, ut omnes eis sapiant virtutes, ut incredibiles faciant quotidie in charitate, honestate, humilitate, mansuetudine, mortificatione, omnibusque aliis virtuosis actibus progressus.

**7.** — *Accepto pane.* Idem Seraphicus alio in loco hanc sequentem dicti hujus assignat rationem [6] : « Quoniam nihil magis idoneum est ad refectio- « nem, quam cibus panis et potus vini ; nihil est « etiam magis idoneum ad significationem unitatis « corporis Christi, veri et mystici, quam panis « factus de mundissimis granis et vinum expressum « de purissimis acinis, in vinum collectis ; ideo sub « his speciebus magis quam sub aliis, debuit hoc « sacramentum exhiberi. » Si enim Annales Ecclesiæ attente pervolverimus, infallibiliter edocebimur eam accrevisse, suosque fideles et filios suos, quorum ut S. Lucas ait [7] : *Erat cor unum et anima una,* simul uniisse, quando hic fuit præparatus subactusque panis, prout primus docuit discursus. Cujus proinde mentionem Apostolus faciens ait [1] : *Unus panis et unum corpus multi sumus* ; ad quæ verba Eusebius Emissenus se reflectens, ita discurrit [2] : « In hoc ipso quod numerosis tritici granis confici « novimus, unitatem constat assignari populorum, « sicut enim frumentum, quod solita purgante sol- « licitudine præparatus, in candidam speciem mo- « larum labore perficitur, ac per aquam et ignem « in unius panis substantiam congregatur : sic « variæ gentes, diversæque nationes in unam fidem « convenientes, unum de se Christi corpus effi- « ciunt. » Incognitus Carmelita Michael de Bononia super illa verba Psalmi LXXX : *Et cibavit eos ex adipe frumenti,* ad idem propositum nostrum dicit [3] : « Sicut adeps frumenti est unitivus, quia ex multis « granis unus panis conficitur, sic istud sacramen- « tum est unitivum, quia omnes digne sumentes « unit et pacificat, dum eos unum corpus facit in « Christo. »

**8.** — *Accepto pane.* Ex quo panis primaria alimenti nostri causa est, ideo in nobis resarcit, quidquid vi caloris naturalis substantiæ nostræ deperditum fuit : sicut enim flamma lampadis, oleum in illa repositum semper consumit, ita quoque calor naturalis in corporibus nostris semper consumit illorum substantiam et consequenter sicuti lampadi novum reinfunditur oleum, ne lumen extinguatur, ita quoque corpus nostrum cibare de novo debemus ut quod calore naturali consumptum est, ex alia parte per cibum resarciatur. Porro eumdem effectum, quem panis et quilibet alius cibus operatur in corpore, Eucharistia pariter in anima producit, huic enim effrænis quidam ardor a vitiata natura nostra impressus est, qui appetitus concupiscibilis nominatur, hominemque semper ad deteriora, id est, ad voluptates et delectationes carnales explendas infeliciter inclinat, cui ardori aliud quoque accedit incendium, scilicet mundus, pro quo adaugendo supervenit instigatio inimici infernalis et væ animæ, ni Salvator ejus de hoc pane prospexisset, per quem omnia restaurantur damna, quæ ab appetitu inordinato derivari solent. S. Basilius super Isaiam scribens, eamdem quoque inter sacramentum Altaris et cibum tangit proportionem, dum ait [4] : « Quemadmodum corpora nostra convalescunt, ac « firmantur sub alterna sumptione congruentium « alimentorum, ita quiddam est, quod consentanee « pascit animam, eique suggerit vegetas vires ad « bonitatem consectandam. Quid illud tandem « est ? nimirum quod dixit Dominus : Caro mea « vere est cibus et sanguis meus vere est potus. » Enim vero experientia constat, quod dum quis aliquanto tempore sine cibo vitam degit, paulatim

[1] S. CYPR., *de Cœn. Dom.* — [2] B. ALGER, *ib.* — [3] HON. AUG., *de Gemma animæ.* — [4] S. THOM. DE VILL., Conc. 1 *in Fest. Corp. Christi.* — [5] S. BONAVEN., *in Joan.* — [6] S. BON., t. VI *Breviloq.* — [7] ACT. APOST., IV, 32.

[1] I COR., X, 17. — [2] EUS. EMISS., *de Pasc.* — [3] INCOG., *ib.* — [4] S. BAS., *in Isa.*

omnia corporis membra languescant; at vero quando sufficienter nutritur, omnes illius partes vigorem et vires denuo recipiunt: eumdem quoque in animabus effectum operatur, raritas vel frequentia communionis; unde Psalmista dicebat [1]: *Ossa mea sicut cremium aruerunt, percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

**9.** — *Accepto pane.* Ad panem conficiendum tria præcipue requiruntur, videlicet: farina, aqua et ignis: ita quoque in hoc cœlesti pane tres præcipue substantiæ notantur, videlicet: corpus, anima et divinitas; unde Seraphicus Doctor ait [2]: « Maxime « dignitas apparet in hoc sacramento, quia cum « Christus constet ex tribus substantiis, scilicet « Deitate, anima et corpore, ipsa quidem Deitas « excellit omnia; item anima ejus præcellit omnes « animas, cum sit plena gratiæ et veritatis; item « corpus ejus excellit omnia corpora, quod de « sanctificato corpore B. Virginis fuit sumptum et « divinitati unitum; » atque ideo sancta mater Ecclesia de hoc pane merito canit: « Pinguis est « panis ejus et præbebit delicias Regibus. »

**10.** — *Accepto pane* Deus speciali providentia sua pani naturalem gustum indidit, adeo ut nullus sit, qui illius tædium, aut nauseam concipiat, illoque, licet proprio sudore sæpe subacto, non libenter et magno cum gustu vescatur; hunc autem saporem Deus ideo pani et cibo indidit, quia pro corporis sustentatione eodem semper indigemus; unde apud Ezechielem [3] *panis, baculus* appellatur; de hoc quoque cœlesti pane cum admiratione in Ecclesia exclamamus, dicentes: « O quam suavis « est Domine Spiritus tuus, pane suavissimo de « cœlo præstito esurientes reples, etc. »

**11.** — *Accepto pane.* Inter omnes cibos vix ullum reperiemus stomacho convenientiorem, quam sit panis; unde medicorum aphorismus est, dicentium: « Omnis nauseatio mala, panis autem pes- « sima: » eodem quoque modo inter omnia sacramenta pro animarum salute instituta nullum est, cui magis sit proprium, animam vivificare, quam sit Eucharistia: « Non tantum in hoc sacramento « gratia sumitur, » inquit Hugo de S. Victore [4], « sed etiam ipse a quo est omnis gratia; » unde nullum dari potest deterius signum, unde aliquem Deo parum gratum esse colligere possimus; quam si hunc panem nauseet et abhorrescat. S. Bonaventura differentiam quamdam assignat inter cibum corporis et hoc spirituale animæ nutrimentum: « Hæc est differentia, » inquit [5], « inter comestio- « nem corporalem et spiritualem, quia ibi cibus « comestus transit in substantiam et nutrimentum « comedentis; hic vero comedens incorporatur « Christo et transit in amorem et unitatem corpo- « ris Christi. » Advertendum quoque est, panem Eucharisticum nequaquam fermentatum, sed azymum esse debere, quia ut animæ utilis sit; eique incorporetur, necessum est, ut conscientia pura sit et munda: etenim fermentum quædam peccati figura est, non vero sic azymum. Unde Apostolus monet, dicens [1]: *Itaque epulemur, non in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.*

[1] *Ps.* CI, 4. — [2] S. BONAV., l. VI *Comp. Th. vetit.* — [3] EZEC., IV, 16. — [4] HUG. DE S. VICTOR, *in spec. Jul.* — [5] S. CON., *de præp. ad Miss.*

## DISCURSUS IV.

### PROSECUTIO EJUSDEM MATERIÆ; ITEM QUARE SANGUIS SUB SPECIEBUS VINI SUMATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Panis Euch. debet esse triticeus. Christus est granum frumenti. Rationes, cur materia Euchar. debeat esse panis et quidem triticeus. — 3. Wenceslao Rex propriis manibus seminavit, coluit et messuit triticum ad conficiendam S. Eucharist. — 4. Christus comparatur grano frumenti. — 5. Et adipi frumenti.— 6. Sacra Euch. miraculose convertitur in aristas triticeas. — 7. Panis triticeus eligitur ad conficiendum hoc sacramentum, eo quod sit optimus. Differentia inter panem arctum et uberrimum. — Frumentum et vinum in hoc sacramento conjunguntur. — Vinum Eucharisticum cum jubilo est sumendum. Oblectat et inebriat, animos fidelium. Hoc patet in 8S. Martyribus. — 11. Christus botrus calcatus fuit in passione.

*Hæc dicit Dominus, quomodo si inveniatur granum in bothro.* Isaiæ, LXV, 8.

**1.** — Videtur Evangelicus Propheta in hisce verbis per Spiritum propheticum ad ineffabile sacramenti Altaris mysterium voluisse alludere, utpote quod sub specie panis et vini instituendum erat; unde sicut in pane sacratissimi illius corporis includitur integritas, ita pariter in vino: *Quomodo si inveniatur granum in bothro:* huic enim electorum frumento insitus est bothrus ille, de quo scribitur in Canticis [2], *bothrus Cypri dilectus meus mihi.* De quo etiam Hugo de S. Victore apposite ait [3]: « Nec pars sub specie panis et pars sub specie vini, « sed totus hic et totus ibi, non pars in parte, sed to- « tum in parte, » adeo ut impleatur illud Isaiæ oraculum, dicentis: *Quomodo si inveniatur granum in bothro.*

**2.** — Sciendum vero est, quod pro hoc pane Eucharistico specialiter electum fuerit granum inter omnia alia nobilissimum, id est triticum, in quo Salvator noster symbolice designatur, qui de seipso ait [4]: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Unde idem Hugo in-

[1] I COR., VI 8. — [2] CANT., I, 14. — [3] HUG. DE S. VIC., *Erud. Theol.* — [4] JOAN., XII, 24.

quit [1] : « Non de quolibet pane hoc consecratur « sacramentum, sed tantum de pane frumenti ; « quia ipse de se dicit, *nisi granum frumenti cadens, « etc.* » Granum hoc frumenti in illa virginali terra seminatum fuit, de qua in Psalmo dicitur [2] : *Etenim Dominus dabit benignitatem et terra nostra dabit fructum suum,* et quidem granum hoc adeo abundantem fructum produxit, ut ipsemet dixerit [3] : *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Hoc frumenti granum in paradisi granario reclusum latebat, quando jussu divini illius agricolæ, de quo Verbum Incarnatum testatur, dicens [4] : *Pater meus agricola est,* S. Gabriel Archangelus illud ipsum in Nazareth transtulit, ubi seminatum crevit ; adeoque multiplicatum fuit, ut de agro illo dici potuerit [5] : *Sicut acervus tritici.* Angelicus Doctor rationem assignat, cur Incarnata Sapientia pro Eucharistia panem elegerit, ac deinde cur panem hunc speciaiiter triticum esse voluerit ; dicit enim panem, tanquam inter omnes alios cibos materiam aptissimam elegit, tam ex parte illius, qui illum administrat, quam ex parte recipientis ; est enim in primis panis aptior ex parte illum ministrantis, quia majori cum facilitate in quovis loco et tempore reperitur, non vero item aliæ res comestibiles. Præterea panis hanc in se dispositionem habet, quod longo tempore conservari possit ; est enim materia ejus purior et mundior, faciliusque dividi et ex uno loco ad alterum transferri potest. Quantum vero ex parte recipientis hoc sacramentum, panis quoque potior magisque idonea materia est, præ cunctis aliis cibis ; quia hæc accidentia sacramentalia nullum adciscere possunt sanitati nocumentum, prout alii cibi nonnumquam faciunt : quod vero panem hunc triticeum esse voluerit, hujus has assignat rationes ; primo propter grani hujus præ cæteris naturalem nobilitatem, inter omnia enim grana triticum nobilissimum est ; ac proinde justum erat, ut panis ille inde conficetur, pro quo habendo Æternum Patrem quotidie rogamus, dicentes : *Panem nostrum super substantialem da nobis.*

**3.** — P. Rho de Wenceslao Bohemiæ rege refert hunc omne studium suum in eo collocasse, ut illud propriis manibus seminaret, excoleret : atque meteret triticum, quod hostiis consecrandis servire debebat. « Quis non suspiciat, regias illas manus, « sceptris, atque armis initiatas, aratro, mola, ac « pistrino admoveri, dum agrum colere, serere, « frumentum metere, ac molere, farinamque subi- « gere, ac panem coquere non dubitat Wenceslaus « ut quod ex regia cultura provenisset frumentum « quique coctus esset panis Eucharistiæ conficiendæ, « regio plane munere offerretur. » In Annalibus Ecclesiasticis [6] de primi sæculi Christianis fidelibus legitur, quod etiam panem, et vinum usuale magna in veneratione habuerint, eo quod sub eorum accidentibus Eucharistia conseciaretur, ac proinde Tertullianus ait [1] : « Calicis aut panis etiam nostri « aliquid decuti in terram, anxie patimur. « Albertus Magnus de hoc tritici grano pariter inquit [2] : « Hujus sacramenti materia tam quam in cibo sui « generis nobilissimo, accipitur in pane de fru- « mento, huic enim frumento Christus se compa- « ravit, dicens Joan., XII, *nisi granum frumenti, etc,* « in granis quatuor considerantur, color, figura, « quantitas, et puritas substantiæ, si debeant esse « nobilia, hæc autem omnia in grano frumenti in- « inveniuntur. »

**4.** — Hugo de S. Victore, granum frumenti intus candidum, foris vero furvum esse observat, ac proinde Christum grano huic per egregiam analogiam assimilat, dicens [3] : « Pulchre se vocat granum « frumenti, quia granum frumenti candidum est « interius, et rubrum exterius, et Christus candidus « dicitur respectu divinitatis et rubicundus in carne « propter passionem, unde sponsa in Canticis dicit, « quod sit *candidus,* et *rubicundus.* » Hoc frumenti granum nobilissimum est, et ideo de illo Job ait [4] : *Frumentum desiderat nubes* quod idem de pane Eucharistico dicere possumus, quia ut ab oculis corporeis occultetur, et abscondatur, nubem requirit accidentium sacramentalium, tametsi de cætero terræ fœcunditate, aut benignitate climatis minime indigeat ; sicuti nec industria aratri, nec pluviarum irrigatione nec spiramine ventorum, quovis enim anni tempore, et in omni loco, et quovis die, cum modica consecrationis verba super pane proferuntur, Dei Filius e cœlesti granario confestim descendit atque in sacris Altaribus in fidelium deservit annonam [5], *offertur in omni loco oblatio munda.*

**5.** — Psalmista de hoc divino frumento in hæc verba vaticinatur [6] : *Cibavit eos ex adipe frumenti* ; ubi incognitus Carmelitanus ait : « Per adipem « frumenti intellige sacramentum Eucharistia. » Porro verbum *adeps* magis proprie carni, quam frumento convenit, quia pinguedinem exprimit ; et tamen etiam huic pani triticeo sacramentali propriissime convenit, utpote qui corpus verum, et vera caro est, unde de eo dicitur : *Pinguis panis ejus,* idemque famosus [7] Interpres sequentia alterius Psalmi verba : *sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea,* exponens, inquit : « In hoc sacramento « totalis gratia pinguedo continetur, quid enim « frumenti nomine, nisi corpus Christi intelligitur? « istud frumentum habet corticem, et adipem, ut « cortex ipsa humanitas, adeps vero sit intus latens « divinitas ; quia in hoc Sacramento satiamur, eo « quod in ipso nostra finalis beatitudo consistat. »

[1] HUG. DE S. VICT., *ib.* — [2] *Ps.* LXXXIV, 13. — [3] LUC., X, 2. — [4] JOAN., XV, 1. — [5] CANT., VII, 2. — [6] BAR., 57.

[1] TERT., *de Corona mil.* — [2] ALB. MAG., l. *de Euch.*, dist. 3. — [3] HUGO DE S. VICT., *ib.* — [4] JOB, XXXXII, 11. — [5] MALAC., I, 11. — [6] *Ps.* LXXX, 17. — [7] MICHAEL DE BON., *in Ps.* LXII.

**6.**— In Annalibus *Ecclesiasticis* [1] de quodam hæretico Severi sectatore legimus, quod servum quemdam habuerit Catholicum, Deo pariter, et ipsi valde fidelem, qui juxta illius temporis consuetudinem sacram Eucharistiam in domum suam summa cum reverentia reportatam, et in armario quodam repositam habebat, ut eadem in necessitatibus occurrentibus uti, seque cibare, posset. Accidit autem quod cum servus ille procul a domo profectus fuisset, hæreticus dominus ejus, qui sæpius ex curiositate sacrosanctas illas species videre concupierat, prævidens, servum tardius domum reversurum, a dœmone instigatus, easdem in ignem projicere decreverit cumque hoc ipsum executurus, ad prædictum armarium accederet, invenit (res profecto mira atque stupenda) omnes illas species in spicas, et aristas triticeas germinasse; unde timore correptus, elata voce *Kyrie eleyson* acclamavit, atque cum omnibus familiaribus, et domesticis suis ad Ecclesiam Seleuciæ Episcopi se recepit, miraculum manifestavit, ac una cum multis aliis de hujus divini frumenti veritate convictus, errorem suum est detestatus. S. Gregorius in quadam homilia ita scribit [2]: « Quia per Prophetam dicitur : *Omnis caro* « *fœnum*, nostrum vertit in frumentum, qui de « semeptiso ait : *Nisi granum frumenti mortuum* « *fuerit, ipsum solum manet*; unde et natus in præ« sepio reclinatur, ut fideles omnes, videlicet sancta « animalia carnis suæ frumento reficeret. »

**7.** — Secunda ratio, quam S. Thomas adducit [3], cur scilicet Christus granum tritici in materiam Eucharistiæ elegerit, est, quia exinde fit panis, uniuscujusque hominis stomacho, et sanitati congruentissimus; etenim vulgatum est proverbium, *meliorem triticeo panem ne quærito*; ita et Eucharistia indifferenter pro salute omnium a Domino instituta est, dicente Ecclesia : « Manducat Dominum pauper « servus, et humilis. » Iterum pani triticeo majus, quam aliis, inest nutrimentum, et substantia, id quod huic pariter comperit sacramento, cujus excellentia omnibus aliis supereminet, et admirandos in his, qui ipso fruuntur, operatur effectus. Quo Isaias respexisse videtur, qui novæ legis successus in prophetia sua delineans, ait [4]: *Dabit Dominus vobis panem arctum* : Quem enim angustum, strictumque panem populo suo impertiet Dominus, nisi hunc divinum ; siquidem in unico invisibili, et indivisibiti hostiæ atomo, Deus ille recluditur, *quem cœli napere non possunt*? quam interpretationem sequentia consolidant verba, quando immediate subjungit Propheta, *et panis frugum terræ, erit uberrimus, et pinguis.* Quidni, inquam, textus ille de hoc intelligendus est sacramento, quod ab Ecclesia dicitur *pinguis panis ejus*? præsertim cum fertilitas ejus usque in sæculorum finem sese sit dilatura. Sed quæ obsecro proportio esse potest inter panem arctum, et uberrimum? in opulentis principum conviviis cibus quandoque apponitur secundum apparentiam quantitatis exilis, sed in se valoris inæstimabilis: siquidem gemmis, succinis unionibus aliisque pretiosis molitus est ingredientiis; ideoque et sapore, et pretio totum residuum superat apparatum : ita quoque Eucharistia exile quidem existit frumenti granum, nihilominus in eo *sunt omnes thesauri absconditi*; ideoque merito appellatur *panis uberrimus, et pinguis.* Quantum equidem augmentum capit seminatum frumenti granum ?*A fructu frumenti, et vini multiplicati sunt.*

**8.** — Ecclesia sancta ad Verbi incarnationem alludens, sequentibus utitur verbis : « Sicut pluvia « in vellus descendisti, ut salvum faceres genus hu« manum, » quæ Antiphona ad vellus alludit Gedeonis [1], in quo sicuti intra lanam sese ros occuluit, ita et Verbum divinitatem suam, per rorem illum cœlestem designatam, sub accidentibus occultat sacramentalibus. Ros ille abundans erat, utpote multiplicitatem designans gratiarum; infinitorumque bonorum ab hoc sacramento derivandorum, necnon immensum fidelium numerum, per idem sacramentum in fide regenerandorum. Sed locum observemus oportet, ubi rore conspersa lana reposita fuit; scilicet in area, ubi colligitur, et excutitur triticum : « Nec tunc otiose Gedeon, » inquit S. Augustinus [2]; « vellus, nec in campo posuit, nec in « prato, sed potius in area, ubi messis est tritici. »

**9.** — *Granum in bothro*, frumentum, et uvæ granum unita sunt, quia scilicet sub speciebus panis et vini instituenda erat Eucharistia, simulque constringenda frumentum, et vinum, cujus in hæc verba [prophetice meminit Zacharias [3]: *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* Ecce vobis simul associata frumentum et vinum, cui proposita majori cum energia suffragaturus Albertus Magnus, a frumenti, et vini etymologia desumptum format discursum [4] : « Hoc etiam ab ipsis no« minibus accipitur quia frumentum a verbo *fruor*, « *frueris*, derivatur, eo quod ipsum præ aliis fruc« tum faciat nutritionis, et vinum derivatur a *vi*, « eo quod vim specialem habet ad potandum « membra, si temperate, et ordinate sumatur. » S. Cyprianus, post adductam sacramenti hujus figuram, et adaptatam in Noe, qui primus vites plantavit vinumque ab iis proveniens ut bibit, inebriatus est, immediate oblationem subnectit, quam Melchisedech in pane, et vino præstitit. Cujus proinde S. Cyprianus meminit in hæc verba [5]: « Sa« cerdos in æternum Christus Dominus secundum « ordinem Melchisedech, panem et vinum obtulit,

[1] Bar., n. 513, n. 24. — [2] S. Greg., h. 8 *in Evang.* — [3] S. Thom., *ib.* — [4] Isa., xxx, 20.

[1] Judic., vi. — [2] S. Aug., s. 408 *de Temp.* — [3] Zach., ix, 13. — [4] Alb. Mag., l. *de Euch.*, dist. 6. — [5] S. Cyp., ep. 63.

« suum scilicet corpus, et sanguinem. » Deinde Salomonis subnectit prædictionem, inquientis [1] : *Sapientia ædificavit sibi domum, mactavit suas hostias, miscuit vinum in cratere, paravit mensam suam*, Tandemque discursum concludit, in epilogo benedictionem adducens Patriarchæ Jacob, qua Judam adorandum spopondit a fratribus, eumque stolam suam in sanguine uvæ loturum esse : « Quando « autem *sanguis uvæ dicitur*, quid aliud, quam vi- « num Calicis Dominici sanguinis ostenditur. » S. Gaudentius de Agni Paschalis mysteriis tractans rationem assignat sequentem, cur sub vini specie sanguis consecretur dicit enim [2]: « Recte vini specie « sanguis ejus exprimitur, quia ipse in Evangelio « dicit : *Ego sum vitis vera.* »

**10.** — S. Cyrillus Jerosolymitanus consilium memorans Ecclesiastis, quo panem, vinumque nostrum cum lætitia sumendum suadet ? jubilum in eo designari docet, quo fideles, sacramentalibus his speciebus cibati, replendi essent [3] : « Idcirco Salo- « mon cum in Ecclesiaste hanc eamdem gratiam in « ænigmate significaret; age, inquit, *manduca in « lætitia panem tuum*, panem videlicet spiritualem, « *et bibe vinum in corde bono*, spirituale scilicet « vinum. » Vitis quondam, ut liber exhibet Judicum, ad imperium omnium arborum invitata, respondisse legitur [4]: *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum, et homines* ? Ubi ad quid aliud, nisi ad oblationes vini allusit, Deo faciendas in sacrificiis, cum maximo venerationis, et sacrosancti cultus ejus augmento. Certum namque est, divino hoc vino æternum oblectari Patrem, lætificarique fideles, prout suo loco probabitur fusius, ideoque materia hæc convenienter admodum Eucharistiæ adaptata fuit. Vinum, ut experientia docet animos, oblectat, omnemque pellit cordium mœstitiam; ad quam proprietatem se reflectens S. Cyprianus, illa Psalmistæ verba (*Calix meus inebrians*) sequenti præmittit discursui [5]: « Sed quia ebrietas « Dominici Calicis, non est talis, qualis ebrietas « vini sæcularis, cum diceret Spiritus Sanctus in « Psalmo, *calix meus inebrians*, addidit : *quam per « optimus;* quod scilicet calix Dominicus sic bi- « bentes inebriet, ut sobrios faciat, et mentes ad « spiritualem sapientiam redigat « cui mirabiliter favet quædam S. Hieronymi versio super illum Oseæ textum [6]: *Vivent tritico*; ubi Sanctus legit : *inebriabuntur frumento.* Quam et ebrietatem spiritualem Psalmista his exprimit verbis [7]: *ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Porro S. Augustinus idem promoturus intentum, materiæ huic illa Psalmistæ verba *Calix meus inebrians, quam præclarus est* accomodat, dicens [8] : « Hoc jam calice inebriati erant martyres, quando « ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Quid « tam ebrium, quam non agnoscere uxorem flen- « tem non filios, non parentes? nolite mirari, ebrii « erant ; acceperunt, unde inebriarentur. » Ita S. Laurentius, ostensis sibi omnibus suppliciorum instrumentis, audiensque a tyranno : «Tota hæc nox « expendetur in tormentis » generose respondit : « Has epulas semper optavi; *mea nox obscurum « non habet sed omnia in luce clarescunt*, » unde et illudebat, ridebatque Valerianum in lecto positus igneo, dicens : « Assatum est, jam versa, et man- « duca. » Unde, obsecro, tam invictus vigor, tantus in tam horrendo martyrio jubilus? munus considerate quod in Ecclesia obibat S. Martyr. Archidiaconus erat ad quem spectabat Eucharistici Agni distribuere sanguinem : « Cui commisisti Dominici « sanguinis dispensationem. » Quemadmodum igitur ebrius quicumque mæstitiam nescit, nec pœnam sentit, aut dolorem, ita quoque in illis raptibus, spiritualibus, et extasibus gloriosus Levita in virtute illius calicis omnibus evadebat superior tormentis. Ideoque S. Augustinus his ipsum extollit verbis [1]: « Bene manducaverat, et bene biberat, tamquam « illa esca saginatus, et illo calice ebrius, tormenta « non sensit. »

**11.** — Nova tandem in frumento, et uvæ bothro sese offert conditio, siquidem nec hoc, nec istud panem respective componere potest, aut vinum, nisi primo in mola trituratum, subque torculari expressum fuerit; quam proprietatem S. Cyprianus ita nostro accommodat proposito [2] : « Torcularis « quoque calcatio, et pressura taxatur, quia quo- « modo ad potandum vinum veniri non potest, « nisi bothrus calcetur ante, et prematur, sic nec « nos sanguinem Christi possemus biberi, nisi « Christus prius calcatus fuisset et pressus, et cali- « cem prior biberet, quem credentibus propinaret. »

[1] Prov., IX, 1. — [2] S. Gaud., *de mand. Agni Pasch.* — [3] S. Cyr. Jeros., *Cath. myst.* — [4] Jud., IX, 13. — [5] S. Cypr., *ib.* — [6] Oseæ, XIV, 9. — [7] *Ps.* XXXV, 9. — [8] S. Aug., *ib.*

## DISCURSUS V.

DE UNIONE NOS INTER, ET CHRISTUM, IN COMMUNIONE SACRA QUÆ NON SICUT CÆTERI CIBI CONVERTITUR IN NOS SED NOS POTIUS CONVERTIT IN SE.

Idea sermonis. — 1. Per S. Communionem incorporamur Christo. — 2. Per S. Communionem vivimus vita Christi, ut perfecti simus, sicut Pater cœlestis perfectus est. — 3. Cur S. Euch. vocatur communio. — 4. Supremus actus liberalitatis Dei in nos, est S. Eucharist. — 5. Quid per hoc significetur, quod Christus in horto dicatur ab Apostolis fuisse avulsus. — Per Communionem inserimur Christo. — 6. Quare Christus in testammento suo non fecerit mentionem corporis sui. — Quia illud jam dederat fidelibus in cibum. — 7. Si Moyses ex sermone cum Deo habito similis illi factus est, quanto magis digne

[1] S. Aug., *in Joan.* — [2] S. Cypr., *ib.*

communicantes.—8. Qui digne manducat hunc cibum transformatur in Christum. Contra communis cibi ordinem, qui transformatur in manducantem.

*Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Joan. VI, 17.

**1.** — Nec noverat, nec poterat amantissimus Salvator securiorem, certioremque adinvenire modum, quo se totum nobis incorporaret, nostrumque faceret quam inviscerari nobis, tamquam cibus, et nutrimentum animæ [1] : « Nos sibi non modo attra- « hit » inquit Albertus Magnus « sed intrahit, et « ipse in nos penetrat usque ad medullas. » Panis ille cœlestis ita se, digne cum accipientibus omnibus unit, et incorporat, ut merito unicuique eorum dici possit [2]:« *Vos estis corpus Christi, et membra de* « *membro* : membra estis de corpore ejus, de carne « ejus et de ossibus ejus; ut non tantum per charita- « tem, » subnectit S. Chrysostomus [3] : « Hoc fiamus, « verum et ipsa re in illam misceamur carnem. » Ad quod et Ecclesia alludere voluisse videtur, quando in quadam oratione in missa ad postcommunionem in sabbato dominicæ tertiæ quadragesimæ, ita nos precari jubet : « Quæsumus omnipotens Deus, ut « inter ejus membra numeremur, cujus corpori « commuuicamus, et sanguini. » Cui et S. Hilarius suffragatur, qui postquam corporis, et sanguinis Christi in Eucharistia veritatem fusius probasset, ita tandem concludit [4]: « Hæc accepta, atque hausta « id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in « nobis sit : Est ergo in nobis ipse per carnem, et « sumus in eo, dum secundum hoc, quod nos su- « mus, in Deo est. Quod autem in eo per sacra- « mentum communicatæ carnis, et sanguinis simus « ipse testatus est dicens : *Quoniam ego in Patre meo* « *et vos in me, et ego in vobis.* »

**2.** — Ponderatione digna est circumstantia illa, quam S. Joannes in eodem cap. VI tangit; nam postquam protulisset hæc verba [5] : *Qui manducat meam carnem, etc.* immediate post subjunxit ; *sicut me misit vivens Pater et ego vivo propter Patrem et qui manducat me et ipse vivet propter me* ; at vero, quænam, obsecro, est relatio, vel correspondantia inter duas istas propositiones, nimirum de unione, vel identitate carnis Christi cum Communicante et de vita, quam Christus ab æterno Patre suo recipit ? nimirum, ni fallor, per utramque propositionem Christus vult dicere, quod sicut divinitatem a Patre suo recipiens, eadem vita vivit, qua Pater, ita qui nutritur sacratissimo ejus corpore, eadem vita cum Christo fruetur; hoc enim S. Hilarius dicere velle videtur, dum ait : « Vivit Verbum per Patrem et « quomodo per Patrem vivit, eodem modo nos per « carnem ejus vivemus. » Hunc admirandum effectum et indissolubilem unionem et identitatem experiebatur in semetipso S. Paulus Apostolus, unde dicebat [1] : *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus* ; quasi diceret : Quod respirem, intelligam, loquar et operer, id non in virtute animæ meæ facio, sed in virtute animæ Christi, qui in me vivit. Verum enim vero ex quo a nobis æterni Patris facta est mentio, nequaquam prætereundum est, quod Christus nobis in Evangelio suggerit consilium, dum ait [2]: *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* ; at vero dicere aliquis posset, qua ratione fieri ullo modo possit, quod homo ad perfectionem et sanctitatem Dei pertingere queat ? et si hanc Dei perfectionem assequi non valeat, profecto consequens est, quod nobis rem aliquam viribus nostris longe superiorem imponat, cum tamen certum sit, quod *ipse sciat figmentum nostrum.* At vero dubium hoc facillime adimpleri posse consideretur, dum digne sacram Eucharistiam recipimus et communicamus, quia eo ipso quod Christus nobis invisceretur, nosque unum, idemque cum Christo fiamus, sequitur, quod cum Christus æque perfectus et sanctus sit, ac Pater, nos quoque æqualiter perfecti fiamus, quia *vivit in nobis Christus.*

**3.** — S. Augustinus super prædicta S. Joannis verba, ita scribit [3]: « Hoc est munducare illam escam « et illum bibere potum, in Christo manere et « illum manentem in se habere. » Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis hujus dictionis, *communio,* originem optime demonstrat, dum ait [4] : « Ideo sumptionem Eucharistiæ communicationem « et communionem appellari, quia causa est unionis « illius, quæ in virtute ejus, nos inter et sacratissi- « mum Christi corpus intercedit. » S. Anselmus simillimam S. Hilarii doctrimam in libro illo, in quo de altaris sacramento discurrit, in hæc adducit verba [5] : « Sic naturalis per sacramentum proprie- « tas perfectæ sacramentum fit unitatis, cum hæc « accepta, atque hausta id efficiunt ut et nos in « Christo et Christus in nobis sit. Est ergo in nobis « ipse per carnem et sumus in eodem secundum « hoc, quod nos sumus in Deo ; est ergo hæc vitæ « nostræ causa, quod in nobis carnalibus per carnem « Christum manentem habemus, junctum nobis « per eum ea conditione, quia vivit ille per Pa- « trem.

**4.** — S. Thomas varios adducit divinæ liberalitatis in utilitatem nostram gradus [6]; quorum primus fuit, cœli, terræ, totiusque naturæ creatæ ex nihilo productio. Secundus, deputatio Angelorum in ministerium nostrum. Tertius, impertitio sui in Incarnatione per modum socii. Quartus, oblatio in servum,

[1] ALBERT. MAGN., l. *de Euch.* — [2] I COR., XII, 27. — [3] D. CHR.. h. 61 *ad pop.* — [4] S. HILAR , l. VIII *de Trin.* — [5] JOAN., LI, 55.

[1] GAL., II, 2. — [2] MATT., V, 48. — [3] S AUG., tr. 26 *in Joan.* — [4] BARON., an. 34, n. 46. — [5] S. ANS., *de Sacr. alt.* — [6] S. THOM., sp. 58.

siquidem *formam servi accepit*. Quintus, consignatio in pretium redemptionis nostræ : « Sextus gra- « dus est, et summus, quod dat homini corpus « suum in cibum, in hoc est expressio summæ « largitatis et præcipui amoris ; magnum est enim « dare se in socium peregrinationis et in servum « necessitatis, majus in pretium redemptionis ; « tamen tale donum adhuc est in aliqua separatione « in eo, cui datur, sed cum datur in cibum, datur « non ad separationem aliquam, sed ad omnimo- « dam unionem, uniuntur enim in unitate corporis « cibus et sumens. » Quid idem sanctus paulo ante similitudinem præmiserat, omnibus notissimam, ab arbore desumptam sylvestri, cui si ramum domesticæ, fructiferæque arboris inserueris, naturam mutasti [1] : « Si trunco inseratur, etiam sylvestri, « qui naturali virtute prævalens, illius amaritudi- « nem et nobilitatem convertit et similem sibi « bonum fructum proferre facit ; sic Corpus Christi « nobis insitum, defectus nostros evacuat et in suam « nos bonitatem trahit, ut quales ipse frondes, « flores et fructus justitiæ facit, pares et nos per « eum faciamus. »

**5.** — Ingeniosam aliquando illius textus memini audisse me observationem [2] : *Avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis* ; ubi verbum *avulsus*, singulare continet mysterium ; post ultimam igitur Cœnam Salvator in hortum Gethsemani secedens, orationi vacaturus, se a suis aliquantulum sequestravit Apostolis, quem actum S. Lucas, utpote pictor accuratissimus, cum reliquis divini Præceptoris sui operibus ad vivum delineaturus, non sine particulari Spiritus Sancti instinctu, dictum adhibuit loquendi modum, *avulsus* ; ut quod idem est, quod evellere, extrahere, eradicare insertum arbori alicui ramum. Volens itaque Evangelista ille separationem Christi a Discipulis secundum præsentiam corporalem, sed non sacramentalem, describere, hoc ingeniose utitur termino *avulsus*, quia diximus, communio est quasi nobis insertus ramus, vi Corporis Christi : « Sic Corpus Christi nobis insitum, » quare fidelibus hoc dari potest consilium in materia præsenti [3] : *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras*. Ramus insertus, ita unitur, alligaturque arbori, ut eam suis imbuat qualitatibus et proprietatibus, quem eumdem effectum Panis ille cœlestis operatur in nobis : « *Trahe me post te*, » supplicat S. Thomas [4], « me scilicet mutando in te « violentia meæ dilectionis, magnitudine tuæ dilec- « tionis, virtute firmæ insertionis, » quo fine illum adducit Apostoli textum [5] : *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*. Quem amorem tamquam extasim causativum Albertus Magnus, Areopagitæ innixus auctoritati, nobis in hæc representat verba [6] : « Optime iste dictus est « divinus amor, qui Deum in nos sic trans- « ponit et nos in Deum, extasis enim Græce « constat, quod Latine est transpositio : dicit enim « *Joan*, VI : *Qui manducat meam carnem et bibit meum* « *sanguinem, in me manet et ego in eo* ; *in me*, inquiens, « *manet*, extra se transpositus et in ipso maneo « transpositus, extra me ipsum. » Quod idem punctum S. Chrysostomus attingit, docens, quod accommodatiorem adinvenire non potuerit modum se nobis uniendi, unumque nobiscum evadendi, quam dum se nobis in cibum et potum consignavit [1] : « Ut autem non solum per dilectionem » inquit sanctus, « sed re ipsa in illam carnem convertamur, « per cibum id efficitur, quem nobis largitus est, « cum enim suum in nos amorem indicare vellet, « per corpus suum se nobis commiscuit ; et in unum « nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur, « hoc enim amantium maxime est. »

**6.** — Nescio, si unquam reflexionem feceritis ad illam Christi actionem, qua sanctissimum Spiritum suum Patri æterno recommandavit, dicens : *In manus tuas commendo Spiritum meum* ; nulla corporis facta mentione. Matrem dilecto commendavit discipulo, paradisum bono latroni, vestes impertiit satellibus : at nullam in testamento, per Collegii apostolici secretarium compilato, mentionem ingerit corporis sui, quid de eo post mortem faciendum foret, cum tamen testatores aliquam circa illud communiter soleant dispositionem. Responderi potest, eum corpus suum fidelibus dedisse in cibum, ideoque monstrare voluisse ipsum in sua non amplius esse dispositione, aut dominio ; siquidem cibus assumptus, in potestate manet aliti. Quem conceptum doctissimus Salmeron his aliqualiter expressit verbis [2] : « De eo in Cœna nobis in pastum animarum tradendo jam disposuerat, » quando dixit : Accipite et comedite : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Quam eamdem unionem nos inter et Christum in communione meditabundus his insinuat verbis S. Bernardus [3] : « Manducat et bibit corpus « et sanguinem Redemptoris sui, Manna cœleste, « Panem sapientiæ et manducans transformatur in « naturam cibi quem munducavit ; corpus enim « Christi manducare nihil aliud est, quam corpus « Christi effici ; » Sanctus Cyrillus Alexandrinus sequentem adducit similitudinem [4] : « Sicuti si quis « liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram « cum altera per totum commisceat necesse est ; sic « qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum « ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso et ipse in « Christo inveniatur. » Quibus parabolam subnectit, de fermento a Christo adductam in comparatione cœlorum, tandemque subjungit : « *Sicut parum*, ut « Paulus ait [5], *fermenti totam massam fermentat*, sic

[1] S. THOM., *ibid.* — [2] LUC., XXII, 41. — [3] JAC., I, 21. — [4] S. THOM., *ib.* — [5] GAL., II, 20. — [6] ALB. MAG., *ib.*

[1] D. CHR., h. 45 *in Joan.* — [2] SALM., t. X, tr. 46. — [3] S. BERN., c. 13, *de Nat. et dign. div. amoris.* — [4] S. CYR. ALEX., *in Joan.* — [5] II COR., III, 7.

« parvula benedictio totum hominem in se ipsam « attrahit et hoc modo in nobis Christus manet et « nos in Christo. »

**7.** — Moyses e monte descendens, tantum vultus præseferebat splendorem, ut Filii Israel eum intueri non possent[1] : *Ut non possent intendere Filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus.* Unde tanti radii? ex 40 dierum cum Deo habito colloquio, *ex consortio sermonis Domini.* Notate verbum : *sermonis* : ex quibus quæcumque anima fidelis tale formare potest argumentum. Si habitus cum Deo sermo vultum Moysis divino effecit similem, quanto magis nos ei similes constituet, participatio corporis et sanguinis ejus ? « Hic sanguis facit, » inquit Chrysostomus[2], « ut imago in nobis regia floreat. » Quando Judas in horto Christum capturus signum dederat Judæis[3] : *Quemcumque osculatus fuero* : *ipse est, tenete eum*, non utique tale eis signum dandum judicavit, quasi vultum non agnoscerent Magistri sui, siquidem *notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus*, sed quia Christus paulo ante in sermone cœnæ dixerat : *Qui manducat meam carnem, etc.* Sciens itaque Judas, reliquos consodales suos per dignam ad communionem præparationem, perque Synaxin, in ipsam identificatos, similesque evasisse Christo etiam secundum speciem externam, timebat, ne forte in injiciendo manus aliquem committerent errorem. Porro quod historiam de Moyse concernit, sanctus insuper Macarius ita de eodem discurrit ad intentum præsens[4] : « Ascendit homo, « descendit habens Deum, siquidem alebatur a « Deo et regebatur cerpus ejus alio cibo cœlesti ; » idem penitus de eo, qui digne communicat, asseri posse videtur.

**8.** — Juxta communem sacrorum doctorum sententiam sacramentum hoc Incarnationis est extensio; de Verbo autem Incarnato discurrens S. Joannes ait : *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* ; non dicit *inter nos*, sed *in nobis*, quam reflexionem his verbis instituit Cajetanus[5] : « Dixit hoc, ne errares, « existimando, Verbum ex hoc, quod factum est « caro, impedit esse ab habitando spiritualiter in « animis nostris et docuit quod Verbum ita factum « est caro, quod tamen habitavit spiritualiter in « nobis secundum animam. » Ast nos juxta Cyrilli opinionem addere possumus, *secundum corpus* ; siquidem in animam quidem major ex Verbi Incarnati receptione redundat utilitas, nihilominus per communionem corporalem. Singulariter autem hoc loco notanda occurrit quædam inter cibum nostrum communem quotidianum et cœlestem illum, qui se intra viscera nostra recludit, panem differentia. Illi namque proprium est, in substantiam aliti transire, neque ullus unquam in substantiam cibi a se suscepti transit, quem nobis conceptum his exprimit verbis S. Bernardinus[1] : « In aliis cibis conversio « fit cibi in manducantem, eo quod munducans « sit nobilior et validior, quam ipse cibus, sed « in hoc contrarium contingit propter sublimitatem, « atque virtutem cibi, qui Christus est, ideo hunc « cibum digne munducans transformatur in Chris- « tum et non Christus in ipsum. » Quo fine quemdam adducit S. Augustini textum, e confessionibus ejus desumptum, ubi Christus S. Præsulem ita allocutus fuit[2] : « Cibus sum grandium, cresce et « manducabis me, sed tamen *ego non mutabor in te*, « *sed tu mutaberis in me.* » Deinde prosequitur discursum suum S. Bernardinus, probans, hanc mutationem amoris esse effectum, in cujus probationem, quamdam adducit Hugonis Victorini auctoritatem, dicentis[3] : « Amor est vis mutativa et « transformativa ipsius amantis in spiritum ama- « tum. » Quam eamdem rationem et differentiam ibidem his verbis insinuat S. Anselmus[4] : « Hic est « cibus, qui non vadit in corpus ; quia nequaquam « sicut alii cibi in naturam vertitur corporis, sed « corpus nostrum vertitur in suam naturam. » Cui veritati subscribit Dionysius Areopagita, inquiens[5] : « Summa illa Deitas, quæ beatitudine cunctis ante- « cellit et si Divina benignitate ad participum sui « sacrorum prodeat communionem, nequaquam « tamen a naturæ suæ stabili, firmoque statu disce- « dit, sed dum omnibus, qui divinam similitudinem « præseferunt, pro cujusque captu collucet, secum « vere manet, neque quidquam ab identitate sua « dimovetur. » Maxima namque injuria foret et offensio sacrosancto Salvatoris corpori, si in nos ipsum transmutaretur, sipuidem nil nisi putredo sumus et vermes[6] : *Homo putredo et vermis.* Ideoque Eucharistiam sub speciebus instituit panis et vini, materiarum comestibilium, ut sicut cibus transmutatur in substantiam comedentis, ita quoque secundum similem proportionem nos transmutatur in eum, gratiam et sanctitatem ipsius, quantum humana permittit conditio, participantes.

[1] EXOD., XXXI, 29. — [2] D. CHRYS., h. 45 *in Joan.* — [3] MATT., XXVI, 48. — [4] B. MACAR., *in Biblioth. Veter. Patr.* — [5] CAJET., *ib.*

[1] S. BERNARD., t. II, s. 54. — [2] S. AUG., *in Conf.* — [3] HUG. VICT. — [4] S. ANS., *ib.* — [5] S. DION. AR., *de Cœl. Hier.* — [6] JOB, XXV, 6.

## DISCURSUS VI.

SUB ALLUSIONE CIBI DOCETUR, EUCHARISTIAM SPIRITU POTIUS, QUAM DENTE SUMENDAM ET AB ALIIS SECERNENDAM CIBIS, QUÆ NOBIS JUXTA DISPOSITIONIS NOSTRÆ PROPORTIONEM EFFICITUR UTILIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Bona conscientia sumendus est cibus Eucharisticus. — 2. Cibus hic non est accipiendus sicut cibus communis. Secundum nostram dispositionem, est fructus hujus sacramenti. — 3. Anima nostra debet dilatari, ut impleatur hoc cibo. Qui spiritualiter est manducandus. — 4. Cui palato dulcis sit cibus Eucharisticus. Ratio cur Magdalena in

modo Simonis repente facta sit Sancta et ille e contra a Christo fuerit taxatus. — 5. Non otiosis, sed bene operantibus prodest hic cibus. Quinam juste accedunt ad S. Communionem. — 6. Christus per S. Communionem in nobis non hospitatur, sed habitat. Unde scire possimus, an Christus in nobis maneat. — 7. Per S. Communionem efficimur consanguinei Christi.

*Fac bonitatem et pasceris in divitiis ejus.*
Psalm. XXXVI, 3

**1.** — Enim vero hic Psalmistæ loquendi modus, prima quidem fronte improprius apparet; quis enim hominum unquam, argento, auro, gemmisque se pavit, aut satiavit? nemo utique; cur igitur Psalmista promittit dicens: *Pasceris in divitiis ejus?* Concilium Tridentinum de Eucharistia tractans, hoc eam insignit epitheto, nostram enodaturo difficultatem [1]: « Sacramentum hoc instituit, in quo divi-« tias divini sui erga homines amoris velut effudit, « memoriam faciens mirabilinm suorum: » voluit igitur, ni fallor, hoc loquendi modo prophetice insinuare David: si divinarum gratiarum opibus, in inæstimabili sacramenti hujus thesauro reclusis, locupletari vultis, si cœlesti illo cibo pasci et impinguari affectatis, bonitatem colite et in perfectione Christiana vos exercete: *Fac bonitatem et pasceris in divitiis ejus.* Stomacho laboranti nullus omnino quantumcumque substantiosus opitulatur cibus, quin potius damnum illi et gravamen affert; ita quoque Panis ille cœlestis, qui licet tamquam *Panis vivus et vitalis hodie proponitur*; nihilominus si eum conscientia et anima receperit contaminata, irreparabile illi damnum conciliabit et nocumentum: « Mors est malis, vita bonis; vide paris sumptionis, « quam sit dispar exitus. » Ideoque Apostolus nos adhortatur, dicens [2]: *Optimum est gratia stabilire, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis*; quem textum nostro facile accommodaverimus proposito, si enim animam et cor gratia divina stabilire voluerimus, hac nobis opus est esca Eucharistica; sed non in solam exteriorem communionen oculum conjiciamus oportet, quin potius in interiorem, id est, in spiritum; cæteroquin enim nullum inde fructum hauriemus, siquidem *escam dedit*, sed quibus? *timentibus se. Fac bonitatem et pasceris.* Unde S. Anselmus inquit [3]: « Sumpta ore carnis nostræ, « caro Christi nequaquam æstimanda est lege com-« muni ciborum, hic enim cibus non est ventris, « sed est mentis. »

**2.** — S. Gaudentius observat [4], quod Salvator apud Joannem cap. II, de hoc sacramento fuse disserens, videnque, illud multis suorum auditorum imperceptibile esse, ideoque dicere? *Durus est hic sermo*: « ut abstergeret per ignem cœlestem, » inquit præ-« dictus Sanctus, « eas cogitationes, quas vitandas « esse prædixit, sic adjecit: *Spiritus est qui vivificat,* « *nam caro nihil prodest, verba quæ ego locutus sum* « *vobis spiritus et vita sunt.* » Ac proinde ad hanc sacrosanctom carnem et mensam nequaquam tamquam ad cibum communem et vulgarem accedendum est, sed necessario intelligenda est hæc veritas, scilicet, quod juxta famem, id est, juxta spiritum et devotionem, quam ad hoc sacramentum accedentes habemus, erit etiam proportio et quantitas fructus, quem exinde capiemus, quia *spiritus est, qui vivificat.* Ven. Beda verba illa S. Joannis [1]: *Hic est Panis, qui de cœlo descendit, ut si quis ex ipso munducaverit, non moriatur,* per sequentem limitationem exponit, dicens [2]: « Sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, « non quod pertinet ad visibile sacramentum, qui « manducat intus, non foris, qui munducat in corde, « non qui premit dente. » Quisquis enim sacratissimi hujus corporis naturam considerat, inveniet utique quod ut ad nutriendam animam se melius accommodaret, ita se disposuerit, ut potius spiritus, quam caro esse videretur; ac proinde nunquid justum et æquum est, ut nos quoque ad hanc carnem sumendam accedentes, eadem proportione merus quidam fiamus spiritus? « vivificus spiritus est caro Do-« mini, » inquit Damascenus [3]? Felix proinde est anima illa, quæ dum ad sacratissimum hoc corpus sumendum fauces suas aperit, vere dicere potest [4]: *Os meum aperui et attraxi spiritum,* id est, Eucharistiam, quæ per hunc spiritum intelligitur, siquidem præter Damasceni testimonium, S. Thomas Antiphonam, quæ in primis vesperis Festi Corporis Domini ad Magnificat canitur, his verbis composuit: « O quam suavis est Domine, Spiritus tuus, » verba illa de hoc sacramento per devotissimos hosce affectus intelligendo. Drogo Hostiensis se hujus mensæ famelicum esse ostendit, quando ait [5]: « Ergo Domine aperi labia mea et ciba me. » In Missa ejusdem solemnitatis, quam idem Doctor Angelicus pariter composuit, hæc verba dicuntur: « Sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum « ille; » ex quo loquendi modo hæc consequentia deduci posse videtur, quod nullus alteri jure invidere possit, siquidem omnes ex æquo hujus Eucharistiæ fructibns participant. Verum tamen melius dicendum videtur, quod sicut Manna quoad quantitatem omnibus quidem æquale erat, at vero valde inæquale quantum ad sapores hos illi specialiter participarint, quia in gratia et amicitia Dei constituti erant; unde de Manna dicitur [6]: *Substantia enim tua, dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat*; eodem modo, tametsi omnes Eucharistiam accipientes idem Christi corpus sumant, attamen fructus, qui exinde percipitur, major vel minor erit, juxta minores vel majores recipientium dispositiones.

[1] *Conc. Trid., sess.* 13. — [2] HEB., XIII, 9. — [3] S. ANS., *l. de sacr. alt.* — [4] S. GAUD., *s.* 2 *de mand. Agni Pasc.*

[1] JOAN., VI, 50. — [2] VEN. BEDA, in c. VI *Joan.* — [3] S. JOAN. DAMASCEN., c. 4 *de Fide.* — [4] *Ps.* CXVIII, 131. — [5] DROGO HOST., *de Sacr. Dom. Pass.* — [6] SAP., XVI, 21.

**3.** — Regius propheta David ad hoc sacramentale convivium nos invitans, inquit[1] : *Dilata os tuum, et implebo illud.* Circa quæ verba S. Hieronymus ait[2] : « Vis comedere ipsum Dominum « Deum tuum et Salvatorem? audi quid dicat : « *Dilata os tuum, et implebo illud*; dilatate ora « vestra, ipse est, et Dominus, et Panis, ipse hortatur nos, ut comedamus, et ipse noster cibus « est, quantumcumque dilataveris, tantum accipies. » Quotidie videmus, quod quanto capacius est vas, quod ad vivum quemdam fontem deferimus, tanto abundantior in eo aqua fit, quam inde haurimus. In hoc sacramento est *fons aquæ salientis in vitam æternam*, hic sunt vivi cœlestium gratiarum torrentes; « sanguinis ejus vinum, » inquit S. Gaudentius[3], « ex pluribus, id est, uvis vineæ « ab ipso plantatæ collectum, in torculari crucis « exprimitur et per capacia vasa fideli corde su« mentium propria virtute fervescit. » S. Thomas de Villanova inquit[4] : « Tantam cuilibet præstat « gratiam, quantam in eo reperit meritorum et « dispositionis sufficientiam. Oceanus est gratiarum « immensus, vas suum quisque ad summum re« plet. » Quotiescumque ex Scripturis sacris audimus, panem hunc, panem esse vitæ, fontem gratiæ et pignus gloriæ, quo in beatam æternitatem nutrimur, semper eodem tempore in memoriam revocandum axioma illud philosophicum : « Omne quod « recipitur, ad modum recipientis recipitur; » et ideo in recipiente debita dispositio requiritur. Unde S. Augustinus in quodam sermone his verbis nos monet[5] : « Tunc autem hoc erit, id est, vita uni« cuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in « sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate « spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur; « audivimus enim ipsum Dominum dicentem : *Spi« ritus est qui vivificat, caro autem non prodest « quidquam.* » S. Bernardinus quoque circa discretionem hujus cibi ita docet[6] : « Oportet, sumentem « hunc cibum ab aliis scire discernere per fidem. « Nam ut Apostolus I *Cor.*, 11, ait : *Qui manducat, « et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, « non dijudicans corpus Domini*; ille non dijudicat « corpus Christi, qui ad hunc divinum panem, tan« quam ad alium corporalem cibum inconsiderate « accedit, nam cum capacitas nostra ad suscipien« dum Christum efficaciter sit a spiritu et non a « carne, sit in mente, non in ventre et mens non « potest Christum attingere, nisi per cognitio« nem et dilectionem, id est, per fidem et charita« tem, ita quod fides illuminat ad cognitionem et « charitas accendit ad devotionem, ideo ad hoc, « quod aliquis digne accedat, oportet quod spiri« tualiter comedat, et sic per cognitionem fidei « masticet, et per devotionem amoris suscipiat et « deglutiat. » S. Paschasius similiter ait[1] : « Cogi« tandum a nobis est, non quantum a dente pre« mitur, sed quantum fide et dilectione capitur. » Hugo a S. Victore, communionem bonis et malis indifferenter communem esse considerans[2], subjungit, hanc esse causam, cur Christus protestatus fuerit, dicens : *Caro non prodest quidquam, spiritus autem vivificat*, « ac si diceret : carnem meam su« mere non prodest, nisi sumatur in gratia spiri« tuali. » Significantius autem S. Cyprianus in Tractatu *de Cœna Domini*, illa Christi verba, *nisi manducaveritis carnem filii hominis*, etc., ponderans, dicit, Christum illis verbis nos docere voluisse modum, quo ex ejus sacratissima carne profectum capere valeamus[3] : « Spirituali nos instruens docu« mento et aperiens ad rem adeo abditam intel« lectum, ut sciremus, quod mansio nostra in ipso « sit manducatio et potus, quasi quædam incorpo« ratio, subjectis obsequiis, voluntatibus junctis, « affectibus unitis, » quasi diceret tunc divinus hic panis vivificus in anima conservabitur, quando illum ex parte nostra debito cum obsequio et devotione recipiemus.

**4.** — In sacris Canticis Sponsa ait[4] : *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo*; ubi advertendum, sponsam non dicere absolute *fructus ejus dulcis*, sed simul subjungit *dulcis gutturi meo*; scitisne causam? nimirum cœlestis hic cibus non cuilibet palato suavis est et dulcis, sed tantum illis quorum palatum simile est palato sponsæ, per quam anima immaculata et electa symbolizatur. Illis etenim, qui stomachum glandibus refertum habent, non mel, sed fel est. S. Thomas hunc quoque locum proposito nostro applicat, dicens[5] : « *Dulcis gutturi meo*, id est, piæ « et fideli menti, qui credit et intelligit, hunc « cibum sanctum sibi esse et utilissimum. » Porro certum est, lignum vitæ quemdam Eucharistiæ typum censendum esse, sed audiatis velim, quid de eo S. Paschasius dicat[6] : « Lignum vitæ jure dici « tur, » inquit, « quia sicut illud immortalitatem « corporis sumptum præstitisset, ita istud, imo « solidius; » at vero observandum, quod ad percipiendum hunc fructum, necessarium erat stomachum habere accommodatum; unde subjungit : « Vitam præstat cum observatione mandatorum « Dei æternam. » In domo Simonis pharisæi Magdalenam peccatricem subito et in momento, in magnam quamdam sanctam transmutatam fuisse invenimus; prius enim Evangelista ait[7] : *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*; et paulo post æterna Veritas de ipsa dicit : *remittuntur ei peccata*

[1] *Ps.* LXXX, 11. — [2] S. HIER., *ib.* — [3] S. GAUD., *ib.* — [4] S. THOM. DE VILLAN., conc. 1. — [5] S. AUG., s. 2 *de Verb. Apost.* — [6] S. BERN. SEN., t. I, s. 56.

[1] S. PASCH., l. I *de Corp. Christi*. — [2] HUG. A S. VIC., *in Spec. erudit. Theol.* — [3] S. CYPR., *in Cœna Dom.* — [4] CANT., II, 3, — [5] S. THOM., op. 18. — [6] S. PASCH., *ib.* — [7] LUC., VII, 37.

*multa, quoniam dilexit multum.* Pharisæus autem e contra, qui Salvatorem hospitio receperat, non legitur, quicquam in Spiritu profecisse, sed potius a cœlesti Magistro reprehensum fuisse; scitisne quænam hujus differentiæ causa sit? paulo ante ex S. Cypriano diximus, quod responsi loco hic quoque servire potest, nimirum[1] : « Ut sciremus, « quod mansio nostra in ipso sit manducatio et « quasi quædam incorporatio, subjectis obsequiis, « voluntatibus junctis, etc. » Porro Magdalena in illo convivio, *lacrymis cœpit rigare pedes ejus, capillis capitis ejus tergebat, osculabatur pedes ejus, unguento ungebat,* non vero item pharisæus, de quo Christus ait : *Aquam pedibus meis non dedisti,* etc. Quid juvat, sacratissimam Filii Dei humanitatem intra corpus et animam nostram hospitio recipere et tamen non reflectere ad eum quem recipimus, nec præparare habitationem, quam ei assignamus, prout faciunt illi, qui cibum Eucharisticum haud secus, ac si usualis quidam panis esset recipiunt? Christus, Joann., cap. VI, de Eucharistia loquens ait[2] : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quam Filius hominis dabit vobis, hunc enim Pater signavit Deus.* In quibus verbis specialiter notandum est verbum *operamini*; ei qui otiosus est, nec ullo se labore exercet, cibus non sapit, nec proficit, nec corpus ejus inde restauratur, ut Psalmista ait[3] : *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit*; ita quoque is, qui in Divino servitio piger, et frigidus est, et in orationibus, vigiliis, jejuniis, et austeritatibus corporalibus se minime exercet, nullam experitur hujus Panis suavitatem, de quo scriptum est : *esurientes replens bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.*

**5.** — Fortis illa mulier, quæ animæ sanctæ symbolum est, a Sapiente, hoc encomio deprædicatur[4] : *Consideravit semitas domus suæ et panem otiosa non comedit.* Sed quidnam Salvator noster dicere voluit, quando ait : *Hunc Pater signavit Deus?* Rupertus, Abbas ait[5] : « Idcirco nonnisi operantibus « dabit hunc cibum Filius hominis, quia Pater « hunc signavit, hunc a communibus signis certo « et proprio signo suo distinxit, ut cum alios cibos « omnes bonis, ac malis, operantibus et otiosis « communes fecerit, eadem largitate, qua solem « istum visibilem facit oriri super bonos et malos, « pluit super justos et injustos, solum hunc panem, « hunc cibum, de quo nunc loquor vobis, nun- « quam dare velit, nisi dignis, id est, operantibus « opus Dei. Ita signavit, ita clausis omnibus cœlo- « rum portis apud se continuit, ut non cum cibis « communibus patiatur a canibus, vel a porcis inve- « niri. » S. Thomas verba illa Christi : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo*; hoc modo explicat[1] : « Non « manet in Christo, » inquit, « nec Christus in eo, « qui corde ficto ad illum accedit, nullum enim « effectum habet sacramentum in ficto. Fictus est, « cum non respondet interius, quod signatur exte- « rius; in sacramento autem Eucharistiæ exterius « quidem signatur, quod Christus incorporetur in « eo, qui percipit illud, et ipse in Christo, qui ergo « non habet in corde desiderium hujus unionis nec, « conatur ad removendum omne impedimentum, « ad hoc est fictus et ideo Christus in eo non manet, « nec ipse in Christo, » qui Doctoris Angelici discursus auctoritate quoque S. Augustini apud eumdem comprobatur[2]. S. Carolus Borromæus Diœcesim suam Mediolanensi in ordine ad communionem fructuose sumendam, docere volens, sequentia verba ad perpetuam memoriam scripta reliquit[3] : « Qui pietatis et Religionis studio affecti, hoc sa- « cramentum sumunt, inquit, Christi corpori tan- « quam viva membra uniuntur, siquidem scriptum « est; qui manducat me et ipse vivet propter me. »

**6.** — Cajetanus verba illa S. Joannis : *Verbum caro factum est et habitavit in nobis,* explicans optime considerat[2], quod Evangelista non dixerit et *hospitabitur in nobis*; tamquam hospes et peregrinus, sed quod *habitavit in nobis*? « Verbum Dei non hos- « pes, sed habitator in animis nostris sit. » Porro differentia inter domus incolam et hospitem, in eo consistit, quod ille illius sit dominus, omnemque possideat circa ipsam libertatem et dispositionem, secus vero quisquis ædes tamquam peregrenus receptus est. Vellet igitur, nostrum in nobis habitare Salvatorem : « Utens continue et iis, quæ sunt « animi et iis, quæ sunt corporis nostri, sicut habi- « tator utitur domo, in qua non hospitatur, sed « habitat. » Pro cujus confirmatione illum Apostoli textum dicentis[4] : *habitare Christum per fidem in cordibus nostris,* adducens, subjungit : « Itaque et « *habitavit in nobis,* explicat, quod fuit intus in « animis nostris, continue utens intellectu, volun- « tate, affectibus, viribus, studio, operibusque « nostris ad se ipsum, hoc est, Verbum habitare in « nobis, habitator enim ad proprium usum domo « utitur. » S. Augustinus, ut sacramentum hoc participantes scire possint, an Christus in iis remaneat, hoc astruit posse habere indicium[5] : « *In me manet* « *et ego in eo*; ac per hoc qui non manet in Christo « et in quo non manet Christus, proculdubio nec « manducat spiritualiter carnem ejus. » Cui assentiens S. Hilarius, subnectit[6] : « Non enim quis in « eo erit, nisi in quo ipse fuerit; ejus tantum in se « assumptam habens carnem, qui suam sumpserit. » Si Christum volumus nostræ inviscerari animæ, nos

[1] S. Cypr., *in Cœna Dom.*, 7. — [2] Joan., VI, 27. — [3] *Ps.* CXXVII, 27. — [4] Prov., XXI, 27. — [5] Rup. Abb., l. V *in Joan.*

[1] S. Thom., *in Joan.* — [2] *Act. Eccles. Mediolanens.* — [3] Cajet., *in Joan.* — [4] Ephes., III, 17. — [5] S. Aug., tr. 26 *in Joan.* — [6] S. Hilar., l. VIII *de Trin.*

prius per amicitiam et gratiam divinam Christo uniamur oportet, consilio obtempereraturi et doctrinæ S. Dionysii Areopagitæ, dicentis[1] : « Nostri « secum unificam communionem benefice excogi- « tavit, ea quæ in nobis humilia sunt, divinissimis « suis uniens excellentiis, ut et nos ipsi, tamquam « membra corpori per ejusdem immaculatæ, ac « divinæ vitæ identitatem congruamus, ne corrup- « tibilibus necati passionibus, divinis istis, sanctis- « simisque membris incongrui, vitæque incapaces « existamus. » Venerabilis Beda aliud nobis ex cœlesti alimento in nos redundantis fructus indicium in sequentia exibet verba[2]: « Signum, quia « manducavit et bibit, hoc est, si in me manet et « manetur, si habitat et inhabitatur, sic erit, ut non « deseratur. Hoc ergo nos docuit et admonuit « mysticis verbis, ut simus in ejus corpore sub ipso « capite in membris ejus, edentes carmen ejus, non « relinquentes unitatem ejus. »

**7.** — Ad virtuosam vitam nobilitas equidem sanguinis nos extimulare solet; cum igitur per communionem et divini sanguinis, carnisque ejus participationem, consanguinei Dei efficiamur ; quanta cum ratione exigitur, ne a nobili adeo, strictaque parentela degeneremus, « Vester ego « frater esse volui, » inquit per os S. Chrysostomi[3]; « ego communicavi carnem propter vos et sangui- « nem et per quæ sum vobis conjunctus, ea rursus « vobis exhibui. Hic sanguis facit, ut imago in nobi- « litatem animæ, quam semper irrigat et nutrit, « languescere non sinit. » S. Bernardus pariter in uno sermonum *de modo bene vivendi*, illorum Christi verborum sensum, *qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* his explicat verbis[4], « ac si diceret: Ille *in me* « *manet*, qui in bonis operibus voluntatem meam « adimplet ; alioquin nisi prius maneat in me per « fidem et bonam operationem et *ego in eo*, carnem « meam manducare non potest. » Quæ eadem verba Doctor Angelicus accurate ponderans, ita discurrit[5]. « Ille manducat spiritualiter, qui corpo- « ri mystico incorporatur per unionem fidei et « charitatis. Charitas facit, Deum esse in homine « et e converso, I Joan, IV : *Qui manet in charitate*, « *in Deo manet et Deus in eo.* »

## DISCURSUS VII

PER VARIA SANCTORUM PATRUM TESTIMONIA FUSIUS PROBATUR, QUOD VERBUM DIVINUM, NOS IN COMMUNIONE SACRA SUÆ REDDAT PARTICIPES DIVINITATIS

IDEA SERMONIS. — 1. Patriarcha Jac. prævidit in Ecclesia instituendum Eucharisticum panem. — 2. Carbo ignitus Seraphini præfiguravit hoc sacramentum. — 3. Serpens decepit nos promissione divinitatis. Christus autem in S. Eucharistia illam nobis vere confert. Sumpta Eucharistia vere Deum portamus in corpore nostro. Et possumus cum B. Virg. vocari Christiferi. — 4. Ut stricte participes fierimus divinitatis, hoc sacramentum institutum est. Per illud enim homo efficitur quasi Deus. — 5. Ante institutionem hujus sacramenti, rarissimi fuerunt extases et revelationes divinæ. — 6. Sacramentum altaris est extensio Incarnationis Christi. Per illud ditamur thesauris gratiæ. Si tamen nos ad illud debite præparamus. — 7. Digne communicantes fiunt Deiformes.

*Si fuerit Deus mecum et dederit mihi panem ad vescendum, erit mihi Dominus in Deum.* Genes. XXXIII, 20.

**1.** — Angelicus Doctor panem Eucharisticum in variis veteris Testamenti figuris præfiguratum esse dicit: « in figuris præsignatur ; » ac proinde quis est, qui non videat, Jacob Patriarcham hisce verbis ad singularem quemdam effectum clare allusisse, quem hoc sacramentum in nobis operatur, dum nos certo quodam modo in Deum transmutat, adeo ut divinæ suæ naturæ reddamur participes? *Si fuerit Deus mecum et dederit mihi panem ad vescendum, erit mihi Dominus in Deum*; ubi Pagninus legit: *erit mihi Deus in Deum* ; et quidem verisimile est, quod quando Patriarcha hoc dixit, de præcipuis fidei nostræ mysteriis illustratus fuerit, siquidem tunc ei apertum est Cœlum, viditque scalam illam, in qua Angeli ascendebant et descendebant ; unde sine mora altare quoddam in Dei honorem erexit, dicens: *non est hic aliud, nisi domus Dei.* Porro S. Gabriel Archangelus Deiparæ Virgini Filium ejus in domo et progenie Jacob regnaturum esse prædixit[1] : *Regnabit in domo Jacob in æternum* ; ac proinde omnino mihi persuadeo, Patriarcham post sublimem horum mysteriorum intelligentiam dixisse: *Si dederit mihi panem ad vescendum*, id est, si in domo mea, hoc est, in Ecclesia panem Eucharisticum instituerit, *tunc erit mihi Deus in Deum.* Etenim ut superius diximus, hæc est inter panem et cibum usualem et hunc cœlestem et divinum differentia, quod ille transmutetur in substentiam ejus, qui illo cibatur ; at vero hic cibus in se transmutat eum, qui eo digne pascitur[2] : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* Unde Fulbertus Carnotensis in quadam epistola ad mensam sacramentalem his verbis nos invitat[3] « Exere palatum fidei, dilata « fauces spei, viscera charitatis extende et sume « panem vitæ, interioris hominis alimentum, non « arte pistoria fermentum, sed Incarnatæ Deitatis « pulmentum. » Porro Eucharistiæ institutor, Verbum Divinum fuit, non solum in prima sui institutione, quæ in ultima Cœna in cœnaculo Sion facta fuit, sed est et erit auctor, illius ad finem usque

[1] S. DION. AREOP., *de Eccl. Hier.* — [2] V. BEDA, in c. 6 *Joan.* — [3] D. CHR., h. 45 *in ooan.* — [4] S. BERN., s. 28 *de modo bene viv.* — [5] S. THOM., in c. 6 *Joan.*

[1] LUC., I, 33. — [2] JOAN., VI, 67. — [3] FULB. CARN.

sæculorum, quamdiu sub hoc pane præsens efficietur; ipse enim est, qui in persona sacerdotis consecrat et dicit : *Hoc est corpus meum.* Contentum vero hujus sacramenti, est *Incarnatæ Deitatis vitale pulmentum,* quod hanc nos ipse convertendi virtutem habet.

**2.** — S. Bernardus verba illa Canticorum [1] *qui pascitur inter lilia* exponens, de semetipso dicit [2] : « Quotiescumque ad hoc sacramentum accedo, « decoquor, cum immutor, digeror, cum transfor- « mor ; unior, cum conformor. » S. Joannes Damascenus ad sacramentum altaris, in carbone illo ardenti, a Seraphino per forcipem ab altari sublato symbolizatum, alludens, ait [3] : « Divini carbonis « particìpes efficiamur, demus operam, ut per divini « ignis perceptionem inardescamus, Diique efficia- « mur. » Sed quænam esse potest inter sacrosanctum Salvatoris corpus et carbonem ignitum proportio? Respondet idem sanctus, proportionem hanc in eo consistere; quod sicut carbo non est lignum solum, sed lignum igni unitum fit carbo: « Sic panis quoque communionis, non simplex « panis est, sed divinitati unitus. » Etenim natura humana per semetipsam terrena est ; at vero dum huic cibo divino unitur, astringitur, illo alitur, eique incorporatur; divinitatem participat; ac proinde idem sanctus mox subjungit, dicens : « Communio optimo jure appellatur, quia per illud « cum Christo commercium habemus, ac carnem « ipsius et divinitatem percipimus, atque adeo nos « communicamus, atque copulamus. »

**3.** — Pessima serpentis infernalis ad protoparentes nostros decipiendos fraus fuit, dum illis, pomum vetitum manducantibus, divinitatem promisit [4] : *Eritis sicuti Dii, scientes bonum et malum*; at vero æterna et Incarnata Veritas veraciter nobis dicit : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* Rupertus Abbas super illa verba : *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus* ; de infernali illo impostore dicit [5] : « Divinitatem promisit, eritis sicut Dii; » at vero Salvator noster nos minime decipit, nam postquam nobis divinitati suæ participium et communicationem promisit, simul etiam modum tradidit, quo hac divinitatis communicatione frui valeamus, nimirum si sacratissima ejus carne nutriamur : « *Qui manducat meam carnem, etc.* Hic perspicue « divinitatem pollicetur, carnem suam manducan- « tibus et illusionem nequissimi nebulonis, qui « dixit : *comedite et eritis sicut Dii,* non sine « magno cruciatu ejusdem illusoris serio loquens in « effectum convertit. » Amoris etenim proprium est, quod affectus, voluntatem et sensus amantis in personam transmutet amatam. S. Bernardus *De dignitate divini amoris* disserens, calamo suo ad Eucharistiam transgreditur, et de anima Deum ardenter amante, et communionem sacram frequentante, dicit [1] : « Sapit ei, quod manducat ; manducat « et bibit corpus et sanguinem Redemptoris sui, « manna cœleste, panem Angelorum, panem Sa- « pientiæ. » Vultis autem scire, quo fructu hunc panem manducet? Idem mellifluus Doctor mox subjungit, dicens : « Transformatur manducans in na- « turam cibi, quem manducavit, corpus enim Christi « manducare nihil est aliud, quam corpus Christi « effici ; » ac proinde, quod Apostolus ait [2] : *Glorificate et portate Deum in corpore vestro,* hoc certe ad litteram adimpletur, dum quis Eucharistiam sumit; tunc enim vere Deum in corpore suo portat, et sacratissimam ejus carnem intra se recipiendo, animam propriam divinitate impinguat, ac proinde Tertullianus ait : « Caro corpore et sanguine Christi « vescitur, ut et anima de Deo saginetur. » Et S. Bernardus inquit [3] : « Glorificate dilectissimi et « portate interim Christum in corpore vestro, onus « delectabile, suave pondus, sarcinam salutarem; » et paulo post de S. Ignatio Martyre S. Joannis discipulo inquit [4] : « Magnus ille Ignatius, discipuli « quem diligebat Jesus auditor, Martyr noster, Ma- « riam in pluribus quas ad eam scripsit epistolis, « Christiferam consalutat ; egregius plane titulus « dignitatis et commendatio honoris immensi. » Enimvero beata Virgo Maria hanc singularissimam prærogativam, solo novem mensium spatio habuit, quibus Verbum Divinum in sacratissimo suo utero clausum portavit; at vero homo Christianus, per totum vitæ suæ decursum, hujus capax est honoris, ut per Eucharistiam ipsummet Deum in sinu, in pectore, et in anima sua recipere et portare possit. Maria Virgo quidem *Deipara* appellata fuit, quia Deum et hominem peperit; at vero anima communicantis, quæ mediante hoc sacramento Deo adstringitur, simili quodam epitheta honorari potest et vocari *Deifera*; id quod S. Bernardinus his verbis confirmat [4] : « Digne suscipiens illud, in anima Dei « formatur, hanc quippe Deiformationem et con- « versionem aliti et alentis, prophetavit Oseas « cap. XIV dicens [5] : *Convertentur sedentes in umbra* « *ejus, vivent tritico* : id est, in Dominici corporis « sacramento. »

**4.** — Petrus Cellensis in libro *De panibus,* de hoc pane Eucharistico discurrens, et identitatem corporis Christi in Eucharistia ostendere satagens, ait [6] : « Veraciter quod de Virgine sumptum est, corpus « immaculatum est, quod in cruce a Pontio Pilato « a Judæis clamantibus *crucifige, crucifige,* et a gen- « tilibus militibus appensum est, et immolatum, « manu sacerdotali contrectatur, et vi verborum

[1] CANT., VI, 1. — [2] S. BERN., s. 61 *in Cant.* — [3] S. JOAN. DAM., t. IV *de fide.* — [4] GEN., III, 5. — [5] RUPERT. ABB., l. VI *in Joan.*

[1] S. BERN., *de Nat. et dign. div. amor.* — [2] I COR., VI, 20. — [3] S. BERN., s. 8 sup. *Ps. Qui habitat.* — [4] S. BERN., t. II, s. 54. — [5] OSE., XIV, 8. — [6] PET. CELL., *de Pan.*

« Christi conficitur, et fidelibus populis traditur, « mediantibus quidem pristinis, et consuetis spe- « ciebus panis et vini, carnem veram et verum « sanguinem Christi percipimus; intervenientibus « vero carne et sanguine Agni, Deitati Verbi com- « municantes, Patri quoque Verbi per ipsum Filium « cooperante et assistente Spiritu Sancto indubi- « tanter accedimus. » Ut enim strictius participaremus divinitatem, Verbum Incarnatum per infinitam sapientiam suam hunc adinvenit modum, quo se in hoc sacramento nobis daret in cibum et potum : « Intervenientibus carne et sanguine Agni, Deitati « Verbi communicantes. » Quod immensum et inæstimabile donum S. Bernardinus Senensis, his devotissimis prosequitur affectibus [1] : « O quam sapidus, « quam amabilis et quam desiderabilis est cibus « iste, qui hominem facit Deum. Vere dicere nobis « potest dulcis Jesus, *quid ultra anima mea, potui « tibi facere et non feci?* » Cui eidem materiæ fusius insistens Albertus Magnus, eumdem amorem fusius declaraturus, auctoritatem adducit S. Augustini, dicens [2] : « Voluit Christus, ut homo participans « huic Cœnæ, in Deum ascenderet, incorporatus « sibi efficeretur et particeps suæ divinitatis; et « humanitatis, sicut Verbum Patris in carne des- « cenderat et factum est omnium particeps, quæ « sunt veræ nostræ humanitatis. Hic ascensus in « Verbum Patris per incorporationem, directe sit « per sacramenti istius participationem. » Cui et illa consonat S. Gregorii Nysseni sententia [3] : « Ver- « bum præterea se admiscuit hominum naturæ, ut « communione divinitatis, simul etiam Deificaretur « humanitas. »

**5.** — Vetus universum percurrite testamentum, si lubet; certo namque reperietis, rariores semper fuisse servis Dei indultos raptus, extases, visiones, revelationes colloquia divina, illuminationes internas, ante indultam et frequentatam sacram Communionem, quæ, ut suo loco dicetur, virtutem habet animabus cœlestes et divinas impertiendi illustrationes. Porro idem Albertus Magnus alio in loco eamdem prosequens materiam, inquit [4] : « Nihil » interius mentem reficit, nisi sumpto in corpore « Domini divinitas. » Id quod illo Psalmi versiculo, *in loco pascuæ ibi me collocavit*, confirmans, subjungit : « Christus hæc pascua suis exhibet tam « in nuda divinitate, in qua cum Patre communi- « cat, quam etiam in humanitate, quæ Deitati est « unita, ut dicitur, Joan. x : *Ingredietur, et egre- « dietur, et pascua inveniet.* Intus enim inveniet in « Deitate et extra ad sensum in humanitate, quæ « Deitati est unita. » In cujus confirmationem illo utitur Ezechielis textu [5] : *In pascuis uberrimis pascam eos*, perque pascua admodum fertilia mensam denotari ait Eucharisticam, quam nobis Ecclesia sub his terminis repræsentat : *Pinguis panis ejus præbebit delicias regibus.* « Uberrima pascua sunt, » inquit Albertus Magnus, « refectiones sacramenti, « saporem divinitatis habentes. » S. Paschasius in libro, quem *de corpore et sanguine Christi* conscripsit, illa discutiens Salvatoris verba : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo*, tale format argumentum [1] : « Vere igitur « sicut per naturam Deitatis Deus Pater in Filio est, « ita Filius Dei homo, per humanitatem carnis in « nobis esse jure dicitur. »

**6.** — S. Petrus Chrysologus in quodam sermone, ubi de Incarnatione in utero virginali adimpleta tractat, eidem proposito per sequentem favet discursum, dicens [2] : « Audistis, Angelum de carnis « nostræ limo templum Divinæ Majestatis arte « ineffabili construentem; audistis in terris Deum, « in cœlis hominem sacramento incomprehensibili « collocari. » Considerandum est enim, quod in sacramento altaris, quod est quædam incarnationis Verbi extensio, non angelus, non sacerdos, sed Verbum Divinum incarnatum, lutum hoc nostrum amplectitur, sibique astringit. Audite eumdem S. Doctorem, de Incarnationis mysterio dicentem, quod huic ineffabili Eucharistiæ mysterio non minus congrue adaptari potest : « Audistis, » inquit, « inaudita ratione in uno corpore Deum, hominem- « que misceri; audistis fragilem nostræ carnis na- « turam ad portandam totam Deitatis gloriam, « angelica exhortatione corroborari; » nam Gabriel Archangelus Mariam Virginem ad præstandum incarnationi consensum his animasse verbis legitur [3] : *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* Certum est autem, nos quoque gratiam apud Deum in communione reperire, siquidem eumdem Dei Filium intra nos recipientes, ejusdemque sacratissimo corpore refecti, Divinitatis ejus participes efficimur, et inæstimabilibus gratiæ ejus ditamur thesauris; quem favorem respixisse videtur S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, quando de ritibus Ecclesiasticis agens, nobilissimum hoc Eucharistiæ attribuit epithetum, eam vocans *confessionem divinam a Spiritu Sancto factam.* Cœlestis namque cibus ille Divinitati commixtus, qualitates suas et naturam animabus nostris communicat. Quare non immerito S. Cyrillus, ut debita cum præparatione ad has epulas accedamus, nos invitaturus, sequenti nos parænesi exhortatur, dicens [5] : « Ad cœlestem gratiam accedamus, corporisque « Christi participes efficiamur, sic enim, sic, inquam, « diabolum fugabimus et divinæ naturæ participes, « ad vitam et incorruptibilitatem ascendemus. » Sed eheu! major fuit protoparentum nostrorum di-

[1] S. Bern., *ib.*, c. 1. — [2] Alb. Mag., l. *de Euch.* — [3] S. Greg. Myss., *Orat. Catech.* — [4] Alb. Mag., *ib.* — [5] Ezech., xxiv, 14.

[1] Pasch., l. *de Corp. et Sang. Dom.* — [2] S. Pet. Chr., s. 1142. — [3] Luc., i, 30. — [4] S. Germ. Const., *in Theor. de rit. Eccl.* — [5] S. Cyr., l. III *in Joan.*

vinitatem appetentium, in cibo vetito et noxio sumendo cupiditas, non obstante, quod unicum eis pomum duntaxat fraudulentus exhiberet serpens; quam differentiam Rupertus Abbas deplorans, ita discurrit [1] : « Contra cibum illum, qui cibus fuit « mortis, oportebat dari cibum alium, qui esset « cibus vitæ et simili ordine, ut scilicet inesse illi « mens crederet, quod oculus non videret esse, ci- « bum et potum, communicandæ Divinitatis esse « effectivam carnem et sanguinem : quod sen- « tire non possunt sensus carnis et sangui- « nis. » Magna utique hominis est excellentia, quod tantum sibi similitudinis divinæ innatum appetitum facile adeo explere valeat : « Etsi nati « dii non sint, » inquit idem Rupertus Abbas [2] in persona Salvatoris, « manducantes me, qui natus « Deus sum, mecum unum corpus fiunt, proinde « non suspiret homo, qui in æternum vivere vellet, « quod abegerit Deus hominem prævaricatorem « factum, ne sumeret de ligno vitæ et viveret in « æternum; nam ecce habet panem verum, de quo « si quis manducaverit, vivet in æternum. »

**7.** — Major insuper nobis obtigit prærogativa, dum Eucharistia in statu innocentiæ instituta non fuit, siquidem tunc homo tanta cum excellentia divinitatem medio hoc cibo non participasset, qui vitam non modo immortalem, sed et ipsam strictius communicat divinitatem, ad ipsam quodammodo Angelorum invidiam, dum *Panem Angelorum manducavit homo*; « per hoc unde vivunt Angeli in « cœlis, » inquit Doctor mellifluus [3], « inde vivit « homo in terris, quia totum spirituale est et divi- « num in eo, quod percipit homo; » suum illi Deo impertiente corpus, sanguinem et divinitatem, ex amore in eum infinito : qnem S. Bernardinus, multis, variisque divinæ in nos dilectionis gradibus adductis, morosius contemplans, tandem suum his verbis concludit discursum [4] : « Ultimus gradus « amoris est, cum se dedit nobis in cibum, quia « dedit se nobis ad omnimodam unionem et trans- « formationem, nam in septem superioribus gra- « dibus et consimilibus beneficiis, Christus factus « nobis est uniformis, sed in hoc sacramento ut « homo fiat Deiformis; nam sicut cibus et cibans « invicem uniuntur, sic digne illum suscipiens, in « ipsum per ardentissimum amorem totaliter trans- « formatur et Deiformis effieitur. » Circa quæ verba, illa singulariter notatu digna occurrunt : « Digne illum suscipiens; » hic namque solus per communionem in Deum transformatur; cui et illa consonat Hugonis Victorini sententia, dicentis [5] : « Hæc Eucharistia dicitur divina, quia digne su- « mentes, dignos et participes divinitatis facit. »

**8.** — Origenes quamdam super Lucam resolvit difficultatem [1], doctrina nostro in primis accommodata proposito, dum illa considerat Christi ad S. Philippum pronunciata verba, scilicet [2] : *Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum*; si namque id ad litteram verificatum fuisset, omnes consequenter Judææ et Galilææ populi, qui Christum, quando inter eos *pertransiit benefaciendo*, viderunt, æterni quoque Patris ejus notitiam habuissent. Nodum itaque difficultatis in hæc verba resolvit : « *Qui videt me*, secundum id quod erat Christus; « illi enim videbant Jesum, quos aspectu suo dignos « esse sciebat; » ita quoque de iis asserere licet, qui in sacramento hoc ad Christum accedunt; non enim omnes Divinitatem ejus participant, sed qui cum digna Eucharistiam suscipiunt præparatione : « Digne sumentes, divinos et participes divinitatis « facit. »

[1] Rup. Arb., l. XII *de Vict. Verbi.* — [2] Id., l. VI *in Joan.* — [3] S. Bern., *de modo bene viv.* — [4] S. Bern. Sen., t. II, s. 54. — [5] Hugo de S. Vict., *in Spec. Eccl. Theol.*

## DISCURSUS VIII.

### DE OMNIUM BONORUM BENEFICENTIA ET DE DIVINA HOC IN SACRAMENTO MAGNIFICENTIA.

Idea sermonis. — 1. Sacramentum Euchar. est epilogus omnipotentiæ et beneficentiæ Christi. Inebriat terram carnis nostræ infusione Spiritus Sancti. — 2. Est fluvius paradisi irrigans nos charismatibus. cœlestibus gratiarum. — 3. Continuatio ejusdem argumenti. — 4. — S. Eucharistia continet omnium bonorum abundantiam. — 5. Licet Eucharistia solum vocetur panis, est tamen lautissimum titulum. — 7. Continet omnem gratiam et sanctitatem. Vox consecrationis est in magnificentia. In hoc sacramento Christus, quasi se depauperavit, dando nobis omnia quæ habuit. — 7. Continuatio ejusdem materiæ. — 9. Agnus paschalis fuit hujus sacramenti figura. Continetur in eo omne bonum.

*Beneficentiæ et Communionis nolite oblivisci.* Ad Hebr., xiii, 16.

**1.** — Significantius equidem sacræ Communioni appropriari nequivisset epithetum, quam dum *Beneficentiæ et Communionis* nomine appellatur; siquidem Salvator noster Eucharistiam instituit, veluti omnium omnipotentiæ, et benignitatis suæ divitiarum Epilogum; unde nec immerito S. Joannes de Eucharistiæ institutione tractaus, priusquam eam commemoret, prius asserit, Patrem æternum omnes Christo divinæ potentiæ suæ impertiisse thesauros [1] : *Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Quo Concilium Tridentinum respexisse videtur, dum ait [2] : « Sacramentum hoc instituit, in quo divi « tias divini sui erga homines amoris velut effudit.» Equidem sacramenta omnia tanquam instrumenta instituta sunt gratiæ animabus fidelibus conferendæ, sed præsens unicum supereminet cæteris; quod S. Dionysius Areopagita *consummationem sacramen-*

[1] Orig., h. 9 *in Luc.* — [1] Joan., iv, 9. [2] Id., xiii, 3. — [4] *Conc. Trid., sess.* 13.

*torum omnium* appellare non dubitat[1]; cujus institutio tum in aliis veteris legis textibus, tum in illo præsertim, ni fallor, oraculo prophetico prædicta fuit, quo dicitur[2] : *Visitasti terram et inebriasti eam*; quæ verba S. Hieronymus Incarnationi Christi accommodans, ait : « Terram nostri corporis assu-« mendo materiam carnis, *inebriasti eam*, non vino « luxuriæ, sed infusione Spiritu Sancti. *Multipli-« casti locupletare eam*, diversarum opibus gratia-« rum. *Flumen Dei repletum est aquis*; » quæ aquarum redundantia, divinarum denotat gratiarum abundantia; ideoque incarnata Sapientia de se ipsa protestatur, dicens[3] : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* : *hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant* : locupletamur spiritualis infusionis imbre, cum vitæ perennis fonte repletionis spiritualibus irrigamur; sed unde tantarum gratiarum flumina, tamque impetuosi et abundantes torrentes hi derivantur? Respondet ipsemet Psaltes, dum ait[4] : *Parasti cibum illorum, quoniam ita præparatio ejus*. Quis autem cibus ille alius est, quam is quem S. Hieronymus insinuat, dicens[5] : « Parasti Domine cibum nostrum in communione « beati corporis et sanguinis tui? »

**2.** — E Paradiso terrestri quatuor universam terram irrigaturi olim directi fuere fluvii; hoc autem copiosissimum non aquarum, sed gratiarum, donorum, bonorumque inæstimabilium, non terrestris, sed cœlestis Paradisi flumen, sancta, inquam, Eucharistia, innumeris nos replet, et irrigat cœlestium charismatum torrentibus; quem conceptum his nobis verbis repræsentat D. Chrysostomus, inquiens[6] : « Ex Paradiso fons scaturiit, a « quo sensibiles fluvii emanarent; a mensa hac « prodiit fons, qui spirituales diffundit fluvios? « juxta hunc fontem non steriles salices germi-« nant, sed arbores cœlum ipsum attingentes, « quæ fructus solidos semper producunt. » Sacramenta reliqua tanquam tubi, et canales divinam ad nos transfundunt gratiam : Eucharistia autem ipsemet *fons est aquæ salientis in vitam æternam*, Paradisi vivam in se recludens scaturiginem, quæ hæc gratiarum aqua, reliqua omnia sacramenta fœcundat. Cujus super omnia alia sacramenta eminentiam obstupescens S. Bernardus, cœlestem hanc mensam sequentibus honorat epithetis[7] : « Potesne « æstimare, quale vel quantum est hoc sanctum « sanctorum, et sacramentum sacramentorum, « amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum? « Hic bibuntur in loco uberi torrentes lactis, flu-« mina mellis, liquores balsami cœlestis. » Ideoque Ecclesia sancta communionem *Convivium sacrum* appellans ait, quod ad ipsum accedentium *mens impletur gratia*; quem favorem diu ante promiserat Psalmista, cum diceret : *Dilata os tuum et implebo illud*. Ast dicet fortasse aliquis, ex quo particula hostiæ sacræ adeo est angusta, et exilis quia, ut S. Hieronymus in persona Christi ait : « Etiam in modica particula, si volueris, totum me « accipies. » Imo quis est qui non videat, quod dum divino hoc pane cibamur, vere dicere possumus : *Deus meus, et omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*, ut Apostolus? quod in digne communicantibus vere adimpletur.

**3.** — Jeremias ait[8] : *Et venient et laudabunt in monte Sion et confluent ad bona Domini, super frumento et vino, eritque anima eorum quasi hortus irriguus et ultra non esurient*. Porro extra omnem controversiam est, quia Propheta his verbis spiritualiter ad cœlestem hunc panem alluserit, qui in cœnaculo Sionitico fermentatus fuit; de hoc enim pane S. Hieronymus verba illa[9] : *edent pauperes et saturabuntur*, interpretatur, dicens : « *In monte « Sion*, hoc est in Ecclesia, *frumento et vino*, de « quo conficitur panis Domini et sanguinis ejus « impletur typus et benedictio sanctificationis osten-« ditur. » Porro si mysticam convivii hujus ubertatem plenius dignoscere cupitis, Petrum Cellensem audite, qui eam in libro *de Panibus*, ita deprædicat[10] : « Escam animarum, pabulum spirituum, « dapes cœlestium deliciarum præsefert hæc « mensa. Hæc, inquam, mensa plena visceribus « misericordiæ, charismatibus referta gratiæ, se-« dentium penetralia mirabiliter implendo non « explet, aptitus residentium satiando, acrius se « et sacratius urget. Est enim hujus convivii nihi-« lominus et convivantis natura, ut succumbant « semper desiderio, nunquam fastidio. »

**4.** — Jobum olim amantissimi aliquot convenisse leguntur subditi, carnibus ejus saturari unice affectantes, unde ipse Job ait[11] : *Dixerunt viri tabernaculi mei* : *Quis det de carnibus ejus, ut saturemur?* Potuisset equidem homo tam immensum, imperceptibile, nec non infinitum Communionis sacræ et consequenter omnium cœlestium charismatum exuberantiæ bonum desiderando suspirare, ast nunquam ad illud aspirare; cujus nihilominus appetitum divina implevit bonitas, dicente Psalmista : *Qui replet in bonis desiderium tuum*; nec non Apostolo, dum ad Colossenses scribit, idem confirmante, dum ait[12] : *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis*.

**5.** — Tertullianus de filio prodigo a Patre suo liberali convivio ex vituli saginati carnibus præparato, quod sacramentum altaris symbolice repræsentabat, peramanter excepto, disserens, hac phrasi

[1] S. Dion. Areop., *de cœl. Hier.* — [2] *Ps* lxiv. 10. — [3] Joann., vii, 38. — [4] *Ps.* lxiv, 10. — [5] S. Hier., *ib.* — [6] D. Chrys., h. 45 *in Joan.* — [7] S. Bern., ser. *in Cœn. Dom.*

[1] *Ps.* lxxx, 41. — [2] S. Hier., *ib.* — [3] 1 Cor., xv, 28. — [4] Jer., xxxi, 42. — [5] *Ps.* xxi, 27. — [6] Petr. Cell., l. *de panibus.* — [7] Job, xxxi, 31. — [8] Coloss., ii, 10.

utitur [1] : « Opimitate Dominici corporis vescitur, » scilicet Eucharistia. Quibus in verbis specialiter et quidem in pondere sanctuarii trutinari meretur verbum illud : *Opimitate* ; hæc enim dictio excessivam quamdam omnium et singulorum bonorum denotare videtur abundantiam, qua habita nihil homini deesse possit ; quam David in Spiritu prophetico prævidens, ait [2] : *Dominus regit me et nihil mihi deerit.* At vero undenam, sive ex quo fundamento David adeo audacter nihil sibi unquam defuturum asseverare poterat ? Nimirum quia *in loco pascuæ ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me,* vel ut S. Ambrosius legit [3] : *Pascet, pascitur.* Nostris quidem oculis externis sacra Communio modicus quidam hostiæ atomus esse videtur; ast quemadmodum pupilla quantumvis minima oculi nostri ad immensam se sphæram et latitudinem vastissimam extendit ; itidem sicut intellectus noster, qui vix locum occupat ullum, terram cœlumque pervagatur ; ita quoque juxta Catholicæ fidei veritatem, quicunque indivisibilis hostiæ punctus illum in se continet Deum, qui omnium creatorum, increatorumque bonorum est Epilogus.

**6.** — D. Chrysologus illa mulieris Chananææ verba : *Nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum,* accuratius ponderans [6], pro verbum *dominorum*, legendum autumat : *Puerorum,* indeque fœminam hanc Ecclesiæ figuram a gentilitate ad fidem Christi humilitatis beneficio translatam, hujus evasisse cœlestis convivii participem, concludit, dicens : « Levatur, honoratur ad « mensam, quæ se sub mensa laudabili et provida « humilitate dejecit. Juste toto nunc epulatur micas « ex pane. » Ubi singularem meretur notam verbum illud, *epulatur* ; quantumvis enim nil nisi panis offeratur in cibum, nihilominus quia de Eucharistia agitur, lautissimo dicitur epulo fuisse refecta ; quod nobis Sapiens pariter proponit, dum ait : *Pinguis panis ejus præbebit delicias regibus.* Notandum quoque, quod tametsi mulieri Chananææ sola offeratur frumenti mica, ipsa tamen *toto ex pane* epulari dicatur, quia ut Doctor Angelicus ait : « Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed me« mento, tantum esse sub fragmento, quantum « toto tegitur. » Horum namque fragmentorum minima quævis mica abunde sufficit, ut Cœlum et terra exinde liberalissime epulari possint. Id quod Christi magnificentiam mire extollit, ut proinde quoad hoc dicere nobis liceat, quod Tertullianus de alio quodam argumento disserens ait [5] : « Et ita « Deus tunc maxime magnus, cum homini pusillus « esse videtur. »

**7.** — Albertus Magnus de hoc sacramento ait [6] : « Sacramentum sacramentorum est Eucharistia, « omnis gratiæ contentiva, communicatio omnis « sanctitatis. » Et quidem hujus affluentiæ gratiarum, quæ ab Eucharistia in nos dimanant, sequentes assignat rationes ; dicit enim : « In genere « gratiæ est propter sex causas, quarum una est, « quia non est nisi a gratia et non nisi gratia esse « potest. Secunda, quia non datur nisi a gratissimo. « Tertia, quia non nisi gratissimis administratur. « Quarta, quia gratiam operatur. Quinta, quia est « gratia super gratiam. Sexta, quia omnis gratiæ « est contentivum. » Quibus addi potest, quod idem Præsul paulo post in alio capite scribit, scilicet quia « Corpus Christi Spiritus Sancti manibus for« matum, totum fuit gratiæ promptuarium. » Alibi pariter in eodem libro ait [1] : « Quidquid in cœlo « fuit gratiæ et gloriæ, totum nobis dedit ; unde « hanc magnificentiam canit Psalmista : *Omnia a « te expectant, ut des illis escam.* » Verumtamen dum magnificentiæ meminimus, huic sacramento propriissime adaptari posse existimo illum ejusdem Psalmistæ textum, in quo ait [2] : *Vox Domini in magnificentia.* Vox siquidem Christi in consecratione et sacramento præsenti meram perhibet magnificentiam : quoniam ut donum quodcumque sit magnificum, magni valoris sit oportet et dantis excellentiæ proportionatum ; unde unum idemque aliquando donum respectu Principis censebitur magnificum et exile respectu Monarchæ. Magnificentissimum itaque donum in sacramento hoc nobis impertiit Dominus, ita ut in nulla alia re magnificentiam suam ostendisse dici possit, siquidem tantummodo *dixit et facta sunt,* nobisque res dumtaxat creatas indulsit ; in Eucharistia autem paucis licet confecta verbis exhibet semetipsum. « Quid autem se « majus dare potuit? » ait S. Laurentius Justinianus. Vere equidem dici potest, eum se hoc in sacramento expandisse ; in incarnatione siquidem se contraxit, qui *fecit potentiam in brachio suo,* idque unica dumtaxat vice in utero virginis. Eucharistia autem donum omnium excellentissimum et incarnationis sacræ extensio innumeris vicibus indulgetur. Cujus eminentiam profundius contemplans S. Augustinus asserere non dubitat, dum ait [4] : « Audeo dicere, « quod Deus, cum sit omnipotens, plus dare non « potuit; cum sit sapientissimus, plus dare nescivit; « cum sit ditissimus, plus dare non potuit. » A qua doctrina nequaquam discrepat illa Alberti Magni sententia, dicentis [5] : « Magna dona Christi, in hoc « convivio corpus dedit in cibum, sanguinem in « potum, animam in pretium, Deitatem in condi« mentum exhibendo. » Quem discursum in capite sequenti latius prosequitur, inquiens : « Hoc solum « datum est, quod omne datum est ; quod in hoc « dato nihil privatum sibi Christus retinuit ; hu-

[1] Tertull., l. *de pud.* — [2] *Ps.* xxi, 1. — [3] S. Ambr., *ib.* — [4] D. Chrys., s. 100. — [5] Tert., l. II *cont. Marc.* — [6] Alb. Mag., l. *de Euch.*

[1] Id., d. 3, tr. 2. — [2] *Ps.* xxviii, 4. — [3] S. Laurent. Just., *de casto connubio.* — [4] S. Aug., tr 84 *in Joan.* — [5] Alb. Magn. *ib.*

« manitatis simul et divinitatis nobis omnia dona « conferens. » Equidem si Deus mille creasset mundos, si mille in beneficium et utilitatem nostram cœlos formasset empireos, unum duntaxat impendisset verbum : *Dixit et facta sunt* ; *Verbo Domini cœli firmati sunt* ; præterquam quod in ejusmodi donis nil nisi creatum sit, quæ cum Deus elargitus fuerit, semper æque dives perseverat. In Eucharistia autem non fugitivum, sed Patris æterni incarnatum dispensatur Verbum : *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* ; *exinanivit semetipsum*, vere equidem hoc in dono omnes suas exhausit opes, dum in illud ita Divinam suam reduxit omnipotentiam et beneficentiam, ut quasi depauperatus, quod excellentius largiatur, non inveniat ; quoniam ut Apostolus discurrit [1] : *Quomodo non etiam secum omnia nobis donavit ?*

**8.** — Nero aliquando pretiosissimum Phrygioque opere præcellentem, auroque intextum, legitur præparasse tapetem, in quem pretiosiores thesaurorum suorum gemmas, imo inæstimabiles imperii totius impendit gazas, cujus splendarem contemplatus et admiratus, ad idem spectaculum Senecam invitavit, qui post aliquod temporis spatium et curiosam considerationem. in hæc tandem verba prorupit : *Declarasti te esse pauperem.* Ita quoque de dono Eucharistico, *in quo sunt omnes thesauri*, concludere licet, scilicet, quod in eo præparando Deus quasi semetipsum depauperavit, quia in omnium sæculorum decursu, nec unquam sciet, vel poterit homini quicquam dare magnificentius, dum illi semetipsum contulit, qui *fecit potentiam in brachio suo*, in Eucharistiæ sacramento, in quo, ut Deus, panis naturam et substantiam in suam convertit carnem, ut homo autem, noster fit cibus et alimentum. Tanquam sacerdos fons gratiæ, suos in nos transfundit torrentes ; ut auctor gloriæ, se consignat in pignus. Ut Redemptor, pretiosissimum suum nobis offert potandum sanguinem ; ut Rex gloriæ, nobis adpromittit gloriosam corporis nostri ad vitam immortalem, resurrectionem, vitalis hujus beneficio Panis obtinendam. Unde et merito, in ejus institutione dicitur, quod Dominus *Memoriam fecit mirabilium suorum* ; siquidem sacramentum hoc omnium maxime stupendorum miraculorum est epitome.

**9.** — Alios inter ritus Ecclesiasticos olim ille non extitit infimus, qui circa agni Paschalis, primariæ hujus sacramenti figuræ, esum, his verbis a Deo præscriptus fuit [2] : *Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis.* At vero quorsum Sapientia increata exiles admodum, præsertim circa animaculi unius esum, cæremonias præscribendas censuit ? utique per relationem et propter allegoriam ad Agnum immaculatum et Eucharisticum. Unde S. Bernardinus ait [1] : « Præceptum erat, quod caput agni cum « intestinis et pedibus vorari deberet. In quo mys- « tice designatur, quod in hoc sacramento totus « Christus cum Divinitate et anima et corpore ibi « continetur et sumitur. Caput Divinitas, intestina « anima, pedes vero sunt Corpus Christi. » In cujus confirmationem servit illud Alberti Magni commentarium, quod super Psalmum instituit, in quo regius Vates in persona Christi fidelium gloriatur [3] : *Repleti sumus mane misericordia tua, exultavimus et delectati sumus omnibus diebus nostris* ; quæ inter verba dictus auctor singulariter considerat verbum *Repleti*, dicens [3] : « Quid nullum bonum est, quod « in hac communione non inveniatur, hæc enim « communio Corporis Christi, est thesaurus Sapien- « tiæ Dei, quæ est Christus. » Pro cujus ulteriori stabilimento illum adducit Sapientiæ textum, in quo dicitur [4] : *Infinitus est thesaurus hominibus, quo qui nisi sunt, participes effecti sunt amicitiæ Dei.* Qui idem auctor paulo infra in capite sequenti recensita, quam primi fideles in Communione ambiebant, frequentia, tandem subjungit [5] : « Communicatio « fractionis panis omnium bonorum divinorum et « humanorum conferebat communicationem. » Quæ quamvis apte pronuntiata esse nemo dubitet, longe tamen efficacius nostrum promovent discursum, illa quæ idem auctor in alio ejusdem libri loco describit fusius. Postquam enim inibi illa considerasset S. Joannis Apostoli verba : *Qui viderit fratrem suum necessitatem patientem et clauserit viscera sua ab eo, quomodo est charitas Patris in illo ?* ita concludit, dicens [6] : « Quasi diceret, nullo modo est « charitas in eo. Unde Christus omnes suos fratres « videns, necessitate famis deficere, non clausit ab « eis viscera, sed in visceribus charitativi affectus « Corpus et sanguinem et viscera, Spiritum et ani- « mam et Deitatem nobis communicavit. » Id quod plenius illo Tobiæ senioris juniorem exhortandis confirmat consilio [7] : *Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Christus ita quoque, concludit auctor ille, in nos existans misericors, *per viscera misericordiæ Dei nostri visitavit nos.* Nequaquam parcus, sed cum *ipsius esset terra et plenitudo ejus et orbis terrarum*, omnia bona illa primitus nobis indulsit, Spiritu Sancto attestante, dum ait : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Erogatis omnibus illis, liberalissimum superaddidit bonorum gratiæ, gloriæ, sanctitatis spiritus et divinitatis donum ; quæ omnia in Eucharistia, utpote omnium bonorum compendio, ad finem usque sæculorum perseveratura conclusit : « Corpus dedit in communionem, » inquit Albertus Magnus, « animam in redemptionem, sanguinem

[1] PHIL., II, 7. — [2] EXOD., XII, 9.

[1] S. BERN., t. I, s. 57. — [2] *Ps.* LXXXIX, 14. — [3] ALB. MAGN., dist. 4, c. 15. — [4] SAP., VII, 14. — [5] ALB. MAG., *ib.*, c. 7. — [6] ID., d. 2, c. 3. — [7] TOB., IV, 8.

« in ablutionem, deitatem in omnis virtutis acqui-
« sitionem. »

## DISCURSUS IX.

### EUCHARISTIAM GLORIÆ PIGNUS ESSE PROBATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. S. Eucharistia confert nobis, etiam in præsenti, vitam beatam et æternam. Est indubitatum pignus æternæ felicitatis. — 2. Nutrimur per illam vitam permanentem. Restaurantur per illam ruinæ Angelorum. Cur in pane ex vino instituta. — 3. Mensæ tabernaculi duæ impositæ coronæ quid significent. Sacerdos S. Communionem porrigens, dat illam in pignus vitæ æternæ. S. Eucharistia viam facilitat ad cœlum. Ideo datur moribundis. — 4. Hoc sacramentum dicitur testamentum. Serapion senior, per hoc sacramentum moribundus, recipit loquelam et usum sensuum. — 5. Multiplices fructus ejus recensentur. Vocatur osculum. — 6. Allusio inter Christi ascensionem et S. Euchar. — 7. Continet dulcedinem divinam. Cur aqua misceatur vino in calice. S. Eucharistia expellit a nobis amaritudinem mortis. — 9. Est pascua electorum. Ipsius virtute resurgent corpora nostra cum dotibus gloriosis. Mortui Elisæi ossibus tactus reviviscit. Hoc multo præstantius præstat S. Eucharistia fidelibus.

*Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Joan., VI, 55.

**1.** — Salvator noster apud S. Joannem intentam Eucharistiæ institutionem prædicens sequacibus suis, quotquot carnem ejus manducaturi, sanguinemque bibituri essent, beatam et æternam in præsenti promittit vitam, dum ait : *Qui manducat, etc.* Notandum etenim, Salvatorem non dicere, quod in futuro tempore *habebit,* sed quod in præsenti *habeat vitam æternam.* Cujus promptam ecce vobis rationem, quoniam qui pignus seu arrham possidet, de capitalisecurus est, ratione cujus datum est pignus ; in hoc autem sacrosancto convivio, ut Doctor Angelicus inquit, « futuræ gloriæ nobis « pignus datur. » Creditor sibi obstrictum habens debitorem scutorum mille, si in pignus adamantem accepit scutorum bis millium, de credito suo utique securus erit : ita pariter in præsenti dicere licet : *Jus* enim ad beatitudinem consequimur, habemusque per Eucharistiam ; ipso Dei Filio, ut in oratione quotidiana continuam hanc instantiam : *Adveniat regnum tuum,* replicaremus, exhortante. Vere etenim hoc pasti sacramento dicere possumus : *Regnum Dei intra nos est,* quia scilicet indubitatum est beatitudinis pignus ; id quod probatu minime difficile fuerit ; si enim beatitudo in visione Dei consistit, in sacramento hoc pariter nobis in cibum et alimentum cedit Verbum divinum et per concomitantiam reliquæ personæ divinæ. Ideoque Clemens Alexandrinus hoc ineffabile considerans mysterium, nos dum Eucharistiam participamus, dotari asserit [1] : « Regno digne gustato. » Et S. Thomas [2] illa Christi verba : *Primum quærite regnum Dei,* de Eucharistia quoque intelligenda esse docet, utpote cum hæc cœlorum æquivaleat regno. Quam veritatem diu ante D. Chrysostomus tradidit, quando in mysterii hujus virtute terram in cœlum transmutatam fuisse asserit, dicens [3] : « Hic terram « tibi Cœlum facit hoc mysterium. » Sed ad nostrum intentum accommodatissime desinit Concilium Tridentidum, quando alios inter titulos Eucharistiæ sacramentum hoc afficit dignissimo elogio, dicens [4] : « Pignus præterea id esse voluit futuræ « nostræ gloriæ et perpetuæ felicitatis. » Unde et Ecclesia in Missa Fer. VI, D. 2. Qu. ita Deo supplicat : « Fac nos quæsumus Domine, accepto pignore « salutis æternæ, sic tendere congruenter, ut ad « eam pervenire possimus. » Et in oratione, quæ Postcommunio dicitur, in solemnitate Corporis Christi : « Fac nos quæsumus Domine, Divinitatis « sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi Cor- « poris et sanguinis tui temporalis perceptio præfi- « gurat. »

**2.** — B. Bonaventura D. Chrysostomi innixus auctoritati, Christique personam indutus, postquam demonstrasset, parentes carnales a se generatos filios suos nutricibus extraneis educandos tradere, tandem subnectit dicens [5] : « Ego autem Filius Dei « non ita meipsum vobis appono, omnes vos nobi- « les esse volens : Qui enim hic vobis dedi meipsum « multo magis in futuro volui vester fieri. » Quam prærogativam alio discursu promovet S. Paschasius quando citata Christi verba (*qui manducat etc, habet vitam æternam in me manentem*) considerans ait : « *Manentem* utique, et non labentem, quia in hac « vita nemo vivit, nisi manendo labatur in mortem « In illa vero semper in eodem statu manendo sine « defectu vivitur ; » Finis namque institutionis cœlestis hujus Panis ille fuit, ut Sapientia incarnata nos ad vitam beatam, stabilem, et permanentem nutriret. Cui novum encomium superaddit Albertus Magnus, quando per naturam humanam angelicas in paradiso ruinas in sacramenti hujus « virtute restaurandas fuisse concludit, dicens : Oportet, quod per corpus Christi ruina Angelorum « restituatur. Restituti communicant gloriæ Ange- « lorum per communionem corporis Christi ; per « sacramentum, et communionem ipsius ad com- « munionem redimus Angelorum. » Porro S. Anselmus rationem, cur Eucharistia sub vini potius et panis, quam alterius materiæ speciebus instituta fuerit, assignaturus, hic verbis huic eidem nostro suffragatur proposito, dicens : « Ideo Dominus

[1] CLEM. ALEX., l. III *Pædag.* — [2] S. THOM., 3 p., qu. 88. — [3] D. CHRYS., *h.* 24 in I *ad Cor.* — [4] *Conc. Trid.*, sess. 13. — [5] S. BON., coll. 34 *in Joan.* — [6] S. PASCH., *l. de Corp. et Sang. Dom.* — [7] ALB. MAG., *de Euch.* — [8] S. ANS., in I *ad Cor.*

« noster corpus et sanguinem suum in iis rebus « commendavit, quæ ad unum aliquod redigun- « tur e multis, quoniam aliud in unum ex multis « granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis « confluit, et ob hoc communnicatio corporis et « sanguinis Christi societatem æternam Sanctorum « designat, et facit, ubi pax erit, et unitas plena, « atque perfecta. » Quam ex Angelico doctrinam citavimus superius, diu ante tradidit S. Augustinus, quando cœlestem præceptorem in oratione Dominica hujus asserit meminisse sacramenti, ubi de regno tractat. « Sed quid ait Dominus Jesus? » inquit S. Præsul [1]? « *Quærite primum regnum Dei et justi-* « *tiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Intelli- « gitur hoc etiam valde bene : *Panem nostrum quo-* « *tidianum da nobis hodie*, Eucharistiam tuam. » S. Thomas autem, postquam Eucharistiam regnum nuncupasset, subjungit, dicens [2]: « Ubique suorum « regnum Christus est, sed maxime in Eucharistiæ « solio. »

**3.** — In libro Exodi Arcæ, Tabernaculi, totiusque residuæ ecclesiasticæ suppellectilis apparatum Moysi Dominus præscribens, ait [3]: *Facies et mensam*, cui non unam, sed duas jussit imponi coronas, per novum hoc præceptum : *Faciesque illi labium aureum per circuitum, et ipsi labio coronam, et super illam alteram coronam aureolam.* At vero quale duabus hisce coronis, mensæ dictæ impositis, inesse putatis mysterium? Mensa, Eucharistiam, coronæ denotabant gloriam; voluit itaque Dominus duplici mensam illam exornari corona, ad denotandam, quam de beatitudine possident certitudinem animæ illæ, quæ dictam mensam circumdant. Observatisne aliquando illa, quæ Christi fideles communicaturus verba profert sacerdos : nimirum. « Corpus Do- « mini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam « in vitam æternam? » Quæ verba clare propositum nostrum confirmant, scilicet, quod Eucharistia certum vitæ æternæ pignus existat. Quod etiam illa Psalmistæ verba indicant, dicentis [4]: *Edent pauperes et saturabuntur*; quam enim hanc satietatem esse existimatis? Illa nimirum, de quo idem Psalmista alibi ait [5]: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Quam eandem ob causam S. Cyrillus Alexandrinus Eucharistiam *cibum* appellat [6] *nutrientem immortalitatem.* Ideo quoque S. Anselmus docet, quod sicut cibus materialis ad nostram in hac vita sustentationem creatus fuit, ita pariter Eucharisticus ordinatus sit, ut nos ad vitam æternam, et beatam assequendam nutriat. Dicit enim [7]: « Sicut cibo id ap- « petitur, ut vitatur, sic ad eam vitam qua vivitur, « solummodo per hunc cibum pervenitur. Cibus « hic ad vitam æternam animæ conferendam col- « latus est, non ad ruinas sustentandas hujus mi- « seræ vitæ, quæ vapore est ad modicum disparens Unde S. Bonaventura Christum dum panem hunc cœlestem promitteret, vicibus denis vitæ meminisse obseruat, cujus hanc assignat rationem, dicens [1]: « Decies attribuitur actus vivendi huic Panis, vel « carni, vel sanguini; et continenter, ad figurandum « quod per ipsum, et in ipso sunt omnes venturi « electi ejus, et membra sunt ad ordinem decimum « in cœlo, qui signatur per drachmam decimam. Qui idem S. paulo post hanc quoque enuntiat sententiam, dicens : « Hic sanguis vadibile fecit cœ- « lum. » Cui illud Alberti Magni in principio libri illius, in quo fuse de Eucharistia tractat, consonat assertum, dum sacramentum hoc sequenti honorat epitheto [2]: « Edulium vegetans ad vitam æternam « viaticum confortans nos ad perficiendam hujus « exilii viam, et pignus æternæ salutis. » Ideoque ad facilitandam Patriæ cœlestis introitum, Ecclesia pro infirmis agonizantibus ipsum sacramentum designavit in viaticum, qui idem auctor alio in loco illud donum in pretio habendum adstruens, quod et in vita, et in morte recipientem permanenter comitatur, nostrum fusius promovet intentum illo in medium adducto Ecclesiastici textu [3]: *Datio Dei permanet justis, et perfectis illius successus in æternum habebit.* Quem locum dictus auctor interpretans, inquit [4]: « Hæc est enim vera datio, quæ in transitu « manet in viaticum, et in vita in refectionem, et « in patria in æternæ beatitudinis significationem, « tales successus donum istud habet in æternum. »

**4.** — In Consecratione sanguinis mentio fit testamenti, nec sine mysterio, nam ut Incognitus Carmelitanus Michael Bononiensis super illa verba Psalmi : *Mandavit in æternum testamentum suum*, ad nostram doctrinam scribit : sacramentum hoc testamentum dicitur [5] : « Quia huic sacramento « aliud non succedit, sed usque ad fidem sæculi du- « rabit, sed ei succedet clara visio Christi, cujus « Divinitate beatificamur interius, et humanitate « exterius. Merito dicitur *testamentum*, quia per « istud nobis Christus hæreditatem legavit æter- « nam. » Singularem pariter notam merentur illa S. Thomæ de Villanova de hoc sacramento tractantis verba [6]: « Hoc sacramentum est pignus æternæ « hæreditatis, hæc unica anchora spei nostræ, hoc « unicum solatii nostri asylum, per hoc ad Dei « conspectum intra Sancta Sanctorum cœlestes « confidimus introire. » Quam veritatem ut nobis perfectius inculcet S. Bernardus, in Christi persona ita discurrit [7]: « Liquor iste quem vides, jam non « est vinum, sed sanguis meus, quem pro te fundi, « in pretium tibi reservans, in altari pocu-

[1] S. Aug., t. X, h. 42. — [2] S, Thom., *ib.* - [3] Exod., xxv, 23. — [4] *Ps.* xxi, 27. — [5] *Ps.* xvi, 15. — [6] S. Cyr. Alex., l. IV *in Joan.* — [7] S. Anselm., *in sacr. altar.* —

[1] S. Bonav., *in Joan.* — [2] Albert. Mag., *in Princ.* — [3] Eccli., xi, 17. — [4] Alb. Magn., d. 2, tr. 3. — [5] Mich., in *Ps.* cx, 9. — [6] S. Thom. de Vill., conc. 3 *de sacr.* — [7] S. Bern., s. *in Cœna Dom.*

« lum, in peregrinatione tua præsidium in « cœlo viaticum, » quem favorem, ut Annales perhibent Ecclesiastici [1], abunde expertus est Serapion senior Christianus. Morti namque vicinus, quam Communionem petebat, infirmus ipse sacersacerdos in persona propria subministrare nequibat, qui ne agonizantem cælesti de stitueret viatico, nepoti moribundi particulam consignavit hostiæ sacræ quam ipse puer madefactam faucibus imponeret agonizantis. Vix puer lecto vicinius appropinquarat, quando infirmus qui diebus tribus linguæ beneficio destitutus, et insensibilis contabuerat, subito vocis recuperavit, et sensuum usum; moxque communicatus, suum Deo reddidit Spiritum.

**5.** — S. Carolus Borromæus de sacramenti hujus encomiis disserens, multifarios ejusdem, præsertim vero nostro accommodos proposito fructus assignat sequentes, dum ait [2]: « Summam vim habet ad « æternam gloriam comparandam, ejus videlicet « gratia, dum hanc vitam fideles degunt, cons- « cientiæ pace et tranquillitate perfruuntur. Deinde « ejus virtute recreati, non secus atque Elias, qui « in subcinericii panis fortitudine ambulavit, usque « ad montem Dei Horeb, cum ex vita emigrandi « tempus advenit, ad æternam gloriam, et beatitu- « dinem ascendunt. » Neque nostrum minus promovebit argumentum ille sacræ Scripturæ textus quo dicitur [3]: *Mortuus est tibi Moyses servus Domini, jubente Domino.* Pro iis namque ultimis verbis, ut quidam refert interpres, quidam a Vulgata recedentes, legendum censent : *In osculo Domini.* Cujus vocis mysterium indaganti sanctus mihi occurrit Ambrosius, in Tractatu de sacramentis asserens, per osculum, in sacris Canticis in sensu spirituali Eucharistiam designari, ait namque [4]: « Ideo invitat « ad cœleste convivium, dicens : *Osculetur me osculo oris sui.* Dictum itaque Moysi a Deo datum osculum, quantumvis e longinquo, præsens designabat viaticum, Ad quod etiam Salvator alludere voluisse videtur [5]: *Beatus qui manducabit Panem in regno Dei.* Illi namque ad beatitudinem illam pertingunt, qui ex hac vita cum dicto migrant Christi osculo. Unde Albertus Magnus de hoc sacramento tractans, inquit [6]: « Est institutum in signum futuræ beatitudinis, id quod nunc id sacramenti specie percipiendo « Christum, agimus, signum est, qualiter eum- « dem aliquando secundum dulcedinem suæ Dei- « tatis in cœlesti beatitudine percipiemus. »

**6.** — Judæis aliquando ineffabilis hujus mysterii percipiendi incapacibus, et contra illud obmurmurantibus, dicendo [7]: *Durus est hic scrmo, et quis potest eum audire* ? Incarnata Sapientia in sui justificationem hæc paucula legitur subjunxisse verba : *si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius* ? At vero quænam Ascensionem in cœlum et mysterium hoc Eucharisticum inter, viget connexio ? Cur non alterius potius mysterii mentionem fecit ? Cur non conversionis aquæ in vinum in nuptiis Cœnæ factæ ? Cur non multiplicationis panum in deserto meminit ? Nimirum Ascensionem a Christo memoratam fuisse arbitror, ut præsentem magis magisque stabiliret veritatem, quod scilicet in sacramenti hujus virtute ad imitationem Christi in cœlum ascendamus. In cujus confirmationem non absre fuerit notare, quod Christus de Ascensione agens, se in hoc sacramento usque ad sæculorum finem perseveraturum dixerit, dum ait : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Merito itaque Albertus Magnus, divini hujus cibi dulcedinem, suavitatis paradifiacæ præludium esse statuit, dicens [1]: « Perceptio Eucha- « ristiæ perceptionem dulcedinis Divinæ signabit, « et ad hanc significandam est a Deo instituta. Prop- « ter quod *Matth.* XXVI, *Marci*, XXII *Luc*, XXII semper « istam perceptionem in sacramenti specie ad dul- « cedinis cœlestis fruitionem continuavit, dicens : « *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque* « *dum bibam illud vobiscum novum in regno meo* ; « Genimen enim vitis sacramentum est sub vini « species. » Ad quem discursum magis stabiliendum, Hugonis Cardinalis interpretationem sectaturi, illum Scripturæ textum, in quo Patriarcha Jacob Aser benedixisse legitur adducemus [2]: *Aser pinguis panis ejus* (verba sunt sancti Patriarchæ) *præbebit delicias regibus.* Quæ Hugo Cardinalis discutiens, et ad Eucharisticum Panem alludens, cur pinguis dicatur, in hæc verba docet [3]: « Impinguat, » inquit « pinguedine charitatis, et devotionis, et ipse est « deliciæ regum, id est, vivorum spiritualium. » Porro *Aser*, ut dictus testatur Cardinalis, *Beatus* interpretatur : In Eucharistia autem Christus nuncupatur *Beatus* quia in virtute illius æternam nobis confert Beatitudiuem. « Aser interpretatur beatus, inquit, « et significat Christum, qui est beatitudo « Sanctorum. »

**7.** — S. Thomas varias quidem, cur in sacrificio Missæ aqua vino admisceatur, assignat rationes sed relictis aliis, unica illa ad præsens deservit institutum, qua docet, aquam Divinæ symbolum esse gratiæ, quæ certum est pignus gloriæ. « Quia hoc « competit ad ultimum effectum istius sacramenti » inquit Angelicus [4], « qui est introitus ad vitam æter- « nam. Unde Ambrosius in lib. *de sacram*, dicit [5] : « Redundat aqua in calicem, et salit in vitam æter- « nam.» Quam veritatem S. Ignatius Martyr [6] penetrasse videtur, quando sacramentum hoc *mortis antidotum et pharmacum* appellat *immortalitatis.* Cui sententiæ Rupertus Abbas ultro citroque subscribit

[1] BAR., ann. 255. — [2] *Acta Eccl. Med.* — [3] DEUTER., XXVIV, 5. — [4] *S.* AMBR., l. *de sac.* — [5] LUC., XIV, 15.— [6] ALB. MAG., l. *de Euch.* — [7] JOAN., VI, 63.

[1] ALB. MAG., *ib.* — [2] GEN., XLIX, 20. — [3] HUG. CARD., *ib.* — [4] S. THOM., 3 p., q. 74. — [5] S. IGNAT. MART., ep. 14 *ad Ephes.*

in suo super illa Cantici verba [1]: *Fructus ejus dulcis gutturi meo,* Commentario, dum ait : « Expulit a « nobis amaritudinem mortis, et vitæ æternæ dulcedinem indidit; » et paulo post subnectit : « Justa « lege, ut expietur ille reatus malæ credulitatis, « exigitur fides et ut credatis id quod non videtis. » Majorem autem communicantium excellentiam mellifluus Ecclesiæ Doctor in his exhibet verbis [2]: « Hic, » inquit, « ambulamus per fidem, nec dum « per speciem. Interim deliciari, et gaudere debe- « mus in Sacramento altaris, in cujus confectione « fidelis minister invenit seipsum in medio Patris, « et Spiritus Sancti adstantibus etiam ex omni late- « re supernis ordinibus. » Denique S. Bernardinus ad novum se convertens Eucharistiæ encomium, subtiliter observat, quod ante factam a Christo sacramentalem institutionem, Secretarius ejus hæc verba præmiserit : *In finem dilexit eos* : « ut ex hoc « modo loquendi [4], » inquit Sanctus, « innuat ma- « nifeste, quod non ad hanc vitam statuendum eos « per hoc sacramentum in finem æternæ vitæ, di- « lexit eos. »

**8.** — Psalmista eumdem favorem in spiritu Prophetico attigisse, et participasse videtur, dum ait [5]: *Dominus regit me et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit* : quibus verbis et se electorum gregi annumeratum esse insinuat, et nobis Eucharistiam sub pascui titulo perhibet, præsertim cum juxta Lorinum aliqui pro verbo : *Regit*, legendum autument : *Pascit*. Hæc igitur pascua frequentans, se veram docet esse ovem, ad quæ adeunda S. Ambrosius nos haud obscure invitat, dum ait [6] : « Ipse nos pascit et reficit; bona pascua, divina « sacramenta sunt; carpis illic novum florem, qui « bonum odorem dedit Resurrectionis, carpis li- « lium, in quo sit splendor æternitatis, carpis « rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem. » Porro dum Resurrectionis mentionem fecimus, non abs re fuerit docere, quod corpora nostra cum dotibus gloriosis in mensæ hujus virtute ad vitam resurgent immortalem, dicente Christo [7]: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Lactantius Firmianus rationem indagans, cur Phœnix præter volatilium naturam rejuvenescat et renovetur, sibi ipsi respondet, dicens [8]: « Ambrosius « libat cœlesti nectare rores, » ita quoque et a fortiori, se ad vitam immortalem renovandum sibi promittere poterit, quisquis cœlesti se ambrosia cibaverit, utpote, quemadmodum in quodam Collecta Postcommunionis dicitur : « Immortalitatis « alimoniam consecutus. » Profecto si Elisæ ossa vix attacta cadaver vivificarunt [9] : *Quod cum tetigisset ossa Elisæi, revixit homo,* quanto magis ad vitam resurget immortalem, qui carnem in Eucharistia sumpserit in se divinam : « Resurrectio cada- « veris, » inquit Glossa, « per contactum ossium « Elisæi, significat, quod quicunque firma fide tan- « git mortem Christi, sine dubio particeps est « resurrectionis ejus. » Mors autem Christi in sacramento altaris, quod mortis et passionis ejus memoriale et fructus est, tangitur ; ipsumque nos tangimus Salvatorem, nobis sacrosanctum corpus ejus et carnem uniendo. Observastisne aliquando, quod ob scandalum, ex discursu ejus de Eucharistia habito, abeuntibus auditoribus, Christus Apostolos suos in hæc interrogavit verba : *Nunquid et vos vultis abire?* S. Petrus autem omnium nomine responderit : *Domine, ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes.* Cur, obsecro, Apostolorum Princeps tunc verba Christi *verba vitæ æternæ* esse dixit, non vero alias, quando cœlestem Magistrum suum de æque sublimibus mysteriis disserentem audivit? Scitisne, quid hic myterii lateat ? ideo nimirum hæç vitæ æternæ verba muncupavit, quia Salvator in toto illo cap. VI Joan, de hoc sacramento diffuse disseruerat, quod panis est vitæ æternæ. Unde S. Augustinus S. Petrum dicere voluisse ait [1] : « Vitam « æternam habes in administratione corporis et « sanguinis. » S. Thomas hoc sacramentum, per arborem vitæ in medio paradisi terrestris plantatam, significatum fuisse his docet verbis [2]: « Corpus « Christi est fructus vitæ, valens ad destructionem « gehennæ et acquisitionem vitæ æternæ. » S. Thomas de Villanova dicit [3] : Quid si panem quemdam invenires, qui vitam tuam per centum annos servaret incolumem, numquid illum quovis thesauro gratiorem haberes et custodires ? « Nunquid non « sicut oculi pupillam panem illum servares? nonne « illum omnibus mundi deliciis anteponeres? talis « autem est Panis Eucharisticus : hic Panis vitam « edenti præstat, non centenariam, sed æternam « vitam, jucundam vitam, beatam vitam, omnium « bonorum plenitudine felicissimam. »

## DISCURSUS X.

ALIOS INTER EFFECTUS, SACRAMENTUM HOC AFFCTUM IMPRIMIT BONORUM CŒLESTIUM, TERRESTIUMQUE NAUSEAM, QUÆ ILLORUM IMPEDIUNT PROFECTUM.

IDEA SERMONIS. — 1. Ad Corpus Christi congregantur fideles velut aquilæ. — 2. Reliquit nobis Christus suum SS. corpus et sang. ut per illius usum discamus tendere ad superna et spiritualia. — 3. S. communio digne sumentibus causat nauseam rerum terrenarum. Exemplum B. Aloysii. — 4. S. Eucharistiæ nuda figura fecit Abrahamum contemnere

[1] CANT., II, 3.—[2] RUP. AB., l. IV *in Cant.*— [3] S. BERN., s. *in Cœn. Dom.*— [4] S. BERN., t. II, s. 4.— [5] *Ps.* XXII, 1.— [6] S. AMBR., *in Ps.* CXVIII. — [7] JOAN., VI, 55. — [8] LACT. FIRM., l. II. — [9] IV REG., XIII.

[1] S. AUG., *in Joan.* — [2] S. THOM., op. 58. — [3] S. THDE VILL., Conc. 1 *in Fer. Corp. Christi.*

terrena. — 5. Qualiter agnus paschalis fuerit figura Eucharistiæ. — 6. Primus qui nauseabat cœnam magnam erat qui emerat villam. Eucharistia digne sumpta, fastidire facit omnia mundana. Animæ fideles sumpta Eucharistia ab aquila Christo, provocantur ad volandum. — 7. S. Communio optimum remedium contra elationem animi. — S. Eucharistia requirit stomachum vacuum a terrenis. Ad cœnam magnam soli admittuntur pauperes terrena aspernantes. Religiosi voluntarie pauperes sunt aquilæ volantes ad sublimia dum communicantur.

*Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur, et aquilæ.* Matth., xxiv, 28.

**1.** — Tametsi Redemptor noster his verbis, quo ad sensum litteralem, ad extremum alludat judicium, quando scilicet electi velut totidem aquilæ, in corporibus gloriosis circa Christi, cum magna majestate ad judicium descendentis, sacratissimam humanitatem congregabuntur, eamque circumdabunt; in sensu tamen spirituali, ipsum ad corpus suum Eucharisticum alludere voluisse, affirmare possumus; siquidem ad hoc omnes animæ fideles, velut totidem aquilæ, ab omnibus terrenis bonis avulsæ et elevatæ, per bona desideria, et affectus convolare videntur. Unde S. Ambrosius ait [1]: « bonæ « aquilæ sunt circa altare congregatæ; ubi enim « corpus, ibi et aquilæ, Corpus Christi est in altari, « aquilæ vos estis. » Enimvero aquila omnium est avium regina, præque cunctis aliis terram despiciens, sublimius evolat in cœlum, ibidemque oculorum suorum aciem in luminosissimam solis sphæram pertinacius figere consuevit; idem quoque iis accidere solet, qui sacrosancto Sole justitiæ, id est, Christi corpore frequentius pascuntur; hi enim communiter [2] *quæ sursum sunt quærunt, non quæ super terram*, quia ab hoc sacramentato Dei Filio terram contemnere discunt, siquidem Deus ille, qui de semetipso ait : *Cœlum et terram ego impleo*, ut animam nostram donorum gratiarumque suarum cœlestium plenitudine adimpleat, sub invisibili quasi, et indivisibili hostiæ consecratæ atomo restringi se patitur [3] : « Sub adeo exigua quantitate « latens Christus in Eucharistiæ sacramento, docet « terrena omnia contemnenda, » inquit devotus quidam contemplator. D. Chrysostomus ait [4]: « Aquilas vocat, ostendens, quod oportet eum, qui ad « hoc corpus accedit, esse sublimem, et nihil cum « hac terra habere commune, sed assidue sursum « volare, et ad Solem justitiæ aspicere. » S. Thomas ad hunc effectum clarius demonstrandum, sequentem Ezechielis textum adducit, in quo dicitur [5] : *Sumam de medulla Cedri sublimis, et de vertice ramorum ejus, et plantabo in montem excelsum, et erumpet in germen, et faciet fructum.* Quod propheticum oraculum ad mensam hanc Eucharisticam applicans, inquit [1]: « Cedrus sublimis est Deus Pater « rami eminentiores antiqui Patres; vertex omnium « Beata Virgo; medulla Cedri æterna Dei sapientia « pars de ramorum vertice, caro sumpta de Virgine. « Spiritus ergo sanctus medullam Cedri, et partem « de ramorum vertice sumpsit, quia Christi incar- « nationem fecit, et hunc quasi surculum nobilissi- « mum planta in montem excelsum, cum fidelibus « a terrenis deliciis ad cœlestia elevatis, Dominici « corporis tribuit sacramentum. »

**2.** — Considerat S. Paschasius, quod Christus instar aquilæ in cœlum ascensurus, Ecclesiæ suæ sanctæ de corpore suo hic relinquendo prospicere voluerit, ut eo mediante, fidelium quoque animæ et corda elevarentur in cœlum, amoremque, et desideria sua ad immortalia et cœlestia bona dirigerent [2] : « Sed quia illum secundum carnem cœlos « oportuit penetrare, ut per fidem illuc in illo « renati confidentius sequi appeterent, reliquit « nobis hoc sacramentum, visibilem figuram, et « characterem carnis, et sanguinis, ut per hæc « mens nostra, et caro nostra ad invisibilia, et spi- « ritualia capessenda per fidem uberius nutriatur. » Ideo etiam sacer textus notanter tempus exprimit quo Christus in cœlum ascendit; nimirum : *Recumbentibus illis undecim, apparuit illis Jesus, etc.* Imo, ut in Actibus Apostolorum legitur [3] : *Convescens elevatus est.* Unde Richardus de S. Victore ait [4]: « Ecce quia comedit, ascendit, » quibus verbis inclytus hic doctor innuere velle videtur, quod Christus postquam sacratissimo corpore suo a se consecrato se cibasset, mox in cœlos ascenderit, ut per hoc nos doceret, quod ad hoc ut affectus et desideria cœlestia in nobis concipere valeamus, dicereque possimus : *Conversatio nostra in cœlis est,* unicum servire possit remedium, nimirum ut Eucharistiam sæpe sumamus.

**3.** — In vita S. Caroli Borromæi legitur [5], quod dum in actuali Castiglionensis territorii, ad domum de Gonzaga spectantis, visitatione constitutus esset, coram eo adductus fuerit duodennis quidam puer, Aloysius nomine, Francisci Marchionis Gonzagæ primogenitus filius; sanctus vero archiepiscopus divinitus illuminatus, quædam eximiæ virtutis in hoc juvene animadvertens signa, ex iisque insignes progressus prævidens, quod in vita spirituali habiturus erat, eumdem diu secum in colloquio de rebus divinis instituto detinuerit, ejusque animo perfectam vitæ spiritualis formam imprimere satagerit, modumque præscripserit, quo deinceps ad sancte et perfecte serviendum Deo uteretur; et quia ipsum nondum communione Eucharistica usum fuisse ex diuturno cum ipso habito colloquio perce-

[1] S. Ambr., l. IV *de Sacr.* — [2] Col., III, 1. — [3] Jer., XXIII, 24. — [4] D. Chrys., h. 24 *in* I *ad Cor.* — [5] Ezec., XVII, 22.

[1] S. Thom., op. 54. — [2] S. Pasch., l, *de corp. et sang.* — [3] Act. Apost., I, 4. — [4] Richard. de S. Vict., l. *de Eman.* — [5] Giuss., *in Vita S. Carol. Borr.*

perat, eumdem ad hanc quantocius et frequenter quidem sumendam hortatus fuerit; eo quod Eucharistia proprium, et maxime idoneum esset animæ nutrimentum, et ad accendendum in se divini amoris ignem, unicum et efficacissimum medium. Notatque historia prædicta, quod primus fructus quem Aloysius ex communione, cum ingenti amoris sensu et lachrymarum profluvio percepta, in se percepit, fuerit, quod sponte propria omnibus mundi deliciis et dignitatibus, speciatim vero paternorum territoriorum dominiis, in quæ post mortem patris, tamquam filius ejus primogenitus successurus erat, nuncium remiserit; siquidem societatem Jesu ingressus fuit, in eaque magnis gressibus ad sanctitatem adeo magnam properavit, ut in ætate viginti trium annorum moriens beatificatus fuerit, jamque penes universum devotum Christianismum in summa habeatur veneratione. Et quidem advertendum est, quod hoc cœlesti viatico, cui plurimum semper devotus fuit, confortatus, tamdem ut prædixerat, in octava sanctissimi Corporis Christi ad vitam beatam evolarit. Utinam specialem hanc divini illius cibi virtutem serio ponderaremus, ad concipiendam in nobis omnium terrenarum divitiarum nauseam, et cœlestium bonorum desiderium.

**4.** — Quo fine plurimum quoque sequens historia deserviet: Nam ut sacra Scriptura refert, postquam Abrahamo pro liberatione Loth cognati sui in prælio decertans gloriosam adversus Reges illos reportasset victoriam, ingentem ex eo prælio opulentorum spoliorum prædam Deo obtulit, simulque protestatus fuit, dicendo [1]: *Levo manum meum ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli et terræ: quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus.* Sed unde, obsecro, tam heroica oriri potuit Abrahami resignatio, præsertim cum plurima possideret fortunæ bona, prout ex illis capitis præcedentis colligitur verbis: *Erat autem dives valde in possessione auri et argenti* ? Facilis ex circumstantiis historiæ eruitur responsio, quoniam Spiritu Sancto attestante, Abrahamo a victoria reduci. *Melchisedech rex Salem proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, et ait: Benedictus Abraham Deo excelso.* Ecce tibi, qualiter ad solam Eucharistiæ quantumvis remotæ figuræ comparitionem, primus ille fidelium Pater ab omni factus fuerit temporalium bonorum affectu alienus. Unde S. Cyrillus Alexandrinus ait [2]: « Et « quidem benedixit Melchisedech, qui figura erat « Christi, sicut docuit Paulus, cum nullum accepis- « set spolium, pane, et vino eum aluit. » Ex qua historia sic ratiocinari licet: si quædam hujus sacramenti figura quantumvis plurimis sæculis, significato suo distans, et remota tantum in Abraha efficere prævaluit, quantæ virtutis ipsemet panis, et vinum Eucharisticum erit?

**5.** — Inter omnes hujus sacramenti figuras antiquas, agnus Paschalis omnium opinione primum locum obtinet. Notandum vero, hunc ex Dei ordinatione decima quidem luna præparari debuisse, sed sacrificari, aut manducari non nisi decima quarta die lunæ circa vesperam poterat; cujus mysterium, proposito nostro plurimum serviens, hoc est, quia luna quæ bonorum terrenorum et sublunarium symbolum est, mox ut ad sui plenitudinem pertigit, deficere et decrescere incipit; unde Aguum in tempore plenilunii mandncari debuisse, significat, Agnum immaculatum Eucharisticum tunc animabus fidelium præcipue proficuum esse, cum luna decrescit, id est, quando homo omnium bonorum terrenorum nauseam concipit. Considerandum quoque est, quod S. Joannes, priusquam institutionem hujus sacratissimi mysterii in ultima Cœna factam recenseret, sequentia verba de Christo præmiserit [1]: *ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*; ipsemet quoque Salvator ante sanctissimi hujus sacramenti institutionem de semeptiso ait [2]: *jam non sum in mundo*: ad denotandum, quod ad fructuosam hujus sacramenti sumptionem necessum sit, ut homo ab omnibus hujus mundi rebus, monte, et animi affectu alienus existat.

**6.** — Magna illa Cœna, ad quam multi invitati fuerant [3], sacrosanctum hoc convivium Eucharisticum præfigurabat. Unde Albertus Magnus ait [4]: « Cœna est in Eucharistia recepta ab altari, et hæc « est in gratiæ ubertate. » Ac proinde notandum quod iuter multos, qui huic mensæ accumbere inciviliter detrectarunt, unus et quidem primus ille fuerit, qui villam sibi emendo compararat; unde sacer textus ait: *Primus dixit ei, villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam*: Sic quoque qui bonis hisce terrenis corde immersi sunt, facile cœlestis hujus mannæ nauseam concipiunt; de quibus proinde Glossa ait: « *Villa*, id est terrena « substantia; exit ergo videre illam, qui sola exte- « riora cogitat. » Quod si inurbanus homo ille invitationem, qua dignatus fuerat, reverenter acceptasset, utique corde suo villæ a se emptæ non ita tenaciter adhæsisset, quia inter alios fructus quos hoc sacramentum operatur, unus est, et quidem valde præcipuus, ob omnibus rebus terrenis animi aversio: unde sanctus Laurentius Justinianus ait [5]: « Ex hujus sumptione devota, terrena vi- « lescunt. Sic Theophylactus optime considerat, quod Christus in ultima Cœna consecrato calice Apostolis dixerit [6]: *Dico autem vobis*: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum,*

[1] Gen., xiv, 22. — [2] S. Cyr. Alex., *in Coll.*, c. 6.

[1] Joann., xiii, 1. — [2] Luc., xiv, 18, — [3] Id., *ibid.* — [4] Alb. Magn., *ib.* — [5] S. Laurent. Just., s. *de Euch.*— [6] Theoph., *ib.*

*cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei;* hisque consideratis, idem Theophylactus ad præsens institutum subjungit [1] : « Sumpto poculo renuntiat « corporali poculo ; » voluit namque Dominus post consecrationem et sacramentalium illarum corporis sui specierum sumptionem, nos omnes per hoc docere, quod sicut ille a tempore sumptæ Eucharistiæ imposterum fastiditurus esset terrena, ita quoque omnia et nos cœlesti hoc pane satiati, ad ejus imitationem cæpas carnesque Ægypti nauseare, et farinam ejus aspernari debeamus, quocumque e mentibus nostris exulante de mundanis cogitatu. Unde et Ecclesia in oratione Postcommunionis Domin. VI post Epiphaniam ita nos diviuæ Majestati supplicare docet : « Cœlestibus Domine pasti deliciis, quæ- « sumus, ut semper ea per quæ veraciter vivimus « appetamus. » Quem pariter effectum cognovisse videtur ille, qui de Eucharistia in Spiritus disserens dicebat [2] : *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos voltians* ; qui enim ab Aquila ad volandum provocantur, nisi animæ fideles Christum in Eucharistia recipientes, quæ tamquam Aquila cœlestia nobis imprimit desideria et affectus ? Quem nobis conceptum his verbis expressum reliquit Divus Chrysostomus, dum ait [3] : « Inde effecti « aquilæ ad cœlum evolamus, ubi enim cadaver, « illic et aquilæ ; cadaver corpus suum vocitans « propter mortem aquilas vocat, ostendens, quod « oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, esse « sublimem, et cum terra nihil habere commune « neque deorsum trahi et serpere, sed assidue sur- « sum volare. » Hanc specialissimam aliquando gratiam Zachæus adeptus fuit, ut incarnatum Salvatorem hospitio mereretur excipere, animæ Christianæ typus, quæ eumdem in domum recipit pectoris sui ; sed qualem ab eo præmissam fuisse putatis dispositionem, ut quam dignissime Dominum suas reciperet in ædes ? Respondet Scriptura sacra : *Ascendit in arborem*, quia nimirum ut S. Ambrosius concludit [4] : « Nemo potest Jesum videre constitu- « tus in terra, » utique multo minus gustare quis, et cum utilitate suscipere poterit divinum hunc panem, qui inter hæc humilis serpit terrena bona. ideoque contextum prosequens, idem sanctus Doctor subjungit : « Vanitatem proterens, ideo Jesum « interioris domus recipit hospitio. » Qualem vero effectum in ædes admissus operatus fuit Salvator ? Abdicationem videlicet omnimodam, et heroicam omnium bonorum aspernationem, prout ex sequentibus deducitur Zachæi verbis, dicentis : *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Non enim medietatem promittit substantiæ suæ in tempore futuro quemadmodum aliqui per Testamenta statuunt in agone, sed in tempore præsenti, ait : *Do reddo*, modo, absque dilatione, nè minimo moræ interposito momento? Ecce vobis fructum, quem Christus operatus est in eo, qui ipsum *interioris domus recipit hospitio.* Quis lucra magis sectabatur temporalia, quam S. Matthæus [1] quem Glossa describit : « sedentem in telonio, et lucris « pertinaciter inhiantem ? » sed vix præparato Christum exceperat convivio, quando cuncta præsentia fastidiens, *relictis omnibus secutus est Jesum.*

**7.** — Nescio, si quandoquc observaverltis, quod immediate ante Eucharistiæ institutionem in collegio Apostolico quædam se insinuarit animorum dissensio [2]: *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Judam avaritia, Apostolos reliquos ambitio seduxerat. Conveniens igitur antidotum malis istis sapiens assignaturus Magister, sunm iis tradidit sacratissimum corpus dicente S. Augustino [3]: « Unde commendavit corpus et sanguinem « suum? De humilitate sua ; nisi enim esset humilis, « nec manducaretur, nec biberetur; semetipsum exi- « nanivit ut manducaret panem Angelorum homo. » Ecce namque Deum Majestatis, *quem adorant Dominationes, tremunt Potestates*, sub panis atomo reclusum, ut cibet vermem ; an non hoc ipsum sufficiens erat contra quamcumque elationem remedium? Porro cibum Eucharistiæ terrenornm inducere oblivionem, juxta Alberti commentarium [4] psalmista pariter confirmat, dum ait [5]: *Calix meus inebrians quam præclarus est !* quia scilicet, ut præfatus Doctor subjungit : « Bibentes Domini calicem inebriabuntur ad oblivionem sui, et terrenorum. Qui idem auctor alio in loco de Annæ cantico agens, Annæ nominis primo ethymologiam, quod *gratiam* denotat, indagans ; exinde ad illa se confert ejusdem sanctæ matronæ examinanda verba [6] : *Repleti prius pro panibus se locaverunt et fameliei saturati sunt.* Quæ ita præsenti accomodat discursui : » Qui enim prius « in gluvie ventris repleti sunt, et pro panibus se « locant, temporalem quærentes saturitatem, nihil « penitus gratiæ saturantis, et confortantis acci- « piunt. Famelici cibum Domini desiderantes satu- « rantur, et confortantur. Et hoc idem dicit nostra « illuminatrix Maria Annæ, hoc est, gratiæ filia, « *Lucæ*, II : *Esurientes implevit bonis et divites*, suffi- « cientiam in temporali refectione quærentes, *dimi- « sit inanes.* »

**8.** — Quos villæ emptores, et nupturieutes, qnos jugorum, et aratrorum cultores parabolice nobis Veritas exhibet incarnata homines denotant temporalibus immersos, qui propterea a magna illa cœna exclusi sunt, velut ea indigni [7]: *Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam* : quia scilicet vacuum requirit stomachum panis ille cœlestis, modo eum cum appetitu, et profectu gustare voluerimus ;

[1] THEOPH., *ib.* — [2] DEUT., XXXII, 11. — [3] D. CHRYS, h. 25 in I *ad Cor.* — [4] S. AMB., l. VIII *in Luc.*

[1] MARC., IX, 9. — [2] LUC., XXII, 24. — [3] S. AUG., *in Ps.* XXXIII. — [4] ALB. MAG., tr 3 *de Miss.* — [5] *Ps.* XXII, 5. — [6] I REG., II. 5. — [7] LUC., XIV.

vel ipso teste Psalmista, dum ait [1]: *Edent pauperes, et saturabuntur* « quia non comedunt eum spiritua- « liter, » inquit Hugo Cardinalis, « nisi pauperes. » Ast quinam illi sunt pauperes ? « Pauperes con- « temptores divitiarum » subjungit præfatus pur- puratus scriptor : illi scilicet, qui corde, et affectu bona aspernantes terrena, solis inhiant cœlestibus, hique omnes ad magnam illam admittuntur cœnam scilicet pauperes admodum felices ; quoniam ut S. Gregorius resolvit [2]: « Tanto celerius aliqui vocem « Dei audiunt, quanto in hoc mundo non habent, « in quo delectentur. » Cui illa consonat S. Ambrosii sententia, dicentis, quod [3] « rarius delinquunt, cui « desit illecebra. » Deficiente namque Ægyptiaca farina, fructuosius incorporatur, et digeritur cœ- leste hoc manna, quo aliquando illectus Psalmista, canebat : *Parasti in dulcedine tua* ; ast cui sua- vissimum hunc panem præparatum fuisse creditis: respondet ipse : *Pauperi*. Et in quadam Antiphona canit Ecclesia : Esurientes reples bonis, fastidiosos « divites dimittens inanes. » Quo quis enim a terre- nis magis exutus est bonis, eo magis dispositus est, ut pascatur cœlestibus ; ideoque celebris illa cir- cumfertur S. Maximi sententia, qua ait [5]: « Chris- « tianus qui mundum non possidet, hic totum pos- « sidet Salvatorem. » Ita, experientia teste, per omnium sæculorum cursum religiosi paupertatis voto obstricti, reliquisque observationes, quo magis a mundo sequestrati vixere, tanto majorem præ omnibus aliis ex communione sacra percepere fructum tamquam Aquilæ vitam ducentes sublimem in contemplationibus sanctis, qui veraciter sunt illi, de quibus Psalmista ait [6]: *Edent pauperes, et satu- rabuntur, laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in sæculum sæculi*, siquidem nec die neque nocte a Psalmis laudibusque divinis in choro desistunt, Deum in Spiritu in devotione in- vestigantes, atque ideo dicitur : *Requirent Dominum* dumque hac ratione beatam acquirunt vitam, *vi- vent corda eorum in sæculum sæculi*. Ast forte quia pauperes voluntarii sunt, quicquam iis deficere ar- bitramini ? Responsum a Salmerone his verbis excipite [7]: « Temporalia bona nobis minime defu- « tura, satis comprobat hæc tam larga, et incom- « prehensa liberalitas ; nam qui nos suo corpore, « et sanguine pascit, quomodo modica hæc, et « contemptibilia hujus mundi bona ad tuendam « vitam denegabit ? » Cui confirmando non abs re fuerit, illum in discursu præcedenti insinuatum re- petere textum [8] : *Primum quærite regnum Dei* : per quæ verba Christus corpus suum intellexit. Quid vero eum subjunxisse creditis, ut eos, qui mundo renuntiant, Deo adhæsuri, in spe corroboret ? *Et hæc omnia adjicientur vobis* ; neque huic veritati enucleandæ latius inhærere libet, siquidem histo- riæ sacræ multipliciter donent, religiosos illos, qui ante omnia cœlestis hujus panis nutrimentum ambierunt, sæpe sæpius et miraculose de pane provisos fuisse corporali, ut in iis verificaretur illud Psalmistæ [1]: *Et famelici saturati sunt*, quia nimirum qui sponte penuriam patitur bonorum terrestrium, stomachum cœlesti huic cibo gustando, et deliciis ejus usque ad satietatem fruendis dispositum habet præterquam quod ei panem corporalem divina lar- giatur providentia, ideoque S. Augustinus nos ex- hortatur, dicens [2]: « Magis inopes sint, ut saturati « mereantur : quærite Dominum inopes, et esurite « ipse enim est Panis *vivus qui de cælo descendit*. »

*Ps.* XXI, 27. — [2] S. GREG., h. 36 *in Evang.* — [3] S. AMBR., *in Luc.* — [4] *Ps.* LXVII, 11. — [5] S. MAX., *de Juda et latrone.* — [6] *Ps.* XXI, 27. — [7] SALM., t. IX, tr. 26. — [8] MATT., VI, 32.

## DISCURSUS XI.

DE SPIRITUALIBUS MENSÆ EUCHARISTICÆ SUAVITATIBUS, QUAS TAMEN NON PARTICIPANT OMNES ; CUJUS DIFFE- RENTIÆ, VARIÆ ASSIGNANTUR RATIONES.

IDEA SERMONIS. — 1. In S. Eucharistia continetur summa spiritualis dulcedo. — 2. Tanta est ut expli- cari nequeat. Hanc in sumptione sacri sanguinis expertus fuit S. Phil. Ner. — 3. Isaias nos invitat ad gustandas delicias hujus cœlestis panis. Com- mendat eumdem cibum Salomon. — 4. Quid intelli- gatur per ubera sponsæ, meliora vino. S. Euch. præ figurata per mel, inventum in ore leonis. — 5. Quo modo sit adipe frumenti. Est convivium pinguium. Dulcedinem ejus singulariter expertus fuit. S. Phil. Nerius. Et L. Brund. Capuc. Similiter S. Maria Mag- dalena de Pazzis. B. Angela de Fulginio. Adstruitur eadem dulcedo variis Doctorum et Patrum sententiis. — Alia exempla. — 8. Rup. abb. character sacerdo- talis impressus divinitus ex quo summam percepit suavitatem. — 9. Ratio cur omnes, in sacra Comm. eamdem non percipiant suavitatem. S. Communio- nem præcedat myrrha mortificationis.

*Paratum panem de cælo præstitisti, omne delectamen- tum in se habentem et omnis saporis suavitatem.* Sap., XVI, 20.

**1.** — Ecclesia sancta Dei suavitatem e pane Eu- charistico in fideles redundantem expressura, epi- thetis utitur saporum et inexplicabilium gustuum Manna significativis, cujus in hæc verba meminit Sapiens : *Paratum panem de cælo, etc.* S. vero Cy- prianus in Tractatu *de Cœna Domini*, nullam inter Manna et Eucharistiæ gustum proportionem esse resolvit, dicens [3] : « Sapit amplius quam Manna, « implet et sapit edentium appetitus et omnia car- « nalium saporum irritamenta, et omnium exsu- « perat dulcedinum voluptates, » quibus divinum hunc panem cœlestis condiit Architriclinus, dicente

[1] *Ps.* LXVII, 30, — [2] S. AUG., *ib.*, conc. 2. — [3] S. CYP., *de Cœna Dom.*

Alberto Magno [1]: « Saporem gratiosum valde habet « ex Deitate, hoc sapore omnibus præfertur delec- « tabilibus, nec aliquid est, quod comparari possit « delectationi hujus sacramenti, » quod illa Psalmistæ auctoritate : *Delectare in Domino et dabit tibi petitiones cordis tui,* confirmat, dicens : « Si enim « delectatio est, ut ait Aspasius, diffusio naturæ « super gustum maxime conveniens, inestimabilem « convenit esse delectationem super gustum Deita- « tatis, in omni gratia et in omni bono refectum.» In sequenti pariter capitulo eumdem hunc panem a Spiritu Sancto suavitatem suam et dulcedinem accepisse docens, subjungit [2] : « De bonitate Spi- « ritus Sancti per quam iste cibus est conditus, « quia ipse est Patris et Filii delectatio et condi- « mentum, ut dicitur *Sap.*, XII : *O quam bonus et « suavis est, Domine, Spiritus tuus.* » Omnes alii gustus et consolationes spirituales, quotquot ex cœteris divinis vitæ et actionum Salvatoris mysteriis degustant fidelium animæ, in ordine ad Eucharistiam, veluti aquæ comparantur, transmissæ per tubos, si differentiam illarum cogitemus, quæ naturaliter et directo ex ipso vivo fonte abundanter dimanant.

**2.** — Angelicus Doctor ab Urbano IV (qui per totam Christianitatem corporis Christi solemnitatem instituit universalem) ad divinum de eadem festivitate officium compilandum electus, dum præsens agitare incipit punctum [3] : « Suavitatem « hujus sacramenti, » inquit, « nullus digne ex- « primere sufficit, per quod spiritalis dulcedo in « suo fonte gustatur ; » cujus etiam internas dulcedines his aliqualiter expressit verbis S. Cyprianus [4]: « Per quod sic imprimimus et relinqui mus dulce- « dinem charitatis, ut hæreat palato nostro et « visceribus, sapor dilectionis infusus, penetrans et « imbuens omnes animæ corporisque recessus. » Qui singulariter favor sancto obtigit Philippo Nerio qui inter alios admirabiles sacræ Communionis effectus, eximiam in ejus perceptione experiebatur dulcedinem, omnes illos actus exercere solitus, qui ab eo frequentari possunt, quem suavissimi epuli oblectat gustus; sanguinem sumendo, calicem tanta cum aviditate lambebat et sugebat, ut nescio quid saccharei saporis ex eo libasse videri potuisset, idque tanta cum vehementia, ut in superioribus calicis labiis, non solum aurum quo calix inauratus fuerat, sed et ipsum quoque argentum, relictis in eo impressis dentium vestigiis, consumpserit et detriverit. Nec immerito, nam ut Albertus Magnus ait [5] : « Quantæ putas dulcedinis est sanguis hujus « sacramenti, qui de tam dulci fonte manavit et a « tam dulci fonte hauriente in tam dulce vas est « transfusus? Fons enim hujus sanguinis est san- « guis in visceribus gloriosæ virginis contentus, « hauriens hunc fontem Spiritus Sanctus est ; vas « in quod transfunditur, corpus Dominicum est, ex « quo etiam manat in sacramentum et ex sacra- « mento in corda fidelium. »

**3.** — Isaias, qui per antonomasiam propheta evangelicus appellatur, eo quod eventus novæ legis gratiæ vaticinatus fuerit, nos exhortatur, ut si delectatione perfundi et impinguari desideremus, id manducemus quod bonum est [1] : *Comedite bonum et delectabitur iu crassitudine anima vestra.* Non est autem verisimile, Prophetam hoc loco gulam nostram in ordine ad cibos et fercula terrena per appetitum vitiosum excitare voluisse, quid igitur Propheta prædictis verbis, nos exortans ad manducandum bonum, nobis indicare voluit? Porro aliud quoddam oraculum propheticum dubium hoc explicare videtur ; quærit enim Zacharias propheta [2]: *Quid enim bonum ejus est et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* Ecclesiastes quoque ait [3] : *Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis et bibat.* Enimvero valde olim inter se Philosophi morales opinionibus discrepabant, quando hæc agitabatur quæstio, in quonam summum bonum consisteret; etenim alii hoc in divitiis, alii in voluptatibus, alii in virtutibus, Salomon vero adeo superne illuminatus, ipsum in potu et cibo collocandum esse censuit ; in cibo utique et potu non corporali, siquidem *non est regnum Dei esca et potus*, ut inquit Apostolus [4], quo cum sapientissimus ille Rex, Dei, non vero Epicuri scholam profitebatur ; ac proinde S. Thomas, dum alia illa ejusdem Ecclesiastæ ponderat verba [5] : *Laudavi igitur lætitiam, quod non esset homini bonum sub sole nisi quod comederet et biberet, atque gauderet* ; omnem his verbis enodat difficultatem [6] : « Laudavi « præ omnibus *lætitiam* veram, *quod non esset ho-* « *mini sub sole melius* in hoc mundo, *nisi quod co-* « *mederet, panem* scilicet *qui de cœlo descendit et* « *biberet vinum, quod lætificat cor hominis,* scilicet « sanguinem Domini. » Quando namque Ecclesiastes, divinitus illuminatus, ad hoc se reflectit Sacramentum, ejusdemque sapores obstupescit et delicias, confiteri et protestari non dubitat, omnes mundi gustus et gaudia, delicias item et suavitates in hoc recludi Eucharistico pane.

**4.** — Theodoretus eidem suffragaturus argumento, ad Cantica Canticorum se confert, ubi idem Salomon, postquam dixisset [7] : *Osculetur me osculo oris sui* (quæ verba S. Ambrosius ut in discursu octavo diximus, de hoc sacramento intelligenda esse docet) immediate subjungit: *Quia meliora sunt ubera tua vino.* Quem textum dictus auctor nostro accommodat proposito, dum ait [8] : « *Bona ubera tua* « *super vinum* ; figurate lætitiam vinum appellavit,

[1] ALB. MAG., *de Euch.* — [2] ID., c. 3, n. 3. — [3] S. TH., op. 57. — [4] S. CYPR., *ib.* — [5] ALB. MAG., d. 3, tr. 1.

[1] ISA., LV, 22. — [2] ZACH., IX, 17. — [3] ECCL., V, 17. — [4] ROM., XIV, 17. — [5] ECCLE., VIII, 15. — [6] S. THOMAS, op. 58. — [7] CANT., I, 1. — [8] THEOD., *ib.*

« ut cunctis humanis voluptatibus præstare declararet lætitiam illam, quæ ex ipsius donis ad pios proficiscitur. Quod si *ubera* mystice etiam vis intelligere, per ubera illa admiranda et vino præstantiora, cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus omnes nos pietatis alumni nutrimur. » Et merito quidem quia ut S. Cyprianus de sanguine Eucharistico tractans concludit [1] : « Animam meri hujus fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat et delectat. » Cujus dulcedo quam convenienter, et accommode in suavissimo illo melle, quod in leonis a se discerpti faucibus reperit Sampson, figurata fuerit, ex sequenti discamus Alberti Magni discursu, inquientis [2] : « Pater cœlestis in dulcedine sua dulciter cogitans de nobis, percussit, hoc est percuti fecit hanc victimam dulcissimam, Leonem de tribu Juda et nobis parari in edulium, in qua de comedente, hoc est, de eo qui in sacramento nos sibi incorporat, exit dulcedinis cibus et de forti nostro propugnatore ad salutem tanta est egressa dulcedo ; quicquid enim est in hoc sacramento, dulcedine plenum est. » Unde et Propheta Regius aliquando in extasi, per spiritum propheticum, divinum hunc prævidens calicem, se continere non poterat, quin exclamaret dicens [3] : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, qu m abscondisti timentibus te !* eam vero occultatam astruit, quia scilicet externi oculi nostri nullum de iis judicium ferre possunt. Unde et alibi nuncupatur : *Manna absconditum, quod nemo scit, isi qui accipit,* utpote s ub velo delitescens accidentium sacramentalium : « Prægustata dulcedine ejus, » inquit S. Bernardinus [4], « stupens Propheta clamat : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti,* id est, in hoc sacramento abscondite tribuisti *timentibus te.* » Quo eodem in loco idem Sanctus sacramenti hujus institutionis finem assignat, dicens : « Hoc est sacramentum, quod, ut mens spiritualiter delectetur, saginetur et impinguetur, a Domino misericordiater largitum est. »

**5.** — Anima equidem nullam, nisi in solo Deo, veram voluptatem et consolationem reperire potest quoniam ipse est *Deus totius consolationis.* Ecce igittur vobis realem ejusdem Dei in Eucharistia præsentiam, qui, ut David sacramenti hujus contemplationi immersus de fidelibus novæ legis ait [5] : *Cibavit eos ex adipe frumenti, de petra melle saturavit eos.* Ubi singularem notam meretur verbum, *adipe,* quod nomen carni potius, quam frumento competere videtur ; ast propheta ad hoc sacratissimum alludebat Christi corpus, quod animam inexplicabilibus impinguat suavitatibus et saporibus ; cujus delicias fusius enarraturus Salmeron, illa in medium adducit Scripturæ verba : *Convivium pinguium* ; circa quæ talem format discursum [1] : « Perpende, Deum in veteri Testamento omnem animalium meliorem bonum sibi exigisse : *Omnis,* inquit, *adeps Domini erit.* Quod in veteri lege tantopere ambiret adipem, erat in pignus, quod ipse erat nobis daturus pinguia sua, atque medullas suas ; *Cibavit ex adipe frumenti.* » Quam veritatem B. Mathildis penetrasse se docuit, cum diceret [2] : « Si homo agnosceret, quanta salus ex corpore Christi provenit, præ lætitia in se defi- ceret. » Quam illecebrarum exuberantiam sæpius expertus est S. Philippus Nerius, qui cum sæpe mortuus crederetur, cucurbitæ ignitæ illi applicatæ fuere in experimentum superstitis vitæ, qui dum sibi restitueretur compos, dicere solebat : « Utinam valeant intelligere infirmitatem meam. » Poterat equidem cum alia quadam sancta anima gloriari et dicere [3] : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* ; Missam enim celebrans ex indultu Pontificio in Capella quadam privata, dum ad Communionem pertingeret, multis subsistebat horis, Clericoque dimisso, cum solo solus agebat Deo vultu expallescente et mortui instar concidente. Qui utique sanctæ hujus et excessivæ lætitiæ erat effectus.

**6.** — Capuccinus quidam, nomine Laurentius Brundusius, ut P. Rho refert [4], octo continuis horis post Communionem inter suavissimas deliciari consueverat extases ; qui licet gravi premeretur malo podagræ, Missæ nihilominus servitium summas delicias computabat : vere utique devotus hic Dei servus illas degustare visus est panis sacramentalis illecebras, quas S. Laurentius Justinianus de mystico hoc Manna agens, paucis sequentibus expressit verbis [5] : « Exhibuit se, » inquit, « ut tecum habitet, ut de te lætetur ; suis tecum deliciis perfruatur, quemadmodum in Sapientiæ volumine testatur, dicens : *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum* ; non quidem ut suas a filiis hominum captet delicias, sed ut cum filiis hominum communicet proprias. » De eodem quoque Dei servo idem tradit auctor, quod dum in sacra æde Lauretana Missæ sacrificio inserviret, perpetuis fluebat lachrymis, quas illi admirabilis quædam eliquabat animi dulcedo. Porro de sancta et seraphica virgine Maria Magdalena de Pazzi Carmelitana, idem auctor tradit, quod in juvenili ætate a matre communicante avelli nequaquam potuerit ; qua de re interrogata respondit [1] : « Intimum latentis Dei vicinitate sensum voluptatis haurire, atque incredibili quem sentiret, odore Divinitatis recreari se mire, simpliciter respondit. » P. Bollandus de excessivis, quas B. Angela de Fulginio in mensa

[1] S. Cyp., *de Cœn. Dom* — [2] Alb. Mag., d. 1, c. 2. — [3] *Ps.* xxx, 2. — [4] S. Bern., t. II, s. 54, a. 1. — [5] *Psal.* lxxxii, 16.

[1] Salmer., t. IX, tr. 2. — [2] Lib. I *Vis.* B. Mathild. — [3] Cant., II, 5. — [4] P. Rho, *Hist. var.* — [5] S. Laurent. Just., ser. *de Euch.* — [5] P. Rho, *ib.*

sacramentali experiebatur consolationibus, prolixe discurrit. Inter alia vero ipsammet sanctam de se dicentem introducit : « Quando communico, hos-« tia extenditur in ore et non habet saporem panis, « nec carnis istius quam comedimus, sed alium « saporem carnis, sed saporis sapidissimi, quem « nescio assimilare alicui rei de hoc mundo. » In vita S. Theresiæ, cœlestem sponsum ei dixisse legimus [2] : « Fudi sanguinem cum multo dolore et ecce « tu eo frueris cum multis deliciis. » Fulbertus Carnotensis in quadam Epistola effectus Manna recensens, ait [3] : « Desiste mirari, quod legis Manna « sub umbra signabat, hoc Dominici corporis pan-« dit veritas patefacta, in quo deifica Majestas mi-« seranter nostræ infirmitati condescendit; in quo « alimenti genere corpora aluntur humana, idem « in corpore sensualiter sapiat, sed Deus in corpore « proficiat, sicut ipse ait : *Qui manducat me, ipse « vivet propter me.* » S. Laurentius Justinianus gaudia, quibus anima devota in hoc sponsalitio, quod in Eucharistia animam inter et divinum amantem contrahitur, perfundi solet, his verbis describit [4] : « Cujus vel ferreum pectus, aut adamantina mens « non liquescat præ devotione, cum Deum sibi et « se Deo senserit corporaliter unitum? Non capit « cor, lingua deficit, humanus sopitur sensus ad « investigandum tanti arcana mysterii. O quantæ « ibi deliciæ, quantus ardor, qualia verba, quam « vehemens amor, quam casti amplexus gustan-« tur ! » Enimvero si beatitudo Paradisi cælestis in Dei visione et fruitione consistit, in hoc sacramento vere beati erimus, siquidem per illud in animæ nostræ sinu complectimur Verbum et per concomitantiam duas alias personas divinas, atque insuper sacrosanctam Christi humanitatem, *in quam desiderant Angeli prospicere.* Unde S. Bernardus ait [5] : « Aliud est sequi Jesum et aliud tenere et « aliud manducare; sequi salubre consilium, tenere « et amplecti solemne gaudium, manducare vita « beata. » S. Paschasius illum Psalmistæ versum : *Adipe frumenti satiat te*, adducens, ait [6] : « De « quo nimirum frumento cœlestis illa Jerusalem « saginatur. Et notandum, quod hoc frumentum, « Corpus videlicet Christi, adipem habeat et non « solum adipem, sed et omnes delicias; unde quod « de petra typice emanavit, nunc mel nunc oleum « nunc aqua, nunc quoque potus dicitur, quia « quicquid prægustare spiritualiter potueris, hoc « totum ibidem invenies. »

**7.** — Joannes Saguntius, ordinis Eremitarum S, Augustini cultor, teste P. Rho [7], cœlesti hoc Pane ruens, tanta divinarum dulcedine voluptatum perfundebatur, ut inde ad arbitrium se non posset amoliri, quam ob causam diutissime perseverabat, sæpe replicans : Vere tu es Deus absconditus. S. Theresia pariter dicere consueverat, nullas omnino tribulationes et persecutiones cuicunque animæ, sacramenti hujus consolationes degustanti, accidere posse difficiles; ac proinde si salutare fuit Senecæ ad Lucillum transcriptum consilium, dicentis [1] : « Ne « gaudeas vanis; ad summa pervenit, qui scit quo « gaudeat. Hoc ante omnia fac, mi Lucile, disce « gaudere. Nolo tibi unquam deesse lætitiam, volo « illam tibi domi nasci; nascitur, si intra teipsum « sit; » si, inquam, hoc veritatis consentaneum est a gentili philosopho traditum consilium, quanto certius Paradisi in se multiplicabit lætitiam anima cœlesti hoc pabulo refecta? « Hanc dulcedinem Sponsa « gustaverat, » inquit S. Bernardinus [2], « quæ « (Cant., IV) ait : *Mel et lac sub lingua ejus*, id est, « dulcedinem reddit insipidam quæ est supra « linguam, ut testatur Augustinus, cum ait : Gus-« tato Spiritu desipit omnis caro. »

**8.** — S. Thomas de Villanova de Ruperto Abbate tradit, quod dum humilitatis instinctu characterem admittere sacerdotalem detrectaret, tandem agnitæ voluntati divinæ acquieturus, se consecrari permiserit. Ipsa autem nocte qua primum celebravit Missæ sacrificium, tali eum apparitione dignatus est Dominus [3]: « Nocte illi in somnis Christus apparuit » (verba sunt præfati sancti Archipræsulis) « corpore « quidem publicus, sed occultata facie, ut ab eo « vultus ejus videri non posset, qui ei membratim « sic impressus est, ut neque sigillum ceræ tam « intime imprimi posse videretur, tantaque fuit ex « hac impressione in eo orta delectatio, ut excita-« tus agnosceret, quia nisi cito voluptas illa per-« transisset, animam illius suo impetu secum a « corpore rapuisset; unde ex illa tunc experientia « se didicisse asserit, quam verum est, quod scrip-« tum legerat : *Non videbit me homo et vivet.* Im-« possibile enim videbatur, torrentem illum vo-« luptatis, viventem in carne spiritum diutius « sustinere posse. »

**9.** — Cur autem non omnibus, inquies, hujusmodi indulgentur suavitates ? Quæstioni huic satisfacit Sapiens, quando sub Manna allusione de Eucharistia tractans, ait [4] : *Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.* Ecce vobis illi qui talium participes fiant dulcedinum et saporum, Filii scilicet, non autem Deo rebelles. « Quis hodie cœlestis edulii dulcedinem « sentit, » interrogat S. Thomas de Villanova [5], « occultatur quandoque propter fidem, ut non huic « experientiæ nostra credulitas innitatur; sed fre-« quentius hoc nostra evenit tepiditate, quoniam « Ægypti farinula gustus infectus cœlestem non

[1] P. Bolland., 4 jan. — [2] L. IV *Vitæ* S. Ther., c. 12. — [3] Fulb. Carn., ep. 1. — [4] S. Laur. Just., *de discip. Monast.* — [5] S. Bern., ep. 190. — [6] S. Pasch., *de Corp. et sang. Dom.* — [7] P. Rho, *ib.*

[1] Senec., ep. 23. — [2] S. Bern., t. II. — [3] S. Thom. de Vill., conc. 1 *in Fer. Corp. Christi.* — [4] Sap., XVI, 21. — [5] S. Thom. de Vill., conc. 1.

« percipit alimoniam, sic enim a populo illo sapi-
« dus ille cibus gustatus non est, donec Ægypti
« farinula penitus consummaretur. » Ipse quoque Rupertus Abbas incredibiles Eucharistici panis delicias adumbraturus [1], illa citat Scripturæ verba : *Pinguis panis ejus præbebit delicias regibus.* Quæ verba ita nostro applicat proposito, dicens [2] : « Qui
« hujus pinguedine perfruitur, regibus, id est, eis
« qui semetipsos student regere, ut sint digni mensa
« regalis curiæ. » Cui subscribens S. Paschasius, hunc alium adducit Canticorum textum : *Vindemiavi myrrham, munducavi panem meum cum melle meo.* Quo penitius considerato, tandem ita ad nostrum concludit propositum : « Sed non prius panis
« comeditur, quam myrrha in nobis mortificationis
« turgescat et unguentum boni odoris naribus
« aspergatur. » Denique S. Bernardinus dictam Jacobi Patriarchæ ad Aser factam benedictionem (*Pinguis panis ejus*) examinans, sequentem, proposito nostro congruum, format discursum [3] : « Quid
« enim per pinguedinem, nisi devotionis dulcedo
« exprimitur? Hanc dulcedinem, seu pinguedinem
« hoc sacramentum mentibus ferventibus præstat. »
Quo fine Psalmistæ locum adducens [4] : *Impinguasti in oleo caput meum et calix meus inebrians quam præclarus est!* tandem subdit : « *Impinguasti in oleo,*
« scilicet ardentis devotionis, *caput meum,* id est,
« mentem meam : *Et calix meus,* id est, qui per
« condignam præparationem factus est meus, *quam*
« *præclarus est,* id est, quam delectabilis intellectui
« atque affectui? » Notandum autem, quod primo dicat, « mentibus ferventibus ; » et postea subjungat : « Condignam præparationem ; » necessum est enim, ut per præviam ferventium orationum, vigiliarum, mortificationum et austeritatum præparationem, nos ad eas delicias degustandas disponamus : tunc enim quilibet in se experietur saporem illum, de quo dicitur [5] : *Fructus ejus dulcis gutturi meo,* id est, ut interpretatur Rupertus abbas [6] : *cordi meo.* Ast quem putatis dicti favoris fuisse participem? Sola illum percepit cœlestis dilecti Sponsa, animæ puræ immaculatæ, Deumque amantis symbolum, quæ proinde non indefinite dicit : *Dulcis gutturi,* sed : *gutturi meo,* quia scilicet non omnibus hujusmodi communicantur spiritus suavitates, sed iis dumtaxat animabus, quæ Christo desponsari merentur.

## DISCURSUS XII

### DE VARIIS SACRAMENTUM HOC INTER ET MEL ALLUSIONIBUS DISSERITUR

IDEA SERMONIS. — 1. Aqua ex petra elicita vocatur mel ejusque analogia cum sacram. Euch. — 2. Favum mellis est symbolum S. Euch. — 3. Sicuti etiam margaritæ. — 4. Compositio mellis est inconceptibilis et ineffabilis. — 5. Apes dicuntur virgines et hoc sacr. ex virginis carne desumptum est. — 6. Mel desumitur ex floribus : Verbum incarnatum nominatur flos. — 7. Substantia florum in mel conversa utilis fit et suavis. — 8. Mel continet virtutem innumerabilium florum, sic etiam S. Euch. — 9. Mel deservit pro medicamentis. Et hoc sacr. est divina medicina. — 10. Apes colligunt rorem ante solis ortum. — 11. Mel sapidius est palato, ante amaricato Christus non gustavit mel, nisi post fel. Sic communioni præmittenda memoria passionis Christi. — 12. Mel repertum in ore leonis præfiguravit S. Euch. Ænigma Samsonis de melle isto. — 13. Aliæ applicationes mellis ad S. Euch. — 14. Mel est nocivum stomacho male disposito. Sic et S. communio indigne communicantibus.

*De petra, melle saturavit eos.* Ps. VIII, 17

**1.** — Regius Psalmista de aqua, quam Deus olim de petra in deserto ad aridas stibundi populi Israelitici fauces irrigandas manere fecit, disserens, Deum illos melle saturasse dicit [1] : *De petra, melle saturavit eos, etc.* At vero ex quo hic e petra scaturiens elementaris liquor vera aqua fuit, e petræ duritie elicita, cur eidem mellis nomen attribuit? Nimirum ob elementi hujus, miraculose et natura adversante producti, saporis suavitatem et melleam dulcedinem, nam ut quidam Interpres [1] ait : « Dulcis ut mel videbatur. » Porro, Ecclesia sancta in sacratissimi Corporis Christi festivitate, ad Eucharistiæ sacramentum alludure volens, in officio divino dicta sæpe verba usurpat. Quæ proinde Lyranus ita explicanda censet [2] : « Sacramento
« Eucharistiæ saturavit eos. » Quemodmodum enim aqua ad instar mellis e saxo prorupit, ita pariter sacramentum ab eo productum fuit, de quo Apostolus ait [3] ; *Petra autem erat Christus.* Enimvero si S. Scripturæ sanctorumque Doctorum pervestigare flores voluerimus, diversas mel inter et sacrosanctum hoc divinumque mysterium, facile erit reperire analogias.

**2.** — Et quidem in primis Sponsa in Canticis sancte gloriatur, dicens [4] : *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici et bibite.* Quæ verba, si in persona cœlestis amatoris dicta fuisse credere velimus, *ad litteram* verificantur ; ipse namque, dum Eucharistiam sub panis et vini specie instituit, primus ejusdem particeps extitit : ideoque merito dicere potuit : *Bibi vinum meum cum melle meo.* Septuaginta vero pro verbo, *favum, panem* legendum autumant. Si vero eadem verba in persona Sponsæ prolata fuisse dicantur, facilis pariter eorumdem est applicatio ; per Sponsam enim Ecclesia intelligitur, quæ sub favi mellisque symbolo Panem denotat Eucharisticum ; cui in Tractatu de sacramentis assentiens S.

[1] RUP. ABB., *de Tr. et oper.* — [2] S. PASCH., *ib.* — [3] S. BERN. — [4] *Ps.* XXII, 5. — [5] CANT., II, 3. — [6] RUP. ABB., l. I in c. 2.

[1] LORIN., *ib.* — [2] LYR., *ib.* — [3] I COR., X, 4. — [4] CANT., IV, 1.

Ambrosius, ait[1]: « Vides, quod in hoc pane nulla « sit amaritudo, sed omnis suavitas. »

**3.** — *Melle.* Plinius de *Margaritis* scribens, *majorem*, ait, *eis cœli societatem esse, quam aeris*; quamvis enim margaritæ in conchis super aquas marinas nascantur et alantur, nihilominus majorem cum cœlo, quam cum mari communicationem habent, siquidem margaritam mediante rore cœlesti concipiunt et generant, cœlitus iis infuso. Ita quoque in dubium revocari potest, an mel cœli potius, quam terræ opus sit ; quantumvis enim apes supra flores volitent, eos tamen non manducant, nec iis se pascunt, sed pretiosum iis ingenitum colligunt liquorem, rorem exsugunt, qualitates virtutesque eorum imbibunt, adeoque concludere licet, ad mellis confectionem cœlum simul terramque concurrere : unde et Virgilius canit : « Aeri melle « cœlestia dona. » Eodem pariter modo, etiamsi Panis ille de cœlo venerit, dicente Christo : *Hic est Panis qui de cœlo descendit*, quia Verbum in sinu degebat Patris ; iterum, quia quantumvis in utero materno cœlestis roris beneficio Panis iste pistus fuerit, dicente Scriptura sacra : *Rorate cœli de super*; *Spiritus Sanctus superveniet in te*; *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est* : nihilominus etiam terra virginalis germinavit, nutrivit et ad maturitatem hoc ipsum de Paradisi granario translatum frumentum, ut dictus ex eo Panis conficeratur, perduxit ; idoque dicitur[2]: *Etenim Dominus dabit benignitatem et terra nostra dabit fructum suum*; quia scilicet sanguis et caro illa, nostri nutritiva, fructus est ventris materni, cui Ecclesia applaudit, dicens : *Benedictus fructus ventris tui.*

**4.** — *Melle.* Tam admiranda atque ineffabilis mellis est compositio, ut scriptorum plurimi fusius de eo tractare non dubitarint. P. Granatensis, in introductione ad symbolum, fusius in hanc se dilatans materiam, omnipotentiam et sapientam divinam hoc in artificio, omnem humanam intelligentiam transcendente, totque aliis naturæ operibus superiore, obstupescens, auctoritatem adducit Plinii narrantis, quod Aristomachus philosophus per LVIII annos in campis et agris degens, qualitates, instinctus, gubernium, industriam, cunctasque alias innumeras apium qualitates penetrare studuerit, nec tamen unquam illarum plenam hauserit notitiam, dum semper nova in iisdem documenta ediscenda restarent. Ita pariter in præsenti, quis nescit increatam Sapientiam et Altissimi omnipotentiam in hoc sacramento tamquam in epilogo omnia restrinxisse, non modo possibilia, sed et imaginabilia miracula, dicente Psalmista : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se* ? Cujus mysterii imperceptibilatem his utcumque verbis explicat Paschasius dicens[3] : « Ubi « si rationem quæris, quis explicare poterit ; aut « verbis comprehendere ? Imo scias quæso, quia ra- « tio in virtute Christi est, scientia in fide, causa in « potestate, effectus vero in voluntate ; quod poten- « tia Divinitatis contra naturam, ultra nostræ « rationis capacitatem efficaciter operatur. » Cui asserto et illa consonat S. Bonaventuræ sententia, qua dicit[1] : « Licet mille millibus annorum te ad « hoc sacramentum præparaveris, nihil esset ad « condignam susceptionem. » Unde et P. Rho de Joanne Avila attestatur [2], quod postquam *per annos* XL *de hoc mysterio dissertissime ad concionem dixisset, nunquam sibi ad dicendum materiam defuturum crederet.*

**5.** — *Melle.* Alias inter apium mel fabricantium qualitate, singularis præeminet illa, qua virgines esse perhibentur. Corpus pariter Filii virginis, quod in hoc sacramento recipimus, virginitatis conceptus est, dicente Suarez[3], juxta communem Scholasticorum doctrinam. « Facile credi potest, « illam substantiam carnis, quam Christus assump- « sit ex virgine, nunquam fuisse omnino dimissam, « aut continuo caloris naturalis actione resolutam, « sed eamdem omnino fuisse conservatam et Verbo « Dei unitam : » In cujus probationem præclara illa deservit S. Augustini sententia, dicentis : « Caro « Christi, caro est Mariæ, quamvis gloria Resurrec- « tionis fuerit magnifica, eadem tamen mansit, quæ « suscepta est ex Maria. »

**6.** — *Melle.* Liquor iste e flore haustus et in mel sublimatus fuit. Quis pariter nescit, Verbum incarnatum florem denominari, quod de seipso dicit[4] : *Ego flos campi ?* suam autem sponsam hortum muncupat occlusum, dicens[5] : *Hortus conclusus soror mea sponsa* ; quo in horto[6] *pascitur inter lilia et floribus stipatur.* Ingeniosa equidem in præsenti sn insinuat Clementis Alexandrini observatio, dicentis[7] : Salvatorem nostrum apis instar operari, quæ supra varios circum volitans flores verbi gratia rosmarinum, rosam, violam, thymum, aliosque similes, quasi nobilem hortulano factura restitutionem, dictorum florum substantiam imbibitam in mel transmutat, materiam incompatibiliter nobiliorem. « Apes ex horto colligunt flores, » inquit prædictus auctor, « et postea quod ex floribus colle- « runt, favo dulcissimo persolvunt. » Mystica vero apis, Verbum scilicet incarnatum, supra florem consedit horti illius, qui dicitur[8] : *Hortus conclusus*, in Paradiso consedit deliciarum, cui dicitur : *Emissiones tuæ paradisus*, carnem accepit et sanguinem Mariæ Virginis, quam illi, totique generi humano restituere voluit in hoc sacramentali mellis favo impassibilem, gloriosam et immortalem cum beatissima anima sua, divinitate et sanctissimæ Triados

[1] S. Ambr., l. V *de sacr.* — [2] *Ps.* XXXIV, 13. — [3] *Ps.* CV, 4. — [4] S. Pasch., *de Corp. et sang. Dom.*

[1] S. Bon., t. VII *in Fascic.* — [2] P. Rho, *Hist. vir.* — [3] Suarez., t. II. — [4] Cant., II, 1. — [5] Idem, IV, 12. — [6] Id., II, 16.— [7] Clem. Al., l. II *Strom.*— [8] Cant., IV, 13

concomitantia. « Sic Christus ex horto mundi hujus, » idem prosequitur auctor, « accepit humanitatem « nostram et dulcissimum favum mellis reddidit « nobis. »

**7.** — *Melle.* Rosmarinus, thymus, aliæque herbæ et flores aliquando insipidi sunt et stomacho nocivi, quorum cum substantiam et qualitatem apis in mel transmutavit, utiles redduntur et suaves : ita quoque quis non abhorruisset a cruda deglutienda et laceranda carne, crudoque Christi bibendo sanguine ? « Non convenit Christi carnem dentibus « attractare, » inquit S. Bonaventura [1], « et propter « horrorem cruditatis et propter immortalitatem, « ipsius Corporis ; ideo necesse fuit, Corpus et « sanguinem Christi, tradi velatum sacratissimis « symbolis. »

**8.** — *Melle.* Favus mellis virtutem et substantiam innumerabilium in se florum concludit : De Eucharistia pariter a sacris interpretibus plurimi, iique omnes admirabiles traduntur fructus et effectus. Præ reliquis autem S. Laurentius Justinianus ita ad intentum præsens discurrit [2] : « Pia etenim « mens tanti Sponsi lætificata præsentia, hoc me- « diante sacramento repletur gaudio, exultatione « perfunditur, lumine irradiatur, pace satiatur, « roboratur fide, devotione saginatur, atque indis- « solubili amoris vinculo redemptori interius copu- « latur. » Quibus præmissis, varios horum florum fructus subnectit, dicens : « Ex quo ferventior in « dilectione, fortior in labore, promptior in opere, « in tentatione prudentior, sollicitior in virtute, in « administratione alacrior, nec non in ipsius fre- « quentatione efficitur ardentior. »

**9.** — *Melle.* Experientia teste, omnes inter liquores mel unice pro medicamentis deservit et adhibetur : ita quoque dum sacerdos ex altari tabernaculo divinum hoc extrahit alexipharmacum, non absque mysterio illa profert Centurionis verba : *Sanabitur puer meus* ; hoc namque sacramentum unicum est salutis spiritualis, imo et quandoque corporalis remedium. Unde S. Prosper de Eucharistia tractans, ait [3] : « Quod *lethalem* omnium « vitiorum digerit cruditatem. » Quod proinde et S. Ignatius Martyr ad Ephesios scribens [4] : « Phar- « macum immortalitatis, mortis antidotum, medi- « camentum purgans vitia, » nuncupare non dubitat. Sed longe clariorem nobis circa hoc punctum exhibet doctrinam illuminatissimus ille Dei servus Thomas a Kempis, dum ait [5] : « Est hoc altissimum « et dignissimum sacramentum salus animæ et « corporis medicina omnis spiritualis languoris, in « quo vitia mea curantur, passiones refrænantur, « tentationes vincuntur, ac minuuntur, gratia major « infunditur, virtus incepta augetur, firmatur Fides, « Spes roboratur et Charitas ignescit et dilatatur. » Unde dum David aliquando ingemisceret, dicens [1] : *Ego sum pauper et dolens* ; quod illum putatis dololoribus suis applicuisse remedium ? Ipsemet ad id respondet, dicens : *Salus tua suscepit me.* Hæc autem salus in Eucharistia, prout in discursu secundo fusius probatum est, consistit.

**10.** — *Melle.* Apis admiranda cum providentia imminentem floribus colligit rorem, priusquam a sole exsiccetur : ita quoque anima fidelis melle hoc gaudere avida, ortum solis anticipet necessum est, dicente S. Bonaventura : « Ut notum omnibus esset, « quoniam oportet prævenire solem, id est, solis « ortum ad tuam benedictionem, supple : obtinen- « dam, ne per ortum solis liquefieret : sic ad bene- « dictionis gratiæ obtinendam solem prævenire « oportet, mane vigilando, secundum illud : *Qui « mane vigiluverint ad me invenient me* ; et *mane « astabo tibi* : » ita Religiosi et reliqui omnes, quotquot ante auroram in Choro psalmos canunt, precibusque intenti vigilant, majori cum fructu et suavitatis experimento mysticum hoc mel degustant.

**11.** — *Melle.* Mellis dulcedo tanto est sapidior, quanto palatum antecedenter majori fuerat amarulentia imbutum. Unde Tertullianus observat, mel nunquam a Salvatore, nisi prius sumpto in Calvario felle, degustatum fuisse ; « Favos, » inquit, « post « fella gustavit. » Ita quoque quisquis cœlestis hujus mensæ delicias participare desiderat, attentam Passionis Christi præmittat meditationem, juxta illud Christi assertum : *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* « Panis iste An- « gelorum » verba sunt S. Cypriani [2] « omne delec- « tamentum habens, virtute mirifica omnibus, qui « digne et devote sumunt, secundum suum deside- « rium sapit. » Ipsum vero saporem et condimentum, quod mel hoc longe sapidissimum efficit, paulo ante idem sanctus insinuavit, cum diceret : « Vide, quo- « modo his qui Christi memorant Passionem intra « sacra officia, quasi per quosdam canales de inte- « rioribus fontibus egrediantur torrentes et super « omnes delicias lachrymis nectareis anima delec- « tetur. » Unde in quadam Fer. III. Domin. Passionis oratione, quæ secreta dicitur, verba legimus sequentia : « Hostias tibi Domine offerimus immolandas, quæ temparalem consolationem « significant, ut promissa non desperemus æter- « na. » In alia quadam oratione pariter secreta Dominicæ tertiæ Adventus similiter dicitur : « Devotionis nostræ tibi hostia jugiter immole- « tur. » Vocatur autem Communio *Victima devotionis*, quia in hoc sacrificio incruento anima devotione, lætitia et consolatione saginatur et impinguatur ; nam ut S. Laurentius Justinianus

[1] S. Bon., t. VI *Brevil.* — [2] S. Laur. Just., *de discip. Monast.* — [3] S. Prosp., *Coll.* — [4] S. Ignat. M., *ad Eph.* — [5] S. Thom. de Kemp., l. IV, c. 4, n. 2.

[1] *Ps.* LXVIII, 30. — [2] S. Cypr., *de Cœn. Dom.*

ait[1]: « Exuberans confertur gratia hoc sacramen-
« tum digne sumentibus, ex illo enim quædam
« vivificantis Spiritus et mellifluæ suavitatis demons-
« tratur emanatio, per quam omnis vigor interiori
« hominibus roboratur. »

**12.** — *Melle.* Enimvero favus ille mellis in ore leonis a Sampsone repertus, mysticum hunc favum, prout discursu præcedenti diximus, præfiguravit, nimirum. « Eucharistiæ sacramentum, in quo habe-
« mus dulcissimum cibum, » inquit Lyranus. Advertendum porro est, quod Philistæi, dum hoc illis ænigma : *De comedente exivit cibus et de forti egressa est dulcedo*, propositum fuit[2], idipsum solvere, aut enodare nequiverint, nisi sponsa Ecclesiam præfigurabat ex gentilitate præcipue congregatam; hæc enim fidelibus fidem veritatis Eucharistiæ indicavit et patefecit. *De Comedente* igitur *exivit cibus*, quando in procinctu mortis constitutus fuit, *in qua nocte tradebatur, accepit panem. De Comedente* reor *hic cibus exivit*, quia ipsemet postquam Eucharistiam instituisset. eadem se cibavit. *De forti* quoque tunc *egressa est dulcedo*, quia in eadem nocte principem tenebrarum prostravit[3] : *Nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras.*

**13.** — *Melle.* Jonathas summitatem virgæ suæ in favum mellis intingens, illuminatus fuit[4] : *Intinxit in favum mellis et convertit manum suam ad os suum et illuminati sunt oculi ejus.* Per quem eventum effectus quidam denotatur. Unde S. Thomas super illa verba Proverbiorum XXIV[5]: *Comede fili mi mel, quia bonum est*, ita scribit : « Mel Corpus
« Christi dulce significat, hoc bonum est, quia tene-
« bras mentis illuminat. »

**14.** — *Melle.* Habet quoque mel hanc qualitatem, quod non patulis faucibus bibatur, aut deglutiatur, sed extremis labiis degustetur et libetur. Rupertus Abbas de hoc sacramento ita scribit[6] : « Istud quidem ruminare medela est probatissima
« et dulcis faucibus amantis animæ. Meditatio hæc
« solius mentis pabulum est, totius animæ sanctifi-
« catio est. »

**15.** — *Melle.* Non obstante, quod mel corporibus medicinale et proficuum sit ; attamen si ab homine indispositum stomachum habente sumatur, vel sine debita moderatione et circumspectione sumatur, valde noxium est, non quidem ex natura sua, sed ex defectu illud sumentis. Unde Divus Chrysostomus ait[7]: « Mel natura dulcedinem habet,
« sed ægrotis amarum est, non propria sed illorum
« ægritudine. » Ita quoque communio, « Mors est
« malis, vita bonis, vide paris sumptionis, quam sit
« dispar exitus. » Indigne enim communicantibus idem quod ursis, accidit, qui mellis cupidi, ad alvearia convolant, e quibus turmatim erumpentes exasperatæ apes, suis prædones feriunt aculeis : ita quoque illi qui totidem ferarum instar agnum immaculatum dilacerare præsumunt, puncturas remorsus et synderesis pœnosissimas, quæ eos mortaliter ferient, in anima experientur ; illud probaturi supplicium, a Jobo quondam his verbis intentatum[1] : *Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum; Divitias quas devoravit, evomet et de ventre illius extrahet eas Deus.* Si quis piscis gemmam devorarit, eamdem captus tamquam cibum sibi minime proportionatum exenteratis visceribus restituere cogetur, ac demum super prunis assabitur : ita quoque Deus permittet, ut thesaurum hunc inæstimabilem indigne participans repente moriatur, animaque ejus in prædam cedat inferno. Cujus sortis infelicitas ne et nobis eveniat, cibum hunc cœlestem ab aliis prophanis secernere discamus, illi S. Paschasii obtemperaturi documento, quo ait[2] : « Hoc sane si
« quis ignorat, non discernit; et ideo timendum,
« ne per ignorantiam, quod nobis provisum est ad
« medelam, fiat accipientibus ad ruinam. »

[1] Judic., XIV, 14. — [2] Joan., XII, 31. — [3] I Reg., XIV, 27. — [4] Prov., XXIV, 13. — [5] S. Thom., op. 58.— [6] Rup. Abb., *de div. offic.* — [7] D. Chrys., h. 8 *de pœn.*

## DISCURSUS XIII

### DE MULTIS INTER MANNA, ET EUCHARISTIAM INTERVENIENTIBUS ANALOGIIS

Idea sermonis. — 1. Insignes analogiæ inter Manna et S. Euch. ex S. Bon. — 2. Quid signetur per saporem oleatum mannæ. Quare dicatur minutum. — 4. Cur pilo tusum. — 5. Cur simile pruinæ. — 6. Num. XXI, 1, Judæi illud nauseabant tanquam cibum levissimum. Insignis hujus applicatio ad S. Euchar. — 7. Manna descendebat in obscuritate noctis. — 8. Reddebat Hebræos sanos et robustos. — 9. Manna solum in deserto pluit. — 10. Ex manna nullus colligebat plusquam alius. — 11. Viso manna, mirabantur Judæi. Hoc ipsum faciat communicans in S. Commun. — 12. Cur nausearint Hebræi manna. Et Christiani sacram communionem. — 13. Manna non acceperunt Judæi nisi trajecto mari rubro. Christiani communicaturi meditentur passionem Christi. — 14. Et præparent se ad pugnam contra diabolum.

*Paratum Panem de cœlo præstitisti illis.* Sap. XVI, 20.

**1.** — Angelicus Doctor principaliores inter Eucharistiæ figuras Manna excelluisse docet, dum ait : « In figuris præsignatur, cum Isaac immolatur,
« Agnus Paschæ deputatur, datur Manna Patribus. »
In præsenti itaque discursu analogias discutiemus quæ figuratum inter, et figuram intercedunt.

**2.** — Et imprimis quidem sanctus Bonaventura per Manna Christum in Eucharistia præsentem propter diversas rationes denotari adstruit, dicens[3]: « Per Manna significabatur congrue Christus sub
« sacramento altaris ; Primo, quia ipse est Panis
« Angelorum, scilicet Sacerdotum, » quia ut in

[1] Job, XX, 4. — [2] S. Pasch., l. *de Corp. et Sanguine Dom.* — [3] S. Bon., *ib.*

eodem hoc libro fuse probavimus, epithetum hoc *Angelorum* ministris competit altaris, qui eodem illo pascuntur pane, quo in vita beata spiritus nutriuntur angelici. Præterquam quod *Panis Angelorum* dici possit, quia scilicet in sumentibus vitam, et mores exigit Angelicos. « Secundo, » prosequitur Seraphicus Doctor : « Quia cœlitus paratur, id est, « quia virtute cœlesti conficitur : *Ego sum Panis vivus qui de cœlo descendi.* » Non equidem populus Hebræus ad comparandum cibum, terram aratro subigere, agros cum sudore colere, panem laboriose pinsere cogebatur, quin potius Deus illi *paratum Panem de cœlo præstitit*, ita quoque in virtute paucorum verborum Panis eucharisticus de cœlo descendit, in virtute, inquam, verborum non cujuscumque hominis, sed ipsiusmet æterni incarnatique Verbi ; siquidem consecrationis verba minister sacer in nomine Christi profert, inquiens : *Hoc est corpus meum.* « Tertio, » continuat Seraphicus, dicens : « Quia comedentes, ex eo pro suo desiderio « id est, devotione recipiunt, et secundum illud : « *Desiderium animæ ejus tribuisti ei,* » Manna omnes in se continebat sapores, et gustus, « deserviens « uniuscujusque voluntati ; ad quæ quisque volebat « convertebatur. » Manna per XL annorum cursum populum pavit in deserto, bina tantum vice carnibus cibatum, et nihilominus Psalmista inquit : *Panem Angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia.* Si manna aliis epulis destitutum erat, qualiter, obsecro, dum ipsum solum comederunt Hebræi, multis abundasse cibis dici possunt ? Difficultati huic ejusdem Sapientiæ satisfacit textus, quo dicitur : *Substantia enim tua dulcedinem tuam ostendebat, deserviens uniuscujusque voluntati*, id est per substantiam, ut sapores suos æquivalebat, maxime sapidis, et substantiosis dapibus. Ideoque panem hunc Spiritus Sanctus appellat *omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Ita pariter in Eucharistia substantiam totam Christi scilicet Corpus, animam et divinitatem sumimus, in qua nobis, ut Discursu II, probavimus, omnes gustus, et condimenta exquisitissima, et possibilia, imo et ab anima imaginabilia communicantur. Ac proinde verum est quod, ut S. Augustinus notat : « Sicut unicuique manna secundum propriam vo- « luntatem in ore sapiebat ; sic in ore uniuscujus- « que Christiani sacramentum illud quomodo su- « matur, æstimandum est. » *Quarta* Proportio, quam Seraphicus Doctor inter manna, et hoc sacramentum intercedere considerat, est, « quia cum « hoc sacramento ros gratiæ descendit, et datur, « sicut et ros cum Manna descendebat, et ideo Pa- « nis iste *Eucharistia* dicitur, Eucharistia autem bo- « na gratia interpretatur. » Moyses in Exodo inquit : *Mane quoque ros jacuit per circuitum*, nimirum prius ros descendebat, et postea super illum Manna quoque demittebatur. Genebrardus super illa verba : *Cæli distillaverunt a facie Dei* : legit : *fuderunt rorem* ; aliqui, *Manna ad modum roris.* Rabbini in ea sunt opinione, quod prius ros de cœlo descenderit, et super hunc manna, quod demum alio cœlitus deciduo rore contegebatur, ut panis ille tanto decentius custodiretur, utpote duplici rori inclusus : adeo ut in duobus istis roribus, tamquam in theca reconditum jacuerit, apparuerit autem, quando superior ros ad exorientem solem evanuit : quæ haud dubie adumbrant corpus Christi, manna verius, speciebus panis recondendum. *Quinta* allusio est, sicut apparebat manna, ut semen coriandri albi, sic et Christus sub nebula candida sumitur. *Sexta* est, quia sex diebus, et non in sabbatho colligebatur ; sic Christus in præsenti sub sacramento sumitur, sed in futuro sabbatho de quo dicitur : *Erit sabbathum in sabbatho ad faciem videbitur ; videbimus eum sicuti est. Septima*, et ultima proportio est, quia sicut Manna Hebræis semper mittebatur, usque dum pedem suum terræ promissionis inferrent : sic usque ad finem mundi in deserto hujus mundi fideles Ecclesiæ nutriuntur, secundum illud : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

**3.** — *Saporis quasi panis oleati.* Hunc Hebræis cœlitus demissum Angelorum panem fuisse, in libro Numerorum legitur. Alibi vero Scriptura sacra saporem ejus melleum fuisse asserit. Circa quod S. Bonaventura, servi de ultima Cœna Domini, ita scribit [3] : « Sic et hoc sacramentum secundum tri- « plicem substantiam in Christo triplicem saporem « spiritualem habet ; ut in gustu animæ devotæ « habet saporem mellis, quoad divinam naturam ; « *Spiritus meus super mel dulcis* : quasi saporem « olei, quoad animam speciosissimam gratia unc- « tam : quasi simile, quoad corpus purum a fur- « fure fomitis et corruptionis originalis. » Mysticum quoque est epithetum, quod Moyses manna attribuit, dum ait [4] : *Apparuit in solitudine minutum*, quo nomine etiam hoc sacramentum significatur utpote quod sub minutiosissimo panis fragmine solvatur : « Fracto demum sacramento ne vacilles, sed « memento, tantum esse sub fragmento, quantum « toto tegitur. » Unde quando apud Isaiam dicitur [5] : *dabit vobis panem arctum*, ad minutionem accidentium sacramentalium panis allusio fieri videtur, sub qua continetur ille, *quem cœli capere non possunt.*

**4.** — *Et quasi pilo tusum manna* fuisse in eodem loco legitur, quod pariter Christo in hoc sacramento præsenti appropriatur, qui in Passione sua, cujus

[1] *Ps.* LXXVII, 26. — [2] S. AUG., ép. 118.

[1] *Ps.* LVII, 10. — [2] NUM., XI, 9. — [3] S. BON., 8, 6 *in Cœn. Dom.* — [4] EXOD., XVI, 14. — [5] ISA., XXX, 20.

fructus, et memoriale Eucharistia esse noscitur velut in pilo contusus, et tritus fuit.

**5.** — *Et similitudinem pruinæ.* Manna enim frigidi instar congelatique roris in terram decidebat; in quo Doctor Angelicus virtutem observat, qua divinum hoc manna ardores concupiscentiæ in nobis refrigerandi posset [1]: « Panis cœlestis in si- « militudinem pruinæ rorisque apparebat, » inquit Angelicus præfatus, « quia corpus Domini a « fervore pravæ concupiscentiæ refrigerat. » Porro Abulensis colorem ejusdem manna contemplans, subjungit [2]: « Color tangitur, in quantum dicitur « alba, quia Manna erat album sicut nix. » Candor, gelu, ros, singula virtutem perhibent, quæ cœlesti huic pani in est, ad ditandas, et implendas communicantium animas castitate.

**6.** — Hebræi equidem se manna cœlesti detracturos opinabantur, dum ipsum cibum levem temere nuncupabant, dicentes [3]: *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo*; nihilominus vel inviti excellentissimum illum, qui cibo Eucharistico attribui posset, imposuere titulum, prouti Incognitus Carmelitanus Michael de Bononia in illius Psalmi commentario (*cibavit nos ex adipe frumenti*) evincens dicit [4]: « Istum cibum electum perversi « fastidiunt, et contemnunt dicentes : *Anima* « *nostra nauseat super cibo isto levissimo,* qui ta- « men istis verbis hunc cibum diffamare credentes, « ipsum mirabiliter commendant, dum levissi- « mum vocant; scimus enim, quod sicut natura « gravium est descendere, et levia semper ascen- « dunt, et per consequens superlative levissimum « dicitur, quia præ cæteris naturam habet elevati- « vam, quod bene illi cibo competit, qui præ cæte- « ris sacramentis in præsenti animam gratiam « elevat ad Deum, et finaliter simul animam, et « corpus elevabit per gloriam. »

**7.** — Liquor ille pretiosissimus in ipsa densæ noctis obscuritate descendebat et congelabatur, non vero post exortum eo in hemisphærio solem ; quæ analogia nostram in præsenti respicit fidem, quam huic præstamus sacramento, *videmus nunc per speculum in ænigmate.* Quam circumstantiam S. Bernardinus ita præsenti accommodat proposito [5]: « Nocte de cœlo invisibiliter descendebat : quid « enim designatur in nocte, nisi fidei nostræ « status? Quod non capis, quod non vides, ani- « mosa firmat fides, » inquit Angelicus Doctor. Quamquam nox insuper tempus factæ institutionis innuat, quia noctu institutum fuit : *In qua nocte tradebatur.*

**8.** — Cœlestis quoque hic panis hac virtute pollebat, quod Hebræos omnes adeo sanos, atque robustos conservarit, ut Spiritu Sancto attestante intra XL illos peregrinationis annos *non fuerit in tribubus eorum infirmus ;* non obstante, quod multis eo tempore subjecti fuerint molestiis, quas tum ab itineris prolixitate, tum sterilitate deserti, temporisque injuriis continuo patiebantur, nihilominus constanter sani permanserunt, idque quia manna istud hujus panis vitæ typus erat, de quo sanctus Thomas ait : « Panis vivus, et vitalis hodie « proponitur. » Idem S. Bernardinus [1] aliam alibi considerat mannæ proprietatem, nam ut ex cap. XVI Exodi colligitur : « Condensabatur, et indurabatur « ad ignem. Ignis enim cum habeat corruptivum, « et mortificativum calorem signat amorem libidi- « nosum, ac malæ voluntatis desiderium, cui cœ- « leste manna, hoc est, hoc sacramentum in obdu- « rationem vertitur, judicio Dei. »

**9.** — Manna nusquam, præterquam in deserto, pluisse legitur ; sive in solitudine. Qua de re Albertus Magnus ita scribit [2]: « Non dabatur Manna nisi « in deserto, ubi aliud delectabile, et reficiens ad « esum non fuit ; et sic non sentitur dulcedo « gratiæ, et sapor Eucharistiæ, nisi ab his qui « se in desertum corde transferunt, ut mundanas « non sentiant delectationes. Unde et S. Bernardinus ait : « Delicata est divina consolatio, non datur admittentibus alienam citatque versum illum Psalmi LXIV : *Pinguescent speciosa deserti* : « quæ se ipsa « deserta faciunt, ne in eis quicquam colat mun- « dus de caducis delectationibus. Ad hoc desertum « invitat Dominus (Marci, VI, 31) : *Venite seorsim in* « *desertum locum, et requiescite pusillum* in hoc de- « serto bis Dominus pavit turbas, et alibi pavisse « non legitur. » Porro hoc a Deo præceptum emanasse in Exodo legitur [3] : *Ecce ego pluam vobis panem de cœlo, egrediatur populus et colligat* : ubi Rupertus Abbas verbum illud *egrediatur*, in sensu spirituali ponderans, dicit [4] : « Profecto et nobis « spiritualiter egrediendum est, ut colligamus, « quantum sufficere potest ; unde egrediemur de « pristina conservatione, de vetustate vitæ. » In eodem quoque capite, Deus statuit, ut manna, non in sabbatho, sed præcedenti die colligeretur, idque in ea quantitate quæ etiam diei subsequenti sufficere posset [5] : *Maneat* (scilicet in sabbato) *unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo, die septimo.* Quorum verborum sensum Abulensis esse notat [6] : « Non est, inquit, « simpliciter intel- « ligendum, quod in sabbatho non poterant egredi « de loco suo id est, de domo sua, quia egredie- « bantur; sed non poterant exire ad laborandum, « vel negotiandum. » Hanc porro eamdem solitudinem, et ab hominibus recessum hic in panis illis animabus exposcit, qui ex ejus sumptione proficere desiderant.

[1] S. THOMAS, op. 58. — [2] ABULENS., q. 17 *in Exod.* — [3] NUM., XXI, 1. — [4] MICH. DE BON., *in Ps.* LXXX. — [5] S. BERN., s. 66. — [6] *Ps.* CIV, 37.

[1] S. BERN., t. II. — [2] ALB. M., dist. 1, t. I. — [3] EXOD., XVI, 4. — [4] RUP. ABB., l. III *in Exod.* — [5] EXOD., XVI. 29. — [6] ABUL., q. 13 *in Exod,*

**10.** — Est et alia in manna valde considerabilis qualitas, nimirum, quod *nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus.* Cui optime verba illa S. Thomæ consonant, de hoc sacramento dicentis : « Sumit unus, sumunt « mille, quantum isti, tantum ille. » S. Bernardinus ait[1] : « Nec qui plus collegit, plus habuit, nec « qui minus paravit, minus invenit, sic istud sacra- « mentum nequaquam continet minorem Jesum in « minori hostia, quam in majori, nec plus in plu- « ribus, quam in una. » Salvianus de pretio a Redemptore nostro pro nostra redemptione persoluto inquit[2] : « Quicquid passione sua Salvator « præstitit, sicut totum ei debent universi, sic totum « singuli, eo quod tantum acceperunt singuli, quan- « tum universi. Ubi enim hoc unus accipit, quod « universi. Ubi enim hoc unus accipit, quod universi « et si par est mensura, major invidia est. » Notandum pro resolutione, quod Sapiens dicat[3] : *Dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebat*; unde deducitur, non omnes suavitatis et innumerabilium manna saporum participes factos fuisse, sed eos dumtaxat, qui filii Dei erant. Ita pariter in præsenti quantumvis *ex opere operato* sacramentum et manna hoc divinum eamdem possideat virtutem respectu omnium, attamen *ex opere operantis* majores ille gratias, dona et fructus ex eodem percipit, qui majori cum præparatione ad illud accedit. Aliam huic considerationem addere possumus historiæ innexam ejusdem capitis XVI libri Exodi, ubi Deus Aaroni præcepisse legitur, ut vasi inclusum manna in eadem mensura in tabernaculo reponeret[4] ; *Sume vas et mitte ibi Man, quantum capere potest Gomor.* Ast cur eadem hic præscribitur portio ? Ecce vobis mysterium : Tabernaculum istud cœli empyrei figurativum erat ; voluit igitur Dominus hoc in facto nos docere, unum eumdemque Deum, sub eadem mensura, homini viatori obtigisse, et Angelis : « Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum ; » cum hac tamen differentia, quod illi eodem revelata facie fruantur, nos vero eodem sub speciebus sacramentalibus obvoluto fruamur.

**11.** — Ut Judæi Manna viderunt, præ admiratione subito exclamarunt : *Manna*; id est, *quid est hoc?* Idem quæcunque anima communicans intra semetipsam dicere deberet et exclamare : *Quid est hoc?* attentam tanti sacramenti instituendo meditationem. Quo fine ille in primis deserviet Abulensis discursus, quando ordinem illum divinum, cujus supra meminimus : *Maneat unusquisque apud semetipsum*, discutiens, ait[5] : « Manere apud seipsum « est, cum homo extra seipsum non evagatur, in- « tendendo aliquibus operationibus, sed intra actum « intellectus totum se collocata, cogitando de Deo, « et ei de beneficiis receptis votivas gratias menta- « liter tribuendo, cum statum suum speculatur, « quantum quotidie proficiat, aut quantum deficiat, « quantum Deo accedat et quantum ab eo discedat. « Hoc enim proprie est manere apud seipsum, quia « per seipsum et de seipso cogitando operetur. »

**12.** — Verum enimvero interrogaverit hic forte quispiam, qualiter manna omnes in se continens sapores et gustus, multi nihilominus ipsum fastidierint? Ast responsio ex ipso facilis deducitur textu, quo dicitur[1] : *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres et pepones, porrique et cæpæ et alia. Anima nostra arida est.* Ita quoque anima Christiana arescit, nullamque hac in mensa devotionem, sed tædium experitur et nauseam, quoties cordi suo delicias exhibet mundi negotia sæcularia, desideria terrena. Ita communicabant illi, qui lamentabantur, dicentes : *Anima nostra arida est*, qua scilicet cum farina Ægypti incompatibile est manna, cum fluxu voluptatum sæcularium subsistere nequit cœlestium influxus gratiarum : « Ægypti farinulam amarissimam, » inquit sanctus Thomas de Villanova[2], « et quis « hodie hac farinula non polluitur, cui curæ hujus « sæculi, anxietates, sollicitudines, ambitiones, in- « vidiæ, odia, cupiditates, libidines, concupiscentiæ, « appetitus effrænes, cogitationes turpes, illece- « brosæ passiones ; hæc farinula Ægypti sunt, his « quisquis inficitur, illius manna dulcedinem non « experitur, » quam eamdem observationem his verbis expressit S. Bernardinus[3] : « Quanto se quis « amplius tradit delectationibus mundi et hoc sa- « cramentum præsumit accipere, tanto magis ei « spiritualem nauseam parit. » Id quod ex adducto Numerorum textu probans, ita de eodem protinus subjungit populo Hebraico, dicens : « In Ægypto « carnibus saturatus, in deserto panem cœli, cœ- « leste manna, omni suavitate plenum, cum nausea « respuebat. »

**13.** — Electus ille populus per tot sæculorum cursus numquam panem habuit angelicum, nisi trajecto mari rubro. Quam circumstantiam S. Augustinus considerans, ait[4] : « Manna accipiunt fi- « deles jam trajecti per mane rubrum : » quia scilicet, ut divini hujus manna digne reddamur participes, prius per maris rubri, quod passionis Christi aquas significat, transire, et ad sacramentum nos accederet, oportet confessionis, in quo, velut in deposito, Agni immaculati sanguis continetur.

**14.** — Novam Origenes notatu dignam circa præsens punctum observationem instituit, dicens[5] : « Antequam manducaret panem de Cœlo, non re- « fertur populus pugnasse, sed dicitur ad eum : « *Dominus pugnavit vobis, et vos tacebitis.* Tu erg

[1] S. Bern., t. I, s. 56. — [2] Salvian., l. II *ad Eccl.* — [3] Sap., XVI, 21. — [4] Exod., XVI, 33. — [5] Abul., *ib.*

[1] Num., XI, 4. — [2] S. Thom. de Villan., conc. I *in Festo Corp. Christi.* — [3] S. Bern., t. II, ser. 55. — [4] S. Aug., t. I *in Joan.* — [5] Orig., h. II *in Exod.*

« cum cœperis manducare manna præpara te ad « bellum. » Tunc enim noster adversum nos armatur inimicus, quando nos hoc thesauro locupletatos videt, ut illo nos exuat ; sed strictam oportet defendamus hanc armaturam, quia ut suo loco dicetur, scutum est invisibile contra infernales spiritus.

**15.** — Quotidie, solo excepto sabbato, pluebat cœlitus. Et quisquis ipsum quotidie colligere detrectans, pridie coacervasset tantum quantum duobus sufficere diebus poterat, postridie corruptum in vermes degenerasse inveniebat. Quam finaliter conditionem S. Ambrosius ita nostro applicat proposito[1] : « Manna illis contra præcepta divina trac- « tantibus vermes effecti sunt, id est, contumaciæ « ultores et judices; quæ similitudo Christum indi- « cat, quem qui suavem cibum, et dulcem potum « haurire neglexerit, judicem patietur. »

## DISCURSUS XIV.

SACRAMENTUM HOC FOMITEM MITIGANDI CONCUPISCENTIÆ, ET ARDORES JUVENILES AD CARNALIA EXCITANTES REFRIGERANDI VIRTUTE POLLET.

IDEA SERMONIS. — 1. Inter omnia dona Dei Eucharistia principem obtinet locum. S. Eucharist. reprimit fomitem concupiscentiæ. — 2. Et potenter fovet castitatem. — 3. Quid intelligatur per frumentum electorum. — 4. S. Communio nos eximit a stimulis carnis. — 5. Color albus Mannæ, designat pudicitiam. — 6. S. Eucharist. mitigat ardorem concupiscentiæ. — 7. Quod provenit ex purissimo et virgineo corpore Christi. — 8. Quod tanquam virgineus nos refrigerat ardores concupiscentiæ. — 9. Corpus Christi est purissima margarita. — 10. S. Euchar. est fons gratiarum. — 11. Convivium Assueri est symbolum S. Eucharistiæ.

*Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum, etc.* Zach., IX, 27.

**1.** — Inter omnia divinæ bonitatis dona, inæstimabile hoc Eucharistiæ munus, primatum obtinere extra omnem est controversiam : *Quid enim bonum ejus est*, etc. Versio a sancto Hieronymo citata, nostroque adaptata proposito, ita legit : *Quia si quid optimum illius, et si quid bonum ab eo, frumentum juvenibus, et vinum boni odoris ad Virgines.* Etenim unus salutarium effectuum, quos hoc sacramentum in animabus operatur, est, quod fomitem reprimat concupiscentiæ, extinguat carnis bullientis ardorem in juvenibus, iisque amorem continentiæ imprimat: dicitur autem frumentum juvenum, quia delectationes carnales his vel maxime prædominantur. Porro S. Hieronymus hunc textum ita interpretatur[2]: « Nos frumentum electorum, sive juvenum et « vinum germinans virgines, sive boni odoris ad « virgines, intelligemus Dominum Salvatorem, qui « loquitur in Evangelio : *Nisi granum tritici cadens* « *in terram etc.* de hoc tritico efficitur ille panis, « *qui de cælo descendit*, et *qui confirmat cor hominis.* » S. Cyrillus Alexandrinus in expositionem hujus textus legit[1] : « Si quid bonum ejus est, et si quid « bonestum, ab ipso est : » ubi ut vides, loco ejus, quod Vulgata legit *pulchrum*, ipse vertit *honestum*, quia frumentum hoc Eucharisticum ad corroborandam in fidelibus hanc honestatis virtutem, tantopere a Deo æstimatam, et in animabus fidelibus requisitam, est institutum; unde notandum est, quod, postquam frumentum honestatis nomine appellasset, mox virginitatis fructum vino quoque attribuat, cujus substantia in sacrificio incruento in sanguinem Christi transmutatur.

**2.** — Observari itidem meretur, quod Zacharias post factam ambarum specierum sacramentalium panis et vini mentionem, allusione ad castitatem facta protinus subjungat[2]: *Petite a Domino pluviam in tempore serotino, et Dominus faciet nives, et pluviam imbris dabit* ; quibus verbis insinuat, quod sicuti incontinentia, per calorem et ardorem immoderatum symbolizata, per nivium frigus, et pluviarum abundantiam, velut ardor ignis temperatur et reprimitur : eodem modo qui se ab effrænis concupiscentiæ ustulari sentit ardoribus, ad has Eucharistiæ nives recurrere debeat. Unde Rupertus Abbas ita scribit[3]: « De germine virginitatis qui- « cumque studiosus fuit, non ignorat, sed experi- « mento didicit, quod de terra carnis nostræ re- « surgere non possit, quamvis plantet, aut riget « aliquis, nisi Deus incrementum dederit. Qui ergo « bonum hoc, vel pulchrum ostendit, recte et « consilium suggerit, petendi illius, unde potest « acquiri. *Petite*, inquit, a Domino, *pluviam in* « *tempore serotino, et Dominus faciet nives, et plu-* « *viam imbris*, quasi dicat : Ubi desideratur frumen- « tum Domini, et vinum germinis virginei, ubi « consilium est castitatis, vel propositum virginita- « tis, ubi sentitur magis incendium carnis adversus « spiritum concupiscentiæ : sed nolite deficere, no- « lite desperare, petite a Domino, et Dominus « dabit nives, et pluviam imbris; nives, quibus « æstum carnis refrigeret, ac temperet; » nives autem hæ sunt niveæ species sacramentales, quæ veluti gelida quædam pruina ardorem in nobis fomitis concupiscentiæ compescunt, et temperant. Syriaca legit : *Quam bonum, et pulchrum est triticum adolescentibus et vinum delectat virginee.* Ætas enim adolescentiæ et juventutis, carnis stimulis, plusquam aliæ hominis ætates, exagitatur ; ac proinde ad horum reprimendum insolentiam, quam bonum et pulchrum frumentum ! Arabicus Antio-

[1] S. AMBR., *in Ps.* CXXI. — [2] S. HIER., *ib.*

[1] S. CYR. ALEX., C. 16. — [2] ZACH., IX, 1. — [3] RUPER. ABB., l. IV *in Zach.*

chenus legit : *Quam bona, et quam utilis esca juvenibus.*

**3.** — Verum, quod in eo latet mysterium, quod idem verbum, quod expressivum est electionis et prædestinationis ad gloriam, adolescentiæ quoque, et juventutis sit expressivum ; ubi enim Vulgata legit : *Frumentum electorum,* Septuaginta vertunt : *frumentum juvenibus*? Quæ huic quæstioni reddi poterit responsio, in maxima quadam fundatur, quam S. Philippus Nerius frequenter repetebat. dicens : *Tolle a juvenibus incontinentiam et avaritiam a senibus, et confestim omnes sanctos efficies ;* quando igitur sacer textus dicit *frumentum electorum, et frumentum juvenibus,* docere vult, quod si fideles in adolescentia, et juventute, hoc cœlesti frumento sæpe usi fuerint; futuri sint prædestinati ad gloriam, ut plurimum namque ita contingit, quod, qui in annis lubricioribus crebra se reficiunt synaxi, de numero sint electorum, vitamque puram, et castam perpetuo agant. Unde S. Bonaventura ait [1] : « Hic « sanguis vadibile fecit cœlum : si quis æstum pa- « titur, ad hunc veniat fontem et refrigeret æstum ; « etenim incentiva omnia mitigat. » Quod D. Chrysostomus confirmare volens, ad effectus, quos fons aquæ gelidæ, et lympidæ in maximis solis ardoribus penes viatores operatur, se reflectit, hocque Altaris Sacramentum vivo et frigido fonte simile esse supponens, inquit [2] : « Si quis astuat, ad hunc « fontem se conferat, et recreabitur : mundat squa- « lores, et sordes, æstus mitigat non solares, sed » quos ignitæ sagittæ imprimunt. »

**4.** — In libro, qui *Hortus Pastorum* inscribitur, dum tentationum carnalium remedia præscribuntur sequens quoque historia refertur [3]. Juvenis quidam vehementes in adolescentia sua, carnis patiebatur stimulos, quibus eum adigentibus, voluptates venereas continuo sectabatur ; quia vero sæpius se in præcipitio positum conspiciebat, religiosum quemdum se remediis adhibendis serio consuluit, qui eum ut matrimonio se jungeret, hortatus est, quod et subito est executus. Post multum vero temporis, uxore mortua, timens, ne in priores laberetur lubricitates, aliunde vero jugum matrimoniale abhorrescens, per ferventes preces ad Deum confugit, instanter petendo, ut, quid magis ei expediret ad compescenda carnis desideria, clementer suggereret : moxque cor suum tangi, et ad vitam cœlibem deducendam, nec non sacræ Synaxis frequentiam inclinari sensit; quem divinum instinctum secutus, statim omnem carnis stimulum in se suppressum expertus fuit, deque peccatis ante matrimonium patratis, nec non de jugo, cui se per matrimonium subjecerat, vehementer ingemiscens, ait : « Heu me miserum ? cur olim adolescens non incidi « in virum, qni non diceret ; uxorem duc ; sed « diceret mihi ; utere Sacramentis ? quam melius « mihi consultum fuisset. »

**5.** — Manna, ut præcedens docuit discursus, Eucharistiam designabat ; illud autem, teste Moyse. *erat quasi semen coriandri albi,* quo in colore candor significatur pudicitiæ ; præterquam quod Plinius hanc tradat coriandri esse proprietatem, quod minutum acetoque impositum, in ardentibus æstatis caloribus carnem præservet a putredine : « Corian- « dro subtrito cum aceto carnem incorruptam æs- « tate servat. » Hoc pariter divinum Manna in Calvariæ aceto temperatum inter ferventiores concupiscentiæ stimulos, carnem et corpora nostra immaculata præservat et incorrupta ; ideoque omni animæ fideli consulitur, quod in mediis æstatis ardoribus et messe, Ruth olim suasum fuit, scilicet [4] : *Comede panem, et intinge buccellam tuam in aceto* quasi dicat : Ecce tibi, o anima Christiana, præseutissimum inter furentes concupiscentiæ carnalis ardores remedium, panis Eucharistici buccella.

**6.** — S. Augustinus intelligere nequibat, qua ratione S. Ambrosius vitam cœlibem ducere posset, idque quia usque ad trigesimum tertium ætatis annum carnis immunditiebus insorduerat. Unde in Confessionibus suis ita de semetipso scribit [5] : « Ambrosium felicem quemdam hominem secun- « dum sæculum opinabar, quem sic tantæ potes- « tates honorarent : cœlibatus tamen ejus mihi la- « boriosus videbatur. Quid autem illi spei gereret, « et adversus ipsius excellentiæ tentamenta quid « luctaminis haberet, quidque solaminis adversis, « et occultum os ejus quod erat in corde ejus ; « quam sapida gaudia de pane tuo ruminaret, nec « conjicere noveram, nec expertus eram, nec ille « sciebat æstus meos. » Et quidem non sine mysterio inquit : « Nec expertus eram, » quia non obstante invererata tot annorum in voluptatibus carnalibus ab ipso transactorum consuetudine, postea ope divini hujus sacramenti innocentiam, et puritatem baptismalem ad ultimum usque vitæ suæ spiritum constanter conservavit. S. Carolus Borromæus inter alios divini hujus panis effectus hunc quoque recenset, quod videlicet [6] : « Concu- « piscentiæ ardorem debilitet, cum charitatis igne « animos fidelium vehementer inflammat : » Quærebat olim Ecclesiasticus [5] : *Nonne ardorem refrigerabit ros*? at vero nulli dubium esse potest, quin hoc sacramentum cœlestis quidam ros sit : *Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum.* S. Bernardinus inter alia hujus frumenti germina, hoc quoque admiratur, quod scilicet [6] « valeat ad mitigandum sti- « mulum carnis; in hujus mysterium, *Exodi* XVI, di- « citur : *Mane quoque ros jacuit per circuitum castro- « rum ;* » citatque testimonium Glossæ dicentis :

[1] S. Bon., in c. VI *Joan.* — [2] D. Chrys., h. 45 *ibid.* — [3] *Hort. Past.*, l. II.

[4] Exod., XVI, 13. — [2] Ruth., II, 19. — [3] S. Aug., l. *de Conf.* — [4] *Act. Eccl. Med.* — [5] Eccli., XVIII, 16. — [6] S. Bern., t. II, s. 55.

« Panis cœlestis in similitudinem roris, et pluviæ « apparuit, quia corpus Christi a fervore vitiorum « refrigerat. Ideo Psalmista ait : *Tu dominaris po-* « *testati maris, motum autem fluctuum eorum tu* « *mitigas* : mare significat multas miserias carnis, « motus ejus stimulos carnis. » S. Bonaventura quoque ait, quod fomitem concupiscentiæ ad similitudinem aquæ mitiget ; super illa enim verba : *Super aquam refectionis educavit me,* inquit [1] : « quia « sicut aqua refrigerat, sic et istud Sacramentum « fervorem concupiscentiæ mitigat. » S. Bernardinus alibi hanc eamdem tangit comparationem dum enim de manna loquitur, inquit [2] : « Mitigat, et re- « frigerat fomitem, atque concupiscentiæ æstum, « sicut aqua refrigerare solet calorem ; in hujus « mysterium, Exodi XVI, scribitur, quod descendente « manna de cœlo descendebat pariter et ros, in « signum, quad cum manna sacramentali in animam « desdendente, pariter descendat in carnem et ros « gratiæ refrigerantis. »

**7.** — Receptus est in medicina aphorismus, quo dicitur : « Contraria contrariis curantur : » ac proinde cum certum sit, purius magisque virgineum dari corpus non posse, imo nec imaginari, quam sit corpus Christi, cum illud de purissima carne Mariæ semper Virginis, opera Spiritus sancti fuerit generatum, atque a beatissima anima vivificatum, nec non ab æterno Verbo (de quo dicitur, quod sit *candor lucis æternæ et speculum sine macula* assumptum, qui mirum est, quod ad compescendos carnis impuræ pruritus, spiritui tam vehementer contrarios, tantam in se efficaciam et virtutem habeat ? tametsi aliunde verum sit, ad hunc ex carne Christi a nobis sumpta obtinendum effectum, aliquam ex parte nostra necessariam esse correspondentiam, quia ut vulgare habet Philosophorum axioma : « Omne quod recipitur ad modum reci- « pientis recipitur. » Unde magnus ille Dei servus Thomas a Kempis in persona sacramentali Salvatoris nostri ait [3] : « Ego sum puritatis amator, ego « corpus purum quæro, et ibi est locus requietionis « meæ. »

**8.** — Mons Ætna flammis quidem semper gravidus est, ideoque ingentes ignis, fumi et cinerum globos continuo e se patulo ore emittit, et tamen in exterioris superficiei lateribus glaciem, et nives intactas conservat ; verno quoque tempore pulcherrimas herbas progerminat, et haud secus, ac alii montes, et colles, copiose fructificat, idque quia rores, et influentiæ cœlestes ipsum fœcundant ; unde Claudianus canit [4] : « Glebas fœcundo rore, « maritat. » Ita quoque tametsi corpus humanum velut Æthnæus mons quidam, concupiscentiæ ignem continuo spiret, dicente Apostolo [5] : *Caro concupiscit adversus Spiritum.* Et iterum [6] : *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* ; attamen ob cœlestem hunc Eucharistiæ, et frequentis Communionis rorem, intactas castitatis nives conservare, virtutis, honestatis, aliorumque bonorum operum flores, et fructus producere non desinet, ac proinde : *Petite a Domino pluviam in tempore, etc.* nam ut Rupertus Abbas ait [7] : « Sicut in abundantia « roris, vel imbris temporanei, et serotini germen « arridet horti bene culti, vernantibus rosis et can- « dentibus liliis, ita per orbem universum spec- « tantur, et electus sexus virilis, et virgines sexus « fœminei. Quia aliud beatam Trinitatem magis, « quam hoc spectaculum in hoc mundo delectet ? « Dicat ergo : *Quid enim bonum ejus est, et pulchrum* « *ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans* « *virgines* ? »

**9.** — Verum enimvero ex quo jam roris sæpius mentionem fecimus, abs re nequaquam futurum existimo, si novam circa sacramentum hoc instituamus considerationem, videlicet quod sanctus Dammascenus sacram Eucharistiam margaritæ nomine appellet, dum eamdem *Margaritam immaculatam corporis Christi* esse dicit [8]. Margarita autem proprius quidam cœlestis roris partus est. Quam forte ob causam, dum S. Lupus Episcopus Senonensis, ut de eo Sigibertus refert [9], die quadam sacrum Missæ officium perageret, quædam miri candoris margarita in ejus calicem cœlitus descendens ab universo clero visa fuit. Fortunatus quoque in poemate, quod de turricula quadam, quam Felix Bituricensis ex puro nitidoque auro fabricari fecit, ut in eo velut in tabernaculo sanctissimum Corporis Christi Sacramentum custodiretur, composuit, ob eamdem causam sequentem versum subinfert [10] : « Margarita « ingens sacrati corporis Agni. » Et quidem epithetum hoc sacramento huic propriissime convenit ; quia si Plinio dicere libuit : « Margaritis cœli so- « cietas major, quam maris : » de hoc pariter sacramento vere dici potest, illud cœli magis quam terræ participem esse : *Hic est panis, qui de cœlo descendit.* Historiæ de Cleopatra referunt, eam ut immensi, quo Antonium prosequebatur, amoris specimen ederet, quamdam inæstimabilis valoris margaritam in aceto liquefactam, et resolutam in potum eidem propinasse. De hoc autem sacramento Concilium Tridentinum ait [11] : « Sacramen- « tum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga « homines amoris velut effudit. » Propter Eucharistiam hanc margaritam prudentissimus negotiator de cœlo descendit [12] : *Mercator non insipiens dedit omnia quæ habuit. et emit eam* ; suum sparsit sanguinem, obtulit vitam, triginta trium annorum merita

[1] S. Bon., t. VII *de Comp. Theol. ver.* — [2] S. Bern., l. I, s. 54. — [3] Th. de Kempis, l. IV, c. 11. — [4] Claud., l. II *de Bapt.* — [5] Gal., v, 17.

[6] Rom., VII, 27. — [7] Rupert. Abb., l. IV *in Zach.* — [8] Damasc., or. 3. — [9] Sigib., ad an. 616. — [10] Fortun., *in Poemate.* — [11] *Conc. Trid., sess.* 13. — [12] Matth., XIII, 43.

omnia in hoc conclusit sacramento : *Memoriam fecit mirabilium suorum.* Eam liquefecit, et in pœnosæ passionis suæ aceto consumpsit, ut ipsam in pignus et signum infiniti amoris sui nobis in cibum daret, et potum. Ideoque S. Joannes in ultimâ Cœna de Sacramenti hujus institutione acturus, illa præmisit verba [1] : *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Id autem quod præsertim ad nostrum deservit propositum, in eo præcipue consistit, quod in tantum æstimetur et in pretio habeatur margarita, in quantum in ea candoris excellentia relucet; ita quoque præcipua Eucharistiæ virtus et inæstimabilis valor in efficacia consistit, qua continentiam et honestatem animabus pariter et corporibus digne communicantium imprimit.

**10.** — Samaritana amore ardebat lascivo, velut quinque fornicariorum virorum impurum scortum, cujus ut obscœnas flammas benignissimus Salvator divinæ gratiæ suæ aqua extingueret, lassus et sudore madidus ad Jacob Patriarchæ puteum se contulit. Unde Christus ipsi dicebat [2] : *Qui biberit ex hac aqua quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* De hoc autem puteo S. Joannes ait : *Erat ibi fons Jacob,* qui in virginitatis et continentiæ dono eximius fuit. At vero dicet fortasse quispiam, quomodo S. Joannes salva veritate historica illud aquarum receptaculum fontem appellare potuit, cum ipsamet Samaritana illud puteum vocet : *Puteus altus est?* Quod si igitur puteus erat, quomodo fons dici poterit? Audiamus S. Ambrosium ad hoc sequentibus verbis respondentem; dicit enim [3] : « Dominus Jesus sedebat ad puteum; « *Erat autem ibi fons Jacob.* Fons enim ibi est, ubi « Christus est. Fons est, ut aquæ superfluant re- « quirentibus, quo et universæ carnis vel flagitia « diluantur, vel restinguantur incendia. »

**11.** — S. Bernardinus postquam de hoc sacramento dixisset [4] : « Est fons omnis gratiæ et vir- « tutis, » paulo post subjungit, dicens : « Tria inter « alia bona multiplicantur per hoc sacramentum. « Primum est decor castitatis; secundum fervor « charitatis; tertium sapor suavitatis; » adducensque illum ex sacris canticis textum [5] : *Quam pulchra es, et quam decora, Charissima in deliciis;* inquit : « Sicut enim nutrimenta plurimum faciunt ad de- « corem corporis, sic etiam deliciæ spiritualis cibi « ad pulchritudinem castitatis; concupiscentiæ in- « centiva sedantur ex manducatione sacramen- « tali. »

**12.** — Celebre est illud nulli non notissimum Assueri convivium, quod juxta unanimem sacrorum interpretum consensum, proprium epuli Eucharistici est symbolum. Quod vero in eo ad nostrum præcipue propositum servit, loci est circumstantia. Etenim Susan civitas, in qua prædictum apparatum fuit convivium omnium in Persiâ et Babylonia urbium nobilissima erat, versus flumen Coaspe in situ delicioso et amœno collocata, denominationem suam trahens à liliis, quibus abundabat. In lingua namque Persica et Hebræa, *Susan, Lilium* sonat. Ac proinde ecce urbis accommodatissimam analogiam, candidus namque et immaculatus sacramenti Agnus *pascitur inter lilia* [1], et pascit illa, id est, unicum ejus delicium consistit in alendo et nutriendo animas puras et continentes, inque iis sua reperit pascua.

[1] JOAN., XIII, 7. — [2] ID., IV, 14. — [3] S. AMBROS., *in Ps.* XLV. — [4] S. BERN., t. II, s. 53. — [5] CANT., VI, 6.

## DISCURSUS XV.

SACRA COMMUNIO CARNALIA REFRÆNAT INCENTIVA, QUA A LAPSU ULTERIORI NOS PRÆSERVANDO, QUA AD EMENDATIONEM PERDUCENDO.

IDEA SERMONIS. — 1. Quomodo vinum Eucharisticum germinet virgines. — 2. Exemplum hujus S. M. Magdal. de Pazzi. — 3. Christus in S. Euchar. est lilium. Pulchra hujus ratio. — 4. Ager Ecclesiæ fœcundatur virginibus per hoc SS. Sacramentum. Pulchrum exemplum cujusdam Indæ. — 5. Elias mortem evasit, confortatus pane subcinericio, figura Eucharistiæ. — 6. Facile superatur luxuria, si vino Euchar. inebriemur. — 7. Caro nostra infirma sanatur, si fimbriam Christi in hoc sacramento tangimus. Exemplum S. M. Magdalenæ. — 8. Et mulieris sanguinis fluxum patientis. — 9. David ad solam recordationem S. Eucharist. se a peccato immunditiei liberandum sperat. — 10. Corinthii per usum Euch. mutati fuerunt in continentes. — 11. Filius prodigus, recordatus panis paternæ domus, deseruit vitium luxuriæ. — 12. Ecclesia jure vocatur virgo propter hoc sacramentum. Vinum naturale inebriat, hoc vero sobrios facit.

*Vinum germinans virgines,* Zachar., IX, 17.

**1.** — Prima quidem facie paradoxum esse videtur propheticum illud Zachariæ oraculum, per quod æternæ et infallibilis Veritatis verba per vinum virgines germinari attestantur, siquidem multis post sæculis idem Spiritus Sanctus per Apostolum loquens, dicit [2] : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu Sancto.* Ast omnis facile quiescit dubitandi ratio, si per vinum hoc, sacrosanctum et cœleste, Agni Eucharistici sanguinem, qui uteri virginalis, mediante Spiritu Sancto (siquidem [3] *quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*) fructus et partus est, intelligi et prophetatum fuisse didicerimus a S. Hieronymo dicente [4] : « Qui frumentum est electorum sive juve- « num, ipse est et vinum, quod lætificat cor homi- « nis et bibitur ab iis virginibus, quæ sunt sanctæ « et corpore, et spiritu, ut inebriatæ, atque gau- « dentes sequantur Ecclesiam et dicatur eis : *Addu- « centur virgines post eam, proximæ ejus afferentur*

[1] CANT., VI, 2. — [2] EPH., VII, 18. — [3] MATT., I, 20. — [4] S. HIER., *ib.*

« *tibi, afferentur in lætitia et exultatione.* Hoc vino « inebriati sunt, qui *sequuntur Agnum Dei quocumque ierit,* vestiti candidis vestibus, quia se cum « mulieribus non coinquinaverunt, virgines enim « permanserunt. » Sic enim jam inde a primis nascentis Ecclesiæ sæculis innumerabilium virginum in sexu fragiliori floruerunt germina, dum per virginitatis perpetuæ votum cœlesti se sponso consecrare non dubitaverunt, hoc sacramentali ebriæ vino, non vero alio illo ad libidinem provocante et per Spiritum Sanctum prohibito, quod Athenæus *lac Veneris* nuncupat. De quo et S. Hieronymus contra Jovinianum scribens, suam pariter ab experientia desumptam elicit sententiam, inquiens [1]: « Potus vini, ventrisque saturitas, semi- « narium libidinis est; » e contra vero vinum hoc, calix iste sacramentalis, *est vinum germinans virgines*; cujus textus varias Cornelius a Lapide adducit versiones, dum ait : *Vinum, fructificans, procreans, propagans, florere faciens virgines.*

**2.** — Et in primis quidem quis nescit, quantum vini hujus præstantia mentem, potentiasque omnes captivarit S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi Carmelitanæ, quæ juvencula et in statu sæculari adhuc constituta, dum in die Jovis sancto orationibus et immensi, quem Christus in Eucharistiæ institutione exhibuit, amoris contemplatione absorpta foret, tam sublime donum aliqua ex parte recompensare certa, perpetuo voto suam Sponso cœlesti in sacrificium obtulit virginitatem, quam semper immaculatam protexit, hujus divini beneficio germinis, quo quotidie pascebatur. Unde Theodoretus ait [2]: « Ipse vinum et frumentum donat, ut et juvenes « frumento confirmentur, et virgines ex vino læti- « tiam percipiant. » Quæ verba pariter Eucharistiæ effectibus adaptare possumus, ipsa namque vigorem nobis suggerit, nostramque naturam fragilem, adeoque ad carnis vitium inclinatam, corroborat. Qua enim ratione tot virgines candidum virginitatis lilium per 40, 60 et 80 annos illibatum, immarcessibile et floridum conservare potuissent, nisi hoc vino mystico humectatæ fuissent, de quo illa a Spiritu Sancto facta est promissio, *vinum, germinans virgines*? Scio equidem quod Pierius Valerianus lilium vino rigatum candorem suum perdere dicat [3]; hoc vero nequaquam de vino hoc mystico intelligendum venit, sed de eo *in quo est luxuria,* quale est vinum, priusquam per verba consecrationis convertatur in sanguinem Christi. Cæterum vinum hoc mysticum infallibiliter germinat virgines, candoremque virginalem adauget et conservat.

**3.** — In principio secundi capitis Cantici Canticorum Sponsus dicit [4] : *Ego flos campi et lilium convallium;* ast vero scire percuperem, cur Sponsus primo loco se *florem campi,* postea vero se *lilium* esse dixerit *convallium* : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*? Origenes per campum Synagogam, per convalles vero Ecclesiam intelligit [1], adeoque Sponsum respectu illius se florem, respectu autem hujus, lilium se nuncupasse dicit; ast quonam spectat hæc utriusque floris differentia? si solam distinctionem denotat, cur non potius se rosam, violam, narcissum, vel alium quemlibet florem, sed præcise lilium vocat? « Cujusmodi au- « tem lilium, » quærit Origenes? « Tale sine du- « bio, » inquit, « quale, ut ipse in Evangeliis dicit, « Pater cœlestis vestit, et neque Salomon in omni « gloria sua indutus est, sicut unum ex istis. Fit « ergo lilium in hac convalle Sponsus, in eo quod « vestivit eum Pater cœlestis tali vestimento car- « nis, quale nec Salomon in omni gloria sua ha- « bere potuit; non enim Salomon habuit absque « concupiscentia viri et concubitu mulieris, imma- « culatam, et nulli prorsus peccato obnoxiam car- « nem. » At vero, quod vel maxime proposito nostro deservit, est, quod, quamdiu fuit sponsus *flos in campo,* id est, in Synagoga, semper sterilis permanserit; non vero, quando factus est *lilium convallium*; id est, quando in Ecclesia floruit in Sacramento Eucharistiæ; tunc enim innumera germinavit virginum lilia, unde in iisdem Canticis *pasci inter lilia* dicitur; ut operæ pretium fuerit, quoniam ipse effectus est lilium, ut etiam proxima ejus, id est, unaquæque anima, quæ ei approximat, lilium fiat.

**4.** — In iisdem Canticis Sponsus cœlestis suam ita dilectam affatur [2] : *Venter tuus, sicut acervus tritici vallatus liliis*; quibus verbis fœcunditatem uteri Ecclesiæ, acervo frumenti, liliis obsepto, comparati, deprædicat; vere etenim qui sacras legit historias, certissimum esse deprehendet, quod sacræ virgines, quæ a S. Ecclesia, summa cum fœcunditate pariuntur, quovis sæculo in cœlestis hujus virtute frumenti, in perpetua virginitatis custodia constanter permanserint et velut lilia, vino Eucharistico irrigata, perpetim germinarint, novumque sibi inde castimoniæ candorem acquisierint. Ad hujus veritatis confirmationem servit facinus quoddam æterna memoria dignum, quod in litteris annuis Anni 1626 et 7, in Indiis Occidentalibus accidisse refertur; nam « Inda quædam, quæ « sacramenta frequentare consueverat, ab Indo ad « flagitium provocata, ubi ei in mentem venit, se « communionis schedulam penes se gestare, incre- « dibili ei constantia restitit; adeo ut cum aliter « non posset evadere, casti etiam Josephi virtutem « superarit; nam toga rupta et in impudici mani- « bus relicta, nuda omnino ab eo profugit; » quod si igitur tantam huic mulieri constantiam charta

[1] S. Hier., l. II *cont. Jov.* — [2] Theod., *ib.* — [3] Pier. Valer., *in Hieroglyph.* — [4] Cant., II, 1.

[1] Orig., h. 3 *ib.* — [2] Cant., VII, 1.

illa, in qua communionis fiebat mentio, suggerere potuit; quæ illa virtus erit, quam ipsummet sacramentum animæ conferet in ipsum confisæ, ut puram et castam se conservet?

**5.** — Jezabel illecebrarum carnalium typus erat [1], quia facie cerusa et stibio depicta, fenestræ incumbens, Jehu ad impuros sui amores allicere satagebat; quam proinde Elias, qui per totum vitæ suæ cursum virgo permansit, pede velocissimo, nec unquam, sive noctu, sive diu, per dies 40 revocato, studiosissime fugit. Ast observetis velim, quo cibo virgo Elias restauratus, periculum evaserit mortis, nimirum quia Deus per Angeli manum, Angelorum panem illi subministravit subcinericium, Eucharistiæ præfigurativum, quo refocillatus *ambulavit in fortitudine cibi illius, usque ad montem Dei Horeb*, « Sciebat enim Deus, » ut S. Augustinus in quodam sermone ait [2], « prophetam suum tentantem « diabolum aliter superare non posse. » Glossa hanc Eliæ fugientis constantiam; ad cœlestem hunc panem alludere his asserit verbis : « Ex quo « patenter innuitur, quod cibus ille Eucharistiæ « corporis et sanguinis Christi, manibus angelicis « defertur et refertur, per quem nostra infirmitas « elevatur. »

**6.** — S. Cyrillus autem, a Salmerone citatus, notat [3], « quod variæ sint dæmonis ad fallendum « insidiæ; nam primo ad vivendum turpiter indu- « cit, deinde cum mali onerati fuerint, tunc abhor- « rere a Christi gloria persuadet, qua possent a « turpitudine voluptatis, quasi ab ebrietate revo- » cari. » Facili enim negotio quævis anima Christiana a vino luxuriæ, quo major pars hominum inebriatur, præservari posset, si vino inebriaretur Eucharistico, quod Zacharia teste, *germinat virgines*. Idem quoque Cyrillus subdit, dicens : « Quare « demus operam, oro, ut vinculis ejus abruptis, et « jugo servitutis peccatorum excusso, in timore « Domini serviamus, et ut carnis voluptate per « continentiam superata ad cœlestem gratiam acce- « damus, corporisque Christi participes efficia- « mur. » Salmeron porro rationem assignat, cur hoc sacramentum ad continentiam in nobis conservandam tanta vi polleat : « Valet, » inquit [4], « contra carnem nostram rebellem, cum carnem « Christi virgineam contineat. » In homilia, quæ in octava corporis Domini ad Matutinum legitur, considerari merentur sequentia ejusdem S. Cyrilli Alexandrini verba : « Sedat, » inquit [5], « cum in « nobis maneat Christus, sævientem membrorum « nostrorum legem, pietatem corroborat. »

**7.** — Multi equidem sunt bonæ voluntatis, bona quoque in ordine ad pudicitiæ conservationem faciunt proposita, quibus tamen evenit, quod scriptum est : *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma*; quid igitur remedii adhiberi poterit, ut lutea hæc vasa fornicationis insultibus resistere valeant? Divus Chrysostomus super illa verba [1] : *Rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent*, hoc iis qui sunt hujusmodi, tradit consilium [2] : « Tangamus ergo etiam nos fimbriam ves- « timenti ejus; vel potius si volumus, ipsum totum « habeamus; non enim vestis solum, sed corpus « ipsius nobis propositum est, non ut tangamus « solummodo, sed ut comedamus et saturemur. Si « qui fimbriam vestimenti ejus tunc tetigerunt, « recte omnes convaluerunt, quanto magis corro- « borabimur, si totum in nobis habebimus? » Magdalena domum Pharisæi ingressa, adeo immunda erat, ut S. Lucas de ipsa dicat [3] : *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ploravit; lachrymis rigavit pedes ejus*, labia pedibus Christi astrinxit : *Capillis capitis sui tergebat et osculabatur pedes ejus*; totum illum panem sibi vendicavit, in hoc Cananæa longe superior, quæ unica illius mica contenta fuit; neque ab illo recessit, donec sibi dicentem audiret : *Dilexit multum, vade in pace*; et hanc sancta Dei Ecclesia in Litaniis supra omnes virgines, etiam martyres, honorat. Sed unde hæc in ea nata est confidentia, ut tunc et non antea ad Christum recurreret, quæ tot alias libidinis suæ flammas extinguendi occasiones pridem habuerat? nimirum non sine mysterio S. Lucas ait : *Ut cognovit, quod Jesus accubuisset*, etenim in convivio, in quo Christus sumitur et in mensa, in qua hic Panis Angelorum recumbit, omnis, quantumvis ardens, concupiscentiæ ignis extinguitur.

**8.** — Mulier illa tot annis fluxum sanguinis perpessa, animæ carnalis viva imago (unde David post admissum cum Bersabea adulterium, Deum rogabat : *Libera me de sanguinibus*, etc.), intra semetipsam ait [4] : *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus, salva ero*. Ubi Gilbertus Abbas ait [5] : « Dulcis « est attrectatio cui nam et ipse tactus fructu non « caret. Mulier illa Evangelica felici furto attingit « fimbriam Jesu et statim stetit in illa fluxus san- « guinis, fluxus carnalis illecebræ, carnalis delec- « tationis, desiccata sunt, quæ prius in illa fluida « erant et totum contingit ex contactu fimbriæ; « quid si caput ipsum amplexari contigisset? » S. Thomas per hunc fluxum, carnis intelligit vitium [6], « fluxum carnalium delectationum. » S. Antonius Patavinus per fimbriam, Christi carnem significari dicit [7] : « Vestimenta Christi, caro ipsius. » Ac proinde D. Chrysologus ait [8] : « Audiant Chris- « tiani, qui quotidie Corpus Christi attingunt,

[1] IV Reg., IX, 30. — [2] S. August., s. 65 *de Temp.* — [3] S. Cyrill., cit. a Salm. — [4] Salm., *ib.* — [5] S. Cyril., . IV *in Joan.*

[1] Matth., VI, 41. — [2] D. Chrysost., h. 51 *in Matt.* — [3] Luc., VII, 37. — [4] Matt., IX, 21. — [5] Gilb. Abb., s. 1 *in Cant.* — [6] S. Thom., 1. *in Dom. XXIII post Pent.* — [7] S. Anton. Pat., s. *in Dom. XXIV post. Trin.* — [8] D. Chrys., s. 34.

« quamnam de ipso corpore possunt sumere me-
« dicinam, quando mulier totam rapuit de sola
« Christi fimbria sanitatem; sed quod nobis flen-
« dum est, mulier de vulnere medicinam tollit,
« nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus; »
quamvis hoc ipsum ex sola mala dispositione nostra nascatur.

**9.** — Cassiodorus super illum versum Psalm. L [1]: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ,* inquit [2]; « liberari se Propheta petit de carnalibus
« delictis, ut jam desineret in ista fragilitate pec-
« care, » et quidem in primis sua vi se gratum futurum, debitasque se Deo gratias acturum esse promittit, dicens : *et exultabit lingua mea justitiam tuam*; *Domine labia mea aperies et os meum annuntiabit laudem tuam*; at vero, quidnam est illud, in cujus virtute se ab hoc fluxu liberandum esse præcipue confidit? idipsum indicat dum ait : *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis*; nimirum tempus aliquando futurum esse cognoscebat, in quo Deus animalia, tauros, boves et oves, in sacrificium nequaquam accepturus esset, sed solum sibi complaciturus in incruento Unigeniti sui sacrificio : *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ.* Ecce tibi, qualiter David ad solam, quantumvis remotam, Eucharistiæ recordationem se ab omni immunditia carnali liberandum esse speret.

**10.** — In prima Epistola ad Corinthios cap. v, S. Paulus ait [3] : *Omnino auditur inter vos fornicatio et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*; poteritne dari crimen aliquod hoc execrabilius? et tamen eodem Apostolo teste, paulo post magna in ipsis quoad hoc notata fuit emendatio, quia in secunda Epistola ad eumdem populum scripta ait [4]: *Æmulor vos Dei æmulatione, despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* At vero undenam hæc tam ingens mutatio processit? Utique non aliunde, quam ab Eucharistiæ percipiendæ frequentia, quæ postea apud illos in usu fuit; unde S. Paulus quoad hanc aliquos abusus tollere conatus fuit [5] : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Legatis totum caput, ab initio ad finem usque, illosque sæpius ad mensam Eucharisticam convenisse deprehendetis.

**11.** — Quisnam in hoc vitio sordidior fuit filio prodigo? etenim patrem ejus virum valde opulentum fuisse necesse est, hoc enim ex gregibus, servis et numerosa, quam habebat familiam, satis colligitur; unde ipsemet prodigus ait [6] : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus?* et tamen portionis substantiæ suæ partem, tam facile cum meretricibus consumpsit. At vero dic sodes, quandonam prodigus ille ex sordido hoc vivendi modo pedem suum revocavit? quandonam in se reversus dixit : *Ibo ad patrem meum, etc.* scitisne quando? in eo videlicet momento, quo panem patris sui in memoriam revocavit, dicens : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* et subito ut S. Lucas ait, sine ullius momenti interpositione dixit : *Surgam et ibo ad patrem meum*: Hæc autem *omnia in figura contingebant*, quia pater Deum, panis Filium ejus præfigurabat, qui ait : *Ego sum Panis vivus qui de cœlo descendi*; filius prodigus quemlibet denotat Christianum, qui postquam in voluptatibus carnis inveteratus est, pœnitens ad Deum recurrit; hic enim, si frequenter ad communionem accedat, facile emendabitur : *occidite vitulum saginatum*; qui Christi sacrificati typus erat. Unde S. Augustinus in Psalmo CXXXVIII scribens, his verbis nos monet [1] :
« Recordemur, » inquit, « panem patris nostri et
« non nos delectent siliquæ porcorum. » Idem quoque S. Doctor illud verbum *surgam* considerans, ait : « Sederat enim; ego vocem hic agnosco dicen-
« tis: *Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem*
« *meam* : sedi in egestate, surrexi in desiderio pa-
« nis tui. »

**12.** — S. Paschasius in libro de corpore et sanguine Domini supradicta Zachariæ verba ponderans, ait [2] : « Felix fructus ubertatis, ex quo virginitas
« germinatur, nam in hoc nostri germinis vino
« castitas corrumpitur, in isto vero virgines pro-
« creantur et ideo jure omnis Ecclesia Christi virgo
« nominantur, quia isto repleta vino nullum præter
« Christum amare novit. » Albertus Magnus ad convivium Assueri reflectens ait [3] : « Significat con-
« vivium Christi; » adducitque textum illum Esdræ lib. II, cap. III, in quo dicitur : *Vinum omnem mentem convertit in securitatem et honestatem*, quod quidem non de vino ex uvis expresso intelligi potest, sed de vino vitis illius, de qua dicitur [4] : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris et flores mei fructus honoris et honestatis. Tale vinum significationem habet ad effectum sanguinis Christi, qui in securitate et honestate animum convertit.* De hoc quoque vino mystico, inquit idem Albertus Magnus, Sponsa in Canticis loqui voluit, quando ait [5] : *Vineæ florentes odorem dederunt,* « ad quem odorem omne fugit
« venenosum. » Porro de ebrietate, quam hoc vinum generat, S. Bernardinus ait [6] : « Habet effica-
« ciam efficiendi animam sobriam contra incentiva
« voluptatis; » adducitque glossam super illa verba Marci, XIV : *Accepit Jesus panem, etc.*, dicentem :
« Ebrietas felix, salutaris satietas, quæ quanto
« copiosius sumitur, tanto sobrietatem mentibus
« donare dignatur. » Considerari quoque merentur verba illa Nazianzeni, de hoc salutari Calice disse-

[1] *Ps.* L, 16. — [2] CASSIODOR., *ib.* — [3] I COR., V, 1. — [4] II COR., XI, 1. — [5] II COR., XI, 23. — [6] LUC., XV, 17.

[1] S. AUG., *in Ps.* CXXXVIII. — [2] S. PASCH., l. *de Corp et Sang. Dom.* — [3] ALB. MAGN., *de Euchar.*, dist. 3. — [4] ECCL., XXIV, 23. — [5] CANT., II, 13. — [6] S. BERN., t. II s. 54.

rentis [1], cui attribuit « vim vitiosarum affectionum « consumptricem. » S. quoque Gregorius Nazianzenus inter alios hujus sacramenti effectus unum hunc esse dicit [2] : quod a cordibus nostris extirpet obscœnum amorem.

## DISCURSUS XVI.

CORPUS CHRISTI, DUMMODO NOS DISPOSITOS INVENIAT, VIRTUTEM NOBIS COMMUNICAT CASTITATIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Per craterem tornatilem intelligitur sanguis; per acervum tritici, corpus Christi. — 2. Quid significet acervus tritici vallatus liliis. — 3. Componit mores ad honestatem S. Eucha. S. Joannes lilium puritatis, requievit super pectus Jesu. Mysterium, cur superliminaria tingenda sanguine Agni explicatur. — 4. Per panem subcinericium Gedeonis, signatur S. Euchar. — 5. Massa ficuum designat Corpus Christi. — 6. Christus nobis in S. Eucharistia confert suam munditiam. — 7. Pulchrum exemplum ad hanc rem faciens. — 8. Vitium carnis pani Angelorum plane est contrarium. Unde processerit fames filii prodigi. — 9. Cur Jesus solus remanserit cum muliere adultera. — 10. Opus est sedula præparatione ut S. Eucharistia habeat in nobis suos effectus. Exerce te in castitate. Cur Agnus paschalis fuerit assus et non coctus. — 11. Cur comestus cum lactucis agrestibus. — 12. Multiplicatus panis in deserto, figurabat S. Eucharistiam. — 13. Christus corpus suum mortuum honesta voluit honorari sepultura. Et per quales ministros.

*Venter tuus, sicut acervus triticivallatus liliis.* Cant., VII, 2.

**1.** — Salomon in spiritu prophetico cum sponsa sua colloquens, ad Ecclesiam alludit, cui in nova lege gratiæ verus Salomon Christus desponsandus erat; et inquit [3] *Venter tuus, sicut, etc.* paulo ante idem sponsus quoque dixerat, *umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis;* per quem craterem vino indeficienti plenum, sacramentum altaris haud incongrue intelligere possumus, sub speciebus vini consideratum, tamquam sanguis agni Eucharistici; per acervum vero tritici, corpus Christi sub specie panis significatur; de hoc umbilico in sensu mystico Hugo Cardinalis ita scribit [4] : « Potest Ecclesiæ universalis umbilicus dici Romana « Ecclesia, quæ ad modum umbilici, in universali « medium tenet locum, seque mediam et commu- « nem debet omnibus exhibere; » huic autem hic calix numquam deerit, quia infallibilis est Christi promissio dicentis : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Idem quoque Rex in cap. IX Proverbiorum erectionem sublimis ædificii Ecclesiæ, a divina Sapientia fabricati et fundati super septem columnas, quæ sunt septem sacramenta, prædicit, ubi de sacramento Eucharistiæ disserens, mentionem quoque facit panis pariter et vini; dum ait [1] : *Venite, comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis.* Septuaginta legunt : *miscuit vinum in cratere.* Porro per ventrem acervo tritici comparatum, fidelium denotatur fœcunditas, derivata a mensa Eucharistica et ab hoc divino frumento, de quo incarnata Sapientia dicit [2] : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert;* ac proinde de hac spirituali fœcunditate Psalmista prophetans, in Psalm. 127 ait : *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ; Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.*

**2.** — Verum enim vero, quidnam in eo latet mysterii, quod hic acervus tritici circumquaque liliis cingatur [3] : *Vallatus liliis?* Hugo Cardinalis ait [4] : « Id est honestate vitæ, » quæ per lilium significatur : hoc enim sacramentum honestari et pudicitiæ comparandæ plurimum confert, eamdemque in iis, qui ad hoc sacramentum accedunt, consequenter valde requirit. In superioribus textum illum Zachariæ [5] : *Quid pulchrum ejus, etc.,* sæpius repetivimus. Albertus Magnus autem ad propositum nostrum ideo prophetam hoc dicere inquit : « Quod scilicet conversationem ad honestatem com- « ponat; » communio enim fidelibus honestatem ut plurimum insinuat; illi enim qui hoc sacramentum sumpserunt, eodem die se in moribus valde honestos et continentes exhibere solent; experientia enim quotidiana nos docet, quod multi propter reverentiam communionis sumptæ, ad minus illa die in loquendo valde cauti sint et cum ædificatione summaque cum modestia cum proximis conversentur; adeoque conversationem ad honestatem componit. Observastisne aliquando, quid in Cœnaculo Sionitico circa institutionem hujus sacramenti acciderit? vix enim frumentum illud e Cœli granariis descenderat, vix panis in Corpus Christi Eucharisticum transubstantiatus fuerat, cum ecce liliis circumdatum conspiciebatur; quis enim tunc supra pectus Domini in cœna recubuit? num forte Petrus, Andreas, vel Philippus? nequaquam, sed *discipulus ille quem diligebat Jesus;* at vero cur huic hæc prærogativa præ cæteris indulgebatur? nimirum quia lilium erat; erat dilectus ille quem in sacris Canticis inter lilia positum fuisse scimus [7] : *Dilectus meus mihi qui pascitur inter lilia;* ecce *dilectum,* ecce *lilium: discipulus ille, quem diligebat Jesus.* B. Petrus Damianus ad respirationem et halitum, quem Christus Joanni supra pectus suum dormienti superimmittebat, se reflectens, ait [8] : « Ita in ejus

[1] NAZIANZ., or. 35. — [2] S. GREG. NYSS., or. 8 *in Eccl.* — [3] HUG. CARD., *ib.* — [4] PROV., IX, 5,

[1] JOAN., XII, 24. — [2] *Ps.* CXXVII, 8. — [3] HUGO CARD., *ib.* — [4] ZACH., IX, 13. — [5] ALB. MAG., *ib.* — [7] CANTIC., II, 16. — [7] S. PET. DAM., s. 1 *de S. Joan. Apostol.*

« visceribus omnium libidinum fomenta decoxit, « ut corpus ejus tamquam revera Spiritus Sancti « templum a cunctis vernaret æstuantis luxuriæ « squaloribus defœcatum. » S. Hieronymus de hoc sacramento dicit [1] : « Calor Spiritus Sancti exsic- « cat fontem libidinum. » Cui consonant verba illa S. Ambrosii dicentis [2] : « In carne Christi, quæ « nostrarum æstus refrigeravit cupiditatum, quæ « compescuit insolentiam vitiorum, quæ extinxit « ignes libidinum, quæ diversarum passionum « incendia temperavit. » Audite, quibus verbis D. Chrysologus annonam cœlestem qua pater, quem invocamus in cœlis, nos tamquam filios alit, ad propositum nostrum circumscribat [3] : « Mensa « patris, » inquit, « nos alit virtutis cibo, salutis « epulo, deliciis honestatis et gloriæ. »

**3.** — Deus olim populs suo, ut superliminaria domus sanguine agni tingerent, præcepit, dicens [4] : *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine et aspergite ex eo superliminare et utrumque postem.* At vero quis est qui agnum hunc, agnum Eucharisticum præfigurasse ignoret ? ac proinde hoc supposito quærendum venit, quodnam sit tincturæ superliminarium latens mysterium. Theodoretus ait [5] : « Hæc universa mysteriorum nostro- « rum sunt ænigmata, nam et nos ungimus Agni « nostri sanguine, non tantum limen, sed utrumque « postem, purgantes et sanctificantes exterius lin- « guam et labia, interius autem et secundum « intellectum, pro limine rationalem partem et pro « utroque poste facultatem irascendi et concupi- « scendi. » Ecce tibi effectum, quem Agnus ille in anima nostra operatur ; reprimit enim non solum irascibilem, sed multo magis concupiscibilem appetitum.

**4.** — Pugnabat olim populus Dei contra Madianitas, cumque magnopere periclitaretur, ne servi et mancipia fierent idololatrum, Gedeon jussu Dei pro eodem populo dimicans gloriosam de iis reportavit victoriam ; at vero qua virtute illum hostes suos detriumphasse existimatis ? *Videbatur mihi,* inquit Gedeon [6], *quasi subcinericius panis volvi et in castra Madian descendere, cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit et terræ funditus coæquavit.* Quinam vero sunt ibi Madianitæ? certe non alii quam insultus et conflictus cogitationum et motuum rebellium et carnalium continui insultus, quibus incessanter infestamur ; et quantumvis hic rebellis carnis hostis valde potens sit, ad illum tamen profligandum cœlestis hic panis abunde sufficit; unde S. Bernardinus ait [7] : « Per Madian « carnalia desideria intelliguntur, quæ secundum « illud I Petri II, *militant contra animam* et ideo « castra Madian malorum desideriorum pravitates « sunt, quæ subvertit subcinericius panis, id est, « hoc sacramentum, in quo est panis vitæ. »

**5.** — Vulnus illud Ezechiæ incurabile, jussu Dei sanatum carnalem præfigurabat concupiscentiam, *quæ militat in membris nostris,* de qua in veritate dici potest : *non est qui se abscondat a calore ejus,* cum nemo sit, qui vel calorem, vel saltem fumum hujus ignis in se non experiatur. Dicit autem sacer textus [1] ; *Et jussit Isaias, ut tollerent massam de ficis; et cataplasmarent super vulnus et sanaretur.* S. Bernardinus ait [2] : « Ad sanandum in corpore « morbum concupiscentiæ, Dominus dedit hoc sa- « cramentum figuratum in ficu ; Isaias enim offerri « jussit massam ficuum, quam cum posuisset super « ulcera Regis, ulcus Regis sanatum est. Ulcus Re- « gis concupiscentia est carnis, sed ficuum massa « Corpus est Domini, continens omnium bonorum « suavitatem. »

**6.** — B. Algerus in libro *de sacramento altaris,* postquam Christum, suum ex Virgine corpus, integritatem ejus intactam conservando, per miraculum nullo umquam sæculo visum, assumere voluisse demonstrasset, ita tandem ad nostrum concludit propositum, dicens [3] : « Ut autem sic innasceretur « Deus, illum decuit, nobis profuit, ut mundus na- « tus nos mundaret, potenter natus infirmos robo- « raret, suam enim munditiam, ut conformitate « illa sibi uniti placeremus, nostram esse voluit. » S. quoque Chrysologus ex Verbi incarnatione, medio Spiritu sancto consummata, hunc extensionis incarnationis, quæ Eucharistia est, eruit fructum, dum illa considerans S. Gabrielis ad Mariam dicta verba [4] : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi,* ita subjungit [5] : « Æstus nostri corporis nescit, quem di- « vinæ protegit umbra virtutis. »

**7.** — Vir quidam in primis dissolutus, ut in vita legitur S. Macarii Ægyptii [6], ardenti amore quamdam deperibat conjugatam, æquali honestate et pulchritudine pollentem, quam cum in suam nullatenus inclinare partem potuisset, magum convenit impium, qui suis artibus magicis mulierem ab affectu mariti alienatam, ad hujus proci induceret amorem. Variis itaque adhibitis machinamentis, sed omnibus in cassum cadentibus, id tandem effecit, ut saltem secundum exteriorem speciem, non mulierem, sed jumentum repræsentare videretur. Maritus ergo infelix monstrum fræno alligatum ad S. Macarium adduxit, cui Dominus totam revelaverat rei gestæ seriem. Ut igitur ad S. virum pervenit, hic eam non feram, sed mulierem esse asseruit ad maritum ejusque familiares dicens : fallimini, oculos enim equinos habetis, a communi inimico delusi ; deinde ut mulierem aqua sancta servus Dei

[1] S. Hier., *ib.* — [2] S. Amb., s. 19 *in Ps.* cxviii. — [3] D. Chrysol., s. 1. — [4] Exod., xii, 22. — [5] Theod., q. 24 *in Exod.* — [6] Jud., vii, 12. — [7] S. Bern., t. II, s. 64, a. 5.

[1] Isa., xxxviii, 21. — [2] S. Bern., t. II, s. 54, a. 1. — [3] B. Alg., lib. *de Sacr. alt.* — [4] D. Chrys., ser. 142. — [5] Luc., i, 35. — [6] Ribaden., *in Vita S. Macarii.*

conspersit, pristinæ subito formæ illam restituit ; quam ad sacramenti altaris frequentationem adhortans, hanc ei illusionem obtigisse dixit, quia scilicet Christi Corpus per quinque septimanas recipere neglexerat.

**8.** — B. Algerus de vitio carnis, huic Angelorum pani summe contrario, tractans, sequentem proposito nostro peraccommodum format discursum [1] : « Hæc pestis, præ cæteris vitiis est naturæ familiarior, eo ad cavendum difficilior ; quia cum « repellitur, nolenti se ingerit importuna, cum « admittitur, volenti incumbit blande onerosa et « dum sic sensim infundit amorem suum, prorsus « extirpat amorem cœlestium. Sed quid e contra « faciendum, ne pereamus ? Angelicam in terris « vitam ducamus ; » cujus dicendæ modum præstantissimum ait esse communionem frequentem, dicens : « Quatenus castitatis munditia, corde et « corpore Christi simus munditiæ conformes, ne « cœlesti alimonia indigne reficiamur, simus spe et « conversatione cœlestes ; quia panis Angelorum « non nisi angelicæ vitæ est stipendium. » Quo fine ingeniosam adducere lubet, quam S. Ambrosius instituit observationem [2] circa illa Lucæ de filio prodigo tractantis verba [3] : *Facta est fames valida in regione illa et ipse cœpit egere,* imo tanta laborare fame, *ut cuperet implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant et nemo illi dabat : in se autem reversus dixit : quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo ? surgam et ibo ad patrem meum* : vita autem hujus degeneris filii adeo carnalis erat, *ut dissipaverit substantiam suam vivendo luxuriose, cœperitque egere ;* ubi S. Ambrosius ait [4] : « Egere ideo cœpit « et famem pati, quia nihil prodigæ satis est vo- « luptati ; semper famem patitur sui, qui alimentis « perpetuis nescit impleri. » Quisquis enim hujus cibi cœlestis nauseam et repugnantiam patitur, libidini in prædam cedat, necesse est et quantavis delectatione fruatur, illa tamen satiari nequit. At vero quodnam est ad hunc ignem in lascivis extinguendum remedium ? nimirum panis illis proponatur Angelorum, hujusque in illis excitetur fames et desiderium, glandium vero, id est, delectationum venerearum horror imprimatur. Unde S. Doctor ait : « O Domine Jesu ! a nobis auferas siliquas et « panes tribuas, tu enim dispensator in domo es « Patris. »

**9.** — Nescio, an aliquando ad hoc vos reflexeritis, quod cum Salvator noster alias in tot occasionibus obviis exemplo suo nos docuerit, ne soli cum sola muliere unquam conversemur, nihilominus quando mulier adultera ad eum adducta fuit. S. Joannes de ipso ita scribit [5], *et remansit solus Jesus et mulier in medio stans.* Porro Samaritana ad eum in loco publico juxta puteum sedentem accessit, ad quem omnes civitatis incolæ aquam hauriendi causa solebant accedere et in quo ab unoquoque videri et audiri poterat ; Magdalenam quoque pœnitentem in domo Pharisæi recipere voluit, ubi multi invitati convivæ præsentes erant ; cur igitur hic solus cum hac adultera sola morari voluit ? tametsi enim verum sit, quod lux Solis non inquinetur, licet radios suos in terræ sordes extendat, nullumque fuerit periculum illi qui *candor est lucis æternæ et speculum sine macula,* nihilominus exemplum istud non videbatur mundo adeo salutare, sed malam facile inducere poterat consequentiam, quia *remansit solus et mulier.* Respondet quidam egregius vitæ spiritualis Magister, incarnatam Sapientiam per hanc actionem ostendere voluisse, quantæ efficaciæ et virtutis sit præsentia ejus corporalis ad extinguendum in aliis concupiscentiæ incendium, siquidem in tam brevi temporis mora, per divinum suum consortium adulteram hanc ab infirmitate sua carnali adeo perfecte sanavit, ut illam velut aliam quamdam Magdalenam semper puram et castam in domum suam remiserit, dicens : *Vade et jam amplius noli peccare.* Voluit insuper per hoc factum innuere, quod quando servitium Dei, salus animarum, nostrique convenientia, ministerii id exigit, hoc sacramento armati et fortificati præsentia Christi corporali, cuivis periculo secure obviam ire possimus, *remansit solus, etc.*

**10.** — Enim vero summa rei in eo consistit, quod Eucharistiam hanc stimulos carnales reprimendi efficaciam habere minime sufficiat, nisi nos quoque ad illam accedentes eidem efficaciæ correspondeamus, curando, ut ab omni turpi macula alieni et purificati simus, nam ut S. Thomas a Villanova ait [1] : « Oportet accedentem mundum « gestare cor ab omni malitia et mundum corpus « ab omni luxuria, ut sit sanctus corpore et spi- « ritu. » Idem quoque documentum in libro qui titulus : *De corpore et sanguine Domini,* nobis in hæc verba tradit S. Paschasius [2] : « Exerce te in « castitate, quoniam hic sanguis nihil magis dili- « git, quam in Christo virgines. » *Ex opere* quidem *operato* flammas in nobis impuri extinguit amoris, nihilominus *ex opere operantis* nostram pariter exigit cooperationem, vultque, ut inordinatos et lascivos seponamus affectus, a lubricis nos sequestremus conversationibus, corpusque recalcitrans jejuniis maceremus et castigationibus ; ideoque forsan Dominus agnum manducari voluit assatum, non lixum, aut quocumque alio modo præparatum, cujus præcepti proinde mysterium ita explanat, a figura ad figuratum, ab Agno, inquam, paschali ad Eucharisticum transiens S. Eligius [3] : « Sic istius carnes

[1] B. Alger., l. *de Sacr. alt.* — [2] S. Ambr., l. VII *in Luc.* — [3] Luc., xv, 15. — [4] S. Ambros., ubi supra. — [5] Joan., viii, 7.

[1] S. Thom. a Villanov., conc 3 *de sacr.* — [2] S. Pasch., l. *de Corp. et sang. Dom.* — [3] S. Elig., *Nov.*

« assas comedamus, » inquit hic sanctus, « ut per-
« cepturi sacramenta corporis ejus, ab omni fluxu
« concupiscentiæ carnalis nos emundemus. » Quod idem mysterium his verbis insinuat Albertus Magnus dicens[1] : « Nec crudum, nec coctum aqua sumitur,
« sed tantum assum igni; crudum enim cor, quod
« nulla decoctione pietatis et charitatis ab humore
« concupiscentiæ est transmutatum, elixum est
« aqua, quod aqua fervens concupiscentiæ mun-
« danæ interius ab omni pietatis amore destituit.
« Assa igni intus sunt humida, et exterius sicca
« sunt per propriæ carnis mortificationem. » Quam doctrinam ante omnes alios sanctus nobis tradidit Cyprianus, dum ait[2] : « In veru crucis, boni odoris
« assatio omnem excoquat carnalium sensuum
« cruditatem. »

**11.** — Alium quoque Agni paschalis manducandi ritum, in hæc verba legitur præscripsisse Deus [3]: *Edent carnes istas assas igni cum lactucis agrestibus* ; cujus ceræmoniæ mysterium idem pandit S. Eligius, dum ait[4] : « Lactuca agrestis valde
« amara est, et in viris luxuriam reprimit, signifi-
« cat autem hoc, ut quando ad corpus Christi, qui
« verus est agnus, sumendum accedimus, refrænata
« luxuria, servetur cordis et corporis munditia. »
Iterum agnum renibus præcinctis manducare jubentur : *Sic autem comedetis, illum : renes vestros accingetis.* Quod præceptum S. enucleans Bernardinus, ait[5] : « In renum accinctione duo
« comprehende, abjectionem immunditiæ, et
« exemplum bonum munditiæ, » cui glossæ illa consentit S. Elegii doctrina inquientis[6] : Id
« est, delectationes noxias, et carnalium deside-
« riorum fluxa restringamus. » Quæ expositiones cum illa concordant S. Gregorii, dicentis[7]: « Quid
« in renibus nisi delectatio carnis accipitur ? unde
« Psalmista ait : *Ure renes meos.* Si enim voluptatem libidinis in renibus esse uesciret, eos uri mi-
« nime petiisset, qui ergo Pascha comedit, habere
« renes accinctos debet, ut voluptates edomet,
« carnem a luxuria restringat. »

**12** — Miraculosa quoque panum in deserto multiplicatio Eucharistiam figurabat, vi cujus proinde Christus ad populum præsentem varii instituendi sermonis desumpsit materiam. Notandum autem, quod Salvator inter alia dixerit[8]: *Facite homines discumbere*. Ubi immediate Evangelista subnectit: *Erat autem fœnum multum in loco.* Ast cur, obsecro, convivium hoc super fœnum institui voluit ? Respondet Rupertus Abbas[9]: *Super fœnum, id est, ut reprimant vitia carnis.* Siquidem verissima illa est sententia, qua dicitur : *Omnis caro fœnum.* Unde et Beda inquit[1] : « Discumbat super
« fœnum, voluptates carnis edomet, quisquis panis
« vivi cupit suavitate refici. »

**13.** — Quod equidem mysterium subesse creditis, quod Salvator noster sacratissimum corpus suum, in pœnosissima 33 annorum Iliade prope exenteratum, post mortem tanta cum sollicitudine, et cura voluerit honorari ? circumstantiam advertite operationum : ante siquidem suum nec dum in Eucharistia Ecclesiæ consignaverat corpus, id quod præstitit in ultima Cœna. Postquam igitur illud idem in passione sua Patri æterno obtulisset sacrificium, ipsum honore et veneratione affici a Synagogæ principibus, scilicet a Nicodemo et Josepho ab Arimathia multis cum obsequiis sepeliri, novo tumulo includi, pretiosisque aromatibus condiri voluit; qua de re Drogonem Ostiensem audire placebit, dicentem[2] : « Tales sepulturæ suæ ministros
« amabat Jesus, qui corpus ejus audaciter eripiant,
« de potestate tenebrarum et sibi vendicent, et
« sciat unusquisque vas suum possideri in sanctifi-
« catione, et honore, ligantes illud castitatis legi-
« bus. » Pergit idem ulterius, et ex myrrha et aloe, quibus corpus Christi mortuum conditum fuit, sequentem ad nostrum provectum infert moralitatem : « A vermium putredine conservantes, » inquit, « per mixturam myrrhæ, et aloes : sunt enim
« hæ species amaræ quidem, sed corruptelam re-
« moventes, quoniam laboriosa quidem est casti-
« gatio carnis, sed aliter neque mens neque ipsa
« caro servatur imputribilis. »

[1] ALB. MAG., *de Euchar.*, dist. 2. — [2] S. CYPR., s. *in Cœna Dom.* — [3] EXOD., XII, 8. — [4] S. ELIG., *ib.* — [5] S. BERN., t. II, s. 57. — [6] S. ELIG., *ib.* — [7] S. GREG., h. 22 *in Evang.* — [8] JOAN., VI, 10. — [9] RUPERT. ABB., l. VI *in Joan.*

## DISCURSUS XVII.

PANIS EUCHARISTICUS NOS CORROBORANDI VIM HABET, NE CADAMUS, ET UT IN BONO PERSEVEREMUS.

IDEA SERMONIS. — 1. Panis Eucharisticus confirmat cor hominis, ad malum vitandum. — 2. Quid designet agnus comestus cum baculis in manibus. Eucharistia est baculus, cui secure inniti possumus. — 3. Notabilia historia applicata S. Sacramento Eucharistiæ. — 4. S. Eucharistia stabilit nos et confortat in bono. — 5. Facit etiam nos perseverare in bono. — 6. S. Theresia ex eo confortata fuit ad aggrediendum ardua. — 7. Multi in via Dei deficiunt, defectu hujus divini cibi. Caveant fideles, ne pudor illos ab hac mensa retrahat. — 8. Multiplices fructus digne communicantium. — 9. Continuatio eorumdem fructuum.

*Panis cor hominis confirmet.* Psal. CIII, 15.

**1.** — Regius Propheta cui sublimiora Ecclesiæ mysteria divinitus revelata fuere, die quadam absorptus in extasin prædixit[3]: *Ut educas panem de terra et vinum lætificet cor hominis, exhilaret faciem in oleo*

[1] VEN. BED., *ib.* — [2] DROG. HOST., *de Sacr. Domin Pass.* — [3] *Ps.* CIII, 14.

*et panis cor hominis confirmet*; quæ verba adeo clare ad Eucharistiæ institutionem allusere, ut de iis vere dici possit, quod habeant *tot sacramenta, quod apices*; et quidem in primis Psalmista ait : *Ut educas panem de terra*; id est, ut S. Hieronymus exponit [1]; « a terreno corporis agro, quem a nobis assumpsit, « mysterium proferens cœlestis panis, et poculi « salutaris, quo reficiatur Ecclesia; » vel etiam ut Hugo Cardinalis declarat [2] : « Panem, de quo Joannis VI, « *Ego sum panis vivus qui de Cœlo des-* « *cendi; ut educas de terra*, de qua in Psalmo LXXXIV « *Benedixisti Domine terram tuam*, id est, de B. « Virgine; *et vinum lætificet cor hominis*, id est, « sanguis ejus, de uva corporis ejus expressus in « torculari crucis. » S. Augustinus verba illa : *Et vinum lætificet*, etc. ad calicem Eucharisticum in specie vini consecratum alludere, dicit [3], de quo Psalmista ait [4]: *Calix meus inebrians, quam præclarus est?* Sequitur : *Et exhilaret faciem ejus in oleo* : spiritualiter autem, ut Carthusianus inquit [5] : « *Ex-* « *hilaratur facies.* Id est, mens *in oleo*, id est, in « unctione seu gratia Spiritus Sancti; » hoc enim sacramentum *Eucharistia* nuncupatur, id est, *bona gratia*, quia illo mediante gratiis cœlestibus impinguatur anima nostra. *Et panis cor hominis confirmet* id est ut S. Augustinus exponit : « Christus, qui est « *panis, qui de cœlo descendit.* Etenim panis mani- « bus nostris subactus, et pistus, » inquit idem S. Doctor, « nostrum quidem stomachum confortat « et corroborat; at vero panis de quo David loquitur « est alius panis, qui cor confirmat, ideoque panis « est cordis. » S. Hieronymus proinde super illa verba S. Matthæi : *Cœnantibus autem illis, accepit Jesus panem*, inquit [7]: « Assumit panem, qui confor- « tat cor hominis, ad verum Paschæ transgreditur « sacramentum. » Considerandum quoque, Psalmistam non dicere, quod panis homiuem confirmet sed cor hominis corroboret, ut hoc loquendi modo divinum hunc panem totum hominem interiorem et exteriorem corroborare insinuet. Cor enim in corpore, est omnium operationum nostrarum primum mobile, et principium vitæ, viva quoque caloris, et spirituum vitalium scaturigo, et arteriæ pulsus, et respirationis præcipuus auctor, ac proinde vigore suo totum corpus, quantumcumque est, in vigore suo conservat, sicut e contra corpus per languorem cordis in omnibus membris suis languet et tepescit : eosdem igitur effectus, quos cor in corpore humano operatur, Eucharistia quoque in corde nostro spiritualiter producit, quia *panis cor hominis confirmat.* Unde S. Hieronymus ait [8]: « Ipse « panis, ipse corda nostra confirmat, qui descen- « dens de Cœlo, tribuit vitam mundo. »

**2.** — « Confirmet, » scilicet ut Hugo Cardinalis ait [1]: « ad malum vitandum, » natura enim nostra semper declinat ad malum, teste Apostolo, qui ait [2]: *Quod nolo malum, hoc ago.* Ecce tibi igitur antidotum, et præservativum de quo nobis pietas divina prospexit, videlicet, panem hunc Eucharisticum, qui cor hominis ad malum vitandum confirmet. Quonam mysterio a Deo præceptum fuisse existimatis, ut Israelitæ baculum in manibus tenentes agno se paschali reficerent : *Sic autem comedetis illum, tenentes baculum in manibus*? potius illis in procinctu ad proficiscendum in terram promissionis constitutis, atque ab Ægyptiis hostiliter agitatis, præcipiendum fuisse videtur, ut manus ense, pedes vero calcaribus armarent Nazianzenus mysterium hoc explicans, inquit ; « Hic lex fulcientem baculum tibi « præscribit, nec ubi animo titubes, cum sangui- « nem Dei, et passionem audis, et impie corruas. » Verumtamen clarius dicere possumus, quod sicut baculus debilitatem nostram sustentat, nec corruamus, eodem modo quamdiu viatores sumus, Deus, qui *cognovit figmentum nostrum* de hoc nobis viatico providit, ut eo confortati in pedibus sustentemur, quia *panis cor hominis confirmat*; unde Nazianzenus hominem sacra communione refectum, his verbis alloquitur : « Innixus sta firmus et stabilis, atque « ita comparatus, ut nulla in re quatiaris ab ad- « versariis. » S. Cyrillus Alexandrinus proinde de Eucharistia dicit [5]: « Pietatem corroborat, perturba- « tiones animi extinguit, ab omni nos erigit casu. » Porro domus vetustæ semper aliquam minantur ruinam ac proinde cum S. Apostolus de hoc corpore nostro dicat : *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur*; Job quoque nos *domos luteas inhabitare* dicat, idem quoque Apostolus, corruptam naturam nostram *veterem hominem* appellat [8], supremus ille Artifex, de quo dicitur, *ipse fecit nos, et non ipsi nos* novam quamdam inventionem excogitavit, qua semetipsum nobis in pane Eucharistico in alimentum nostrum reliquit, ut per hoc in pedibus constanter sine metu ruinæ conservemur : *Panis cor hominis confirmet.*

**3.** — Anno 528 cum civitas Antiochena horrendis terræ motibus quateretur [9], multæque inde domus corruerent, Deus cujusdam viri religiosi animo inspiravit ut civibus suaderet ut hæc verba portis civitatis inscriberent : *Christus nobiscum stato.* Quibus verbis foribus civitatis inscriptis, mox omnis terræ motus cessavit : unde sequens indissolubile formare possumus argumentum : si hæc verba ad sustentandum domuum muros, ne ex terræ motu caderent, tantæ efficaciæ fuerunt, quanto magis quilibet Christianus, sumpto hoc sacramento, ab omni ruina securus esse poterit, quippe qui ejus-

[1] S. HIER., *ib.* — [2] HUGO CARD., *ib.* — [3] S. AUG., *ib.* — [4] *Ps.* XXII, 5. — [5] D. CARTH., *ib.* — [6] S AUG, *ib.* — S. HIER., in C. XXVI *Matt.* — [8] ID., *ib.*

[1] HUG. CARD., *ib.* — [2] ROM., VII, 19. — [3] EXOD., XII, 11. — [4] NAZIANZ., OR. 42. — [5] S. CYRILL. ALEX., l. IV *in Joan.* — [6] II COR., V, 1. — [7] JOB., IV, 19. — [8] ROM., VI, 6. — [9] BAR., an. 528, n. 21.

dem Dei in sacramento existentis corporalem in corde suo habet præsentiam. Inter alias vero concussiones, validioresque ventos, quibus lutea nostra hæc domus conquassatur impetuosissimi sunt inordinati nostri appetitus, tentationes sensuales, motus, et stimuli carnis, aliæque iræ, odii, avaritiæ, et similes passiones, quibus Eucharistia efficaciter resistit; unde Ecclesia providit, ut in gratiarum actione post communione (quando vere dicere possumus : *Christus nobiscum stato*) inter alia hæc quoque devota verba dicantur : « Sit motuum meo- « rum tam carnalium quam spiritualium perfecta « quietatio, in te uno, ac vero Deo firma adhæsio. » Et merito quidem idipsum ab hoc Sacramento expectatur, nam ut S. Bernardinus Senensis ait [1] : « Hoc sacramentum roborat habitum gratiæ, ex « quo tamquam ex armatura animæ, mens a pravis « cogitationibus defensatur. »

**4.** — Albertus Magnus textum illum S. Pauli adducens, in quo ait : *Optimum est gratia stabilire cor*, sequentia verba scribit [2]: « Gratia cor stabilit, « et confortat ad hoc, quod in bono divino perma- « neat : hoc autem specialiter hæc gratia facit : adducitque versiculum illum sæpe a nobis repetitum *Panis cor hominis confirmat*, et subdit : « Ex debili- « tate enim hominis homo hac gratia destitutus « nutat, et vacillat, se ipsum tenere non valens, « hujus gratiæ medicina destitutus ; et diu nuta- « verat Paulus ut sicut dicitur, *Act., cum accepisset*, « *gratiæ hujus cibum, confortatus est.* » Thomas de Kempis de hoc sacramento disserens, pariter ait [3] : « Proni sunt sensus hominis ad malum ab adoles- « centia sua, et nisi succurrat divina medicina, « habitur homo mox ad pejora ; retrahit ergo « S. Communio a malo, et confortat in bono. » Similiter S. Franciscus de Sales in Epistola quadam ita scribit [4] : » Per experientiam XXIII annorum « quod in servitium animarum collocavi, manibus « quasi palpare potui, quam potens sit virtus divini « hujus sacramenti ad confirmandum animas « in bono, et liberandas a malo, easque spirituа- « liter consolandas, et ut uno verbo dicam, in hoc « mundo deificandas, dummodo viva fide, conve- « nienteque puritate, et devotione frequentetur. »

**5.** — *Cor hominis confirmat*, scilicet ut Hugo Cardinalis ait [5]: « ad bonum faciendum » Qui idem considerat, quod in oratione Dominica, postquam a Deo petimus : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra*, mox ut hunc effectum consequi valeamus, edocti simus petere sacratissimum dominici corporis Sacramentum, dicendo : *Panem nostram super substantialem da nobis hodie* « quasi dicamus, « ut tuam possimus facere voluntatem, confirma « corda nostra pane tui corporis. » S. Bernardinus inter alios divini hujus cibi effectus, sequentes quoque recenset [1]: « Roborat, » inquit « mentem et « quodammodo carnem; mentem, ut persistat in « bono; carnem, ne ruat in malum. Roborat men- » tem, ut persistat et crescat in bono, nam « per hoc, quod mens per gratiam conjungitur in « sacra communione Christo, spiritualis ejus vita « roboratur, et confirmatur sicut corpus roboratur « per cibum. » Idem quoque in articulo III, cap. III, ejusdem sermonis subnectit, dicens [2] : « Facit hoc « sacramentum perseverare in via Dei usque ad « finem vitæ. Omnes virtutes sine perseverantia « contra vitium pugnare possent, sine perseverantia « autem vincere nequaquam possunt. Cum igitur « hoc sacramentum in itinere Dei roboret et con- « firmet ex consequenti sequitur, quod per illud « anima perseveret. »

**6.** — Eximius quidam sæculi nostri orator, in oratione quadam de S. Theresia, postquam difficultates, quas seraphica hæc virgo, ut reformationem Religionis suæ ad perfectionem perduceret, sustinuit, sicut et omnia quæ passa et operata fuit, examinasset, subjungit : Verumtamen nequaquam mirandum est, illam tam ardua negotia aggredi, et perficere potuisse, siquidem cum die quadam pro more suo Angelorum pane cibaretur, os suum divino sanguine adeo repleri sensit, ut sanguis, quem ore continere non poterat, per faciem, et vestimenta dimanaret ; unde ipsa ex pretioso hoc sanguine, spiritu, et vigore adeo repleta fuit, ut ardua aggredi et perficere, molestiasque atrocissimas tolerare prævaluerit.

**7.** — Postquam Salvator noster filiam Archisygogi in vitam revocasset, *reversus est spiritus ejus*, inquit S. Lucas [3], *et surrexit continuo, et jussit illi dare manducare*, At vero quodnam in eo latet mysterium, quod filiæ huic resuscitatæ cibum dari præceperit, præsertim cum timere potuisset, ne parentes in subministrando corporali alimento, quemdam committerent excessum? Dubium resolvit S. Ambrosius, quando Christum non de corporali sed de hoc Eucharistico cibo locutum fuisse astruit, in hæc verba [4]: « Beatus ille, cui manum Sapientia « tenet, utinam meos quoque teneat actus, et dari « mihi jubeat manducare ; inde et illa Sapientia, « quæ divini corporis, et sanguinis sacrosancta al- « taria replevit alimentis; *venite*, inquit *et edite* « *panem meum.* » qui namque vitam spiritualem manutenere intendit eo foveatur necessum est, qui « panis vivus et vitalis hodie proponitur. » Multi equidem in via Dei deficiunt, retro respiciunt respectibus humanis et erubescentiæ resistere impotentes, quam mundus circa virtutem, humilitatem, et mortificationem Christianam, sibi impressam habet. Adeste autem, quotquot hujus-

[1] S. Bern. Sen., t. II, s. 56. — [2] Albert. Magn., *de Euch.*, d. 1. — [3] Th. de Kemp., l. IV, c. 4. — [4] S. Fra. de Sales, l. II. — [5] Hug. Card., *ib.*

[1] S. Bern., t. I, s. 56. — [2] Idem, *ib.* — [3] Luc, VIII, 15. — [4] S. Amb., l. VI *in Luc.*

modi subjacetis malo: Ecce panis cor hominis confirmans. Morbum vestrum subtiliter detexit Salmeron, dum ait[1]; « Quidam timore quodam vano « ducti, a mensa Christi fugiunt; cogitant enim ac « metuunt, qualis de ipsis sermo in aures populi « spargendus sit, et quod vulgi fabula fient, si ad « mensam Domini frequentius accedant : » hæc namque unica est dæmonis deceptio, ut nos a convivii hujus, quod unicum est in via Dei perseverandi omnesque mundanos calcandi respectus remedium, frequentia avellat. Ejusdem aliquando farinæ fuit Nicodæmus, qui Christum allocuturus, dum publicum ejus discipulatum per tempus aliquod ex verecundia subterfugeret, nocte ad ipsum venit: verum enim vero quod subesse mysterium creditis, ut, quem vivum profiteri erubuerat, eumdem veluti infamem latronem, tanta cum ignominia in cruce mortuum, coram infinito populo confessus, de patibulo deposuerit? differentiam notate temporis, ante siquidem Christus suum nec dum in Eucharistia sacratissimum dispensaverat corpus; quod ubi pridie fecisset, tantam ex eodem virtutem roburque hausit, ut omnem subito deposuerit Nicodemus mundi respectum. Cujus fidelissimum in labore socium, discipulum pariter primitus occultum, scilicet Josephum ab Arimathia, sub eodem stemmate nobis exhibet S. Chrysostomus, dicens[2]: « Inspice « hujus viri fortitudinem, in mortis enim periculum « se tradidit, inimicitias ad omnes assumens per « benevolentiam Christi, et non solum audet corpus « Christi petere, sed et sepelire, » qui sanctus Christi discipulus plurimos utique, qui communionem publicam erubescunt, condemnabit : cui infelici hominum forti, ne et tu annumereris, o Christiane, Petro Cellensi, obsequere dicenti[3]: « Sanguinem pro « sanguinem repone, scilicet profuso in ara crucis, « effusum in rubore confessionis. » Si namque Salvator tuus suo te sanguine potat, ut tibi in virtute illius gloriam donet æternam, quam justum, quamque æquitati consentaneum fuerit, ut tu pariter in tanti boni recognitionem, aliqua saltem sanguinis tui stilla vultum tuum contingat, meritorie dictam perferendo erubescentiam.

**8.** — *Panis cor hominis confirmat.* S. Bruno hæc interpretans verba, ita discurrit[4]: « Panis vivus qui de cœlo descendit, sacramentum scilicet Dominici « corporis, confirmet in omni perfectione cor, id « est, animam hominis uniuscujusque digne sus- « cipientis Sacramentum hoc, » ex quo in omnes, quotquot digne ipso fruuntur, immensa redundat utilitas, dicente S. Thoma de Villanova[5]: « Fructus « uberrimus pie accedentibus præstatur; illumina- « tur intellectus, inflammatur animus, impingua- « tur affectus, excitatur gustus, vivificatur sensus, « purificatur spiritus, virtutes augentur, dona « cumulantur, gratiæ multiplicantur, et omnium « denique bonorum spiritualium plenitudo in ejus « participatione possidetur. » Scitisne, qualiter Deus in Ezechiele panem hunc nuncuparit[1]? *baculum panis;* et apud Psalmistam[2], *firmamentum panis* quia scilicet, ut S. Hieronymus discurrit[3] : « Nihil « ita vescentis animum roborat, quomodo panis vitæ « de quo scriptum est : *Et panis confirmat cor ho-* « *minis.* » Cujus novum eumque compendiosum fructuum cumulum exhibet S. Carolus Borromæus dicens[4]: « Gratiam in animam influit, cum pure et « sancte sumitur, animam alit atque sustentat; « vires animæ addit, efficitque, ut spiritus divina- « rum rerum delectatione magis commoveatur, « virtutibus augeatur, ac divine corroboretur. »

**9.** — Regius Propheta David olim lamentabatur, dicens[6] : *Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum.* Sed unde putas, in viro hoc sanctissimo Deoque pleno hæc procedebat ariditas? quia scilicet *oblitus sum comedere panem meum.* Sed de quo pane Propheta hic loquitur? Aut vero, ut Cassiodorus quærit, quomodmodum poterat de omissione conqueri panis corporalis, qui se jejuniis gaudebat affligi? Nimirum in spiritu prophetico fideles doceri, et hortari voluit, quod causa propter quam spiritus, et devotionis penuria laborant, et nonnumquam in virtutibus vacillant, sit, raritas communionis, seu quia raro ad divinum hunc panem sumendum accedunt. Audiamus B. Laurentium Justinianum, de eo qui in Communione sumenda frequens est, his verbis loquentem[6]: « Ex quo ferventior in « dilectione, fortior in labore, promptior in opere « in tentatione prudentior, sollicitior in virtute, in « administratione alacrior, nec non et in ipsius fre- « quentatione efficitur ardentior. » Alibi quoque de Eucharistia diffuse discurrens, idem hoc tangit argumentum, scilicet quo humana debilitas corroboretur, ut magis ad perfectionem passibus properare possit[7] : « Frequentatur, » inquit, « in Ecclesia, « ut justis gratiam, peccantibus veniam, debili- « bus robur, lætitiam mœstis, diligentibus exultatio- « nem, nutantibus spem, credentibus pacem, vic- « toriam certantibus, captivis libertatem, atque « defunctis conferat requiem. » S. Bonaventura quoque multa ab hoc pane derivantia bona recenset, dum ait : « Peccatorum remissio, fomitis mitigatio, « mentis illuminatio, interior refectio Christi, et « corporis ejus mystici incorporatio, virtutum robo- « ratio, contra diabolum armatio, fidei certitudo, « spei elevatio, charitatis excitatio, devotionis aug- « mentatio, et Angelorum convivatio. » Idem quoque seraphicus doctor alibi auctoritatem adducit D.

[1] Salm, t. IX, tr. 42. — [2] D. Chrys., h. 86 *in Matt.* — [3] Petr. Cell., *de Pœnit.* — [4] S. Bruno, *ib.* — [5] S. Thom. de Vill., *de Sacr.*

[1] Ezech., iv, 16. — [2] *Ps.* civ, 16. — [3] S. Hier., *ib.* — [4] *Act. Eccl. Mediol.*, 512. — [5] *Ps.* ci, 5. — [6] B. Laur. Just., *de discip. et perfect.* — [7] B. Laur., s. *de Euch.* — [8] S. Bon., *de Præp. ad Miss.*

Chrysostomi, teneritudinem admirantis amoris Christi erga nos, dum nos Eucharistico lacte nutrire voluit dicit enim [1]: « Concordat dictum Chrysos- « tomi cum dicto Phavorini Philosophi dicentis ; « Quod pueri qui nutriuntur, et educantur lacte « matris, vegetiores sunt, et vigorosiores, et etiam « pulchriores, quam si nutrirentur lacte alieno, ut « ait Gellius : Et ideo homo accedens ad sacram « mensam, debet prædicta cogitare. » Considerabilis quoque est, quam Thomas de Kempis Eucharistiæ refert prærogativam, nimirum quod ad recuperandum vigorem, et spiritum antea perditum virtutem subministret [2]: « In hoc Sacramento », inquit, « con- « fertur spiritualis gratia, et reparatur in anima « virtus amissa, et per peccatum reformata redit « pulchritudo, tanta est aliquando hæc gratia, ut « ex plenitudine collatæ devotionis, non tantum « mens, sed et debile corpus vires sibi præstitas « sentiat ampliores. » Idipsum quoque S. Bernardinus his verbis tangit [3]: « Non solum anima, » inquit « sed etiam ipsa humana caro tanta stabilitate ful- « citur, quod illum prospera non seducunt, nec ad- « versa confringunt » Et paulo post in eodem sermone subdit [4]: « Relevatur velocius humana fragili- « tas post ruinam, virtute sanctæ communionis. »

## DISCURSUS XVIII.

### AGNUS SACRAMENTALIS ANIMAS AD SE ACCEDENTES MUNDAT A PECCATIS, ET PURIFICAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Tollit hoc SS. Sacramentum peccata. — 2. Panis Eucharisticus expurgat sensus, a quibus oritur peccatum. Vana motiva ob quæ aliqui se a S. Communione subtrahunt. — 3. Refellitur ratio, qua dicunt, se esse indignos. S. Communio est fortis armatura. — 4. Quod per S. Eucharistiam dimittantur peccata, patet ex oratione Dominicali. — 5. In S. Communione magnus suscipitur Dominus, qui delet culpas et ornat animas. — 6. Continuatio ejusdem materiæ.

*Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*
Joan., I, 29.

**1.** — S. Mater Ecclesia a Spiritu Sancto gubernata, hunc habet peculiarem ritum, quod quando Angelorum panem per suos distribuit ministros, hæc verba, *Ecce Agnus, etc.* præmittere soleat ; ex quibus clare deducitur, quod præcipuus quidam hujus Agni Eucharistici effectus, sit remissio et indulgentia peccatorum. Ideo etiam in consecratione sanguinis specialis fit mentio ejusdem effectus, dum dicitur : *Qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Sententia quoque est S. Paulo a Spiritu veritatis dictata, quod [5] *sine sanguinis effusione non fit remissio.* Atque ideo, ut hæc remissio peccatorum a nobis percipiatur, Agnus ille qui dicitur [1], *Agnus occisus ab origine mundi*, in sacrificio incruento salutarem hunc sanguinem pro mundandis animabus nostris quotidie fundit. Et ideo S. Paschasius de hoc sanguine disserens, ait [2]: « Sicut in remissionem fusus est peccatorum, et « traditus, ita ad hoc hodie in remissionem comeditur « et potatur delictorum, ut qui in terris sine quoti- « dianis, levibusque delictis vivere non possumus, « tali esca et potu refecti, sine macula, et ruga in- « veniamur, » S. Carolus proinde inter alios hujus Sacramenti fructus, hunc quoque agnoscit [3], quod scilicet « venialia peccata hoc etiam in sacramento « remittantur ; » ut merito dicat S. Ambrosius: « Pa- « nem hunc quotidianæ infirmitatis vires præbet, » inquit idem S. Carolus Borromæus, « ut a crimini- « bus fideles puros, et integros, atque a tentatio- « num impetu incolumes se conservent ; ac præte- « rea tamquam cœlesti medicamento animam præ- « parat, ne alicujus mortiferæ perturbationis veneno « facile infici, et corrumpi queat. Concupiscentiæ « ardorem debilitat, dum charitatis igne animos « fidelium vehementer inflammat. » Unde sicut malignus serpens venenum suum in fidelium animas infundere numquam desinit, ita Deus divinum hoc nobis comparavit antidotum et mithridaticum, ne nos inficere et intoxicare possit. S. Thomas quoque S. Ambrosii testimonio innixus, beneficium hoc remissionis culparum venialium, quod ex communione recipimus, considerans, ait [4]: « Competit « huic Sacramento, ut remittat peccata venialia. » Similiter S. Bernardus in celebri illo sermone de de ultima Cœna, dum ait [5]: « Duo illud sacramen- « tum operatur in nobis, ut videlicet, et sensum « minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. » Quod ut ad majorem intelligentiam nostram melius examplificet, subjungit : « Si quis vestrum non tam sæpe modo nec « tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, lu- « xuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat « corpori, et sanguini Domini quoniam virtus Sa- « cramenti operatur in nobis. »

**2.** — Deus olim agnum Paschalem decimo die Lunæ in domum adduci præcepit, tametsi solum decimo quarto Lunæ sacrificandus esset [6]. At vero quodnam existimatis hujus anticipationis fuisse mysterium ? Nazianzenus optimum, nostroque proposito valde congruum in eo advertit acumen ; dicit enim [7]: « Si primum et ultimum diem inclu- « sive computes. quinque dies ante sacrificium ad- « ducti agni reperies, qui quinque sensus corporis « significant, a quibus peccata suam trahunt origi-

[1] D. CHRYS., cit. a S. BONAV. *in Joan.* — [2] THOM. DE KEMP., l. IV, c. 1. — [3] S. BERN., t. I, s. 54. — [4] *Ibid.*, a. 2, c. 4. — [5] HEB., IX, 28.

[1] APOC., XIII, 8. — [2] S. PASCH., *de Corp. et Sanguin. Dom.* — [3] *Act. Eccl. Mediol.*, p. 512. — [4] S. THOM., 3. p. q. 97. — [5] S. BERN., *in Cœna Dom.* — [6] EXOD., XII, 3. — [7] NAZIANZ., OR. 42.

« nem : Observatur porro in quintum diem, inquit « quia victima mea id habet (de Agno Eucharistico « loquebatur) ut sensus expurget, a quibus pecca- « tum oritur, et circa quos bellum committitur, « utpote peccati aculeum admittentes. » Est enim communio frænum quoddam, quo inordinati appetitus nostri intra rectitudinis limites continentur. S. Bonaventura ex S. Bernardo ita scribit [1] : « Per « hoc sit homo mansuetior, ad correctionem, patien- « tior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior « ad cautelam, ad obedientiam promptior, ad gra- « tiarum actionem devotior. » Specialius vero quoad vitia, quæ in virtute hujus cœlestis frumenti eradicantur, B. Laurentius Justinianus ait [2]: « Ex hujus sumptione devota cessant odia, conten- « tiones sopiuntur, dirimuntur lites, vitia displi- « cent, diligitur pudicitia, terrena vilescunt, effici- « turque homo alter, non per naturam, sed per « gratiam, mutaturque totus in melius. Compescit « linguam, amat silentium, orationi vacat, frater- « nitatis custodit unitatem, cordis sectatur mun- « ditiam, et quidquid Deo placere cognoscit. » Salmeron frequentem ad hanc cœlestem mensam accessum persuadere nititur, dum ita discurrit [3]: « Alii raro communicant ob pigritiam quamdam, « et soporem spiritus, juxta illud: *Abscondit piger « manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat « eam.* » Idem auctor advaria quoque se reflectit motiva, propter quæ ab hoc se subtrahant sacramento ; præsertim vero, quod frequentiorem confessionem quæ communionem præcedere debet, nimium pondus onusque esse sibi persuadeant, gravissimum, et intolerabile jugum æstimantes, his illisve valedicere lubricis conversationibus, ludis, amicis, voluptalibus, aliisque satisfactionibus : « Sed qui ita « cogitant, » subnectit dictus auctor, « misere se- « ducuntur, ignorant enim illud Salomonis [4]: *Me- « lior est finis orationis quam principium,* et in dies « magis ac magis Dei famulatus atque obsequium « dulcescit, et quæ aspera erant, complanantur. » In cujus probationem, sequentem S. Augustini ex Tom VII, lib. *de Natura et Gratia* adducit propositionem, dicentis : « Ut displiceat, quod placebat, « et suave fiat, quod non delectabat, hoc facit « gratia Dei, quæ hominis præparat voluntatem. » Deinde prosequitur Salmeron inquiens : « Si ergo « frequenter hanc viam communionis teras, non « erit difficilis, et minus in peccata incides, et « promptius te præparare ad illam poteris. »

**3.** — Futilis pariter eorum est excusatio, quam non pauci prætendunt, dicentes, se numquam ad tanti sacramenti participationem digne se præparare posse. Adesto enim quicumque talis es, et S. Cyrillo Alexandrino, si potes, responde, ita te allo-

[1] S. Bon., *de Comp. Theol. ver.* — [2] S. Laur. Jus.; *ib.* — [3] Salm., t. IX, tr. 41. — [4] Eccle., VII, 9.

quenti [1] : « Ego probo meipsum, et indignum in- « venio, quando igitur quicumque tu es, qui ista « dicis, dignus eris ? Nam si peccando indignus es, « et peccare non desinis (*quis enim delicta intelligit,* « secundum Psalmistam) expers omnino eris vivi- « ficæ hujus sanctificationis. Quare pias quæso co- « gitationes suscipias, studiose sancteque vivas, et « benedictionem participes, quæ (mihi crede) non « mortem solum, verum etiam morbos omnes de- « pellit, sedat, cum in nobis maneat Christus, sævi- « entem membrorum nostrorum legem. » *Militia* quidem *est vita hominis super terram,* adeoque in continuis agitamur carnis spiritusque conflictibus, dum [2]*caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem* ; quam vero fortissimam creditis his præliis nobis obtingere posse, ne vincamur armaturam ? Responsum a B. Laurentio Justiniano excipiamus, dicente [3]: « Si quis fatigatus in « prælio reparare vires concupiscit, sacrosanctæ « corporis Christi fideliter sumat mysteria, et sta- « tim convatescet in melius, pristina restaurata « virtute. » In cujus confirmationem sequens pariter subserviet, quinque singularissima cœlestis hujus mensæ beneficia referentis, Alberti Magni sententia, quæ dicit [4]: « Confert hoc sacramentum « gratiam communionis, et super hanc, gratiam « expiationis ; et super has duas, gratiam redemp- « tionis ; et super has tres, confert gratiam vivifica- « tionis ; et super has quatuor, dat gratiam refec- « tionis spiritualis ; et super has quinque significat « nobis gloriam æternæ beatitudinis. » Pro quibus corroborandis illum Psalmistæ textum [5]*Lavabis me et super nivem dealbabor* adducens, observat, quod regius Vates immediate hæc verba præmiserit : *Asperges me Domine hyssopo, et mundabor.* Quibus omnibus enucleatius ponderatis, suum ita prosequitur discursum : » Hyssopus herba est sanguinis, et « pulmonis purificativa, sanguinem Christi signans, « qui nos omnes expiat a maculis peccatorum. » Unde *Apoc.* cap. VII dicitur de omnibus expiatis [6] : *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni* : « quia quicquid in conversatione operis, vel « observantia cordis, vel affectibus, et sensibus ani- « mæ, vel cogitationibus spiritus invenitur, non « expiatur, nisi sanguinis Christi aspersione. » Neque veritas hæc fusiorem exigit probationem, quam ipsa confirmat experientia, qua docemur, quod raro communicantes, omnibus se conspurcent maculentque culparum sordibus.

**4.** — S. Bernardinus, ut insignem hunc remissionis peccatorum, quem Eucharistia præstat, probet effectum [7], subtiliter considerat, qualiter incarnata Sapientia nobis orationem Dominicam tradens,

[1] S. Cyrill., l. IV *in Joan.* — [2] Gal., V, 17. — [3] B. Laur. Just., *de discipl. monast.* — [4] Alb. Magn., dist. 1. — [5] *Ps.* L, 9. — [6] Apoc., VII, 14. — [7] S. Bern., t. II, s. 55, a. 2.

postquam panis Eucharistici ingessisset mentionem dicens : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* mox indulgentiam, et peccatorum absolutionem a nobis peti voluerit his verbis : *Et dimitte nobis debita nostra,* ut scilicet augeatur in cordibus nostris illa *charitas* quæ *operit multitudinem peccatorum* [1] quæ dimissis peccatorum debitis, media Communione, mirum in modum accenditur, in Communicantium animabus ; ac proinde dictus Sanctus ait [2] : « Secundum bonum est fervor Charitatis. » Unde Eccl. XXXII dicitur [3] : *Gemmula carbunculi in ornamento auri,* quia sicut carbunculus primum inter gemmas occupat locum, ita Eucharistia inter sacramenta. Hanc autem gemmam carbunculum nominari dicit, « quia est ignitus ut carbo, et si- « gnificat Corpus Christi, quod cor accipientis ornat « castitate, et inflammat charitate. » Equidem peccatum originale a primis parentibus ad nos transfusum, omnes nostras operationes tamquam universale inficit contagium, dicente Psalmista [4] : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Et Isaia id attestante, dum inquit [5] : *Facti sumus, ut immundus, omnes nos, et quasi pannus menstruatæ; universæ justitiæ nostræ.* Sed quod huic malo servire putatis remedium ? Nimirum ad Panem convolate cœlestem, si ab eo liberari cupitis [6] : « Ex hoc enim quod Panis hujus Eucharistici « communio reddit charitatem magis ignitam, « adjuvat ad consumendam peccati originalis rubi- « ginem. » Etenim cum omnia sacramenta eo fine instituta fuerint, ut animam ab antiquo peccati originalis contagio mundent, et purgent, eamque per gratiam sanctificent, quis idipsum huic sacramento, in quo fons omnium sacramentorum continetur, convenire inficiabitur ? Idem quoque sanctus in alio quodam sermone, sequentem stabilit propositionem. quæ valde consolatoria est pro illis, qui huic sacrosancto convivio avide inhiant [7] : « Con- « tingere potest, » inquit, « quod tanta devotione « mens per sumptionem sacramenti in Domino « absorbeatur, quod ab omnibus venialibus expu- « getur : hunc tamen perfectionis effectum pluri- « mum impedit vaga distractio mentis, et accessus « ad sacramentum cum proposito venialia commit- « tendi. Mox quoque ex sententia S. Thomæ subjungit, dicens : « Hoc sacramentum secundum « Thomam ablutio scelerum nominatur, vel quia « futura impedit, vel quia virtute illius sacramenti « Deus illa quæ non sunt in hominis conscientia, « vel sunt oblita, dimittit. » Quot porro sunt, qui ob diluculo sumptæ Communionis reverentiam, totum illum diem vel devotioni impendunt, vel saltem ne illum pravo quodam opere prophanent, summo studio cavent?

[1] I PET., IV, 8. — [2] S. BERN., *ib.*, a. 2, c. 2. — [3] ECC., XXXII, 7. — [4] *Ps.* L, 7. — [5] ISA., LXI, 6. — [6] S. BERN., *Ibid.*, c. 3. — [7] ID., t. II, s. 54.

5. — Quando princeps aliquis in itinere constitutus in publicum aliquod hospitium divertere cogitur, suos solet mittere cubicularios, qui conclave in quod princeps recipiendus erit, aulæis exornent nitideque sordes ab eo omnes expurgent. At vero : « O quam magnum suscipit Dominum, » verba sunt Ven. Thomæ a Kempis, Christianum Communione sacra refectum alloquentis [1], « quam dilectum « inducit hospitem, jucundum recipit socium, « quam fidelem acceptat amicum, quam speciosum « et nobilem amplectitur sponsum ! » hunc nihil adeo offendere potest, sicut peccatum, et divinæ Legis transgressio. Hæ sunt sordes, quæ hospitium cordis nostri defœdant. At vero, ut S. Thomas de Villanova ait [2] : « Quid dicam, Domine Deus? Hoc « unum video, hoc unum scio, quia quas diligis « animas, ipse purificas, ut placeant coram oculis « tuis. » Ipse animabus, in quibus recipiendus est, ornamentorum debitorum confert apparatus, scilicet actus amoris, et contritionis, proposita firma ipsum non offendendi amplius, perque hos actus virtuosos hospitium purificat, et exornat. Præterquam quod hoc Sacramentum, ut de eo S. Bernardinus ait [3] : « Valet ad delendam maculam cordis, » teste Propheta, qui ait Psal. LXIX : *Nive dealbabun-* « *tur in Selmon,* Selmon enim mons Dei est, et « umbra interpretatur. » Et sicut Glossa ait : « Corpus Christi significat, quia sicut de lumine, « et corpore oritur umbra ita in Christi corpore « est lumen Divinitatis, et caro humanitatis ; in hoc « siquidem umbroso monte super nivem dealbabun- « tur fideles, quia virtute corporis Christi mirabi- « liter mundantur a macula venialium, et quan- « doque etiam mortalium ; » adducensque illum Isaiæ textum [4] : *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me* ; inquit : « Delentur autem ma- « culæ venialium peccatorum ex corde, ex charitatis « fervore, cumque sumitur corpus Christi ; delen- « tur etiam quandoque mortalia, quando non ex « negligentia, sed ex memoriæ insufficentia, et la- « bilitate oblita sunt. » Porro infirmitates animæ sunt culpæ, et affectiones vitiosæ, quæ a cœlesti hoc medico, qui dicit [5] : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus,* per hoc curantur medicamentum, quod ut discursibus præcedentibus diximus, *Pharmacum immortalitatis,* glorioso nomine appellatur ; optime proinde Albertus Magnus de hoc sacramento hunc in modum arguit [6] : « Si omni- « bus sacramentis nostras Christus sanat infirmita- « tes, maxime tamen hoc facit in hoc Sacramento, « in quo ipse totus in deitate, et humanitate, et « gratia continetur. » Christo igitur, his verbis [7] : *Comedite amici, et bibite,* nos invitanti, et cor nos-

[1] S. THOM. DE KEMP., l. IV. — [2] S. THOM. DE VILL., *nov. conc. de sacr.* — [3] S. BERN., t. II, s. 55. — [4] ISA., XLIII, 25. — [5] MATT., IX, 12. — [6] ALB. MAG., dist. 6. — [7] CANT., V, 1.

trum aperiamus, nec ullus nostrum sit qui accedere detrectet, quia ut Villanovanus inquit[1] : « Si « peccator est, accedat, et inveniet indulgentiam, « si ægrotus, inveniet medicinam ; si justus, inve- « niet gratiam ; si mortuus, vitam. »

**6.** — Angelicus Doctor ad mutationem, quam Christus in materia, et substantia panis, et vini operatur, dum illam in beneficium nostrum in carnem, vel sanguinem suum transubstantiat, se reflectens, ingeniose considerat, quod[2] « cum irrationa- « lis creatura, et inanimata, scilicet panis, mutatur « in melius, scilicet in corpus Christi, verbo Dei « mirum sit, quod peccator homo, nec multis ver- « bis, nec beneficiis, nec comminatione, nec pro- « missione, converti possit a mala vita in bonam. » Dubium non est, quin sicut Sacramentum hoc virtutem habet delendi, et abolendi peccata nostra, panisque substantiam in corpus suum transubstantiandi, ita quoque pari facilitate corda nostra movere, nosquæ ad vitæ, et morum mutationem perducere posset ; sed ad hoc nostrum requiritur beneplacitum et cooperatio ; atque ideo in convivio illo Assueri, quod viva hujus Eucharistici figura fuit, non sine causa nullus fuisse dicitur[3], *qui nolentes cogeret ad bibendum* : unicum malum ex parte nostra est, quod ad hoc sacramentum stomachum farina Ægyptiaca plenum habentes, accedamus, atque ideo ex cœlesti hoc manna nullum percipere provectum possimus. Pessimum quoque peccati semen sunt cogitationes, desideria, et suggestiones pravæ, nam ut in Evangelio dicitur[4]: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* At vero quodnam Deus malis his omnibus remedium providit ? S. Bernardinus de hoc sacramento tractans, inquit[5]: « Valet ad resis- « tendum cogitationibus pravis ; unde Canticorum « primo dicit anima Justi ; *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi ;* myrrha siquidem corpora servat « illæsa, quia dilectum Domini suscipimus, sicut « fasciculum myrrhæ; eo quod in hoc Sacramento « passionem ejus ad memoriam revocamus. » Concilium Tridentinum de prærogativis Eucharistiæ, quibus aliis Sacramentis supereminet, disserens, ita definit[6]: « Illud in ea excellens, singulare repe- « ritur, quod reliqua Sacramenta tunc primum « sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur, « at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum « est, » Hic enim Deus ille præsens est, qui per æternæ veritatis verba protestatur, dicens[7] : *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me* ; ubi bis repetit, *Ego sum,* ut tanto firmius realem, et corporalem suam in hoc Sacrumento præsentiam inculcet, qua peccata nostra delet, ne contaminatum in nobis hospitium inveniat.

[1] S. Thom. a Vill., *nova conc. in die Corp. Christ.*— [2] S. Th., op. 58. — [3] Esth., I, 8. — [4] Matt., xv, 19. — [5] S. Bern. Sen., t. II, s. 55. — [6] *Conc. Trid., sess.* 13. — [7] Isa., xliii, 25.

## DISCURSUS XIX.

SACRAMENTUM HOC, UTPOTE UNITATIS, ET PACIS SYMBOLUM, DISCORDES, ET VINDICTAM MEDITANTES REJICIT, ET MANSUETUDINEM IN ACCEDENTE REQUIRIT.

IDEA SERMONIS. — 1. S. Eucharistia est Sacramentum pacis, et unitatis, designatum per olivam. — 2. Manna, figura hujus S. Sacramenti, cecidit extra castra, et quæ hujus ratio. Nempe, quod sit symbolum pacis. Sic et in sumente S. Eucharistiam exulare debent omnes dissensiones et bella. — 3. Est enim Sacramentum amoris et unionis. Cur Christo, de hoc sacramento agente, litigarint Judæi — 4. Quomodo convivium, quod Joseph instituit fratribus suis, fuerit figura hujus S. Sacramenti. — 5. Cur verba Centurionis præmittantur in distributione hujus sacramenti. — 6. Flammæ iracundiæ extinguuntur ante S. Communionem. — 7. Insigne hujus exemplum in reconciliatione duorum inimicorum. — 8. Reconciliatio cum hoste ad hoc sacramentum est necessaria. — 9 In figuram hujus altare constituendum erat ex lapidibus quos ferrum non tetigerat. Quid significet animam pro fratribus ponere.

*Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*
Psalm. cxxvii, 31.

**1.** — Regius psalmista David, dum in spiritu absorptus fideles ut novellos olivæ ramos Eucharistiam cingentes conspexit, mensæ Eucharisticæ institutionem his verbis prædixit. Notandum vero, quod paulo ante dixerit : *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Ubi per uxorem et sponsam, Christi Ecclesiam intelligebat, quæ per hoc Eucharistiæ sponsalitium facta fuit, sicut vitis quædam fertilis, et abundans, vinumque subministrans, sub cujus specie sanguis consecratur Salvatoris. Unde Albertus Magnus ait[1]: « Fideles qui « generati sunt de matrimonio Christi, et Ecclesiæ, « sunt *sicut novellæ olivarum* pacifici, signum « enim pacis oliva. » Inter omnes namque arbores oliva pacem specialius repræsentat ; ac proinde merito animæ Christianæ tamquam novellæ olivarum ad hoc Sacramentum invitantur, utpote quod sacramentum est unitatis, concordiæ et pacis. Sic enim et sacrum concilium Tridentinum in principio sessionis xiii, ubi de Eucharistia prolixe agit, idem sacramentum hoc titulo honorat, dicens[2]: « Quam « Salvator noster in Ecclesia sua, tanquam symbo- « lum relinquit ejus unitatis, et charitatis, qua « Christianos omnes inter se conjunctos, et copu- « latos esse voluit. » Ecclesia quoque in Festo Corporis Christi in secreta Missæ oratione ita orat :

[1] Alb. Mag., *ib.* — [2] *Conc. Trid., sess.* 13.

« Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, unitatis et pa-
« cis propitius dona concede, quæ sub oblatis mu-
« neribus mystice designantur. » Et in incruento sacrificio, priusquam communio sumatur, hæc verba quotidie dicere consuevit : « Agnus Dei. qui « tollis peccata mundi, dona nobis pacem ; » sub quorum verborum pronunciatione ex communi Ecclesiæ usu pax circumferri, et annunciari consuevit, imo et ipsum verbum *communio* suam ab unione etymologiam trahit ; ideo quoque Eucharistiam instituit, *in qua nocte tradebatur*, quando scilicet genus humanum per sanguinem suum æterno Patri reconciliavit, Apostolo teste, qui ait [1] : *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.*

**2.** — Una ex celeberrimis hujus panis angelorum veteris Testamenti figuris manna fuit ; de quo ad propositum nostrum notandum est, quod refertur in Exodo, videlicet, quod quando Deus ad populum suum sustentandum manna de cœlo in terram demittere voluit, illud in castra, et militum tabernacula nequaquam, sed extra illa demisit, cum tamen coturnices intra castra volare permiserit [2] : *Ascendens coturnix cooperuit castra, ros jacuit per circuitum castrorum.* Rupertus Abbas proinde nos monet, ut si cœlesti hoc manna frui velimus, extra militum castra, et habitacula nos separare debeamus, dicit enim [3] : « De castris igitur illis exeundum « sibi est, quicumque hoc minutum, quod detulit « ros iste, colligere contendit. » Quod si igitur Manna, quod remotus quidam Corporis Christi typus erat, castra militaria adeo abhorrebat, longe verisimilius est, figurarum discordiam et dissensiones longe magis detestari. Ideo quoque Salvator per infinitam sapientiam suam Sacramentum hoc, vel mundi sustentaculum, ut in primo discursu probavimus instituturus, inter omnia totius mundi loca nec Romam, nec Capitolium, sed Jerosolymam, visionem pacis dictam elegit de qua scribitur [4] : *Posuit fines tuos pacem* ; et immediate post ad hujus sacramenti institutionem prophetandam non sine hujus mysterio additur : *Et adipe frumenti satiat te.* In officio quoque divino Festi Corporis Christi, hic Psalmus canitur [5] : *Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confortavit, etc.* Super quæ verba S. Laurentius Justinianus ait [6] : « Disce « Jerusalem ingredi cum Apostolis, parare cœna-« culum, et cum Domino Jesu sanctum Pas-« cha habeto pacem cum Deo tuo, habeto cum « omnibus. » Præterea prima cœna Eucharistica in cœnaculo Sion celebrata fuit, de quo idem Psalmista tot ante sæcula his verbis prædixerat [7] : *Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion ; ibi confregit potentias arcum, scutum, gladium, et bellum* ; quasi dicere vellet ; ex quo agnus pacificus, et mansuetus, sacramentum videlicet Eucharistiæ, in hoc loco instituendum erat, omnes dissensiones et discordias exulare, omniaque bellorum pacis adversantium instrumenta, arcus videlicet, scuta et arma confringere voluit. Quamnam existimatis fuisse causam, ob quam Sacramentum hoc sub speciebus panis, et vini instituere disposuerit ? nimirum ut ad hanc unionem alluderet, per hoc quam Sacramentum fidelibus suis insinuare volebat, siquidem tam ad faciendum panem, quam ad vinum conficiendum, multa grana, et acini multi uniri, conjungi debent. Unde S. Augustinus ait [1] : « Corpus, « et sanguinem in iis rebus commendavit, quæ ad « unum aliquod rediguntur ex multis, panis enim « ex multis granis in unum confluit, vinum vero « ex multis acinis. » Observandum quoque est, quod tametsi in nocte illa, in qua hoc Sacramentum instituit, humana, et diabolica crudelitas magis, quam unquam, contra mansuetum hunc agnum exacerbata fuerit, et furere cœperit, ita etiam, ut a proprio Apostolo in manus satellitum traditus fuit, nihilominus ipsum cum signo pacis, et osculo receperit. Item probe sciens, se a Petro negandum, omnibusque aliis Apostolis derelinquendum esse, nihilominus ne vel minimum asperum verbum in eos retorsit, quia scilicet jam consecratus, inque Eucharistia depositus erat agnus pacis, felle carens rancoris, et malevolentiæ.

**3.** — Sacramentum hoc charitatis est singulare fomentum ; ideoque S. Augustinus ait [2] : « Commendat nobis Deus in isto Pane unitatem amare ; » unde et in sacris Canticis ad hoc convivium his verbis invitamur [3] : *Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi* ; qua invitatione præmissa, immediate subjungit : *Ego dormio, et cor meum vigilat* ; ubi notandum, quod quamvis in numero plurali diversi invitentur, nihilominus requies in numero singulari importetur, quia nimirum, ut Gillibertus Abbas advertit [4], in virtute sacræ communionis fideles (quemadmodum particulariter in primis illis Ecclesiæ nascentis temporibus accidebat) ita uniuntur, ac si uno corde, et unica dumtaxat anima vivificarentur, juxta illud [5] : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* « Quid mirum, si ad communem invitationem « responsum redditur singulare ? multi charissimi, « sed omnium est cor unum, et anima una, amor « unus, et anima imbriat. Ita nimirum, teste S. Luca « fideles in primitiva Ecclesia summe concor-« des, inque charitate uniti erant, quia *erant per-severantes in communicatione fractionis panis.* » Nec id cuiquam mirum videatur, quoniam ut S. Cyprianus inquit [6] : « Quibus unus est panis, unum

[1] Rom., v, 10. — [2] Exod., xvi, 13. — [3] Rup. Abb., l. III *in Exodo.* — [4] *Ps.* cxlvii, 14. — [5] *Id.*, 1. — [6] S. Laur. Just., *de Triumph. Christi ag.* — [7] *Ps.* lxxiii, 3.

[1] S. Aug., tr. 26 *in Joan.* — [2] Id., ser. 83 *de div.* — [3] Cant., v, 1. — [4] Gillib. Abb., ser. 42 *in Cant.* — [5] Act., ii, 42. — [6] S. Cypr., *de Cœna Dom.*

est corpus, et omnium unum cor, et anima una, « uni Christo adhærens. » Ad idem porro intentum deservit illud, quod S. Joannes scribit, scilicet quod postquam Salvator noster varie de sacramento Altaris discurrisset, Judæi se quam alienissimos demonstrarint, ulde et exclusi fuerunt ; sed modum, obsecro, et phrasim observetis velim, qua Spiritus Sanctus præsentem exprimit historiam, inquiens [1]: *Litigabant ergo Judæi ad iuvicem dicentes, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducadum?* quia nimirum litium, dissensionum, odiorumque amicus, prorsus indignus est, qui ad hoc accedat Sacramentum, quin potius omnino ab hac mensa sequestrandus. Quibus proinde conformem verbis sequentem Ven. Beda instituit discursum dicens [2] : « *Litigabant ergo ad invicem*, quoniam pa- « nem concordiæ non intelligebant, nec sumere vo- « lebant ; nam qui manducant talem panem, non « litigant ad invicem, quoniam unus panis, *et unum* « *corpus multi sumus*, et hunc fecit Deus hujusmodi « habitare in domo. » Ast objeceritis mihi forsitan, quod in ultima cœna Apostoli de superioritate disceptare cœperint [3], siquidem *facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major* ; ast huic ego objectioni respondeo, dictam controversiam non post, sed ante Eucharistiæ institutionem obtigisse ; imo potius tanto postmodum affectu suum omnes prosecuti sunt Magistrum, ut varia generosi animi ediderint indicia ; hinc S. Thomas dicebat [4]: *Eamus et nos, et moriamur cum eo.* Petrus pariter suas contra armatam turbam extendit vindices manus, cum tamen ante Cœna, licet traditorem agnovissent nullus omnino Apostolorum eum aut e cœnaculo ejicere, aut verbo aspero aggredi præsumpserit, quoniam ut ex S. Augustino didicimus : « Deus commendavit in ista unitatem amare ; » et quia Agnum, qui pacem donat, etiamnum in stomacho suo habebant.

**4.** — Verisimile est Josephum injuriam, crudelitatem, et inhumanitatem fratrum suorum, a quibus Madianitis venditus fuerat, multis annis in mente sæpius revolvisse ; et tametsi tamdem tempus advenisset, in quo illis execrandum scelus in se commissum non quidem ex vindicta, sed pro correctione ipsorum improperare eis poterat, attamen nusquam illum ne quidem per umbram iis indignatum fuisse reperietis ; quin potius œconomo suo præcepit [5] : *Instrue convivium, quoniam mecum comesturi sunt hodie* ; hoc autem convivio epulum præfiguratur Eucharisticum, quia *omnia in figura contingebant* ; et ideo verus non jam Ægypti, sed totius mundi Salvator, post a Judæis, suis secundum carnem fratribus, acceptas injurias, numquam ob eas illis indignatus fuit, sed potius instruxit convivium, quia *in qua nocte tradebatur, accepit panem.* « Ubique gratiosus Joseph, » inquit Petrus Cellensis [1], « seu in convivio magis, multoque am- « plius jucundus ; in convivio non retinet inju- « riam, extendit munificentiam ; in convivio juxta « Scripturam cibando inimicum, sanat malevolen- « tiam. »

**5.** — Sancta Mater Ecclesia piam hanc introduxit consuetudinem, ut in distributione sacræ Communionis, sacerdos illam ministrans verbis utatur Centurionis Christo dicentis [2] : *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum* : licet aliunde hoc favore, tum propter natales, quibus oriundus fuerat, tum propter munus quo fungebatur, tum denique propter beneficentiam suam dignissimus esset : unde et seniores Judaismi ad Christum accedentes dixerunt ei [3]: *Dignus est, ut hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.* Cum igitur verisimile sit, ipsum sancte ambivisse, ut Christum Deum in domum suam recipere posset : cur, obsecro, Christo in domum ejus descendere volenti, se opposuit, dicendo : *Domine non sum dignus?* Origines dubium hoc solvit, dum ait [4] : « Miles erat gladio accinctus, sanguinem fundens, « ad prælium exiens, et ob hoc ait : *non sum dig-* « *nus* ; » per cœleste namque instinctum probe intelligebat, quod ex quo Christus continuo mansuetudinem prædicabat, et docebat, dicens : *Discite a me, quia mitis sunt* ; ipsum tamquam pacis auctorem, domum suam, quæ velut armamentarium, et quodam belli fomentum erat, prorsus esse abominaturum, ac proinde dicebat : *Non sum dignus etc.* Ut per hoc nos instrueret, ut quando mansuetus hic agnus in communione distribuendus, a tabernaculo, vel sacrario educitur, consideremus, nos indignos esse, qui illum in hospitium animæ nostræ recipiamus, maxime si in ea odium, rancor, vel discordia aliqua prædominetur.

**6.** — S. Augustinus ad propositum nostrum sequentem discursum instituit [5]: « Vix credo, » inquit « Sanctus, aliquem nostrum in armario, in quo « vestes prædivites, et pretiosas reclusas habet, « permissurum esse, ut in eo carbo aliquis ignitus « imo ne minima quidem scintilla scienter perma- « maneat, semper enim formidabit, ne vestes lu- « culentiori igne inde oriundo absumantur, » unde hanc deducit consequentiam : « Rogo vos fratres, « qui in arca sua non vult scintillam ignis includere, « quare in anima sua flammam iracundiæ non ti- « met accendere ? sed quare hoc fiat, manifeste « et evidenter cognoscimus. Ideo enim in arcam « ignem non mittimus, quia diligimus vestem « nostram, flammam vero iracundiæ ideo non ex- « tinguimus, quia non solum non diligimus, sed « etiam odio habemus animam nostram, secundum

[1] JOAN., VI, 53. — [2] V. BEDA, *ib.* — [3] LUC., XXII, 24. — [4] JOAN., XI, 16. — [5] GEN., XLIII, 10.

[1] PETR. CELL., *de Panibus*, c. 1. — [2] MATT., VIII, 8. — [3] LUC., VII, 5. — [4] ORIG., h. *in divers.* — [5] S. AUG., s. 225 *de Temp.*

« id, quod scriptum est, *qui diligit iniquitatem,* « *odit animam suam.* » Simili quoque modo in praxi quotidiana videmus, parum nos curare, quod hunc iracundiæ ignem in sinu nostro habentes, vestem Christi, id est, carnem, et corpus ejus sacratissimum recipiamus. Aureum proinde est illud D. Chrysostomi monitum, dicentis : « Si tibi contra « inimicum dolor est, solve iram, inimicitias laxa, « ut remedium de mensa recipias. Occisus proposi- « tus Christus est, et cur occisus est, videamus, ut « cœlestia pacificet, ut in terra reconciliet universa, « et amicum te constituat Angelorum, et Deo so- « ciet. » Demum vero progreditur ostendendo, quam indecens sit, si quis corde, veneno odii imbuto, ad cœleste hoc manna deglutiendum accedat.

**7.** — In vita S. Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini legitur, quod cum duo viri illustres animorum discordia inter se divisi essent, sanctus Patriarcha operam et industriam suam ad illos reconciliandos sæpius interposuerit, sed irrito prorsus effectu. Die quadam vero unum ex his, qui vel maxime injuriæ remittendæ reluctabatur, ad se accersiri fecit ; cumque in oratorium quoddam privatum ductus fuisset, in quo præter Patriarcham clericum, et hunc principem, nemo alius præsens aderat, S. Patriarcha Missam exorsus est cumque post consecrationem ad *Pater noster* pervenisset, cunctique tres illud simul recitare incœpissent, quando ad illa verba : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris,* pervenerunt, clericus Patriarchæ annuit, ut taceret, cum quo et ipse tacuit. Principe vero orationem prosequente, sanctus magna cum mansuetudine eidem dixit : « Vide, in quali terribili hora, quid dicas « Deo, quoniam sicut ego dimitto, ita et tu dimitte « mihi. » Tamquam ab igne statim cruciatum sentiens princeps, cecidit in faciem, ad pedes sancti, dicens : « Quodcumque jusseris, faciet servus tuus, » et reconciliatus est inimico suo ex tunc cum omni veritate. Nos quidem in oratione quotidiana Panem Eucharisticum a Deo postulamus, dicentes : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis* : at vero advertendum nobis, quod eodem tempore Patri cœlesti Filium suum nobis in nutrimentum nostrum largienti, omnes nobis illatas injurias remittere promittamus, dicendo : *Dimittimus debitoribus nostris.*

**8.** — Beatus Petrus Damianus de quodam Abbate S. Petri in urbe Perusina sequens factum recenset[2] : « Quadam die, dum cœlestes victimas « immolaturus esset, pater meus agnum juxta altare « vidit assistere, quem cum vellet repente corripere « tremefactus expavit, manumque in eum exten- « dere non præsumpsit; cumque ad id perventum « esset, ut Corpus Dominicum frangeretur, præfa- « tum agnum super mensam altaris vidit, » Eheu!

[1] BOLLAND., t. II, c. 12. — [2] S. PETR. DAMIAN., l. VI, ep. 56.

quam verum est, quod multi, ira et odio pleni velut ferocissimi leones in mansuetissimum hunc agnum involent, ut eum devorent et dilacerent; de quibus proinde merito dici posset[1] : *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, et sicut catulus leonis habitans in abditis,* quia in abdito conscientiæ sinu leo iracundiæ, et odii occultatus latet, ut Filium Dei devorare queat. Ingeniosa pariter, et fructuosa est, consideratio illa, quam Salmeron circa sanguinem Eucharisticum instituit ; dicit enim « Quid porro clamat hic sanguis Christi melius, « quam sanguis Abel, nisi quod hic vindictam, ille « veniam postulet? » Et ideo quisquis ad hunc sanguinem sine fraterna accedit charitate, utique ab eodem repudiabitur. Et ideo Christus Evangelio dicit[3] : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo.* Licet enim sacrificium, evidentissimum sit nostri erga Deum obsequii, et gratitudinis testimonium, Deus tamen illud nequaquam acceptabit aut æstimabit, si cum pace et unione cum proximis nostris conjunctum non fuerit : nam ut Theophylactus ait[5] : *Charitas est verum sacrificium* : Et Divus Chrysostomus in persona Christi ait : « Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio. »

**9.** — Eucharistia per antonomasiam passim, et ubique *sacramentum altaris* appellari solet ; circa altare autem hoc a Deo præceptum emanavit[6] : *Ædificabis altare Domino Deo tuo de lapidibus quos ferrum non tetigit.* At vero quidnam in eo mysterii latet, quod Deus lapides in fabricam altaris adhibendo, ferro secari, aut expoliri prohibuerit? Ideo nimirum id vetuit, quia *super eo immolabis hostias pacificas.* Ferrum autem belli, et rixarum symbolum est. Et ideo Origenes verba illa : *Ex lapidibus quos ferrum non tetigit,* exponens, ait[7] : « Qui ferrum « belli, ferrum pugnæ, ferrum litium numquam « recepit, sed semper pacificus fuit. » S. Augustinus super textum illum Proverbiorum[8] : *Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apponuntur tibi, et mitte manum tuam, sciens, quia talia te oportet præparare;* ita scribit : « Mensa Potentis « quæ sit, nostis, ubi est corpus et sanguis Christi; « qui accedit ad talem mensam, præparet talia. « Quomodo ipse pro nobis animam posuit, sic et « nos debemus animas pro fratribus ponere. » De quorum ultimorum verborum sensu, et intelligentia, sanctus quidam eremicola respondit[9] : « Ani- « mam pro fratribus ponere, est fratri indigne « tractanti non irasci sed iram reprimere, et mor- « tificare nosse, non reddendo malum pro malo ; « per hunc namque virtutis actum illum lucramur. »

[1] *Ps.* XVI, 12. — [2] SALM., t. IX, tr. 26. — [3] MATT., V, 23. — [4] THEOPH., *ib.* — [5] D. CHRYSOST., *ib.* — [6] DEUT., XXVII, 5. — [7] ORIG., h. 12 *in Josue.* — [8] PROV., XXIII, 1. — [9] S. AUG., tr. 47 *in Joan.*

Hanc igitur mansuetudinem nobis comparare, eamque tunc vel maxime exercere debemus, dum ad mansuetum hunc Agnum in Eucharistia sumendum accedimus. Idem S. Augustinus super illa Psalmistæ verba : *Inquire pacem, et persequere eam* ita scribit [1]: « Ibi est perfecta pax, ubi non esuries, « nam hic tibi pacem facit panis, subduc panem, « et vide, quale bellum edit intra viscera tua. » Et ideo D. Chrysostomus ait [2]: « Sanctum altare non « suscipit dissidentes. » Et S. Joannes Damascenus in *Parallelis* inquit [3] : « Cum tu infestum in con- « servum tuum odium retineas, quonam tamdem « pacto ad pacis mensam accedere queas? » S. Hieronymus in hac materia ita arguit [4]: « Si munera « nostra absque pace offerre non possumus, quanto « magis et Christi corpus accipere non poterimus. » Tertulianus quoque inquit [5] : « Quid est ad pacem « Dei accedere sine pace. » Priusquam igitur communices proximis tuis qui te offenderunt, [vel quos tu offendisti, pacis osculum impertire. *Dona nobis pacem.*

## DISCURSUS XX.

EUCHARISTIA OPTIMUM EST ADVERSUS OMNES TENTATIONIS, ET DÆMONIS VIRES ANTIDOTUM.

IDEA SERMONIS. — 1. Hoc SS. Sacr. nos confortat in pugna contra dæmones et tentationes. — 2. Est fortissimum propugnaculum Ecclesiæ. — 3. Lapis Christus convertitur nobis in panem confortantem. Judæi comesti Manna, pugnaverunt contra Amalec. — 4. Quomodo Moyses contra illos pugnaverit. Eodem modo pugnant contra dæmonem Fideles coram venerabili Sacramento. — 5. Sumpta SS. Euch. Deus pugnat pro nobis. — 6. Viso sanguine agni in postibus domorum, transibat Angelus percutiens. Sic et transibit nos malus angelus videns labia nostra tincta sanguine Chr.— 7. Contra primum toxicum infernalis serpentis, antidotum est corpus Christi in Euch. — 8. Qui sumpsit manna absconditum Eucharistiam non timeat tentationes dæmonis. Probatur insigni historia.

*Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Psal. XXII. 5.

**1.** — Propheta regius in hoc Palmo XXII, immensa memorat beneficia, quibus Deus in progressu sæculorum suam locupletaturus erat Ecclesiam : unde Psalmum istum his verbis exorditur : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit ; in loco pascuæ ibi me collocavit,* id est, ut Carthusianus exponit [6] : « In « loco militantis Ecclesiæ, in qua sunt sacramenta. » Quis autem Eucharistiam inter hæc præcipuum obtinere locum ignorat? Paulo post Deum fidelibus suis mensam quamdam præparasse subjungit, quæ adversus inimicos infernales fortalitii loco inservire possit : « *Parasti in conspectu meo mensam,* id est, « Communionem corporis, et sanguinis Christi, « *adversus eos qui tribulant me,* id est, contra omnes « tentationes hostium animæ meæ. » S. Hieronymus quoque per eos, qui tribulant nos, dæmones intelligit [1]: « *Qui tribulant me*, qui sunt dæmones. » Eamdem veritatem Salomon in *Proverbiis* hisce verbis prædixit [2]: *Sapientia ædificavit sibi domum,* « id est, » ut Albertus exponit [3], « Christus ædificavit « Ecclesiam; *excidit in ea columnas septem,* id est, « septem Sacramenta; *immolavit victimas suas,* id « est, » ut Hugo Cardinalis ait [4], « seipsum in ara « crucis obtulit; sed pluraliter dicit, victimas, quia « hæc una victima Christus, per multas hostias in « lege figurata fuit ; *proposuit mensam*, quando « seipsum in altaris Sacramento manducandum de- « dit; *misit ancillas,* id est, prædicatores, *ut voca- « rent ad arcem, et ad mœnia civitatis.* » Per hanc autem arcem, et bene fortificata mœnia, corpus Christi intelligitur, ut sensus sit, *ad Sacramentum corporis Christi, quod est contra inimicos munimen.* S. Athanasius quoque, qui ex præcipuis catholicæ fidei defensoribus unus fuit, prædicta confirmat, dum ait [5]: « Sapientia posuit mensam sacri altaris, « in quo panis, id est, sacrosanctum Christi corpus « et sanguis edendus, et bibendus proponitur. » Sicut enim milites prælium cruentum aggressuri, vires suas per vigorosam, et pinguem aliquam refectionem restaurant, et corroborant, ut adversus inimicos suos robusti sint, et fortiter cum illis dimicare possent, ita quoque cum fideles in hac vita quæ continua quædam *militia est super terram*, contra tot potentes inimicos pugnare debeant, Deus illis de hac mensa Eucharistica prospexit, ut in ea sufficientes ad præliandum vires sibi acquirant. Unde D. Chrysostomus nos monet, dicens [6]: « Tam- « quam leones igitur ignem spirantes ab illa mensa « recedamus, facti diabolo terribiles. »

**2** — Optime ad intentum nostrum deservit illud Isaiæ (qui omnes Ecclesiæ futuros eventus ad litteram perfectissime prædixit) conscriptum oraculum, quo ait [7]: *Urbs fortitudinis nostræ Sion;* quibus verbis ad cœnaculum alludit Sioniticum, in quo institutio Eucharistiæ facta fuit. Hoc enim cœnaculum hactenus semper fuit, et ad finem usque sæculorum futurum erit forte Ecclesiæ propugnaculum, quia in virtute hujus sacramenti adversus quemvis inimicum quantumvis ille fortis sit, gloriosa reportatur victoria. Idem quoque propheta Evangelicus simul rationem assignat, cur hæc Sionis civitas adeo sit fortis, nimirum quia *Salvator ponetur in ea murus, et antemurale,* quia in hoc sacramento ipse-

[1] S. AUG., *in Ps.* XXXIII. — [2] D. CHRYSOST., h. 16 *in Matt.* — [3] S. JOAN. DAM., l. I *Par.* — [4] S. HIER., ep. 62. — [5] TERT., l. *de or.* — [6] DION. CART., *ib.*

[1] S. HIER., *ib.* — [2] PROV., IX, 1. — [3] ALB. MAGN., *ib.* — [4] HUG. CARD., *ib.* — [5] S. ATHANAS., *in disp. contra Arium in Conc. Nic.* — [6] D. CHRYS., h. 16 *ad pop.* — [7] ISA., XXVI, 1.

met Salvator noster in propria persona in auxilium et defensionem nostram præsens existit, ac proinde : *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum : Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Quamdiu arx aliqua inexpugnabilis de alimentis sufficienter provisa est, non est, quod ullum formidet inimicum, quia nullos timet violentos insultus, tum ob situs eximiam prærogativam, tum ob generositatem præsidiariorum, tum denique ob munitionum, et propugnaculorum multitudinem, et idoneitatem ; *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea.* Hic porro Deus qui ad animam nostram defendendam in Eucharistia præsens existit, est idem ille, de quo dicitur : *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.* Ipsa quoque arx Ecclesiæ optime provisa est de vitæ annona ideo postquam Sapientia increata nos invitasset ad arcem et ad mœnia civitatis, mox subjungit : *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis* Sed quamdiu hæc annonæ provisio durabit? *Ecce,* inquit frumentum, hoc panis ille, inquam, vivus et cœlestis [2], *ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

**3.** — Psalmus CXLVII a Davide compositus fuit ad laudandum Deum, ob gloriosam contra Goliath reportatam victoriam, qui, ut omnibus constat, dæmonis figura erat, sed quibusnam armis David adversus Goliath usus fuit, ut eum in fronte percussum in terram prosterneret? Tota Davidis armatura petra quædam erat [3], *Petra autem erat Christus,* qui longe alio modo, quam quo dæmon a Christo lapidem in panem converti petierat, dicens [4] : *Dic, ut lapis iste panis fiat,* in panem tandem conversus fuit, quia solis verbis substantia panis in corpus Christi transmutata fuit. S. Augustinus postquam de pugnis, et præliis, quibus spiritus cum carne quotidie confligit, prolixe discurrisset tamdem provisionem declarare pergit, quam Deus nobis destinavit, ne in hac pugna hosti cedamus [5] : « Quanti, » inquit « te æstimet, vide : *Si Deus pro nobis quis contra nos?* « Et quanti te æstimavit, *qui filio proprio non pepercit,* sed pro nobis omnibus tradidit illum? Quo« modo non et *cum illo omnia nobis donavit*? Qui « hanc annonam dedit pugnanti, quid servat vin« centi? *Ego sum.* inquit, *panis vivus, qui de cœlo « descendit,* hæc est annona præliantium, de hor« reis invecta Dominicis, unde pascuntur Angeli. » Quando exercitus Pharaonis Hebræorum populum persequebatur, ipseque in continuo timore erat ne ab illo dissiparetur, Deus eidem per Moysen dixit [6] : *Dominus pugnabit pro vobis.* Non vero item, quando Amalecitæ illos persequebantur [7]: *Venit Amalec, et pugnabat contra Israel.* Tunc enim Deus manus pro illis pugnandi sibi directe non vendicavit, sed Moysi, et invicto belli duci Josue ad se accersitis præcepit, dicens : *Elige viros, et egressus pugna contra Amalec.* Scitisne quonam mysterio Deus idipsum fecerit? Prima vice quando populus Israeliticus ad mare rubrum pervenit, nondum manna a Deo acceperat: at vero contra Amalec pugnaturus, prouti ex capite præcedenti colligitur, jam manna gustaverat, eoque se nutrire cœperat : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum. Erat annona præliantium de horreis invecta Dominicis;* per quod præfigurabantur effectus, quos Eucharistia in Fidelibus operatura erat, inter quos unus est, quod eosdem adversus inimicos suos corroboret : « Hoc Sacramen« tum firmamentum est contra hostes, » inquit Hugo a S. Victore, « de quo Ecclesia in propheta : « *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui « tribulant me.* »

**4.** — Observetis velim, quamnam Moyses Israelitis adversus Amalec pugnantibus ceperit resolutionem, et consilium ; nimirum tametsi expertissimus bellator et generalis populi dux esset, ensem tamen non apprehendit, sed Israelitis pugnantibus ipse ad orationem se recepit : *Ego stabo in vertice collis, habens virgam meam in manu mea.* Ubi S. Ambrosius bene observat, quod tametsi ea in occasione Moyses ensem non stringeret, plus tamen, et acrius præ cunctis aliis pugnaverit : » Cum otiosus staret, « præliabatur, sed etiam de hostibus, quos non « contigerat, triumphabat. Cujus majora negotia, « quam hujus otia, qui quadraginta diebus positus « in montem totam legem complexus est, et in illa « solitudine, qui cum eo loqueretur, non defuit. » Videbimus nonnunquam, aliquem, qui coram sanctissimo Sacramento altaris in orationibus quadraginta horarum palam exposito in devoto obsequio frequens est, et assiduum cernemus; et quidem illum in sacrosancta illa summi Regis anticamera genibus flexis orantem otiari existimabimus; sed revera ita non est, sed cum stet otiosus, præliatur, et coram altari per devotas orationes suas pugnat, omnesque animæ suæ hostes gloriose superat, et dissipat, nam ut Francus Abbas ad propositum nostrum ait : « Quia infirmitatem nostram novit, qui « nos condidit, fortique, et armate, nisi fortiore « nos protegente, fragiles, et inermes non posse « resistere, contra implacabile hostis antiqui odium « panis quotidiani inexpugnabile nobis contulit « præsidium. »

**5.** — Albertus Magnus textum illum Deuteronomii capitis XXIII in quo Moyses de tribu Juda disserens ait : *Manus ejus pugnabant pro eo adjutor illius contra adversarios ejus erit* adducens, quærit [6] : « Unde ista confidentia fortitudinis sibi evenerit? »

[1] *Ps.* XXVI, 3 — [2] MATT., XXVIII, 20. — [3] I COR., X, 4. — [4] MATT., IV, 3. — [5] S. AUG., *ib.* — [6] EXOD., XIV, 14. — [7] ID., XVII, 8.

[1] HUGO DE S. VICT., t. III *in Spec. Eccl. erud. Th.* — [2] S. AMB., l. III *de offic.* — [3] FRANC. AB. *de Gr. Dei.* — [4] DEUT., XXXIII, 7, — [5] ALB. MAG., *de Euch.*, dist. 3.

Moxque benedictionem illam a Jacob Judæ in Genesi datam commemorat, in qua dicitur [1] : *Lavabit in vino stolam tuam, et in sanguine uvæ pallium suum*: per vinum autem hoc Eucharistiam intelligens, ait: « Nisi enim stolam conversationis in vino Sacramenti sibi spiritualiter infuso lavisset, hoc est, « nisi sanguine benedicto Jesu Christi pallium charitatis intinxisset; pro certo tantam confidentiam « in Deo contra inimicos non habuisset. « Adducens quoque illum Machabæorum textum, in quo dicitur quod elephantes post exhibitum ante oculos eorum uvarum sanguinem et mori colore rubeo ad prælium sectandum animosiores evaderint, subjungit, dicens: « Hoc est quod dicitur, 1 *Mach.*: *Ostenderunt elephantis sanguinem uvæ et mori, ut acuerent eos in prælium.* « Ex natura habet hoc animal, quod audax et bonæ « spei efficitur, quando aliquid simile videt sanguini, « quia elephas propter castitatem, et fortitudinem « virium sanctum signat, qui acuitur sanguine « Christi in prælium, qui de uva Christi, et moro, « qui Christum signat, propter similitudinem pec« cati, quam ex nobis accepit, exprimitur, ille enim « sanguis valde nos facit andaces. » S. Augustinus ad inimicum infernalem discursum suum dirigens, in quodam sermone his verbis ei improperat [2] : « Ille sanguis, quem effudisti, te vicit, me redemit. « Illum bibo, et veneni tui perniciem salvatus ultra « non timeo. Prævaluisti in paradiso, sed victus es « in patibulo, » vel etiam addere possumus, *in cœnaculo;* quia per institutionem Eucharistiæ in ultima cœna factam, omnes ejus vires prostravit [3]: *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum ;* ubi de cœnaculo Sion loquitur.

**6.** — Deus olim populo suo præcepit, ut sanguine agni paschalis in Ægypto ambos portarum postes tingerent, cujus mox rationem assignat, dum ait [4]: *Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios; cumque viderit sanguinem in superliminari, et in utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras et lædere.* Cujus mysterium S. Bernardinus nobis pandit, dum ait [5] : « Ex hoc fructum duplicem obtinebant, « scilicet consternationem hostium exterius et defensionem, ac conservationem omnium interius. « Sic qui digne sumit sacram Communionem, virtute sanguinis hujus agni, et hostes consternuntur, dum superantur tentationes, et omnia conservantur, dum augentur et corrobantur virtutes. » Beatus Petrus Damianus in quadam Epistola ad virtutem nos continentiæ exhortans, ait [6] : « Ut « frementem bestiam valeas, ut ita loquar, ex « agro tui juris expellere, satage te frater, jam « quotidie Dominici corporis et sanguinis Christi « perceptione munire. Videat occultus hostis labia « tua Christi cruore rubentia, quæ territus per« horrescat, et mox in tenebrarum suarum latibula « pavescendo effugiat. » D. Chrysostomus similiter ad salutarem hunc calicem alludens, virtutem communem adversarium in fugam abigendi, quam in se habet, his verbis declarat [1] : « Cum te egredien« tem post convivium Dominicum viderit inimicus, « post cœlestes epulas tanquam ignem leonis ore « flammantem, fugit et deserit, omni vento velo« cior. » Ideo S. Birgittæ cœlestem hanc mensam fortissimum quoddam adversus tentationes et insultus inimici armamentarium esse, his verbis revelatum fuit [2] : « Cujus perceptio juvat maxime contra « diabolicam tentationem. O quam miseri sunt, qui « tale juvamen, dum sani sunt, magis quam vene« num respuunt et abhorrent, quia noluut se a « peccatis refrænare ! »

**7.** — Habacucin Cantico suo ait [3]: *Ibi abscondita est fortitudo ejus,* at vero quanam in re hæc ejus fortitudo abscondita sit, minime declarat, nisi quod in sequentibus dicat : *Ante faciem ejus ibit mors et egredietur diabolus ante pedes ejus.* At vero Drogo Hostiensis ab hoc nos dubio eximit, dicens [4] : « Fre« gisti corpus quod foris apparebat et ostendisti « medullam quæ intus latebat, ibi abscondita est « fortitudo ejus. » Porro primum toxicum, quod serpens infernalis in perniciem nostram evomuit, fuit iniqua illa suggestio, qua nobis Deum offendere et divinas ejus prohibitiones prævaricari suasit : at vero quodnam cœlestis ille Medicus qui dixit : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus,* huic malo antidotum et theriacam præparavit? S. Gaudentius in sermone *de manducatione agni paschalis,* inquit : « Contra venena diaboli « dulcem medicinam (de Eucharistia loquitur) sem« piterni tutaminis. » Ideo etiam in oratione quadam Postcommunionis, quæ in Sabbato quatuor temporum Adventus legitur, S. Ecclesia hunc in modum Deum rogat : « Quæsumus Domine Deus « noster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro repara« tionis nostræ munimine contulisti et præsens « nobis remedium esse facias et futurum. » Optimum igitur est illud B. Petri Damiani consilium, quo nos ut sancta hac armatura frequenter muniamus, monet his verbis [5] : « His cœlestibus Sacra« mentis, fili charissime, te frequenter munire « non differas, quibus videlicet diabolicæ versutiæ « et subdolæ machinationis argumenta repellas. »

**8.** — In Apocalypsi, S, Joannes Apostolus nobis promittit, dicens [6] : *Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo manna absconditum* : Per quod manna absconditum Eucharistia utique denotatur; sed quænam est hæc victoria, quæ cœlestem hunc panem consequitur? S. Thomas

[1] Gen., xlix, 11. — [2] S. August., s. 122 *de temp.* — [3] *Ps.* lxxv, 4. — [4] Exod., xii, 23. — [5] S. Bern., t. I, s. 54. — [6] B. Pet. Dam., ep. 21.

[1] D. Chrys , h. *ad Nep.* — [2] *Rev. S. Brig.*, l. IV. — [3] Habacuc., iii, 5. — [4] Drog. Host., *de Sac. Dom. Pass.* — B. Pet. Dam., l. VI, ep, 21. — [6] Apoc., ii, 17.

inquit [1] : « *Vincenti* dæmonum tentamenta. » Evibret etenim inimicus noster in nos, quotquot potest et novit, malignarum tentationum et suggestionum suarum sagittas et tela, numquam tamen in eo, qui agni paschalis sanguine aspersus fuerit, quicquam proficiet, sed retundetur semper ejus præsumptuosa audaciæ temeritas. Et ideo « super limen ostii « nostri, » inquit S. Ambrosius [2], « sacræ redem- « ptionis confessio resplendeat. Sumamus ferventi « spiritu Sacramentum in azymis sinceritatis et « veritatis. » In paradiso quidem terrestri serpens toxicum suum protoparentibus instillare præsumpsit, verumtamen in animato animæ paradiso id efficere non poterit, si de hoc Sacramento delicietur, eoque, ut decet, fruatur. Hæc non sine mysterio a S. Ambrosio, clauso sponsæ horto assimilatur [3], diciturque *Hortus conclusus, fons signatus* : contra eum namque qui hoc sacramento munitus est, dæmon nihil facere prævalet, prout ex sequenti veridica historia clare patet. Cum enim moribundus quidam in procinctu esset, ut vehementibus dæmonis tentationibus cederet, S. Philippus Nerius capiti ejus manus suas imponens, maligno spiritui, ut ab hoc moribundo recederet, imperavit. Quam imperandi fiduciam exinde hauserat, quia manus ejus mane illius diei in sacrificio incruento sanctissimum Sacramentum contrectarant; unde manus suas ob solum Eucharistiæ contactum adversus totum infernum, velut forte quoddam et inexpugnabile opposuit propugnaculum : quanto igitur majorem vigorem sperare sibique promittere is poterit, qui sacratissimo hoc Angelorum pane cibatus fuit? de quo vere dici poterit : *Dedisti ei scutum cordis sui Domine, laborem tuum,* omnes enim labores, sudores, ærumnæ et toleratæ a Christo passiones, omnia merita vitæ et passionis suæ, in hoc Sacramento, veluti in brevi compendio, continentur; Davide id attestante, dum ait [4] : *Memoriam fecit mirabilium suorum, escam dedit timentibus se.* Hoc igitur sacramentum eis scuti loco esse voluit, quo se ab omnibus dæmonis insultibus tuerentur et defenderent : *Dedisti eis scutum, etc.* Quando Arca ab uno loco ad alium circumferebatur (quæ propter manna in ea reclusum cœlestis hujus panis symbolum erat) hæc verba decantari solebant [5] : *Exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus, sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic deficiant a facie Dei.*

## DISCURSUS XXI.

### PROSECUTIO EJUSDEM MATERIÆ.

IDEA SERMONIS. — 1. Per convivium ab Isaia descriptum, intelligitur epulum Eucharisticum. — 2. Quod vocatur convivium pinguium. Per illius institutionem superatus est diabolus et sublatus fuit illius cultus. — 3. Sumpta S. Euch. fideles animose certant contra diabolum. — 4. Diabolus timuit ne virtute S. Euch. Judas resipiscat. — 5. Mysticus sanguis Christi, diabolum procul pellit. — 6. Cur Christus distulerit institutionem SS. Sacramenti usque ad ultimam cœnam. — 7. Job, virtute hujus Sacramenti, quod a longe prospexit, vicit diabolum. Quanto magis illud reipsa sumentes. — 8. Suadetur frequens Communio. Mirabilis industria aviculæ in pugna contra serpentem. — 9. Diabolus atrocius impugnat accessuros ad S. Communionem. Dæmones comparente S. Euch. fugiunt.

*Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium vindemiæ et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati.* Isai., XXV, 6.

**1**. — Isaias, qui inter omnes Veteris Testamenti prophetas, hoc a Deo privilegio insignitus fuit, ut præ cunctis aliis, omnes novæ Legis gratiæ eventus, quos distincte et ad vivum delineavit, clarius agnosceret, de Sacramento altaris sermonem facturus, de quo Ecclesia canit : *O sacrum convivium!* hoc edidit vaticinium : *Faciet Dominus exercituum convivium, etc.* Enim vero quod Dux quidam generalis exercitus militum lustrationem instituat, eosdemque in centurias, centurias in legiones distribuat, facile quidem intelligi potest, siquidem id munus ejus nequaquam dedecet. At vero quod velut Architriclinus quidam sumptuosum quoddam instituat et ordinet convivium, actio hæc nullam habere videtur cum experto quodam belli duce relationem. Imo prout ex variis historiis constat, exercituum moderatores plus nimium conviviis celebrandis deditos fuisse, sæpius præclaras acquirendæ victoriæ occasiones elabi fecit. Quid si medicum aliquem haud secus ac architectum quemdam fabricis erigendis intentum esse, vel architectum medici partes obeuntem videres, numquid magnam in eo indecentiam et disproportionem agnosceres? Idem proinde in præsenti dici merito posse videtur, dum prophetam audimus dicentem : *Dominus exercituum faciet convivium.* Verumtamen omnis difficultas evanescit, si per convivium hoc, Eucharisticum epulum intelligamus. Hoc enim est velut armamentarium quoddam adversus omnes, tam invisibiles, quam visibiles inimicos, copiosissime instructum. Atque ideo protinus subjungit, dicens : *Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos et telam quam orditus est.* Lyranus porro per dictum montem, Sion montem in quo Eucharistia instituta fuit, intelligendum esse dicit [1] : de quo pariter loco Jerosolymitanus incola existens prophetavit, cum diceret : « In monte « Sion, ubi dicitur Dominus fecisse Cœnam disci-

[1] S. TH., *ib.* — [2] S. AMB., l. IV *de Pasch. celebrat.* — [3] S. AMB., l. *de init.* — [4] *Ps.* CX, 4. — [5] *Ps.* LX, 3.

[1] LYR., *ib.*

« pulis suis, » ut S. asserit Hieronymus. Cui subscribens Procopius, ait : « Quem tamdem præter « Sion alium. » Atque hæc de ipso convivii instituti loco : nunc ad reliqua citati textus verba explananda transeamus.

**2.** — Nuncupatur itaque in primis *convivium pinguium*, id est, ut vult Lyranus [1], « habens in se « omne spirituale delectamentum. » Notandum vero, quod propheta non simpliciter Deum convivium instituisse dicat, verum insuper Eucharisticum sanguinem sub vini specie consecratum tangat, siquidem dicit : *Convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ* : « Nam sanguis « Christi, » ut Dionysius Carthusianus ait [2] : « ex « vino consecratur et corpus ipsius ab omni fæce « peccati purissimum esse cognoscitur. » Procopius pariter ad Salvatoris verba, quæ in cœnaculo Sionitico species sacramentales consecrans protulit, alludens, ait : « Bibent veræ vitis vinum, illud quod se « non prius bibiturum dixit, donec novum cum « Apostolis in regno cœlorum sumeret. » Hic itaque exercituum Deus, tanto præparator convivii, qualem putatis reportabit? Respondet immediate dictus propheta : *Præcipitabit in monte, etc.* Quæ verba S. Hieronymus ita explananda censet [3] : « Faciet pingue convivium, ut præcipitet et absor- « beri faciat faciem mortis et vinculi, quo omnes « populi ligabantur. » Tyrannus siquidem infernalis genus sibi manciparat humanum, idque passim in omnibus mundi nationibus, præterquam in Judæa, ita ut homines omnes, non modo illi obedientiam, sed etiam tamquam Deo cultum exhiberent, præstarentque latriæ. Hæc autem vincula et catenæ corruerunt in monte Sion per Sacramenti hujus institutionem ; ideoque ipsemet Dei Filius, exercituum Dominus, clare protestabatur, dicens [4] : *Princeps mundi hujus jam judicatus est ;* id est, ut Procopius ait : « Homines Dei benignitate turpis « hujus et diabolicæ servitutis opprobrio liberati. » Qui consequenter auctor prædicta verba sequenti illustrans commentario, dicit : « Præcipitabit in « monte isto faciem Dominatoris, qui in omnes « gentes dominatur. » Cui et illa consonat S. Augustini Glossa, inquientis [5] : « In hac redemptione « tamquam pretium pro nobis datus est sanguis « Christi, quo accepto diabolus non ditatus, sed « ligatus est, ut nos ab ejus nexibus liberemur. » Ast qualem in convivii hujus virtute telam rumpendam fuisse putatis? Utique non aliam, quam antiqui adversarii machinarum, fraudium et stratagematum perversitates, dicente S. Hieronymo [6] : « Dis- « rumpet telam, quæ omnes læserat nationes. » Vel ut Hugo Cardinalis ait [7] : « Disrumpet telam, « quam orditus est Adam peccando ; » quoniam ut Ecclesiasticus dolenter ingemiscit [1] : *Jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ.* Innatus namque nobis fomes ad peccatum extimulans, passiones inordinatæ, motus rebelles, dæmonis suggestiones et tentationes, grave conglomerant jugum, quod Apostolus titulo mortis afficere non dubitavit, dicens [2] : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Contra quem gravissimum conflictum, ecce vobis præsens efficax in monte Sion institutum convivium, quod teste S. Hieronymo [3], « disrumpet rete « mortis. »

**3.** — Dionysius Carthusianus allata communiori, circa antichristi debellationem, interpretum opinione, citata prophetæ verba ita nostro pariter accommodat proposito, dicens [4] : « Videntur hæc « convenientius explanari de ablatione gravis jugi, « seu oneris, quod in omnibus invenitur, consequens ex originali peccato, videlicet de liberatione « ab his malis, quibus subjacent homines per pec- « catum originale ; de quo pondere molestissimo « scriptum est : *Grave jugum super omnes filios* « *Adam.* Est igitur sensus : Præcipitabit Dominus « in monte isto, videlicet in monte Sion, in quo « cœnaculum illud grande, in quo Sacramentum « corporis et sanguinis sui instituit, faciem vinculi « colligati super omnes populos, id est, effectum « originalis peccati. » Unde et forte in eodem capite idem propheta inquit [5] : *Pone mensam, contemplare in specula comedentes et bibentes ; surgite principes, arripite clypeum ;* quia nimirum post mensam Eucharisticam, fideles, correpto scuto, animosi decertant contra dæmoniacos assultus. Quam Glossam non obscure illa eumdem textum interpretantis insinuant S. Hieronymi verba [6] : « Prophetæ præcipitur, ut vescens in mensa Do- « mini et illius saturatus cibo, diligentius contemplétur, quæ ventura sint mundo : diciturque per « eum ad omnes credentes, ut comedentes et bi- « bentes corpus et sanguinem Domini, vertantur in « principes Ecclesiæ et cum Apostolis audiant : « *Surgite,* arripiantque clypeum fidei, in quo possint « tela diaboli ignea extinguere. »

**4.** — Vix sacramentum hoc in cœnaculo instituerat Christus, quando diabolus bellum ei intentaturus sese inde subito proripuit ; verumtamen non absque Juda comite, cui Salvator de sacramenti hujus institutione tractans, prædixerat [7] : *Unus ex vobis diabolus est,* quia nimirum malignus ille spiritus timebat, ne Judas, si in cœnaculo substitisset, in virtute hujus sacramenti ad pœnitentiam conversus, traditionem moliri desisteret. Quam circumstantiam considerans S. Cyrillus Alexandrinus inquit [8] : « Impietatis in Christum et crudelitatis

[1] LYRAN., *ib.* — [2] DION. CART., *ib.* — [3] S. HIER., *ib.* — [4] JOAN., XVI, 11. — [5] S. AUG., l. XIII *de Trin.* — [6] S. HIER. — [7] HUGO CARD., *ib.*

[1] ECCL., XL, 1. — [2] ROM., VII, 14. — [3] S. HIER., *ib.* — [4] DIO. CART., *ib.* — [5] ISA., XXII, 5. — [6] S. HIER., *ib.* — [7] JOAN., VI, 91. — [8] S. CYR. ALEX., l. IX *in Joan.*

« ducem, omniumque malorum artificem irrupisse « ait sapientissimus Evangelista, in cor proditoris, « totumque in eum ingressum satanam, postquam « offulam tradidisset. » Sumpta namque sacrilege Eucharistia, diabolus ipsum in præcipitium adegit, prout his verbis suo dictus sanctus consequenter insistens discursui insinuat : « Et quidem Judam « simul, ac offulam sumpsisset, cogit illico, ut qui « jam in ditionem suam transiisset, ad tam impium « facinus se quamprimum accingeret, veritus, ut « credibile est, simul cum pœnitentia vim quoque « eulogiæ, ne utique in illius hominis corde locis « instar effulgens, eum ad bene agendi studium « revocaret, eique saniorem mentem ingereret. » Ecce vobis admirandam sacramenti hujus efficaciam : quod ita diabolus expavit, ut non obstante sacrilega Judæ communione, nihilominus pertimuerit, eum, si coram Eucharistia diutius perseveraret, a machinamento deicidii recessurum.

**5.** — S. Carolus Borromæus alium quemdam hujus Sacramenti effectum insinuans, ait[1] : « Vires « præbet, ut fideles a tentationum impetu incolu- « mes se conservent ; » quam virtutem S. Chrysostomus de eodem agens Sacramento, fusius commemorat, dum ait[2] : « Hic mysticus sanguis dæmones « procul pellit, Angelos et Angelorum Dominum « ad nos allicit ; dæmones enim cum Dominicum « sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, « Angeli autem concurrunt ; » quem eumdem sacramentalem calicem idem sanctus, auctoritatem secutus Apostoli, nuncupat *terribilem et maxime formidandum* ; quem bombardæ contra satanam explosæ assimilat, dicens : « Roga ipsum diabolum « et dic : Undenam habes ictum incurabilem ? Qui « fit, quod nullas habeas vires ? Quomodo captus « es ? Nihil aliud dicet, quam corpus crucifixum : « Per hoc stimuli ejus sunt confracti, per hoc caput « ejus est contritum ; per hoc principatus et potes- « tates sunt traductæ. » Quod argumentum promoturus S. Bonaventura, illam e libro Tobiæ adducit historiam, ubi Tobias junior ad flumen Tigris pedes loturus a pisce invasus, modumque eum capiendi per Archangelum edoctus fuisse legitur[3] : Quam rei gestæ seriem ita nostro accommodat proposito[4] : « Piscis iste diabolus est, hic quia « humanum genus devoraverat, Deus Pater hamum « contra ipsum misit, Filium suum ; an extrahere « poterit Leviathan hamo ? invadens ergo diabolus « escam humanitatis, captus est hamo Deitatis. »

**6.** — Quod subesse mysterium creditis, quod Christus SS. hujus Sacramenti institutionem ad ultimam usque Cœnam distulerit ? cur per XXXIII annorum cursum ipsam distulit ? Causamne nostis ? quia nimirum tunc temporis princeps tenebrarum omnes suas exercere cœpit vires, ideoque opportunissime suum, quo omnes firmarit communiter Apostolos, patefecit armamentarium. Quem nobis conceptum expressum reliquit S. Bernardinus, dum ait[1] : « Affectuosus Paterfamilias ante passionem, « refectionem suam curavit domesticis exhibere ; « oportebat enim : expetierat eos Satan, ut cribraret « sicut triticum, opus erat prævenire refectionem. « Denique qui refecti paulo minus defecerunt, quid « jejuni fecissent. » Qui idem sanctus nos ad frequentem dignamque communionem exhortaturus, ait : « Fortissime dæmones timent mentem devo- « tissima hujus Sacramenti sumptione munitam. » Unde et S. L. Justinianus in libro cui titulus : *De disciplina et perfectione monasticæ conversationis*, ait[2] : « Quis valeret adversus immundos spiritus « pergere, in acie perseverare et de talibus adver- « sariis obtinere victoriam, nisi divinis esset recrea- « tus alimentis ? »

**7.** — Dæmon olim suos in Jobum conjecerat invidos oculos, totumque quasi infernum in eum torquendum emiserat, cœlum terraque hanc pugnam attonita spectabant, ejusque præstolabantur exitum. Ast vero quonam præcipue medio Job usus fuit, ne dæmoni in prædam cederet, sed potius de tam potenti et obstinato inimico triumpharet ? Nimirum erga hoc sacramentum, quod per spiritum propheticum e longinquo venerabatur, ingenti ferebatur devotione in sacrificiis quæ quotidie offerebat : *Offerebat holocausta*, et ideo mirum non est, quod adversus dæmonem victor evaserit ; hic enim inimicus infernalis ad solum sacrificii incruenti typum, quantumvis distantem et remotum, omnem suum amittit vigorem. Quanto igitur magis vires ejus debilitabuntur, quando præsens est figuratum ? *Si hæc in viridi, quid in arido ? Tygris perit*, inquit idem Job[3], *eo quod non haberet prædam.* Septuaginta legunt : *Myrmicoleon*, quod idem est, quod *leo formica*. Dæmon enim fit ex leone formica et sine præda remanens, vulnus accipit lethiferum. S. Gregorius hunc citatum Jobi textum hoc modo exponit[4] : « Ex translatione septuaginta Interpretum « nequaquam tygris, sed myrmicoleon periit, for- « micis adversum, quod se suo pulvere abscondit « et formicas frumenta gestantes interficit. » Et ideo hoc animal dæmonem præfigurabat, qui omnes suas ad hoc vires adhibet, ut fructum hujus frumenti electorum impediat, vel enervet, at vero benedictus Deus ; inquit enim Spiritus Sanctus, *periit, eo quod non haberet prædam.*

**8.** — Gregorius VII, Mathildi, de S. Dei Ecclesia optime meritæ Principi, inter cætera in hæc verba scribit[5] : « Inter cætera arma, quæ tibi contra « mundi Principem contuli, potissimum est, ut cor- « pus Dominicum frequenter accedas. » Valde

[1] *Act. Eccl. Med.*, p. 512. — [2] D. CHRYS., *in Matt.* — [3] TOB., VI, 6. — [4] S. BON., s. *in Cœna Dom.*

[1] S. BERN., s. 3 *in ramis Palm.* — [2] S. LAUR. JUST., *de discip. mon.* — [3] JOB, IV, 11. — [4] S. GREGOR., l. V. *Mor.* — [5] GREG. VII, ep. 47.

etiam celebria sunt illa S. Ignatii Martyris verba, quibus Ephesios ad sæpius communicandum exhortatur, dicens[1] : « Date operam, ut sæpius congre-« gemini ad Eucharistiam et gloriam Dei, cum « enim sæpius in idem loci convenitis, labefactan-« tur vires Satanæ et ignita illius ad peccatum « jacula irrita resiliunt. » S. Job a ferocissimis infernalium spirituum copiis graviter infestatus, Deo dicebat[2] : *Pone me juxta te et cujusvis manus pugnet contra me;* hoc autem majori cum fiducia et libertate ille dicere poterit, qui Deum ipsum intra viscera sua sumptum et positum habet. Utique non sine particulari mysterio laudabilis hæc penes Ecclesiam consuetudo invaluit, quod locus ille, in quo sanctissimum conservatur sacramentum, tabernaculum, communi nomine, appellari soleat : tabernaculum enim est veluti militare quoddam tentorium; et ideo hoc nomine unus ex præcipuis finibus innuitur, ob quem in hoc sacramento nobiscum remanere voluit; scilicet ut veluti in prælio quodam sub tentoriis constitutus, nos ab inimicis defenderet, nosque in pugnando adjuvans, de victoria securos redderet. Albertus Magnus ex Avicena in libro *de Animalibus*, mirum quemdam refert aviculæ cujusdam adversus serpentem dimicaturæ instinctum[3]; nam « ne venenum noceat, avicula « accipit per cibum lactucam agrestem. Et in succo « lactucæ agrestis præcipitur sumi sacrificium agni « paschalis, quia cum in memoriam passionis Domi-« nicæ sumimus corpus Christi, flagrans de ore « nostro virtus sacramenti, fugat, et ab anima, et « corpore omne venenum inimici. » Ideo etiam S. Mater Ecclesia in oratione secreta ad Missam Dominicæ IV post Epiph. his verbis Deo supplicat : « Concede, quæsumus omnipotens Deus, ut hujus « sacrificii munus oblatum, fragilitatem nostram « ab omni malo purget semper et muniat. »

**9.** — Sciendum tamen est, quod dæmon tunc vel maxime omnes vires suas adhibere soleat, ut atrocius nos impugnet, quando ad S. Communionem sumendam nos accingimus, prouti Thomas a Kempis his verbis optime probat[4] : « Cum quidam « sacræ Communioni se aptare disponunt, pejores « Satanæ immissiones patiuntur. Ipse namque Spi-« ritus, ut in Job scribitur, venit inter filios Dei, ut « solita illos nequitia sua perturbet, aut timidos « nimium reddat et perplexos, quatenus affectum « eorum minuat, vel fidem impugnando auferat, si « forte, aut omnino Communionem relinquant, aut « cum torpore accedant. » Ac proinde tanto nos validius ipsi resistere debemus, consilium sequentes D. Chrysostomi, dicentis[5] : « Tanquam leones « ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti « diabolo terribiles. » Unde frequens est per annum illa Ecclesiæ in Missa oratio : « Exaudi nos « Deus salutaris noster, ut per hujus sacramenti « virtutem a cunctis nos mentis et corporis hosti-« bus tuearis. » S. Birgittæ a Christo revelatum fuit[1] : « Sicut ex uno verbo, quod dixi : *Ego sum,* « corruerunt hostes mei corporaliter in terram, « sic dicto verbo meo, videlicet, *hoc est corpus* « *meum,* fugiunt dæmones a tentando animas offe-« rentium, nec auderent redire ad eos cum tanta « audacia, si affectus peccandi non sequeretur. » Varia habemus dæmonis ad comparitionem Eucharistiæ fugientis exempla. S. Augustinus suo tempore accidisse refert[2], quod quidam tribunitiæ dignitatis vir, Hesperius nomine, in villa quadam domum habens, cum ingenti familiæ et gregum suorum damno a spiritibus malignis infestatam, S. Augustino absente, ejus presbyteros instanter rogarit, ut aliquis illorum eo se conferens, aliquod suis orationibus adversus malignos spiritus porrigeret auxilium. « Perrexit unus, obtulit ibi sacri-« ficium corporis Christi, orans quantum potuit, « ut cessaret, illa vexatio et Deo protinus miserante « cessavit. » P. Bollandus in vita S. Pii Episcopi Biturícensis refert[3], quemdam prædictæ Ecclesiæ mansionarium eo tempore, quo in eadem in oratione pernoctare solitus erat, a dæmonibus adeo graviter fuisse infestatum, ut a bono opere illo desisteret, ut semivivum illum aliquando ex nimia verborum acerbitate relinquerent. Licet vero S. Pius procul abesset, mox tamen ut hujus diabolicæ infestationis factus est certior, sine mora eo properavit : « Tunc juxta membra fratris se prosternens, « ingemuit fortiter, vique dentibus reseratis, sacri-« ficium in ore ejus propriis manibus Dei sacerdos « infudit et miro stupore spectantibus omnibus, ita « repente apprehensa manu ejus, in faciem sacer-« dotis incolumis, ac si nihil mali habuisse putare-« tur et ubique saliens benedicebat Dominum. »

**10.** — Cantipratensis quoque prodigiosam quamdam refert historiam[4], quæ anno 1231, cuidam Fratri Dominicano evenit, qui cum ab hæretico persuasus ut ejus sectaretur errores, fortiter restitisset, hæreticus his eum verbis affatus fuit : « Tu « alia non habes Fidei tuæ argumenta, præterquam « ea quæ ex Scriptura S. petuntur. Ego vero, si « fidem mihi adhibueris, Christum ejusque Matrem « et omnes Sanctos videre te faciam. » Religiosus porro, tametsi dictis ejus fidem nullam haberet, dolum suspicatus; attamen ut promissi experiretur veritatem, illum acceptavit. Priusquam vero hæreticum sequeretur, acceptam pixidem in qua SS. erat Sacramentum, sub chlamyde religiosa occultavit. Perductus igitur in vasti cujusdam montis speluncam, splendidum in ea invenit palatium, in

[1] S. Ignat. Mart., ep. 14 *ad Ephes.* — [2] Job, xvii, 3. — [3] Alb. Magn., *de Euch.* — [4] Thom. a Kemp., l. IV. — [5] D. Chrys., h. 10 *ad pop.*

[1] *Revel. S. Brig.*, l. IV, c. 58. — [2] S. Aug., l, XXII *de Civ. Dei.* — [3] Boll., t. II, jan., c. 8. — [4] Cantipr., l. II *Apum.*

eoque thronos quosdam conspexit magnificos aureos, in iisque sedentem regem quemdam in uno et in altero reginam, in eorumque circuitu multos alios assistentes, velut patriarchas et apostolos et innumerabilem exercitum angelorum. Cumque hæreticus coram illis se prosterneret eos adoraturus, religiosus attonitus stetit et immobilis ; cuicum hæreticus, cur Filium Dei non adoraret, impropérasset, religiosus propinquius nonnihil accedens, extractam foris sacram pixidem reginæ obtulit, dicens : « Si tu Regina es Mater Christi, ecce Filius « tuus, quem si susceperis, te velut Matrem Dei « agnoscam. » Et cum hac protinus voce, totum illud phantasma evanuit.

## DISCURSUS XXII.

SACRAMENTUM ALTARIS IN BELLIS NOS A VISIBILIBUS PROTFGIT HOSTIBUS, VICTORESQUE EFFICIT.

IDEA SERMONIS.— 1. S. Hostia nos defendit contra hostes visibiles. — 2. Quod præfiguratum fuit in Manna, Arcæ incluso. Panis subcinericeus Gedeonis, designat S. Euch. Quæ est simul panis et gladius. Exemplum S. Claræ. — 3. Elisæus Regi Israel signum victoriæ contra Syros dedit ubertatem frumenti. — 4. Duæ insignes historiæ, ad intentum applicabiles. Numa Pompilius credidit hostes sacrificio vincendos. — 5. Continuatio ejusdem materiæ. — 6. S. Communio muniti, feliciter pugnant contra hostes. — 7. Per collum Sponsæ designata fuit S. Eucharistia. Ægesippus de excidio. — 8. Christiani ante prælium se muniant S. Euchar. ut vincant. — 9. Et vitæ emendationem firmiter statuant, alias potius oberit, quam proderit. Præclara historia obtentæ taliter victoriæ.

*O salutaris hostia, quæ cœli pandis ostium, bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium.*

**1.** — Doctor Angelicus (qui jubente Urbano IV, tunc Orvieti commorante, pro solemnitate sacratissimi Corporis Christi, tunc ab eodem Pontifice in Ecclesia primitus instituta, totum composuit divinum officium) calamitosissima considerans tempora quibus Christianismus in damnum fidei Catholicæ et Apostolicæ Sedis, per bellorum tunc ardentium incendia misere conflagrabat, optime se facturum esse censuit, si aliquo in illius Festi hymno cunctos fideles ad hanc supplicationem sanctissimo Sacramento faciendam invitaret, videlicet, *O salutaris hostia, etc.* Quorum verborum occasione, in præsenti discursu declarare statui, sacram hostiam inexpugnabilem quamdam esse arcem, qua mediante, non solum ab invisibilibus, sed etiam a visibilibus hostibus eorumque machinamentis defendamur.

**2.** — Arca in se continebat Manna, quæ symbolum erat Sacramenti altaris : advertendum vero est quod quando hæc in castra inimicorum circumferebatur, ut Hebræis esset in defensionis præsidium, hæc verba decantari consueverint[1] : *Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus et fugiant* : demum vero in eodem Psalmo convivii mentionem fecerint, dicendo : *Et justi epulentur.* Quæ verba utique non de conviviis mundanis intelligi possunt, utpote quæ servos Dei dedecent ; ac proinde David ibi potius ad convivium alludit Eucharisticum, unde protinus subjungit, *et exultent in conspectu Dei.* Verum inquies : convivari et epulari inimicum non fugat, sed potius allicit, omnemque inimico timorem adimit, quia milites ad gulam proclives, ad pugnam sunt idonei. Cur igitur inimicum fugare volentes, epularum faciunt mentionem ? « Quis iste inimicus « tam facile vincens, » quærit D. Chrysostomus[2], « ut prandens trophæum erigat ? » Pro resolutione notandum est celebre illud facinus Gedeonis, quando populus Israel in servitute erat Madianitarum, jamque a numerosissimo pariter et formidabili eorumdem exercitu trucidandus erat[3] : *Madiam autem, Amalec et omnes orientales populi fusi jacebant in valle, ut locustarum multitudo, cameli quoque innumerabiles erant sicut arena.* Quibusnam vero armis, aut exercitibus Deus usus est, ut filios Israel ab hoc tam potenti inimico tueretur et defenderet? *Vidi somnium et videbatur mihi quasi subcinericeus panis volvi et in castra Madian descendere : cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud atque subvertit et terræ funditus coæquavit. Respondit is qui loquebatur, non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis.* Ast quæ, obsecro, generosi, expertique capitanei, gladium inter et frustum panis dari potest proportio ? Ecce vobis mysterium : *O salutaris hostia, da robur, fer auxilium.* Quia scilicet panis hic contra inimicos gladius est, dum illum nos venerantes, inque opem et succursum nostrum cum confidentia et devotione advocantes suscipimus ; unde Vatablus non immerito pro verbum *subcinericeus panis,* legendum putat : *Et ecce strepitus panis se devolvens ad castra* ; seu ut Cajetanus ait, rectius legitur : *Et ecce tremor panis.* Id quod olim experti fuere Saraceni illi, qui Assisii applicatis monasterio S. Claræ scalis, in quo tunc S. hæc virgo degebat, extremam intentabant ruinam dictæ urbi et cœnobio ; mox enim sancta hæc animosior ipsis in faciem restitit in virtute hujus Sacramenti, quo foras educto, eos tanquam fulmine excæcavit et præcipitavit[4] : « Ægra se ad « portam afferri voluit, unaque vas in quo SS. Eu- « charistiæ Sacramentum erat inclusum, ibique « oravit in hunc modum : *Ne tradas Domine bestiis « animas confitentes tibi.* Saraceni partim fugæ se « mandarunt, partim qui murum ascenderant, « capti oculis, præcipites ceciderunt. » Porro S. Bernardinus ad immediate præcedentem historiam

[1] *Ps.* LXVII, 1. — [2] D. CHRYS., *in Ps.* XII. — [3] JUD., VII, 12. — [4] *In lectionibus S. Clar.*

se convertens, ait [1] : « Hic est panis, qui a Gedeone « visus est, qui destruxit Madian. »

**3.** — Recordabimini forsan historiæ illius, quam nobis quartus exhibet Regum liber, de Benhadad rege Syriæ, qui Samariam tam stricta presserat obsidione, ut fame invalescente, proprios filios devorarint matres ; quare rex Israel indignatus, Elisæo se mortem ei illaturum juravit. Sed quid mali, obsecro, perpetrarat hic propheta? Num forte occulte cum inimico colludebat? Aut sinistrum fortassis in prælio dicto dederat consilium? Nequaquam, sed ut S. Ambrosius notat : « Prophetæ « mandavit necem, cujus in potestate fore crederet « ut obsidionem solveret, propulsaret famem, » quia nimirum rex probe cognoverat, sancti prophetæ precum efficaciam, utpote qui paulo ante, ut in eodem traditur capitulo, inimicum excæcatum, in medium conduxerat civitatis Samariæ. Verumtamen id, quod nostro singulariter deservit proposito, consistit in eo, quod sanctus propheta gloriosæ contra inimicos victoriæ signum dederit frumenti abundantiam, dicens : *Sequenti die ubertatem frumenti videbis*, ut refert Ægesippus, quantumvis Vulgata nostra solius meminerit farinæ, sponsionique propheticæ successus respondit fertilissimus, ut nimirum edoceamur, quod frumentum electorum inimicos vincat et prosternat, modo ad ipsum cum efficacibus precibus recurramus. Quo fine et Cornelius a Lapide illum adducit Isaiæ textum [2] : *Requiescere faciet Dominus super eum in tympanis et cytharis et in bellis præcipuis expugnabit eos.* Quæ verba dictus auctor ita ad nostrum applicat propositum : « Assyrii et Sennacherib vincentur, non « armis sed sacrificiis, quæ tympanis et citharis « offerebantur, » id quod et lingua Hebræa in illo exprimit verbo, quod *elevationem* significat, ubi Vulgata nostra legit : *præcipuis*.

**4.** — Successum narrabo ad idem intentum, nulli non pergratum, e Frontine desumptum, qui tradit in medio quondam unius montis ab inimico obsessos pressosque Thraces, ad hoc se convertisse stratagema. Oves aliquo frumento impinguatas liberas dimiserunt, quæ in hostiles manus incidentes, subito præda factæ sunt et victima ; conspectoque frumento in occisarum intestinis, magna obsessos abundare frumenti copia, credidit hostis, obsidionemque solvit. Multis pariter exercitibus, cæteroquin formidabilibus et invincibilibus, idem novimus evenisse, quando civitates, aut castella obsidentes, hujusmodi prædam spe jam devorarant, turpiter elusi suas sibi insensibiliter vires diminui, generositatem remittere, animumque deficere adverterunt qui scilicet obsessi cœlesti hoc sese muniebant, pascebantque frumento; interque orationes, ad panem confugiebant Angelorum. Quam veritatem Numa quoque Pompilius qualicunque lumine dotatus, non obiter attigisse videtur, quando de inimicorum contra se adventantium furiis admonitus, intrepide respondit : « Et ego sacrificabo. » Potius urbes munitionibus et necessariis militibus, aliisque provisionibus instruere debuisse videtur. Sed accuratior veritatis ponderator totam in sacrificiis fiduciam collocandam censuit. In sacrificiis, inquam, ovium, aliorumque pecorum, quæ falsis numinibus et dæmoniis offerebantur : quanto igitur majorem confidentiam populus Christianus in similibus angustiis et pressuris concipere debet et dicere : « Ego « sacrificabo. » Atque idipsum in verbis dictis nobis insinuatur, quibus asseritur : « In bellis præ« cipuis expugnabit ad elevationem in sacrificiis. »

**5.** — Josue civitatem Hai subjugaturus, dum exercitum suum in præsentissimo conspiceret periculo, vocem Dei inaudiit sibi præcipientis [1] : *Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam.* Porro Glossa scutum hoc, passionis Christi, cujus sacramentum altaris memoriale est, symbolum fuisse docet, inquiens : « Cly« peus iste est memoria Dominicæ passionis. » Cajetanus autem paulo ante insinuatum Madianiticum panem contemplans, illa singulariter considerat verba : *Videbatur panis volvi*, circa quæ talem formal discursum : « Ex eo quod describitur volventis « se, insinuatur, quod hujusmodi panis erat orbi« cularis figuræ : hæc enim figura admodum « revolutionis, valde est habilis. » Chaldæus legit : *Ecce placenta panis*, Galatinus autem : *Placentula rotunda.* Quæ interpretationes nostro utique suffragantur proposito, siquidem figuram circularem habet hostia nostra consecrata, non solum sphæricum mundi corpus, sed et potentiam designans, quam habet super omnes adversariorum assultus, cui non obscure quædam favet S. Bernardi sententia, dum in sermone *de Virgine assumpta*, cui titulus est : *Intravit Jesus in quoddam castellum*, ita discurrit [2] : « Quod est autem hoc castellum, nisi « cor humanum, quod priusquam Dominus ad « illud veniat, cupiditatis fossa vallatur, muroque « obstinationis clauditur, atque in interiori latitu« dine sua, Babylonica turris erigitur. Visitante « Christo et intrante castellum hoc, evertitur. » Profecto si Christus tanta vi pollet ad expugnandum castellum, quod nostræ consignavit libertati, dum *reliquit hominem in manu consilii sui*, quanto facilius civitates, provincias, regna, turresque munitissimas subjugabit? Ipse *armat creaturam ad ultionem inimicorum* [4], insuper *cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud* [5]. An nescitis, quoniam Deus ille titulo glorians, Dei exercituum, machinamenta, studiaque expertissimorum etiam heroum penitus atterit et pessundat?

[1] S. Bern., t. I, ser. 54, a. 2, c. 3. — [1] Isa., xxx, 32.

[1] Josue, viii, 16. — [2] S. Bern., s. 5 *de Ass.* — [3] Eccli., xv, 14. — [4] Sap., v, 18. — [5] Prov., xxi. 1.

**6.** — Ad Elisæum prophetam, inimicos Samariæ excæcantem, sanctus nos revocat Ambrosius, dicens [1] : « Ubi sunt, qui dicunt plus, quam preces « sanctorum hominum, arma posse? Ecce una « oratio Elisæi totum exercitum vulneravit et unius « prophetæ meritis omnis est hostium numerus « captivatus. » Si, inquam, contra integrum exercitum tantam vim et efficaciam unius prophetæ oratio habet, quanto majorem possidebit ipsemet personaliter præsens Deus et a suis fidelibus ferventibus in Eucharistia precibus invocatus? Ramirus rex Hispaniæ infeliciter cum Saracenis prœliatus, in montes se contulit ad certum quemdam locum totus desolatus, ubi illi per noctem sanctus apparuit Jacabus Apostolus, suum ei promittens auxilium et infallibilem victoriam ; hac tamen conditione, ut postridie milites omnes sacra se armarent Communione; qua corroborati LXX millia Saracenorum occiderunt. Anno 1040, dum Barbari iidem Messanam ministris imperialibus subditam invaderent [3], hi omnes sacra prius refecti communione, portas aperientes, tanto cum impetu in canes illos proruperunt, ut irreparabilem iis intulerint stragem, cadaveribus planities, valles et flumina implentes. Quo ex tempore amplissima Siciliæ insula, tyrannico cæteroquin barbarorum jugo pressa, in pace reflorescere cœpit.

**7.** — Dum iterum me ad libros regum converto singulare propositi præsentis fovendi argumentum suppeditant verba illa, quibus dicitur [4] : *Habitabat Juda et Israël absque timore ullo, unusquisque sub vite sua cunctis diebus Salomonis.* Ast quale eos habuisse putatis tantæ pacis et ab hosti incursu immunitatis pignus? Utique non aliud, quam quia sub gubernio regis pacifici degebant. Verumtamen *ecce plus quam Salomon hic,* qui sub Sacramenti hujus umbra vivit, nullum pertimescit inimicum insultum; unde Origenes inquit [5] : « Tibi dabitur, ut requiescas sub « vite tua, quæ est Christus Jesus. » Quod ut stabiliat plenius, ad illa alludit Sacramentum hoc instituentis Christi verba [6] : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* : quia nimirum sub vitis illius umbra, quæ *vinum* producit *germinans virgines,* impavidi requiescimus.

**8.** — Observastisne aliquando, cui Sponsæ collum assimiletur [7] ? *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Per Sponsam hanc Ecclesia designatur, ast quare, obsecro, collum potius, quam quæcunque alia pars corporis, turri, armamentario, et inexpugnabili comparatur propugnaculo ? Causamne nostis ? de hoc agebatur sacramento, quia nimirum collum vehiculum est cibi, nutrimenti, et potus, quibus totum sustentatur, corroboraturque corpus. Non itaque ulla pars corporis alia aptius significare potuisset effectus hujus panis, et Eucharistici vini, qnorum utrumque turris est inexpugnabilis. Atque hanc forte ob causam Felix episcopus Bituricensis vas fabricari jussit aureum in formam turris, ad custodiendam Eucharistiam, quam et Ecclesia sancta in vasis tabernaculorum, quales militares sunt casæ, et tentoria, figuram exprimentibus, custodire consuevit. Quo fine et illa subservit Hugonis Cardinalis Glossa, quando hunc [1] Psalmi versiculum *in sole posuit tabernaculum suum,* interpretans ait : « Tabernacu- « lum dicitur caro Christi. » Verum enim vero qualis inter tentorium et Agni divini corpus potest esse relatio? Facilis eruetur responsio ex illis Apostoli verbis [2] : *Jesus Christus heri et hodie, ipse, et in sæcula* ; quia scilicet idem ille, qui triginta tribus annis in carne visibili, ut Hugo Cardinalis ait; sicut in tabernaculo, militavit pro nobis, ipsemet protestatus est, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi,* in defensionem nostram, in hoc sacramenti tabernaculo, per corpus suum militans incessanter.

**9.** — Ultimum discutite, si lubet, a Sennacherib toti populo Israelitico, et civitati sanctæ Jerusalem intentatum exterminium, quando Ezechias nequatuam pusillaminis coram arca prostratus ita exorare cœpit [4] : *Domine Deus Israel, qui sedes super Cherubin, tu es Deus solus Regum omnium terræ.* Arca hæc propter manna quod continebat, Eucharistiam ut diximus, præfigurabat. Circa quam historiam minas, et blasphemias Rabsaces Ægesippus considerans simul, et Ezechiæ pietatem, ait [5] : « Non « verba verbis, nec arma armis referenda credidit, « sed exurgens, cilicio se ut scuto induit ; pro « galea, cinere caput texit, pro jaculis orationem « intorsit : ascendit oratio descendit Angelus, cæsa « per noctem Assyriorum 175 millia cadavera nu- « meravimus, percussorem non vidimus. » Ita quoque multi Christiani, Eucharistia ante prælium munit, gloriosi evasere victores, percussorem non videntes, quia scilicet sub specierum Sacramentalium tabernaculo et tentorio, militat confligitque Christus. Unde non immerito S. Cyprianus teste Baronio [6], fideles contra tyrannos armaturus hoc iis providit corporis Christi munimentum, juxta illa expressa verba : « Quo excitamus, et horta- « mur ad prælium, non inermes, et nudos relin- « quamus, sed protectione corporis et sanguinis « Christi muniamus. » Quam veritatem ex Alberti Magni doctrina facile stabilierim, qui favum mellis, a Sampsone in ore leonis inventum, et Eucharistiæ

[1] IV Reg., VI, 15. — [2] S. Amb., s. 2 *de S. Elisæo.* — [3] Baron., an. 1040, n. 3. — [4] III Reg., IV, 25. — [5] Or., h. 14 *in Josue.* — [6] Matt., XXVI, 29. — [7] Cant., IV, 3.

[1] *Ps.* XVIII, 6. — [2] Hebr XIII, 8. — [3] Matth., XVIII, 20. — [4] IV Reg., IX. — [5] sippus, *de Excidio Hier.* — [6] Bar., an. 57.

symbolum, contemplans, ait [1]: « *De comedente exi-* « *vit cibus, et de forti egressa est dulcedo.* Hoc est « de eo, qui in Sacramento nos sibi incorporat, « exit dulcedinis cibus, et de forti nostro propu- « gnatore ad salutem tanta egressa est dulcedo. » Cujus Sacramenti fortitudinem Salmeron pariter ab Isaia indigitatam fuisse sustinet in iis verbis, ubi *convivium pinguium* commemorans, immediate hoc subnectit epithetum : *Deus exercitum.* Unde ad sacrum hoc convivinm Eucharisticum dictus alludens, auctor, ait [2]; « Quia pro exercitibus Ecclesiæ « militantis corroborandis institutum est. »

**10.** — Ad novam vos invito S. Chrysostomi sententiam [3]: « Cavendum tibi, ne acutum gladium « pro cibo præbeas, » quia scilicet summe nobis cavendum, ne sceleribus nostris, mansueti hujus Agni furorem contra nos provocemus, ipsoque loco cibi ferrum, et gladium interitum nostrum præbeamus ; nobisque in oppressionem cedat, propter graves offensas, et mortales culpas nostras, quod cæteroquin hostes nostros penitus attrivisset. Populus quondam Israelis stragem passus a Philisthæis, communi consilio arcam in prælium conducendam per quam defenderentur, statuerunt, dicentes [4]: *Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum* : sed nihil iis hujusmodi profuit munimen quantumvis altaris Sacramenti typus esset ; quin potius *ceciderunt de Israel triginta millia peditum* ; *et arca Dei capta est.* Ex quo proinde successu Dionysius Carthusianus hoc optimum pro nobis eruit documentum [5]. In urgentibus quandoque belli miseriis populus Christianus sanctissimum exponit Sacramenlum, in honorem ejusdem preces solemnes instituit XL horarum, et processiones,sed absque ullo fructu, imo quandoque cum effectu opposito. Cujus hæc assignari potest ratio, quia nimirum principalis eorum finis est, ut suam salvent substantiam et vitam, a fine moti temporali non divino, non ecclesiastico ; non ut protegant, aut manu teneant fidem ; iterum quod caput est ejusmodi instituuntur devotiones, absque ulla morum emendatione, cum affectu, et voluntate reiterandi peccata; ideoque *acutum gladium pro cibo præbemus*, pro vita mortem, pro medela interitum, pro præmio supplicium.

**11.** — Anno 1239 ab innumerabili Turcarum exercitu obsessa Valentia, dum nostri extremis premerentur angustiis, a sacratissimo hoc altaris Sacramento subsidium petiere instanter. Inter reliquos autem, quinque capitanei ad sanctam communionem sumendam se accinxerunt ; sed dato conflictus signo ante Missæ finem, dum communicandi non suppeteret tempus, ad prælium concurrerunt, suum spiritualiter adimplentes desiderium. His itaque confligentibus, dum sacerdos, quid de residuis hostiis minoribus ageret, dubius hæreret, corporali eas involutas, sub saxo abscondit propter Barbarorum timorem. Turcæ itaque penitus destructi fuere a nostris, fugatique per invocationem sanctissimi sacramenti. Nostri igitur ad communicandum reversi, particulas eruentes, singulas sanguine mandidas, et sacro lino affixas offenderunt. Quo miraculo divulgato, omnes ad tanti mysterii adorationem concurrerunt. Sed novo confestim de inimicis iterum ad arma convolantibus orto rumore, nostri expediens judicarunt, corporale dictum, quasi antemurale, mœnis appendere ; quo facto, iterum in impios proruentes, omnes in fugam compulerunt. Quæ Syndon usque in præsens tempus multa cum veneratione Darocæ, multis clara miraculis, asservatur.

[1] ALB. MAG., l. *de Euch* — [2] ISA., XXV, 6. — [3] SALM., t. IX, tr. 2. — [4] D. CHRYS., h. 83 *in Matt.* — [5] I REG., IV. — [7] DION. CART., *ib.*

## DISCURSUS XXIII.

DE VARIIS EUCHARISTIÆ FRUCTIBUS, PRÆSERTIM AUTEM DE ILLA QUAM NOBIS CONFERT, INDULGENTIA, ET PROPITIATIONE DEI.

IDEA SERMONIS. — 1. S. Eucharist. est propitiatoria. — 2. Christus, quocumque intravit, suam benedictionem et dona impertivit. In Cœnaculo Sion se totum nobis in cibum reliquit. — 3. Stupendi fructus et effectus SS. Eucharistiæ in nobis. Specialiter fructus Spiritus a S. Paulo enumerati, qui sunt : Charitas, Gaudium, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia. Continentia et Castitas. — 4. Digne communicantes, efficaciter adoptantur in filios Dei. — 5. Communio etiam sustentat corpus. — 6. Subministrat vires ad progrediendum in servitio Dei. — 7. Designata fuit per panes propositionis. Angelus percutiens transit S. Communione refectos. — 8. S. Euch. est opus Dei. Patet in holocausto, quod obtulit David. — 9. Oblato sacrificio Eucharistico Deus misericordiam suam continere non potest.

*Pinguis Panis ejus.* Gen., XLIX, 20.

**1.** — Alias inter, quibus Patriarcha Jacob suos muneravit filios, benedictiones, non infirma fuit illa, quam indulsit filio suo Aser, dicens : *Aser pinguis Panis ejus.* Quæ verba Ecclesia sancta in Festo sanctissimi Corporis Christi, hunc panem sacramentalem honoratura adducit, alludens ni fallor ad effectum ejus multiplicitatem ; unde subjungit : *Præbebit delicias*, scilicet, ut interlinearis prosequitur, « sapientiæ, gratiæ, et virtutum. » S. autem Thomas de Villanova, panem hunc in cœlesti manna figuratum fuisse considerans, ait [1] : « Quid dulcius isto cibo, qui non terra est, sed de « cœlo venit, non hominum opere, sed Spiritus

[1] S. THOM. DE VILLAN., conc. 2 *in die Corp. Christi.*

Sancti virtute in sacro Virginis utero firmatus, « omnem habet saporem omnem continet suavita- « tem ? in eo omnium virtutum, et charismatum « plenitudo est; » vel ut S. Clemens de hoc cœlesti pane tractans concludit [1] : « Omne beneficium « obumbrabit; » nec immerito, si enim Christus passibilis internos mortales degens, *pertransiit benefaciendo*, quanto magis in suis bonis dispergendis prodigus erit in Eucharistia, in qua ipse permanenter, usque ad finem perstat sæculorum, dicens : *Ecce ego vobiscum suum omnibus diebus*, neque alium ob finem nisi ut suas ipse nobis gratias communicet ? Ideoque juxta Apostoli consilium [2] : « Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ « ut misericordiam consequamur, et gratiam inve- « niamus, » quia scilicet Sacramentum hoc gratiæ est signatura, nomenque *Eucharistia*, gratiæ est expressivum.

**2.** — Salmeron Christum variis suas large gratias dispersisse considerat. Et imprimis quidem uterum virginalem subintrans, eidem primatum contulit super omnes creaturas. Exinde domum petens Zachariæ, Joannem Baptistam in utero virginali sanctificavit, matremque ejus Spiritu Sancto, et patrem dono prophetiæ ditavit. Stabulum Bethleemiticum, in quo, nasci dignatus est, in paradisum convertit, præsepiumque in altare consecravit. Ad templum conductus, ipsum omnium reddit gloriosissimum, ut juxta propheticum oraculum, nullum ei unquam extiterit simile in Majestate. In Ægyptum confugiens, falsa attrivit dæmoniorum simulachra, et ipsa per quæ transivit deserta, sua taliter sanctitate honoravit, ut sanctis impleta fuerint eremitis. Jordanis aquis in quibus se lavit, virtutem contulit, sicut et cæteris aquis, purificandi, et sanctificandi animas per sanctum lavacrum. In Cana inter nuptias aquam mutavit in vinum. In domo Petri socrum sanavit febricitantem. A S. Matthæo invitatus multos convertit publicanos, in Simonis pharisæi convivio sanctificavit Magdalenam. In ædibus Archisynagogi filiam resuscitavit defunctam, inque ipso itinere per fimbriæ contactum Hæmorrhoisam liberavit a fluxu sanguinis. Hospitio exceptus a Martha, utramque sororem, et fratrem eminenter promovit, dum eos universo mundo tamquam omnium statuum, et in Ecclesia vocationum ideas proposuit. Zachæus ipsum invitans audire meruit : *Hodie huic domui salus a Deo facta est.* A Pharisæorum principe vocatus, non obstantibus impiorum sibi structis insidiis, alium ab hydropisi in corpore, alios a fastu in anima liberavit, de humilitate varia iis tradens documenta. Ecce vobis dicti auctoris discursum, quibus præmissis, tandem concludit ita in favorem nostrum : « Intravit « in cœnaculum montis Sion, et reliquit nobis ci- « bum totum, et mensam integram. »

**3.** — S. Laurentius Justinianus ad vallos ex cœlesti hac refectione redundantes se convertit effectus, dicens [1] : « Vivificantur interius, corpori Christi « incorporantur, spiritualiter reficiuntur, devotione « augmentantur, dulcedine nutriuntur, charitatis « scilicet ad Deum et dilectionis ad proximum et « suavitatis in se ipsos. Fit quoque ex illa sumptione in ipsis fomitis mitigatio, gratiæ collocatio, « virtutum roboratio, peccatorum remissio, contra « diabolum armatio, spei elevatio, amoris excitatio « fidei commendatio, angelica convivatio, regni « cœlestis largitio, intellectus illuminatio et om- « nium bonorum participatio. » Unde et in Canone Missæ, verba leguntur sequentia : « Quam oblatio- « nem Deus in omnibus quæsumus, benedictam, « adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem- « que facere digneris. » Quæ verba S. Paschasius considerans, ait [2] : « Benedictam, per quam nos « benedicamur; adscriptam, per quam nos omnes « in cœlo conscribamur; ratam, per quam in viscera « ribus Christi censeamur ; rationabilem, per quam « a bestiali sensu exuamur : acceptabilemque facere « dignetur, quatenus et nos per hoc, quia in nobis « displicuimus, accepti tabiles cum ejus unico Filio « simus. » Cui eidem cœlesti pani pinguissimo omnes attribuere possumus ab Apostolo Spiritus Sancti verbis sequentibus enumeratos fructus ; dum ait [3] : *Fructus autem Spiritus, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* His namque omnibus fructibus nutrit et impinguat animam susceptio hujus panis *charitas* quidem hoc singulariter eminet in Sacramento, quam virtutem lectori fusius amplum quoddam exhibet, in Sacramenti hujus laudem compilatum volumen, cui titulus : *Sacramentum amoris.* Præterquam quod virtutis hujus eminentia ex illo deducatur Spiritus Sancti axiomate, quo dicitur : *Deus charitas est, qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo.* Neque *lætitia* hoc in vino deficit, quod *lætificat cor hominis*, propter quod communicans, cum Maria virgine maxima cum abundantia exuberans gloriari potest, dicendo : *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Insuper *pax* in corde ejus; qui hunc Agnum in se suscepit, superabundat, quia pacem donat se suscipienti et ideo ad Ephesios dicitur [4] : *Ipse est pax nostra.* Ad hæc Eucharistia *Patientiam* quoque fovet et vigorose nutrit, prouti quovis sæculo in Martyribus experientia docuit, qui sancta Communione corroborati, non solum crudelissimorum tormentorum carnificinam libenter tolerarunt, verum etiam in mediis tormentis cor eorum præ nimio gaudio ex-

[1] S. Clem., *Rom. inst.*, c. 4. — [2] Hebr., iv, 19. — [3] Salm., t. VI, tr. 40.

[1] S. Laur. Just., *de disc. mon.* — [2] S. Paschas., *de Corp. et sang. Dom.* — [3] Gal., v, 22. — [4] Eph., ii, 14.

siliit : unde in Genesi dicitur [1]: *Ponam buccellam panis et confortate cor vestrum.* Præterea *Benignitas*, quæ fructus est Spiritus Sancti, divino huic cibo pariter adhæret : sic enim per experientiam videmus, quod ii, qui cœlestem hanc mensam frequentant, communiter benigni sint et benefici, ac magna vi attractiva præditi, prout videre est in sancto Ignatio de Loyola, Francisco Xaverio et Philippo Nerio : unde S. Paulus communionem simul cum beneficentia conjungit, dicens [2]: *Communionis et beneficentiæ nolite oblivisci.* Denique ab hoc sacramento *Bonitas*, virtus et perfectio suas radices habet, suumque inde accipit alimentum et vigorem ; unde Glossa inquit : « Præbebit delicias sapientiæ, « gratiæ, virtutum. »

**4.** — *Longanimitas* quæ nos omnibus vitæ hujus casibus tam sinistris, quàm prosperis superiores efficit, ab hoc quoque convivio Eucharistico haud parum addiscitur. Et ideò observandum, quòd in oratione Dominica primo hæc verba præmittantur : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra,* et statim immediate mentio fiat hujus panis cœlestis : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* : quod utique ideò solum fit, ut ostendatur, conformitatem voluntatis humanæ cum divina, panis hujus verum fructum esse ; et merito, cum enim Christo dicat [3] : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in cœlis est,* justum est, ut ad exhibendam huic cibo divino debitam gratitudinem, et remunerationem, illam per hunc cibum recompensemus, ejus adimplendo voluntatem, nosque ei per omnia conformando. Fructus quoque hujus sacramenti est *Mansuetudo* ; siquidem Salvator Agnus ille mansuetus sacramentum hoc in nostram utilitatem instituit, *in qua nocte tradebatur,* id est, eo tempore quo homines omnia iræ suæ fulmina adversus eum evibrabant. Huc quoque spectat *Fides* ; neque enim ullum est mysterium, in quo magis sit necessarium hanc virtutem exercere, sicut in isto sacramento, quod proinde per antonomasiam *mysterium Fidei* nuncupatur : unde Doctor Angelicus ait : *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat Fides.* Est quoque *Modestia* sacramenti hujus fructus ; quæ enim major modestia et humilitas excogitari potest, quam quod Deus ille *quem adorant Dominationes, tremunt Potestates,* sub minutissimo hostiæ fragmento se constringendo, se tamquam cibum, et potum à vilissimis vermiculis devorari sinat ? In quo utique homines perfectum sui ipsius contemptum, et aspernationem efficaciter docet. Tandem, quod *Continentia et Castitas* sacramenti hujus fructus sit, in discursu decimo sexto fuse satis probavimus ; quod proinde non sine mysterio *vinum germinans virgines* appellatur.

**5.** — Præter hos innumeri quoque sunt alii, cunctique admirabiles hujus panis fructus, inter quos præcipuus est, quòd sumentes hoc Sacramentum in Dei filios efficaciter adoptentur. Quæ certè adoptatio, tanti æstimanda est, ut S. Leo de unione hypostatica naturæ divinæ cum humana, in incarnatione consummata, disserens, dicere non dubitet [1]: « Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem « vocet filium, et homo Deum nominet Patrem. » De qua adoptione S. Joannes loquitur, dum ait [2] : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et quidem ex quo in communicantibus de hoc Sacramento verissime adimpletur, quod æterna Veritas promitti, nimirum [3] ; *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo,* consequens est, ut sicut divinitatem Christi participamus, ita quoquè filiationis divinæ, quam Christus habet, participes efficiamur. Simile quoddam argumentum sanctus Ambrosius efformat, dum inquit [4] : « Quia idem Do- « minus noster Jesus Christus consors est, et divi- « nitatis, et corporis, et tu qui accipis ejus carnem ; « divinæ ejus substantiæ in illo alimento particeps « efficeris ; quod utique multo magis quoad divinam « ejus filiationem verificatur. »

**6.** — *Pinguis panis ejus.* Habet enim hoc Sacramentum non solum impinguandi animam, verum etiam corpus sustentandi, prout multis servis Dei plurimisque virginibus accidisse, variæ perhibent historiæ. S. Bonaventura dum observat, Salvatorem nostrum in capite VI Evangelii S. Joannis de Eucharistia fuse disserentem, frequentem fecisse mannæ mentionem, quærit [5], « ad quid toties repetit de « manna, et inculcat, » moxque per auctoritatem D. Chrysostomi respondet, quod « ideo totius remi- « niscitur manna, ad fidem inducendam, quod si « possibile factum est annis LX sine messe, et fru- « mento continere illorum vitam, multo magis et « nunc ipse veniens possit, dare vitam, et si » illi typi erant, multo magis ipsa veritas erit « talis, quæ possit dare vitam. » P. Rho de venerabili Ursula Benincasa refert, quod postquam Gregorius XIII eamdem S. Philippo Nerio ad probandum ejus spiritum consignasset, idque ei sacram prohibuisset Communionem : « Manentibus « illico membris, non sine vitæ periculo contabue- « rit. Cumque veluti in suprema necessitate sacro « viatico refici jussisset idem Philippus, vires mo- « mento receperit. »

**7.** — *Piuguis panis ejus.* Etenim panis hic cœlestis vigorem, et vires nobis subministrat, ut divini servitii cursum cum fervore aggredi, et prosequi valeamus. Porro de S. Elia propheta sacer textus ait [6] : *Ambulavit in fortitudine cibi illius* (id est panis subcinericei eidem ab Angelo subministrati) *quadraginta diebus, et quadraginta noctibus*

[1] GEN., XVI, 1. — [2] HEBR., V, 6. — [3] JOAN., IV, 34.

[1] S. LEO, s. 9 *de Nat.* — [2] JOAN., I, 1. — [3] ID., VI, 55. — [4] S. AMBR., l. VI *de Sacr.* — [5] S. BON., *in Joan.* — [6] P. RHO, *Hist. vir.* — [7] III REG., XIX, 9.

*usque ad montem Dei Horeb.* Hic autem panis sub cineribus per manum Angeli coctus, qui tantum Eliæ vigorem tribuit, panis Eucharistici typus erat ac proinde sanctus Laurentius Justinianus hunc ita arguit, dicens : « Quid panis Christi, qui est panis « vitæ recte sumentibus, spiritualis fortitudinis « conferre valebit ? » Et Glossa similiter ait : « Quanto magis ex virtute divini convivii, in quo « non jam subcinericeos panes, sed ipsius Dei verbi « carnem et sanguinem de manu ejusdem sumi- « mus Christi, potest quispiam melius sustentari. » Ad nostrum vero propositum specialiter observandum est verbum *ambulavit*, utpote quod duo nobis utilia documenta suggerit; quorum *primum est* quod cœlestis hic panis ad perfectionis acquisitionem plurimum conferat, nam verbum hoc, *ambulare* in Scriptura sacra spiritualis vitæ cursum exprimit Sic enim Deus Abrahæ ait [1] : *Ambula coram me, et esto perfectus*, et de Henoch dicitur [2] : *Ambulavit coram Deo; secundum est* quod singularem in via Dei fervorem nobis insinuet. Pro cujus meliori intelligentia observandum, quod Elias non semel, sed bis sub junipero ad dormiendum se composuerit, qui somnus aliquem in ipso stuporem mentis, et tædium significabat. Nam ut Glossa ait : « Tepor « aliquando nominatur in Scriptura sopor. » Ac proinde Elias hoc modo sopore correptus, hominem in Dei servitio negligentem repræsentabat. Sed quid tandem evenit? *Cum surrexisset, comedit, et ambulavit.* Nam in virtute cibi illius excitatus, magnis passibus ad montem, perfectionem significantem, progressus fuit.

**8.** — *Pinguis panis ejus.* Origenes de panibus propositionis loquens ait [3] : « Panis propositionis « eum significat, quem proposuit Deus propitiatio- « nem in sanguine ejus; et si respicias ad illam « commemorationem, de qua dicit Dominus : *Hoc « facite in meam commemorationem*, invenies, quod « ista est commemoratio sola, quæ propitium faciat « hominibus Deum. » S. Laurentius Justinianus ad sanguinem alludens agni paschalis, quo Deus a populo suo portarum postes tingi voluit, eos qui ad sacrum hoc convivium accedunt, his verbis alloquitur [4] : « Neque tibi percussor angelus nocere va- « lebit, si agni istius saginatus fueris edulio. » Albertus Magnus super illa verba Apocalypseos cap. VII : *Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus quoad usque signemus servos Dei nostri*, inquit [5] : « Consignari debet Christo, qui est de familia Christi, « signo crucis, et sanguinis ejus, quia non consi- « gnati percutimur. » Sic quoque in Ezechiele cap. IX omnes illos, qui signo *Thau* consignati erant, a supplicio Dei exemptos fuisse legimus [6] : « Hoc autem signo, » ut idem ait, « Crucem, et « sanguinem agni in monte Calvario effusum præ- « figurabat. » De quo S. Paulus gloriabatur, dicens [1] : *Nemo mihi molestus sit, ego stigmata Domini mei in corpore meo porto.* « Stigmata autem illa, » inquit Albertus Magnus, « sunt consecrationes passionis, « et sanguinis Jesu Christi. »

**9.** — Habacuc in Cantico suo ait [2] : *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud, in medio annorum notum facies, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* In quo oraculo prophetico quoad sensum litteralem populi Hebræi e servitute Babylonica liberatio prædicitur, qui juxta calculum Cornelii a Lapide an. 3419 contigit. S. Augustinus autem eadem verba de incarnatione Filii Dei intelligit, quæ a S. Patribus *Opus Dei* nominatur, quia Deus in hoc mysterio *fecit potentiam in brachio suo.* Cum igitur Eucharistia, ut ex superioribus constat, extensio incarnationis appelletur, Habacuc his verbis Deum hunc in modum affari voluisse videtur Quando in plenitudine temporum altaris institues Sacramentum, tunc misericordiæ meæ recordaberis, cunctaque iracundiæ tuæ fulmina depones. David quoque cum inter tria sibi proposita flagella pestem elegisset [3], eo tempore, quo populus hac strage flagellabatur, *obtulit holocausta, et pacifica, et propitiatus est Dominus.* Nimirum altare quoddam erexit et super illo obtulit holaucaustum, incruenti sacrificii symbolum. Sed ubi, quomodo, et quo tempore illud obtulit? Observandum, quod Spiritus Sanctus non sine mysterio post oblatum holocaustum multas consequentes referat circumstantias : dicit enim : *Misertus Dominus super afflictione, ait Angelo percutienti populum : Sufficit nunc, contine manum tuam.* Sed ubinam tunc Angelus erat ? sacer textus ait : *Erat autem Angelus Domini juxta aream Areuna Jebusæi.* Circa quæ verba notandum, quod Angelus nondum areæ huic pedem intulerat, sed tantum illi propinquus erat, quia *juxta aream.* In area autem, ut omnibus notum est, colligitur et excutitur frumentum ad faciendum panem. Ecce tibi igitur, quando Angelus juxta hujus panis et frumenti electorum figuram, quantumvis remotam, stabat, Deus illi, ut divinæ justitiæ ensem in vaginam reconderet, præcepit. Sed ubinam David altare erexit, et in quo loco holocausum hoc obtulit? *Emam a te aream,* inquit, *ut ædificem altare Domino, et cesset interfectio quæ grassatur in populo, et ait Areuna ad David : Accipiat et offerat Dominus meus rex, sicut placet ei.* Ubi ut vides, altare in medio areæ frumenti ad propitiandum, et placandum Deum erigitur quæ *omnia in figura* hujus Sacramenti *contigerunt,* per quod Deus nobis propitius efficitur. Hic quoque rovocandum est in memoriam, quod cum Abiathar summus sacerdos, partes et factiones Adoniæ contra Salomonem secutus fuisset, hic rex

[1] GEN., XVII, 1. — [2] GEN.., V, 22. — [3] ORIG., h. 13 *in Lev.* — [4] S. LAUR. JUST., in ser. *de Euch.* — [5] ALBERT. MAGN., *de Euch.*, disc. 3. — [6] EZECH., IX, 4.

[1] GALAT., VI. 17. — [2] HABACUC., III, 2. — [3] II REG., XVII.

ei dixerit [1]: *Equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei.* In hac autem arca, ut sæpius meminimus, manna recludebatur, verum Eucharistiæ symbolum, et ideo Salomon hujus solius intuitu Abiathar pepercit. Et quot putas hodie inveniuntur, qui utique peccatis suis ex eo solum, quia S. Communioni devoti existunt, ab iis præservarentur?

**10.** — Quando Joram rex Israel, Josaphat rex Juda, et rex Edom in bellum contra Moabitas una cum numerosis exercitibus progressi in deserto præ siti moriebantur, et peribant, Elisæus per orationes suas iram Dei placavit, et ingentes aquarum torrentes manare fecit. Sed quando, vel quo tempore miraculum istud patravit? Scriptura ait [2]: *Factum est igitur mane, quando sacrificium offerri solet, et ecce aquæ veniebant per viam Edom et repleta est terra aquis.* Eo etenim tempore, quo sacrificia offeruntur Deus misericordiam suam continere nequit, quin propitietur quando Elias Propheta post tot siccitatis continuæ annos, cœlum, quod antea æneum fuisse videbatur aperuit, dicit sacer textus: *Et ecce nubecula parva*: per quam hostia sacra, quæ velut angusta quædam nubes est, præfigurabatur. Ac proinde S. Augustinus ait [3]: « Elias figuram habuit Domini « Salvatoris, Elias oravit, et sacrificium obtulit, et « Christus pro universo mundo seipsum immacula- » tum sacrificium tradidit. » Et paulo post ait: « Vidit nubeculam parvam ascendentem de mari, « quæ carnem Christi figurabat. »

## DISCURSUS XXV.

### COMMUNIO SACRA LUMEN, SCIENTIAM ET DEI, MYSTERIORUMQUE DIVINORUM INFUNDIT COGNITIONEM.

IDEA SERMONIS. — 1. Communio illuminat mentem. — 2. An panis quem fregit Christus in Emmaus, fuerit Eucharisticus. Tenetur quod talis fuerit. Illuminavit binos illos Discipulos. — 3. Quo propius ad Deum accedimus, eo clarius illum cognoscimus. Patet in Samaritana. Et Discipulis Emmaunticis. — 4. Per S. Communionem etiam alias simplices, accipiunt divinas illustrationes. Cur Christus, puella resuscitata, curaverit dari cibum et non aliis resuscitatis.— 5. Quid significet lutum, quo Christus illuminavit cæcum natum. Mel, quod gustavit Jonathas figuravit S. Eucharist. Cur ad cœnam magnam etiam invitati fuerint cæci. — 6. Ex hoc Sacramento hauritur sapientia et intellectus. — 7. Judæi ad esum Mannæ, cognoverunt Deum. Sic nos sumendo S. Eucharist. accipimus panem intellectus. Patet in conversione S. Pauli. — 8. Christus in S. Euch. est cibus et Doctor. —. 9. Necessarium tamen est, ut accedamus bene dispositi, ut illuminemur.

*Et cognoverunt eum in fractione panis.* Luc. XXIV, 36.

**1.** — Duo illi discipuli a via, quæ in Emmaus ducebat, aberrantes, adeo a sole justitiæ obfuscati fuerunt, ut S. Lucas de iis dicat: *Oculi eorum tenebuntur, ne eum agnoscerent.* Ubi D. Chrysostomus ait [1]: « Non de sensibilibus oculis hoc dictum est, « sed de sensu mentali, » neque enim visus illorum corporalis obtenebratus erat, ut bene probat S. Augustinus, non enim clausis oculis ambulabant, sed inerat aliquid, quo non sinerentur agnoscere, quod videbant. At vero quamdiu hæc hallucinatio, quæ mentem illorum perstringebat, duravit: « Usque « ad Sacramentum panis, » inquit S. Doctor [2], « ut « veritate corporis ejus participata Christus possit « agnosci. « Nam quando Salvator illis consecratum sacratissimi corporis sui panem communicavit, tunc protinus *cognoverunt eum*; per quod insinuatur, ut inquit Theophylactus [3]: « quod oculi eorum, qui « benedictum panem assumunt, aperiuntur, ut « agnoscant illum; magnam enim, et indicibilem « vim habet caro Domini. « Unde Albertus Magnus ait [4]: « Oculos claros non habet cujus oculos san- « guis Christi efficacius non clarificavit. »

**2.** — Controversum est inter sacros interpretes, an panis ille, in cujus fractione discipuli Dominum cognoverunt, panis fuerit Eucharisticus, an vero sine consecratione solum benedictus; siquidem inter Religiosos usus invaluit, mensæ præmittere benedictionem. Jansenius, Lyranus, Cajetanus, et Dionysius Carthusianus panem hunc nequaquam sacramentalem fuisse existimant. E contra vero valde fundata opinio est, panem illum vere Eucharisticum fuisse. Nonnulli eorumdem interpretum optime considerant, S. Lucam hanc historiam referentem, per specialem Spiritus sancti calamum ejus gubernantis instinctum, iisdem verbis usum fuisse, quibus alii Evangelistæ factam in ultima cœna Eucharistiæ institutionem recenset: *Cum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis*, prout omnes concorditer asserunt Evangelistæ, adeoque quantum ad modum, quo tunc usus fuit, eodem scilicet, quo Eucharistiam instituit, efficax videtur erui argumentum, ad convincendum, quod vere sacramentum fuerit; præterquam quod addi possit, hoc ita Incarnatam ordinasse sapientiam, ut scilicet Christi notitiam non consecuti discipuli per scripturas sacras, quas magister cœlestis iis in via interpretatus fuerat, lumen illius per sacratissimum illius corpus sibi compararent. Idem quoque S. Lucas de primis Christi fidelibus agens, frequentem eorum Communionem, per panis fractionem explicat, dum ait [5]: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicationem fractionis panis*; ubi dubitari nequit, quin sermo sit de communione; sed cum alibi Apostolus dicat [6]: *Panis*

[1] III REG., II, 26. — [2] IV REG., III, 19. — [3] III REG., XVIII, 44.

[1] D. CHRYS., in *Caten.* — [2] S. AUG., *de Cons. Evang.*, l. III, c. 3 *in Caten.* — [3] THEOPH., *ib.* — [4] ALB. MAGN., *de Euch.* — [5] ACT. AP., II, 42. — [6] I COR., X, 16.

*quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Porro auctor operis imperfecti ad ipsum principalem hujus discursus textum se reflectens, ait [1] ; « Dominus in via non solum benedixit panem, sed « de manu sua dedit Cleophæ, et socio ejus, quod de manu porrigitur, non solum sanctificatum, sed « etiam sanctificatio est, et sanctificat accipientem. » quam pariter historiam S. Augustinus hoc morali illustrat commentario, dicens [2]: « Discite ubi agnoscatis. Ubi voluit Dominus agnosci ? in fractione « panis securi sumus, panem frangimus, et Domi- « num cognoscimus. Noluit agnosci nisi ibi, propter « nos, qui non eum visuri eramus, in carne, et « tamen manducaturi eramus ejus carnem. » Id quod et Drogo Hostiensis de passione tractans, confirmat in hæc verba [3]: « Sed ubi tandem cognove- « runt eum ? in fractione panis, et vere non cognoscris Domine, nisi in fractione panis, panis caro « tua est. »

**3.** — Propheta regius sequens proinde nobis dat consilium, dicens [4]: *Accedite ad eum et illuminamini* quanto namque ad Deum accedimus viciniores, tanto majus illius haurimus lumen, et notitiam Unde in præfatione Missæ, de angelis a Deo et choris sublimioribus longius distantibus dicitur, quod Deum laudent, quem laudant angeli. Dominationes vero magis Deo vicinæ, magisque illuminatæ ipsum adorare perhibentur; Potestates autem, quæ essentiæ divinæ viciniores astant, tremere describuntur; quanto namque quis ad supremam illam Majestatem accedit vicinior, tanto majus ejusdem imbibit lumen, et notitiam. An non ita Samaritana primitus quidem Christo exprobrabat Judaismum dicens [5]: *Tu Judæus cum sis, quomodo bibere a me poscis*? deinde discursum familiarius prosequens, Domini ipsum titulo affecit, cum diceret : *Domine da mihi hanc aquam* : nec congressum terminavit, quin ipsum Dei Filium, promissumque Messiam esse cognoverit, talemque in Samaria professa fuerit : *Ut video, Propheta es tu; venite, et videte, etc.* Idem omnino dictis in Emmaus abeuntibus Discipulis accidit ; qui Christo associati, ipsum tamquam peregrinum suspiciebant [6]: *Tu solus peregrinus es in Jerusalem* ; ut idiotam redarguebant : *Nescis ea, quæ facta sunt* sed consummato itinere, dum ad hospitium divertissent, dicere non dubitarunt : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur ?* Sed ulterius in discursu, et conversatione progredientes, ipsum Dominum appellarunt, dicentes : *Mane nobiscum Domine.* Quanto autem perfectum iis lumen, et notitiam obtigisse putatis? quando scilicet suum iis sacratissimum communicavit corpus : *Et cognoverunt eum in fractione panis*; primitus quam exilem Dei cognitionem habuerunt, ut Incarnata Sapientia iis exprobraret : *O stulti et tardi corde.*

**4.** — Drogo Hostiensis, nostrum promoturus argumentum, historiam Josephi Patriarchæ, quando in fratrum saccis frumentum inter pecunias abscondi fecit, adducit, inquiens [1] :« Veniunt a te quasi « alieni, fratres tui, sed tu benigne appropinquas « eis: veniunt ad te cum asinis stultitiæ, et tardita- « tis suæ, et cum saccis vacuis præ inopia, sed non « solo frumento reples eos, quin et pecuniam red- « dis ligatam in ore sacculi. » Deinde historiam prosequens, subjungit, dum ait : « Vacui et stulti « veniunt ad te, sed tu remittis eos onustos, et « abundantes frumento sapientiæ tuæ, insuper et « eloquentiæ pecuniam reddis ligatam auctoritate « Scripturæ. » Quanti etenim servi Dei, quot Virgines, et matronæ, ut S. Theresia, S. Catharina Senensis, S. Maria Magdalena de Pazzis, S. Birgitta, absque studio et litteratura humana sublimissimas de Deo illustrationes, lumina et notitias ex sacramenti hujus frequentia obtinuerunt? Et vos itaque *accedite ad eum et illuminamini* ; appropinquate ad eum in communione sacra, ubi intimus ad Deum datur accessus ; siquidem stricta inibi formatur unio Deum inter et animam, dicente Christo [2] : *Qui manducat meam carnem. et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Salmeron ingeniosam instituit observationem ad intentum præsens, fundatam in panibus propositionis, cœlestis hujus panis præfigurativis, quando ait [3] : « Non sine causa in sancto « ante sanctum sanctorum posito, erat ad Aquilo- « nem mensa panes propositionis continens, ad « meridiem erat candelabrum septem lucernis il- « luminatum, ut nos illuminatos redderet de Eu- « charistia cum fructu suscipienda. » Neque minus consideratione digna in præsenti se offert D. Chrysostomi propositio, quam circa resuscitatam Archisynagogi filiam verbis format sequentibus [4]: « Puel- « lam cum a morte excitasset, per cibum, quem ei « offerri jussit, a quo esset suscitata, instruxit. » Subito autem, ut illam resuscitavit [5], *Jesus jussit illi dare manducare* ; cum tamen de Lazaro resuscitato, sicut et de filio viduæ ad vitam revocato, nullam cibi curam habuerit; cur igitur de cibo in hac occasione plus quam alias, sollicitus fuit ? Sine dubio omnia in sapientia a Christo facta fuere. Atque ideo observandum, Lazarum juxta se sorores habuisse, a quibus in notitia Christi edocendus erat; adolescens quoque vivus existens omnem populum audierat acclamantem : *Quia Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam* [6]. Huic autem filiæ per cibum Eucharistiæ typum, lumen et agnitionem sui infundere voluit, ac proinde merito D. Chrysostomus ait : « Per cibum, quem ei

[1] Auct. *Oper. imperf.* — [2] S. Aug., s 140 *de temp.* — [3] Drog. Host., l. I *de Sacr. Dom. Pass.* — [4] *Ps.* xxxi, 6. — [5] Joan., iv, 1. — [6] Luc., xxiv, 10.

[1] Drog. Host, *ib.* — [2] Joan., vi, 57.— [3] Salm., t. IX, tr. 40. — [4] D. Chrysos, h. 33 *in Matt.* — [5] Luc., viii, 55. — [5] Luc., vii, 12.

« offerri jussit, a quo esset suscitata, instruxit. » Albertus Magnus proinde de hoc pane apposito inquit [1] : « Per sacramentum et communionem ipsius « ad communionem redimus Angelorum, et parti- « cipamus divinas illuminationes. » S. Laurentius Justinianus pariter inter alios hujus Sacramenti effectus, hunc enumerat, dicens [2] : « Pia mens, tanti « sponsi lætificatur præsentia, venerando hoc me- « diante sacramento, repletur gaudio, exultatione « præfunditur, humilitate dejicitur, lumine me- « diatur, »

**5.** — Opportune hic mihi incidit modus, quo Salvator noster cæcum natum illuminaturus usus fuit, nimirum per lutum ex saliva oris sui compositum [3] : *Expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus.* Cujus rei gestæ mysterium Angelicus Doctor declarans, per cæcum hunc genus humanum in notitia veri Dei a Christo illuminatum intelligit : « Per sputum, » inquit [4], « quod est saliva a capite descendens, signatur « Verbum, quod a Deo Patre capite omnium rerum « procedit : *Ego ex ore Altissimi prodivi* ; tunc ergo « Dominus de sputo et terra lutum fecit, quando « *Verbum caro factum est* ; linivit autem oculos « cæci, id est, humani generis, oculos scilicet cor- « dis. » Melius vero ad propositum nostrum S. Augustinus inquit [5] : « Judæi de crucifixo obtenebrati « sunt, Christiani vero comedendo crucifixum illu- « minantur. » Celebre, cunctisque notum est, quod Jonathæ accidit, qui summitatem virgæ, quam manu tenebat, in favum mellis intingens et ori admovens, subito, illuminatus fuit [6] : *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, et intinxit in favum mellis, et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi ejus.* Per hunc vero favum mellis, S. Ecclesia altaris sacramentum intelligit, de quo dicitur : *Petra melle saturavit eos.* S. Bonaventura autem de hoc mysterio disserens, inquit [7] : « In hujus figuram dicitur, quod Jonathas comedit « et illuminati sunt oculi ejus, quia ad veram « Christi contemplationem et speculationem non « pervenit quis, nisi ad mensam ejus sedeat, de « qua in Sapientia dicitur : *Miscuit vinum et posuit « mensam.* » S. Carolus quoque de fructibus Eucharistiæ disserens ; hoc idem punctum tangit, dum in hæc verba loquitur [8] : « Ab hoc sacramento « maximum lumen in animas illas derivatur, quæ « digne, juxta vires suas et convenienti cum præ- « paratione ad ipsum accedunt. Quam sacramen- « talis cibi virtutem mel illud præfiguravit, quod « Jonathæ lasso, præque defatigatione propemo- « dum cæco, vires restituit et visum. » Cujus cœlestis panis laudes, postquam fusius enarrasset S. Laurentius Justinianus, ita suum tandem concludit discursum [1] : « Aperi igitur, o melliflne amor ! « aperi, inquam, interiores Fidelium oculos, ut « formatæ fidei irradiati lumine, mereantur videre « te. » Cui argumento stabiliendo peraccommode subserviet parabola illa de cœna magna, mensæ Eucharistiæ typo, ad quam cæci pariter invitati leguntur : Quod enim, obsecro, in eo latet mysterium, quod ad tantas epulas et lautities ingenti adeo cum sollicitudine ipsi etiam cæci fuerint invitati ? Dubium hoc resolvit S. Anselmus, dum per hos cæcos, gentiles intelligendos docet, qui cum nec scientiæ lumen, nec illuminatos cordis haberent oculus, beneficio hujus cœnæ, lumen, notitiam, verique Dei intelligentiam sunt consecuti [2] : « Qui tamen ad Christi convivium invitati (verba « sunt S. Præsulis) interius illuminati jam in via « Dei non errant, sed recto tramite gradiuntur. » Novistis omnes, panem hunc primitus in *Bethlehem* descendisse, quæ *domus panis* interpretatur. Sed modum, obsecro, descensus advertite ; in medio siquidem bovis et asini se collocavit. Quonam vero fine id factum fuisse putatis ? Scilicet ad nos erudiendos, hanc pani illi inesse virtutem, ut rudioribus et stolidioribus lumen, notitiamque Dei impertiatur. Quemadmodum accidit, quando [3] *cognovit bos possessorem suum et asinus præsepe Domini sui.* S. Gregorius Thaumaturgus de Bethlehemitico stabulo agens, ipsum Majestatis thronum appellare non dubitat, dicens [4] : « Thronus revera et hic erat « Cherubicus. » Utique quod præsepe thronum appellarit, facile intellectu foret. Sed capere penitus nequeo, qualiter throni Cherubici, cui scientia propria est, denominatio illi competere possit, ubi nil præter asinum et bovem demorabatur ? Ecce vobis mysterium. Hic namque panis tot illustrationes, tantamque communicat sapientiam et scientiam divinam, « ut cognoscat bos et asinus posses- « sorem suum, quem Israel non cognoscit. »

**6.** — Christus aliquando Apostolos suos benignius compellans, his illos affatus fuisse verbis legitur [5] : *Jam non dicam vos servos, sed amicos : Quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Tempus velim computetis, in quo dilecti discipuli ad ærarium illud admissi fuere, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei.* Tempus hoc utique non aliud fuit, quam illud ultimæ cœnæ, quando cœlesti hoc pane eos Dominus cibavit. Quam pariter ob causam S. Joannes institutionem Eucharistiæ describere volens, suum a scientia et lumine, sacramenti hujus specialis effectu, in hæc verba exorsus est historiæ contextum [6] : *Sciens quia omnia,* etc. Cui proposito plenius

[1] Alb. Mag., *de Euch.*, dist. 4. — [2] S. Laur. Just., *de disc. mon.* — [3] Joan., ix, 6. — [4] S. Thom., *ib.* — [5] S. Aug., *in Ps.* cxxxiii. — [6] I Reg., xiv, 17. — [7] S. Bonav., *in Luc.* — [8] *Act. Eccl. Med.*, p. 512.

[1] S. Laur. Just., *de disc. mon.* — [2] S. Ans., *enarr. Evang.* — [3] Isa., i, 4. — [4] S. Gregor. Thaum., ser. 1 *de Ann.* — [5] Joan., x. — [6] Joan., *ib.*

suffragaturus S. Ambrosius, illum Sapientis textum : *Miscuit in cratere vinum suum.* Increatæ Sapientiæ, mensam panis et vini hujus cœlestis præparanti, accommodat, dicens : « Hauritur ergo de « cratere sapientia, hauritur disciplina, hauritur « intellectus. » Unde et Hesychius hoc sacramentum « alimentum vitæ et cœnam lucis, » nuncupare non ambigit [1]. Neque dubium est, quin huc respiciens Ecclesia sacrificium Missæ ab illis inchoari velit Psalmi verbis [2] : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam,* etc. Ideo etiam Drogo Hostiensis Israeli quondam, tanquam in figura, columnam nubis per diem, ignisque per noctem præfulsisse autumat. Quod privilegium ad nubem nostram Eucharisticam transferens, ad propositum nostrum ait [3] : « Hæc « est columna nubis, quæ per diem præcedebat « filios Israel; nubes ergo per diem et columna « ignis per noctem; quia et caro tua divinitatis « æstum temperat et Spiritus Sanctus tenebras nos- « træ mentis illustrat. »

**7.** — Quandoquidem cum populo Hebræo desertum ingressi sumus, memineritis velim illius, quod in Exodo his verbis dicitur [4] : *Mane saturabimini panibus, scietisque quod ego sum Dominus Deus vester.* Cur enim, dicite sodes, in hac potius quam in alia quacumque occasione, Deus sui notitiam populo illi spopondit, dicens : *Scietis, quod ego sim Dominus Deus?* Quot namque miracula operatus fuerat in Ægypto, aquas convertendo in sanguinem et virgas in serpentes; densissimis cœlum operiendo tenebris, mare pervium reddendo, totque alia operando prodigia? Nonne Scripturam sacram, nonne prophetas, nonne patriarcharum instructiones populus Israel habebat? Cur igitur nunc et non citius, Deum agnovisse describitur? Facilis ex ipso textu eruitur responsio. De manna enim, sacramenti altaris figura, sermo erat, ideoque Deus promittebat, dicens : *Scietis,* etc., quasi dicat : Eucharistia, cujus manna typus erat, scientiæ cœlestis clavem habet. Unde et Ecclesiasticus ait [5] : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus.* Quis autem hunc præparat cibum? Sapientia increata, respondet Carthusianus [6]; quem vero cibat? Animam, « pane vitæ, ipsomet Christo, « qui ait : *Joan.*, VI : *Ego sum panis vitæ*; qui docuit « nos orare; *Panem nostrum supersubstantialem da « nobis hodie,* » id est, ut interlinearis ait, Corpus Christi. « Pane item intellectus. » Sed quænam est, intellectum inter et panem hunc proportio? Responderi quidem posset, panem hunc nuncupari *panem intellectus,* quia scilicet priusquam sumatur, suum homo debet studiose applicare intellectum, qua meditando, qua contemplando, ut ad tanti sacramenti debitam se præpararet susceptionem. Ast idem Dionysius Carthusianus ideo pani huic dictum ait competere epithetum, quia « pascit in- « tellectu, id est, illuminatione interna, quæ reficit « intellectum. » Cui assentire videtur Syriaca versio, quæ ita legit : *Pane intelligentiæ et sapientiæ,* quia scilicet, qui frequenter hunc edunt panem, altissimam sibi comparant divinorum mysteriorum intelligentiam. Cujus veritatis testimonium nobis perhibet Doctor gentium, qui cæcutientem circumferebat, intellectum, quando *supra modum persequebatur Ecclesiam Dei,* qui Damascum pergens, ut sacer textus ait [1] : *Nihil videbat,* omni interiori et exteriori oculorum luce destitutus. Sed qualiter et quando eum lumen oculorum recuperasse putatis? In extasibus illis, quando ad tertium Cœlum, id est, usque ad Empyreum, ubi audivit arcana verba, sublimatus fuit. Tunc enim Doctor Gentium declaratus, altissimam obtinuit intelligentiam et supernaturalis intellectui illius infusa fuit Sapientia. S. Lucas in Actis Apostolorum ait : *Confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit et surgens baptizatus est, et cum accepisset cibum confortatus est.* At vero quisnam, obsecro, hic cibus fuit? *Cibavit illum pane vitæ, et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum.* Et ideo Albertus Magnus verba illa Evangelistæ de S. Communione exponit dicens [2] : « Cum accepisset gratiæ « hujus cibum, confortatus est. »

**8.** — Enimvero ex quo aquæ mentionem facere cœpimus, per quam sapientia symbolice intelligitur, silentio nequaquam prætereundum est, quod sapiens magister Christus discipulis suis dedit indicium, unde dignoscere possent domum, in cujus cœnaculo strato et præparato divinam instituere decreverat Eucharistiam [3] : *Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret homo amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum.* S. Laurentius Justinianus, per hoc vas aquæ, sive hydriam, scientiam et intelligentiam sacram subaudiendam esse dicit [4], quæ ineffabilis hujus mysterii ministra est, ut hunc panem illuminare intellectum et sapientiam infundere intelligamus. Joel Propheta habitatores Sion, ubi cœnaculum erat, in quo institutum fuit hoc Sacramentum, juxta lectionem vulgatam ita alloquitur [5] : *Et filii Sion exultate et lætamini in Domino Deo vestro, qui dedit vobis Doctorem justitiæ.* Ubi mysterio, huic proposito congruentissimo, plena est eorumdem verborum a Septuaginta interpretibus facta versio; hi enim ita vertunt : *Quoniam dedit vobis escas,* quasi idem sit, datum nobis esse hunc panem, quod, datum nobis esse magistrum, vel doctorem. Est enim panis ille cœlestis *panis vitæ et intellectus,* vel ut interlinearis habet : *Panis doctrinæ.* Unde S. Thomas optime considerat, quod ex quo [6] « serpens infudit homini in animam tenebras

[1] S. Ambros., l. *in Exod.* — [2] Hesych., or. *de laud. Deip.* — [3] *Ps.* xlii 3. — [4] Drog. Host., *ib.* — [5] Exod., xvi, 12. — [6] Eccl., xv, 3. — [7] Dion. Cart., *ib.*

[1] *Act. Apost.*, ix. — [2] Alb. Magn., *de Euch.*, d. 2. — [3] Luc., xxii, 10. — [4] S. Laur. Just., *de Triump. Christi ag.* — [5] Joel., ii, 33. — [6] S. Thom., op. 58.

« ignorantiæ : *Tenebræ,* id est, ignorantiæ *erant* « *super faciem abyssi,* id est, humani cordis, ex « diaboli deceptione ; » ideo ut ad tenebras hasce depellendas aliquod nobis reliqueret remedium, dedit nobis corpus suum in cibum, « quod pie reci- « pientium ignorantiæ tenebras illuminat. *Psalm.* « XXVI. *Dominus illuminatio mea.* Psalm. XXXIII. « *Accedite ad eum et illuminamini.* Corpus enim « Christi est Verbum Dei, id est, vera lux in carne « humana, quasi in lucerna, qua illuminatur anima « fidelis. »

**9.** — De S. Elia propheta dicitur : *Ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Horeb.* Sed quo fine ad hunc se montem recepit ? S. Ambrosius lib. I *de fuga sæculi,* c. VI, inquit : « Ut « cognosceret plenius Deum. » Et vere id est ibi assecutus, quia *per modum transeuntis,* Deum vidit. Tertullianus I. *adversus Physicos,* cap. VI, ait : « Fa- « miliari congressu Dei exceptus est. » At vero in verbis S. Thomæ in præcedenti numero adductis, specialiter advertendum est ad illa verba : « Pie « recipientium. » Quia si anima ad divinum hunc panem debita cum dispositione non accesserit, merito ei metuendum est, ne de ea verificetur [1] : *Sicut lumen ejus, ita et tenebræ ejus;* quanto enim major est lux hujus Sacramenti, tanto densiores futuræ sunt tenebræ nostræ, si ad illud indigne accesseris. Unde Apostolus talibus comminatur, dicens [2] : *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste et prolapsi sunt, rursus revocari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes.* Quæ comminatio proprie eos, qui ad hunc cœlestem panem sumendum indigne accedunt, concernit; hi enim communicando, passionem Christi non commemorant, sed potius renovant eamdem, idque tanto atrociori cum injuria, quanto majus est lumen, quod a sacra Communione recipiunt.

## DISCURSUS XXV.

SACRAMENTI FRUCTUS NOSTRÆ CORRESPONDET DISPOSITIONI, ILLIUSQUÉ PRÆ RELIQUIS PARTICIPES FIUNT MAGIS FAMELICI.

IDEA SERMONIS. — 1. Cum magna devotione et bona dispositione accedendum est ad S. Communionem, ut percipiamus ejus fructus. — 2 Esurientes replentur ejus fructibus. — 3. Agnus non debebat comedi crudus, sed assus igne, sic et communicans ardeat igne charitatis. Pro cujus mensura, percipit fructus ejus. Explicatur similitudinibus. — 4. Quibus nam fructus Eucharistiæ sit dulcis. — 5. Cur jejune accedendum sit ad hoc sacramentum. — 6. S. Communio in animabus a Deo illuminatis, miros producit effectus. In male dispositis, plane contrarios. Patet exemplo Judæ et aliorum Apostolorum. — 7. Fimbria vestis Christi designat S. Eucharistiam. Quinam vero illam premant et magis infirmantur. — 8. Quid Christo retribuere debeamus, ut digne accedamus. — 9. Quo quis bonis terrenis magis est vacuus, eo magis saturatur ex hoc sacramento.

*Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Sap., XVI, 21.

**1.** — Celebris est classicorum auctorum opinio, quod licet manna haud secus, ac alii cibi, specialem quemdam saporem in se habuerit, attamen eumdem saporem juxta beneplacitum et voluntatem eorum, qui inde cibabantur, variarit, dummodo iidem in gratia Dei constituti et Filii Dei essent. Et hinc est, quod Moyses de hoc angelico pane loquens, quisnam ejus specialis sapor ex natura fuerit, his verbis expresserit [1] : *Gustus ejus, quasi similæ cum melle,* Sapiens autem de ejusdem Manna arbitrario sapore aperte dicat : *Substantia tua, etc.* Unde Seraphicus Doctor ait [2] : « Habebat unum saporem determina- « tum per naturam, sed varios per divinam gra- « tiam. » Dionysius Carthusianus hunc Sapientiæ textum commentans, pariter inquit [3] : « Quod « dicitur hic habuisse omne delectamentum et « omnis saporis suavitatem, non erat naturale, « neque ex naturæ et vi mannæ, sed divina virtute, « quem admodum etiam ipsum manna in se dulce, « videbatur iniquis insipidum, qui dixerunt: *Anima « nostra nauseat super cibo isto levissimo.* Justis vero « et Deo gratis sapiebat, quasi omnium habens « saporum suavitatem. Hæc autem omnia in figura « contingebant. » Cum enim hæc annona de cœlo delapsa Eucharistiæ symbolum fuerit, Deus nobis per illam insinuare voluit, omnes sapores, fructus, et bona infinita, quæ hac in nos redundant, radicem et augmentum suum magna ex parte habere repositum in pietate, devotione et bonitate illorum, qui inde reficiuntur; siquidem illi, qui Dei amicitia, et filiatione minime gaudent, non solum nihil inde proficiunt, verum etiam magnam illius habent nauseam. S. Bonaventura super eumdem Sapientiæ textum inquit [4] : « Per Manna significabatur congrue « Christi sub sacramento altaris. Comedentes ex eo « pro suo desiderio, id est, devotione, reficiuntur, « secundum illud : *Desiderium animæ ejus tribuisti « ei.* Item : *Desiderium eorum attulit eis, non sunt « fraudati a desiderio suo.* » Ad hanc quoque veritatem antiphona illa alludit, quæ in primis vesperis solemnitatis sacratissimi Corporis Christi ad *Magnificat* canitur, in qua S. Mater Ecclesia non sine mysterio ita canit : « Ut dulcedinem tuam in filios de- « monstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esu-

[1] *Ps.* CXXXVIII, 12. — [2] HEB., VI, 4.

[1] EXOD., XVI, 31. — [2] S. BON., *ib.* — DION. CART., *ib.* — [5] S. BON., *ib.*

« rientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens « inanes. »

**2.**—Verum enimvero, quinam per hos famelicos, seu esurientes, alii designantur, quam illi, de quibus Salvator noster ait [1] : *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur?* Hoc enim justitiæ nomine in pluribus sacræ Scripturæ locis, virtus, spiritus, et perfectio Christiana intelligitur. Unde D. Chrysostomus super illa verba : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum*, inquit : « Justitia est omnis virtus. » Et ideo S. Laurentius Justinianus hoc Sacramentum animabus prodesse dicit, juxta proportionem dispositionis suæ [2] et præcipue juxta mensuram divini amoris, quidem, quod sanctitas, significat : « Juxta « mensuram Charitatis effectus percipitur hujus « Sacramenti. » Distinguit tamen inter virtutem et devotionem exteriorem, et bonitatem, seu virtutem solidam internam, dicens : « Etsi devotio plu- « rimum congruat huic Sacramento, tamen prius « vita commendabilis habenda est, deinde devotio, « nam vita sine devotione multum confert, absque « vita devotio nihil. »

**3.** — Deus olim Israelitis quoad esum agni paschalis præcepit, dicens [3] : *Non comedetis ex eo crudum quid.* Quis autem hominum palatum ita vitiatum, stomacumque adeo inhumanum habebit qui carnes crudas manducare appetat, maxime in ea occasione, in qua ritus adeo sanctus adimplendus est, qualis erat esus agni, et debita Paschatis celebratio? Et tamen minime dubitandum est, quin speciale in hoc præcepto latet mysterium ; Deos enim *omnia in Sapientia fecit.* Abulensis dubium hoc solvit, dicens [4] : « Dicitur quod non sumatur agnus « crudus. Crudum enim cibum manducat, qui nul- « lam circa illum dispositionem, aut præparationem « præmittit, et sic crudum cibum sumit, qui corpus « Domini ab aliis cibis non discernit, sed sic im- « purus ad illum cibum accedit, sicut ad commu- « nes. » Qua autem ratione hic agnus coctus ab illis manducandus erat? Assus igni : ubi per ignem amor Dei, sive charitas intelligitur, quia » juxta « mensuram charitatis effectus percipitur hujus « sacramenti, » ut ait S. Laurentius Justinianus. Et S. Bonaventura ait [5] : « Adverte quod effectus Sa- « cramentorum solet esse secundum dispositionem, « suscipientium. » Pro cujus confirmatione aptam quamdam in dialogis S. Catharinæ Senensis legimus similitudinem. Nam sponsus ejus cœlestis eidem dixit [6] : Si multi varias ad accendendum candelas adferrent, quarum una ponderaret unam unciam, alia duas, alia sex uncias, alia denique unam libram, tam quidem primæ, quam ultimæ ignem conciperent, quo accenderentur, ita tamen, quod candela unius unciæ minus lumen conceptura esset, quam quæ integram libram adæquaret : « Ita contingit « in hoc venerabili Sacramento iis, qui recipiunt « illud, et candelas suas accendunt, videlicet sanc- « tum desiderium, cum quo recipiunt venerabile « Sacramentum. Tantum accipitis ex isto lumine, « quantum de materia sinceræ dilectionis, et amo- « ris, et igniti desiderii portatis, quamvis totum in « veritate recipiatis. » Sic etiam posito casu, quod vivus quidam fons scaturire incipiens, indifferenter omnium necessitatibus pateat, multi quidem ad potandum ex illo concurrent, alii vero haustam inde aquam in domum suam ad potandum deferent, veruntamen ex eo unus plus, alius vero minus inde bibet, juxta sitim, cum qua ad illum properat, vel angustiam vasis, quod ad illam hauriendam secum defert. Salvator noster inquit [1] : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat*; sed quis est fons ille, aut quales illæ sunt aquæ, ad quas nos invitat [2] ? *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Fons autem ille est Eucharistia, ex quo aquæ dimanant cœlestium gratiarum. Dicit autem Cajetanus [3] : « Non sufficit venire « ad fontem, sed oportet bibere, si levanda est sitis: « non sufficit venire ad Jesum fide, sed oportet « incorporare sibi Jesum. » Quanto enim ardentior sitis nostra fuerit, tanto copiosius ex his aquis bibere poterimus. Ex hoc fonte (qui postquam in cœnaculo Sionitico scaturire cœpit, ad finem usque mundi perenniter manat [4] : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ipsemet, qui fons est, potavit (quia ipsemet Christus in ultima cœna semetipsum hoc sacramento refecit et calicem sanguinis sui bibit) at vero sitim ad hunc fontem ardentissimam et vas amplissimum secum tulit. Unde S. Joannes qui secretarius ejus fuit, quique in ultima cœna ; « Fluenta Evangelii de ipso « Dominici pectoris fonte potavit » Eucharistiæ institutionem narraturus, inquit [5] : *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Quam etiam inextinguibilem sitim ipsemet hisce verbis manifestavit [6] : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* Ac proinde cum omnis Christi actio nostra sit instructio, per hanc sitim insinuare nobis voluit quod aviditas et fames hujus cibi et mensæ, optimum sit illius condimentum, quo sapidus nobis efficiatur. Juxta hujus quoque proportionem erit pariter proportio fructus et profectus, et non aliter. Unde Christus S. Catharinæ Senensi ait [7] : « Tantum « ergo percipitis gratiæ ex isto sacramento, quan- « tum vos disponitis cum sancto sacramento ad « recipiendum. »

[1] MATTH., v, 6. — [2] S. LAUR. JUST., *de discipl. mon.*, conv. 9. — [3] EXOD., XII, 9. — [4] ABUL., qu. 18 in c. 26 *Matt.* — [5] S. BON., t. VII *in Fasc.*, c. 7. — [6] *Dial. S. Cath. Sen.*, tr. 3, c. 110.

[1] JOAN., VII, 37. — [2] JOAN., IV, 13. — [3] CAJET., *ib.* — [4] MATT., XXVIII, 28. — [5] JOAN., XIII, 2. — [6] LUC., XXII, 15. — [7] *Loc. cit.*

**4.** — Sponsa cœlestis in sacris Canticis sancte gloriatur, dicens [1]: *Introduxit me in cellam vinariam ordinavit in me charitatem*: adeoque nihil illi supererat, quod insuper desiderare posset. At vero per quid, se hac tam excessiva divini amatoris sui gratia et benevolentia dignam effecit? Audite ipsammet ad hoc verbis suis respodentem : *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Nimirum dilectum suum continuo suspirando et desiderando, adeo sibi illius sacratissimum corpus sapidum reddidit, ut dicat : *Fructus ejus dulcis gutturi meo.* Priusquam ad hunc fructum percipiendum accederet, jam ante attentam passionis illius meditationem præmiserat, seque sub arbore crucis, cujus hoc Sacramentum fructus est, prius collocavit ; et ideo mirum non est, si fructus illius adeo illi sapidus fuit.

**5.** — Sancta Mater Ecclesia, ad hoc Sacramentum, omnes ut jejuni accedant, statuit, non solum ex motivo reverentiæ, verum etiam, ut ego quidem existimo, ad insinuandum nobis famem spiritualem, quacum ad illud accedendum est nobis, si ineffabiles ejus sapores et suavitates percipere, et fructum ex eo consequi velimus : *Esurientes enim replet bonis. Animam esurientem satiavit bonis.* Petrus Cellensis *de Panibus*, ad hoc Sacramentum affectus suos dirigens, ait [2] : « Quid dabo, ut ad te « veniam ? ut me reficias ? *Argentum et aurum non « est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* Quid ? Pa« latum apertum, fauces esurientes, oculos præ « inopia languentes. »

**6.** — Valde considerabilis est, nostroque proposito apte deservit illa S. Anselmi propositio, dicentis [3]: « Spiritualem vero illam carnem per gratiam « Dei vitæ meritum effecit, et affectus mentium in « cordibus ministrantium et percipientium ; » atque ideo in animabus a Deo illuminatis, quæ ad perfectionem assidue contendunt, admirandos experimur S. Communionis effectus, qui communiter in aliis minime videntur. Paulo post vero idem Sanctus ad ilia Canonis verba se reflectens, quibus dicitur : « Ut, quotquot ex hac altaris par« ticipatione sacrosanctum Filii tui corpus et san« guinem sumpserimus, omni benedictione cœ« lesti et gratia repleamur, » inquit : « Non « enim omnes, qui corporaliter corpus Do« mini sumunt, ex participatione altaris, spiri« tualiter illa benedictione cœlesti et gratia re« plentur, » adducitque sequentem radii solaris similitudinem, qui unus idemque perseverans, cereum liquefacit, lutum vero indurat : « Non diver« sus in se diverse operatur in rebus contrariis, « utens materiis, sicut eas invenit : Sic Christi « gratia, quantum in ipso est, uno modo infundit « se in omnes, sed diversos inveniens animos, di« verse in eis operatur, Hunc in amorem suum « misericorditer emolliens, illum juste non juvando « indurans. » In cujus confirmationem, Judæ adducit exemplum ; qui cum reliquis quidem Apostolis in ultima cœna, convivio assedit Eucharistico ; sed infeliciter nimis : « Cui fuit venenum bucella Do« minica, quam de manu ejus suscepit, quam cum « suscepit, inimicus in eum intravit ; non quia « malum, sed quia bonum malus male accepit. » Qualem tamen effectum in reliquis Apostolis Eucharistia operata non est, utpote quibus renium cordiumque scrutator Christus merito dicere poterat [1] : *Vos mundi estis?*

**7** — Ingentem aliquando populi turbam Christo appropinquasse, tradit S. Matthæus, tanta cum importunitate, ut Salvatorem comprimeret [2] ; nullus tamen ex iis ad sacrosancti corporis Salvatoris contactum anhelasse describitur, præter unicam hæmorrhoissam, quæ non immediate corpus, sed extremitates duntaxat vestium tetigit Salvatoris. Quam historiam S. Augustinus examinans, in quodam sermone hanc illius tactus assignat rationem [3] : « Admirantes discipuli, qui nesciebant, quid esset « factum, et videbant eum a turbis comprimi, et de « una, quæ leviter tetigerat, fuisse sollicitum, res« ponderunt : *Turba te premit et dicis : Quis me teti« git ? Et ille : Tetigit me aliquis.* Nam isti *premunt* « illa *tetigit.* Corpus ergo Christi multi moleste « premunt, pauci salubriter tangunt. » Porro Salmeron rationem, cur fimbria illa Eucharistiam figurarit, assignat, dicens [4] : « Cujus fimbria sacro« sancta Eucharistia est, cujus accidentia, ut vestes « Christi tegunt, hæc enim est fimbria posita in « extremo corporis Christi, quia hic fuit ultimus « actus Domini in Cœna. Estque fimbria hyacin« thina coloris cœlestis, ut cognoscamus Panem esse « vivum, *qui de cœlo descendit*, et vitam cœlestem « efficere. » Nullam corpori Christi reverentiam exhibebat, fidem nullam, quin potius ipsum irreverenter comprimebat turba ; ast tantæ unica fuit Hæmorrhoissa reverentiæ, humilitatis, et confidentiæ, ut intra se ipsam dicere non dubitarit : *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Quot etenim interiores alios fidei, amoris divini, proprii contemptus, spei, aliarumque omnium virtutum actus ab ea exercitos fuisse putatis ? « Au« diant Christiani (exclamat D. Chrysologus [5]) qui « quotidie corpus Christi attingunt. quamnam de « ipso corpore possint sumere medicinam, quando « mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sa« nitatem ? Sed quod nobis flendum est, mulier « de vulnere medicinam tollit, nobis medicina ipsa « retorquetur in vulnus. » Quapropter sanioris uos mentis esse jubet D. Chrysostomus, dum ait [6] :

[1] Cant., II, 4. — [2] Petr. Cell., *de pan.* — [3] S. Ansel., l. *de sacram.*

[1] Joan., XV, 3. — [2] Matt., IX. — [3] S. Aug., s. 74 *de Temp.* — [4] Salm., t. VI, tr. 15. — [5] D. Chrys., s. 34. — [6] D. Chrys., h. 51 *in Matt.*

« Tangamus et nos fimbriam vestimenti ejus, imo « vero totum ipsum ; imo vero si volumus, non « vestis solum, sed corpus ipsius nobis propositum « est, at non tangamus solummodo, sed comeda- « mus et saturemur. Edamus igitur Christum sin- « guli ægrotantes cum fide. » Ecce vobis necessa- riam, ad Sacramenti hujus consequendum effectum dispositionem.

**8.** — Petrus Cellensis illa Psalmistæ verba [1] : *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi*, ad nostrum quoque applicat intentum, dicens [2]: « Scire debuerat, quod Sapiens ait : *Cum sederis « ad mensam divitis, diligenter attende, quæ apponun- « tur tibi, sciens, quia oportet te talia præparare.* « Carnem ergo pro carne repone, pro sancta sanc- « tificatam, pro casta castigatam et castificatam. « pro integra impollutam, sanguinem pro san- « guine, scilicet pro fuso in ara crucis, effusum in « rubore confessionis. » Quotquot enim corporis proprii macerationi, austeritatibus, vigiliis, mortificationibus, et vitæ pœnitenti addicti sunt, optimo ad hoc Manna gustandum gaudent palato. Insuper quis nescit, stomachum ab omni alio vacuum cibo appetitum habere, saporem, gustumque adinvenire in eo quod comedit. Ita olim Israelitæ in aqua mel se gustare opinabantur, quos ut Ecclesia sancta in officio divino sanctissimi Corporis Christi canit, Dominus *de petra melle saturavit*. Certo equidem providentia divina ex petra non mel, sed aquam limpidam populo illi promanare fecit ; ast quia hic sitibundus erat, aquam sibi ut mel suavem esse persuadebat ; unde D. Chrysostomus inquit [3] : « Post- « quam sitientes et indigentia defatigati in frigi- « diores aquas inciderunt, ex potu voluptatem « aperire volens, mel aquam appellavit, non tan- « quam mutata in mel natura, sed bibentium dis- « positione. » Causa equidem, ob quam multi manna nauseant Eucharisticum, et paradisi, quam in se continet, dulcedinem non percipiunt, est, quia *foderunt sibi cisternas dissipatas*.

**9.** — In discursibus præcedentibus illa prophetæ verba fusius examinavimus, ubi dicitur [4] : *Ut educas panem de terra, et vinum, etc.* probantes, iis ad Eucharistiam, Psalmistam voluisse alludere, qui immediate subjungit [5]: *Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit.* Per arbores igitur camporum denotantur pauperes, et personæ privatæ : Per cedros vero Libani, divites, et potentes hujus sæculi Et de primis quidem dicitur, quod *saturabuntur* ; quo quis enim bonis terrenis minus abundat, vitam humiliorem, pauperemque ducit eo ut ad mensam hanc majori cum fructu accedat, magis dispositus erit, dicente eodem regio Vate : *Edent pauperes, et saturabuntur*. Quid autem de divitibus, et opulentis ? Hi forsan repudiabuntur ? Nequaquam ; quin potius *cedri Libani*, veruntamen non omnes, sed ii duntaxat, quibus Deus per gratiarum suarum influentiam assistit, mensæ hujus cum fructu efficientur participes. Ideoque dicitur : *Quas plantavit.* « *Ligna « campi* plebs populorum, inquit S. Augustinus, *et « cedri Libani, quas plantavit* : *Cedri Libani* poten- « tes in sæcula *et ipsi saturabuntur* : pervenit panis « et vinum, et oleum Christi ad senatores, ad reges « ad nobiles satiata sunt *ligna campi*, prius humiles « satiati sunt, deinde etiam *cedri Libani*, sed quas « plantavit ipse. » Porro discursum hunc per accommoda illa S. Gregorii doctrina concludere libet quam in Cantici Annæ commentario super illa verba *Famelici saturati sunt*, instituit, dicens [2]: « A cibi « vitiorum vacui, a tumore jejuni, salutis quippe « fructu non percipiunt in comestione salutaris « hostiæ, qui ea quibus se repleverant, flagitia portant in mente. Non saturantur ergo, nisi *famelici*, « quia a vitiis, perfecte jejunantes, divina Sacra- « menta percipiunt in plenitudine virtutis. »

[1] Petr. Cell., l. *de padibus*. — [2] D. Chrys., h. 2 *ad pop.* — [3] Jer., II, 12. — [4] *Ps.* CIII, 16.

## DISCURSUS XXVI.

### ATTENTA CONSIDERATIO EUCHARISTIÆ SUMENDÆ PRÆMITTENDA EST.

Idea sermonis. — 1. Opus est seria applicatione et præparatione accedentibus ad hoc sacramentum. — 2. Qui S. Communionem sumant crudam. Christus cum magna præmeditatione instituit S. Eucharistiam. — 3. Simus oves ruminantes hunc cibum. — 4. Cur vocetur panis intellectus. — 5. Vacandum sedulæ devotioni et considerationi, ante accessum ad Communionem. Præclarum hujus exemplum in matre Maximiliani Imp. — 6. Accedens ad S. Eucharistiæ primo dicat Manhu. — 7. Prævia cœlestium mysteriorum meditatione, ad S. Communionem accedendum est. — 8. Corp. Christi in S. Communione masticare et incorporare debemus. — 9 Sedulo cogitandum, quid in S. Communione nobis præponatur. — 10. Insignis instructio B. Angelæ de Fulginio pro communicantibus.

*Super triticum et vinum ruminabunt.* Oseæ, VII, 14.

**1.** — Quandoquidem Eucharistiæ materia frumentum est, et vinum, ex præsenti oraculo prophetico facile didicerimus, quanta sit necessitas seriæ applicationis et præparationis, ut ad tantum mysterium cum fructu accedamus. Atque hoc ipsum in citatis verbis nobis insinuatur, cum dicitur : *Super triticum, et vinum ruminabunt.* Quæ verba Albertus Magnus de sacramenti hujus, et sanguinis Eucharistici laudibus tractans, adducit his verbis [3] : « Hoc est, quod dicitur Cant VII : *Guttur tuum, vi- « num optimum, dignum dilecto meo ad potandum, « labiisque et dentibus ejus ad ruminandum* ; quia « diu per cordis, et mentis iterationem debet rumi-

[1] S, Aug., *ib.* — [2] S. Gregor., l. II *in Reg.* — [3] Alb Mag., *de Euch.*

« nari Sacramentum ; sæpe ad mentem revocando, « et considerando, et degustando infinitas dulcedi- « nes et bonitates ipsius. Unde *Levit.*, XI dicitur [1]: « *Quod animal, quod non ruminat, immundum erit.* « Hinc est, quod de duobus, quæ sunt in hoc sa- « cramento, materia cibi et potus, dicitur Osæ, « *super vinum, et triticum ruminabunt.* »

**2.** — Deus olim, ut in discursu præcedenti insinuavimus suo legitur inhibuisse populo, ne agnum comederent crudum [2]. Utique mysterio non caret ejusmodi prohibitio ; siquidem verisimile videtur, neminem agno taliter vesci voluisse, ad sensum igitur moralem transiens S. Bernardinus, hanc dicti præcepti assignat rationem [3]: « *Crudum* sumit » inquiens, « desidiosa indiscussio, id est, qui men- « tem suam diligenter non discutit, » vel qui non cogitat, quod recipit. Sicut enim caro cruda stomachum non modo non restaurat, sed potius aggravat ; ita pariter sacra communio, sine prævia præparatione, et inconsiderate sumpta, in animæ, et spiritus præjudicium potius, quam juvamen cedit ideoque S. Laurentius Justinianus salubriter nos monet, dum ait [4]: « Videat quilibet, ne consuetu- « dine, aut cordis elatione ad perceptionem ducatur « tanti mysterii, sed devotione, sed prævia medi- « tatione. » Didacus Stella ad propositum nostrum apte observat, Sapientiam Incarnatam, quamdiu per XXXIII annos nobiscum vixit, nullum unquam opus majori cum applicatione, et præmeditatione animi exercuisse, quam opus institutionis altaris Sacramenti [5]: « Non legitur in Evangelio, » inquit, « Christum Dominum rem adeo præmeditate, et « tanta præparatione fecisse, sicut hoc sanctissimum « Sacramentum. » Quod ut evidentius pateat, aliquas illius consideremus circumstantias ; et quidem in primis nunquid alia loca deerant, in quibus ultimam celebrare cœnam potuisset, quam in monte Sion ? cur non potius montem elegit Thaboris, aut Sinai, in quo legem dederat, aut Libani, aut denique Oliveti ? hunc enim eligendo, impletum fuisset oraculum illud Davidicum [6]: *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Inter plura, quæ hac in re concurrunt mysteria, unum est, et quidem proposito nostro valde congruum ; quia nempe *Sion* Latine idem significat, quod *speculatio.* Merito igitur Eucharistia in Sion instituitur, id est, in loco tali, qui suum a contemplatione nomen habet, ut per hoc insinuetur, quam sit necessarium, hanc, loco præparationis, tanto Sacramento præmittere ; hinc etiam idemmet cœnaculum, in quo Sacramentum hoc institutum fuit in domum orationis commutatum fuisse, Lucas Evangelista refert ; in eo namque 120 homines illi, per decem dierum spatium reclusi, orationi vacabant [1]: *Erant perseverantes in oratione.*

**3.** — Hic quoque panis cœlestis non sine mysterio *frumentum* appellatur *electorum*, qui in ovibus præfigurantur quibus per instinctum naturalem congenitum est, ingestum ruminare cibum. Unde S. Cyprianus monet, dicens [2]: « Celebrantes Sacra- « menta, commonemur, quasi ungulam findens, « et ruminans pecus, revocare fauces, quæ sump- « simus. » S. Bernardinus Senensis pariter ad idem propositum ait [3]: « Debemus Christum spiritualiter « manducare, ejus beneficia, scilicet incarnationem « conversationem, et ejus salutiferam passionem « devote ruminando; sicut ipse nos docuit, dicens [4]: « *Qui manducat meam carnem, etc.* » Neque enim ad hanc agni immaculati carnem accedendum est, veluti ad carnes aliorum animalium, sed distinguere debemus inter cibos corporis, et hunc Angelorum panem, qui animam nutrit ad immortalitatem : « Sumpta ore carnis nostræ caro Christi, » inquit S. Anselmus [5], nequaquam æstimanda est lege com- « muni ciborum ; hic enim cibus non est ventris, « sed mentis. »

**4.** — Quem semel, iterumquo adduxi, repetere non piget, novi documenti amore illum Ecclesiastici textum [6]: *Cibavit illum pane vitæ et intellectus.* Facile equidem ut supra ex Interlineari docuimus, intellexerit unusquisque cur panis iste dicatur vitæ panis; sed intellectus denominatio improprie illi competere videtur ; qui enim panem inter, et intellectum proportio ? Prompta equidem, concludens- que sese offert responsio ; sacramentum enim hoc panis dicitur intellectus quia « hic cibus non est « ventris, sed mentis. » Quam veritatem ut stabiliamus solidius, oculos nostros in panem illum conjiciamus, quem Angelus non supra, sed ad caput legitur collocasse Eliæ Prophetæ [7]: *Et ecce ad caput subcinericeus panis.* Causamne nostis hujusmodi situs ? Ad caput panis positus fuit, ut Propheta mente, et intellectu suo tantum ruminaret beneficium, et donum. E contra pistori Pharaonis mortem prædixit Joseph, quia scilicet non ad, sed supra caput suum, tria viderat farinæ canistra [8] : *Vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum, et in uno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria.* Pessimum profecto signum, quando divinum hunc cibum, et panem, super caput nostrum habemus, hoc enim manifeste indicat, quod eumdem non honoramus, neque per sanctam, et attentam meditationem veneremur. D. Chrysostomus illa Apostoli verba : *Judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini* ; hoc modo exponit [9]: « Hoc est,

[1] LEVIT., XI. — [2] EXOD., XII, 9. — [3] S. BERN., t. II, s. 17, a. 2. — [4] S. LAUR. JUST., *de discip. et perf. mon.* — [5] DID. STELLA, *in Luc.* — [6] *Ps.* CXXXVII, 2.

[1] *Act. Ap.*, I, 14. — [2] S. CYPRIAN., *de Cœn. Dom.* — [3] S. BERN., t. II. — [4] JOAN., VI. — [5] S. ANS., *l. de Sacr. ali.* — [6] ECCLI., XV, 3. — [7] III REG., XIX, 16. — [8] GEN., XLII, 16. — [9] D. CHRYS., h. 28 *in Cor.*

« eon examinans, non cogitans, ut oportet, magni-« tudinem eorum, quæ sunt proposita, non repu-« tans, quanti momenti, et ponderis sit, Dominum « manducare. »

**5.** — Advertendum quoque est, quod regius Propheta prius dicat[1] : *Vacate*, et confestim subjungat : *Et videte, quoniam ego sum Deus*, q.d. animæ cuidam, illum recipere volenti : Prius selige tibi tempus, in quo vacare possis ad congitandum et meditandum, qualis sit hospes, quem susceptura es, *quoniam ego sum Deus*. Alibi quoque idem regius Vates monet, dicens [1] : *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus*. Ubi prius vult, ut gustemus, et postea dulcedinem, et suavitatem ejus experiamur. Sanctus Cyrillus Patriarcha Jerosolymitanus proinde hunc in Ecclesia sua ritum habuit [3], quod sacerdos populum ad communionem invitaret, dicendo : *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus;* ut per hoc fideles suos doceret, quod, priusquam ad hanc sacram mensam accedant, se per tanti mysterii devotam contemplationem præparare debeant. Unde et in S. Dionysio Areopagita sequentia verba leguntur[4] : « Sacra enim divinorum initiatione magna sua beneficia agnoscunt, qui initiati sunt, « divinamque eorum majestatem, et magnitudi-« nem in Communione sancta considerantes, grata « voluntate, plus quam cœlestia divinitatis beneficia « laudabunt. » P. Rho de magno illo Dei servo Joanne Avila dicit[5] : « Hæc hominis erat præpa-« ratio, qui cum duas solidas horas divinis illis « mysteriis peragendis insumeret, ingenti perpe-« tuoque lacrymarum imbre, sacra lintea ita imbue-« ret, ut exprimi possent, ejus, inquam, hominis, « qui in divino Sacramento spes, deliciasque suas « repositas existimaret. » Idem auctor de Maria, Ma imiliani II matre, refert, quod, postquam ex Germania rediit in Hispaniam, solita fuerit integro biduo, priusquam communicaret, ab omni alio commercio et consortio sese sequestrare, ut in sanctis contemplationibus tanto se sublimius subvehere posset. Cumque filius ejus Maximilianus ad venerandum Sancti Jacobi Apostoli sepulchrum, Compostellam incognitus venisset, ejusque adventus legato Cæsaris innotuisset, hic subito matrem convenit, ei indicaturus, quod filius priusquam inde recederet, maternas manus osculari, eique debitum obsequium reverenter exhibere desideraret : ad hæc Maria : « Ego perendie eum videbo, hodierna « enim dies expiandis culpis ordinata est, crastina « Eucharistiæ sumendæ dicata, qui dies cum Deo « solidi debeantur, non est, quod Maximiliani « gratia eos diminuam. » Vere mulierem hanc illustrissimam, ad magnam pertigisse perfectionem, necessario dicendum est; siquidem S. Bernardinus ait [1]: « Viri perfecti spiritualiter manducant ratione « devotæ meditationis, et contemplationis. » Nimirum illustris hæc mulier, mulierem illam fortem imitata fuit, de qua Sapiens ait[2] : *Sindonem fecit.* At vero quænam est hæc sindon, quam sapiens, et generosa hæc mulier contexuit? Existimo illam fuisse, cui Corpus Christi de cruce depositum involutum fuit, quod tanta cum veneratiome etiamnum, Taurini religiosissime asservatur. De hac enim sindone Sapientem in spiritu prophetico locutum fuisse, opinatur Hugo Cardinalis, dum ait [3]: « De qua « sindone dicitur Proverbiorum ultimo : *Sindonem* « *fecit.* » Sed quis modus tenendus est, ut tela hæc ad involvendum ei sanctissimum Christi corpus contexatur? Audite eumdem purpuratum Doctorem, in hæc verba scibentem : « Netur autem hæc Sindon, « cogitando, deliberando, consiliando, orditur ope-« rando, texitur retractando, et decorando. »

**6.** — Revocandum hic est in memoriam, qualiter Hebræi, dum Manna, propriissimam Eucharistiæ figuram, cœlitus descendens videre, et gustare cœperunt, unanimiter clamarint [4] : *Manhu*? quod idem est ac, *quid est hoc*? Divus Chrysostomus ad verbum Dei devote auscultandum alludens, hanc inde eruit moralitatem [5], « ut quotiescumque audimus verbum, « admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est « hoc quod audimus? » Idem quoque mystico hujus sacramenti manna adaptare possumus, quisquis enim illud fructuose sumere desiderat, aliquanto tempore, priusquam ad sacram hanc mensam accedat, omni cum attentione, et devotione meditando dicat : *Quid est hoc?* quam est hoc altum mysterium, quam immensum donum!

**7.** — Populo Israelitico olim Deus in Exodo promisit dicens [6]: *Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus.* Ubi merito quærendum venit, quænam sit ratio hujus ordinis, quod vespere antecedente carnes, et subsequenti mane manna elargiri decreverat. Auctor quidam non ignobilis, ingeniosum non minus quam utilem inde eruit sequentem conceptum. Ex quo enim Eucharistia per manna figuratur, voluit Deus per hoc insinuare, quod, priusquam ad illam accedamus, prævio mysteriorum cœlesti contemplatione, ad eamdem præparandi simus. « Quid Manna figurat? » inquit idem auctor : « Eucharistiam. Quid volatilia? altitudinem contem-« plationis, considerationis, sive elevationis mentis « in Deum; volatu igitur suo elevetur in Deum per « bonas affectiones ille, qui saturari vult pane alta-« ris de cœlo præstito. » Eadem quoque de causa laudabilem hunc morem introduxit, quod ante Canonem, in quo proxime acceditur ad specierum sacramentalium consecrationem, celebrans populum hortetur, ut corda sua ad cœlestium contemplatio-

[1] *Ps.* XLV, 11. — [2] *Ps.* XXXIII, 19. — [3] S. CYR. JER., cat. 1. — [4] S. DION. AREOP., *Eccl. Hieros.* — [5] P. RHO, *Hist. virt. de relig.*

[1] S. BERN., t. III. s. 55. — [2] PROV., XXXI, 24. — [3] HUG. CARD., in c 27 *Matt.* — [4] EXOD, XVI, 15.— [5] D. CHR., h. 41 *in Matt.* — [6] EXOD., XVI, 12.

nem, et meditationem extollant, dicendo : *sursum corda*; cui clericus, nomine omnium assistentium, respondet : *Habemus ad Dominum.* In eodem Canone ante consecrationem hæc verba a sacerdote dicuntur : *Elevatis oculis in cœlum ad te Deum patrem omnipotentem.* Et quidem tametsi Evangelistæ ultimam cœnam describentes, hanc circumstantiam, scilicet, quod Christus prius oculos ad Patrem elevarit, non tetigerint; attamen hæc notitia per traditionem apostolicam ad nos usque pervenit. Sapientia igitur incarnata, quæ omnia magno cum mysterio operatur, priusquam panem corpus suum converteret, suos ad Patrem oculos extollere voluit, non solum ad denotandum, panem hunc illum esse, de quo prædixerat : *Hic est panis qui de cœlo descendit*; verum etiam, ut exemplo suo nobis insinuaret, quod, priusquam hic panis consecretur, antecedenter cor, et mentem nostram ad Deum elevare debeamus. Unde Anastasius Sinaita salubriter monet, dicens[1]: « Abscedite a cunctis hujus vitæ cogitatis; vale dicite omni corporearum curæ, tempus « est non vanæ occupationis, sed intentæ orationis. « Attendamus ad sacrosanctam elevationem, inclinemus cervices, occludamus cogitationes, impleamus mentem, in cœlum ascendamus, sursum « levemus animum, et corda, oculos animæ ad Deum « extollamus, transeamus cœlum; transeamus Angelos: »

**8.** — Sanctus Bernardinus de hoc sacramento sub allusione cibi disserens, duo in eo contineri inquit[2]; « primo masticationem, secundo incorporationem; » quæ ambæ actiones ad propositum nostrum mire deserviunt, maxime si sensus attendatur spiritualis, quo a prædicto Sancto explicantur; dicit enim : « Primo masticatio est recogitatio cibi, id est, carnis Christi, qui est panis vitæ, qui de cœlo descendit et hujus modi est panis, quem sumimus, qui « utique in utero sanctissimæ Virginis manu Spiritus Sancti formatus, et in ara pretiosissimæ « Crucis per incendium amoris, et ardentissimæ « charitatis, et acerbissimæ Passionis pro nostra « redemptione decoctus est. Secundo vero habet « incorporationem, quæ tali recogitatione consurgit, « dum cogitans amorem Jesu Christi reficitur, cui « ex charitate conjungitur, eique magis ac magis « assimilatur, et incorporatur. »

**9.** — Sapiens in Proverbiis suis monet, dicens[3]: *Quando sederis, ut comedas cum principe diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam.* Quænam vero esse potest majoris Principis mensa, quam sit hæc Eucharistica? Unde Sanctus Augustinus a Salmerone citatus, verba illa de Eucharistia hunc in modum explicat[4] : « Vide igitur diligenter, et « quid tibi detur, nempe filius Dei sub specie panis « contentus, et quanta charitate detur, ut tantæ « charitati amore respondeus tuo. » S. Augustinus alibi hunc textum adducens, ait[1] : « Quæ mensa « est *potentis*, nisi unde sumitur corpus, et sanguis « ejus qui animam suam posuit pro nobis? quid est « *considerare*, et intelligere, quæ apponuntur tibi, « nisi digne tantam gratiam cogitare? » Albertus Magnus modum nobis insinuat quo divinum hunc panem digerere debeamus[2], « digeritur, » inquit, « per ignem, qui *exardescit in meditatione*; et ideo « dicit Ecclesiasticus [3]: *super mensam magnam sedisti : non aperies super illam faucem tuam prior*, « hoc est dicere : mensa magna Dei in sacramento « tibi præponitur, vide quid, et qualiter, et quantus « cibus præponatur, quia talia in munditia cordis « et devotionis, et hoc ipsum in natura puritatis, et « tantum in affectu charitatis te præparare oportet, « si vis, quod cibus ille tibi congruat. »

**10.** — In vita B. Angelæ de Fulginio inter alias instructiones, quas in ordine ad hoc sacramentum dabat sequentem quoque legimus[4] : « Cum magna « diligentia est considerandum, et non debet anima « in hac consideratione transire velociter, sed nec « cursorie, sed magna diligentia et pondere ibi stet, « et demoretur. » Porro is, qui pro negotiis arduis potentissimum Regem quemdam est allocuturus, prius dicenda præmeditatur; longe igitur æquius, et convenientius est, ut nos, ipsummet gloriæ Regem, pro arduissimo salutis nostræ negotio, in nos et animam nostram recepturi, prius præmeditemur supplicationes, quas illi porrigere, necnon gratias, quas ab illo petere, et pro concessis reddere decrevimus. Angelus, non vero Deus ipse et in persona erat, qui Moysi inter vepreta apparens, dixit[5] : *Solve calceamenta de pedibus tuis*; quanto igitur convenientius erit, ut calceamenta de pedibus nostris deponamus, quando ipsemet Deus in persona ad hospitandum in nobis, os nostrum ingreditur? « Involucra pone « carnalium cogitationum, » inquit S. Bernardus[6], quia tunc merito omnes cogitationes et desideria nostra merus debent esse spiritus, omnesque aliæ deponendæ, quæ tales non sunt; « quisquis intentionem suam simplici corde (verba sunt Thomæ a « Kempis [7]) sursum levaverit ad Deum, seque ab « omni inordinato amore, seu displicentia cujuslibet rei creatæ evacuaverit, aptissimus gratiæ percipiendæ erit. Dat Dominus ibi benedictionem suam « ubi vasa vacua invenerit. » S. Cyprianus optime observat, quod hunc panem cœlestem hisce verbis a Deo postulemus : *Panem nostrum, etc.*, et subdit[8] : « Panis vitæ Christus est, et panis hic omnium non « est sed noster est, et quomodo dicimus, Pater noster, quia intelligentium et credentium Pater est,

[1] Anast. Sin., *de sacr. sin.* — [2] S. Bernard., s. 3 *de Christi piet.* — [3] Prov., xxiii, 1. — [4] S. Aug., t. XLVII *in Joan.*

[1] S. Aug., *l.* XLVIII *in Joan.* — [2] Alb. Mag., *de Euc.* — [3] Eccl., xxxi, 12. — [4] Boll., t. I. — [5] Exod., iii, 5. — [6] S. Bern., ser. *in Apoc.* — [7] Thom. a Kemp., l. IV, c. 15. — [8] S. Cypr., *de Or. Dom.*

« sic et panem nostrum vocamus, quia Christus « noster est, quia corpus ejus quod contigimus, « panis noster est; » quibus addere possumus, nos panem hunc nostrum efficere, mediante prævia attenta meditatione, quia « intelligentium panis « est. »

## DISCURSUS XXVII.

EX RITIBUS, CÆREMONIIS ESUS AGNI PASCHALIS, VARIÆ ERUUNTUR MORALITATES AD DIGNUM HUJUS SACRAMENTI USUM.

IDEA SERMONIS. — 1. Agnus Paschalis cum omnib. circumstantiis, designavit Agnum Eucharisticum. Cur comedi debuerit Agnus in mente Nisan. — 2. Cur Agnus decima die in domum inductus et 14 die primum immolatus. Ut interea examinaretur an haberet aliquam maculam. — 3. Agnus Eucharisticus æque immolatus fuit pro uno, ac pro omnib. — 4. Communicaturi in adjutorium vocamus alios Sanctos. — 5. Agnus debebat esse sine macula. Multo magis communicaturus. — 6. Agnus debebat esse masculus. Per quod designatur Communicantem debere esse fortem. — 7. Debebat esse unius anni, hoc est perfectus. — 8. Eodem modo immolari etiam debebat hœdus. Quo designabatur Christus portans iniquitates nostras. — 9. Cur Agnus servatus fuerit in die 14. — 10. Cur immolandus vesp. — 11. Sanguine Agni tingendi posies et superliminaria domus. — 12. Assari debebat igne. — 13. Comedi debebat cum pane ac azymo : quid hoc signetur. — 14. Cum lactucis agrestib. Communicaturi affligantur amaritudine pœnitentiæ. — 15. Nihil de Agno comedendum crudum. Crudam sumit S. Communionem, qui non discurrit quid sumat. — 16. Quid significetur quod pede et intestina vorari debebant. — 17. Residuum igne comburendum. — 18. Renes accingendi, quid designet. — 19. Quid Calceamenta in pedibus. — 20. Baculus in manus, designat bona opera. — 21. Comestio festina. Significat communicantem semper debere esse paratum, ut exeat ex hoc mundo.

*Erit Agnus absque macula.* Exodi, XII, 5.

**1.** — Agnum Paschalem inter omnes veteris Testamenti figuras, Eucharistiam propriissime præsignificasse indubitatem est, ac proinde Doctor Angelicus ait : « In figuris præsignatur, cum Isaac « immolatur, Agnus Paschæ deputatur. » Porro ritus, cæremoniæ, et quidquid increata Sapientia, quoad agni Paschalis esum Hebræis præscripsit; cuncta relationem dicunt ad dignitatem, puritatem, et præparationem, qua nobis ad Agnum immaculatum hujus sacramenti accedendum est, quia *omnia in figura contingebant illis.* Est igitur advertendum, quod, priusquam Deus populo Israelitico præceptum suum circa agnum proponeret, quoad tempus illud sumendi hæc verba præmiserit: *Mensis hic vobis principium mensium*; quasi dicere vellet, tunc illos vitæ initium hujus habituros esse, quando Agnum immaculatum gustaverint. Unde S. Gaudentius ait[1]: « Tunc audiunt : *Mensis hic vobis initium mensium,* adhærentes Agni immaculati vestigiis; » veluti si diceret : ab illo momento tempus veræ, et beatæ vitæ computare debetis. quando ad mensam Eucharisticam, in qua pignus vitæ æternæ recipitur, acceditis. Cur vero mensem illum, qui Aprili nostro correspondet, elegerit, hujus Rupertus Abbas Tuitensis mysticam hanc assignat rationem, dicens[2] : « Ipsa mensis Nisan, id est, Aprilis verna tempe- « ries, cum tellus reflorescit, totusque per hyemem, « quasi post senium, rursum juvenescit orbis, nonne « hominem docet, quatenus renovatus spiritu men- « tis suæ, fide viridis, spe lœtus et charitate florens, « epulis Agni Paschalis intersit spiritualibus ? »

**2.** — *Decima die mensis hujus.* Idem quoque Rupertus advertit [3]quod scilicet cœlestis hic Agnus tanta cum lætitia a populo receptus, ea præcise decima die mensis Jerosolymam ingressus fuerit, ubi decima quarta die vesperi Pascha cum suis celebravit : « Quarta decima die ad vesperam, » inquit, « ubi « illum Paschæ veteris agnum comedit cum dis- « cipulis suis, tunc ipse novi sacrificii Agnus conti- « nuo capiendus, et ducendus ad immolandum, « jam in angustia passionis agonizans, prius propriis « manibus Deo semetipsum immolavit accipiens « panem, et vinum, et mira, atque ineffabili sancti- « ficationis potentia transferens hæc in corporis et « sanguinis sui sacramentum. » Verum enimvero, ex quo agnus ille die decimo quarto Lunæ sacrificandus et manducandus erat, cur tanto tempore anticipate præparari jubetur? Respondet Oleaster [4]: « Ut nos hac doceremur cæremonia, quanta « diligentia, et quamdiu oblationes nostras expen- « dere debeamus, antequam illas Deo præsente- « mus. » Idipsum quoque de examine, præparatione, et purificatione conscientiæ nostræ, huic sacramento necessario præmittenda, asserere possumus; et enim agnus ille quatuor diebus ante in domum recipietur; « ut examinaretur, » inquit idem auctor, « si « quid haberet maculæ, quiæ illum a divino con- « spectu arceret. » Rusbrochius aliam quamdam moralitatem hac in re considerat, dum ait[5] « Luna « decem habeat dies oportet, antequam Agnum « nostris in ædibus habeamus : porro cum decem « servamus præcepta, Dei Agnum intra ædes nos- « tras habemus. » Postquam vero agnus ille in domum receptus fuerat; quinque diebus, primo simul computato, couservabatur vivus; « asservatur porro « in quintum diem, » inquit Nazianzenus; « fortasse « quia victima mea id habet, ut sensus expurget, « a quibus peccato moritur; » quibus verbis insinuare contendit, quod, quando Agnus Eucharisticus intra domum animæ nostræ custoditur, quinque sensus nostri purificentur, et præserventur illæsi.

**3.** — *Unusquisque agnum per familias.* Tametsi

[1] S. GAUD., *in Exod.* — [2] RUP. ABB., I. II *in Exod.* — [3] *Ibid.*, 6. — [4] OLEAST. *ib.* — [5] B., *de Taber.*

unicus duntaxat Agnus pro universo genere humano fuerit sacrificatus, Deus tamen voluit, ut quælibet Hebræorum domus in particulari sibi et familiæ suæ agnum quemdam manducandum procuraret. Cujus Dionysius Carthusianus hanc assignat rationem[1] : « Quia sic mortuus est Christus pro omnibus, « ut et pro singulis mortuus sit et oblatus. » Etenim quælibet anima in particulari non minus Deo obligatur, quod ei semetipsum dederit in hoc sacramento, quam ipsi obstrictum est universum genus humanum, quod pro eo sacrificatus fuerit; unde sanctus Paulus protestatur, dicens[2] : *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

**4.** — *Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui junctus est domi suæ.* Quibus verbis in sensu spirituali insinuatur, ut inquit Carthusianus, quod si aliquis nostrum in particulari pro divinis, et ineffalibus mysteriis et beneficiis a Deo receptis, Deum laudare, venerari, eique gratias agere non sufficiat, proximos suos in adjutorium advocet. Cui consonat, quod Rupertus Abbas his verbis scribit[3] : « Recte « paucitatem nostram confitentes in nobis, quia « totum ejus mysterium capere non possumus, as- « sumimus vicinum, qui conjunctus est domui nostræ, « scilicet Apostolorum et Martyrum chorum, qui « per eamdem fidem conjuncti sunt familiæ Christia- « næ. Denique sine illorum invitatione nunquam « comedere præsumimus; dicimus enim : Commu- « nicantes et memoriam venerantes in primis « gloriosæ semper Virginis Mariæ, et Beatorum « Apostolorum, et Martyrum, etc. » Theodoretus in his verbis aliud notat mysterium[4], scilicet, quod « doceat eos fraternam charitatem et erga paupe- « res misericordiam. »

**5.** — *Erit autem agnus absque macula.* « Macula « peccatum est, » inquit Rupertus Abbas[5]; Christus quidem impeccabilis erat, quia vero nos in hoc privilegio non participamus, *cum nemo sit mundus a sorde*; ideo Deus præcepit, ut, priusquam ad ipsum accedamus, prius maculas nostras eluere studeamus, hoc enim insinuant verba illa Apostoli; *probet autem seipsum homo.* Abulensis quæstionem movet, cur Deus in animalibus sibi offerendis, immunitatem ab omni defectu requisierit, cum tamen eadem adeo parvi faciat, ut per Psalmistam dicat[6] : *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo; immola Deo sacrificium laudis.* Respondet autem[7] : « Non vult ista Deus aliquam « propter necessitatem, sed propter honorem; » neque enim ei honorificum est, si animalia, defectum aut maculam habentia, ei offerantur; unde hanc licet inferre consequentiam : quanto igitur magis Agnus ille, *qui tollit peccata mundi* illas abhorrebit animas, quæ, cum propriarum culparum inquinamentis defœdatæ sint, illum tamen in se sumere non dubitant.

**6.** — *Masculus.* Masculinus enim sexus perfectior est; et ideo ut Lyranus inquit[1] : « Requirebatur « sexus masculinus, qui est perfectus, quia ea, quæ « sunt perfecta, debent immolari Deo, a quo ema- « nat omnis humana perfectio. » Unde et Origenes ait[2] : « Masculinum sit munus tuum, fœminam « nesciat, concupiscentiam respuat, fragilitatem « refugiat. » Rupertus Abbas aliud quoddam in eo considerat mysterium, dum ideo Deum, Agnum sine macula et masculum, sibi offerri voluisse dicit, quia[3] « parum haberet gloriæ sola innocentia, si non « adesset fortitudo quoque ad agenda perfectæ « justitiæ opera. Erit ergo *masculus*, hoc est fortis, « qui nihil fœmineum, hoc est molle, vel fluxum « admittit. »

**7.** — *Anniculus.* Abulensis in ea est opinione, sacrum textum, per hanc agni circumstantiam, insinuare voluisse, agnum paschalem minime excedere debuisse unius anni ætatem, adeo ut, qui hoc tempus excedebat, sacrificio paschali idoneus esset, tunc enim agnus in arietem degenerat : « *Annicu-* « *lus*, id est perfectus, » inquit Rupertus, « perfec- « tionem enim ab illo consequimur. » Lyranus ait: « Agnus ille anniculus erat tenellus et propter hoc « significatur in Christo pietatis teneritudo. »

**8.** — *Juxta quem ritum, tolletis et hœdum.* Idem enim Christus, licet Agnus immaculatus esset, hœdus tamen etiam apparere voluit, propter peccata nostra, quæ in se assumpsit. Verumtamen, ut Abulensis notat, non simul offerebatur agnus et hœdus, sed hic duntaxat in defectu illius; quem ritum considerans Rupertus Abbas, inquit : « Sicut prop- « ter suam innocentiam in agno, sic propter ini- « quitates omnium nostrum, quas Deus posuit in « eo, recte igitur figuratur in hœdo. » Porro sanctus Paschasius sequentem desuper instituit considerationem, dicens[4] : « Si forte quis agnum non « potuerit pro paupertate vita assequi, id est, « vitam immaculatam offerre, saltem hœdum ha- « beat, qui semper in sacrificiis pro pœnitentibus « mactatur; » quo fine illam citat S. Hieronymi auctoritatem, inquientis : « Si justi sumus, de agni « carne vescamur; si peccatores et pœnitentiam « agimus, nobis hœdus occiditur. »

**9.** — *Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus.* Quorsum, obsecro, hæc anticipatio? « Ut quid, » interrogat Rupertus Abbas[5], « tanto tempore servaturi? videlicet ut, dum ille « præsto est, causa quoque ejus corda vestra sollici- « tet, ne sitis immemores, vel imparati, quia tran- « seundum est, dum ille tot ante diebus de profec-

[1] DION. CARTH., *ib.* — [2] GAL., II, 20. — [3] RUP. ABB., *ib.* — [4] THEOD., c. 24 *in Exod.* — [5] RUP. AB., *ib.*, c. 8. — [6] *Ps.* XLIX, 13. — [7] ABUL., q. 16 *in Matt.*

[1] LYRAN., *ib.* — [2] ORIG., h. 1 *in Lev.* — [3] RUP. ABB. — [4] S. PASCH., l. *de Corp. et sang. Dom.* — [5] RUP., *ib.*

« tione paranda vos admonet; quoties enim ille « balatum emittit, toties quasi tubæ sonitus exitu- « ras castrorum acies excitet. » Optima namque animæ communicaturæ est præparatio, si toto vitæ tempore, quo vivit in mundi hujus militia, vocem audiat Agni illius, qui ad aliam vitam nos invitat, præparatosque esse jubet ad conflictum et agoniam.

**10.** — *Immolabit ad vesperam.* « Quia in cœna, » inquit Carthusianus, « sic immolationis sacramen- « tum instituit et in ultima mundi ætate. » Guillelmus autem Pepinus ad moralem transiens sensum, id factum esse autumat [1], « ad denotandum, quod « non satis est se immolare Domino per bona « opera in mane juventutis, secundum illud *Thren.* « III: *Bonum erit viro, cum portaverit jugum ab ado-* « *lescentia sua,* verum etiam requiritur immolatio « vespertina, per perseverantiam in bono incœpto « usque ad finem. »

**11.** — *Sument de sanguine ejus et ponent super utrumque postem et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.* Cujus mysterum explanat Theodoretus his verbis [2] : « Nos ungimus Agni « nostri sanguine non tantum limen, sed utrumque « postem, purgantes et sanctificantes exterius lin- « guam et labia, interius autem et secundum intel- « lectum, pro limine rationalem partem et pro « utroque poste facultatem irascendi et concupi- « scendi. » Rupertus inquit [3] : « In utroque poste « sanguis Agni est positus, quando sacramentum « ad redemptionem sumitur ore et ad imitationem « quoque intenta mente cogitatur. »

**12.** — *Et edent carnes assas* ; id est, ut Carthusianus inquit [4] : « Corpus Christi in sacramento « Eucharistiæ sument, qui igne passionis assatus « est. » S. Cyrillus Alexandrinus hanc aliam ejusdem mysterii assignat rationem, dicens [5] : « Eo « quod oportet, eos esse inflammatos Spiritu, qui « volunt ad communionem Christi accedere. » Ideoque nobis consulit D. Chrysostomus, inquiens [6] : « Accedat nemo cum nausea, omnes accensi, om- « nes ferventes. »

**13.** — *Et azymos panes.* Abulensis azymum absque fermento formari advertit [7], cujus proprietas naturalis est, totam inficere massam, quoniam Apostolo teste : *Modicum fermentum totam massam corrumpit* ; « Azymum ergo est incorruptum et « signat puritatem vitæ ; tales autem esse debent, « qui Christum sumunt, scilicet in vita pura et im- « maculata, sic dicit Apostolus : *Pascha nostrum* « *immolatus est Christus, itaque epulemur non in* « *fermento veteris malitiæ, sed in azymis synceritа-* « *tis.* » S. quoque Bonaventura in quodam sermone super ultimam Cœnam, ita de iisdem discurrit azymis [1] : « In azymis panibus, corporis Christi « puritas et a fermento peccati immunitas signifi- « catur ; edent carnes nocte illa assas igni, id est, « cum amaritudine pœnitentiæ. »

**14.** — *Cum lactucis agrestibus.* Herbarum hujusmodi amaritudinem, saporemque ingratum considerans Rupertus Abbas, ita ad nostrum discurrit propositum [2] : « Eorum exemplo nos carnes « Agni cum lactucis agrestibus comedimus, cum « corpus Redemptoris accipientes, nosmetipsos pro « peccatis nostris affligimus, quatenus ipsa amari- « tudo pœnitentiæ abstergat, a mentis stomacho, « perversæ humorem vitæ. » Cui et illa consonat S. Bernardini sententia, in hæc verba discurrentis [3] : « Lactucæ agrestes dolor offensionis, cum quo co- « medendus est iste sacratus panis, quia in sump- « tione ejus compungi debemus pro peccatis nos- « tris. »

**15.** — *Non comedetis ex eo crudum quid.* Cajetanus his verbis tantummodo vetitum fuisse autumat, ne quid manducarent minus bene coctum, unde inquit : « Non crudum (ferinum siquidem est vesci « cruda carne) sed semicoctum, quod multi avidio- « res comedunt. » Dionysius autem Carthusianus ad sensum spiritualem conversus, ita discurrit [4] : « Hoc est corpus et sanguinem Christi, non carna- « liter, neque cum grossa imaginatione aspicietis, « neque per philosophicam sapientiam mysteria « Salvatoris discutietis. » Id quod cum illa consonat sancti Bernardini doctrina, dum ait [5] : « *Crudum* « sumit desidiosa indiscussio, id est, qui mentem « suam diligenter non discutit, vel qui non cogitat « quod recipit. » Nec coctum aqua (alia hæc erat prohibitio). *Lixum* sumit, inquit idem Sanctus, « acidiosa indevotio, id est, qui mente distracta, « ac terreno affectu humida et insipidatione tam « aquea ad sacramentum dissolutus accedit. *Frixum* « sumit præsumptuosa perscrutatio, hoc est, qui de « sacramento præsumptuose inquirit. *Assum* sumit « lachrymosa devotio, atque studiosa gratiarum « actio. »

**16.** — *Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis.* « *Caput Agni vorare,* » inquit Rupertus Abbas [6], « est alta divinitatis eloquia viriliter capere, verbi « gratia quale est : *In principio erat Verbum, etc.* « *pedes* vorare, nec illud ignorare, quod Verbum « caro factum est. *Intestina* vorare cum pedibus est « singulas infirmitatis ejus passiones in usum vir- « tutis assumere, verbi gratia quod esuriit, quod « fecit, quod contristatus est, quod tentatus est pro « similitudine absque peccato ; » imo ne vel mi- nima agni hujus particula relinquenda est. Unde Dionysius Carthusianus ait [7] : « Universa quæ de « Christo proponenda, credendaque sunt, videlicet

[1] GUIL. PEP., *ib.* — [2] THEODOR., *ib.* — [3] RUP., c. 9. — [4] DION. CART., *ib.* — [5] S. CYR. ALEX., l. II *Glaph. in Exod.* — [6] CHRYS., h. 83 *in Matt.* — [7] ABUL., *ib.*, q. 37.

[1] S. BON., s. 5 *in Cœn. Dom.* — [2] RUP. ABB., c. 11. — [3] S. BERN., t. II, s. 57. — [4] D. CART., *ib.* — [5] S. BERN., a. 3, c. 1. — [6] RUP. ABB., *ib.* — [7] D. CART., *ib.*

« divinitatis sublimia et humanitatis declivia, « prompta fide et avida mente amplecti debetis. »

**17.** — *Si quid residuum fuerit, igni comburetis,* « id est, » prosequitur idem auctor, « ea quæ fidei « sunt, nec comprehendi queunt, omnipotentiæ et « infallibili attestationi Spiritus Sancti, qui amor et « ignis appellatur, sunt humiliter reservanda et « committenda; ita ut nihil vertatur in hæsitatio- « nem. »

**18.** — *Renes vestros accingetis.* Rupertus Abbas per hos renes concupiscentiam intelligit carnalem, sacramenti hujus virtute reprimendam; ideoque inquit [1] : « Quid in renibus, nisi delectatio carnis « accipitur? Qui Pascha comedit, accinctos renes « habere debet, ut voluptates edomet, carnis luxu- « riam restringat. » Dionysius Carthusianus super- « addit, dicens [2] : « Fluxum et desideria turpia « restringetis, ut sitis corde et corpore casti. »

**19.** — *Calceamenta habebitis in pedibus.* S. Eligius Episcopus Noviomagensis, in sensu spirituali hæc verba exponit, dicens [3] : « *Calceamenta* in pe- « dibus habeamus, id est, operum nostrorum « gressus, exemplis sanctorum Patrum muniamus; « nam sicut ex calceamentis, quæ ex mortis fiunt « animalibus, pedes corporis circumdamus; sic « sanctorum Patrum, qui jam decesserunt, exem- « plis, sensus animæ et actuum nostrorum pedes « circumdare debemus. » Ecce vobis præsentissi- mos stimulos ad divinum hunc Agnum participan- dum cum omni devotione et reverentia, Sanctorum inquam, exempla. Rupertus Abbas eamdem, diver- sis licet verbis, interpretationem formans, dicit [4] : « Calceamenta in pedibus habere, est mortuorum « vitam respicere et nostra vestigia a peccati vul- « nere custodire. »

**20.** — *Tenentes baculos in manibus.* Baculus in subsidium itineris assignatus est; unde S. Paulinus ad Severum scribens, ita ad intentum nostrum con- cludit : « Panis verus et vivus Christus est, quem « non potest manducare piger operarius, quia idem « est Pascha nostrum, quod expediti et præcincti « et firmiter calceati, nec depositis a manu baculis, « id est, operibus, quibus nitimur, numquam re- « missis, cum omni festinantia edere præcipimur. » S. autem Eligius per baculum hunc, timorem Do- mini indigitari opinatur, inquiens [5] : « *Baculum* « necesse est manibus teneamus, ut in cunctis, quæ « agimus, timorem Dei vivum præ oculis tenentes, « secundum ipsum opera nostra dirigi postulemus. »

**21.** — *Et comedetis festinanter.* Cujus præcept duplex assignatur ratio, alia litteralis; moralis alia; illa in eo fundatur, quia scilicet exitum ex Ægypto accelerare debebant; hanc vero auctor operis im- perfecti assignat, dum ait [6] : « Propterea et Judæi « exituri de Ægypto, expediti et præcincti, agnum « jussi sunt manducare et ad exeundum parati, « ostendentes nobis, quoniam quicumque nostri « Agni Eucharistiam manducant, ita semper debent « esse expediti, quotidie exituri de mundo. » A quo commentario nequaquam discrepat sancti Eligii Glossa, inquientis [1] : « Festinantes Pascha comedi- « mus, cum nos hic non habere certam mansionem « recolentes, quotidie de festinanti et jam jamque « imminenti fine suspendimur, assidue meditantes, « quoniam incolæ sumus super terram et pere- « grini. » Tandem quoque vetuerat Dominus, ne peregrini quidquam de hoc agno participarent; cujus hæc mystica assignari potest ratio, quia ni- mirum vagabundi et solitudini minus dediti, ne- quaquam apti sunt ad degustandum hunc cibum, qui totum exigit hominem.

[1] Rup. Abb., c. 13. — [2] Dion. Cart., *ib.* — [3] S. Elig., h. 4. — [4] Rup. Abb., *ib.* — [5] Auct. *Imperfect.*, op. 52. — [6] S. Elig., *ib.*

## DISCURSUS XXVIII.

HONOR ET MUNDITIA CORPORI CHRISTI DEBITA, EX VARIIS INSTITUTIONIS EUCHARISTIÆ CIRCUMSTANTIIS CONVINCITUR, SCILICET EX APPARATU DUORUM DISCIPULORUM, EX SIGNO AQUÆ, CŒNACULO, LOTIONE PEDUM, SINDONE ET SEPULCHRO NOVO CHRISTI.

Idea sermonis. — 1. Christus puritatis amator omnia elegit munda. — 2. Ad instituendam S. Eucharis- tiam elegit Cœnaculum mundum et ad hoc præpara- tum. — 3. Quod significet signum amphoræ aquæ, a Christo discipulis datum. — 4. Cur Christus ad ins- tituendam S. Euch. elegerit Cœnaculum grande stra- tum et ornatum. Turcæ hoc cœnaculum venerantur. — 5. Aqua amphoræ designat gratiam hujus sacra- menti. — 6. Quid designet, quod hoc Cœnaculum fuerit in superiori domus parte. — 7. Cur Christus præmiserit lotionem pedum institutioni hujus sacra- menti. Olim etiam lavabantur pedes victimæ immo- landæ. Abraham lavit pedes hospitibus suis, ante- quam panem proponeret. — 8. Ut digne communices, sis similis Josepho ab Arimathæa. — 9. Per Sindonem mundam designatur caro Christi. Et munda con- scientia. — 10. Monumentum novum designat con- scientiam mundatam.

*Accepto corpore Joseph, involvit illud in sindone munda.* Matth., xxvii, 9.

**1.** — S. Thomas de Villanova Salvatorem nos- trum, summam semper puritatis curam habuisse, his verbis considerat [2] : « Omnia munda vult auctor « puritatis, mundam Matrem elegit; mundum dis- « cipulum dilexit; munda sindone involutus est, « mundo in tumulo et in quo nondum quisquam « positus fuerat, tumulatus est; ab his, qui sunt « mundo corde, videtur; et ab his, qui sunt mundo « corpore, possidetur. » Ad brevem igitur pauculæ- rum horarum gyrum, in quibus tum sacratissimi

[1] S. Elig., *ib.* — [2] S. Thom. de Vill., *Nov. Conc.*, 3 *de Sa.*

Corporis ejus facta fuit institutio, tum corpori ejus mortuo sepultura impensa fuit, discursum nostrum limitantes, evidenter ostendemus, quanta cum sollicitudine illud omni cum possibili decentia et munditia honorare studuerit.

**2.** — Et quidem imprimis, Apostoli cœlesti Magistro suo dixisse leguntur [1]: *Quo vis eamus et paremus tibi, ut manduces Pascha?* Porro alias etiam in sylvis et locis inhabitatis, supra nudam terram ad manducandum considere consueverant et verisimile est, in decursu trium annorum, quibus Pascha simul celebraverant, illos agnum paschalem in locis solitariis et ab hominum consortio remotis, eumdem inter se simul manducasse et tamen nullam Evangelistæ præparationis alicujus prævіæ fecerunt mentionem; modo vero, quando instituenda erat Eucharistia, ex instinctu divino Magistrum suum interrogarunt, dicentes: *Quo vis, eamus et paremus, etc.* Qua interrogatione facta, S. Marcus ipsum duos ex Apostolis suis misisse dicit: *Et mittit duos ex discipulis suis*; porro quinam hi duo fuerint, S. Lucas exprimit, dum ait [2]: *Et misit Petrum et Joannem, dicens: euntes parate nobis Pascha*; hi vero ambo solidissimæ, magisque conspicuæ Ecclesiæ suæ columnæ erant, teste sancto Paulo, dicente [3]: *Cephas et Joannes, qui videbuntur columnæ esse.* Quidnam vero hac in re lateat mysterii, doctissimus Salmeron exponens, ait [4]: « Ostenditur cœ« naculum ministris Petro et Joanni, in quo signifi« catur præmittenda confessio, quam nos facere « debemus, eundo ad Sacerdotem, qui sit Petrus, « rursum, qui sit Joannes, id est, qui gratiam et « scientiam possideat. »

**3.** — Signum vero a sapientissimo Magistro hisce discipulis ad cœnaculum inveniendum datum hoc sequens fuit [5]: *Occurret vobis homo, lagenam aquæ bajulans, sequimini eum.* Idipsum S. Lucas referens, ait [6]: *Occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans.* Et vero eo ipso, quo sacramentum Altaris a Christo instituendum erat, convenientius, magisque ad propositum serviens, indicium ostensurus fuisse videtur, si pro signo aliquam dicti sacramenti figuram iudicasset, verbi gratia occurret vobis agnus, vel invenietis panem aut vinum. Cur igitur aquam illis pro signo dedit? Origenes ait [7]: « Ego autem puto, quod homo, qui ingredientibus « discipulis in civitate occurrit eis amphoram aquæ « portans, quem voluit Jesus, ut sequerentur disci« puli ejus eumdem in domum, qui subtilem illam « aquam domus apportabat, ut non solum esset « mundata, sed etiam aquis plenius eluta. » Unde apparet, quod Christo non suffecerit, cœnaculum in quo Eucharistia instituenda erat, scopis fuisse mundatum, quin etiam eadem aqua aspergi et mundari voluerit. S. Ambrosius textum illum sancti Lucæ exponens [1], Christum fideles suos docere voluisse inquit (siquidem *omnia in figura contingebant*) « abluere sensus nostros quadam spirituali aqua « fontis æterni, » Cui consonat, quod antiquus ille Tertullianus pariter scribit in hæc verba [2]: « Pas« chæ celebrandæ locum de signo aquæ ostendit, « ut qui se lavissent, etiam sanguinem potarent. »

**4.** — *Ostendet vobis cœnaculum grande stratum, et ibi parate.* Mira profecto res, etenim in Incarnatione, quando corpus humanum assumpturus erat, in angustum quoddam tugurium, quale sancta domus Lauretana esse videtur, libenter descendit. Similiter postea in vili quanam spelunca nasci voluit, ut propheticum adimpleretur oraculum, in quo ipsemet dicit [3]: *Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea.* Insuper per totam vitam, propria domo carere voluit, adeo ut sibi dicere licuerit [4]: *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Quodnam igitur in eo latet mysterium, quod nunc sacramentum Eucharistiæ instituturus, amplum quærat cœnaculum et illud quidem auguste paratum? Nam S. Lucas ait [5]: *Cœnaculum magnum stratum.* Et S. Marcus pariter dicit: *Cœnaculum grande stratum et illic parate.* Imo in eodem magnificum et sumptuosum apparatum institui voluit, quia dicit [6]: *Et ibi parate.* Certe alia hujus causa assignari nequit, quam quod Eucharistiam magnopere honorare voluerit, quam ibidem instituere parabat, nosque docere, ut illam pro viribus semper et ubique veneremur, colamus, ad eamque suscipiendam, omnem præmittamus præparationem et animæ munditionem. Enimvero, qua in reverentia ipsimet Turcæ cœnaculum hoc, quod in hanc usque horam conservatur, semper habuerint et etiamnum habeant, ex Epistola quadam, superiori sæculo scripta colligitur [7], in qua inter cætera refertur, quod Turcæ cœnaculum hoc ingressuri sese discalceent; in eoque exspuere prohibeantur, propter traditionem a Majoribus acceptam, quod Christus ibidem cum Apostolis suis solemnem quamdam celebraverit cæremoniam.

**5.** — S. Ambrosius ad aquæ signum, Apostolis ad inveniendum hunc locum a Christo datum, se reflectens, ait [8]: « O aqua, quæ sacramentum « Christi esse meruisti, quæ lavas omnia, per te « fœtor tabidæ carnis aboletur, per te arentibus « æstu corporibus, dulcis ad gratiam, salutaris ad « vitam, suavis ad voluptatem potus infunditur. » Etenim aqua hæc cœlestem denotabat gratiam, quæ ab hoc sacramento, velut a vivo quodam fonte, scaturire debebat; qua proinde aqua cœnaculum mundari et purificari voluit. Ad hæc dicere possu-

[1] Marc., xiv, 1. — [2] Luc., xxii, 8. — [3] Galat., ii, 9. — [4] Salm., t. IX, tr. 40. — [5] Marc., xiv, 13. — [6] Luc., xxii, 10. — [7] Orig., tr. 35 *in Matt.*

S. Ambr., *ib* — [2] Tert., *de Bapt.* — [3] *Ps.* lxxxvii, 16. — [4] Matt., viii, 20. — [5] Luc., xxii, 12. — [6] Marc., xiv, 15. — [7] Dux Olike, ep. 2, an. 1583. — [8] S Ambr., inc. 22.

mus, aquam hanc denotasse planctum nostrum et contritionis lachrymas, quæ communionem præcedere debent. Quærunt nonnulli interpretes, cur incarnata Sapientia, nuptiis in Cana Galilææ [1] de vino, miraculose producto, prospicere volens, illud ex aqua et non potius ex aere vel alia quapiam materia produxerit. Ad quod dubium S. Maximus respondet [2] : « Quod aquæ novo sunt ordine in « vinum mutatæ, novi nobis poculi prælibatum est « sacramentum. » Etenim miraculum istud typus quidam fuit conversionis et transubstantiationis panis in carnem et vini in sanguinem Christi; atque ideo vinum potius ex aqua, quam ex alia materia producere voluit, ut nos doceret connexionem, quam aqua compunctionis, lotionis et abstersionis conscientiæ nostræ habet cum hoc sacramento.

**6.** — Origenes in ea est opinione, quod cœnaculum istud in loco quodam eminenti et elevato situatum fuerit; unde ita legit [3] : « Ostendet vobis « locum in superioribus stratum. » Porro cœnacula velut oratoria quædam erant; unde in hoc cœnaculo primum totius Christianitatis templum et oratorium erectum fuit; ibi Christus primum consecravit et obtulit sacrificium; ibi pariter primi fideles numero centum viginti, simul cum sanctissima Virgine, decem diebus continuis, ad ferventem ad Deum orationem fundendam fuerunt congregati; in eodem quoque cœnaculo Spiritus Sanctus, cum omnibus donis et cœlestis paradisi thesauris super Apostolos descendit, ut relationem intelligeremus, quam hoc sacramentum cum spiritu, oratione et affectuum, cogitationumque nostrarum ad Deum elevatione, habere debet. Porro ex variis Scripturæ locis oratoria in sublimi domuum loco situata fuisse colligitur, ut videre est *Judith.*, VIII, *Reg.*, XVII, versic. 33, et Reg., XVII, versic. 19. Unde et Origenes de hoc cœnaculo dicit : « Si domus hæc præpa- « rata, non solum superior, nec solummodo magna « sed etiam mundata, nullo modo habens malitiæ « sordes. » Salmeron in sensu spirituali de hujus cœnaculi magna capacitate disserens, ait [4] : « *Grande* « autem *cœnaculum* fit conscientiæ, postquam ab- « jecit peccata et amorem temporalium bonorum, « quæ angusta sunt atque exigua, exuit. Fit etiam « *grande*, ex desiderio faciendi voluntatem Dei et « siti salutis proprie et ad cibum hunc Eucharistiæ « non ex contentione aliqua aut secta, sed ex obe- « dientia et charitate accedendi. » Idem quoque auctor de ornamentis hujus cœnaculi ait : « *Stra-* « *tum*, id est, virtutum tapetibus ornatum. » S. Ambrosius quoque de hoc cœnaculo ita legit [5] : *Ostendet vobis in superioribus locum magnum, ibi parate*; unde sequentem deducens moralitatem, ait : « Ad- « vertimus igitur, quod non ad terrena descendere, « sed in superioribus locum stratum magnum quæ- « rere debeamus, ut Domini Pascha celebremus. »

**7.** — In hoc pariter cœnaculo, priusquam corpus suum sacratissimum consecraret, Christus Apostolis suis, qui postea communicaturi erant, pedes lavit [1] : *Mittit aquam in pelvim et cœpit lavare pedes discipulorum et exstergere linteo, quo erat præcinctus.* Hæc autem ablutio ad nihil aliud ordinabatur, quam ad denotandam purificationem, qua quælibet anima a maculis etiam venialibus se emundare debet, ut tanto magis ex hoc sacramento proficiat; unde Christus Petro ait : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* S. Ambrosius de hac pedum ablutione ita scribit [2] : « Ideo lavas « pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est ser- « pens, majus subsidium sanctificationis accedat, « quo postea te supplantare non possit; lavas ergo « pedes, ut laves venena serpentis. » Deus olim in Levitico has holocausti conditiones præscripsit [3] : *Masculum immaculatum offeret*; animal enim offerendum, omnis maculæ expers esse volebat. Insuper autem inter alias cæremonias, victimæ pedes ablui volunt : *Pedibus lotis aqua.* Quod si igitur lotionem hanc in animalium oblatione requirebat, quanto magis illam requiret in conscientiis fidelium, qui, ad hoc sacramentum, in quo est agnus immaculatus, pro peccatis abolendis sacrificatus, sunt accessuri? Nam ut Philo de animalibus ad sacrificium aptis disserens, ait : « Pedum lotio significat, non « humi post hac incedendum, sed per æthera; « amans enim Deum anima, revera in cœlum a « terris emigrat, sumptisque alis petit sublimia. » Quando S. Abraham Patriarcha in Mambre sedens tres illos Angelos suscepit hospitio, iisdem dixit [4] : *Lavate pedes vestros, ponamque buccellam panis.* Sed quid opus erat, panem manducaturis pedum lotionem præmittere? nimirum factum istud præludium quoddam fuit illius, quod in Sion facturus erat, priusquam Apostolis suis panem distribueret Angelorum. At vero ex quo hospites illi Angeli erant, quo fine pedum lotione indigebant? respondetur; quantumcumque anima aliqua pura et munda sit, etiam si cœlestis quidam Angelus esset, ad hoc tamen, ut ad hunc panem digne sumendum accedat, puritatem sufficientem nequaquam adducere potest; sic enim tametsi Apostolis suis dixisset: *Vos mundi estis*; nihilominus protinus subjunxit; *qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Rabanus supra Genesin de hac pedum lotione ita scribit [5] : « Pedes eorum lavit, ut in extremo « lavacri purificationem demonstraret futuram, « siquidem et convivium præparat, vitulum scilicet « saginatum, iste autem vitulus tener saginatus, « Domini nostri Jesu Christi est Corpus. » Origenes quoque ad idem propositum inquit [6] : « Quia scie-

[1] JOAN., II, 1. — [2] S. MAX., h. 1 *de Epiph.* — [3] ORIG., fr. 35 in *Matt.* — [4] SALM., *ib.* — [5] S. AMBR., *in Luc.*

[1] JOAN., XIII, 5. — [2] S. AMB., l. III *de Sac.* — [3] LEV., I, 9. — [4] GEN., XVIII. — [5] RAB., *in Gen.* — [6] ORIG., *ib.*

« bat, Dominica sacramenta non nisi in lavandis « pedibus consummari. » Rupertus Abbas ad lotionem in Sion factam alludens, inquit [1] : « Pedes « quippe nostros, id est, actus nostros quotidie « necesse habemus lavari ; *si dixerimus, quia peccatum non habemus,* et lavari pedes nostros recusa- « verimus, *nos ipsos seducimus et veritas in nobis « non est* ; quamvis lotus, quamvis mundus esset « Petrus, tamen Dominus inquit : *Si non lavero te, « non habebis partem mecum.* » Rabanus quoque observat [2], quod eodem die, quo Christus Apostolorum pedes lavit, eosque communione sacra refecit, Ecclesia quoque, altaria, vasa sacra, aliamque ad cultum Divinum destinatam suppellectilem lavare consueverit, ut nos doceat puritatem, cum qua ad Eucharistiam, quæ eo die primam suam originem habuit, accedere debemus.

**8.** — Redemptor noster sacrosanctum Corpus suum, quod prius contemni et indigne tractari permiserat, postquam illud nobis in sacramento altaris reliquit, omni cum honorificentia et munditie tractari voluit. Sic enim non obstante, quod tanta cum ignominia in monte Calvario in crucem actus fuisset, soluto humanæ redemptionis pretio, duorum principum manibus consignari voluit ; nam ut Matthæus ait [3] : *Venit quidam homo dives ab Arimathæa nomine Joseph, hic accessit ad Pilatum et petiit Corpus Jesu ; tunc Pilatus jussit reddi Corpus* ; quem eumdem Joseph S. Marcus [4] *nobilem Decurionem* appellat ; S. Joannes quoque de Nicodemo ait [5] : *Venit autem et Nicodemus ferens mixturam Myrrhæ et Aloes.* Circa quæ verba Hugo Cardinalis hanc instituit observationem : « *Nobilis Decurio,* id est de « Curia ; quæ autem sit nobilitas, quæve divitiæ « ejus, dicit Lucas [6] : *Qui erat Decurio vir bonus et « justus, qui non consenserat consilio et actibus eo- « rum.* » Hi enim, qui in offensas Dei nequaquam consentiunt, sed justi sunt et boni, hi, inquam, Corpus Christi accipere merentur. De hoc eodem adeo digno viro S. Thomas ait [7] : « Iste Joseph « secundum sæculi statum magnæ fuit dignitatis, « sed multo majoris meriti apud Deum fuisse lau- « datur, siquidem justus fuisse describitur, dicebat « quippe, eum talem existere, qui Corpus Domini « sepeliret, quatenus per justitiam meritorum, « dignus esset tali officio : » quod si vero hæc tanta bonitas et sanctitas requirebatur in eo, qui corpus ejus sepulturæ mandare debebat, quanto major requiretur in illo, qui illud sibi unit et incorporat?

**9.** — *Joseph autem mercatus Sindonem et deponens eum involvit Sindone* [8]. S. Matthæus addit: *in Sindone munda.* Verisimile quidem erat, quod vir ille, utpote dives et opulentus, magnam habuerit in domo sua linteorum supellectilem, verumtamen quia illa ad aliorum hominum corpora contegenda adhibita fuerant, illis uti noluit, sed ut corpus Christi honorificentius et majori cum munditie tractaret, novam, mundam, candidam et subtilem Sindonem pretio comparare voluit, estque illa ipsa quæ per tot sæcula in hodiernum usque diem Taurini, tanta cum veneratione, conservatur et colitur. « Per istam vero Sindonem, » inquit S. Thomas [1], « signatur caro Christi munda ; fit enim de lino, « quod per multam pressuram dealbatur. Item « signatur munda conscientia, ubi Christus re- « quiescit. » Similem quoque expositionem Hugo Cardinalis super hunc textum adducit, dicens [2] : « Moraliter insinuatur hic, qualiter recipi debeat « Corpus Christi, per hoc quod posuit eum Joseph « in sindone munda, notatur, quod debet poni in « munda conscientia. » S. Anselmus huic ritum illum derivari notat, consecrandi Corpus Christi super corporale ex candido et mundo linteo factum et subdit [3] : « Mystice Jesum sindone munda involvit, qui eum pura mente suscipit. » S. Paschasius in commentario super S. Matthæum dicit [4] : « Narratur munda fuisse, quia dignum erat, ut mundissimum Corpus Domini mundo involveretur « linteo, sed Corpus Jesu magis præstabit mundi- « tiam, quam illud ex quo involutum erat, quia « quæcumque tangebat Auctor vitæ, omnia nova « fiebant et munda. » Similiter Origenes diu ante ipsum dixerat [5] : « puto, magis munditiam sindon « illa habebat, ex quo involutum est corpus Christi, « quam prius. Corpus enim Jesu etiam in morte « constitutum, quasi corpus Jesu mundabat omnia, « quæcunque tangebat. » S. Hilarius, postquam textum illum Evangelicum allegasset : *Munda sindone corpus involvit,* subjungit [6], « et qui- « dem in hoc eodem linteo reperimus de cœlo ad « Petrum universorum animantium genera sub- « missa. » At vero qua ratione linteum illud mundum esse poterat, in quo tot continebantur animalia immunda ? ad hoc Deus ipse S. Petro respondit [7] : *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Accedat igitur ad hoc corpus audacter quævis anima immunda, quia si cum detestatione culparum suarum, ac vera pœnitentia accesserit, candorem recipiet debitum atque munditiam, prout in discursu XVIII probavimus. S. Bernardinus quoque de sacramento altaris scribens [8], bonam conscientiam in hac Sindone figuratam fuisse demonstrat.

**10.** — Fuit quoque sacrum hoc corpus in monumento novo, in petra exciso, in quo nondum

[1] Rup. Abb., lib. V *de div. offic.* — [2] Rab, l. II *de inst. cler.*, c. 36. — [3] Matth., xxvii, 57. — [4] Marc., xxv, 43. — [5] Joan., xix, 30. — [6] Hug. Card., *in Matt.* — [7] Luc., xxiii, 50. — [8] S. Thom., *in Cat.* — [9] Marc., xv, 46.

[1] S. Thom., *ib.* — [2] Hug. Card., *in Matt.* — [3] S. Ans, *ib.* — [4] S. Pasch., l. XII *in Matt.* — [5] Orig., tr. 35. — [6] S. Hilar., can. 3 *in Matt.* — [7] Act., x, 15. — [8] S. Bern., t. II, s. 54.

quisquam positus fuerat, collocatum; ac proinde Theophylactus monet, dicens [1] : « Pretiosum cor- « pus pretiose sepelias, cum enim esset discipulus « Domini, sciebat, qualiter corpus Domini honorari « deberet; omnia quippe quæ sunt circa corpus « Christi Jesu, inquit Origenes [2], munda sunt « et nova. » S. Paschasius hac de re sequentem habet observationem [3] : « Quod monumentum « numquam exciditur nisi in petra, quæ Christus « est, firmissima, hinc oportet credere, quod non « ille a nobis, sed nos a corpore sanctificamur, ut « mundiores simus, si tantum recta fide et con- « scientia bona illud suscipimus, alioquin sine cor- « pore Christi vacui et immundi sumus. » Dionysius Carthusianus pro communicantibus hanc ad eorum provectum inde deducit moralitatem, dicens [4] : « Ponit Deum in sepulchro novo, qui collocat eum « in anima intus reformata. » Hugo Cardinalis similiter ait [5] : « In monumento novo, id est, in « corde innovato per pœnitentiam, *ad Ephes.*, IV : « Innovamini spiritu mentis vestræ. » De mysterio vero saxi, quo clausum fuit sepulchrum, ita scribit: « Saxum magnum quod advolvitur ad ostium mo- « numenti, est magna pœnitentia, quæ tenet in « nobis Jesum per gratiam. » Unde Isaiæ cap. XXX, dicitur [6] : *Dabit tibi Dominus Panem arctum et non faciet ultra avolare a te Doctorem tuum.*

## DISCURSUS XXIX.

EUCHARISTIAM SUMME FRUCTUOSAM EFFICIT, QUI ILLAM CUM ACTUALI MORTIS MEMORIA SUSCIPIT, ILLAMQUE QUASI ULTIMA FUTURA ESSET, ASSUMIT.

IDEA SERMONIS. — 1. S. Eucharist. digne sumere volentes, cogitent esse Phase, hoc est transitus hujus vitæ ad vitam futuram. — 2. Diversæ adducuntur rationes, quare Christus instituerit S. Euch. in fine vitæ. S. Eucharistia apposite vocatur Cœna. — 3. Panis Eucharisticus sumendus ac si essemus parati ad mortem. Figura hujus in muliere Sareptana. — 4. Continuatur eadem materia. — 5. Communicaturi mortificent concupiscentias carnis. Cur populus in deserto cibatus miraculoso pane jussus fuerit sedere super fœnum. — 6. Expenditur sollicitudo mulierum circa Corpus Christi sepultum. Utilissimum est S. Communionem sape sumere, ac si esset viaticum. Quid designet panem Eliæ missum fuisse subcinericium.

*Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus.* Exod., XII, 11.

**1.** — Habitus, quo Hebræi agnum Paschalem manducaturi, indui debebant, hominis peregrini speciem referebat, ad iter ineundum accincti; illa enim vestium præcinctio, calceatio pedum et baculus, quem manibus tenebant, hominem ad iter ineundum paratum indicabant; quod idem mysterium Deus eodem tempore illis revelavit, quando iis hunc ritum præscripsit : *Est enim phase,* inquit, *id est transitus Domini*; imo quando Israelitæ agnum manducando, prima omnium vice Pascha suum celebrarunt, jam de facto in procinctu erant, ut ex Ægypto egrederentur, in terram promissionis profecturi, in cujus tanti beneficii memoriam deinceps omni anno eadem ceremonia ab ipsis continuari debebat; sed *omnia in figura contingebant illis,* quia enim agnus Eucharistiæ figura erat, Ægyptus vero mundum, sicut et terra promissionis vitam futuram præfigurabat, ideo Deus per hunc peregrini habitum, fidelibus suis insinuare voluit, quod si agnum sacramentalem cum fructu animæ manducare velint, necessum sit, ut sumentes hoc sacramentum, sibi persuadeant, se in procinctu stare, ut ex hac vita in vitam proficiscantur futuram. Auctor operis imperfecti de virginibus loquens, quæ ardentes lampades portantes, sponsum expectabant, Christianum in hac vita veluti peregrinum vivere debere inquit; idque per prædictam Israelitarum historiam his verbis probat [1] : « Propterea et Judæi « exituri de Ægypto, expediti et præcincti agnum « jussi sunt manducare et ad exeundum parati, « ostendentes nobis, quomodo quicumque nostri « agni Eucharistiam manducant, ita semper debent « esse expediti, quasi quotidie exituri de mundo. »

**2.** — Ad hoc propositum non inutilis excitari quæstio potest, quare incarnata Sapientia homini Cœleste hoc sacratissimi corporis sui convivium (quod Salomon tot ante sæcula in Proverbiis, his verbis prædixit [2] : *Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum et proposuit mensam suam*) exhibere volens, idipsum facere distulerit, donec assumpto in Incarnatione corpore, post XXXIII annos, in ultima tandem vitæ suæ periodo idipsum perficeret. Eandem difficultatem Albertus Magnus proponit pariterque resolvit, considerando quod non quavis hora opportunum sit, cibum corporalem sumere, sed quod tria præcipue ad cibum sumendum præcedere debeant [3], quorum « unum est ex abstinen- « tia præcedenti desiderium famis. Secundum, « quod in corpore consumptus sit malus chylus, « si ille in corpore est per cibum male ante comes- « tum. Tertium autem est hora illa, qua etiam « virtute cœlesti juvantur vires corporis ad cibi « sumptionem et profectum, unde antequam cibus « iste daretur, oportuit, quod desiderium famis in « ipsum excitaretur et quod sentiret homo, quod « sine isto edulio reparari non poterat; et ideo « quamdiu per bona naturæ in naturalis lege refici « præsumpsit, cibus iste non parabatur; et quam- « diu per bona legis factorum refici putabat, non

[1] THEOPH., *in Cot.* — [2] ORIG., *ib.* — [3] S. PASCH., *ib.* — [4] DION. CARTH., I. — [5] HUG. CARD. — [6] ISA., XXX, 20.

[1] AUCT. *Oper. Imperf.* — [2] PROV., IX, 1. — [3] ALB. MAG., *de Euch.*

« parabatur cibus, sed significabatur; » sic enim in lege naturæ demonstratus fuit in pane, quem Abraham tribus Angelis in Mambre apposuit, prout in cap. XVIII Geneseos legitur; in lege vero scripta repræsentatus fuit in panibus propositionis. His præmissis idem auctor progreditur, dicendo : « Quando autem famem sensit et vidit quod aliunde « refici non potuit, tunc sub lege gratiæ iste cibus « paratus fuit; » ad eum modum, quo filius prodigus vitulum saginatum admissus non fuit, donec urgente fame lamentaretur, dicendo : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo ! surgam et ibo ad patrem meum, et dicam ei, etc.* Quibus similia sunt lamenta illa Jeremiæ Thren., IV : *Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret.* « Hoc sensu fame incitata in ho- « minibus, parabatur iste cibus, fastidientibus enim « non debebat ingeri, similiter quia chylus valde « malus creatus erat in homine ex comestione ve- « titi, qui nullo modo fuit tenendus in corpore « cum cibo sancto et ideo expediebat, quod ille « prius per longam abstinentiam consumeretur et « tunc demum cibus sanitatis præpararetur; opor- « tuit ergo, quod expulsiva et evacuativa homo « sumeret, antequam cibus iste præpararetur; « hæc fuerunt legis austeritas et prophetiæ exhor- « tatio et tunc demum expulso malo chylo, qui ex « vetito creatus fuerat, cibus gratior perfectæ sani- « tatis parabatur. » Tertia ratio Alberti Magni est, quia sicut ad manducandum expectatur hora competens, quæ solet esse post meridiem : « Similiter « est in die mundi, quod, antequam sol inclinaret « a meridie, hoc est in fine mundi, non erat pa- « randus cibus salutaris, tunc enim in vespera « mundi paratus, jam membris vacuis ingeritur « cibus salutaris et tunc avide appetitur et salubri- « ter accipitur et tunc Dominus noster cibum salu- « tarem paravit et ideo cœna Domini dicitur et non « prandium, quia in fine mundi parata hæc Cœna « aliam se sequentem non habebit. » Porro Eucharistiam, cœnam quamdam esse certum est, siquidem de illa dicitur [1] : *Homo quidam fecit cœnam magnam* et vere magna cœna est, quia ut Hugo Cardinalis ait [2] : « Fercula apposita magna sunt, scilicet cor- « pus et sanguis Domini. » At vero cur Eucharistiam, cœnam nominari existimas? certe non aliunde, quam quia post cœnam quies nocturna somni subsequitur; somnus autem imago est mortis; unde observandum, quod S. Joannes, priusquam institutionem ultimæ cœnæ, in qua Christus corpus suum consecravit, referret, non sine mysterio præmiserit [3] : *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem* ; quasi dicere vellet : tunc cœnam Eucharisticam generi humano adeo salutarem, atque ab eodem tantopere suspiratam celebrare voluit, quando jam in procinctu erat ex hac vita discedendi ; ad erudiendum nos, quod, dum ad hanc cœnam accedimus, eosdem cum Christo sensus et cogitationes habere debeamus; credendo nimirum, quod sacramentum, quod sumimus, viatici loco accipiatur, haud secus ac si ultima communio futura foret. Ideo quoque Apostolus ait [1] : *In qua nocte tradebatur, accepit panem*, et alibi ad nostram instructionem inquit : *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Ideo quoque ipsemet Christus vix sub speciebus panis et vini, sacratissimum corpus suum consecraverat, cum ecce immediate sui ex mundo discessus mentionem fecit : *Dico autem vobis : non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum in Regno Patris mei.*

**3.**— Theodoretus ad præceptum Hebræis his verbis, *renes vestros, etc.* impositum, se reflectens, inquit : « præcepit habere lumbos præcinctos, pedes calcea- « tos, et lucernas ardentes, more servorum expec- « tantium Dominum suum. » Cum Elias Propheta in extrema illa annonæ caritate se, jussu Dei, in Sareptam reciperet, viduam quamdam obviam habuit ligna colligentem, cui dixit [2] : *Affer mihi buccellam panis*; cui illa respondit : *Non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ. En colligo duo ligna, ut ingrediar, ut faciam illum mihi, et filio meo, ut comedamus et moriamur.* Ubi quærendum venit, quo sensu hæc mulier dicere potuerit, se panem comesturam, ut moreretur, cum panem potius ad vitæ conservationem ordinatum esse constet? pro resolutione sciendum, quod per hanc mulierem intelligatur Ecclesia, quæ duo ligna colligit, dum crucem et passionem Redemptoris commemorans, panem Eucharisticum coquit, qui fructus est passionis et mortis Christi; unde apud Jeremiam dicitur [4] : *Mittamus lignum in panem ejus*; et S. Augustinus inquit [5] : « Signo Crucis consecratur Corpus Domini. » Est quoque sacramentum altaris, panis arctus et angustus, quem ideo Isaias [6] *Panem arctum* appellat, et quidem adeo arctus est, ut S. Thomas dicere non dubitarit : « Fracto demum sa- « cramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse « sub fragmento, quantum toto tegitur. » Hæc igitur Ecclesia per mulierem illam, quæ panem pro se et filio suo, id est populo Christiano Catholico coctura erat, denotata, non obstante, quod panis Eucharisticus panis sit vitæ. « Panis vivus et vitalis « hodie proponitur; » nihilominus protestatur, quod illum manducet, ut moriatur : *Ut comedamus. et moriamur*, quia tunc cibus hic Eucharisticus nobis proderit, si illum, veluti in procinctu ad mortem positi, sumpserimus.

[1] LUC., XIV. — [2] HUGO CARD., *ib.* — [3] JOAN., XIII, 1.

[1] II CAR., XI, 23. — [2] THEOD., q. 24 *in Exod.* — [3] IV REG., XVII, 12. — [4] JER., XI, 19. — [5] S. AUG., ser. *de temp.* — [6] ISA., XXX, 20.

**4.** — Per nuptias illas a Rege filio suo præparatas [1], ex mente Angelici Doctoris, sacrum hoc denotatur convivium, de quo canimus : « *O sacrum convivium* « *in quo Christus sumitur* ; istud nuptiale convivium « est Eucharistiæ sacramentum ; istud convivium in « cœna Domini fuit paratum. » At vero observastisne aliquando, quinam præcipue ad hasce nuptias invitati fuerint ? sacer textus ait : *Ite ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.* At vero quidnam honorificentiæ convivio huic nuptiali, et regio a gente tam vili adferri poterat ? ad exitus namque viarum, alii præter peregrinos et viatores non reperiuntur. Audiatis velim, quam bene Albertus Magnus prædicta verba ad propositum nostrum explicet [2] : « Illi, inquit, sunt in exitibus « viarum, qui mortem suam jugiter prospiciunt, et « qui se credunt quotidie morituros, et certe tales « dignos se efficiunt, ut ad Christi nuptias introire « mereantur. » Quicumque enim mortis ejus efficaciter recordantur, student esse continentes, patientes, et obedientes, nituntur semetipsos per veram contritionem, et per veram confessionem a peccatorum maculis expiare. Superius de mensa panis et vini a Sapientia increata magnifice instructa mentionem fecimus, per quam, Eucharistiam certum est denotari quia in solemnitate Corporis Christi antiphona illa canitur [3] : « Sapientia ædificavit sibi « domum, miscuit vinum, et posuit mensam. » At vero observandum, quomodo convivantes ad illam invitarit ; dicit enim sacer textus : *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad mœnia civitatis : venite et comedite panem, et bibite vinum, quod miscui vobis :* nimirum veluti milites convivas suos esse voluit, qui quovis momento mortis sunt periculo expositi, quales nos quoque Christus esse desiderat, dum communicamus.

**5.** — S. Gaudentius de comestione agni Paschalis, disserens, seque ad præceplum illud : *Calceamenta habebitis in pedibus,* reflectens, hanc instituit observationem [4] : « Pellis quæ aptatur in usum, non « nisi mortui animantis est. Oportet ergo nos ex « præcepto Dei prius mortificare concupiscentias « carnis, et sic accipere Corpus Christi ; » hæc autem concupiscentia per vivam vicinæ mortis memoriam reprimitur. Illud quoque miraculum multiplicationis panum, quod Redemptor noster in deserto juxta mare Tiberiadis paravit, illud præfiguravit miraculum, quod deinceps in cœnaculo Sionitico patrandum, et ad Ecclesiam in finem usque sæculorum transmittendum erat, de quo eximius quidam Cardinalis, qui antea prædicatoris Apostolici munere functus fuit, ita scribit [5] : « Factum est etiam « hoc ad, mysterii significationem de sacratissimo « Eucharistiæ mysterii pane in qua non novus panis « creatur, sed panis jam factus assumitur, qui di- « vina virtule in Christi substantiam seu corpus « convertitur. » De quo etiam Glossa, verba illa : *Ut autem impleti sunt,* considerans, inquit : « Non « esuriet, qui acceperit Christi cibum, » nam Ecclesia canit : « O sacrum convivium, in quo « mens impletur gratia, » de quo denique S. Paschasius ita arguit [1] : « Etenim hydria farinæ « sive panes crescunt, et non minuntur, dum « satiant ; quid putas caro Christi ? » Enim vero quod in hoc facto vel maxime proposito nostro deservit est præceptum a Christo Apostolis suis impositum, ut facerent turbas discumbere ad mensam illam, quæ Eucharistiæ figura erat : *Dixit ergo Jesus, facite homines discumbere.* At vero ubi nam in hoc deserto sedes, quinque milibus hominum sufficientes, inveniri poterant ? S. Joannes, qui huic miraculo præsens interfuit, providissime subjungit, dicens : *Erat autem fœnum multum in loco, et discubuerunt* ; sed quonam putas mysterio factum est, quod homines super fœnum discubuerint ? Dionysius Carthusianus ait [2] : « Sic locus mollior et aptior fuit ad « sedendum. » S. Marcus ait [3] : *Discubuerunt in partes per centenos, et quinquagenos.* Sed quodnam in hac distributione hominum latet mysterium ? Glossa supra S. Marcum ait : « Per quinquaginta jubilæi « requies, quinquagenarius autem bis ductus cen- « tum facit, et ideo utriusque quietis perfectionem « significat, scilicet corporis, et mentis ; qui enim « quiescit ab actibus pravis, requiem habet corporis, « qui autem a cogitationibus etiam perversis, re- « quiem habet mentis : » quod vero fœnum concernit, quo sedilium loco homines hosce uti voluit, per hoc mortalitatis nostræ consideratio denotatur, siquidem *omnis caro fœnum.* Porro S. Marcus fœnum hoc viride fuisse ait ; S. Joannes autem illud aridum fœnum fuisse dicit ; nec mirum, quia ipsissima herba, quæ mane virescit, vesperi exaruisse et fœnum facta esse conspicitur ; ac proinde non immerito vita nostra per fœnum significatur, utpote quæ veluti fœnum in unico momento languet, et deficit. Unde Eusebius Emissenus ait [4] : « Super fœnum turbas « discumbere facit, quatenus hoc cibo ille intelligat « se indignum, qui nondum super fœnum discum- « bit : quicumque igitur es, qui vis satiari de Pani- « bus Christi, discumbe prius super fœnum, seu « fœnum te esse cognosce. » S. Hieronymus pariter in Matthæum ita scribit [5] : « discumbere jubentur « super fœnum, et secundum alium Evangelistam, « supra terram, per quinquagenos aut centenos, ut « postquam calcaverint carnem suam, et omnes « flores illius, et sæculi voluptates, quasi arens « fœnum sibi subjecerint, tunc per quinquagena-

[1] MATT., XXII. — [2] ALB. MAG., s. 74 *in Dom. XX post Trin.* — [3] PROV., IX, 3. — [4] S. GAUD., tr. 2 *de mand. agni.* — [5] TOLET.

[1] S. PASCH., *de Corp. et Sang. Dom.* — [2] D. CARTH., *ib.* — [3] MARC., VI, 40. — [4] EUS. EMIS., h. *in hanc Dom.* — [5] S. HIER., *in Matt.*

« rii numeri pœnitentiam ad perfectum centesimi « numeri culmen ascendant. »

**6.** — S. Remigius a S. Thoma citatus, tres Marias erga corpus Christi obsequiosiores fuisse observat, quam discipuli illi, qui eum sepulturæ mandarunt, cujus hanc assignat rationem, quia discipuli post exhibitum corpori Christi mortuo sepulturæ obsequium, in proprias suas rediere domos; at vero postquam corpus Domini sepultum est, cæteris ad propria remeantibus, solæ mulieres, quæ eum arctius amaverant, perseveraverunt, et diligenti cura notaverunt locum, in quo corpus Domini poneretur, quatenus congruo tempore munus suæ devotionis ei offerrent. Ecce tibi, quantum ad hoc, ut quis in devotione erga corpus Christi effervescat, expediens sit, ut quis oculos in sepulchrum continuo defixos teneat; quæ proinde primæ esse meruerunt, quas Christus felici illo gloriosæ resurrectionis suæ nuntio dignatus fuit. Nescio equidem, an ad hoc vos aliquando reflexeritis, quod Elias, per tres annos continuos, prope torrentem Carith, mane, et vesperi, pane, et carnibus, per corvos allatis, pastus fuerit, in Sarepta vero per manus viduæ cujusdam alimenta acceperit, denique semel tantum Angelus cœlitus missus panem, et aquam ei reficiendo attulerit. Quorsum hæc spectat mutatio? et certe quando ab Angelo pascendus erat, quis non credidisset, hunc Angelum e paradisi lautissima mensa, delicatissima, et abundantia fercula allaturum fuisse? sed nihil horum ei allatum est; sed ecce solum *ad caput suum subcinericius panis* depositus fuit [1] et quidem hic panis non per corvos mittitur, quia sacramentum altaris figurabat: « Pa« nem Angelorum manducavit homo; ecce panis « Angelorum, factus cibus viatorum. » Verum enim vero, cur Angelus ille tunc et non antea ad ipsum missus fuit? legatis velim sacrum textum, et prophetam hunc numquam talem antea, qualem isto tempore, mortis timorem concepisse invenietis, utpote quam Jezabel illi comminata fuerat per ministros, ei dicentes: *Hæc mihi faciant dii et hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut unius ex illis*: *timuit ergo Elias*; per quod significatur, quod hoc sacramentum tunc præcipue animæ prosit, quando homo illud haud secus ac viaticum sumit, communionem illam, ultimam sibi futuram esse reputans, et ideo factum est, quod Elias cum mortis timore cibum hunc capiens, *ambularit in fortitudine cibi illus* XL *diebus et* XL *noctibus usque ad montem Dei Horeb*, in quo Deum videre meruit. Observanda quoque et alia est hujus historiæ circumstantia notabilis, nimirum, quod prima vice gustato pane, comedit et bibit et rursum obdormivit, non vero item secunda vice, quando Angelus Domini reversus est secundo et tetigit eum, dixitque illi: *Surge, comede, grandis enim tibi restat via*; tunc enim *cum surrexisset, comedit et bibit et ambulavit in fortitudine cibi illius, etc.*, ut per hoc intelligamus, quod longe major fructus ex communione percipiatur, quando illa per modum viatici sumitur a nobis, velut jamjam ad alteram vitam transituris, quam quando ex devotione vel bona consuetudine sumitur. Notandum quoque est, panem illum ab Angelo allatum, nequaquam usualem fuisse, sed subcinericium: *et ecce ad caput suum subcinericius panis*. Porro cineres, qui corporibus nostris putrefactis supersunt, vivam in nobis mortis memoriam suscitant; ac proinde quando cœlestis hic panis simul cum cogitationibus et meditationibus mortis a nobis sumitur, ad prosequendum vigorosum in divino servitio cursum vires augentur. David olim dicebat [2]: *Cinerem tamquam panem manducabam*, ac proinde *potum meum cum fletu miscebam*; quisquis enim panem hunc, velut viaticum, ad aliam vitam petendam sumit, in salutarem utique resolvetur planctum. De hoc proinde pane Eucharistico B. Laurentius Justinianus ita arguit [3]: si panis ille, qui Eucharistiæ solum typus fuit, tantum virium robur contulit, « quid panis Christi, « qui est panis vitæ, recte sumentibus spiritualis « fortitudinis conferre valebit? »

[1] III Reg., XIX, 6.

## DISCURSUS XXX.

### DE CONSCIENTIÆ EXAMINE ET INTERERIORI PURIFICATIONE, COMMUNIONI PRÆMITTENDA

Idea sermonis. — 1. Ut hoc sacramentum sit proficuum, requiritur conscientia a vitiis mundata. — 2. Anima prius sananda est, quam hoc cibo pascenda. — 3. Allusio ad aromata quibus corpus Christi conditum fuit. — 4. Sicut cibus corpori mortuo nihil prodest, sic nec S. Communio animæ mortuæ. — 5. Confessio præmittenda Communioni. — 6. Pura conscientia accedendum est ad hoc sacramentum. Quænam sit pura conscientia. Allusio syndonis mundæ, cui corpus Christi involutum fuit. — 7. Amphora aquæ, significat lacrymas compunctionis. — 8. Motiva de mundanda conscientia. Ad Christum in sacra communione accedendum tanquam ad judicem. — 9. Cur Christus in ultima Cœna mentionem fecerit proditionis et mortis suæ. — 10. Antequam panem cœlestem comedamus, gemere debemus et suspirare per compunctionem. Etiam venialia peccata eliminanda sunt ex conscientia.

*Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat.* I Cor., XI, 28.

**1.** — Postquam fideles in primis Ecclesiæ nascentis temporibus sacram communionem frequentare cœpissent, S. Paulus, upote Doctore gentium a Deo electus et in Cœlo empyreo edoctus, modum

[1] *Ps.* CI, 10. — [2] B. Laur. Just., *de casto connub.*

Christianis præscripsit, quo se dignos efficerent, qui ad mensam Eucharisticam cum fructu accedere possent; dicit igitur; *Probet autem seipsum homo etc.* Porro videri nonnemini posset, Apostolum satius facturum fuisse, si meliores illis doctrinas præscripsisset: siquidem Psalmista inquit [1]: *Gustate et videte, quam suavis est Dominus;* primo namque vult, ut per gustum, experimentum capiamus dulcedinum divinarum; ita pariter in præsenti, cœlestis hujus panis primo gustanda est suavitas, ut, quis sit ejus sapor, intelligamus. Talis equidem ordo servari debere videtur, ast neutiquam locum habet circa cibum hunc divinum, qui ut fructuose sumatur, stomachus purus, id est conscientia nostra a malis vitiorum et inordinatorum affectuum humoribus immunis sit oportet. Si quis cibum sumpserit in magna quantitate et substantia, nocumentum potius, quam vigorem et subsidium sibi conciliabit, si stomachum infectum habuerit; ita quoque anima male affecta, ad culpam proclivis, bile et rancore plena, id est, passionibus inordinatis, redudans si ad cibum hunc accesserit, pro restauratione damnum et gravamen consequetur. Unde S. Chrysostomus inquit [2]: « Ita est iste spiritualis « cibus, si aliquem repererit malignitate pollutum, « magis eum perdet, non sua natura, sed accipien- « tis vitio. » Si quis cibum digerere non possit, purgationibus et medicamentis se subjicit, ut perniciosos eliminet humores; ita quoque animam ad cœlestem hunc panem sumendum accedere jubet Apostolus, dicens : *Probet autem etc.* id est bonam præmittat confessionem et rigorosum examen

**2.** — S. Lucas miraculum enarraturus, quod Salvator operatus est multiplicationis panum in deserto, ubi, ut in Discursu præcedenti diximus, Eucharistia præfigurata fuit, hæc præmittit verba, dicens [3], *eos, qui cura indigebant, sanabat.* Circa quæ verba S, Ambrosius hanc format glossam [4], « si, « qui corporalis gerunt ulcera passionis, his medici- « nam suam libenter indulget : itaque nemo cibum « accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus. » Quem discursum ex illa Cœnæ parabola, in qua claudi et cæci pristinam membrorum integritatem recepisse leguntur, confirmat, dicens : « Illi, qui vocantur « ad Cœnam, prius vocando sanantur. Ubique igitur « mysterii ordo servetur, ut prius per remissionem « peccatorum vulneribus medicina tribuatur, pos- « tea alimonia mensæ cœlestis exuberet. » Quod argumentum S. Thomas solidius confirmat, dum panem, cujus substantia in Christi corpus transubstantiatur, considerat, ex farina et aqua compositum et igne coctum esse; unde sequentem ad intentum nostrum deducit moralitem, dicens [5] : « Commixta est « farina ad invicem, per aquam et ignem decocta « et in panem solidata. Sic peccator, qui dignus « erit corpus Christi sumere, debet semper tria, quæ « in his signantur præparare, scilicet per cordis con- « tritionem, per oris confessionem et per proximi « dilectionem. » Farina quæ per molam teritur, contritionem designat; aqua compunctionem et planctum, lachrysnosæ confessionis effectum; ignis, dilectionem Dei et proximi.

**3.** — Nostisne, quibus aromatibus Christi corpus devoti et ferventes illi condierint discipuli [1]? aloe et myrrha, utraque herba amarissima, gustuique summe amara; nihilominus aromatum horum condimentum et fragrantia summe placuit illi corpori, quia scilicet unice sibi complacet in illis, qui ipsum honorant, eoluntque amaritudine pœnitentiæ, mortificationis et austeritatum. Unde Salmeron inquit : « Debent adesse quasi centum libræ myrrhæ et « aloes, id est perfecta ab omni putredine peccati « incorruptio et firma volontas vitandorum delicto- « rum in futurum. » Porro Hugo Cardinalis illa S. Lucæ verba considerat, quibus dictus Evangelista devotas tres Marias extollit, dicens : *Una autem Sabbati valde diluculo veniunt ad monumentum, portantes,* subnectit Hugo Cardinalis [2], « quæ paraverunt aro- « mata. Mystice per monumentum significatur hoc « corpus dominicum, ad quod nemo accedere debet, « nisi una Sabbati, id est, habens pacem pectoris « et valde diluculo, id est, discussis tenebris vitio- « rum et per lucem pœnitentiæ fugatis; portans « aromata, id est, bona opera et bonam famam; » verumtamen ne quis ignorantiam prætendere possit, sequentem bene operandi et pœnitendi methodum præscribit, dicens : « *Probet autem se ipsum* « *homo*; id est, judicet et discutiat, inque judicii « examen adveniat, intellectus judicis munere fun- « guntur, voluntas sit reus, memoria notarii vices « expleat, conscientia accusatoris, timor carnificis.» Unde non immerito Ecclesia sacerdotem missæ sacrificium ab his exordiri voluit verbis [3] : *judica me Deus et discerne causam meam.* S. autem Augustinus illa sacerdotis, missam inchoaturi (*introibo ad altare Dei*) verba perpendens, ita ad intentum nostrum resolvit [4] : « Ad illud altare ille solus accedit; qui « ad istud securus accedit; illic inveniet vitam « suam qui in isto discernit causam suam. »

**4.** — Aliam pariter efficacem rationem Salmeron adducit [5], qua necessitatem evincat sanitatis in quocumque stomacho, Cœlestem hunc panem participare volenti; ait namque, hunc quidem verum esse vitæ panem, juxta illa Christi verba : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* : ast sicut nullus omnino cibus, quantumcumque substantiæ, et saporis contineat, ullum in corpore mortuo effectum operatur; ita nec panis ille suos in nobis producit fructus, si mortui, id est, in disgratia et inimicitia Dei fuerimus, siquidem sacramentum hoc institutum est

[1] *Ps.* LIII, 19. — [2] CHRYS., *de prod. Jud.* — [3] LUC., IX, 12. — [4] S. AMBR., l. VI *in Luc.* — [5] S. THOM., op. 58.

[1] JOAN., XIX, 29. — [2] HUG. CARD., *in Luc.* — [3] *Psal.* XLII, 1. — [4] S. AUG., *ib.* — [5] SALM., t. IX, tr. 39.

ut vitam nutriat spiritualem; « nihil autem nutritur, « nisi vivum (subjungit dictus auctor) ergo opus est « ut quis spiritualiter vivat, ut cum fructu accedat « ad sacramentum. » Ad quod confirmandum, illam adducit S. Jacobi Apostoli exhortationem [1]; ita fideles adhortantis : *Propter quod abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ.* Moxque finem assignat, cur stomachum a malis humoribus, bile et pituita liberari velit, scilicet ut panem hunc cœlestem cum fructu percipiant; ideo namque immediate subnectit, dicens : *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Per quod verbum accommode illud intelligere possumus, cujus in hæc verba S. meminit Joannes Evangelista [2]: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Neque enim significantius effectus exprimi potuisset, quem in nobis, digne hunc panem sumentibus, Verbum operatur incarnatum.

**5.** — Arbor, cui ramus insertus est, suam participat communicatque naturam, et proprietatem arbori insertæ; eumdem quoque effectum anima digne communicans ex corpore consequitur Christi, ipso attestante [3]: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Quem qui effectum in se experiri desiderat, consilio obtemperet Sapientis, dum ait [4] : *Quando sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, et statue cultrum in gutture tuo.* Quamnam hanc esse putatis potentis viri mensam? Hugo Cardin. hanc astruit esse Eucharistiam; sed quis demum culter erit nostris infigendus faucibus? respondet Hugo Cardinalis : « Statue cultrum « pœnitudinis, quo juguletur vetus homo in « gutture tuo, confitendo peccata. » Vix panis ille de cœlo descenderat, quando Bethlehem Judæ sibi designavit in hospitium, dicente Evangelista : *In Bethlehem Judæ.* Porro Bethlehem *domum panis* significare nemo nescit; ecce itaque vobis sublime mysterium : Bethlehem unitur Judæ, quæ tribus illius una civitatum erat; quia nimirum intimam connexionem, et unionem habent, panis ille et confessio sacramentalis; Juda autem *confessio* interpretatur. Quapropter S. Bernardus hoc nobis salutare tradit monitum, dicens [5] : « Considera, quod in « Bethlehem Judæ nascitur; et sollicitus, quomodo « Bethlehem Judæ inveniaris, et jam non in te su- « scipi dedignetur; Bethlehem quippe domum pa- « nis, Juda sonat confessionem. » Qui idem S. Doctor paulo post idem in hæc verba prosequitur argumentum : « Dignus susceptione dominica, si « tamen confessio non defuerit; sit proinde Judæ « sanctificatio tua, confessionem et decorem in- « duere. » Unde et S. Prosper de sacrosancto altari agens, inquit [6] : « ad altare Dei invisibile, quo non « accedit injustus, ille pervenit, qui ad hoc præsens « justificatus accedit. »

**6.** — S. proinde Augustinus in eorum confusionem, qui ad communionem accessuri, suam negligunt prævie purificare conscientiam, suum Hipponensem populum, cui Episcopus præerat, in sermone quodam ita legitur exhortatus fuisse [1] : « Hoc « dico, quod vos frequenter facere aspicio. Omnes « viri, quando communicare desiderant, lavant ma- « nus suas, et omnes mulieres nitida exhibent lin- « teamina, ubi corpus Christi excipiant. » Quibus in verbis sanctus præsul ad antiquum alludit morem, qui penes Christianos vigebat, quod scilicet Eucharistiam ad ædes proprias deferre solerent; qui postmodum usus propter diversos esse desiit abusus. His itaque præmissis, ita deinceps ad nostrum discurrit propositum : « Non est grave, quod « dico fratres; quomodo viri aqua lavant manus « suas, sic eleemosynis lavent conscientias suas : « similiter et mulieres, quomodo nitidum exhibent « linteolum, ubi corpus Christi accipiant, sic cor- « pus castum, et cor mundum exhibeant, ut cum « bona conscientia, Christi sacramenta accipiant. » Nescio, an verus ille serpentis sit instinctus, ut ad fontem accedens bibiturus, venenum ante deponat, quemadmodum his nobis moraliter verbis hujusmodi prudentiam serpentinam inculcare nititur S. Bernardus [2]? « Rogo, ut audias prudentiam serpentis; « serpens enim cum cœperit ire ad bibendum, an- « tequam veniat ad fontem, evomit omne vene- « num; imitare ergo et tu charissime hunc ser- « pentem in hac parte, ut, antequam venias ad « fontem, id est, communionem corporis et san- « guinis Domini nostri Jesu Christi, evomas omne « venenum, scilicet odium, iram, malitiam, invidiam « voluntatem malam, et noxias cogitationes ex « corde tuo. » Pura itaque et immaculata exigitur in communicante conscentia : « Quæ autem sit pura « conscientia, ait S. Bernardinus [3], quæ requiritur « ad hujus sacramenti susceptionem, declarat Hugo « de S. Victore, dicens : Pura conscientia est, quæ « non habet de præterito justam accusationem, de « præsenti injustam delectationem, de futuro in- « justam voluntatem. » In cujus confirmationem, syndonis mundæ et politæ, quam Joseph ab Arimathia in corporis Christi obsequium comparavit, ejusdemque novi monumenti in saxo excisi, in quo nullus adhuc sepultus fuerat, mentionem subdit, auctoritati glossæ insistens, dicentis : « In syndone munda « Jesum involvit, qui pura mente eum suscipit; » pergit ulterius dicendo, hinc derivatum fuisse laudabilem illum, Eucharistiam super lino, non vero super serico aut lana consecrandi usum : indeque quoad conscientiæ nostræ purificationem, sequentem eruit moralitatem, dicens : « In tribus, quæ produ-

[1] Jac., I, 21. — [2] Joan., I, 14. — [3] Joann., VI, 52. — Prov., XXIII, 1. — [5] S. Bernard., s. 1 *in vig. nat.* — [6] S. Prosp., l. *Sent.*

[1] S. Aug., s. 252 *de Temp.* — [2] S. Bern., *de modo bene viv.* — [3] L Bern. Sen., t. II, s. 57.

« cunt linteum corporale candidum, tria intelli-
« guntur, quæ faciunt ad nostram munditiam
« spiritualem; primo lavatur; secundo torquetur,
« tertio desiccatur; sic qui vult ad Dominum diligen-
« ter suscipiendum mundificari, primo debet per
« aquam lachrymarum lavari; secundo per opera
« pœnitentiæ debet torqueri; tertio, qui sumere
« debet hoc sacramentum, necesse est ei per fer-
« vorem divini amoris, a carnalium desideriorum
« amore desiccari. »

**7.** — Abituri duo Apostoli, ut cœnaculum præpararent, vas aquæ offensuri erant in via, quemadmodum ipsis cœlestis Magister prophetizaverat, dicens : *Occurret vobis homo, amphoram aquæ portans, sequimini eum.* Cujus successus mysterium, his verbis Albertus Magnus nostro accommodat proposito[1]; « amphora aquæ expiationis, est conscientiæ mun-
« datio per lachrymas devotionis et compunctionis,
« ut expiatus, et mundatus accedat, qui accedit; »
juxta illum Jeremiæ textum[2] : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Quæ verba idem auctor examini conscientiæ, in ordine ad communionem præmittendo, applicat, dicens : « Hæc enim
« est collatio optima conscientiæ, qua omne pretio-
« sum a vili peccati, et vanitatis separatur, ut purum
« et syncerum hoc nutrimentum his membris spiri-
« tualibus infundatur. »

**8.** — Porro efficacissimum motivum, nos inducens ad diligentissimum conscientiæ nostræ instituendum examen et extirpandum, quidquid tanto displicere potest hospiti, ab amore ejusdem, et timore desumitur, cum quo accedere debemus, dum se nobis ad salutem nostram communicat Judex noster. Ideoque S. Bonaventura his merito verbis nos percellere satagit[3]: « Quomodo tu ad illam
« mensam, ad præsentiam Christi, ad tactum Dei
« Filii intrepidus audes accedere, quem Joannes
« Baptista tangere contremiscit? Petrus Apostolo-
« rum princeps a se præ formidine repulit, dicens :
« *Exi a me Domine, quia homo peccator sum*? cogita,
« quod iste, quem tu sumis, erit Judex tuus. » Notandum autem Apostolum, eodem tempore et loco, quando nos ad cœlestem hunc panem verbis illis invitat[4]: *Probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat*; nos pariter ad rigorosum extimulare examen et Christum nobis in hoc sacramento tamquam Judicem oculis nostris proponere, dum ait : *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Voluit namque Apostolus, per hanc Judicis mentionem, nobis communicantibus sanctum quemdam imprimere timorem judicii particularis animæ nostræ; quasi ita præparati ad mensam hanc accedere deberemus, veluti si Judicem nos judicaturum et non Salvatorem nos nutriturum excepturi essemus[1] : « Honor Regis, » inquit S. Bernardinus,
« judicium diligit, videlicet in sumptione corporis
« ejus, discutienda est enim conscientia, quasi ho-
« mo ex hoc mundo sit transiturus ad Patrem. »
Profecto si Principem vestrum ad ædes vestras admissuri essetis, summa utique cum sollicitudine procul inde eliminaretis, quidquid ei displicere possit et offendere, maxime si vos puniendi potestate pollet. Quam civilem vivendi methodum considerans S. Bernardinus, se continere nequit, quin exclamet : « O si expectares in domo tua cujusdam
« magni domini temporalis adventum, quanta so-
« lertia, quanta munditia, quantaque diligentia
« disponeres domum tuam? quanto magis præpa-
« randum est conscientiæ hospitium Regi cœlorum
« et Domino Angelorum. »

**9.** — Dubium alias moveri audieritis, cur incarnata Sapientia ultimæ Cœnæ convivio, solatii et jubili tempore, traditionem commemorarit in mortem, contra se ab uno discipulorum consummandam : quæ ratio suadere poterat, ut mensam illam tanta perfunderet tristitia? poterat ad minus manifestare, Deum paucis post horis publicandum : Cur itaque omnes potius timidos, suspensosque tenere voluit? Sanguinem divinum pro triginta denariis vendiderat pontificibus et Judaismi magistratibus, scelus jam publicum erat. Resolutionem a D. Chrysostomo excipite verbis sequentibus[2] : « Ascendit Christus propriæ Deitatis tribunal et
« illud convivium velut catastam ante se cons-
« tituens, conscientiæ tormento confiteri com-
« pulit reum; » Christus enim scelus hoc absque ulla ejus, qui illud patraturus erat, specifica nominatione prædicendo, omnibus aliis occasionem præbuit, seriæ et rigorosæ quæstioni et examini suam subjiciendi conscientiam; dicendique[3]: *Numquid ego sum Domine,* ut hoc examine prævio ad Eucharistiam recipiendam tanto magis essent dispositi; quia ut Psalmista ait[4] : *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.*

**10.** — Huc quoque spectat illud Jobi lamentum, dicentis[5] : *antequam comedam suspiro*; quid enim prophetam hisce verbis insinuare voluisse exitimatis? num forte manducandi nausea laborabat? aut vero timebat, ne manducando aliquis in cor ejus subintraret intemperantiæ nævus? Nequaquam, sed ad propositum nostrum dicere possumus, prophetam hisce verbis insinuare voluisse, justum et æquum, imo necessarium esse, ut, priusquam quævis anima divinum hunc panem degustet, prius in semetipsa suspiret, gemat, verosque contritionis et doloris excitet actus; de hac enim messe in qua *frumentum* hoc *electorum* metitur et reponitur, regius Vates dicit[6] : *Euntes ibant et flebant, mittentes*

[1] Alb. Magn., *de Euch.*, dist. 3. — [2] Jerem., xv, 19. — [3] S. Bon., t. VII *in Fasc.* — [4] I Cor., xi, 28.

[1] S. Bern., t. I s. 56. — [2] D. Chrys., h. 2 *de Pass.* [3] Matth., xxvi, 22.— [4] *Ps.* lxxxviii, 15. — [5] Job, iii, 24. — [6] *Ps.* cxxv, 6.

*semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*; unde S. Bonaventura illos, qui ad celebrandum se præparant, salubriter his verbis monet : « Proba, » inquit[1], « te ipsum, ex « quanta charitate et quo fervore accedis, non so- « lum enim lethalia vitanda sunt, sed etiam venialia « quæ per inconsiderationem et per distractionem « dissolutæ vitæ et malæ consuetudinis, licet non « occidant animam, tamen reddunt hominem tepi- « dum, gravem et obnubilatum et indispositum et « ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulveres et « stipulæ venialium per afflatum Spiritus flamma « charitatis ventilentur et consumentur exardes- « cente igne cordis. » Quæ eadem verba etiam illis, qui communicaturi sunt, facili negotio applicari possunt.

## DISCURSUS XXXI.

VARIÆ ADDUCUNTUR CIRCA SANCTITATEM ET CANDOREM CORPORIS CHRISTI, CONSIDERATIONES, QUI INNOCENTIAM ET CONVENIENTEM IN RECIPIENTIBUS EXIGIT PRÆPARATIONEM.

IDEA SERMONIS. — 1. Levitæ portaturi vasa Domini, prius mundandi erant. Multo magis communicaturi. — 2. Magna sollicitudine præparare nos debemus ad S. Communionem docent duæ similitudines. Apostoli jumentum in quo Christus sedit, primo solverunt, deinde adornarunt antequam illum imponerent. — 3. Manus Christi semper sanctæ, sanctiores tamen fuerunt, cum corpus suum in illis tenens Apostolos communicavit. Beata Virgo Christum natum purissimis panniculis involvit. — 4. In S. Communione desponsamur cum Christo. Cur Christus seipsum communicaverit. Communicans cogitet ac si Christus eadem die primum homo fieret. — 5. Joseph figura fuit Christi, fratres ejus pedes lavarunt antequam comederent. — 6. Munda conscientia corpus Christi tangendum est. — 7. Quid significat quod Seraphim carbonem ex Altari non manu, sed forcipe tulerit. Invectiva contra indigne communicantes. Cum quanta præparatione accedendum sit ad S. Commun.

*Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Isa., LII, 11.

**1.** — Spiritus sanctus olim per os Prophetæ Evangelici hoc promulgavit edictum : *Mundamini, qui fertis vasa Domini*; tametsi enim Levitæ, aliique divini cultus Ministri, aliud non tractarint, præterquam vasa materialia, argentea, aurea, vel ex alio ignobiliori metallo confecta, illos tamen Deus puros et mundos esse voluit; unde clare deducitur, qualis in iis mundities et puritas requiratur, qui sanctum sanctorum recipiunt, illum inquam, qui dicitur [2] *candor lucis æternæ*; et de quo Albertus Magnus in hæc verba meditatur [3] : « Omnia, quæ in ipso sunt, corpus, anima et Deitas « esse noscuntur; corpus ex purissimis est sangui- « nibus gloriosæ Virginis, qui ex Spiritus sancti « gratia sunt mundati, numquam ulla originalis, « vel actualis peccati macula infecti. Anima autem « a Deo Patre et Filio, et Spiritu sancto, ad imagi- « nem Dei perfectissime creata de novo et Deitas « æterna, in cujus munditiem, nihil unquam im- « mundum potuit incurrere. » Custodia porro, in quam hoc Sacramentum imponitur, ex argento, Deo sacro, fieri solet; insuper abstergitur, mundatur et in veneratione habetur, eo quod Cœlestis hic panis in ea positus fuerit; quis autem adeo est rudis, qui non intelligat, animam nostram huic sanctissimo corpori proximius et intimius deservire, quam vasa aurea et argentea, siquidem illud animæ invisceratur et proxime unitur, juxta illud Christi : *In me manet et ego in eo* [4] unde sic arguo, si vasa aurea ex prædicto motivo expoliuntur, mundantur et in veneratione habentur, justissimum utique erit, ut pectus et cor nostrum multo magis mundum sit, in eoque aurum amoris Dei et sanctitatis resplendeat; hoc enim si negligatur [1], *de corde exeunt cogitationes malæ, furta et adulteria, etc.*

**2.** — S. Cyrillus Hierosolymitanus communicantes hoc sacramento, Christo *concorporeos* appellat [2]: Enimvero si quispiam nostrum indubitatam haberet revelationem, quod Filius Dei, qui ad æterni Patris sui dexteram considet; de cœlo empyreo descendere, atque per unius dumtaxat horæ spatium in domo nostra morari vellet, quantum unusquisque nostrum illi expoliendæ, scopandæ et adornandæ studeret? quanta cum sollicitudine et se reconciliare et peccata sua confiteri satageret, ut se tanto hospiti acceptum efficeret? S. Bonaventura hac de re sic meditatur : si aliquis nostrum ampullam quamdam sanguine, quem Redemptor noster in Calvario monte stillavit, plenam in donum accepisset, quanta cum devotione et honore eamdem ex collo suspensam portaturus esset? et tamen indubitatus est fidei articulus, quod in communione *portamus Deum in corpore nostro* [3]; consequens igitur est, ut conemur verificare verba antecedentia, scilicet : *glorificate Deum*. S. Bernardus, postquam hoc S. Pauli consilium in sermone quodam ponderasset, subjungit, dicens [4] : « Quis non « illi jumento plurimum inviderit, cujus in humili « tergo, ad commendationem ineffabilis suæ man- « suetudinis dignatus est sedere Salvator, si cum « illius tam pretiosi oneris gestatione, indulgen- « tiam quoque tam singularis habuisset oneris. » Et tamen nos haud secus, ac si stolida jumenta essemus, parum nos reflectimus ad tam excessivum honorem, quo Deus nos dignatus est afficere, siquidem non solum hanc prærogativam habemus,

[1] S. BON., t. VII *de præp. ad miss.* — [2] SAP., VII, 26. — [3] ALB. MAG., *de Euch.*

[1] MATT., XV, 18. — [2] S. CYR. JER., *Cat.* — [3] I COR., VI, 20. — [4] S. BERN., s. 7 sup. *Ps. Qui habitat.*

ut Christus in nobis habitet, verum etiam ut illi uniamur et quasi incorporemur. In decursu XXXIII annorum, quibus Incarnata Sapientia varia per Judæam et Galilæam instituit itinera, non constat ex Evangelistarum relatione, quod Redemptor noster unquam, præterquam in hac occasione triumphi sui, equo vel asino insederit et tamen observetis velim, quantam Apostoli ad jumentum digne præparandum adhibuerint curam et industriam; etenim S. Matthæus ait [1] : *Adduxerunt asinam et pullum et imposuerunt super eos vestimenta sua*, imo S. Marcus adjungit [2], quod adduxerint *pullum, super quem nemo adhuc hominum sedit*, quod idem S. quoque Lucas confirmat [3]. Christus asinam sibi adduci volens, discipulis ait : *Solvite et adducite mihi*; quia vero asina hæc animam in peccato constitutam præfigurabat, ideo Glossa Interlinearis sensum illorum Christi verborum fuisse dicit : « Solvite a peccatis. » Origenes pariter in glossa ordinaria ait [4] : « Ascendens in cœlum jussit discipulis, ut solverent peccatores, dans eis Spiritum « Sanctum; » homo enim in peccato constitutus, jumento similis existit, juxta illud [5] : *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis*; ac proinde jumentum hoc, priusquam illi insideret, prius solvi, ac demum vestibus Apostolicis exornari voluit; quanto igitur magis hoc ornamentum et a vitiis absolutio in anima requiretur illius, cui incorporari per communionem debet.

**3.** — Redemptor noster vix pretium redemptionis nostræ in collibystica crucis mensa exolverat, cum ecce ex aperto latere aquam fudit et sanguinem; ut quemadmodum S. Augustinus ait : *Ecclesiam sacramentis locupletaret*; similiter mox ut a mortuis resurrexit, sciens, quanti referat, corpus suum, paulo ante in Eucharistia nobis relictum, digne recipere, verissimumque esse intelligens, quod *nemo mundus sit a sorde*, indilate Apostolos delegatos suos constituit, dando illis potestatem jumenta solvendi, hoc est, absolvendi a culpis peccatores; id quod fecit, dum [6] *insufflavit in eos, dicens : accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Porro in sacro canone Missæ, immediate ante verba consecrationis, hæc verba dicuntur : *Accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas*; quæ verba imperitus aliquis sacerdos legens, dubitare facile posset, quænam sit, manus Christi, tanquam sanctas, ac venerabiles, deprædicandi necessitas? quis enim Christum ipsissimam sanctitatem et consequenter omni veneratione et reverentia dignissimum esse nescit? huic igitur respondeo, quod licet Christi manus sanctissimæ semper et venerabiles extiterint, attamen quando sacratissimum corpus suum tunc consecratum tetigerunt, magis sanctæ et venerandæ evaserunt; ad hæc Ecclesia in hisce verbis dignum quemdam venerationis et sanctificationis necessariæ conceptum insinuare vult illis, qui sanctissimum hunc panem non solum tangunt, sed etiam sibi inviscerant. Quando B. Virgo corpus Christi etiamnum infantile in stabulo Bethlehemitico in lucem edidit, mox *pannis eum involvit*; dicit autem Salmeron [1] : « Ne quis cogitet, laceros, aut vetustate detritos « pannos hos fuisse; » in cujus confirmationem servit, quod S. Birgittæ revelatum fuit [2], quod Beata Virgo, quando hora partus sui appropinquavit, « duos panniculos lineos et duos laneos mun- « dissimos, et subtiles extraxerit, quos secum por- « tabat ad involvendum nasciturum infantem. » Igitur Beata Virgo in tanta paupertate, licet Filius ejus in stabulo nasceretur, sollicita tamen fuit, ut tenerum ejus corpusculum duobus pannis, lineo et laneo, et utrisque mundissimis involveretur, cujus ratio esse potest, quia corpus Christi in præsepe Bethlehemitico jacens, panem hunc præfiguravit Eucharisticum, quia *Bethlehem* idem significat, quod *domus panis*; atque ideo sanctissima Mater ejus sollicita curavit omnem possibilem; circa corpus filii sui, munditiem et puritatem. Unde S. Dionysius Areopagita salubriter nos monet, dicens [3] : « Oportet nos, si ad communionem ejus aspiramus, di- « vinissimam ejus in carne vitam contemplari, « atque sanctam ipsius impeccantiam imitando, ad « Deiformum et immaculatum statum contendere. « Hac namque ratione, prout nobis congruit, simi- « litudinem suam communicabit. »

**4.** — Consideratione dignissima sunt illa S. Pauli verba, quibus Ephesios monet, dicens [4] : *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Enim vero Christus per viam hujus sacramenti, veræ Ecclesiæ desponsatur; unde Theodoretus super illa Canticorum verba : *In die desponsationis illius*, inquit : « Nuptiarum « communio facta est, nam post Cœnam accipiens « panem, etc. » In hoc autem sponsalitio fidelibus suis corpus dono dedit, dum ait, *accipite et manducate, hoc est corpus meum*; e contra vero in hoc contractu innocentiam, puritatem, candorem vitæ, ac morum a nobis requirit; ideo *se ipsum tradidit pro ea* (id est, pro Ecclesia, in qua nos Christiani sumus) *ut ipsam sanctificaret*, etc. Ad hoc alludit S. Paschasius, quando de sanctitate, quacum ad hasce nuptias accedere debemus, disserens, inquit [5] : « Tali esca et potu refecti, sine macula et

[1] MATT., XXI, 7. — [2] MARC., XI, 2. — [3] LUC., XIX, 29. — [4] ORIGEN., *in Gloss.* — [5] *Ps.* XLVIII, 13. — [6] JOANN., XX, 22.

[1] SALM., t. III, tr. 33. — [2] S. BRIG., l. VII *Revelat.* — [3] S. DION. AREOP., *de Eccl. Hier.* — [4] EPHES., V, 25. — [5] S. PASC., *de Corp. et Sang. Dom.*

« ruga inveniamur. » Dic mihi, si nosti, quid Salvatori nostro opus erat, ut post consecratas species sacramentales, semetipsum quoque iisdem communicaret? siquidem majoris augmenti gratiæ et consequenter fructus hujus sacramenti capax non erat : respondet S. Antoninus [1], id Christum fecisse, « non quod egeret, vel ut novum effectum « ex eo susciperet, sed ut exemplum illud acci- « piendi nobis præberet. » Christus enim hoc sacramentum sumens, illa Canticorum verba dicere poterat [2]: *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo, comedite amici et bibite.* Et quidem licet verissimum sit, quod nos S. Bonaventura his verbis monet [3] : « Cogita, quod licet mille « millibus annorum te ad hoc sacramentum per « puras orationes sacratissimasque præparationes « præparaveris, nihil esset ad condignam suscep- « tionem, etiamsi haberes merita omnium sancto- « rum; » ob hoc tamen intermittere non debemus, quin, quantum ad nos spectat et quantum fragilitas nostra facere prævalet, puritatem Christi imitemur, maxime cum ipse data opera eo fine semetipsum Eucharistiæ cibaverit, ut nobis ad illam digne sumendam suo nobis exemplo præiret. Porro Thomas a Kempis de hoc sacramento devotissime more suo loquitur, dum ait [4] : « Ita magnum, novum « et jucundum tibi videri debet, cum celebras, aut « missam audis (adde etiam cum communicas) ac « si eodem die Christus in uterum virginis primum « descendens, homo factus esset, aut in cruce pen- « dens pro salute hominum pateretur et moreretur.» Enim vero si hoc sacramentum in unico dumtaxat totius Christianismi loco, quantumvis multis milliaribus milliarium millibus dissito, reperiretur et Christus semel tantum in anno ad dandam generi humano vitam, aperiendumque hominibus paradisum, de cœlo in hostiam illam descenderet, quanta cum aviditate, quantaque cum præparatione et reverentia quilibet nostrum per varias viarum molestias et anfractus, sumptuumque dispendia eo accurreret? nunc vero quia hujus sacratissimæ hostiæ, quovis in loco et tempore, copiam habemus, debitum illi respectum et reverentiam deferre negligimus. Idem quoque devotissimus præcitatus Auctor meditatur, dicens [5] : « Si hoc sanctissi- « mum sacramentum in uno tantum celebraretur « loco et ab uno tantum consecraretur sacerdote in « universo mundo, quanto putas desiderio ad illum « locum, et ad talem Dei sacerdotem homines affi- « cerentur, ut diurna mysteria celebrari viderent? »

**5.** — S. Bonaventura in sermone quodam de ultima Cœna, textum illum Geneseos adducit, in quo Joseph fratribus suis convivium instruxisse dicitur, scilicet [6] : *Introductis domum, attulit aquam et laverunt pedes suos, illi vero parabant munera, donec ingrederetur Joseph, audierant enim, quod ibi comesturi essent panem.* Ubi spiritualiter per Joseph, Christum intelligendum esse dicit tum quia et ipse venditus fuit, tum propter sanguinolentam ejus vestem : « Joseph, » inquit [1], « Christum significat, « propter venditionem; et propter tunicæ exutæ « sanguinolentiam; Christi enim tunica, est caro « ejus sanguine perfusa; panis, quem cum Joseph « manducamus, Corpus Christi est quod sumimus, « quem his suis discipulis dedit. » Observandum vero est, quod, priusquam mensæ accumberent, pedes suos lavare debuerint, de quibus Doctor Seraphicus spiritualiter loquens, ait : « Pedes affec- « tuum lacrymosa compunctione lava, munera ora- « tionum, eleemosynarum et bonorum operum « para, sicut de Cassio Episcopo Varcensi scribitur « in homiliis; cuncta quæ habebat, in eleemosynis « distribuens, cum ad horam offerendi sacrificii « venisset, velut totus in lacrymas defluens, semet- « ipsum cum magna cordis contritione mactabat. »

**6.** — S. Augustinus illos, qui sine debita conscientiæ suæ emendatione ad communionem accedunt, his verbis alloquitur [2] : « Rogo vos fratres, » inquit, « numquid est aliquis, qui in arca sordibus « plena velit mittere vestem suam? et si in arcam « sordibus plenam vestis non mittitur pretiosa, « qua fronte in anima, quæ peccatorum sordibus « inquinatur, Christi Eucharistia suscipitur? » Similem fere considerationem Divus Chrysostomus his verbis adducit [3] : « Si quis regem non temere, nec « inconsiderate exceperit, quid dico regem? ne « vestem quidem regiam temere et inconsiderate « immundis manibus contrectaverit quisquam, « etiamsi sit in solitudine, etiamsi nemo adsit, « atque nihil est aliud vestis, quam stamen ver- « mium. Sin autem tincturam admiraris, ipsa quo- « que est sanguis piscis, morte affecti; sed tamen « nemo eam voluerit, aususque fuerit immundis « contrectare manibus. Si autem vestem hominis, « ne ausus fuerit quisquam solum tangere, quo- « modo Dei Corpus, qui est super omnia, propter « quod fractæ sunt portæ inferorum et aperti for- « nices cœli, propter quod sumus et vivimus, acci- « piemus cum probro et contumelia? »

**7.** — Deus olim se Ezechieli nubi cuidam involutum ostendit, ad eum fere modum, quo postea hisce nostris temporibus sub accidentium sacramentalium nube latet; dicit autem sacer textus de Angelis ibidem [4], *et manus hominis sub pennis eorum*; ubi Theodoretus legit : *manus sub alis erant absconditæ*; at vero quodnam in eo reconditum est mysterium, quod Angeli illi manus sub alis occultarint? nimirum quia indignos se æstimabant, qui Deum tangerent; unde fit, quod Seraphini apud

[1] S. Ant., I p., c. 6. — [2] Cant., v, 1. — [3] S. Bonav., t. VII *in Fasc.* — [4] Thom. a Kemp., l. IV, c. 2. — [5] Id., l. IV, c. 1. — [6] Gen., xliii, 24.

[1] S. Bon., s. 1 *in Cœn. Dom.* — [2] S. Aug., s. 252 *de Temp.* — [3] Chrys., h. 24 *in I ad Cor.* — [4] Ezec., i, 18.

Isaiam, carbonem quemdam ex Divino Altari tollere volentes, eosdem non suis manibus immediate attrectarint, sed ad illum tollendum forcipe usi fuerint, non obstante, quod Seraphini essent et mero igne Seraphico conflagrarent, illum tamen ignitum carbonem præ reverentia attingere non præsumpserunt, quia Deus [1] *ignis consumens est*, quem carbo ille significabat. Idem vero ignitus carbo, ex mente Petri Cellensis, Eucharistiæ figura erat; unde idem venerabilis Pater inquit [2] : « Manum subtrahat Se-« raphin, quia munus hujusmodi manum aliam « non admittit, quam solius dexteræ Dei. » Sacerdos quidem hunc carbonem tractat, consecrat, et consumit, sed non aliter, quam prout Christum repræsentat. In annalibus Ecclesiasticis [3] mentio fit sancti Anastasii Synaitæ, episcopi Antiocheni, celebris scriptoris Ecclesiastici; hic ab Achille Statio in latinum translatus et Gregorio XIII præsentatus, in oratione de sacra synaxi, multa de sacra communione dicit, observatione dignissima; inter alia vero adversus illos, qui ad sacram mensam sine debita præparatione accedunt, exclamat, dicens: Ergone nos rapinis et sceleribus pleni, lotis diligenter in aqua manibus, impuri cæteroquin et sordidi quoad animam, os nostrum sanctissimo corpori et sanguini divino, olim pro salute mundi copiose effuso, admovere audemus? Thomas a Kempis considerat [4], qualiter Salomon maximam præmiserit præparationem, ut templum Jerosolymitanum per septem annorum decursum erigeret, tot argenti et auri thesauros in illud impendendo. Item qualiter ejusdem templi jam erecti dedicationem per octo dies continuo festive celebraverit, millenas in eo victimas sacrificando, ac tandem in loco in eodem præparato, arcam Domini tanta cum pompa in illud inferendo; « et ego infelix et « pauperrimus hominum, » inquit hic contemplativus, « quomodo te in domum meam introducam, « qui vix mediam impendere devote novi horam? » erat quidem vir ille religiosus, summa perfectione conspicuus et tamen de se ita consequenter scribit [5] : « Terrent me delicta propria et ad capienda « tanta mysteria, me reverberat impura conscien-« tia. » Imo ipsemet Salomon post tot impensos thesauros, post honores, obsequia, maximasque quæ in terra excogitari poterant, præparationes, ad divinam Majestatem digne recipiendam adhibitas, nihilominus protestatur, dicens [6] : *Ergone putandum est, quod vere Deus habitet super terram? si enim Cœlum et Cœli Cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi?* Porro quin Deus ipsemet in propria persona per Eucharistiam in anima nostra habitet, nequaquam dubitare possumus, siquidem hoc ipsum sacra Scriptura nimis claris verbis testatur, dum ait [1] : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo,* sed quænam est præparatio, quam ad eum recipiendum præmittemus? « Accede cum fide, » inquit S. Anastasius Synaita [2], « et efficaci pœnitentia, et pura conscientia ad Dei « mysteria, et omnem sanctificationem assequeris. » Nec refert, quod domus nostra paupercula sit et angusta, quia ut S. Cyprianus inquit : « Fides « pura, mens sincera, hunc habitatorem delectat, « neque immensi, neque omnipotentis Dei magni-« tudinem, pauperculæ domus nostræ angustia « offendit, vel arctat. » S. Franciscus de Sales de semetipso scribit : Per 25 annos, a quibus me in servitium animarum consecravi, experientia manibus quasi tetigi, quam sit potens virtus hujus sacramenti in confirmandis in bono animabus, in liberandis iisdem amaris, et solatio adimplendis, et ut uno verbo dicam, in hoc mundo deificandis, dummodo ad illud debita cum fide, puritate et devotione accedant.

[1] Isa., VI, 6. — [2] Petr. Cellens., de *panib.*, c. 1. — [3] Bar., ann. 599. — [4] Th. de Kemp., l. IV, c. 1. — [5] *Ib.*, n. 4. — [6] III Reg., VIII, 17.

## DISCURSUS XXXII.

SACRAMENTUM HOC TIMORATIS ET CUM HABITU VIRTUTUM, BONORUMQUE OPERUM AD IPSUM ACCEDENTIBUS, GRATIAS SUAS IMPERTIT.

Idea sermonis. — 1. Cum timore Domini accedendum est ad hoc sacramentum. — 2. Panes propositionis præparati fuerunt in auro. — 3. Cur Apostoli non celebrarint Missam, nisi post adventum Spiritus sancti et acceptum donum timoris. — 4. Cur hostiæ immolandæ sacerdos imposuerit manum. — 5. Panis in deserto multiplicatus fuit symbolum S. Euchar.— 6. Sedulum exercitium virtutum optima præparatio ad S. Communionem. — 7. Specialiter resignatio in voluntatem Dei. Et frangendo voluntatem propriam. — 8. Morum immutatio necessaria est, ad digne communicandum. Probatur exemplo Zachæi Christi suscipientis in domum suum. — 9. Imitemur transsubstantiationem panis in corpus Christi. — 10. Materia hostiæ consecrandæ nos docet modum præparandi nos ad dignam communionem.

*Escam dedit timentibus se.* Psalm. CX, 5.

1. — Divus Joannes Chrysostomus, in laudes Eucharistiæ se diffundens, in specie autem de Agni immaculati sanguine tractans, ait [3] : « Hic « animarum nostrarum salus est, hoc lavatur « anima, hoc ornatur, hoc incenditur, hic igne « clariorem mentem nostram reddit et auro splen-« didiorem; » verumtamen advertendum est, quod, tametsi hæc arbor vitæ fructuum, gratiæ, virtutis, sanctitatis, et gloriæ ferendorum fertilissima sit,

[1] Joan., I, 14, et VI, 57. — [2] S. Anast. Syn., ser. *de commun.* — [3] Chrys, h. 45 *in Joan.*

regium tamen oraculum dicat? *escam dedit timentibus se.* Unde licet in discursu II hujus tractatus, hoc sacramentum a Salvatore ad dandam mundo vitam et salutem, institutum fuisse dixerimus; idem tamen David expresse dicit [1] : *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra.* Et Ecclesiasticus pariter ait [2] : *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Porro negari quidem non potest, quin anima, coram sacramento Altaris constituta, in conspectu Dei sit, cum in illo vere adsit realis et corporalis præsentia Christi, necnon aliarum divinarum personarum per concomitantiam; verumtamen Glossa inquit : « Felix « anima quæ quotidie mundat cor suum, ut susci- « piat habitatorem suum Deum, cujus possessor « nullius eget boni, quia omnium bonorum aucto- « rem in se habet. » Et S. Bonaventura, postquam multos recensuisset hujus sacramenti salutares effectus, subjungit, dicens [3] : « Tria sunt quæ exigit « a te hujus sacramenti digna susceptio, scilicet « corporalem munditiem, puritatem conscientiæ « et actualem devotionem. » Albertus Magnus quoque se reflectens ad verba illa Psalmi c : *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum*; *ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*, eadem verba de illis exponit, qui mensæ sacræ communionis accumbunt [4] : « Hæc dicit ad eos, » inquit. « quos « ad mensam istam sedere facit. Sedens in mensa, « fide cibum percipit et sacerdos immaculatus in « mensa cibum ministrat; » quibus addi potest, quod sacerdos iis pariter qui immaculati sunt, cibum illum communicet, juxta illud [5] ; *Probet autem se ipsum homo et sic de Pane illo edat.* Porro quod Deus corpus suum iis dumtaxat communicet, qui illum vere timent, adeo verum est, ut præterquam illud Psalmista asserat, dicendo : *Dat escam timentibus se*; insuper idem Albertus in capite sequenti, adducens illam Psal. CXVIII, auctoritatem, *particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua,* ita illam exponit [6] : « Hoc est, « tui corporis communione participem me facies « omnium te timentium. » Hugo de S. Victore ait [7] : « Ipsa autem Eucharistia, id est, bona gratia, ipsa « scilicet hostia sacra divinissima vocatur, quoniam « divinos facit et participes divinitatis; » sed qui sunt illi, quibus eamdem participat? ii videlicet, qui ad illam digne accedunt.

**2.** — S. Thomas de Villanova sequentem, a Panibus propositionis deductam, ad propositum nostrum format consequentiam, dum ait [8] : « Panes « illos sacros, quos propositionis vocabant, teste « Nicolao de Lyra, non nisi in auro pinsebant et in « auro coquebant et in mensa aurea coram Deo « proponebant, quos edere, aut contingere nefas « erat, nisi ei, qui esset sacerdos, aut de familia « sacerdotis. » Aurum autem charitatis et amoris divini est symbolum, quod si igitur Deus panibus istis propositionis, quæ remote tantummodo Eucharistiam figurabant, aurum illud adhiberi voluit, quanto magis idipsum in figurato requiretur? Principaliter autem, cum juxta S. Ambrosi, doctrinam, animam communicare, nihil sit aliud, quam desponsari Christo, eumque sibi incorporare. Cui argumento stabiliendo illum favere autumans Canticorum textum [1] *osculetur me osculo oris sui,* ita unumquemque alloquitur communicantem [2] : « Ve- « nisti ad altare; vocat te Dominus Jesus, vel ani- « mam tuam et ait : *Osculetur me osculo oris sui,* « videt te mundum esse ab omni peccato, ideo te « sacramentis cœlestibus dignum judicat et ideo « invitat ad cœleste convivium. » Unde et Cardinalis Toletus ad illam se reflectens, quam Christus Apostolis suis in ultima Cœna exhibuit lotionem; dicendo [3] : *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet,* hanc inde eruit moralitatem, scilicet [4] : « Non ad exemplum humilitatis tantum hæc lotio « facta est, sed simul etiam ad significationem et « purgationem quandam, quæ non alio tendebat, « nisi ut digne convivio futuro corporis et sangui- « nis Christi vescerentur. »

**3.** — *Escam dedit timentibus se.* Nescio, si quando observaveritis, primos Christi fideles Panis cœlestis consecrationem, Missæ celebrationem, et communionem usque ad Pentecostes solemnitatem distulisse. At vero cur non potius eam statim intra XL post resurrectionem immediate consequentes dies quibus cum iis Christus in terra demoratus fuit, vel saltem intra decem illos dies, quibus post Ascensionem Apostoli in cœnaculo delituere orantes inchoarunt? Ratio nostro congrua proposito assignari potest sequens quia scilicet usque ad tempus illud Spiritus sanctus nec dum descenderat cum gratiarum donorumque suorum thesauris, quæ inter singulariter donum timoris Dei eminebat. Eucharistiam equidem Salvator in cœna instituerat, verumtamen cum dono timoris Dei sumendam, quoniam *Escam dedit timentibus se*; hoc autem donum Spiritus Sanctus impertiturus erat, ideoque fideles ejus præstolabantur adventum, ut Divino ipsius igne panis ille cœlestis perfecte excoqueretur, cum Spiritu, devotione et amore Dei participandus. Cui confirmando nova suffragabitur Spiritus Sancti denominationis contemplatio; siquidem rorem eum Ecclesia appellat dum ait : « Sui roris « intima aspersione fœcundet. » Pro cujus intelligentia sciendum, quod olim priusquam manna

[1] *Ps.* LXXXIV, 10. — [2] ECCL., II, 20. — [3] S. BONAV., t. VII *in Fasc.* — [4] ALB. MAGN., *de Euch.*, dist. 3. — [5] I. COR., XI, 20. — [6] ALB., *in Ps.* CXVIII. — [7] HUG. DE S. VICT., l. II *Erud. theol. de sacr. fid.* — [8] S. THOM, DE VILL., conc. 3 *de sacr.*

[1] CANT., I, 1. — [2] S. AMBR., l. V *de sacr.* — [3] JOAN., XIII, 10. — [4] TOL., *ib.*

descenderit ros quidam stillare consueverit, dicente Scriptura : *Mane quoque ros jacuit*; qui locum, in quem manna descensurum erat, purificaret. Hoc autem in figura illis contigit, siquidem manna Eucharistiam designabat, quam cœlestis ros Spiritus Sancti, cui animas cordaque nostra purificare, et mundare proprium est, præcedere debet. Unde et S. Thomas, postquam dixisset [1] : « Charitas facit « Deum esse in homine, et e converso (I Joan., IV) : « *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*» subjungit dicens : « Et hoc est, quod facit Spiritus « Sanctus. »

**4.** — Mirabilem sane cæremoniam nobis liber exhibet Levitici, ubi Deus de sacrificante agens, hoc ei imponit præceptum [2]: *Ponetque manus super caput hostiæ, et acceptabilis erit.* Philo tamen Hebræus, in lib. *de victimis*, facilem, eamque nobis accommodam, hujus præcepti moralem his verbis assignat rationem. « Quod manus imponuntur victimæ, « evidens indicium est innocentiæ, exactæque vitæ « sine culpa; postulabat enim Deus a sacrificante, « primum bonam mentem, et sanctam. » Et nihilominus victimæ illæ, quas offerentes tanta eminere debebant vitæ sanctitate, et puritate, arietum erant taurorum, vitulorum aliorumque animalium; quanto igitur major oportet ejus sit integritas, cui per communionem ipsemet incorporandus est incarnatus Deus? Nonne parem olim munditiam a sacrificantibus exegit David, cum diceret [3]: *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum*? Arietes offerebant illi, et nihilominus in immolantibus eos regius Vates, divinæ filiationis characterem præfulgere jubens, ait : *Afferte Domino filii Dei.* Quem munditiæ rigorem S. Basilius discutiens, ait [4]:« Non « cujusvis donum est Domino Deo acceptum, sed « ejus tantum, qui corde puro offert illud; ideo « dicit, ut offerant illud, qui sunt filii Dei. » Quo forte etiam S. Thomas respexisse videtur, quando illam S. Matthæi historiam discurrit, in qua S. hic Evangelista corpus Christi post Eucharistiæ institutionem Josepho Arimathæo traditum fuisse in hæc verba describit [5]: *Venit quidam homo dives ab Arimathæa nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu etc.* Circa quæ proinde verba dictus Angelicus ita discurrit [6]: « Describitur a patria, qui ab Ari- « mathæa, quod idem quod Rammatæ, quæ fuit « Samuelis, et signat excelsum et iste excelsus « fuit. Item ex nomine, quia Joseph, qui accres- « cens signatur. Item ex religione, quia et ipse « Discipulus erat Jesu. »

**5.** — Panis ille in deserto multiplicatus, cœlestis hujus Panis symbolum extitit, ut supra probavimus ea autem quæ in præsenti a nobis investigatur, circa hoc miraculum, moralitas in eo consistit, quod Christus mensæ huic accubituros omnes fœno insidere voluerit. Cujus præcepti mysterium his verbis S. Hilarius declarat [1]: « Accumbere super « fœnum populus jubetur, non jam in terra jacens, « sed lege suffultus, et tanquam terræ fœno, fruc- « tibus operis sui unusquisque substernitur. » Quæ autem opera ad hanc mensam asportanda esse creditis ? Resolutionem forsitan ex facto hauriemus Sapientiæ, quæ convivium præparatura [2], *misit ancillas suas ut vocarent.* Quæ autem hæ sunt ancillæ? Cajetanus respondet [3] : « Juxta Hebræum « habetur : *Misit puellas suas, vocabit super humeros « excelsorum civitatis.* Ecce modus vocandi, quo « scilicet Divina Sapientia vocat homines ad convi- « vium suum, mittendo scilicet puellas suas, hoc « est, virtutes. Ipsæ enim dicuntur Sapientiæ puellæ « ad excitandum homines ad convivium divinum. »

**6.** — Ut igitur cum fructu panem hunc recipiamus, optimum, ut probavimus, nobis medium subserviet virtutum exercitium; veruntamen non qualecumque, sed fervens et intensum illud sit oportet. Ideoque S. Paulinus ad antiquum illum se reflectens ritum, quo Israelitæ agnum manducare jubebantur calceati, manibusque tenentes baculos, ita ad intentum nostrum sermocinatur [4] : « Panis « verus ac vivus Christus est, quem non potest « manducare piger operarius, quia est Pascha « nostrum, quod expediti, et præcincti, et firmiter « calceati, nec depositis a manu baculis (id est, « operibus, quibus nitimur, nunquam remissis) « cum omni festinantia edere præcipimur. » Sic enim inter alia a Sapiente, forti illi mulieri attributa encomia, unum hoc fuit, quod [5] *Panem otiosa non comedit.* Quæ verba S. Hieronymus sequenti exponit commentario, dicens [6] : « Panem quoque « otiosa non comedit, cum sacrificium Dominici « corporis percipiens, studet imitari actu, quod « mysterio celebrat, multum sollicita, ne indigne « panem Domini comedendo et calicem bibendo, « judicium sibi manducet, et bibat, sed ut pa- « tiendo pro Christo et lacrymas fundendo, bo- « nis quoque actibus insistendo, passionem exem- « plo ipsius quantum valet, sequatur. » S. Hilarius ad illa de Baptista a Scriptura sacra pronunciata verba : *Erat præcinctus, etc.* inquit [7] : « Zona « autem præcincto, efficax in omne opus bo- « num est apparatus, ut ad omne ministerium « Christi voluntatis cingulo simus accincti. »

**7.** — Observandum quoque est, quod cum tempus panem hunc consecrandi in foribus esset, Apostoli cœlestem magistrum suum interrogarint, dicentes [8]: *Quo vis eamus, et paremus tibi, ut manduces Pascha.* Nimirum non ex proprio Cœnam illam instaurare voluerunt, sed omnia ipsius submiserunt voluntati. Et ideo idem cœlestis magister

[1] S. Thom., *in Joan.* — [2] Lev., I. — [3] Ps. XXVIII, 1. — [4] S. Basil., *ib.* — [5] Matt., XXVII, 57. — [6] S. Th., *ib.*

[1] S. Hil. Can., *in Matt.* — [2] Prov., XX, 3. — [3] Caj., *ib.* — [4] S. Paulin., ep. 5. — [5] Prov., XXXI, 27. — [6] S. Hier., *ib.* — [7] S. Hil., c. 2 *in Matt.*— [8] Marc., XIV, 12.

nos docuit, ut priusquam divinum hunc panem a cœlestiPatre suo postularemus, dicendo [1]: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, hanc præmitteremus protestationem : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra*, quasi dicere nobis vellet. Ad sacratissimum Corpus meum recipiendum, nulla cœlesti Patri meo acceptior esse potest præparatio, quam si divino ejus beneplacito conformemini per omnia, nec habeatis voluntatem propriam, sed illam potius supplantetis, et mortificetis. S. Bernardus illa S. Lucæ verba considerat [2]: *Cognoverunt eum in fractione panis.* Discipuli enim in Emmaus abeuntes, tunc præcipue Christum agnoverunt, dum panem eis fregit. Unde sanctus Abbas ait : « Frange te, ut « se discat frangere, quia non cognoscetis, nisi in « fractione panis. Si vis ipsum cognoscere, sicut se « fregit, ita te frange, quia qui dicit se in ipso « manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse am- « bulare. Frange te ad laborem obedientiæ, ad « humilitatem pœnitentiæ. » Ideo etiam Ecclesia inter alias per anni circulum in missa legi solitas orationes, hanc quoque ad Deum per sacerdotes suos dirigit : « Supplices te rogamus, omnipotens « Deus, ut, quos tuis reficis sacramentis, tibi etiam « placitis moribus dignanter deservire concedas. » Per vitæ scilicet et morum novitatem, quæ nobis pariter in illis consecrationis sanguinis verbis commendatur : « Hic enim calix Sanguinis mei, « novi, et æterni testamenti, » verbum enim : *Novi testamenti*, ad vitæ morumque nos extimulat novitatem, quæ in præsenti eo magis necessaria est, quanto magis oportet vinum Eucharisticum novis includi vasis, dicente Christo [3]: *Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres.* Talis inveteratus uter Judas erat, vetus homo, ideoque *suspensus crepuit medius*, quando hoc in se vinum suscepit; utres ergo novi, mores sancti, innocentia, candorque animæ timoratæ, *quæ ambulat in innocentia vitæ.*

**8.** — Jacob quondam Patriarcha, sequens legitur suis divulgasse edictum [4] : *Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* Circa quod præceptum; scire percuperem, cur similem sanctus Patriarcha legem citius non præscripserit? sed facilis ex ipsomet immediate hoc subsequenti contextu eruitur responsio, cum dicitur : *surgite et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo.* Igitur ubi sacramenti hujus remota duntaxat figura contrectanda erat, omnia disperdi abjicique jubentur idola, perfectaque institui lotio, cui proinde subditi ol temperantes, *dederunt ei omnes deos alienos, quos habebant, et ille infodit*; et sub terram omnia idola abscondit, penitusque abolevit, priusquam ullus eorum monti *Bethel* pedem inferret, quæ *Domus panis* interpretatur. Verum enim vero quorsum ad remota devolvimur figuras? vicinam in lege nova Zachæi domum ingrediamur, qui nullam non adhibuit curam, ut digno Christum exciperet hospitio : quem proinde S. Chrysostomus nobis hunc in finem repræsentat, dum ait [1]; « Zachæi domum cogitatione ingrediaris, « et considera, cum audisset Christum in eam in- « gressurum, quomodo eam ornavit; non enim « curriculo ad vicinas contendit, mensas, sedes, « subsellia petens eburnea, sed ornatu gratissimo « Christum decoravit. » Quem autem magnificum adeo, tantoque hospiti gratum, hujusmodi fuisse arbitramini apparatum, unica fuit morum mutatio vitæque innovatio [2]: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus* : ideoque etiam audire meruit : *Hodie huic domui salus a Deo facta est.*

**9.** — Panis vi verborum consecrationis suam mutat naturam, et substantiam, et ad materiam nobilissimam et dignissimam, qualis Filii Dei corpus est, sublimatur. Conveniens itaque erit, ut et nos hanc imitemur transubstantiationem, eoque cibati pabulo, naturam, vitam, moresque nostros mutemus in melius; quem ut effectum sortiamur facilius, ad confessionem sacramentalem confugiamus, quæ hujusmodi in vobis mutationem operandi, titionemque inferni in paradisi seraphinum transmutandi efficacia pollet, regioque vati obtemperemus suadenti [3]: *Confitemini memoriæ sanctitatis ejus.* Ast interrogaverit forte quispiam, cur Eucharistia sanctitatis titulo condecoratur? Cui dubio duplex reddi potest responsio. Et quidem in primis quia Sanctum in se continet sanctorum. Deinde vero quia sanctitatem in omnibus ad eam accedentibus requirit. Ideoque Hugo Cardinalis ait [4]: « Con- « fitemini peccata, cum accedere debetis ad sanc- « tum Domini corpus sumendum. »

**10.** — Novam, circa dignam Communionem, nobis instructionem Salmeron exhibet, ab hostia desumptam, quæ adoranda proponitur. Dicit enim [5]: « Compendiosum communicandi modum ipsa hos- « tia, quæ adoranda offertur, nobis exhibet : » Illa ex frumento conflata est, multis medlantibus granis absque fermento et igne cocta ; partem exteriorem effigiatam habet et rotundam. Quibus ex circumstantiis sequens eruit mysterium. Primum itaque frumentum esse oportet, quod omnium granorum est optimum; id est, profiteri nos decet fidem Christiano-Catholicam, sine qua homo hujus nequit esse capax sacramenti, quod est *vere panem filiorum.* Frumentum ergo simus necessum est ; illius participantes naturam, qui de se protestabatur, dicens : *Nisi granum frumenti cadens, etc.* Iterum sicut hostia ex pluribus unitis conflatur granis, ita quoque fideles, in Ecclesia per sacræ communionis virtutem uniri oportet. Præterea omni fermento

[1] MATT., VI, 11. — [2] LUC., XXIV, 35. — [3] MATT., IX, 17. — [4] GEN., XXXV, 2.

[1] CHRYS., h. 86 *in Matt.* — [2] LUC., XIX, 8. — [3] *Psal.* XXIX, 5. — [4] HUG. CARD., *ib.* — [5] SALM., t. IX, tr. 40

carere debet hostia, ut per hoc nobis insinuetur, liberos nos esse debere, et immunes ab omni malitia, non solum mortali, sed etiam veniali, dummodo ad sacram illam hostiam sumendam digne velimus accedere. Vetabatur olim Hebræis, ne tempore Paschatis, aliquod in domo fermentum reservarent, et si forte illius aliquid in ea residuum esset, abjiceretur; per quod docemur, quod non solum abolendum sit in nobis peecatum, verum etiam omne illius eliminandum sit periculum, et occasio proxima. Ad hæc hostia ut fiat, igne et aqua opus habet, ut inde discamus, quod ad sacram hanc mensam adducendæ sunt lacrymæ compunctionis, et devotionis nec non ignis amoris, quem Filius Dei accensurus, in terram descendit. Denique pars anterior hostiæ effigiata esse solet, et ut plurimum imaginem crucis refert, vel crucifixi, ex alia vero parte nuda et plana esse consuevit, per quod docemur, duas in Christo esse naturas quarum una scilicet humana subjecta est morti, altera vero nimirum divina, omnino impassibilis existit; utramque enim in hoc sacramento confiteri et venerari debemus, licet divina incomprehensibilis existat. Tandem hostia rotundam figuram præsefert quia Deum nobis repræsentat, qui nec principium habet, nec finem. Ac proinde idem doctissimus auctor discursum suum his verbis concludit : « Ille « debet esse principium et finis tuæ communionis, « ut ab ipso incipiens, in ipsum regrediaris. »

## DISCURSUS XXXIII.

IN COMMUNIONE LAUDES, ET GRATIÆ DEO REDDENDÆ; ET RECIPIENDUM ESL CORPUS DOMINI IN SOLITUDINE CORDIS, ET CUM DEVOTIONE.

IDEA SERMONIS. — 1. Panis Euch. impinguat animam. Communicaturi incipiamus cum Christo a gratiarum actione. — 2. B. V. concepto Filio Dei, statim erupit in gratiarum actionem. Cur voluerit Christus corpus suum condiri aromatibus. — 3. Communicaturus sequestratur prius a tumultibus popularibus. — 4. Post S. Communionem non statim ad vana et prophana declinandum est. Sic fecit Judas et hinc periit. — 5. Invectiva contra illos, qui communione accepta, a cultu Dei statim recedunt. — 6. Hoc facientes merentur privari fructu illius. — 7. Pulchra instructio S. Theresiæ pro communicantibus. Simile Regis ad commune hospitium declinantis et inurbane tractati.

*Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exultationis, laudabit os meum.* Psal. LXII, 61

**1.** — Adeps animæ fidelis, et pinguedo alia esse nequit, quam quæ ab hoc pane derivatur, de quo in Scriptura dicitur [1] : *Pinguis panis ejus præbebit delicias regibus.* Panis nostris pistus manibus corpus nutrit, et impinguat, is vero panis, qui de cœlo descendit, animam alit et corroborat, deque hoc ultimo David in spiritu prophetico discurrit, inquiens : *Sicut adipe, etc.* Notandum vero, quod eidem pani laudes quoque et voces associet jubili; ait enim : *Et labiis exultationis laudabit os meum.* Per quod nos erudire voluit, quod sacramentum hoc, præcedenti oratione honoramus, et cum gratiarum actione, recollectione mentisque secessu ad ipsum accedamus. Quem pariter in finem missæ *Postcommunio*, juxta Ruperti Abbatis sententiam instituta fuit, juxta illa quæ hic auctor in lib. *de Divinis officiis* in hæc verba commemorat [1]: « Cantus « quem *Communionem* dicimus, quem post cibum sa- « lutarem canimus gratiarum actio est, juxta illud : « *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt* « *Dominum, qui requirunt eum* » Porro numquam Christus Dominus post corporalem cum Apostolis habitam refectionem, in hymnos et spiritualia legitur prorupisse cantica, nisi in ultima cœna post sanctissimi corporis sui institutionem, quando *hymno dicto*, vel ut alii legunt [2], *cantato, exierunt in montem.* per quod nos Christus docere voluit obsequiuum, quod Eucharistiæ post communionem sacram præstare oportet. Quod factum D. Chrysostomus considerans, ita in hujus instructionis invenitur transgressores [3] : « Audiant hoc, qui quasi « porci eum jam comederint, eversa calcibus « mensa, temulenti consurgunt, cum agere gratias « debeant. » Profecto si post mensam corporalem, talis exigitur gratitudinis exhibitio, quanto magis post Eucharisticam ? « Gratias egit » inquit idem sanctus, « antequam discipulis daret, ut etiam nos « ab actione gratiarum incipiamus. Gratias egit, « postquam dedit, et hymnum cecinit, ut nos « quoque similiter faciamus. » Ejusdem debiti solutionem urget Palmista, inquiens [4]: *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Quia satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis.* Unde non immerito S. Gregorius Nazianzenus ait [5], quod cibus iste cœlestis, « cibus eorum est, qui recte esuriunt : » quotquot igitur hoc satiati sunt pane, bonitatem, et magnificentiam profiteantur divinam ; *Confiteantur Domino, etc.* In missa, super qua S. Germanus patriarcha Constantinopolitanus *in Theoria rerum divinarum* commentarium scripsit, inque multas alias cæremonias, diaconus in fine illius ad populum conversus, dicebat : « Stemus recti, qui accepimus panem « intaminatum immortalium ; » quam cæremoniam dictus sanctus hac glossa illustravit : « Recta « cogitatione stemus, gratias agentes. » Joel propheta quoque ait [6] : *Comedetis vescentes, et saturabi-*

[1] GEN., XLIX, 1.

[1] RUP. ABB., l. II *de div. offic.* — [2] MATT., XXVI, 30. — [3] D. CHRYS., h. 83 *in Matt.* — [4] *Ps.* CVI, 8. — [5] NAZ., or. 2. — [6] JOEL, II, 24.

*mini, et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia.* Ubi dubium non est, quin per hunc cibum satiantem, mensa intelligatur Eucharistica, utpote in qua Deus[1] *memoriam fecit mirabilium suorum.* Et quidem Theodoretus inquit[2]: « Hic bonorum finis, et caput est, non bonis ad sa- « tietatem repleri, sed potius bonorum largitorem « laudare, et grata memoria prosequi. » Unde et David nos invitat, dicens [3]: *Tollite hostias, et introite in atria ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus.* præsertim cum hæc verba ita ad intentum nostrum Lyranus exponat, dicens[4]: « Id est, laudibus divinis « extollite corpus, et sanguinem Jesu Christi, sub « speciebus panis, et vini, quæ dicuntur hostiæ in « plurali, quia licet sint unum sacramentum per- « fecte, tamen sunt ibi duæ consecrationes dis- « tinctæ. »

**2.** — Ipsamet Dei genitrix, ut primum carne nec non sanguinibus virgineis suum vestierat filium, quem in sacramento hoc in animæ nostræ suscipimus nutrimentum, suam illico linguam in laudes, et gratias divinas exsolvit, dicens [5]: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit, etc.* quia nimirum digne eum et fructuose receperat; cujus et nos, si imitatores esse volumus, participes fieri possumus. Tametsi corpus Christi divinitati unitum, nec balsamo, nec aloe, nec myrrha, nec aliis indigeret aromatibus, ut præservaretur a putredine, siquidem indubitata manebat illa prophetica assertio [6]: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; nihilominus unguentis ad nostram instructionem condiri voluit, siquidem aromata orationem præsignant, juxta illud Psalmi[7]: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*; hæc siquidem a communione, et monumento cordis nostri, in quod eum reponimus, inseparabilis esse debet, dicente S. Bernardino [8]: « Hæc orationis bona sunt aromata « illa, de quibus, Marci cap. XVI, dicitur : *Maria « Magdalena, et Jacobi, et Salome emerunt aromata, « ut venientes ungerent Jesum*; » qui idem S. in alio quodam sermone, præsenti non absimilem in hæc verba instituit discursum, dicens [9]: « Præpa- « ratio est oratio devota, cum oratio sit elevatio « mentis in Deum, quando mens devote orat, ob- « viam pergit Christo ad se venturo, ut vere cum « propheta dicere possit : *Et ego ad te Domine cla- « mavi, et mane oratio mea præveniet te.* Et vere « dignum, et justum est, ut, postquam Creator om- « nium, et Salvator tuus ad te de cœlo tanta benigni- « tate descendit, et tu ei per mentis elevationem « obviam pergas, quod quidem efficere potes, cum « in devota tua oratione, et mentem ab exteriori- « ribus revocas, et eam, ne extravagetur, in se « ipsam coarctas. » Hic siquidem recessus, et solitudo unice a nobis exigitur, qnemadmodum patebit ex dicendis.

**3.** — Utraque vice, quando Christus turbis panem multiplicavit, Eucharistiæ figuram, loca elegit solitaria, deserta, et a popularibus sequestrata tumultibus; ut nimirum edoceamur omnes, quotquot ad hanc accedimus mensam, sancti secessus et solitudinis necessitatem. Iterum manna non pluebat nisi in desertis, dicente Philone : « Non ubique « apparet, sed ubi desertum est, vacuum vitiis et « affectibus. » Item in horto, a communi incolatu dissito, sepulchrum sacrosancto suo corpori elegit; ut asserit Drogo Hostiensis, dum ait [1]: « Est autem « monumentum tuum in horto novum, et in petra « excisum, quia amica tua fidelis anima hortus « conclusus est. » Anima enim solitudinis amans, hortus conclusus est, in quo cœlestis ille sponsus deliciatur, *cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum*[2]; veruntamen deliciæ istæ non ubique, sed tantum in solitudine reperiuntur. Unde sponsæ quondam festive accinebatur [3]: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* « Solidatur in petra amoris tui, » idem inquit Drogo « consepeliens seipsam tibi in interiori ho- « mine. » Porro Salmeron ad idem alludens sepulchrum, aliam tangit circumstantiam, dum ait [4]: « Debet esse sepulchrum clausum, ut intelligas, « cor ipsum apertum non præstandum vanitatibus « aut occasionibus peccati, ne dæmones Christum « ex corde furentur : Qui non vigilanter custodit « Christum, cito illum amittit, et filius mortis effi- « citur; in veteri etiam testamento, vas quodcumque « sine operculo raprobabatur a sacrificio : in quem « modum, animus, qui non habet diligentis custo- « diæ operculum supra se, et sensus suos, reprobus « est. »

**4.** — Inter alia Jeremiæ lamenta, unum est, in quo ait [5]: *Matribus suis dixerunt, ubi est triticum et vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas.* Quæ verba S. Paschasius hunc in modum exponit [6]: « Nostra Jeru- « salem amare plorat, quia numerosior ejus pars « vulnerata est in plateis, cum relicto angsuto iti- « nere vias arripit latiores. » Ad nostrum vero propositum considerare possumus, quod tametsi fora frumento illo abundent, quo corpora nostra aluntur; attamen frumentum electorum ibi languet, quia in foris et locis publicis, inter strepitus sæculares, et negotia prophana, inter emptiones et venditiones, in quibus studium lucri, concupiscantia carnalis, et curiositas prævalet et regnat, communionem, dum adhuc sacramentum integrum in pectore gerunt, ad negotia prophana se recipiunt

[1] *Ps.* CX, 4. — [2] THEODORET., *ib.* — [3] *Ps.* XCV, 9. — [4] LYRAN., *ib.* — [5] LUC., I, 17. — [6] *Ps.* XV, 10. — [7] *Ps.* CXL, 2. — [8] S. BERN., t. II, s. 57, a. 2, c. 3. — [9] IDEM, s. 56, a. 3, c. 6.

[1] DROG. HOST., *de Sacr. Dom. Pass.*— [2] PROV., VIII, 31. — [3] CANT., VIII, 5.— [4] SALM., t. IX, tr. 40.— [5] THREN., II, 12. — [6] S. PASCH., *ib.*

improperare possumus, dicendo : *Ubi est triticum, et vinum* ? Itane tantum hospitem foves, et honoras ? Mirum proinde non est, si tales *deficiant quasi vulnerati in plateis, et exhalent animas suas.* S. Joannes Damascenus ex citato ad se Eusebio optime proinde nos monet, dicens [1] : « Proditoris Judæ recorde-« mur, nec ex Ecclesia pedem efferamus. Illius « enim exitium hinc ortum traxit, quod in ora-« tione non perstiterit, nam cum panem primus « omnium accepisset, pedem extulit, ac statim « satana in se ingresso ad proditionem properavit. « Quo circa si quis, antequam abeundi potestas « fiat, exierit, easdem cum Juda pœnas pendet. Ne « igitur committamus, ut ob unam horam cum « Juda condemnemur. » Eamdem quoque considerationem in D. Chrysostomo expressam invenio, qui eos, qui postquam jamjam sacra communione refecti fuerunt, secretum hunc animi secessum negligentes, ad sæcularia negotia se protinus recipiunt, his verbis perstringit : « Judam, » inquit [2], « imitantur et isti, qui ante ultimam gra-« tiarum actionem discedunt, nisi enim exiisset « ille, proditor factus non esset. » Eisdem quoque tam ingratis, et incivilibus hominibus merito exprobare licet, quod in Deuteronomio de ingrato illo populo legimus, nimirum [3] : *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.* Hoc enim modo a Deo recedit, ut S. Laurentius Justinianus ait [4], « negli-« gens devotionis affectum. » Non sic fecerunt illi de quibus Psalmista ait [5] : *Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ*, hi enim, ut idem Psalmista protinus subjungit : *Cadent in conspectu ejus*, id est, summa cum reverentia, humilitate, et sui ipsius contemptu, coram hoc Sacramento se prosternunt, tantique doni magnitudinem agnoscunt ; *Manducaverunt et adoraverunt.* et ideo consequens est, quod anima illorum, ex gratiis, donis et virtutibus cœlestibus impinguetur, et ideo vocat illos *pingues.*

**5.** — De Josepho patriarcha (qui ut sacer textus ait [6] : *Aperuit universa horrea*, totique Ægypto de frumento prospexit) Cornelius a Lapide scribit, quod a populo, in signum debitæ gratitudinis, per divini cujusdam simulachri erectionem honoratus, et sub nomine dei Serapidis adoratus fuerit. Quam efficaciter factum istud, fidelium ingratitudinem condemnabit, in quos licet frumentum electorum e cœli granariis tam copioso descendat, ipsi tamen in reddendo Deo cultu, et obsequio debito, adeo sunt negligentes ? Enimvero si ex divino hoc pane impinguari volumus, necessum est, ut eumdem in corde nostro diu retineamus : « Quid enim est Christum « manducare, » inquit S. Augustinus [1], « quam illum « apud se manentem habere ? » Guerricus Abbas adversus eos, qui post communionem sese in secreto quodam recessu recolligere et beneficium recolere negligunt, his verbis graviter lamentatur [2] : « Nihil « faucibus hæret, non virtutem in moribus habet « tanquam succum in visceribus, sed dum statim « totum per inania et scurrilia evomunt, gratiam « sibi in iram convertunt. » Quam eamdem incivilitatem et ingratitudinem Drogo Hostiensis his verbis minacibus perstringens, dicit [3] : « Væ iis, qui « jejunant laude tua. » Signum namque pessimum est, non recognoscere, neque venerari suum benefactorem, sed tergum potius ei obvertere. Quod vitium et regius Vates stomachabundus in persona Dei exprobrans, ait [4] : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu vero, qui simul mecum dulces capiebas cibos, etc.* Quibus verbis scelus hoc tamquam severissimo dignum supplicio, et penitus intolerabile esse insinuat.

**6.** — S. Lucas cujusdam similis farinæ inutilis servi meminit inquiens [5] : *Et alter venit, dicens : Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario*, qui mox audivit : *Auferte ab illo mnam* ? Qui enim hanc Paradisi gemmam, hancque monetam, qua immortalitas comparatur, a Deo recipiunt, illamque, ingrato animo otiosam esse sinunt, fructu et gratiis, quæ a tanto sacramento conferuntur, privari merentur. David olim e longinquo panem hunc cœlestem subodoratus est, dum ait [6] : *Panem Angelorum manducavit homo* ; ne autem tanto, quod in Spiritu præviderat, dono ingratus esse videretur, dicit [7] : *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi* ? Qua vix recognitione, et gratitudine præmissa salutarem accepit calicem, suam linguam in laudes resolvit, et gratias, inquiens : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo laudans : invocabo Dominum.* Unde et Christus in citata parabola, suo insistens discursui, subjungit : *Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit, ab eo autem qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo* quia nimirum in iis, qui cum obsequiosa recognitione, et devotione, sacramento huic cooperantur, divina proportionabiliter superabundat gratia : in ingratis autem prius obtenta etiam diminuitur, et deficit.

**7.** — Considerabile in præsenti nequaquam præterire licet, quod S. Theresia, prout in vita ejus legitur [8], omnibus communicantibus tradit documentum ; dicere namque consueverat, certos nos esse, Christum in nobis constanter persistere, usque dum calor naturalis accidentia consumpsisset sacramentalia ; ideoque tam optatæ cum Deo tractandi neu-

[1] S. Joan. Dam., l. *de Paral.* — [2] D. Chrys., hom. *de bapt. Christi.* — [3] Deut., xxxii, 15. — [4] S. Laurent. Just., *de Euch.* — [5] *Ps.* xxi, 30. — [6] Gen., xli, 56.

[1] S. Aug., tr. 26 *in Joan.* — [2] Guer. Abb., *de resurr.* — [3] Drog. Host., *de Sacr. Dom. Pass.* — [4] *Ps.* liv, 3 — [5] Luc., xix, 20. — [6] *Ps.* lxxvii, 15. — [7] *Ps.* cv, 12. — [8] Riber., l, xii *Vita S. Theres.*

tiquam indormiandum esse occasioni, præcipue cum hospes ille a nobis exceptus, suum abunde solvat hospitium, hæcque optima sit conjunctura, vi cujus intime cum Deo negotiari possumus de gravibus animæ negotiis : qualem et Salmeron meditationem instituit, insuper advertens, quod Christus post ultimam cœnam, hymnum cantando, cum Apostolis suis ad hortum se contulerit, qui familiariter cum Magistro per viam discurrebant ; unde hanc eruit moralitatem, dicens [1] : « Peracta « Communione, oportet cum Apostolis hymnum « dicere, atque de tanto beneficio accepto gratias « agere, suaviaque cum hospite suscepto miscere « colloquia. » Equidem quid vestrum quispiam statueret de eo, qui Regem hospitio excepturus, de domo sua purganda, expolienda, aut ornanda nihil sollicitus esset ; quinimo, sic excepto, dorsum obverteret, non assisteret, non ei serviret, imo extra ædes suas divagans, cuicumque alteri rei se applicaret ? Maxima utique hæc foret inurbanitas : sed longe abominabilior est incivilatas nostra quod Rege gloriæ ad nos divertente, ut nostris se uniat, et invisceret animabus, ipso solo neglecto, ad quævis alia exteriora intenti, et applicati vigilemus. Non dedignatur ille de Paradiso, in Spirituum Angelicorum comitatu, et trium divinarum personarum societate, descendere, ut humile pectorum nostrorum honoret tugurium, ut nos cœlestibus diret thesauris ; et nos e contra adeo rustice inurbani existemus, ut nec ei obviare, nec ullum ei cultum aut obsequium exhibere dignemur ? Protestatur ille, dicens : *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum*, et nos tædium, ac nauseam ex conversatione ejus hauriemus ? Potuisset equidem ille ita hoc sacramentum instituere, ut in solo communionis actu et non amplius, corporalem ejus possideremus præsentiam, sed quia nobiscum demorari affectat, sacratissimum corpus suum, quamdiu species durant sacramentales, sub iisdem voluit permanere. Ideoque hoc salutare consilium Salmeron nobis suggerit, dicens [2]: « Quiescendum est aliquantulum « et non statim ad labores, et negotia sæcularia « prodeundum, sed in gratiarum actiones prorum- « pendum, ut ita gratum reddamus, et jucundum « Christo, nobis vero salutare, quo eum excipimus « hospitium. » Imo Balthasar Alvarez dicere solebat, extremam esse stultitiam, tam pretiosum negligere tempus, illud scilicet, quo Filium Dei intra nos ipsos possidemus ; siquidem tunc opportunissima favet commoditas, ut nostræ subsignentur supplicæ, cum gratiæ signaturam in nobis habeamus, ipsaque Eucharistia gratiæ sit instrumentum.

[1] SALM., t. IX, tr. 40. — [2] ID., *ib.*

## DISCURSUS XXXIV.

PANIS HIC, AD QUEM CUM APPETITU ACCEDENDUM, FAMELICOS SATIAT, CUJUS VARIA ADDUCUNTUR EXEMPLA.

IDEA SERMONIS. — 1. Non cum nausea, sed cum fame et pio desiderio communicandum est. — 2. Quam aquam sitiverit David de cisterna Bethlehem. — 3. Agnus comedi debebat festinanter. Sic et S. Communio non est sumenda lento corde, sed cum omni aviditate. Cur S. Communio jejune sumenda sit. — 4. S. Phil. Ner. magna aviditate sumebat S. Communionem infirmus. — 5. Excitanda est fames spiritualis erga hunc panem. Præclara hujus sanctorum exempla. — 6. Aliud mirabile exemplum. — 7. Fervor S. Francisci ad hoc SS. Sacramentum. — 8. Quomodo hoc pane saturi, adhuc esuriant illum.

### *Esurientes replet bonis.*

**1.** — Ecclesia sancta fideles suos instruere volens, qualiter ad Eucharistiam accedentes, immensis, et ineffabilibus se bonis replere valeant, citatam, qua in officio divino solemnitatis sanctissimi Corporis Christi utimur, proponit antiphonam, jubetque in ea, ut ad mensam hanc famelici accedamus, siquidem *esurientes replet bonis* ; id quod Divus Chrysostomus confirmat, dicens [1]; « Nemo nauseans acce- « dat, nemo remissus, sed incensi, et ferventes « omnes. » Si enim quis cibum nauseat, et fastidit, quem ex eo fructum, et utilitatem expectare poterit ? nullam utique. E converso vero famelicus cum emolumento manducat, ideoque dicitur : *Famelici saturati sunt.* Quam veritatem ut perfectius penetremus, idem D. Chrysostomus infantes nobis ob oculos ponit, dicens [2]; « Non videtis, quanta infan- « tes animi alacritate mammillas arripiunt ? Non « minori cupiditate nos quoque ad hanc mensam, « et ad hujus calicis spiritualem accedamus mam- « millam ; imo vero majori desiderio, quasi lactan- « tes pueri gratiam Spiritus Sancti sugamus. » Cui pariter sententiæ suffragaturus S. Augustinus, illa Psalmistæ verba, (*qui dat escam esurientibus,*) adducit, inquiens [3] : « Omnibus hominibus ipse dat « escam, et nullam escam servat dilectis suis ? si « habent aliam famem, habent et aliam escam; quæ- « ramus famem ipsorum, et invenienmus escam « ipsorum. » Illuminati autem, et in amore divino ferventiores sancta quadam cum aviditate, ad cibum hunc cœlestem anhelant, qui ipsos adeo quandoque pavit, et saturavit, ut integros menses absque pane, et alimento corporali transegerint, prout varia, eaque manifesta edocent exempla, et in individuo quidem S. Catharinæ Senensis vita. Et alterius cujusdam, de qua Pater Bollandus ita scribit [4]: « Virgo

[1] D. CHRYS., h. 83 *in Matt.* — [2] I REG., II, 6. — [3] S. AUG., *ib.* — [4] BOLL., 1 febr., *in vit. S. Birg.*

« quædam in Australibus Angliæ partibus, quæ in « paterna domo, sine perceptione alicujus cibi, vi- « gesimum annum agit, hoc tamen excepto, quod « diebus tantum Dominicis, communione Dominici « corporis vegetatur. Et quia gutturis arterias vix « etiam illud transire potest, ad meatum facilio- « rem efficiendum, exiguum aquæ benedictæ postea « in potum accipit. »

**2.** — S. Ambrosius ardentem Davidis admiratur sitim, qua aquam cisternæ Bethlehemiticæ affectabat [1]; stupore etenim non caret, virum adeo sovrium et morificatum, omnium aliarum passionum suarum victorem, ab hac vehementi siti devinci : ast omnem stuporis rationem submovet mysterii, hac in siti latentis, contemplatio et notitia, quam dictus S. Doctor in prima de Davide apologia nobis in hæc verba expressam reliquit [2] : « Quod si altius velis « spectare et introspicere mysterium, sitiebat Da- « vid non aquam de lacu, quæ est in Bethlehem, « sed oriundum ex virgine Christum prævidebat. » At vero, qua ratione David per incarnationem Verbi sitim suam extinguere potuisset ? respondetur, Davidi simul revelatum fuisse, quod Christus nos sub specie vini, pretiosissimo sanguine potaturus esset : « volebat ergo bibere non aquam fluminis, sed po- « tum gratiæ spiritualis, hoc est, non aquarum « sitiebat elementum, sed sanguinem Christi; » at vero cur aquam illam Deo in sacrificium obtulit : *libavit eam Domino* : respondet idem S. Ambrosius : « Denique non bibit oblatam aquam, sed Domino « libavit, significans sitire se Christi sacrificium « non naturæ fluentum, illud sacrificium, in quo « est remissio peccatorum, illum sitire se fontem « æternum, illum sitire se fontem æternum, non « qui periculis quæreretur aliquis, sed pericula « alinea depelleret. » Atque hinc est, quod quando hunc calicem in memoria revocabat, exclamare cœperit [3] : *Calix meus inebrians, quam præclarus est. Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo; vota mea Domino reddam coram omni populo*[4].

**3.** — Inter alios ritus, quibuscum populus Dei electus, ipsiusmet Dei jussu, Agnum paschalem manducare debebat, unus ille fuit : *Comedetis festinanter*. Cujus mysterium S. Gaudentius, in tract. *de manducatione Agni paschalis*, his verbis declarat [5] : « Quod autem dicit, cum festinatione illum man- « ducandum, præcipit, ne lento corde et ore lan- « guido, sacramentum Dominici corporis sumamus, « et sanguinis, sed cum omni aviditate animi, « quasi vere esurientes justitiam. *Beati* enim, dicit « Dominus Jesus, *qui esurient et sitiunt justitiam, « quoniam ipsi saturabuntur.* » Divus Chrysostomus considerat, ipsummet Christum hanc famem insinuare voluisse, quando nos sacratissimum corpus ejus his verbis petere docuit : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Unde subdit [1] : « Tam « bonus, tam pius, tam largus pater, panem filiis « non nisi postulatus indulget ? et ubi est illud, « *nolite solliciti esse, quid manducetis, aut quid biba- « tis* ? hoc petere jubet, quod prohibet cogitare, « quatenus cœlestis Pater cœlestem panem, cœlestes « filii ut postulemus, hortatur; ipse dixit [2] : *ego « sum panis vivus, qui de cælo descendi.* » Non sine causa Ecclesia ordinavit, ut ad hoc sacramentum nemo accedat, nisi naturaliter jejunus : « Ab uni- « versa Ecclesia nunc a jejunis accipitur, » inquit S. Isidorus [3] : « sic enim placuit Spiritui sancto per « Apostolos, ut in honorem tanti sacramenti jeju- « num in os Christiani prius Dominicum corpus « intraret, quam cæteri cibi et ideo per universum « orbem mos iste servatur. » Enim vero præter hanc adductam honoris et reverentiæ rationem, aliam quoque adduci posse existimo, nimirum quod, sicut jejunium hominem famelicum et corporalis nutrimenti avidum efficit, ita pariter anima per spiritualem aviditatem, divinum hunc cibum appetit; « unus sit nobis dolor, » inquit D. Chrysostomus [4], « una mœstitia, si hoc alimento spiri- « tuali privamur. »

**4.** — S. Philippus Nerius adeo erat erga hoc sacramentum sumendum avide famelicus, ut quotiescunque vir sanctus ægrotaret, ac de more Dominicus ei panis post mediam noctem afferendus esset, si minister interdum non ita celeriter accessisset, usque adeo intus excruciabatur, ut somnum capere minime posset. Quare cum semel periculose decumberet, audiretque signum dari ad matutinas horas, nec sibi solitum sacræ alimoniæ cibum afferri, eo quod Card. Taurusius, qui sibi ægrotanti assistebat, timeret, ne propter devotionem et lachrymas, quas in simili actione fundere solebat, somnum totaliter sibi cum periculo vitæ abrumperet, moræ causam prænoscens sanctus, vocato Taurusio, dixit : Ne putes hac mihi de causa vigilias obventuras, sed porrige Dominum et protinus obdormiam; ob solum namque desiderium sanctissimi Sacramenti recipiendi, dormire non possum. Sumpsit ergo panem Angelorum et mox suavissimo sommo correptus, melius habere cœpit, brevique convaluit. Idemque quoque sanctus cum alia quadam vice ægrotaret et Antonius Callonius sacramentum manu teneret et ad porrigendum plus solito remoraretur, diutius expectare non valens : Eia, inquit, Antoni, cur Dominum meum manutenens, mihique æstuanti non porrigis ? sacra ergo communione porrecta, statim placidissime quievit.

**5.** — Doctissimus Salmeron quoad illos, qui ad mensam Eucharisticam parum anhelant, sequentem

[1] II Reg., xxiii. — [2] S. Ambros., apol. 1 *de David.* — [3] *Ps.* xxii, 6. — [4] *Ps.* xv, 13. — [5] S. Gaud., tr. 2.

[1] Chrys., s. 67. — [2] Joan., vi. — [3] S. Isidor., l. *de offic.* — [4] D. Chrys., hom. cit.

ad propositum nostrum facit ingeniosam et utilem reflexionem; dicit enim [1] : « Poterit eos imitari, qui « cum appetitione ciborum destituantur, aut huc « illucque deambulant, aut salsamenta cibis adhi- « bent, ut faciunt infirmi, aut cum aliis, qui vehe- « menti cupiditate tenentur, conviventur, ut illo- « rum exemplo edendum et ipsi excitentur. Ita « nobis faciendum est, aut enim in monte Calvarii, « Oliveti, Tabor et Sion deambulare debemus, ut « ex illorum mysteriorum, quæ in illis montibus « peracta sunt, contemplatione, fames nobis spiri- « tualis acuatur; aut condimenta orationum adhi- « benda, quo paulatim devotione incalescat homo « et suavius, quod percipit, degustet. » Pervolva- mus, obsecro, vitas sanctorum et historias sacras, variaque inveniemus sanctorum virorum exempla, qui, quod erga hunc panem se avide cupidos et famelicos exhibuissent, ab eodem impinguari et miro quodam vigore confortati fuerunt. S. Bernar- dinus de insigni illo Dei servo Hugone de S. Victore refert [2], quod, cum morti vicinus esset ut sanctissi- mum sacramentum avidissime expeteret; circums- tantes, cum eum cibum retinere non posse viderent hostiam ei non consecratam obtulere, moxque Dei servus ad eos conversus, ait : « Deus misereatur « vestri fratres, cur me deludere vultis? iste enim, « quem mihi portastis, non est Dominus meus; at « illi attoniti, corpus Domini mox attulerunt, sed « ille videns, se non posse illud accipere, elevatis « in cœlo manibus, sic oravit : Ascendat Filius ad « Patrem et spiritus ad eum, qui fecit illum. Et « inter hæc verba emisit spiritum et corpus Domi- « ni inde disparuit. » Cui confirmando argumento illud subservit, quod Bollandus de beata Juetta tra- dit in hæc verba [3] : « Felix hæc dicere veraciter « potuit, bonum est mihi hic esse, quam Christus « Dominus propria manu bis in missæ secreta, sui « corporis sacramento incorporare sibi dignatus « est. Quis a tempore, quo Christus in cœna corpus « suum præsens præsentibus dedit, huic audivit « simile? » Qui idem auctor [4] S. Lucianum presby- terum et martyrem, carceribus inclusum, cum aliud altare illi non supteret, incruentum sacrificium su- per pectus suum, quod loco altaris adhibuit, cele- brasse tradit. Salmeron quoque aliud insigne me- morat [5] cujusdam Religiosi factum, qui cum cibum propter languorem, stomachique infirmitatem reti- nere non posset et nihilominus communionis desi- derio traheretur, sacerdotem rogavit, ut hostiam sacram, candido inclusam lino, super pectus ejus collocaret; « quod cum fecisset sacerdos, corpus « Domini penetravit in cor ejus et ita compos de- « siderii sui, ex fide magna profecti, non minus « quam Hæmorroissa, tangens Domini fimbriam « sanus factus est. »

**6.** — S. Carolus Borromæus, perpetuæ pariter memoriæ commendatum esse voluit in concilio quinto Provinciali, id quod circa personam quam- dam, cœlestis hujus panis cupidissimam, contigit, sequentibus expressum verbis [1] : « Quantam conso- « lationem fideles et sacramentorum usu percipant, « vel ex hoc uno cognosci potest, quod dignum « omni commemoratione est. Fuit Mediolani, dum « pestis proximis annis sæviebat, in publica hospi- « tali domo S. Gregorii, homo quidam qui pestem « mortuus putabatur; inde igitur ad locum aspor- « tatur, unde cæteri mortui ad cæmeterium effe- « runiur, eo loci cum in magno cadaverum acervo « tota nocte pene sepultus fuisset; mane dum pu- « blicæ curationis sacerdos, qui peste agrotantibus « sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ferre « consueverat, illuc transiret, ubi ille cadaveribus « plane opertus jacebat; de repente ardenti sumen- « dæ Eucharistiæ desiderio excitatur, se in genua « erexit et hac divina occasione exhilaratus, voce, « quam ab illo animam exhalante consolatio vix « elicuerat, a sacerdote supplex petiit, sibi quoque « dari sanctissimum viaticum, quod ubi sacerdos « libentissime ministravit et ille religiose, summa- « que veneratione accepit, eodem loco statim in « pestis acerbitate, cum summo percepto sacri via- « tici gaudio, ex hac vita migravit. » Quibus enar- ratis, Sanctus ipsemet ad fideles conversus ait : « Quem fidelem hoc pii hominis exemplum non « afficit? »

**7.** — Annales quoque RR. PP. Franciscanorum famem nobis, qua S. Franciscus erga hoc Sacramen- tum laborabat, exprimunt in hæc verba [2] : « Fla- « grabat erga sacramentum Dominici corporis, « fervore omnium medullarum, sæpe communica- « bat et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum « ad immaculati Agni degustationem suavem, « quasi Spiritu ebrius, in mentis plerumque rapie- « batur excessum. » Item de B. Margarita, regis Hungariæ filia, Bollandus scribens, ait [3] : « Corpus « Christi in sacramento altaris devotissime revere- « batur et in hora elevationis ipsius in missa flebat « uberrime et frequenter ab hora elevationis usque « post sacram communionem, sic præ devotione « manebat a sensibus abstracta corporis, ut quasi « mortua videretur; quando vero sacram commu- « nionem volebat recipere, jejunabat die præce- « denti in pane et aqua et tota nocte in orationibus « permanebat. » De B. Veronica de Binasco idem auctor refert [4] : « Veniens sacerdos plerumque « ministrandæ Eucharistiæ gratia virgini, nequibat; « Veronicæ animo ad superos delato, cui Salva- « tor ipse, abeunte sacerdote, proprii corporis

[1] SALM., t. IX. tr. 40. — [2] S. BERN. SEN., t. II, s. 55. — [3] BOLL., t. I, jan. 13. — [4] ID., t. I, jan. 7. — [5] SAL., IX, tr. 31.

[1] *Act. Eccl. Med.*, p. I, c. 5. — [2] WAD., ann. 1210. — [3] BOLL., t. II. jan. 18. — [4] ID., t. I, jan. 13.

« mysteria propinabat. » In Annalibus Franciscanis sequens memorabilis eventus describitur [1] : Etenim « in Ecclesia S. Francisci aliud mirabile « perpetuis signatur monumentis : Præparaverant « se duo fratres laici pro modulo suo ad sacram « communionem, cum cæteris fratribus de religio- « so more in die Cœnæ Domini faciendam, cumque « nihil minus cogitaretur a loci Guardiano (urgebat « siquidem necessitas) panem mendicatum in civi- « tatem mittuntur, qui tandem domum tardius re- « versi, cum et divinum officium persolutum et « reliquos fratres mensæ assidentes invenissent, « Ecclesiam, ubi venerabile Christi Salvatoris cor- « pus de more asservabatur, contempta refectione « petunt, ibique suas vices, quod tanta sacra com- « munione in tanta solemnitate privarentur, miser- « rime dolentes, gemitibus ac singultibus anxie « vacabant. Dumque nihil minus cogitarent, ex « ipsa arcula, qua sacrosancta Eucharistia recondebatur, gratissimus quidam, pulcherrimus, ac « compositus juvenis prosiliit, qui asserens, se « Christum Dominum esse et eorum utrique sacram communionem porrexit, statimque locum « unde prodierat, repetiit. Extant adhuc vestigia « pedum ipsius, pavimento ejus sacelli, in quo hoc « contigit, impressa, atque ferreis craticulis con- « tecta. » Ecce tibi igitur, quam verum sit illud « Christi axioma [2] : *Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* S. Thomas de Villanova in concione de solemnitate Corporis Christi, sequens narrat factum, quod cuidam moniali, quæ ei subdita erat, contigisse refert. « Vidi « ego, » inquit [3], « monialem quamdam, quæ corpus Domini, sicut cervus fontem aquarum desiderabat sitiens, cui, ut videbatur, difficile erat a « sacramento vel una sola die abstinere, tanta erat « sumendi aviditas, tantus accedenti appetitus. Die « sancto Parasceves, cum corpus Domini Ecclesiastico more in monumento reponitur ; quia oblitus « sacerdos, formam, quam illi daret, non reservavit, ejulatibus et clamoribus domum replevit, ut « Filii Unigeniti sepulturam lugere videretur, « neque enim ejus desiderio subveniri poterat. « Tandem cum in fletibus et lachrymis amarissima « tota die persisteret (mirabile dictu) duæ manus « visibiliter ei cum sacramento apparuerunt, ex « quibus ipsum accepit, quo accepto, omnis illa « amaritudo in consolationem uberrimam mutata « est. Hæc omnia inter multas alias revelationes, « ab ejus ore ipse audivi, quæ mihi non sponte sua, « sed obedientia astricta narravit, quia in ordine « nostro mihi subdita erat. »

**8.**— Restat nunc, ut dubium quoddam solvamus, quonam videlicet modo adimpleatur illud [4]: *esurientes implevit bonis ?* Siquidem hic panis cœlestis de semetipso dicit : *Qui edunt me, adhuc esurient?* sed responsionis loco sufficiat dicere, quod per hoc sacramentum *futuræ gloriæ nobis pignus* datur ; gloria enim, animæ appetitum integerrime satiat, dicente Psalmista [1] : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*, et tamen in satiato sui desiderium et famem relinquit. Unde Richardus de S. Victore ait [2] : « O bone Deus, « quomodo amantes te sic reficis, ut magis esu- « riant? » etenim ciborum hæc est natura, quod qualitates suas in manducantem transfundant ; ac proinde cum cœlestis hic cibus continua urgeatur animarum nostrarum fame, mirum non est, quod hunc quoque appetitum in ipsas transfundat; unde per experientiam videmus, quod, quanto sæpius quis hoc sacramento cibatur, tanto vehementius illud iterum et iterum sumere desideret. Unde idem auctor ait : « Quia tu cibus es et esuriens, ideo « et qui te non gustavit, prorsus esurire nescit. » Non sunt igitur incompatibilia, animam aliquam cœlestibus hujus sacramenti bonis repletam esse, eademque magis semper magisque appetere. De hac siti S. Cyprianus ita scribit [3] : « Hanc Dei « gratiam recolens, qui de sacro calice bibit, amplius « sitit et ad Deum vivum erigens desiderium, ita « singulari fame, illo uno appetitu tenetur, ut « deinceps fellea peccatorum horreat pocula et « omnis sapor delectamentorum carnalium sit ei « quas rancidum, radensque palatum, acutæ mor- « dacitatis acetum, »

[1] WAD., an. 1422. — [2] MATT., v, 6. — [3] S. TH. VILL., conc. 2 *in die Corp. Christi.* — [4] ECCLI., XXIV, 29.

## DISCURSUS XXXV

DE HUMILITATE, QUAM CHRISTUS IN EUCHARISTA PROFITETUR, CUI NOS PER RECIPROCOS HUMILITATIS ACTUS, DUM ILLAM RECIPIMUS, CORRESPONDERE DEBEMUS,

IDEA SERMONIS. — 1. Duæ difficultates enodantur circa illa verba : Domine non sum dignus, etc. — 2. Quanta sit dignitas quod Salvator noster seipsum nobis dederit in cibum. Stupenda historia de Rodulpho Austriaco, circa venerationem SS. Eucharistiæ. Applicatio historiæ ad Christum Regem ad nos venientem. — 3. Maxima dignatio quod Filius Dei in S. Eucharist. se nobis communicet. — 4. Pascit nos Christus S. Eucharist. sicut Mater prolem lacte. — 5. Stupenda humilitatis Christi in S. Eucharistia declaratur. — 6. Christi humiliationem per reciprocos actus humilitatis rependere debent communicantes. — 7. Humilitas S. Bon. circa S. Commun. Et B. Simonis ord. Cisterciensis. — 8. Humilitas Centurionis expenditur et communicaturis applicatur. — 9. B. V. humilitas in conceptione Filii Dei. Humiliatio Chananeæ.

*Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.*
Matth., VIII, 8.

**1.** — S. Mater Ecclesia a Spiritu sancto gubernata et directa, piam hanc introduxit consuetudi-

[1] *Ps.* XVI, 25. — [2] RICH. VICT., *de gr. char.*, c. 2. — [3] S. CYP., *de Cœn. Dom.*

nem, ut, dum ad Eucharistiam suscipiendam accedimus, Minister illius sacerdos verba illa proferat, olim a Centurione Capharnaita prolata, quando Salvator ad servum ejus sanandum, domum ejus personaliter ingredi voluit. Circa quæ verba Cardinalis Toletus, in suis in Lucam Commentariis, duas movet difficultates ; primo enim quærit ; ex quo hic miles ad recipiendum in domum suam Dei Filium, indignum se esse protestatus est, ipseque Salvator in eamdem revera ingressus non fuit, quomodo igitur verba illa communioni adaptari possunt, siquidem nos Christum realiter et personaliter in cordis nostri hospitium recipimus? præterea (et est secundum dubium) indignos nos esse profitemur ad quos Dei Filius ingrediatur et tamen ex alia parte famelici et avidi ad illum accedimus, ut intra nos recipiatur ; lingua quidem dicimus : *Domine non sum dignus* et tamen simul eodem tempore eamdem ad illum recipiendum extendimus, licet veram esse illam S. Pauli sententiam noverimus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat*? Toletus in Eucharistiæ administratione, Ecclesiam, ait, duos velle exerceri actus; unum scilicet fidei, qua communicans in synaxi recognoscat venereturque eumdem Deum et hominem, cui dictis verbis cultum latriæ visibiliter præstitit centurio. Secundus vero actus a nobis in his verbis, *Domine, non sum dignus*, exercitus, consistit in eo, ut tanto nos hospite profiteamur indignos, hancque dignationem a sola ejus benignitate provenire cognoscamus. Quod vero alliud dubium concernit, ita sub distinctione respondet [1] : « Du- « plex est dignitas, una rei et hac nemo potest « digne suscipere Christum, alia est præparatione « et hac potest homo digne eum suscipere, si ea « faciat quæ fieri, qui suscipi voluit, manda- « vit, quod si quis ea non exibet, indigne suscipit.» Unde ad spiritualem nostrum profectum, duas considerationes instituere possumus ; primam videlicet, circa humilitatem et submissionem Christi in hoc sacramento, secundam, circa agnitionem nostræ nihilitatis,et vilitatis, quam ex nobis ipsis habemus, quæ ad eum in communione digne recipiendum optima est dispositio.

**2.** — *Ego veniam, et curabo eum*, inquit Salvator noster; quibus verbis se promptum obtulit, ut personaliter ad miserum illum curandum accederet, licet vilis servus humilibus natalibus oriundus, et ministerio infimus esset. B. Laurentius Justinianus Christum in mensa Eucharistica continuo omnibus indifferenter expositum esse considerans, exclamat, dicens [2]: « O ineffabilis dignatio condito- « ris? O stupor indicibilis charitatis quis non con- « tremiscat? quis non cum exultatione miretur? sa- « ne numquam fuisset homo ausus talia petere, sed « neque cogitare, quoniam hoc misericordiæ opus « omnem mortalium supereminet dignitatem. » Quis enim auderet, non jam dico petere, sed etiam desiderare, ut rex in propria persona ad accipiendum in domo sua hospitium, accederet, et sumptuoso illi præparato convivio accumbens, semetipsum illi in cibum porrigeret et tamen quod sibi imaginari non potuit humana aviditas, et superbia, divina reipsa executa fuit magnificentia, quæ vilissimum animarum nostrarum tugurium non dedignans, semetipsam illi in cibum et potum exhibet. De Rodulpho Austriaco scriptum reperio, quod, dum in venatione constitutus de longinquo nollam sonantem audiret, et quid illa significaret, a circumstantibus peteret, mox ut ab illis audivit, nollam illam signum esse, quod viaticum ad rustici alicujus infirmi domum deportaretur ; « non ultra moratus, « per obstantia, et dumos, sylvamque adigens « equum, eluctatusque moras, sacerdotem libero « assecutus campo, equo desiliens comitari perrexe- « rit ; » quod factum adeo memorabila reputatum fuit, ut ad perpetuam rei gestæ memoriam historiis insertum fuerit: imo sacerdos Rodulphum regem in domo rustici infirmi conspiciens, eidem infirmo dixit : Duos hodie in domum tuam recepisti reges, Christum videlicet Regem gloriæ, et Rodulphum regem Bohemiæ, nondum enim in Cæsarem electus fuerat. Sed quis nescit, regem illum, cujus fœmori inscriptus est hic ritulus : *Rex regum, et dominantium*, jam abhinc per mille sexcentos, et amplius annos, non dedignatum fuisse nec deinceps ad finem usque sæculorum dedignaturum esse, in humani pectoris angustiis, quod revera in comparatione ad divinitatem nihil aliud quam fœtidum quoddam est stabulum. hospitari? Porro quod rex, vel imperator aliquis ad infirmum visitandum rusticum, ejus non dedignetur ingredi tugurium, valde multum est ; at vero, quis unquam audivit, regem aliquem vel Imperatorem non dedignatum fuisse sibimetipsi aperire venas, seque frustatim discerpere, ut ex se balsamum quoddam conficiat, unde vulnera et morbi miseri rustici sanentur, et tamen supremus ille cœli terræque Monarcha, in sacramento Eucharistiæ idipsum quotidie nobiscum operatur. Unde S. Bernardus in sermone *de ultima cœna Domini*, merito exclamat [1] : « Panem Angelorum manducavit homo? O stupenda « Dei miseratio ! Verbum carnem, Deus cinerem, « figulus lutum, vita morticinum induit, ut ju- « menta manducarent Panem Angelorum, » homo enim, cui Deus imaginem et similitudinem suam impresserat, tandem infeliciter degeneravit in jumentum; unde David ait [2]: *Homo, cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Vide igitur, qualiter Deus

[1] Tol., *in Luc.* — [2] B. Laur. Just., *de Euch.*

[1] S Bern., ser. *de ult. cœn.* — [2] *Ps.* xlviii, 13.

noster non fuerit dedignatus, in *Bethleem*, quod idem est quod *domus Panis*, abire, ut hominem in stabulo infirmitatum visitaret, nam ut S. Bernardus ait : « Seipsum invenit homo propter infirmitatem « jacentem in stabulo, stabulum enim quid est? « mundus est, propter pecorinam similitudinem « indigens erat fœno, ea propter cibus cœlestis « mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato « in pecus, Panis Angelorum factus est fœnum, « unicus Patris filius hominis; verbum quippe caro « factum est, et juxta prophetam [1]: *Omnis caro fœ-* « *num.* »

**3.** — Cajetanus ad modum se reflectit loquendi quo S. Joannes incarnationem verbi descripturus utitur; dicit enim [2]: *Verbum caro factum est et ha-* « *bitavit in nobis.* Quamvis enim appellatione car- « nis, intelligatur homo, cum dicitur : quod verbum « factum est caro, Evangelista tamen non dicit : « *et Verbum factum est homo*, sed factum est *caro* « ad explicandam divinam dignationem, in hoc, « quod Verbum factum est id, quod est infimum in « homine, scilicet caro; maxima siquidem descri- « bitur Dei benignitas, dum usque ad infimum « descendisse describitur. » Longe tamen excellen- tius quid est, quod in Eucharistia, quæ est quædam incarnationis extensio, Christus corpus suum vilis- simo terræ vermiculo, homini videlicet, in cibum dederit quodque majori dignum est admiratione, non solum nos suo sanctissimo corpore nutrire dignatus fuerit, verum insuper sub pœna mortis æternæ, corporis sui sumptionem nobis præceperit. Quæ consideratio V. Thomam a Kempis adeo per- movit, ut diceret [3] : « Nisi tu Domine hoc diceres, « quis verum esse crederet, et nisi tu juberes, quis « accedere attentaret ? » S. Thomas de Villanova pariter obstupescit, dicens [4]: « Ut uno communi cibo « vescantur et in eadem mensa consideant verna- « culus, et filius pauper et dives servus, et princeps, « miles et dux, vilis e terra vermiculus, et cœlestis « gloriæ angelus, quis hoc non obstupescat? »

**4.** — De incarnatione quidem Apostolus ait [5] : *Exinanivit semetipsum* ; is enim, cujus immensitatis amplissimæ cœlorum sphæræ incapaces sunt, adeo pusillus effectus est, ut in utero recluderetur Virgi- nis, unde Ecclesia ait : « Quem cœli capere non po- « terant, tuo gremio contulisti; » at vero in hoc sa- cramento majestas, et infinitas ejus sub invisibili quasi et indivisibili hostiæ atomo continetur: unde S. Thomas ait: « Fracto demum sacramento, ne va- « cilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, « quantum toto tegitur. » Quam eamdem in Eu- charistia Christi humilitatem, et exinanitionem, his verbis S. Augustinus repræsentat, dicens [6]: « Unde « commendavit corpus, et sanguinem suum de « humilitate sua, nisi enim esset humilis, nec man- « ducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem « ipsius, *in principio erat Verbum, et Verbum erat* « *apud Deum, et Deus erat Verbum*: ecce cibus sem- « piternus, sed manducant angeli, manducant su- « pernæ virtutes, manducant cœlestes spiritus, et « manducant, et saginantur, et integrum manet, « quod eos satiat et lætificat. Quis autem homo « possit ad illum cibum? Unde cor tam idoneum « illi cibo ? oportebat ergo, ut mensa illa lactesceret « et ad parvulos perveniret unde autem fit cibus « lac? unde cibus in lac convertitur, nisi per « carnem trajiciatur? nam mater hoc facit. Quod « manducat mater, hoc manducat infans, sed « quia minus idoneus est infans, qui pane « vescatur, ipsum panem mater incarnat, et per « humiditatem mammillæ, et lactis succum; de ipso « pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso « pane pavit nos sapientia Dei? Quia *verbum caro* « *factum est et habitavit in nobis.* Videte ergo humi- « litatem, *semetipsum exinanivit*, ut manducaret « Panem Angelorum homo, *formam servi accipiens,* « *humiliavit se factus obediens usque ad mortem,* « *mortem autem crucis* ,ut jam de cruce commen- « daretur nobis caro et sanguis Domini. »

**5.** — Eumdem hunc cibum cœlestem Dominus olim per Oseam nobis promisit, sed phrasim observe- tis velim, qua hac in sponsione utitur, dum ait [1]? *Declinavi ad eum, ut vesceretur* ; ubi verbum *declina- vi*, singulariter notandum occurrit, idem signifi- cans, quod humiliavi, seu exinanivi me, juxta S. Hie- ronymi glossam, ita in Christi persona loquentis ; « *Declinavi,* deserens regna cœlorum; ut cum eis « vesceret, assumpta forma hominis, sive dedi eis « esum corporis mei, ipse et cibus, et conviva; » quam veritatem ipsemet Christus stabilivit, dum B. Angelam Fulginiensem, sacramento huic devotis- simam, in quadam visione ita fuit allocutus [2]: « Vi- « disti aliquid de potentia mea, modo videas et hu- « militatem meam; » hanc autem submissionem in sanctissimi corporis communione Christus demons- travit; unde ipsa sancta subjungit : « Et videbam « tantam profunditatem Dei ad homines, et tantam « humilitatem, quod comprehendens anima poten- « tiam inenarrabilem, et videns tam profundam « humilitatem, mirabatur, et reputabat se nihil « omnino; » dumque se sacra mensa indignam re- putaret, sibi dici inaudiit: « Ego qui sum dignus « facio te dignam, et tunc remansit in me dulcedo « inenarrabilis, et lætitia magna, qua non credo « carere in tota vita mea. » De S. Francisco Sera- phico annales illius religionis tradunt [3], quod arden- tissimis sanctissimum hoc sacramentum prosecutus fuerit affectibus, stupore admirans maximo illam charissimam dignationem, et dignantissimam cha-

[1] Isa., xl, 5. — [2] Cajetan., *ib.* — [3] Thom. a Kempis, l. IV, c. 1. — [4] S. Thom. Vill., c. 3 *de sac.* — [5] Phil., 2 i, 7.— [6] S. Aug., *in Ps.* xxxiii.

[1] Osee, xi, 4. — [2] Boll., t. I, jan., *B. Ang.*, c. 3. — [3] Wad., ann. 1150.

ritatem; unde ipsemet in quadam epistola sua exclamat, dicens : « O superna dignatio, o sublimitas « humilis, ut Dominus universitatis, Deus et Dei « Filius, sic se humiliet, ut pro nostra salute sub « modica panis formula se abscondat. » Multi alii heroicam suam aliquo in actu perhibuere humilitatem, Christus autem a mille sexcentis, et pluribus annis usque modo, et usque ad sæculorum finem, quotidie se humiliavit, et humiliabit; dum ad verba consecrationis, et juxta dispositionem, et talentum cujuscumque sacerdotis, quantumvis indigni, descendet de cœlo mille millies, et amplius, sub hostia angusta restrictus, ut vas putredinis hominem dico, pascat et cibet, neque materiam fastidiit hostiæ, quamvis non nesciret, eam tinearum corrosionibus murium, vermiumque morsibus subjacere; neque a tanto beneficio eum evocare potuit tot millium injuriarum, ab impiis nullo non tempore adversus species sacramentales committendarum, horror.

**6.** — Hæc autem humilitas, a Christo in hoc sacramento tam evidenter nobis exhibita, vicissim a nobis ad idem sacramentum accedentibus, per reciprocos humilitatis actus debet rependi. Observandum porro est, Centurionem Christo non dixisse quod servus ejus indignus esset, ad quem Christus personaliter accederet, quia utpote a Spiritu Sancto interius illuminatus, sine dubio sciebat, tantum abesse, ut paupertas, et humilitas servi, eum ab illius visitatione deterreret, ut potius eamdem illa humilitas, præsentiæ et beneficentiæ suæ, magnetis instar attractiva esset; nam ut S. Thomas ait : « Manducat Dominum pauper servus et humilis, » et S. Cyprianus inquit[1] : « Cum infirmis habitans non « infirmatur, nec pauperum ministerio indignatur, « pauperes quidem spiritu ad hoc mysterium eligit « et diligit Spiritus Sanctus. » Potius igitur Centurio semetipsum præsentia Christi corporali indignum esse asserere voluit, utpote qui dives, multorum servorum dominus variorumque subditorum gubernator erat; hanc autem sui indignitatem ideo præcipue professus est, quia se in Christi gratiam et benevolentiam, quoad poterat, insinuare volebat. Quo fine opportunum sciebat esse medium, si propriam indignitatem suam ultro agnosceret. In cujus evidentiorem rationem observandum, quod, tametsi domum, et palatium, conformiter ad dignitatem, quam in Capharnaum, Galileæ metropoli, obtinebat elegantissime exornatum haberet, illud tamen non alio quam tecti nomine appellavit, dicens : *non sum dignus ut intres sub tectum meum*; probe namque Salvatoris oculum ad paupertatem, non vero ad mundi fastum directum esse sciebat; unde Albertus Magnus ait[2] : « Habitationem suam non vocat do- « mum, sed tectum, quod solum est defendens ab « incommodis aeris; » nimirum docere nos volens, quod, quanto erimus humiliores, tanto ad magnum hunc hospitem recipiendum digniores futuri simus.

**7.** — In annalibus Franciscanis, de S. Bonaventura legitur[1], multos quidem veluti rem indignam censuisse, quod vir tantus, in doctrina, regimine, et sanctitate adeo conspicuus, humilibus, et vilibus adhiberetur ministeriis, at vero historicus in eodem loco non sine mysterio immediate subjungit[2] : « Quinimo quod maxime mirandum est, tanta præstitit « humilitate, ut, cum diu aliquando adhuc junior » se indignum putarit sanctissimo Christi corpore, « dignus ideo fuerit, qui id angelo ministrante « susceperit. » In annalibus Cisterciensibus de B. Simone converso, Alnensi, legimus[3], quod, dum die quadam ad communionem sumendam accessisset, sacerdos vero sacram hostiam inadvertenter in terram cadere permisisset, servus Dei illam levare volens, Deum ferventer rogarit ut illam eo usque in terra jacentem relinqueret, donec præmissa oratione ad illam contingendam se dignum fecisset; cumque in illam tam ferventi oratione, in humilitatis suæ abyssum se dimisisset, Christus vero ab ejus ore « refugisset, inter lacrymas, et singultus perturba- « tur, cum ecce mirum dictu, hostia exiliens ad os « orantis sursum evolavit atque ipsum ingressa « pacatum sibi Deum neque aversantem, sed magis « quæsiturum testata est, nec cecidisse ut ab eo « deviaret, sed ut ostenderet, se magnete labiorum « ejus toties trahi, quoties in oratione commove- « bantur, neque minus de cœlo descensurum, « quam de terra ascenderet, ad ejus vocem semper « pertrahendum. »

**8.** — Verum quidem est, quod Salvator Centurionis domum personaliter ingressus non fuerit, attamen ob humilitatis ipsius merita, optata servi sanitas eo advolavit, adimplevitque, quidquid a Salvatore petierat : scilicet, *dic tantum verbo, et sanabitur puer meus*. Unde S. Ambrosius ait[3] : *Contradicente Centurione non pergit ad domum Dominus, sed pergit Domni medicina*. S. Gregorius verba illa; *repleti prius, pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt* exponens, inquit[4] : « Quia sancti veræ humilita- « tis arte præditi, dum de se alta non sentiunt, alta « virtutum dona promerentur. » D. Chysologus idipsum confirmat dicens[5] : « Tectum suum Christus « vetat intrare, quem totum videt intra tectum sui « corporis manere. » S. Augustinus similiter considerat, Centurionem per hunc humilitatis actum, quo se indignum judicavit in cujus domum Christus descenderet dignum se reddidisse, qui reciperet non jam in suam domum materialem; sed in cor suum, Filium Dei, unde ait[6] : « Non in cujus parietes, sed « in cujus cor Christus intraret, dignus factus est, « neque hoc diceret cum tanta fide, et humilitate

[1] S. Cyp., *de Cœna Dom.* — [2] Alb. Mag., *ib.*

[1] Wad, ann. 1245. — [2] *Ann. Cisterc.*, t. III, a. 1193. — [3] S. Ambros., s. 89. — [4] S. Greg., *in* I *Reg.* — [5] D. Chrys., s. 15. — [6] S. Aug., s. *de Ver. Dom.*

« nisi cum illum, quem timebat intrare domum « suam corde gestaret, nam non erat magna felici- « tas, si Dominus Jesu intraret in ejus parietes, « et non esset in pectore ejus. » S. Cæsareus Arelatensis in homilia quadam hoc totum sequenti similitudine declarat, dicens [1]: « Sicut de fonte terreno « et corporali fluvio non potest aliquis bibere, si se « noluerit inclinare; ita et de vivo fonte Christi « nemo aquam vivam haurire poterit nisi se humi- « liter inclinare voluerit. » Quod ipsum Salmeron exemplo sanctissimæ Virginis et matris Dei confirmat [2], quæ in profundum humilitatis centrum descendens, dicendo : *Ecce ancilla Domini*, æternum Patris verbum concepit, et carne vestivit : « ita « qui ad hanc mensam invitati sunt, humilia de- « bent de seipsis sentire, et quæ sentiunt, ore tes- « tari, dicentes : *Domine non sum dignus etc.* » id quod sequenti similitudine declarat, sicut enim rami arboris alicujus, quanto sunt onustiores fructibus, tanto vehementiori pondere ad terram inclinant; e contre vero sursum eriguntur, quando fructuum sunt expertes ; « ita animus Dei donis desti- « tutus, superbit magis, efferturque inaniter, qui « vero divinis muneribus repletus est, dejicitur « atque demittitur, vel ex eo, quod ante oculos « habet a Christo humilitato, et in formam servi « exinanito, insigne humilitatis argumentum. » S. Cæsareus Arelatensis aliam adducit similitudinem inquiens [3]: « nostis fratres, quia pluvia, si montem « nimis erectum invenerit, cito in vallem decurrit. « et ideo qui se ad accipiendam benedictionem hu- « militer inclinantes, quasi in valles faciunt, ipsi « pluriam Divinæ benedictionis accipiunt, et im- « pletur in eis illud quod scriptum est : *Omnis val- « lis implebitur.* »

**9.** — Sanctissima Deipara, mox ut filium suum, quem in sacramento degustamus, carne humana vestierat, ascendit in montana Judeæ [4]; *abiit in montana cum festinatione*; nec tamen montes illi, abundantes gratiarum illius aquas coercere poterant, quin in Elisabetham et filium ejus dimanarent ; postquam enim illa vallem se humilem fecit, dicendo : *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? repleta est Spiritu Sancto* idem ergo quælibet anima dicat oportet, dum ad communionem accedit? *Unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me?* et cum Chananæa dicere debet [5]: *Catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum*, nam in proportione ad angelos canem se esse censere debet. De Miphiboseth dicitur [6] quod *corruit in faciem suam et adoravit* Davidem scilicet, sed quandonam hunc obseqnii et cultus actum Davidi exhibuit tunc videlicet, quando illum sibi dicentem audivit : *Tu comedes panem in mensa mea semper*, cui ipse tunc protinus respondit : *Quis ego sum servus tuus, quia respexisti super canem mortuum et similem mei?* Eodem modo, quando verus David hunc panem Eucharisticum nobis manducandum proponit, nosque ad illum adorandum accedimus, dicere merito deberemus, « vere panis filiorum non mit- « tendus canibus; » vere enim panis ille angelorum panis est : *Ecce Panis angelorum*, nos autem veluti canes sumus in comparatione ipsorum, ideoque pane hoc indigni sumus : *quis sum ego, etc.* demum vero ad mensam Eucharisticam accedentes dicere possumus cum sapiente illa muliere Chananæa : *Etiam Domine, nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Unde S. Ambrosius ait [1] : « O uberes micæ, quæ repellitis « jejunium sempiternum, quæ colligentem paupe- « rem æternis expletis alimentis! »

[1] S. Cær, Arel., h. 30. — [2] Salm., t. IX, tr. 40. — [3] S. Cæs. Arel., *ib.* — [4] Luc., I, 39. — [5] Matt., xv, 27. — [6] II Reg., IX.

## DISCURSUS XXXVI.

DE CORRESPONDENTIA ET PROPORTIONE, SACRAMENTUM HOC INTER ET PASSIONEM CHRISTI, CUJUS ILLUD EXISTIT FRUCTUS, AC PROINDE UT EUCHARISTIAM CUM FRUCTU PARTICIPEMUS, PASSIONEM MEDITEMUR OPORTET.

Idea sermonis. — 1. Celebraturi et communicaturi meditentur Dominicam passionem. Magna connexio S. Eucharistiæ et Dominicæ passionis. — 2. Hostia Abelis Deo magis placuit, quam Cain et quare. Botrus uvæ exploratorum figuravit Christum in cruce suspensum. — 3. Quid designet oblatio de sartagine. — 4. Panis Eucharisticus, conjungendus est ligno crucis. — 5. Agnus Paschalis assus igne designabat corpus Christi. Lactuca agrestes designabant amaritudinem passionis ejus. — 6. Panis subcineritius quem Elias comedit sub junipero, designabat Eucharistiam sumendam cum meditatione passionis Dominicæ. Christus conjunxit commemorationem passionis suæ institutioni SS. Eucharistiæ. — 9. Panis Ruth intinctus in aceto, significat Eucharistiam sumendam commemorando simul passionem Christi. — 10. S. Eucharistia semper adjunctam habet crucem.

*Quotiescumque manducabitis Panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* I Corinth., xi, 26.

**1.** — Postquam Salvator noster, ut S. Lucas refert, corpus suum in ultima cœna consecrasset, suisque Apostolis distribuisset, simul etiam iisdem præcepit, ut mysterium hoc in Passionis suæ memoriam celebrarent, dicens : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commerationem.* Idipsum quoque S. Paulus Corinthiis, nec non universæ Ecclesiæ insinuat, in verbis thematis adductis : *Quotiescumque manducabitis, etc. mortem Domini annunciabitis.* Unde S. Bernardus in sermone *de Cœna Domini*, eos, qui ad hanc mensam frequentandam pigri sunt, perstringens, ait :

[1] S. Ambr., *in Luc.*

« Quid facis, o homo indigne? quid facis o homo « ingrate? adora devotius et recole frequentius in « sacramento altaris salutem mundi, pro te passam « vitam, pro te mortuam. » S. Bernardinus verba illa : *Hoc facite in meam commemorationem*, explicans, ait [1] : « Hoc est meæ Passionis repræsenta- « tionem ; ad hoc, istud sacramentum conficitur, « ut ex frequentatione ipsius, intuentes quotidie « Christi sanguinem effusum, sic de Christo passo « nostra memoria repleatur, quod nostro semper « fixus sit in corde, qui semel pro nobis fixus fuit « in cruce. » Rupertus Abbas, sacramentum Eucharistiæ et passionem Christi, talem inter se connexionem habere arbitratur, ut utraque simul conjuncta, deputata esse videantur, veluti basis, cui sublime Ecclesiæ ædificium innititur; unde ait [2]: « Auferat a cœtu Ecclesiæ quotidianas Salvatoris « nostri hujusmodi exequias et vide, quam merito « dicat ipse Salvator : *Quæ utilitas in sanguine meo*? « refrigescente enim ea, quæ hoc modo nunc ubi- « que calet ejus memoria, refrigescet universa « charitas; mortua erit fides, claudicabit spes, « conticescet magnus ille clamor sanguinis justi « Abel. » Ecclesia quoque in oratione secreta Dominicæ nonæ post Pentecostem, dicit : « Quoties « hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus « nostræ redemptionis exercetur. » Nec desunt in antiquo Testamento variæ hujus unionis figuræ et prædictiones propheticæ, prout in sequentibus videbimus.

**2.** — Apostolus in Epistola ad Hebræos de oblatione Abel, inquit [3] : *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo.* Scire autem percuperem, quænam fuerit prærogativa illa, qua oblatio Abel fratris sui excessit oblationem? Scriptura ait [4] : *Fuit Abel pastor ovium et Cain agricola*; *factum est autem post dies multos, ut offerret Cain de fructibus terræ* ; cum igitur verisimile sit, Cain spicas obtulisse frumenti, siquidem hæ inter substantiores terræ fructus computantur, merito quærendum venit, cur hæ non æque acceptæ fuerint, quam agni ab Abel oblati? respondeo igitur, quod, licet tam frumentum, quam agnus, sacramenti hujus sacrificium incruentum figurarint, quod *in pleuitudine temporum*, instituendum erat, attamen agnus Abelis Eucharistiam expressius et vivacius repræsentabat, utpote quæ sub utraque specie instituenda erat. Rupertus Abbas imprimis quidem dicit [5], quod « cultu, vel religione parem uterque obtulit « hostiam ; » postea tamen discursum suum prosequens, prærogativam ostendit, ob quam oblatio Abelis fratris oblationem excessit : « Primus, » inquit, « unigeniti Filii Dei testis Abel, voluntarium « Deo de primogenitis gregis sui sacrificium obtu- « lit, in fide passionis ejusdem unici et dilecti Filii « Dei, quem tali sacrificio præsignari condecuit, » quasi diceret Deus majori cum benignitate hanc Abelis oblationem respexit, quia præterquam quod figura fuerit agni Eucharistici simul tamen sacrificii cruenti Passionis suæ symbolum exstitit. Revocandum est hic in memoriam, quod quando emissi exploratores ingentem illum uvæ botrum in vecte suspensum attulerunt, Scriptura de illis dicat [1] : *Pergentesque usque ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri*, ut nimirum quænam esset terræ promissionis fœcunditas, demonstrarent, ingentem quemdam uvæ botrum attulerunt, ex ligno suspensum, clarum Christi in patibulo suspensi symbolum, de quo Sponsa in sacris Canticis ait [2] : *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Ex hoc autem botro, in Calvariæ torculari expresso, copiosus ille emanavit sanguis, quo in Eucharistia potamur ; unde Honorius Augustodinensis ait [3] : « Uva in prælo duo- « bus lignis expressa, in vinum liquatur ; et Christus « duobus lignis crucis pressus, sanguis ejus in « potum fidelibus fundebatur. »

**3.** — Inter alios ritus, pro oblationibus antiquæ legis præscriptos, unus hic fuit [4] : *Si oblatio fuerit de sartagine, divides eam minutatim* ; cujus mysterium Hesychius Hierosolymitanus ad propositum nostrum his verbis declarat [5]: « Sacrificium de sar- « tagine dispensationem passionis appellat Unige- « niti ; crucem assimilari sartagini propterea judi- « cans, quia sartago in tantum est fortis, ut « superposita igni, ipsa quidem non consumatur, « nec aliquam corruptionem sustineat, aut immi- « nutionem ; superpositos autem cibos, mox ut « ignem tetigerint, vel si duriores fuerint, non « longo intervallo aptos esui reddit. Sic et Christi « crux, fortis tantum fuit, ut omnem creaturam « subjiceret crucifixo, carnem autem ejus, quæ ad « comedendum inepta erat ante passionem (quis « enim comedere cupiebat carnem Dei?) aptam « cibo post passionem fecit : si enim non fuisset « crucifixus, sacrificium corporis ejus minime co- « mederemus. »

**4.** — Apud Jeremiam impii nonnulli dicunt [6] : *Mittamus lignum in panem ejus et eradamus eum de terra.* At vero quisnam unquam lignum pani commisceri audivit? Panis quidem lignis mediantibus coquitur et comparatur, numquam vero illis commiscetur; haud dubie igitur in spiritu locuti sunt prophetico, ad cœlestem hunc panem alludentes, quia postquam Christus in ultima cœna sacratissimum corpus suum consecrasset et transubstantiasset Judæi panem hunc sine dilatione in crucis lignum confixerunt, ut necem ei inferrent. Unde Interli-

[1] S. Bern., t. II, s. 54. — [2] Rup. Abb., l. II *de divin. offic.* — [3] Hebr., XI, 4. — [4] Gen., IV, 2. — [5] Rup. Ab., l. *in Gen.*

[1] Num., XIII, 24. — [2] Cant., I, 14. — [3] Hon. Aug., l. *de ant. missa.* — [4] Lev., 5. — [5] Hes. Jer., *in Lev.* — [6] Jer.

nearis inquit : « Mittamus lignum crucis in corpus « Salvatoris, qui est panis, qui de cœlo descendit.» Eodem modo Theodoretus hunc textum exponit, inquiens [1]: « Istud omnino non convenit prophetæ; « qui enim fieri poterat, ut lignum immitteretur in « panem ? at Christo Domino sermo prophetiæ vel « maxime quadrat, nam sui ipsius corpus panem « appellavit, *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro « mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Panem « hunc ligno confixerunt, qui putabant, se memo- « riam illius extincturos. » Hugo Cardinalis optime observat, illos non dixisse [2]: « *Mittamus* panem « in lignum, sed *lignum in panem ejus,* ad innuen- « dum, quod majorem habebat potentiam ille pa- « nis super lignum, quam lignum super panem. » Porro lignum istud ab hoc pane honoratum fuit et vicissim lignum hunc panem meliorem effecit, cum hac tamen differentia, quod, dum illi mortem inferre machinabantur, effectum operati fuerint omnino contrarium, quia postquam hic panis in ligno suspensus fuit, de illo dicitur [3]: *Dat vitam mundo,* et ideo vocatur *Panis vivus et vitalis.*

**5.** — Agnus paschalis, Eucharistiæ figura, diversos nobis suppeditat ritus, qui clare nobis exhibent analogiam, quæ corpus Christi inter et passionem ejus intercedit. Et imprimis quidem Deus voluit, ipsum comedi assatum, *tantum assum igni*; quam cæremoniam S. Justinus Martyr considerans, his verbis ejusdem exponit mysterium [4] : « Agnus ille, « quem assum jussu Dei esse oportebat, passionis, « suppliciique crucis, cui Christus affigendus erat, « fuit significatio. Agni enim, qui assus redditur, « carnes, cum ut ita dicam, assantur, speciem cru- « cis perferunt, unum enim rectum vero ab infir- « mis partibus ad caput pervenit, unumque rursus « quod per dorsum pertinet, cui pedes conjungun- « tur. » Iterum agnus ille cum lactucis sylvestribus manducandus erat : *Edent carnes, assas igni, cum lactucis agrestibus.* De quibus ita Sylva allegoriarum sermocinatur [5] : « Per lactucas agrestes, quæ in « festo azymorum comedebantur, Hebraice signifi- « catur amarus vel acris sapor, qui appetitum dis- « ponit, ut videlicet agnus, qui est Christus, come- « datur cum affectu et appetitu ; possunt autem « significare luctum pœnitentiæ, violentiam jejunii, « laborem orationis, patientiam in adversis. » Principaliter autem dictæ lactucæ amaritudinem designabant passionis Christi, ideoque agni hujus Eucharistici saporem indicare volens idem Salvator hoc ipsum condimento præparari jubet : *Quoties- cumque manducabitis panem, etc.* Iterum agnus paschalis cum baculo in manibus edendus erat ; *Tenentes baculos in manibus;* baculus ille crucem designabat Redemptoris. Unde S. Augustinus illum Genesis textum : *In baculo meo transivi Jordanem istum,* interpretans, ait [1] : « Jacob ad accipiendam « uxorem exhibuit baculum ; et Christus ad « redimendum Ecclesiam suam, detulit crucis lig- « num. »

**6.** — Psalmista postquam dixisset [2] : *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt,* immediate subjungit : *Parasti in conspectu meo mensam, ad- versus eos, qui tribulant me.* Quæ verba, ut proba- vimus supra, de mense Eucharistica interpretantur; ecce igitur vobis, quanta crucem inter et Sacra- mentum, tot ante sæculis prædicta, intercedat connexio ; unde S. Basilius ait [3] : « Haud procul « a scopo aberravit quis, si salutiferam crucem his « nominibus insigniverit. » Iterum quod agni paschalis ritum concernit, præceptum fuit Israelitis ut ejus sanguine liminaria domuum conspergerent [4] : *Aspergite ex eo superliminare et utrumque postem.* Ubi Rupertus Abbas sequentem format discursum [5] : « Qui sanguis super utrumque « postem ponitur, quando non solum ore corporis, « sed etiam ore cordis hauritur. In utroque enim « poste sanguis agni est positus, quando Sacra- « mentum passionis illius ore ad Redemptionem « sumitur, ad imitationem quoque intenta mente « cogitatur, nam qui sic Redemptoris sui sanguinem « accipit, ut imitari passionem ejus nedum velit, « solum in uno poste sanguinem posuit. »

**7.** — Memorabilis pariter Sacramenti hujus figura circumfertur subcineritius S. Eliæ panis; qui S. Propheta, juxta beneplacitum suum, aperiebat, claudebatque cœlos; nihilominus corporali indigebat sustentatione, ideoque per tres annos circa torrentem Carith a corvis nutritus fuit, qui ipsi mane et vesperi panes detulere et carnes. In Sarepta pariter pauxillum panis a paupere vidua, cui farinam multiplicavit, sibi subministrari fecit. Ast nullus omnino panis tantum ei contulit vigo- rem, quantum subcineritius ille, quem ei cœlitus detulit Angelus ? quia ut sacer textus ait [6] : *Ambu- lavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb.* Circa quorum panum diversitatem, vos ego inter- rogo, cur ille panis singularem præ reliquis habue- rit virtutem, siquidem omnes et singulos eadem subministravit infallibilis Dei providentia ? Respon- deri potest, istum panem cœlestis hujus typum exti- tisse. Unde Lyranus ait [7]: « Comede sacram Eucha- « ristiam. » Ast ego adjunxerim, dictum Prophe- tam pane illo sub junipero fruitum fuisse, dicente Scriptura [8], *projecitque se et obdormivit in umbra juniperi.* Dionysius autem Carthusianus inquit : « Per spinosam juniperum intelligitur crux Salva-

[1] THEOD., *in Joan.* — [2] HUG. CARD., *ib.* — [3] JOANN., VI, 33.— [4] S. JUST. M., in dial. *cont. Theoph.*— [5] SYLV., alleg. *v. lactuc.*

[1] S. AUGUST., s. 79 *de Temp.* — [2] *Ps.* XXII, 5. — [3] S. BASIL., *ib.* — [4] EXOD., XII, 22. — [5] RUP. ABB., l. II *in Exod.* — [6] III REG., XIX, 8. — [7] LYR., *ib.* — [8] III REG., XIX, 4. — [9] DION. CART., *ib.*

« toris ; » quid igitur mirum, si panis ille sub talis arboris umbra manducatus, tantum edenti attulerit vigorem ? Insuper sub cineribus, qui mortem designant, coctus erat ; quoties autem ad sacram hanc mensam, passionis, mortisque Christi mysteria meditantes, accedimus, incredibilem inde anima nostra induit vigorem, unde et nobis communicantibus dicitur [1] : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, mortem Domini annunciabitis.* Porro Hugo Cardinalis ad prædictam se reflectens, sub junipero comedentis, Eliæ circumstantiam, hunc moralem format discursum [2] : « Dicitur, quod sub « cinere juniperi conservetur fervor ignis per an- « num ; et sub memoria mortis conservatur fervor « Religionis. »

**8.** — Psalmista eamdem nobis mensam in Spiritu exhibens, ait [3] : *Edent pauperes et saturabuntur et reminiscentur* ; qui textus admodum obscurus esse videtur, siquidem non dicitur, cujus sint objecti memores futuri. Agellius nihilominus textum hunc nostro docte accommodat proposito, dum ait [4] : « Apte autem post illum cibum, qui « corda vivificat, dictum est, reminiscentur, cum « illam escam, ut in suæ mortis commemoratio- « nem sumatur, Dominus instituerit. » Unde et S. Bonaventura in quodam sermone super ultimam cœnam, ita discurrit [5] : « Præcipue quotiescumque « hunc panem manducamus, memoriam Dominicæ « passionis habere debemus. Bene autem memoria « ejus passionis in sacrificio panis habetur, si ad « memoriam reducitur, quomodo panis fiat de « grano triturato, mola contrito, in clibano cocto. « Granum Christus est, *nisi granum frumenti cadens « in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet* ; *si « autem mortuum fuerit multum fructum affert* ; » si namque panem hunc sumentes, mortem, passionemque meditemur, copiosissimum inde fructum hauriemus. Unde S. Augustinus ait [6] : « Nos de « cruce Domini pascimur, quia corpus ipsius man- « ducamus. » Necessum est itaque, ut si a pane illo pasci et impinguari velimus, amaræ adhibeamus passionis, mortisque meditationem, dicentes cum sponsa electa [7] : *Messui myrrham primam cum aromatibus meis*, aromata autem et myrrham condiendo Christi cadaveri, quando post mortem tumulandum erat, deservierunt. Sed myrrhæ, id est, meditatæ passionis Christi sementem, fructumque ab eadem Dei sponsa discamus, dicente [8] : *Comedi favum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Septuaginta legunt : *Comedi panem meum* ; Syriaca vertit : *Suavitatem.* S. autem Ambrosius *de iis qui mysteriis initiantur, cap. ult.*, legendum putat : *Manducavi cibum meum.* Consideratione dignissima sunt illa Franconis Abbatis verba, dicentis [1] : « Quem suavis gustus vini hujus « demulcet, pressuram torcularis non recuset, ideo « et aqua mysterio nostro miscetur et sic sacrifi- « cium acceptabile Deo offertur, quia tunc gratam « Deo passionis Christi hostiam immolamus, quando « et ipsi passionibus ejus simul patiendo commu- « nicamus. »

**9.** — Booz ad Ruth dixisse legitur [2] : *Comede panem et intinge buccellam tuam in aceto* ? Ubi Interlinearis per Ruth Ecclesiam intelligendam esse dicit, per Booz vero, Christum Glossa ordinaria interpretatur. Consilium vero a Christo fidelibus suis relictum fuit, ut simul cum pane corporis sui, passionis suæ acetum conjungerent ; sic quoque in sacris Canticis sponsa, per quam anima electa denotatur, a capillis rubeis, purpuræ intinctis, prædicatur : *Comæ capitis tui, ut purpura Regis, vincta canalibus.* Ubi juxta S. Gregorium, per hasce comas, cogitationes et affectus nostri intelliguntur [3] : « *Comæ capitis,* » inquit, « sunt cogitationes « mentis ; » hæ autem comæ jungendæ sunt cum meditatione sanguinis effusi nostri Redemptoris. Quonam mysterio factum fuisse existimatis, quod Christus sacramenti hujus institutionem ad ultimam usque vitæ suæ vesperam, post XXXIII annorum decursum distulerit [4] : *In qua nocte tradebatur, accepit panem ?* Rupertus Abbas dubium hoc movet [5] : « Cur hoc, nisi quia non aliunde vivificum hoc mys- « terium, sed ipsa condebatur Domini passione ? » Idcirco subinde ipse Apostolus dicit : *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Qui idem auctor illa Exodi verba, ubi de sanguine agni agitur *aspergite ex eo superliminare*, sequenti ampliat commentario : « Qui etiam insuperliminaribus « domorum ponendus est, quid enim spiritualiter « domos, nisi mentes nostras accipimus, in quibus « per cognitionem habitamus ? cujus domus super- « liminaris, est ipsa intentio, quæ præeminet ac- « tioni ; qui igitur intentionem cogitationis suæ, « ad imitationem Dominicæ passionis dirigit, in « superliminari domus, agni sanguinem ponit. »

**10.** — Si ad Ecclesiæ ritus et ceremonias nos reflectere velimus, eamdem quoque sacramentum et passionem inter, manifeste relucere unionem advertemus. Et in primis quidem Rubrica præcipit Ecclesiastica, ne Eucharistia ullibi locetur sine cruce aut crucifixo. Iterum hostiæ juxta usum antiquum, aut nominis Jesu, aut crucis aut Crucifixi effigiem repræsentant ; unde et Apostolus ait [6] : *Calix benedictionis, cui benedicimus* ; et in Canone dicitur : *benedixit, deditque discipulis suis.* Quod autem mysterium subesse creditis, quod Christus ante consecrationem, panem, vinumque benedixerit ; nisi ut

[1] I Cor., XI, 26. — [2] Hug. Card., *ib.* — [3] *Ps.* XXI, 27 — [4] Agell., *ib.* — [5] S. Bon., s. 4. *in Cœn.* — [6] S. Aug., *in Ps.* C. — [7] Cant., V, 2. — [8] Id., *ib.*

[1] Franc. Abb., t. X *de grat. Dei.* — [2] Ruth, II, 14. — [3] S. Greg., *ib.* — [4] I Cor., XI, 23. — [5] Rupert. Abb., l. III. — [6] I Cor., X, 16.

per benedictionem, quæ crucis formam habet, nos instrueret, tam corpus, quam sanguinem, passionis mortisque ejus fructus esse? ideoque subjungit Apostolus : *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Unde etiam antiquitus, ut S. Joannes Damascenus tradit, fideles communicaturi, in formam crucis manus super pectus componebant : « Manibus in crucis formam compositis, « Crucifixi corpus suscipiamus, » inquit dictus sanctus.

## DISCURSUS XXXVII.

MULTI SACRAMENTUM, SED CULPA SUA, NON VIRTUTEM EJUS SUMUNT ET GRATIAM ; IDEOQUE INDIGNIS CIBUS EST MORTIS, DIGNIS AUTEM PANIS VITÆ.

IDEA SERMONIS. — 1. Multi sumunt S. Eucharistiam sine fructu, sed sua culpa. — 2. Hoc Christus declaravit in verbis institutionis SS. Sacramenti. — 3. Probatur mirabili visione et historia. — 4. Ignis fornacis Babylonicæ designat operationem hujus sacramenti. — 5. Judas cum Apostolis hoc pascitur cibo, sed diverso effectu. — 6. Maculatæ conscientiæ S. Eucharistia est venenum. — 7. Differentia inter panem quem Abraham et Loth apposuerunt Angelis. — 8. Ratio quare pincerna Regis Ægypti sublevatus et pistor suspensus fuerit. Applicatio ad Eucharistiam. Historia qua supradicta confirmantur.

*Mors est malis, vita bonis, vide, paris sumptionis, quam sit dispar exitus.*

**1.** — Hæc Doctoris Angelici verba, maximi continent momenti veritatem, quod scilicet, quantumvis omnes ad mensam Eucharisticam accedentes, panem sumant Angelorum, illi nihilominus qui indigne ipsi appropriant, nec gratiam, nec virtutem percipiant sacramenti, quemadmodum et multi alii sacri Doctores observarunt. Et in primis quidem S. Cyprianus inquit [1]: « Quamvis ab indignis se sumi, « vel contingi sacramenta permittant; non possunt « tamen esse Spiritus participes, quorum infideli- « tas, et indignitas tantæ rectitudini contradicit. » Tales equidem totam sacrosanctam hostiam ore excipiunt, ast eamdem cum animæ cordisque fructu non deglutiunt, quemadmodum illi, qui corde puro cibum hunc manducant. S. quoque Bonaventura eamdem veritatem inculcare nititur, dum ait [2]: « A « talibus sumitur sacramentum, non res sacramenti, « id est, Christi gratia, et unitas charitatis ejus ; « comeditur gustu, sed non reficit spiritum, vadit « ad ventrem, sed non reficit mentem. » Ipsa experientia teste, multi sacerdotes quotidie celebrantes, aliqui sæculares sæpe per septimanam communicantes, cibumque hunc, qui *pinguis panis* dicitur, manducantes, infeliciter extenuantur, marcescunt, et sine Spiritu et devotione aridi, inque vitia procliviores existunt in singulos dies : sed undenam hoc promanare creditis? respondet S. Gregorius [1]: « Comedunt, et saturari non possunt, quia etsi sa- « cramentum percipiant, virtute sacramenti ideo « jejunant, quia prius repleti fuerant : salutis « quippe fructum non percipiunt in comestione « salutaris hostiæ, quia ea, quibus se repleverant, « flagitia portant in mente ; non saturantur, nisi « famelici, quia a vitiis perfecte jejunantes, divina « sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. » Id quod et S. Gregorius pariter docet, dum illa interpretatur in libris Regum contenta verba : *Repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt.*

**2.** — V. Beda idem stabilire volens argumentum, ad illa se convertit Salvatoris, Eucharistiam instituentis, verba [2]: *Qui manducat meum carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Quibus proinde consideratis, sequentem format discursum [3]: « Hoc est ergo manducare illam escam, « et illum manentem in se habere ; ac per hoc, qui « non manet in Christo, et in quo non manet « Christus, proculdubio, nec manducat spiritualiter « ejus carnem ; licet carnaliter, et visibiliter pre- « mat dentibus sacramentum corporis, et sanguinis « Christi. » Infelicibus hujusmodi exprobrari potest id quod archangelus Raphael quondam Tobiæ dixit ; videlicet [4]: *Videbar quidem vobiscum manducare, et bibere,* siquidem juxta oculum humanum omnes quidem æqualiter ad convivium accedere videntur ; verumtamen *paris sumptionis est dispar exitus* ; ideoque observandum est, incarnatam Sapientiam dum mensam hanc institueret, non dixisse : *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, in me manebit, et ego in eo* ; sed hoc dumtaxat de digne communicantibus intelligi voluit, siquidem Christus nullum cum impiis commercium habet, dicente Spiritu Sancto [5]: *Sapientia quidem ædificavit sibi domum, miscuit vinum, proposuit mensam suam etc.* nihilhominus juxta æternæ veritatis testimonium [6]: *In malevolam animam non introibit Sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis* ; *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se.* Id quod et Apostolus, ni fallor, inferre voluit, dum ait [7]: *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Eucharistia namque idem est, quod *gratia* : hæc autem in vacuum, et absque fructu recipitur, quando quis absque debita præparatione ad eam accedit.

**3.** — Discursui huic peraccommodam historiam adducit Bollandus, de B. Juetta, cui insignis quædam, nostroque favorabilis proposito, obtigit visio-

[1] S. CYP., *de Cœn. Dom.* — [2] S. BON., *de præpar. ad Miss.*

[1] S. GREG., *in* I *Reg.* — [2] JOAN., VI, 55. — [3] BEDA, *ib.* — [4] TOB., XII, 19. — [5] PROV., IX, 1. — [6] SAP., I, 4. — [7] II COR., VI, 1.

Familiaris quædam illi puella in Festo nativitatis Christi ad Ecclesiam abierat, sanctissimum receptura; pietate igitur peracta, domum redux, sanctam virginem quam prius sanam, vultuque sereno hilarem deseruerat, languentem offendit in lecto, plurimumque mœstam; tantæ igitur mutationis causam interrogata, S. Virgo respondit [1]; « Causa « mea hujus subitæ infirmitatis visio tristis est, « quam mihi Dominus hodie revelavit. Vidi inter « multos accedentes hodie pro reverentia Dei ex « more ad communionem sanctam, dæmones cum « gaudio uni personæ ad altare procedenti officiosis- « sime deservire, nam velut sponsam dextera læ- « vaque incedentem, eorum quidam sublevabant « vestes; alii ante retroque colligebant et suppor- « tabant: pervenientem miseram sic ad commu- « nionem sumendam, hostiam quidem in os ipsius « mitti a sacerdote. Christum vero cœlum con- « scendere corporaliter aspexi. » Tanti autem excessus rea, culpabilisque, ea ipsamet erat, cui Sancta visionem revelabat; quæ proinde in se reversa, pœnitens suum emendavit defectum, qui fuerat hujusmodi: « Cum ad salutare mysterium accedens « affici timore debuisset a præsentia judicis, et « pietate Redemptoris, devotionis ardore succendi « magis in aspectu clerici cujusdam, qui præsens « in presbyterio cum aliis cantabat, delectabatur, « afficiebaturque (pro dolor!) placendi ejus deside- « rio, quam Christo, cui se probatam tenebatur « exhibere. » Qua occasione idem auctor differentiam, quæ inter digne et indigne communicantes intercedit, insinuat verbis sequentibus: « Cogitan- « dum siquidem omni accedenti ad illum cibum « salutarem, qualis sit, quid accipiat, et ad quid. « Qualis, quoniam si dignus ad illud; et sacra- « menti veritatem sumit, et virtutem; *qui mandu- « cat me, vivit propter me*; si indignus, veritatem « revera corporis, et sanguinem Christi sumit, sed « non virtutem et quidem ad judicium. Quid? a bonis « et malis indifferenter Christus corporaliter totus « a singulis, integerque sumitur sub specie trans- « substantialis rei. Ad quid? ad vitam, vel ad mor- « tem pro fide meritoque sumitur. Quod dicta per- « sona solam visa est recepisse hostiam, Christi « corpus quasi habitaculum abominans immun- « dum, cœlum ascendisse visum est. Factum credi « potest ad meritum sumentis declarandum. »

**4.** — *Mors est malis, vita bonis.* Unus idemque panis in se ipso panis et cibus est vitæ, et nihilominus respectu aliquorum, mortis est instrumentum, non ob defectum suum, sed illorum, qui indigne ipso vescuntur. Unde S. Paschasius inquit [2]: « Ecce « omnes indifferenter quam sæpe sacramenta al- « taris percipiunt plane, sed alius carnem Christi « spiritualiter manducat, et sanguinem bibit, alius « vero non, quamvis buccellam de manu sacerdo- « tis videatur percipere; et quid accipit, cum una « sit consideratio, si corpus, et sanguinem Christi « non accipit? Vere quia reus, accipit indigne, « sicut Apostolus Paulus ait: *Judicium sibi man- « ducat et bibit, non probans se ipsum, nec diju- « dicans corpus Domini.* » Idem ardebat fornacis Babylonicæ ignis foris [1] et intrinsecus, et nihilominus ab intra tamquam ros temperatissimus tres refrigeravit pueros, qui foris sacrilegos absumpsit ministros; ita quoque Deus noster, qui in hoc sacramento *ignis consumens est*, Babylonios, id est, improbos, ad incendium condemnat infernale, *mors est malis*; ii vero, qui cum puerilli bonæ conscientiæ innocentia ad panem hunc accedunt, cœlesti refocillantur rore, dicente S. Chrysostomo [2]: « Non « est sanguis Christi deterior Babylonico igne, ille « scit Sanctorum in camino honorare corpora, et « Chaldæos comburere, quanto magis sanguis ille « pretiosissimus scit perdere incredulos et servare « fideles? » Ideoque divinus quondam sponsus ad S. Birgittam dixisse scribitur: « Boni suscipiunt « corpus meum hoc quod crucifixum est, et ascen- « dit in cœlum; quod præfigurabatur in manna: « similiter et mali, sed boni ad confortationem « majorem, mali vero ad majorem judicii justitiam, « quia, non timent indigni accedere ad tantam « dignitatem. » Cui simile in hæc verba documentum tradit S. Joannes Damascenus [3]: « Iis, qui sa- « cramentum istud per fidem digne percipiunt, in « peccatorum remissionem, et vitam æternam, « animique et corporis præsidium cedit, iis contra, « qui indigne suscipiunt, in pœnam ac supplicium. »

**5.** — In Cœnaculo Sion omnes Apostoli indifferenter commensales adhibiti sunt Salvatoris, siquidem *cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus*; et nihilominus unus eorum intra breve tempus desperans, se suspendit, strangulavitque in arbore [4]: *Suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus.* Causamne nostis tantæ diversitatis? si eam intelligere cupitis, D. Augustinum audite dicentem [5]: « Judas discipulus fuit, ut illi undecim, « sed illi quidem dicebant Domino: *Ubi vis pare- « mus tibi manducare Pascha?* » Iste vero se ad tradendum Dominum præparabat. Cui persimilem reflexionem B. Laurentius Justinianus instituit, dum Judam a communi reliquorum mensa minime repudiatum esse considerat, dicens [6]: « Quod mira- « bile est, suo non se denegat proditori, quem « sciebat jam adversum se elevasse calcamentum, « suique Domini perditionem quærere, uno Pe- « trus, et Judas cœli pascuntur alimento; aliter « tamen, nam ad meritum, et profectum Petrus;

[1] Boll., t. I, jan., *B. Juett.* — [2] S. Paschas., l. *de Corp. et Sang. Dom.*

[1] Dan., III, 47. — [2] Chrys., h. 2 *de Cruce et latr.* — [3] S Joan. Dam., l. V *Orth. fid.*, c. 14. — [4] Act., I, 18. — [5] S. Aug., s. 46 *in Joan.* — [6] B. Laur. Just., *de tri Christi agone*, c. 4.

« proditor vero ad ruinam atque interitum ; pro « sumentium dispositione dispares etiam operatur « effectus, quem enim reperit justum et mundum « amplius mundat atque sanctificat ; quem autem « sordescentem invenit, et immundum, deteriorem « facit. » Ideoque S. Bernardinus contra indigne communicantes stomachabundus, S. Hieronymi adducit auctoritatem, dicentis [1] : « Sicut corporalis « cibus, cum ventrem invenit adversis humoribus « occupatum, amplius lædit ; ita et iste spiritualis « cibus, si aliquem invenit malignitate pollutum, « magis eum perdet, non sua natura, sed accipien- « tis malitia. » Quam eamdem similitudinem in præcedentibus formavimus discursibus, D. Chrysostomi secuti sententiam. B. quoque Laurentius Justinianus postqam sacros, sed sacrilegos altaris ministros reprehendisset, tamdem Apostoli sententia usus, ita ad quoscumque alios, qui ad mensam hanc indispositi accedere præsumunt, tamdem conversus, ita eos redarguit [2] : « *Qui manducat et bibit* « *indigne judicium sibi manducat et bibit.* Malus « namque bonum manducando male facit, non quia « malum sit, manducare bonum, sed quia malum « est, bonum mandncare male. Res quidem sancta, « sicut justis in adjutorium, ita injustis, et pecca- « toribus vertitur in judicium. Solis lumen sanis « oculis delectabile est, ægris vere odiosum : cor- « pus Dominicium innocentibus salutis est medica- « mentum ; scelestis autem animæ mors. »

**6.** — Mel quidem suave, gustosum, et salutare in pluribus est medicamentis, modo præparatum fuerit, debiteque dispositum ; stomachis autem infectis amarum, et propemodum venenosum. Recordabimiui utique, quod in Discursu duodecimo sub mellis titulo, Eucharistiam repræsentaverimus, quæ *mors est malis, et vita bonis* ; venenum est, sed illi solum, qui maculatam habet conscientiam ; deoque D. Chrysostomus ait : « Mel natura dulce- « dinem habet, atque eamdem jucundissimam, sed « ægrotis amarum quid, et illibitum est ; non pro- « pria, sed illorum ægritudinis natura. » De quo proinde pane et Doctor Angelicus ait : « Panis vi- « vus, et vitalis, » verumtamen de eodem quoque asserere non dubitat : *mors est* : sed quibus ? *malis*, ægrotis amarum, non propria sed illorum, etc. Manna Eucharistiæ typum fastidiebant multi, dicentes : *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo*, et nihilominus S. Spiritu attestante, omnes imaginabiles in se continebat sapores : sed observetis velim, quod alio in loco idem veritatis Spiritus de eodem dicit ; scilicet : *Substantia enim tua, tua, dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebat.* Illi namque soli, qui divinam possidebant affiliationem, Deoque grati existebant, ejusdem participabant sapores, non vero reliqui, qui stomachum farina Ægyptiaca plenum circumferebant. Unde Abulensis [1] : « Iste sapor in pœnam videbatur « malus malis, ut displiceret, et magis videretur « eis sapor alliorum, porrorum, cæparumque atque « peponum appetendus. » Cui et propositio illa S. Anselmi favet sententa, dicentis [2] : « Manna illud « patres incredulorum Judæorum in sacramentum « Dominici corporis manducaverunt, et mortui « sunt ; non quia manna malum erat, sed quia « male manducaverunt. »

**7.** — Gravem in præsenti difficultatem movet Origenes [3], in hunc sensum : Abraham quondam tribus angelis, trium divinarum personarum figurativis, convivium præparavit in Mambre, quapropter in recompensam Isaaci accepit promissionem, præter benedictiones immensas, super ejus progeniem, ex qua Dei Filius incarnandus erat, descensuras. « Mensa autem illa, » ut Damascenus sustinet, « mysticam hanc adumbrat. » Loth pariter eosdem Angelos hospitio excepisse novimus, et nihilhominus abundantem hospitii non tulit mercedem, quin potius in incendio illo omnes suas amisit divitias, simul et uxorem, in statuam salis conversam, et tamdem cum filiabus ab exterminio ereptus, in barathum corruit incestuositatis ; quid ad hæc respondebimus ? inquit Origenes ? « Abra- « ham panes et simila apposuisse describitur, Loth « vero eo quod non habuit similam, ex farina, pa- « nes hospitibus apposuit. » Panis igitur Abrahæ, qui Eucharistiam præfigurabat, ex flore farinæ factus fuit mundissimus ; at vero panis Loth ex farina fuit præparatus, in quo ut plurimum aliquid siliquarum intermiscetur ; atque ideo si ad hoc sacramentum cum aliqua culpa gravi accesserimus, quantumvis hæc unica dumtaxat foret, verbi gratia unicum odii desiderium, unicus lasciviæ aut avaritiæ actus, vel minima Pentapolis farina sufficit, ut communionem nobis in ruinæ convertat instrumentum ; unde S. Chrysostomus ait [4] : « Sicut « magnum est et admirabile, ita si pure accesseris, « ad salutem accessisti, sin prava conscientia, ad « pœnam, et supplicium. »

**8.** — Uno eodemque tempore, regis Ægypti in carcere squalebant condemnati pincerna, et pistor, qui ambo gratia exciderant Regis, et nihilominus alter eorum, ut Joseph prædixerat, in gratiam Regis receptus fuit, alter vero patibulo affixus, periit : quæ tantæ differentiæ ratio assignari poterit ? ecce vobis mysterii enodationem ; pincerna vinum habebat purum, pistor autem farinam diversis permixtam cibis, dum sibi portare videbatur [5] *in uno canistro omnes cibos, qui fiunt arte pistoria* Ita quoque Eucharisticus hic panis, ex flore farinæ constet necessum est, nulli alteri permixtus mate-

[1] S. Bern., t. II, ser. 55, a. 1. — [2] B. Laur. Just., *de casto connub.*

[1] Abul., q. 13 *in Exod.* — [2] S. Ans., *de sacr. alt.* — [3] Orig., h. 13 *in Lev.* — [4] D. Chrys., h. 45 *in Joan.* — [5] Gen., xl, 16

riæ. Si enim secus disposita fuerit, nequaquam apta erit consecrationis materia, imo nec dubia quidem. Et idem quoque de vino instituendus est discursus. Atque ita secus faciens, cum pistore illo infelici *judicium sibi manducat*, panem comedens, qui *mors est malis*. Lyranus autumat, Regem in dicto pane exilem aliquem reperisse lapillum, de cujus opinionis veritate quidquid sit, certissimum est, quod affectus inordinatus communioni admixtus sufficiens sit, ut nos in æternum adigat præcipitium.

**9.** — Widichindus, ut annales perhibent Ecclesiastici [1], aliquando in die Paschatis, ipso Communionis tempore degens, vidit, quemcumque communicantem a sacerdote pulcherrimum recipere infantulum, qui cum aliquibus lubens, ultro citroque os eorum ingredi properabat, alios vero fugiens, suum avertebat vultum. Quia nimirum certissimum est, quodo *panis hic vitalis*, sicut est *vita bonis*, ita quoque sit *mors malis*. Quo forte respicere voluit Dominus, in Eucharistici hujus panis figuris, in panibus, inquam, propositionis, de quibus dictur[2], *pones super mensam panes propositionis*; ubi Aquilla, et Arias legunt : *panes facierum*. Qui loquendi modus extravagans videtur : numquid enim panes illi, plures habebant facies ? « Quæ est « hæc mensa, » interrogat Rupertus Abbas [3], « nisi « corporis et sanguinis Domini? » quid igitur mirum, si panis hic plures describatur habere facies, siquidem unus, et idem *mors est malis, vita bonis* ? quapropter, « vide paris sumptionis quam sit dis- « par exitus. » Quam pariter differentiam regius Psalmista insinuat, dum ait [4] : « *Lætificabis eum* « *cum vultu tuo* (ecce præmium digne communi- « cantium) *vultus autem Domini super facientes* « *mala, ut perdat de terra memoriam eorum*. Ecce vobis indigne communicantium supplicium.

## DISCURSUS XXXVIII.

PANEM HUNC AB ALIIS CIBIS NON SECERNENS, INDIGNEQUE SUMENS, SUAM DEGLUTIT DAMNATIONEM, CHRISTUMQUE SUMIT JUDICEM, SIBI SOLI, ET NON CHRISTO NOCENS.

IDEA SERMONIS. — 1. Gravissime peccant, qui hunc cibum non majori reverentia sumunt quam cibum communem. Cibus non masticatus nocet stomacho : sic et hic cibus sacramentalis animæ non debite præparatæ. — 2. Uva ex terra promissionis delata designat Christum. Quem designent duo viri portantes uvam. Gravissime labuntur, qui Christo in SS. Sacramento debitam venerationem subtrahunt. — 3. Indigne communicantes sententiam damnationis deglutiunt. Hoc patet in homine carente veste nuptiali. — 4. Deus rigorosum minatur judicium profanatoribus Templi. Multo rigorosius punientur profanatores S. Eucharistiæ. — 5. Indignitas communicantis non præjudicat Christo, sed communicanti.

*Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini.* I Cor., XI, 29.

**1.** — Ratio, cur indigne ad Eucharistiam accedamus, et consequenter divini judicii severitati subjiciamur, a S. Thoma hæc esse dicitur [1], quia *non dijudicamus corpus Domini*, id est, non satis apprehendimus gravem offensam, qua sanctissimum corpus Christi in hoc sacramento vilipenditur, et injuria afficitur. Nam utidem Angelicus Doctor ait : « Fidelis, qui cum conscientia peccati sumit, con- « temnit hoc sacramentum, non in se ipso, sed « tamquam ad usum indigne accipiens; unde Apo- « stolus, I *Corinth.* XI, assignans rationem hujus « peccati, dixit : *Non dijudicans corpus Domini*, id « est, non discernens ipsum ab aliis cibis. » S. Augustinus pariter observat, hanc ab Apostolo Corinthiis factam reprehensionem, multorum perstrinxisse temeritatem, qui, ad sacram communionem accedentes, illam a communi refectione nequaquam discernunt [2] : « Recordamini, » inquit, « unde sit « scriptum, *quicumque manducaverit panem, aut* « *biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis* « *etc.* et de his erat sermo, cum hæc Apostolus di- « ceret, qui Domini corpus velut alium cibum « quemlibet indiscrete negligenterque sumebant. » Unde idem S. Doctor hoc format argumentum : « Si ergo hic corripitur, qui non dijudicat, hoc est « non discernit a reliquis cibis corpus Domini, « quomodo non damnatnr, qui ad ejus mensam « fingens amicum accedit inimicus ? » Porro ut hi, qui cum exigua, vel prorsus nulla præparatione hoc sacramentum frequentant, se emendando in se ipsos revertantur, necessum est, ut verba illa Philonis Carpatii seria mente considerent, dicentis [3] : « Ea est rerum divinarum humanarumque natura « ut, quæ pro sua dignitate, et excellentia optima « esse debent ac summa, eadem mutato ordine pes- « sima fiant, atque imfirma. Licet videre, quos- « dam ex hoc sacratissimo convivio fieri quotidie « praviores, et ob id solum ad gehennam prope- « rare miserrimos, quod ad tale ac tantum, tamque « ineffabile et cœleste convivium, Angelorum choris « optabile, immundo corde atque sordidato au- « dacter accedere, et insolentissime devorare præ- « sumunt. » Porro cibus, qui non masticando, nec in ore revolutus devoratur; languidi stomachi digestioni perniciosus potius est, quam proficuus; idem pariter est multorum defectus, qui maculata conscientia, huic mensæ frequenter accumbentes,

[1] BAR., an. 785, n. 50. — [2] EXOD., XXV, 30. — [3] RUP. AB., l. IV *in Exod.* — [4] *Ps.* XX, 7. — [5] *Ps.* XXXV, 19.

[1] S. THOM., 3 p., q. 3. — [2] S. AUG., tr. 62 *in Joan.* — [3] PHIL. CARP., *in Cant.*

gravitantem injuriæ, quam sacræ Communioni inferunt, mente non revolvunt, nec ruminant. Eadem, quam S. Bonaventura contra sacerdotes indignos instituit, quærimonia, illos quoque jure merito concernit, qui ad sacrum hoc convivium indispositi accedunt; dicit enim Seraphicus Doctor [1]: « Heu quot hodie sacerdotes miseri « et suæ salutis improvidit, qui corpus Christi in « altari velut carnes pecudum manducant, et in- « voluti, et contaminati abominationibus, de qui- « bus fas non est dicere, sceleratis manibus, et pol- « lutis labiis contingere non verentur, et osculari « Filium Dei, et Mariæ virginis unigenitum. » Quam utique erga sanctissimum sacramentum reverentiam, et devotionem Seraphicus hic Doctor a magno suo patriarcha Francisco didicerat, qui in quadam epistola ita scribit [2]: « Despicit homo pollutus, et « conculcat Agnum Dei quoniam sicut dicit Apos- « tolus, non dijudicans, et discernens sanctum pa- « nem Christum ab aliis cibariis, vel operibus indi- « gnis, indignus manducat, cum Dominus per Pro- « phetam dicat : *Maledictus homo, qui opus Dei* « *facit negligenter vel fraudulenter.* Audite fratres « mei, si B. Virgo Maria honoratur (ut dignum est) « quia ipsum portavit in sanctissimo utero suo ; « si B, Joanues Baptista contremuit, et non aude- « bat tangere Domini verticem ; si sepulchrum, in « in quo per aliquod tempus jacuit, sic veneratur, « quantum debet esse sanctus et dignus, qui non « jam moriturum, sed in æternum victurum, et glo- « rificaturum, in quem desiderant Angeli prospicere « contrectat manibus, corde, et ore sumit, et aliis « ad sumendum præbet ? » Hæc autem omnia, quæ S. patriarcha de ministris altaris dicit, magnaquoque ex parte iis adaptari possunt, qui hunc panem cœlestem indigne participant, ut deinceps excellentiorem tanti sacramenti conceptum, et æstimationem formantes, ad illud dignius accedant. S. Antonius de Padua illa S. Petri verba [3], *exi a me Domine, quia homo peccator sum* considerans, his verbis nobis improperat [4] : « Ubi nunc qui ex im- « penso sibi beneficio timet aggravari, ut timuit « Petrus ? sed nos multorum conscii criminum ad « divinæ Majestatis præsentiam irreverenter acce- « dimus. Ibi quidem divinæ est etiam Majestatis « præsentia, ubi est corpus Christi, Angelorum « gloria, ubi Ecclesiæ sunt sacramenta. »

**2.** — In libro Numerorum cap. XIII de exploratoribus, ad terram promissionis missis, dicitur : *Pergentes usque ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quam portaverunt in vecto duo viri.* Hi autem duo populum repræsentabant Hebræum, et populum gentilem, postea Christianum factum; botrus vero uvæ ligno appensus, Christi in patibulo suspensi symbolum erat. Unde S. Augustinus, in Ps. VIII, ita scribit [1] : « Dictus est Do- « minus botrus uvæ, quem ligno suspensum de terra « promissionis, qui præmissi erant a populo Israel « tamquam Crucifixum attulerunt. » Idem quoque S. Doctor in quodam sermone hanc eamdem historiam iterum ponderans, ait [2] : « Exhibita est uva de « terra promissionis, ipsa est, de qua legimus : « *lavabit in vino stolam suam,* Hanc uvam duo « deferunt inserto vecte pendentem, possunt isti « duo etiam Christianum, et Judaicum, populum « figurare, et quia prior fuit Judæorum præcedit « Judæus, sequitur Christianus. » Ouod si vero dnos hos pondus hoc in vecte portantes consideraveritis, invenieris, quod primus, qui præcedit alteri dorsum obvertat, secundus vero vultum, et oculos ad pondus quod portat, defixos habebat, cum e contra alter socius pondus post tergum portet; unde idem S. Augustinus ait ; « Salutem suam hic « ante conspectum suum gerit, ille post dorsum, « hic obsequium præfert, ille contemptum, ambo- « rum Dominus, et Redemptor noster ab hoc ado- « rante gestatur, ab illo, se aversante suspenditur. » Verum enim vero quot sunt hodie Christiani, qui ad imitationem Judæorum, huic botro uvæ dorsum obvertunt, id est, omnem fidem erga Eucharistiam amiserunt. quot sunt hæretici, hujus sacramenti inimici quot Catholici, qui licet in illud credant, nihilominus *non dijudicant corpus Domini*, id est debitum illi obsequium præstare negligunt, accedentes ad illud cum modica, vel nulla prorsus præparatione, imo nonnumquam cum conscientia, culpa mortali coinquinata ? Pessimum profecto signum est, quando quis intellectum suum ad hoc sacramentum non applicat, hi enim in hoc ignorantiam et incapacitem imitantur Hebræorum, qui primitus Christum de hoc sacramento disserentem audientes, ut S. Joannes refert [3], *litigabant ad invicem, dicentes : quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ?* et tametsi Sapientia incarnata panem hunc sacramentalem illis minutim frangendo, illos ad hoc credendum capaces reddere satageret, attamen inter se concluserunt, dicentes *durus est his sermo, et quis potest eum audire* : idem S. Joannes Christum Salvatorem nostrum dixisse refert [4] *sunt quidam ex vobis. qui non credunt : sciebat enim ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum; ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulant* ; tunc Christus traditorem indicavit, dicens ; *ex vobis unus diabolus est : dicebat autem Judam Simonis Iscariotem, hic enim erat traditurus eum.* Ecce tibi præcipitia, ad quæ labuntur illi, qui honorem et reverentiam, hnic sacramento debitam non exhibent; hi enim dividuntur et separantur a

[1] S. Bon., t. VII *de præp. ad mis.* — [2] *Op. S. Franc.*, l, ep. 12. — [3] Luc., V, 8. — [4] V. Anton. de Pad., *in Dom.* V *Trin.*

[1] S. August., *in Ps.* VIII. — [2] Id., s. 99 *de temp.* — [3] Joan., VI, 53.

Christo, eumque tradunt, pretiosissimum ejus sanguinem inimicis suis vendendo; quod nequaquam aliis discipulis contigit, qui suam erga Eucharistiam fidem, et venerationem probarunt cum enim Christus illos interrogasset[1], *num et vos vultis abire? respondet ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei* ; illi enim, qui Eucharistiam reverentur et honorant, tanto magis in fide consolidantur, majoribusque incrementis lumen, et notitia Dei in illis augetur.

**3.** — *Judicium sibi manducat, et bibit.* Qui enim indigne communicant, condemnationis suæ sententiam simul cum speciebus sacramentalibus deglutiunt. Balduinus episcopus Cantuariensis, qui, ut Possevinus scribit, doctum quemdam de Eucharistia tractatum compilavit. qui in Bibliotheca Lovaniensi Societatis Jesu asservatur, ita hæc verba exponit : *Judicium sibi manducat et bibit, quia magis judicem quam Salvatorem manducat.* S. Patianus impio cuidam hoc tantum sacramentum irreverenter tractanti, his verbis improperat[2]: « Evigila pec-« cator, time in visceribus tuis præsens judicium. » Apud S. Matthæum parabola illa Regis describitur qui præparavit nuptias filio suo, clarum utique hujus convivii Eucharistici symbolum; de hoc enim ut in Promptuario sacro in discursu octavo de solemnitate sanctissimi corporis Christi probavimus, verba illa intelliguntur : *In die desponsationis ejus ingressus est autem rex*, inquit Evangelista[3], *ut videret convivas, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*; circa quæ verba S. Paschasius modum observat, quo sacer textus loquitur, dicit enim[4] : « *Intravit autem rex ut videret discumbentes* et mira « ineffabilis ratio, ut dicatur intrare Regem, qui « ubique est, et nusquam, nec unquam abest, nec « est ubi non sit, qui omnia complet ; » quænam vero Sapientiæ incarnatæ, hanc parabolam componentis, mens fuerit, his verbis declarat : « Ejus in-« trare » inquit, « est mentes singulorum discutere « ad quas nemo alius potest intrare; unde cum « dies inspectionis seu judicii advenerit, tunc ins-« pecturus omnes conscientias, intrabit. » At vero quid tamdem miserabili huic homini accidit, qui vestem nuptialem, per quam charitas et amicitia Dei denotatur, ad hasce nuptias deferre neglexit? ad ignem condemnatus fuit; hæc est enim indigne communicantium inexplicabilis miseria, quod, dum in pectore suo Salvatori se hospitium præbere credebant in illud e contra Judicem introducant, qui illos *in flagranti crimine*, furtum scilicet in manibus portantes, deprehendens, sine ulla remissione condemnat. Idipsum Salmeron aptissima quadam similitudine declarat, dum ait[5]: « Deum insipientiæ « videntur velle notare indigne communicantes « Deum enim putant, delicta quæ habent in sua « conscientia, nequaquam cernere. Profecto in-« signis temeritatis notam latro incurreret, si, post-« quam vasa aurea et argentea clam furto sublata « domique reposita habet, judicem ac satellites in « domum suam accerseret ; non secus ille videtur « facere, qui cum vitiis madeat, graviaque peccata « admiserit, audet tamen per participationem Eu-« charistiæ justum judicem in domum suam intro-« ducere. »

**4.** — Legatur in Ezechiele, cap. IX, rigorosum illud supplicium, quod divina justitia de sanctuarii et altaris sui prophanatoribus sumpsisse dicitur[1] : *Non parcat oculus vester, neque misereamini*, inquit inquit sacer textus de justissimi divinis furoris ministris. S. Paschasius autem Deum iisdem ministris dixisse considerat : *A sanctuario meo incipite* ; unde subdit : « Jure, unde peccatum, inde judicium-« incipit, quia peccato mortuus, contaminat prius « atria templi et prophanat sancta, dum immundus « ea contingit, neque sit errore judicii, ubi judex « est, et descriptor. » Quis enim negare, aut excusare poterit temeritatem, et arrogantiam ejus, qui adeo est insolens, et inverecundus, ut in animam suam, quæ latronum spelunca est, illum ipsum invitet, et recipiat, quem implacabilem judicem suum futurum esse novit? S. Bruno Carthusianorum patriarcha, illa verba, *judicium sibi manducat.* Glossa sua illustrans, ait[2]: « Hic manducat, et bibi « non indulgentiam, sed judicium, id est, damna-« tionem sibi; et merito, quia non dijudicans, id « est, parum discernens ab alio cibo corpus Domini, « quemadmodum non discernebant Corinthii. » Salmeron alibi idipsum piscis similitudine declarat qui eodem tempore, quo escam devorat, hamum simul deglutit, et mortem ; « *Judicium sibi manducat, et bibit* » inquit[3], « non secus, atque piscis « devorans escam cum hamo jacturam facit vitæ. » D. Chrysostomus hunc textum exponens, quærit : « *Cur judicium sibi comedit et bibit?* sacramenta ad « majus ducunt supplicium eos qui indigne commu-« nicant;» id quod et V. Beda sextum Joannis Evangelistæ caput interpretans, confirmat his verbis[4]: « Licet visibiliter premat dentibus sacramentum « corporis et sanguinis Christi (de indigne commu-« nicante loquitur) magis tantæ rei sacramentum « ad judicium sibi manducat et bibit, quia immun-« dus præsumit accedere ad Christi sacramenta. » Idem quoque in expositione prædictorum verborum Sancti Pauli, quinam illi sint, qui ex sacra communione proficiunt, declarare volens, ita scribit[5] « Escam vitæ accipit, æternitatis poculum bibit, « qui in Christo manet, et cujus Christus habitator

[1] JOAN., VI, 68. — [2] S. PAT., *in Parænesi.* — [3] MATT., XXII, 10. — [4] S. PASCH., h. 10 *in Maith.* — [5] SALMER., t. IX, tr. 41.

[1] EZECH., IX, 5. — [2] S. BRUNO, *in I Cor.* — [3] SALM. l. IV *in ep. Pauli*, disp. 19. — [4] V. BEDA, *in Joan.* — [5] BED., *in Cor.*

« est. Nam qui discordat a Christo, nec carnem « Christi manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi « tantæ rei sacramentum ad judicium suæ præ- « sumptionis quotidie indifferenter accipiat. » S. Anselmus similiter inquit [1]: « Qui indigne man- « ducat, judicium sibi manducat, non quia mala « res sit, quam accipit, sed quia ille malus, male « accipiendo, ad judicium accipit bonum. » Si enim bonam haberet conscientiam, communicando, in sacramento reciperet Salvatorem ; at vero, quia illum sumit remordente eum culpæ mortalis conscientia, merito ipsum experitur judicem quia per injurias, et offensas mortales illum, exasperat : dum is qui illum recipere debebat cum obsequio, illum recipit cum improperio.

**5.** — *Non dijudicans*, id est, ut Theophylactus declarat [2], « non intelligens propositæ rei magnitu- « dinem. » Hugo cardinalis inquit [3]: « Non discer- « nens, quam sanctum, quam admirabile est sacra- « mentum. » S. Anselmus ait [4]: « Non discernit, « quam sit dignius omnibus creaturis hoc corpus, « quod videtur esse panis, si enim cogitaret, hoc « corpus esse verbo Dei personaliter unitum, et « vitam ac salutem eorum esse, qui hoc digne acci- « piunt, non præsumeret. » Possumus quoque alium sensum accommodatitium adducere, dicendo *non dijudicans*, id est, indignitas nostra non præjudicat, nec damnum affert impassibili corpori Christi, sed totum damnum istud super nos recidit. Unde V. Beda Judæ exemplum adducens, inquit [5]: « Sicut Judas, cui bucellam tradidit Dominus, non « malum accipiendo, sed male accipiendo, locum « in se diabolo præbuit, sic indigne quisque sumens « Dominicum sacramentum, non efficit, ut quia « ipse malus est, malum sit. » S. Bonaventura in sermone *de ultima cœna Domini* considerat, quod, sicut divina providentia Eliam multis annis pavit, mediantibus corvis, panem et carnes ei quotidie, mane, et vesperi, afferentibus ; idem quoque nobiscum operetur, dum nonnumquam per sacerdotes, peccatores, Eucharistiam nobis ministrari permittit : at vero, sicut annona Eliæ, nullum ab his rapacibus, et immundis avibus recipiebat nocumentum ita quoque accidit in hoc sacramento, quod ne quidem per umbram, aliquem ex nostris sordibus nævum recipere potest ; ita sol nullam splendoribus suis adsciscit maculam, tametsi illos, super terræ sordes, et immunditias extendat . Christus Redemptor noster sanctæ Birgittæ rationem revelavit, cur nonnumquam indignos ad hanc mensam accedere permittat : « Sicut, » inquit [6], « in humanitate « mea, et boni, et mali tetigerunt me, ad osten- « dendam veram humanitatem, et patientiæ humi- « litatem ; sic et boni, et mali comedunt me in « altari, boni ad majorem perfectionem, mali « autem, ne credant se esse damnatos, ex eo quod « possunt, hoc corpore meo sumpto, si volunt, « personaliter mutare voluntatem, et converti. » Hoc tamen raro accidit, ut videtur in Juda, quem licet benignissimus Dominus tot diversis modis ad resipiscentiam invitasset, præcipue vero osculum, in horto ab eo receptun, et per amabilissimum amici nomen ei impositum, et nihilominus plus quam unquam in obstinatione, et desperatione sua perseverarit. S. Bernardinus de hac materia, in sermone quodam *de ultima cœna Domini* disserens differentiam inter S. Petrum et Judam, qui simul ejusdem mensæ Eucharistiæ commensales fuerunt, ponderans, inquit [1] : « De uno pane consecrato « Petrus et Judas accepit ; bonum in vitam, pessi- « mum in pœnam ; totum usque adhuc in Ecclesia « completur in sacramento altaris, bonis quidem « in bonum sumentibus, canibus vero, et immundis « non sic ; canes sunt, qui irreverenter accedunt, « et ideo judicati abscedunt. »

[1] S. Ans., *ib.* — [2] Theoph., *ib.* — [3] Hug. Card., *ib.* — [4] S. Ans., *ib.* — [5] V. Beda, *ib.* — [6] *Revelat. S. Brig.*, l. II, c. 2.

## DISCURSUS XXXIX.

JUDÆ, IN RECIPIENDO CHRISTI CORPORE, INDIGNITAS CIRCUMSTANTIALITER EXAMINATA, GRAVITATEM OSTENDIT COMMUNIONIS SACRILEGÆ.

Idea sermonis. — 1. Examinantur circumstantiæ indignæ communionis Judæ proditoris. Non minus delinquunt etiamnum indigne communicantes. — 2. Pro viliori lucro quam Judas vendunt Christum indigne communicantes. — 3. Indigne communicantes cum Aman a convivio transeunt ad patibulum. — 4. Acetum felle mixtum, acceleravit Christi mortem. Quisnam Christum gravius offenderit Judas, an Pilatus ? — 5. Scelus Judæ quod indigne communicavit, vel maxime execrandum fuit. Post illud scelus commissum dereliquit illum Christus. Hoc adhuc contingit indigne communicantibus. — 6. Miserabilius est indigne communicare quam a dæmone possideri. — 7. Christus frustra curatus fuit Judam ad pœnitentiam inducere.

*Post buccellam introivit in eum Satanas.* Joan., XIII, 27

**1.** — De illis porro, qui indigne communicant, in toto novo Testamento nullum habemus manifestius, et terribilius exemplum, quam sit illud, quod Judæ accidit ; ac proinde varias statui examinare circumstantias, quæ in ejus facinore concurrerunt, ut ex iis, ad confusionem illorum, qui eum imitantur, efficacia audiamus motiva. D. Chrysostomus de mensa Eucharistica loquens, inquit [2]: « Nul- « lus Judas adsit, qui discipulus non est, secedat, « *cum Discipulis*, inquit, *meis facio Pascha.* » Verum quidem est, quod ab ipso momento, quo de Eucha-

[1] S. Bern., *ib.*— [2] D. Chrys., h. 83 *in Matt.*

ristia primitus loqui cœpit, quod factum est, postquam per miraculosam panum multiplicationem (hujus cœlestis Panis, ut sæpius suo loco diximus, symbolum) satiavit turbas, sæpius quidem in communi de omnibus illis, qui tanti sublimis mysterii se reddiderunt incapaces, summique doni, quod Divina omnipotentia dare potuit, contemptores fuerunt, specialiter vero de Juda conquestus fuit, utpote, quem primum futurum esse prævidit, qui sacratissimum corpus ejus indigne recipiendo, adeo perniciosum aliis daturus erat exemplum ; *nonne ego vos duodecim elegi*, inquit Christus [1], *et ex vobis unus Diabolus est ? dicebat autem ad Judam Simonis Iscariotem* : similiter vix in cœna verba consecrationis super calicem protulerat, cum ecce immediate subjunxit [2] : *Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa, verumtamen væ homini illi, per quem tradetur* ; quasi eo tempore, quo in elargitione divinorum thesaurroum, in beneficium hominis erogandorum prodigus erat. S. Matthæus scribit, quod præterquam Christus Judæ comminatus fuit, dicens : *Væ hominis illi, per quem Filius hominis tradetur*, insuper subjunxerit [3]: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Circa quæ verba S. Thomas ait [4] : « Væ etiam erit omnibus, qui indigna, et polluta « conscientia ad mensam Christi accedunt, quam« vis enim Christum non tradunt Judæis crucifi« gendum, tradunt tamen suis iniquis membris su« mendum ; et majorem exaggerationem subdit : « bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. » Idipsum quoque V. Beda scribit, nam ut illos, qui irreverenter ad hanc mensam accedunt, perterreat, verbum *væ* ponderans inquit [5]: « Hodie quoque, et « in sempiternum, væ illi homini, ad mensam Do« mini malignus accedit, qui insidiis mente conditis, « qui præcordiis aliquo scelere pollutis, mysterio« rum Christi secretis participare non metuit, et « ille enim in exemplum Judæ Filium hominis « tradit, non quidem Judæis peccatoribus, membris « videlicet suis, quibus illud inæstimabile, et invio« labile corpus Domini violare præsumit. » S. Bernardinus ad exaggerandam gravissimam injuriam qua Deus offenditur a nobis, indigne communicantibus, ita in quodam sermone prædicans, ait [6]:« Cum « sceleratis criminibus communicantes, eum perse« quuntur, Juda traditore deteriores effecti, eo quod « sicut ille tradidit illum persequentibus Judæis, sic « isti tradunt eum infernalibus diabolis, eo quod il« lum ponunt in loco sub potestate diaboli constitu« to.» Ubi etiam adducit terribilem illam S. Augustini sententiam, dicentis:« Magis peccant qui tradunt « Christum peccatoribus membris, quam qui tradi« derunt eum crucifixoribus Judæis.» Porro Christus ut salutem, et redemptionem operaretur humanam, magno cum jubilo in Judæorum se manus tradidit ; modo autem, dum sanctissimum corpus suum, ab indignis membris suis, per peccatum, dæmonis servituti subjectis, traditur, incredibile est, quantum abominetur eos, dum illos ingrato modo, et sanguinem et redemptionem suam conculcare conspicit

**2.** — Incarnata Sapientia mensam hanc sacramentalem præparans, e Juda sic lamentabatur [1] : *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcanum suum.* Idem S. Bernardinus Tom II. in quodam sermone hæc verba adducens, de indigne communicantibus inquit [2]: « Talis similitudinem gerit Judæ « qui, postquam cum Christo cœnavit, ipsum suis « prodidit inimicis. » Ecce tibi ingratitudinem, quam tanto benefactori rependit, dum illum inimicorum suorum prædam esse facit. Judas principes sacerdotum interrogavit [3] : *Quid vultis mihi dare et ego vobis eum tradam ? at illi constituerunt ei triginta argenteos* ; nimirum inestimabile vitæ et sanguinis, cœlestis magistri sui pretium, ipsorum voluntati et discretioni remisit, ac tamdem pro triginta denariis ipsum eis tradidit. Principes sacerdotum, qui præ cunctis aliis Messiæ sui et Filii Dei corpus æstimare debebaut, contemptibiliter tam tenui triginta denariorum pretio æstimarunt et Judas tametsi apostolus esset, tam exiguo pretio eum vendidit. O quam verum est, quod hisce temporibus nostris multi sacerdotes indigni et ad imitationem illorum ipsi quoque sæculares, villissimi eum faciunt et postquam corpus Christi intra viscera sua receperunt, pro pretio non jam triginta denariorum, sed turpis delectatiunculæ et vilis lucri turpissime vendunt !

**3.** — Regius propheta David in Psalm. LXVIII per spiritum propheticum, ad mortem et passionem Redemptoris alludens, de Judæis inquit [4]: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum et retributionem et in scandalum*, id quod in Juda ad *litteram* adimpletum fuit ; cui mensa Eucharistica conversa est in laqueum, quo se desperatus infeliciter suspendit. Idipsum quoque accidit illis, qui sacrilegii ejus participes se faciunt, quia, *qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Aman inaniter gloriabatur, dicens [5] : *Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium, præter me* ; similiter quoque homo gloriari potest, quia nec Archangeli, nec Principatus, nec Dominationes, nec Seraphini digni æstimati fuerunt, qui corpus Christi manducarent ; solus homo commensalis est magni hujus convivii ; caveat tamen, ne abutatur, sed memor sit Aman, qui a convivio regio transiit ad patibulum. Idem Propheta David in Psalm. LIV, hujus apostoli traditoris gravissimas pœnas his verbis prædicit [6] : *Si inimicus meus maledixisset*

[1] JOAN., VI, 71. — [2] LUC., XXII, 21. — [3] MATT., XXVI, 21. — [4] S. THOM., *ib.* — [5] V. BED., l. VI *in Luc.* — [6] S. BERN., t. II, s. 55, a. 1.

[1] JOAN , XIII, 19. — [2] S. BERN., s. 53. — [3] MATT., XVI, 15. — [4] *Ps.* LXVIII, 23. — [5] EST., V, 12. — [6] *Ps.* LIV, 13.

*mihi, sustinuissem utique : tu vero, qui simul mecum dulces capiebas cibos ; veniat mors super illos et descendant in infernum viventes, quoniam nequitiæ in habitaculis eorum* : ecce tibi pœnam, peccatoribus corpus Christi indigne tractantibus comminatam. « Audiamus oro, et perhorrescamus. » inquit D. Chrysostomus [1], « carnes suas nobis tradidit, seip- « sum immolatum proposuit; quam igitur satisfac- « tionem offeremus, cum tali pabulo nutriti, taliter « peccemus, cum agnum comedentes in lupos « convertamur, cum ovinis carnibus saturati, ut « leones rapiamus ? » Petrus Blesensis in quadam Epistola sua optime ponderat, quod, quanto divina liberalitas in hoc convivio est profusior, tanto quoque pœna indigne communicantium futura sit severior et gravior : « Domine Jesu Christe, » inquit, « sacramentum corporis et sanguinis tui, « quasi pignus et obsidem cœlestis gratiæ dimisisti, « et in eo constituisti nobis, non mortem, sed « vitam, non judicium, sed salutem; quam perdi- « tus ergo est, qui redemptionem in perditionem, « qui sacrificium in sacrilegium, qui vitam conver- « tit in mortem ? »

**4.** — Nonnulli contemplativi pie meditentur, quod nec spinæ, nec flagella, nec clavi, nec patibulum Redemptori mortem accelerarint, bene tamen fel et acetum; estque verisimile, ambo hæc veluti sagittas cor penetrasse Redemptoris ; et ratio est, quia Evangelista non sine ingenti mysterio inquit[3]: *Cum ergo accepisset Jesu acetum, dixit : consummatum est et inclinato capite, tradidit Spiritum.* Sed quid audio ? num igitur hic liquor fellis amaritudini immixtus Redemptori agonizanti necem causavit? Advertendum igitur est, quod id, de quo Redemptor inter omnes passiones suas præcipue doluit, dolores interni fuerint, quos fuit perpessus : *ntraverunt,* inquit [4], *aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi ;* sed quænam aliæ aquæ ad animam usque Christi penetrarunt ; præterquam dolores interni ? quodnam, obsecro, lutum illud fuit, cui se infixum fuisse lamentatur? S. Bernardus ait [5] : « Fortasse crux ipsa nos sumus, « cui Christus memoratur infixus; homo enim for- « mam crucis habet, quam si manus extenderit, « exprimit manifestius; limum quidem nos esse « manifestum est, quia de limo plasmati sumus. » Non igitur Christus lamentabatur, quia in ligno materiali crucis confixus fuerat, sed quia ingratitudo hominis illum transfixerat, cui cum vesperi præcedenti nectar et ambrosiam Eucharistiæ præparasset, is tamen nunc, dum Christum dicentem, *sitio,* audit, nectar illud aceto et felle rependit ; hæc autem ingratitudo tantum ei dolorem attulit, ut, licet patiendi avidissimus esset, mortem ei protinus accelerarit. Dicite sodes, quisnam Salvatorem nostrum magis offendit, Judasne, an vero Pilatus? scimus enim, quod Pilatus eum ad flagella, ad spinas et ad crucem condemnaverit, Judas vero ipsum solum in manus consignavit Judæorum. Dubium hoc ipsamet Veritas clare decidit, siquidem Redemptor noster Pilato ait [1] : *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet ;* ac proinde incomparabiliter inexpiabilius scelus Judæ fuit, quam Judæorum, Herodis, Caiphæ, Annæ, vel Pilati ; hi enim, *si cognovissent,* ut S. Paulus ait [2] : *numquam Dominum gloriæ crucifixissent ;* cui accedit, quod hi omnes ad inferendam Christo necem aliquo saltem motivo humano duci poterant ; Pilatus enim metuebat, ne gratia Imperatoris exciderent; nam Judæi clamabant : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris* ; Synagoga vero hoc motivo percellabatur : *Venient Romani et tollent locum nostrum et gentem* : at vero Judas nullum aliud Christum tradendi motivum habebat, quam ut triginta denanorium lucrum sibi adsciscere et tamen multo tempore discipulus ejus fuerat, atque Petrum dicentem audierat : *Tu es Christus, Filius Dei vivi.*

**5.** — Divus Chrysostomus considerat, nullum esse Christianum adeo impium, qui adversus Judam traditorem non excandescat, sicut et contra Judæos eo quod communem Salvatorem nostrum crucifixerint; ac tandem hoc supposito, iis, qui indigne ad hoc sacramentum accedunt, his verbis improperat [3]: « Cave, ne tu quoque si reus corporis et sanguinis « Christi : illi acerbissime sanctissimum corpus « trucidarunt, tu vero polluta suscipis anima post « tot, tantaque beneficia. » Judæ scelus, quod indigne communicando commisit, adeo execrabile fuit, ut ipsemet dæmon erubuerit, auctor et instigator esse ad idem scelus commitendum, utpote quod superius et execrabilius est omni eo, quod diabolica excogitari poterat malitia, nam *dæmones credunt et contremiscunt,* unde licet, Scriptura teste, dæmon auctor fuerit traditionis, communionis tamen sacrilegæ auctor esse erubuit, scimus enim, quod, ut in verbis thematis a principio hujus discursus dictum suit [4] : *Post bucellam intravit in eum Satanus. Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum.* Unde sacrilegium tam iniquum cordi ejus immittere nequaquam ausus fuit ; si enim dæmon hoc ei scelus insinuasset, utique veridicus Spiritus sancti calamus hoc ipsum in posterorum memoriam scriptum reliquisset. Verum, inquies, quo modo dæmon Judam intrare potuit, cum et ipsemet Judas a Christo diabolus vocatus fuerit [5] : *unus vestrum diabolus est* ? S. Thomas per auctoritatem S. Augustini, opoinonem reprobat illorum, qui panem in paropside intinctum et a Christo Judæ porrectum, sanctissimum ejus corpus fuisse existimant, quia

[1] D. Chrys., h. 52 *in Matt.* - [2] Pet. Bles., ep. 223. — [3] Joan., xix, 19. — [4] *Ps.* lxviii, 4. — [5] S. Bern., s. 4 *in Vig. Nat.*

[1] Joan., xix, 11. — [2] I Cor., ii, 8. — [3] D. Chrys., h. 38 *in Matt.* — [4] Joan., xiii, 27. — [5] Joan., vi, 71.

hoc postea simul cum aliis suo tempore accepit [1] : « Judas cum aliis Discipulis simul Corpus Christi « accepit in cœna, intravit in eum Satanas, ut ple- « nius possideret. » Idipsum S. Cyprianus diu ante, in *Tract. de ult. Cœna,* his verbis tradiderat [2] : « Ubi sacrum cibum mens perfida tetigit, scelera- « tum os panis sanctificatus intravit, parricidialis « animus, vim tanti sacramenti non sustinens, « quasi palea de area exsufflatus est et præceps « cucurrit ad proditionem et pretium, ad despera- « tionem et laqueum. » Diabolus enim Judam ad tantam temeritatem pervenisse videns, ut non obstante machinata traditione ejusdem Dei, qui se ipsi in cibum dederat, simul cum aliis communicare præsumeret, statim facile sibi futurum esse censuit ut illum in profundissimum quodvis iniquitatis barathum præcipitare posset. Ad hæc quot peccata Judas ante ultimam cœnam commiserat? Latrocinii nimirum, detractionis contra suum Magistrum et alia quæ ignoramus, jam quoque de pretio traditionis pactus fuerat et tamen patientissimus Magister benigne illum tolerabat. At vero quando ad tantam impudentiam pervenit, ut indigne communicare non erubesceret, tunc Christus illum dereliquit, manibusque ac potestati dæmonis totaliter remisit. Unde S. Paschasius ait [3]: « Judicium autem « sacramenti est, si habeat reus prioris culpæ « delictum, deinde contempus sui, peccatum super- « biæ, vel sacrilegii contra Deum; quia a sus est « sancta contingere, hinc igitur patet, quod gravius « est, quod talis quilibet excipit facinoris, quam « quod prius admiserat, nam Judas donec bucel- « lam acciperet, quamvis mente saucius, interdum « tamen a Domini bonitate leniter, crebroque nunc « cum aliis, nunc solus monetur, sed postquam « indignus mystica præsumpsit, invasit eum dia- « bolus et qui prius nutabat, ut accepit, continuo « foras exivit. » Dionysius Carthusianus in sermone cui titulus est, *quomodo sacramentum altaris sit digne suscipiendum,* eos, qui indigne ad communionem accedunt, his verbis perstringit : « Tales sunt socii « Judæ proditoris, de quo in Joanne legitur : *Post* « *bucellam introivit in eum Satanas,* nam et ante « n ieum intravit, sed quia corpus indigne accepit, « magis possedit eum diabolus. » S. Bernardinus citat S. Remigium [4] super illa verba Matthæi [5]: *Væ illi, per quem Filius hominis tradetur,* ita scribentem : « Væ accedentibus ad Christum crucifigendum, sed væ sub maligna conscientia sumentibus illum sacramento; » etenim Deus illos haud secus ac Judam deserit, dæmoni in prædam dimittit, ac tamdem in propriæ salutis desperationem cadere facit. Beda, a S. Thoma ad prædictum dubium respondente, citatus, de inimico infernali scribit [1] : « Quia tunc intravit, ut quasi « alienum tentaret, nunc autem quasi proprium « atque ad quæcumque vellet, agenda attraheret. » Quisquis enim ad hanc tam sacrilegam temeritatem pertingit, ut pro nihilo ducat, si indigne communicet, hunc dæmon pro libitu suo ad quosvis alios excessus commitendos facile inclinabit; sic enim mox ut Judas Eucharistiam sumpsit, ad execratissimum scelus, quod unquam vel ab humana, vel a diabolica malitia committi potuit, scilicet, ad deicidium et ipsiusmet Filii Dei crucifixionem exequedam se accinxit, quia dæmon, ad quæcumque vellet, ipsum pertrahebat.

**6.** — Unde D. Chrysostomus miserabilius esse censet, sacrosanctum Salvatoris corpus indigne sumere, quam ab ipsomet dæmone possessum esse [2]: « Dico horribile quoddam atque tremendum, non « esse ita malum dæmoniacos intus esse, sicut istos « qui peccatorum sordibus polluuntur, quod ait « Paulus, Christum conculcare. Multo dæmoniaco « pejor est, qui peccati sibi conscius accedit. » Et ratio est evidens, quia dæmon solum super corpus possessi hominis potestatem habet; at vero in indigne communicante absolutam habet in animam potestatem et ideo magis possidet eum diabolus et quidem tametsi etiam dæmon auctoritatem habeat in animam, culpæ mortali obnoxiam, attamen quando eadem etiam hujus sacrilegii reus est, *magis possidet eam.* Salmeron delicti hujus gravitatem his verbis considerat [3] : « Porro gravissimum est, « horrendum, male communicatium delictum; « pejus enim est quodammodo, quam Christi cor- « pus cruci suffigere, atque pretiosum ejus sangui- « nem fundere, propter quod dicit Apostolus : *Reus* « *erit corporis et sanguinis Domini.* Deterius enim « peccat vel ipso Juda, qui Filium Dei et pretio « vendidit et osculo prodidit, nam hic non solum « exterius osculatur, sed intus morsu lethali afficit, « ut Propheta dicat : *aperuerunt super me os suum,* « *sicul leo rapiens et rugiens*; atque quod ad se « attinet, renovat Filii Dei mortem. »

**7.** — Porro quid benignissima Christi pietas, ad cor traditoris immutandum, eumque ad pœnitentiam inducendum, non fecit aut dixit? Et tamen irritum semper fuit; tum vero quando indigne communicavit, eumdem velut impœnitentem a dæmone in ultimum usque ad præcipitium proturbari permisit, unde ait : *Quod facis, fac citius.* Et ideo S. Bernardinus de eo, qui similis sacrilegii reus est, ita scribit : « Irrationabilis creatura et inanimata, « scilicet panis, mutatur in melius, scilicet in corpus « Christi, virtute verbi Dei, mirum est igitur, quod « peccator non mutatur, nec verbis, nec benficiis, « nec minis, nec promissis potest converti de « mala sua vita in bonam. »

[1] S. THOM., *in Joan.* — [2] S. CYPR., *de Cœn. Dom.* — [3] S. PASCH., l. VI *de Corp. et sang. Dom.* — [4] S. BERN., l. II, s. 55, a. 1. — [5] MATTH., XXVI, 24.

[1] BEDA, *in Cat. D. Thom.* — [2] D. CHR., h. 83 *in Matt.* — [3] SALM., t. IX, tr. 41.

## DISCURSUS XL.

DE ASSERTO APOSTOLI DICENTIS : *Quicumque manducaverit panem indigne, reus erit corporis et sanguinis Christi, etc.* UBI ETIAM OSTENDITUR, QUOD REATUS ISTE MAJOREM IN NOBIS MEREATUR PŒNAM, QUAM OLIM IN LEGE VETERI, UBI FIGURAM ILLIUS INDIGNE TRACTANTES, SEVERISSIME FUERE PUNITI.

IDEA SERMONIS. — 1. Proportio est inter Christum manu occidentes et indigne communicantes. Hi enim illum de novo crucifigunt. Indigne communicantes in inferno sociabuntur Judæ, Pilato, Herodi. — 2. Prosecutio ejusdem argumenti. Declaratur gravitas hujus sceleris apta similitudine. Invectiva S. Bernardi contra hoc peccatum. — 3. Mira Christi patientia, quod indigne communicantes non statim puniat. Sicut nec olim suos crucifixores. — 4. Corpora nostra sunt templa Dei quæ prophanant indigne communicantes. Ex stragis illis inflictis, qui olim figuras hujus SS. Sacram. minus digne tractarunt, colligitur, pœna indigne communicantium. — 5. Punitiones divinæ incipiunt a Sanctuario, id est, ab illis qui hoc Sacr. indigne tractant.

*Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* I Corinth., XI, 27.

**1.** — Terribilis est illa S. Pauli sententia, eidem a Spiritu veritatis dictata, qua ad deterrendum quemcumque indigne ad corpus Christi ad sumendum accedentem, dicit : *Reus erit corporis et sanguinis Domini*, haud secus, ac si manibus suis ei necem intulisset, *itaque quicumque manducaverit etc.* Dionysius Carthusianus autem ly *indigne*, ita exponit : « Id est, non in statu salutis et gratiæ, non re« verenter et devote, non secundum institutionem « Christi et ordinationem Ecclesiæ. » S. Thomas ait [1] : « Corpus et sanguis Domini facient eum « reum, ita enim bonum male sumptum nocet, « sicut prodest malum, quo quis bene utitur. » Theophylactus inter eos, qui manus suas in passione Filii Dei cruentarunt et illos, qui irreverenter communicant, hanc proportionem esse considerat [2] : « Ut enim qui tum pupugerunt Christum, non ut « biberent, pugerunt verum ut effunderent; sic « indigne bibens temere effudit sanguinem. Porro « Judæi dilacerarunt Regis chalmydem, at qui in« digne manducat in cœnum et lutum, in animam « suam videlicet hanc chlamydem injicit. » Cajetanus ad imprimendum nobis adæquatum hujus deicidii conceptum inquit [3] : « Nec dicit : *Reus erit* « tamquam *corporis et sanguinis Domini*, sed dicit : « *Reus erit corporis et sanguinis Domini*, ut intelli« gant Christiani, vere reum esse corporis et san« guinis Domini, quia vere, quamvis indigne, « sumit corpus et sanguinem Domini. Injuria irro« gatur corpori et sanguini Domini, indigne su« mendo. » Unde necessum est hanc veritatem viva fide tenere, quod idem Salvator, qui traditus, flagellatus et in crucem a Judæis actus fuit, idem, inquam, de novo a sacrilego crucifigatur, qui de Eucharistia indigne cibatur. « Inter Angelorum « frequentiam, » inquit S. Paschasius [4], « quam « terribile sit ad communionem accedere, debet « quisque cogitare, imo quam terribile sit ipsum « corporis et sanguinis sacramentum, ubi plenis« sime virtus Christi accipitur et neque ab alio, « quam ipso Christo pontifice porrigitur, licet visi« bilis sacerdos assistere et singulis tribuere videa« tur. Quis carnem ipsius et sanguinem nisi ab « ipso, jure percipit, cujus est caro? » Qui crucem offendit, vel crucifixum, sive ex ligno, sive ex tela factum, injuria afficit, Christum quidem indigne tractat et vilipendit, non tamen immediate, siquidem sola effigies et imago ejus est, quæ directe et primo loco vilipenditur : et vere, qui sacramento altaris contumeliam infert, idem corpus, quod a Judæis crucifixum fuit, vilipendit et conculcat; et ideo *reus eris corporis et sanguinis Domini*. Quæ verba, ut Theodoretus inquit [2], « hoc significant, « quod quemadmodum tradidit ipsum Judas et eum « probis et convitiis affecerunt Judæi, ita eum « ignominia et dedecore afficiunt, qui sanctissimum « ejus corpus immundis manibus accipiunt. » Angelicus Doctor præter jam allegatam expositionem, inquit [3] : « *Reus erit corporis et sanguinis Domini*, ut « sit sensus : mortis Domini pœnas dabit, hoc est, « ac si Christum occiderit, punietur, secundum « illud *Hebr.*, VI : *Rursum crucifigentes sibimetipsis* « *Filium Dei et ostentui habentes.* » Unde qui indigne communicant, in inferno, in societate Judæ, Herodis, Caiphæ, Pilati, Judæorum et carnificum, qui huic sacratissimo corpori acerbissimam mortem intulerunt, punientur. Quare S. Anselmus similiter ait [4] : « Dabit pœnas mortis Domini. » S. Patianus evidentem hujus rationem reddit, dum primo quærit [5] : « Intremuistis, an non, dum audistis quia reus « erit corporis et sanguinis Domini? » et postea sequens format argumentum : « Humanæ, » inquit, « animæ reus non potest absolvi, Dominici « corporis violator evadet? » Dionysius Carthusianus prædictis expositionibus similiter subscribit, dicens [6] : « *Reus erit*, id est, sic confundetur, dam« nabitur et punietur, ac si Christum occidisset, « ejusque sanguinem effudisset. » S. Thomas de Villanova, in concione tertia de Sacramento altaris, gravitatem hujus sceleris ponderans, idem quoque punctum his verbis tangit [7] : « Quantum, » inquit,

[1] S. THOM., *ib.* — [2] THEOPH., *ib.* — [3] CAJET., *ib.* — [1] S. PASCH., l. *de Corp. et sang. Dom.* — [2] THEOD., *ib.* — [3] S. THOM., *ib.* — [4] S. ANS., *ib.* — [5] S. PAT., *Par. de pœn.* — [6] D. CART., *ib* — [7] S. THOM. VILL., conc. 3 *de sacram.*

« flagitium sit, in spurcissimam pectoris tui cloa-
« cam sacratum Christi sanguinem fundere, apostо-
« lica illa tuba personuit, dicens : *Quicumque man-*
« *ducaverit panem hunc, etc. reus erit*, ac si occidisset
« et effudisset ; non æqualiter, sed proportionabili-
« ter, quascumque enim blasphemias, quascumque
« irrisiones, quæcumque opprobria impiissimi
« Judæi in Christum corporaliter exercuerunt, has
« omnes spiritualiter repetit impius comestor, Fi-
« lium Det rursum in semetipso crucifigens et os-
« tentui habens. »

**2.** — S. Basilius reverentiam et præparationem, cum qua ad hoc Sacramentum accedendum est, nos docere volens, his verbis utitur [1] : « Mundemus
« nos ab omni inquinamento, atque ita ad Sancta
« accedamus, ut judicium eorum, qui Dominum
« occiderunt, effugiamus. » Beda occasionem consi-derat, qua Apostolus monitum hoc ad Corinthios transcripsit [2] : « De his, » inquit, « erat sermo,
« cum hoc Apostolus diceret, qui Domini corpus
« velut quemlibet alium cibum indiscrete, negli-
« genterque sumebant. Si reprehensione tangitur
« negligentia convitantis, qua pœna percutitur
« venditor invitantis ? » Primasius in commentario super hunc textum, hanc habet valde notabilem propositionem [3] : « *Reus erit corporis, etc.*, quasi
« ille ipsum occiderit. » S. Cyprianus quoque hanc Apostoli comminationem ponderans, inquit [4] :
« Contumacibus et pervicacibus comminatur et
« denunciat, dicens : quicumque ederit panem,
« aut biberit calicem Domini indigne, reus erit
« corporis et sanguinis Domini. Spretis his omni-
« bus, atque contemptis, vis infertur corpori ejus
« et sanguini et plus modo in Dominum manibus,
« atque ore delinquunt, quam cum Dominum ne-
« gaverunt. » Hugo Cardinalis sacrilegam illorum malitiam, qui sanctissimo huic corpori injurantur, sequenti declarat similitudine [5] : « Si, » inquit,
« aliquis dominum suum legitimum introduceret
« scienter in domum inimici ejus capitalis, etsi
« ipse non occideret enm, reus tamen esset mortis
« domini sui. » Inimici principales Christi sunt peccata mortalia, propter quæ occisus est ; non enim clavi, non flagella, non carnifices, sed peccata nostra corpori Redemptoris mortem intulerunt [6] : *Propter scelus populi mei percussi eum* : dum ego hoc corpus peccatorum nostrorum prædam efficimus, illud in manus crucifixorum suorum tradimus. Ac proinde Hugo Cardinalis de ejusmodi sacrilegio inquit : « Ac si Christus occiderit, pu-
« nietur ; » quorum malitiam S. Bernardinus exaggerans, ait [7] : « O ingratitudo, omni nequitia
« plena ! nonne ingratissimus putaretur, qui ha-
« beret Dominum, a quo cuncta, quæ habet,
« accepisset bona et ipsum a morte et a suspendio
« multis suis laboribus liberasset et tamen ipsum
« Dominum in immundissimum stabulum inimici
« sui proditorie locaret, ut crudeliter necaretur ?
« longe majori ingratitudine plenus est, qui in
« mortali culpa dominicum sumit sacramentum ;
« ideo Dominus lamentabiliter ait : *Conculcaverunt*
« *me inimici mei tota die*, » citatque sequentem S. Ambrosii auctoritatem, dicentis [1] : « Ille Christum
« conculcat, qui libere peccat absque timore et pœni-
« tentia et qui de eo indigne participat. » Idem S. Præsul super illa verba S. Pauli ad Hebræos : *Quanto magisputatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit* ? de indigne sacram communionem sumentibus subinfert : « Hoc peccato conculcatur
« corpus Domini. » Salmeron de hoc sacrilegio disserens, illud per comparationem quamdam, similitudini Hugonis Cardinalis valde conformem, declarat, dicens [2] : « Notam perfidiæ et crudelitatis
« non evaderet, qui regem domi suæ exceptum,
« regis hostibus conculcandum traderet ; at quid
« aliud facit peccator, qui atrocissimis Christi hos-
« tibus, quæ sunt peccata, eum conculcandum
« præbet ? »

**3.** — S. Anselmus vehementer obstupescit, quod justitia Divina ad vendicandum tantum scelus iræ suæ fulmina ejusmodi sacrilegis non continuo immittat, nec justissimi furoris sui sagittas in Judæos ipsum crucifigentes non vibrarit : sed potius illos præstoletur ad pœnitentiam, ut longanimitatem et clementiam suam mundo manifestam reddat [3] :
« Permittuntur mira Dei patientia, corpus Christi
« indigne manducando, ipsum Christum sibimet
« rursum, ut ait Apostolus, crucifigere et ostentui
« habere et quasi invitum indignis et pollutis ma-
« nibus quodammodo sibi allegare, dum sacra-
« mento tenus manducat ejus corpus, quod ipse
« omnibus paraverat in cibum vitæ æternæ. » Simulque rationem assignat, cur hosce indignos non subito patenter castiget. « Mitis Jesus, » inquit,
« dum tempus patientiæ est, qua pietate Judæos
« toleravit irridentes, conspuentes, crucifigentes,
« eadem et istos tolerat, quales fuerunt tales pro-
« prie circa eum existentes. » D. Chrysostomus ad illa Christi verba [4] : *Cavete a fermento Herodis*, se reflectens, quinam illi similes sint, declarat pariter et monet, dicens [5] : « Cave, ne Herodi efficiaris
« similis et dicas, *ut et ego veniens adorem eum*,
« cumque veneris, interimere coneris, hujus enim
« similes sunt, qui indigne abutuntur communione
« mysterii. » De eodem sancto doctore referun annales Ecclesiastici, quod contra hujusmodi indignos ingenti zelo exardescens, protestatus aliquando fuerit, dicens [6] : « Si ipse pellere non audes, mihi

[1] S. Basil., s. 2 *de bapt.* — [2] Beda, *ib.* — [3] Primas., *ib.* — [4] S. Cyprian., *de lapsis.* — [5] Hugo Card., *ib.* — [6] Isa., liv, 8. — [7] S. Bern., t. II, s. 55.

[1] S. Ambr., in c. 1 *Hebr.* — [2] Salm., t. IX, tr. 40. — [3] S. Ans., *de sac. alt.* — [4] D. Chrys., h. 7 *in Matth.* — Bar., an. 56, n. 30.

« indica, non permittam ista fieri, animam prius « tradam meam, quam Dominicum alicui corpus « indigne. » S. Thomas causam assignat malitiæ, quam committunt, qui in statu peccati communicant. « Quicumque, » inquit [1], « hoc sacramentum « sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo uni- « tum et membris ejus incorporatum, quod quidem « fit per fidem formatam, quam nullus habet cum « peccato mortali, et ideo manifestum est, quod « quicumque hoc sacramentum cum peccato mor- « tali sumit, falsitatem in hoc sacramento commit- « tit et ideo incurrit sacrilegium, tamquam sacra- « menti violator et propter hoc mortaliter peccat.»

**4.** — Consideratione dignissima est illa a S. Paulo stabilita conclusio, dicentis [2] : *Nescitis, quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis? si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Quæ cum ita se habeant, audebimusne in templum hoc profanatum, in quod admissus est dæmon, in quo peccatum, mortalis Christi inimicus, regnat, sacratissimum ejus reponere corpus? Sanctus Cyprianus hoc sacrilegium considerans, ait [3] : « Tu si « templum Spiritus Sancti violas, si intra te sacra- « rium Dei deturbas et fœdas, si cum calice Christi « de calice dæmoniorum communicas, contumelia « est, non religio, injuria, non devotio. » Consideremus, obsecro, zelum, quo Deus in antiquo testamento prosecutus est illud, quod solum remotus quidam corporis sui Eucharistici typus erat. Quot strages et neces arca, in qua manna recludebatur, populo Hebræorum intulit, eo quod tanto thesauro temere abusi fuissent? Ozia, qui eamdem in humeris suis portare debebat, dum manum suam extendit, ut eamdem, bobus, qui illam in plaustro portabant, recalcitrantibus, sustineret et a lapsu præservaret, morte repentina punitus fuit. Unde Thomas a Villanova ait [4] : « Quantus terror in arca « lignea? tantane tibi Domine cura de ligno? » non utique, « sed propter nos hæc facta sunt; in illis « terremur, in illis admonemur, in illis instruimur. « Illos examinas, ut nos erudias, ut in eis discamus « quanti piaculi simul et periculi sit, indigne trac- « tare, ac sumere sacro sanctam Christi carnem in « hostia salutari, cujus typum sic Deus magnifica- « vit, sic sublimavit, sic vindicavit. Si talis ultio in « umbra, qualis fiet in veritate ipsa? » Idem quoque S. Archipræsul ad honores se reflectit et reverentiam, quam Philisthæi, cæteroquin gentiles et idololatræ, huic arcæ exhibuerunt; et ideo subdit : « Vere gens illa et populus ille surget in judicio « contra nos et condemnabunt nos, quia illi am- « plius umbra quam nos veritati detulerunt. » In Levitico hoc præceptum a Deo, Moysi datum fuisse legitur : *Loquere ad Aaron et ad filios ejus, ut caveant ab his, quæ consecrata sunt filiorum Israel et non contaminent nomen sanctificatorum mihi, qui ipsi offerunt; ego Dominus; dic ad eos et ad posteros eorum : Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt et quæ obtulerint filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Legatur totum hoc caput, inde enim videbitis, quanta cum munditie et puritate corporali, altari Deus ministrari voluerit, licet in illo revera aliud nihil offerretur, præterquam animalia, vel incensum, vel farina, aut aliæ similes oblationes. « Ins- « truit nos, » inquit S. Basilius [1], « tanto scelera- « tiorem et impium magis esse eum, qui cum « impurus sit, corpus Domini administrare studet» (quod idem applicari potest illis, qui cum mortalis culpæ conscientia illum sumunt) « qui seipsum « oblationem et hostiam Deo in odorem bonæ fra- « grantiæ dedit, quanto corpus unigeniti Filii Dei « excellentius est arietibus, ac tauris. » S. Cyprianus quibusdam sacrilegis errorem et indignitatem suam his verbis improperat [2] : « Exhalantibus etiam « nunc scelus suum faucibus et contagia funesta « redolentibus, Domini corpus invadunt, quamvis « occurrat Scriptura et clamet et dicat : *Omnis « mundus manducabit carnem et anima quæcumque « manducaverit ex carne sacrificii salutaris, quod est « Domini et immunditia ipsius super ipsum est, peri- « bit anima illa de populo suo.* » In alio quoque ejusdem Levitici loco ita præcipitur [3] : *Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis;* et tamen carnes illæ irrationabilium bestiarum carnes erant : quale igitur erit supplicium illorum, qui corpus agni immaculati, *qui tollit peccata mundi*, cum immunda conscientia sumere præsumpserint?

**5.** — In Ezechiele sequens refertur visio. Comparuerunt sex viri, vas mortis in manibus tenentes, in quorum medio unus erat vestitus lino, ad cujus renes calamarium suspensum pendebat. Hi ingressi sunt templum, juxta altare æneum se collocantes; dicitque sacer textus [4] : *Gloria Domini Israel assumpta est de Cherubim, quæ erat super eum ad limen domus.* Ei vero, qui calamarium habebat, hoc impositum fuit præceptum : *Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem et signa Thau super frontes virorum gementium et dolentium, super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus, et illis dixit, audiente me : Transite per civitatem sequentes eum et percutite, non parcat oculus vester, neque misereatur, senem, adolescentulum et virginem, parvulum et mulierem interficite usque ad internecionem; omnem autem super quem videritis Thau, ne occidatis.* Quod vero vel maxime in hac visione admirationem affert est quod sequitur : *A sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo a viris, qui erant ante faciem domus.*

[1] S. Thom., 3 p., q. 80. — [2] I Cor., III, 7. — [3] S. Cyp., *de Cœn. Dom.* — [4] S. Th. Vill., conc. 3 *de sacr.*

[1] S. Basil., ser. 2 *de bapt.* — [2] S. Cypr., *de laps.* — [3] Lev., VII, 20. — [4] Ezech., IX.

Scitisne hujus jussionis causam? Nimirum arca, in qua manna erat et sanctuarium ac altare sanctissimum, hoc præfigurabant sacramentum et ideo rigorosam sumit vindictam de illis, qui illud injuriis affecerunt; *omnia in figura contingebant illis.* Porro S. Paschasius visionem hanc sequenti modo exponit [1]: « Steterunt juxta altare æneum, quod « erat in atrio templi, per quod nimirum præsens « altare, quo cibum vitæ et stipendium militiæ « nostræ sumimus, manifestissime designatur. Cla- « mavit ad virum, qui indutus erat lineis et atra- « mentarium Scriptoris habebat in lumbis suis. « Quem profecto virum, Christum intelligimus, « vestitum in habitu Pontificis, de quo scriptum « est: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordi-* « *nem Melchisedech*, et habet atramentarium Scrip- « toris ad renes suos, ut omnium peccata describat « dum ad altare veniunt. » Observat vero sanctus Deum, divinæ justitiæ suæ ministris præcepisse: « *Non parcat oculus vester, neque misereatur. A* « *sanctuario meo incipite*, jure, inde peccatum, « unde judicium incipit: » hi vero, qui signo *Thau* insigniti erant, quod crucem et passionem Christi indicabat, illos præfigurabant, qui ex sacra communione, quæ passionis suæ memoriale est, proficiunt: *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Hi a suppliciis divinis exempti sunt, imo divinorum favorum efficiuntur participes.

## DISCURSUS XLI.

DE DAMNIS INDIGNE COMMUNICANTIUM, DEQUE VARIIS EORUM SPIRITUALIBUS, TEMPORALIBUS ET ÆTERNIS SUPPLICIIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Vestis nuptialis necessaria est ad hoc sacramentum digne sumendum. — 2. Ingens damnum incurrunt indigne communicantes, quod patet exemplo Judæ. Apta similitudine declaratur damnum indigne communicantium. — 3. Medicina corporis Christi, indigne sumentibus est vulnus et venenum. Et quidem valde periculosum et atroci pœna diguum. Recensentur damna indigne communicantium. — 4. Propter indignas communiones, multi repente et immature moriuntur. Horrenda historia indigne communicantis et sine pœnitentia morientis. — 5. Pro tali anima intercedens, nihil efficit. — 6-7. Varia alia ejusdem materiæ exempla. — 8. Frisia submersa fuit propter sacr. hostiam indigne tractatam.

*Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Tunc Rex dixit ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* Matth., XXII, 12.

**1.** — Per hasce nuptias, quarum incarnata Sapientia in hac parabola meminit, ex mente S. Thomæ, sacra Eucharistia intelligitur; dicit enim Angelicus Doctor [1]: « Illud nuptiale convivium est « Eucharistiæ sacramentum; istud convivium in « cœna Domini fuit paratum; per tauros et altilia « significantur Spiritus Sancti dona, quæ conferun- « tur in hujusmodi perceptione devota; » is vero qui sine veste nuptiali huic mensæ temere accubuit, Christianum significat, qui cum conscientia peccati mortalis communicat, gratiam et amicitiam Dei neutiquam possidens: « Vestis denique nuptialis, » ut S. Hieronymus ait [2]: « Præcepta sunt Domini, « et opera quæ complentur ex Lege et Evangelio, « novique hominis efficiunt vestimentum. » Qui hanc vestem non habet, ecce tibi, quod sibi adscisit æternæ reprobationis horrendum supplicium, cujus occasione varias in hoc discursu pœnas examinabimus, quæ illos infallibiliter manent, qui Eucharistiam sacrilege suscipere non erubescunt.

**2.** — Certissimum quidem est, quod Eucharistia verus sit panis vitæ: *Ego sum panis vivus*; verumtamen constat, quod mox, ut illam Judas sumpsit, *suspensus crepuit medius*, Scitisne causam, cur id ei acciderit? inquit D. Angelicus [3]: « Judas cum esset « malus bono usus est male: sic cum quis indigne « accipit Eucharistiam, quod bonum et optimum, « male accipit et vertitur sibi in malum. » Nullus quinem dari, aut excogitari potest cibus majoris substantiæ et nutrimenti, quam sit iste; sed væ stomacho illi, qui non est purgatus; est enim infallibilis medicinæ aphorismus: « Impura corpora « quo plus nutrias, plus lædas; » atque ideo quando conscientia malis humoribus plena est, sacramentum hoc tam corpori quam animæ in perniciosum venenum et toxicum convertitur [4]: *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Certum quidem est, quod omnis, qui peccati mortalis bolum deglutit, judicio Dei et condemnationi æternæ subjiciatur, Apostolus tamen de indigne communicantibus specialiter dicit: *Judicium sibi manducat.* Quod sequenti similitudine facile declarare possumus. Reus aliquis ob grave delictum commissum, carceri inclusus et mortis condemnatus, aliqualem adhuc vitæ suæ spem habere potest, quamdiu sententia mortis in eum lata, executioni demandata non fuit, siquidem in communi proverbio dici solet: « Qui tempus habet, vitam habet; » fieri enim potest, quod vel vitam pecunia redimat, vel carcerem effringat, vel quod potens aliquis dominus, pro ejus vita salvanda intercedat, vel denique quod sententia mortis in perpetuum commutetur carcerem: at vero qui irremediabile venenum hausit, quam spem salutis concipere potest? Ecce tibi differentiam, quam Apostolus assignat inter illos, qui Deum mortaliter offendunt et alios, qui indigne sacramentum hoc sumunt. De illis enim

[1] S. PASCH., *de Corp. et sang. Dom.*

[1] S. THOM., *ib.* — [2] S. HIER., *ib.* — [3] S. THOM., *in Joan.* — [4] I COR., XI, 27.

verum quidem est, quod *secundum præsentem justitiam* condemnati sint ad infernum, quia enim in odio Dei sunt, eo ipso divinæ justitiæ suppliciis sunt subjecti ; verumtamen tolerantur, majoremque spem habent, quod tandem aliquando resipiscant, et ad pœnitentiam se convertant et in pristinum justitiæ statum redeant : at vero qui sacrilege hunc panem cœlestem devorant, judicium sibi manducant, panisque ille in illorum stomacho in perniciosum convertitur venenum. *Post buccellam introivit in eum Satanas.* « Num mala erat buccella, quæ « tradita est Judæ a Domino ? » quærit S. Augustinus : « Absit. Medicus non daret venenum, salutem « medicus dedit. » Quomodo igitur cibus iste tam salutaris versus est ei in toxicum ? « Indigne acci- « piendo ad judicium accipit. » Idem S. Doctor super Ps. CXLII inquit : « *Qui manducat, et bibit* « *indigne, etc.* non malum est quod datur, sed bonum « malo in judicium datur. Bene esse non potest « male accipienti, quod bonum est. »

**3.** — Cum Salvator noster ab innumerabili turba cinctus comprimeretur, Hæmorrhoissa, magna cum fiducia ad ipsum accedens, extremitatem vestium ejus tetigit : *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus salva ero.* Circa quod factum D. Chrysologus inquit : « O quam docuit mulier, quantum sit « corpus Christi, quæ in fimbria tantum esse mon- « stravit ? Miseri, qui quotidie corpus Christi trac- « tamus, et sumimus, et a nostris vulneribus non « curamur. Imo, quod magis flendum est, mulier « tulit medicinam de vulnere, nobis medicina ipsa « retorquetur in vulnus ; » at vero quænam est causa, quod loco vitæ mortem conciliet ? « Non « deest Christus infirmantibus, sed fides. » Salmeron damnum, quod sacrilegus sibi ipsi procurat, sequenti similitudine declarat : « Vehementer, » inquit, « sibi nocet male communicans, nam proinde « ac si putridum dolium, optimum vinum in se « recipiens, statim amittat, fæcesque solum sibi « retineat ; pari ratione facere videtur, qui nullo « cum fructu communicat, et peccata, quæ male « communicando admittit, sibi solum retinet. » Vulgaris est ille medicorum aphorismus : « Corrup- « tio optimi pessima ; » quanto enim caro aliqua delicatior est et pretiosior, et tanto illius putredo perniciosior efficitur. Eodem quoque modo accidit in hoc Sacramento ; quanto enim purius est et excellentius, tanto majorem in recipiente puritatem et sanctitatem requirit, tantoque magis indigne receptum iram Dei irritat, ut sumentem tanto atrociori pœna castiget ; *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et Dei ira ascendit super eos.* Stomachi illi, qui manna satiati illud nauseabant, ultricem protinus experti sunt Dei vindictam, idque etiam illo adhuc tempore, quo coturnices dentibus mandebant ; *et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit* : Nec constat, Moysem, vel Aaronem pro illorum venia et remissione se apud Deum interposuisse, ut exinde intelligamus, quod, licet sanctos pro aliis peccatis nostris promptos ad intercedendum pro nobis experiamur, non tamen facile intercessuri sint pro tanto sacrilegio, quod malitiose et scienter indigne communicando committitur. Unde Petrus Blesensis contra hos impios ita scribit [1] : « Repositum fuit illud pretiosissimum « corpus in syndone munda, et in monumento novo. « Iste autem in ore, adhuc potu hesterno fætente, « et in sentina ventris adhuc ex præcedenti cra- « pula æstuante demergit eum, quem Angeli pro- « spicere concupiscunt, quem prospiciendo delec- « tationes æternas accipiunt. Nonne potius anti- « christianus, quam Christianus judicandus est, « qui, quantum in se est, Christum jam factum « impassibilem, ita tractat indigne, ita probris « afficit, ita crudeliter interimit et sepelit inho- « neste. » S. Laurentius Justinianus damna indigne communicantibus provenientia, his verbis describit [2] : « Sumentes indigne præ cæteris delicta gra- « viora committunt et pertinaciores in malo, atque « ad emendationem vitæ tardiores sunt. Quonam « modo in sceleribus non excellunt alios, dum « Regem gloriæ et universorum conditorem con- « temnunt et irreverenter tractant ? » Deus olim per os Psalmistæ conquerebatur, dicens [3] : *Dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto.* Porro Christum felle et aceto potatum fuisse, veritas est Evangelica, cum S. Matthæus expresse dicat [4] : *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum* ; at vero ex quo fel istud Christo in potum propinatum fuit, cur idem sibi in escam datum fuisse dicit : *Dederunt in escam ?* S. Augustinus idipsum in sensu spirituali exponit, asserens, eos Salvatorem amarissimo felle potare, qui Eucharistia indigne cibantur. At vero quid tamdem illis evenit ? Nimirum illa felis amaritudo super ipsosmet recidit propinantes ; nam regius Vates subdit : *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum et in retributiones et in scandalum ; obscurentur oculi eorum ne videant et dorsum eorum semper incurva. Effunde super eos iram tuam et furor iræ tuæ comprehendat eos, fiat habitatio eorum deserta, etc.* Ubi integrum quemdam multorum infortuniorum contexit catalogum, quæ impiis ejusmodi hominibus immittenda erunt. « Acceperat « ipse, » inquit S. Augustinus [5] « escam suavem, « quando Pascha manducaverat cum discipulis « suis, ibi sacramentum sui corporis demonstravit, « in hanc escam tam suavem, tam dulcem quis est, « qui dat fel, nisi contradictores Evangelii, tan- « quam illi persecutores Christi ? » S. Bernardinus ait [6] : « Christianis maximum scelus est et multo-

[1] S. AUG., *in Joan.* — [2] CHRYS., s. 34. — [3] *Ps.* XVII, 31.

[1] PET. BLES., *ib.* — [2] S. LAUR. JUSTIN., *de Euch.* — [3] *Ps.* LXVIII, 22. — [4] MATT., XVII, 34. — [5] S. AUG., *ib.* — [6] S. BERN. SEN., t. II, s. 55.

« rum causa flagellorum, quod Christum Filium « Dei in hoc Sacramento tam indigne suscipiunt; « propter hoc sæpe evenit sterilitas terræ, tempo- « ralium rerum penuria, prædationes, guerræ, « Sacomani civitatum. » In tomo primo in alio quodam sermone, adversus eos, qui in peccato mortali constituti communicant, duodecim enumerat maledictiones, quæ ex Ps. LXVIII, deducuntur : « *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.* Primo, « peccatis illaqueat; secundo, retributionem gra- « vat; tertio, proximum scandalizat; quarto, « mentem excæcat; quinto, mundanis incurvat; « sexto, Dei misericordiam irritat; septimo, Dei « justitiam conturbat; octavo, vitam abbreviat; « nono, gratuitis privat; decimo, iniquitatem mul- « tiplicat; undecimo, mentem inducat; duodecimo, « damnatum quoque in fine demonstrat. »

**4.** — S. Laurentius Justinianus ex hac Apostoli propositione [2] *si quis templum Dei violaverit, destruet illum Deus* ita arguit [3] : « Quid de his arbitrandum « est, qui sceleribus onerati, absque ulla devotionis « veneratione, ad Dei et Domini sui mensam spiri- « tualem audent accedere, corpus ipsius sumere « pollutis interioris hominis manibus, atque animo « infrunito et irreverenti mysteria sacrosancta « tractare? » Quod argumentum et S. Cyprianus ex parabola illius, qui vestem nuptialem neglexit, confirmat, dicens [4] : « Dominicæ mensæ in veste « luculenta se ingerunt impudenter, quibus melius « erat mola asinaria collo alligata mergi in pelagus « quam illota conscientia de manu Domini buccel- « lam accipere. » S. Bonaventura pariter in sermone VI, *de ultima cœna*, illam ex libro Judicum, de pane subcinericio, Madianitarum exercitum dissipante, historiam adducens, ita discurrit : « Con- « sidera hujus miraculi memoriam in hoc Sacra- « mento, quo perversi et indigne communicantes « percutiuntur, subvertuntur, terræ cœquantur et « hoc per triplicem mortem, secundum quod innuit « Apostolus (I *Cor.*, XI), percutiuntur per mortem « spiritualem; unde ait Apostolus : *Quicumque « manducat et bibit calicem Domini indigne, reus « erit corporis et sanguinis Domini* : subvertuntur « per mortem æternalem; unde dicitur ibidem : « *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi man- « ducat et bibit.* Terræ cœquantur per mortem « corporalem, quando terra in terram revertitur. » Qui idem S. Doctor Apostolum, postquam Corinthiis indignitatem, quacum ad hoc sacramentum accedebant, exprobrasset, subjunxisse advertit : *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles et dormiunt multi.* Imo non defuere auctores, qui in his hymni Paschalis verbis : « Quæsumus auctor omnium, in « hoc Paschali gaudio, ab omni mortis impetu, « tuum defende populum, » Ecclesiam supplicare voluisse autument, ut a mortibus repentinis, quæ eo tempore, ad indigne communicantium vindictam, frequentius obtingere solent, fideles suos liberaret; qui et S. Paschasius respexit, dum ait [1] : « *Dormiunt* ergo inde *multi*, non somno pacis, sed « somno mortis, quia ministerio eorum, qui ad « hoc positi sunt, angelorum perimuntur. *Imbecilles* « vero fiebant, quia variis languoribus ideo crucia- « bantur; quidam ut corrigerentur, quidam vero, « ut jam inciperent torqueri et motu eorum cæteri « sanarentur. » Quam eamdem multorum immaturorum funerum causam extitisse S. Augustinus in hæc verba probat [2] : « De mortibus autem, quæ « contingunt et vindicta, ait quodam loco Aposto- « lus, corripiens eos, qui male tractabant corpus « et sanguinem Christi, dicens : *Propterea in vobis « multi infirmi, multi in vobis dormiunt,* id est, « moriuntur. Flagello autem Domini corripiebantur et ægrotabant et moriebantur. » Quam eamdem veritatem, B. Algerus, de sacramento altaris tractans, confirmat, dum ait [3] : « Pravi dum com- « municare præsumunt, cibo, qui incommunicabilis « est pravitati (ut ait Apostolus) imbecilles fiunt et « dormiunt multi, quia non dijudicant corpus « Domini, ut vel corporalis infirmitatis molestia « corrigantur per Dei misericordiam, vel dormi- « tione mortis corporalis vitam amittant tempora- « lem et æternam. » Cui argumento plenius suffragaturus S. Bonaventura diversa, sacrilegium hoc consequentia, commemorat damna, præsertim autem, quod vitam penitus abbreviet; ait namque [4] : « Indigne sumentibus multa mala occurrunt; nul- « lius enim opus placet Deo, nisi placeat ipse prius. « Indigna enim Communio, peccatis hominem « illaqueat, damnationem præparat, proximum « scandalizat, mentem excæcat, tentationi sub- « jugat, Deum irritat, vitam temporalem bre- « viat, gratuitis spoliat. » Quæ omnia damna ex citato eruit Ps. LXVIII. Si quis autem porro quæsierit, quare Deus hujusmodi transgressores dictis suppliciis obruere differat, respondet S. Paschasius de sacrilego et indigne communicante tractans, in hæc verba : « Certus sit, quia ultores angeli, nec « semel indigne communicanti parcerent, nisi bo- « nitas Christi, in cujus judicio pendent omnia, et « cui commissum est, ut signum ponat suorum in « frontibus, gladium suspenderet et removeret in- « terdum momentaneam mortem. Quod sane delic- « tum, nullo alio, nisi Christo interveniente, dona- « bitur. Unde in lege, ob hoc, quia in sanctificatis « deliquit, aries, per quem Christus intelligitur, « offerri jubetur. » Qui idem sanctus alio in loco, cui divina justitia, in sacrilege communicantes puniendo, tarde procedat, hanc aliam assignat ra-

[1] ID., t. II, s. 56. — [2] I COR., III, 17. — [3] S. LAUR. JUST., *de Euch.* — [4] S. CYP., *de Cœna Dom.*

[1] S. PASCH., l. *de Corp. et sang. Dom.* — [2] S. AUG., s. 10 *de div.* — [3] B. ALB., l. *de sac. ult.* — [4] S. BONAV., *de comp. Th. rit.* — [5] S. PASCH., *ib.*

tionem, dicens[1] : « Sed Dominus, qui eos continuo « non punit, numquid non curat, aut suas injurias « ita tenus multas obliviscitur ? Nequaquam hoc « dixerim, præsertim cum idem videat, et ad ira- « cundiam exinde amplius concitetur, eo quod « provocent eum filii sui, et filiæ in iram, quos « Angelorum gratis sociaverat mensæ. Hinc quoque « est, quod sequitur : *Abscondam faciem meam ab « eis considerabo novissima eorum.* » Hoc namque maximum est supplicium divinum, quod Deus, indignationem suam in mortis puncto exercens, permittat tales impœnitentes, et absque hoc sacramento mori, quia nimirum ipsum vilipenderant, et male tractaverant in vita. In sylva historiarum de quodam mercatore, lucris illicitis dedito, divitiasque per fraudes accumulare satagente, scriptum reperio quod statim post sumptam communionem Paschalem, pallidum et tetrum vultum præseferens, infirmatus, cum a suis ad sacramenta recipienda exhortatus fuisset, se ea nolle, responderit, utpote a quibus omnino abhorreret, siquidem hostia, quam in Paschate sumpserat, faucibus ejus etiamnum inhærens magnum sibi dolorem causaret cumque ei suaderetur, ut in divinam confideret misericordiam frustra id sibi inclamari dixerit, utpote cui jam damnato locus in inferno demonstratus esset, in quo juxta collegam suum, qui paulo ante vesperi sanus lectum ingressus, noctu a diabolo abreptus fuerat, in æternum torquendus esset : cumque imago Crucifixi ad eum delata esset, ipseque divinam ejus moneretur invocare clementiam, manibus oculis admotis, eamdem nequaquam respicere voluerit, dicendo, quod non nisi severum in ea judicem suum videret, utpote diaboli jam manibus traditus ; hisque dictis, confestim exspirarit.

**5.** — In revelatione quadam, quæ sanctæ Birgittæ obtigit, cujus titulus est : *Filii quærimonia de quadam anima damnanda*, sequentia leguntur : Cum enim dæmon moribundi cujusdam animam suam esse prætenderet, beatissima Virgo, cui moribundus ille mire devotus fuerat, se apud Filium suum intercessione sua fortiter interposuit. At vero num forte hoc peccatorum refugium et asylum, aliquid pro obtinenda peccatorum miseri hujus venia a filio suo impetrasse existimatis ? Minime gentium ; quin potius Filius ejus illi respondit : « Scis mater mea, et vides omnia in me ; hæc « anima quamvis te in memoria habuerit, corpus « meum mundissimum non sic tractabat, ut debuit. « Quamvis me sumpserit continue, non tamen ex « hoc meliorabatur, quia non se præparavit, ut « debuit. Qui enim colligere vellet hospitem bonum, « præparare debet non solum hospitium, sed et « omnia utensilia ; sic non iste, quia et si munda- « vit domum, non tamen scopavit eam reverenter, « et diligenter, nec pavimentum stravit virtutum « floribus. » Aurea est igitur illa sancti Bernardini sententia : « Hujus sacramenti natura est indurare « corda illorum, qui illud male suspiciunt, » et illorum, qui illum non suscipiunt, P. Bollandus de Euthymio Magno refert, quod quibusdam in solitudine secum commorantibus, hanc se visionem habuisse dixerit : « Terribilem Angelorum visionem « una secum Deo ministrantem, et sacra contrec- « tantem, et quod in Dominici corporis sumptione « alios quidem ex iis, qui accedebant, videret ab « ipsa illuminari, aliquos autem velut obscurari, et « morte affici ; quicumque scilicet erant indigni ea « luce et splendore. » Hæc autem caligo infernalium tenebrarum erat præsagium.

**6.** — S. Cyprianus de parvula puella quadam refert, quod, cum a parentibus suis nutrici cuidam tradita esset, hæc eam ad Magistratum detulit, fideles illius temporis persecutionibus exagitantem. Cum autem puella ob annorum incapacitatem oblatas idolis carnes manducare non posset, gentiles ei panem obtulerunt vino intinctum, quod falso cuidam numini oblatum fuerat. Post aliquod igitur temporis spatium, matri restituta filia, ad Ecclesiam vice quadam deducta fuit, S. Cypriani Missam auditura ; moxque puella plangere, volutari, huc illucque agitari cœpit, absque ullo quietis intervallo, aut remedii subsidio. Tamdem itaque diacono vinum consecratum, ut cum reliquis adstantibus sanctissimum acciperet, ei offerente, obstrepuit, et repudiavit, donec tamdem violenter inducta oblatum sibi vinum sumpsit ; subitoque omnibus verissimum esse innotuit, non posse *nos simul bibere calicem Christi, et calicem Dæmoniorum.* Et licet nullam, eum panem, vino idololatræ intinctum, sumendo, admisisset culpam, nihilominus, ut idem subjungit sanctus : « Tunc sequebatur singultus et « vomitus, in corpore atque ore violato Eucharistia « permanere non potuit ; sanctificatus in Domini « sanguine potus de pollutis visceribus erupit, « tanta est potestas Domini, tanta majestas. Hæc « circa infantem, quæ ad eloquendum alienum « circa se crimen uecdum habuit ætatem. » Cui eventui tragœdico plures alios similes in hæc verba idem subnectit sanctus : « At vero ea, quæ ætate « provecta sacrificantibus nobis latenter subrepsit, « non cibum, sed gladium sibi sumens, et velut « quædam venena lethalia, inter fauces et pectus « sanguinem admitttens, angi, et anima æstuante « concludi postmodum cœpit, et pressuram non « jam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans « et tremens concidit. » Qui idem sanctus aliud quoque factum memorat fœminæ cujusdam, quæ « dum arcam, cui panem Eucharisticum incluserat, irreverenter aperiret, egressa inde subito flamma

[1] Id., *ib.* — [2] *Sylv. hist.*, t. II, l. VIII, c. 2. — [3] *Rev. S. Birg.*, l. II, c. 2.

[1] S. Bern., t. II, s. 54. — [2] Boll., t. II, jan. 20. — [3] S. Cyp., *de lapsis.*

ignis eam prostravit. Deinde ad novum conversus prodigium idem sanctus, eamdem his verbis prosequitur materiam : « Et alius, qui et ipse maculatus, « sacrificio a sacerdote celebrato, partem cum cæte- « ris ausus est latenter accipere, Sanctum Domini « edere, et contrectare non potuit : cinerem ferre « se apertis manibus invenit. Documento unius « ostensum est, Dominum recedere, cum negatur, « nec immerentibus ad salutem prodesse quod su- « mitur, quando gratia salutaris in cinerem, sanc- « titate fugiente, mutatur. Quam multi quotidie « pœnitentiam non agentes, nec delicti sui cons- « cientiam confitentes, immundis spiritibus adim- « plentur ? Quam multi usque ad insaniam mentis « excordes, dementiæ furore quatiuntur? » Sed horribilius est, quod Baronius de Donatistis quibusdam tradit[1], qui sublatam ex ecclesia quadam catholica Eucharistiam, canibus devorandam projecerunt; qui mox in rabiem acti, in sacrilegos involantes, eos lacerarunt, membratimque discerpserunt, ut suo damno discerent illud [2]: *Nolite sanctum dare canibus.*

**7.** — S. Bernardinus pariter indigne communicantibus gravissima discrimina alia et infortunia, per divinam justitiam inflicta fuisse, attestatur, dum ait [3] : » Plectuntur malis corporalibus, ideo sæpius « veniunt infirmitates variæ, pestes graves, et ho- « minum strages, et serpentes, et sevæ bestiæ; » id quod ex eo probat Apostolico textu [4]: *Omnes sub nube fuerunt, omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt; et eumdem potum spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali consequente eos petra. Petra autem erat Christus) sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto: Hæc autem in figura facta sunt nostri.*

**8.** — In Frisia quondam impius legitur heluo vixisse, qui quoties ex taberna ebrius domum rediret, suam percutiebat uxorem ; quæ vice quadam mariti exhorrescens insaniam, graviter se laborare finxit; utque majorem speciem veritatis præseferret fictio sacram sibi communionem deferri fecit : moxque adfuit sacerdos, cui obvius maritus cum poculo cervisiæ, eum ad bibendum invitavit; ast hic potum recusavit, utpote ob reverentiam sanctissimi sacramenti, quod manu ferebat. Temerarius itaque ille indignatus pyxidem percussit, omnesque in pavimentum prostravit hostias, pluribus matronis idipsum spectantibus, quæ in uniuscujusque hostiæ superficie stellam conspexere mire coruscam. Neque segnior sacerdos, omnes recollegit particulas mœstusque abscedit. Delato exinde sacrilegii facinore ad superiores a Decano provinciæ impius citatus, excommunicatusque fuit; sed nihilo emendatior, omnem contempsit pœnam, ideoque cruce signatus, Romam cum dicto sacerdote abire compulsus fuit; cui scelus suum confitenti Honorius papa in pœnitentium salutarem injunxit, ut trajecto mari, triennio integro contra infideles in exercitu catholico militaret; obediitque pœnitens, et cum sacerdote tamdem sub Damiata mortuus fuit ; « Quibus vita functis, cum anno « eodem Dominus provinciam terribiliter plagasset « et causa plagæ populum lateret, matronæ cuidam « valde religiosæ, Domino in orationibus, jejuniis, « vigiliis servienti, Beata Dei genitrix Maria, la- « chrymis ejus mota, populique miserta, apparens, « sic ait : Propter injuriam Filii mei in sacramen- « tum corporis ejus factam, submersa est Frisia, « et adhuc amplius plagabitur, si condigna pœni- « tentia non fuerit subsecuta. »

[1] BAR., an. 157, n. 52. — [2] MATT., VII, 6. — [3] S. BER., t. II, s. 55.

## DISCURSUS XLII.

IMPURITAS VITÆ AD CHRISTI CORPUS ACCEDENTEM SUMME DEDECET; UBI CONSEQUENTER DE VARIIS AGITUR PŒNIS ILLORUM, QUI IMPUDICI EXISTENTES, AD COMMUNIONEM ACCESSERE.

IDEA SERMONIS. — 1. Impudici in suis criminibus communicantes, Christum conjungunt Veneri. Corpori Christi tam in conceptione quam sepultura deservit virginitas et puritas. — 2. Corpus Christi sumere volentes, caste vivant. — 3. Cur Carnes sanctæ in V. L. prohibitæ fuerint mulieribus. In manducatione panis miraculosi in deserto, solum fit mentio virorum et quare. — 4. Panes propositionis non comedebantur ab immundis ex conjungali etiam licito. — 5. Cur Christo nato in stabulo adfuerint asinus et bos et equus et mulus. Homines carnales nullam spiritus et animæ habent rationem. — 6. Corpus Christi ab immunda anima sumptum, illam magis inficit et deturpat. — 7. Communicantes delectationibus carnalibus obnoxii animas suas ducunt ad mortem. Nam cum Juda proditore venenum accipiunt. Renes castitate præcingendi sunt, antequam accedamus ad esum Agni Eucharistici. — 8. Margarita Eucharistica non mittenda ante porcos. Ad magnam cœnam venire non poterat qui uxorem duxerat. — 9. Summopere irascitur Deus hominibus carnalibus, ad Eucharistiam accedentibus, magis quam cum peccato iræ vel alterius peccati spiritualis. — 10. Ob hoc peccatum Roma punita fuit peste inguinaria. — 11. Stupendum punitionis exemplum in simili casu.

*Nescitis, quoniam membra vestra sunt membra Christi tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis* ? I Corinth., VII, 12.

**1.** — Salvator noster apertis verbis asserit [1]: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Qua corporis Christi cum membris nostris unione et communione supposita, clarum est, Apostolum hominibus carnalibus merito his verbis improperasse : *Nescitis quoniam etc.* Quid, enim lascive, et impudice vivere, in eaque

[1] JOAN., VI, 57.

vita ad sacram communionem accedere est aliud, quam carnis purissimæ Agni immaculati cum venere conjunctionem temere moliri velle? Nam ut B. Algerus ad nostram eruditionem optime ait [1]: « Scien- « dum quia Agnum Dei sine macula, qui virginis est « Filius luxuriosi, et incestuosi sumunt periculo- « sius quia cum in sacramento Christi, ei uniri « debemus, conformitate passionis et munditiæ; « nihil sic adversatur passioni Christi ut volup- « tas, nihil sic munditiæ ac fœditas, nihil sic « ejus unitioni, ut fornicariæ societatis unitas. « Libido enim appetitu suo allicit et incendit, « actu suo fœdat, et enervat, usu lubrica lubri- « cat, et illaqueat, adeo ut placendo displiceat, « displicendo placeat, difficilem, aut nullam sui « pœnitudinem admittat. » Quando Salvator noster in sua conceptione carnem nostram assumpsit, opera Spiritus sancti qui summa puritas est, in utero virgineo generari; similiter quando idem corpus sepeliendum erat, monumentum novum adhiberi voluit [2]: « Ubique beato corpori defertur « sanctitas, » inquit S. Maximus, « ubique virgini- « tas: novus illud venter concipit, novus tumulus « includit. » B. Petrus Damianus in epistola quadam ita scribit [3]: « Plane sicut concipienti Deificæ « virgini non virile semen influxit, sed virtus Spi- « ritus sancti obumbravit, ita nunc in altari posi- « tum sacramentum, eadem S. Spiritus virtus est « quæ vivificat, et necesse est, ut hoc pudica ma- « nus, et impolluta contingat. »

**2.** — S. Bonaventura, ex eo, quod Deus in monte Sinai populum Israeliticum alloquio suo dignaturus eidem, ut ab omni, etiam licito, actu conjugali abstineret, præceperit, evidentem hanc deducit consequentiam [4]: « Si illic, ubi Dominus per creatu- « ram subditam hominibus loquebatur, tanta pro- « visione est munditia corporis requisita, ut, qui « verba Dei perciperent, mulieribus mixti non « essent, quanto magis mulieres, quæ corpus « Domini omnipotentis accipiunt, custodire in se « munditiam carnis debent, ne illa inæstimabilis « mysterii magnitudine graventur? » Ideo etiam S. Paschasius mensam Eucharisticam accessuris, firmiter inculcat, ut virtutem hanc castitatis in se sollicite custodiant [5]: « Sicut nihil in hac vita feli- « cius bono Christiano, ita illo nihil periculosius, « si desertus a tanta gratia, fiat membrum mere- « tricis, et ideo charissime, castum te custodi, « quia hoc munus, quo virgines generantur, nimi- « rum non modo carnis luxuriam, verum etiam « mentis execratur desidiam, et omne quod est, « unde noster interior homo possit maculari. » Idem quoque sanctus paulo ante dixerat: « Quisquis vult « recte communicare, sic vivat necesse est, ut « templum Spiritus Sancti semper esse queat; » quidnam vero ad hoc requiratur, ut quis Spiritus Sancti templum evadat, S. Lucia virgo perspicuis verbis nos docet, dum ait: « Caste viventes, tem- « plum sunt Spiritus Sancti, »

**3.** — In Levitico hoc Deus præceptum condidit [1]: *Ita est lex hostiæ pro peccato in loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino; sancta sanctorum est, sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto; quidquid tetigerit carnis ejus sanctificabitur*; quis autem non videt, omne id, quod hic præcipitur, figuram fuisse istius sacrificii incruenti, quod in Ecclesia Dei pro peccatis mundi offerendum erat? Quod vero vel maxime proposito nostro deservit, est, quod sequitur: *Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus ejus, quia sancta sanctorum est.* Circa quæ verba quærendum venit, cur harum carnium manducationem mulieribus prohibuerit, cum tamen, licet sexus sint debilioris, præ viris tamen magis devotæ, et ad pietatem inclinatæ esse noscantur? Quam difficultatem Rupertus Abbas resolvit, dicens [2]: « Quia nemo mollis, ac « fluxus hujusmodi hostiæ dignus est esu, *omnis*, « inquit, *masculus de genere sacerdotali*, id est, « omnis fortis, qui viriliter intus resistendo, dignus « est dici, vel esse filius, aut consanguineus magni « sacerdotis Christi, vescetur carnibus ejus. » S. Cyrillus Alexandrinus acute observat, quod S. Joannes de convivio turbis a Christo in solitudine exhibito scribens, nullam mulierum faciat mentionem, sed virorum tantum; dicit enim Evangelista: *discubuerant ergo viri numero quasi quinque millia.* Ubi Sanctus Cyrillus subdit [3]: « Discumben- « tium virorum dumtaxat meminit, docet quippe « nos tamquam in ænigmate in studio boni viriliter « agentibus, convenientius quodammodo, et magis « proprie cibum a Salvatore suppeditatum iri, non « autem iis, qui vitiosis moribus sunt effœminati. » Nimirum panis ille miraculose multiplicatus, ut sæpius alibi probavimus, verum Eucharistiæ symbolum erat, et ideo S. Joannes, qui dono virginitatis erat conspicuus, de miraculosa illa refectione disserens, ne per umbram quidem sexus illius mentionem facere voluit; qui ut plurimum offendiculum est honestatis; ad denotandum, quantum ab hoc pane Angelico omnis vel minima hujus vitii umbra aliena esse debeat.

**4.** — Abulensis quærit, an Abimelech, panes propositionis Davidi et comitibus ejus dando, peccaturus fuisset, si hi fuissent immundi, id est, ab actu conjugali etiam licito et honesto non abstinuissent; ubi demum post ventilatam fuse quæstionem, in hanc moralitatem descendit [4]: « Ex his ap- « paret, » inquit, « quanta confusio debeat esse « eorum, qui Dominicum corpus immundi exis-

[6] B. ALG., l. *de sacr. alt., c. ult.* — [2] S. MAX., h. *de cruce.* — [3] S. PET. DAM., l. II. — [4] S. BON., *Phar.* — [5] S. PASCH., l. VI *de Corp. et sang. Dom.*

[1] LEV., VI, 4. — [2] RUPERT. ABB., l. I *in Lev.* — [3] S. CYR. ALEX., l. I *in Joan.* — [4] ABUL., q. 13 *in Reg.*

« tentes accipiunt, nam si lex homini, existenti « in necessitate, non permittebat comedere de « pane illo propositionis; qui nullam differentiam « ab aliis panibus habebat secundum veritatem, « sed solum secundum opinionem, quanto sollicitius « hoc observandum est in Dominico corpore, ubi « non est panis, et vinum, sed vera Christi caro? « sicut hic specialiter inquisivit Abimelech de im- « munditia, quæ est a mulieribus ita et in sump- « tione Dominici corporis observandum est; non « enim merentur carnem supercœlestem degus- « tare, qui turpibus carnis illecebris immorantur. »

**5.** — Quodnam existimatis in eo latere mysterium, quod Christus in stabulo nascens, animaliumque obsequium circacircum se admittens, equum et mulum excluserit, et solum asinum, et bovem admiserit? Pro resolutione memorandum est, quod locus, in quo Christus in lucem est editus *Bethlehem*, id est, *domus panis*, appelletur; ad hunc vero cœlestem sacramenti panem, lascivi, qui per equum, et mulum præfigurantur, admitti non merentur. Unde S. Bernardus in sermone quodam de circumcisione Domini verba illa Davidis [1] : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum*, adducens inquit[2]; « Alia enim jumenta cognoscunt « possessorem suum, et præsepe Domini sui, in « quo positum est piissimum fœnum, ipse qui panis « est angelorum. » S. Paulus Corinthios docet, inquiens [3] : *Fugite fornicationem omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat?* equidem, tametsi peccatum impudicitiæ impuram quoque reddat animam, hujus tamen nullam facit mentionem, et ratio est, quia homines carnales, et spiritus, et animæ nullam habent rationem, sed caro dominatur spiritui, et rationi atque ideo lascivi, carnis nomine appellantur [4]: *omnis caro corruperat viam suam, non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*; quænam igitur Sacramento altari irrogari posset major injuria, aut vilipendium, quam si illud homini carnali ministretur : [*in Corpus Christi peccat*, id est, illi injuriam facit, quia [5]*de carne metet corruptionem* is enim, qui cœlestem hunc panem (qui panis intellectus nuncupatur[6]: *cibavit illum pane vitæ, et intellectus*) jure merito merus, et purus spiritus esse deberet, ac proinde propheta regius hunc abusum prævidens, in persona Christi his verbis lamentatur [7]: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem*? S. Gaudentius in tractatu, cui titulus est : *Nunc judicium est mundi* ita scribit : « Cavendum nobis plane fratres charis- « simi, ne victoriam Christi, qua de diabolo trium- « phavit, de captivitate ejus nos redimens suo « sanguine pretioso, et auferens ei humani generis « principatum, vestro vitio irritam faciatis, illius « tyrannide per illecebras carnis, ejus crudeli « iterum regno vos subjicientes; unde merito con- « queratur increpans, et exprobrans : *Quæ utilitas « in sanguine meo*? sine causa meus pro vobis san « guis effusus est, si ita vos geritis.

**6.** — Manna, symbolum Eucharistiæ, iis qui contra divinum interdictum, illud colligebant, subito vermes scaturiebat; ita pariter hæc manna cœlestis, licet in se ipsa corruptioni, et putredini subjecta non sit, participata tamen ab anima immunda, magis illam inficit et contaminat; unde, Laurentius Justinianus ait [1] : « Immundi ex com- « munione sancta deteriores fiunt, adeo ut in illis « verificetur illud : *Qui in sordibus est, sordescit « adhuc.*» In libro Sapientiæ de manna ita scribitur[2] *quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam.* Aponius ad hoc altaris sacramentum alludens, ex prædictis verbis hoc elicit documentum[3]: « Minutum,» inquit « statim diluculo « colligendum, mox ut notitia illuxerit cordibus « nostris, antequam ardor libidinis exardeat in « nobis, nam ubi hi æstus increverint mentibus « nostris, panem illum cœlestem (in quo dixit « Dominus, hominem vivere) ad suam retractum « naturam fugant a nobis, nec intra nostra viscera « ejus virtus manebit, sicut sole orto, manna ad « liquoris naturam revertebatur. » Notanda vero sunt verba illa : *ab exiguo solis radio*; quia omnis hujus peccati carnalis macula, quantumvis parva esse videtur, ad manna hoc paradisiacum in nobis destituendum sufficit.

**7.** — In lamentationibus Jeremiæ hæc verba leguntur : *Matribus suis dixerunt, ubi est triticum, et vinum cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas*, circa quæ verba merito quæritur, undenam hæc desolatio, et exterminium suam habuerit originem. S. Paschasius in sensu morali ad frumentum electorum alludens, quod licet sit panis vitæ mortis tamen multarum animarum causa existit, inquit : « Exhalant animas « suas in sinu matrum suarum, quæ illos male « aluerant et in sinum oblectationis pessimæ ille- « xerant ; » paulo post vero subjungit : « per *pla- « teas* voluptatis arripit latam et spatiosam viam, « quæ ducit ad mortem. » Theodoretus verba illa Apostoli : *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini*, Glossa sua illustrans, eos, qui hunc panem, conscientiæ immundæ obnoxii, manducant, Judæ pares censendos esse existimat, ait enim [4]: « Hoc significat, quod, quem « admodum tradidit ipsum Judas, ipsi autem

[1] S. Bern., s. 3 *de Circ. Dom.* — [2] *Psal.* xxii, 3. — [3] I Cor., vi, 8. — [4] Genes., vi, 12. — [5] Gal., vi, 8. — [6] Eccl., viii, 12. — [7] Isa., ix, 10.

[1] S. Laur. Justin., *de Euch.* — [2] Sap., xvi, 26. — [3] Apon., l. II *in Cant.* — [4] Theod., *in I Cor.*

« insultarunt, et probris affecerunt Judæi, ita eum « ignominia, et dedecore afficiunt, qui sanctum ejus « corpus immundis manibus accipiunt, et in pollu- « tum, et incestuosum os immittunt. » S. Bernardinus pariter in quodam sermone inquit [1] : « Qui « secundum carnem vivunt, et post carnalia eva- « gantur, catena vitiorum compediti, cum Juda « proditore venenum accipiunt spiritualis incendii « laqueum incurrunt gravissime damnandi, tum « pro multiplici reatu, tum pro sacramenti con- « temptu. » S. Paschasius ad præceptum illud, quo Deus olim agnum paschalem, succincti re- nibus manducari voluit alludens, inquit [2] : « Renes « vestros accingetis, quia sunt hæc vitæ semina, « quibus virgines generantur ; unde constat, quod « nulli periculosius ea contingunt, quam luxuriosi. « Propterea primum hoc loco, lex castitatis in « renibus, quorum scrutator est Deus, per seipsam « affigitur ; nam si, qui uxoribus debitum reddunt « in lege non possunt ad Deum, neque ad panes « propositionis, neque ad ulla legis consecrata, nisi « prius saltem triduo vel eo amplius sanctificentur « accedere, quanto magis si volumus panem « illum, qui de cœlo descendit, et agni Dei carnes « digne comedere, necesse est ab omnibus peccati « operibus vacare, purificationemque mentis ad » Deum dirigere. » Enimvero licet in mensa Eu- charistica non sumatur aliud, quam caro et san- guis, illa tamen caro et sanguis est caro et sanguis filii Virginis et Agni immaculati, et *vinum germinans virgines*; et ideo ab hac carne alienissi- mus esse debet, qui est mera caro et sanguis. Audiamus S. Cyprianum, hac de re ita loquentem : « Inter dominicæ mensæ convivas animalis homo « non admittur; quidquid caro et sanguis dictat, « ab hoc cœtu excluditur. » S. Bernardinus in quo- dam sermone auctoritatem adducit S. Augustini, dicentis [3]: « Quam temerarium, quamque nefarium « est, cruentis manibus intemeratæ Virginis trac- « tare Filium ; quis auditus hoc sustinet aurium, « quis oculus non confunditur ad intuitum, ubi pre- « tium mundi mittitur in sterquilinium? non enim « minus est detestabile, in os pollutum, quam in « lutum mittere Dei Filium. »

**8.** — Dragma perdita inter domus immunditias reinventa fuit, huic autem gemmæ, pro qua com- paranda prudens ille negotiator vendidit omnia, quæ habuit, sanctissimum Altaris sacramentum as- similare possumus, nam ut concilium Tridentinum ait : « Divitias in eo amoris sui effudit; » de hac gemma præceptum illud Evangelicum datum esse intelligitur [4]: *Nolite dare sanctum canibus, neque mit- tatis margaritas vestras ante porcos ne forte concul- cent eas pedibus suis* ; per hæc autem animalia im- munda carnales homines intelliguntur, qui panem cœlestem conculcant. Rupertus Abbas super illa verba [1]: *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandam* inquit [2]: « *Sanctum* hoc est, quod li- « tigiosis canibus dare non debet. *Margaritæ* sunt, « quæ videlicet ne conculcentur, ante porcos mit- « tendæ non sunt. Salvator noster S. Birgittæ apparens [3], causam revelavit, cur multi hoc manna cœleste nauseent; dicit enim : « Fœtidus vere est et « febricitans qui habet calorem exteriorem, sed in- « teriorem frigiditatem, sitim intolerabilem, languo- « rem membrorum, panis fastidium et omnis suavi- « tatis abominationem. Calescit enim ad mundum, « frigescens est ad Deum, sitit voluptatem carnis, « fastidiens virtutum pulchritudinem, insipidus est « ad mandata Dei, fervens ad omnia, quæ sunt « carnis, ideo non mirum, quia non sapit sibi « corpus meum. » Sic quoque manna populo Israe- litico nauseam ingerebat; sed unde hæc nausea provenit nimirum licet manna in se recluderet omnes sapores, qui desiderari poterant illi tamen carnes concupiscebant, et ideo manna illis insipi- dum videbatur, Ad magnam illam cœnam, quæ Eucharistiæ figura erat, infelix ille homo accedere non solum renuebat, sed etiam frequentationem illius sibi impossibilem esse reputabat, unde dicebat *non possum venire*, cujus impossibilitatis rationem ipsemet assignabat, dum perspicuis verbis dixit [4] ; *uxorem duxi et ideo non possum venire.* Circa quæ verba Simon de Cassia ita scribit [5]: « Magnum est « vinculum hominibus uxor ad Divina convivia, « etiamsi bona consistit, si nolit celebrare divortium « propter Christum, et vacare ad tempus. » Ubi notanda sunt verba illa : *etiamsi bona consistit* præterquam, quod agatur de actu conjugali, qui inter maritum, et uxorem cum augmento gratiæ exerceri potest, siquidem matrimonium verum est sacramentum; quid igitur de fornicariis diceret? de quibus Petrus Blesensis in quadam Epistola ait [6] : « Sane non habent potestatem edere de cœlesti « altari qui tabernaculo carnis deserviunt. Illis « enim, qui carnalibus desideriis insumuntur, calix « Domini vertitur in fel draconum. Angelorum pa- « nis aufertur ab eis, manna cœleste putrescit, « pluit super eos Dominus, sicut pulverem carnis. » Salvianus in hac materia ita scribit [7] : « Carnes de- « siderans, verberatur, et quia quotidie manna « edens, explere ex illecebris ventris cupit ingluviem « optata quidem cupiditate saturatur, et in ipsa « tamen saturitate torquetur, *adhuc enim*, inquit « scriptura, *esca erat in ore ipsorum, et ira Dei* « *ascendit super eos,* » quia ut Petrus Cellensis ait [8] :

[1] S. Bern., s. *in Cœn. Dom.* — [2] S. Pasch., *de Corp. et sang. Dom.* — [3] S. Bernard., t. II. s. 55. — [4] Matt., VI, 6.

[1] Joan., VI, 53. — [2] Rup. Abb., *ib.* — [3] Brig., l. IV, c. 61. — [4] Luc., XIV, 20. — [5] Sim. de Cass., l. VI, c. 19. — [6] Pet. Bles., ep. 123. — [7] Salv., *ib.* — [8] Pet. Cell, *de pan.*

« cibus ad libidinem commotivos rebellis, et ingra-
« tus populus esuriit. »

**9.** — Salutare proinde est illud regii Vatis consilium, dicentis [1]: *Apprehendite disciplinam* : ubi alii apud Lorinum legunt : *Adorate frumentum*; alii : *Adorate pure* : alii : *Adorate filium*, alii : *fasciculum spicarum*; sed cur, obsecro, post commemoratum cœleste hoc frumentum, nos simul hortatur ad castitatem ? *Ne quando irascatur Dominus et pereatis de via justa, cum exarserit in brevi ira ejus* ; summopere enim ira Dei contra homines carnales ad Eucharistiam accedentes irritatur, et ideo alii legunt : *Armamini disciplina, munditia.* S. Joannes postquam in Apocalypsi beatos illos dixisset, qui stolas suas *lavant in sanguine Agni*, id est, qui per pœnitentiam conscientias suas purificant, protinus subjungit : *ut sit potestas eorum in ligno vitæ* : per quod sacramentum altaris intelligitur, utpote in virtute illius in Paradisum intratur ; *et per portas intrent in civitatem*, id est, in cœlestem Jerusalem ; et tamen ab inde nonnulli repelluntur; nam dicitur [2] : *Foris canes et venefici et impudici et homicidæ.* S, Bernardinus gravissimæ hujus culpæ malitiam his verbis depingit [3] : « Magis peccat, existens in
« peccato luxuriæ, quam existens in peccato iræ,
« vel alterius peccati spiritualis et hoc triplici ra-
« tione: primo, per oppositionem ; secundo, per
« despectionem; tertio, propter inquinationem.
« Propter oppositionem, scilicet contrarietatis in
« affectu, quia hoc sacramentum efficit hominem
« spiritualem, illud vero peccatum carnalem ; se-
« cundo, propter despectionem, quia major con-
« temptus ibi accedit excelsitudine et vilitatis
« reputatione ; qui enim peccant peccato luxuriæ,
« certi sunt, quod mortaliter peccant et peccati
« vilitatem agnoscunt et viles se reputant ; tertio,
« propter inquinationem, nam ex commissione
« carnalis operis, non solum anima efficitur im-
« mundior per immunditiæ appetitum et immun-
« darum cogitationum incursum, verum etiam caro
« ista propter pronitatem et opera immunda. »

**10.** — S. Hieronymus illa Psalmistæ verba [4] : *adhue escæ eorum erant in ore ipsorum et ira Dei ascendit super eos*, interpretans, ita ad nostrum discurrit intentum [5]: « Hæc de his, qui Deum post
« acceptum Manna dereliquerunt, nam et nunc
« in Ecclesia, si quis sanguine et carne Christi
« reficitur et declinat ad vitia, noverit sibi Dei
« judicium imminere. » Ita tempore S. Gregorii Papæ, Romam devastavit pestis, inguinaria nuncupara, cujus in hæc verba rationem assignat Salmeron [6] : « Quam invenies, multos ob impuram Domi-
« nici corporis susceptionem graves et horrendas
« pœnas sustinuisse et tempore Gregorii, peste
« inguinaria Roma flagellata fuit ob indignum ac-
« cessum ad Eucharistiam. »

**11.** — Carnalis quidam et lascivus, pessimam suam vitam deserere nolens, a suo legitur [1] prohibitus fuisse parocho, ne ad communionem accederet; temerarius nihilominus publice accessit cum reliquis, unde sacerdos qui per solam confessionis viam, in peccati notitiam devenerat, ei sacram synaxim præbere coactus fuit, dicens intra se : Deus judicet inter me et te ; ut primum itaque sacram hostiam receperat impius, medium crepuit guttur, hostiaque intacta exiliit, infelici illo immundam animam eodem tempore in manibus dæmoniorum expirante. Longe nobis aliud documentum juvenis quidam in Indiis occidentalibus præbuit, qui admodum castus, a muliere variis blanditiis et sollicitationibus per longum tempus extimulatus ad illicita, tamdem importunis ejus precibus ad indignationem provocatus, ita repente quadam vice exarsit, ut eam flagellis bene cæsam ad maritum remiserit : asserens, eum, qui toties ad puritatis fontem accederet, ab omni immunditia alienum esse oportere.

[1] *Ps.* II, 11. — [2] Apoc., XII, 4. — [3] S. Bernard., t. II, s. 57. — [4] *Ps.* LXXXVII, 30. — [5] S. Hier., *ib.* — [6] Salm., t. IX, tr. 21.

## DISCURSUS XLIII.

CONTRA NAUSEABUNDOS FREQUENTIS COMMUNIONIS, QUORUM VARIA CONSIDERANTUR SUPPLICIA ET DAMNA.

Idea sermonis. — 1. Stulti sunt qui sub damnoso metu ab hoc sacramento abcedunt.. Ducuntur enim in damnosum laqueum a Diabolo, cum Israelitis Manna nauseantibus. Hinc coguntur censuris ut ad minus semel in anno accedant fideles. — 2. Canalem hunc gratiæ diabolus incidere conatur, sicut Holofernes Bethuliæ. — 3. Increpantur qui pigri sunt ad accedendum ad hoc sacramentum. Utilitas frequentis communionis declaratur apta similitudine. — 4. Deus nos gravius punire non potest quam per nauseam ad sacram communionem. Qui sani hunc cibum nauseant, morituri illo carebunt. — 5. Quod quispiam nauseam habeat a bonis operibus malum est, si autem fastidiat panem Angelorum est signum mortis æternæ. — 6. S. Conc. Tr. efficacissimis verbis hortatur ad frequentem Commun. Ratio, cur hoc sacramentum sit institutum sub speciebus panis et vini. — 7. Virtute Corporis Christi resuscitabimur secundum corpus et animam. Ex necessitate cibi materialis concluditur necessitas hujus cibi. — 8. Terribilis comminatio Christi in negligentes S. Communionem.

*Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Joan., VI, 54.

**1.** — Spiritualis animæ nostræ vita, per gratiam, amicitiam Dei, perque charitatem et amorem divinum respirat, dicente Joanne apostolo et Evange-

[1] Sylv., *Hist.*, t. II, l. VIII.

lista [1] : *Qui non diligit, manet in morte*; ast ecce in vobis præsens hujus vitæ manutenendæ nutrimentum : *Nisi manducaveritis carnem, etc.* Ubi S. Cyrillus Alexandrinus ait [2] : « Vivificat sanctum Christi « Corpus eos, in quibus fuerit et in incorruptione « conservat. » Quo supposito fundamento, se intelligere non posse affirmat sanctus illorum stultitiam qui hunc abhorrent cibum, rariusque ad ipsum accedunt : « Si cunctanter et longo temporum spa- « tio, Eulogiam frequentare desinant, et ex eo, « quod nolunt ei mystice communicare, damno- « sum metum, ac religionem prætexant, intelligant « æterna vita se ipsos excludere, dum vivificare « renuunt et recusationem illam, tametsi a metu « et religione profecta videtur, in laqueum cedere « et scandalum. » Non approbat sanctus, quod quisquam ab hoc sacramento sese elonget et sub solo timoris, majorisque reverentiæ prætextu, panem Angelorum frequentet rarius ; adeoque autumat, in hoc astuti serpentis laqueum et dolum latere reconditum ; exinde igitur tale conficiamus argumentum : si S. Cyrillus recusationem illam, tametsi a metu et religione profectam in laqueum cedere censet, quid igitur dicemus de illis, qui ad illud accedere culpabiliter et per propriam negligentiam omittunt, imo hanc frequentiam contemnunt et ad imitationem Hebræorum, paradisi manna nauseant et fastidiunt, *omnem escam abominata est anima eorum et appropinquaverunt usque ad portas mortis* ? Omnem escam convenienter Eucharistiam nuncupaverimus, quia substantiam gustusque in se continet, omnium maxime desiderabilium hujus et alterius vitæ ciborum, *omne delectamentum in se habens*; unde S. Bonaventura inquit [3] : « *Omnem* « *escam*, id est, perfectam, quia est in corpore et « sanguine Domini, » et nihilominus adeo eam fastidire cœperunt, ut dicere non abhorruerint : *nauseat anima nostra super cibo isto* : sed quod putatis murmuratoribus correspondisse supplicium? In æternæ mortis barathrum præcipitati, inque peccata mortalia corruentes, *appropinquaverunt usque ad portas mortis*; experientia namque teste, qui per annum unum aut duos, ad hanc mensam non accedunt, ut plurimum agunt vitam dissolutam et licentiosam. Imo tantam fidelibus inimicus infernalis indidit hujus cœlestis panis nauseam, ut pastor supremus compulsus fuerit, censuræ Ecclesiasticæ baculo gregem christianum, ad pasculum hoc salutare ad minus semel in anno frequentandum, adigere sub pœna mortis. Neque mirum cuiquam videatur, quod infernus contra hoc sacramentum suas conglomeret furias et rabiem, præsertim ut ipsum Christianis odiosum reddat, quia ut supra probavimus in Discursu XX et XXI, hoc ipsum contra omnes diabolicas vires præstantissima est armatura; unde S. Cyrillus ait [1] : « Cum Satanæ variæ ad de- « cipiendum sint artes, ad saniorem mentem eos « revocari non sinit, verum postquam eos malis « inquinavit, ipsam quoque gratiam cogit exhor- « rescere. » Qui idem sanctus in libro sequenti, eamdem repetens doctrinam, nauseam hanc, diabolicum rete et laqueum esse docet, dum ait [2] : « Si vitæ æternæ amore flagramus, si largitorem « immortalitatis in nobis habere cupimus, ne (quod « quidem negligentiores facit) benedictionem reci- « pere recusemus, caveamusque, ne laqueum nobis « et tendiculam diabolus insigniter fraudulentus « struat. » Cui et Thomas a Kempis, de sacra communione tractans, accinit in hæc verba [3] : « Inimi- « cus sciens fructum et remedium maximum in « sacra communione positum, omni modo et occa- « sione nititur, fideles et devotos, quantum præva- « let, retrahere et impedire. »

**2.** — Holofernes Bethuliam obsidens, tunc eam se subjugaturum sperabat, quando conductus aquarum intercidi præcepit : siquidem sitis tormento victi, se facile dedituri essent obsessi [4] : *Incidi præcepit aquæductum illorum.* Ita quoque Holofernes infernalis, animam fidelem circumvallans, *circuit, quærens quem devoret,* certusque, sacramenta Ecclesiæ quasi totidem esse aquarum ductus, per quas divina gratia ad cor nostrum ingreditur, ea demoliri conatur ; specialiter autem contra hoc præsens altaris debacchatur, in quo est [5] *fons aquæ salientis in vitam æternam* ; mens impletur gratia. Ideoque Thomas a Kempis opportunissime nobis consulit, dicens [6] : « Frequenter recurrendum est ad fon- « tem gratiæ et divinæ misericordiæ, ad fontem « bonitatis et totius puritatis, quatenus a passioni- « bus tuis et vitiis curari valeas et contra universas « tentationes et fallacias diaboli fortior, atque vigi- « lantior effici merearis. » Unde et S. Birgittæ Salvator noster quondam revelasse scribitur [7], quod corpus ejus maxima polleret contra inimicum communem virtute : « Cujus perceptio juvat maxime « (verba sunt Christi) contra diabolicam tentatio- « nem. O quam miseri sunt, qui tale juvamen « abhorrent ! »

**3.** — S. Ambrosius ad intentum præsens, historiam Jacobi Patriarchæ adhibet, filios suos in Ægyptum ad comparandum frumentum ablegantis, ex eodemque facto, nostram in frequentanda Eucharistia, perstringit tarditatem, inquiens [8] : « *Et* « *Jacob dixit ad filios suos : ut quid pigri estis ? Ecce* « *audivi, quia frumentum est in Ægypto, descendite* « *illo.* Non semel hoc Jacob dixit, quotidie omnibus « filiis suis dicit, qui serius veniunt ad gratiam « Christi, ut quid pigri estis ? » Quo fine illud S.

[1] I JOAN., III, 14. — [2] S. CYR. ALEX., *in Joan.* — [3] S. BSN., c. 6 *Joan.*

[1] S. CYR., *ib.* — [2] ID., l. IV *in Joan.* — [3] THOMAS A KEMP., l. IV. c. 10. — [4] JUDITH, VII, 16. — [5] JOAN., IV, 14. — [6] THOM. A KEMP., *ib.* — [7] *Rev. S. Brig.*, l. IV c. 10. — [8] S. AMB., l. *de Jos.*

Thomæ a Villanova convincens deserviet argumentum, dicentis [1] : « Desidiam vestram perpendite, « quippe qui corpus in via toties in die reficiatis et « animam miseram longa peregrinatione laboran- « tem, vel semel in mense reficere negligatis. » Verum quidem est, quod sacrum Concilium Tridentinum Ecclesiæ præcipiat, ut Christianos semel tantum in anno ad communicandum sub pœna excommunicationis astringat; verumtamen Petrus Blesensis in Epistola quadam ad Innocentium III, inquit : « Non audeo dicere ex præcepto Ecclesiæ; « sed ex tacita permissione ipsius introductum esse « ut semel in anno in Paschate communicent fide- « les; » num igitur dicere quis audebit, majorem hujus mensæ frequentiam Ecclesiæ displicere? Quod ut melius intelligatur, similitudine haud inepta idipsum declaremus, si enim medicus, magnam in infirmo, cibi inappetentiam et horrorem animadvertens, eidem diceret : nisi ad minus semel in die te nutrieris, utique morieris; nemo prudens inde concludere posset, medicum velle, ut nequaquam sæpius cibum in die sumeret : eodem quoque modo S. mater Ecclesia in multis fidelibus hanc sacramentum sumendi nauseam animadvertens, eosdem præcepto astringit, ut ad minus semel in anno sacramentum hoc sumant; si enim secus fecerint, desperata erit eorumdem salus; non tamen per hoc prohibet, ne sæpius hunc sacramentalem cibum frequentent, sic quoque homini agonizanti distillatum confortativum semel in die sumere sufficit, at vero dum eo res devenit, signum est, quod, si nutrire se nolit, vita deficiet et mors in foribus erit : ita quoque accidit illis, qui sibi Eucharistici inappetentia laborant, quia enim [2] *omnem escam abominata est anima eorum, appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Qui enim de anno in annum ad communionem accedere differunt, signum manifestum de se edunt, quod fides ut plurimum in ipsis agonizet. In Evangelio Lucæ Christus Salvator noster inquit [3] : *Præcinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis.* Circa quæ verba doctissimus Salmeron advertit, quod tametsi in tempore Paschali omnes fideles mensæ Eucharisticæ accumbant, de illis tamen, qui semel in anno tantum ad eamdem accedunt, intelligendum sit, quod in prædicta parabola dicitur : *Transiens ministrat illis*; tunc enim Salvator cum ipsis est *per modum transeuntis*, non vero *per modum permanentis*, non enim in ipsis permanet fructus communionis, sed ut plurimum ad peccata et ad vitam pristinam dissolutam vertuntur, de quibus proinde verum est, quod inquit D. Chrysologus [4], scilicet Christus illis « de miseri- « cordi Patre severissimum transibit in judicem. »

**4.** — Nescio, an aliquando vos reflexeritis ad parabolam cœnæ, per quam Albertus Magnus Eucharistiam symbolizari asserit; in illa namque Christus omnibus illis, qui ad cœnam invitati, ab eadem se per varias excusationes subtraxerunt, comminatur dicens [1] : *Dico vobis, quod nemo illorum virorum gustabit cœnam meam.* At vero inquies, exiguum hoc illis videtur fuisse supplicium, quando quidem omnes illi, ultro citroque se eadem privatos esse voluerunt, omnes enim communi consensu ad eamdem non gustandam jam conspiraverant, *scienti autem et volenti non fit injuria.* Verumtamen certum est, quod justitia punitiva Dei severiori in illos supplicio animadvertere non poterat, quam eos pane vitæ æternæ privando et ideo majus animæ supplicium immitti nequit, quam si Deus permittat, ut a sacra communione nauseam et horrorem concipiat. Quando Elisæus propheta, tempore obsidionis Samariæ, in magna illa annonæ caritate futurum esse prædixerat, ut die sequenti ingens frumenti abundantia omnibus suppeteret, certus quidam temerarius et incredulus respondit [2] : *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, numquid poterit esse quod loqueris?* erat hic typus mundani cujusdam hominis, qui nullo cœlestis panis appetitu movetur; unde idem suam quoque pœnam confestim luit, dicente ei Propheta : *Videbis oculis tuis et inde non comedes*; quando enim ingens illa panis abundantia civitati Samariæ illata fuit, *conculcavit eum populus in porta et mortuus est.* Idem pariter accidet multis, qui ultro citroque et data opera, sacramenti hujus penuriam pati voluerunt; veniet enim tempus, ut, quando in puncto mortis hoc sacramentum recipere volent, Deus justo suo judicio disponet, ut vel non inveniatur, qui hoc illis administret, vel certe minister sacramentum hoc adferat, postquam illi vitam cum morte commutarunt; sicut enim illi frequenter communicantes deridere, suisque ludibriis et subsannationibus a tali frequentia divertere conati sunt, ita quoque Deus illis protestatur, dicens [3] : *Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo.* S. Bernardus tali, raro communicanti ait [4] : « Panem terræ cum jumentis comedes, qui « panem angelorum fastidisti. » Sæpe enim talibus accidit, ut non solum sine sacramentis moriantur, sed mors illos veluti asinos quosdam in campo, vel silvis obruat, verificeturque de illis illud Jeremiæ : *Sepultura asini sepeliuntur.* Vix Moyses temerarios illos, qui manna in appetentiam et fastidium patiebantur, dixisse narrarat : *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo*; cum protinus subjungit, Dei justitiam digne promerita illis immisisse flagella; subjungit enim [5] : *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes*; ubi notanda est dictio illa : *Quamobrem*, utpote quæ causativa est et flagella temerariis illis ideo immissa fuisse indicat, quia manna fastidierunt, nec solum illis serpentes velut

[1] S. Thom. de Vill., conc. 1 *in Die Corp. Christi.* — [2] *Ps.* cvi, 18. — [3] Luc., xii, 27. — [4] D. Chrys., s. 24.

[1] Luc., xiv, 24. — [2] IV Reg., vii, 3. — [3] Prov., i, 26. — [4] S. Bern., s. 33 *in Cant.* — [5] Num., xxi, 6.

carnifices immisit, *sed serpentes ignitos. Omnia* autem hæc *in figura contingebant,* per hoc namque nos Christiani docemur, quod si quando Manna Eucharisticum fastidierimus, daturus si nos Deus serpentibus infernalibus in prædam, unde opportunum est illud Dionysii Carthusiani in prædictum Numerorum locum scribentis, salutare monitum [1]: « Non « nobis vertatur, » inquit, « in nauseam panis cœ- « lestis, refectio spiritualis, alioquin Deo justissime « permittente invadent, intoxicabunt, occident nos « serpentes igniti, passiones mortiferæ, tela ne- « quissimi ignea et spiritus infernales. » Neque id mirum est, cum enim cœlesti hoc præsidio destituti simus, dæmonis insidias evadere non poterimus. Nam ut S. Gregorius ad Massilienses scribit [2]: « In- « ter cætera arma, quæ contra principem mundi, « Deo favente, Ecclesia contulit, potissimum est, ut « corpus Domini frequenter acciperent. »

**5.** — Medicorum aphorismus est per experientiam authenticatus, quod scilicet « omnis nauseatio « sit mala, panis autem pessima; » quando enim infirmus aliquis ad eum usque infirmitatis statum pervenit, ut omnium ciborum, quantumvis sint delicati, speciatim vero panis nauseam patiatur pessimum hoc est desperatæ salutis indicium : eodem quoque modo nobis in proposito nostro ratiocinari licet. Quod enim aliquis alienus sit a proprii corporis maceratione, per cilicia, catenas ferreas, jejunia infligenda, quod mortificationes ab aliis impositas invitus recipiat, quod ad eleemosynam erogandam, exhibendamque pauperibus compassionem durus sit et inhumanus, quod ad manifestanda confessario propria scelera repugnantiam habeat, hæc omnia quidem certa sunt exiguæ pietatis et timoris Dei indicia : at vero aliquem panem Angelorum et lautam paradisi mensam fastidire et nauseare, infallibile est mortis æternæ prognosticum, quia [3] *nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Isaiæ, c. LXII, dicitur [4] : *Juravit Dominus in dextera sua, et in brachio fortitudinis suæ : Si dedero triticum tuum ultra, cibum inimicis tuis, et si biberint filii alieni vinum tuum, in quo laborasti, quia qui congregant illud, comedent, et laudabunt Dominum, et qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis.* Quæ verba Molina tract. 7, *de sacerdot.*, cap. II § 3, contra illos exponit, qui corpus Domini sumere contemnunt et negligunt. Deus enim illis, medio juramento, protestatur, quod vinum suum, id est, suum sacratissimum sanguinem nequaquam daturus sit illis, qui ipsum suo opportuno tempore sumere neglexerunt. Convivium a rege Assuero præparatum, sacrum illud prænotat convivium, de quo canimus [5]: « O sacrum « convivium in quo Christus sumitur; » ac proinde sicuti regina Vasthi, eo quod ad hoc convivium invitata, venire renuit ex consensu regii consilii, diademate regio spoliata, atque ex thalamo regis extrusa, ex regina serva et ancilla facta fuit; ita quoque justo Dei supplicio, animæ, quæ huic convivio accumbere renuunt, reprobabuntur a regno cœlorum.

**6.** — Sacrum concilium Tridentinum hanc frequentis communionis sollicitudinem efficacioribus verbis exprimere non poterat, quam dum ait [1]: « Paterno affectu admonet sancta Synodus, horta- « tur, rogat et obsecrat per viscera misericordia « Dei nostri, ut omnes et singuli, qui Christiano « nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc « vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo, « jam tamdem aliquando conveniant et concor- « dent, memoresque tantæ Majestatis et tam eximii « amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam « animam suam in nostræ salutis pretium et car- « nem suam nobis dedit ad manducandum, hæc « sacra mysteria corporis et sanguinis ejus, ea « fidei constantia, et firmitate, ea animi devotione, « ea pietate, et cultu credant, et venerentur, ut « panem illum supersubstantialem frequenter sus- « cipere. » S. Carolus Borromæus instructionem, contexens, ministris verbis Dei proponendam, ita inter cætera scribit [2] : « Sanctissimæ Eucharistiæ « frequentiam esse fructuosissimam, et maxime « commendandam, rationibus multis, et sacræ « Scripturæ testimoniis comprobabit. » Non sine mysterio Sapientia Incarnata sacramentum hoc sub speciebus panis et vini instituere voluit, siquidem quævis alia materia comestibilis nauseam nobis facile creare potest, excepto pane et vino; numquam enim homo per totum vitæ suæ decursum illa fastidit, imo nullum cibum frequentius sumit in sui nutrimentum, quam panem et vinum. Panis ab Ecclesiastico his verbis describitur [3] : *Panis egentium, vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est;* quibus verbis licet quoad sensum litteralem ad illos alludat operarios, qui mercede sua defraudantur, quia cum se ex sudoribus suis sustentare nequeant, fame mori coguntur; in sensu tamen spirituali alludere videtur ad panem Eucharisticum, qui pauperibus et humilibus distribuitur : « Manducat Dominum pauper, servus et « humilis; » quisquis igitur hoc pane animam suam, per rariorem communionem, defraudat, sibi ipsi mortem infert spiritualem; ideoque dicitur : *Nisi manducaveritis carnem,* etc. Quare et S. Bonaventura, alia inter raræ communionis damna, hoc quoque censere non dubitat inquiens [4] : « Vires « spirituales perdit; quilibet enim, qui est sine « mortali, est membrum corporis mystici; mem-

[1] DION. CART. — [2] S. GREGOR., *in Reg.* — [3] JOAN., VI, 64. — [4] ISA. — [5] ESTH., I, 12.

[1] *Conc. Trid.*, sess. 13 — [2] *Act. Eccl. Med.*, p. 4. — [3] ECCL., XXXIV, 25. — [4] S. BON., *de Comp. Th. ver.*

« brum autem debet sustentari alimento corporis « Christi veri, alioquin efficitur aridum, sicut cor- « poreum membrum, ad quod non transmittitur « corporalis cibi nutrimentum. «

**7.** — S. Paschasius illa Salvatoris verba considerans [1] : *Patres vestri manducaverunt manna in deserto; et mortui sunt; qui manducat hunc panem, vivet in æternum,* talem ex iis deducit consequentiam : ergo corpus Christi manducans, a morte exemptus erit? sibique respondens ait [2] : « Morie- « mur sane, sed non sicut illi in anima; non « propter hanc vitam, ne moriamur temporali- « ter, sed propter æternam, caro Christi et san- « guis sumitur spiritualiter. » Insuper in hujus panis virtute, corpus ad vitam resuscitabitur immortalem, dicente Christo : *Et ego resuscitabo eum in novissimo die;* ubi S. Bonaventura ait [3] : « Tam secundum spiritum, quam secundum cor- « pus, ait Augustinus. » Cum igitur tam animæ quam corporis vitam panis ille nobis impertiatur, quæ, obsecro, tanta nostra est insania, ut ipsum fastidiamus? Unde et Albertus Magnus ait [4]: « Sicut « dicitur (*Gen.*, XIX), sedes animæ, quæ princi- « pium et causa est vitæ, in sanguine est, et ideo « Spiritu Christi non vivit, qui purissimo sanguini « ejus non est satiatus. » Porro Salmeron ad quamdam in hæc verba respondet objectionem, inquiens [5] : « Si dicas, si gratiam habes, cur ad sa- « cramentum participandum accedis? respondebo « et pariter objiciam; si vivis, quorsum edis? « inquies, ne vitam perdam! eadem ratione et « ego subjungam; pane vitæ pascor, ne gratiam, « quæ in me est, amittam, non ita etiam lucernæ « oleum infundis, ne propter olei defectum extin- « guatur; deinde non tantum ne gratiæ jacturam « faciam, ad hunc cibum accedo, sed ut etiam « gratiam corroborare et perficere valeam. » Unde lamentabatur David [6] : *Defecerunt, sicut fumus dies mei, et ossa mea, sicut cremium aruerunt, percussus sum, ut fœnum, et aruit cor meum.* Ast unde tantam putatis processisse ariditatem? ipsemet respondet, inquiens : *Quia oblitus sum comedere panem meum;* quæ verba S. Bonaventura discutiens, ait [7]: « De- « fectu istius manducationis (sacramenti scilicet « Eucharistiæ deficit vita. »

**8.** — S. Thomas de Villanova eidem insistens argumento, « quid de torpore cordis quotidie con- « quereris, » ait [8], « numquid non legisti : *aruit cor « meum, quia oblitus sum comedere panem meum?* » S. autem Augustinus, a D. Bonaventura citatus, aliud raræ communionis inconveniens insinuat, dum ait : « Vices Deo non rependit; verecundum « est, illi hospitium denegare, qui solet omnem « pulsantem admittere. » Notat seraphicus Bonaventura, Raab meretricem salvatam fuisse, ob datum exploratoribus populi Dei hospitium; unde hanc deducit consequentiam [1] : « Si Raab salvata « est, quia suscepit nuncios Domini, multo magis « qui ipsum suscipit. » Terribilis omnino est illa, quondam a Christo S. Brigittæ facta revelatio, contra illos, qui Eucharistiam *magis quam venenum respuunt et abhorrent.* Porro supplicia talibus imminentia et a Christo in dicta revelatione comminata, sunt hæc sequentia : « Nunc igitur, » inquit Christus, « per unam viam eis incognitam, « veniam cum potentia Deitatis meæ, vindictam « contemptoribus meæ humanitatis inferendo. Et « sicut ipsi mihi tria obstacula in viis suis, ne ad « ipsos ingrediar, paraverunt, ita et ego alia tria « ipsis parabo, quorum amaritudinem vivi et mor- « tui sentient. Lapis itaque meus, est mors subita- « nea et improvisa, quæ sic eos conteret, quod « omnia, quæ habent ad jucunditatem suam, hic « remanebunt, et sola anima ad judicium meum « venire compelletur; nunquam gustabunt boni- « tatem meam, qui eos redemi. Fovea mea est « inferni tenebrosa obscuritas, in quam cadent; « omnes Angeli mei in cœlo et omnes Sancti con- « demnabunt eos, omnesque dæmones, omnesque « animæ in inferno maledicent eis. »

[1] JOAN., VI, 49. — [2] S. PASCHAS., *de Corp. et Sang. Dom.* — [3] S. BONAV., *ib.* — [4] ALBERT. MAGN., *in Gen.* — [5] SALM., t. IX, tr. 40. — [6] *Ps.* CI, 5. — [7] S. BONAV., *ib.* — [8] S. THOM. DE VILL., conc. 1 *in die Corp. Christi.*

## DISCURSUS XLIV.

DE USU PRIMORUM FIDELIUM, PER ALIQUOD TEMPUS IN ECCLESIAM INTRODUCTO, CIRCA COMMUNIONEM PRIMITUS QUOTIDIANAM ET TANDEM FREQUENTISSIMAM; VARIA PROINDE FREQUENTIÆ HUJUS CONSIDERANTUR BONA, OMNIA UTILIA ET NECESSARIA.

IDEA SERMONIS. — 1. Per fractionem panis, intelligitur sumptio corporis Christi. — 2. In primitiva Ecclesia fideles quotidie communicabant. — 3. Quotidiana et frequentior communio asseritur ex Annalib. Eccles. — 4. Olim Prælati et Pastores fervide hortabantur ad frequentem Communionem. — 5. Omnes S. Canones et Concilia in hoc conspirant frequentem communionem inculcandam esse. — 6. Cupiditas hujus cibi laudabilis est, necessaria vitæ spirituali. — 7. Frequentia S. Communionis suadetur a SS. Patribus et Doctoribus. Adducuntur utilissimi effectus et fructus S. Communionis.

*Erant autem perseverantes in communicatione fractionis panis.* Act., II, 42.

**1.** — S. Lucas de statu primitivæ Ecclesiæ, post Christi in cœlos ascensionem et descensum Spiritus Sancti in die Pentecostes, super sanctam illam

[1] S. BON., l. *de Comp. theol.*

congregationem factum disserens, primos Christianos in communione et continua panis Eucharistici frequentia perseverasse dicit. Et quidem tametsi Cajetanus, S. Lucam ibi de pane usuali et refectione corporali, quæ in communi fiebat, locutum fuisse crediderit, attamen Evangelistam de sacramento altaris intelligendum esse, ex versione Syriaca clare deducitur; siquidem illa legit : *in fractione Eucharistiæ*; tum etiam, quia sacer textus de alimentis, quæ sustentationem corporalem in communi dividebantur, paulo post his verbis loquitur: *frangentes circa domos panem*; præterea cum S. Lucas hæc verba simul cum prædicatione, sive doctrina Apostolorum et oratione conjunxerit, dicendo: *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus*, signum est manifestum, quod de pane spirituali et cœlesti locutus fuerit. Eadem phrasi Eucharistiam a S. Paulo denominatam reperimus, quando ad Corinthios ita scribit [1] : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est?* denique quando idem Evangelista discipulos, in Emmaus euntes, ex data illis sacratissimi corporis communicatione, Christum post resurrectionem suam cognovisse commemorat, eodem loquendi modo utitur, dicens [2] : *cognoverunt eum in fractione panis.*

**2.** — Porro consuetudo antiqua ab Apostolis et primorum fidelium exemplo, in Ecclesiam introducta fuit, hanc mensam quotidie frequentandi, ac proinde nequaquam respuenda, sed pari cum devotione a nobis continuanda erit, ne ab iis penitus degenerasse videamur, nam ut Deus apud Jeremiam ait [3] : *Hæc dicit Dominus : state super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea.* Tametsi Salvator noster cum humanitate sua ad dexteram Patris ascenderit, nihilominus eamdem pro stabilimento Ecclesiæ suæ et fidelium suorum consolatione et nutrimento, modo quodam mirabili, hic in terris in sacramento altaris nobis relinquere voluit, ideoque ait [4] : *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque*, etc., ubi bene observandum, quod Christus dixerit *omnibus diebus*; monstrando nimirum vehemens desiderium, quo quotidie in sacrificio incruento offerri et in sacra communione recipi cupiebat : *omnibus diebus*; ac proinde Christianos in primis Ecclesiæ crepundiis bene dirigere volens per Spiritum Sanctum, cordibus eorum recenter infusum, iis inspiravit, ut quotidie perseverarent et continuarent, in participatione panis hujus cœlestis et divini. Unde S. Bernardinus ait [5] : « In Ecclesia primitiva, quando « fervor Dei flammescebat et devotio sanguinis Jesu « Christi recenter effusi infidelium mentibus bul- « liebat, statutum est, quod fideles quotidie sume- « rent Dominicum sacramentum, sicut patet, *Act.*, « II, et *de consec.*, dist. 2, cap. *peracta* dicit Papa « Calixtus, peracta consecratione omnes communi- « cent; secundo autem tempore, jam fervore dimi- « nuto, communicabant quidam quotidie et qui- « libet quolibet die Dominico. »

**3.** — Huic quoque frequenti communioni Annales Ecclesiastici testimonium perhibent [1], asserentes, quod per institutionem Apostolicam, continua communionis frequentia præcepta fuerit, quam postea S. Ignatius Martyr, qui post S. Petrum ad sedem Antiochenam assumptus fuit, magna cum sollicitudine suis recommendavit; in cujus probationem cardinalis Baronius adductum ex S. Luca, thematis nostri textum, opportune subjungit, quod primorum fidelium exemplum quotidie communicandi, alios fideles deinceps prosecutos fuisse, ex multis Patribus tam latinis, quam græcis perspicue deducitur. Imo, quia multi ad sanctas illas congregationes convenire, seque ad Ecclesias personaliter recipere, sive ex metu persecutionum, sive propter aliud impedimentum minime poterant, ne laudabilis et salutaris hic usus prorsus interiret, concessa est eis facultas, panem hunc sacramentalem in proprias domos suas secum deferendi, ubi illum summa cum reverentia custodiebant, indeque quotidie communicabant; idque illis per institutionem et auctoritatem Apostolicam permissum fuit, tametsi in progressu temporis, ob certas quasdam indecentias et abusus, hic usus tunc laudabilis prorsus abolitus fuit. Prosequitur idem Baronius hunc discursum, atque ex S. Hieronymo clare deducit, quod, quo sæculo sanctus hic doctor vixit, hæc quotidianæ communionis consuetudo, etiamnum hic Romæ viguerit, quam tamen quoad conjugatos minime approbat; verumtamen apud Orientales, ut S. Ambrosius et Chrysostomus dolenter referunt, hæc communionis frequentia in usu non erat, unde hic multos illorum, Eucharistiæ communionem de anno in annum distulisse, valde lamentatur; id quod speciatim populo suo Antiocheno in homilia XLI, improperat, fortiter conquerendo, illos ter saltem in anno ad communionem accedere consuevisse, id est, in Epiphania, in Paschate et Natali. S. Clemens Papa in constitutionibus suis [2] pariter de laudabili primorum Christianorum usu, quo quotidie post corporis et sanguinis sumptionem, a sacerdote in missa factam, ad sacram mensam accedere consueverunt, evidens perhibet testimonium. Imo S. Dionysius Areopagita, qui utpote S. Pauli discipulus primo seculo vixit, expressis his verbis scribit [3] : « Post evange- « lium et sacrarum litterarum lectionem, qui ad « sumendam Eucharistiam parati non erant, foras

[1] I Cor., X, 16. — [2] Luc., XXIV, 36. — [3] Jer., VI, 16. — [4] Matt., XVII, 20. — [5] S. Bern., t. II, s. 54.

[1] Bar., an. 57, n. 151. — [2] S. Clem., 8 p., l. *Const.* [3] S. Dion. Ar., *de Eccl. Hier.*

« mittebantur, atque omnibus tradita communione « divina, sacerdos gratias referens, finem mysteriis « imponit. » S. Basilius quoque in epistola quadam, hujus sacramenti frequentiam suis temporibus viguisse, his verbis testatur[1] : « Singulis certe « diebus communicare et percipere sancti corporis « et sanguinis Christi sacramentum, bonum et « fructuosum est, cum dixerit ipse perspicuis ver- » bis : *qui comederit carnem meam et biberit sangui- « nem meum, vitam habet æternam.* Jam vero quis « dubitet, quin vitæ frequentius participare, non « sit aliud omnino, quam frequenter vivere? quare « igitur nos singulis septimanis communicamus « Dominico die, feria quarta, in parasceve et sab- « bato, sed et per dies etiam alios, si martyris « alicujus memoria celebretur? »

**4.** — Atque hinc factum est, quod prælati et pastores, qui saluti gregis sui superintendebant, omnem semper adhibuerint operam, ut pascui hujus frequentiam suis serio recommendarent, prouti ex constitutionibus, canonibus et variis temporibus celebratis conciliis colligitur. Superius in variis discursibus Eucharistiam, veluti inexpugnabile quoddam Ecclesiæ præsidium esse demonstravimus, unde Sapiens ait[2] : *Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, proposuit mensam, misit ancillas suas. ut vocarent ad arcem, etc., venite et comedite panem meum et bibite vinum.* At vero quænam sunt ancillæ istæ, ad convivas ad hanc mensam invitandos emissæ? Cajetanus per illas principes ecclesiasticos intelligit, qui auctoritate legum suarum, subditos ad hoc sacramentum astringunt[3] : « co- « gor, » inquit, intelligere per excelsos civitatis, « non celsos virtutibus, sed celsos statu et officio, « quia superna Sapientia gubernat infima per me- « dia, ideo ad ordinem divinæ Sapientiæ spectat, « quod virtutes in factis hominum excelsorum in « civitate (ubi aliis præsunt statu, auctoritate, offi- « cio vel consilio) excitent et invitent alios ad « cœleste convivium, convenit enim eis ex officio. » S. Carolus Borromæus ad perpetuam cleri sui instructionem ita scribit[4] : « Ad saluberrimum « hujus sacramenti frequenter sumendi usum, « parochus fidelis cohortabitur atque excitabit, « nascentis Ecclesiæ institutis, et exemplis, et « sanctorum Patrum omnium consentiente doc- « trina et sententia œcumenicæ synodi Tridentinæ, « quæ optaret quidem, fideles in singulis missis « non solum spirituali affectu, sed sacramentali « etiam Eucharistiæ perceptione communicare. » Cujus rationem Concilium Tridentinum his verbis breviter declarat[5] : « Quo ad eos sanctissimi hujus « sacrificii fructus uberior proveniret. » Idem S. Carolus postquam in concilio Provinciali tertio parochis præcepisset, ut magna cum sollicitudine subditis frequentem communionem inculcarent, subjungit[1] : « Quod si quis concionator, etiam « regularis, aliquid contra directe indirecte dixe- « rit, aut concionatus sit, Episcopus, in cujus « urbe, dicœcesive, hoc ille admiserit, ei tanquam « scandalum disseminanti, Tridentinæ ejusdem « Synodi auctoritate interdicat prædicationem verbi « Dei, ad cujus prædicationis munus nec idem res- « tituatur, nisi prius ejusdem Episcopi judicio sa- « tisfecerit, eo ipso loco ubi scandalum, et offensio- « nem præbuerit. Itidem pro ratione culpæ corri- « piantur, corrigantur, et satisfacere compellantur, « quicumque vel sermonem habendo, vel collo- « quendo, hoc in genere offenderint. » Eadem quoque circa frequentiam communionis introducendam adhibita sollicitudo, ex concilio Provinciali quarto deducitur, in quo sequens conditum est decretum[2] : « Id magnopere Episcopus curet, ut vel « per se, vel per alium, in adhortandi munere « exercitatum, ac probatum etiam, inter commu- « nicandum, verborum pondere, et sententiarum « quasi jaculis opportuna aliqua, et crebra, brevi- « que cohortatione oculus collectus, cum ad fre- « quentem sanctissimi Sacramenti usum excitetur, « tum etiam commonefiat, quam periculosum exi- « tiosumque sit, ad sacram divini cibi mensam » indigne accedere. »

**5.** — Omnes sacri canones, concilia, doctores sacri et Magistri spirituales in hoc unanimiter conspirant, quod communio, si non quotidiana, ad minus frequens consulenda sit, et in effectum reducenda; siquidem ad timoratam, et virtuosam vitam, non modo utilis, sed et necessaria est. Quem autem ob finem, Sapientiam Incarnatam sacramentum per modum cibi instituisse arbitramini? Respondet Concilium Tridentium[3].« Sumi autem voluit « sacramentum hoc tamquam spiritualem anima- « rum cibum, quo alantur, et confortentur viventes, « ut illius, qui dixit : *Qui manducat me, et ipse « vivet propter me*; et tanquam antidotum, quo « liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis « mortalibus præservemur. » Nec refert, quod in multis tales effectus non appareant, dum in peccata mortalia aliquando prolabuntur; absque adjutorio enim hoc prævio in barathrum longe profundius, et inextricabile iniquitatum forsan prolapsi fuissent : aut etiam nullum ex hoc cibo fructum capiunt alii propter malam suam indispositionem, in pœnam suæ contra hoc sacramentum ingratitudinis; non vero ob defectum Eucharistiæ, id quod accommode satis ex illa, confirmari potest Aristotelis doctrina, inquientis[4]: « Non ideo malus medicus, si non « semper sanet, si nihil, omiserit eorum, quæ sunt « ex arte. »

**6.** — Cujuscumque alterius cibi cupiditas, et

[1] S. Bas., in ep. *ad Prov.* — [2] Prov., ix, 1. — [3] Caj., *b.* — [4] *Act. Eccl. Med.* — [5] *Conc. Trid.*, sess. 12.

[1] *Act. Eccl. Med.* — [2] *Ib.*, can. 236. — [3] *Conc. Trid.*, ess. 13. — [4] Arist., l. I *Topic.*

edacitas, condemnabilis est, præterquam hujus unius epuli, quod Ecclesia sancta appellat *sacrum Convivium*, de quo et Petrus Cellensis in hæc verba discurrit [1]: « Procul dubio hujus mensæ edacitas « inculpabilis, abstinere, culpa est et pœna : absorbere vero, gloria et corona. Num forte ibi « formidas consumptionem, ubi omne bonum « exundat consummationem : non parce prandendum, ubi cibum invenis Deum. Hodie si totum « præsumpseris, totum cras sine dubio nihilominus habebis. » Aliud quoddam insigne hujus frequentiæ motivum S. Bernardinus tangit dicens [2]: « Spiritualiter in nobis quotidie aliquid deperditur, « ex vi, et calore concupiscentiæ naturalis per pec« cata venialia, quæ diminuunt charitatem, sed « per hoc sacramentum, quod est animæ spirituale « nutrimentum, restauratur id, quod perdit anima « per veniale peccatum, in hoc quod per hujus« modi sumptionem peccata venialia dimittuntur, « et in suscipiente charitas augetur; » citatque auctoritatem Sancti Ambrosii, dicentis : « Iste « panis quotidianus sumitur in remedium quoti« dianæ infirmitatis. »

**7.** — Porro, ut hujus frequentis communionis nobis efficaciter imprimeretur necessitas, sacri interpretes multos hujus frequentiæ salutares insinuant effectus. « Eulogiæ particeps fias (verba sunt S. Cyrilli Alexandrini [3], hoc titulo Eucharistiam « honorantis) credens, eam non mortis solum, « verum etiam morborum nostrorum depellendo« rum vi pollere. Christus enim existens in nobis, « sopit sævientem in nostris membris carnis legem, « et pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes « mortificat, delicta in quibus sumus, nobis non « imputans, sed potius ut ægrotos sanans, confrac« tum enim alligat, erigit lapsum. » Hanc autem S. Cyrilli propositionem, quoad salutem corporalem ab hoc pane provenientem, apud Sanchez sequentibus verbis declaratam invenio : « Moderatur, » inquit [4], « nimium calorem, qui libidinem excitare « posset, et inde reducitur corpus ad optimum « temperamentum, ex quo bona valetudo resultat, « ut effectus. » Et ideo in Missa, dum divino hoc pane nutrimur, ita Deo supplicamus : « Fiat nobis « ad salutem mentis, et corporis, » non quod causet aliquam qualitatem corporalem, sed quia externa protectione, a rebus infirmitatem comparentibus, nos liberat. Abest quoque ab hoc convivio omne periculum nimiæ repletionis, unde stomachus aggravetur, et ideo Venerabilis Petrus Cellensis ait [5]: « Ventremne times onerare? imo abundanter ac« cipere, si mentem et ventrem vis relevare. Onera « namque tollit, non imponit, non in ventre tumor, « non in venis excrescit superfluus humor, cor « petit, et sanat, cor implet, et mundat, cor lustrat, « et illustrat. Cibus ille vitam sine molestia parat, « levamen sine gravamine, immortalitatem sine « corruptione. » Sancta Gertrudis die quadam a cœlesti Sponso suo solutionem hujus dubii, circa continuam, et nunquam intermissam Eucharistiæ frequentiam, poposcit [1], cui ille respondit : « Cum « meæ deliciæ sint, esse cum filiis hominum, et « ego hoc sacramentum ex magno affectu in meam « commemorationem retractandum, et sedulo sus« cipiendum reliquerim, insuper per hoc me cum « fidelibus remansurum usque ad consummatio« nem sæculi obligaverim, quicunque aliquem, qui « non sit in peccato mortali, verbis vel suasionibus « retraxerit, ille quodammodo meas delicias (quas « in his habere possem) impedit vel interrumpit. » Idem Sanchez aliquos pariter virtutis actus, Deo acceptissimos, qui in communione exercentur, considerat, quos Salvator noster nobis communicari magnopere cupit; dicit enim hic Doctor; « Repræ« sentat summam Dei charitatem, qua pro nobis « passus est, secundum illud : *Hoc facite in meam « commemorationem*, infinitam ejus potentiam « qua Christus Deus, et homo tam mirabiliter no« biscum esse voluit in tantilla sacramenti specie. « Repræsentat immensam Dei bonitatem, qua se in « refectionem animarum dare voluit nobis indignis « cibum vitæ Repræsentat ineffabilem ejus sapien« tiam, per quam eo ordine nos reparavit, quo « cecideramus a statu innocentiæ, scilicet per « cibum Paradisi. » Ven. Thomas a Kempis alios quoque frequentati hujus sacramenti manifestat effectus, dum ait [2] : « Quoties hoc mysterium recolis, « et Christi corpus accipis, toties tuæ redemptionis « opus agis, et particeps omnium meritorum Christi « efficeris. » Qui quotidie integrum auri millionem lucrari posset, nullam profecto diem sine hoc lucro sibi comparato præteriret; quanto igitur avidiores esse debemus in sumendo hoc sacramento, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei?* « Ideo oportet » inquit idem pius auctor [3] in alio loco, « ideo oportet me frequenter ad te acce« dere, et in remedium salutis meæ recipere, ne « forte deficiam in via, si fuero cœlesti fraudatus « alimonia; sic enim tu misericordissime Jesus « prædicans populis, et varios curans languores, « aliquando dixisti : nolo eos jejunos dimittere in « domos suas, ne deficiant in via. » Nos viatores sumus, quotidie peregrinamur, ac proinde quotidie refectione indigemus. Imo Sanchez in ea est opinione, incomparabiliter majorem esse numerum bonorum a frequentata communione sacra provenientium, quæ ignoramus, quam quæ novimus, aut in nobis experimur [4]: « Ejus judicii sum, » inquit, « esse innumerabiles effectus hujus sacramenti, a

[1] Petr. Cell., *de pan.* — [2] S. Bern., t. I, s. 54. — [3] S. Cyr. Alex., l. IV *in Joan.* — [4] San., l. *de sacr. disp.* — [5] Petr. Cell., *ib.*

[1] *Vita S. Gertrudis*, l. III, c. 78. — [2] Thom. a Kemp., l. IV, c. 2. — [3] *Ib.*, c. 3, n. 2. — [4] San., *ib.*, d. 28.

« Theologis adhuc non cognitos, et multo plures, « quam qui de facto cognoscuntur. » Sic enim quod in te sagitta quædam evibretur, nec tamen ab illa lædaris, forte sit ob Eucharistiæ meritum, quam illo die sumpsisti. Quod maritus mulierem sortitus sit honestam, prolem statui suo correspondentem, filios bene disciplinatos, et minime degeneres, id factum esse credibile est, solum in hujus frequentiæ remunerationem. Quod ager tuus sit fertilis, census et redditus tui temporales feliciter prosperentur, cum tamen aliis contrarium accidat (discursus est hujus doctoris) forte id evenit, quia Deus ex parte sua tibi monstrare vult retributionem, pro cultu et reverentia, qua sanctissimum corpus ejus prosequeris. Citatque auctoritatem Granatensis, in hæc verba scribentis : « Plura sunt mala, a qnibus « Deus hominem indemnem eripit, quam sunt « bona, quibus condecoratur, quapropter ait ipse : « tot beneficia erga me impensa considero, quibus « malis eripior. »

## DISCURSUS XLV.

COMMUNIO QUOTIDIANA VARIIS COMMENDATUR RATIONIBUS ET AUCTORITATIBUS ; SOLUTIS IN CONTRARIUM OBJECTIONIBUS, TANDEMQUE, QUIDQUID AD HOC PUNCTUM SPECTARE VISUM EST, PLENIUS DISCUTITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Per Panem quotidianum intelligitur S. Euch. — 2. Hinc concluditur, quotidie illam sumendam. — 3. SS. Euchar. instituta est in remedium præservativum peccatorum. — 4. Pulchrum exemplum frequentis communionis, ejusque utilitatis. — 5. Salubris admonitio S. Francisci ad sacerdotes celebraturos. S. Bonav. miraculo instruitur quotidie celebrandum esse. — 6. Adducuntur rationes et argumenta contra frequentem communionem. — 7. Omnibus supra positis argumentis respondetur et refelluntur et primo primum. — 8. Quænam sit debita præparatio ad hoc sacramentum. Non interstitium temporis, sed munditia conscientiæ requiritur, ut digne accedas ad hoc sacramentum. — 9. Refellitur objectio secunda. — 10. Refellitur objectio tertia et insinuatur, quod in virtutibus radicatis sæpe liceat accedere. — 11. Explicatur sententia S. Aug. — 12. Instruuntur et tepidi et ferventes quoad accessum ad S. Communionem. — 13. Regula certa in hac re præscribi non potest.

*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*
Lucæ, XI, 3.

**1.** — Increata, et Incarnata Sapientia, primaque et æterna veritas, de quadam a Collegio Apostolico, ad modum orandi docendum postulata, orationem quotidianam, sive dominicam iisdem dictavit, quam Tertullianus[1] *breviarium totius Evangelii* appellat, in qua inter alias petitiones, panem quoque sacramentalem, et hunc quotidianum petere nos voluit : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hoc enim sensu hæc verba ab auctoribus classicis exponuntur. S. Augustinus vel quisquis alius auctor est illius sermonis, qui est XVIII *de verbis Domini*, super hæc verba ita scribit [2] : « Non iste panis, qui « vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui « animæ nostræ substantiam fulcit. » Unde S. Matthæus ubi Vulgata nostra legit *quotidianum*, ponit *supersubstantialem.* S. Ambrosius de sacramento disserens, inquit : « Iste panis vitæ æternæ « qui animæ nostræ substantiam fulcit, panis quo- « tidianus est ; accipe ergo quotidie, quod quotidie « tibi prosit ; sic vive, ut quotidie mereari acci- « pere. » S. Cyprianus de oratione quotidiana disserens, pariter per hunc panem, Eucharistiam interpretatur : « *Panem nostrum*, id est, Christum dari nobis « quotidie petimus, ut, qui in Christo manemus, « et vivimus, a sanctificatione, et corpore ejus non « recedamus. » S. Augustinus quoque idipsum alibi confirmat dum ait : « Pro sacramento corporis « Christi ; quod quotidie accipimus. » In alia quoque ipsius homilia legimus sequentia : « Intelligitur « hoc etiam valde bene : *Panem nostrum da nobis* « *hodie*, id est, Eucharistiam tuam quotidianum « cibum. »

**2.** — In controversiam nequaquam vocari potest, quin manna inter cæteras Eucharistiæ figuras principatum obtineat ; hoc autem quotidie mane colligi, excepto sabbato, voluit, idque ob majorem diei illius, in quo feriari debebat, reverentiam. S. Apostolus de primitivæ Ecclesiæ fidelibus inquit : *Nos autem primitias Spiritus habentes* ; hi autem, ut in præcedenti Discursu probavimus, quovis die communionem sacram sumebant : « Quotidie, » inquit S. Basilius ad Cæsarium[6], « participare corpore et « sanguine Christi, bonum et fructuosum est. » S. Augustinus in supradicto sermone S. Job exemplum in medium adducit, dicens [7] : « S. Job quotidie « pro filiis offerebat sacrificium, ne forte aliquid « vel in corde, vel in sermone peccassent. Ergo « tu audis, quod quotiescunque offertur sacrificium « mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Do- « mini significantur, et remissio peccatorum, et « panem istum vitæ nostræ quotidianum non assu- « mis? Qui vulnus habet, medicinam requirit ; « vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est « cœleste, et venerabile sacramentum. » Optima est ratio, qua S. Thomas idipsum probat, inquiens [8] : « Hoc sacramentum est cibus spiritualis, unde cibus « corporalis quotidie sumitur ; ita hoc sacramentum « quotidie sumere laudabile est ; » et quidem unum

[1] TERT., l. *de or.*

[1] S. AUG., *in App. de div.* — [2] S. AMBR., l. V *de sac.* — [3] S. CYP., *de or. Dom.* — [4] S. AUG., l. II *de Ser. Dom. in mon.* — [5] ROM., VIII, 23. — [6] S. BASIL., *ad Cæs.* — [7] S. AUG., *in App. de div.* — [8] S. TH., 3 p., q. 80.

ex mysteriis, propter quæ incarnata Sapientia sacramentum hoc per modum cibi instituere voluit illud, est, ut videlicet intelligeremus, quod, sicut hic quotidie sumi debet ad sustentandum corpus, ita Encharisticus necessarius est pro animæ sustentatione: *nisi manducaveritis carnem Filii hominis.* Nec sub alterius cibi specie, quam panis, corpus suum consecrari voluit, quia pane quotidie et continuo opus habemus, qua in re quotidianam hujus sacramenti frequentiam nobis insinuare voluit.

**3.** — Porro certum est, quod, ut Concilium Tridentinum declarat, nosque ex eo in discursu præcedenti diximus, panis cœlestis institutus sit in remedium præservativum peccatorum, quæ quotidie committuntur; cum igitur quotidie labamur, justum est, ut etiam quotidie ad hoc antidorum sumendum recurramus. Unde S. Bernardinus ait [1]: « In hoc dat nobis quasi plenam possessionem « suæ passionis, et mortis, ut quotidie delinquen« tes, lavemur continuo in suo sanguine, et quo« tidie reficiamur in suo sancto corpore. » Remigius Antisiodor. in tract. *de sacrificio Missæ*, de Salvatore nostro inquit [2]: « Providens nobis dedit « hoc Sacramentum salutis, ut, quia nos quotidie « peccamus, et ille jam mori non potest, per istud « sacramentum, corporis sui remissionem conse« quamur. » S. Laurentius Justinianus ait [3]: « *Pa« nem nostrum quotidianum da nobis hodie*; sig« nanter dictum est *hodie*, quatenus scias, te quo« tidiano illius indigere suffragio. » Salmeron idipsum apta quamdam similitudine declarat, dicens: « Ut balsamum vulneri appositum, et cito ablatum, « fructum nullum præstat (opus est enim diu illi « inhærere, et tenaciter insistere, ut tandem sani« tatem restituat, et cicatricem obducat) ita hoc « pretiosissimum corporis Christi balsamum, « vulneribus animæ nostræ curandis, non tantum « semel in anno, sed frequenter est aplicandum, ut « fructum desideratum efficiat. » Unde et Henriquez de hoc socramento tractans, sequentem in hæc verba doctrinam tradit [4]: « Potest incitare ad com« munionem, quamvis facile recidant, non ex ha« bituali consuetudine, sed propter extrinsecas « causas, quæ forte tentant; habet homo jus ad « medicinam sacramentorum, *ut exhilaret faciem in « oleo, et panis cor hominis confirmet.* » Quamdiu enim infirmitas peccati nos premit, jus habemus ad salutare hoc antidotum, quod, ipsa experientia teste, singularem in communicantibus virtutem operatur, et efficaciam; ipso pariter S. Berdardo eamdem veritatem in hæc verba attestante [5]: « Duo « præcipue operatur in nobis et sensum minuit in « minimis, et in gravioribus peccatis tollit omnino « consensum; qui vulnus habet, medicinam requi« rit; vulnus habemus, sub peccatis sumus, medi« cina optima est sacramentum; quotidie accipe « quotidie curaberis. »

**4.** — Argumento huic confirmando apprime deserviet illud, quod servo Dei Joanni Baptistæ Fulgiginiensi, in opinione sanctitatis mortuo (quem et viventem populus beatum denominavit) legimus obtigisse. Mater ejus ipsum utero gerens, quotidie internum ad communicandum experiebatur impulsum, quem et sæpius adimplebat juxta quod negotia domestica et temporum illorum permitterent corruptelæ. Natus ergo ex eadem filius, in annis primis, singulis mensibus, deinde omni dominica, postmodum autem omni die festo communicare cæpit; annos autem provectiores nactus, ad quotidianam communionem spiritualem sese præparavit; exinde vero juxta patris sui spiritualis consilium, actualem quotidianam communionem amplexatus est. Communis igitur inimicus tanti impatiens boni nocturnis eum exagitavit ad tempus aliquod illusionibus, ad hoc, ut eum ab hoc bono usu abstraheret; detecta autem serpentis fraude, præhabitoque confessarii consilio, per XL solidos annos ab omni illusionum vexatione immunis vixit; quotiescumque autem ecclesiam intraret, sacerdos se ad altare accingebat ad ministrandum ei sacratissimum. Causam porro quotidianæ communionis interrogatus, respondit, sibi videri, se injuriam Deo facturum, si ab ejus mensa se substraheret; iterum autem requisitus, qualenam peccatum admissurus esset si quotidianam non adimpleret communionem; se nullam in eo offensam perpetraturum esse replicuit postquam autem longo tempore lumen a Deo petiisset, ut quid sibi circa communionem statuendum esset, insinuare dignaretur, vocem quamdam internam intelligibilem audiit, sibique dicentem: Joannes Baptista abstine a peccatis, non vero ab accessu ad me.

**5.** — S. Franciscus Seraphicus in quadam Epistola, quæ ordine duodecima circumfertur, sacerdotum suorum quotidianam improbare videtur celebrationem; ast si districtius verba discusserimus finem facile fuerit intelligere, ob quem talia scripserit dictus Sanctus; ait enim historicus [1]: « Ne « propter quotidianam sacrificandi consuetudinem « tanti mysterii debita reverentia (quam in hac « ipsa Epistola anxius inculcat, et tantopere com« mendat) paulatim declinaret, et in ipsis sacrifi« cantibus fervor tanto altari dignus aliquantisper « teperet, quod et ipsum retraxit, et omnino repulit « sacris presbyteratus ordinibus suscipiendis. » S. proinde Bonaventura, Seraphici illius spiritus hæres quotidiano sacrificio se indignum ratus, ob summam reverentiam ab eodem abstinuit, sed quo putatis successu? vice quadam sancto sacrificio assistentis

[1] S. Bern., t. II, s. 54. — [2] Remig. Antis., l. VI *Bibl. vet., de celebr. missæ.* — [3] S. Laur. Just., *de Euch.* — [4] Henr., l. IV *de Euch.* — [5] S. Bern., s. *de Cœn. Dom.*

[1] Opusc. 8 *Franc.*

per manum Angeli miraculose e celebrantis alterius sacerdotis manu, sublata consecratæ hostiæ particula, in sancti ore deposita fuit ; quo ex facto didicit, Deo gratius fore, si quotidie celebraret devote, quam si ex reverentia se ab eodem retraheret. Nihilominus advertendum, S. Franciscum quotidianam suis non inhibuisse celebrationem, et communionem ; quin potius contrarium docens, ait : « Quandocumque voluerint missam celebrare, « pure et puro corde faciant cum reverentia. » Adeoque modo reverentia, et præparatio debita non deficeret, semper eos ad sacrum altare, si vellent accidere posse censuit. Unde et S. Isidorus ad illa Christi verba (*panem nostrum quotidianum*) se reflectens, dubium movet, an quotidie hunc sacramentalem panem sumere debeamus ; respondetque affirmative, verumtamen cum hac limitatione[1] : « Si « cum religione et devotione, et humilitate suscipiunt, ne fidendo de justitia, superba præsumptione id faciant. »

**6.** — Rationes porro, quæ continuum, et numquam intermissum ad Eucharistiam accessum dissuadere possunt, assignantur sequentes ; et in primis quidem, quoniam experientia teste, multos inde adeo parum proficere videmus, ut inde in Spiritu et perfectione ne quidquam proficiant, licet cæteroquin sacramentum hoc ordinatum sit tamquam medium ad Spiritum, virtutem et sanctitatem acquirendum opportunum ; pro qua ratione declaranda, sequentem adhibent similitudinem ; sicut enim, qui medicamentis sumendis assuevit, in majoribus postea necessitatibus exiguum inde percipit fructum, ita quoque multis accidit, ut dum ex consuetudine potius quam ex fervore devotionis et spiritus, communionem frequentant, illud exinde subsidium nequaquam assequantur, quod forte percepturi essent, si ad sacram hanc mensam raro quidem, sed majori cum præparatione accederent. Secunda ratio, seu ut melius dicam, oppositio est, quia ex hac nunquam intermissa continuatione, derivari solet exigua tanti sacramenti existimatio, nam juxta tritum illud proverbium, « nimia familiaritas parit contemptum. « Tertia est, quia ex illa quotidiana communione nonnumquam homo incurrit in periculum vanæ gloriæ, et præsumptionis, de semetipso, dum se per hanc frequentiam, publice in conspectu omnium exercitatam, singularem ostendit ; unde facile in retia astuti serpentis incidere potest, utpote qui per hanc viam plurimos eximios sanctos prostravit. Quarta est, quia plures sunt Sancti, qui communionem quotidianam nec approbarunt nec practicarunt. Ven. Pater Magister Avila in quadam epist. Eucharistiam quidem frequentatam laudat[2], non tamen quotidianam ; nam prædicatori cuidam, qui hac super re ejus poscebat consilium, in hæc verba respondit : Probe scit Reverentia Vestra quod S. Francsicus de Assisio quolibet die communicare solitus non fuerit, sicut nec S. Franciscus de Paula, imo hic senex factus, non nisi singulis octiduis communicabat, ac proinde existimo, quod illi, qui ad tantam sanctitatem non pervenerunt, optime facient, si eodem modo semel tantum in septimana et sæpius etiam communicent, quia capaces sunt, ut magna necessitas, sive a malitia temporum, sive a fraudibus dæmonum, sive denique a propria fragilitate causata, sæpius requirat recursum ad remedium opportunum, et ad sacram hanc mensam quam Deus nobis in hoc mundo contra quodvis fragilitate causata, sæpius requirat recursum ad remedium opportunum, et ad sacram hanc mensam, quam Deus nobis in hoc mundo contra quodvis malorum genus reliquit. Tandem etiam illa allegatur S. Augustini sententia dicentis[1] : « Quotidie « Eucharistiæ communionem percipere nec laudo, « nec reprehendo, omnibus tamen dominicis die- « bus communicandum suadeo, et hortor. » S. Hieronymus pariter ita scribit[2] : « Scio, Romæ « hanc esse consuetudinem, ut fideles semper « Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo, « nec probo, unusquisque enim in suo sensu abun- « dat. » Omnibus tamen hisce objectionibus facile est respondere.

**7.** — Et quidem quantum ad primam oppositionem, scilicet quod in iis, qui quotidie communicant, non appareat augmentum aliquod devotionis et virtutis notabilis, responderi potest, quod ex alia parte etiam non appareat in iisdem aliqua, ex communione procedens, virtutis jactura vel diminutio ; id quod in hac nostra natura corrupta, adeo contaminato, magni lucri loco censeri debet ; stabilitas enim et perseverantia in amicitia Dei, sine ullo in peccata gravia prolapsu, ab hac causa sine dubio procedit. Instituatur igitur examen aliquod et comparatio inter illos, qui ad hanc mensam sæpius accedunt et alios, qui communionem in menses differunt et magna videbitur inter utrosque, quoad mores, virtutes et omnia alia, diversitas. Quot sunt qui sine hoc subsidio in graves inciderent inimici tentationes et a vita spirituali et pœnitenti retrocederent, nisi cœlesti hoc pane corroborentur, nam *Panis cor hominis confirmat* ? Cum igitur quotidianæ sint tentationes, quibus infestamur, cur non etiam quotidie proportionaliter tam evidenti et certo utemur remedio ? Venerabilis Beda in c. XII Epist. primæ ad Corinth., ita scribit : « Dixe- « rit aliquis, non quotidie accipiendam Eucharis- « tiam. Quæsierim, quare ? Quoniam eligendi sunt « dies, quibus purius continentiusque vivat, quo ad « tantum sacramentum dignius accedat. » Ex qua

[1] S. ISIDOR., l. *de Off. Eccl.* — [2] AVIL., lect. 3, *car. mihi* 29.

[1] S. AUG., l. III *de Eccl. dogm.* — [2] S. HIER., *in apol. ad Jovin.*

Venerabilis Bedæ auctoritate et communi sacrorum doctorum et spiritualium magistrorum opinione, hoc punctum stabiliri videtur, quod scilicet non ob aliam causam differenda sit communio, quam ut ad eamdem, per digniorem præparationem accedatur. At vero illis sequentia Jobi verba reponi posse videntur [1] : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es? Non sumus sufficientes,* inquit Paulus [2], *cogitare aliquid a nobis quasi a nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Necessum est igitur, ut paupertatem nostram agnoscentes, magnum hunc rogemus hospitem, ut in hospitium cordis nostri ea immittat donorum et gratiarum suarum ornamenta, quibus ipsum digne recipere valeamus. S. Thomas de Villanova ad illa Geneseos verba [3] : *Invenit scyphum in sacco Benjamin* se reflectens ad sacramentum conversus exclamat [4] : « Da quod jubes, et jube quod vis, præsta quod « poscis. Non invenit in sacco Benjamin frater « Joseph aurum, nisi quod ipse posuerat, neque « invenies, o bone Jesu, bonum in pectore nostro, « ni quod ipse præstiteris. Utinam Domine, utinam « in corporis nostri sacco gratiæ tuæ scyphum, « sacro huic frumento impositum clementer abs- « condas et pie inferas, hac lege et conditione, ut, « in quo beatum furtum inventum fuerit, tibi per- « petuo mancipetur et tibi serviat in æternum, nam « tibi servire, regnare est. » Verum igitur quidem est quod præparati et digni futuri non simus, qui ad hanc mensam accedamus, si in nobis defuerit devotio et reverentia, tanto sacramento debita : at vero certum quoque est, quod hæc devotio mensuranda sit, juxta mensuram munditiei et puritatis conscientiæ ; juxta celebre illud Apostoli testimonium, Ecclesiæ quoad Eucharistiam relictum [5] : *Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat;* consequens igitur est, quod ad communionem alia non requiratur præparatio, quam cor a culpis mortalibus purificatum; licet quoque expediens sit, ut ad communicandum cum majori fructu cor etiam a venialibus mundetur, quantum humana fragilitas permittit. Unde V. Beda ait [6] : « Panem cœlestem spiritualiter manducate ; peccata « etsi sint quotidiana, non sint mortifera. »

**8.** — Porro quænam sit debita ad hoc sacramentum recipiendum præparatio, Concilium Tridentinum his verbis definit [7] : « Ecclesiastica consuetudo « declarat, eam probationem necessariam esse, ut « nullus, sibi conscius peccati mortalis, absque « præmissa confessione accedat. » Ad digne igitur communicandum, vita per timorem Dei bene regulata et irreprehensibilis, sufficiens est præparatio. V. Thomas a Kempis pariter inquit [8] : « Ipsi vero « fideles tui, qui totam vitam suam ad emendatio- « nem disponunt, ex hoc dignissimo sacramento « magnam devotionem, gratiam et virtutis amorem « frequenter recipiunt, » Omnes igitur illi, qui in Filios Dei sunt adoptati, libere Deo dicere possunt : *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra* ; eidem quoque quotidie *jus* ad hunc panem cœlestem habent, et dicere possunt : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie ; in lege Domini voluntas ejus* [1]; et ideo hoc signum erit quod divinam legem adimpleverint, participesque facti sint amicitiæ et gratiæ Dei [2] : *Regnum Dei intra vos est;* habebuntque indulgentiam, et absolutionem peccatorum suorum : *dimitte nobis debita nostra.* Unde Divus Chrysostomus optime ait [3] : « Non est « expectanda solemnitas, ut accedas ad hoc sacra- « mentum, sed semper est solemnitas, cum adest « cordis munditia. » Eamdem quoque sententiam alibi in eodem S. doctore reperio, ubi ait [4] : « Qui « munda conscientia sunt et vita irreprehensibili; « isti semper accedant ad divina sacramenta. » Idem quoque in alia quadam homilia errorem confutat eorum, qui reverentiam erga hoc sacramentum, in raritate ad hanc mensam accedendi consistere credunt : « Hoc nempe est, » inquit, « quod « universa perturbat, quia non munditia animi, « verum intervallo temporis longiore constare me- « ritum putas, summamque arbitraris religionem « et reverentiam esse, si non sæpius cœlestem « illam adeas mensam. Ignoras, quoniam indigne « accedere, etiamsi semel tantum fiat, supplicio « tradit ; digne vero, etiamsi sæpe accedas, salutem « inde conquiris? non est audaciæ, sæpius accedere « ad dominicam mensam, sed indigne accedere, « etiamsi semel tantum quispiam toto vitæ tem- « pore accedat; » tandem idem S. doctor propositionem quamdam concludit, quæ omnem in hac materia difficultatem sopit et dissolvit : « Tempes- « tivum accedendi tempus, » inquit, « munditia « conscientiæ faciat. *Quotiescumque,* inquit, *man- « ducaveritis Panem hunc et Calicem biberitis, mor- « tem Domini annunciabitis,* nulla observatione « temporis sacrificium circumscribere voluit. » Quin potius, S. Thomas in quodam articulo, cui titulus est *utrum liceat quotidie hoc sacramentum accipere,* auctoritati S. Augustini insistens, hanc statuit conclusionem [5] : « Iste Panis quotidianus « est; accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit, » nihilominus etiam ipsam hanc limitat propositionem, dicens : « Non expedit quotidie hominibus ad « sanctum sacramentum accedere, sed quando- « cumque ad illud se invenerit præparatum; » si quotidie se dispositum repererit, id est, in conscientia pura, poterit absque scrupulo, imo cum

[1] Job, xiv, 4. — [2] II Cor., iii, 5. — [3] Gen., xliv, 12. — [4] S. Th. Vill., *de Corp. Chr.* — [5] I Cor., xi, 28. — [6] V. Beda, *ib.* — [7] *Conc. Trid.*, sess. 23. — [8] Thom. a Kemp., l. I, c. 1.

[1] *Ps.* i, 2. — [2] Luc., vii, 24. — [3] D. Chr., *in I Cor.* — [4] Id., *ad Heb.* — [5] S. Th., 3 p. q. 80.

merito ad ipsum appropinquare; verumtamen quia nullus in causa propria judex esse debet, dicta executio a superioris et patris spiritualis consilio et arbitrio dependere debet, sique ipse conveniens judicarit, aut jusserit, in virtute talis obedientiæ ad mensam Eucharisticam accedat pœnitens; *melior est enim obedientia, quam victima.*

**9.**—Secundæ objectioni, scilicet quod communionis frequentia et nimia cum Deo per synaxin familiaritas, reverentiam Deo debitam imminuat, respondimus supra in discursu XXIV ubi probavimus, Eucharistiam nobis lumen et notitiam Dei infundere; præterquam quod etiam dici possit, quod juxta proportionem communicantis, crescat veneratio et reverentialis erga supremam illam Majestatem timor; hæc namque homines inter et Deum est differentia, quod quanto magis et strictius cum hominibus convertamur, tanto plures eorum cognoscimus et penetramur defectus, eo què minorem de illis existimationem tamdem induimus; quo autem familiarius cum Deo agimus tanto magis ejus honorem et existimationem in nobis promovet notitia divinorum attributorum ejus; communio nos arctius stringit, et familiarius unit cum Deo; quantoque magis in nobis crescit immensitatis et infinitatis ejus conceptus, tanto majorem de ipso concipimus existimationem, et venerationem, tantoque amplius de ejusdem participamus sanctitatæ; neque hujusmodi probationi fusius immorandum censeo, siquidem experientia docet, quod, quo quis frequentius communicat, tanto majorem concipit Dei timorem, tantoque ardentius ejusdem tutatur honorem.

**10.**—Quod ad tertiam objectionem, dico, quotidianam communionem iis dumtaxat suaderi et inculcari, qui in virtute firmiter radicati sunt, singulariter autem in humilitate; ideoque minus periculum erit, ne quis in laqueos incidat diaboli propter vanam gloriam, præsertim cum hoc sacramentum infallibile sit remedium contra omnes diabolicos insultus, Recordabimini utique, manna olim quotidie populo indultum fuisse, sed cum quibus arbitramini circumstantiis? præceptum illi erat[1], *prævenire solem ante benedictionem*; nemo hæc in figura contigisse dubitet, siquidem per hoc ipsum admonemur fideles, ut ad communionem per orationes, sanctasque meditationes nos præparemus, præsertim autem per sanctum quemdam corporis animique secessum; unde et manna nullibi, nisi in deserto pluisse scribetur, circa quam circumstantiam S. Hilarius in Canone quodam in cap. *si non sint de consec.* d. 2, sequens statuit documentum: « Si non « sint tanta peccata, ut excommunicatur quis, non « se debet a quotidiana medicina Corporis, et sanguinis Domini separare: qui peccare quieverit, « communicare non desinat. » Atque hæc solutio quarta eludit objectionem.

**11.**—S. Augustinus postquam dixisset, « nec « laudo, aut vitupero, » suam quoque subnectit sententiam, inquiens[1]: « communicandum suadeo, « et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi « sit, nam habentem adhuc voluntatem peccandi « gravari magis Eucharistia perceptione, quam purificari. » Qui idem sanctus alia in epistola ita scribit[2]; « Hoc est indigne accipere, si eo tempore « accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non ut « arbitrio suo, cum libet, vel auferat se communione, vel reddat. » S. quoque Hieronymus, quando communionem quotidianam improbat, de conjugatis loquitur, unde et paulo post subjungit: « Sed ipsorum conscientiam convenio, qui eodem « die post coitum communicant, » cujus et sententiæ fuit Pater Magister Avila prout in eadem littera fusius probat.

**12.**—Admodum quoque considerabilis hac in materia tam ad omnem ferventibus, quam tepidis satisfactionem præstandam, illa se offert Vener. Bedæ doctrina inquientis: « Valet etiam ad hanc « similitudinem, quod in primo populo unicuique « piorum, Manna secundum propriam voluntatem « in ore sapiebat, sicut in ore uniuscujusque Christiani sacramentum; nam ille honorando non « audet quotidie sumere, et ille etiam honorando « non audet ullo die prætermittere; » quæ doctrina ex S. Augustino desumpta esse videtur, qui diu ante tale nobis dederat consilium: « Faciat autem « unusquisque, quod secundum fidem suam, pie « credit esse faciendum; » juxta Zachæi et Centurionis exemplum: « Neque enim litigaverunt inter « se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, « Zachæus, et ille centurio, cum alter eorum gaudens, in domum suam susceperit, Dominum; « alter dixerit: *non sum dignus, ut intres sub tectum « meum,* ambo Salvatorem honorificantes, diverso « diverso et quasi contrario modo. » Cui et Thomas a Kempis subscribit, inquiens[3]: « Si interdum abs« tinet humilitatis gratia aut legitima impediente « causa, laudandus est de reverentia. » Quod studium S. Bonaventura sub aliis latioribus terminis proponens, ait[4]: « Si autem quæris, quo te affectu « magis debeas excolere, timoris scilicet et reve« rentiæ, an amoris et desiderii; an debeas, ut « multi, cum importuna desiderii festinantia anhe« lare; an ut nonnulli, reverentiæ, et timoris « magnitudine, magnitudinem sacramenti atten« dens, et propiam infirmitatem considerans, magis « debeas affectu retrahi et delongari ad hoc sancti « responderunt, utrumque affectum commendantes « uniuscujusque conscientiæ, quod ei visum fuerit « relinquentes. » Idem quoque alio in loco eos

[1] SAP., XVI, 28.

[1] S. AUGUST., *de Eccl. dog.* — [2] ID., ep. 118. — [3] TH. A KEMPIS, l. IV, c. 10. — [4] S. BON., t. VII *id Fasc.*

qui timore vel tepore ab hoc sacramento frequentando retrahuntur, his verbis animum suggerit [1] ; « Licet tepide, accede fiducialiter, quia quo magis « æger es, tanto magis indiges medico. » S. Thomas similitudinem adducit S. Augustini Zachæi, et centurionis ac *cæteris paribus* accessum ad sacramentum suadet; dicens [2]:« Amor tamen et spes, ad « quæ semper Scriptura nos provocat præferuntur « timori ; unde cum Petrus dixisset : *exi a me, quia « homo peccator sum.* Respondit Jesus, *noli timere.* » Efficax quoque est motivum, quod Thomas a Kempis his verbis adducit [3]: « Si modo tam negligens « sum et tepidus, quando communico aut celebro, « quid fieret, si medelam non sumerem, et tam « grande juvamen non quærerem. » S. Bonaventura ita ratiocinatur [4]: « Nec ideo quæris te jungere « Christo, ut tu eum sanctifices, sed ut tu sanctifi- « ceris ab illo. Ideo non recipimus, quasi qui « digni sumus, sed ut illo nos sæpe visitante, et « habitaculum cordis, et corporis nostri sub in- « trante, magis ac magis digni efficiamur. Quo « enim introierit Dominus, benedicet; sicut olim « domui Obededon benedixit propter arcam Do- « mini, in qua manna servabatur. »

**13.** — Quod vero attinet ad consilium, quod a patribus spiritualibus in hac materia suggerendum est idem Seraphicus Doctor nullam certam regulam præscribi posse dicit [5], quia « Varia sunt hominum « merita, et diversa operum studia, et differentia « desideria, et multiplices S. Spiritus operationes « in singulis? et ideo sicut ægrotantibus non potest « una forma servari in dandis medicinis corporis, « propter diversitatem complexionum, aut loci, aut « temporis, aut diætæ vel aliarum consideratio- « num, ita et de medicina spirituali, quæ est cor- « pus Christi, intelligendum. Mundanis enim curis « occupati, rarius possunt se ad illud recipiendum « expedire, quam illi, qui tantum spiritualibus « studiis sunt circumspecti, in custodia vitæ suæ, « et morum, et conscientiæ suæ puritate; alii etiam « ardentiori desiderio trahuntur, ad illius salutaris « cibi perceptionem, alii quodammodo terrentur, « cum debent accedere. »

## DISCURSUS XLVI.

VARIÆ ADDUCUNTUR RATIONES, CUR CHRISTUS SACRAMENTI HUJUS INSTITUTIONEM AD NOCTEM USQUE PASSIONIS SUÆ DISTULERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Expenditur tempus institutionis hujus sacramenti. — 2. Incarnatio et nativitas Christi etiam in nocte facta fuerunt. — 3. Hoc sacramentum in nocte institutum fuit ut significaretur finis V. L. — 4. Quia nox est symbolum fidei, quæ in hoc sacramento singulariter exigitur. — 5. Quia per illud nox ignorantiæ nostræ illuminatur. — Quia etiam nocturno tempore Agnus Paschalis immolabatur. — 7. Cur Apostolus dixerit Christum non simpliciter in nocte sed, in qua nocte tradebatur instituisse hoc sacramentum. — 8. Opportune tunc institutum fuit, cum fulmina iræ Dei in nos vibranda erant. — 9. Mirandum est quod Christus tunc illud instituit cum a nobis felle et aceto potandus erat. — 10. Nox proditionis commemoratur, ut compungemur. Et altitudo hujus mysterii, cordibus nostris altius infigatur. — 11. Isaias nominat hoc sacramentum novam adinventionem. Elias reliquit Eliseo pallium suum, Christus vero nobis SS. Carnem suam. Quænam fuerit hora Christi, de qua loquitur in nuptiis Canæ Galileæ.

*In qua nocte tradebatur, accepit Panem et dixit : hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* I Corinth. XI, 23.

**1.** — Quin tempus, in qua incarnata Sapientia sacratissimi corporis sui convivium instruxit, mysteriis plenum fuerit, in dubium revocari nequit, siquidem de illo assertum est infallibilis veritatis: *Omnia in Sapientia fecisti* ; præterquam quod idem Regius Vates alibi in spiritu Prophetico dixerit : *das escam illorum in tempore opportuno* : in primis igitur pro celebranda Eucharistia noctem ultimam, quæ mortem suam præcessit, eligere placuit. « Et « cur nobis, » quærit D. Chrysostomus [1], « tempus « revocat in memoriam, et vesperam illam et pro- « ditionem ? non absre, neque sine ratione aliqua. » Hanc enim temporis circumstantiam Apostolus non sine speciali impulsu Christi corpus suum consecrantis expressit, nec Christus illi tempus hoc sine causa revelavit, ut omnibus sæculis futuris testimonium illius perhiberet. Dicit enim Apostolus : *Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis* ; non se hoc intellexisse dicit ab evangelistis, vel ab apostolis vel ab aliquo alio specialiter ad hunc effectum ad eum misso, sed ab ipsomet Salvatore : *immediate didici a Domino, quod tradidi vobis*, inquit quidam interpres [2]; et tametsi multa hujus sacramenti ineffabilis mysteria referre debuisset, attamen, ut sacer quidam Interpres observat [3], « in primis tempus « describit, quo Ecclesiæ sacramentum istud, tam- « quam testamentum legavit. » S. Thomas hunc textum explicans, S. Paulum, de institutione corporis Christi tractare volentem, exordium a tempore sumpsisse dicit [4] : « Quod quidem congruum « fuit, » inquit, « primo quidem quantum ad quali- « tatem temporis, quia fuit in nocte. »

**2.**— Infinitum illud beneficium, quod generi humano in incarnatione et nativitate sua contulit, pariter nocturno tempore peractum fuit, unde Sapiens ait [5] : *Dum quietum silentium contineret omnia et*

[1] ID., *de prof. rel.*, c. 7. — [2] S. THOM., 3 p., qu. 80, a. 10. — [3] TH. A KEMPIS, l. IV, c. 3. — [4] S. BON., *ib.* — [5] S. BON., *ib.*

[1] D. CHRYS., *ib.* — [2] BENCE, *ib.* — [3] STEVAR., *ib.* — [4] S. TH., *ib.* — [5] SAP., XVIII, 14.

*nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cælo a regalibus sedibus venit* ; nimirum, quando homo somno sepultus, nihil minus, quam de propria salute cogitabat, tunc Filius Dei ex sinu Patris descendens, in utero Matris suæ recludi voluit, ut hominem redimeret ; ac proinde cum hoc sacramentum quædam sit incarnationis extensio (prout omnes sacri Doctores unanimiter docent) non sine mysterio illud nocturno tempore instituere voluit, ut videlicet intelligeremus, quod, dum mundus vel maxime vitiorum et iniquitatum lethargo immersus et summi boni totaliter oblitus esset, tunc Redemptori nostro placuerit, eidem de ineffabili Eucharistiæ beneficio prospicere, quod ut in primo discursu probavimus, fulcrum est totius universi.

**3.** — *In qua nocte.* Idem quoque Apostolus antiquam legem noctis nomine appellavit [1] : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus opera tenebrarum* : nocte igitur hoc sacramentum instituitur, quia per hanc institutionem, antiquo testamento finis imponebatur, omnesque figuræ cessabant. Unde Ecclesia in sequentia, a S. Thoma composita, canit : « Phase vetus terminat, vetustatem « novitas, umbram fugat veritas, noctem lux eli- « minat. » Sub noctem quoque hoc sacramentum instituit, quia nox peccatum repræsentat ; propter tenebras, quæ mediante hac divina luce dissipantur ; siquidem, ut in discursu XVIII probavimus, Eucharistia peccati est antidotum, quia illud per gratiam suam fugat.

**4.** — *In qua nocte.* Nox propter obscuritatem suam, fidei est symbolum, de qua S. Paulus ait [2] : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* ; quamdiu enim viatores sumus, nos in hac divinorum et ineffabilium mysteriorum obscuritate vivere voluit, quia *fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum* ; posuit tenebras latibulum suum ; atque ideo merito sacratissimum corpus suum in nocte consecrare voluit, quia inter omnia fidei nostræ mysteria, illud per antonomasiam *mysterium fidei* appellatur, quia, ut suo loco videbimus, in hoc sacramento magis, quam in omnibus aliis mysteriis, fidem excitare et exercere oportet : « Quod non capis, quod non vides « animosa firmat fides præter rerum ordinem. »

**5.** — *In qua nocte.* S. Thomas in horum verborum expositione, dicit [4] : « Per virtutem enim hu- « jus sacramenti anima iluminatur ; » idque probat duorum illorum Discipulorum, in societate Christi in Emmaus abeuntium, exemplo, de quibus S. Lucas ait [5] : *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent, sed cognoverunt eum in fractione Panis* ; propter quod, inquit Angelicus Doctor, in Psal. CXXXVIII dicitur [6] : *Hæc nox illuminatio mea in deliciis meis.*

[1] ROM., XIII, 12. — [2] I COR., XIII, 7. — [3] *Ps.* XVII, 12. — [4] S. TH., *ib.* — [5] LUC., XXIV, 35. — [6] *Ps.* CXXXVIII, 11.

Ex quo enim tot ante sæcula, per os Sapientis protestatus fuerat, dicens [1] : *deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, nunc illud in hac institutione Eucharistiæ adimplere voluit, quia ut apud Joannem dixit [2] : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* Notandum, Psalmistam postquam dixisset, *nox illuminatio mea in deliciis meis.* protinus subjunxisse : *tenebræ non obscurabuntur a te et nox sicut dies illuminabitur*, quia verus sol justitiæ Christus noctem illam illuminavit, per hanc institutionem Eucharistiæ, quæ totam illuminavit Ecclesiam.

**6.** — *In qua nocte.* Figura primaria hujus sacramenti in antiqua lege, agnus Paschalis fuit ; unde dicitur : « In figuris præsignatur, agnus Paschæ « deputatur ; » inter alios autem ritus, qui in illius manducatione observari debebant, unus erat, quod non alio quam nocturno tempore, sumendus esset : *Edent carnes nocte illa* ; quia igitur Salvator dixerat : *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege*, ideo ut figura figurato corresponderet, agni immaculati carnes, id est, suas, nocte manducari voluit. Unde S. Paschasius ait [3] : « Sic illud oportebat im- « pleri circa finem diei, ad vesperam, ut hora ipsa « sacrificii ostenderet, jam finem sæculi advenisse. « Unde Joannes ait : *Filioli, novissima hora est.* » Agnus in veteri lege vesperi sacrificabatur, manducabatur autem nocte ; unde Theodoretus ait [4] : « Denunciat, ut sacrificet decima quarta sub vespe- « ram, sub hanc vesperam Christus Dominus tradi- « tus est Judæis. » Ex quo ritu, interpres quidam morale quoddam documentum his verbis deducit [5] : « Notandum, quod per hoc instruimur, qualiter « debeamus accedere ad sacramentum altaris et « ipsum suscipere signanter, cum appropiquat in « nobis nox mortis. »

**7.** — *In qua nocte tradebatur.* Apostolus non solum dicit *in nocte*, sed simul ; *in qua nocte tradebatur* ; hoc enim donum, quo majus divina omnipotia et magnificentia dare nequit, post mysticam triginta trium annorum vitæ suæ illiadem, ad ultimamque usque ejusdem periodum, id est, ad noctem, Passionem suam immediate præcedentem, differre voluit ; cujus Rupertus Abbas hanc assignat rationem, dum in persona Salvatoris nostri ita loquitur [6] : « Hoc tantæ salutis sacramentum ab ini- « tio non feci vobis, non enim tempus erat, neque « ordo poscebat, ut vobis cibus aut potus daretur « nove salutis, priusquam mundaremini, priusquam « mandaretur macula vestra, macula reatus antiqui, « quam contraxerunt comedendo vetitum, mundari « aliter, neque vos potuistis, neque potuerunt vete- « res amici nostri sancti antiqua ab origine mundi, « nisi per effusionem sanguinis mei, lavacrum re-

[1] PROV., VIII, 31. — [2] JOAN., VI, 57. — [3] S. PASCHAS., *de Corp. et sang. Dom.* — [4] THEOD., q. 24 *in Exod.* — [5] GUIL. PEP., du. 8. — [6] RUP. ABB., l. IV *in Cant.*

« generationis, scilicet sanguinis et aquæ, de latere « meo decurrentis. » Ad hoc, ut cibus aliquis palato sapiat et stomacho bene conveniat, integre coctus et conditus esse debet ; optime igitur conveniebat, ut Agnus ille, a præcursore digito monstratus, dicendo : *ecce Agnus Dei*, in ligno crucis assaretur; unde Ecclesia canit : « Cujus corpus sanctissi- « mum in ara crucis torridum ; » et Glossa interlinearis super illa verba Levitici [1] : *Sioblatio tua fuerit de sartagine*, ita scribit : « Carnem Christi, quæ « ante Passionem esui non videbatur apta, post « crux aptam fecit. » Arias Montanus in expositione hujus textus, inquit [2] : « Dominus Jesus, qui nos a « morte et diaboli potestate emptos et liberatos « servavit, atque hujus redemptionis, hujusque « salutis rationem in hujus cœnæ sacramento, no- « bis conservatam, repetitamque esse voluit, *ea « nocte qua tradebatur, accepit panem.* » Quia enim sacramentum hoc in memoriale Passionis suæ instituere voluit, ideo *in qua nocte tradebatur, accepit panem etc.* quod idem punctum S. Thomas his verbis tangit [3] : « Ut tanti beneficii (id est Passionis « suæ et redemptionis nostræ) jugis in nobis mane- « ret memoria, etc. » et Ecclesia in oratione corporis Christi, ita Deo supplicat : « Deus, qui nobis « sub sacramento mirabili, Passionis tuæ memoriam « reliquisti, tribue etc. »

**8.** — *In qua nocte tradebatur.* Opportune Christus tunc homnibus de hoc sacramento prospexit, quando divina Justitia, omnia justissimi furoris sui fulmina, contra genus humanum evibratura erat ; utpote, quod in illa nocte, tanta cum impietate, manus suas in Filii Dei sanguine cruentaturum erat ut ei mortem adeo contumeliosam et crudelem inferret : enim Christus se ideo in terram venisse probe sciebat, ut nos æterno Patri suo reconciliaret, cujux vindex iræ suæ gladius, alio modo quam per hujus sacrificii oblationem, contineri non poterat; ac proide *in qua nocte tradebatur, accepit Panem, etc. tradidit seipsum pro nobis, oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* [4] ; quod si enim quondam sanguis agni in Ægypto angelorum impetum refrænare poterat [5], *videbo sanguinem et transibo, nec erit in vobis plaga disperdens* ; quanto magis sanguis Agni divini, utpote qui vocem habebat meliorem, quam sanguis Abel ?

**9.** — *In qua nocte tradebatur.* Theophylactus super hanc S. Pauli Epistolam ita scribit [6] : « Recor- « damini, quod ea etiam nocte, qua mactandus « erat, Judam proditorem mensæ suæ accumben- « tem habuerit. » Porro Elisæus propheta in multis quidem factis typum præ se tulit Salvatoris, specialiter vero tunc, quando Syriæ milites ad eum occidendum missos, capere ipsum volentes, tamquam totidem cæcos in medium civitatis Samariæ captivos perduxit, ubi jussit, ut loco vindictæ, de ipsis sumendæ, lautis epulis reficerentur [1] : *apposita est eis ciborum magna præparatio et comederunt et biberunt.* Audiamus hac de re disserentem D. Chrysostomum [2] : « Postquam , » inquit, « apponi men- « sas aspiciunt et dapitus se invitari cognoscunt, « mirantur et stupent, sibi pro morte victum, pro « interitu cibum, convivium pro pœna offerri. » Quis autem non magis Deum nostrum obstupescet, qui, quando illi ingratus homo acetum et fel præparabat, sacratissimi corporis et sanguinis nectar et ambrosiam apposuit ? « Meminit Apostolus, » inquit Estius [3], « proditionis Christi, ut ejus charitatem « commendet, qui in proxima expectatione tantæ « injuriæ, quam ab hominibus accepturus erat, sym- « bola summi amoris hominibus tradiderit. » S. Valerianus similiter inquit [4] : « Infinita virtus, odia « vicisse beneficiis ; nam ille inter cæteros palmam « perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni , « pocula dulci melle complevit, » Postquam Sampson leonem sibi obvium dilaniasset [5], abinde famelicus digrediens, post aliquod tempus ad eumdem locum reversus, suavissimi mellis favum in ejus faucibus reperit ; unde magno cum gustu recreatus fuit : sed ecce tibi hic *Leo de tribu Juda*, qui ab homine dilacerandus erat, *pridie quam pateretur*, eumdem sacramento , corporis sui honoravit; quod ut in Discursu XII probavimus, per mel præfigurabatur. At vero quando hoc ipsum fecit ? tunc nimirum, quando homo ei myrrham amarissimam, fel et acetum præparabat : *In qua nocte tradebatur accepit panem.*

**10.** — *In qua nocte tradebatur.* D. Chrysostomus ait [6] : « Eam noctem revocat in memoriam, ut nos « cumpungat ; quomodo enim illorum verborum « maxime meminimus, quæ audivimus ab iis, qui « excedunt ; et illorum hæredibus , si mandata « transgredi ausi fuerint, eis pudorem incutientes, « dicimus : cogitate, quoniam hanc vocem apud « vos emisit pater et ad vesperam usque, qua erat « expiraturus, hæc mandavit. Ita hic quoque Pau- « lus volens terribilem reddere orationem, recorde- « mini, inquit, *quod hanc vobis dedit postremam Mys- « terii institutionem* et in ipsa nocte, in qua pro vo- « bis erat occidendus, hæc mandavit. » Quisquis igitur noctis illius meminerit, in qua Salvator tot ignominiis et tormentis, amore nostri affectus fuit, saxo durior erit, inquit Chrysostomus, nisi emolliatur : et si quis sit plane lapis, si illius noctis illi « venerit in mentem memoria, quomodo fuit tra- « ditus, abductus, judicatus, quomodo cætera omnia passus, fit cera mollior. » Estius aliam quoque assignat rationem, cur Eucharistiam in ultimam usque noctem distulerit, nimirum [7] : « Ut indicet

[1] Lev., I, 5. — [2] Ar. Mont., *ib*, — [3] S. Thom., *op.* 57. — [4] Eph., V, 2 — [5] Exod., XII, 13. — [6] Theoph., *ib.*

[1] IV Reg., VI, 25. — [2] Chrys., *de Elis. et Syr. insid* — [3] Est., *in I Cor.* — [4] S. Val., *ib.* — [5] Jud., XIII, 8. — [6] Chrys., h. 27 *ib.* — [7] Estius, *ib.*

« quanti faciendum sit hoc mysterium, quod Chris-
« tus ad passionem et mortem inturus, in sui me-
« moriam, extremum nobis reliquit. » Diu vero ante illum S. Augustinus in hæc verba scripserat [1]:
« Salvator, quo vehementius commendaret mysterii
« illius altitudinem, ultimum hoc voluit arctius
« infigere cordibus et memoriæ discipulorum, a
« quibus ad passionem digressurus erat. » S. Bernardinus ad illa se S. Joannis verba reflectit, quæ ante sacramenti hujus institutionem dixerat, videlicet : *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*; unde subdit [2] : « Id est, majora
« signa dilectionis ostendit eis, more scilicet veri
« amantis et amici cordialis, nam quæ in fine mu-
« tuorum recessuum inter amicos, id signum per-
« petuæ amicitiæ et memoriæ celebrantur, fortius
« et firmius memoriæ imprimentur et chariora
« tenentur, atque servantur. More insuper amorosi
« patris, qui in suo fine testimonium hæreditatis
« bonorum condit et relinquit filiis suis. » Etenim hoc sacramentum, prout ex verbis consecrationis Calicis, quorum ipsemet Christus auctor fuit, deducitur, novum testamentum appellatur. *Hic est enim calix sanguinis mei novi, et æterni testamenti*, hoc autem testamentum in ultimo vitæ fieri solet; ac proinde *in qua nocte tradebatur, accepit panem.*

**11.** — *In qua nocte tradebatur.* Isaias, qui propheta evangelicus appellatur, quia omnium eventuum novæ legis evangelicæ distinctam notitiam habuit, in cap. XII ad hoc sacramentum his verbis alludit [3]: *Dominus factus est mihi in salutem. Hauritis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis in illa die : confitemini Domino, et invocate nomen ejus; notas facite in populis adinventiones ejus.* Ubi propheta ingeniosam incarnatæ Sapientiæ, in Eucharistiam adhibitam, inventionem admiratur ; ideo sequitur : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, annunciate hoc in universa terra, exulta et lauda habitatio Sion,* quia enim in cœnaculo Sion, quia sacramentum instituit; justam habebat occasionem gaudendi, et dicendi : *Quia magnus in medio tui Sanctus Israel.* Dionysius Carthusianus super hunc textum inquit [4]: « Sicut Matthæi ultimo protestatur: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Elias in curru igneo in æthera ascensurus importunas Elisæi ob sui dicessum dolentis preces audiens, pallium ei, memorialis loco, demisit; at vero melior sine dubio est populi Christiani conditio, inquit Chrysostomus [5]: « Elias pallium
« discipulo reliquit, Filius Dei suam nobis car-
« nem demisit, sed Elias quidem exutus, Christus
« autem et nobis reliquit, et secum habens retinuit. »
Sciens enim, horam advenisse, qua reversus erat ad Patrem, et tamen nobiscum, ad finem usque sæculorum manere volens, ecce tibi nobilissimam, quam excogitavit, inventionem; de qua Guerricus Abbas ait [1] : « sacramentum corporis, et sanguinis
« sui tradidit, et celebrandum instituit, nescio,
« virtute, an charitate mirabiliori, hoc novum
« genus adveniens, in consolationem recessus sui,
« ut, si discederet ab eis specie corporis, maneret
« non solum cum eis, sed etiam in eis, virtute
« sacramenti. » Amor enim, quo prosequebatur hominem, juxta illud : *deliciæ meæ, esse cum filiis hominum*, adeo excessivus erat, ut ne per unicum tantum diem, illum amabilissima sua præsentia corporali privare voluerit? *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*; tametsi corpus ejus in brevi illo spatio, quo in sepulchro erat, Verbo indissolubiliter unitum fuerit, attamen anima, utpote quæ ab illo separata erat, corpus illud non animabat; merito igitur Eucharistiam instituit, in qua continetur anima, corpus, et Divinitas, ne etiam per brevissimum spatium corpori ejus animato privati essemus. Notanda quoque est phrasis; qua S. Joannes ante institutionem hujus sacramenti utitur, dicit enim [2]: *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Quæ hora ad memoriam mihi revocat, quod in nuptiis Canæ in Galilæa accidit, cujus historiam idem S. Joannes descripsit ; cum enim Virgo Deipara Filio suo diceret [3]: *Vinum non habent*, is ei respondit : *Nondum venit hora mea*, et tamen paulo post aquam in vinum convertit ; sed quomodo igitur horam suam nondum venisse dicere poterat? S. Augustinus existimat [4] Christum per hanc horam suam, ad passionem alludere voluisse, ac proinde Evangelista dicit : *Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo.* Porro B. Virgo duplicem petitionem Filio suo proposuit, quarum prima fuit, ut convivio de vino prospiceret, alia vero, ut nonnulli contemplativi meditantur, fuit, ut vinum in sanguinem suum converteret ; primum miraculum tunc operatus fuit in nuptiis, secundum vero reservabat sibi faciendum *in qua nocte tradebatur, etc.* ut reversurus ad Patrem nobiscum manere posset : « Insigne præterea ex-
« titit dilectionis symbolum, » inquit Salmeron [5],
« quod imminente morte hoc instituit sacramen-
« tum, nam cum cæteri jam morituri, aliorum om-
« nium obliviscantur, sibique ipsis solum attendant,
« ac prospiciant, Christus sui ipsius oblitus, nostræ
« indigentiæ sublevandæ non immemor, hoc am-
« plissimum charitatis suæ erga nos monumentum
« reliquit. » Didacus Stella hac de re sequentem instituit meditationem [6]: « Duo amores ad invicem
« oppositi cor Christi expugnabant, unus eorum
« abire hortabatur, alter manere. Maximus amor,
« quem erga nos habebat, abire accumbentem
« agitabat, quandoquidem mors ejus in nostram

[1] S. Aug., ep. 118. — [2] S. Bern., t. II, s. 54. — [3] Isa., XII, 2. — [4] D. Cart., *ib.* — [5] S. Chr , h. 2 *ad pop.*

[1] Guerric., ser. *de Ascens.* — [2] Joan., XIII, 1.— [3] Id., II, 3.— [4] S. Aug., tr. 8 *in Joan.*-- [5] Salm., t. IX, tr. 26. — [6] Did. Stell., *in Luc.*

« vitam, et redemptionem cedebat, et sic discipulis « dixit : *Expedit vobis, ut ego vadam,* necessarius « enim erat nobis ejus transitus. Itaque uuus amor « dicebat, ut abiret, et redimeret nos, sed alius « erat amor maximus, quo nos prosequebatur, qui « suadebat manere; cum enim nos maximo prose- « queretur, amore a nobis abesse renuebat, nam « qui multum diligit, semper rem sibi amatam « præsentem esse, et in conspectum dari maxime « desiderat. Utrique amori sapientissime Christus « fecit, nam abiit, et nobiscum mansit. »

## DISCURSUS XLVII.

### DE IMMENSO CHRISTI ERGA NOS AMORE IN HOC SACRAMENTO EXHIBITO

IDEA SERMONIS. — 1. S. Eucharistia est Christo paradisus voluptatis. — 2. Perfectissimus amoris divini gradus consistit in institutione SS. Eucharistiæ. — 3. Homo famelicus desiderabat saturari carnibus Christi. Cui Christus condescendens instituit S. Eucharistiam, insignum summi sui amoris, qui ulterius progredi non poterat. — 4. Verba consecrationis sunt verba virtutis et magnificentiæ. Per illa verba astringitur Christus, ut se in minimam hostiam recipiat. Vedius Pollio servos suos objecit devorandos piscibus, quos postea comedebat, ut hoc modo carnibus servorum frui posset. — 5. Fortissimus amor Christi instituentis hoc sacramentum. Deus ab amore victus se nobis dedit in cibum. — 6 Expenditur tempus institutionis S. Eucharistiæ. Christus a nobis discessurus, corpus suum nobis reliquit in pignus amoris. Simile nutricis purgationem sumens ut lacte suo infanti subveniat. Christus in SS. Eucharistia quotidie quasi moritur, amore nostri. Parabola Nathan de ove, applicatur Christo. Christus totum fontem sui amoris in hoc sacramento exhausit. — 7. Chrislus nos amans omnia bona sua nobis communicavit. — 8. Christus amator noster semper nobiscum esse voluit. Unde ortum habuerit idololatria.

*Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.* Proverb., VIII, 31.

**1.** — Noster equidem Deus, juxta Spiritus Sancti testimonium, homini quondam deliciarum construxit Paradisum [1] : *Plantaverat Dominus Deus Paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat* ; qui non multo post per venenosi serpentis sibilum seductus, ad spinas condemnatus fuit et vepres [2] : *Spinas et tribulos germinabit tibi* ; quod autem idemmet Deus in tantillo luti, quale omnis homo est, suas se reposuisse protestetur delicias, quis non obstupescat? *Homo putredo et vermis* [3], et nihilominus ; *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, attestatur Dominus : « Non quidem, ut « suas a filiis hominum captet delicias, » inquit S. Laurentius Justinianus [4], « sed ut cum filiis homi- « num communicet proprias ; nequaquam impru- « denter arbitrandum est, quod Deus ullam ab « Angelis seu hominibus lætitiæ percipiat causam, « cum eosdem æternis et spiritualibus faciat exube- « rare deliciis, ipse etenim sibi ipsi gaudium est, « beatitudo perennis ; verum ob præcipuum, quem « ab homines gerit, dilectionis affectum, illis im- « pertiendo proprias, eorum suas asseverat esse « delicias. » Ita in longo quodam super Eucharistiam discursu dictus sermocinatur sanctus ; super Eucharistiam, inquam, in qua, ut novimus omnes, cunctæ gustantur deliciæ, gustus et voluptates, quotquot novit, potest, aut vult, animæ amanti communicare *totius consolationis Deus.* Unde et benignissimus quondam Salvator ad Nicodemum ait [1] : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* ; quem favorem S. Thomas vivacius nobis iuculcare voluit in quodam a se composito hymno pro solemnitate corporis Christi, dum inquit : « Se « nascens dedit socium, convescens in edulium, se « moriens in pretium, se regnans dat in præ- « mium. »

**2.** — Porro si nimium erga nos amorem, quem in hoc sacramento perhibuit, contemplari voluerimus, S. Bernardinum adiisse suffecerit, qui sustinet quod ultimus et perfectissimus divini in nobis amoris gradus in eo consistat, quod se nobis in hoc sacramento impertierit in cibum ; ait namque : « Largitus est se nobis multis modis in filium, per « nostræ carnis assumptionem, *Filius datus est nobis* ; « in socium, *in similitudinem hominum factus et « habitu inventus ut homo* ; in Magistrum per doc- « trinæ prædicationem (*Joan.*, XIII) : *Vos vocatis « me Magister et bene dicitis* ; in Patrem, per gratiæ « generationem (*Joan.*, I) : *Quotquot autem recepe- « runt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his « qui credunt in nomine ejus.* Dedit se nobis in lu- « cem, propter exempli operationem (Joan., XIII) : « *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, « ita et vos faciatis.* Dedit se nobis in fratrem, so- « rorem et matrem, per voluntatis conformationem « unde (*Matth.*, XII) ipse ait : *Quicumque fecerit « voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus « frater, soror et mater est.* Dedit se in holocaustum « medullatum, per dilectionem et passionem (I « Cor., VI) : *Empti estis pretio magno* ; ultimus gra- « dus amoris est, cum se dedit nobis in cibum, « quia dedit se nobis ad omnimodam unionem et « transformationem, sicut cibus et cibans invicem « uniuntur, sic digne illum recipiens, in ipsum « per ardentissimum amorem totaliter transforma- « tur. »

**3.** — Tam indissolubile quondam, Job inter et subditos ejus, legitur mediasse charitatis vinculum, ut die quodam inter se consultarint, dicentes [2] :

[1] GEN., II, 8. — [2] GEN., III, 18. — [3] JOB, XXV, 6. — [4] B. LAUR. JUST., *de Euch.*

[1] JOAN., III, 16. — [2] JOB, XXXI, 31.

*Quis det de carnibus ejus, ut saturemur*? Cui auctoritati insistens D. Chrysostomus postquam demonstrasset, excessivi amoris indicium esse, proprias carnes in cibum offerre, ita concludit [1] : « Hoc Job « significabat de servis, a quibus ita eximie ama- « batur, ut ejus carnibus admisceri se peroptarent, « cum enim amoris in eum sui vim vix cohibere « possent, dicebant : *Quis daret nobis, ut ejus carni-* « *bus immisceremur* ? quod Christus fecit, ut majori « nos charitate astringeret. » Circa quæ insuper verba notandum occurrit, quia tam fervens conceperint desiderium, scilicet *viri tabernaculi mei*, non autem quicumque de gente; cui deservire poterit S. Bonaventuræ animadversio, quam super illa Lucæ verba (*Joseph autem vir ejus*) instituit, dicti nominis *vir*, ethymologiam explicans in hæc verba [2] : « Virum nominat, quia homo virtutis, vir a vir- « tute ; » quia nimirum virtutum sequaces, sacramenti hujus desiderio flagrant. Quando Judæi increduli Sapientiam incarnatam loquentem audierunt, dixerunt intra se [3] : *Durus est hic sermo et quis potest eum audire* ? non vero item scholæ suæ discipuli, qui potius dicebant : *Ad quem ibimus*? *verba vitæ æternæ habes*. Porro probe sciebant, omnia alia alimenta, quæ Deus homini providerat, ad corporis, non vero animæ sustentationem ordinata, fuisse, solumque de Christi corpore verificari, quod dixerat : *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus, qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; ac proinde mirum non est. quod se hujus cibi adeo famelicos et appetentes esse monstrarint dicendo : *Quis det de carnibus ejus, ut saturemur* ? Deus a primis mundi nascentis diebus, terræ præcepit : *Germinet terra herbam virentem, etc., ut sint vobis in escam* ; quotquot enim herbas et fructus terra produxit et deinceps productura est, omnes ad corporalem hominis sustentationem ordinantur; homini quoque dixit : *de omni ligno paradisi comedes*. unico tantum excepto ; et tamen rebellis homo, ad illud quoque gustandum manum et os suum temere extendit. Post diluvium vero carnes manducandi licentiam quoque homini indulsit, dum ait : *Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum*; sequentibus vero temporibus legis scriptæ per XL annos continuos super populum electum manna depluit, quod tametsi omnes rerum desiderabilium sapores in se contineret, cum illo tamen contenti minime fuerunt, sed dicebant [4] : *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo*; demum vero, quando Filius Dei carnem nostram divinitati unitam assumpsit, tunc tantam in nobis animarum nostrarum famem provocavit, ut homines corpus et carnes ejus appeterent, dicentes : *Quis det de carnibus ejus, ut saturemur*? cui appetitui et fami nostræ amantissimus Salvator noster condescendens, hoc sacramentum instituit, ut nobis ei in pignus et signum amoris sui et animi nutrimentum pariter deserviret; « quibus sub bina specie, carnem dedit et sanguinem « ut duplicis substantiæ totum cibaret hominem. » Et ideo pro illo tempore Sophonias ait [1] : *Silete a facie Domini Dei* ; quasi dicat nunc deinceps tacete, nec amplius conqueramini, quia nihil habetis, quod ultra desiderare valeatis, jam plane satisfactum est vobis, *quia præparavit Dominus hostiam* ; id est, præparavit vobis Deus hoc sacramentum et convivium, in quo anima integre exsatiatur : « Mens im- « pletur gratia. » Priusquam Christus semetipsum in Eucharistia sumendum dsdisset, semper homini aliquid ultra postulandum supererat; siquidem post immensum creationis beneficium, incarnationem postulare poterat ; post hanc vero, redemptionem : ast quando Dens ad hunc amoris apicem pervenit, ut sui ipsins animam, corpus et divinitatem in hoc sacramento nobis daret, nihil illi ulterius progredi poterat. Quando Esau ab Isaac patre sue benedictionem postulavit, hic se excusavit, dicendo, Jacob, fratrem ejus, omnes recepisse benedictiones, adeo ut nihil ulterius dandum illi superesset [2] ; *et tibi post hæc fili mi, quid faciam* ? Scitisne causam, cur Isaac hoc dixerit ? nimirum Jacob populi Christiani typus erat, ac proinde Gabriel Archangelus Mariæ de Filio ejus dixit : *Regnabit in domo Jacob* : quando igitur Isaac aiebat : *Frumento et vino stabilivi eum*, ad hoc altaris sacramentum alludebat : quando enim beneficus Dei amor eo usque exarsit, ut semetipsum in Eucharistia nobis daret, jam exhaustis quasi omnibus divini amoris divitiis, pauper factus est, adeo ut nihil amplius dandum ei superesset ; *exinanivit semetipsum*. Unde Concilium Tridentinum in hæc verba definit [3] : « Ergo Salvator noster « discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramen- « tum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga « homines amoris velut effudit. »

**4.** — Regius Vates olim prædixit [4] : *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia*. Quod propheticum oraculum, ni fallor, in consecratione Eucharistiæ adimpletum fuit, utpote quæ in virtute verborum ipsiusmet Christi perficitur, quia Sacerdos in persona Christi consecrans, dicit : *Hoc est corpus meum*, non vero ait, *hoc est corpus Christi*. Hæc autem vox *in magnificentia* fit, quia tametsi Deus solo Verbo oris sui cœlum, terram et omnes creaturas ex nihilo produxerit [5] : *Dixit et facta sunt et ipse mandavit et creata sunt, Verbo Domini cœli firmati sunt* : at vero multo dignius et magnificentius opus est, quod sacerdos non semel, sed innumeris vicibus, pauculis verbis ipsummet Creatorem de cœlis in terram intra manus creaturæ, ad eam cibandam et suometipso corpore nutriendam, descendere faciat. De Sampsone porro constat, quam

[1] CHRYS., h. 45 *in Joan*. — [2] S. BONAV., *in Luc*. — [3] JOAN., VI, 61. — [4] NUM., XXI, 5.

[1] SOPH., I, 2. — [2] GEN., XXVII, 57. — [3] *Conc. Trid.*, sess. 12. — [4] *Ps.* XXXVIII, 3. — [5] *Ps.* XXXII, 9.

fortis et magnanimus extiterit, qualiter per os maxillæ mille bellatores cæciderit, manibus suis leones dilacerarit, solus armatos exercitus straverit; verumtamen eum tandem debilitatum, omnique corporis robore exutum, inimicis suis in derisionem et ludibrium factum fuisse legimus : sed undenam hoc eidem evenit? nimirum ex amore nimio, quo Dalilam prosecutus fuit, quæ historia, utpote omnibus nota, hic a nobis silentio præteritur. Majus vero quid est, quo in hoc sacramento quotidie fieri videmus ; Deus enim ille, qui in Scriptura appellatur [1]*Deus exercituum, qui respicit terram et facit eam tremere*, per verba sacerdotis adstringitur et quasi exinanitur, ut in minimum vix visibilis hostiæ atomum se recipiat, sæpe etiam impiorum sanctissimum corpus ejus indigne tractantium scopus fiat, idque per modica verba a quovis sacerdote, quantumvis sacrilego et indigno, prolata ; ad illorum namque prolationem Filius Dei sine mora a cœlo empyreo obedientissime descendens, visibilibus illis speciebus panis et vini alligatur et astringitur ; idque ob excessivum amorem, quo Dalilam, id est, S. Ecclesiam prosequitur. S. Bernardinus ad illa S. Joannis verba se reflectens *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, inquit [2] : « In « illo fervoris excessu; quando paratus erat pro no- « bis in mortem tradere vitam suam, ab excessu « amoris majus opus agere coactus est, quam um- « quam operatus fuerat ab origine mundi, dare « nobis corpus in cibum et sanguinem suum in « potum, ideo in persona Christi ad Dominum pro- « pheta ait, dicens : *Zelus domus tuæ comedit me*, « id est, immensus animarum zelus et zelans amor « me comestibilem fecit. » Refert Tertullianus de certo quodam homine, cui voluptati erat servos suos in piscinam quamdam conjicere, ut pisces illius horum carnibus saginati et impinguati, cibus illi fierent, in quo carnes servorum suorum manducare posset [3] : « Vedius Pollio servos murænis « invadendos objectabat, nova scilicet sævitia de- « lectato terrenæ bestiæ exedentulæ et exanguis « et excornis de piscibus placuit feras cogere, utique « statim coquendis, ut ex visceribus earum, aliquid « de servorum suorum corporibus et ipse gusta- « ret. » Quod an verum sit, hoc loco examinare nolo, interim vero ex fide certissimum est, quod Deus per excessivum erga hominem, servum et mancipium suum, amorem inductus fuerit, ut se in cibum et potum illius transformaret; ut hac ratione corpori et animæ ipsius inviscerari posset : « Ut in visceribus ejus aliquid de servorum suorum « corporibus gustaret. » Ecce tibi quousque amor Deum inclinarit.

**5.** — In sacris Canticis dicitur [4] : *Fortis est, ut mors dilectio*; at vero in quonam consistit hæc, mortem inter et amorem, comparatio? sive quænam est inter fortitudinem unius et alterius analogia? ad propositum nostrum dicendum videtur, quod, sicut mors imperatores et totius universi monarchas pastum facit vermium, ita amor Dei effecit, ut Verbum Patris, coram quo potestates angelicæ contremiscunt, cibus fieret vilissimorum vermium, quales nos homines sumus, transmutando quoque ipsum in vilissimi vermis speciem, ut proinde dicat [5] : *Ego autem sum vermis et non homo*. Unde S. Bernardinus merito exclamat [6] : « O quam viscerosa « charitas Christi Jesu! O ardens amor in fornace « cordis sui! O admiranda immensitas tantæ dilec- « tionis! O inquam, latitudo incomprehensibilis « tantæ dignationis ut tanto amoris ardore erga « nostram pravitatem flagraret, quod suam carnem « in cibum et suum sanguinem in potum nobis « tam largiflue largitur. » Auctor quidam, qui antiquorum deorum gentilium imagines et effigies per ordinem recenset, deum Amoris a veteribus gentilibus armatum depingi consuevisse, deum vero Pan inermen, utpote a deo Amoris victum, exhibitum fuisse refert. Quæ fabula ad veritatem quamdam alludit evangelicam, nimirum quod Deus, ab amore suo se vinci permiserit, ut se in panem, cibum, et nutrimentum nostrum transformaret, animabus nostris inviscerandum. Unde Thomas a Kempis exclamat, dicens : « O mira circa nos tuæ « pietatis dignatio, quod tu Domine Deus creator, « et vivificator omnium spirituum, ad paupercu- « lam dignaris venire animam, et cum tota divini- « tate tua, et humanitate ejus impinguare, esu- « riem. » David olim Miphiboseth, licet claudum, ad mensam suam regiam invitavit : *erat claudus utroque pede*; quam regiam dignationem ipsemet confitetur, dicens : *Respexisti super canem mortuum*; at vero quonam motivo Rex ille inductus hoc fecit *Propter Jonatham patrem tuum*; amor enim excessivus quo in patrem ejus ferebatur, hanc ab eo indignationem extorsit. Similiter scimus, quod ad magnam illam cœnam, quæ Eucharistiæ figura fuit, tamquam Commensales invitati fuerint claudi, cæci, et pauperes, ita quoque hodie « manducat Domi- « num pauper, servus et humilis. » Nos respectu spirituum angelicorum, quasi canes sumus ; quibus panis ille dari prohibetur, siquidem « vere panis « filiorum, non mittendus canibus ; » nihilominus *propter Jonatham*, id est, propter excessivum suum in nos amorem, participes nos effecit convivii sui Eucharistici, *qui propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, tradidit semetipsum*.

**6.** — Observationem quoque meretur singularem conjunctura temporis, in quo Christus Eucharistiam instituit, siquidem *in qua nocte tradebatur, ac-*

[1] *Ps.* CIII, 32. — [2] S. BERN., t. II, s. 54. — [3] TERTUL., l. *de Poll.* — [4] CANT., VIII, 6.

[1] *Ps.* XXI, 7. — [2] S. BER., *ib.* — [3] CART., l. *de imag. deor.* — [4] TH. A KEMP., l. IV, c. 3. — [5] II REG., IX, 11 — [6] LUC., XIV, 13. — [7] EPH., II, 4.

*cepit panem etc.* quia nimirum tunc vel maxime in pectore Salvatoris ardentissimus erga homines bulliebat amor; unde D. Chrysostomus illa Joannis verba : *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, considerans, subnectit [1], « Vehe-« mentiora amoris signa eis præstitit, quia Eucha-« ristiæ sacramentum instituit. » Porro alius quidam epistolarum S. Pauli interpres, dum in illa Apostoli verba, *in qua nocte tradebatur* scribit, accommodam valde ad propositum nostrum similitudinem adducit, inquiens [2]: « Cum a sibi charis-« simis, quos usque in finem dilexerat, ut est apud « Joannem, esset discessurus, sui effigiem, imo « seipsum ipsis, tamquam amoris certissimum « argumentum tradidit, nam cum suum, ut ait « Chrysotomus, in nos amorem vellet indicare, « per corpus suum se nobis immiscuit. » Ubi auctor ille ad consuetudinem alludit, qua quis amans personæ amatæ, si procul discessurus est, sui donat effigiem et imaginem : noster autem Deus [3] *sciens, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, in pignus amoris sui, non modo aliquam sui ipsius nobis reliquit effigiem quia viva est imago Patris, sed ipsummet nobis suum donavit corpus, animam, divinitatem, et *per concomitantiam*, tres divinas personas; quid ultra potuit facere, et non fecit? Accurate sane Didacus Stella considerat, varia in Historiis, et Scriptura sacra reperiri exempla matrum, quæ propter nimiam famem, proprios manducarint, assarintque filios, ut cibus tanto magis conditus fierent; ast nunquam tam amorosa reperta est genitrix, quæ se ipsam filiis obtulerit in cibum, quamvis propriis e mammillis lac iisdem subministrent in sollicitudine; quo respiciens S. Bonaventura, et Chrysostomi testimonio insistens ait [4]: « Alii, qui genuerunt « multoties nutrire dant aliis liberos suos : ego « autem Filius Dei non ita, me ipsum vobis ap-« pono. » Accidet nonnumquam, quod dum nutrix filium alienum lacte suo pascit, is infirmetur, adeoque medicina purgativa indigeat; quam cum propter incapacitatem infantiæ ipsemet sumere nequit, nutrix non obstante, quod sana sit, amore infantis illius, amaras potiones libenter sumit, ut hac ratione, lacte per medicinam purgato, et qualificato, infans illud sugendo pristinæ restituatur sanitati. Ita quoque in præsenti proposito nostro dicere possumus, nam homo pomum vetitum manducando, lethiferam contraxerat infirmitatem, pro qua sananda, forti medicamento opus erat, quia vero stomachus noster illius sumendi capax non fuit Christus, qui in Isaia nobis sub lege Evangelica viventibus prædixit [5] : *Ad ubera portabimini*, licet a principio in ebibendo amaro passionis calice, nonnihil invitus fuerit, attamen postea cum magna aviditate eum pro restituenda nobis sanitate potavit atque ex hac amara medicina Eucharistiam composuit, qua instar lactis nutrimur, et sanamur. Apostolus Paulus salutis animarum cupidus, ad Corinthios ita scribit [1]: *Quotidie morior per vestram gloriam* quod ipsum in Christo, in hoc sacramento præsente vere adimpletur; nam tametsi ipse generi humano inæstimabile hoc corporis sui donum semel tantum, et non sæpius, idque in limitato quodam tempore, et in unico totius Christianismi loco conferre potuisset, idipsum tamen facere noluit, sed expresse protestatur, dicens [2]: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* : unde ubique locorum, ubi sacerdotes inveniuntur, nec non materia idonea, hic panis quotidie consecratur; et ideo vocatur [3] *juge sacrificium* propterea quod Christus vere dicere potest; *quotidie morior per vestram gloriam*; quia ex amore, quo erga hominem fertur, quotidie in incruento missæ sacrificio ad mortem mystice jugulatur. Unde S. Bernardinus ait [4]: « Quasi non suffecerit amoroso « Jesu ad inebriati amoris sui ostensionem, quod « semel sanguinem suum realiter fuderit in ligno, « nisi in nobis quotidie effundatur sub hoc sacra-« mento, et iterum quodammodo moriatur. » Salmeron inter sanguinem in passione Christi per carnifices effusum, sequentem tradit distinctionem [5] : « In torculari crucis presso, vitis succum dulcem « sanguinis reddidit quasi musti, sed antequam ab « aliis vindemiaretur, et veniret proditor cum co-« horte, ipse sponte sua, et omnipotenti sapientia « et virtute, sub specie vini potandum tradidit san-« guinem suum. Et sicut lachryma, quæ ex vino, et « balsamo sponte profluit, præstat illi quæ per vul-« nus arboris trunco illatum educitur, ita iste san-« guis sponte oblatus a Christo ante flagella, spinas « et lanceam, et datus Apostolis ad potandum, « præstantissimus est, et amabilissimus. » Didacus Stella pie meditatur, quod Nathan Davidi amorem exponere volens, quo Urias Bethsabeam conjugem suam deperibat, parabolam adduxit cujusdam, qui ovem, quam habebat, adeo tenere dilexerat, ut eamdem ex calice suo bibere fecerit [6] : « Cum Nathan David indicare voluisset, « quanto pauper ille amore prosequeretur ovem « illam suam, non potuit illum amorem majori « demonstrare ratione, quam dicere, quod ovis illa « de pane sui domini manducabat, et de calice bi-« bebat. » Pari quoque mode amor, quo Christus erga nos ferebatur, effecit, ut ejusdem panis, quem Christus consecravit, et manducavit, et ejusdem vini pariter, et calicis, suos quoque participes reddiderit Apostolos. Et quidem ut nos hunc ejus ar-

[1] Chrysost., h. 19 *in Joan.* — [2] Stevart. — [3] Joan., xiii, 1. — [4] S. Bonav., *in Joan.* — [5] Isa., lvi, 12.

[1] I Cor., xv, 31. — [2] Matt., xxvi, 20.— [3] Dan., viii, 12. — [4] S. Bern., t. II, s. 54 — [5] Salm , t. IX, tr. 2.— [6] Did. Stell., *in Luc.*,

dentissimum amorem tanto majori haberemus in pretio, insuper dixit : *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*; circa quæ verba Albertus Magnus ita scribit [1]: « Cum donaret corpus suum in « communione discipulorum, dixit : *desiderio desi-* « *deravi, etc.* desiderio desiderabat, cui ex intimo « affectu se suis communicabat, et gaudens mortem « sustinebat, qui nec moriens a suis recedebat, sed « in dono, quod dederat in optima communione « suorum remanebat. « Quod si Christus nobis ampullam, sanguine in cruce effuso plenam, dono dedisset, illam utique velut thesaurum quemdam inæstimabilem, et ingens amoris sui erga nos pignus reputaremus, quanto igitur majoris æstimandum est hoc sacramentum, in quo nobis totum corpus, et totus sanguis Christi ministratur ? Spiritus Sanctus immensum amorem Jonathæ erga Davidem, exponens, inquit : *Diligebat eum quasi animam suam* ; in cujus amoris demonstrationem, *spoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta* ; at vero Christus Dominus noster in Eucharistia nobis non solum humanitatis suæ vestem, sed et animam, et divinitatem suam nobis confert ; et ideo Salmeron ait [2]: « Cum in cæteris sacramentis amorem suum « largiri soleat, in hoc fontem amoris, id est, seip- « sum Jesus Christus donavit.» Ad cujus doni excellentiam explicandam, idem auctor sequenti utitur similitudine : si enim rex aliquis donum quoddam pretiosissimum, in vase quodam aureo, per servum suum ad te mitteret, et eidem servo insuper præciperet, ut non solum donum, sed et vas, in quo ad te fertur, tibi relinqueret ; hoc utique magni affectus ingens esset indicium ; at vero donum hoc, qualecumque sit, nullam cum infinito hoc dono corporis Christi proportionem habet : « Mittit Pater « æternus fructum sui dulcissimi amoris per hoc « sacramentum ad te, nec hoc contentus, donat et « vas pretiosum humanitatis Christi, donat et ipsum « mittentem, non servum, sed filium clarissimum, « ut vere dici possit : *Sic Deus dilexit mundum, ut* « *Filium suum unigenitum daret.* »

**7.** — Amor amato bona sua, quam maxime potest, communicat; unde de quodam Philosopho narratur, quod, dum duos simul ambulantes videret, quorum unus dives et superbe vestitus, alter autem pauper et lacer erat; interrogassetque, quisnam pauper ille esset, responsum ei fuerit, pauperem illum divitis amicum esse, cui Philosophus se id non credere subjunxit, quia, si pauper ille divitis amicus esset, is utique illum divitiarum suarum participem efficeret, cum veri amoris affectus sit benefacere amato. Enimvero quis homine pauperior esse potest? at vero quia Christus verus ejus fuit amicus, ideo *exinanivit semetipsum*; *quomodo non etiam cum illo,* inquit Apostolus [1], *omnia nobis donavit? divitias sui amoris effudit.*

**8.** — Quisquis amat, objectum amatum semper ob oculos positum et præsens habere cupit ; cum igitur Christus adeo hominem diligat, ut dicere non dubitet : *deliciæ meæ esse cum filiis hominum,* ideo in hoc sacramento semper nobis per præsentiam corporalem adest, et ne quidem per unicum diei momentum a nobis distat ; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Hebræi quidem olim gloriabantur, dicentes [2] : *Neque enim est, aut fuit aliquando natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis;* et tamen Deus illis assistebat tantum in columna, vel mediante angelo ; quid igitur dixissent, si Deum adeo intime præsentem habuissent, sicut præsens nobis est in Eucharistia? S. Augustinus idololatriæ originem investigans [3], inquit, quia homines in diversis occasionibus gravem experiebantur necessitatem assistentiæ et auxilii Numinis alicujus cœlestis, ideo ut Numen illud illis vicinius adesset, falsa cœperunt erigere et colere simulachra, agnoscentes et adorantes in illis Jovem, Saturnum, Mercurium et alios similes fictitios Deos, neque enim salutem suam Deo alicui invisibili et procul absenti fidendam esse censebant. Sed ecce tibi per præsentiam realem hujus sacramenti, sublatam fideli populo omnem quærimoniæ, et offendiculi occasionem : *Putasne, Deus e vicino ego sum, et non Deus de longe?* dicebat olim Deus noster [4], *numquid non cœlum et terram ego impleo?* et tamen licet hoc ipsum nobis sufficere debuisset, nihilominus ut cordi humano omnem daret satisfactionem, sanctissimum corpus suum in hoc sacramento nobis relinquere voluit, ut hac ratione non solum nobis præsens esset, sed etiam in immensi amoris sui testimonium, nobis inviscereratur et una eademque res nobiscum fieret : *In me manet et ego in eo.*

[1] Alb. Magn., *de Euch.*, dist. 2. — [2] I Reg., xviii, 3. — [3] Salm., t. IX, tr. 15.

[1] Rom., viii, 33. — [2] Deut., iii, 7. — [3] S. Aug., l. IV *de Civ. Dei.* — [4] Jer., xxiii, 23.

## DISCURSUS XLVIII.

DE GRATITUDINE ET MODESTIA, QUAM CHRISTO DEBEMUS IN COMMUNIONE SACRA; PRÆSERTIM VERO DE CUSTODIA LINGUÆ.

Idea sermonis. — 1. Christus S. Eucharistiæ conjunxit gratiarum actionem. Quod nos imitari debemus. — 2. Post S. Communionem persistendum in gratiarum actione et voce laudis. — 3. Aves satiatæ incipiunt cantare, quas communicaturi imitari debemus. Sic peccatores, beneficiis divinis ingrati etiam faciunt. Multi S. Eucharistia reficiuntur sine fructu culpa sua — 4. Apta similitudine docetur sumpta S. Eucharistia non statim ad exteriora divertendum esse, sed spiritualibus exercitiis insistendum est. —

5. Christus in multis miraculis adhibuit gratiarum actionem sicut in institutione S. Eucharistiæ. — 6. Sumpta S. Communione ardeat in nobis cor nostrum. Et glorificemus Deum, quem portamus in corpore nostro. Pulchrum simile. — 7. Cur Christus multiplicato pane compulerit discipulos a se discedere. Culpa nostra perdimus fructum hujus sacramenti. — 8. Cur Deus Manna voluerit conservari in Tabernaculo et non virgam Moysis. — 9. Pro beneficio Eucharistiæ, nobis datæ, vel maxime agendæ sunt Deo gratiæ. — 10. Post S. Communionem in primis utilis est custodia linguæ. S. Pachomius voluit monachos, etiam dum faciebant hostias, servare silentium. Apta similitudo S. Gertrudis ad hoc propositum.

*Accepit panem et gratias agens, fregit et dixit : accipite et manducate, hoc est Corpus meum.* I Corinth., XI, 24.

**1.** — Salvatorem nostrum simul cum consecratione Eucharistiæ, gratiarum actionem conjunxisse, non solum testatur S. Paulus, sed idipsum quoque SS. Evangelistæ expresse perhibent, nam S. Matthæus inquit : *Accipiens calicem gratias egit.* S. Marcus dicit : *Et accepto calice gratias agens* ; S. Lucas inquit : *Et accepto calice gratias egit* ; *accepto pane gratias egit* ; et hæc est causa, cur Ecclesia in Canone ante consecrationem his verbis utatur : *Elevatis oculis ad te Deum Patrem suum omnipotentem tibi gratias agens,* etc. Quodnam vero sit hujus gratiarum actionis mysterium, ex D. Chrysostomo a S. Thoma in *catena* citato, colligere possumus ; dicit enim [1], « ideo gratias egit, ut doceret, qua« liter oporteret nos hoc mysterium perficere. » Idem Angelicus Doctor super Matthæum, idipsum his verbis tradit : « In quo datur nobis exemplum « gratias agendi. » Certum porro est, quod omnis Christi actio nostra sit instructio, atque ideo Christus semper tam sollicite conjungere voluit, cum consecratione tam panis, quam vini, exsolutionem hujus tributi gratiarum actionis, ut nos doceret, numquam nobis ad hanc mensam accedendum esse sine debita gratitudine et animi in Deum elevatione ; in cujus quidem debiti cognitionem, per etymologiam hujus sacramenti, quod Eucharistia appellatur, devenire possumus : *Eucharistia* enim idem est, quod *gratia.* Unde Albertus Magnus ait [2] : « Cum in omnibus sacramentis gratiam percipia« mus, tamen in hoc totum est gratiæ, quod vide« mus, tangimus et degustamus, si dicitur gratia, « quia gratis accipitur, non nisi gratia esse potest, « quia nihil adeo grate a Deo accipitur, sicut « quando se ipsum spiritualiter et corporaliter dat « Deus. » Justum igitur est, ut huic fonti originario cœlestis gratiæ, per tributum et redditionem gratiarum correspondeamus, nam *gratiam Dei per Jesum Christum.*

[1] CHRYS., in cat. *in Matt.* — [2] ALB. MAG., *de Euch.*, dist. 1.

**2.** — Attestatur Evangelista Marcus, Sapientiam incarnatam post cœnam ultimam cum Apostolis suis, inter laudes et cantus ad montem se contulisse Oliveti : *Hymno dicto exierunt in montem Oliveti* ; ut scilicet per hoc et Apostolos suos et reliquos successive fideles doceret, quod post sacram communionem suam in laudes, benedictiones, gratiarum actiones et Cantica debeant resolvere linguam, versus tantum benefactorem ; eorum insistentes vestigiis, qui e cœnaculo *exierunt in montem Oliveti,* ut inibi orationibus in loco solitario vacarent, non modo ut Deo gratias agerent pro tanto beneficio, sed etiam ut nobis exemplo prælucerent cultus solitarii et recessus, quem singulariter frequentare decet sacra communione refectum, ut tantum beneficium consideret et contempletur. Unde non immerito nomen *Eucharistia,* ut annales observant Ecclesiastici [1], *a gratiarum actione* derivatum fuit, quod nomen tam Græcis, quam Latinis commune est. Porro ubi Vulgata nostra legit : *hymno dicto* ; Arabica vertit : *laudem dederunt.* Profecto si Apostolus Ephesios quondam adhortatus est inquiens [2] : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu Sancto loquentes vobismetipsis in Psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper.* Si inquam, unquam Apostolus gratiarum actionem exegit, vel maxime eam a nobis rependi jussisset, hodieque jubet, dum sacratissimo reficimur Christi Corpore, dum sacrosancto illo potamur calice, de quo scriptum est, *calix meus inebrians, quam præclarus est!* dum illum exhaurimus calicem, in quo *mens impletur gratia.* Tunc, inquam, nostram in gratiarum actiones linguam enodemus oportet, ut pro eo beneficio gratias agamus, quo majus nobis impertiri nequit benefica et prodiga dextera Dei.

**3.** — In memoriam revocetis velim illam, in Apocalypsi his verbis expressam, visionem [3] : *Et vidi unum Angelum stantem in Sole, et clamavit voce magna, dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium cœli : venite et congregamini ad cœnam magnam Dei, ut manducetis carnes Regum* ; per hanc enim cœnam, ultima illa in Sion celebrata intelligi potest, in qua Apostoli sacrosanctas Dei illius, qui in fœmore scriptum gerit, *Rex Regum,* gustarunt carnes ; verumtamen quam subesse putatis rationem, quod ad cœnam hanc sola fuerint invitata volatilia, omnibus aliis relictis animalibus, quorum multa pura sunt et munda? Berchorius forsitan difficultatem resolvet, si avium instinctum ab ipso discere non detrectaverimus ; ait enim [4] : « Satiatæ aves incipiunt cantare, sed bruta inci« piunt dormire. » Ecce itaque vobis mysterium, cur sola volatilia, non autem quadrupedia, ad hanc

[1] BAR., an. 34, n. 46. — [2] EPH., V, 10. — [3] APOCAL., XIX, 19. — [4] BERCH., *in reduct. mor.*

cœnam fuerint convocata; illi nimirum ad convivium hoc vocantur, qui corda mentesque suas in gratiarum actionem ad tantum elevant benefactorem, cum laudibus, hymnis et canticis spiritualibus : qui vero a propriæ ingratitudinis lethargo devicti, tributi gratiarum vivunt immemores, ab hac repudiantur cœna. Quos merito quondam in Apostolis suis, in horto dormientibus, acriter reprehendit Salvator noster, inquiens[1] : *Sic non potuistis una hora vigilare mecum? orate, ut non intretis in tentationem.* « Sic aves spirituales, » inquit Berchorius, « id est, contemplativi, divitiis, « vel aliis beneficiis Dei satiati, incipiunt cantare « per gratiarum actiones; sed bruta, id est, mun« dani non cantant propter beneficia Dei, imo dor« miunt in peccatis; » præfigurati in Sisara, qui potato lacte obdormiens[2], transfixis per clavum temporibus, misere occubuit; quia scilicet, quisquis lac hoc cœleste bibens, mox postea sine gratitudinis signo obdormit, reatum incurrit mortis spiritualis. Sed eheu! plurimis fidelium ad mensam hanc Eucharisticam accedentibus probrari potest illud, quondam per Jeremiam loquentis, Dei assertum[3] : *Duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Quot etenim sunt, qui ad fontem hunc, ad fontem dico[4] *aquæ salientis in vitam æternam*, accedentes, subito eidem dorsum obvertunt, per cisternas, et putridas terræ cloacas vagabundi? spirituales fastidiunt delicias, et contemplationes, quæ eos ad devotum impellere possent recessum, post communionem sacram adeundum, gustusque et recreationes sectantur mundanas? quibus quondam in spiritu insultavit, illusitque Aggæus propheta, dicens[5] : *Comedistis et non estis satiati, bibistis, et non estis inebriati, et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Nemo nescit, quod gemmæ, adamantes et carbunculi sacco rupto impositi, certissimæ exponantur jacturæ; simile damnum anima incurrit fidelis, quæ post communionem, ad delicias mundi, vanitates, et peccata priora revertitur; talis namque omnes perdit, et insolenter projicit thesauros cœli.

**4.** — Accommodam valde similitudinem, eamque nulli non perfacilem in præsenti adducit D. Chrysostomus, dum ita discurrit[6], si quis amicorum te cum aliis invitasset, tuque repleto ventre ante omnes surgens, tempore inconvenienti, te e consortio proriperes, annon hæc maxima incivilitas foret, numquid enim benefactori tuo propter præsentem gratiam, gratias agere oporteret? Quare igitur convivio illi assistens, cui ipsimet invident angeli, tam subito te subtrahis, et rustice Christum derelinquis, absque eo, quod pro tanto tibi collato beneficio gratias agas : « Durum, odiosumque vi« debitur, quod sum dicturus, sed necesse est, ut « ob multorum negligentiam dicatur. Quando ul« timæ cœnæ communicavit Judas, reliquis omni« bus recumbentibus, ipse se præripiens excessit. « Illum imitantur et isti, qui ante ultimam gratia« rum actionem discedunt. » Postquam enim Christus turbas a se in deserto cibatas, eumque in regem eligere volentes reliquisset, paulo post rediit, ab iisdem videri volens et audiri; sermonem exsorsus a convivio, in solitudine ipsis præparato; unde occasionem sumpsit diffuse discurrendi de Eucharistia, suo tempore instituenda[1]. Quo in facto Christus, juxta S. Augustini doctrinam, nos docere voluit, quod post communionem (cujus figura erat Panis ille miraculosus, in deserto subministratus), exercitiis spiritualibus nos applicare debeamus, qua audiendo, qua legendo, qua meditando verbum Dei : « Ille post miraculi sacramentum (verba « sunt Augustini[2]) et sermonem infert, ut, si fieri « possit, qui pasti sunt, pascantur, et quorum sa« tiavit panibus ventres, satiet sermonibus mentes; « quod si cupiunt, servant, quod cupiunt, ne frag« menta pereant. » Insuper Salvator eodem in convivio, populis miraculose præparato, reliquias et fragmenta colligi jussit[3]; *ut autem impleti sunt, dixit: colligite fragmenta, ne pereant.* Quorsum obsecro, tanta Salvatoris sollicitudo in coaduunandis panum frustulis, siquidem tanta cum facilitate panes integros multiplicabat? *Omnia in figura contingebant*, voluit namque per hoc docere Dominus, quod pane Eucharistico refecti, fragmenta colligere, id est, devota cum recollectione tantum debeamus meditari beneficium, nostrasque cogitationes et cordis affectus in unum recolligere, ut omnes intenti simus et attenti interius, ut debitum tanto hospiti exsolvamus obsequii, reverentiæ, amoris et gratitudinis tributum; quo etiam Psalmista respexisse videtur, dum ait[4] : *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.*

**5.** — *Accepit Jesus panem, et gratias agens, fregit, etc.* Aliis in miraculis, scilicet paralytici sanatione, filii viduæ resuscitatione, aquæ in vinum conversione, similibusque aliis, gratias egisse non legitur, quemadmodum in præsenti occasione; volens per hoc significare, quod licet in aliis favoribus homini præstitis, gratiarum actionem non requireret in hoc tamen infinito beneficio, quod omnia alia superat, et excedit, dictum absolute exigat gratitudinis tributum, ideoque quondam populo suo Israelitico etiam præcepit Dominus, ut post cibum gratias ageret[5]: *ut, cum comederis et satiatus fueris benedicat Domino Deo suo*; quo in tempore benedictiones, laudesque retribui jubebantur propter

[1] MATT., XXVI, 40. — [2] JUDIC., IV, 19. — [3] JER., II, 13. — [4] JOAN., IV, 14. — [5] AGG., I, 6. — [6] CHRYSOST., h. *de Bapt.*

[1] JOAN., VI. — [2] S. AUG., tr. 25 *in Joan.* — [3] JOAN., VII, 16. — [4] *Ps.* LXXV, 11. — [5] DEUT., VIII, 10.

corruptibilium terrenorumque bonorum largitionem siquidem subjungitur : *Pro terra optima, quam dedit tibi observa, et cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui.* Audi hæc et verecundare, o Christiane ; quæ enim inter terram Chanaan et Eucharistiæ donum, sibi indultum, in quo Deus se tibi cum corpore, anima, et divinitate offert, potest esse proportio? audi Thomæ a Kempis quamdam, hac super re, piissimam meditationem, eamque imitari stude, et cordi tuo imprimere [1]: « Ipsum habes, » inquit, « quem totus mundus tibi auferre non potest; « Ego sum, cui te totum dare debes, ita ut jam « ultra non in te, sed in me, absque omni sollicitu- » dine vivas. » et jure meritissimo quidem, si enim totum se nobis impertit Christus, decebit utique, ut et nos absque ulla ad creaturam conversione omnes affectus nostros, nosque ipsos totaliter dedicemus.

**6.** — Salvatore nostro sub peregrini forma, discipulis in Emmaus abeuntibus se associante, hi interius ad amorem ejus inflammari senserunt, unde dicebant [2]: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* ast causamne nostis tanti ardoris quia nimirum cum eo tractare, conversari, et peregrinari gaudebant instantes : *Mane nobiscum*; hoc namque optimum communionis sancte percipiendæ est medium unde et subjungitur : *Cognoverunt eum in fractione Panis* quia nimirum cœlestes acquirimus illustrationes magnumque Dei lumen recipimus, et notitiam, quando cum ipso familiarius agimus in communione per devotum aliquem secessum : « Dum nubes peregrina faciem tuam tegeret » inquit in dictorum Apostolorum persona, Drogo Ostiensis [3] : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis.* » Quam pariter doctrinam S. Augustinus, in illorum Christi verborum commentario *in me manet, et ego in eo* inculcare nobis voluisse videtur, dum ait [4] : « Signum, quia manducavit, et bibit ; hoc est, si « manet et manetur, si habitat, et inhabitatur, si « hæret, ut non deseratur : » Annon eamdem nobis obligationem ob oculos posuit Apostolus, in his verbis [5]: *Glorificate, et portate Deum in corpore vestro* tunc enim corporaliter Deum in corpore nostro portamus, quando ejusdem cibamur corpore, hoc ipsum itaque tempus est glorificandi eum. Si quis princeps uni servorum suorum magnum præsturus favorem, ipsum ad suam admitteret mensam. pedibus ejus advolutus ipsos lavaret, imo cibum ex proprio præberet catino; sibi ipsi venam aperiri faceret, ut eum sanguine potaret, ac tandem corpus suum in ejus obsequium membratim conscindi faceret, quale obsecro judicium de tam excessivo amore formaretis ? hæc omnia nobis præstitit Dei Filius et nihilominus omnium istorum immemores vivimus, imo sæpius, postquam suos nos commensales adhibuit, subito tantum benefactorem nostrum peccatis irritamus mortalibus, qui propterea merito conqueritur [1] : *Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Unde et D. Chrysostomus de aliquibus, qui tempore ejus post communionem sacram, theatra adibant, graviter lamentatur in hæc verba [2]: « Annon andiunt isti B. Paulum, Doctorem « orbis terrarum, dicentem : *Quæ societas lucis ad « tenebras, aut quæ pars fideli cum infideli?* Quanta « enim condemnatione dignus censendum est, « fidelis, qui tremendorum mysteriorum, quæ hic « celebrantur particeps fuerit post hujus loci sacri- « ficium satanico spectaculo cum infideli assideat, « cum eo, qui in tenebris impietatis aberrat, is qui « solis Justitiæ radiis fuerit, illustratus. » Præclarum hujus virtutis exemplum nobis præbuit, B. Margarita Regis Hungariæ filia quæ ut Bollandus refert [3]. « Die, qua commnnionem sumpsisset, « stabat continuo in orationibus usque ad noctem, « et tunc cibo valde modico utebatur. »

**7.** — Quis non admirabitur illud Salvatoris factum [4], quando pane in deserto multiplicato, qui Encharistici symbolum erat, *statim compulit discipulos suos ascendere naviculam*; quorsum enim tanta violentia, dum non quomodocumque, ut irent, instituit; sed compulit eos? Effectus is communionis erat; numquid enim nostis, quoniam *qui adheret Domino, unus Spiritus est*? Omnes discipuli ita Christo uniti conjunctique erant, ut ab eo divelli non possent; quod evidens signum est, nos ex hujus panis angelici esu fructum percipere, quando scilicet post cammunionem ab eo divelli nequimus. Equidem si tantillum sanguinis divini in vase quopiam nobis donatum esset, quo cum zelo, cura et sollicitudine, unusquisque nostrum asservare conaretur, ne quomodocumque deperiret? Ecce vobis longe præstantius donum, quandoquidem totum Christi corpus, totum ejus sanguinem, animam et divinitatem, nec non *per concomitantiam*, tres divinas personas in nobis possidemus, et nihilominus tam vili hæc pendimus, ut vix obiter consideremus, unde faciliter per culpam nostram omnia deperdimus. Quapropter Thomas a Kempis ingeniosam hanc instituit considerationem, dicens [5]: « Currunt multi « ad diversa loca pro visitandis reliquiis sauctorum « et mirantur auditis gestis eorum, ampla ædificia « templorum inspiciunt et osculantur sericis, et « auro involuta sacra ossa ipsorum : et ecce tu « præsens es, hic apud me in altari Deus meus, « Sanctus sanctorum, Creator omnium et Dominus « Angelorum. » Porro causam, quare ex sacramenti hujus susceptione nullum feramus fructum, idem auctor assignat in hæc verba : « Quia non satis « reverenter ruminamus, quia hodie Sanctus sanc-

[1] Th. a Kemp., l. IV, c. 11. — [2] Luc., xxiv, 32. — [3] Drog. Ost. — [4] S. Augus., tr. 27 *in Joan.* — [5] I Cor. vi, 10.

[1] Isa., i. 2. — [2] Chrys., s. 9 *de div. novi. Testam.* — [3] Boll., t. II, jan. 18. — [4] Matt., xiv, 12. — [5] Thom. a Kemp., l. IV, c. 1.

« torum ingressus est ad nos. » Panis hujus abundantia semper ad obsequium nostrum parati, efficit, ut exili ipsum prosequamur reverentia, debitumque in nobis imminuit de eodem conceptum.

**8.** — Si aliquis arboris vitæ ramus nobis donatus esset, vi cujus annos nostros prolongare possemus, quanta cum diligentia illum custodiremus. Jam vero certum est, quod *qui manducat hunc Panem, vivet in æternum, ego sum Panis vitæ*, et tamen tam parvi illum æstimamus. Nescio, an aliquando ad hoc vos reflexeritis, quod Deus virgam Moysis, quacum tot prodigiosa portenta patravit in tabernaculo conservare noluerit neque aquam quæ de petra scaturierat, neque coturnices; bene tamen in eodem manna custodiri voluerit, tametsi subjectum sit corruptioni, et ex uno die in alium conservatum, vermibus scateat : scitisne causam, cur id fieri voluerit ? nimirum manna Eucharistiam præfigurabat, atque ideo per hoc nobis significare voluit, quod, tametsi omnium aliorum divinorum beneficiorum in nobis obliteraretur memoria, hujus tamen beneficii Eucharistici oblivisci numquam debeamus, sed continua illius et indelebilis habenda sit memoria, nec unquam prætermissa gratitudo.

**9.** — S. Mater Ecclesia sapienter ordinavit, ut, priusquam deveniretur ad consecrationem hujus Panis; sacerdos et populus simul inter se hæc verba recitarent; et primo quidem sacerdos dicat : *Gratias agamus Domino Deo nostro*, cui minister, nomine omnium, respondere debet, *dignum et justum est*, replicatque sacerdos : *Vere dignum, et justum est, æquum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, etc.* Si enim pro ullo divinorum beneficiorum agendæ sunt gratiæ, certe pro hoc divino sacramento vel maxime agi debent. Deus olim per nuncium cœlestem, Abrahæ nascituram prolem indicavit in qua benedicendi essent omnes populi electi, nec tamen constat, quod S. Patriarcham instigaverit, ut per oblationem sacrificii, debitas suæ majestati agere gratias, sed potius hoc fecerit, quando jussu Dei super montem Moria, ad sacrificandum filium suum se accinxit, tunc enim brachium illud retinens et impediens, simul eodem tempore arietem quemdam, inter spinas hærentem ei ostendit, et loco Isaac in gratiarum actionem offerri voluit, ubi merito causa indaganda venit, cur scilicet tunc, et non antea Angelus illum, ad hoc gratiarum tributum exsolvendum extimularit? pro cujus resolutione memorandum, quod S. Thomas hoc sacrificium Isaac, inter præcipuas Eucharistiæ figuras agnoscat « : In figuris præsignatur, « cum Isaac immolatur ; » cum igitur mysterium hoc nequidem per umbram aut figuram celebrari debeat sine gratiarum actione, ideo Ecclesia ante consecrationem, prius hoc gratiarum tributum persolvit. Thomas de Kempis more suo devote meditando inquit [1]: « Ac si mendicus ad prandium vocaretur divitis, et ille nihil aliud habeat ad retribuendum beneficiis ejus, nisi se humiliando, et ei regratiando. » Et paulo post subdit : « Nec minor custodia post exigitur, quam devota præparatio prius, nam bona postmodum custodia, optima iterum est præparatio ad majorem gratiam consequendam. » Blosius Christum S. Mechtildi dixisse refert [2] : « Quando sacram communionem perceptura es, desidera et opta ad laudem nominis mei, habere omne desiderium, omnemque amorem quo unquam cor aliquod erga me flagravit; et ita ad me accede, nam ego amorem illum in te attendam, atque suscipiam, non sicut in te est, sed sicut velles eum in te esse. »

**10.** — Inter alia opportuniora hujus interni secessus media, unum, et quidem valde utile est linguæ nostræ custodia utpote quæ verba consecrationis profert, quæque cœlestem hunc panem in se sumendo, ad stomachum transmittit : Unus illorum rituum, qui pro agni Paschalis esu præscripti fuerunt; hic quoque recensetur [3] : *Comedetis festinanter*, cujus morale mysterium Abulensis his verbis declarat [4]: « Id est, non manebitis colloquentes ad mensam, sicut in aliis cœnis facere consuevistis » Lingua enim, super quam hoc sacramentum reponitur, laudibus et gratiis Deo persolvendis, totaliter intenta esse, non vero aliunde prophanari debet : » Per has portas, » inquit D. Chrysostomus, de ore et faucibus nostris [5], « et januas ingressus est Christus, et ad nos ingreditur, cum communicamus. Neque enim vulgare quodam honore os nostrum afficitur, cum corpus Dominicum excipit. Audiant, qui obscœna loquuntur, qui convitia proferunt, ac cohorrescant, cogitantes quales os turpent ac dedecorent. » S. Pachomius monachos suos etiam eo tempore, et mane, quo hostiæ consecrandæ fiebant, et præparabantur, silentium observare, sanctisque meditationibus intentos esse volebat, cujus contrarium (proh dolor) hodie multi tum sæculares, tum Ecclesiastici faciunt, qui immediate post sumptam communionem, in prophanos discursus prorumpunt, quibus merito imprecari possunt hæc Psalmistæ verba [6] : *Memoria abundantia suavitatis tuæ eructabunt.* Adversus similes S. Gertrudis sequentem adducit similitudinem [7], sicut enim magna incivilitas esset, si quis hospitem ad mensam suam invitatum, lapidibus oneraret, ac impeteret; ita quoque inexcusabilis inurbanitatis turpitudo est, dum quis Christum quem animæ suæ hospitem habet, immediate post communionem verbis suis peccaminosis offendere non veretur.

[1] Th. a Kemp., l. IV, c. 11. — [2] Blos., *in conc. anim.* — [3] Exod., xii. — [4] Abul., *ib.* — [5] Chrys., h. 80 *in* II *Cor.* — [6] *Ps.* cxliv, 7. — [7] Lib. III, c. 28, *de Vita S. Gertrud.*

S. Bernardinus de ejusmodi garrulis ait[1] : « Con- « fundunt Christum, ad priora scelera redeuntes ; « sed verum est proverbium, quod dici solet, tur- « pius ejicitur, quam non admittitur hospes ; tales « sunt similes populo Judæorum, qui cum olivarum « ramis in Jerusalem Dominum susceperunt, « vix paucis elapsis diebus, eum de Jerusalem « contumelisse ejicientes, in crucem crudeliter « affixerunt. Facescat ab ore militis Christi, » inquit B. Petrus Damianus[2], « omnis vani « rumoris ineptia, et lingua, quæ immaculati « agni, imo summi Verbi rubet sanguine, dedig- « netur otiosi sermonis sese fœcibus inquinare. » Idem pariter consilium tradit D. Chrysostomus, dum nos monet, ut in loquendo mortificati simus, quia si lingua culparum instrumentum extiterit; castigari necessario, et emendari debet ; ut tantum super se sacramentum recipere possit[3]; « castiga linguam, et labia, quæ ingressui Christi « fuere vestibula. » Et consequenter longe conve- nientius erit, ut lingua post communionem custo- diatur, siquidem Corpore Christi sanctificata fuit. « Vide, si justum est, » inquit S. Augustinus, in quodam sermone[4], « ut ex ore Christianorum, ubi « corpus Christi ingreditur, lumen curiosum, quasi « venenum diaboli, proferatur, » quod idem incon- veniens cuicumque alteri peccaminoso verbo cor- respondet.

## DISCURSUS XLIX.

DE FIDE AD EUCHARISTIAM NECESSARIA, ET QUARE *mysterium fidei* APPELLETUR, VARIÆ ADDUCUNTUR RATIONES.

IDEA SERMONIS. — 1. Quare S. Eucharistia sola vocetur mysterium fidei. — 2. Olim etiam a Græcis vocata fuit mysterium. — 3. Euch. dicitur mysterium, quia aliud in illa cernitur et aliud creditur. Sensus nos- tri in S. Euchar. falluntur, sicut Isaac, in filio suo Jacob. — 4. Hinc opus est firma fide S. Petri. — 5. Quod etiam declaratur monumento Christi, in petra exciso. — 6. Hoc SS. sacramentum uno tantum fidei oculo intuendum est. — 7. Quod etiam Christus suasit auditoribus suis. — 8. Non sensibus corporis sed sola fide hoc sacramentum apprehendi debet. — 9. Curiositas sensuum abigenda. — 10. Cur in hoc sacram. tantopere exigatur fides. — 11. Referuntur aliquot miracula fidem hanc confirmantia.

*Hic est calix sanguinis mei, mysterium fidei.*

**1.** — Dubitari equidem cum fundamento potest quare Ecclesia sancta, a Spiritu directa, in verba consecrationis sanguinis Eucharistici ipsum nuncu- pet Sacramentum altaris, non vero reliqua, per antonamasiam fidei nostræ mysterium : *hic est calix sanguinis mei mysterium fidei.* Nostræ namque fidei mysteria sunt incarnatio indubie, nativitas Christi, passio, resurrectio, ascensio in cœlum, et nihilomi- nus soli Eucharistiæ Ecclesia hoc nomen specialius attribuit, cujus hanc rationem assignat Albertus Magnus, inquiens[1]: « Quamvis multa sint fidei dona « tamen hoc donum præ omnibus, fidei donum est « in quo tanta sunt fidei fundamenta, quia in hoc « dono, et fides Christi fundatur, et fideles sanc- « tificantur. » Quare idem auctor alio in loco de hoc sacramento tractans, ait : « In qua con- « sistit fundamentum fidei, » quam veritatem nos discursu I, fusius probavimus, scilicet quod Eucha- ristia fidei et Ecclesiæ sit fundamentum ; siqui- dem nullo non tempore ad stabiliendam sacra- menti hujus fidem, innumerabilia prodigia, et mi- racula operata est omnipotentia divina, partim ad incredulos convincendos ; quapropter hanc in præsenti materiam prætereuntes, ad nostrum di- grediamur intentum.

**2.** — *Mysterium fidei.* S. Epiphanius in annalibus Ecclesiasticis citatus, Eucharistiam eodem afficit ti- tulo insuper adjungens[2]: « Mysteria autem faciunt ad « imitationem Sanctorum in Ecclesia ab anno in « annum, per azymos, hoc est, non fermentatos « panes. » De quo Sacramento Baronius tractans narrat, ipsum ab antiquis Christianis, propter ad- mirabilem, ineffabilem et secretam rerum divina- rum conjunctionem a Græcis quidem *mysterium*; a Latinis autem *Sacramentum* nuncupatum fuisse ; de cujus incruenti sacrificii excellentia discurrens Ru- pertus Abbas in lib. *de methodo officiorum divinorum* inquit[3]: « Calente memoria tam celebri, charitas « Christi concalescit, perstat super fundamentum « suum, ædificium fidei.

**3.** — *Mysterium fidei.* Verbum *mysterium* Sal- meron interpretans, ait : « *Mysterium* significat ar- « canum, sive rem secretam aliquam, et occultam, « id est, quæ fugiat omnem sensum et rationem « humanam. » In cujus corroborationem, testimo- nium adducit Innocentii III in lib, IV, *de mysterio missæ*, cap. 36 ex quo loco hæc citat verba[3] : « dici- « tur ergo mysterium fidei, quoniam aliud ibi « cernitur, et aliud creditur ; cernitur ibi spe- « cies Panis, et vini ; et creditur veritas car- « nis, et sanguinis. » Vel etiam mysterium dicitur fidei, juxta S. Anselmum dicentem[5], « quoniam, « sicut dicit B. Augustinus, visibiliter necesse est « celebrari, quod tam invisibiliter necesse est « intelligi. » Quam veritatem S. Bernardinus[6] fusius nobis exhibet, quando historiam discutit Geneseos ubi Jacob ad cæcum patrem suum Isaac legitur accessisse, fingens se alium ab eo, qui veraciter erat unde et bonus Senecio Isaac dicebat : *vox quidem, vox Jacob est; manus autem Esau* ; Jacob itaque fi-

[1] S. BERN., t. I, s. 53. — [2] B. PET. DAM., op. 49. — [3] CHRYS., h. 27 *in* I *Cor.* — [4] S. AUG., s. 255 *de temp.*

[1] ALB. MAG., d. 2 *de Euch.* — [2] BAR., an. 34, n. 46. — [3] RUP. ABB., l. II *de div. offic.* — [4] SALMER., t. IX, tr. 15. — [5] S. ANS., *de sac. alt.* — [6] S. BR., *de sac. alt.*

lium suum, pro Esau suppositum, frumento, et vino stabilivit Pater Isaac quæ utraque res gesta nostrarum specierum Sacramentalium evidens typus erat prout verbis sequentibus dictus docet sanctus, dum ait [1] : « Jacob hujus Sacramenti mysticum gerit « typum, atque Esau sensibilis formæ, Isaac autem « humani sensus figuram gerit; omnes nempe sen- « sus præter auditum defecerunt in Isaac, solus au- « ditus immunis fuit, caligaverunt oculi ejus, et « videre non poterant; gustus in esu hœdi decep- « tus est, et decipiebatur etiam tactus ejus, quia « contingens manus, et collum Jacob, pellibus coo- « pertum, Esau fore existimabat, dicens : *Ecce « odor filii mei sicut odor agri pleni.* Solus auditus « a deceptione liber evasit, unde et ait : *Vox « quidem, vox Jacob est, manus autem Esau* ; sic et « in hoc sacramento, propter auditum, omnis hu- « manus fallitur in hoc sacramento sensus. » Quidquid videtur, quidquid tangitur, panis et vini sunt accidentia : quæ materia utraque nobis tam in prandio quam in cœna in communissimum deservit nutrimentum, et nihilominus sub his iisdem cortinis firmiter credimus, Deum illum abscondi, *quem adorant Dominationes, tremunt potestates*; sub hujusmodi circulorum nube opertum, velatumque credimus, et veneramur, verum justitiæ Solem. Annon igitur *vox quidem, vox Jacob est*, siquidem *fides ex auditu*? neque senior fallitur Isaac, quantumvis cæcus, ad vocem Jacob, quandoquidem species panis et vini primam suam amittunt substantiam, utpote in Christi carnem, et corpus transubstantiatæ; remanent nihilominus panis vinique color, odor, sapor, quantitas, pondus, virtusque alendi; quæ metamorphosis, quantumvis humanam excedat intelligentiam; naturæque sit impossibilis, noster nihilominus fidei subjectus eam infallibiliter credit intellectus, quantumvis omnes sensus nostri deludantur. Quis credat? Deus ille, ante quem contremiscunt in cœlis potestates, qui minimo obtutu universum terrefacit mundum, qui in fœmore suo scriptum habet : *Rex Regum, et Dominus dominantium* : cui throni assistunt reverenter, totaque hierarchia cœlestis; in Eucharistia tanta cum exinanitione, suique contemptu præsens est, ut se sub hostiæ atomo, qui ventorum ludus est, restringat : neque ullum consecratam inter aut non consecratam hostiam, discrimen habetur, secundum exteriorem sensum, neque per verba consecrationis ulla exterior, et apparens coram oculis nostris sit mutatio, coloris, saporis, ponderis, formæ, aut loci, quin potius substantiæ, absque ulla qualitatum alteratione, transmutantur; operatio fit absque ulla præcedenti dispositione, suumque corpus in propria relinquit mole, quantumvis, sub indivisibili quasi hostiæ atomo constrictum, et veluti si totum Spiritus foret, totum abscondit, totumque sub accidentibus illis constringit, quæ omnia fides credit, quoniam « quod non capis, quod non vides, animosa fir- « mat fides? » In reliquis quantumvis imperceptibilibus incarnationis Verbi, trinitatis personarum, et unitatis in essentia, resurrectionis, ascensionis aliisque similibus, nostrum duntaxat necessum est, ut captivemus intellectum, in præsenti autem internos quoque excitare oportet vivæ fidei actus, nostrosque captivitate sensus, dum namque dens panem sentit, fides corpus, et carnem Agni immaculati esse docet; iterum juxta odorem, et gustum externum; vinum bibimus in calice, et nihilominus firmiter credimus, hoc ipsum Redemptoris esse sanguinem : *Hic est enim calix sanguinis mei, etc. caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

**4.**—Quando Christus prima vice Eucharistiæ mentionem ingessit, teste S. Joanne, Judæi adeo scandalizati fuerunt, ut sejab ejus sequela subtraxerint ; quando Salvator ad Collegium apostolicum conversus, ipsum interrogavit [2] : *Num et vos vultis abire?* quibus Christi verbis quem respondisse putatis? forsitan Joannem, Jacobum, aut quemcumque alium Apostolorum? nequaquam, sed Petrus in totius Ecclesiæ nomine, ut S. Cyprianus attestatur, replicuit : *Domine, ad quem ibimus*; *verba vitæ æternæ habes, et nos credimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Quia dum de Eucharistia sermo est, nullus de eodem certius testimonium reddere potest, quam Petrus, cui Christus spoponderat : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*

**5.** — Quam ob causam sacrosanctum Christi corpus in monumento, non solum novo, sed et saxeo sepultum fuisse arbitramini? si causam quæritis, S. Paschasius audite, dicentem [3], quod « mo- « numentum nunquam exciditur, nisi in petra, quæ « Christus est, firmissima. « Cui alteram ad intentum nostrum rationem subnectere licet, scilicet quod in petræ illius firmitate, stabilitas denotata fuerit fidei nostræ, quæ necessaria est ad credendum, nobisque includendum Christi corpus ; ad hunc namque effectum requiritur, ut supra petram stabiliti simus, inque fide nullatenus vacillemus ; unde et D. Thomas in officio Divino, a se composito pro solemnitate Corporis Christi, sæpius eadem reiterat, dicens : « Ad firmandum cor syncerum « sola fides sufficit ; præstet fides supplementum « sensuum defectui. Quod non capis, quod non vi- « des, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.

**6.** — *Mysterium fidei.* Verba hæc Remigius Antisiodorensis in tractatu de Missa, commentario illustrat sequenti, dicens : « *Mysterium fidei.* » appellari, « quia credere debemus, quod ibi salus

[1] Gen., xxvii, 22.

[2] Joann., vi, 68. — [3] Luc., xxii, 32. — [4] S. Pasch., l. XII *in Matt.* — [5] Rem. Ant., *de celebr. missæ.*

« nostra consistat ; mysterium enim est, quod aliud « videtur, aliud intelligitur; quod videtur, speciem « habet corporalem; quod intelligitur, fructum ha- « bet spiritualem. Sed cum mysterium, quod aliud « significet, sit in veritate corpus Christi : et quare « appellatur mysterium? propterea utique quia post « consecrationem aliud est aliud videtur. » Quanto namque oculus magis species attingit panis, et vini, tanto magis omnem vini, panisque substantiam, inibi deesse credit fides ; quo forte sponsa respexerit; quando dilecto suo loquebatur in hæc verba [1] : *vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum*; ut namque novimus omnes, per sponsam Ecclesia, per sponsum vero Christus intelligitur ; cujus vel unico oculo se vulneratum esse dicit. Igitur unum eorum occlusum tenuisse censendum est, atque ita in rei veritate contingit, quisquis enim in scopum collimat, ut recte ad metam pertingat, unum oculum claudit. Ita quoque Ecclesia per dictam sponsam designata, sacramentum hoc contemplans, quod est signum, *signum* inquam, *rei sacræ*, unum oculorum claudit, id est, mortificat discursum, captivat intellectum, incarcerat rationem, unumque duntaxat aperit fidei oculum, siquidem « quod non « capis, quod non vides, animosa firmat fides. »

**7.** — Hoc quondam auditoribus suis Salvator noster legitur dedisse consilium [2] : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te* ; circa quæ verba insignis quidam auctor, cujus in discursibus præcedentibus notitiam dedimus in quodam a se composito de Euchristia tractatu, ita sermocinatur [3]; « In sacramento altaris fides, et humana ratio com- « pugnant, et hoc agitur inter eas, ut altera alteri « oculum eruat ; melius est enim, unum oculum « sanæ fidei habentem ingredi ad vitam, quam duos « oculos habentem, unum humanæ rationis, alte- « rum fidei, mitti in gehennam ignis. » Vere equidem in casu nostro adimpleri videtur id, quod olim de filiis suis asseruit Rebecca [4]: *Major serviet minori* ; quia sensus, qui tempore rationem præcedit (siquidem primo generatur corpus, et postea eidem infunditur anima) fidei servire, eique subjectus esse debet, quando « præstat fides supplementum sen- « suum defectui ; » quam infallibilitatem Eusebius Emissenus his pariter stabilit verbis [5]: « Vere unica, « et perfecta hostia, fide æstimanda, non specie, « nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu ; « unde merito cœlestis confirmat auctoritas, dicens : « *Quia caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere* « *est potus.* » Quod argumentum ut confirmet S. Paschasius, talem instituit discursum [6]: quisquis non credit in Eucharistiam, nec Christum Deum esse credidisset, si ipsum in Calvario in patibulo, in forma servi pendulum vidisset, nisi circa idem punctum fidem quoque exercuisset : « Ita et in « hoc corpore, » inquit dictus sanctus, « ubi species « alia monstratur, quomodo carnem Christi videas, « nisi per fidem veraciter credas? »

**8.** — *Mysterium fidei.* S. Laurentius Justinianus eamdem petractans materiam, inquit [1]: « Non ex « visu, gustu, odoratu, vel tactu percipitur fides, « sed ex auditu tantum, auditus autem per Ver- « bum Christi, perhibentis : *Hoc est corpus meum.* » Neque in hoc dubitare licet, nisi primæ, et infallibili veritati quæ Filius Dei est, fidem negare velimus, ipse namque dixit : *Hoc est corpus meum.* Quapropter doctissime ait Chrysostomus [2]: « Quando « sacerdotem corpus tibi Christi præbere videris, « noli sacerdotis, sed Christi manum ad te porrigi, « arbitrari. » Quam eamdem doctrinam, discrepantibus licet verbis, S. quoque Bernardus in sermone de ultima cœna tradit in hæc verba [3]: « Hæc sunt, « quæ fidem necessario exigunt, rationem omnino « non admittunt, expetunt simplicem creditorem, « arguunt impium discussorem, et ideo credi opor- « tet simpliciter, quod investigari non potest uti- « liter. » Quod idem dogma eodem in sermone paulo infra sub his novis exhibet terminis, dicens : « Tria quippe in sacramento altaris attendera debes ; « speciem panis, veritatem carnis, virtutem gratiæ « spiritualis ; usque ad speciem panis sensus per- « tingit exterior, ad veritatem carnis fides interior, « ad virtutem gratiæ spiritualis, charitas superior. »

**9.** — *Mysterium fidei*. Rupertus Abbas illum Exodi interpretans textum, quando populus ad colligendum manna dispergebatur, de quo dicitur : *egrediatur populus et colligat*, sequens proposito nostro peraccommodum eruit documentum, quando ait [1]: « Si digne manducare cupimus, ab omni curio- « sitate corporei sensus egrediamur, ut scilicet « visu, gustu, odoratu, et tactu dijudicandum non « esse arbitremur, an verum sit corpus Christi, an « vera caro id, quod sumimus. » De qua veritate nihil penitus ambigens S. Paschasius ita quoque ad instructionem nostram discurrit [2]: « Quod vero co- « lorem, aut saporem carnis minime præbet, virtus « tamen fidei, et intelligentiæ. qui nihil de Christo « dubitat totum illud spiritualiter sapit, et degustat, « quia qui Verbo cuncta creavit, hæc Verbo una « cum Spiritu Sancto cooperatur ;» qui idem sanctus in VIII ejusdem libri capitulo præmiserat, dicens : « Disce aliud gustare, quam quod ore carnis senti- « tur, aliud videre, quam quod oculis carneis « monstratur. »

**10.** — *Mysterium fidei.* B. Algerus hoc in præsenti movet dubium, dicens [3] : « Quæritur, quare « fides tantopere exigatur in hoc sacramento ? » « sibique ipsi respondens ait : « Quia falsa fide mun-

[1] CANT., IV, 9. — [2] MATT., XVII, 9. — [3] BALDUIN., *de Euch.* — [4] GEN., XXV. — [5] EUS. EMISS., h. 52 *de Pasc.* — [6] S. PASCH., l. *de Corp. et sang. Dom.*

[1] S. LAUR. JUST., *de Euch.* — [2] CHRYSOST., h. 51 *in Matt.* — [3] S. BERN., s. *in Cœn. Dom.* — [4] RUP. ABB., l. III *in Exod.* — [5] S. PASC., *ib.* — [6] B. ALG., *de sac.*

« dus periit, quando Adam plus diabolo, quam Deo « credere præsumpsit, dum ligno scientiæ boni et « mali vetito, plus speravit Divinitatem assequi, quæ « ab hoste promittebatur, quam incurrere mortem « quam Deus minabatur. Sicut ergo diabolus non « umbram in ligno inobedientiæ, sed ipsum verum, « et visibilem fructum exhibens, promisit id, quod « non videbatur, scilicet: *eritis sicut Dii* : sic et Deus, « non umbram sed ipsum, qui in ligno pependit « obedientia, in suo visibili Sacramento exhibens, « promittit vitam æternam, quæ non videtur, ut dum « in ea re plus ei modo creditur, quam hosti, ut dig- « num est, sanetur hac vera fide, illa perfida fides, « qua olim plus diabolo, quam sibi injuste creditum « est.» Idem quoque mysterium Rupertus Abbas diu ante tetigerat, nam verba illa exponens [1]: *Ut tentem eum utrum ambulet in lege mea, an non*, dicta de manna, quæ Eucharistiæ nostræ figura est, his verbis disserit [2]: « Tentatus est homo a diabolo et victus est, « tentetur a Deo, ut illius tentatoris fraudem vincat, « et tali antidoto juxta naturam morbi competenter « vitæ suæ subveniat. Tentati sunt primi homines a « diabolo dicente ; *Comedite, et eritis sicut Dii*, et « crediderunt plus, quam Deo, dicenti : *In qua- « cunque die comederitis ex eo, morte moriemini* ; « proinde tentetur a Dei Filio, dicente de pane, et « vino : *Comedite, hoc est corpus meum, hic est san- « guis meus*, comedite, et eritis Filii Dei, et creda- « mus verbo ejus plus quam oculis nostris carna- « libus, quibus non nisi exteriorem panis, et vini « speciem intuemur, et ita iniquam credulitatem « parentum nostrorum, pia credulitate in nobis- « metipsis evacuemus. » Idem Venerab. Abbas illa Canticorum verba exponens : *Fructus ejus dulcis gut- turi meo*, inquit : « Justa lege, ut expietur reatus « malæ credulitatis, exigitur fides, ut credatis id, « quod non videtis, credatis, inquam, Deo dicenti : « *Hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus*, « magis quam serpenti, qui per hæreticos dicit : « non est caro, non est sanguis. » Idem Doctor libr. XII *de victoria Verbi*, lucrum nobis insinuat, quod hanc, circa Eucharistiam, fidem exercendo comparare nobis possumus ; eamdem namque Geneseos historiam commemorando, inquit. « Contra « cibum illum, qui cibus fuit mortis, oportebat « dare cibum alium, qui esset cibus vitæ, et simili « ordine ; ut scilicet inesse illi mens crederet, quod « oculus non videret, esse cibum, et potum, vera- « citer communicandæ divinitatis esse effectivam « carnem, et sanguinem Christi, quod sentire non « possunt sensus carnis, et sanguinis. Per hanc « fidem sibi Deus ab homine satisfactum esse « judicat, dum non minus sibi credit, quam diabolo « crediderat. »

**11.** — Ad corroborandam sui corporis in hoc sacramento fidem, et veracitatem, multa Deus de anno in annum patravit miracula, ne fideles in hac credulitate vacillarent. Beatus Petrus Damianus de episcopo quodam Amalphitano refert [1], quod medio juramento, in B. Damianus præsentia, Stephano Papæ attestatus fuerit, quod quia sub sacrificio missæ de veritate corporis Christi aliqualiter dubitaverat, in ipsa confractione salutaris hostiæ, rubra prorsus, ac perfecta caro inter ejus manus apparuit, ita ut etiam digitos illius cruentaret. In Annalibus Ecclesiasticis [2] de duobus monachis stylitis scribitur, quod cum unus illorum catholicus, alter vero hæreticus esset, Severianus nomine, hic catholicum frequenter verbis mordebat ; qui proinde, Deo id ei inspirante, ab hæretico petiit, ut sibi quamdam communionis suæ particulam mitteret ; qui se illum ad sectam suam attraxisse credens, petitam lætus misit particulam, quæ in bullientem ollam conjecta, subito resoluta, et consumpta fuit ; cumque hostiam vere consecratam eidem ollæ immisisset, subito lebes restiguit, et particula integra remansit, nec quidquam humiditatis contraxit. In iisdem annalibus idem quoque refertur, quod de episcopo illo Amalphitano jam diximus, nec non aliud quoddam prodigium, quod sacrilegæ cuidam accidit mulieri [3], quæ dum se communicare fingeret, medietas particulæ in carnem visibilem transmutata fuit, altera medietate, panis speciem retinente.

## DISCURSUS L.

### DE VARIIS RATIONIBUS, OB QUAS CHRISTUS OCCULTE SUB ACCIDENTIBUS SACRAMENTALIBUS DELITESCERE VOLUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus latet in SS. Eucharistiæ sub velamine specierum sacramentalium. — 2. Christum in sacramento intueri non possumus, nisi interposita esset nubes specierum. Christus in SS. sacramento se accommodat nostræ capacitati. — 3. Hoc ipsum fecit conversando cum hominibus ante passionem suam. Abscondens Majestatem suam in SS. Eucharistia consulit infirmitati nostræ. Hæc absconsio est amoris indicium. — 4. Continuatio ejusdem propositi. — 5. Obvelatio illa est opus misericordiæ erga peccatores. — 6. Si Christus carnem suam nudam et crudam apposuisset, horrorem nobis concitasset. Exemplum hujus refertur. — 7. Probatur aliorum SS. Patrum assertis. — 8. Non compatit statui viæ Christum aperte videre. — 9. Habet se Christus in hac re instar amatoris. Quibusdam tamen Sanctis se ostendit aperte. — 10. Obvelatio illa explicatur duabus picturis. Fuit fidei nostræ necessaria. Quinam Christum comedant crudum.

*En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos* Cant., XI, 9.

**1.** — Ex quo Salvator noster, Ecclesiæ sponsus

[1] EXOD., XVI, 4. — [2] RUP. ABB., *ib.*

[1] B. PET. DAM., l. II, p. 15. — [2] BAR., an. 513. — [3] BAR., an. 1059.

idem promisisset, quod post suam in cœlos ascensionem, semper nihilominus cum illa per præsentiam suam corporalem remanere vellet, dicens [1]: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*, multi fideles, eum oculo corporali præsentem non videntes, de hujus promissionis veritate perplexi esse poterant, quibus proinde confirmandis Spiritus Sanctus, inquit : *En, ipse stat post parietem etc.* quasi dicat, tametsi Christum in Eucharistia visibiliter non intuearis, utpote qui aliud, quam hostiam, et vinum non vides, attamen vere ibi præsens est quoad corpus et animam, et divinitatem suam, licet sub accidentium sacramentalium cortinis absconditus delitescat. Per murum etenim, vel parietem, Ven. Beda et SS. Ambrosius, Bernardus, et Gregorius, a Cornelio a Lapide relati, incarnationem, humanitatem, et corpus a se assumptum intelligunt, utpote quo mediante divinitas ejus nobis absconditur ; unde Glossa Interlinearis ait : « Indutus parietem nostræ carnis, ita « manet in nobis, ut a nobis videri non possit. » Porro Eucharistia, ut sacri doctores communiter asserunt, aliud non est, quam quædam incarnationis extensio, et ideo sicuti in corpore humano, Verbo hypostatice unito, natura divina occultabatur, ita pariter in hoc altaris sacramento, sub velo, et specie panis et vini, præsentia ejus corporalis ita absconditur, ac si staret *post parietem*, vere quidem præsens, sed tamen absconditus. Qui per fenestram prospicit, videt quidem, sed non videtur, licet nonnunquam ex certo quodam indicio, ibi reperto, præsens esse videatur ; quæ similitudo a Gregorio in hunc textum scribente, his verbis adducitur [2]: « Per fenestram, et cancellos qui aspicit, « partim videtur, partim se abscondit; sic et Do- « minus Jesus dum et miracula per divinitatis « potentiam fecit, et objecta per carnis infirmita- « tem pertulit, quasi per fenestram, et cancellos « prospexit, quia et in alio latens, et in alio quis « esset, apparuit. » Quis unquam id crediturus fuisset, nisi nos id fides doceret, quod quidam infinitæ Majestatis Deus, se ultro citroque sub minimo hostiæ consecratæ puncto reclusurus esset, ut vilem terræ vermiculum corpore suo cibaret ? et tamen licet in Eucharistia absconditus et velatus videatur, hanc tamen veritatem præsentiæ in quavis ætate, in quovis loco, de anno in annum, per prodigiosa patrata miracula manifestam fecit : *En, ipse stat post parietem nostrum.*

**2.** — Lyranus per hunc parietem, Salomonem nubem intellexisse existimat, per quam divina ejus providentia populo Israelitico assistebat [3]: « Per pa- « rietem intelligitur nubes densa, » inquit, « quæ « inter Deum erat, et populum. » Porro inter nubem illam, et hoc sacramentum, hoc est discrimen, quod cum Deus in nube, populo suo, mediante angelo quodam astiterit, in hoc sacramento Filius Dei corporaliter præsens adsit, licet sub sacramentalium accidentium nube velatus. « Quæ est nubes, » interrogat Drogo Ostiensis [4] « quæ præcedit veros « Israelitas, nisi verissimum, et sanctissimum cor- « pus suum, quod in altari suminus, in quo velatur « nobis altitudo Dei, immensitas Majestatis tuæ, « cujus calorem, et splendorem mortalis infirmitas « sustinere non posset, nisi mediatrix nubes inter- « posita, et ardorem temperaret desuper, et tu- « tam subtus te viam demonstraret ? Quod si enim Sol justitiæ Christus, in Eucharistia eodem modo nobis gloriosus daretur, ut est in cœlo ad dexteram Patris, cujus oculus ab inaccessibili hac luce non obfuscaretur et caligaret ? *Lucem enim inhabitat inaccessibilem* [5]. Præterea si in cœlis *fulgebunt justi sicut Sol in conspectu Dei* [6], quanto splendidius futurum erit corpus illud, quod lumen et gloriam omnibus corporibus gloriosis communicat ? S. Gregorius Nazianzenus de sole materiali disserens, aliqua dicit, nostro proposito non adeo dissona : « Restringens, » inquit [7], « luminis exuberantem « copiam, non secus, ad vestem quamdam ad talos « usque demissam : etenim potentia Dei, et lumen « nisi contrabatur, erunt æque omnibus intolera- « bilia : » Philo Hebræus rationem assignat, cur Deus, utpote summum bonum existens, creaturæ se non communicet, quantum communicabilis est, nimirum : « Creaturæ infirmitas impar est eorum « bonorummagnitudini, succumberetque, nisi Deus « pro cujusque portione moderaretur gratiam. » Pari quoque modo dicere possumus, quod Deus in hoc sacramento, se creaturæ uniens, et communicans, nostræ se accommodare voluerit incapacitati, et debilitati, ideoque humanitatem, et Divinitatem suam sub accidentibus panis et vini abscondere voluerit, quia « creaturæ infirmitas impar, etc. » Nullus etenim majestatis, infinitatis, et divinitatis suæ reverberationem sustinere potuisset, nisi sub cortinis specierum sacramentalium occultata fuisset.

**3.** — Divus Chrysologus benignitatem Christi considerat, qua Salvator noster cum unoquoque indifferenter conversabatur, absque eo quod se manifestaret illis, quis esset; unde Pharisæi murmurabant, et improperabant discipulis ejus, dicentes [8] : *Cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester* ? nec mirum, inquit D. Chrysostomus quia : « Majestatem texit, qui fragilem studuit parentis « amore complecti. » Pergit idem sanctus in eodem sermone et Christum convivio Matthæi cum publicanis accumbentem adducit, dicens [9] : « Discum- « bebat Jesus plus in Matthæi mente, quam sigmate,

[1] MATT., ult. — [2] S. GREG., *ib.* — [3] LYR., *ib.*

[4] DROG. OST., l. *de sac. Dom. Pass.*— [5] I TIM., VI, 17. — [6] SAP., III, 7.— [7] S. GREG. NAZ., *in Pasch.*— [8] MARC., I, 16. — [9] CHRYS., s. 29.

« et epulabatur non cibis, sed reditu peccatoris, ut « revocaret convivio, humanitatis affectu, dulcissi- « ma sui confabulatione discumbentes, quos sciebat « posse judicis agnita potestate dissolvi, percelli « terrore Majestatis suæ, de nuda mox præsentia « posse prosterni, velatum humano corpore, qui « homini voluit subvenire. » Quod si Christus in Eucharistia se conspiciendum exhiberet, eo modo, quo in throno Majestatis sedet ad dexteram Patris, quo modo eum adorant Dominationes, tremunt Potestates; quis non sanctum quemdam horrorem concepturus fuisset, timens propriam indignitatem, ejusque sublimitatem supremam? Nunc autem quia in hoc sacramento videri se facit sub speciebus panis et vini, quæ sunt materia homini adeo consentanea, nos quasi inescat, et ad hanc mensam dulciter allicit, et trahit. Ven. Thomas a Kempis in lib. IV. ubi de communione fusius tractat, ita scribit[1] : « Habeo te in sacramento vere præsentem, quamvis « aliena specie occultatum ; nam in propria, et « divina claritate te conspicere oculi mei ferre non « possent, sed neque totus mundus in fulgore « gloriæ Majestatis tuæ subsisteret. In hoc ergo « imbecillitati meæ consulis, quod te sub sacra- « mento abscondis : habeo verè, et adoro, quem « Angeli adorant in Cœlo, sed ego adhuc interim « in fide, illi autem in specie, et sine velamine ; me « oportet contentum esse in lumine veræ fidei, et « in ea ambulare, donec aspiret dies æternæ clari- « tatis, et umbræ figurarum inclinentur. » Hugo de S. Victore inter alias rationes, ob quas se Christus in hoc sacramento velatum exhibet, hanc pariter adfert[2] : « Quia non posset mortalis homo intueri « claritatem, quæ esset in corpore Christi, quam « experti sunt discipuli in transfiguratione. » S. Laurentius Justinianus *de casto connubio*, hoc punctum similiter tangit, dum ait[3] : « Prudentissimo igitur « Dei Verbum usum fuisse consilio perspicue cla- « ret, ut se corporaliter daret hominibus, et tamen « accidentibus velatum, quatenus ex præsentia no- « sceretur charitas, et per operimentum visibilis « formæ, humana ad ipsum accedere valeret infir- « mitas. Dignum quippe fuit, ut institutio hæc « sacramentalis potius ad charitatis promotionem, « quam timoris ordinaretur fidelium. » S. Job his quondam verbis Deum affabatur[4] : « *Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum ?* Hic autem fit omnino contrarium, tantum enim abest, ut ejus sub hac nube absconsio, modici sit amoris indicium, ut potius majoris benevolentiæ et benignitatis sit expressio. Quando rex aliquis vel monarcha, deposito sceptro, corona, purpura et quovis alio regiæ majestatis signo, peregrina veste indutus, cum sibi dilectis familiariter conversatur, utique hoc manifestum est affectus, magnæque æstimationis indicium, quia se ipsis parem, et similem nititur exhibere. Ita quoque in hoc sacramento Christus Rex gloriæ, omnem majestatis apparatum deserit, et sub grata panis, et vini specie se nobis ob oculos ponit, quia amor nomen Majestatis ignorat. *Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi*, inquit Christus [1] in hoc sacramento ; eumdem quoque amicorum titulum Apostolis attribuit, quando eos communicavit[2] : *Vos autem dixi amicos.* Nobiles domicellæ in usu positum habent, quo velata facie in publicum procedant, aliquam tamen vultus sui partem discoopertam relinquentes ; id eo potissimum fine faciunt, ut tanto magis sui desiderium in amatoribus suis excitent. Quando Christus in personato peregrini habitu se discipulis in Emmaus abeuntibus occuluit, dixerunt ad invicem[3] : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis* ? non vero idem locuti sunt, quando illum revelata facie cognoverunt.

**4.** — Isaias propheta, qui futuros Evangelicæ legis eventus prophetizavit, Deum in throno majestatis sedentem quidem, sed beatorum spirituum, alis velatum conspexit[4] : *Duabus velabant faciem ejus, et duabus volabant.* Sed quinam erant hi angeli ? num forte principatus, throni, potestates ? nequaquam, sed Seraphini erant, qui divino amore exardescebant ; nimirum per hanc visionem nobis insinuare voluit, quod, quando majestas Altissimi se velatam nobis conspiciendam præbet, infallibile hoc sit majoris benevolentiæ et amoris indicium. Verum enim vero, ex quo Seraphinorum mentionem facere cœpimus, opportune mihi hic incidit Cherubinorum illorum memoria, qui propitiatorium arcæ alis suis abscondebant[5] ; *Cherubim utrumque latus propitiatorii tegant* ; at vero scitisne causam, cur Deus id ita ordinaverit, inquit Oleaster ; nimirum « summus benefactor est, et nihilominus tectus, « ut te doceat benefacere, et nolle videri ; » idipsum quoque huic benefactori adaptare possumus, qui in hoc cœlesti pane se oculis nostris abscondere voluit.

**5.** — S. Bernardinus aliud hujus mysterium his verbis tangit[6] : « Exigit malorum indignitas, quod « veletur, sicut indiget æger oculus, ut sibi Sol, « et quodlibet lumen tegatur ; in hoc erga pecca- « tores misericorditer agens benignitas Salvatoris, « nisi enim accidentibus velaretur, ac nudum aspi- « ceretur corpus Christi, hoc forte aspectu peri- « rent ». Id quod ex illo lib. I Reg. textu, ubi de Bethsamitis sermo est, confirmat, dicens[7] : « Mys- « tice figuratur in Bethsamitis, qui percussi et « interfecti sunt, eo quod arcam Domini conspexis- « sent, quæ sacramentum corporis Christi præfigu- « rabat. »

[1] Thom. a Kemp., l. V, c. 11. — [2] Hugo Vict., *Erud. Theol.* — [3] S. Laur. Justin., *de casto connub.* — [4] Job, XIII, 25.

[1] Cant., V, 1. — [2] Joan., XV, 13. — [3] Luc., XXIV, 32. — [4] Isa., VI, 2. — [5] Exod., XXV, 15. — [6] S. Bernard., t. II, s. 54. — [7] I Reg., VI.

**6.** — S. Bonaventura aliud nobis, a multis pariter sacris Doctoribus insinuatum, adducit ejusdem causæ mysterium, dicens[1] : « Ne humana infirmitas a tactu carnis horreret, consueti, et principalis edulii specie illam velavit (scilicet Eucharistiam) et sic sumendam illam proposuit » ; quam eamdem rationem, alias inter plures alibi quoque replicat, dicens : *propter horrorem cruditatis*. Prima omnium vice, qua Christus apud Hebræos hujus sacramenti meminit, asserens, se iis carnes suas in cibum, sanguinemque in potum daturum, hoc loquendi modo scandalizati, utpote ineffabilem Eucharistiæ modum non intelligentes, dixerunt inter se[2] : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ?* Quibus ex verbis hanc consequentiam deducit S. Paschasius, inquiens : « Quanto magis adhuc « inscii, et perfidi ista durius ferrent, et culparent, « Christianos fore immundissimos, quod carnem « hominis comederent et potarent sanguinem ? » qui idem sanctus paulo ante verba præmiserat sequentia, inquiens : « Durius esset contra consuetudinem humanam, licet carnem salutis, tamen « carnem hominis Christi in speciem et colorem ipsius mutatam et vinum in cruorem conversum accipere ; » similiter in Bollando hæc verba leguntur[3] : « Erat apud Brandanum laicus quidam infidelis, qui non credebat, quod verum corpus, et « sanguis Domini esset panis, et vinum, quæ super « alta offerantur. Nocte Paschæ cum Brandanus « corpus Christi offeret venit ipse laicus, ut sacrificii partem de mensa acciperet, vidit manus « supra, et calicem plenum sanguine, et perterritus noluit accipere. » Quod miraculum quamvis ad miseri hujus convincendam incredulitatem perpetratum fuisset, illum tamen sanguinem sumere non presumpsit.

**7.** — *En, ipse post parietem, etc.* S. Bernardus in sermone de ultima Cœna, ut Christus sub speciebus sacramentalibus abscondi voluerit, causam assignat, dicens[4] : « Odor, species, sapor, pondus remanet « ad mysterii ritum, et ad gustus suffragium, ut « horror penitus tollatur, et meritum sortiatur. « Etenim ne humana infirmitas esum carnis, et « potum sanguinis in sumptione horreret, Christus « velari, et palliari illa duo voluit speciebus panis « et vini, quæ inter humani generis victualia quodammodo tenent principatum. » Quam eamdem rationem, varia inter alia hujus materiæ mysteria, in longo quodam sermone sanctus quoque Laurentius Justinianus in medium adducit, dum ait[5] : « Illud quippe corpus, quod recubuit in præsepio, « Mariæ requievit in gremio, verissime in hoc tuo « sacramento percipimus, in propria quidem na« tura, sed sub alia specie, non autem absque « maximo Sapientiæ tuæ mysterio. Quis hominum « non expavesceret humanam carnem, ejusque « cruorem manducare, et bibere ? » Qui idem sanctus aliud quoddam, consideratu dignum, subnectit motivum, quod a personæ, quæ nobis in cibum datur, consideratione desumit, cum enim sit ipsummet corpus et sanguis Christi, innocentissimi agni, quis hunc, aut illud in propria figura sumere præsumpsisset ? « Et potissimum Dei, et Domini « sui innocentis, et sancti (verba sunt dicti Beati) « hujusmodi escam mortalium perhorrescit na« tura. » Cui eidem rationi insistit S. Bonaventura inquiens[1] : « Nec convenit Christi carnem dentibus « attrectare, et propter immortalitatem ipsius « corporis, ideo necesse fuit, corpus et sanguinem « tradi velatum sacratissimis symbolis, et similitu« dinibus, et expressis. »

**8.** — Qui idem sanctus aliud pariter, consideratione dignissimum, facti hujus attingit mysterium verbis sequentibus[2] : « Quia statui viæ non com« petit Christum aperte videre, propter velamen « ænigmatis. » *Videmus autem nunc per speculum in ænigmate*, ut Apostolus inquit[3], *tunc autem facie ad faciem*. Quem favorem S. Bernardus prosequens, ita Ecclesiam, et unamquamque animam fidelem alloquitur[4] : « Gloriosa, et amabilis sponsa « in terra sponsum habes in Sacramento, in Cœlis « habitura es sine velamento ; et hic, et ibi veritas, « sed hic palliata, ibi manifesta. » Quæ circumstantia in ipsa etiam sacramenti hujus institutione designata fuit, utpote per noctem facta, siquidem *in qua nocte tradebatur etc.* scilicet ad denotandum, quod in hoc sacramento nostros velit latere oculos in præsenti, ille, cui dictur[5] : *Vere tu es Deus absconditus*. De se equidem protestatur, dicens[6] : *Ego sum lux mundi* ; ast hunc ipsum fulgorem sub dicta accidentium nube velare voluit, quia scilicet sacramentum hoc beatitudinis pignus est, ideoque non modo, sed primitus post mortem *revelata facie gloriam Domini speculabimur*[7], interim pro statu præsenti, oculo fidei instructi.

**9.** — *En, ipse stat post parietem, etc.* Dionysius Carthusianus verba hæc sequenti dilatat glossa, inquiens[8] : « Quasi dicat, habet se instar amatoris, « qui ad domum veniens suæ dilectæ, non statim « ingreditur, sed per fenestras, cancelosque prospicit ; et aliqualiter se ostendit, quatenus majori « sui desiderio accendat amicam ; sic et sponsus « iste, infinitam suam amabilitatem, suavitatemque « aliqualiter nunc pandit, et intuendam præbet, « ut vehementius incalescas ad clarum, et beati« ficum ejus intuitum. » Hoc tamen non obstante, Deus diversis, iisque magis illuminatis, servis suis hanc sæpius præstitit gratiam, ut ipsum in sacra-

[1] S. Bon., *in Joan.* — [2] Joan., VI, 61. — [3] Bolland., t. I, feb. 1, *de S. Brig.* — [4] S. Bern., *in Cœna Dom.* — [5] S. Laur. Just., *de Euch.*

[1] S. Bonav., *ib.* — [2] Id., *ib.* — [3] I Cor., XIII, 12. — [4] S. Ber., *in Cœn. Dom.* — [5] Isa., XL, 15. — [6] Joann., VIII, 12. — [7] II Cor., 18. — [8] D. Cart., *ib.*

mento hoc quasi *revelata facie* intuerentur, lumine gloriæ confortati ; qui rarus favor alios inter electos sancto pariter obtigit Philippo Nerio ; cujus singularis privilegii memor Drogo Ostiensis, postquam docuisset, in nube sacramentum hoc præfiguratum fuisse, quæ in transfiguratione Christi Apostolos obumbravit, ita Christum alloquitur [1] : « Moyses, « et Elias tecum apparuerunt in monte, sed nubes « lucida obumbravit eos ; veruntamen illis sicut « amicis, et domesticis sacramenti tui nubes erat « perlucida, quæ nobis jacentibus, et projectis « a facie oculorum tuorum, valde subobscura « est. »

**10.** — Nota est illa sive historia, sive fabula, qua Zeuxis, pictorum celeberrimus, canistrum quoddam uvis, tam naturaliter ad vivum depictis, plenum pinxisse fertur, ut aves certatim ad illas degustandas advolarint. Parrhasius ad ejus æmulationem quadrum quoddam depinxit, veluti velo quodam obductum, per quod elegans pictura transparebat ; quam Zeuxis videns, velum sibi submoveri petiit, ut tanto magis perspicue artis præstantia promicaret ; sed mox cognito artificio, se ab eo divictum esse fassus est, dicendo : Ego aves delusi, tu vero homines, eosque in arte pictoria exercitatissimos. Porro Christus in sacris Canticis per uvæ botrum designatur [2] : *botrus Cypri Dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, et quidem adeo naturaliter expressus, ut aves, id est, dæmones advolantes (*volucres cæli comederunt illud*, inquit Christus [3], per volucres spiritus malignos intelligens) delusi fuerint, illum, hominem, et non Deum existimantes, ignorantesque, sub humanitate illa, veram absconditam delitescere divinitatem. Et licet hoc eximium Sapientiæ opus fuerit, in velo tamen hujus sacramenti divina Sapientia multo excellentius emicuit, siquidem sub hoc velo mirabiliter abscondere potuit, non solum divinitatem, sed etiam humanitatem, simulque efficere, ut fideles fidei lumine adhibito, ambas naturas revelata quasi facie conspicere possent ; quod aliud quoddam mysterium est, a SS. Patribus recensitum. « Quid valeret fides tua », inquit S. Bonaventura [4], « si Christus in propria forma « visibilis tibi appareret ? certe et coacte eum « adorares, aut quomodo carnales oculi tantam « gloriam ferre possent ? » Hugo de S. Victore pariformiter inquit [5] : « Sub sacramento, et non « sub propria forma sumitur, ut fides conprobetur, « quæ est de iis, quæ non videntur » ; unde Ecclesia canit [6] : « Quod non capis, quod non vides, « animosa firmet fides. » Deus olim agnum paschalem, non crudum, sed tostum manducari præcepit ; cujus motivum morale a Commentatore Nazianzeni his verbis adducitur [1] : « sanctam illam escam « crudam accipit, qui fidem inertem, et frigidam « habet ; » quanto enim Deus in puncto vix visibilis hostiæ magis absconditur, tanto vivacior est fides illius, qui illum tanquam verum Deum in eadem agnoscit, et admiratur, videlicet tanquam eum, qui apud Jeremiam dicit : *Nunquid non cœlum, et terram ego impleo, dicit Dominus* ? S. Ephrem *de natura Dei curiose non scrutanda*, optime proinde nos monet, dicens [2] : « Participa immaculatum « Corpus, et sanguinem Domini tui, fide plenissima, « certus quod agnum ipsum integre comedas. » Imo S. Paschasius dicere non dubitat, quod juxta fidei nostræ proportionem, de hoc agno immaculato plus minusve participaturi simus : « Dilata, inquit [3], « sinum mentis tuæ, emunda conscien- « tiam, et percipe, non quantum mica exhibet, sed « quantum fides capit, quia in Christo plenitudo « divinitatis manet, in te autem de plenitudine, « non quanta est, sed quantum idoneus fueris, « præstatur. » Divus quoque Chrysostomus sanctum hoc exercitium nobis commendat communicaturis, dum ait [4] : « Cum fide accedere non est, « ut tantummodo propositum corpus recipias, « verum etiam multo magis ut mundo corde « tangas, ut sic adeas, quemadmodum ad ipsum « Christum ».

[1] Drog. Ost., l. I *in sac. Dom.* — [2] Cant., I, 14. — [3] Luc., VIII, 5. — [4] S. Bon., t. VII *de præp. ad miss.* — [5] H. Vict., *ib.* — [6] Nic., or. 42.

## DISCURSUS LI.

### DE VARIIS RATIONIBUS, ALTISSIMI HUJUS MYSTERII VERACITATEM, ET POSSIBILITATEM PROBANTIBUS.

Idea sermonis. — 1. Omnis ambiguitas circa hoc Sacr. procul abigatur. Nam Christus prima veritas illi fert testimonium. Et hinc non est relictus ambigendi locus. — 2. Tota S. Trinitas huic Sacr. dat testimonium. Christus S. Paulo per seipsum revelavit hujus Sacr. institutionem. — 3. Dubitantibus respondet cum Gabriele : Non est impossibile apud Deum omne verbum. In quo symboli articulo contineantur hoc Sacr. De Spiritus S. cooperatione in hoc Sacr. dubitare non licet. — 4. Deus per omnipotentiam suam plus facere potest, quam nos intelligere. Rationes SS. Patrum convincentes, vacillantes in fide hujus Sacramenti. — 5. Ipse dæmon admisit in Christo possibilitatem Euch. Virtute divina alii Sancti facere potuerunt tales transmutationes. — 6. Sicut lutum in manibus Dei mutatum fuit in hominem, sic e panis in manibus Christi mutatus fuit in corpus. — 7. Possibilitas transubstantiationis, probatur ex tribus capitibus. — 8. Probatur etiam experientia. — 9. Quomodo Corpus Christi simul esse possit in diversis locis. — 10. Alia naturalis et efficax ratio. — 11. Aliæ rationes Christi in Eucharistia. — 12 In hoc mysterio solummodo anchoræ fidei fidendum est.

[1] Jerem., XX. 24. — [2] S. Ephrem, t, III. — [3] S. Pasc., c. 17. — [4] Chrys., h. 51 *in Matt.*

*Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Joan., VI, 56.

**1.** — Hebræi increduli Salvatorem nostrum die quadam, ut verax aliquod divinitatis suæ signum ederet, rogarunt, dicentes[1] : *Quod tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi, quid operaris ? Patres nostri manducaverunt Manna in deserto, sicut scriptum est : panes de cœlo dedit eis manducare.* Qua eadem vice Christus, prima omnium vice, infallibilem illis Eucharistiæ promissionem stipulatus fuit, dicente Evangelista : *Dixit ergo eis Jesus : Amen, Amen, dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum* ; nec solum illis per hæc verba transubstantiationem panis in corpus suum futuram indicare voluit, verum etiam simul veracitatem hujus sacramenti, per modum cibi et potus instituti, insinuavit, subjungens : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, id est, ut S. Paschasius exponit[2], « Non alia plane, quam quæ nata est de Maria, et « passa in cruce, resurrexit de sepulcro. » Hæc, inquam, ipsa est, et ideo Christi caro est, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur. Idem sanctus Pater in quadam Epistola omnem a nobis in hac tam difficili materia perplexitatem removere satagens, per citatam Eusebi Emisseni auctoritatem inquit : « Recedat omne infidelitatis ambiguum, « quandoquidem qui auctor est muneris, ipse « etiam testis est veritatis ». Christus enim ipse, qui prima et æterna veritas est[3], *cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, de hoc sacramento directe et immediate testimonium perhibuit ; unde S. Thomas de Villanova ait[4] : « Sed quid, obsecro, magnum est, si Christo Do- « mino creditur ? Christus ait : *Hoc est Copus meum*, « et super hoc quispiam audeat hæsitare ? nam etsi « quæ dicuntur, ardua, et difficilia sunt ad creden- « dum, fidei tamen minuitur difficultas, ubi dicentis « consideratur auctoritas, noli considerare quod « dicitur, sed quis dicat, attende ». Ut enim quis rei, ad credendum difficili, fidem adhibeat, asserentis auctoritas totum præstat ; jam vero prima, æterna, et infaillibilis veritas, quæ de se ipsa dicit[5] : *Ego ad hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati ; omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam* ; hæc, inquam, prima Veritas asserit : *Caro mea vere est cibus, etc.* S. Laurentius Justinianus ingeniose ad hoc se reflectit, quod Christus ipsemet in propria persona sacramentum hoc instituere voluerit, velitque semper ipsemet, in persona sacerdotis, idipsum consecrare, ut fidem tam ineffabilis et imperscrutabilis mysterii tanto magis stabiliret ; unde ait[6] : « Cœterum ad « roborandam credulitatem fidelium, nullum præter « se, hujus institutorem voluit fieri Sacramenti, « non Prophetam, non Patriarcham, non justum, « non Angelorum quempiam, sive de inferioribus, « sive mediis, sive superioribus. Ipse plane illud « instituit, qui semetipsum tradidit, cujus eloquia « verissima sunt, cujus Sapientia falli nullatenus « potest, cujusque sententia mutari nequit. » Idem quoque punctum S. Hilarius his verbis tangit[1] : « Ipse ait : *caro mea vere est esca, et sanguis meus* « *vere est potus, et qui edit carnem meam, et bibit* « *sanguinem meum, in me manet, et ego in eo.* De « veritate carnis, et sanguinis, non est relictus « ambigendi locus : nunc enim, et ipsius Domini « professione, est fide nostra, vere caro est, et « vere sanguis est. » S. Laurentius Justinianus observat, quod Christus ad hanc indubitatam Eucharistiæ veracitatem tanto magis authenticandam, eamdem tunc instituere voluerit, quando etiamnum passibili corpore circumamictus erat[2] : « ne errares in fide, » inquit, « et a veritatis semitis « devians, male de Christo in hoc sacramento sen- « tires, se dedit in cibum, dum adhuc esset passi- « bilis, cum videretur, cum tangeretur, cum agno- « sceretur, cum præsens loqueretur. » Enimvero Discipuli post resurrectionem, a principio, de ejus corpore non admodum certi fuere ; unde ad omnem dubietatem a mentibus eorum pellendam, dixit eis[3] : *Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet* ; ac proinde Christus tunc nobis corpus suum in cibum dare voluit, quando de realitate minime dubitari poterat, quando passibilis erat, non vero potsquam factus est gloriosus, et immortalis ; tunc igitur[4] *benedixit, fregit, deditque discipulis suis*, et quidem notanter panem consecratum fregit, in signum, quod passibilis esset. S. Bonaventura hoc infallibllitatis punctum sequentibus verbis inculcat[5] : « Quid enim dubitationis in « hoc Sacramento remanet, quod a Christo tam « expresse traditum, ab Apostolis prædicatum, a « SS. Patribus orthodoxis tot centenariis annorum « præfiguratum, tantisque ceremoniis, tot mira- « culis, et prodigiis, et observantiis quasi testimoniis « palpabilibus vides confirmatum ? tolle hoc « sacramentum de Ecclesia, et quid erit in mundo « nisi error, et infidelitas ? » ex quibus ultimis verbis clare deducitur, quod deficiente in Ecclesia hoc sacramento, defectura quoque esset veritas in mundo, ipseque mundus omnis erroris, et infidelitatis caliginæ obfuscandus.

**2.** — S. Laurentius Justinianus[6] celeberrima illa S. Joannis verba in medium adducit[7] : *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, e*

[1] JOAN., VI, 30. — [2] S. PASCH., l. *de Corpor. et Sang. Dom.* — [3] MATT., XIV, 25. — [4] S. THOM. DE VILL., *in die Corp. Chr.* — [5] JOAN., XVIII, 37. — [6] S. LAUR. JUSTIN., *de Euch.*

[1] S. HIL., l. VIII *de Trin.* — [2] S. LAUR. JUST., *ib.* — [3] LUC., XXII, 39. — [4] I COR., XI, 24. — [5] S. BON., t. VII *de præp. ad miss.* — [6] S. LAUR. JUST., *de Euch.* — [7] JOAN., V, 7.

*Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt*; Pater quidem testimonium perhibuit Filio, dum ait [1]: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*: Verbum vero de semetipso clare asserit: *Accipite, et manducate, hoc est corpus meum.* « Denique Spiri- « tus Sancti vis nosse testimonium ? ex vaticiniis « prophetarum, et et priscæ legis id sufficienter « invenies; verum si in exordio nascentis Ecclesiæ « observes, qualiter post Spirilus Sancti adventum, « sacramentum hoc frequentari cœpit, proculdubio « ipsius Paracliti illud testimonium fuisse per- « cipies. » Cum igitur Spiritus Sanctus huic sacramento testimonium perhibeat, qui Spiritus est veritatis, quis illud deinceps in dubium revocare poterit [2] ? *Rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Doctor Angelicus, verba Beatæ Virginis adducit, quæ circa mysterium incarnationis Verbi protulit, quando intelligere nequibat, quomodo hæc in ipsa, voto virginitati obnoxia, compleri possent [3]: « *Quomodo fiet istud*, « hoc ait Virgo, *quoniam virum non cognosco* ? « respondit: *Spiritus Sanctus superveniet in te* « *et virtus Altissimi obumbrabit tibi*: et tu quæris, « quomodo panis fiat corpus Christi ? et ego dico « tibi: Spiritus Sanctus superveniet, et ipse faciet « hæc, quæ super naturam sunt et intelligentiam. » Cum enim hoc sacramentum, mysterium quoddam sit ineffabile, transcendens omnem humanam, et Angelicam intelligentiam, et capacitatem, incarnatæ Sapientiæ summæ curæ fuit, ut illius vivam quamdam fidem fidelibus imprimeret, ac proinde prima vice, quando in Joannis cap. VI omnium primo de hoc sacramento locutus fuit, sæpius usus est verbis, veracitatem illius adeo perspicue declarantibus, ut nulla prorsus glossa indigeant. Similiter S. Paulus in Epistola ad Corinthios de hoc sacramento *ex professo* tractans, Christum ipsummet, sibi per immediatam revelationem hujus sacramenti institutionem recensuisse protestatur, dum ait [4]: *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem etc.* Imo ab omnibus aliis Apostolis aliter dicit potuit [5]: *Hanc vocem nos audivimus* (id est, *hoc est Corpus meum*) *cum essemus cum ipso, habemus firmiorem propheticum sermonem etc.* Unde Salmeron salubriter nos monet, ut de credulitate hujus Sacramenti tentati, imitemur Virginem, dicentem: *quomodo fiet istud* ? et audientem: *Spiritus Sanctus, etc.* Similem nos afferre debemus prudentiam, ut cum sensus, et ratio humana scrupulum aliquem ingerant, dicant [6]: « *Quomodo fiet istud*, ut tantus Christus sub tam « parva hostia delitescat, aut qua ratione mundi « Conditor in vile pectoris nostri tuguriolum subin- « trare velit ? prudentia tunc dicat: ad Spiritum « Sanctum et virtutem Altissimi, cui nihil est « impossibile, et qui nos ardentissimo amore prose- « quitur, spectandum esse; si enim non ederes, « nisi ea, quæ intellectu tantum cognoscuntur, et « quomodo sint condita, et qua ratione nos alere « possent, comprehendere valeres, pauca sane, et « prorsus nihil ederes. » Idem auctor in Trac. 21 ejudem Tom. ex S. Joa. Damasc. eamdem adducit considerationem. « Si modum requiris, quoniam « pacto fiat, » inquit Damascenus [1], « sat tibi sit « audire, quoniam per Spiritum Sanctum, quemad- « modum ex sanctissima Deipara, seipsum, et « in seipso Dominus carnem sustentavit, et nihil « aliud cognoscimus, quam quod Verbum Dei « verum est, et efficax, et omnipotens, modus autem « incrustabilis. »

**3.** — Eucharistia, juxta communem sacrorum Interpretum opinionem, Incarnationis est extensio, ideoque Ecclesia in missa de sanctissimo Sacramento, præfatione utitur in festo Annunciationis dici solita, ubi inter alia hæc canuntur verba: « Per incarnati Verbi mysterium, *etc.* » quemadmodum igitur Archangelus ad Mariam dixit [2]: *Non erit impossibile apud Deum omne Verbum*; ita quoque in præsenti asserere licet, non esse Verbo, quidquid voluerit, impossibile. Quapropter et S. Joannes forsitan, priusquam sacramenti hujus institutionem, in ultima cœna factam, commemoraret, hæc præmisit verba [3]: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Cui argumento stabiliendo subserviet solemnis illa inter Doctores controversia, disceptantium, in quo symboli apostolici articulo, sacramentum hoc, quod per antonomasiam dicitur *mysterium fidei*, contineatur. Alii substinent, ipsum insinuari in verbis illis *Sanctorum communionem*: ast S. Thomas illud implicite in verbum *Deum omnipotentem* includi asserit [4], quia scilicet divinæ opus est omnipotentiæ. Unde et in canone, priusquam ad consecrationem procedamus, dicimus: « Elevatis « oculis ad te Deum Patrem omnipotentem. » Quo pariter in canone hæc alia proferimus verba, ejusdem expressiva mysterii, scilicet: « Accepit panem « in sanctas ac venerabiles manus suas; » manus autem, potestatis est symbolum; unde Isaias dicit [5]: *Non est abbreviata manus Domini.* Quibus ex verbis tale formo argumentum: non est limitata omnipotentia Dei, ergo potuit instituere hoc sacramentum, ergo non debet nostra circa hoc vacillare fides, modo, ut suppono, ejusdem admittamus auctoritatem et potentiam; quam nobis adumbrare conatur A. Algerus, dum ait [6]: « Ipse est « Deus, qui omnia, quæcumque voluit, fecit in cœlo « et in terra; caro ejus ipsa est, cui data est

[1] Luc., IX, 25. — [2] Joan., XIV, 57. — [3] S. Thom., op. 58, c. 13. — [4] I Cor., XI, 23. — [5] II Petr., I, 18, 19. — [6] Salm., t. IX, tr. 49.

[1] S. Joan. Dam., l. IV, c. 14 *orth. fid.* — [2] Luc., I, 37. — [3] Joan., XIII, 3. — [4] S. Th., p. q. 1, a. 8. — [5] Isa., LIX, 1. — [6] B. Alg., l. II *de sac.*

« omnis potestas in cœlo et in terra, ut potestate « tali sit in unitate personæ, in cœlo et in terra, « quandocumque, quomodocumque sibi pla- « cuerit. » Christus igitur sacramentum hoc instituit, postquam ei Pater æternus, ut diximus, omnipotentiæ divinæ plenitudinem communicasset, dicente Evangelista : *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus ;* neque etiam de Spiritus Sancti cooperatione et concursu in hoc sacramento quidquam dubitare licet, siquidem ut S. Paschasius ait [1] : « Spiritus Sanctus qui hominem Christum « in utero virginis sine semine creavit, etiam ipse « panis, ac vini substantiam, carnem Christi et « sanguinem, invisibili quotidie potentia, per sacra- « menti sui sanctificationem operatur, quamvis nec « visu exterius, nec gustu saporis comprehen- « datur. » Imo in XIII cap. ejusdem libri, idem sanctus sanctissimæ Trinitati miraculosam hanc actionem attribuit, inquiens : « Qui Verbo cuncta « creavit, hæc Verbo una cum Spiritu Sancto coo- « peratur, et ideo nihil dubitandum, ubi Deus « Trinitas jure opifex creditur. » Quemadmodum igitur de opere incarnationis Verbi, in utero virginali, dubitare non licet, ita nec de hoc sacramento, imo multo minus quiquam ambigere potest [2] : « Neque ab alio (verba sunt dicti sancti) « caro ejus creatur et sanguis, nisi a quo creata « est in utero virginis, ut Verbum caro fieret. Caro « Christi eodem verbo fit caro, quo Verbum caro « factum est, et habitavit in nobis. » Porro S. Bonaventura modum, quo mystica hæc verbis consecrationis patretur incarnatio, edocet nos, dum ait [3] : « Quibus verbis, cum intentione conficiendi, « a Sacerdote prolatis, transubstantiatur utrumque « elementum, secundum substantiam in Corpus et « sanguinem Jesu Christi, remanentibus specie- « bus sensibilibus, in quarum utraque continetur « totaliter, non circumscriptibiliter, nec localiter, « sed sacramentaliter totus Christus. » Cujus panis in carnem, vinique in sanguinem transubstantiationis hanc assignat rationem Guillelmus Parisiensis [4] : « Justum et consentaneum est, quod « adveniente vero pane, cedat materialis ; neque « est ejus injuria, imo ejus Creatoris est, ut ei « advenienti honorem deferat creatura, relinquens « ei penitus locum suum, et cætera quæ ab eodem « Creatore acceperat, utpote albedinem, saporem « et quantitatem. »

**4.** — Ut autem hac in materia, omnem excedente humanam intelligentiam, nostra nullatenus vacillet fides, hoc jaciendum est fundamentum, scilicet Deum per Omnipotentiam et infinitam Sapientiam suam, plus operari posse, quam nos intelligere, aut comprehendere ; unde S. Hilarius a S. Bernardino citatus, ait [1] : « Quod Deus plura « facere potest, quam videtur intelligere intellec- « tus. » Quapropter et Doctor ille, qui in cœlo scientiam suam hauserat, exclamabat [2] : *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus !* quis enim unquam capere poterit, qualiter Deus per unicum divinæ voluntatis suæ actum liberum, cœlum, et terram ex nihilo ad esse tam nobile, et amplum eduxerit ? *Altitudinem cœli,* inquit Ecclesiasticus [3], *et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est ? Sapientiam Dei, præcedentem omnia, quis investigavit ?* et tamen verissimum esse credimus, quod David ait [4] : *Dixit et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt.* Cum igitur Deus in hoc sacramento altaris, ut in sequenti discursu videbimus, omnia sapientiæ, et omnipotentiæ suæ miracula et portenta, veluti in brevi quodam epilogo recludere voluerit ; *memoriam fecit mirabilium suorum,* quid mirum si etiam hic per modica verba, sub speciebus sacramentalibus, sanctissimum suum consecret corpus ? Audiatis velim, qualiter S. Ambrosius in hac materia disserat, ut vacillantem in fide tanti mysterii convincere possit [5] : « Tu forte dicis, » inquit, « meus panis est usita- « tus, sed panis iste panis est ante verba sacra- « mentorum, ubi accesserit consecratio, de pane « fit caro Christi. Hoc igitur astruamus ; quomodo « potest, qui panis est, corpus esse Christi ? conse- « cratione. Consecratio igitur cujus verbis est, et « quibus sermonibus Domini Jesu utitur sermoni- « bus Christi, ergo sermo Christi hoc conficit sa- « cramentum, quis sermo Christi nempe is, quo « facta sunt omnia, jussit Dominus, et factum est « cœlum ; jussit Dominus, et facta est terra ; jussit « Dominus, et facta sunt maria ; jussit Dominus, « et omnis creatura generata est. Vides ergo, quam « operatorius sit sermo Christi ? si ergo tanta vis « est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, « quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut « sint, quæ erant, et in aliud commutentur ? » Albertus Magnus in quodam sermone de hoc sacramento, sequentem adducit S. Ambrosii auctoritatem, illamque in forma argumenti hoc modo proponit [6] ; « de totius mundi operibus legitur, quod « *ipse dixit, et facta sunt* ? sermo ergo, qui potuit « facere ex nihilo, quod non erat, non potest ea « quæ sunt, in id mutare, quod non erant ? non « enim minus est dare novas, quam mutare rerum « naturas. » Eusebius Emissenus pariter his verbis idem conficit argumentum [7] : « ergo sicut ad nutum « præcipientis Domini, repente ex nihilo substite- « runt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta « terrarum, pari potentia in spiritualibus sacra-

[1] S. Pasch., l. *de Corp. et sang. Dom.* — [2] Id., *ib.* — [3] S. Bon., t. VI *Brev.* — [4] Guill. Paris., *de Euch.*

[1] S. Bern., t. II, ser. 54, a. 2. — [2] Rom., XI, 33. — [3] Eccl., I, 2. — [4] *Ps.* XXXII, 9. — [5] S. Amb., l. IV *de sac.* — [6] Albert. Mag., s. 11 *de corp. et sang. Dom.* — [7] Euseb. Emiss., h. 5 *de Pasch.*

« mentis verbi præcipit virtus, et servit effectus » dicere enim Verbi, operari est; dixit et facta sunt unde eodem momento, quo Christus in persona sacerdotis profert hæc verba : *hoc est Corpus meum hic est sanguis meus*, creatura locum creatori suo cedit, nam ut S. Paschasius ait : « Verba Christi « sicut divina sunt, ita efficacia, ut nihil aliud « proveniat, quam quod jubent, quia æterna sunt: « *Cœlum*, inquit, *et terra transibunt; verba autem « mea non transibunt*, sed facient omnia, ad quæ « missa sunt, quia Patris non nisi unum et sub- « stantivum, et consubstantiale, et sempiternum « est Verbum. » Idem quoque sanctus observat, quod Christus, postquam prima vice consecrasset, Ecclesiæ dixerit : *hoc facite in meam commemoranem*, et ideo subjungit : « sed ne forte putares, « quod de illo uno tantum pane, et in illa una « hora hoc comesse jusserit, adjunxit, et ait : *hoc « facite in meam commemorationem.* » Idem quoque Paschasius in epistola quadam sequentem adducit Eusebii Emisseni doctrinam dicentis[1]: « Nec dubitet « quispiam primarias creaturas nutu potentiæ, « præsentia majestatis, in dominici corporis tran- « sire posse naturam, cum ipsum hominem vi- « deat, artificio cœlestis misericordiæ Christi corpus « effectum. » Albertus Magnus pariter Eucharistiæ possibilitatem vivis rationibus demonstrare conatus fuit : « Nec mirum est, » inquit « si verbum, quo « omnipotentia Dei fecit creaturas, eadem potentia « mutat creaturam in illud, quod voluerit, quia « Dominus universorum ipse est, cujus magnifi- « centia cuncta obediunt, et nihil resistit. » Adducit quoque textum illum Sapientiæ [2]: *subest tibi cum volueris posse.* « Quia quamvis fides cum omnibus ar- « ticulis suis, omnipotentiæ Dei innitatur, in sacra- « mento tamen altaris, in quo consistit fundamen- « tum fidei et totius Ecclesiæ communio, maxime « innititur omnipotentiæ. » Ad propositum quoque illam Abrahæ adaptat historiam quando in Mam bre solemne illud tribus angelis præparavit convivium [3]: *Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram dixitque ei ; accelera tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes.* « Hæc est sapientia summi pa- « tris, quæ tria sata deitatis et animæ, et corporis « commiscuit, hoc est, sociavit. Accelerat autem, « quia in momento operata est, et non per mo- « menta temporum, ut infirma facit natura, et « fecit nobis panes æternæ refectionis sub cineribus « hujus nostræ mortalitatis decoctos. »

**5.** — Egregia fuit illa nonneminis responsio, qui circa Eucharistiæ possibilitatem interrogatus respondit ; quid de illa ambigis, quam ipsemet quoque dæmon admisit, quando in deserto ad Christum accedens, eidem dixit [4]: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant* ? unde clare deducitur, quod in Christo, supposito, quod Filius Dei esset, admittebat potentiam, unico verbo convertendi substantiam saxorum in substantiam panis, ac proinde consequens est, quod similiter per verbum suum panem in corpus suum transubstantiare possit : *dic ut lapides, etc.* et talis est conversio panis in corpus Christi, quæ in hoc sacramento per verba efficitur. Ex fide cognovimus, quod non solum in virtute verborum Dei, verum etiam servorum suorum (dependenter tamen a potestate, ipsis a Deo delegata (variæ substantiæ transmutatæ fuerint in alias, specie differentes ab iis, quæ antea erant. Sic enim Moyses petram convertit in aquam, aquam in sanguinem, virgam in serpentem. Unde S. Cyrillus Jerosolymitanus ait[1] : « Innumerabilia « sunt. Sin quibus quomodo quæris, universam tibi « vertere Scripturam, necesse est, aquam aliquando « mutavit in vinum in Cana Galilææ ; et non erit « dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem « transmutavit. Si multitudini maris (S. Anselmi « hæc est consideratio) modicam vini guttam « transformare in suam naturam, in tantum ut de « ea penitus nihil videatur residuum, est possibile ; « magnitudini, vel multitudini virtutis Christi, qua « cum de Patre unus est homo Christus, omni- « potentis Creatoris actione, et obedientissimæ crea- « turæ passione, Panem in suum transmutare cor- « pus erit impossibile? et cui creare de nihilo et « formatum, et formam fuit facile, mutare forma- « tum, et conservare formam, quomodo erit diffi- « cile? » Ad quod stabiliendum Albertus Magnus naturali hoc utitur exemplo [2] : « Natura mutat « unam substantiam in alteram, sicut in vite aqua « mutatur in vinum; et opere apum, succus florum « in favum mellis, similiter in nobismet ipsis panis « quem manducamus quotidie, per naturam mu- « tatur in carnem, et gramina comesta a brutis « convertuntur in carnem et sanguinem; ergo multo « magis virtus Verbi Christi mutare potest panem « in substantiam sui corporis. »

**6.** — Præsentem accommode discursum promovebit illa Tertulliani contemplatio, discutientis, qualiter lutum, supremi in Artificis exceptum manibus, mutatum fuerit in hominem, qui *micocosmos*, id est, parvus mundus dicitur ; ait itaque [3] : « Ita pusillitas, limus in manus Dei satis beatus et « si solummodo contactus. Quid enim si nullo am- « plius opere statim figmentum de contactu Dei « constitisset? adeo magna res agebatur, qua ista « materia destruebatur. Itaque toties honoratur, « quoties manus Dei patitur, dum tangitur. » Similem namque operandi modum nobis Canon exhibet, siquidem in eo dicitur : « Accepit panem « in sanctas, ac venerabiles manus suas. » Ubi dictus auctor ait : « Panis in manu Dei satis bea-

[1] S. Pasch., ep. *ad Prudegard.* — [2] Sap., xii, 18. — [3] Gen., xviii, 6. — [4] Matt., iv. 13.

[1] S. Cyr. Jer., cat. 4. — [2] Alb. Magn., *de Corp. et Sang. Dom.* — [3] Tert., l. *de resurr. carn.*

« tus. » Quid igitur mirum, si in manibus Christi, a Verbo animati, panis in corpus transmutetur divinum? « Beatus » utique, quia beatam Christi animam originarium beatitudinis paradisi fontem in se recludit. Quod mysterium quoque S. Ambrosius veneraturus in libro, cui titulus est : *de iis qui mysteriis initiantur*, sequens format argumentum [1]: « Numquid naturæ usus præcessit, cum Jesus Do- « minus ex Maria nasceretur? Si ordinem quæri- « mus, viro mixta fœmina generare consueverat; « liquet igitur, quod præter naturæ ordinem virgo « generavit et hoc quod conficimus corpus, de vir- « gine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in « Christi corpore, cum præter naturam sit ipse « Dominus Jesus, partus ex Virgine? vera utique « caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est, « veræ ergo illius carnis sacramentum est. Ipse « clamat Dominus Jesus, *hoc est Corpus meum.* »

**7.** — Albertus Magnus hujus transubstantiationis possibilitatem ex tribus probat capitibus et primo quidem ex parte gratiæ, quam Deus suis communicat servis; secundo ex conversione spirituali; tertio ex conversione, quam natura operatur, unam substantiam transmutando in aliam. Et in probationem quidem primi puncti exemplum adducit Elisæi, qui postquam salem in amaras Jericontinas aquas projecisset, subito eas indulcoravit [2]; circa quam mutationem, quatuor considerat puncta, scilicet *continens, contentum, operans et operatum.* Secundum exteriorem namque apparentiam, aqua illa lympida erat et clara, amaritudo autem aquæ intrinsece contenta, aquasque inficiens, gratia prophetæ, facta dulcedo elementum ante falsum mellificans; hæc igitur omnia et singula Eucharistiæ applicans, notat, quod, sicut in aquis illis eadem mansit quantitas, color et figura externa; ita quoque in sacramento hoc eadem sine apparenti mutatione remaneant accidentia coloris, odoris, saporis, mensuræ, etc., et sicuti amaritudo conversa est in dulcedinem, ita substantia panis in Christi carnem transubstantiata, idque in virtute non Elisæi, id est, sacerdotis, sed ipsiusmet Christi, qui dicit : *hoc est Corpus meum.* Deinde ad conversionem spiritualem transiens prædictus auctor, ad illa se reflectit verba [3] : insiliet *in te spiritus Domini et mutaberis in virum alium*; circa quem textum ita sermocinatur. Homo in statu peccati, juxta exteriorem speciem, idem apparet, qui erat in statu gratiæ, et nihilominus quis nescit, quantam charitas et gratia in anima pœnitente operetur mutationem? quæ ulterius confirmaturus, illa Eugenii ad quemdam, e statu peccati ad Deum conversum, directa adducit verba : « Quanta et quam celebranda benefica vis « Divinæ bonitatis operatur, et quomodo tibi no- « vum, et impossibile esse non debeat, quod in « Christi substantiam terrena convertantur, te- « ipsum interroga, qui præterita vilitate deposita, « subito novam indutus es dignitatem.» Porro quantum ad textus punctum, in ordine ad mutationem, quam natura operatur, sequenti utitur similitudine, dicens : « Videmus, quod ponuntur ova sub « ave et per naturam mutantur in carnem, imo in « aviculam vivam. Qui idem, lib. *de mirab. sacræ* « *Script.*, super illa Geneseos verba, *Spiritus Do-* « *mini ferebatur super aquas*, ita discurrit : Vel « sicut avis fovens ova, dicit Glossa : ergo et si « ponis sub ave unum, vel plura ova, vertit ea per « naturam interius in carnem, testa manente exte- « rius, quanto magis si ponas in altari unam « hostiam panis, vel duas, sive centum, sive mille, « sive plures, manente panis exterius, specie Spiri- « tus Sanctus repente interius in corpus Christi sua « virtute convertit? ».

**8.** — Quinimo ipsamet magistra experientia, de hujus veritatis soliditate plurimum edocemur; a primis namque nascentis Ecclesiæ temporibus, hactenus fideles sacram communionem digne frequentantes, magnum exinde retulerunt fructum, egregium in vita spirituali provectum, in virtutibus incrementum, perseverantiam et stabilitatem in bono, internis quoque exinde delibati sunt consolationibus; uno verbo, exinde perceperunt *omnis saporis suavitatem*; at vero si panis usualis et non corpus Christi fuisset, hosce utique supernaturales et admirabiles effectus minime producere potuisset. Hoc argumento utitur S. Laurentius Justinianus dum ait [1] : « Porro dum Eucharistiam accipis, « accidentia panis ac vini saporem sentis; unde, « oro, si panis et vini substantia est, et non corpus « Christi, ex hac cibi manducatione, et potu, tanta « in anima et corpore provenit fortitudo, interioris « hominis innovatio, charitatis divinæ fervor, spi- « ritualis suavitatis jucunda libatio, intimæ pacis « affluentia, æternum amoris desiderium, profi- « ciendi in virtutibus concupiscentia et gratiarum « actionis ignita exhibitio. »

**9.** — « Sed dicis, » inquit Hugo de S. Victore [2], « quomodo corpus unum eodem tempore in diver- « sis locis esse potest? super altare est et in cœlo « est. Hic est, ibi est; et ubicumque est, totum « est, tantumque hic quantum ibi et in multis « locis similiter totus est. » Idem vero Ven. Scriptor ratione valde efficaci respondet, dicens : « Noli mi- « rari, qui fecit corpus et locum, utrumque facit in « altero esse ut vult, et est semper sicut ipse vult, « qui sic et aliter facere novit et potest, cujus « Sapientiæ non est numerus, cujus potentia na- « turis rerum imperat, Quando mirari cœperis, et « dixerit tibi cogitatio tua, quomodo esse potest? « cogita facientem, et respice omnipotentem. »

[1] S. Ambros., t. IV, c. 9. — [2] IV Reg., II. — [3] I Reg., XI, 6.

[1] S. Laur. Just., *de Euch.* — [2] Hug. Vict., *in Spec. Eccl. erud.*

Albertus Magnus auctoritatem adducit S. Grégorii, dicentis [1]: « Sicut divinitas verbi Dei una est, quæ « totum implet multis locis mundum, ita licet mul- « tis, et innumerabilibus diebus illud consecretur « corpus non sunt tamen multa corpora Christi, sed « unum corpus cum illo quod assumpsit de Virgine « et quod dedit Apostolus ; divinitas enim Verbi, « quæ ubique est, replet illud. »

**10.** — Est et alia non minus efficax ratio, quam adducere possumus. Etenim internum intellectus nostri conceptum, qui primum inter nos occultus erat, per vocem sensibilem vestitum, foris manifestamus, et qui antea solum nebis notus erat, eumdem postea aliis etiam innumeris communicamus, eodem in nobis conceptu integro, et sine diminutione sui in nobis permanente : eodem modo in præsenti proposito discurrere licet ; si enim Deus per sapientiam, et potentiam producere potuit effectum aliquem naturalem, qualis est conceptus noster mentalis, et vox, qua illum vestimus, qui centies et millies dilatetur, et propagetur, utroque remanente in propria sua integritate ; cur etiam facere non poterit, ut Verbum suum carne, et corpore vestitum, idem semper in seipso remanens, uno eodemque tempore innumeris communicetur personis, absque nulla sui diminutione ? Albertus Magnus idem argumentum alia similitudine confirmat, dum ait [2] : « Sicut gemma virtutem suam « effundendo non minuitur, sic Corpus Christi nos « pascendo non minoratur. »

**11.** — « Sed dicit forsitan cor tuum, » inquit Hugo de S. Victore [3], « ubi est Corpus Domini, « postquam sumpsit illud, et manducavit ? audi « ergo. Corporalem præsentiam Christi quæritis ? « in cœlo quære. Tecum per corporalem præsen- « tiam ad tempus esse voluit, quando et quamdiu « necesse fuit, exhibuit ad tempus præsentiam, ut « per illam ad spiritualem inveniendam excitaret, « et juvaret. » Idem argumentum S. Paschasius adducit, dum ait [4] : « Hydria farinæ, vel lecytus olei, « seu panes secundo decrescunt, et non minuuntur « dum satiant, quid putas caro Christi ? » Idem alibi [5] panum in deserto multiplicationem considerat, dicens : « Quanto magis quia Verbum caro « factum est, pullulat Verbi caro, et manat in sa- « cramento ubertas Christi, et sanguinis ? » Quando Hebræi se erga hoc mysterium incredulos, et incapaces exhibebant, incarnata illis Sapientia dixit [6] : *Hoc vos scandalizat ? si videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius* : « ac si diceret, » inquit prædictus Sanctus, « si hoc intelligere possetis, sci- « retis utique, quod, qui integer ascendere potest, « ubi erat prius, unus idemque Christus consumi « non potest dentibus, nec dividi per partes. »

[1] Alb. Magn., *de Corp. et sang. Dom.* — [2] Idem, *ib.*, s. 13. — [3] Hug. Vict., *ib.* — [4] S. Paschas., *de Corp. et sang. Chr.* — [5] *Ep. cit.* — [6] Joan., vi, 63.

**12.** — Tandem ne in ingenti hoc divinorum mysteriorum mari naufragium patiamur, necessum est, ut solidæ fidei anchoræ astricti, et conjuncti maneamus ; « quod non capis, quod non vides, « animosa firmat fides ; » ac proinde eos, qui profundissimas aquas natando trajiciunt, imitari debemus, qui oculos, et os obturant, dentes stringunt, respirationem coercent, veruntamen aures semper apertas tenent ; ita quoque in hoc mysterio oculi, sapor oris, et naturalis rationis judicium obturari, solæ vero aures apertæ teneri debent, nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, cui semper patula præbenda est auris : cum igitur Verbum Dei dicat : *Hoc est corpus meum*, hic sistendum est, nec quidquam ulterius indagandum. Nam ut Ven. Thomas a Kempis ait : « Si non intelligis, nec ca- « pis, quæ infra te sunt, quomodo comprehendes, « quæ supra te sunt ? noli disputare cum cogitatio- « nibus tuis, crede verbis Dei. » Qui idem lib. IV de hoc sacramento tractans, rem totam hoc monito concludit [1] : « Deus æternus, et immensus, infinitæ « potentiæ, facit magna, et inscrutabilia in Cœlo, « et in terra, nec est investigatio mirabilium ope- « rum ejus. Si talia essent opera Dei, ut facile ab « humana ratione caperentur, non essent mirabilia « nec ineffabilia dicenda. »

## DISCURSUS LII.

### EUCHARISTIA COMPENDIUM EST ET ABYSSUS OMNIUM MIRABILIUM.

Idea sermonis. — 1. SS. Euchar. exhausit universam Dei omnipotentiam. — 2. Super omnia est admirabilis SS. Euchar. productio. — 3. Mirandum est, accidentia esse sine subjecto. — 4. Corpus Christi ad instar puri spiritus simul est, in locis innumerabilibus. — 5. Maxime admirandum est, quod verum et reale corpus Christi contineatur in tam parva hostia. Licet hostia dividatur in multas partes, in omnibus tamen integer est Christus. — 6. In S. Eucharistia Christus est totus in tota specie panis et totus in qualibet ejus parte. Non contractus, sed ita integer sicut est in Cœlo. — 7. Panis Eucharisticus non consumitur a multitudine illum sumentium. — 8. Christus in Euchar. se nobis donat et in se consistens, permanet. — 9. Aliæ SS. Patrum sententiæ de mirabili transubstantiatione panis, in corpus Christi. — 10. Miraculum illud continuabitur usque in finem mundi.

*Memoriam fecit mirabilium suorum, escam dedit timentibus se.* Psal. cx, 4.

**1.** — Regius Psalmista olim in Spiritu prophetico altaris sacramentum prospiciens, idipsum memoriale, et epitomen appellat omnium mirabilium et prodigiorum, quæ unquam infinita Altis-

[1] Thom. a Kemp., l. I, c. ult.

simi Sapientia, et Omnipotentia patravit, dum ait : *memoriam fecit etc.* Unde S. Thomas de Villanova inquit [1] : « Christus ipse omnium prodigiorum su- « premum est, hoc vero sacramentum, miraculo- « rum ab ipso factorum maximum. » Salmeron de miraculis Eucharistiæ disserens, ita scribit [2] : « Si « quis recte perpendat, deprehendet magnam mul- « titudinem. et varietatem Dominum in Eucharis- « tia operari, quibus infinita Dei potentia exeritur. « Latum habet campum profecto fides, in quo spa- « tietur, habet unde admiretur, si Angeli stupent ; » hic enim universa a Dei omnipotentia exhauritur ; unde S. Augustinus ait [3] : « Audeo dicere, quod « Deus cum sit omnipotens, plus dare non potuit. » et ideo Propheta regius circa altare, in quo divinus hic panis administratur, in Spiritu raptus, dicebat [4] : *Circumdabo altare tuum, Domine, ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua,* Unde observandum, quod, sicut S. Mater Ecclesia in adventu, incarnatione Verbi, ejusque nativitate, in aliquas antiphonas, affectibus admirationis, et stuporis plenas, solet prorumpere, dicendo ;« O inef- « fabile mysterium ! O Oriens ! O Sapientia ! etc. » ita pariter huic sacramento per voces admirationis divinum exhibet cultum, dicendo : « O sacrum « convivium ! O res mirabilis ! O salutaris hostia « O quam suavis est Domine Spiritus tuus ! » Sacerdotes quoque in Canone missæ, ante consecrationem panis in hæc verba prorumpit : « accepit « panem in sanctas ac venerabiles manus suas ; » ubi notandum est, Christum in hujus sacramenti institutione, non una tantum manu, sed ambabus usum fuisse, idque non alio fine, ni fallor, quam ut nobis per hoc innueret, quod in hoc mysterio totaliter se exhauriat, ultimumque omnipotentiæ suæ limitem attingat. Quando de cœlo empireo creando, vel amplissimis cœlorum sphæris extendendis Scriptura loquitur, Spiritus Sanctus omnia illa opera a solis Dei digitis manare testatur, unde Psalmista ait [5] : *Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam, et stellas, quæ tu fundasti* ; similiter cum de Verbi incarnatione tractatur, B. Virgo in cantico suo ait : *Fecit potentiam in brachio suo,* quasi incarnatio unius dumtaxat brachii divini opus sit : in hujus vero sacramenti institutione, Christus ambas manus adhibet, quia *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas* ; ad denotandum, quod hoc opus omnibus aliis superius sit et excellentius : *Memoriam fecit mirabilium suorum etc.*

**2.** — *Mirabilium.* Regius Psalmista Deo ait [6] : *Mirabilis facta est scientia tua ex me,* id est, ut S. Basilius interpretatur, in productione et artificio corporis humani, Sapientia tua specialiter visa est admirabilis, propter admirabile esse, quod eidem impertiisti ; quanto igitur admirabilior est hujus sacratissimi corporis, ejusdem artificis in Eucharistia, velut purum quemdam spiritum obstupescit, et veneratur, « ibi, » inquit, « corpus modum « habet spiritus, quia totum in toto, et totum in « qualibet parte est. » Ad hoc, ut duo corpora in eodem loco consistant, divina requiritur omnipotentia ; ac proinde miraculum ingens fuit, quod Verbum incarnatum ex utero materno, sine læsione claustri virginalis egrederetur, sicut et quod pertransiret lapidem sepulchri et portas cœnaculi clausas : « Potestate divina, » inquit Salmeron [1], « a quantitate repugnantiam, quam habet existendi « simul cum alio corpore, suspendens, ita prorsus « efficit in hoc sacramento, quod vero locatum « majus sit loco, et in tam parva hostia totus « Christus contineatur, inde est, quod miraculo « occupationem corporis Christi suspendit, neque « ibi existit per modum naturalis quantitatis, sed « modo quodam substantiali, sacramentalique. » Adducitque montium, cœlorum, aliorumque vastorum corporum similitudinem, quæ in tenui oculi nostri pupilla locum habent, non quidem quoad esse reale, sed intentionale ; ita et anima universum mundum capit, et intelligit, tametsi cæteroquin in angusto quodam includatur corpore.

**3.** — *Mirabilium.* In hoc sacramento accidentia videntur sine ullo subjecto ; imo ut Villanovanus ait [2] : « Ibi accidentia modum habent substantiæ, « quia per se sunt, et per se moventur, per se « vivam edentis carnem nutriunt. » S. Hilarius a S. Bernardino citatus, inquit [3] : « Præterea cum « intelligere possit accidens sine subjecto, ergo « multo fortius divina virtus poterit in hoc sacra- « mento unum ab altero sequestrare. » Porro ingens miraculum est, si accidens sine ullo subjecto sustentante subsistat : « Vix intelligentia capit, » inquit S. Bernardinus, « seu intelligit accidentia « sine subjecto, scilicet quantitatem, figuram, co- « lorem, odorem, saporem, et sic de aliis. Sed non « potest vis intellectiva per operationem, quod « potest per considerationem. Sed divina virtus po- « test per operationem, quidquid natura rationalis « potest per considerationem. » Verum enim vero quid a Deo, qui totus substantia est, magis alienum est, quam accidens, cujus penitus est incapax ? et nihilominus sub his tamquam sub nube operiri et abscondi elegit humanitatem nostram, ut nos cibaret. Quis unquam audivit, colorem, albedinem, odorem, figuram, ad instar substantiæ, humanum nutrire et alere corpus ? hoc ipsum in nobis sacramentalia operantur accidentia. Unde Salmeron inquit [4] : « Porro quod accidentia maneant sine sub- « jecto, hoc est, quia potentia divina sustentat illa,

[1] S. Th. de Vill., conc. *in Corp. Chr.* — [2] Salmer., t. IX, tr. 26. — [3] S. Aug., tr. 8 *in Joan.* — [4] *Ps.* xxv, 6. — [5] *Ps.* viii, 5. — [6] *Ps.* cx, 6.

[1] Salm., t. IX, tr. 26. — [2] S. Th. Vill., *ib.* — [3] S. Bern., t. II, s. 54. — [4] Salm., *ib.*

« quemadmodum terra fixa est super nihilum, « quamquam inter accidentia sola, quantitas est, « qua subjecto destituitur ; reliqua vero quanti- « tati inhærent : nec mirum, accidentia aut quan- « titatem subjecto destitui in sacramento, cum in « ipso Christo substantia humanæ naturæ, non in « sua, sed in Verbi hypostasi subsistat. »

**4.** — *Mirabilium.* Quantumvis corpus hoc sacrosanctum in terris sit in sacramento, nihilominus non commensuratur a loco, sed privilegio gaudet purorum spirituum atque uno eodemque tempore in cœlis existit, et in innumerabilibus locis sub totidem hostiis consecratis, ut proinde merito exclamet D. Chrysostomus dicens [1] : « O miraculum, o Dei « benignitatem ! qui cum Patre sursum sedet, in « illo ipso temporis articulo, omnium manibus « pertractatur. » Quando nobiscum visibilis degebat in terris, dum eum contingeret esse in Capharnaum, desiderabatur in Jerusalem, neque corporalem suam multiplicabat præsentiam ; quemadmodum in hoc sacramento, ut scilicet nobiscum degeret in omni loco et tempore. Singulis quodammodo incarnari, et totus esse in omnibus, et una, et eadem res cum illis fieri voluit. « O stupenda Sapien- « tia Dei (verba sunt Blosii [2]) quæ hunc subtilem « et salutarem mundum, pro salute nostra instituit, « qui totum hunc mundum cœlestis hujus panis « abundantiam implere voluit. » Cui idem materiæ inhærens Salmeron, inquit [3] : « Cæterum quod in « tot locis simul exstat, ideo est, quia non cir- « cumscriptive locum occupat, sed modo quodam « singulari et sacramentali, in locum substantiæ « panis succedit ; » ad quod comprobandum, similitudinem adducit, a voce desumptam, quæ licet unica sit ; plurium tamen offendit aures, ita quoque « idem in diversis locis simul collocatur ; idem qui « est in cœlo, sine motu ullo, incipit esse in sacra- « mento. »

**5.** — *Mirabilium.* Vere equidem admirabile, quia ut S. Bonaventura ait [4] : « est ibi corpus Christi « in tanta quantitate, sicut fuit in cruce, et sicut « jam est in cœlo. » Quod idem documentum in quodam sermone, qui de hoc sacramento duodecimus est, Albertus Magnus in hæc verba scribit [5] , « Primum mirabile, quod tam magna res contine- « tur sub tam parva specie panis. » Quo in facto Dominus Deus, juxta doctorem Angelicum infinitam suam perhibuit sapientiam et majestatem ; unde et Tertullianus de Deo nostro ait [6] : « et ita Deus tunc « maxime magnus, cum homini pusillus. » Quæ veritas etiam in ipsis artificialibus patet, siquidem artifex quispiam tanto ingeniosior reputatur, magisque scientificus, quanto majorem molem angustiori loco restringere novit ; ad quod alludens S. Thomas inquit : « Videmus enim, quod artifices « quanto sunt in arte sculpendi peritiores, tanto « sculpunt imagines subtiliores, sic ad demons- « trandam sapientiam Spiritus Sancti sub minima « specie sacramenti, facile esse facit totum corpus « Christi, » ideoque idem alibi ait : « Fracto demum « sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum « esse sub fragmento, quantum toto tegitur. » Id quod ante hunc sanctum doctorem ejusdem præceptor Albertus Magnus in quodam sermone expresserat, dum ait [1] : « Quantocumque parva sit « species illa panis, ibi est totum corpus Christi per « conversionem sanguis per connexionem, anima « per conjunctionem, et Deitas integra per unio- « nem. » Vel minimus, vixque visibilis hostiæ consecratæ atomus, sufficiens est, qui non modo animam, sed et corpus satiet, nutriatque illius, qui devote illum participat, quemadmodum multis accidit servis Dei. Unde etiam in quadam secreta feriæ quartæ resurrectionis Ecclesia legit : « Sacrificia « Domine paschalibus gaudiis immolamus, quibus « Ecclesia tua mirabilter, et pascitur et nutritur. » Id quod S. Bernardinus considerans, inquit [2] : « Mi- « rabile est, quod corpus Christi tam magnum « possit in tam parva hostia contineri, cum imagi- « natio nostra minime intelligere possit, majus « infra minus corpus totaliter contineri. » Porro ad propositum nostrum id adaptare possumus, quod D. Chrysologus de incarnatione tradit, inquiens [3] : « Stupet Angelus, totum Deum venire « intra virginalis uteri angustias, cui tota simul « angusta est creatura. » In uterum, inquam, illum qui Spiritus Sancti est sanctuarium, de quo scriptum est [4] : *Emissiones tuæ Paradisus.* Sed longe prodigiosus est, eumdem illum Deum sub panis atomo, vinique gutta recludi, ubi ut Angelicus ait : « Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura « qua nec status nec statura signati minuitur. » De quo et S. Anselmus ait [5] : « Una est hostia, non « multæ : quomodo una donec multa quoniam in « multis locis offertur multi Christi sunt ? nequaquam « sed unus ubique Christus, et hic plenus existens, et « illic plenus. » Idem namque Salvator cum eadem infinitate et immensitate, in minimo hostiæ reperitur fragmento, qui ad dextram residet Patris, cumque eadem latitudine, et dimensione, quam in omnibus Christianismi possidet hostiis, et quantumvis in innumerabilia fragmenta dividatur hostia in quolibet integritas reperitur sacramenti siquidem *non confractus, non divisus, integer accipitur.* Id quod S. Bonaventura his docet verbis [6] : « Quando « dividitur hostia, non dividitur corpus, sed sub

[1] CHRYS., l. III *de sacerd.* — [2] BLOS., *in Marg. Spir.* — [3] SALM., *ib.* — [4] S. BON., t. VII *de Comp. Th. ver.* — [5] ALB. MAG., s. 12 *de corp.* — [6] TERT., *cont. Marc.*

[1] ALB. MAG., *ib.*, s. 13. — [2] S. BERN., t. II, s. 54. — [3] CHRYS., s. 142. — [4] CANT., IV, 13. — [5] S. ANSEL., *de sac. alt.* — [6] S. BON., *ib.*

« qualibet specie totus Christus. » Quam eamdem doctrinam his pariter verbis expressit Albertus Magnus [1]: « In quascumque partes forma frangatur « totus, et integer Christus, vivus, et sanus in cor- « pore, spiritu et anima, Deitate plena remanet « sub qualibet parte et antequam frangatur, non est « nisi unicus et indivisus sub tota forma integra. » Quam doctrinam per similitudinem confirmat, a speculo desumptam, quod in plures partes ruptum, secundum omnes imaginem repræsentat objecti oppositi : « Cum corpus Christi (verba sunt S. Bernar- « dini [2]) in qualibet particula hostiæ totum sit, ea « in plures partes divisa, non tamen corpus Christi « dividi potest, sed in qualibet particula manet « totum. Hujus ratio est ineffabilis unio, scilicet « hominis et Dei, carnis et Verbi, unde sicut « Verbum Dei totum ubique est, ac totum replet « cœlum et mundum indivisum manens; sic dedit « corpori, quod assumpsit, et sibi in unitate per- « sonæ univit, esse posse in multis locis, et in se « conjunctum manere. » Porro Rupertus Abbas, idem stabiliturus argumentum, similitudinem adducit ab igne desumptam, inquiens : « Sicut ignis « licet divisus in partes, mutuati tamen luminis « detrimenta non novit, sic panis iste solemni « fractione divisus, non minus in singulis partibus, « quam in toto, habet sacramenti ac virtutis. »

**6.** — Hugo Victorinus ad utramque consecrationis speciem se reflectens, sequentem instituit discursum [3]: « Nec pars sub specie panis, et pars « sub specie vini, sed totus hic, et totus ibi, non « pars in parte, sed totum in parte. Videtur pars « una, et quasi pars esse videtur, et totum ibi est, « et pars altera videtur, et idem totum est; totum « hic, et totum ibi, nec minus in parte, quam in « toto, nec majus in toto, quam in parte; et quas- « cumque partes feceris totum. in singulis est. Nec « mireris, opus Dei est. Si in diversis locis potest « esse unus, quare non in singulis partibus potest « esse totus ? » Quam eamdem doctrinam sanctus Thomas de Villanova in prima super Eucharistiam concione adducens, ait [5] : « Ibi diviso ac- « cidente, substantia non dividitur, sed sub quali- « bet speciei particula, integra perseverat, neque « sicut in confracto speculo, diversarum partium « integra quidem, sed alia imago est, ita in sacra- « mento; sed una eademque substantia, in pluribus « indivisa, reponitur. » Qui idem sanctus aliam quamdam considerabilem hostiæ divisæ, ejusdemque fragmentorum circumstantiam his verbis subnectit : « Ibi etiam corporis Dominici partes, quæ « in ordine ad locum nullum habent ordinem; quia « simul sunt, habent ordinem ad se invicem, et ad « totum quia confusæ non sunt ; Collo enim « caput nectitur, non pedi, et brachio manus uni- « tur non capiti. » Quod idem documentum S. Bernardinus nobis exhibet, dum inquit [1]: « Con- « simili modo, cum corpus Christi ipsa hostia majus « sit, nihilominus tum infra parvam hostiam con- « tinetur, non tamen contractum, sed ita magnum « atque perfectum, sicut est in cœlo. » In utero qui- « dem virginali, Christi corpus, situs illius se adap- « tabat angustiis, quoniam *Verbum abbreviatum*; in Eucharistia autem, quantumvis corpus sub imperceptibili hostiæ atomo absconditur, nihilominus inibi cum eadem existit magnitudine, qua ad dextram Patris residet. Idque sanctus Doctor a pupillæ nostræ proprietate probat, inquiens : « Visio cum « in parva pupilla oculi sit, tamen cum ea maximis « cernuntur montes. »

**7.** — *Mirabilium.* Vere equidem stupendum, quia ut S. Cyprianus inquit [2]: « Nulla panem hunc multi- « tudo consumit, nulla antiquitate veterascit, « quin potius, » juxta D. Thomas : « sumit unus « sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec « sumptus consumitur. » Id quod et S. Bernardinus confirmat inquiens [3] : « Non augetur ex transub- « stantiatione, nec minuitur ex perceptione. » In cujus probationem, testimonium adducit S. Augustini inquientis [4]: « Quando manducatur refici « sed non deficit, manducatur Christus, vivit « manducatus, quia surrexit occisus. Per par- « tes manducatur in sacramento, manet integer « totus in cœlo, manet integer totus in corde « tuo. » Quam veritatem S. Bernardinus hac elucidat similitudine, dicens : « Sicut homo, cum co- « meditur a leone, anima ejus non consumitur, sed « tantum corpus; sic cum hostia sumitur a sacer- « dote, non consumitur corpus Christi, sed tantum « panis species. » Insuper nostro post mortem corrupto corpore, integra, et absque ulla sui diminutione, ab eodem separatur anima, ita quoque consumptis speciebus sacramentalibus, non minuitur corpus Christi, sed nec recluditur amplius in illis. Ideoque S. Andreas Apostolus quondam ad tyrannum dixisse perhibetur : « Agnus iste postquam « a fidelibus est comestus, integer remanet, atque « vivit. Sicut gemma virtutem suam effundit, et « tamen non minuitur, sic etiam corpus nos pas- « cendo, non minoratur. » Discursus hic totus ex S. Bernardino desumptus est. Cui persimilem doctrinam Beatus Laurentius Justinianus assignat, dum sacramentum hoc inalterabile esse probat, in hæc verba [5] : « Nullum divinitatis seu humanitatis suæ « patitur detrimentum, cum dentibus premitur, « attrectatur manibus, loco circumscribitur, mortali

[1] ALB. MAGN., *de Euch.* — [2] S. BERN., *ib.* — [3] RUP. ABB., *in Gen.* — [4] HUG. VICT., ep. 1 *Theol. spec. Eccl.* — [5] S. THOM. DE VILL.

[1] S. BERN., *ib.* — [2] S. CYPRIAN., *de Cœn. Dom.* — [3] S. BERN., *ib.* — [4] S. AUGUST., *de consec.*, dist. 2. — [5] B. LAUR. JUST., *de Euch.*

« copulatur corpori, diversisque in Ecclesiis con-
« secratur. Est enim idem in numero, ipse in glo-
« ria, non mutatus in essentia, non minoratus in
« forma, non multiplicatus in specie. » S. Anselmus quoque hoc punctum tetigit, monens, ut credamus, ipsum [1]: « Non conscindi, non discerpi,
« non devorari morte communi carnis, sed sub
« specie panis incorruptibiliter frangi, et immolari,
« et numquam consumi. » Confirmat idipsum Salmeron, dum ait [2]: « Fracto sacramento non fran-
« gitur Christus, sumptus, manducatusque non
« consumitur, sed integer perseverat. » Sciendum quoque est, quod S. Bonaventura advertit, nimirum, quod [3]: « corpus Christi non augetur ex multarum
« hostiarum consecratione, nec minuitur ex hostia-
« rum sumptione. »

**8.** — *Mirabilium*. Ingens quoque prodigium est, quod, licet Christus quotidie corpus suum innumeris fidelibus, communicat, eisque semetipsum dono tribuat, donum nihilominus in sua semper integritate remaneat. « Æqua omnibus portio da-
« tur, » inquit S. Cyprianus [4], « integer erogatur,
« distributus non dismembratur. » Idem quoque miraculum Albertus Magnus memorat, dicens [5]:
« hoc omnibus mirabilibus est mirabilius, quod se
« nobis donat, et in se consistens permanet, quod
« sumitur in cibum, et integer perseverat, quod
« perseverat in nobis, in omnem sufficientiam cor-
« poris, et animæ, et vitæ, et mortis, et gratiæ, et
« gloriæ, nihilominus est donator, et donum om-
« nium illorum. » S. Bernardinus Salvatorem nostrum in cœna considerans, ait [6]: « Nota, quod Chris-
« tus in cœna illa sit munerans, et munus, cibus,
« et cibans, conviva, et convivium, offerens, et
« oblatio. » Hugo de S. Victore ipsum quoque in prima hujus sacramenti institutione expendens, ait [7]: « Si ergo hoc esse potuit, ut ipse seipsum
« manibus gestaret, ipse qui dedit, et qui dabatur,
« qui portavit, et qui portabatur, idem esset. »

**9.** — *Mirabilium*. S. Bonaventura modum miraculosum, circa hujus panis productionem, his verbis meditatur [8]: « mirabilis modus producendi pa-
« nem, qui pluendo de cœlo descendit. Sic per
« verba transubstantialia, ostenditur in verbis istis
« formæ sensibilitas, gratiæ multiplicitas, naturæ
« sublimitas. » In alio quoque loco aliud memorat prodigium: « Quando,» inquit [9],« tenetur hostia in
« manibus, et videtur oculis, corpus Christi nec
« tangitur per se, nec videtur, sed hæc tantum-
« modo circa species fiunt; cum desinunt istæ
« formæ, tunc etiam desinit ibi esse corpus et
« sanguis Christi. » S. Thomas de Villanova circa hanc mirabilem transubstantiationem, hunc in modum discurrit [1]: « De mirabili illa conversione
« quid dicam panis corruptibilis substantia, in glo-
« riosam et incorruptibilem Christi carnem subito,
« nulla in Christi corpore facta mutatione, solo
« sacerdotis sermone convertitur, et cum nihil post-
« modum de substantia panis remaneat, panem in
« consecratione annihilari pia fidei institutio non
« concedit, sed converti, ita ut ex illo pane corpus
« Christi fiat, et vere sit sub panis speciebus, non
« per loci mutationem, sed per conversionem
« substantiæ in ipsum. » Prodigiosa quoque est celeritas, qua hæc transusbtantiatio perficitur:
« Unoquoque momento, » inquit S. Anselmus [2],
« in dextera Patris sedet in cœlis, et sacrificatur in
« mensa altaris; itemque uno et eodem momento,
« a solis ortu usque ad occasum, ab Aquilone ad
« Austrum, præsto fit omnibus. » S. Bernardinus eamdem habet ponderationem, dum in hæc verba scribit [3]: « Mirabile est, quod in tam brevi mo-
« mento, sicut dum proferuntur consecrationis
« verba, possit transire Christus de cœlo empyreo
« ad altare, quod inæstimabiliter ab eo distat; hoc
« autem impossibile non esse declarat Augustinus
« super Genesin ad litteram, dicens: quod sicut
« oculus noster cum subito aperitur, visibile quan-
« tumcumque distans transitu velocissimo usque
« ad oculum transit, nec citius cernuntur sydera
« proxima, quam distantia; propterea non est
« mirandum, si Corpus Christi virtute divina in
« tanta distantia, tam subito transit, cum sol in
« instanti transmittit radios suos ab Oriente in
« Occidentem, et e converso. » Idem quoque sanctus aliud hujus sacramenti prodigium considerat, nimirum quod, tametsi corpus Christi in innumeras hostias descendat, non tamen ob id ab æterni Patris sui dextera recedat. « Mirabile est, »
inquit, « quod in sacramento de cœlo descendit,
« nec tamen inde recessit. » Id qualiter possibile sit, per similitudinem ab Origene, dum super Matthæum scribit, adductam, declarat, inquiens:
« Dei Filius veniens in Virginem totus, totus re-
« mansit apud Deum Patrem, sicut et veritas quam
« mente concipimus, cum eam docemus, tota
« remanet apud nos, et tota ad docentem transit. »
Sol pariter a cœlo non recedit et tamen suis radiis illuminat universum, eamdem semper in se retinens lucem.

**10.** — *Mirabilium*. S. Basilius se super illa Psalmistæ verba reflectit, dicentis [4]: *Memoriam fecit mirabilium suorum, escam dedit timentibus se*; ubi idem sanctus loco vocis *memoriam* legit *continuationem* [5]; quasi diceret Psalmista: alia miracula Deo, vel a servis suis patrata, tamdem aliquand

[1] S. Ans., *de sac. alt.* — [2] Salm., *ib.* — [3] S. Bon., *ib.* — [4] S. Cyp., *in Cœn. Dom.* — [5] Alb. Magn., *de Euch.* — [6] S. Bern., s. *in Cœn. Dom.* — [7] Hug. Vict., l. II, *de sac. fidei.* — [8] S. Bon., s. 5 *in Cœn. Dom.* — [9] l. VII *de Comp. th. vet.*

[1] S. Th. de Vill. — [2] S. Ans., *de sacr. alt.*, c. 1 — S. Bern., t. II, s 54. — [4] *Ps.* cx, 4. — [5] S. Basil., *in hed.*

finem acceperunt, factaque fuerunt semel aut sæpius, non tamen continuate, per omnia sæcula : at vero Eucharistiæ « Memoriam fecit et non de- « fecit, sine intermissione mirabilia patrando, hoc « enim est, quod dicit : *memoriam fecit mirabilium « suorum,* id est, non destitit per omnes genera- « tiones mirabilia operari. » Unum quidem ex majoribus portentis, quæ in antiquo Testamento acciderunt, fuit, quando Josue solem stare fecit [1], *obediente Domino voci hominis* : at vero in hoc sacramento Sol justitiæ Christus jam a mille excentis, et amplius annis quotidie obedit verbis sacerdotis, corpus suum sacratissimum de cœlo descendens (*hic est panis, qui de cœlo descendit*) captivando inter angustas panis et vini species. Ex his itaque et aliis omnibus admirandis, et stupendis Eucharistiæ prodigiis, cum Hugone de S. Victore concludere possumus, dicendo [1] : « Mirum sed verum : nec « tamen mirum est respectu facientis. Quid enim « mirum, si Omnipotens mirabilis miranda ope- « ratur? »

[1] Jos., x, 14.

[1] Hug. Vict., *Erud. Theol.*

# TRACTATUS TERTIUS

E PROMPTUARIO SACRO DEPROMPTUS

## DE SOLEMNI FESTO SANCTISSIMI CORPORIS CHRISTI

### DISCURSUS I.

OSTENDITUR PRIMO FESTUM HOC A DAVIDE FUISSE PRÆDICTUM. SECUNDO DE PRIMA EJUS ORIGINE, DEQUE PRIMIS MOTIVIS QUÆ URBANUM IV, AD FESTUM HOC INSTITUENDUM PERMOVERUNT, TRACTATUR. TERTIO AD FESTUM HOC DECENTER HONORANDUM, OPUS ESSE, UT DEI OFFENSAM DECLINEMUS, DOCEMUR.

Idea sermonis. — 1. Christus ab æterno Corpus suum per solemnitatem honorandum decrevit, sed ad certum tempus decreti executionem reservavit. — 2. Sanctæ Julianæ humili virgini per visionem voluntatem suam manifestavit. — 3. Sapientia æterna finem suum attingit fortiter et disponit omnia suaviter. — 4. Miraculis intervenientibus decretum de festo celebrando datur. — 5. Exhortatio ad exsolvendas Sacramento debitas laudes.

*Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.* Ps. cxvii, 27.

**1.** — Inter alios eventus quos quondam Propheta regius de Ecclesia Dei prædixit, etiam recenseri potest hodierna ad sanctissimum Christi corpus honorandum instituta solemnitas ; hæc etenim in verbis propositis, ni fallor, clare insinuatur : *Constituite diem solemnem in condensis ; usque ad cornu altaris.* Ubi Glossa dicit : « Per « altare intelligitur Sacramentum corporis et san- « guinis Christi : cornu altaris est potestas, id est, « virtus ipsius sacramenti. » Et quidem ad hanc veritatem ratificandam multi inter se in expositionibus suis consentiunt sacri interpretes ; Albertus Magnus ait : *Usque ad altaris sacramentum.* Enim vero ne ulla ratione in dubium revocari possit, quin verba prædicta de hoc festo intelligantur, David ante illa verba : *Usque ad cornu altaris* ; pro majori claritate præmittit : *In condensis* ; nimirum ad numerosam alludere volens multitudinem populi illius, qui hisce quas cordialissime honorat processionibus, per varios apparatus, ramorum viridantium, florumque ornatus omnesque alias obsequiorum, gaudiorumque demonstrationes, evidentiaque argumenta, devotissime adsistit : Lyranus hisce verbis : *Usque ad cornu altaris,* hanc glossam adjicit : « Quasi dicat, quod Ecclesia im- « pleatur populo et clero. » Euthymius verba illa : *In condensis,* ita exponit : « Festivitatem agite in « germinantibus, hoc est in florentibus coronis : « atque in virentibus arborum ramis. — Serta et « ramos (ita pariter glossa scribit) suspendite in « templo, » et Chrysostomus ab Agellio circa hunc versiculum citatus ita scribit : « *In condensis,* diem « festum agentes, templum densis frondibus et « sertis et ramis frondentibus ornate. » Et merito quidem, cum enim per universum anni circulum tot aliorum cœlitum celebrentur solemnia, justum et æquum erat, ut hæc quoque Sancti sanctorum solemnizaretur celebritas, utpote qui divinissimo hoc Sacramento in finem usque sæculorum nobis donatus fuit : « Hoc circa sanctos, » ita scribit Urbanus Papa IV [1], « quos per anni circulum vene- « ramur, ipsa observat Ecclesia ; » indeque æquis-

[1] *In bull. instit. Festi Corporis Christi.*

simam hanc deducit consequentiam : « Potissime « exequendum est erga vivificum hoc Sacra- « mentum corporis et sanguinis Jesu Christi, qui « est sanctorum omnium gloria et corona, ut cele- « britate ac festivitate præfulgeat speciali. » Advertendum tamen est, quod tametsi increata Sapientia, quæ *omnia in mensura, et numero, et pondere disposuit* [1], jam ab æterno id sacratissimum corpus suum in toto Christianismo honorandum, hodiernum hunc diem institui decreverit, nihilominus institutionis hujus executionem, sæculorum progressum, in tempus usque, prouti suo loco dicemus, opportunius reservaverit. Ac proinde si ita vobis placet, minime aberrantis providentiæ ejus admirabiles periodos nonnihil despiciamus.

**2.** — Enimvero verissimum semper est, quod Deus non solum *infirma mundi eligit* [2], verum etiam ubi de secretis cœlestibus, altissimisque magisque reconditis mysteriis agitur, *abscondat hæc a sapientibus et prudentibus et revelet ea parvulis* [3]. Etenim frequenti hactenus experientia comprobatum est, Deum ad æterna decreta sua, magisque abscondita sacramenta Ecclesiæ suæ revelanda, fragiliori sæpenumero sexu usum fuisse. Quot enim quantorumque mysteriorum notitiam vel sancta Catharina Senensi, vel sancta Birgitta Sueca, vel seraphica virgine et matre sancta Theresia mediantibus assecuti fuimus? Ac proinde sciendum nobis est [4], quod salutis nostræ decimum tertium decurrebatur sæculum, quando in Leodiensi diocesi quæ Gallia Belgica, vel ut alii dicunt Flandria, clauditur, quædam in humanis vitam degebat insignis Dei famula sanctitate et miraculis celebris, perque extases, visiones et revelationes, quibus a cœlesti sponso suo, cui per virginitatem perpetuam adstricta erat, persæpe demulcebatur, vehementer illuminata, cui Juliana nomen erat; quæ cum in primis conversionis suæ annis vel maxime in sanctis meditationibus absorberetur; « magnum ei signum et mira- « bile apparebat, » idque non semel dumtaxat, sed per longum temporis spatium etiam sæpius; nam « apparebat ei luna in splendore, cum ali- « quantula tamen sui sphærici corporis fractione. » Hanc vero historiam quidam magnæ eruditionis, nec minori spiritu præditus auctor [5], summa cum diligentia recenset, utpote quæ ab ipso tanquam vicario generali et cathedralis Leodiensis canonico omni cum vigore discussa, perque multorum insignium theologorum, aliorumque eruditissimorum ecclesiasticorum consilium et directionem diligenter et assidue ventilata fuit. Porro prudens hæc virgo visionem suam cum confessario suo, aliisque viris multa experientia præditis sæpius contulit, sed casso prorsus et irrito eventu, ideoque tandem Deo suo eamdem per ferventiores preces recommendare decrevit, ad hoc ut is visionis illius mysteria revelare dignaretur. Et ecce cum die quadam in suavem somnum rapta fuisset, « revelavit ei « Christus in luna præsentem Ecclesiam, in lunæ « autem fractione defectum unius solemnitatis in « Ecclesia figurari, quam adhuc volebat in terris « a suis fidelibus celebrari. » Hæc autem solemnitas alia non erat, quam sanctissimi Corporis Christi festivitas hodierna. Quia vero uti Raphael Archangelus Tobiam optime monebat [1] : *Sacramentum regis abscondere bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est,* ideo sancta hæc virgo totum habitæ visionis negotium, modestia et humilitate sua ita suadentibus, in vigesimum usque annum cunctando distulit, nec factam sibi a Deo revelationem manifestavit. Demum vero visione et revelatione cum episcopo Leodiensi serio collata, discussisque cunctis ex hoc tanti momenti negotio emergentibus contradictionibus, anno 1246, conditum est decretum diœcesanum, quo festum hoc instituendum, atque in sanctissimi corporis Christi honorem particulare de eo officium, necnon publicas processiones solemni cum apparatu deinceps in perpetuum celebrandas esse præcipiebatur.

**3.** — Quia vero humani generis hostis hunc sanctissimo Sacramento decretum honorem in magnam divini amoris gloriam, hominumque consolationem cessurum esse prævidit, ideo ad decreti illius executionem impediendam homnibus nervis contendit, effecitque ne decretum illud ullibi in tota diœcesi reciperetur, aut executioni mandaretur, præterquam a canonicis sancti Martini Leodiensibus, qui a sancta hac virgine persuasi idipsum promptissimis sunt animis amplexati; interea vero sancta Juliana Evæ consodali suæ, raræ perfectionis fœminæ prophetico spiritu futurum esse, quod solemnitas hæc non solum per urbem et universam diœcesim Leodiensem, verum etiam intra breve tempus per universum Christianismum sit extendenda, prædixit. Paulo post autem multæ omnesque truculentæ persecutiones hanc ob causam, adversus sanctam virginem Julianam suscitatæ fuerunt, quæ tamen subito dissipatæ evanuerunt, eo quod huic se negotio æterna illa interposuerit sapientia, quæ *attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter* [2], quæque omnia a se inspiratum et a nobis cœptum opus ad suam perfectionem generose pariter et suaviter perducit. « Ubique semper perfecte agit, » ita Hugo de sancto Charo interpretatur, « finis enim « notat perfectionem; » unde de Deo nostro merito dicere possumus : *Bene omnia fecit.* Accidit autem, quod dum Hugo præfatus religionis suæ Dominicanæ provincialis esset, eidem una cum aliis cele-

[1] Sap., xi, 11. — [2] I Cor., i, 27. — [3] Matt., xi, 25. — [4] Barth. Fisz., *de Orig. Fest. Corp. Christi.* — [5] Joan. Chapeavillus, *de Vera orig. Festi Corp. Christi.*

[1] Tob., xii, 3. — [2] Sap., viii, 1.

berrimis theologis revelationis sanctæ Julianæ dudum, uti diximus, a Deo factæ exactissimum examen commissum fuerit, qui proinde omnibus rationibus utrimque serio discussis et ponderatis, revelationem illam approbavit mirisque laudum encomiis deprædicavit, tametsi id pro illo tempore cum satis exiguo fructu factum fuerit. Postquam vero Hugo sæpedictus ad dignitatem cardinalitiam assumptus, atque ab Innocentio IV, in Germaniam et alia loca Legatus a latere amplissima cum facultate declaratus esset, Leodium ejusque diœcesim pertransiens, decretum istud quondam a synodo factum confirmavit, conscensoque pulpito summa cum energia et apostolico spiritu publicas hasce in venerationem Corporis Christi institutas processiones populo huic magna cum efficacia recommendavit; a quo tempore festi hujus solemnitas ab unoquoque acceptata et executioni demandata fuit. Verum hæc omnia Ecclesiam Romanam ad exemplum istud consectandum permovere non sufficiebant. Audite igitur, quonam medio divina sapientia usa fuerit, ad hoc ut divinum decretum suum ad perfectionem et executionem paulatim perduceret. Etenim anno 1258, sancta Juliana moritur, ita tamen ut operis hujus prosecutionem debite urgendam dudum ante menti et cordi Evæ consodali sua magna cum efficacia impresserit : hæc autem cum apud archidiaconum Leodiensem, tanquam mulier eminentissimæ virtutis, in summa esset æstimatione, hinc ei tanquam personæ religiosissimæ, magnique valoris, facile fuit, dicto archidiacono in variis colloquiis defunctæ virginis mentem atque sententiam insinuare, eique publicam hanc venerationem sanctissimi corporis Christi, quam Deus a Christi fidelibus per hanc sanctam virginem exposcere decreverat, animitus imprimere. Dionysius Carthusianus quorumdam opinionem esse scribit, Julianæ consodalem dicto archidiacono papalis culminis prædixisse dignitatem, ideoque verisimile est, recommendationem hujus festi promovendi ab Eva factam animo hujus prælati tanto altius impressam fuisse, siquidem ab illo tempore, omnibus præcedentibus contradictionibus nec quicquam obstantibus dictus prælatus se præ omnibus huic festo instituendo devotum exhibuit. Interea vero divina providentia ita ordinante prælatus hic ad summum Pontificatum assumitur, quod quanta cum lætitia devotæ illius virginis factum fuerit, facile sibi quilibet persuadere poterit : ab illa namque hora rem hanc pro voto obtinendam esse minime dubitabat; verumtamen ut sollicitationibus suis tanto majorem energiam adderet, vivaciusque hactenus tanquam archidiacono proposita, nunc recens electo Pontifici tanto vivacius revocarentur in memoriam, hoc apud Episcopum Leodiensem obtinuit, ut is pro decreti illius diœcesani circa festum *Corporis Domini*, conditi confirmatione, ad electum Pontificem specialem transmiserit supplicam. Dionysius Carthusianus super illa Sapientiæ verba : *Disponit omnia suaviter*, dicit : « Cuncta regit et ordinat convenienter secundum naturam uniuscujusque « eorum per media apta ad finem congruum. » Etenim prima quidem facie parum conveniens esse videri poterat, quod Christi in terris Vicarius ad privatæ cujusdam personæ, quantumvis etiam sanctæ et religiosæ instantiam et sollicitationem, ad Festum aliquod adeo insigne, adeoque novum in tota Ecclesia determinandum et instituendum permoveretur. Attamen quia Dei Filius, qui ipsissima illa est sapientia, quæ in hoc Sacramento adoratur, festivitatem illam institui efficaciter volebat, sicuti quondam S. Julianæ revelaverat, et diu ante per os Davidis intimari fecerat, dicentis : *Constituite diem solemnem in condensis*; ideo *attigit a fine usque ad finem fortiter, et disposuit omnia suaviter. Notas facite in populis adinventiones ejus.*

**4.** — Anno 1239, in urbe Daroca, quæ Valentiæ subjicitur, insigne quoddam in Eucharistia contigit miraculum. Etenim sex particulæ consecratæ ob ingentem barbarorum et infidelium hostium metum, siquidem hi in procinctu erant aggrediendi Christianos, quibus utpote multitudine et viribus superiores extremam minabantur ruinam, sex inquam illæ consecratæ particulæ a celebrante corporali involutæ et ab eodem subtus saxum quoddam absconditæ fuerant. Demum vero cum post reprotatam a nobis adversus immanes illos hostes gloriosam victoriam, corporale præfatum explicaretur, hostiæ illæ circumquaque sanguine aspersæ et sacro huic lino affixæ repertæ fuerunt, quæ postea nobis ad iteratum cum hoste certamen ineundum provocatis publice exhibitæ, tantam militi nostro animi generositatem suggesserunt, ut denique miserabilem illis stragem intulerint. Tandem quia reliquiæ istæ tantam sibi famæ gloriam compararant, multis deinceps modis in urbe Daroca a fidelibus honoratæ fuerunt, crescenteque ex diversis mundi partibus fidelium confluentium concursu, præcipui quidam civitatis illius viri ad Sedem Apostolicam ablegati fuerunt, qui pro majori devotionis illius stabilimento privilegia et indulgentias obtinerent reliquias illas visitantibus. Accidit autem, ut hi juste eo tempore Romæ appellerent, quo Urbanus præfatus in Pontificem electus fuit, ut proinde tempus illud proprie videri potuerit tempus illud opportunum, quo Deus divina decreta sua, quæ tot retro seculis abscondita reservarat, revelare decreverat. Seneca scribit[1] : « Rerum natura sacra sua « non simul tradit; illa arcana non promiscue, « nec omnibus patent; reducta et interiore sacrario

[1] DION. CART., s. *in Festo Corp. Christi.*

[1] SEN., l. VII *Nat.*

« clausa sunt, ex quibus aliud hæc ætas, aliud, « quæ post nos scribit, aspiciet. Quando ergo ista « notitia producitur ? tarde magna veniunt. » Idem quoque nos de operibus gratiæ asserere posse videmur. Neque enim Deus in Ecclesia sua in uno eodemque sæculo operatus est, quicquid maxime æstimat et veneratur. Quot enim sunt divini beneplaciti decreta, quæ Deus indifferentibus ætatibus revelavit? Quot sunt elapsa sæcula, priusquam se hodiernam solemnitatem institui velle, declararetur? Porro ultimus impulsus, quem Spiritus sanctus Pontifici ad determinandam hodierni festi per universalem Ecclesiam solemnem celebritatem immisit, fuit aliud quoddam portentum, quod, ut ita dicam, spectante oculis suis Urbano Papa prædict contigit, dum Orvieti commoraretur. Etenim Bolsenæ, quæ quoddam est diœcesis illius territorium, accidit, quod dum sacerdos quidam de hujus Sacramenti veritate dubitans, Missam celebraret, subito ex arida illa consecrata hostia vivus egressus fueri sanguis in tanta copia, ut præterquam totum corporale et purificatorium consperserit, insuper inde in terram defluxerit, cujus in hodiernum usque diem signa manifesta videntur, relinquendo insuper in corporali in plures plicas complicato varias hujus hostiæ figuras impressas. Unde Papa cum Cardinalibus et Prælatis omnibus ibidem præsentibus, memorabili huic reliquiæ summa cum veneratione occurrens, eamdem Orvieti, adhibitis miris augustæ magnificentiæ demonstrationibus per urbem processionaliter deferri curavit [1]: *Notas facite in populis adinventiones ejus.* Quis hic non miretur stimulorum multitudinem ac varietatem, quos Deus pro hujus festi institutione decernenda Vicarii sui lateribus admovit? Etenim paucos ante mense supplicationi Ecclesiæ Leodiensis pro hujus celebritatis institutione transmissæ subscribendo annuerat; dum adhuc ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus esset, ejusdem approbationi cum impugnaretur, interfuerat; revelationem de hac re B. Julianæ factam probissime noverat : prædictionem quoque quam Eva prædictæ sanctæ consodalis sibi vaticinata fuerat, recenti adhuc memoria tenebat; miracula quoque quæ Darocæ contigerant, adhuc recentia erant, siquidem Legati civitatis illius etiamnum præsentes aderant; insuper etiam S. Thomas de Aquino mirificus ille Theologiæ prælector in eadem civitate præsens aderat, qui paulo ante Parisiis commoratus fuerat, quando illud accidit miraculum, in quo hostia a sacerdote quodam elevata in elegantissimum transmutata puerulum fuit, ad quem videndum complures homines certatim concurrerunt; tametsi sanctus Ludovicus ad eam spectandam permoveri non potuerit, quin potius dixerit : Si quis est, qui mysterium istud non credit, eo protinus accurrat, me quod attinet, eumdem per fidem quotidie aspicio. Omnia hæc intra breve temporis spatium patrata miracula, aliaque multa suæ Sanctitati a personis magna fide dignissimis narrata, summum Pontificem permoverunt, ut adhibito Cardinalium aliorumque multorum Ecclesiasticorum insignium consilio, super hac universali et publica sanctissimi Corporis Christi veneratione in hac Octava continuanda Bullam quamdam solemniter expedire decreverit [1]. Verum quidem est, quod hæc motiva prædicta in Bulla sua non specificet, attamen revelationes et prædictiones paulo ante memoratas, hisce verbis clare satis innuit dum ait : « Intelleximus autem olim, dum in « minoribus essemus officiis constituti, quod fuerat « quibusdam Catholicis revelatum festum hujus- « modi generaliter in Ecclesia celebrandum. » Similiter ex quadam ad sæpedictam Evam a Pontifice exarata littera (in qua ei pro consolatione, quam ex suo decreto perceperat, mire congaudet) clare deducitur Papam majori ex parte ad hanc deliberationem et divinæ voluntatis pluribus sibi modis notificatæ executionem, ex revelatione magnæ huic Dei famulæ facta fuisse permotum.

**5.** — Ecce igitur post tot sæculorum decursum tandem completum Davidicum illud oraculum ; ecce qualiter non unus tantum, sed plures Pontifices obedientissimi extiterint divino huic per Davidem promulgato præcepto [2] : *Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.* Verum enimvero Hugo Cardinalis postquam loco superius citato dixisset : « Per altare intelligitur Sacramen- « tum ; per cornu altaris efficacia ipsius Sacra- « menti, » paulo post modum quoque nobis insinuat, quo dies hic apud Deum solemnis futurus erit, dum ait : « Dies solemnis est pœnitentia in « condensis virtutum et bonorum operum, ut non « paucæ sint virtutes et operationes bonæ. » Cui parum dissimilis est illa Alberti Magni interpretatio dicentis : « O vos omnes de Ecclesia constituite « diem solemnem, vel constitutum custodite. » Porro officium et solemnitas Corporis Christi, jam olim quidem instituta fuit, ac proinde non est, quod de illius institutione deinceps solliciti simus, sed potior nobis cura in eo ponenda est, ut institutione festum custodiamus : « Constitutum custodite. » Quanam autem ratione idipsum exequemur? « Re- « trahentes vos ab omni opere iniquitatis et cupi- « ditatis; hoc est enim primum quod exigitur. » Unde observandum est, quod postquam divinum hoc pronuntiasset oraculum, dicendo : *Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris,* David immediate subjungit : *Deus meus es tu et confitebor tibi, Deus meus es tu, et exaltabo te, Deus meus es tu, et confitebor tibi,* adeoque bis verbum

[1] Isa., XII, 4.

[1] Philen., *de Orig. Fest. Corporis Christi.* — [2] *Ps.* XVII, 27.

illud *Confitebor* replicat, volens, uti ego quidem existimo, nobis insinuare, quod ad reddendum huic Sacramento debitum obsequium, ad exsolvendas ei debitas laudes et gratias, illudque debita cum reverentia venerandum, nihil æque opus et necessarium sit, quam mundam semper habere conscientiam, id quod confessione mediante consequemur. In Genesi narratur, quod Jacob ex Dei præcepto in Bethel se translaturus et quoddam ibi erecturus altare [1], *convocata omni domo sua ait : Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra : Surgite et ascendamus in Bethel, et faciamus ibi altare Domino.* Quotquot hic adsumus, omnes hisce diebus ad sanctissimum hoc Altaris Sacramentum plus quam alio anni tempore per solemnissima obsequia honorandum invitamur, quod quidem ut cum tanto majori devotione præstemus, variis in locis in hisce processionibus altaria erigere consuevimus, ut in iis divinissimum hoc Sacramentum collocetur; advertendum est autem, quod priusquam altaria ista divite et opulenta quadam suppellectile adornemus, prius necessum sit, ut idola abjiciamus : *Abjicite Deos alienos de medio vestri*; hi autem sunt inordinati et impuri affectus nostri. Quid vero interea a nobis fit? timendum est valde, ne nos hisce diebus in ipsismet Dei sacramentati conspectu, qui idola dejicere et prosternere debeamus, alia denuo et nova idola super iisdem altaribus erigamus; etenim multi dissoluti homines hisce processionibus potius ad lasciviæ suæ utuntur fomentum, magisque erga sensuale quoddam objectum, quam erga tantum Sacramentum sese venerabundos exhibent : *Mundamini et mutate vestimenta vestra*; quibus verbis non tam ad mutandos habitus, quam ad morum perversorum commutationem, malosque habitus et pravas vitiorum inclinationes deponendas monemur, etc.

## DISCURSUS II

EXPLICANTUR NONNULLÆ HUJUS INSTITUTÆ SOLEMNITATIS CONVENIENTIÆ ET RATIONES EXPONUNTUR, CUR EUNDEM IN HUNC PRÆCIPUE DIEM TRANSLATA FUERIT. PULCHRA ETIAM EXPONITUR MORALITAS. OSTENDITUR ACCEPTISSIMUM CHRISTO OBSEQUIUM ESSE HONOREM, QUI SACRATISSIMO EJUS CORPORI EXHIBETUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Commemoratio S. Sacramenti in die Jovis Sancto non sufficit. — 2. Præsens solemnitas non inferior est solemnioribus solemnitatibus Christi. — 3. Qua ex causa talis dies ad hanc celebrandam festivitatum eligitur. — 4. Quinam veniunt vere ad hanc solemnitatem.

[1] GEN., XV, 2, 3.

*Dies solemnis agitur, in qua mensæ prima recolitur hujus institutio.*

**1.** — Sanctus Thomas doctor Angelicus, qui hujusce festi officium et Missam ad summi Pontificis Urbani IV, instantiam composuit, nos prouti in Sequentia seu Prosa Missæ hodiernæ audivimus, specialiter monet : diem hunc ob primæ cœlestis hujus mensæ institutionis memoriam tanta cum solemnitate præcipue celebrari, quia tametsi sancta Mater Ecclesia illius institutionis commemorationem in die Jovis sancto devote peregerit, illa tamen commemoratio solemnis nequaquam dici potuit, siquidem potior diei illius pars in dolentissima passionis et mortis Redemptoris nostri memoria transigitur. Porro totum anni circulum sine ullà tanto Sacramento exhibita solemnitate et veneratione pertransire minime conveniebat, siquidem ut scribitur [1], *De reliquiis et veneratione sanctorum* : « Si Dominum in sanctis ejus laudare jubemur, « dignum profecto ; justum et salutare nobis « existit, ut sibi in sui, quo nos quotidie spirituа- « liter reficit, memoriam corporis, laudes festivæ « venerationis, et gratias referamus. » Verum quidem est, quod fideles Divinum hunc panem per multiplicatos adorationis et devotionis actus, venerentur, uti Urbanus Papa ait[2], « verumtamen conve- « niens arbitramur, et dignum (sunt propria verba « ipsius) ut de ipso saltem semel in anno memoria « solemnior et celebrior habeatur. »

**2.** — *Dies solemnis agitur.* Præsens hæc sanctissimi Corporis Christi solemnitas non minori cum gloria ac majestate peragitur, quam quodvis aliud quantumcunque principale vitæ ejus mysterium, sive illud sit Resurrectionis, sive Ascensionis, sive Pentecostes, vel aliud simile. Inter hodiernum vero festum, et alia Salvatoris nostri quantumvis primaria et primæ classis, ut vocant, Festa, talis præcipue est differentia, quod hæc actionum illarum, quæ a tot retro sæculis contigerunt, memoriæ sint et commemorationes, verbi gratia Nativitas celebratur ex gratitudine, et ob memoriam nativitatis Filii Dei, quæ a mille sexcentis et amplius annis in stabulo Bethlehemetico accidit, quando ad salvandum genus humanum angelorum Regina eundem felicissime parturiit ; idemque proportionaliter de omnibus aliis vitæ ejus mysteriis dici potest, quorum licet viva quædam in festis illis habeatur memoria ; quia tamen mysteria illa ab oculis nostris et fere etiam ut plurimum a cordibus nostris procul absunt, adeo devotionem et gratitudinem nostram adeo non exstimulant, aut accendunt, sicut facit Festi Corporis Christi institutio : tametsi enim « Dies agitur, in qua mensæ prima « recolitur hujus institutio, » attamen « Dies so-

[1] CLEM., l. III, tit. 15. — [2] *In bul.*

« emnis agitur, » neque enim solum ultimæ Cœnæ, in qua Christus hunc Angelorum panem consecrasse noscitur, memoria celebratur, verum etiam idemmet Deus qui Cœnam illam instituit, quique corpore, anima et divinitate tectus ibidem præsens existit, in hoc Sacramento honoratur et adoratur, adeo ut jure merito versus hoc Sacramentum longe magis, quam erga alia mysteria crescat nostri obsequii affectus, nosterque perpetuus cultus. Unde Doctor Angelicus in lectionibus matutinalibus ita scribit : « Convenit itaque devotioni « fidelium, solemniter recolere institutionem tam « salutiferi, tamque mirabilis Sacramenti, ut « ineffabilem modum divinæ præsentiæ in Sacra- « mento visibili veneremur. » Quotidiana nos edocet experientia, quod quando sanctorum Confessorum vel Martyrum corpora sive quia de uno loco ad alium transferuntur, sive quia in urgentioribus Ecclesiæ necessitatibus per eorum intercessionem gratiæ a Deo requiruntur, in processionibus circumferri solent, viæ publicæ aulæis et peristromatibus ex serico, auro et argento contextis exornentur, universus quoque tam regularis quam sæcularis clerus concurrat, ingens item devotissimi populi condensetur turba, talesque processiones cymbalorum, campanarumque compulsantium sonitu et cantibus, altaribusque variis in locis erectis mirifice honorentur, unusquisque enim erga pretiosos illos thesauros obsequii sui suæque devotionis specimina edere satagit. Quodsi autem ipsummet sanctissimæ Crucis lignum, cui Salvatoris nostri sacratissima humanitas affixa fuit, circumferretur, cum quanta putas reverentia, quantaque cum veneratione recipiendum foret ? Quænam autem inter sancti alicujus corporis cineres et ossa, aut inter lignum Crucis, tametsi idipsum sanguine Christi copiosissime tinctum, rubricatum et sanctificatum fuerit, et inter ejusdem Christi corpus et sacratissimum sanguinem tres secum divinas personas per concomitantiam habentem, esse aut adinveniri potest proportio ? Quanto igitur justius est et equius, ut hoc ipsum in hac præsenti solemnitate in hoc throno Eucharistico publice expositum, omni possibili venerationis, apparatuum et obsequiorum nostrorum excessu honoretur, atque a fidelibus omnibus adoretur ? Postquam Concilium Tridentinum rite declarasset, quanto cum jure supremus latriæ cultus Euchaaistiæ debeatur, mox subjungit [1] : « Neque « enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a « Christo Domino, ut sumatur, institutum : nam « illum eundem Deum præsentem adesse credimus, « quem *Pater æternus introducens in orbem terra-* « *rum dicit* : *Et adorent eum omnes Angeli Dei* ; « quem Magi procidentes adoraverunt : quem deni- « que in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse, « scriptura testatur. » Facienda quoque hic est peculiaris reflexio, quod postquam Concilium profundam hanc et humilem Christianorum orthodoxorum adorationem huic sanctissimo Sacramento debitam insinuasset ; confestim ex proposito prosequatur laudando festi hujus in ejusdem Corporis Christi honorem, nec non solemnium harum processionum, sumptuosorumque apparatuum institutionem, ut hac ratione quanto cum debito jure dies ille hodiernus tanto cum jubilo tantaque cum magnificentia quotannis solemnizetur, debite demonstret : « Declarat præterea sancta synodus, pie « et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum « fuisse hunc morem ut singulis annis peculiari « quodam et festo die præcelsum hoc et venerabile « Sacramentum singulari veneratione ac solemni- « tate celebremur, utque in processionibus reve- « renter et honorifice illud per vias, et loca publica « circumferetur. »

**3.** — Verum enimvero haud immerito nonnemo hic quærere posset, quibusnam motivis Urbanus Pontifex permotus fuerit, ut inter omnes, qui per totius anni decursum elabuntur dies, hunc præcipue diem Jovis, ad tale aliquod mysterium, quod in ultima cœna et consequenter tot septimanis ante hoc tempus, quod Resurrectionem, Ascensionem et Pentecostem consequitur institutum fuit, solemnizandum elegerit ? Quod primum punctum attinet Bulla hisce verbis respondet : « In die Cœnæ Do- « mini, quo die ipse Christus hoc instituit Sacra- « mentum, universalis Ecclesia pro pœnitentium « reconciliatione, sacri confectione Chrismatis, « adimpletione mandati circa lotionem pedum et « alia quamplurima occupata, plene vacare non « potest celebrationi hujus maximi Sacramenti. » Præterea cum sancta Ecclesia festivitatem hanc extra ordinariis lætitiæ et spiritualis jubili signis celebrare intenderet, ad hanc vero exprimendam lætitiam dies Jovis sanctus, ut pote amare Redemptoris nostri morti deplorandæ destinatus, inconvenientissimus esset, diligenter ventilatum fuit, quisnam dies alius in illius locum opportunius substitui posset, tandemque primo loco conclusum fuit, quod pro hac solemnitate celebranda inter omnes totius septimanæ dies diei Jovis primatus indubitanter deberetur, utpote qui præ ceteris primitus prima hujus Sacramenti institutione honoratus fuisset, ac proinde fas non sit eumdem hoc honore defraudare : at vero quia Ecclesia per quinquaginta dierum decursum partim Resurrectionis Christi gaudiis celebrandis, partim Ascensionis ejus recolendis triumphis occupatur, demum vero Pentecostes cum sua octava immediate succedit, ideo tandem primum diem Jovis, qui octavam Pentecostes consequitur, elegit, hoc præcipue admodum considerabili motivo, quod etiam a S. Thoma hisce

[1] *Conc. Trid.*, sess. 13, c. 5.

verbis tangitur [1]: « Ut qui per totum anni circulum « hoc Sacramento utimur ad salutem, ejus insti- « tutionem illo tempore specialiter recolamus quo « spiritus sanctus corda discipulorum edocuit, ad « plene cognoscenda hujus mysteria Sacramenti ; « nam in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum « a fidelibus frequentari. » Dionysius Carthusianus super Evangelium hodiernum idipsum observat, quod scilicet cœlestis hujus panis consecratio ejusdemque inter Christifideles distributio præcise post adventum Spiritus sancti et non ante suum in Ecclesia exordium sumpserit [2], « Inceperunt gloriosi « Apostoli, cæterique fideles sub eorum regimine « Sacramentum hoc celebrare, consecrare, accipere « et aliis dare, » idque ex Actis Apostolorum probat, in quibus sanctus Lucas scribit, quod postquam sanctus Petrus prædicatione sua multos in Pentecoste convertisset : *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis* ; id est, perceptione sacramenti istius ; dicitque insuper, sanctum Petrum hoc eodem tempore ordinasse sanctum Jacobum minorem in Episcopum Hierosolymitanum : primumque post Christum Missam celebrasse, hunc que panem Eucharisticum consecrasse, postque illum idipsum quoque facere cœpisse reliquos Apostolos, « idque circa tempus « festi præsentis, » scribit idemmet Dionysius.

**4.** — *Dies solemnis agitur.* Enimvero valde nobis necessum est, ut quænam solemnitates Deo et consequenter sanctissimo ejus corpori gratiores acceptioresque sint intelligamus. Jeremias propheta quondam lamentabatur, dicens [3] : *Viæ Sion lugent : eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem.* Hoc quidem nunc de Christianis dici nequit, utpote qui in hodiernis processionibus, sacra templa, vias et plateas copiosissime adimplent. Et tamen videtur præfatus propheta per spiritum propheticum ad hocce festum alludere, siquidem de viis Sion mentionem faciat, hocque Sacramentum in Cœnaculo Syonitico fuerit in ultima cœna institutum, unde Doctor Angelicus nos invitat, dicens : « Lauda « Syon Salvatorem. » Et S. Lucas ait [4] : *Ereœit nobis cornu salutis, in domo David pueri sui* ; Glossa addit *Christi.* Hæc autem Davidica domus in Syon erat. Lyranus *Cornu salutis* interpretatur « virtutem consequendi vitam æternam ; » quibus verbis hic panis vitæ sine dubio circumscriptive innuitur ; ac proinde valde timeo, ne licet hæ viæ Sion ob hanc solemnitatem magno sint apparatu instructæ, atque ex ingenti populi numero festivæ, ut proinde quis nullam hodie de viis Syon plangendi causam esse, existimare possit, timeo inquam nihilominus, ne culpa quoque nostra verificari possit, quod *viæ Syon lugent, eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem* ; quia licet verissimum sit, quod multi hodiernis processionibus intersint et assistant, dici tamen pariter potest [1] : *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam,* pauci etenim sunt, qui ad solemnitatem hanc honorandam huc se contulerint. Oleaster Prophetam dicere voluisse scribit [2] : « Non sunt, qui « veniant ad solemnitatem : quia pios et cultores « Dei desiderabat. » Multi quidem inveniuntur præsentes ad vias adimplendas, ad accensas portandum faces, ad baldachinum deportandum, ad cantandum, ad deportandum reliquias : quam pauci vero sunt, qui ad tanti Sacramenti contemplationem corda et mentes erigerunt ? quot sunt, qui assistunt vel ex sola curiositate, vel ex certa quadam faciendi idem quod alii faciunt, consuetudine, vel ut suæ satisfaciant obligationi, vel ob similes alios fines indifferentes ? Verum enimvero parum hoc esset, nisi insuper lætitiam et solemnitatem istam sua irreverentia, scandalis et dissolutionibus suis, quæ Sacramenti hujus honorem ardenter zelantes ad sanguineas lachrymas fundendas cogere possent, intime contristari et lugere facerent. S. Isidorus hujus dictionis (*celebritas*) quæ in nostra lingua idem quod festum significat, Ethymologiam exponens scribit [3] : « Celebritas eo quod non ibi « terrena, sed cœlestia tantum agantur. » Unde Festum hoc divinæ majestati suæ tanto erit ex parte nostra honorificentius, gratius item et acceptius, quanto magis idipsum corda et conscientias nostras mundando veræ cujusdam pœnitentiæ actibus cohonestabimus. Nam ut S. Ephrem ait : « Celebritas « bona et pulchra, et Deo grata est pœnitentia cum « lachrymis. »

[1] S. Thom., op. 57. — [2] Dion. Carth., s. 2 *sup. Evhod.* — [3] Jer., *Thren.*, I, 4. — [4] Luc., I, 69.

## DISCURSUS III

SANCTA DEI ECCLESIA SANCTISSIMO SACRAMENTO JUSTUM IN HOC FESTO EXSOLVIT GRATITUDINIS DEBITUM. SIMILITER LAUDES ET GRATIAS, QUAS SACRAMENTO HUIC REFERIMUS, NON TAM A LINGUA, QUAM A PURO ET MUNDO CORDE PROCEDERE DEBERE OSTENDITUR.

Idea sermonis. — 1. Qua potissima ratione suam devotionem fideles ostendere queant erga SS. Sacramentum. — 2. Prosequitur eadem materia. — 3. Quod petierat Moyses meliori modo possidemus ; Deus vere nobiscum graditur. — 4. Estote sancti non enim est speciosa laus in ore peccatoris.

*Quantum potes, tantum aude ; quia major omni laude, nec laudare sufficis.*

**1.** — Ut inæstimabili huic beneficio Ecclesiæ suæ per tantum ei relictum thesaurum collato debite respondeamus, in assumpti thematis verbis ad referendas ei quantas per vires nostras possumus, laudes invitamur : « Quantum potes, tantum aude. » Quia

[1] Isa., IX, 3. — [2] Oleast., *in c.* 18 *Lev.* — [3] S. Isid. l. VI *Ethym.*

vero tanto debito satisfacturi aliam monetam præter cor et vocem adhibere nequimus, omnino convenit, ut tanto benefactori omnino grati linguam ad benedictiones et laudes persolvendas laxemus, non obstante quod « sit major omni laude, nec laudare « sufficiat. » Regius Propheta David in bona infinita, quæ a liberalissima Altissimi manu receperat, suum defigens obtutum, quærebat[1] : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* ? Et nonnihil supra se evectus, divinum hunc calicem per spiritum propheticum prospiciens, operæ pretium futurum esse censuit, si cum gratiarum actione eumdem Deo offerret ; unde ait : *Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo ; vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.* Et revera hoc est, quod fidelibus devotis hisce diebus faciendum est, ad hoc ut aliqua saltem huic Sacramento gratitudinis signa exhibeant, nimirum ut non solum in adorationibus externis, quin potius per interiorem Spiritum suam in conspectu omnium protestentur devotionem et obsequium. « Convenit devotioni « fidelium, » inquit S. Thomas[2], « solemniter reco- « lere institutionem tam salutiferi, tamque mira- « bilis Sacramenti. » Interque plura alia hoc valde rationabile adducit motivum : « Ut de tam salubri, « tamque suavi beneficio exsolvantur Deo gra- « tiarum debitæ actiones. » Quod idem motivum Concilium Tridentinum tangit, dum de ea quæ passim a fidelibus hoc tempore fieri solet Eucharistiæ veneratione tractans, ait[3] : « Æquissimum « est sacros aliquos statutos esse dies, cum Chris- « tiani omnes singulari ac rara quadam significa- « tione gratos et memores testentur animos erga « communem Dominum et Redemptorem pro tam « ineffabili et plane divino beneficio. » Denique ipsemet Christi in terris Vicarius, qui festi hujus primus institutor extitit, postquam in Bulla sua multa immensa enarrasset beneficia, quæ ab hoc Angelorum pane ante festivi hujus diei determinationem recepimus, tandem hunc in modum eloquitur : « O excellentissimum Sacramentum ! O « adorandum, venerandum, colendum, glorifi- « candum, præcipuis magnificandum laudibus, « dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum « studiis, devotis prosequendum studiis. »

**2.** — *Quantum potes, tantum aude : quia major omni laude.* Etenim magnam meretur reflexionem illa, qua sancta Mater Ecclesia filios suos commonet, exhortatio : « Lauda Syon Salvatorem, lauda ducem « et pastorem, in hymnis et canticis. » Num igitur illa quasi infinita beneficia in Eucharistia nobis communicata, per gratitudinis obsequia exsolvenda, nihil aliud a nobis requirunt, quam ut pro illis laudes referamus ? Nihil omnino, neque enim in facultate nostra aliud tributum habemus, per quod nos Divinæ Majestati suæ gratos et devotos exhibeamus, præterquam quod laudes, benedictiones et gratias pro eo illi referamus[1] : *Te decet hymnus Deus in Syon : Septies in die laudem dixi tibi ;* ita multis a Deo beneficiis cumulatus David per gratitudinem eidem corresponsurus protestabatur ; idemque ab universo Clero sæculari et Ecclesiastico in horarum Canonicarum recitatione observatur. « Et tamen cum de illo nihil digne dici possit (in- « quit S. Augustinus[2]) admisit etiam humanæ vocis « obsequium et verbis nostris in laude sua gaudere « nos voluit. » De cætero enim verissimum est, quod S. Thomas ait, quod scilicet *est major omni laude, nec laudare sufficit.* Chrysostomus quoque fere quid simile interrogat, dicens[3] : « Tantum « Christi amorem quo amore pensabis ? tantos in « te benevolentiæ fructus quo officio comparabis ? « Quicquid in ejus obsequium erogareris, parum « est, quicquid in ejus servitutem impenderis, « minus est. » Nec tamen ideo ab hoc gratitudinis debito immunes sumus, quin potius eidem juxta possibilitatis nostræ vires satisfaciendum nobis est. « Quantum potes, tantum aude. » Ad minus namque vocum et canticorum nostrorum acceptum habebit obsequium : « Lauda Syon Salvatorem in « hymnis et canticis. » Ehem quot experimur ad Sacramentum hoc debite venerandum et honorandum lateribus nostris admota calcaria ? « Numquid « non merito hujusmodi panis honoratur ? » inquit S. Thomas de Villanova[4]. « Si quis ex vobis pane « aliquo ærumnosam hanc vitam centum annos « producere posset, nunquid non sicut oculi pu- « pillam, panem illum custodiret ? nonne illum « omnibus mundi divitiis anteponeret ? » Jam vero certum est, quod panis ille cœlestis vitam nobis communicet æternam « omnium bonorum pleni- « tudinem felicissimam. » Enimvero quotquot in veteri testamento instituta fuerunt festa, suam ab aliquo insigni a Deo accepto beneficio habuere originem ; unde in illius memoriam et gratitudinem, quotannis certo quodam tempore festa celebrarentur. Et quidem Pascha celebrabatur in exitus illius memoriam, quo Israeliticus populus a duræ illius servitutis compedibus liberatus, Ægyptum deseruit. Festum quod *Encœnia* dicebatur, in restaurati templi memoriam institutum fuerat ; quem eundem ritum multorum festivorum dierum promulgatione sectata est sancta mater Ecclesia. Quis autem est, qui clare non videat, quod sacratissimum Redemptoris nostri corpus, nos longe amplius et ad majorem gratitudinem et solemnitatem obliget quam ullum aliud festum institutum, siquidem non solum voluit, ut Sacramenti quod in ultima cœna, instituit et in quo seipsum nobis in cibum præbuit,

[1] *Ps.* CXV, 13. — [2] S. THOM., op. 58. — [3] *Conc. Trid.*, sess. 13, c. 4.

[1] *Ps.* LXIV, 2. — [2] S. AUG., l. I *de doctr. Christi.* — [3] S. AUG., h. 2 *in Joan.* — [4] S. TH. VILL., c. 1 *de Festo Corp. Christi.*

aliqua a nobis commemoratio fiat, verum insuper ipsamet corporali præsentia nec non divinarum gratiarum abundantia hodiernas processiones dignatus est honorare ; atque insuper non solum hodie, sed semper ad finem usque sæculorum nobiscum commorari voluit, promptus semper ad nutum vel ad pauca cujuslibet sacerdotis verba a Patris dextera descendere, seque in minimo quodam hostiæ atomo perpetim recludere, ut pro peccatis nostris in sacrificium offeratur divinæ justitiæ, et ut animabus nostris in cibum porrigatur et potum, denique ut in quotidianis necessitatibus nostris veluti in throno signaturæ gratiæ resideat. Unde Timotheus Presbyter Hierosolymitanus, *Orat. de Simeone, qui Christum portavit*, de hoc ineffabili beneficio hunc in modum scribit : « Divinæ ac « mysticæ mensæ operam demus per quam mundus « formatur, per quam terrarum orbis consistit, per « quam regnum conservatur. » Quidnam Deus ille ad commodum et emolumentum nostrum amplius facere poterat ? « Corpus dedit in cibum, » inquit Albertus Magnus[1], « sanguinem in potum, animam « in pretium, Deitatem in condimentum, tantum in « hoc dono dedit, quantum ipse est in corpore, et « anima, et Deitate. » Sanctus Thomas dicit[2] : « O « si datum illis fuisset (de Israeliticis loquitur) ha- « bere et videre, quæ nos habemus et videmus, « quid non agerent, quid non in eorum cultum et « reverentiam exhiberent ? » Quis est, qui nesciat, quibusnam honoribus rex Ægypti Josephum affecerit, quem Salvatoris titulo insignivit, eo quod tempore duntaxat septem annorum, in illa ingenti annonæ caritate universo regno de sufficienti frumento prospexerit ? Ab omnibus primatibus regni stipatus, indutus purpura et torque aurea decoratus, atque in triumphali curru considens circumductus et vice-rex acclamatus fuit, omnibusque expresse ut coram eo genua sua flecterent præceptum. Hic autem umbra tantum et figura Christi in hoc Sacramento existentis fuit, in quo non tantum per septennium, sed ad finem usque sæculorum Ægypto mundi hujus de illo frumento abunde providit, deque eo gloriosus hic scribitur titulus, quo vocatur *Frumentum electorum* ; merito igitur in throno hoc Eucharistico honoratur et sub opulentissimis baldachinis hodie circumfertur, ut ab omnibus universim populis adoretur : *ut memores et gratos testemur animos erga communem Salvatorem*. Herodotus refert Scythis antiquitus in more positum fuisse, quod post regum suorum mortem, circumquaque eorum circumferrent cadavera, ut ad eorum conspectum subditi per interiorem animi sensum ad compassionem aliquam erga eos commoverentur, utpote quos erga se valde beneficos sæpenumero fuissent experti. Ecce tibi idipsum pariter facientem sanctam matrem Ecclesiam, quæ corpus Regis illius, de quo hodie ad initium matutini cecinimus : « Christum « Regem adoremus dominantem gentibus, » quique olim in Calvariæ monte amarissima morte occubuit, hisce diebus quaquaversum spectandum, non tamen mortuum, sed in hoc Sacramento magis quam unquam alias vivum et impassibilem, prout est ad dexteram Patris sedens circumfert, ut nos ad gratitudinis affectum exstimulet, nosque gratiarum et favorum, quos ab eo continuo recipimus memores reddat. Tanta cum magnificentia portari disposuit, ut per reliquum anni spatium animos nostros ad majorem reverentiam et devotionem excitaret, considerando videlicet, quod tametsi hodie augustis valde apparatibus vel maxime honoretur, ipse tamen idemmet sit, qui quotidie in incruento Missæ sacrificio offertur, qui ministratur in communionibus sacris, qui tanquam viaticum ad infirmos defertur, qui in 40. horarum orationibus publice adorandus exponitur. Item quod licet ad nostram commoditatem quavis contentus privata reverentia et quovis mediocri obsequio sine tot exhibitis ornatuum apparatibus, propter hoc tamen ne vel minimus gradus venerationis et cultus ei in cordis nostri interiori sit subtrahendus, « si sensus deficit, « ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit. » Et licet in progressu anni hæc desint obsequia, nec videantur hodierni ornatus et pompæ, seu illa hodierna populi non conspiciatur frequentia, ea tamen omnia ad ipsum honorandum nostra suppleat fides, nostra interna devotio et bonæ conscientiæ puritas.

**3.** — Memorandum est, quod quantacunque Deum inter et Moysen intercesserit familiaritas, utpote cui Deus facie ad faciem loquebatur, attamen ad hanc Deo porrectam supplicam[1] : *Si inveni gratiam in conspectu tuo Domine obsecro ut gradiaris nobiscum, et auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas* ; favorabile responsum minime retulit ; non enim ipse cum suis ea gavisus est Dei præsentia, qua nos perfruimur. Nam in columna, quæ castra præibat, non aderat Deus, sed tantum Angelus quidam assistebat. Similiter unus ex spiritibus beatis erat ille, qui velut Dei interpres cum Moyse passim loquebatur. In arca quoque infinita Dei majestas minime aderat visibiliter et actualiter præsens, tametsi ab illa abundantiores dimanarent gratiæ et favores cœlestes; singularissimum etenim hocce privilegium populo reservabatur Christiano, quippe Deus noster nobis in hac Eucharistia corpore, anima et divinitate tenus semper est præsentissimus, adeoque in hisce processionibus verificatur, quod *gradiatur nobiscum*, iisdem namque passibus et gressibus quos nos facimus, ipse per vias publicas inambulat. Unde Rupertus Abbas ait[2] :

[1] ALB. MAG., d. 2, tr. 3. — [2] S. THOM., *de Festo Corp. Christi*.

[1] EXOD., XXXIV, 9. — [2] RUP. ABB., cit. *in Cat.*

« Cum dicit, ut gradiaris nobiscum, fiducialiter « fides Evangelica gaudet subintelligere, ut Ver- « bum caro fiat et habitet in nobis. » Hoc Verbum caro factum est in Eucharistia, et habitat nobiscum et in nobis : « *In me manet et ego in eo.* Immensa « divinæ largitatis beneficia, » inquit S. Thomas [1], « exibita populo Christiano inæstimabilem ei confe- « runt dignitatem, neque enim est aut fuit ali- « quando tam grandis natio, quæ habeat Deos ap- « propinquantes sibi sicut Deus noster adest nobis. » Nulla hac dari aut excogitari potest major vicinia, siquidem non solum *graditur nobiscum,* sed ut ita dicam, fit una caro nobiscum, utpote qui nostrum sit nutrimentum. Prodiga mehercle Dei cujusdam liberalitas, plus dare nobis non potuit, quam seipsum. *Quomodo non etiam secum omnia nobis donavit* Cardinalis Bellarminus *de cultu sanctorum* [2] de hodiernis processionibus tractans, Hæreticorum adversus illas adductas oppositiones et argumenta dissolvens et impugnans ut nos erudiat, quantum hæ processiones in recognitionis nostræ protestationem deserviant, ita scribit. « Etiamsi non esset « vere Christus in Eucharistia, ut calvinistæ dicunt « vel non deberet adorari ut dicunt Lutherani, ta- « men adhuc justum est, habere certum diem, quo « recoleremus memoriam institutionis hujus Sa- « cramenti. »

**4.** — Hic tamen advertendum est, merito nos timere posse, ne de nobis proprie verificari possit, quod dicitur in prosa hodierna : « Nec laudare « sufficit, » non quidem ob rationem a Doctore Angelico adductam, scilicet : « Quia major omni « laude, » sed propter indignitatem nostram; quia [3] *non est speciosa laus in ore peccatoris.* Deus olim per os Isaiæ de populo suo lamentabatur, dicens [4] : *Labiis suis glorificat me cor autem ejus longe est a me.* Neque enim sibi in cantibus et laudibus nostris, quas ipsi in hisce processionibus depromimus, complacet, nisi hæ a reverenti et devoto corde deriventur. Unde bene sanctus Thomas nos monet, dum ait : « Ex præcordiis sonent præconia. » Sanctus quoque Petrus Damianus, licet ad aliud intentum, dicit : « Eliminemus omnes spurcitias de « nostri cordis hospitio, » Etenim immaculatum Salvatoris nostri corpus non tam curat, ut a viis publicis, per quas transibit, tollantur immunditiæ, quam ut peccatorum nostrorum sordes a cordibus et animabus nostris expurgentur [5] : « De nostri cor- « dis hospitio, et quibus possumus variis virtutum « floribus aspergamus : delectetur Deus nitidum « nostri pectoris tabernaculum ingredi, et suavibus « in eo bonorum operum deliciis epulari. » Demum vero ubi hæc omnia adimpleverimus, sanctus doctor libenter nobis acquiescit, ut linguam nostram ad hujus Sacramenti laudes libere laxemus : « Sicque « præparato atque composito decoro intimæ domus « ornatu psallamus. » In Bulla Papali de hisce processionibus ita scribitur : « Devotæ turbæ fidelium « ad Ecclesias affectuose concurrant, et tam Clerici « quam populi gaudentes in cantica laudum sur- « gant; tunc enim omnium corda et vota, ora et « labia hymnos persolvant lætitiæ salutaris. » Ubi notandum, quod prius præmittat : « Devotæ turbæ, » devotio enim debet omnia alia præcedere.

[1] S. Thom., op. 57. — [2] Lib. III, c. 15. — [3] Eccli., xv, 9. — [4] Isa., xix, 15. — [5] S. Petr. Dam., ser. *de Spirita Sancto.*

## DISCURSUS IV

SS. SACRAMENTUM IN HODIERNIS PROCESSIONIBUS GRATIAS ET BENEDICTIONES SUAS EROGANDO ERGA NOS SE LIBERALISSIMUM ESSE DECLARAT. UBI EADEM OCCASIONE MALORUM CHRISTIANORUM IRREVERENTIA ERGA HOC SACRAMENTUM GRAVITER PERSTRINGITUR.

Idea sermonis. — 1. Christus in Eucharistia tanquam in throno misericordiæ sedet. Salvator, thesaurus, merces, convivium, arca fœderis est nobis. — 2. Christus pertransit benefaciendo sed etiam sanando omnes. — 3. Multorum tamen vulnera et plagæ mortiferæ in hisce processionibus potius recrudescunt.

*Pertransiit benefaciendo et sanando omnes.* Act. Apost., x, 38.

**1.** — Benignissimus Salvator noster in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento tanquam in throno misericordiæ, vel tanquam in signatura gratiæ considens, nihil æque desiderat, nec ulli alteri rei ita studet, quam ut nos gratiis et donis locupletare nobisque nec largam cœlestium spiritualiumque thesaurorum copiam benefacere possit. Unde firmiter credere possumus, quod Salvator noster hoc potissimum fine se in hoc Sacramento per vicos et plateas portari seque ab omnibus videri permittat ut nimirum nos ad postulandos ab ipso favores et gratias, suæque beneficentiæ dona in nos effundenda humanissime invitet : *Pertransit benefaciendo.* Quodsi enim in rebelli sibi et ingrata Judæa benignissimæ pietatis suæ ad quemlibet gressum impressa post se relinquebat vestigia, quanto igitur credibilius est, quod erga Christianismum, utpote qui hodie omnibus sibi possibilibus devotionis et obsequii demonstrationibus, cum venerari et adorare omni suo studio satagit, futurus sit liberalior et beneficentior. Porro propheta Evangelicus solemnitatem hanc hodiernam prædicare voluisse videtur, quando prophetiæ suæ c. lxii ita scribit : *Comedent et laudabunt Dominum, bibent in atriis sanctis meis : transite per portas ; præparate viam populo, planum facite iter, erigite lapides, elevate signum ad populos : ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo.* Etenim Sacramentum hoc sub

speciebus panis et vini institutum fuit *per modum cibi et potus*, merito igitur de novæ et Evangelicæ legis fidelibus propheta prædicit, *Comedent et bibent*. Devoti quoque in hisce diebus per omnes plateas et vicos de porta in portam ad parietes exornandos, ad expurgandas vias et plateas discurrunt, sacra quoque in processionibus vexilla extolluntur : *Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ*. Denique Ecclesia festum hoc per universum mundum solemnissime celebrari instituit. *Dicite filiæ Syon*. Et quidem præ cæteris Filiæ Syon ad id faciendum invitantur, quia in Syon memorabilis illa Eucharistiæ institutio peracta fuit, prouti superius diximus. Per has autem filias famelicæ animæ intelliguntur panem hunc cœlestem avide esurientes, Porro in prædicta prophetiæ sequentia verba in proposito nostro vel maxime deserviunt : *Ecce Salvator tuus venit*. Sed quonam in fine fieri existimas? Non alio utique quam ut nobis copiosissime benefaciat, neque enim vacuis ad nos manibus venit : *Ecce merces ejus cum eo et opus ejus coram illo*. Sacratissimum enim corpus suum secum portat, in quo omnes recluduntur cœlorum thesauri : *In quo sunt omni thesauri*. Æternam illam secum habet retributionem, de qua Abrahæ quondam dixit [1]: *Ego ero merces tua magna nimis*. illa nimirum quæ nos æternæ beatitudinis facit esse commensales : hoc enim est illud opiparum convivium, « In quo « Christus sumitur. recolitur memoria Passionis « ejus, meus impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis « pignus datur. » An non igitur vobis verum esse videtur, quod hodie Christus in Eucharistia omnes plateas obit, et *pertransit benefaciendo*. Enimvero Arca prout suo inferius loco probabitur, augustissimi hujus sacramenti figura erat; hæc autem quantumvis brevi temporis spatio in domo Obededom demorata, *Benedixit omnem domum ejus* : quod David videns eamdem magna cum solemnitate, et cum ingenti apparatu et magnificentia in processione quadam deportari et bajulari fecit [2]; *Adduxit arcam Dei in civitatem David, cum gaudio, et erant cum David septem chori, et victima vituli, immolabant bovem et arietem, et David saltabat totis viribus ante Dominum : et omnis domus Israel ducebant arcam in jubilo et in clangore buccinæ*. Quæ adeo sumptuosa arcæ hujus translatio hodiernarum solemnium processionum corporis Christi manifesta figura fuit, cum aliquali tamen utriusque differentia. Arca enim ex ligno licet incorruptibili fabricata fuit : hic autem in Eucharistia *habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Quodsi igitur lignum istud *benedixit omnem domum*; multo securius nos in Evangelica veritate dicere possumus, Deum nostrum in hoc sacramento omnes reclusisse benedictiones quodque *benedicat omnem domum*; siquidem *pertransit benefaciendo. Benedicat tibi Dominus ex Syon et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ* [3]. Ubi nota Davidem dicere *ex Syon*, ad cœlestem hunc panem alludens, qui in Syonis cœnaculo consecratus fuit; paulo ante autem Psalmista Salvatori nostro dixerat : *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*. Denique S. Thomas non sine mysterio in Graduali Missæ hisce verbis utitur [4] : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione*.

2. — Advertendum est autem, quod non solum pertransit benefaciendo, verum etiam sanando omnes, et merito, quia est panis vitæ : « Panis vivus « et vitalis hodie proponitur. » *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Nisi manducaevritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis*. Doctor Angelicus Christum Dominum nostrum in hujus Eucharistici convivii institutione, Pastoris titulo decorat, dum ait : « Lauda « Syon Salvatorem ; lauda ducem et Pastorem ; » inde hodie mihi adimpleri, videtur parabola illa olim a Christo de amantissimo illo pastore proposita, qui amissam oviculam studiosissime investigabat Christum enim nobis in hoc pane corpus suum tunc præcipue reliquit quando sanguis ejus in venis vel maxime bulliebat, ob magnam aviditatem, qua eumdem pro nostra salute desiderabat effundere, imo quando nil aliud adeo cordialiter suspirabat quam quomodo ipsos quoque assassinos, crudelissimos carnifices et traditores impiissimos satagebat ad pœnitentiam reducere ; *In qua nocte tradebatur. accepit panem*. Quis nobis hodie dabit benignissimo, illos contueri oculos, quos per omnes urbis plateas in animas conjicit errabundas, ut illas a perditionis baratro ad beatitudinis semitas revocare possit quot stimulos et calcaria in desidiosos defigit, ut in viam quæ ad cœlum ducit, eos dirigere possit optime nos amorosi hujus Pastoris benevolentiam et pietatem implorare docet sancta mater Ecclesia hisce verbis: « Bone pastor, panis vere, Jesu nostri miserere, tu « nos pasce, nos tuere, tu nos bona fac videre in « terra viventium. » Vestros velim oculos in ipsum conjicite, quando ad lucrandas Paradiso animas per vias Hierichuntinas totus anxius atque sollicitus oberrabat, etenim tunc illum quaquaversum innumerabilis circumdabat populus, qui miraculis ejus applaudens eum pro viribus suis impensissime honorabat, et ecce peccator quidam valde famosus publicanorum antesignanus, *Princeps publicanorum* quia mira de Christo audierat curiositate motus videre ipsum desiderabat quia vero statura pusillus existens, ad densam populi multitudinem et concursum, desiderio suo potiri non poterat, arborem quamdam sibi conscendendam esse censuit, *Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret*

[1] GEN., XIV, 1. — [2] III REG., VI, 11.

[1] *Ps.* CXXVII, 5. — [2] *Ps.* CXLIV, 16. — [3] JOAN., VI, 54. — [4] 1 COR., X, 23. — [5] LUC., XIX.

*eum quia inde erat transiturus.* Sed o rem summe admirandam! Salvator noster per conjectum in eum oculorum obtutorum talem ei compunctionis spiritum protinus impressit, ut ex titione inferni, in unico momento, in seraphinum quemdam transmutatus fuerit cœlestis paradisi; nam qui antea ad facies usque lucris injustis immersus usurisque deditus erat, immediate sine ulla cunctatione præpotentium facultatum suarum medietatem inter pauperes jussit distribui : *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus.* Non dicit, *dabo*, in futuro sed *do* in tempore præsenti ; *Et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*, ac tandem Deum nostrum in domum suam cum infinito jubilo recepit ideoque audire meruit : *Hodie huic domui salus a Deo facta est.* Quo ex facto tale formare possumus argumentum, quodsi Christus in illa, ut ita dicam processione Hierichuntina, quando adhuc passibili et mortali carne indutus erat, alicui publicano tamque famoso peccatori in vitiis et peccatis habituato tot beneficia contulit, quid igitur nunc faciet quando studiose per omnes vicos et plateas circuit ut gratiarum suarum thesauros spargere possit, quando, inquam, *pertransit benefaciendo et sanando omnes*? nunquid credibilius est, quod nunc vel maxime fidelium animarum salutem anhelet, ut se gratum exhibeat erga honores et obsequia, quæ ipsi hodie certatim præstantur a singulis fidelium domibus sanctissimum cujus corpus hospitio excipere desiderantibus? Hoc solum nobis vel maxime curandum erit, ut ex parte nostra nullum ei per obstinationem et duritiem nostram obicem ponamus , *Lux venit in mundum et dilexerunt homines, magis tenebras quem lucem.* Peccatorum nostrorum tenebræ et inordinati appetitus nostri plus a nobis amantur, quam lux divina, quæ ad nos venit, ut dummodo consentire velimus iniquitatum nostrarum a nobis dissipet obscuritatem : *pertransit benefaciendo et sanando*; dum nos non magis plagas et vulnera, lethalesque infirmitates, quam salutem et vitam nostram diligamus[2]: *Quocunque introibat in vias, vel in villas aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent, et quotquot tangebant eum salvi fiebant.* Quis autem nostrum est, qui non ex aliqua vei spirituali vel corporali infirmitate languescat devota illa mulier, qua per solidos duodecim annos sanguinis fluxum perpessa fuerat, vestis Dominicæ fimbriam tetigerat, quando redemptor noster, veluti in processione ab ingenti hominum turba undique cinctus erat, et *pertransibat benefaciendo et sanando*, unde ut sanctus Lucas scribit, Christus ait[3]: *Novi virtutem de me exisse.* Et sanctus Petrus Christo interroganti : *Quis me tetigit* ? respondit : *turbæ te comprimunt.* Hæc porro mulier cum ingenti et generosa fide fimbriam quamdam vestis tetigit. *Tetigit fimbriam vestimenti ejus et confestim stetit fluxus sanguinis ejus.* Qua de re pulchrum audite Chrysologi argumentum[1] : « Tetigit vestimentum mulier, et « curata est : miseri, qui quotidie corpus Domini « tractamus et sumimus, ut a nostris vulneribus non « curamur. Non Christus infirmitatibus, sed fides « deest : nam multo magis modo in nobis manens « poterit vulneratos curare, qui latentem mulierem « præteriens sic curavit. »

**3.** — Porro cœlestis hic Protomedicus, quantum quidem est ex parte sua[2]: *omnes homines vult salvos fieri*, et hodie plusquam alias unquam *pertransit sanando omnes.* Veruntamen ingens malum nostrum est, quod vulnera et plagæ mortiferæ in hisce processionibus potius recrudescant; non nunquam propria nostra voluntate concurrente ad mortem usque infirmamur, nec sanari volumus. Qualis etenim est multorum perperam viventium erga sanctissimum Christi corpus irreverentia? quot obscænorum obtutuum scandalis, quot sensualitatibus, quot crapulis et ebrietatibus aliisque licentiosæ vitæ excessibus processiones hodiernæ prophanantur? Moyses, ut supra diximus, a Deo petebat, dicens[6]: *Obsecro ut gradiaris nobiscum*; sed quo id fine petiit? *ut auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas.* Ubi Glossa interlinearis ait : « Quod Dominus hic se promittit facturum, nun- « quam est Judæis datum ad literam » sed speciali quadam prærogativa nobis duntaxat fuit concessum. Advertendum autem nobis est, quod dicit Chrysostomus : « Ipsa excellentia dignitatis majoris tibi « fiet causa supplicii. » Deus quidem noster in hisce processionibus ad nos venire et nobiscum gradi non dedignatur, sed ad benefaciendum nobis et sanandum spirituales nostras infirmitates ; non vero ut in iisdem a nobis offendatur, Ecclesia quoque toto conatu ipsum hodie, si unquam alias, in hoc triumpho honorare contendit, eumque in processione circumfert, *ut auferas iniquitates nostras atque peccata* et nos adeo inverecundi erimus, ut illa de novo committere non dubitemus? quantam obsecro stragem Arca Domini in illis edidit, qui eam dum circumferretur varia curiositate inspicere præsumpserunt ? « Quanta gravitas, quanta severi- « tas, » inquit S. Thomas de Villanova, « quanta « majestas, quantus terror in arca lignea ? Tantane « tibi Domine cura de ligno? non utique ; sed « propter nos hæc omnia facta sunt, in illis terre- « mur, in illis admonemur, in illis instruimur, » quodnam autem est documentum, quo nos erudire contendit ? « Illos examinas, ut nos erudias, ut in « eis discamus quanti piaculi simul et periculi sit « indigne tractare, aut sumere sacrosanctam Christi

[1] Joan., III, 19. — [2] Marc., VI, 56. — [3] Luc., VIII, 4.

[1] S. Chrysolog., s. 33. — [2] I Tim., II, 4. — [3] Exod., XXXIV, 6. — [4] S. Thom. de Vill., c. 2 *de Fest. Corpor. Christi.*

« carnem in hostia salutari, cujus typum sic Deus « magnificavit, sic subiimavit sic vendicavit. » Merito et nos metuere possumus, ne idem quoque super nos inducatur supplicium, illos præsertim qui « indigne tractant hoc Sacramentum, » hoc eodem tempore, quo Ecclesia idipsum « sic sublimavit et « magnificavit, » idque tantis cum apparatibus, tantisque adorationis et reverentiæ religiosissimis signis. De tribus Regibus orientalibus dicitur : *Procidentes adoraverunt eum,* nimirum ut Christo homagium præstarent, idque præcise eo tempore quo pauperculis pannis circumvolutus, in duorum stolidissimorum animalium medio super paleis jacebat, non vero in Majestatis suæ throno considebat, prouti nobis eum in hodierno festo videre contingit; in quo hisce verbis ad eum invitamur : *Christum Regem adoremus dominantem gentibus* ; qua igitur fronte eum tanta cum irreverentia aspernari et contemnere audebimus? « Illi cum præsepe et tu- « gurium, » inquit Chrysostomus [1], « tantummodo « neque eorum quicquam quæ tu nunc intueris, « viderent summa accesserunt reverentia et hor- « rore, tu vero non in præsepi, sed in altari. »

## DISCURSUS V.

LÆTITIAM, AD QUAM IN HAC FESTIVITATE INVITAMUR, POTIUS IN INTERIORI BONÆ CONSCIENTLÆ SINU ET VIRTUTIBUS CHRITIANIS BONIQUE OPERIBUS, QUAM IN EXTERNIS DEMONSTRATIONIBUS CONSISTERE, OSTENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Ecclesia nos ad affectus lætitiæ et gaudii dulciter invitat. Hæc lætitia ignorantium lux est. — 2. Gaudium nostrum a divina præsentia nunquam dessociandum est. Spiritualem lætitiam nihil aliud gignit quam pura conscientia. — 3. Non omne studium in externa cultus et ornamentorum ponendum, sed in bonis et spiritualibus operibus.

*Sit laus plena, sit sonora, sit jucunda, sit decora mentis jubilatio.*

**1.** — Postquam sancta Mater Ecclesia hanc corporis Christi solemnitatem per totum Christianismum sufficienter promulgasset, ad hoc ut a cunctis populis cum omni possibili reverentia et honorificentia celebretur, hodie nos ad effectus lætitiæ et gaudii dulciter invitat, dicens ; « Sit laus plena, sit sono- « ra, sit jucunda, sit decora mentis jubilatio. » Nec obstante quod septimana præterita jucundissimum illud Alleluia deposuerit, eo quod Paschale tempus in prædicta solemnitate feliciter terminarit hodie nihilominus in totius hujus octavæ officio et Missa idem Alleluia denuo reassumpsit et frequentissime repetiit. In introitu quoque Missæ verba illa recitat : « Exultate Deo, jubilate Deo. » Item in Hymno matutinali dicit : « Sacris solemniis juncta « sint gaudia ; » denique in antiphona quadam cecinimus : « In voce exultationis resonent epulantes, « in mensa Domini, » adeo ut per omnes officii hodierni partes ad lætitiam et gaudium spirituale invitemur. Glossa in Clementina [1], in qua de hodierno festo agitur, præcipue super illa verba : « Plaudat, « jubilat- » scribens dicit : « Plaudat quasi manus « jungat, jubilet quod est cantare voce quadam « confusa præ gaudio, unde dicunt quidam, quod « jubilus est gaudium, quod verbis explicari non « potest, nec tamen penitus reticeri. » Sancta igitur Ecclesia per duo hæc significantia verba omnes filios suos ad festivandum, huicque solemnitati cum jubilo applaudendum humaniter invitat, dicens : « Plaudat, jubilet. » Adhæc gravis quidam aactor [2] scribit, quod cum in territorio Luchent omnia ad solemnem quandam corporis Christi processionem præparata essent, Musici autem ad eandem conducti nondum advenissent, Deus ingens hoc operatus sit miraculum, ut scilicet a processionis principio usque ad finem suavissimi per aera concentus et melodiæ auditæ ab omnibus fuerint, hosce autem cantores ipsomet Angelos fuisse omnibus persuasum et indubitatum fuerit. S. Thomas in prima Concione de hodierna festivitate summam illam Israelitarum admirationem, qua manna primitus videntes et degustentes percelebrarunt dicentes : *Manhu, quid est hoc?* considerans dicit, mirum non esse, si etiam quisquis de tanti Sacramenti mysteriis non satis informatus, modicam panis particulam tanta cum majestate, tantoque cum apparatu et triumpho quaquaversum circumferri videns, exclamando diceret: *Quid est hoc?* quod vero huic nostro proposito vel maxime deservit, est quod suo tempore fieri solitam præsentis hujus solemnitatis lætitiam aliquatenus describendo nobis ob oculos ponat, dicens : « Inspecta hac nostra celebritate, viso populi jubi- « lantis concursu, sacerdotum laudantium appa- « ratu, ministrantium ordine, canentium jubilo, « saltantium tripudio, instrumentorum sonitu, « vestium splendore, plebis exultantis applausu, « inspectato honore, reverentia, cultu, etc. »

**2.** — *Sit jucunda, sit decora mentis jubilatio.* Enim vero operæ pretium erit horum verborum Ecclesiæ sensum accuratius nonnihil ponderare, utpote quibus potius ad interiorem mentis et cordis lætitiam concipiendam excitamur ; « Sit decora « mentis jubilatio. » Ideo etiam dicitur quidem : « Sacris solemniis juncta sint gaudia, » immediate tamen sequentibus verbis undenam hæc gaudia derivari debeant, aperte satis declarat, dum ait : « Ex præcordiis sonent. » Isaias quoque qui verus Evangelicæ legis propheta fuit, de cœlesti hoc Pane

[1] S. CHRYS., h. 61 *ad pop.*

[1] L. III, tit. 15. — [2] JOANN. TRIN., l. VI, c. 15 *super* [illegible]

loqui voluisse videtur, quando uti existimo per os ipsiusmet Ecclesiæ ait[1]: *Gaudens gaudebo in Domino et exultabit anima mea in Deo meo.* Ubi notandum quod verbum jubili expressivum bina vice repetat, ita tamen ut illud semper cum Deo unitum et conjunctum enuntiet : *Gaudebo* ; sed in *Domino* : *exultabit anima mea*, sed in *Domino*; *exultabit anima mea, sed in Deo meo.* Insinuare volens, gaudium hoc a divina præsentia nunquam dissociandum esse. Observandum quoque qualiter sacramentum istud verbis sequentibus circumscribat, dum ait : *Induit me vestimentis salutis et indumento justitiæ.* Ubi Septuaginta legunt : *Tunica justitiæ*, hæc autem salutis et lætitiæ vestis non est alia, quam Christus, qui animam nostram vestit et contegit[2] : *Induimini Jesum Christum* ; ac proinde verum intra nos insinuat gaudium, siquidem est Deus totius consolationis. « Quicquid præter Deum est, dulce non « est, » inquit S. Augustinus, « quicquid mihi vult « dare Dominus meus auferat totum et se mihi « det ; » id quod in Eucharistia veracissime adimpletur, in qua seipsum omnino et totaliter donat, in corpore, anima, et Divinitate, et unum idemque nobiscum efficitur ; atque ideo tunc vere sapidissimos beatitudinis gustus percipiemus, si cœlesti hoc manna velut alimento nos nutriamus, poteritque quilibet dummodo illo se nequaquam indigne cibet, vere dicere[4] : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Unde Apostolus ad Corinthios scribens nos exhortatur, dicens[5] : *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ : sed in azymis synceritatis et veritatis.* Circa quæ verba Chrysostomus existimat, Apostolum idipsum solius festi occasione scripsisse[6] : « Indicat non tempus, « sed conscientiam mundam festum efficere ; nihil « enim aliud est festum quam lætitia. » Et ideo summi Pontifices ut festum hoc quoad possent, solemne efficerent, tanta cum sollicitudine ad lætitiæ signa edenda nos cohortantur : « Sit laus « plena sit sonora, sit jucunda, sit decora mentis « jubilatio. » Verum enimvero ne forte in errorem incidamus nescientes discernere lætitiam, de qua Scriptura sacra et Ecclesia exhortando intelligit sciendum est ad spiritualem præcipue lætitiam nos commoneri : « Spiritualem vero lætitiam (inquit « Chrysostomus) nihil aliud gignit, quam cons- « cientia bonorum operum. » Etenim Salvator noster nos illo dignatur convivio excipere, « in quo « Christus sumitur, recolitur memoria Passionis « ejus, mens impletur gratia, » quodnam autem vel quale a nobis vicissim Christo exhibendum est convivium, ut nostrum dignetur ingredi hospitium ? *Secura mens juge convivium.* Igitur exhibeamus illi conscientiam puram et ab omni etiam si possibile est, venialis culpæ coinquinatione mundam. In hoc etenim convivio, ut Hugo Cardinalis ait, « Convivæ « hujus convivii virtutes sunt, quæ omnes propriis « ferculis reficiuntur. » Summus quoque Pontifex Urbanus IV, dum in Bulla institutionis hujus festi omnes nos ad lætitiam iinvitat, ad choreas et tripudia, et hymnos et Cantica nos provocare videtur, sed ad qualia putatis tripudia et cantica ? ad excellentiores, quas exercere possumus virtutes Christianas : « Tam Clerici quam populi gaudentes « in cantica laudum surgant, tunc psallat fides « spes tripudiet, exultet charitas, devotio plaudat, « jubilet chorus, puritas jucundetur, tunc singuli « alacri animo puraque voluntate conveniunt sua « studia laudabiliter exequendo, tanti Festi solem- « nitatem celebrantes. » Similiter in Processione illa Hierichuntina, prouti præcedenti discursu diximus, Zachæus in eo a Salvatore nostro honoratus fuit, ut ipsum domus suæ mereretur excipere hospitio[1] : *Hodie in domo tua oportet me manere.* Subdit vero sacer textus, quod *festinans descendit, et excepit illum gaudens.* Quanam vero in re gaudium hoc sive lætitiam probavit ? Chrysostomus optime idipsum exponit, dicens : « Cum audisset Christum in « eam ingressurum, quomodo eam oruavit ? non « curriculo ad vicinos contendit, mensas, sedes, « subsellia petens eburnea : sed ornatu gratissimo « Christum decoravit. Quis porro iste ? *Dimidium*, « inquit, *bonorum meorum do pauperibus*, quadru- « pliciter reddo, quod rapui. » Tandem sanctus hic Doctor per opportunum quoddam, nobisque in hac octava utile monitum sermonem concludit, dicens: « Sic et nos domos nostras exornemus ; » quasi diceret : Faciamus bonam confessionem, facultates alienas et famam restituendo iis, quibus tenemur, malam deserendo societatem bona a nobis facta proposita serio exequendo : hac enim ratione augustissimum Christi corpus, sumptuoso gratoque cum apparatu recipiemus; quia[3] *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus. Afferte Domino gloriam et honorem.* Magnificentiori cum apparatu recipere non possumus quam si bonam induamus conscientiam. Tunc enim solemnissimo sibique gratissimo festo fruitur, quando animarum nostrarum saluti promovendæ impense studemus. « Est ei magna festi- « vitas, » inquit Origines[4], « humana salus. »

**3.** — Summus Pontifex in Bulla institutionis præcipit, ut dum prælati ecclesiastici subditos suos ad hasce processiones invitant, pariter eosdem de nonnullis devotionibus illa die peragendis, ut processionibus illis tanto dignius assistant, anticipate moneant. « Salutaribus monitis sollicite per vos et « per alios exhortantes, ut per veram et puram « confessionem eleemosynarum largitiones, atten-

[1] Isa., lxi, 10. — [2] Rom., xiii, 14. — [3] S. Aug., *in Ps.* xvi. — [4] *Ps.* liii, 2. — [5] I Cor., v, 2. — [6] S. Chrysos., *de S. Pent.* — [7] Prov., xv, 15.

[1] Luc., xix, 5. — [2] S. Chrys., h. 89 *in Matt*, — [3] *Ps.* xcv, 6. — [4] Greg., h. 23 *in Num.*

« tas et sedulas orationes, et alia devotionis et « pietatis opera totaliter se studeant præparare, quo « hujus pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri par- « ticipes illa die. » Pariformiter in volumine illo, quod *Acta Ecclesia Mediolanensis* intitulatur, S. Carolus in concilio provinciali ita decrevit : « Quo reli- « giosius provinciæ nostra fideles sanctissimi Cor- « poris Domini solemnitatem colant pietatisque « colant operibus ; quæ sacro illius solemnitatis « tempore præstanda sunt, indulgentias a summis « Pontificibus Urbano IV, Clemente V, Martino V, « item et Eugenio IV, concessas consequantur, pa- « rochorum cura sit die dominico solemnitatem « præcedenti, hæc paterna charitate, gravique « sermone illos præmonere atque hortari, primo « ut confessi sacram communionem sumant, ut pro « facultatibus eleemosynam dent, ut pure casteque « in orationibus frequentes atque assidui sint, in « pietatisque Christianæ exercitationibus versentur « ut pridie solemnitatis jejunent. » Unde clare deducitur, Superiorum intentionem nequaquam esse, ut homines in hac festivitate solum de aulæis, tapetibus, musica, ignibus artificialibus, fontibus, altaribus, aliisque similibus ornamentis solliciti existans, sed potius in veram confessionem, communionem, eleemosynarum, aliorumque bonorum devotionem operam suam collocent. De illis igitur qui omne studium suum in externa illa cultus et ornamentorum apparentia positum habent, id quod majoris ponderis est omnino negligentes, idem dici posse videtur, quod de gentilium sacerdotibus qui ut auspiciis suis vacent, oblatarum victimarum viscera tanta cum curiositate investigabant, cum tamen ipsimet in cordium animarumque suarum interiori sinu vitiosissimi essent, inquit Tertullianus : « Miror cum hostiæ probantur penes vos a vitiosis- « simis sacerdotibus, cum præcordia potius victi- « marum quam ipsorum sacrificantium examinan- « tur. » O si quis videre posset, quanta hodie in multis Ecclesiasticis sit inter externas vestes et ornamenta sacerdotalia candida, opulenta, pretiosa et inter internos vitiorum habitus, malasque ipsorum inclinationes, quibus affecti sint discrepantia ? quanta immundities, quot sunt intus in anima talium maculæ ? Nervose hanc deplorat miseriam S. Bernardus dicens [1] : « Cernitur in nonnullis sa- « cerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum « autem nullus aut exiguus ; » de eadem pravitate Chrysostomus ita argumentatur : « An non vides « vasa abluta adeo nitida et splendida ? » Imo vero quia opulentissima tam prophana quam sacra suppellex publice spectanda exponitur ; evacuantur sacristiæ et gazophylacia, ad meram ostentationem et pompem. Sed quid inde ? « His longe mundiores « nobis oportet esse animas, hic sanctiores et « splendidiores ? quare ? quoniam illa propter nos « fiunt talia. »

[1] S. Bern., ep. 54.

## DISCURSUS VI.

CORPORI CHRISTI ACCEPTIORA SUNT SPIRITUALIA VIRTUTUM BONORUMQUE MORUM, PURITATIS ITEM MENTIS ET CORPORIS PERISTROMATA, QUAM QUÆVIS ORNAMENTA EXTERIORA.

IDEA SERMONIS. — 1. Ad sacramentum Corporis sui instituendum Christus Cœnaculum elegit grande stratum. Duplex hujus electionis ratio. — 2. Paranda via Domini, sternendo eam bonis operibus. — 3. Paratur item amovendo sordes vitiorum.

*Parate viam Domini.* Isaiæ, XL, 3.

1. — Dum solemnes illos apparatus et ornamenta, quibus hodie viæ illæ exornantur, per quas hodiernæ in honorem Sanctissimi Corporis Christi institutæ Processiones diriguntur, acuratius considero hoc ipsum adimpleri video, ad quod Propheta Evangelicus novæ legis gratiæ Fideles olim prophetice invitat, dum in propositi thematis verbis ita loquitur : *Parate viam Domini.* Porro in œconomia totius vitæ Christi id specialiter obsecro, quod quandiu Salvator noster nobiscum hic in terris commoratus fuit omnium quidem virtutum choro stipatus fuerit, inter omnes tamen virtutes humilitatem præcipue dilexerit, adeo etiam ut eousque se per humilitatem demiserit, ut veluti malefactorum antesignanus in medio et societate duorum latronum crucifixus fuerit. Et tamen hoc non obstante, quando paulo ante passionem suam de sacrosancto corpore in Eucharistiæ Sacramento in ultima cœna instituendo eidem Salvatori nostro negotium erat, Apostolis suis præceperit, ut ad hanc functionem omni cum honorificentia celebrandam sumptuosum quoddam cœnaculum præpararent ? *Vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, et illic parate.* Ubi certus quidem interpres hanc glossam adjicit : « Diligenter excultum. » Insuper in Græco textu additur, *paratum.* Hoc autem cœnaculum tantæ amplitudinis erat, ut ibidem per decem dies congregati permanserint centum vigenti, qui *erant perseverantes unanimiter in oratione cum Maria matre Jesu*, in quod etiam divinus Spiritus sancti ignis cœlitus delapsus fuit. Unde omnino mihi persuadeo, Christum cœlestem Magistrum nostrum per magnificum hujus cœnaculi apparatum, ad sacratissimum corpus suum, hodierna die honorandum, nos invitare voluisse, utpote in quo « dies

[1] Luc., XXII, 12. — [2] S. Aug., *de Pas.* — [3] Act. Apos., XIX, 24.

« solemnis agitur, in qua mensæ prima recolitur « hujus institutio, » idque per specialia augustæ magnificentiæ et ornatuum specimina. Observandum nihilominus est, quod in spirituali sensu, Albertus Magnus de hoc cœnaculo scribit hisce verbis : « Cœ- « naculum istud significat conscientiam et cordis « receptaculum, quod stratum est picto pavimento, « varietate virtutum, grande autem est charitatis « amplitudine. » Cui Cajetanus verbis a nobis in exordio discursus hujus propositis per similem subjungit interpretationem, dum ait : « *Parate viam* « *Domino* procul dubio actibus virtutum. » Chrysostomus autem, de Pentecoste quidem loquens simile quid dicit, quod tamen hodie nobis facile applicare possumus; dicit enim [1] : « Festum celebremus, non « januam coronantes, sed animas comentes ; non « solum tapetibus exornantes, sed animam splen- « didam virtutis amictus reddentes, » quasi diceret sanctus hic doctor : Antiquitus quidem templorum fores variis circumquaque pendulis exornare solebant coronis, hoc autem a vobis minime requiro, quin potius horum ornatuum et coronarum loco animas nostras condecorent virtutes, gratiæ, et opera sancta; opulenta aulea, et phrygio opere contexta peristromata potius sint actionum meritoriarum et virtuosarum sancta exercitia : « Via ad « recipiendum Dominum parata et recta (inquit S. « Thomas) via justitiæ, secundum illud Isaiæ XXVI : « *Semita justi recta est* : tunc enim recta est quando « homo totus subjicitur Deo, ut scilicet intellectus « per fidem, voluntas per amorem, operatio per « obedientiam Deo subdantur. »

**2.** — *Parate viam Domini.* Albertus Magnus ait : « Paratur via dum sternitur exemplis bonorum « operum. » Multi quidem sunt, qui hisce diebus erigendis altaribus, fabricandis arcubus triumphalibus, fontibus artificialibus curandis, spargendis floribus ; pretiosis auleis vestiendis parietibus, laxandis tormentis bellicis, aut in concentibus harmonicis procurandis, omni sunt studio dediti, nec tamen intelligunt, quod omnia hæc obsequii et suæ erga hasce processiones devotionis specimina, sanctissimo huic Sacramento in tantum sint futura accepta et grata, in quantum bonis moribus, optimisque exemplis futura sunt conjuncta. Ad quod confirmandum dicto illi uti possumus, quod sanctus Augustinus tametsi alia occasione, ad nostrum tamen intentum aptissime post se scriptum reliquit, dum ait [2] : « Præparemus hanc domum ad sacri Regis « adventum, eamque diversis probabilium morum « floribus adornemus. » Examinemus igitur, quales sint mores nostri, quibus vivimus, illosque adeo reformemus, ut proximorum nostrorum ædificationi deservire possint ; specialiter autem hisce diebus modestia et honestas in nobis resplendeat, et non tam per decerptos e viridariis et hortis nostris flores, quam per odoriferam bonarum morum nostrorum fragrantiam sacratissimum hoc corpus velut acceptiori obsequio devote honoremus. « Re- « pleamur (est exhortatio ejusdem sancti Augustini « jucundis pretiosisque odoribus castitatis, fidei, et « compunctionis incenso, balsamo benevolentiæ, et « thymiamathe charitatis. » Quid opus est ad hoc laborando conniti, ut aera usque ascendat ? Effunde sicut aquam cor tuum, potius erit, si oculi vestri ex peccatorum vestrorum concepto dolore aquam veræ contritionis scaturiant, per hoc etenim medium supremæ illius et cœlestis aquæ recipietis abundantiam, et [1] *fiet in vobis fons aquæ salientis in vitam æternam.* In vicem suffitus, et incensorum odoriferorum potius discutite qualiter per puræ et innocentis cujusdam vitæ decursum bonum famæ odorem per vitam et mores spirare valeatis, ut pariter cum Apostolo dicere possitis [2] : *Christi bonus odor sumus.* Nam ut bene monet Chrysologus [3]. « Non tam libenter odoratur Arabicæ arboris « guttam, quam synceri cordis et pectoris sancti- « tatem. » Chrysostomus quoque acceptissimum Deo nostro apparatum præparare docet his verbis [4] : « Vis corpus Christi honorare ? ne nudum despicias « ne eum hic quidem sericis honores vestibus, « extra vero gelu et nuditate pereuntem contem- « nas : qui enim dixit : *Hoc est corpus meum* ; hic « et dixit : *Esurientem me, vidistis et non pavistis.* » Verum enimvero quoniam aliqua hic pauperum a me facta est mentio, advertendum est, hosce præcunctis aliis hodie ad hoc sacramentum invitari, utpote qui præ omnibus aliis primatum et præcedentiam obtinent. Etenim in Antiphona ad *Magnificat* in primis vesperis dicitur : *Esurientes replet bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.* Similiter in sequentia dicitur : « Manducat Dominum pauper, servus et hu- « milis. » Et alibi dicitur [5] : *Edent pauperes, et saturabuntur* « et laudabunt Dominum. » Verum inquies : Hi pauperes et egeni carent pretiosis aulæis atque tapetibus, ideoque plantearum compita, aut dæmonum facies exornare non possunt. Quibus igitur ornatibus ipsum gloriæ Regem, in hisce quæ tanta cum solemnitate celebrantur processionibus, excipere et honorare poterunt ? Optime Chrysostomus considerat, mensam illam, super qua Panis ille Angelorum in ultima cœna institutus fuit, non fuisse argenteam, nec calicem in quo pretiosus ipsius sanguis consecratus fuit, fuisse aureum : « Pretiosa « tamen erant omnia, et venerationis plena. » Cur ita ? « Quia spiritu abundabant ; » ac proinde concludit : « Vis corpus Christi honorare ? non « amictu, sed anima munda indiget ; utique ad « hoc non est opus vasis, sed animis aureis. » Nec tamen hæc a me ideo dicta esse existimes, subdit

[1] S. CHRYS., ser. 2 *de Pent.* — [2] S. AUG., ser. 186 *de temp.*

[1] JOAN., IV, 14. — [2] II COR., II, 15. — [3] S. CHRYSOL., s. 87. — [4] CHRYSOST., h. 51 *ad pop.* — [5] *Ps.* XXI, 27.

idem Sanctus, quasi omnia opulenta et pretiosa vasa, omnesque alios magnificos apparatus et et honores, quibuscum Deum nostrum in hoc sacramento veneramur, excludere velim ; sed ut Fideles intelligant, cordium animarumque nostrarum puritatem Deo comprimis gratam et acceptam esse : « Animarum munditia opus est, propter quas « etiam vasa hæc Deus recipit. » Jam vero ipsamet experientia satis demonstrat, hanc bonæ conscientiæ munditiem pauperibus potius inesse, quam divitibus, hi namque in apparatibus quos faciunt, pro motivo suo nonnunquam potius ostentationem, quam Sacramenti hujus cultum et reverentiam habent, utpote quod tot diversis aliis modis contemnunt et vilipendunt ; ideoque *fastidiosos divites dimittit inanes.*

**3.** — *Parate viam Domini.* Interpres quidam modernus circa hæc verba ita scribit : « Repurgate, « complanate ; metaphorica locutio, est sumpta a « similitudine civium, qui si Regem, quem expec- « tant, honorifice excipere, et testari gratum esse « ipsius adventum, viam qua venturus est, a sordi- « bus, incommodis, atque impedimentis omnibus « liberam reddunt. » At inquies, quænam sunt hæ, quæ a viis publicis amovendæ sunt sordes ? et incommoda aut impedimenta illa qualia sunt ? Peccata nostra, dissolutiones et scandala nostra. *Parate viam Domini.* Hugo Cardinalis majoris claritatis causa adjicit : « Peccata nostra abjiciendo. — Animo pec- « cata ejiciat (inquit auctor quidam modernus) « quemadmodum solent e via sordes, novæ vitæ « studeas, qua non secus ornetur ac via aulæis. » Christus Dominus paulo antequam hoc Sacramentum institueret, deposuit vestimenta sua. Quo in facto illud forte monitum insinuare voluit, quod nobis deinceps Apostolus daturus erat [1] : *Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem ; renovamini spiritu mentis vestræ et induite novum hominem.* Quot proprie cum eo coincidit, quod in Matutino nobis insinuavit Ecclesia, dum ait : « Recedant vetera, nova sint omnia, corda, voces et « opera : Ad altaris officium nemo accedit, » (est ponderatio S. Bernardi [2]) « veste communi, sed « quiquis accessurus est, albis induitur. » Per quod nobis puritas et innocentia vitæ et morum insinuatur, quacum huic mensæ a nobis appropinquandum est. Observatisne aliquando qualesnam præparationes institutionem hujus Sacramenti antecesserint, quæ hodie fidelibus reducuntur in memoriam ? « Quod in Cœna Christus gessit faciendum « hoc expressit in sui memoriam. » Enimvero signum ex quo Apostolos cœnaculum, quod præparandum erat, dignoscere voluit hoc præcipue fuit [3] : *Occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum ; ipse ostendet vobis cœnaculum grande stratum et illic parate.* Quodnam putas in eo latet mysterium quod apparatus et ornamenta cœnaculi pariter cum signo aquæ conjungatur ? Nunquid clariora Eucharistiæ sub speciebus panis et vini instituendæ indicia vel panis, vel vini vasa fuissent ? « Sacerdos in æternum Christus Dominus, secun- « dum ordinem Melchisedech panem et vinum ob- « tulit : » Porro certissimum est, hanc aquam mystice repræsentasse tanquam finem, id quod in hoc cœnaculo operandum erat. Unde Tertullianus ait [1] : « De signo aquæ ostendit, ut qui aqua se lavassent « etiam sanguinem potarent. » Christus prius Apostolis aquam occurrere voluit, quæ elementum quoddam est maculis emundandis destinatum, postea vero stratum assequerentur cœnaculum ; ad insinuandum, hanc diligentiam et industriam omnes alias præcedere debere priusquam quis ad corpus Christi honorandum admittatur ; prius enim animæ nostræ aqua veræ compunctionis diluendæ sunt, et postea sacrosanctum hoc corpus congruis est apparatibus honorandum. Imo increatæ et incarnatæ illi Sapientiæ non videbatur sufficere, quod interiorem hanc purificationem in hydra illa insinuasset, quin potius priusquam panem illum Angelorum consecraret [2] : *Deposuit vestimenta sua. Et cum accepisset linteum, præcinxit se ; deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo.* Per hanc lotionem insuper declarando, quanta cum munditia nobis ad hoc Sacramentum accedendum sit, nimirum ut animæ nostræ ab omni levi et veniali culpa immunes sint, quod etiam per illam protestationem insinuat, qua dicit : *Vos mundi estis.* Voluit quoque Salvator noster, ut corpus suum jam mortuum per virum quemdam nobilem et opulentum a Pilato postularetur, qualis erat Joseph ab Arimathea [3] : *Venit homo dives ab Arimathea, nomine Joseph ; hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu.* Marcus adjicit : *Nobilis Decurio mercatus syndonem.* Tametsi enim tanquam vir dives et nobilis multa haud dubie domi suæ lintea habuerit, nullum tamen ex iis corpori Christi adhibuit, sed novum quoddam linteum utpote subtilius, majorisque valoris comparare voluit. S. Lucas dicit, quod *posuit illud in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Nicodemus pariter magnæ auctoritatis princeps eum e patibulo deposuit [4] : *Ferrens mixturam myrrhæ, et aloes, quasi libras centum, acceperunt corpus Jesu, et ligaverunt linteis cum aromatibus.* Theophylactus de Josepho scribit : « Pretiosum corpus pretiose sepeliens ; « cum enim esset discipulus Domini, sciebat qua- « liter corpus Domini honorari deberet. » Et Glossa ait : « Syndone munda Jesum involvit, qui pura « mente eum suscipit. » Cunctos igitur hosce honores infinita illa sapientia sacratissimo corpori

[1] Eph., IV, 22. — [2] S. Ber., s. 3 *de Resur.* — [3] Marc., XIV, 14.

[1] Tert., lib. *de Bapt.* — [2] Joan., XIII, 4. — [3] Matt., XXVII, 57. — [4] Luc., XXV, 53.

suo exhiberi voluit, ad demonstrandum illud quovis devotorum fidelium obsequio et veneratione esse dignissimum.

**4.** — *Parate viam Domino.* S. Maximus ait [1]: « Ille « viam domino suo parat, qui luxuriantis carnis « respuens voluptates, toto in mentis suæ spiritu « suspensus ad Deum vigore se castitatis accingit. » Coram hoc sacratissimo corpore in hisce processionibus tanto obsequiosores esse censebimur, tantopere magis ipsum honorabimus, quanto hoc tempore majore habuerimus curam continentiæ et castitatis; sed quæ est ingens nostra miseria, nos hisce diebus, obtutibus et oculorum jactibus obscœnis plusquam alias unquam frænum laxare, hancque solemnitatem tripudiis, choreis, aliisque minus honestis recreationibus prophanare videmur.

## DISCURSUS VII.

SACRAMENTUM HOC, QUOD BASIS EST FIDEI NOSTRÆ, ET IMMOBILE ECCLESIÆ FIRMAMENTUM, HOC UNICE IN HOC FESTO INTENDIT; UT NIMIRUM AD FREQUENTIOREM REVERENTIOREMQUE SUI CULTUM POPULUM INDUCAT CHRISTIANUM, CONFUNDATQUE HÆRETICOS, UBI ETIAM ALIQUA HUJUS INSTITUTIONIS TANGUNTUR MOTIVA; ET DE CONGRUA AD HANC EUCHARISTICAM MENSAM PRÆPARATIONE.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus sacramento hoc mediante omnes totius universi populos dominio suo venerabundos subjicere voluit. Hæresis nullam habet in Ecclesia potentiorem machinam quam hujus Sacramenti neglectum atque contemptum. — 2. Solemnitas hodierna frequentiorem excitat ad communionem. — 3. Negligentias in anni decursu admissas reparat. — 4. Obsequium regi gloriæ præstat.

*Christum Regem adoremus dominantem gentibus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.*

**1.** — Quidnam obsecro hic subest mysterii, quod Salvator noster qui quandam humilitatis cathedram in terra erecturus de cœlis descendit, juxta illud [2]: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*; ideoque in solemni illo Hierosolymitano triumpho, licet cum olivis et palmis triumphalibus passim ab omni populo exciperetur, humilitate tamen suadente, non equo generoso, sed vili jumento insidere voluit, is, quaquaversum urbis plateas in magnifico Majestatis throno, sub pretiosissimis auro nimirum et gemmis phrygio opera elaboratis baldachinis, illustrissima principum tam sæcularium quam Ecclesiasticorum corona cinctus circumferri velit, idque ut tanquam supremus mundi totius Monarcha latreutice adoraretur, et ut hoc assequatur, omnes ad id faciendum ab Ecclesia hisce verbis invitare velit : « Chri- « stum Regem adoremus dominantem gentibus? »

[1] S. MAXIM., h. 3 *in Nat. Joan. Bapt.* — [2] MATTH., XI, 29.

Pro cujus resolutione memoranda est illa Davidica Prophetia, quam Ps. II refert, in qua ipsemet Altissimi Filii sui ipsius præco factus de seipso protestatur, dicens [1]: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Verum inquies ubinam hoc ei ab æterno Patre suo omnium animarum collatum est dominium? *Super Sion*, id est, in Cœnaculo Syon, quando sanctissimum hoc instituit Sacramentum; ibi namque regiam adeptus est auctoritatem, juxta illud [2]: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ : Et nunc Reges intelligite : Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Et ideo post hanc institutionem, quæ mortis suæ memoriale quoddam extitit, Redemptor noster legem suam Evangelicam universo mundo promulgavit. Et ideo non sine mysterio sanctus Joannes ante hujus Sacramenti institutionem præmisit, dicens [3]: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*; siquidem priusquam de se diceret : *Ecce vobiscum sum omnibus diebus*, id est, per præsentiam temporalem in hac hostia, paulo ante protestatus fuerat, dicens [4]: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*; adeoque certo asserere possumus Christum Sacramento hoc mediante omnes totius universi populos dominio suo venerabundos atque devotos subjicere voluisse. Unde dicit Ecclesia : « Christum Regem « adoremus dominantem gentibus, qui se mandu- « cantibus dat Spiritus pinguedinem. » Sciendum est autem hoc Christi dominium et regnum calamitosis illis sæculis, quæ tempus, in quo hodierna solemnitas instituta et stabilita fuit, diu præcesserunt, majori ex parte penitus defecisse; etenim navicula Petri sævissimis conquassabatur persecutionibus, quibus non tantum ab hæreticis, verum etiam a malis infestabatur Christianis. Quot enim injuriis, calumniis, et a contumaci inobedientia proficiscentibus bellorum tumultibus Fredericus II. Imperator, et Manfredus filius ejus universum statum Ecclesiasticum per Saracenorum adhibitam auxiliarem manum afflixerunt et perturbarunt, utpote quem flamma et igne depopulantes, ne quidem ipsismet pepercerunt purpuratis Patribus quos squalidis fœdisque incluserunt carceribus? superstitiones, sacrilegia, hæreses, passim per omnia loca inundabant. Firmum sibi pedem figebat Turcicus Alcoranus, paganismus pariter et atheismus in optimo flore erat. Verum enimvero quonam existimatis divinam providentiam ad tantarum ruinarum reparationem, usam fuisse remedio? Priusquam ad id respondeam, primo velim audiatis quod S. Bonaventura scribit [5]: « Tolle, » inquit, « hoc Sacramentum de Ecclesia, et quid erit in « mundo, nisi error et infidelitas? et populus « Christianus erit idololatriæ deditus, per hoc stat « Ecclesia, roboratur Fides, viget Christiana Reli-

[1] *Ps.* II, 6. — [2] *Id.*, IX, 10. — [3] JOANN., XIII, 3. — [4] MATT., XXVIII, 18. — [5] S. BON., *de præcep. Sacerd.*

« gio, et divinus cultus. » Legite obsecro historias sacras usque sæculum decimum tertium decurrentes, et invenietis utique quod temporibus, quæ sæculum istud antecesserunt, Fideles hoc Sacramento valde parum usi fuerint, neque in ea apud omnes veneratione erat, in qua nunc ab illo sæculo et deinceps esse conspicitur, postquam Festum hoc per universam Christianitatem institutum fuit. Divina igitur providentia ut fidem paulatim ad interitum collabentem sustentaret, ac universum Catholicum gregem obedientem redderet, atque ad ovile Ecclesiæ reduceret, devotæ illius virginis Julianæ cor et spiritum excitavit, et permovit, ut solemnes hasce processiones ad majorem Corporis Christi reverentiam in Diœcesi Leodiensis promoveret ; postea vero eadem divina operante providentia varia insignia contigerunt miracula, superius a nobis in discursu primo circa Eucharistiam recensita. Denique suo in terris Vicario persæpe ut Festum hoc per totum Christianismum celebrari præciperet, inspiravit. Justum igitur et æquum erat, quod Ecclesia Fideles suos ad hæc Festa concelebranda non aliis quam verbis propositis invitaret, dicendo : « Chris- « tum Regem adoremus dominantem gentibus, » siquidem hoc Sacramento mediante omnium populorum recuperavit dominium et devotionem, nec non hæreticos, cunctosque alios Christianos catholicæ religionis barbaros persecutores et hostes profligavit, dissipavit, abegit. Observandum quoque hic est, quod hoc Sacramentum per calicem quemdam cum superimminente eidem hostia nobis communiter repræsentetur, quodque Sacerdos vinum in calice consecraturus hisce inter cætera verbis utatur : *Mysterium Fidei*, quasi insinuare vellet, Sacramentum hoc unicum esse fidei nostræ firmamentum et sustentaculum. Cathedra Petri, quæ errare aut falli non potest, de finibus ob quos celebritas hodierna instituta et promulgata fuit, tractans, ita scribit [1] : « Nos itaque ad corroborationem « et exaltationem Catholicæ Fidei, digne ac ratio- « nabiliter duximus, statuendum, ut de tanto Sa- « cramento præter quotidianam memoriam, quam « de ipso facit Ecclesia, solemnior et specialior « annuatim memoria celebretur. » Enimvero quando Deus noster in ordine ad hodierni Festi institutionem promovendam primos circa beatam Julianam mediante visione illa, cujus mysterium eidem postea declaravit, conatus sui impetus fecit, inter cætera quæ Christus adducit impetus illius motiva, unum hoc fuit : « Ut fidei confirmaretur « integritas, quæ posterioribus ante mundi exci- « dium ætatibus labefieret plurimun. » Etenim certissimum est, quod hæresis nullam habeat in Ecclesia Catholica potentiorem machinam, quam in ejusdem Ecclesiæ excidium et extermiuium explodere efficacius possit, quam Sacramenti hujus omnimodum neglectum atque contemptum, contra quod proinde omnes centuriæ infernales tot strinxerunt errores seu potius blasphemias. Ex alia vero parte Ecclesia ad illos confundendos, convincendos, et profligandos, nullam quoque adhibere potest potentiorem machinam, quam vivam hujus mysterii fidem, publicamque et solemnem Eucharistiæ venerationem. Et hinc est, quod Concilium Tridentinum de hisce processionibus per totam octavam quaquaversum institutis tractans, ita scribat : « Sic quidem « oportuit victricem veritatem de mendacio et hæresi « triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu « tanti splendoris, et in tanta universæ Ecclesiæ « lætitia positi, vel debilitati et fracti tabescant ; « vel pudore affecti et confusi aliquando resipis- « cant. » Summus quoque Pontifex Urbanus IV in Bulla sua specialiter se Festum hoc omnibus per totum mundum dispersis Ecclesiis celebrandum noviter præcepisse insinuat, ut pessimam hæresis sementem totaliter exterminaret. « Licet hoc me- « moriale Sacramentum in quotidianis Missarum « solemniis frequentetur, conveniens tamen arbi- « tramur, et dignum, ut de ipso semel saltem in « anno, ad confundendam specialiter hæreticorum « perfidiam et insaniam, memoria solemnior et ce- « lebrior habeatur. » Et revera ipsamet nos edocuit experientia, quod nova, publica, universalis et solemnis hæc Corporis Salvatoris nostri in hisce processionibus veneratio hæreticos vivacissimo sensu affecerit, utpote eidem institutioni tot variis modis facto et scripto attentatis oppugnarunt ; veruntamen per repositas illis a nostris responsiones, hæresis majori ex parte devicta et prostrata remansit, tanti vero Sacramenti veritas, fides et devotio gloriose triumphavit, maxime cum Bulla Urbani IV a multis aliis Pontificibus, nimirum Joanne XXII, Clemente V et Eugenio IV fuit confirmata.

2. — Revelavit quoque Deus Julianæ ancillæ suæ aliam quandam causam, ob quam novam hanc solemnitatem institui voluit, nimirum ut crescente per hos apparatus et processiones publicas et sumptuosas, erga Eucharistiam reverentia, cresceret pariter eodem tempore apud fideles panis hujus cœlestis æstimatio et Communionis frequentia ; hoc enim unicum quoddam et efficacissimum est medium, ad faciendum insignem in via Dei progressum « Deinde ut hominibus recti amantibus instrumen- « tum esset ad progressus faciendos. » Enimvero verissimum est et negari non potest, quod qui sæcula antecedentia cum tempore illo, quo facta est nova illa hujus festi institutio ad invicem comparat, haud dubie compertum sit, quod devotio credentium tam ad Communiones quam ad sacrifi-

[1] *In bulla.*

[1] *Conc. Trid.*, sess. 13.

cia, omnesque alios hujus Sacramenti usus deinceps mirabiliter adaucta fuerit.

**3.** — Tertia causa eidem Sanctæ a Deo revelata coincidit cum illa, quam etiam Urbanus quadantenus indicat, dum ait : « Ut quod negligentia homi-« num, et quandoque impietate contra mysterii « hujus Majestatem peccatum fuerit, debito et syn-« ceriore aliquando cultu expiaretur. » Hisce verbis Salvator noster ancillam suam allocutus fuisse refertur, Bullæ autem verba sunt tenoris sequentis : « Quatenus in eo quod in aliis Missarum officiis, « circa solemnitatem est forsan prætermissum, de-« vota diligentia suppleatur. » Est autem hic omni cum diligentia ad nostrum profectum observandum, quod ad supplendas a nobis per anni decursum in veneratione Eucharistiæ admissas negligentias festivitas illa externa minime sufficiat, siquidem præter hanc internas quoque præparationes requirit, dicens : « Et Fideles festivitate ipsa instante intra « se præterita memorantes, id quod in ipsis Missa-« rum solemniis sæcularibus forsan agendis impli-« citi; aut alias ex negligentia et fragilitate humana « minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate « spiritus et animi puritate restaurent. » Ex quibus verbis clare satis deducitur, quanto major a nobis cura habenda sit pro interiori animarum nostrarum præparatione, quam pro apparatibus externis.

**4.** — Isaias propheta quondam de nationum et populorum ad sacra templa concurrentium multitudine, quæ per viarum compita conspiciebatur, loquens, dicit [1] : *Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium et fluent ad eum omnes gentes.* Curiose utique inquires, cur propheta non potius dixerit, *fluent ad eam,* scilicet, *domum,* sed dicit, *ad eum?* Oleaster dubium hoc optime resolvit, dicens : « *Fluent ad eum,* ut non picturas aut cælaturas ibi « videas, aut ornatos aulæis parietes ; sed ad Domi-« num colendum ; unde non dicit textus : Fluent « *ad eam* omnes gentes; sed *ad eum,* » E qua Scriptura utilissimum pro nobis elicere possumus documentum : « Christum Regem adoremus domi-« nantem gentibus, qui se manducantibus dat spiri-« tus pinguedinem. » Hisce igitur processionibus assistere debemus, non ob vanam ornamentorum et tapetum pictorum curiositatem, sed ad humillimum et quoad possibile erit profundissimum huic Regi gloriæ præstandum obsequium : atque insuper debemus reflectere cibum hunc in hac cœlesti mensa ob salutem et commodum nostrum et ad animarum nostrarum nutrimentum factum esse, ut spiritu et vera devotione impinguemur : siquidem « se manducantibus dat spiritus pinguedinem. » Absit ne in vobis verificetur, quod suo tempore acriter reprehendit Chrysostomus, dicens [2] : « In « Ecclesia apud multos videmus hanc vigere consuetudinem ut studeant mundis ingredi vesti-« mentis ; sed ut Deo mundam exhibeant animam, « nullam habent rationem. » Quem errorem etiam Philo Hebræus detestatur in illis, qui templa bene compti exterius ingrediebantur, conscientiæ propriæ maculas minime curantes [1] : « Ut candidati templa « subeant, dant operam diligenter emaculatis, « amicti vestibus ; mentem vero maculosam in ipsa « sacraria penitissima inferre non verentur. » Quanto autem hæc negligentia reprehensibilior est in Fidelibus, qui hisce diebus in purgandis plateis, ornandis domum parietibus, in exponendis ad Solis splendorem vasis aureis et argenteis omnem industriam adhibent, de mundandis vero et expurgandis ab iniquitatum sordibus conscientiis suis nec quicquam cogitant. Opportune B. Thomas hunc Isaiæ textum : *Mundamini, qui fertis vasa Domini,* ad propositum adducit, dicens [3] : « Id est, pectora vestra, « quibus veluti in vasis sacrum Domini corpus et « pretiosissimus Christi sanguis infunditur, si enim « puros et inauratos calices ad hæc mysteria cele-« branda paramus, quanto magis aurea et fulgida « debent esse pectora, in quibus veluti in sacrariis « eadem mysteria reconduntur? » Enimvero in parabola Filii prodigi [3] multas hujus Festi invenimus Analogias et similitudines : *Vitulum saginatum occidite et manducemus et epulemur.* Ecce enim tibi Salvatorem in sacrificio incruento ad instar victimæ oblatum, saginatum quoque ; quia « dat spiritus « pinguedinem. » *Manducemus et epulemur.* Ecce enim illum in communione cibum nostrum. Num forte Musicæ harmoniam et cantica desideratis? *Audivit symphoniam et chorum.* Num forte apparatus ornamentorum? *Proferte stolam primam, date annulum in manu ejus, calceamenta in pedes ejus. Gaudere oportebat.* Si mensam respicias Eucharisticam, ecce tibi lætitiæ, ad quam invitati sumus, egregia specimina : « Sit laus plena, sit sonora, sit jucunda, sit « decora mentis jubilatio. » Ex altera vero parte, audite quales præmissæ sint dispositiones, priusquam huic mensæ assidere et de festivis illis præparationibus participare incipiant, *Fame perec* : Ecce jejunium. *In se reversus* : Ecce orationem et meditationem. *Dicam ei* : *Pater peccavi in cœlum et coram te* : Ecce peccati sui confessionem. *Non sum dignus vocari filius tuus* : Ecce tibi sensus humilitatis et notitiæ sui ipsius. *Fac me sicut unum de mercenariis tuis* : Ecce agnitionem et lumen, quod in actibus contritionis acceperat, indignum se agnoscendo; id quod quævis anima ad hanc cœlestem mensam accessura dicere debet : *Non sum dignus vocari filius tuus. Non sum dignus, ut intres sub tectum meum.*

[1] Isa., II. 2. — [2] Chrys., h. 25 *in Matth.*

[1] Philo, l. *de Cherub.* — [2] S. Thom., *de Fest. Corp. Christi.* — [3] Luc., XV.

## DISCURSUS VIII.

DE HUJUS SACRAMENTI, HODIERNÆQUE SOLEMNITATIS INSTITUTIONE SUB SPONSALITII ET NUPTIARUM FIGURA TRACTATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Tametsi Filius Dei naturæ nostræ in Incarnatione desponsatus fuerit, majori tamen jure dies institutionis Sacramenti dispensationis dies denominari meretur. — 2. Circumstantiæ Matrimonii circumstantiis institutionis Eucharistiæ conferuntur. — 3. Deus infinitam sponsæ suæ disparitatem supplet. — 4. In hac solemnitate Ecclesia ut sponsa adornatur. — 5. Hodie catholici ab hæreticis manifeste discernuntur.—6. Vænon indutis veste nuptiali·

*Egredimini et videte filiæ Syon Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius et in die lætitiæ cordis ejus.* Cant., III, 11.

**1.** — Sancta Mater Ecclesia omnes quidem fideles pie invitat, ut habitationibus suis egressi Regem pacificum a matre sua in die desponsationis illius et die lætitiæ cordis ejus diademate coronatum contemplentur : præcipue vero filias Syon, id est, animas corpori Christi, quod nobis in cœnaculo Syon datum est, intime devotas invitat. Enimvero in die Jovis sancto, quo hæ celebratæ fuerunt nuptiæ, in funesta illa tragædia, cui pro ultimo actu Calvariæ mons scenæ loco deserviit, repræsentanda, occupata fuit Ecclesia, prouti nemini non constat, ideoque sano cum consilio, ut nuptiarum istarum lætitiæ, per musicos concentus, ornamentorum apparatus, frequentem populorum concursum, perque alias jubili interioris demonstrationes digne applaudere et congratulari possimus, totam hanc octavam deputavit. Porro Spiritum sanctum in sacris Canticis in propositi thematis verbis de hoc sponsalitio loqui voluisse, haud difficile erit probare ; nam ut Theodoretus in hunc textum scribit [1] : « Nuptiarum « communio facta est : nam post cœnam accipiens « panem et gratias agens fregit et dixit : *Accipite « et manducate ; hoc est corpus meum.* Edentes igitur « sponsi membra et bibentes ejus sanguinem nup- « tialem ipsius communionem assequuntur ; » Salvatori nostro in hoc throno Eucharistico considenti Regis pacifici titulus imponitur eo quod Sacramentum pacis existat [2] : *Posuit fines tuos pacem et adipe frumenti satiat te* ; unde dum communicamus hæc verba præmitti solent : « Agnus Dei qui tollis pec- « cata mundi, dona nobis pacem. » Hanc etiam ob causam Christus Dominus noster, prouti olim B. Juliauæ revelatum fuit, hoc sanctissimi corporis sui Festum institui voluit, ut esset « ad hostium vim « repellendam præsidium. » Et forte ob hanc causam S. Thomas in hymno laudum hisce verbis utitur : « O salutaris hostia, quæ cœli pandis os- « tium ; Bella præmunt hostilia, da robur, fer « auxilium. » *In diademate coronatum.* « Videte « (inquit idemmet Theodoretus) charitatis ejus « diadema. » Charitate veluti diademate coronamur, cum ipsa veluti regina, superior sit omnibus aliis virtutibus ; hac Christus in hujus sacramenti institutione coronatus fuit ; quia [3] *in finem dilexit eos.* Nisi forte per diadema istud accidentia Sacramentalia intelligere malimus, quæ corpus ejus velut corona quædam circumcidunt. *Mater sua.* Per hanc literaliter B. Virginem intelligere possumus, ipsa enim corpus illud ei subministravit. Unde sanctus Augustinus ait : *Corpus Christi caro est Mariæ* ; nobis ministratur caro illa, quam ipsa ei subministravit, *in die desponsationis illius,* quia tametsi naturæ nostræ humanæ in Incarnatione desponsatus fuerit, majori tamen jure hic dies institutionis Sacramenti altaris desponsationis dies denominari meretur ; quia Eucharistiæ hic titulus a sacris doctoribus attribuitur ; quo dicitur esse, « extensio « Incarnationis : » quia cum unio Verbi, quando naturam nostram assumpsit, ad unicam duntaxat humanitatem terminata fuerit, in hoc tamen Sacramento omnibus illis unitur, qui hoc Sacramento cibantur, unde et nomen sortitur, quo communio passim ab omnibus vocitatur. Si in Incarnatione *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* ; hic, *qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. Et in die lætitiæ cordis sui.* Hæc verba Philo Carpathius ad ultimam cœnam refert : « *In die lætitiæ cordis sui,* cum in illa die « Paschatis, in qua Jesus lætitia affectus dixit dis- « cipulis suis : *Desiderio desideravi hoc Pascha man- « ducare vobiscum* : » Quia ita sanctus Bernardus in sermone *in Cœna Domini* scribit : « Hæc sunt vera « festa Paschalia, hæc sunt gaudia, hic bibuntur « in loco uberi torrentes lactis, flumina mellis, « liquores balsami cœlestis, hic efficitur una caro « sponsa cum sponso, unus Spiritus sancta anima « cum Christo. »

**2.** — *In die desponsationis illius.* Examinemus obsecro, si ita placet, antiquorum circa nuptias et sponsalia ritus sic enim Christo Domino nostro hujus sacramenti, seu quod idem est mysticarum nuptiarum harum institutori cum solido fundamento dicere poterimus : *Omnia in sapientia fecisti.* Veteres etenim Matrimonia ut plurimum nocturno tempore celebrare solebant [2] : « Nuptias castas et « legitimas auspicabantur noctu. » Similiter Christus Dominus noster *in qua nocte tradebatur, accepit panem et dixit : Accipite et manducate, hoc est corpus meum.* Antiqui antecedenter ad matrimonium

[1] THEOD., *ib.* — [2] *Ps.* CXLVII, 14.

[1] JOAN., XIII, 1. — [2] ALEX. AB ALEX., l. II *Gen. diei.*

Deorum suorum assistentiam devote implorabant, eisque sacrificia offerebant : « Sacrificio perfecto, « consulto Deorum numine. » Hic pariter quoad casum nostrum in Canone dicitur : *Elevatis oculis, ad te Deum Patrem suum omnipotentem* : Sacrificium autem et victima quæ offerebatur, ipsissimum sacratissimum corpus suum erat. Græcis et Macedonis in usu positum erat, quod ambo sponsi ex eodem per ferrum diviso pane degustarent. Galatæ autem ex eodem cyatho bibere solebant ; S. Matthæus autem de Christo dicit [1] : *Accepit panem, ac fregit, deditque discipulis suis* ; utpote qui sponsam, id est, Ecclesiam repræsentabant et ait : *Accipite et comedite ; hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus-* « Mos erat veteribus (scribit idem Alex- « ander) ut caput obnubat ; unde nuptiæ. » Et Calepinus, « in verbo, *obnubo,* » ait, « *Nuptiæ* dictæ « a capitis operitione. » Sic pariter cœlestis hic sponsus sponsæ suæ datus est velatus, subque panis et vini accidentibus absconditus ; *Christus caput est Ecclesiæ* [2]. Consuetudo quoque est apud omnes receptissima, quod sponsa sponso suo cohabitet, eique convivat ; ac proinde sapiens dicit [3] : *Quæsivi sponsam eam mihi assumere* et paulo post : *Proposui hanc adducere mihi ad convivendum, sciens, quod mecum communicabit de bonis.* S. Bonaventura, Hugo Cardinalis et Glossa legunt : *Ad convivandum.* Cum igitur sponsus noster hujus naturæ nostræ amantissimus esset : *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum. Amator factus sum formæ illius ; hanc amavi et exquisivi a juventute mea* : ex alia vero parte *sciens, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem,* cum hoc eximium celebrasset sponsalitium idemque ne quidem per mortem dissolutum esse vellet ; ecce tibi amorosam inventionem, qua in hoc sacramento semper cum sua sponsa, id est, cum Ecclesia in corpore, anima et divinitate permanere voluit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi,* non solum *ad convivendum,* sed vel maxime *ad convivandum* ; quia « est sacrum convivium. Scimus quoniam nobis « communicabit ad bonis (Germanorum fertur mos « (inquit idem auctor[4]) ut sponsus complacitæ mu- « lieri, quam ducere animo destinavit, dotem det.» Dilectissima hæc Ecclesiæ sponsa mire Christo Domino complacuit, Paulo attestante, qui ait [5] : *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Verum inquies, quænam est dos illa, quam sponsæ suæ erogavit : *Seipsum tradidit pro ea.* Urbanus Papa in Bulla ait : « Semetipsum nobis exhi- « buit, transcendens omnem plenitudinem largi- « tatis, omne modum dilectionis excedens ; » ac proinde plus eidem dare non potuit, siquidem ipse est, *in quo sunt omnes thesauri.* In urbe Atheniensi sponsi porta seu fores domuum suarum lauris exornando, ingendi cum apparatu coronare solebant. Unde Poeta ille canit :

> Tu festas Hymeneæ faces, tu Gratia flores
> Elige, tu geminas Concordia nocte coronas.

Quis est, qui hodie non videat ex hortis elegantissimos decerpi flores, quibus corollæ intexantur, detruncari lauri frondes, viridantibus quoque ramis passim sterni semitas, per quas transituræ sunt sacramentales hodiernæ processiones, aliaque lætitiæ exhiberi specimina, haud secus, ac si augustæ et sumptuosæ celebrarentur nuptiæ ?

**3.** — Verum enimvero quodnam est istud, si prima facie illud contemplaris, adeo impar et inæquale ac improportionatum sponsalitium ? quis unquam totius universi monarcham vilissimæ cuidam ancillæ suæ, mancipio suo desponsari vidit ? « Si vis apte nubere, nube pari : » Et Solon in legibus suis ita statuit : « Par pari jugato ; » quænam proportio inveniri uspiam potest inter Deum et hominem, inter Creatorem et creaturam, inter vilis luti pugillum seu abjectissimum vermem et immensæ Majestatis Deum, « quem laudant Angeli, « adorant Dominationes, tremunt potestates. » Equidem tametsi id verissimum esse inficiari non possim, attamen idemmet Deus, qui improportionem hanc penitissime cognovit, infinitam hanc sponsæ suæ disparitatem supplere et aliunde recompensare dignatus est, opulentissima Paradisi æraria in sponsæ suæ sinum totaliter effundendo et evacuando, ac proinde non sine mysterio priusquam Christus Sacramentum instituerit. S. Joannes de eodem Salvatore nostro præmittit [1] : *Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus,* quicquid in regno naturæ et gratiæ boni præsto erat, totum et totaliter sponsæ suæ communicavit. *Quid ultra potuit facere et non fecit ?* Præterea ut S. Bernardus scribit [2] : « Vere spiritualis sanctique connubii con- « tractus est iste, parum dixi contractus, complexus « est : nec verendum, ne disparitas personarum « claudicare in aliquo faciat convenientiam volun- « tatum : quia amor reverentiam nescit et dominum « ignorat. »

**4.** — *Desponsationis illius.* Isaias propheta Ecclesiam velut sponsam quamdam elegantissime comptam et ornatam, geminarum ditissimam et ob salutaria vestium suarum ornamenta festivam et gaudiosam introducit, dicens [3] : *Gaudens gaudebo in Domino et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis.* Ubi Sanctus Cyrillus Alexandrinus ait : « Hic non immerito Ecclesiæ « persona introducta est, præ insigni gaudio in « has voces erumpens : *Exultet anima mea in Do- « mino ; induit enim me veste salutis et tunica læti-*

[1] MATT., XXVI, 16. — [2] EPH., V, 22. — [3] SAP., VIII, 9. — [4] ALEX. AB ALEX., *ib.* — [5] EPH., V, 25.

[1] JOAN., XIV, 1. — [2] S. BERNARD., ser. 8 *in Cant.* — [3] ISA., LXI, 1.

« *tiæ* ; » ac tandem qualis illa vestis sit, declarans, ait : « Tunicam vocat Dominum nostrum Jesum « Christum. Quasi sponsum (ita Isaias loqui pergit) « decoratum corona et quasi sponsam ornatam « monilibus suis. » Ubi S. Hieronymus ait : « Sponsæ assimilatur ornatus ; quæ ornatur mundo « muliebri. » Porro ipsamet nos edocet experientia Ecclesiam in hac solemnitate haud secus ac sponsam quamdam elegantissime adornari, utpote quæ hodie opulentissimos quosque apparatus et quam in armariis suis depositam habet pretiosissimam suppellectilem in publicum exponit. Idemmet propheta, qui quod novæ legis Evangelicæ successus describat, Propheta Evangelicus per anthonomasiam describitur, alio in loco ita scribit [1] : *Leva in circuitu oculos tuos et vide, omnes isti congregati sunt venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris et circumdabis tibi eos quasi sponsa.* Quibus verbis dictus Propheta insinuare velle videtur aliam vestium harum interpretationem, nimirum ut per sponsæ hujus vestes, quotquot ad mysticas hasce nuptias confluunt, innumeri devotique populi intelligantur ; quem conceptum ipse quoque Chrysostomus tetigit, dum ait [2] : « Est Ecclesiæ vestis astantium multitudo ; » ad quod probandum hoc Isaiæ testimonio utitur. Ac proinde advertendum est, quod ut superius in sententia Apostoli diximus, *Christus dilexit Ecclesiam* ; quonam vero modo eam dilexit ? *Ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi : sed ut sit sancta et immaculata.* Unde si sponsam hanc pretiosam quadam veste adornare volumus, opus est, ut puram habeamus conscientiam, vitamque traducamus sanctam et innocentem, verum enim vero ut discursum nostrum ad hoc sponsalitium denuo dirigamus ; B. Laurentius verba illa ; *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum,* considerans ait [3] : « Istiusmodi eloquia de cellario ardentis pec- « toris ideo mediator iste protulit, ut in amorem « sui sanctam excitaret Ecclesiam, traheret ad se et « copularet sibi. » Demum vero ut ostenderet, quod sicut voluit, ut ambo protoparentes nostri *fierent duo in carne una,* ita quoque hoc cœlesti pane mediante strictam quandam animarum nostrarum non ipso unionem facere decreverit, siquidem *qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo,* varias mystici hujus matrimonii analogias prosequens, subjungit dicens : « Ob amo- « rem sponsæ immaculatæ Ecclesiæ reliquit in « cœlo Patrem suum, quando formam servi susci- « piens semetipsum exinanivit ; reliquit et matrem « suam Synagogam de qua carnis trahens origi- « nem, propter infidelitatis demeritum repudiando « contempsit, suæque adhæsit uxori, cum in cruce « pendens dato sanguinis pretio, atque aquæ lava- « cro, sibi eam inseperabiliter copulavit ; cui etiam « pro amoris pignore, proque fœdere maritali cor- « poris et sanguinis sui sacramenta concessit, ut « non solum in spiritu, verum etiam essent duo in « carne una. »

**5.** — Enimvero præ cunctis aliis hodiernam corporis Christi solemnitatem S. Joannes Apostolus in mystica illa Apocalypseos visione conspexit, ubi Ecclesiam veluti sponsam viro suo ornatam, deque cœlo descendentem introducit dicens [1] : *Vidi sanctam civitatem Hierusalem novam descendentem de cœlo, a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Sponsus etenim Ecclesiæ est Christus Sacramentatus : quia vero dies hodiernus solemnissimum illum nuptiarum suarum diem repræsentat, in quo nobis in Eucharistia donatus fuit, ac deinceps cum Ecclesia sua tanquam viro suo elegantissime adornata sponsa habitare cœpit, ideo Sanctus Joannes se vocem quandam in hæc verba sibi acclamantem audisse, subjungit : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis,* quamnam hac majorem evidentiam desiderare potestis ; hoc etenim tabernaculum, pronti hodierna idipsum clare demonstrat experientia in processione quaquaversum circumfertur et nobiscum semper perseverat. *Et ipsi populus ejus erunt* ; siquidem hodie in Christianitate fideles catholici ab hæreticis manifeste discernuntur ; quo enim tempore hi se publicæ et solemni corporis Christi venerationi opponunt, nos, si unquam hodie vel maxime erga eandem solemnitatem obsequiosos nos et egregie devotos ac venerabundos exhibemus, dicentes : « Christum Regem adore- « mus ; » ipse vero alia ex parte in hoc Sacramento realiter præsens Christus tot gratiarum ingenti copia nobis magnifice correspondet, quia *pertransit benefaciendo et sanando omnes.* Unde S. Joannes prosequitur, dicens : *Et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Notandum est insuper eundemnet Apostolum et Evangelistam paulo ante nimirum cap. XIX vigenti quatuor illos vidisse Agnum hunc adorantes seniores, festivasque audisse voces hunc in modum acclamantes [2] : *Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei,* moxque ejus subjunxisse rationem, dicentes : *Quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se, et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido.* Verum enimvero quodnam ex hac visione ad nostrum profectum addiscere possumus documentum ?

**6.** — Væ nobis nisi elegantibus nuptialibus indumentis nuptiis hisce adstiterimus : severam namque hanc condemnationem haud immerito formidare possumus [3]. *Legatis manibus et pedibus projicite eum in tenebras exteriores.* S. Thomas ait [4] :

[1] ISA., XIX, 18. — [2] S. CHRYS., *de S. Pen.* — [3] S. LAUR. JUST., *de Triumph. Chr. agon.*

[1] APOC., XXI, 2. — [2] ID., XIX, 7. — [3] MATT., XXII, 13 — [4] S. THOM., S. 1 *de dedic. Eccl.*

« Illud nuptiale convivium est Eucharistiæ Sacra-
« mentum, istud convivium in Cœna Domini fuit
« paratum. » S. Augustinus vero dicit : « Ecce qua-
« lem sententiam merebitur audire, qui ad convi-
« vium nuptiale, id est altare Dei aut ebriosus, aut
« odium in corde retinens præsumit accedere. »
Idem quoque S. Thomas nobis suggerit monitum inquiens [1] : « Si recte, si pie ad cœlestis Regis nup-
« tialem epulam accedere cupimus, prius aurum
« illud charitatis ignitum quo locupletemur, apos-
« tolico moniti consilio nobis emamus, et vestibus
« albis puritatis et sanctitatis, ne nuditas nostra
« appareat, nos induamus. » Sacrum Concilium Tridentinum nobis non tam hodiernarum processionum magnificentiam quam devotionem et reverentiam unice nobis recommendat, dum ait : « In processionibns reverenter et honorifice per vias
« et loca publica circumferatur. » In concilio quoque provinciali Mediolanensis per S. Carolum habito dicitur [2] : « Pio religiosoque apparatu, solemnique
« celebritate circumferatur. » Ex quo loquendi modo deducitur, hodierna die reverentiæ et obsequii interni, in animarum nostrarum puritate fundati præ cæteris omnibus vel maxime curam habendam, demum vero curandos esse exteriorum ornatuum apparatus.

## DISCURSUS IX

ECCLESIA IN HODIERNIS PROCESSIONIBUS PASSIONIS CHRISTI OPPROBRIA RECOMPENSAT, MORTISQUE EJUS VICTORIAM ET TRIUMPHUM OB OCULOS NOBIS PONIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Pater æternus Filii sui humiliationes recompensavit dum viveret in terra. Ecclesia humiliationes Christi in hoc Sacramento pro posse recompensat. — 2. Quem tempore passionis suæ Hebræi et Gentiles derisioni habuerunt omnes gentes hodie adorant. — 3. Triumphus Christi triumpho romanorum confertur. — 4. Prosequitur eadem materia.

*Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum.* Ad Hebræos, cap. II, 9.

**1.** — A prima et æterna veritate Christo Domino nostro pronuntiatum axioma est : *Omnis qui se humiliat exaltabitur*; ac proinde in nullo magis adimpleri debuit, quam ipso, utpote qui in probrosa morte sua ad infimum humiliationis gradum se demiserat [3]; *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Imo si bene consideretur, incomparabiliter major humilitatis demonstratio fuit, quod ille infinitæ Majestatis Deus se instar alicujus frustri panis, nobis vilissimis terræ vermiculis, e millenarum potius iniquitatum, quam luti sordibus plasmatis, idque ad usque mundi finem devorandum dederit. Æternus quoque Pater Filium suum etiamnum in terris mortaliter viventem exaltavit, idque toties quoties exigentibus id occasionibus, notabiliter se humiliavit et abjecit. Mox enim ut in stabulo abjectissimo nasci voluit novam quoque in cœlis stellam exoriri fecit, tresque Reges orientales ad eum adorandum e regionibus suis per eamdem evocari fecit. Quando per circumcisionis impressam cicatricem in aliorum peccatorum numerum se recenseri dignatus est, mox Pater æternus gloriosissimum illud Jesu nomen ei cœlitus imponi voluit, ad cujus nudam pronuntiationem *omne genuflectitur cœlestium, terrestrium, et infernorum.* Quando se in Jordane a Baptista baptizari permisit, mox cœlum apertum est super eum, clarumque de eo testimonium cunctis hominibus reddidit dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,* atque insuper caput ejus in columbæ specie descendit Spiritus Sanctus Quando instar cunctorum criminosorum antesignani super monte Calvariæ in duorum latronum medio crucifigi voluit, lugubri statim tristique amictu Solem Pater æternus contexit ; montes sese dividere, terram tremere, velum templi scindi, et rumpi per medium, ipsumque per centurionem et justum latronem præconizari fecit, tanquam verum Dei Filium, quod idem alii quoque omnes verum esse etiam confitebantur, qui *revertebantur percutientes pectora sua.* Verum enimvero per fidem vestram vos obtestor dicite sodes, cum Christus Dominus unquam actum aliquem commiserit magis heroicum ipsamet institutione hujus augustissimi Sacramenti ? Quodnam infinita illa majestas, *quam cœli capere non possunt,* subire poterit majus vilipendium suique contemptum, quam quod in eo subiit, quando sese invisibili cuidam hostiæ atomo inclusit, ut vermemquemdam vilissimum nutriret, seque huic nostræ fragilitatis putredini et pulveri uniret ? Jam de facto perspicue ei notum erat, quod corpus suum paulo post a traditore illo, cui dixerat, *Diabolus est,* tradendum esset, ut a barbaris dilaniaretur, quodque non minores injurias et probra ad finem usque mundi a plurimis sibi rebellibus recepturus esset ; similiter quod hisce sacramentalibus speciebus delitescens murium quoque et tinearum dentibus corrodendus, subjiciendus esset ; deniqne quod a tot hæreticis perversisque Christianis in varios abusus, imo usque ad ipsas incantationes et maleficia esset adhibendus, nec tamen ab hujus Sacramenti insitutione revocari potuit. Ad hæc quænam excogitari potuit humiliatio abjectior, quam sit illa, qua Deus ille, cui *obediunt omnia,* ad unius sacerdotis nutum, imo ad mille millium sa-

[1] S. THO., c. 3 *de Fest. Corp. Christi.* — [2] *Act. Eccl. Med.* — [3] PHIL., II, 3.

[4] MATT., III, 16.

cerdotum, si tot essent, imperium, velut obligatissimus servus et vile quoddam mancipium promptissime obediens a Patris dextera descendat, seque illis exterioribus panis accidentibus velut carceri includat *obediente Deo voci hominis*? Nec tamen uspiam hanc ejus tantam humilitatem ab æterno Patre aliquo honorificentiæ signo exaltatam fuisse comperietis. Et tamen cum Angelico Doctore teste verissimum sit, quod « hoc Sacramentum instituit, « tanquam passionis suæ memoriale perenne, » nunquid tot ejus opprobria et vituperia quibus in hoc Sacramento libens se subjecit ; tot idem honoribus et obsequiis recompensari convenientissimum erat? Etenim tempus septimanæ sanctæ, utpote aliis permagnis redemptionis nostræ mysteriis deditum minime permittebat, ut Ecclesia eo tempore vel minimis honorificentiæ demonstrationibus in hujus Sacramenti honorem edendis, mortisque ejus opprobriis totidem devotionis et reverentiæ testimoniis compensandis intenderet, idecque hanc præcipue octavam sibi elegit, ut in ea illud adimpleretur S. Pauli oraculum : *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum.*

**2.** — In passione Domini invida Hebræorum gens, commissis a Pilato justitiæ ministris sese conjungens tanto cum strepitu, tantisque cum insultibus Christum ut caperent, vinculisque et catenis ferreis onerarent agressi sunt, ut S. Petrus quin in justam indignationem prorumperet, continere se minime potuerit. Sed ecce tibi hodie is qui Petri in Ecclesiæ cathedra gubernanda sucessor est, omnes gentes præstandum sanctissimo corpori ejus reverentissimum obsequium eique cum jubilo et festivis gaudiis applaudendum humanissime invitat. Tunc unusquisque Judæorum ad Christum injuriis, blasphemiis, et calumniis onerandum certatim contendebat, hodie autem Ecclesia unumquemque hisce verbis invitat : « Lauda Syon Salvatorem, lauda « ducem, et Pastorem, in hymnis et canticis : Quan« tum potes, tantum aude. » Tunc Redemptorem nostrum subsannaturi coram eo genua flectebant ; at vero hæ simulatæ genuflexiones, hodiernis frequentissimis et devotissimis adorationibus certatim recompensantur : « Christum Regem adoremus. » Patibulo Crucis super caput Jesu ad majorem ejus infamiam inscriptus fuit hic titulus : *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Hisce vero diebus totus mundus Christianus hilariter ei acclamat : « Christum Regem « adoremus dominantem gentibus. » Tempore Passionis publice per urbis Hierosolymitanæ vicos et plateas probrosissime raptatur, multis fuit, injuriis et opprobriis affectus : in hodiernis vero processionibus, non in una duntaxat urbe, sed in omnibus civitatibus, oppidis, pagis ac territoriis, ad quæ se fidei nostræ extendit professio, in magnifico et augusto majestatis throno cum omni uniuscujusque possibilitati correspondente magnificentia circumquaque circumfertur. Passionis tempore, tanquam læsæ majestatis, religionisque violatæ reus, ad tribunalia judicandus, et condemnandus ducitur, et reducitur : hodie autem in plerisque platearum compitis sumptuosa eriguntur altaria, in quibus in hoc processionum circuitu requiescens, ab omnibus tanquam Salvator et Redemptor noster devotissime adoratur. Quod si tempore Pasionis a synagogæ pontificibus, ab Herode rege, a præside Judææ Pilato, nec non ab omnibus synagogæ principibus contumeliose tractatus fuit ; ecce tibi hodierna solemnitate a summis Pontificibus velut in triumpho quodam reverenter circumfertur ; eademque cum veneratione per humillima regum, imperatorum, et monarcharum obsequia devotissime passim adoratur. Quod si in pœnosissima illa passionis suæ nocte columnæ flagellandus adstrictus fuit, hodie certe ad majorem illius honorem et gloriam mausolæa, obelisci, arcusque triumphales hic et ubique eriguntur. Si in nocte illa vestimentis suis spoliatus ad majus ejus ludibrium lacera fuit purpura indutus, hodie illum pretiosissimis ornamentis circumanictum exponi videmus, siquidem ad Ecclesias, altaria et plateas ubique locorum decenter exornandas tota exhauritur tam prophanorum quam sacrorum ornamentorum suppellex, qua sacerdotes quoque omnesque alii ministri Ecclesiastici circumornati præfulgent. Quodsi Passionis tempore pungentibus fuit spinis coronatus, hodie ad illius altaria et per quæ transiturus est loca exornanda, quotquot in hortis nascuntur rosæ et lilia adducuntur. Quodsi in monte Calvariæ in ligno quodam in totius populi conspectu, tanquam homo maledictus elevatus fuit : *Maledictus qui pendet in ligno ;* hodie a sacerdotibus in altum elevatur, ut innumeris benedictionibus præsentem cumulet populum. Vere igitur, imo verissime dicere hodie possummus : « Videmus Jesum propter Passionem « mortis gloria et honore coronatum. »

**3.** — Advertendum est autem, dictionem hanc, *Coronatum* ad victoriam et triumphum alludere. Et vere ita est, Siquidem Concilium Tridentinum, de introducto hoc Corporis Dominici festo tractans, quando declarat, quod per hasce processiones hodiernas passionis et mortis ejus victoria repræsentetur et triumphus : « Æquissimum est, » inquit « sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani « omnes singulari ac rara quodam significatione « gratos et memores testentur animos erga com« munem Dominum et Redemptorem pro tam « ineffabili et plane divino beneficio : quo mortis « ejus victoria et triumphus repræsentetur. » Enimvero quod si vocis hujus *Triumphus*, ethymologiam examinare volumus [2] : « *Triumphus* vox est Græca « significat omnium honorum, qui a populo ro-

[1] *Conc. Trid.*, sess. 13. — [2] *Id theat. vitæ humanæ ver. triumph.*

« mano dari poterant, maximum. » Porro quotannis nos hic Romæ docet experientia, omnes huic solemnitati honorandæ excogitari honores et obsequia, quæ a Sancta Sede exhiberi ullatenus possunt, idemque per universum Christianismum pariter præstatur. De Paule scribitur, quod post obtentam adversus Amalecitas gloriosam victoriam, *Fornicem sibi triumphalem erexit*; ubi Glossa ait : « Arcum « extulit, ubi descripsit triumphum gloriæ suæ. » De Davide pariter legitur, quod post captam Syriam *Fecit sibi nomen in valle Salinarum;* ubi Glossa dicit : *Erexit sibi fornicem triumphalem.* Equidem olim non ita facili negotio contingebat assequi triumphum; neque enim ad id sufficiebat multas obtinuisse victorias, nisi triumphator pariter vel proconsul, aut consul esset vel dictator; prælium quoque requirebatur prævium, in quo ad minus hostium quinque millia occubuissent, et in quo per eandem stragem provinciam, de qua agebatur et subjugasset et paci denuo restituisset, necessum quoque erat, ut victoriosus denuo cum triumphatore reduceretur exercitus, bellumque non defensive, sed offensive novorum scilicet statuum et dominiorum acquirendorum causa inchoatum fuisset. Denique in templo Jovis Capitolino claudebatur triumphus, ubi post universam prædam et spolia exhibita sumptuosum tandem apparebatur convivium. Qualiter autem omnes hi paralleli et ab hoc Romanorum triumpho desumptæ analogiæ in hoc nostro præsenti Sacramentali triumpho perfecte verificentur, velim audiamus : « Mortis ejus victoria et « triumphus repræsentatur. » Etenim quis est, qui nesciat, quod *vicit Leo de tribu Juda* gloriosam de universo mundo, de inferno, cunctisque aliis inimicis reportando victoriam? Quis adeo cæcutit; ut non videat, qualiter omnes universæ terræ provincias et regna sibi in cruento illo passionis suæ certamine compararit : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat significans, qua morte esset moriturus.* Christum quoque in multis provinciis et regnis Evangelicæ legi suæ subjectis, regnasse et etiamnum regnare clarius est, quam ut probare necessum sit, ac proinde invitamur ab Ecclesia hisce verbis : « Christum « Regem adoremus dominantem gentibus : mortis « ejus victoria et triumphus repræsentatur. » Solebant in triumphis effigiata circumferri præcipua triumphatoris facinora et insultus, quibus mediantibus hanc assecutus gloriam fuisset. Eundem quoque finem spectare videtur Ecclesia, dum in hac solemnitate in memoriam nobis revocat gloriosa, magisque memorabilia Redemptoris nostri facinora, dicendo [6] : « Pange lingua gioriosi corporis mystere « rium sanguinisque pretiosi, » et cætera quæ sequuntur. In triumphis sumptuosi instaurabantur statuarum, fontium, arcuum, pontium, et obeliscorum apparatus; quod idem partim in hodiernis fit processionibus, dum, prout quilibet perspicue videt eædem variis, iisque valde elegantibus ac prædivitibus apparatibus et ornamentis honorantur. Triumphatores ante currus suos triumphales hostes suos vinctos agebant et catenis onustos, in hoc autem Corporis Christi triumpho, nos mancipia sumus, qui paulo ante propter culpam hostes ejus et inimici, nunc vero gratia mediante reconciliati, indissolubilis charitatis vinculis eidem devicti et colligati sumus : *in funiculis Adam traham eos,* ita hic Deus per Oseam prædicit [1]) *in vinculis charitatis, et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum et declinavi ad eum, ut vesceretur.* Triumphotores similiter reipublicæ pacem adferebant, persæpe etiam post debellatos inimicos Jani claudebant templum ideoque pariter Ecclesia non sine mysterio per universam hanc octavam canere solet : *Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Syon; quoniam conforavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem.* Denique triumphatores in evidens magnificentiæ et liberalitatis suæ signum opulenta elargiti munera magnique valoris monetas in populum spargere et affundere solebant ideoque hic cœlestis triumphator etiam, ut diximus, *pertransit benefaciendo et sanando omnes.*

**4.** — Verum enimvero inter cæteras antiquorum triumphorum circumstantias, una est, quæ in summa nostram confusionem in hodierno triumpho nostro deesse sæpe conspicitur. Etenim senatores aliique Reipublicæ primates ad præparatum in Capitolio convivium triumpho expleto invitati, illud ipsum frequentare neutiquam tenuebant. Ad hanc autem mensam Eucharisticam, de qua dicitur : « O sacrum « convivium in quo Christus sumitur » *Homo quidam fecit cœnam magnam et vocavit multos*; sed quo eventu? prouti in Evangelio Dominicæ proximæ, quæ est infra octavam, audieris : *Cæperunt simul omnes excusare.* Eheu quanta est ab hoc pane in nobis aversio, quanta nausea quam tarde et inviti ad hanc mensam accedimus? Erat insuper et alia quidam triumphalis apparatus circumstantia, quia nimirum post currum triumphalem proximus semper ibat quidam, qui hæc triumphatori verba in memoriam revocabat : « Hominem te esse me- « mento » vel qui, ut alii dicunt, defectus ei suos exprobrabat, gravibusque eum onerabat injuriis, id quod in hodierno quoque triumpho proh dolor in maximam confusionem nostram plus nimium observari conspicimur, dum multi perversi et dissoluti Christiani per scandala sua, magnamque quam huic tanto Sacramento exhibent irreverentiam præsentium processionum triumphos injuriis

[1] I Reg., xv, 21. — [2] II Reg., viii, 15. — [3] Apoc., v, 6. — [4] Joan., xxii, 31.

[1] Ose., xi, 4. — [2] *Ps.* cxlvii, 12. — [3] Act., x, 38. — [4] Luc., xiv, 18.

et contumeliis suis dedecorant. Vestras obsecro huic tanti ponderis veritati arrigite aures. Etenim Christus Deus noster in magnifico majestatis throno residens hodie quaquaversum circumfertur, ut is ei honor, illa gloria et obsequium restituatur et compensetur, qui ei in sua passione ab hominibus turpiter ademptus fuit. Et quidem in spectabili illo in die palmarum ei exhibito triumphos, qui mortem suam immediate antecessit, quando paulo post inter duos latrones probrosissime crucifigendus erat, tanta cum cœremoniarum et acclamationum pompa honorari et condecorari voluit, ac proinde facile unusquisque conjicere poterit, quanto majori cum apparatu sanctissimum corpus suum in hoc sacramento, nunc dum ad Patris dexteram impassibilis residet honorari et celebrari desideret ut adimpleatur, quod dixit Apostolus, nimirum quod *propter passionem mortis gloria et honore coronatur*. Mancipia et servi triumphalem victoris currum præcurrentes, junctis ad invicem per manicas ferreas manibus et inclinata cervice eundem stipare solebant talis quoque nostra, dum processiones hasce comitamur, deberet esse devotio. A devotis proinde Hierosolymæ civibus eorumque pueris, ex iis, quos in prædicto Palmarum triumpho exhibuerunt pientissimis moribus, discamus obsecro, quonam nos modo in præsenti triumpho gerere debeamus. Illi ad eum impensissime honorandum percupidos se esse demonstrarunt, demonstremus igitur et nos ipsi hæc ferventissima reverentia et devotionis exibendæ desideria: *Esurientes replet bonis sitientes venite ad aquas.* Ipsi quidem frondes et flores per viarum compita sparserunt, sint in nobis loco frondium et florum bona proposita, sanctæque meditationes sacram communionem immediate præcedentes. Illi vestes suas in terram quam calcaturus erat eum portans asellus, prosternebant, nobis autem vitiorum nostrorum, malarumque nostrarum inclinationum exuendi et deponendi sunt habitus. Illi ex olivis quæ pacis sunt symbola et palmis, quæ victoriam præsignificant, ramos decerptos Christo obviam tulerunt: nobis quoque curandum est, ut imperturbata bonæ conscientiæ pace fruamur, nostrarumque efficiamur tentationum victores, ac tandem cœlesti huic triumphatori occurrere possimus. Ipsi Christo Domino advenienti acclamarunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Nos quoque nostras in ejus laudem linguas laxemus ad reddendas ei pro tam immenso beneficio condignas gratias: « Lauda Syon Salvatorem, lauda du-« cem et pastorem in hymnis et canticis. »

## DISCURSUS X.

MULTÆ INTER PROCESSIONEM QUA DAVID ARCAM CIRCUMFERRI FECIT, ET HODIERNAS SANCTISSIMI SACRAMENTI PROCESSIONES ADDUCUNTUR ANALOGIÆ, AGITURQUE DE REVERENTIA QUA EISDEM ASSISTERE DEBEMUS.

IDEA SERMONIS. — 1. Arca Eucharistiam præfigurabat. — 2. Propter Eucharistiam Christianis Deus benedicit. — 3. Hæc benedictio universalis est. — 4. Puritas mentis exigitur. — 5. Magnates humillimam reverentiam exhibere debent huic Sacramento. — 6-10. David et arca.

*Adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David, cum gaudio et erant cum David septem chori.* II Reg., VI, 12.

**1.** — Dionysius Carthusianus solemnitatem processionis illius, in qua arca Dei cum tot instrumentis musicis, canticis, aliisque lætitiæ et magnificentiæ demonstrationibus circumlata fuit, considerans, ex altera vero parte ad hodiernas solemnes corporis Christi processiones oculum deflectens, ita scribit [1]: « Corporaliter quoque et quasi ad litteram ista « fiunt in processionibus Ecclesiæ in deportatione « dignissimi Sacramenti. » Porro arcam illam in qua manna reclusum erat tabernaculum hoc Eucharisticum præfigurasse adeo certum est, ut probatione non indigeat: « Quanta majestas, quantus « honor in arca lignea? » inquit S. Thomas: « tantane tibi Domine cura de ligno? Non utique. » inquit Sanctus. Hanc autem venerationem, hancque reverentiam arcæ exhiberi voluit, eo quod augustissimi hujus Sacramenti figura existat, « cujus « typum sic magnificavit, sic sublimavit. » Admirabiles quæ inter arcam, et hujus festi ac processionum quæ in Corporis Christi honorem habentur, institutionem versantur, analogias et parallelos, non nihil accuratius examinemus.

**2.** — *Benedixit Dominus Obededon, et omnem domum ejus nuntiatumque est Regi David, quod benedixisset Dominus Obededom, et omnia ejus propter arcam Dei; abiit ergo David et adduxit arcam.* Ecce tibi motivum, quo sanctus hic rex adigebatur ad transferendam hanc arcam, nimirum quia domum Obededom multis cumulatam fuisse benedictionibus noverat. Quodnam vero motivum fuit, quo summi pontifices Urbanus IV multique alii ejus successores ad novam hanc solemnitatem in universa republica Christiana omni cum sollicitudine et cura promovendam permoti fuere? Nimirum bona infinita, Christifideles ab hoc tam augusto sacramento perceperant et prodigiosa illa miracula, quæ eo tempore quo mysterium hoc a multis hæreticis contro-

[1] DIONYS. CARTH., C. 3 *in Fest. Corp. Christi.* — [2] II REG., VI, 11.

vertebatur ad fidem illius tanto solidius authenticandam in variis orbis partibus patrata fuerant; prouti in discursu primo vidimus.

**3.** — *Iniit autem consilium David cum tribunis et centurionibus, et universis principibus : si placet vobis et a Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquor, mittamus ad fratres nostros; in universas regiones Israel et reducamus arcam.* Ecce in novæ hujus festivitatis institutione adimpletum omne id, quod David in arcæ processione ordinanda instituerat, nam prouti Urbanus IV, in littera quadam ad magnam illam Dei famulam Evam conscripta, in qua ei ob consolationem, quam ex festi hujus institione perceperat, collætatur dicens [1]: « Scias, quod « nos hujusmodi festum cum omnibus archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis « tunc apud sedem Apostolicam commorantibus » (ad hoc ut videntibus et audientibus de tanti » festi celebritate salubre præberetur exemplum) « duximus celebrandum. » Poterat equidem solus Papa vel Romæ, vel in statu Ecclesiastico processiones istas una cum festo hoc instituere id tamen facere noluit, sed potius solemnem hanc venerationem ad omnes fideles extendere placuit [2]: *Mittamus ad fratres nostros in universas regiones*, ac demum dicit ; *a Domino egreditur sermo quem loquor*, jam enim de revelatione hac super re B. Julianæ facta certior factus fuerat.

**4.** — Porro sacer textus numerosum quendam virorum ex omnibus tribubus Israel excellentissimum, qui ad hanc functionem festivam convenerant, contexit catalogum : *Congregaverit universum Israel in Jerusalem.* Etenim utilissimum valdeque considerandum est insigne illud a Davide illis datum monitum : *Dixit ad eos : Sanctificamini et afferte arcam Dei Israel ad locum qui ei præparatus est.* Ubi Lyranus ait : « Per quod significatur, quod in « ministerio Sacramenti Eucharistiæ non sufficit « gradus ordinis, nisi cum hoc sit puritas mentis « et corporis. » Similem quoque Urbanus circa decernendum huic Sacramento honorem exhibuit sollicitudinem siquidem in bulla verbis satis perspicuis expresse præcipit, ut quilibet ad hujus sacrosancti corporis venerationem debite se præparet, dum ait : « Per veram et puram confessionem, « eleemosynarum largitiones, attentas et sedulas « orationes, et alia devotionis et pietatis opera « taliter se studeant præparare, quod hujus pretio« sissimi sacramenti mereantur fieri participes. » Sanctus Augustinus scribit [4]: « Nunquid non tunica « mediocris hominis quamvis munda, imperatori « tamen sordida et illicita est ? Antistites Dei pu« riores esse debent quam cæteri qui et Christi « habent personam, et ministros Dei mundiores « esse oportet ; nemo enim Imperatori ministrat, « nisi vestimentis, claris et mundis indutus. » Vult Christus Dominus noster in hac festivitate tanquam supremus cœli terræque monarcha adorari : « Chris« tum Regem adoramus etc », hoc tamen non a quovis grato modo fiet, nam ut David ait [1]: *Illicitum est, ut a quocunque portatur arca Dei, nisi a levitis quos elegit Dominus ad portandam eam et ad ministrandum sibi.* « Per quod significatur » ait Lyranus, « quod in ministerio Sacramenti Eucharistiæ, « in quo continetur Christus, soli sacerdotes et « sacerdotes et ministri ad hoc ordinati accedere « debent et non alii. » Id quod etiam S. Thomas in Hymno matitunali hisce verbis declarat : « ¡Cujus « officium committi voluit solis presbyteris, » ad hos etenim solos pertinet animatæ, et divinæ hujus arcæ summa cum reverentia portandæ humeros suos subjicere.

**5.** — *Congregavit David omnes electos ex Israel* [2]. Multi in veteris illius processionis comitatu numerantur principes [3]: *Uriel Princeps fuit, Asaia princeps Joel princeps, Semeias princeps, etc. Dixit David principibus levitarum.* Adeoque processionis illius nobilitas et magnificentia ex omni parte resplendebat. Quia vero *omnia in figura contingebant illis*, ideo tanti apparatus et pompæ veteris illius processionis mysterium et causa fuit, quod videlicet processioni hodiernæ inter omnes, quæ per totius anni decursum celebrantur processiones, hæc debebatur excellentia ac prærogativa, ut eidem a pontificibus, Cardinalibus, Prælatis, Regibus est imperatoribus summa cum humilitate et reverentia debita obsequia certatim exhiberentur.

**6.** — *David erat indutus stola byssina et universi levitæ qui portabant arcam, etiam induti erant ephod lineo* [4]. Hæ autem vestes ornamenta præfigurabant sacerdotalia aliosque prædivites apparatus, qui hodie potius quam alio quovis tempore ad præsentis festivitatis majorem pompam explicantur. Advertendum vero est, quod lini illius candor internam denotare debebat animarum, et cordium nostrorum præparationem. Atque adeo Anastasius Sinaita nonnullos reprehendit, dicens [5]: « Multi qui« dem non laborant, qua puritate et pœnitentia ad « sacram mensam adeant, sed quibus vestimentis « exornentur. » Glossa quoque ait : « Per stolas « byssinas candida munditiæ corporalis castitas « designatur, hac induuntur omnes, qui Dei officio « assistunt et laudes ei ore, moribus et actu con« crepant. Cymbala oris confessionem, psalteria « mortalitatem cytharæ carni mortificationem de« notant. »

**7.** — *Imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum* [6]. Hodierna quoque die vasa aurea et argentea

[1] I Par., xiii, 1. — [2] Parth. Phicæn., *de Orig. Fest. Corp. Chr.* — [3] II Par., xv, 12. — [4] S. Aug., *in q.* 127 *in utrim. Cest.*

[1] I Par., xvi, 2. — [2] II Reg., vi, 1. — [3] I Par., xv, 5. — [4] Par., xv, 27. — [5] Anast. Syn., *de sacr. synaxi.* — [6] I Reg., vi, 3.

quæ gaza nostra continent, pretiosissima et elegantissima publice a nobis exponuntur ad Eucharistiam corporis Christi mensam tanto magis locupletandum, novisque splendoribus illustrandum : *Recedant vetera, nova sint omnia corda, voces et opera.*

**8.** — *Constituerunt cantores in organis musicorum nablis videlicet et lyris, et cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ; erant cum David septem chori; deducebant arcam in jubilo et sonitu buccinæ, et tubis et cymbalis, et nublis, et cytharis concrepantes.* Quis est, qui non videat cantus et musica illa instrumenta præludia fuisse quibus harmoniæ musicæ, cunctaque alia lætitiæ et universalis jubili signa, quibus hodiernæ processiones passim afficiuntur, præsignificabantur? audite pontificem in Bulla sua loquentem. « Tam clerici quam populi gaudentes in cantica « laudum surgant : tunc enim omnium corda, et « vota, et ora, et labia hymnos persolvant lætitiæ « salutaris. » Dionysius Carthusianus eadem de re ita scribit [2] : « Per arcæ reductionem præfigurata « est processionalis circumductio Sacramenti, in « qua cum prælato sunt diversi chori psallentium, « et cum interiori et exteriori Deitatis laudatione, « symphonia et devotione educitur Sacramentum : « *In cytharis pro octava canebant epinicion,* » id quod de hac processione dicitur : Ubi Lyranus ait : « Per octava canebant, est significatio ista, victori « Deo triumphus sive palma, hoc erat principium « cantici, quod cantabant, et frequenter resume- « batur in processu cantici. » Nos in hodiernis matutinis pariter per sæpe replicamus : *Christum Regem adoremus dominantem gentibus,* et in præcedenti discursu de facto probavimus, quod in hac processione *mortis ejus victoria, et triumphus repræsentatur.*

**9.** — *David saltabat totis viribus ante Dominum* [3]. S. Ambrosius saltus hosce devotionis, mortificationis et conceptæ erga arcam reverentiæ effectus fuisse hisce verbis commonstrat : « Saltabat ante « arcam potentissimus Regum docens contuitum « regalis potentiæ non esse habendum, ubi reli- « gioni exhibetur obsequium. » Porro in saltibus hisce ludi titulus a Scriptura tribuitur : *David et omnis Israel ludebant coram Domino..., saltantem atque ludentem;* ubi Glossa ait : « Iste ludus non « erat dissolutionis, sed devotionis, secundum illud « Psalmi LXXXIII : *Cor meum et caro mea exultave- « runt in Deum vivum.* » Hanc devotionem, exultationem et interius gaudium, quilibet Christifidelis in hac sanctissimi Corporis Christi publica veneratione in se manifeste experitur,

**10.** — *Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David subsilientem atque saltantem coram Domino et despexit eum in corde suo* [4]. Redeuntem quoque asperrima reprehensione corripiens ait : *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel discooperiens se ante ancillas servorum suorum et nudatus est, quasi si nudetur unus ex scurris.* Ubi Glossa ait : « Cunctis exultantibus et ad arcæ cœlestis in- « troitum hymnos resonantibus sola Michol filia « Saul abest. » Michol isthæc a Saule reprobo et a Deo totaliter abjecto genita expressa fuit hæreseos figura, quæ processionum istarum augustis honoribus et applausibus sese pro viribus oppositura erat. Unde sanctus Thomas de Villanova ait [1] : « Filia Saulis Michol quæ pium Regem Domini « cultorem irrisit, quorumdam impiorum fidelium « typum habet, qui neque Dominici Corporis Sa- « cramentum ipsi suscipiunt; neque alios suscipere « patiuntur : irrident namque in suis conventiculis « et subsannant devotos et pios hujus Sacramenti « cultores. » Quodnam autem fuit ipsi a Davide redditum responsum? *Ante Dominum qui elegit me potius quam patrem tuum, ludam, et vilior fiam, plusquam factus sum, et ero humilis.* Id quod motivum quoddam est valde opportunum, ad hominem in devotionem erga sacratissimum Christi Corpus magis magisque accendendum, dum immensa quæ ab ipso recepimus et continuo accipimus beneficia grata memoria recolentes, debitam ei gratitudinem exhibemus. Memorandum vero est, hanc Michol in contemptus istius pœnam et vindictam perpetua a Deo sterilitate fuisse castigatam. Quid autem hæreticis Eucharistiam ejusque cultores et adoratores deridentibus accidit? quantum ex eo quod hisce se processionibus opposuerint et etiamnum opponant, fuere mulctati. Jam superius ex sententia Concilii Tridentini diximus [2] : « Sic qui- « dem oportuit victricem veritatem de mendacio « et hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in « conspectu tanti splendoris, et in tanta universæ « Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati, et fracti « tabescant, vel pudore affecti, et confusi aliquando « resipiscant. » Memoria ne fortasse recolitis quid acciderit, quando Arca Dei trans muros Hiericunthinos per circuitum deportata fuit [3]? *Sacerdotes tollant septem buccinas; et præcedant arcam fœderis, septiesque circuibitis civitatem et muri funditus corruent.* Numquid idem circa harum processionum solemnitatem accidere quotannis videtur, quando Arca Eucharistica magnam Hierichuntis id est, Hæreseos, Deo rebellantis partem prosternit et subvertit? Arca Domini Dagonis idolum contrivit. Hoc autem Sacramentum hæresin totaliter confundit, atque prosternit. Nam « ad confundendam spe- « cialiter Hæreticorum perfidiam et insaniam, » se festum hoc instituisse Pontifex in supradicta Bulla expresse declarat. De Arca insuper dicitur [4] : *Postquam autem venerunt ad arcam Nachon* (id est, durante illa processione) *calcitrabant boves et decli-*

[1] I PARAL., XV, 17. — [2] DION. CART., *in Reg.* — [3] II REG., VI, 14. — [4] II REG., VI, 6.

[1] S. THOM. VILL., c. 3. — [2] *Conc. Trid.*, sess. 13. — [3] JOSUE, VI, 4. — [4] II REG., VI, 6.

*naverunt eam.* Quodnam obsecro in eo latet mysterium, quod arca ad arcam viri illius appellente, boves, currum, qui arcæ vehiculum erat, trahentes recalcitrare cœperint, adeo ut periculum evidens esset sacrum illud depositum susque deque invertendi? Dionysius Carthusianus respondet : « Per « aream Nachon intelligi potest Ecclesia hæreti- « corum loquax et pertinax. » Hi enim veluti totidem ignorantes et stupidi boves solemni huic festo et venerationi publicæ corporis Christi recalcitrant, eidemque pertinaciter sese opponunt; verumtamen a libris errores eorum manifeste refellentibus confunduntur, utpote quia adversus dictos hæreticos, quanta cum congruitate et convenientia universale hoc festum pro tota Ecclesia Dei institutum sit, manifeste demonstrant. Verum enimvero possumus quoque hoc loco moralitatem quandam tangere præsenti nostro proposito perutilem : *Michol prospiciens per fenestras despexit in corde suo David.* Ergo Michol illum saltem non contempsit in publico, neque per hoc consequenter universæ Hierosolymæ scandalum aliquod attulit. Quam igitur deplorandum est, quod hodie multi solo nomine Christiani, hisce diebus potius quam alio quovis tempore *prospicunt ad fenestras,* et tantum tamque augustum Sacramentum notabili cum irreverentia et impietate despiciunt. Audite obsecro, qualenam illos per hoc tanto scelere maneat supplicium. S. Thomas de Villanova de illorum pœna ita scribit [1]:« Quorum pia et debita retributio est, ut omni « justitiæ, et pietatis fructu, et sancto charitatis « affectu vacui in summa bonorum omnium spiri- « tualium Charismate egestate et sterilitate mo- « riantur. »

**11.** — *Obtulit David holocausta et pacifica coram Domino, et benedixit populo in nomine Domini, et partitus est universæ multitudini collyridam panis, et assaturam bubulæ carnis et abiit omnis populus unusquisque in domum suam* [2]. Hic fuit processionis hujus circumlatæ arcæ finis. At vero observetis obsecro, quam apte omnes hæ circumstantiæ nostræ festivitati respondeant. Etenim nos quoque sacrificium quoddam, sed incruentum, panem scilicet cœlestem in Missa offerimus, ac demum in fine processionum populus solemniter benedicitur, omnibusque ad hanc processionem confluentibus, multæ a summo Pontifice distribuuntur indulgentiæ. Unde Dionysius Carthusianus ait [3] : « Sciendum « quod in hac solemnitate merito sic auctæ sunt « indulgentiæ istæ : quoniam celeberrima ista fes- « tivitas est de eo, a quo omnes indulgentiæ effi- « caciam sortiuntur et oriuntur. » Glossa vero super verba illa : *Collyridam panis unam,* ita scribit : « Illius scilicet *qui de cœlo descendit et dat vitam « mundo!* et assaturam bubulæ carnis unam, et « illius scilicet vituli saginati, qui pro revertente « filio mactatus, igne passionis assatus est. »

**12.** — Denique S. Thomas Davidis tanta cum pompa arcam quaquaversum circumducentis lætitiam considerat, et ingens gaudium, et tale format argumentum. Quod si tam festiva gaudia instituit ille, qui stultus reputatus est : « Cum esset alioquin « gravissimus et severissimus; quid faceret coram « isto sacrosancto, et Deifico Sacramento? Qui sic se « humiliavit ligno, quomodo se dejiceret Christo? » Arca tantum umbra quædam Eucharistiæ fuit et tamen non solum David Rex, sed et universus populus, quantus, quantus erat, ipsam in summa veneratione habebat : « Vere gens illa et populus « ille,» inquit B. et Angelicus Thomas [1] « surgent in « judicio contra nos et condemnabunt nos; quia « amplius illi umbræ, quam nos veritati detule- « runt. » Considerandum quoque hoc loco est, quod hæc eademmet arca, licet tot benedictionum cumulandarum instrumentum, Ozam nihilominus morte repentina mori fecerit, cum tamen is revera aliud nihil fecisset, quam quod ad sustinendam arcam; ne illa caderet, manum suam extenderit : *Iratus est indignatione Dominus contra Ozam et percussit eum super temeritate, qui mortuus est.* Verum inquies, qua ratione temeritatis vitio aut labe notari meretur is, qui pretiosi illius et inæstimabilis thesauri casum in terram impedire nitebatur? Sciendum est igitur, Ozam in eo temerarium fuisse, quia nimirum arcam currui tanquam ferculo imposuerit, qui eamdem humeris suis ferre debebat. Eadem quoque et longe major est temeritas multorum, qui exiguum huic Sacramento deferunt respectum et nonnunquam vix tanti faciunt, quant panem usualem facere solent, siquidem ex mera consuetudine ad illud accedunt, vel ut facere videantur, quod alios facere vident sine debita præparatione et reverentia, damnum autem inde illis emergens minime considerant; siquidem *mors est malis.* Quot sunt, qui in hisce processionibus majus deferunt honoris obsequium objectu cuidam lascivo causaliter obvio, quam huic infinitæ Majestatis Deo? Philistæi lethiferas illas sibi acciverunt infirmitates [2], quia idolum suum in pari cum arca Dei loco statuerunt, eamdem per hoc se honoraturos esse existimantes; quem eumdem excessum multi indigni Christiani committunt, qui malitiose non jam in pari, quin potius inferiori loco hoc Sacramentum habent, quo objectum aliquod lubricum et diabolum, vel carnale aliquod, quod in corde suo adorant idolum. Unde B. Thomas ait [3] : « Ma- « jestas ad quam acceditur, non ad arcam ligneam, « et altare aurum, sed ad ipsam sublimem celsi- « tudinem beatis spiritibus præsidentem, sub qua

[1] S. Thom. de Vill., conc. cit. — [2] II Reg., VI, 17. — [3] Dion. Cart., *in Evang. Corp. Christi.*

[1] S. Thom., c. 3 *de Fest. Corp. Chr.* — [2] I Reg., V, 9. — [3] S. Th. de Vill., c. 3

« curvantur, qui portant orbem, et ad judicem « vivorum et omnium mortuorum Christum, co- « ram quo omnes Reges terræ et omnes Principes « trepidabunt. » Merito illi ab ipsismet quoque Monarchis et Potentatibus huic Deo in Eucharistia hisce diebus exhibiti honores, ad majorem non excitare deberent reverentiam Hebræi arcam, postquam a Philistæis eamdem reciperent, summo cum jubilo et veneratione exceperunt et tamen Deus eosdem ingenti illa strage graviter mulctavit, in qua e Magistratibus septuaginta, e primatibus vero quinque millia fuerunt mortui de populo : « Quæ- « nam, iniquitas » interrogat idemmet Sanctus, « quod flagitium, quod peccatum? utique non « aliud, nisi quia viderunt oculis suis arcam nu- « dam, quia eam non statim pallio operuerunt, ne « aspicerent, quia ausi sunt in eam occulos inten- « dere. » Hinc utique arguere licebit, quod si Deus adeo severus extitit, in castigandis nudi alicujus ligni profanatoribus, idque ob solius curiositatis levissimam causam, qualis pœna decernenda sit illis, qui adeo indignam irreverentiam attentare præsumunt, ut non solum multis culpis mortalibus coinquinati coram ipso compareant, verum etiam hisce processionibus nonnunquam in concupiscentiarum suarum abutuntur fomentum, easdemque multis dissolutionibus et scandalis suis contemnunt atque profanant. « Cogitemus » (est consideratio Chrysostomi [1]) « quod illius corpus et sanguinem gusta- « mus, qui in cœlestibus sedet, qui ab Angelis « adoratur.» Et multo expressius Gregorius dicit [2]: « Intuendum est, quantum delinquat, qui ad cor- « pus Domini reus accedit, si ille morte mulctatur, « qui arcam Dominici corporis figuram minori « quam debuit, veneratione corripuit. » Oleaster præceptum illud Moysi a Deo datum optime considerat, quo leprosos, omnemque aliam personam immundam extra aliorum qui incolumes erant, habitacula coercere jubebatur, idque ob eam duntaxat causam, quia inter sanos suum habebat fixum tabernaculum et arcam : « Summam munditiam « nos admonet locus iste. Disce, quantum abomi- « nabitur voluntarias immunditias peccatorum, qui « sic abominatur, eas, quas homo invitus patitur. » Opponat mihi fortasse quispiam Abiathar sacerdotem eo quod arcam portasset, a morte præservatum fuisse, non obstante ira et indignatione regia quam Salomon Rex adversus eum conceperat [1]: *Equidem vir mortis es : sed hodie te non interficiam quia portasti arcam Domini Dei coram David patri meo, et sustinuisti laborem.* Hoc tamen quod objicitur, gratanter accepto ; exinde enim nos hanc quoque deducere possumus congruentiam, videlicet quod Deus ab illis, qui ad honorandas pro viribus suis processiones istas præparandis et congerendis apparatibus et ornamentis necessariis operam suam impenderint, tametsi peccato sint mortali obnoxii et consequenter iræ Dei subjaceant, suum tamen digne promeritum supplicium misericorditer suspendet, ut tempus habeant resipiscendi et ad seriam redeundi pœnitentiam, aut vero aliam quandam iisdem impensurus sit gratiam, ut obsequiis ipsorum in sanctissimi Corporis sui festivitatem et venerationem adhibitis aliqualiter correspondeat.

[1] S. Chrys., h. 3 *ad Eph.* — [2] S. Greg., *in Reg.*

[1] II Reg., II, 26.

FINIS SECUNDÆ ET ULTIMÆ PARTIS

# INDEX CONCIONATORIUS

SEU

# IDEÆ SERMONUM TOTIUS ÆRARII DIVINI AMORIS

## PARS PRIMA

### DE PASSIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI TRACTATUS NOVEM

### TRACTATUS PRIMUS

DE ASSIDUA MEDITATIONE PASSIONIS DOMINI NOSTRI ET EFFECTIBUS ILLAM CONSEQUENTIBUS

#### DISCURSUS I.

CHRISTUS SOLLICITE UT PASSIONEM EJUS ATTENTE MEDITEMUR A NOBIS REQUIRIT, ET QUANTUM IDIPSUM EI PLACEAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus nos invitat ad considerandum ejus amarissimam passionem. — 2. Excessiva acerbitas passionis Christi incomprehensibilis et ineffabilis est. — 3. Christus vult ut passionem ejus meditantes, ipsi compatiantur. — 4. Cur aer, tempore crucifixionis fuerit obtenebratus. — 5. Et Christus moriens alta voce clamaverit. — 6. Qui mentem meditationi passionis sedulo applicant, maximam ipsius experiuntur benevolentiam. — 7. Jugis meditatio Christi passionis et B. Virginis compassionis gratiosiores sunt Christo omni alio exercitio spirituali. — 8. Christus specialiter benedicit meditantibus passionem suam. Pulchra exempla. — 9. Christus mentibus fidelium passionem suam imprimere omni modo conatur. — 10. Eucharistia instituta est a Christo ad rememorandam ipsius passionem. — 11. Sacerdos vestibus sacris indutus repræsentat Christum patientem. — 12. Distributio horarum canonicarum repræsentat passionem Christi. — 13. Sacrificium Missæ quod omni momento per totum mundum incessanter offertur, semper nobis refricat memoriam passionis Christi. . . Pag. 1

#### DISCURSUS II.

CHRISTUS PASSIONEM SUAM CORDIBUS NOSTRIS VIVACITER IMPRIMI DESIDERAT; IDQUE MULTOS FECISSE, VARIIS EXEMPLIS PROBATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Passio Christi cordi nostro medullitus imprimenda, et meditanda est jugiter, ex qua meditatione novem consequimur præclaras utilitates. — 2. Meditatio passionis valde fructuosa est. — 3. Varia afferuntur exempla passionis Christi fervide et fructuose meditantium. — S. Francisci; S. Anselmi; S. Bonaventuræ; S. Catharinæ Senensis. — 4. S. Franciscæ Romanæ. — 5. B. Henrici Susonis. — 6. P. Simonis Rodriguez, Alexandri Card. Ursini. — 7. S. Elisabeth de Spalbeck; alicujus viri fidelis et boni. — 8. Cujusdam prioris ex ord. S. Dominici. — 9. Alicujus puellæ sanctissimæ. — 10. V. Sororis Ursulæ Benincasæ. . . . . 5

#### DISCURSUS III.

CRUCIFIXUS REDEMPTOR NOSTER SUB LIBRI CUJUSPIAM FIGURA CONSIDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus crucifixus est liber magnæ doctrinæ. — 2. Ex hoc libro hausit S. Bonaventura omnem scientiam. — 3. Patibulum crucis est cathedra Christi docentis. — 4. Christus crucifixus in sacra Scriptura sæpe nomine libri designatur. — 5. Liber scriptus intus et foris est Christus sedens ad dexteram Patris. Passio Christi est ditissima mysteriis et sacramentis. — 6. Adducuntur similitudines inter Christum crucifixum et librum. — 7. Christi Passio fuit lectio S. Pauli Apostoli, quem librum etiam Job desiderabat legere. — 8. Multæ sanctæ virgines hunc librum evolverunt. — 9. S. Paulus sedulo pervolvens hunc librum evasit in maximum doctorem. Item et alii multi. — 10. Hunc librum legere possunt docti pariter et indocti. — 11. Mira hujus libri præconia. Cur librum hunc sapientes Judæorum legere noluerint. . . . . 8

#### DISCURSUS IV.

MEDITATIO MORTIS CHRISTI INSIGNE EST AD PERFECTIONEM INCENTIVUM, SIQUIDEM ANIMAS IN DIVINO SERVITIO EFFERVESCERE FACIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Passio et mors Christi extimulat nos ut Deo vivamus et ad perfectionem vitæ tendamus. — 2 Passio Christi tanquam fasciculus myrrhæ cordi applicanda. Hoc fecit S. Bernardus ab initio conversionis suæ. — Christus ad ostium speluncæ S. Mariæ Magdalene fixit crucem. — 3. Meditatio passio

nis Christi perficit animam inexpertem, multos fructus facit. — 4. Quare diabolus per uxorem Pilati conatus fuerit Christum liberare a morte. — 5. Adducuntur sanctorum exempla qui ex meditatione Dominicæ passionis, maximos progressus fecerunt in virtutibus. S. Ludivinæ; S. Elzearii. — 6. S. Christinæ; S. Theresiæ. — 7. Eunuchi Candacis; S. Philippi Nerii. — 8. Ludovici Granatensis; Eleonoræ a Spiritu Sancto. — 9. Petri Mezaciencis. — 10. B. Oringæ. — 11. — Cujusdam principissæ. — 12. B. Margaritæ de Crotona. — 13. S. Mariæ Ogniacensis . . Pag. 12

## DISCURSUS V.

PASSIO CHRISTI A NOBIS ATTENTE MEDITATA EFFICAX EST AD DELICIAS ET VITÆ COMMODITATES EXHORRESCENDAS REMEDIUM.

IDEA SERMONIS. — 1. Meditatio passionis Christi inducit horrorem deliciarum et vitæ commoditatum. — 2. Ante Christi adventum homines omnino dediti erant voluptatibus et vanitatibus mundanis. Verum post Christi mortem spretis deliciis, cœperunt amare dura et carnem ac sensualitatem affligentia. — 3. Urias in judicio confundet multos sensuales, qui vix cogitant de passione Christi. — 4. Quare Moyses noluerit reputari filius filiæ Pharaonis. — 5. Pudendum est deliciis indulgere considerata Christi passione. Præclara exempla. — 6. Quomodo monachus apostatare volens ad meliorem frugem conversus fuerit. — 7. Omnes periculum mortis æternæ evademus si nos fortiter alligaverimus arbori crucis. — 8. Christus crucifixus est verum speculum hominis Christiani . . . . . 16

## DISCURSUS VI.

PASSIO CHRISTI MEDITATA, PLURIMUM AD HOC CONFERT UT CUILIBET TORMENTO ULTRO OCCURRAMUS, ILLUDQUE LUBENTI ANIMO SUSTINEAMUS, ET NE IN VITÆ POENITENTIS CURRICULO INTEPESCAMUS.

IDEA SERMONIS. — 1. Passio Christi sæpe recogitata confert ut non deficiamus in rebus duris et arduis ad salutem necessariis. — Exemplificatur in primis Christianis cum gaudio ad martyrium currentibus. — 2. Hoc ipsum præsignatum fuit in Abimelech ejusque exercitus diversisque probatur exemplis. — 3. Magnum animi dux belli militibus præstat quando sine metu ad pugnandum se offert. — 4. Ad conspectum sanguinis Christi accendimur ad fortiter pugnandum ut Petrus aliique Apostoli. — 5. Passio Christi inflammat ad ardua. Probatur in praxi. — 6. Meditata Christi passio nos accendat ad patientiam et humilitatem. — 7, 8. Qui lignum crucis et passionem Christi meditatur, libenter tolerat omnem ærumnam . . . . . 19

## DISCURSUS VII.

AMARUM PASSIONIS CHRISTI FEL, MARTYRUM TORMENTA INDULCORAT, NOSTRASQUE ADVERSITATES SUAVES NOBIS EFFICIT, DUM ILLUD MEDITANTIBUS JUBILUM ET CONSOLATIONES CORDIS COMMUNICAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Fel passionis Christi suave est pie meditantibus illam. — 2. Passio Christi S. Stephano dulces reddebat lapides. Fortitudo martyrum in atrocissimis tormentis processit a passione Christi. — 3. Apostoli, antea tristes, post Christi passionem ibant gaudentes ad tormenta et mortem. — 4. Hoc ipsum fecit Ignatius martyr. — 5. Proprii arboris crucis fructus sunt sancti martyres. — 6. Hoc figuratum fuit in ligno quo Moyses dulcoravit amaras aquas. — 7. Quid intelligatur per farinam, qua Eliseus dulcoravit filiis Prophetarum pulmentum. — 8. Summa suavitas invenitur in passione amara Christi meditata. — 8. In gloriosa transfiguratione Christi signanter mentio facta fuit passionis ejus. — 7. S. Ludgardis in omnibus afflictionibus confugiebat ad imaginem crucifixi. — 19. Religiosus meditando crucifixum ad maximam perfectionem et consolationis abundantiam pervenit. — 11. D. Liduvina ex spinea Christi corona, vere collegit rosas . . . . . 23

## DISCURSUS VIII.

PASSIO CHRISTI NOBIS PARADISUM APERIET, CUJUS IS QUEAM DEVOTE MEDITATUR, CERTUM ET INFALLIBILE PIGNUS OBTINET.

IDEA SERMONIS. — 1. Crux Christi est arbor vitæ generis humani. — 2. Cum Christus discipulis aperte prædicaret suam crucifixionem, Maria Salome suis filiis petebat consensum regni, et quidem regni cœlestis. Quare in Ecclesiis crux ponatur ante introitum Chori. — 3. Botrus uvæ, in vecte appensus, designavit Christum cruci affixum. — 4. Præclaro exemplo et SS. Patrum sententiis probatur Christum per passionem suam nos certificasse de nostra salute. Crux Christi extinxit Dei odium in homines. — 5. Ostia per quæ intramus ad gloriam cœlestem sunt vulnera Christi. Verbum maximæ consolationis, factum a Christo. B. Angelæ de Fulginio. — 6. Modus quidam meditandæ passionis. — 7. Cur imago Crucifixi proponatur agonizantibus. — Merita passionis Christi præponderant omnibus nostris peccatis. — 8. Aliquot exempla salvatorum ob venerationem Dominicæ passionis. — 9. Exempla S. Francisci de Paula. — 10. Hermanni de Allis. — 11. Cardinalis Hosii. S. Caroli Borromæi. B. Joannis Columbini . . . . . 26

## DISCURSUS IX.

EX QUO CHRISTUS IN CRUCE DÆMONEM DEVICIT, CRUCIFIXIONIS EJUS DEVOTA MEDITATIO POTENS EFFECTA EST AD EUM SUPERANDUM ARMATURA.

IDEA SERMONIS. — 1. Seria meditatio passionis Christi est valida armatura contra diabolum. — 2. Diabolus per virtutem crucis Christi victus, humiliatus et spoliatus fuit — 3. Clypeus Josue designat passionem Christi, cujus virtute vincimus dæmonem. Mirabile exemplum hujus habemus in S. Edmundo. — 4. Abrogata passionis Christi memoria, dæmon facile prævalebit. Hoc ipsemet dixit Luthero. — 5. S. Catharina in tentatione magna diabolum fugavit memoria sanguinis Christi. — 6. Varia hujus virtutis crucis et passionis, Christi exempla. Pugna Davidis contra Goliath applicatur Christo crucifixo. — 7. S. Claram passionem meditantem diabolus ferre nequiens, percutit in factem . . . . . 30

## DISCURSUS X.

CRUCIFIXI REDEMPTORIS NOSTRI DEVOTA CONSIDERATIO A PECCATIS NOS CARNALIBUS COERCET ET REFRÆNAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Meditatio mortis Christi est efficacissimum remedium contra ardorem libidinis. — 2. A tempore quo Christus spinis coronatus, et in crucem actus fuit, inceperunt Christiani carnem suam crucifigere. — 3. Quid designet, quod obscœnum idolum Priapi comminutum et combustum fuerit in torrente Cedron. — 4. Extollitur efficacia Dominicæ passionis contra ignem concupiscentiæ carnalis. In carnalibus tentationibus in memoriam revocanda est passio Domini. — 5. Fel passionis Christi illuminat oculos carnalium hominum. — 6. Quare Christus elegerit diem Veneris pro amarissima passione sua. Stupendum exemplum S. Mariæ Ægyptiacæ. — 7. B. Angela in aspectu crucis invenit compunctionem. Exemplum venerabilis viri Joannis Avilacæ. Aliud cujusdam juvenis religiosi Hommenrodensis.—8. Ad quæ remedia recurrendum sit in tentationibus carnis . Pag. 34

## DISCURSUS XI.

EX QUO SALVATOR NOSTER PER MORTEM SUAM DIVINÆ JUSTITIÆ SATISFECIT, EAMQUE PLACAVIT, SECURAM NOBIS VENIÆ PECCATORUM NOSTRORUM OBTINENDÆ SPEM PRÆSTITIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Passio Christi in statera divinæ justitiæ appensa, multum præponderat totius mundi peccatis. — 2. Aspersio sanguinis Christi infinitis modis efficacior est ad delenda peccata nostra, quam olim fuerit aspersio cineris vitulæ et sanguinis hircorum. — 3. Cur spinea corona a capite Christi nunquam fuerit sublata. Sanguis Agni occisi, quo in Ægypto tingebantur limina domuum Hebræorum figuravit sanguinem Christi. — Christus pro impiis mortuus est, ut illos redimeret et mundaret. — 4. Per holocaustum in arca crucis oblatum Deus fuit placatus, et nos a maculis nostrorum peccatorum emundati. — 5. Christus in cruce delevit chirographum decreti nostræ damnationis. — 6. Licet nopeccatis nostris Christum crucifixerimus, secure tamen in nomine ipsius veniam, flagitare possumus.— 7. Virtus passionis Christi animæ applicata illam a pœnis Purgatorii eximit. — 8. Peccator in fossa vulnerum Christi absconsus, securus est a Dei supplicio. Quare a Christo sanandi adducti ad illum fuerint vesperi. . . . . 38

## DISCURSUS XII.

UT PASSIO CHRISTI NOBIS FRUCTUOSA REDDATUR, NECESSUM EST UT EAMDEM PER OPERA ILLI CORRESPONDENTIA, NEC NON PER VITÆ PURITATEM IMITEMUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Nostra cooperatione adimplere debemus. — 2. Non solum verbis et desideriis sed factis et operibus debemus esse devoti erga passionem Christi. Medicamentum passionis Christi non salvabit nos si non fuerit applicatum. — 3. Continuatur idem argumentum. Revelatio de hoc facta B. Angelæ de Fulginio. — 4. Quare Christus in cruce extensis brachiis mori voluerit. — Passionis Christi memoria et clypeus et baculus noster. Memoria passionis debet relucere in operibus nostris. — 6. Parum conducit peregrinatio Jerosolymitana cum scelerata conscientia. Historia Jacobi regis Arragoniæ. Et Heraclii imperatoris crucem portantis. — 7. Labia sponsæ distillant myrrham passionis. Notabile exemplum virginis Dominicam passionem assidue meditantis. Quid nos doceat sudor sanguineus Christi. — 8. Quare uterque latro cum Christo crucifixus non fuerit conversus . . . . . 42

## DISCURSUS XIII.

EORUM QUI PASSIONEM CHRISTI NON RECOGITANT CORDE, NEQUE IN EADEM PROFICERE SATAGUNT, INGRATITUDO PERSTRINGITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Summa ingratitudo est non recogitare, et gratum esse pro passione Christi. — 2. Sicuti malum signum est si capite dolente alia membra non compatiantur, sic etiam malum signum est si Christo non compatiamur. Quare Christus reservaverit cicatrices vulnerum suorum. — 3. Simile ampullæ vitreæ sanguine Christi plenæ. Insigne exemplum Cardinalis Lusitani. — 4. Christi passi fidejussoris nostri, semper meminisci debemus. — 5. Historia Mardochæi et Aman applicatur ad nostrum intentum. Quare Christus in cruce pendens fleverit. 6. Quare Christus cum magno clamore et lacrymis voluerit expirare. — 7. Amici Job desiderant pati cum patiente Christo. Imitemur Jacob lugentem Joseph filium suum . . . . . 45

## DISCURSUS XIV.

CHRISTUM NON PER PASSIONIS SUÆ INSTRUMENTA, SED PER PECCATA NOSTRA IN CRUCEM SUFFIXUM, IN EAQUE MORTUUM ESSE PROBATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Nostra peccata fuerunt instrumenta Dominicæ passionis. Christus innocens pro nostris peccatis in se assumptis patitur. — 2. Propter nostra peccata percussit Deus Pater Filium suum. Enumerantur nostra peccata, quæ Christum in sua passione cruciarunt. — 3. Complices delicti eamdem merentur pœnam. Quomodo inveniendus sit homicida Christi. — 4. Mortaliter peccando denuo crucifigimus Christum. — 5. Mirabili visione declaratur quomodo Christus nostris peccatis et specialiter choreis torqueatur.—6. Quare Christus dixerit se tradendum in manus peccatorum non vero Pharisæorum aut Pilati. — 7. Continuatio ejusdem argumenti. — 8. Christus in cruce lacrymando deflevit nostra peccata non suos dolores. . . . . 49

## DISCURSUS XV.

EX CRUCIFIXIONE FILII DEI IN NOTITIAM DEVENITUR GRAVITATIS PECCATI : CUJUS IPSA ATTENTE CONSIDERATA FRÆNUM EXISTIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christi crucifixi passio efficaciter nos refrænat a peccatis. — 2. Mirabile exemplum rigidæ justitiæ. Hujus exempli applicatio. — 3. Mirum est post passionem Christi hominem amplius peccare. — 4. Nullus tam obstinatus est peccator qui ad spectaculum crucifixi non emolliatur. — 5. Funiculus coccineus Raab, figuravit sanguinem

Christi. Judas ad Christi passionem compunctus, salvatus fuisset, si non desperasset. — 6. Bina percussio silicis in deserto, figuravit passionis Christi memoriam et effectum. — 7. Per memoriam passionis Christi mundamur a peccatis. Patet in Eunucho Reginæ Candacis. Passio Christi movere nos debet ad ultionem sumendam de peccatis. Cur S. Job in conspectu filiorum jugulaverit vitulum in sacrificium pro peccatis . . . . . Pag. 53

DISCURSUS XVI.

CREATURARUM IN MORTE CHRISTI UNIVERSALIS COMMOTIO, ET PERTURBATIO, HOMINEM AD COMPASSIONEM, GRATITUDINEM, ET PŒNITENTIAM EXTIMULAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Cum Christo patiente, simul patiuntur omnes insensatæ creaturæ. — 2. Quare sub isto terræ motu non perierit universum humanum genus. — Sub isto passionis tempore cœlum et omnia elementa dederunt Christo testimonium divinitatis. Expenditur scissio petrarum.—3. Mons Alverniæ unus fuit montium, in passione Domini divisorum. — 4. Stupenda profunditas scissuræ montis Calvariæ. — 5. Adducuntur mysteria diruptorum lapidum. — 6. Per petras intelliguntur peccatorum indurata corda. Monumentorum apertio . . . . . 57

DISCURSUS XVII.

VARIÆ CONSIDERANTUR PASSIONIS CHRISTI CONTRADICTIONES, ET PRODIGIA.

IDEA SERMONIS. — 1. Passio Christi describitur sub nomine contradictionis. Et per verba admirationem exprimentia. — 2. Adducuntur ex SS. Patribus variæ contradictiones quæ reperiuntur in passione Salvatoris nostri.— 5. Ad eumdem modum deducitur, quod passio Christi fuerit omnino mirabilis.— 6. In passione Christi ignominiosissima mirabile est valde, quod ipsi cesserit in maximam gloriam. — 7. Passio Christi mirabilis fuit, eo quod gloriam animæ non permiserit transire in corpus suum, ne fieret impassibile. — 8. Aliis modis Christi passio fuit mirabilis ad nostrum bonum. — 9. Mirabilis passio in qua fel Christo propositum, mutatum fuit in medicinam vitalem. — 10. Mirabilis fuit Christi passio, et quod Pater juste illum tradiderit in mortem, Pilatus autem injuste illum condemnaverit ad moriendum. — 11. Mirabilis passio qua Crux instrumentum mortis, mutatum fuit in instrumentum immortalitatis. . . . . 61

DISCURSUS XVIII.

AMOR QUO CHRISTUS PRO NOBIS, LICET INIMICIS SUIS, PASSUS EST, AD MINUS COMPASSIONIS A NOBIS EXPOSCIT AFFECTUM, AD QUEM NOS CREATURÆ INSENSIBILES ET IRRATIONALES VEHEMENTER EXTIMULANT.

IDEA SERMONIS.— 1. Ex passione cognoscit homo infinitum erga se Christi amorem. — 2. Nulla fuit proportio inter nos vilissimos vermiculos, et Christum nos amantem. Christus pro nobis patiens assimilatur pelicano. — 3. Maximus amoris excessus in passione Christi enituit, cum moriatur pro inimicis suis. — 4. Amor Christi erga nos multo major fuit amore Davidis erga Absalonem. — 5. Ardentissimus amor Christi pro nobis patientis, reciprocum exigit amorem. — Insensibiles et irrationabiles creaturæ Christo compatientes, confundunt nostram duritiem. — 7. Aves cujusdam nemoris in hebdomada sancta Christo compatientes, moriuntur. — Canes erga dominos gratiores sunt, quam nos erga Christum pro nobis passum. Genus humanum comparatur harpiæ . . 65

DISCURSUS XIX.

DE QUIBUSDAM DIVINI AMORIS INVENTIONIBUS, IN EUM PRÆCIPUE FINEM EXCOGITATIS, UT DEI FILIUS PRO HOMINE PATI POSSET, DISSERITUR; CUI PROINDE TOTUM CORDIS NOSTRI AMOREM ET AFFECTUM DEBERI OSTENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Filius Dei mirabilibus adinventionibus amorem suum erga nos manifestum fecit. — 2. Ut pro nobis pati et mori posset, assumpsit humanam naturam. Applicatur ad hunc conceptum historia Codri regis. — 3. Christus in se suscepit, furtum peccaminosum primi hominis ut pro illo liberando mori posset. — 4. Quænam egerit et passus fuerit cœlestis medicus, ut nos lethaliter infirmos sanaret. Mirabili adinventione concurrerunt Dei amor et peccatum ad promovendam Christi passionem. — 5. Primaria Passionis Christi ratio fuit ut per illam declararet quam nos amaret. — 6. Comparatur opus creationis cum illo redemptionis et examinatur, ob quod horum Deus potius sit diligendus. — 7. Propter hoc a nobis maxime amandus est. Christo patienti compatientes, egregie remunerarunt. Duo pulchra exempla. . . . . 69

DISCURSUS XX.

REDEMPTIONIS NOSTRÆ PRETIUM PONDERATUR, QUOD QUILIBET SIBI VELUT PROPRIUM VENDICARE DEBET, UT TANTO MAJORIS ANIMAM SUAM ÆSTIMARE VALEAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Convenientius fuit hominem per mortem Christi liberari, quam per solam Dei voluntatem. Ruminando Passionem Christi, retrahimur a peccando et cognoscimus pretiositatem animæ nostræ, intuentes hoc Passionis speculum. — 2. Consideratis debitis nostrorum peccatorum cognoscere licet immensitatem pretii quo redempti sumus. — 3. Expenditur quo pretio redempti simus. — 4. Quicquid Christus pasus fuit pro omnibus, paratus fuit pati unoquoque in individuo. — 5. Expenditur quid et quantum, nos debeamus Christo quia seipsum dederit pro nobis. . . . . 73

# TRACTATUS SECUNDUS

## DE IIS QUÆ A CHRISTO SALVATORE NOSTRO POST ULTIMAM CŒNAM ET PRÆCIPUE IN HORTO GETHSEMANI GESTA SUNT

### DISCURSUS I.

MYSTERIA PASSIONIS CUM OMNIBUS CIRCUMSTANTIIS SUIS A NOBIS RUMINANDA, ET EMEDULLANDA SUNT.

IDEA SERMONIS. — 1. Qualiter passio Christi meditanda et minutatim ruminanda. — 2. Agnus Paschalis præcipua figura Christi patientis. — 3. In meditanda passione sex modis se habere potest homo. — 4. Singulæ partes passionis ruminari debent. — 5. Quis, cum quibus et pro quo patiatur. — 6. Quinam Christo mortem fuerint machinati. — 7. Gravitas passionis Christi aucta fuit ex locis in quibus passus fuit et tempore quo passus fuit. — 8. Passio Christi aucta fuit ex longitudine suppliciorum ejus. Omnia Christi membra singulatim habuerunt proprium suum tormentum. — 9. Nullus Christi partes egit in Passione sua præter Pilatum et ejus uxorem. Afflictiones interiores animæ ipsius fuerunt acerbissimæ. — 10. Pro quibus Christus patiatur. . . . . Pag. 77

### DISCURSUS II.

VARIÆ ADDUCUNTUR RATIONES, OB QUAS CHRISTUS PASSIONEM SUAM EXORDIRI VOLENS, E CŒNACULO ET URBE JEROSOLYMITANA EGRESSUS, TORRENTEMQUE CEDRON PERTRANSIENS, AD MONTEM OLIVETI SE RECEPIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Quare Christus noluerit capi in domo ubi cœnaverat, sed in horto, extra urbem. — 2. Isaac fuit figura Christi quoad hunc egressum. Qualia nobis Christus dederit documenta per hunc secessum ad locum solitarium. — 3. Aliæ rationes egressus extra civitatem. — 4. David præfiguravit egressum trans torrentem Cedron. Aliæ rationes egressus trans torrentem Cedron. Per torrentem signantur innumera Christi tormenta. Aliæ comparationes torrentis. — 5. Quare Christus ire voluerit in monte Oliveti. — 6. Christus lætus et canens ivit ad montem et mortem e cœnaculo. — 7. Allusio olivarum et olei ad Christum patientem. Oleum designat misericordiam. Oliva est symbolum pacis . 81

### DISCURSUS III.

EX QUIBUS MOTIVIS CHRISTUS PASSIONEM SUAM INCHOATURUS, AD HORTUM GETHSEMANI SE CONTULERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Qualis locus fuerit hortus Gethsemani. — 2. Judæi propter nimium temporalium amorem mortem Christi machinati fuerunt. — 3. Adducuntur rationes quare Christus passionem suam incipere voluerit in horto. Diabolus tentatione sua prævaluit contra primos parentes ob defectum orationis. — 4. Christus in horto expiavit omnia quæ Adam in horto deliquit. — 5-6. Primus mortis Christi fructus fuit quod nobis aperuerit Paradisum. — 8. Qualia poma Christus comederit in horto. . 85

### DISCURSUS IV

DE ELECTIONE TRIUM APOSTOLORUM QUOS IN EUMDEM HORTUM SECUM DUXIT, ET CUR EX ILLIS SOLUM PETRUM DE SOMNO INCREPARIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Quare Christus tres illos Apostolos secum sumpserit ad spectandam suam agoniam et non reliquos. — 2. Isti tres Apostoli promiserant se majora pro Christo passuros, quam alii. — 3. Hi tres Apostoli singulariter erant instituendi. — 4. Quia erant cœlestis gloriæ avidiores instruuntur quomodo ad illam perveniatur. — 5. In his tribus Apostolis docemur quibus virtutibus debeat orans esse instructus. — 6. In his tribus figurati fuerunt tres vocationis status. — 7. Quænam lateant mysteria in verbo *avulsus est*. — 8. Cur Petrus solus reprehensus fuerit de dormitione . . . . . 88

### DISCURSUS V.

DE LÆTITIA, CUM QUA CHRISTUS PASSIONEM SUAM DISCIPULIS PRÆDIXIT, EIQUE ULTRO CITROQUE OBVIAM PROCESSIT.

IDEA SERMONIS. — Anima devota invitatur a Christo ad hortum Gethsemani, ut cum eo hilariter metat myrrham amaram passionis ejus. — 2. Christus hominem lapsum ab origine mundi desideravit redimere. — 3. Quam diem Christi Abraham cum gaudio videre desideraverit. — 4. Quomodo Christus in passione sua luserit coram Patre æterno. — 5. Dies passionis fuit Christo lætitiæ. — 6. Cur omnia sacrificia boum et ovium V. L. Christo fuerint grata et in deliciis. — 7. Mors Christi fuit ipsi suavis sopor. — 8. Christus magno desiderio acceptavit humanam redemptionem. — 9. Ecclesia fundata fuit per mortem Christi cum jubilo et cantico. Vinum et oleum designant lætitiam qua Christus fuit passus. — 10. Expenditur quare Christus a Patre æterno petierit eximi ab ictu lanceæ. Passio Christi fuit ipsius gaudium. — 11. Quare Christus in horto tristis fuerit et anxius.. . . . . 9

### DISCURSUS VI.

ALIÆ CONSIDERANTUR CIRCUMSTANTIÆ, EX QUIBUS GAUDIUM QUO DEI FILIUS IN PASSIONE SUA PERFUSUS FUIT, MANIFESTE COLLIGITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Licet Christus nos redimere potuisset sine doloribus illos tamen cum gaudio acceptavit. — 2. Christus festivus et cum gaudio properavit ad passionem suam. — 3. Quare Christus jusserit Zachæo ut festinans descenderet de arbore. — 4. Quare Christus nasci voluerit in Judæa et non Romæ. — 5. Christus pro tempore suæ passionis elegit tempus vernum et mensem Martium: hujus assignantur rationes. — 6. Passionis Christi tempus sæpe nominatur hora ejus. Declaratur apta similitudine. Amor reddit cuncta dura facilia. Amor facit oblivisci dolo-

rum. — 7. Amor nil aliud quærit quam pati. — 8. Amans in tormentis gaudet. Amor fœda clarificat. — 9. Amans nil aliud cogitat quam pati. — 10. Nihil Christo est gloriosius quam loqui de sua passione. — 11. Qui libenter ac ex amore patitur, recusat sibi commisereri . . . . . Pag. 95

## DISCURSUS VII.

DE IMMENSO JUBILO, QUO REDEMPTOR NOSTER AMARISSIMUM PASSIONIS SUÆ CALICEM EPOTAVIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Ad exemplum Christi sancti in tormentis exultarunt. — 2. Amor efficit mortem suavem. — 3. Amor indignatur iis qui impedire volunt passionem. Loqui de passione conciliat bene volentiam. — 4. Dulce est pati. Carnalis homo horret passionem. Amans anima desiderat semper hic pati. — 5. Vehemens amor contemnit cuncta pericula et per patientiam resistit morti. — 6. Amor causat quo plura quis patitur ut majores et plura pati sitiat. — 7. Christus præ nimio amore plura patiendi anxiebatur . . . . . 99

## DISCURSUS VIII.

TRISTITIA VOLONTARIA, QUAM CHRISTUS, SINE ULLO A DIVINITATE SUA EMANANTE SOLATIO, SUBIRE VOLUIT ANTICIPATA QUÆDAM, PRO REDEMPTIONE NOSTRA CONSUMMANDA, DEBITI SOLUTIO FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Amoris teneritudo causavit in Christo hanc magnam tristitiam. — 2. Christus ex amore tristari voluit ut redemptio nostra esset abundantior. — 3. Christus hac tristitia se hominem esse comprobavit. — 4. Justum non conturbat quidquid ei acciderit. — 5. Præ amore patiendi Christus suspendit in anima omne gaudium. — 7. Influxus divinitatis et gloriæ animæ suspensus fuit ne derivaretur in corpus. Naturæ nostræ humanæ cum Christus assumpserit pœnalitates consequenter debuit tristari . . . . . 103

## DISCURSUS IX.

ALIA EJUSDEM IMMENSÆ CHRISTI TRISTITIÆ EXAMINANTUR MYSTERIA.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus non finxit se tristem, sed actu et voluntarie fuit tristis. — 2. Cum mors sit omnium terribilium terribilissimum causat in homine tædium et aversionem. Christus tristatur nobis ad exemplum. — 3. Christus tristis fuit non pro se, sed pro nobis. — 4. Quare Christus in horto contristatus horruerit mortem. — 5. Christus in illa tristitia consideravit omnia quæ passurus erat tormenta. — 6. Revelatio facta B. Angelæ de Fulginio de prævisis tormentis Christi. — 7. Christus tristabatur propter perditionem Judæ. Et reliquorum Judæorum. Sicut etiam propter negationem Petri . . . . . 106

## DISCURSUS X.

EJUSDEM MATERIÆ CONTINUATUR PROSECUTIO.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus intensissimo suo dolore supplevit defectum imperfectæ nostræ contritionis in sacramento pœnitentiæ. — 2. Christus suo dolore satisfecit pro nostris peccatis et pœnis illis debitis. — 3. Christus adaquata contritione satisfecit pro omnium hominum peccatis, quæ cum omnibus circumstantiis clare videbat. — 4. Christus amore nostri doluit et contristatus fuit. — 5. Doluit etiam propter hominum ingratitudinem pro passione sua. — 6. Contristatus fuit Christus quod videret dæmones in se et gregem suum pusillum crudelius tunc quam unquam sævientes. — 7. Christus in agone suo contristatus fuit ut nos in agone nostro possimus esse læti. — 8. Ex motivo compassionis et pro nostra oconslatione fuit Christus contristatus. . . . 110

## DISCURSUS XI.

DE DOLORIBUS, ET PASSIONE, QUÆ REDEMPTORIS ANIMUM INTERIUS AFFLIXIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Nulla creatura comprehendere potest numerum et magnitudinem dolorum Christi. Quid S. Cath. Sen. circa illos dolores revelatum fuerit. Causæ interioris doloris Christi. — 2. Peccata nostra fuerunt instrumenta passionis Christi. Christus ab initio nativitatis suæ portavit crucem. — 3. Imo, a primo instanti conceptionis suæ, pœnosissima Christi crux fuit continuus aspectus nostrorum peccatorum. — 4. Eadem materia. — 5. Infinita tormenta æternæ damnationis quibus peccata puniuntur, summopere affligebant Christum. — 6. Detestabilis ingratitudo Hebræorum Christum valde cruciavit. — 7. Applicatur ad hoc intentum historia venditi Josephi. — 8. Omnes dolores nostri per dolores Christi patientis dulcificati sunt . . . 114

## DISCURSUS XII.

DE PROSTRATIONE CORPORIS ET FACIEI SALVATORIS SUPER NUDAM TERRAM.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus genuflexus et prostratus oravit in horto. — 2. Christus in hac prostratione instar mancipii se composuit ad excipienda verbera. — 3. Christus pondere peccatorum nostrorum pressus, procidit in terram. Omnia peccata nostra translata fuerunt super humeros Christi. Qua de causa peccata nostra Christo fuerint gravissima. Simile Agasonis cum peccatore. — 4. Christus peccatis nostris oneratus præ confusione erubuit faciem suam levare in cœlum. — 5. Christus procidit in terram, hominem sibi reconciliare et maledictionem Adæ terminare volens. — 6. Procidit in terram super faciem suam ut terrenos liberaret et pristinam imaginem repararet. — 7. Procedit Christus in faciem suam super terram ut tolleret ex ea idololatriam . . . . 118

## DISCURSUS XIII.

DE ORATIONE, QUAM CHRISTUS IN HORTO INSTITUIT, DEQUE ILLIUS MYSTERIIS ET CONDITIONIBUS DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Oratio Christi in horto efficacissima fuit. — 2. Expenduntur causæ, ob quas Christus in horto oraverit, sicut et aliæ orationis hujus circumstantiæ. — 3. Fuit devota. — 4. Fuit solitaria. — 5. Fuit humilis. — 6. Fuit discreta. — 7. Fuit perseverans. — 8. Quare hæc perfecta Christi oratio non fuerit exaudita. — 9. In tentationibus ad præsidium orationis quam maxime recurrendum est. 121

## DISCURSUS XIV.

CUR CHRISTUS POST EXHIBITUM DISCIPULIS TAM ARDENS PATIENDI DESIDERIUM, PATREM NIHILOMINUS ROGAVERIT, DICENS : *Transeat a me calix iste.*

IDEA SERMONIS. — 1. An Christus dubitaverit calicem passionis a se transire posse, an non posse. — 2. Humana voluntas in Christo naturaliter horrebat mortem. Adducitur causa quare Christus se invitum ostendit ad bibendum calicem passionis. — 3. Christus exhorruit ad bibendum calicem passionis ut se verum hominem ostenderet. — 4. Christus secundum appetitum naturalem et sensitivum petiit ut calix transiret. Voluit etiam suo exemplo nos animare ad simile. — 5. Christus per omnia voluit nobis esse similis. — 6. Christus petit ut calix a Judæis ipsi propinatus, transiret, et hoc ex compassione erga illos. — 7. Acceptavit tamen Passionis calicem propter salutem humani generis . . . Pag. 124

## DISCURSUS XV.

VARIA CONSIDERANTUR MYSTERIA CUR PATRI DIXERIT TRANSFER CALICEM ISTUM A ME.

IDEA SERMONIS. — 1. Hæc petitio processit ex nostro appetitu sensitivo. — 2. Christus in hac petitione sua vere fuit exauditus secundum desiderium cordis sui. — 3. Hæc petitio indicat conflictum sensualitatis humanæ, cum parte rationali. — 4. Christus hac petitione impediebat diabolum, ne se opponeret redemptioni nostræ. — 5. Christus hac oratione petiit ut dolores animæ, etiam transirent ad corpus. — 6. Christus ex desiderio patiendi petiit ut calix passionis velociter transiret. Christus non nauseavit calicem bibere, quasi illum detrectaret, sed ut meritum suum augeret. Probatur hæc sententia variis similitudinibus. — 7. Christus petit ut fructus Passionis suæ transeat ad omnes qui pro illo passuri erant. — 8-9. In orando voluntas nostra semper subjici debet voluntati divinæ. . . . . 127

## DISCURSUS XVI.

DE APPARITIONE ANGELI, CHRISTUM IN HORTO CONFORTANTIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Miratur hanc apparitionem Angeli Christum in horto confortantis. — 2. Humilitas Christi extollitur. — 3. Declaratur cur Christus ab Angelo et non ab homine voluerit consolari. — 4. Christus consolationem angelicam propter nos admisit. — 5. Angelus Christum confortavit post orationem ne frustra orasse videretur. — 6. Quo ferventior est oratio, eo uberior erit consolatio. — 7. Declaratio ulterius cur Christus admiserit consolationem Angelicam. — 8. Prolixa et pia oratio meretur consolationem Angelicam.

## DISCURSUS XVII.

QUISNAM HIC ANGELUS FUERIT, QUALIQUE AD CHRISTUM CONFORTANDUM USUS FUERIT REMEDIO, FUSIUS EXAMINATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Cur fiat specialis mentio hujus Angelicæ apparitionis. — 2. Hic Angelus apparens et Christum confortans vero similiter fuit S. Gabriel vel S. Michael. — 3. Juxta S. Epiph. Angelus confortans Christum idem est ac prædicans fortitudinem et virtutem Christi. — 4-5. Conveniens erat ut Deus Filium suum unigenitum S. Michaelis legatione honoraret. — 6. Christi obedientia ad Patrem extollitur — 7. Describitur consolatio Angeli ad Christum. — 8. Cur S. Mich. omnia proximæ passionis instrumenta Christo monstraverit dum eidem apparuit. — 9. Angelus Christo apparens eum laudavit et adoravit. 135

## DISCURSUS XVIII.

QUALIS FUERIT REDEMPTORIS NOSTRI IN HORTO PERPESSA AGONIA.

IDEA SERMONIS. — 1. Peccata hominum fuerunt causmortis Christi. — 2. Christus in agonia contra mora tem peccatis nostris armatam pugnavit. — 3. Exacta descriptio agoniæ Christi inter carnem et spiritum. — 4. Quare Christus in horto fuderit sanguinem et tamen in monte Calvariæ gaudio sibi proposito crucem sustinuerit. — 5. Cur Pater æternus Filio suo in agonia hac misit Angelum et non in cæteris excessivis tormentis. — 6. Describitur ulterius hæc Christi agonia inter rationem et sensualitatem. 138

## DISCURSUS XIX.

SUDORIS SANGUINEI VARIÆ CONSIDERANTUR CAUSÆ.

IDEA SERMONIS. — 1. Supra naturam est toto corpore integro sanguinem sudare. — 2. Energica descriptio sanguinis de corpore Christi sub oratione decurrentis. — 3. Christus assimilatur uvæ botro. — 4-5. Panis in sudore vultus comparatus dulcis est. Christus per sudorem sanguineum in terram effusum, sustulit ejus maledictionem. — 6. Peccata sæpe nominantur sanguis. Etiam designantur per lepram. Aquæ Ægypti in sanguinem versæ designabant sanguinem Christi. — 7. Christus Protomedicus noster, sanguinem sudavit, ut nostros morbos curaret. Omnis pavor et horror, proficiscitur a peccato. — 8. Christus ad nulla tormenta conquestus fuit nisi de verecundia nostrorum peccatorum, quæ in se assumpserat. — 9. Judæi audientes blasphemiam lacerarunt vestes, Christus vero sacratissimam carnem. — 10. Verba Christi ad B. Veronicam de Binasco de sanguineo sudore . . . . . 141

## DISCURSUS XX.

ALIA EJUSDEM SUDORIS TANGUNTUR MYSTERIA.

IDEA SERMONIS. — 1. Christi sanguineus sudor fuit semen sanguinis martyrum. — 2. Quare Christus permiserit ut guttæ sanguinis defluerent in terram. — 3. Natura Christi intus violentata, sudavit sanguinem. — 4. Omnis sanguinis Christi effusio, fuit voluntaria. Ut nos Christus suo ditaret sanguine tria patravit miracula. Sanguis per sudorem expressus, maximi faciendus et quare. — 5. Eruptio sanguinei sudoris comparatur generoso musto erumpente ex vase. Quare Christus sanguineum sudorem distulerit usque ad agonem suum. — 6. Adducuntur aliæ rationes expressivæ hujus sanguinei sudoris. Timor et amor pugnabant in corde Christi, sed amor vicit. — 7. Invitamur ad inæstimabilem hunc thesaurum colligendum . . . . . 145

## DISCURSUS XXI.

DE TURMIS ET COHORTIBUS ARMATIS, NECNON DE APPARATU, QUO HÆ AD HORTUM PROCESSERUNT, DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Omnibus Apostolis dormientibus solus Judas vigil adornat proditionem.—2. Ultra mille milites convenerunt ad capiendum Christum. — 3. Hujus affertur ratio. — 4. Judæi voluerunt mortem Christi justificare per auctoritatem Cæsaris, ejusque satellitum.— 5. Credibile est multos Synagogæ primates se personaliter immiscuisse satellitibus. Hujus datur ratio. — 6. Variæ adducuntur rationes, quare venerint cum laternis et facibus. Quali pœna fuerint puniti propter admotas lucernas.— 7. Judas magna temeritate armavit satellites armis et fustibus. Pag. 149

## DISCURSUS XXII.

CHRISTUM ULTRO CITROQUE SE AD CAPIENDUM MILITIBUS OBTULISSE, VARIIS ARGUMENTIS OSTENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Quare Christus obviam processerit satellitibus et non potius illos expectaverit in loco in quo erat. Vultus Christi ex sudore sanguineo multum fuit deformatus ut vix illum cognoscere potuissent. — 2. Licet Judas Christum osculatus fuisset, non tamen turba super hoc signum illum apprehendit. — 3. Quare Judas dederit signum osculi. — 4. Satellites verbo Christi prostrati, sic semper mansissent, nisi verbo suo illos erexisset. — 5. Christus in hortum Gethsemani secessit, ut eo facilius inveniretur. Ut captivitatem suam hostibus redderet facilem. Cum turba Christum captura, illum non cognosceret, seipsum illis spontanee manifestat, intrepidus. Christus excitat dormientes Apostolos ut secum obviam vadant illum capturis. — 6. Explicantur mysteria quare Christus a Juda osculum acceptaverit. — 7. Christus spontanee captus mandavit se capientibus, ut discipulos suos libere abire permitterent. Quare Christus miraculose Malcho restituerit abscissam aurem. . . . . 152

## DISCURSUS XXIII.

OSCULUM, ET TRADIMENTUM JUDÆ GRAVITER PERSTRINGITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Adducuntur variæ rationes quare Christus tradi voluerit signo osculi. Judas per osculum et salutationem suam scelus suum occultare noluit. — 2. Quare Christus Judam interrogavit ad quid veniret. — 3. Quare Christus permiserit se tradi a proprio discipulo et quidem Apostolo. — 4. Quare Christus Judam vocaverit amicum et non improperaverit proditionem. — 5. Quid Christus in hac actione nos docuerit. Osculum Judæ comparatur cum illo S. Mariæ Magdalenæ. — 6. Hypocritæ similes Judæ. — 7. Docemur hoc Christi actu inimicos diligere. — 8. Cur Judas monuerit ut Christum captum caute ducerent . . . . . 156

## DISCURSUS XXIV.

DE TURBIS ARMATIS RETRORSUM CADENTIBUS.

IDEA SERMONIS. — 1. Adducitur ratio quare Christus mitissimus agnus, turbam armatam prostraverit in terram. — 2. Inter omnia Christi miracula præeminet hæc turbæ prostratio in terram.— 3. Examinatur an Christus turbam illam voce, vel vultu an utroque simul prostraverit. — 4. Extollitur virtus verborum : Ego sum. — 5. Fabula Actæonis applicatur Christo. Judæi inexcusabiles fuerunt quod viso hoc miraculo conversi non fuerint. — 6. Quare Christus bis interrogaverit : Quem quæritis.— 7. Quare ceciderit turba illa supine. Adferuntur mysteria hujus supinæ prostrationis . . . . . 160

## DISCURSUS XXV.

DE AURICULA MALCHI, A S. PETRO AMPUTATA, ET DE EJUSDEM MIRACULOSA RESTITUTIONE.

IDEA SERMONIS. — 1. Examinatur an Petrus habuerit gladium et qualis fuerit. — 2. Magna fuit audacia Petri, tantæ multitudini armatorum se opponentis. — 3. Quare Petrus ex tanta multitudine armatorum, solum Caiphæ servum percusserit. Fuit a Domino suo animatus ad Christum primus, invadendum. — 4. Referuntur mysteria amputatæ auriculæ.— 5. Auris amputatur Malcho, quia aurem prædicationi Christi præbere noluit. — 6. Christus restituens Malcho aurem, summam suam patientiam ostendit. Variæ a SS. PP. adducuntur sanatæ auris Malchi causæ et mysteria. — 7. Expenduntur rationes quare Malcho, aure mutilato cohors armata Petrum non invaserit et captivarit . . . . . 164

## DISCURSUS XXVI.

DE CAPTURA CHRISTI, DEQUE VINCULORUM, QUIBUS INNEXUS FUIT, VARIIS MYSTERIIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Alligatio Christi in horto variis SS. PP. sententiis illustratur ejusque mysteria adducuntur.— 2. Indignum et molestum fuit Filium Dei ligari. — 3. Darius captus, ligatus catenis aureis. Quinam Christum ligaverint. — 4. Christus volens ligatus fuit. Christus suis vinculis solvit vincula peccatorum nostrorum. — 5. Christus non tam funibus quam amore ligatus fuit. — 6. Quomodo immenso amori Christi correspondere valeamus. — 7. Vincula Christi sanctificant vincula martyrum. . . . 168

## DISCURSUS XXVII.

LAMENTATIO CHRISTI, SE TANQUAM LATRONEM CAPTIVUM ABDUCI CONQUERENTIS, OMNESQUE ALII A CHRISTO IN HAC CAPTIVITATE PERPESSI INSULTUS ET INJURIÆ CONSIDERANTUR.

IDEA SERMONIS.— 1. Principes et magistratus Judæorum personaliter interfuerunt captioni Christi. — 2. Quare Christus conqueratur se capi instar latronis. Magna ostenditur esse differentia inter Christum et latronem. Quomodo Christus dici possit latro. — 3. Quare Christus in templo capi noluerit. Quare in palatiis Annæ Caiphæ, Pilati et Herodii ligatus comparuerit. — 4. Afferuntur rationes cur principes synagogæ voluerint præsentes esse captivitati Christi. — 5. Quare Christus Malcho restituerit aurem. — 6. Christus catena ferrea in collo constrictus fuit. — 7. Tandem Judæi hujus sceleris condignam pœnam luere debuerunt. . . . . 172

# TRACTATUS TERTIUS

## DE IIS QUÆ CHRISTO CORAM ANNA ET CAIPHA PRÆSENTATO ACCIDERUNT

### DISCURSUS I

DE CHRISTO ANNÆ PRIMUM ET POSTEA CAIPHÆ PRÆSENTATO; DEQUE EXAMINE, CUI AB ILLIS SUBJECTUS FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Quare Christus primo ductus fuerit ad Annam. — 2. De examine facto a Caipha. — 3. Doctrinæ Christi infallibilitas etiam ab inimicis ejus discenda. — 4. Cur falsi testes quærantur. — 5. Testium falsorum malitia. Cur inconvenientia testimonia. — 6. Malitia Caiphæ Pontif. — 7. Christus dicit se Filium Dei et quare. Significatio vestium a Caipha scissarum. — 8. Cur Jesus Pilato sistatur. . . . . Pag. 176

### DISCURSUS II.

GRAVITAS ENORMISSIMÆ INJURIÆ, PER IMPACTAM CHRISTO ALAPAM ILLATÆ, EXAMINATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Alapæ inflictio quam ignominiosa — 2. Injuriæ exageratio. — 3. Quo impetu inflicta fuerit Christo alapa. — 4. Judæorum plausus ad alapam Christo datam. — 5-6. Circumstantiæ aggravantes injuriam alapæ inflictæ. — 7. Christi humilitas et decor faciei ipsius . . . . . 180

### DISCURSUS III.

CHRISTUS A SERVO ILLO, QUI EUM SUB PRÆTEXTU ZELI, REVERA TAMEN OB ALIOS FINES PERCUSSIT, IMMERITO REPREHENSUS FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Figuræ alapæ ex lege veteri. — 2. Motivum alapæ inflictæ. — 3. Cur dari soleant alapæ. Christi responsum nil habet offensivum. — 4. Quare Christus responderit cedenti. Percutiens adulator. Ambitiosus. — 5. Aliud percutientis motivum. — 6. Doctrina moralis ex hac Christi alapa elicita . . . . . 183

### DISCURSUS IV.

CHRISTUS IN RESPONSIONE, QUAM SE COLAPHIZANTI REDDIDIT INNOCENTIAM ET MANSUETUDINEM SUAM NEC NON ILLATAM SIBI INJUSTITIAM SOLE CLARIUS APPARERE FECIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus mansuetus et patiens. Christus examini impiorum se et sua facta subjicit. — 2. Mansuetudo et patientia vincens omnia discenda a Christo. — 3. Christus alapa percussus, nec se vindicavit, nec impatientiæ signum ullum dedit. — 4. Emicuit in hac alapa stupenda Christi mansuetudo. — 5. Christus percussus, instar silicis ardentiorem scintillantis charitatem. — 6. Quare confirmandi percutiantur alapa. Iniquissima fuit hæc alapa, cum Christo licitum fuerit pro se loqui etreus ante sententiam latam affligi non debeat. Carpitur iniquitas Pontificis dissimulantis hanc in injuriosam alapam . . . . . 187

### DISCURSUS. V

CIRCA EAMDEM COLIPHIZANTI A CHRISTO DATAM RESPONSIONEM, ALIÆ CONSIDERATIONES INSTITUUNTUR

IDEA SERMONIS — 1. Docuit nos Christus suo exempla quod injuriæ patienter tolerandæ sint. Pulchra exempla alapas patienter excipientium. 2. Quare Christus percussori non præbuerit alteram maxillam, 3. Christus nec dum condemnatus, reprehendit hunc discipulum sicut et turbam illam capientem. Afferuntur rationes, quare Christus responderit percussori, illumque reprehenderit. 4. Aliæ rationes cur hanc alapam Christus patienter tolerarit. — 5. Christus de injuriis in domo Pontificis acceptis solummodo fuit conquestus. Magnum præjudicium redundavit in Christum ex hac alapa. — 6. Christus per alapam illam prorsus inhonoratus et vilificatus fuit. — 7. Alapa hac ab antiqua servitute liberati sumus . . . . . 190

### DISCURSUS VI.

DE SPUTIS, QUIBUS SACROSANCTUS REDEMPTORIS NOSTRI VULTUS CONSPURCATUS FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Judæi in factum Jesu, tanquam locum vilissimum, sputa sua excrearunt. — 2. Sputis adjunxerunt multas alias injurias. — 3. Conspuitione sua reprobarunt doctrinam Christi. — Sputa Judæorum fœtidissima erant propter hesternam crapulam. — 5. Hæc sputio plurimum aggravat Judæorum scelus. Expenditur quo Christus illuminavit cæcum natum. — 6. Christus consputus fuit, quia noluit Synagogam adoptare in sponsam. — — 7. Qualia Christus nobis reliquerit documenta contumeliam hanc patienter tolerando. Christi faciem conspuunt qui conscientiam fœdis cogitationibus polluunt. Et facies suas colorum pigmentis adulterant. Christus hac contumelia usus est in beneficium nostrum. Sputa designant blasphemias falsorum Christianorum. Christi patientia inter sputa Judæorum. Præclarum exemplum in simili casu. — 8. Indigne communicantes conspuunt Christum. Prælati Ecclesiæ sunt facies Christi . . . 193

### DISCURSUS VII.

DE VELO QUO FACIEM CHRISTI OBDUXERUNT.

IDEA SERMONIS. — 1. Judæi in derisum velaverunt faciem Christi. — 2. Hac obvelatione Christus se ostendit Deum spiritualis et sinceri amoris. — 3. Oculi Christi velati fuerunt contra procacem aspectum pomi vetiti. — 4. Insinuat Christus hoc velamine se nolle videre peccata nostra, nec se percutientes. — 5 Impii optarent se a Deo videri non posse, dum peccant. — 6. Faciem Christi velant, ne ejus decore moti in eum sævire non possent. — 7. In pœnam hujus velaminis Judæi manent excæcati. Tam quoad vetus Testamentum quam, et multo magis, quoad novum. — 8. Velaverunt impii oculos Christi quasi ignoraret percussorem suum. Apta similitudo solis nubibus

obvelati. — 9. Peccata nostra velaverunt oculos Christi. — 10. Alia documenta ejusdem relationis. . . . . Pag. 197

DISCURSUS VIII.

DE NEGATIONE SANCTI PETRI ET CHRISTO PETRUM RESPICIENTE DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus toleravit negationem Petri propter nostram salutem. — 2. Lapsus Petri ex variis causis enormis fuit. Petrus debebat fugisse sexum mulierum. Ex tribus causis valde aggravatur negatio Petri. Prima ex modico terrore negavit. Secunda, timore confusionis et verecundiæ negavit Tertia quia pertinaciter negavit. Quarta quia lapsus ille ipsi sæpius a Christo prædictus fuerat. Quinta causa circumstantia temporis. — 3. Non præsumendum est propriis viribus. — 4. Taxatur timiditas Petri. Lapsus Petri provenit ex tepefacto ejus amore. — 5. Sexus muliebris debet semper esse suspectus. — 6. S. Petrus carpitur quod non deseruerit malum consortium. — 7. Periculosus fuit Petro ingressus in aulam Pontificis. — 8. Ex lapsu Petri discimus ut lapsi non desperemus de venia. Petrus labi permissus est, ut disceret peccantibus compati. — 9. Variæ SS. PP. sententiæ de Christi obtutu, conjecto in S. Petrum. — 10. Quare Petrus non defleverit peccatum suum in loco, in quo peccaverat . . . . 201

DISCURSUS IX.

DE CONCILIO MATUTINO, IN QUO, UT CHRISTUM A PILATO CONDEMNARI CURARENT, OMNES PERSONALITER PRÆSENTES, DE ACCUSATIONUM CAPITIBUS DELIBERARUNT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus voluit per varias calumnias et falsas accusationes damnari ad mortem. — 2. Principes sacerdotum summo studio et vigilantia admota laborarunt ut Christum interficerent. Et quare ad hoc per viam judicii processerint. — 3. Judæis a Romanis adempta fuit potestas exequendi sententiam mortis, etiam in reum prolata. Quales accusationes falsas ad Pilatum confinxerint contra Christum. — 4. Adducuntur rationes ob quas Judæi ita acceleraverint ad occidendum Christum. — 5. Alia ratio quare Judæi voluerint Christum condemnari a Pilato. — 6. Alia ejusdem ratio. — 7. Quare omnes principes et magistratus synagogæ, Christum conduxerint ad Pilatum. Principes Judæorum acceleraverunt condemnationem Christi et ejus crucifixionem. — 8. Quare Nicodemus et alii occulti discipuli, in hoc concilio præsentes, se non interposuerint pro Christo. . . . . 204

DISCURSUS X.

DE FALSA JUDÆ PŒNITENTIA ET DESPERATIONE, DEQUE DENARIIS AB EODEM RELATIS, QUIBUSCUM PEREGRINORUM SEPULTURA COEMPTA FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1-2. Quare pœnitentia Judæ non fuerit vera et a Deo acceptata. Veræ pœnitentiæ conditiones et requisita. Pœnitentia Judæ per omnes partes fuit defectuosa. — 3. Judas vendidit Christum pro vilissimo pretio. — 4. Taxatur impietas sacerdotum, Judam rejicientium. — 5. Judas desperatus maluit se suspendere quam a Christo veniam petere. Cur Judas potius laqueo quam alio modo vitam finire voluit. Fuit etiam murmurator. Fuit abusus gratia Dei. Judas fuit primus qui indigne communicavit. — 6. Quare sacerdotes pretium emptionis Christi in Gazophylacium noluerint mittere. — 7. Eadem materia . . . . . 208

TRACTATUS QUARTUS

DE IIS QUÆ CORAM PILATO ET HERODE CIRCA CHRISTUM GESTA SUNT

DISCURSUS I.

QUANTA FUERIT JUDÆORUM, CHRISTUM CORAM PILATO VELUT MALEFACTOREM, ACCUSANTIUM, CALUMNIA, OSTENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Pilato non sufficiebat examen et condemnatio sacerdotum et pontificum sed ipsemet examinare voluit et discutere causam Christi. Hi adduxerant non ad examinandum, sed ad occidendum sine examine Christum Dominum. — 2. Prima falsitas et impostura fuit, quod Christum dedecoraverint nomine malefactoris. — 3. Judæi Christo necem machinabantur, non tanquam ipsorum malefactori sed benefactori. Beata Virgo spem aliquam habuit Christum a congregata plebe a Judæorum liberandum fore. — 4. Pilatus conatus fuit defendere causam Christi, ejusque innocentiam tueri. Christus fuit perpetuus benefactor. — 5. Judæi videntes Pilatum ad Christi liberationem inclinatum, magis exacerbati, majori ira efferbuerunt . . . . . 212

DISCURSUS II.

CHRISTUS CORAM PILATO VINCTUS ADDUCTUS ET VELUT SEDITIOSUS, DIGNITATEMQUE REGIAM AMBIENS, ACCUSATUS, A DUABUS HISCE CALUMNIIS LIBER ET INNOCENS FUISSE OSTENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Qualiter Christus steterit ante Pilatum judicem. — 2. Quare Christum ligatum tradiderunt Pilato. — 3. Expenditur falsitas accusationis, de subversione gentis. — 4. Judæi vel inviti laudant Christum, accusantes eum de commotione populi. — 5. Impostura de tributo Cæsari non dando. — 6. Pro maximo delicto allegant, quod Christus regem se esse dixerit. Hinc Pilatus ansam sumpsit subsannandi Christum. Accusatio illa ostenditur falsa. — 7. Quare Christus interrogaverit Pilatum, an ex semetipso hoc diceret. — 8. Pilatus indigne tulit interrogationem Christi. . . . . 216

## DISCURSUS III.

CHRISTUS REGNUM SUUM DE HOC MUNDO, NON ESSE, CLARE PRONUNCIAT; SIQUIDEM SOLIUS VERITATIS ANNUNCIANDÆ CAUSA IN MUNDUM VENERAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Credentes in Christum sunt regnum ejus. — 2. Christus tanquam homo nobiscum degens in terra, habuit duplex regnum. Quale fuerit Christi regnum in hoc mundo. — 3. Christus venit perversum hujus mundi regnum destruere. — 4. Examinatur sensus istius dictionis. — 5. Christus suo responso satisfecit Pilato. — 6. Christus ad hoc venit in mundum ut doceat veritatem.— 7. Multis in passione Christi conversis, Pilatus mansit in sua cæcitate. Ex aulis Regum et Principum proscripta est veritas. — 8. Taxatur stulta et superstitiosa scrupulositas Pontificum, prætorium ingredi nolentium . . . . . Pag. 219

## DISCURSUS IV.

CUR HEBRÆI OBLATIONEM A PILATO HIS VERBIS FACTAM : SECUNDUM LEGEM VESTRAM ILLUM JUDICATE, NON ACCEPTARINT ; UBI ET INNOCENTIA CHRISTI, A PILATO QUIDEM DECLARATA, NON TAMEN PRO VIRIBUS DEFENSA, PONDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Examinantur rationes quare Pontifices, oblata illis a Pilato potestate, Christum judicare per se noluerint. — 2. Pilatus dedit Judæis potestatem limitatam judicandi et interficiendi Christum. — 3. Judæi sæpius Christum interficere tentarunt. Quare Judæi sine interventu Pilati Christo necem inferre noluerint. — 4. Veritas innocentiæ Christi, testimonium accepit ab ipsismet inimicis suis. — 5. Pilatus multis modis conatus fuit Christum liberare a morte. — 6. Herodes etiam Christum remisit innocentem. — 7. Pilatus graviter deliquit quod Christum innocentem, cum posset, non liberaverit e manibus æmulorum suorum . . . . 223

## DISCURSUS V.

DE SERVATO A CHRISTO CORAM PILATO SILENTIO, DEQUE EJUS MYSTERIIS LATIUS DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Eruuntur mysteria de stupendo Christi silentio coram Pilato. Adducuntur variæ SS. PP. sententiæ circa Christi silentium. — 2. Christus tacuit quia sciebat responsa sua vertenda forte in calumniam. — 3. Silentium Christi probavit illum esse humana conditione superiorem. — 4. Quare Christus quandoque responderit Pilato et quandoque siluerit. — 5. Christus siluit, quia interrogantes ejus responso indigni erant. — 6. Christus silentio satisfecit pro peccatis linguarum nostrarum. — 7. Hoc revelatum fuit B. Angelæ de Fulginio. — 8. Specificantur vitia linguæ immortificatæ. — 9. Christus suo silentio nos docuit mansuetudinem . . . 226

## DISCURSUS VI

DE CHRISTI AD HERODEM REMISSIONE, DEQUE IIS, QUÆ IBIDEM ACCIDERUNT.

IDEA SERMONIS. — 1. Adducuntur rationes, quare Pilatus Christum miserit ad Herodem. — 2. Expenditur iter Christi a domo Pilati, ad domum Herodis. — 3. Variæ redduntur rationes gaudii Herodis de viso Jesu. — 4. Proponuntur quæstiones Christo factæ ab Herode. — 5. Quare Christus non responderit Herodi. — 6. Judæi timuerunt, ne Herodes Christum dimitteret tanquam stultum. — 7. Christus tertio fuit illusus. Doctrina de contemnendis illusionibus. — 8. In quo posita fuerit illusio Herodis.— 9. Quid intelligatur per vestem albam, in qua illusus fuit Christus. Adducuntur vestis albæ mysteria.— 10. Expenditur amicitia facta inter Pilatum et Herodem. . 229

## DISCURSUS VII.

DE MOTIVIS OB QUÆ PILATUS CHRISTUM BARABBÆ INJUSTE OPPOSUIT, LICET EJUS INDE LIBERATIONEM SECUTURA SPERARET. UBI ET DE SACERDOTIBUS POPULUM AD BARABBAM POSCENDUM INSTIGANTIBUS, DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Pilatus omni industria studuit Christum eximere a morte. Motiva invidiæ Judæorum contra Christum. Pilatus sibi persuadere non poterat quod peterent Barabbam. Pilatus tribus modis Christum conatus fuit liberare. — 2. Comparatio Christi cum Barabba detestabilem continuit injustitiam. Barabbas fuit figura Antichristi. — 3. Plebs Judæorum concitata a principibus petierunt dimitti Barabbam. — 4. Rationes afferuntur quibus sacerdotes plebi persuaserunt ut peterent Barabbam. — 5. Quinam illi fuerint qui populum instigarunt ad crucifixionem Christi. — 6. Christus in sua Passione duos homines liberavit a morte . . . . . 233

## DISCURSUS VIII.

CHRISTUS BARABBÆ INDIGNE POSTPOSITUS ET INDE RELUCENS POPULI ILLIUS TOT A DEO BENEFICIIS HONORATI INGRATITUDO, CONSIDERATUR, OB QUAM DEINCEPS ATROCITER CASTIGATUS FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Omnis turba simul incondito clamore petiit dimissionem Barabbæ et crucifixionem Christi. Ignominia illa qua Christum post posuerunt Barabbæ fuit gravissima. — 2. Christus hac ignominia ostendit se alienum a mundano applausu. — 3. Expenditur tempus quo Judæi postularunt Christum crucifigi. — 4. Ingratitudo Judæorum detestabilior redditur ex occasione qua petierunt crucifixionem Christi. Totus magistratus cum omni plebe conjurarunt in mortem Christi. — 5. Populus Hebræus, quem Deus summopere honoravit et dilexit, illum omnino in vili habuit. Christi vilificatio præfigurata fuit in duobus hircis, quorum unus sacrificandus erat. — 6. Assignatur ratio quare Judæi etiamnum in continua versetur inquietudine . 237

## DISCURSUS IX.

DE CONJUGE PILATI, CHRISTI INNOCENTIAM CORAM MARITO SUO CONTESTANTE.

IDEA SERMONIS. — 1. Discutitur somnium uxoris Pilati. — 2. Quales fines habuerit Deus in immissione hujus somnii. — 3. Quare hoc somnium non potius Pilato, quam ejus uxori immissum fuerit. Uxor Pilati præfiguravit Ecclesiam. — 5. Alii opinatur hoc somnium immissum opera dæmonis. — 5. Quare uxor Pilati vetuerit ne contra Christum maritus ejus procederet. — 6. Christus comparatur vermi, quo capitur diabolus. — 7. Judæi in procuranda Christi morte obstinatiores fuerunt ipso diabolo . . . 241

# TRACTATUS QUINTUS

## DE CHRISTI FLAGELLATIONE ET SPINEÆ CORONÆ IN CAPUT EJUS PŒNOSISSIMA IMPRESSIONE

### DISCURSUS I.

SALVATORIS NOSTRI IN PRÆTORIO PILATI ET MONTE CALVARIÆ NUDITAS, VARIAQUE ILLIUS MYSTERIA CONSIDERANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Denudatio Christi fuit maximum ipsius tormentum. Revelationes de Christi denudatione. — 2. Christus majorem dolorem percepit ex sua denudatione, quam durissima flagellatione. Denudatio est probrosissima ignominia. —3. Producitur ultimum argumentum probrosæ nuditatis Christi. — 3. Flamma in fornace Babylonica mitius egit cum tribus pueris, quam Judæi cum Christo. — 4. Christus sua denudationem solvit nuditate Adæ culpam illius in se suscipiens. — 5. In V. L. Christi denudationem præfigurarunt Noe nudatus in tabernaculo. Joseph a fratribus veste spoliatus. — 6. Afferuntur variæ, pulchræ et devotæ nuditatis Christi rationes. — 7. Christum in cruce pendente vehementer puduit suæ nuditati . . . . . Pag. 245

### DISCURSUS II.

INIQUA ET CRUDELIS FUIT PILATI ERGA CHRISTUM COMPASSIO, DUM, UT IPSUM A MORTE LIBERARET, EUM FLAGELLARI PRÆCEPIT. UBI QUANTAM HÆC FLAGELLATIO PERSONÆ ADEO DIGNÆ IGNOMINIAM INTULERIT, PARITER EXPENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Pilati erga Christum prætensa compassio transiit in atrocissimum flagellationis supplicium. — 2. Compassionem Pilati cæcam fuisse et iniquam probatur similitudine. — 3. Per Christi flagellationem incœpit Pilatus declinare a justitia. Alia flagellationis ratio. — 4. Flagellatio Christi injusta fuit tam quoad leges Judæorum, quam Romanorum. — 5. Quod Christus permiserit se quasi vile mancipium flagellis cædi, fuit actus valde heroicus — 6. Christus ex spontanea voluntate admisit flagella. Angeli ex spectaculo flagellationis obtupescunt. Flagella Christo inflicta, nobis debebantur. 249

### DISCURSUS III.

DE COLUMNA CUI CHRISTUS ALLIGATUS FUIT, DEQUE ATROCI FLAGELLATIONIS SUÆ SUPPLICIO.

IDEA SERMONIS. — 1. Non tam Pilatus, quam Christus semetipsum tradidit et columnæ applicuit ad flagellandum. Allusio columnæ qua educti fuerunt filii Israel de Ægypto, ad columnam flagellationis Christi. — 2. Rationes unde colligi possit summa atrocitas hujus flagellationis. — 3. Describuntur flagella triplicia quibus Christus fuit flagellatus. — 4. Christus flagellatus fuit usque ad denudationem. Summa inclementia alligatus fuit ad columnam. Nihil in Christo illæsum permansit, nisi labia et lingua et quare. — 5. Continuata crudelitas flagellationis. — 6. Exempla diversorum Sanctorum flagellationi Christi devotorum, illamque imitantium. . . . . 253

### DISCURSUS IV.

VARIÆ ADDUCUNTUR CONSIDERATIONES ET MORALITATES, QUÆ EX CHRISTI FLAGELLIS ERUUNTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Ictus et vulnera flagellationis fuerunt quasi innumera. — 2. Christi flagellatione reconciliati sumus Deo Patri. — 3. Et propterea cum summo amore et æquanimitate sustinuit illa verbera. Planctus Christi in horto, in flagellatione versus fuit in gaudium. Judæi in flagellando Christum tria ignorabant. — 4. Quomodo Christus ignoraverit suam flagellationem. — 5. Isaac fuit figura Christi. — 6. Documenta ex Christi flagellatione eruta. — 7. Christus sua flagellatione sanctificavit et dulcoravit nostra flagella et tribulationes. Declaratur utilitas flagellorum quibus nos castigat Deus. Peccata assimilantur flagellis . . . . . 257

### DISCURSUS V.

DE CORONÆ SPINEÆ IGNOMINIA, ACERBISSIMISQUE DOLORIBUS.

IDEA SERMONIS. — 1. Ex quo motivo milites Christum coronaverint spinea corona, cum Pilatus hoc non ordinaverit. Synagoga quam Christus plantaverat vineam, produxit spinas, quibus coronatus fuit. — 2. Spinea corona non solum summopere dolorosa, sed etiam Christo valde fuit probrosa et contumeliosa. — 3. Ulterius deducitur contumelia spineæ coronationis. Coronatio spinarum designata fuit per puncturas apum. — 4. Corona spinea contexta fuit in formam pilei. — 5. Quales fuerint spinæ, ex quibus corona compacta fuit. — 6. Examinatur ulterius gravitas hujus supplicii spineæ coronæ. Quam valide corona ipsius capiti et fronti fuerit impressa.—7. Corona spinea capiti Christi ingentes inflixit dolores.— 8. Quomodo fructus colligendi sint ex his spinis. 260

### DISCURSUS VI.

CHRISTUS PER LUDIBRIUM CORONATUS, VERUM SE REGEM ESSE OSTENDIT, DUM POST REPROBATAM SYNAGOGAM IN ECCLESIA REGNARE CŒPIT. UBI ET IPSUM EX SPINIS, UT NOBIS ROSAS CEDERET, SOLAS SIBI PUNCTURAS VINDICASSE, OSTENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus per ludibrium spinis coronatus, attamen ostendit se esse verum Regem. — 2. Corona spinea duplicem inflixit pœnam ludibrium utpote et tormentum. — 3. Coronatio spinea et ludibria adjuncta, ad mysterium fuerunt ordinata. — 4. Corona est signum victoriæ et regii honoris. Per coronam spineam præfigurabatur, quales futuri essent subditi hujus Regis. — 5. Corona spinea composita fuit ex gentilitate. — 6. Christi caput spinis cinctum, significabat Ecclesiam pungentibus spinis cingendam et defendendam. Christus hanc coronationem egregie ultus fuit. Christus assimilatur cani venatico, inter spinas quærenti feram. — 7. Spinæ coronæ Christi Judæos pungunt, nobis vertuntur in rosas. Cum spinea corona Christus in se suscepit omnes nostros labores et ærumnas. — 8. Corona spinea designat regni Ecclesiæ stabilitatem . . . 263

## DISCURSUS VII.

CUM SPINÆ EX QUIBUS CHRISTI CORONA COMPLEXA FUIT NOSTRORUM SINT SYMBOLUM PECCATORUM, AB HIS ILLÆ MERITO NOS COERCERE DEBERENT.

IDEA SERMONIS. — 1. Spinæ capiti Christi impositæ designant humani generis peccata.— 2. Enumerantur vitia quæ caput Christi punxerunt. Major pars nostrorum peccatorum trahit originem a voluptatibus. Christus figuratus fuit per arietem, cornibus spinis implexum. — 3. Corona spinea Christo imposita, minime fuit sublata. Coronatio spinea Christi est medicina nostrorum peccatorum. — 4. Spinæ sunt fructus peccati. — 5. Spinæ torserunt nobiliorem partem corporis Christi. — 6 Consideratio spineæ coronæ efficacissime retrahit nos a peccatis. — 7. Seria consideratio hujus mysterii coronationis, effica cissima est ad hominem convertendum ad Deum Notabilis historia de pastore coronato pugnante cum basilisco. Non deponamus meditationem dominicæ coronationis, ne incidamus in periculum mortis peccati . . . . . Pag. 267

## DISCURSUS VIII.

DE GAUDIO CUM QUO CHRISTUS EX MERO ERGA NOS AMORE, SPINAS CAPITI SUO IMPRIMI PERMISIT, DEQUE GRATITUDINE QUA CHRISTIANUS CHRISTO SPINIS CORONATO GRATUM SE EXHIBERE TENETUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Rubus ardens et non comburens, figuravit Christum spinis coronatum. — 2. Christu ovem perditam quæsivit inter spinas et tribulos Et illas spinas judicabat suas delicias. — 3. Christus spinis coronari voluit ut ostenderet quod cum jubilo pro nobis moreretur. — 4. Christus in holocaustum pro nobis offerendus coronari noluit. — 5. Insigne documentum ex spineæ coronationis mysterio desumptum. Nos sumus corona Christi. Varia SS. exempla, qui noluerunt gestare coronas aureas. Quomodo S. Liduina coronam suam imperfectam perfecit. Tanquam Christiani, amemus coronari ludibriis et sannis malorum hominum . . . . . 270

## DISCURSUS IX.

OMNES OLIM ADINVENTÆ CORONÆ, CHRISTO JURE MERITO CONVENIEBANT ; UBI ET VARIÆ CIRCA HUJUS CORONÆ SPINAS MORALITATES ADDUCUNTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus triplici regno devicto, promeruit coronam triumphalem. Etiam tria nova regna fundavit. — 2. Quare Sancti depinguntur coronati quodam scuto in capite. — 3. Christus etiam promeruit coronam obsidionalem. — 4. Et coronam civicam. — 5. Sicuti etiam coronam muralem. — 6. Coronam castrensem. — 7. Ac denique navalem. Aliæ ejusdem coronæ spineæ in die Parasceves rubescere. Quomodo coronationem Christi recompensare possimus. — 8. Adducitur triplex spiritualium spinarum genus. Sub spinis divitiarum latet omne peccatorum genus. — 9. Quinam Prælati in coronam Christi plectant spineam. — 10. Quidam Novitius Capuccinus visus fuit in prandio non nisi spinas manducare . . . . . 274

## DISCURSUS X.

DE CHLAMYDE COCCINEA ET PURPUREA, QUA CHRISTUS PER LUDIBRIUM INDUTUS FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Judæi imposuerunt Christo in improperium chlamydem coccineam. — 2. Funiculus coccineus Rahab fuit figura coccinei chlamydis Christo impositæ. Chlamys coccinea designat opera cruenta Gentium. — 3. Purpura Christi significabat peccata humani generis. — 4. Chlamys purpurea præsagiebat passiones Martyrum. — 5. Christus in purpura derisus, operabatur salutem nostram. Vestis illa purpurea fuit tincta cocco. — 6. In veste illa purpurea designabatur excessivus Christi amor. — 7. Quomodo Ecclesiastici Christum illudant. . 277

## DISCURSUS XI.

ARUNDINIS CHRISTI MANIBUS INSERTÆ, QUA ET CAPUT EJUS PERCUTIEBANT, MYSTERIA ENUCLEANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Loco sceptri datur in manu Christ arundo in derisionem. — 2. De hac arundine nulla in sacris litteris reperiuntur vaticinia. — 3. Ludibrio arundinis additus fuit dolor acerbissimus in percussione capitis. Acceptatio arundinis a Christo fuit actus admirandæ virtutis et obedientiæ. Quinam percutiant caput Christi arundine. — 4. Arundo est symbolum peccatorum et hypocritarum. — 5. Arundo contraria est serpentibus. — 6. Arundo illa fuit vera figura Synagogæ. — 7. Judæi ob ludibrium et percussionem arundinis, in summas inciderunt calamitates. . . . . 281

## DISCURSUS XII.

LUDIBRIORUM, QUIBUS MILITES CHRISTO INSULTARUNT, PONDUS ET GRAVITAS CONSIDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus plusqnam omnia alia tormenta sensit ludibria, quibus illusus fuit. Ludibria illa tendebant in summam famæ et existimationis Christi vilipensionem. — 2. Christus invitat cœlum et terram ut videant quam indignis modis illudatur a Judæis. — 3. David mansuetissimus æquo animo non tulit irrisiones. — 4. Deridentes Christum plurimi fuerunt. Novem modis Christus fuit derisus. Aliæ descriptiones hujus derisionis. — 5. Sampson, quoad hanc derisionem ejusque pœnam, fuit figura Christi. — 6. Quibus pœnis ultus fuerit Deus illas derisiones. — 7. Documenta ex hac derisione . 284

## DISCURSUS XIII.

DE VARIIS INSULTIBUS, DERISIONIBUS ET VERBERIBUS, SALVATORI NOSTRO INFLICTIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Quinam cum Judæis Christum falso et derisorie adorent. — 2. Mysteria ludicræ salutationis Christi. — 3. Qualia munera obtulerint Judæi Christo, quem salutarunt Regem. — 4. Quinam cum Judæis Christum colaphizent. — 5. Quibus instrumentts Christus fuerit colaphizatus. In hac illusione etiam pili barbæ Christo evulsi fuerunt. Evulsio ista pilorum cessit Christo in maximum dolorem et ignominiam. — 7. Judæi percusserunt Christi faciem velatam, Gentiles apertam. — 8. Christus pro quibuslibet hominum peccatis passus est, et satisfecit. . . . . 288

DISCURSUS XIV.

PILATUM PER VERBA ILLA : ECCE HOMO, JUDÆOS AD COMPASSIONEM EXCITARE, LICET IRRITO EVENTU, CONNISUM FUISSE, OSTENDITUR. UBI ET NONNULLA HUJUS VOCIS HOMO IN PERSONA REDEMPTORIS MYSTERIA CONSIDERANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Pilatus ostendit Judæis Christum prorsus excarnificatum ut illos moveat ad compassionem, sed frustra. — 2. Quid Pilatus hoc verbo : Ecce homo, intenderit et dicere voluerit. — 3. Pilatus hoc actu a Judæis intendit amovere omnem suspicionem affectati regni. Judæi inhumaniores fuerunt erga Christum, quam fratres Joseph contra ipsum Joseph. — 4. Christus in hac ostensione ita deformatus fuit, ut vix pro homine agnosci potuerit. — 5. Christus per antonomasiam dictus fuit homo. — 6. Per illud : Ecce homo, designabatur Redemptor hominum, Deus homo. Paralyticus 38 annos infirmus, designabat genus humanum.— 7. Quomodo Christus paralyticum, genus humanum curaverit. Pag. 292

DISCURSUS XV.

CIRCA ILLA VERBA : ECCE HOMO, DIVERSÆ CONSIDERATIONES INSTITUUNTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Ad illud : Ecce homo, crudelissimi Judæi magis furere cœperunt, instar famelici leonis. — 2. Judæi comparantur crudelissimis feris et elephantis.— 3. Judæi sunt crudeliores Saule, sitienti sanguinem Davidis. — 4. Pilatus putabat Christum purum esse hominem. Pilatus illo verbo voluit illudere Judæis. — 5. Christus in passione sua divinitatem suam omnimode occultavit. — 6. Ecce homo, designata fuit elevatio hostiæ in missa.— 7. Christus in hoc actu omnibus ostensus fuit ut exemplar et norma ad imitandum. — 8. In illo : Ecce homo, discimus pati et non deliciari . . . . . 295

DISCURSUS XVI.

PONTIFICES POPULUM AD POSTULANDAM CHRISTI CRUCIFIXIONEM EXCITANT : PILATUS VERO ACCUSATIONEM AUDIENS, QUA CHRISTUM SE FILIUM DEI FACERE VOLUISSE ASSEREBATUR, TIMORE PERCELLITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Pontifices viso Christo crudelius sævierunt. — 2. Pontifices qui debuissent Christum innocentem defendere primi illum deposcunt ad mortem. — 3. Judæis bis ingeminant : Crucifige, quo ostendunt quantum sitiant Christi sanguinem. — 4. Pilatus abhorruit tradere Christum ad crucifigendum. — 5. Judæi judicant Christum morte dignum, eo quod se filium Dei dixerit. — 6. Pontifices falso allegabant legem contra Christum. — 7. Pilatus Christum damnare timuit, suspicans in illo esse aliquid divinum. Pilatus habuit aliqualem notitiam divinitatis Christi. Pilatus timuit ne forte grave crimen commisisset, permittendo Christum flagellari et spinis coronari . . . . . 298

DISCURSUS XVII.

NONNULLA SILENTII CHRISTI, DUM A PILATO, AN FILIUS DEI ESSET, INTERROGARETUR, EXAMINANTUR MYSTERIA.

IDEA SERMONIS. — 1. Discutiuntur rationes quare Pilatus Christum examinaverit et circa quid. — 2. Inquiritur causa cur Christus Pilato, de ejus divinitate inquirenti responsum non dederit. Pilatus ex fastu et superbia interrogavit Christum. — 3. Adducuntur alia motiva Christi silentii. Christus siluit ne dimitteretur et redemptio nostra differretur. — 4. Christus tanquam agnus mansuetus non aperuit os suum. Hoc Christi silentium docet nos criminationes patienter ferre. — 5. Pilatus indignatus fuit ob silentium Christi. Pilatus ex modo loquendi ostendit se esse judicem injustum. — 6. Christus suo responso reprimit superbiam et jactantiam Pilati . . . 302

DISCURSUS XVIII.

PILATUS EX TIMORE, NE E GRATIA CÆSARIS EXCIDERET, A PROPOSITO CHRISTUM LIBERANDI ABREPTUS FUIT, MAXIME QUANDO JUDÆI SE NULLUM PRÆTER CÆSAREM REGEM HABERE PROTESTABANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Expenditur motivum ex quo Pilatus voluerit dimittere Christum. — 2. Pilatus timore amittendæ gratiæ Cæsaris condemnavit Christum ad mortem. — 3. Continuatur idem argumentum timoris Pilati. Ostenditur timorem Pilati in hoc puncto fuisse vanum. — 4. Pilatus multis timoribus agitatus fuit. Multis modis conatus fuit Christum liberare. Prævaluit tamen timor perdendæ gratiæ Cæsaris. — 5-6. Pilatus irridet Judæos. — 7. Judæi illis verbis renunciarunt Moysi et Prophetis. Judæi ex odio in Jesum subjecerunt se sponte perpetuæ servituti Romanorum . . . . . 305

DISCURSUS XIX.

PILATI CHRISTUM MORTIS CONDEMNANTIS INJUSTITIA DECLARATUR, NON OBSTANTE QUOD MANUS SUAS LAVANDO IPSUM INNOCENTEM DECLARARIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Pilatus tertio protestatus fuit Christum esse innocentem.— 2. Pilatus fatue putavit ablutione manuum se innocentem esse de morte Christi. — 3. Pilatus non timuit manus suas cruentare in sanguine Christi. Perstringitur Pilatus de injusta condemnatione Christi. — 4. Excusatio Pilati fuit maxima blasphemia. Christi doctrina imperatori et reipublicæ non obfuit, sed profuit.— 5. Pilatus, dicendo *innocens ego sum*, seipsum constituit necem mortis Christi. — 6. Omnes Judæi unanimes fuerunt in procuranda Christi morte. Pilatus injustissime Christum tradidit voluntati Judæorum. 309

DISCURSUS XX.

JUDÆIS SANGUINIS CHRISTI INNOCENTISSIMI, AB IPSIS CRUDELITER EFFUSI, CULPAM ET PŒNAM SIBI SUISQUE POSTERIS ARROGARUNT DICENTES : SANGUIS EJUS SUPER NOS ET SUPER FILIOS NOSTROS ; AC PROINDE IN HODIERNUM USQUE DIEM DIGNA LUERE SUPPLICIA COGUNTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Judæi quasi rabidi canes, sitiebant sanguinem Christi. — 2. Judæi Pilato exemerunt scrupulum conscientiæ. — 3. Judæi omnem culpam effusi sanguinis Christi in se susceperunt — 4. Non obstante hac imprecatione, multi Judæorum, cum filiis conversi et salvati fuerunt. — 5. Quomodo Christiani dicere possint, sanguis ejus super nos. Symbola varia hujus imprecationis verificatæ in Judæis. — 6. Imprecatio illa Judæorum fuit scelesta specialiter quoad filios eorum. Imprecationem illam experti sunt in se impletam in excidio Hierosolymitano. — 7. Judæi inexcusabiles sunt de nece Christo illata.—8. Examinatur hora crucifixionis Christi. 312

# TRACTATUS SEXTUS

## DE CHRISTI REDEMPTORIS NOSTRI CRUCIFIXIONE

### DISCURSUS I.

MAGNUS CHRISTI DOLOR CONSIDERATUR, QUEM SUBIIT, DUM PURPURA EXUTUS, SUIS DENUO REVESTIRETUR INDUMENTIS ; ET QUÆ TAM IN HOC, QUAM IN EJUS EX URBE HIEROSOLYMITANA EGRESSUS, UT CRUCIFIGERETUR, LATEANT MYSTERIA, OSTENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Spoliatio chlamydis, vulneribus Christi infixæ, fuit gravissimum tormentum. — 2. Christo chlamydem cum maximo impetu et crudelitate extraxerunt. — 3. Quare Christum exuerint chlamyde et suis induerint vestibus. — 4. Quare Christus in alienis illudi, et in propriis vestibus educi voluerit ad crucifigendum. Moralia documenta ex hac vestium mutatione. In propriis vestibus educitur Christus ut ab omnibus melius agnoscatur. — 5. Quare extra civitatem educi et pati voluerit Christus. — 6. Aliæ adducuntur rationes quare extra civitatem pati voluerit Christus. Isaac præfigurat hanc Christi eductionem. — 7. Diversitas ductionis Judæorum ex Ægypto et eductionis Christi ex civitate, discutitur. Alia hujus eductionis ratio. . Pag. 316

### DISCURSUS II

NONNULLÆ A S. THOMA TRADITÆ, ALIORUMQUE SS. PATRUM AUCTORITATIBUS CONFIRMATÆ, ADDUCUNTUR RATIONES CUR CHRISTUS INTER ALIA MORTIS SUPPLICIA CRUCEM ELEGERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Quare Christus mori voluerit in cruce et non alio mortis genere. — 2. Ut nobis daret exemplum virtutis. — 3. Quia hoc genus mortis conveniens erat pro satisfactione peccati primi parentis. — 4. Ut natura aeris etiam mundaretur. — 5. Ut in alto consistens nobis pararet ascensum in cœlum. — 6. Quare sic competebat universali salvationi totius mundi. — 7. Quia per hoc genus mortis diversæ virtutes designantur. — 8. Quia hoc genus mortis plurimis figuris respondit. Diversæ aliæ figuræ in hoc, mortis genere impletæ fuerunt. Prophetica visio de Christi morte, in cruce consummata. . . . . 319

### DISCURSUS III.

ALIA RECENSENTUR MYSTERIA, OB QUÆ IN CRUCE MORI VOLUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Alia mysteria Christi cruce impleta. — 2. Oblationes sacrificiorum olim in altum elevabantur. — 3. Quare Christus non alio mortis genere quam crucis, mori voluerit. — 4. Christus in cruce triumphavit de hoste humani generis. Christus diabolum vicit propriis ipsius armis. Magna gloria redundavit in Christum ex patibulo crucis. — 5. Christus expansis brachiis in cruce mori voluit, paratus ad nos suscipiendos et amplexandos. — 6. Mors crucis fuit ignominiosissima. — 7. Mors crucis convenientissima fuit ad sanandas miserias nostras. Mors crucis atrocissima fuit. . . . . 322

### DISCURSUS IV

EXCESSIVUS DOLOR, QUEM CHRISTUS INGENS CRUCIS PONDUS, JAM TOTALITER DEBILITATUS, ATROCIBUSQUE TOTO CORPORE VULNERIBUS SAUCIUS, PORTANDO SUSTINUIT, CONSIDERATUR.

IDEA SERMONIS.— 1. Expenduntur dolores maximi quos Christus perpessus fuit in bajulatione crucis.— 2. Occasione bajulationis crucis, expenditur quidam textus Jobi Prophetæ. Discurritur, ulterius de extremis doloribus et afflictionibus bajulationis crucis. — 3. Ministri crucifixionis Christi urserunt illum ex jussione sacerdotum, ut celerius incederet. Enumerantur alia, quæ Christus in bajulatione crucis passus fuit. — 4. Pondus S. Crucis non fuit ex se immensum; aggravarunt autem illam supra modum peccata nostra . . . . . 325

### DISCURSUS V.

DE IGNOMINIA, QUÆ REDEMPTORI PER HOC INUSTA FUIT, QUOD IN MEDIO DUORUM LATRONUM SOLUS IPSE CRUCEM FERENDO, AD MONTEM CALVARIÆ PROCEDERE FUIT COACTUS; DEQUE PERPESSIS IN HAC VIA INSULTIBUS, NEC NON DE DUORUM HORUM LATRONUM LATENTIBUS MYSTERIIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Eductio Christi inter duos latrones fuit supra modum ignominiosa. Ut Christus majori afficeretur infamia, ipsemet crucem suam portare coactus fuit, a quo latrones fuerunt liberi. — 2. Qualia Christo tunc improperia fuerint objecta. — 3. Quicquid Judæi ad infamandum Christum excogitare potuerunt, hoc executioni mandarunt, associando illum scelestissimis latronibus. — 4. Christus moritur inter latrones, ut ostendat se mori pro omnibus peccatoribus. — 5. Duo latrones repræsentabant duos populos, Hebræum et gentilem. — 6. Crucifixio inter latrones fuit inventum insolentiæ militum. — 7. Fuit excogitata a diabolo. — 8. Christus sua morte furtum protoparentum inter latrones exsolvit. Per mortem Christi, cœlum apertum est . . . . . 329

### DISCURSUS VI

EX SIMONE CYRENEO QUI CHRISTUM IN CRUCE PORTANDA JUVIT, VARIE ERUUNTUR MORALITATES

IDEA SERMONIS. — 1. Fit comparatio inter Christum et Sampsonem. — 2. Cur S. Joannes Evang. non fecerit mentionem Sim. Cyrenæi.— 3. Simon Cyr. fuit coactus ferre crucem Christi, ne Christus sub crucis onere moreretur et sic evaderet crucis ignominiam. Crux primo imposita est Christo, deinde Simoni ut sequamur vestigia Christi. Confirmatur exemplo. — 4. In Simone figurabantur gentiles ad communicationem crucis per fidem venturi. — 5. Sicut Manasses amisit suam hæreditatem, ita et populus Israeliticus. — 6. Exacte describuntur circumstantiæ Simonis Cyrenæi, in portanda cruce Christi propter latentia ibidem mysteria. Crux Christi licet in se sit aspera, ob amorem tamen ejus portata suavis efficitur. — 7. Simon felix denuntiatur a portatione crucis Christi

— 8. Hypocritæ perstringuntur. — 9. Crux nobis debita a Christo portata est. Passio Christi nobis nihil prodest, nisi et nos cooperemur. — 10. — Deus non patitur homines ultra vires tentari . . . Pag. 332

## DISCURSUS VII.

DE VARIIS FINIBUS, OB QUOS MULTI CHRISTUM SEQUEBANTUR; QUI NON SINE MYSTERIO FILIAS JERUSALEM, UT SUPER SEIPSAS FLERENT, PATERNE COMMONUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Describuntur varii fines propter quos tanta turba Christum passur um fuit insecuta — 2. Quare Christus jam fuerit locutus cum his mulieribus, non obstante altissimo silentio in prioribus calumniis. Quare Christus prohibet mulieres illas super se flere. — 3. Salubre est pro peccatis et pro affectu flere. — 4. Charitas incipit a seipso. — 5. Jerusalem propter ingratitudinem funditus eversa est. Describuntur virtutes Christi ab ipso factæ. 337

## DISCURSUS VIII.

CUR CHRISTUS IN MONTE ET JEROSOLYMIS, AC SUPER CALVARIÆ MONTE MORI VOLUERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Deducitur a parabola, cur Christus in monte pati voluerit. — 2. Cur Christus Hierosolymis et non alibi passionem suam consummare voluerit. — 3. Christus operatus est salutem humanam in monte Golgothæo, qui est verum centrum terræ. — 4. Passio Christi ingravescit ex loco et consortio. Quia Christus pro peccatoribus moriebatur in loco malefactorum mori voluit. — 5. Juxta plerosque Doctores ideo Christus in monte Calvariæ passus fuit, quia ibi sepultus fuerat Adam. . . . . 341

## DISCURSUS IX

CHRISTI CRUCIFIXIO PER VARIAS PONDERATIONES EXAMINATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Quare tam paucis verbis sacri Evangelistæ Christi crucifixionem descripserint. — 2. Denudatio Christi ante crucifixionem fuit cum magno pudore et dolore. Dolor in extractione vestium et in dirissima affixione Crucis. — 3. Discurritur de modo crucifixionis. — 4. Discutitur numerus clavorum. Christus in cruce suspensus maximum dolorem passus fuit in ossiculis pectoris. — 5. In erectione crucis dolores acerbissimi Christi renovati fuerunt. — 6. Quænam dolores Christi crucifixi reddiderint acerbiores præ aliis. — 7. Christus ut peccata nostra lueret, clavis confixus fuit. . . . . 345

## DISCURSUS X.

DE TITULO ET INSCRIPTIONE CRUCI SUPERIMPOSITA, CUI SE OPPONENTIBUS JUDÆIS, PILATUS RESPONDIT: QUOD SCRIPSI, SCRIPSI.

IDEA SERMONIS. — 1. Qua sententia Pilatus Christum condemnaverit. Examinantur rationes tituli cruci impositi. — 2. Titulo crucis noluit Pilatus ignominia notare Judæos. — 3. In hoc titulo formando aliud fuit motivum Spiritus Sancti, aliud vero Pilati. Tria titulorum adducuntur genera, in hoc titulo conclusa. — 4. Titulus ille continebat causam mortis Christi. — 5. Multi Judæorum comitati legerunt titulum illum. — 6. Rationes adducuntur quare hic titulus in tribus linguis fuerit conscriptus. — 7. Lingua latina obtinuit in hoc titulo locum digniorem, utpote capiti Christi viciniorem. — 8. Quo motivo Judæis huic titulo se opposuerint . . . . . 348

## DISCURSUS XI.

DE VESTIMENTORUM CHRISTI DIVISIONE, NEC NON DE VESTE INCONSUTILI INDIVISA RELICTA

IDEA SERMONIS. — 1. Omnes Evangelistæ mentionem faciunt divisionis vestimentorum Christi tanquam rei valde indignæ. B. Virgo Christum nudatum texit velo capitis sui. — 2. Christus tanquam homo vilissimus spoliatur vestibus antequam crucifigatur. Hinc vestium expoliationis rationes et mysteria afferuntur. — 3. Mysteria nuditatis Christi, in cruce pendentis afferuntur. — 4. Christus cum hostibus luctaturus, vestimenta abjecit, ne succumberet. — 5. Vestimenta Christi vilia fuerunt et nullius valoris. — 6. Christi vestes dividentes noverant illarum attactu facta fuisse miracula. — 7. Per vestes Christi in quatuor partes divisas, intelligi possunt Judæi per omnes mundi partes dispersi — 8. Variæ afferuntur figuræ et mysteria et significationes tunicæ inconsutilis. — 9. Quid designet quod tunica inconsutilis non in alicujus Judæi, sed militis gentilis manibus remanserit . . . . . 351

## DISCURSUS XII.

TORMENTUM, QUOD CHRISTUS EX INSULTIBUS, IMPROPERIIS ET LUDIBRIIS, QUIBUS IN MONTE CALVARIÆ AFFICIEBATUR, PASSUS FUIT, CONSIDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Impii Judæi supplicium Christi, jam crucifixi, derisionibus exasperabant per maximam sævitiem. Christus deridetur a quatuor hominum generibus. Tormenta Christi augebantur plurimum ex eo quod a personis abjectissimis derideretur. Taxatur extrema Pontificum et sacerdotum malitia, quod in tali festo simili incumberent illusioni Christi, innocenter patientis. — 2. Quinam fuerunt qui prætereuntes Christum blasphemarint. — 3. Significatio moralis hujus motus capitis. Pœna Judæis inflicta propter hunc capitis motum. — 4. Objiciunt Christo Judæi comminationem destructionis templi. — 5. Christus pro peccatis nostrarum aurium patitur has subsannationes. — 6. Alia moralitas improperiorum Christi . . . . . 355

## DISCURSUS XIII

CUR CHRISTUS, JUDÆIS SE IN EUM CREDITUROS ESSE, SI DE CRUCE DESCENDERET, PROMITTENTIBUS, E CRUCE DESCENDERE, SEQUE AB ILLA TANQUAM DEI FILIUS LIBERARE NOLUERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Judæi Christum crucifixum deridentde tribus. — 2. Judæi eisdem verbis vel inviti perhibent testimonium veritatis miraculis Christi. — 3. Quare Christus Israel de cruce descendere nec voluerit, nec debuerit. — 4. Judæi fraudulenter dicebant se credituros Christum si descenderet de cruce. Quare diabolus non diu ante impedierit passionem Christi. Christus assimilatur medico, cujus est alios sanare. — 5. Christus in cruce permanens dedit nobis solidum exemplum patientiæ et perseverantiæ. — 6. Quia Pater filium suum in mundum miserat ut nos per mortem crucis redimeret liberare eum noluit. Ex eo quod Deus justos affictos non liberet, non sequitur illos esse injustos. — 7. Diabolus nobis conatur in adversis nobis persuadere Deum nos dereliquisse. . . . . 358

# TRACTATUS SEPTIMUS

## DE DUOBUS CUM CHRISTO CRUCIFIXIS LATRONIBUS, PRÆCIPUE VERO DE BONO AC JUSTO LATRONE

### DISCURSUS I.

AMBO QUIDEM LATRONES CHRISTUM A PRINCIPIO SUNT INJURIATI, EX HIS TAMEN BONUS LATRO TANDEM RESIPUIT; UBI VARIÆ CIRCA REPROBUM LATRONEM INSTITUUNTUR CONSIDERATIONES.

IDEA SERMONIS. — 1. Discutitur utrum unus tantum vel ambo latrones Christum convitiati fuerint. — 2. Communior opinio est initio ambos convitiasse, postea unum conversum, pœnituisse. Inquiritur ratio cur unus latronum salvatus, alter damnatus fuerit. Malus latro occlusit cor omnibus inspirationibus divinis et correctionibus suis sodalis. Christus in bono latrone ostendere voluit efficaciam gratiæ divinæ. — 3. Malus latro typus fuit Hebraismi, bonus vero Gentilis populi typus. Applicatur historia V. Testamenti. — 4. Malus latro exaudiri non meruit ob duplicem errorem. Malus latro solam præsentis vitæ quærebat salutem. — 5. Omnes homines et boni et mali habent suas cruces sed diversa ratione. — 6. Hi duo latrones designant bonos et falsos Christianos. . . . . Pag. 363

### DISCURSUS II.

MAGIS NOS TERREFACERE DEBET REPROBI LATRONIS DESPERATIO, QUAM BONUS SPEM NOBIS AD PROCRASTINANDAM PŒNITENTIAM SUGGERERE POSSIT; SIQUIDEM EXEMPLUM HOC OMNI CARET EXEMPLO.

IDEA SERMONIS. — 1. Qui ad exemplum mali latronis procrastinant pœnitentiam, tandem e Paradiso excludentur. — 2. Licet Christus ipsemet canonizaverit bonum Latronem attamen S. M. Ecclesia nullam ei exhibet specialem venerationem et qua de causa. — 3. Bonus latro conversionem suam non distulit ad ultimum vitæ. Adducitur parabola conductorum ad laborandum in vinea. — 4. Ad salutem necessaria est districta compunctio. Bonus latro brevi tempore multos heroicos actus exercendo, salutem promeruit. — 5. Quare Christus sub juramento latroni promiserit paradisum. . . . . 366

### DISCURSUS III.

BONI LATRONIS ZELUS, QUEM IN CORRIGENDO SODALEM EJUSQUE ANIMAM LUCRARI SATAGENDO, OSTENDIT, NEC NON TIMOR, QUEM ERGA DEUM EXHIBUIT, CONSIDERANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Accurate expenditur correptio qua bonus latro corripuit malum. — 2. Bonus latro prompte adimplevit Christi præceptum de correptione fraterna. Bonus latro per hanc correptionem socii acquisivit amicitiam Christi. — 3. Zelus animarum est gratissimum Deo sacrificium. — 4. Bonus latro propria necessitate dilata, quæsivit salutem socii. Bonus latro in cruce fuit prædicator.—5. Bonus latro a timore Dei exorsus fuit operari suam salutem. — 6. Timor Dei disposuit bonum latronem ad infusionem charitatis. . . . . 369

### DISCURSUS IV

CONFESSIO QUAM BONUS LATRO DE PECCATIS SUIS FECIT, CHRISTO SUPRA MODUM GRATA IPSI VERO PLURIBUS EX CAPITIBUS UTILIS FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Bonus latro totum obtulit Deo quod liberum habuit, cor et linguam. — 2. Ostenditur quantum valeat sincera peccati confessio ad impetrandam veniam. — 3. Bonus latro peccatorum venia obtenta, adhuc considerabat se juste puniri. — 4. Omnes conantur peccata occultare propter deformitatem illorum. — 5. Ex nostris peccatis cum hoc latrone nobis scalam possumus facere ad ascendendum in cœlum. Confessio boni latronis habuit tres conditiones veri pœnitentis. — 6. Ambo latrones in cruce Christo supervixerunt ad duas horas. In quibus tam a socio quam ab aliis impetitus fuit multis improperiis et ludibriis bonus latro . . . 372

### DISCURSUS V.

BONUS LATRO EX EO QUOD CHRISTUM IN MONTE CALVARIÆ ANIMOSE DEFENDERIT, EJUSQUE INNOCENTIAM ANIMOSE DEPRÆCAVERIT, MAGNOPERE LAUDATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Summis laudibus extollitur bonus latro quod Christum in cruce tam animose defenderit. — 2. Synagoga intendebat mundo persuadere Christum esse verum latronem. Sed bonus latro hoc eorum consilium confudit, declarando ejus innocentiam. — 3. Aperitur mysterium temporis et occasionis quo hic latro Christi patrocinium in se suscepit. — 4. Hoc testimonium boni latronis tali tempore prolatum ex jure magnam apud omnes merebatur fidem. Bonus hic latro ex latrone factus est Evangelista. — 5. Bonus latro factus tutor Christi. — 6. Disputatur unde hic latro cognoverit Christum nihil mali fecisse. Hic latro fuit Petrus in cruce et Petrus in domo Caiphæ latro fuit. — 7. Bonus latro primus et solus fuit qui Christi in cruce pendentis innocentiam curatus est. — 8. Boni latronis constantia confertur constantiæ S. Thomæ et aliorum Apostolorum. Bonus latro suo testimonio condemnavit Pilatum, totamque Synagogam de summa injustitia in condemnatione Christi . . . . . 375

### DISCURSUS VI.

BONUS LATRO FIDEM SUAM EGREGIE PROBAVIT, MAXIME CHRISTI MANIFESTANDO DIVINITATEM.

IDEA SERMONIS. — 1. Bonus latro omnibus Christum calumniantibus, ipsius divinitatem et innocentiam confessus fuit. — 2. Conferuntur ad invicem confessio Petri et hujus latronis circa divinitatem Christi. Quo tempore bonus latro hanc confessionem fecerit. — 3. Bonus latro Christum ab omnibus et condemnatum et summe afflictum Deum et Dominum confitetur. — 4. Bonus latro a Propheta designatus fuit per bestiam agri Deum glorificantem. Bonus latro Christum confitetur Regem quem non audierat præ

dicantem, nec viderat miracula facientem. Fides boni latronis maxima fuit et valde meritoria. — 6. Christus a nemine tam perspicue proclamatus fuit Rex paradisi, quam a bono latrone. — 7. Bonus latro firmissima fide credidit et confessus fuit Christum Regem et absolutum esse Dominum cœlestis regni. Comparatur fides illius fidei SS. Marthæ et Petri. Bonus latro præcipua accusationis synagogæ puncta, contra Christum evacuavit . . . . . Pag. 379

DISCURSUS VII.

VARIÆ CIRCA BONI LATRONIS FIDEM, ALIOSQUE VIRTUTUM ACTUS, INSTITUUNTUR CONSIDERATIONES.

IDEA SERMONIS. — 1. Bonus latro sua confessione confudit obstinationem Hebræorum. — 2. Quando Petrus Christum negaverit. Et quando bonus latro illum confessus fuerit. — 3. Malus latro malam vitam pejori morte finivit. Quomodo bonus latro tam sublimam Theologiam addiscere potuerit. — 4. Fides boni latronis comparatur fidei trium SS. Magorum Et Centurionis. — 5. B. latro cognovit Deum esse scrutatorem cordium et renum. — 6. Bonus latro factus fuit Evangelista. — 7. Alii admirabiles actus hujus latronis recensentur. . . . . 383

DISCURSUS VIII.

DE QUIBUSDAM INDICIIS, EX QUIBUS BONUS LATRO IN DIVINITATIS CHRISTI NOTITIAM DEVENIRE POTUIT, DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Quibus indiciis bonus latro convictus Christum agnoverit esse filium Dei et Dominum regni cœlorum. — 2. Obscurato sole, commota terra scissisque petris, agnovit latro Christi divinitatem. — 3. Bonus latro audiens Christum orantem pro suis crucifixoribus certo sibi persuasit illum esse filium Dei. — 4. Ex dilectione inimicorum suorum ostendit Christus se vere esse filium Dei. Exemplum Davidis erga Saulem. — 5. Mira Christi patientia persuasit latroni Christum verum esse Deum et Regem gloriæ. — 6. Sufferentia improperiorum, ludibriorum et convitiorum declararunt Christi divinitatem. — 7. Bonus latro collata invicem Christi innocenti vita et miraculis, et patientia in morte, conclusit illum esse Deum. — 8. Primarius impulsus cognitionis divinitatis Christi, fuit gratia et illuminatio Spiritus Sancti . . . . . 386

DISCURSUS IX.

BONUS LATRO, EX TRIPLICI, FLUMINIS SCILICET, SANGUINIS ET FLAMINIS, BAPTISMATE MUNDATUS FUIT, UT PARADISUM SIBI COMPARARET, UBI ALIA QUOQUE EJUS MERITA CONSIDERANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Bonus latro potest dici ablutus triplici Baptismo. Bonus latro factus fuit martyr. — 2. Bonus latro fuit primus Evangelicæ legis martyr. — 3. Fuit mundatus pariter baptismo flaminis. — 4. Magna fuit etiam fiducia et spes boni latronis de obtinenda venia. Comparantur ad invicem peccata boni latronis et S. M. Mag. — 5. Extollitur confessio boni latronis. — 6. Comparatio boni latronis cum Semei. — 7. Bonus latro per pœnitentiam violenter rapuit regnum cœlorum. — 8. Quomodo bonus latro temperaverit Christi dolores in cruce pendentis. Conversio hujus latronis et aliorum peccatorum causat jubilum Christo. — 9. Christus quatuor ipsum alloquentibus in cruce, solo bono latroni respondit . . . . . 390

DISCURSUS X.

NONNULLÆ ADDUCUNTUR PRÆROGATIVÆ, QUIBUS LATRO IN SUA CONVERSIONE FUIT GAVISUS ; SCILICET BEATISSIMÆ VIRGINIS PATROCINIO, CHRISTI UMBRA, ET DEXTERA, NEC NON CRUCIS SUÆ AD CRUCEM SALVATORIS PROPINQUITATE.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus in conversione boni latronis mirabiles conjunxit eventuum circumstantias. — 2. Bonus latro præfigurabat protoparentem nostrum. — 3. Mirabilis historia de bono latrone. — B. Virgo in monte Calvariæ fuit mediatrix inter bonum latronem et filium suum illique impetravit salutem. Et hoc ex motivo gratitudinis. — 5. Bonus latro magnam habuit prærogativam quod ad dexteram Christi fuerit crucifixus. — 6. Quæstio ventilatur an bonus latro paradisum intraverit per portam an per fenestram. — 7. Christus in cruce prius locutus fuit latroni, quam matri suæ. — 8. Bonus latro pendens a dextris, designat electos constituendos a dextris in judicio. — 9. Umbra corporis Christi in cruce pendentis, latronem tangens illum convertit. — 10. Christus primus cruci affixus fuit. — 11. Multum conduxit bono latroni quod in ligno crucis mortuus fuerit. . . . . 394

DISCURSUS XI.

ALIÆ CONSIDERANTUR COMBINATIONES, QUÆ IN HUJUS LATRONIS CONVERSIONE OCCURRERUNT.

IDEA SERMONIS. — 1. Bonus latro egregie usus fuit arte furandi. — 2. Extollitur ejus prudentia in laudabili hoc furto. — 3. Plurimum contulit mundo bonus latro Christum publice proclamando Regem cœlestis gloriæ. Boni latronis fides præfertur fidei Apostolorum et aliorum discipulorum Christi. — 4. Petitio hujus boni latronis confertur cum petitionibus variorum Sanctorum. — 5. Bonus latro ex necessitate fecit virtutem. — 6. Bonus latro supplevit defectus Apostolorum. — 7. Bonus latro cibavit Christum pœnitente anima sua. Conversio boni latronis Christo solatio fuit et oblivisci fecit omnium dolorum suorum. — 8. Bonus latro fuit primitiæ fructuum passionis Christi. . . . . 397

DISCURSUS XII.

ADMIRABILIS PONDERATUR MUTATIO QUÆ CIRCA BONUM LATRONEM IN EJUS CONVERSIONE FACTA FUIT

IDEA SERMONIS. — 1. Bonus latro Paradisum ingressus est non ut latro sed ut præda Christi. Diabolus obstupit ad conversionem boni latronis. — 2. Bonus latro præfiguratus fuit in illis qui hora undecima in vineam venerunt laboraturi. Gloria Alexandri fuit ex inimicis facere amicos; hoc maxime emicuit in Christo in hac conversione latronis. — 3. Quomodo bonus latro sit in Paradiso. — Christus durissimum

cor hujus latronis emollivit. — 4. Discutitur ulterius admirabilis conversio boni latronis. Boni latronis prædicantis cathedra fuit crux ejus, Ecclesia fuit mons Calvariæ. — 5. Conversio boni latronis fuit ingens miraculum. Conversio illius adscribitur ejus fidei. Bonus latro in cruce factus fuit mitis, modestus et charitativus. . . . . Pag. 401

DISCURSUS XIII.

BONUS LATRO OCCASIONE OBVIA BENE UTI PROBE NOVIT, QUI TAMETSI PECCATORIBUS SPEM FACIAT, QUOD SCILICET TANDEM IN FINE VITÆ CONVERTI POSSINT; HÆC TAMEN SPES NULLA EST, NISI IPSUM QUOQUE IN EJUS PŒNITENTIA FUERINT IMITATI.

IDEA SERMONIS. — 1. Inanis est spes ad hujus latronis exemplum conversionem suam differentium ad ultimum vitæ periodum. Figura botri uvæ, ex terra promissionis allati, applicatur ad propositum. — 2. Comparatur ad invicem bonus latro, cum latrone Achan. Doctrina pro Ecclesiasticis.—3. Extollitur fortuna occasionis et temporis conversionis boni latronis. Conversio boni latronis erexit spem multorum desperatorum peccatorum. — 4. Conversio boni latronis docet pœnitentiam quantumvis seram Deo esse acceptam dummodo sit vera. — 5. Ad exemplum boni latronis ad conversionem et salutem nostram cooperare debemus. — 6. Oculi nostri etiam dirigendi sunt simul in malum latronem. — 7. Comparantur ad invicem conversio latronis et perditio Judæ. — 8. Vera contritio neminem excludit a venia. . 404

TRACTATUS OCTAVUS

DE BEATISSIMÆ VIRGINIS IN CRUCIFIXIONE FILII SUI SUMMO DOLORE

DISCURSUS I.

DE INEXPLICABILIBUS BEATISSIMÆ VIRGINIS DOLORIBUS, SUB MARIS METAPHORA DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Dolores passionis Christi, ejusque sacratissimæ Matris, comparantur mari. Cur Concionatores in principio sermonis de passione Christi non implorent patrocinium B. Virginis per salutationem Angelicam. B. Virgo particeps fuit omnium dolorum Christi. — 2. Quocumque B. V. se verteret, occurrebant dirissima filii sui tormenta. — 3. Passionis acerbitas et B. V. dolorosa compassio indicibiles sunt. Cum tam intensi fuerint dolores B. V. cur ex illis non fuit mortua. — 4. Cur nullus Evangelistarum meminerit dolorum B. V. illustratur historia Thimantis. . . . . 409

DISCURSUS II.

EX VARIIS CHRISTO IN PASSIONE SUA ILLATIS TORMENTIS, CONVICIIS, ET CONTUMELIIS, SANCTISSIMÆ MATRIS EJUS DOLOR FACILE DEDUCITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. B. V. non solum juxta crucem, sed etiam Christi suppliciis aliis præsens fuit. — 2. Quibus tormentis Christi B. V. præsens fuerit. — 3. Alii enumerantur B. V. cruciatus quos passa fuit in monte Calvariæ. Dolores B. V. notabiliter aucti fuerunt ex aspectu et præsentia filii sui patientis. — 4. Inæstimabilis afflixit cor B. V. quod in angustiis filii sui nullum ei posset ferre subsidium. — 5. Christus et B. V. in his afflictionibus omni carent solatio et auxilio. — 6. Multum afflixit B. V. varietas et multitudo accurrentium ad spectaculum passionis Christi . . . . . 412

DISCURSUS III.

DE GLADIO, QUO SIMEON MARIÆ ANIMAM TRANSADIGENDAM ESSE PRÆDIXIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Quis gladius animam B. V. transfixerit in passione Filii sui. — 2. Expenditur vulnus a gladio doloris B. V. inflictum. Omnium dolorum Christi unicum centrum fuit anima B. V. — 4. Gladius doloris diu ante passionem Filii, animam B. V. cœpit pertransire. — 5. Mens B. V. semper intenta fuit cogitandis doloribus et tormentis passionis Filii sui, quæ prævidit ab initio nativitatis ipsius. — 6. Insignis allusio triduani itineris Abrahæ ad montem, ubi immolandus erat Isaac, ad B. V. dolores 33 annorum. . . . . 415

DISCURSUS IV.

BEATISSIMA VIRGO VARIA HABUIT DOLORIS, ET ANGUSTIÆ MOTIVA.

IDEA SERMONIS. — 1. Adducuntur varia motiva compassionis B. V. — 2. Primum motivum fuit dignitas patientis. Cor B. V. constringebatur triplici funiculo Secundum motivum perversitas Christo innocenti. pœnas inferentium. — 3. Cum Christo condoluerint insensatæ creaturæ, quanto magis S. Mater ejus. — 4. Christus etiam in SS. utero B. V. reperit crucem, — 5. B. V. perfecte cognovit rigorem quo Pater æternus sibi satisfieri volebat a filio suo pro peccatis generis humani. — 6. Dolores B. V. plurimum ex eo aucti fuerunt quod Christus ab omnibus derelictus lamentaretur se a Patre æterno derelictum esse. Dolores B. V. nullam habuerunt admixtam consolationem. . . . . 419

DISCURSUS V.

AMOR MATERNUS DOLORIS ANGUSTIAS, IN MORTE FILII CONCEPTAS, ADAUXIT; EO NAMQUE MOMENTO EOS EST EXPERTA DOLORES, A QUIBUS IN PARTU EXEMPTA FUERAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Sicut inexplicabilis est amor B. V. in filium suum, sic etiam sunt ejus passiones. Applicatur ad propositum historia N. Test. — 2. Exemplum Job in morte filiorum. — 3. Dolores B. V. comparantur doloribus Jacob lugentis mortem Joseph filii sui

— 4. Quare Abraham celaverit Saram immolationem Isaac. — 5. Dolores B. V. parturientis dilati fuerunt usque ad mortem filii sui. — 6. Dolores B. V. incomparabiliter majores fuerunt doloribus parturientis . . . . . Pag. 422

## DISCURSUS VI.

CUM AMOR RECIPROCUS, QUO MATER ET FILIUS SE MUTUO DILIGEBANT, VERA SIT MENSURA DOLORIS, DOLOR UTIQUE IN AMBOBUS MIRE ADAUCTUS FUIT, UTROQUE INGENTI ALTERUM DOLORE AFFLIGENTE.

IDEA SERMONIS. — 1. In notitiam vehementis doloris B. V. pervenitur per notitiam vehementissimi amoris erga dilectum suum. — 2. B. V. appellatur fons amoris propter immensitatem amoris quo ferebatur in filium suum. — 3. B. V. non solum pia mensura amoris, sed etiam perfectæ cognitionis divinitatis filii sui, affligebatur de ipsius tormentis. — 4. Secundum proportionem mutui amoris B. V. et filii sui, etiam crevit mutuus dolor et tormentum. — 5. Dolentissima Mater Christo, crucem bajulanti obviam facta, auxit ipsius angores et dolores. — 6. Christus in cruce singularem habuit curam matris suæ . 425

## DISCURSUS VII

DEIPARA OMNES FILII SUI DOLORES IN PERSONA SUA PROPRIA PARTICIPAVIT

IDEA SERMONIS. — 1. Ex summa sympathia naturarum B. V. omnes Christi sensit dolores. — 2. B. V. vocatur cruciformis. — 3. Anima Virginis plus fuit in Christo, quem unice amabat, quam in ipsa. — 4. Cor B. V. erat in Christo crucifixo, suo thesauro . 427

## DISCURSUS VIII.

GRAVITAS DOLORUM, QUIBUSCUM MARIA CONFLICTABATUR, UTPOTE QUI QUADANTENUS FILII DOLORES EXCEDEBANT, MATURE EXPENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Gravitas dolorum B. V. de Christo crucifixo expenditur. — 2. Cor B. V. fuit clarissimum speculum Christi patientis. — 3. Vehemens apprehensio alicujus mali redundat in corpus. Patet in variis sanctis passionem Christi devote et ferventer meditantibus. — 4. Quomodo B. V. dici possit plus passa quam filius ejus. Dolores Christi membra animam et cor B. V. profundissime penetrarunt. — 5. Præsentia astantis afflictæ matris auxit dolores filii. B. V. fuit gladius Christum acerbissime saucians. . . . . 430

## DISCURSUS IX.

MARTYRIUM B. V. OMNIUM MARTYRUM TORMENTIS SUPERIUS FUISSE DECLARATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. B. V. Regina Martyrum, plus omnibus martyribus passa est. — 2. Intensissimus amor filii, fuit carnifex B. V. — 3. Instrumentum martyris B. V. fuit Christus moriens. — 4. Alii martyres plus et majora passi sunt extensive B. V. vero majora illis plus intensive. Filius et mater certatim se obtulerunt Deo Patri in sacrificium. — 5. Martyrium B. V. novum inauditum et gravissimum fuit, eo quod fuerit in anima. — 6. Licet B. V. sciret filium suum brevi surrecturum attamen dolores ejus hanc notitiam absorberant. — 7. Alii martyres in suis tormentis sæpe cœlestibus consolationibus perfusi fuerunt, B. V. vero ex omni parte afflicta fuit. Omne solatium aliorum Martyrum cessabat in B. V. . . . . 433

## DISCURSUS X.

VARIA TANGUNTUR MYSTERIA, OB QUÆ FILIUS MATREM SUAM SIBI SUB CRUCE ASSISTERE VOLUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Adducuntur rationes et mysteria ob quæ Christus voluerit matrem stare juxta crucem. — 2. Stetit B. V. juxta crucis lignum, ut deleret peccatum Evæ in ligno vetito commisum. — 3. B. V. cooperatrix nostræ salutis, juxta crucem merito stare debebat. B. V. stetit a sinistris S. Crucis tanquam advocata peccatorum. — 4. Ictus lanceæ lateri Christi mortui inflictus, transfixit cor B. V. — 5. Duo potentissima remedia contra peccatum et infernum, sunt crux Christi et B. V. — 6. Quare Christus B. V. non citius recommendaverit quam cum jam vicinus esset morti. Devotissimæ orationes ad B. V. pro obtinenda felici morte. — 7. Christus recommendans Matrem suam docere voluit proles curam gerere parentum. — 8. B. V. astans cruci ut cooperatrix nostræ salutis obtulit Deo Patri in sacrificium animam suam. . . . . 436

## DISCURSUS XI.

B. VIRGINIS, SUB CRUCE FILII CONSTITUTÆ, CONSTANTIA PONDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Omnes piæ mulieres stabant quidem mœstæ sed a longe, B. V. autem stabat juxta crucem Jesu. — 2 Christus studio disposuit ut mater ejus staret juxta crucem suam. B. V. juxta crucem stantis expenditur constantia. — 3. Sunt duo actus fortitudinis. — 4. Fortitudo et constantia B. V. longe præcelluit constantiæ matris Machabæorum. — 5. B. V. comparatur Resphæ, quæ filiis in crucem actis, die nocteque constanter astitit. — 5. Fortissima Virgo juxta crucem stans, assimilatur palmæ. — 7. Fortissima Virgo comparatur adamanti. . . . . 439

## DISCURSUS XII.

BEATÆ V. MARIÆ, INTER EXCESSIVOS FILII DOLORES, EXTERIOR COMPOSITIO, EJUSQUE CUM VOLUNTATE FILII CONFORMITAS CONSIDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Omnibus notis et mulieribus a longe stantibus, sola Virgo intrepida stabat juxta crucem Jesu. — 2. B. V. non tantum corpore, sed et fide stabat juxta crucem. — 3. Discutiuntur actus interni B. V. stantis juxta crucem. — 4 Examinatur an B. V. juxta crucem stans lacrymas fuderit aut alios incompositos gestus ediderit. — 5. B. V. in passione filii omnino conformis fuit divinæ voluntati. . 443

DISCURSUS XIII

BEATA VIRGO REDEMPTIONI A FILIO CONSUMMATÆ QUANTUM SCIVIT ET POTUIT, COOPERATA FUIT; AC PROINDE DUM SE IN HUNC EFFECTUM EODEM DILECTO FILIO SUO SE PRIVARI LIBENTER PERMISIT, NOSTRA QUOQUE FACTA EST MATER.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus voluit habere matrem suam cooperaticem nostræ redemptionis. — 2. B. V. cum filio suo obtulit se in holocaustum pro redemptione omnium hominum. B. V. in passione filii pro ipso nec aperuit os suum, ne impediret redemptionem generis humani. — 3. Lacrymosi oculi B. V. comparantur piscinæ in Hesebon, sive aquis, Siloe. B. V. sponte se obtulit immolandam cum filio suo pro redemptione nostra. — 4. Quia B. V. pro nostra salute libenter filio suo se privavit, omnium nostrum Mater effecta est. — 5. B. V. sub cruce nos peperit in filios adoptivos. . . . . Pag. 445

## TRACTATUS NONUS

### DE S PTEM VERBIS A CHRISTO DOMINO IN CRUCE PROLATIS

DISCURSUS I

DE AMORE ET EFFICACIA, QUA CHRISTUS PATRI PRO VENIA CRUCIFIXORIBUS SUIS IMPERTIENDA, SUPPLICAVIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Discutitur ratio quare, cum Christus coram Pilato et Herode siluerit, tandem in cruce non solum loqui, sed et alte clamare inceperit. Christus plus sensit perditionem suorum inimicorum quam plagas sui SS. corporis et hinc de illa curanda primo agit. — 2 Christus oblaturus Patri seipsum in sacrificium, prius hostibus suis reconciliationem obtulit. — 3. Isaac figuravit immolationem Christi in monte Calvario et ligno crucis. Christus summum exhibuit amorem odientibus ipsum. — 4 Christus videns divinam justitiam paratam ad punitionem crucifigentium, ultronee se obtulit pro illis in advocatum. Similis charitas reperta non fuit in tota S. Scriptura. — 5. Magna fuit Christum crucifigentium crudelitas, sed multo major ipsius erga illos amor et benignitas. — 6. Christus crucifixores suos non inimicos, sed dilectissimos amicos judicabat. — 7. Hoc Christi exemplo docemur condonare injurias . 449

DISCURSUS II

PONDERANTUR VERBA QUIBUS CHRISTUS PERSECUTORIBUS SUIS VENIAM A PATRE SUO IMPLORAVIT

IDEA SERMONIS. — 1. Cur omnes unanimiter in Christum sævirent blasphemiis, ludibriis, opprobriis, ipse pro illis orabat. — 2. Christus in hoc actu ostendit se verum esse Salvatorem. — 4. Adducuntur mysteria quæ continentur in dictione : Pater.— 5. Verbum dimitte indicat Christum loqui modo imperativo. — 6. Quinam contineantur in dictione : illis. Quare Christus non specificaverit illos quibus volebat ignosci. — 7. Qualem Christus inimicorum intelligat ignorantiam. — 8. Christus inimicis suis non solum ignoscit, sed etiam illos tuetur, defendit et excusat. — 9. Pro quibus Christi precatio fusa fuerit. . 453

DISCURSUS III

CIRCA EAMDEM VENIÆ POSTULATIONEM, QUAM CHRISTUS PRO CARNIFICIBUS SUIS A PATRE POPOSCIT ALIÆ INSTITUUNTUR CONSIDERATIONES.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus plus sollicitus fuit pro suis crucifixoribus salvandis, quam de suis cruciatibus medendis. — 2. Christus tanquam alter Moyses opposuit se Patri æterno pro crucifigentibus efficaciter orando — 3. De admirabilibus effectibus hujus orationis Christi. — 4. Quare Pater æternus ad Christi petitionem nullum dederit responsum. — 5 Patientia Job confertur cum patientia Christi. Inimici diligendi monentur. Duo præclara et notabilia condonationis injuriarum exempla. . . . . 456

DISCURSUS IV.

SUPER ILLA BONI LATRONIS VERBA : *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum,* VARIE DISCURRITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Discutitur humilitas et modestia orationis boni latronis. Quæ virtutes contineantur in oratione boni latronis. — 2. Aliæ virtutes emicant in hac oratione, singulariter resignatio in voluntatem Dei. Bonus latro comparatur filio prodigo. — 3. Oratio boni latronis præfertur petitioni filiorum Zebedæi. Ejus petitio confertur cum petitione Joseph incarcerati. — 4. Extollitur admiranda notitia quam habuit bonus latro de Christo, tanquam regni cœlestis Domino. — 5. In quo Christi statu bonus latro illum agnoverit Deum et Dominum paradisi. Quare bonus latro Christum potius nominaverit Regem, quam Filium Dei . . . . . 459

DISCURSUS V.

VERBA ILLA CHRISTI : *Hodie mecum eris in paradiso,* MULTIFARIAM PONDERANTUR; SIMULQUE RATIONES TANGUNTUR, OB QUAS CHRISTUS, PARADISUM INGREDIENS, LATRONEM QUEMDAM IN SUA VOLUERIT HABERE SOCIETATE.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus ad omnia tormenta et convicia silens ad orationem boni latronis benigne respondebat. — 2. Referuntur mysteria quibus turget verbum Hodie. — 3. Christus nullatenus distulit satisfacere petitioni boni latronis. — 4. Accurate expentitur illud : Mecum eris. — 5. Christus in conversione hujus latronis ostendit sapientiam et omnipotentiam suam. Honorificum fuit paradiso, eo introduci latronem et consolatorium nobis. — 6. Quare Evangelistæ nihil insinuent de boni latronis natalibus, patria nec statu vitæ. — 7. Christus cum bono latrone simul in paradisum introduxit totum mundum. In hac latronis in paradisum introductione ostendit se mortis et diaboli est victorem. 462

DISCURSUS VI.

QUALITER NOMEN PARADISI, BONO LATRONI PROMISSI, INTELLIGENDUM SIT; ET QUID IDEM LATRO PRO EODEM PARADISO OBTINENDO EX SUA QUOQUE PARTE CONTRIBUERIT, DECLARATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Bonus latro multo plus obtinuit, quam petierat. — 2. Christus excessive liberalis et in præmiandis animabus pœnitentibus. Latro felicissimus, sero veniens primus omnium accipit mercedem. — 3. Indagatur quid per promissum intelligatur. Per paradisum intelligitur vita beatifica. — 4. Quare Christus non dixerit: Hodie mecum erit in regno meo. — 5. Impletur in assumptione boni latronis figura V. T. de Jehu et Jonadab. — 6. Ad acquirendum regnum cœlorum sufficit cor contritum. . . . . Pag. 466

DISCURSUS VII

CHRISTUS BONO LATRONI LONGE PLURA DEDIT, QUAM IPSE POSTULAVIT. IDQUE IN VIRTUTE MULTORUM MERITORUM SUORUM, QUÆ TUNC SIBI ACQUISIVIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus bono latroni plura et citius dedit quam postulavit. — 2. Licet Christus Matrem suam afflictissimam juxta crucem videret stantem prius tamen consolatus fuit latronem. Deus semper plus tribuit, quam petatur. — 3. Adducuntur rationes quare Christus bono latroni beatitudinem æternam adhuc viventi promiserit. B. V. bono latroni a Filio suo impetravit peccatorum remissionem et cœlestes benedictiones. Bonus latro cœlum non rapuit, sed aliqua ex parte promeruit. — 4. Judæi Christum inter latrones crucifigentes traducere conabantur tanquam omnino facinorosum. — 5. Figura Berzellai impleta fuit in bono latrone. . . . 469

DISCURSUS VIII.

NONNULLA TANGUNTUR MYSTERIA, OB QUÆ FILIUS DEI BEATAM VIRGINEM MARIAM, NON MATREM, SED MULIEREM NUNCUPARIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Joannes meminit recommendationi Joannis ad matrem et matris ad S. Joannem. — 2. Quare Christus dixerit mulier et non mater. — 3. Alia ejusdem ratio. — 4. Christus B. V. cum altissimo mysterio non virginem, sed appellavit mulierem. — Alia ratio cur illam non matrem sed mulierem appellarit. — 6. Christus B. V. non vocavit matrem ne per teneritudinem hujus nominis dolor ejus augeretur. — 7. Per hoc nomen mulier B. V. omnium fidelium constituta fuit mater. — 8. S. Joannes datur B. V. in filium pro filio Dei. — 9. S. Joannes typum gerens Eccl. commendatur B. V. 472

DISCURSUS IX.

DE MYSTERIIS TENEBRARUM, ET SOLIS IN PASSIONE CHRISTI OBSCURATI, DISSERITUR

IDEA SERMONIS. — 1. Discurritur de tempore crucifixionis Christi, quæ fuit bifaria, una linguis Judæorum altera manibus lictorum. — 2. Christus hominem eadem die ac hora hominem redemit qua primus homo peccaverat. Tenebræ factæ tempore passionis Christi fuerunt supernaturales. — 3. Obscuritas tenebrarum illarum fuit universalis per totum mundum. — 4. Allegantur oracula Prophetarum de tenebris illis. — 6. Obtenebratio solis designabat excæcationem Judæorum. — 7. Omnes creaturæ insensibiles commotione sua protestatæ fuerunt se de Christi morte esse innocentes. — 8. Adducuntur aliæ variæ rationes contemplativorum circa tenebras illas. — 9. Quare tenebræ illæ tantum duraverint tribus horis. . . . . 475

DISCURSUS X.

RATIONES EXAMINANTUR, OB QUAS REDEMPTOR IN CRUCE ALTA VOCE CLAMARIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Eruitur mysterium clamoris Christi, facti circa horam nonam. Christus, quantumvis clamavit tamen voce magna. — 2. Christus magno suo clamore insinuavit acerbitatem dolorum suorum. — 3. Quare Christus moriens magna voce clamaverit. — 4. Hic Christi clamor sonoram addidit resonantiam voci Apostolorum in conversione infidelium. Christus in hoc clamore assimilatur parturienti. — 5. Vox clamoris Christi penetravit usque ad ipsum infernum. — 6. Christi clamor fuit rugitus leonis. — 7. Christus suo clamare docuit tam in hora mortis quam aliis periculis fortiter ad Deum clamandum esse. . . . . 479

DISCURSUS XI

DERELICTIO, DE QUA CHISTUS IN CRUCE LAMENTATUS FUIT, IN EO PRÆCIPUE CONSISTEBAT, QUOD IN PASSIONE SUA OMNI DESTITUTUS ESSET CONSOLATIONE.

IDEA SERMONIS. — 1-2. Adducuntur variæ rationes quare Christus voce magna conquestus fuerit de sua derelictione. — 3. Christus suo clamore voluit declarare naturale suum desiderium. — 4. Divinitas sensibilem partem humanitatis dereliquit in puris naturalibus. Eruitur sensus litteralis hujus derelictionis. Modus quo humanitas Christi a Deo derelicta fuit declaratur apta similitudine. Christus in cruce ita passus fuit, ac si esset peccator. — 5. Figura duorum hircorum, applicatur Christo patienti. — 6. Mellis oblatio in Domini sacrificio prohibita, figuravit illam Christi derelictionem. . . . . 483

DISCURSUS XII.

ALIA INSINUANTUR MYSTERIA, OB QUÆ CHRISTUS SE DERELICTUM ESSE, QUERULA EST VOCE PROTESTATUS.

IDEA SERMONIS. — 1. Discutitur ulterius quare Christus conqueratur se derelictum a Deo in suis cruciatibus. — 2. Christus ab omnibus suis in passione derelictus fuit. — 3. Christus illis verbis ostendit naturale desiderium diutius vivendi. Christus in hac querela derelictionis, tanquam caput, agit causam corporis sui omnium nimirum fidelium. — 5. Loquitur Christus in illis verbis, ut homo ostendens fragilitatem corporis. Deus hominem non derelinquit nisi prius ab illo derelinquatur. . . . . 485

## DISCURSUS XIII.

ALIÆ INSINUANTUR RATIONES ET MYSTERIA, OB QUÆ CHRISTUS SE DERELICTUM FUISSE CONQUESTUS FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Querela illa Christi procedebat a nostra humana fragilitate. — 2. Adducuntur piæ rationes derelictionis Christi. — 3. Examinatur ratio quare Christus tam tarde, nimirum cum jam tribus horis in cruce pependisset hoc lamentum ediderit. Quare Christus conquestus fuerit de Patre et non de crucifixoribus. — 4. Adducitur et refellitur objectio Arianorum de Christi lamentatione. — 5. Aliud mysterium alti istius clamoris. — 6. Quare Christus conquestus fuerit per modum interrogationis. Christus sua lamentatione ostendit nullam sibi inhæsisse mortis causam sibi propriam. Aliqui volunt Christum conquestum de derelictione Judæorum. Christus conqueritur de exiguo fructu suæ passionis . . . . . Pag. 488

## DISCURSUS XIV.

SITIS QUA CHRISTUS IN CRUCE UREBATUR, DESIDERIUM INDICABAT, QUO MAGIS MAGISQUE EX AMORE ERGA NOS PATI CUPIEBAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Examinatur cur Christus potius de sua siti, quam aliis tormentis fuerit conquestus. — 2. Christus verbo *sitio* insinuavit desiderium plura patiendi pro salute generis humani. — 3. Christus comparatur cervo sitienti. Ratio cur fuerit Christus potatus aceto. — 4. Quare Christus bibere noluerit vinum myrrathum. Biberit autem acetum, vel potius gustatum recusaverit. — 5. Similitudo alludens ad sitim Christi. — 6. Acetum Christo propinatum fuit ut eo citius moreretur. . . . . 492

## DISCURSUS XV

SITIS, QUÆ LICET IN CHRISTO NATURALIS FUERIT. MAXIMUM TAMEN TORMENTUM ERAT, IDEO PRÆCIPUE A SALVATORE NOSTRO MANIFESTATA FUIT, UT ARDENTISSIMUM, QUO TENEBATUR SALUTIS NOSTRÆ DESIDERIUM NOBIS EXPRIMERET.

IDEA SERMONIS. — 1. Expenditur gravitas tormenti sitis. — 2. Christi sitis ex fatigatione provenit. — 3. Sitis Christi mystica fuit et spiritualis salutis nimirum animarum. — 4. Christus sitivit nos et salutem peccatorum. — 5. Continuatio ejusdem materiæ . . . . . 495

## DISCURSUS XVI

VARIÆ CIRCA HANC CHRISTI SITIM CONSIDERATIONES INSTITUUNTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus sitivit ut impleretur Scriptura, quæ prædixerat hanc ipsius sitim. — 2. Varia exempla sitientium V. T. conferuntur cum siti Christi, Sisaræ. — 3. Omnibus Christi membris cruciatis, tandem etiam lingua cruciata fuit siti ardentissima. — 4. Sitis Christi dirigebatur ad intentissimum desiderium conversionis omnium ad fidem Dei veri. — 5. Christus nostram hydropisim portans pro nobis sitivit. — 6. Qualiter Christus infirmitates nostras in se suscipiens illas curaverit. — 7. Christus nos sitiens a nobis sitiri vicissim desiderat. Et Christianorum ingratitudo. — 8. Negligentia salutis Christianorum addidit vulnera vulneribus Christi . 498

## DISCURSUS XVII.

PROMPTITUDO JUDÆORUM EXPENDITUR, QUA CHRISTO SITIM SUAM PER VERBUM, *Sitio*, DECLARANTI, ACETUM FELLE MIXTUM DARE SATAGEBANT: FUITQUE HIC FRUCTUS, QUEM VINEA EJUS, ID EST, SYNAGOGA, EI PROTULIT. . . . .

IDEA SERMONIS. — 1. Ille continuo currens ad acetum designat promptitudinem humanæ malitiæ ad offendendum Deum. Taxatur nostra tepiditas et pigritia ad servitium Dei. — 2. Synagoga, vinea Dei electa, amarum Christum propinavit potum. Christus in sua siti atrocius subiit supplicium damnatis. — 3. Quid intelligatur per fel aceto immixtum. — 4. Quinam signentur per spongiam ori Christi admotam. Taxatur Judæorum crudelitas in exhibitione talis potus. — 5. Afferuntur varia mysteria, quare Christus acetum felle mixtum gustatum, noluerit bibere. — 6. Per acetum intelliguntur relabentes in pristina vita . . . . . 501

## DISCURSUS XVIII.

ALIÆ HUJUS ACETI, FELLIS ET HYSSOPI CONSIDERANTUR MORALITATES ET MYSTERIA.

IDEA SERMONIS. — 1. Christo irrisorie forte oblatus fuit ille potus. — 2. Lictores pietiosum vinum pro Christo præparatum epotarunt et ei obtulerunt vinum felle mixtum. — 3. Christus hoc tormento potus aceti et fellis pro peccato primorum parentum satisfecit et passionem suam conclusit. Pulchrum exemplum fratris Minoris. — 4. Acetum adhiberi solebat ad sistendum sanguinem, sicuti et spongia. Spongia illa asservatur Romæ. — 5. Christus in sua prædicatione propinavit lac et mel illi e contra ipsi acetum et fel. — 6. Christus suis fidelibus reliquit fel persecutionis et mortificationis. . . . . 504

## DISCURSUS XIX.

CIRCA SEXTUM VERBUM IN CRUCE A CHRISTO PROLATUM, SCILICET, *Consummatum est*, DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Notatur ratio temporis quo Christus dixit : *Consummatum est* — 2. Quæritur an Christus omnes passiones sustinuerit. Dolores Christi majores fuerunt doloribus omnium Martyrum et unquam ab hominibus toleratorum. — 3. Illud *Consummatum est*, indicabat charitatem Christi ad supremum gradum pervenisse. — 4. Sicut peccatum consummatum generat mortem, sic passio Christi consummata destruxit peccata. — 5. Significavit Christus omnia consummata esse quæ requirebantur ad nostram redemptionem. . . . . 507

## DISCURSUS XX

ALIA EJUSDEM VERBIS : *Consummatum est,* EXAMINANTUR MYSTERIA

IDEA SERMONIS. — 1. Christus Apostolis prædixerat hanc consummationem. — 2. Christus comparatur Noe et crux Arcæ. — 3. Omnia sacrificia 500 annorum in sacrificio crucis completa fuerunt. — 4. Consummatæ fuerunt figuræ V. T. — 5. Quænam consummaverit Christus. — 6. Christus insinuavit consummatum esse grave jugum V. L. — 7. Quænam ulterius per hoc verbum consummata intelligantur. — 8. Ex hoc verbo pulchra documenta moralia eruuntur . . . . . Pag. 510

## DISCURSUS XXI.

SUPER ULTIMUM VERBUM, SCILICET : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum,* RATIOCINATIO INSTITUITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus primum et ultimum verbum a verbo *Pater* exorsus fuit. — 2. Hujus adducitur ratio. — 3. Primum verbum quod a Verbo incarnato fuit prolatum, erat verbum : Pater. — 4. Centurio ex clamore Christi conversus agnovit illum esse filium Dei. Affertur ratio magni clamoris Christi. Rationes quare Centurio crediderit Christum esse Filium Dei. — 5. Quare Christus appellaverit Deum nomine Patris. — 6. Continuatur eadem materia. — 7. Doctrina moralis qua instruimur de cura felicis mortis . . . . . 513

## DISCURSUS XXII.

MULTA TANGUNTUR MYSTERIA, OB QUÆ CHRISTUS SPIRITUM SUUM IN MANUS PATRIS RECOMMENDAVIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Afferuntur aliæ considerationes hujus commendationis spiritus Christi in manus Patris. — 2. Magnum solatium ex hoc verbo capere possunt morientes. — 3. Christus illis verbis declaravit extremam confidentiam erga Deum Patrem. — 5. Per spiritum Patri recommendatum intelligi potest pretium redemptionis humanæ. — 6. Christus Patri obtulit gratissimum et perfectissimum sacrificium. — 7. Christus his verbis Patri suo commendavit nos et totam Ecclesiam suam. — 8. Docemur in hac commendatione quid nobis in fine vitæ sit agendum. — 9. Continuatio ejusdem materiæ et documenti. . . . . 517

## DISCURSUS XXIII

CIRCA ILLA VERBA : *Et inclinato capite,* ETC. RATIONES, OB QUAS CAPUT MORIENS INCLINAVIT, INVESTIGANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Variæ rationes adducuntur quare Christus moriens inclinaverit caput. — 2. Christus inclinavit caput quasi homini daturus osculum pacis. — 3. Alii sancti morientes oculos elevant in cœlum. Christus in terram, cujus diversitatis adducitur ratio. — 4. Christus pastor bonus nos quasi oviculam perditam in humeris portans, caput inclinat. — 5. In statera S. Crucis appensa fuerunt nostra peccata et merita passionis Christi. — 6. Applicatur ad propositum sacrificium columbæ. — 7. Christus inclinando caput, annuit morti, ut accederet, alias accedere non audenti. . . . . 520

## DISCURSUS XXIV

CIRCA EAMDEM CAPITIS CHRISTI MORIENTIS INCLINATIONEM VARIA CONSIDERANTUR MYSTERIA.

IDEA SERMONIS. — 1. Aliæ rationes hujus inclinationis capitis. — 2. Christi mors fuit somnus. — 3. Christus inclinavit caput suum, quia non habebat quo illud reclinaret. — 4. Christus inclinavit caput ex reverentia erga Patrem suum. — 5. Capitis inclinatione Christus exercuit actus humilitatis et obedientiæ. — 6. Christus inclinatione capitis Patri agit gratias pro reconciliatione mundi. — 7. Christus inclinavit caput ad nos, ut videat nostras necessitates et audiat preces nostras. Inclinavit caput quasi nos ad se vocans. — 8. Christus inclinavit caput versus suos hostes, offerens illis gratiam et veniam. — 9. Inclinavit caput ut fructum crucis facilius decerpere possimus. — 10. Inclinavit caput versus centrum terræ et limbum. — 11. Christus inclinatione capitis valedixit matri. — 12. Salutare monitum. Insigne exemplum . . . . . 523

## DISCURSUS XXV

CIRCA ILLA VERBA : *Emisit, tradidit spiritum,* MULTA PRÆCLARA DICUNTUR

IDEA SERMONIS. — 1. Quare anima Christi vocetur spiritus. — 2. Emissione spiritus significatur Christum sua sponte mortuum esse. — 3. Fuit in Christi libera potestate mortem subire. — 4. Probatur ulterius libera illa potestas moriendi in Christo. 5. Continuatio ejusdem materiæ. — 6. Christus excessivum sustinuit dolorem in separatione animæ a corpore suo. — 7. Christus eadem hora mortuus est qua Adam peccavit. — 8. Christus emisit animam suam quasi columbam ferentem olivam reconciliationis . . 527

# TRACTATUS ADDITITIUS

## DE INVENTIONE SANCTÆ CRUCIS

### DISCURSUS I.

AGITUR DE MODO, QUO SANCTA CRUX INQUISITA ET INVENTA FUIT. NONNULLÆ ETIAM CONSIDERANTUR MORALITATES PRÆCIPUÆ CIRCA TRES CRUCES.

IDEA SERMONIS. — 1. Lignum Crucis quærit B. Helena. Tres cruces invenit. Sanctissimam crucem Domini miraculum manifestat. — 2. Nobis quærenda crux Christi : signuminventæ crucis. – 3. Quænam sitcrux Christi? crux mali latronis? crux boni? — 4. Non eadem crux similiter omnibus proficit. . . Pag. 530

### DISCURSUS II.

CUR DEUS SANCTAM CRUCEM TOT ANNIS SUB VENERIS IDOLO ABSCONDITAM ESSE VOLUERIT. UBI SIMUL CRUCIS A PECCATO CARNIS AVERSIO INSINUATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Crux Veneri totaliter contraria est. A Venere quasi sepelitur. Crucis consideratio remedium efficacissimum contra vitium carnis. Ulysses et Syrenes, pulchra comparatio. — 2. Christus in homine vitio dedito iterum crucifigitur. Crux diu abscondita demum adoratur. — 3. Summa inimicitia crucem inter et lubricum vitium. Exemplum datur. — 4. Quid sit ponere idolum Veneris juxta Filium Virginis . . . . . 532

### DISCURSUS III.

EXPLICANTUR ALIQUÆ ANALOGIÆ, QUÆ INTER JOSEPHUM ÆGYPTI SALVATOREM ET CRUCIS INVENTIONEM ET ENCOMIA INTERCEDUNT.

IDEA SERMONIS. — 1. Multæ sunt in Veteri Testamento Christi et crucis ejus figuræ : præcipua vero Joseph. — 2. Joseph damnatur ne sit rex. Mittitur in cisternam unde extrahitur, sicut Christus in sepulchrum unde resurrexit. Crux ipsa similiter resurgere videtur. — 3. Divina providentia omnia disponit. — 4. Duo præter Joseph in vinculis detinebantur quorum unus salvatur. — 5. Joseph pervenit ad gloriam mediante somnio. Eodem modo, crux ad honores. — 6. Joseph a Pharaone valde honoratur et ornatur; idem de cruce ab Helena. — 7. Calix Joseph absconditur in sacco Benjamin : Crux apud Hebræos. — 8. Lignum causa omnis culpæ refugium fit omnium peccatorum. — 9. Crux panem cœlestem nobis communicat. — 10. Lætus moritur qui crucem invenit . . . . . 535

### DISCURSUS IV

OSTENDITUR CRUCEM, QUÆ OLIM ERAT CRIMINOSORUM SUPPLICIUM, NUNC REGIUM ESSE VEXILLUM ET ARMATURAM.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus exaltatus a terra trahit omnia ad seipsum. — 2. Crux significat principatum. — 3. Matris filiorum Zebedæi fides. — 4. Dominus regnavit a ligno. — 5. Per crucem diabolus vincitur. — 6. Et filius Dei Christus agnoscitur. . . . 538

### DISCURSUS V.

DE VARIETATE CRUCIS SPIRITUALIS AGITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Alia crux est corporalis, alia spiritualis. — 2. Crux spiritualis speciosior et pretiosior. — 3. Optima crux peccato resistere. — 4. Item contumelias et opprobria patienter ferre. — 5. Prosequitur eadem materia. — 6. Crux Domini est scafa cœli. — 7. Propter Dei amorem crux sustinenda. — 8. Christus nobis porrigit partem suæ crucis ut nos salvet. — 9. Pauci se ob Christi amorem publice diffamari patientur. — 10. Efficax admonitio . 540

### DISCURSUS VI

DE CRUCE SUB THESAURI CUJUSDAM SIMILITUDINE HIC AGITUR

IDEA SERMONIS. — 1. Crux fuit thesaurus absconditus in agro. Apud multos hic thesaurus in magna fuit æstimatione. — 2. Crux est clavis quæ paradisum aperit . . . . . 543

### DISCURSUS VII

OSTENDITUR CHRISTUM VELLE UT PROPRIAM QUISQUE CRUCEM, ID EST, EAM QUÆ STATUI ET VOCATIONI SUÆ CONJUNCTA EST, NON VERO UT SUAM PORTET.

IDEA SERMONIS. — 1. Nemo est qui sive sponte sive invite crucem non tollat. — 2. Crux nostra facilis et levis. — 3. Crux amata perducit ad cœlum. — 4. Tollit crucem suam qui seipsum quotidie mortificat. — 5. Crucem alienam portant qui nimium fidunt meritis alienis. — 6. Crux nostra nostris viribus aptatur. — 7. Quisque propriam, non aliorum crucem respiciat. . . . . 545

### DISCURSUS VIII.

CHRISTUS PER ILLA VERBA : *Qui vult venire post me, abneget, etc.* CRUCEM FACILITER PORTANDI MODUM NOS DOCET.

IDEA SERMONIS. — 1. Non coacte crux ferenda. — 2. Qui tollit crucem suam Jesum aspiciat. — 3. Abneget semet ipsum. — 4. Per totam vitam tollat crucem. — 5. Faciat quæcumque Christus jusserit. Multi crucem tollunt sed non Jesum sequuntur. . . . 547

### DISCURSUS IX.

CONSIDERANTUR NONNULLA MYSTERIA OB QUÆ CHRISTUS REDEMPTOR NOSTER CRUCEM INTER OMNIA ALIA SUPPLICIA ELEGERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus elegit crucem non gaudium. — 2. Elegit mortem crucis ut parati simus

ad omne genus opprobrii et supplicii. — 3. Ut homo salvaretur per lignum per quod perierat. — 4. Ut moriendo viam cœli apertam omnibus ostenderet. — 5. Variæ crucis figuræ in veteri Testamento. — 6. Brachia Christi extenta quid significant? — 7. Crux nobis est vexillum et gladium semper paratum. — 8. Per mortem in cruce aufert a nobis maledictionem . . . . . Pag. 550

DISCURSUS X.

CRUX ARMATURA QUÆDAM EST AD INIMICOS NOSTROS VINCENDOS ET DEBELLANDOS

IDEA SERMONIS. — 1. In virtute crucis inimicorum nostrorum victores efficimur. Gladius est quo veri Goliæ caput amputatur. Therebintus est subter quem Jacob abscondit idola. Moyses manus in monte extendens crucem adumbrat. Crux est malus navigii Ecclesiæ; inexpugnabis murus, etc. — 2. Qui sub dæmonis insignibus militat, parum utilitatis confert ei signum crucis. Crucifige sensus tuos ut tibi crux Domini prosit. . . . . 552

DISCURSUS XI.

DE GLORIA ET HONORE IN QUO SANCTA CRUX PASSIM HABETUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Filius Dei ex cruce gloriam et honorem recepit. Exaltatus a terra omnia traxit ad seipsum. Crucifixus per totum mundum fuit adoratus. — 2. Ignominia crucis gloria fuit Patris et Filii. Angeli non erubuerunt crucem. — 3. Reges terræ crucem honorant. Crux est splendidior omnibus astris. Lumine Crucis in die judicii sol obscurabitur . . . . . 554

# PARS SECUNDA

## DE SACRIFICIO MISSÆ, DE SS. EUCHARISTIA ET DE COMMUNIONE TRACTATUS TRES

## TRACTATUS PRIMUS

### DE INCRUENTO MISSÆ SACRIFICIO

DISCURSUS I.

MISSA FIDEI NOSTRÆ COLUMNA EST ET FIRMAMENTUM; AC PROINDE DÆMON, QUI PER IPSAM GRAVITER VAPULAT, HÆRETICOS AD EAMDEM ABOLENDAM INSTIGAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Sacrosanctum Missæ sacrificium et Sacerdotes illud offerentes, sunt bases, et fundamenta, quibus innititur Ecclesia. — 2. Diabolus semper conatus fuit hoc fundamentum per Ecclesiæ hostes evertere. — Antichristus omni modo conabitur firmamentum sacrificium Missæ evertere. — 4. Hoc ipsum omni studio conatus fuit facere per Lutherum. — 5. Missa per antonomasiam vocatur mysterium fidei. Diabolus persuasit Luthero in quadam disputatione Missam esse abrogandam. Albigenses hæretici Sacerdoti, qui Missam celebraverat, linguam evulserunt. Cum diabolus Missam prorsus tollere e medio non potest, illam saltem depravare conatur. — 6. Per oblationem SS. Sacrificii Missæ tolluntur infestationes malignorum spirituum. Pulchrum exemplum de S. Petro de Alcantara. Simile exemplum S. Bernardi circa energumenam. Aliud S. Petri Tarantasiensis. — 7. Malignus spiritus Judam omnibus modis conatus fuit, impedire institutionem sacrificii Missæ. Historia notabilis. . . . . 557

DISCURSUS II

OMNIA SACRIFICIA ANTIQUA, FIGURÆ ET UMBRÆ FUERUNT SACRIFICII MISSÆ, QUOD ÆTERNO PATRI EST ACCEPTISSIMUM CUM FILIUS EJUS IN EO SACERDOS SIMUL, ET HOSTIA EXISTAT. MIRACULA QUOQUE IN EJUS HONOREM PATRATA, QUAM HOC SACRIFICIUM DEO GRATUM SIT TESTIFICANTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Sacrificium soli Deo debetur. Ab ipsis mundi initiis sacrificia Deo oblata fuerunt, quæ tamen meræ fuerunt figuræ et signa sacrificii a Christo in cruce offerendi. Missa dicitur sacrificium verum et plenum. — 2. Respectu sacrificii Missæ, sacrificia vetera dici possunt fuisse falsa. — 3 Sacrificium Missæ in se eminenter continet omnia bona. In omni ætate et apud omnes nationes fuit aliqua oblatio sacrificiorum. Homo naturaliter tenetur Deo offerre sacrificium. — 4. Nullum sacrificium Deo Patri gratius fuit, aut esse potest sacrificio corporis Christi. In sacrificio Missæ considerari debent persona offerens, ille cui offertur et finis oblationis. — 5. Christus ipsemet est sacerdos et hostia, quæ offertur. — 6. Pulchrum miraculum circa venerationem sacræ hostiæ, in Missa elevatæ. — 7. Aliud miraculum patenæ, in mare delapsæ. . . . . 561

## DISCURSUS III

DE INSTITUTIONE MISSÆ, IN QUA IPSEMET CHRISTUS QUI PRIMUS CELEBRANS FUIT, PRÆSENS ASSISTIT : UBI ETIAM SACRIFICII HUJUS SUBLIMITAS EX MULTIS ALIIS MYSTERIIS CONSIDERATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus fuit auctor et primus celebrans sacrificii Missæ. — 2. Tota Christi vita fuit unum Missæ sacrificium. — 3. S. Petrus pro reverentia tanti mysterii multos ritus et cæremonias Missæ ordinavit. — 4. Sacri Doctores sub dignissimis epithetis loquuntur de hoc sacratissimo mysterio. Ferventissima admonitio S. Francisci ad fratres, quanti æstimare debeant Sacerdotium et tremendum altaris mysterium. Sacrificium Missæ maximam excellentiam et dignitatem. — 5. Sacrificium missæ est breve compendium Passionis Christi. Pulchra historia cujusdam in Anglia puniti ob auditam missam. — 6. Idem Christus, qui in sacrificio Sionitico et S. Crucis fuit principalis consecrator et offerens, etiam est adhuc in sacrificio Missæ. Sacrificium crucis fuit cruentum : illud S. Missæ est incruentum. Christus in sacrificio Missæ per corporalem præsentiam seipsum in altari offert pro salute nostra. Omnia Christianæ religionis mysteria tantam honorabilitatem et dignitatem non habent quantam habet sacrificium Missæ. . . . . Pag. 564

## DISCURSUS IV.

SPIRITUM S. ET ANGELORUM EXERCITUS DIVINO HUIC SACRIFICIO ASSISTERE, MONSTRATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Spiritus S. descendit de cœlo ad sanctificandum SS. Missæ sacrificium. Angeli illi assistunt cum reverentia et stupore. Sacrificium Missæ oblatum non fuit, nisi post missum Spiritum S. — 2. Probatur ulterius, cœlum aperiri et Spir. S. cum Christo descendere, dum offertur sacrificium Missæ. Descensus Spir. S. tempore sacrificii Missæ probatur duabus præclaris historiis.— 3. Asseritur assistentia Angelorum in SS. Missæ sacrificio. — 4. Altare in quo Missa celebratur, circumdant integri cœlestes exercitus. — 4. S. Nilus vidit Angelos cum magna reverentia assistere altari sub Missa. F. Jo. Parm. Fratrum Minorum generali ad Missam servivit Angelus in specie ministri.— 5. Angeli sancti non solum in obsequium Corporis Christi, sed etiam in utilitatem nostram assistunt Missæ. . 568

## DISCURSUS V.

MISSA EST SACRIFICIUM PROPITIATORIUM, QUOD IN REMISSIONEM PECCATORUM NOSTRORUM ET AD IRAM DEI PLACANDAM OFFERTUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Sacrificium Missæ est vere propitiatorium et peccatorum remissivum. Certum est in altari peragi opus redemptionis nostræ. Nullum excellentius munus Deo pro peccatis nostris offerri potest sacrificio Missæ. Hoc ipsum probatur ulterius. Munus corporis Christi extinguit æterni Patris iram. — 3. Essentia sacrificii Missæ consistit in consecratione ambarum specierum. Qualis sit differentia inter sacramentum et sacrificium. Primus et principalis fructus Missæ, est remissio peccatorum. — 4. Hoc argumentum deducitur ulterius. Cur necessario in altari, in quo celebratur, crux apponi debeat. Cum devotione et cordis compunctione Missa est offerenda. — 5. Virtus hujus sacrificii est indulgentia peccatorum. Si sacrificium Noe Deum potuit placare, multo magis hoc poterit SS. Missæ sacrificium. Probatur ex SS. Patribus, Missam esse sacrificium propitiatorium. — 6. Sacrificium Missæ impetrat donum pœnitentiæ, vim suam habens a sacrificio crucis . . . . . 571

## DISCURSUS VI

SACRIFICIUM MISSÆ IMPETRATORIUM ESSE, VARIIS PROBATUR RATIONIBUS ET EXEMPLIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Incruentum SS. Missæ sacrificium est impetratorium et aliorum mysteriorum complementum. — 2. Probatur Missæ sacrificium esse impetratorium. Cum sacrificia veteris legis merita impetraverint, quanto magis sacrificium Missæ. —3. Væ mundo si hoc sacrificium nobis deesset, per illud enim impetramus auxilia gratiæ. Quid designet, quod Amos viderit Dominum stantem super altare. — 4. Sacrificium Missæ impetratorium esse, probant varia sequentia exempla. Triginta ægroti audita Missa sanantur. Mulier quædam munita sacrificio Missæ, ab insolentia lenonis miraculose defensa fuit et leno a cane occisus. — 5. Anima per S. Missam liberatur a purgatorio. Alia historia confirmans sacrificium Missæ esse impetratorium. — 6. Aliæ similes historiæ S. Phil. Ner. quatuor adolescentibus hebræis per sacrificium Missæ impetravit conversionem ad Christi fidem. Adduntur alia stupenda miracula tum S. Hostiæ tum SS. Missæ sacrificii . 575

## DISCURSUS VII

SACRIFICIUM MISSÆ INSTITUTUM EST AD REFERENDAS PRO CONTINUIS, QUOD A DEO ACCIPIMUS, BENEFICIIS GRATIAS, NOSTRÆQUE SALUTI TAM SPIRITUALI, QUAM CORPORALI PLURIMUM CONFERRE, NOSQUE A MULTIS ERIPIT PERICULIS, PROUT VARIIS OSTENDITUR EXEMPLIS.

IDEA SERMONIS. — 1. SS. Missæ sacrificium etiam offertur in gratiarum actionem pro innumerabilibus et continuis beneficiis divinis. — 2. Fines, ob quos hoc sacrificium institutum est, sublimissimi sunt, qui hic enarrantur. — 3. Finis ob quem vetera sacrificia et victimæ oblatæ fuerint. Antequam Christus primum institueret et offer. sacrif. corp. et sanguinis sui, Patri æterno egit grat. Quod ipsum nobis faciendum est. Virt. SS. sac. Missæ sæpe e gravissim. eruimus periculis.— 4. Celeber. hist. quomodo aulicus innocens audiendo Missam evaserit periculum mortis. — 5-6. Aliud exemplum vere stupendum. — 7. Quidam alius non audiens Missam, fulgure tactus fuit.— 8. Duo in die dominica sacrum audire negligentes, submersi sunt : tertius audito sacro periculum evasit. — 9. Aliud miraculum exemplum de stupenda efficacia SS. sacrificii Missæ. . . . 578

## DISCURSUS VIII

CONCEPTAM ERGA MISSÆ SACRIFICIUM DEVOTIONEM, VARIAS PROMERUISSE DE INIMICIS OBTENTAS VICTORIAS, NOSQUE ADVERSUS HOSTES INVISIBILES COMMUNIRE, EXEMPLIS QUIBUSDAM PROBATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Sanctissimum Missæ sacrificium præsentissimum confert auxilium contra hostes in conflictu. — 2. Cum angustiamur ab hostibus ad sacrificium Missæ confugiendum est. — 3. Panis subcineritius Gedeonis figura fuit panis Eucharistici per quem profligantur inimici. — 4. Variis exemplis probatur efficacia sacrificii Missæ in pugna contra hostes. Justinianus et Justinus imperatores contra Persas hoc experti fuerunt. — 5. Etelredus Rex Angliæ contra Danos. — 6. Lotharius imperator contra Ruggierum Siciliæ Regem. Robertus Rex contra Scotos. Vladislaus Rex Poloniæ. — 7. Dum quidam Hispanus belli Dux tempore incumbit audiendis Missis Angelus in specie ipsius pugnat contra hostes, illosque profligat. — 8. Obsessum castrum virtute sacrificii Missæ liberatur ab hostibus. — 9. SS. Missæ sacrificium etiam efficacissimum tutamen contra hostes invisibiles. — 10. Adducitur hujus figura ex Deuteronomio. Quidam nobilis virtute sacrificii Missæ liberatur a gravi et diuturna tentatione seipsum suspendi . Pag. 583

## DISCURSUS IX.

VARIA CONSIDERANTUR BONA SPIRITUALIA ET TEMPORALIA, QUÆ EX DEVOTIONE MISSAM AUDIENDI IN HOMINES REDUNDANT.

IDEA SERMONIS. — 1. Sanctissimum Missæ sacrificium confert nobis abundantiam omnium bonorum spiritualium et temporalium. — 2. Enumerantur bona spiri tualia sacrificii Missæ. Sacrum Altare est anticamera Regis Regum. — 3. Micæ quæ cadunt de mensa Eucharistica, sunt multa beneficia et gratiæ Dei. Qui moritur illa die qua Missam audivit, illi assistit Christus in mortis tempore. Angeli custodiunt illum qui in dies audit Missam. Anima e Purgatorio liberata gratias agit pro Missis pro se dictis. — 5. Missa etiam bonis temporalibus plurimum suffragatur. Præclara monita S Francisci Salesii de Missa quotidie audienda. — 7. Angeli supplent labores agricolæ audientis Missam. — 8. Alia similis historia . . . . . 586

## DISCURSUS X.

HONOR, ET MERITUM ILLORUM, QUI MISSIS INSERVIUNT, VARIIS DECLARATUR EXEMPLIS; UBI ETIAM VARII ADDUCUNTUR, QUI ERGA HUJUS SACRIFICII EXERCITIUM DEVOTI FUERUNT.

IDEA SERMONIS. — 1. Qui devote inserviunt sacris, magnum acquirunt honorem et meritum. Angeli sancti assistunt sacrificio Missæ et illi servienti se adjungunt. S. Thom. libenter serviebat sacris. Duo pulchra exempla. Primus S. Missæ minister fuit S. Stephanus. Thom. Morus libenter serviebat sacris. — 2. Enarrantur utilitates servientis Missæ. — 3. Minister Missæ ante omnes participat fructus illius. Quidam devote inserviens sacro, meruit illo servitio coronam martyrii. — 4. Defectu ministri B. Virgo in Missa respondit Sacerdoti celebranti. — 5. Pœnitentes a Confessariis admonendi sunt ut quotidie audiant sacrum. — 6. Ferdinandus Telavera maximis negotiis implicatus, quotidie celebrabat. Similiter S. Carolus Boromæus. — 7. Sancti et magni Reges quotidie plures audierunt Missas. — 8. Afferuntur alia exempla illorum qui magna devotione affecti fuerunt erga S. sacrificium Missæ . . . 590

## DISCURSUS XI.

AD HONORANDUM HOC SACRIFICIUM POSTULATUR APPLICATIO MENTIS ET DEVOTIO INTERIOR ET EXTERIOR, SILENTIUM ITEM ET MENTIS RECOLLECTIO. UBI PARITER ILLI, QUI ERGA HOC SACRAMENTUM IRREVERENTES SUNT, PERSTRINGUNTUR

IDEA SERMONIS. — 1. In sacrificio Missæ cor est elevandum ad Dominum. — 2. Tota mentis applicatione assistendum Missæ sacrificio. Figura hujus ex veteri Testamento. — 3. Alia figura ejusdem significativa. SS. Mysterio Missæ ita assistere debemus, ac si purus essemus spiritus. Cum summo silentio et applicatione animi. — 4. Quænam congitanda et meditanda sint sub SS. Missæ sacrificio. — 5. Gentiles sub sacrificiis suis summum ab assistentibus exigebant silentium. Quanto magis tale silentium exigitur a Christianis tempore SS. Sacrificii Missæ. — 6. Continuatur materia de summo silentio servando in oblatione Missæ. — 7. Cur conveniendum sit in Ecclesia. Dum sacerdos dicit sursum corda, respondetur : Habemus ad Dominum. Ubi cavendum, ne mentiamur. Sub sacrificio Missæ nulla ratione confabulandum aut ridendum est. . . 593

## DISCURSUS XII

IN CELEBRANTE MISSAM SINE DUBIO NECESSARIA EST CONSCIENTIÆ PURITAS, QUÆ EADEM MERITO ETIAM A CIRCUMSTANTIBUS EXIGITUR, UT MISSÆ FRUCTUM PARTICIPARE VALEANT.

IDEA SERMONIS. — 1. Summa conscientiæ puritas requiritur in celebrante Missam. Cur Sacerdos antequam consecret, lavet manus. — 2. Etiam audientes sacrum assistere debent cum puritate conscientiæ. Ad quod insinuandum ponitur in ingressu Ecclesiæ vas aquæ benedictæ. — 3. Antequam ad altare accedamus, omne peccati venenum deponendum est. Missæ sacrificium est vera effigies et repræsentatio cruenti sacrificii crucis, quod serio considerandum est. — 4. Quare Ecclesia præceperit diebus festivis et Dominicis audiendum sacrum et abstinendum ab operibus servilibus. Cum tantus sit fructus in sacrificio Missæ audiendo, cur non præcepit Ecclesia ut in dies audiatur. Cur tantum semel in anno præcepta sit S. Communio. — 5. Missæ assistendum pura conscientia et sancta intentione. Cur requiratur sanctitas in ingredientibus templum multo magis in accedentibus ad altare. — 6. Omnia quæ circa Sacramentum altaris sunt, debent esse sancta et sacrata. — 7. Ex ritibus et cæremoniis quibus olim sacrificia offerebantur colligitur quid de sacrificio Missæ sit sentiendum. Sacrificium Missæ per antonomasiam vocatur opus Dei. — 8. Sacrificium Missæ purificat animas nostras ab omnibus sordibus et maculis. Quamvis Christus, primarius offerens, purus sit ab omni macula, talis tamen etiam debet esse sacerdos, tanquam instrumentum Christi. Salutare monitum S. Caroli Borromæi pro audituris Missam. . . 596

DISCURSUS XIII.

DE MODESTIA, ET REVERENTIA MISSÆ SACRIFICIO DEBITA; UBI ETIAM HI, QUI ERGA SACRUM ALTARE, DUM IN EO MISSA CELEBRATUR, IRREVERENTER SE HABENT, REPREHENDUNTUR; VARIAQUE RECENSENTUR SUPPLICIA ILLORUM, QUI MISSAM CONTEMPTUI HABENT, VEL AUDIRE NEGLIGUNT.

IDEA SERMONIS. — 1. Non solum in sacrificante, sed etiam auscultante maxima exigitur veneratio erga tremendum hoc mysterium. Allusio inter sacrificium Eliæ et sacrificium Missæ. Alia allusio ad devotionem et reverentiam gentilium erga sua delubra. Multo major veneratio debetur nostris templis et altaribus. Imitari debemus in hac veneratione Cherubim et Seraphim. S. Elisabeth cum maxima veneratione audiebat Missam. Taxatur vanitas mulierum in Ecclesia. — 2. Theodosius Junior ineffabili veneratione prosequebatur templa et sacra altaria. Invectiva in illos, qui in templo sunt garruli et insolentes. Et carnalia petractant. — 3. Qui hoc faciunt, similes sunt Hebræis, qui Christum in cruce deridebant. Quando sacrilegus rex Balthasar senserit iræ divinæ fulmina. Propter peccata, quæ committuntur in contemptum altaris, Deus est inexorabilis. — 4. Afferuntur variæ historiæ, quomodo puniti fuerint diversi, S. Missam contemptui habentes. — 5-7. Alia exempla . . . . . Pag. 600

DISCURSUS XIV.

TÆDIUM ET NAUSEA ILLORUM, QUI MISSAS AUSCULTARE FASTIDIUNT, REPREHENDITUR, SIMULQUE DECLARATUR, QUOD LICET MISSA A MALO SACERDOTE CELEBRETUR, EJUS TAMEN VALOR INTEGER PERMANEAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Hebræi nauseaverunt esum mannæ multi Christiani panem Eucharisticum, cujus illud figura fuit. — 2. Cum SS. Missæ sacrificium sit quotidianum, illud audire negligimus. Pulchra similitudine perstringitur talis negligentia. — 3. Multi conqueruntur de prolixitate Missarum, quæ tamen olim fuerunt multo prolixiores. — 4. Aliqui fastidiunt audire sacrum quod legitur a sacerdote criminoso et scandaloso. — 5. Durante sacrificio Missæ Deus sacerdotem immundum purificat, qui Missa absoluta, easdem contrahit sordes. — 6. Aliud simile exemplum. Malus sacerdos nihil officit valori Missæ sacrificii. — 7. Miserabilis visio S. Theresiæ circa pravum Sacerdotem, Missam celebrantem . . 604

DISCURSUS XV.

DE MYSTERIIS, PROPTER QUÆ SACRIFICIUM HOC INCRUENTUM MISSÆ NOMINE SIC APPELLATUM.

IDEA SERMONIS. — 1. Cur hoc sacrificium vocetur Missa. — 2. Unde hoc nomen *missa* sumpserit originem. — 3. Sacrificium Missæ repræsentat oblationem Christi in ara Crucis. — 4. Alia derivatio verbi *Missa*. — 5. Hoc verbum ab initio Ecclesiæ fuit in usu. — 6. Alia ratio hujus verbi. — 7. Missa etiam dicitur a mittendo. — 8. Alia ratio hujus verbi . . . . . 607

# TRACTATUS SECUNDUS

## DE EUCHARISTIA ET COMMUNIONE

DISCURSUS I

EUCHARISTIA AD ECCLESIÆ FULCIMENTUM, AD MULTIPLICANDAM, ET STABILIENDAM POPULORUM FIDEM, CONTRA HÆRESIM INSTITUTA FUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Benedictio Isaac figuravit S. Eucharistiam. Hæc est fundamentum Ecclesiæ. — 2. Per illam viget et viret Christiana religio. — 3. Per S. Eucharistiam firmatur mundus. Est panis nos confirmans. Est baculus cui innitimur. — 4. Hoc Sacramento deficiente vacillaret Ecclesia. — 5. Cœlum et terra concertarunt utri deberetur possessio Corporis Christi. — 6. Per Eucharistiam multiplicantur fideles in Ecclesia. — 7. Ingeniosa ratio hujus multiplicationis eruitur ex speciebus Eucharistiæ. Eucharistia sanctificat omnia alia Sacramenta. — 8. Hoc Sacramento sublato, merus esset error et infidelitas in Ecclesia. — 9. Hoc Sacramentum institutum est ad destruendas hæreses. 10. Præclarum exemplum Francisci I Regis Franciæ . . . . . 610

DISCURSUS II.

SACRAMENTUM HOC VITAM DONAT MUNDO PER GRATIÆ COLLATIONEM, JUSTITIÆ DIVINÆ NOSTRIS IRRITATÆ PECCATIS RETRAHIT FULMINA, NOSQUE IN DEI TIMORE FUNDAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus nobis datus est non solum in pretium, sed etiam in cibum. — 2. Mors dominabatur in mundo, donec per hunc cibum daretur remedium vitæ. Per hoc Sacramentum reparavit Deus ruinam pomi vetiti. — 3. Ante institutionem hujus sacramenti, erat fames in universa terra. — 4. Applicatur huic sacramento prandium, quod Habacuc tulit famelico Danieli. — 5. In hoc S. sacramento continetur vita gratiæ. — 6. Hoc sacramentum est causa vitæ nostræ. — 7. Ex hoc sacramento accipimus salutem corporis et animæ. — 8. Quomodo hoc sacramentum det vitam mundo. — 9. Et confortet fideles in fide. Specialiter SS. Martyres ad subeunda tormenta . . . . . 613

DISCURSUS III.

QUARE EUCHARISTIA PER MODUM CIBI, SUBQUE SPECIEBUS PANIS INSTITUTA FUERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Cur Christus hoc sacramentum instituerit per modum cibi et potus. — 2. Per esum ligni vetiti intravit mors. Per esum hujus panis intrat vita. Animæ æque necessarius est cibus, ac corpori, ille autem est Eucharistia. — 3. Notanter hic cibus datus est sub speciebus panis. Hunc panem petimus in oratione dominica et notanter dicitur, panis noster. — 4. Christus huic sacramento assignavit panem qui est cibus omnibus communis. — 5. S. Euchar. est nutrimentum vitæ. — 6. Manducare panem, in Script. S. idem est, ac laute epulari. —

7. S. Euchar. est panis uniens fideles. — 8. Panis naturalis restaurat in corpore, quicquid calor naturalis consumpsit. Sic S. Euch. restaurat quicquid animæ deperiit per delectationes carnales. — 9. Panis conficitur ex tribus : sic et Euchar. constat ex tribus. — 10. Nemo afficitur tædio ex gustu panis : sic, etc. — 11. S. Euch. proprium est, animam vivificare. — 12. Pessimum signum est, nausea hujus panis. 617

## DISCURSUS IV.

PROSECUTIO EJUSDEM MATERIÆ ; ITEM QUARE SANGUIS SUB SPECIEBUS VINI SUMATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Panis Euch. debet esse triticeus. Christus est granum frumenti. Rationes, cur materia Euchar. debeat esse panis et quidem triticeus. — 3. Wenceslas Rex propriis manibus seminavit, coluit et messuit triticum ad conficiendam S. Eucharist. — 4. Christus comparatur grano frumenti. — 5. Et adipi frumenti.— 6. Sacra Euch. miraculose convertitur in aristas triticeas. — 7. Panis triticeus eligitur ad conficiendum hoc sacramentum, eo quod sit optimus. Differentia inter panem arctum et uberrimum. Frumentum et vinum in hoc sacramento conjunguntur. — Vinum Eucharisticum cum jubilo est sumendum. Oblectat et inebriat, animos fidelium. Hoc patet in SS. Martyribus. — 11. Christus botrus calcatus fuit in passione . . . . . 620

## DISCURSUS V.

DE UNIONE NOS INTER, ET CHRISTUM, IN COMMUNIONE SACRA QUÆ NON SICUT CÆTERI CIBI CONVERTITUR IN NOS SED NOS POTIUS CONVERTIT IN SE.

IDEA SERMONIS. — 1. Per S. Communionem incorporamur Christo. — 2. Per S. Communionem vivimus vita Christi, ut perfecti simus, sicut Pater cœlestis perfectus est. — 3. Cur S. Euch. vocatur communio. — 4. Supremus actus liberalitatis Dei in nos, est S. Eucharist. — 5. Quid per hoc significetur, quod Christus in horto dicatur ab Apostolis fuisse avulsus. — Per Communionem inserimur Christo. — 6. Quare Christus in testamento suo non fecerit mentionem corporis sui. — Quia illud jam dederat fidelibus in cibum. — 7. Si Moyses ex sermone cum Deo habito similis illi factus est, quanto magis digne communicantes.—8. Qui digne manducat hunc cibum transformatur in Christum. Contra communis cibi ordinem, qui transformatur in manducantem . 623

## DISCURSUS VI.

SUB ALLUSIONE CIBI DOCETUR, EUCHARISTIAM SPIRITU POTIUS QUAM DENTE SUMENDAM ET AB ALIIS SECERNENDAM CIBIS, QUÆ NOBIS JUXTA DISPOSITIONIS NOSTRÆ PROPORTIONEM EFFICITUR UTILIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Bona conscientia sumendus est cibus Eucharisticus. — 2. Cibus hic non est accipiendus sicut cibus communis. Secundum nostram dispositionem, est fructus hujus sacramenti. — 3. Anima nostra debet dilatari, ut impleatur hoc cibo. Qui spiritualiter est manducandus. — 4. Cui palato dulcis sit cibus Eucharisticus. Ratio cur Magdalena in domo Simonis repente facta sit Sancta et ille contra a Christo fuerit taxatus. —5. Non otiosis, sed bene operantibus prodest hic cibus. Quinam juste accedunt ad S. Communionem. — 6. Christus per S. Communionem in nobis non hospitatur, sed habitat. Unde scire possimus, an Christus in nobis maneat. — 7. Per S. Communionem efficimur consanguinei Christi. . . . . 626

## DISCURSUS VII

PER VARIA SANCTORUM PATRUM TESTIMONIA FUSIUS PROBATUR, QUOD VERBUM DIVINUM, NOS IN COMMUNIONE SACRA SUÆ REDDAT PARTICIPES DIVINITATIS

IDEA SERMONIS.— 1. Patriarcha Jacob prævidit in Ecclesia instituendum Eucharisticum panem. — 2. Carbo ignitus Seraphini præfiguravit hoc sacramentum. — 3. Serpens decepit nos promissione divinitatis. Christus autem in S. Eucharistia illam nobis vere confert. Sumpta Eucharistia vere Deum portamus in corpore nostro. Et possumus cum B. Virg. vocari Christiferi. — 4. Ut stricte participes fierimus divinitatis, hoc sacramentum institutum est. Per illud enim homo efficitur quasi Deus. — 5. Ante institutionem hujus sacramenti, rarissimi fuerunt extases et revelationes divinæ. — 6. Sacramentum altaris est extensio Incarnationis Christi. Per illud ditamur thesauris gratiæ. Si tamen nos ad illud debite præparamus. — 7. Digne communicantes fiunt Deiformes. . 630

## DISCURSUS VIII.

DE OMNIUM BONORUM BENEFICENTIA ET DE DIVINA HOC IN SACRAMENTO MAGNIFICENTIA.

IDEA SERMONIS. — 1. Sacramentum Euchar. est epilogus omnipotentiæ et beneficentiæ Christi. Inebriat terram carnis nostræ infusione Spiritus Sancti. — 2. Est fluvius paradisi irrigans nos charismatibus. cœlestibus gratiarum. — 3. Continuatio ejusdem argumenti. — 4. — S. Eucharistia continet omnium bonorum abundantiam. — 5. Licet Eucharistia solum vocetur panis, est tamen lautissimum titulum. — 7. Continet omnem gratiam et sanctitatem. Vox consecrationis est in magnificentia. In hoc sacramento Christus, quasi se depauperavit, dando nobis omnia quæ habuit. — 7. Continuatio ejusdem materiæ. — 9. Agnus paschalis fuit hujus sacramenti figura. Continetur in eo omne bonum. . . . . 633

## DISCURSUS IX.

EUCHARISTIAM GLORIÆ PIGNUS ESSE PROBATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. S. Eucharistia confert nobis, etiam in præsenti, vitam beatam et æternam. Est indubitatum pignus æternæ felicitatis. — 2. Nutrimur per illam vitam permanentem. Restaurantur per illam ruinæ Angelorum. Cur in pane et vino instituta. — 3. Mensæ tabernaculi duæ impositæ coronæ quid significent. Sacerdos S. Communionem porrigens, dat illam in pignus vitæ æternæ. S. Eucharistia viam facilitat ad cœlum. Ideo datur moribundis. — 4. Hoc sacramentum dicitur testamentum. Serapion senior, per hoc sacramentum moribundus, recipit loquelam et usum sensuum. — 5. Multiplices fructus ejus recensentur. Vocatur osculum. — 6. Al-

lusio inter Christi ascensionem et S. Euchar. — 7. Continet dulcedinem divinam. Cur aqua misceatur vino in calice. S. Eucharistia expellit a nobis amaritudinem mortis. — 9. Est pascua electorum. Ipsius virtute resurgent corpora nostra cum dotibus gloriosis. Mortui Elisæi ossibus tactus reviviscit. Hoc multo præstantius præstat S. Eucharistia fidelibus.

DISCURSUS X.

ALIOS INTER EFFECTUS, SACRAMENTUM HOC AFFECTUM IMPRIMIT BONORUM CŒLESTIUM, TERRESTRIUMQUE NAUSEAM, QUÆ FIDELIUM IMPEDIUNT PROFECTUM.

IDEA SERMONIS. — 1. Ad Corpus Christi congregantur fideles velut aquilæ. — 2. Reliquit nobis Christus suum SS. corpus et sang. ut per illius usum discamus tendere ad superna et spiritualia. — 3. S. communio digne sumentibus causat nauseam rerum terrenarum. Exemplum B. Aloysii. — 4. S. Eucharistiæ nuda figura fecit Abrahamum contemnere terrena. — 5. Qualiter agnus paschalis fuerit figura Eucharistiæ. — 6. Primus qui nauseabat cœnam magnam erat qui emerat villam. Eucharistia digne sumpta, fastidire facit omnia mundana. Animæ fideles sumpta Eucharistia ab aquila Christo, provocantur ad volandum. — 7. S. Communio optimum remedium contra elationem animi. — S. Eucharistia requirit stomachum vacuum a terrenis. Ad cœnam magnam soli admittuntur pauperes terrena aspernantes. Religiosi voluntarie pauperes sunt aquilæ volantes ad sublimia dum communicantur . . 640

DISCURSUS XI.

DE SPIRITUALIBUS MENSÆ EUCHARISTICÆ SUAVITATIBUS, QUAS TAMEN NON PARTICIPANT OMNES; CUJUS DIFFERENTIÆ, VARIÆ ASSIGNANTUR RATIONES.

IDEA SERMONIS. — 1. In S. Eucharistia continetur summa spiritualis dulcedo. — 2. Tanta est ut explicari nequeat. Hanc in sumptione sacri sanguinis expertus fuit S. Phil. Ner. — 3. Isaias nos invitat ad gustandas delicias hujus cœlestis panis. Commendat eumdem cibum Salomon. — 4. Quid intelligatur per ubera sponsæ, meliora vino. S. Euch. præfigurata per mel, inventum in ore leonis. — 5. Quomodo sit adipe frumenti. Est convivium pinguium. Dulcedinem ejus singulariter expertus fuit S. Phil. Nerius. Et L. Brund. Capuc. Similiter S. Maria Magdalena de Pazzis. B. Angela de Fulginio. Adstruitur eadem dulcedo variis Doctorum et Patrum sententiis. — Alia exempla. — 8. Rup. abb. character sacerdotalis impressus divinitus ex quo summam percepit suavitatem. — 9. Ratio cur omnes, in sacra Comm. eamdem non percipiant suavitatem. S. Communionem præcedat myrrha mortificationis. . . . 644

DISCURSUS XII

DE VARIIS SACRAMENTUM HOC INTER ET MEL ALLUSIONIBUS DISSERITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Aqua ex petra elicita vocatur mel ejusque analogia cum sacram. Euch. — 2. Favum mellis est symbolum S. Euch. — 3. Sicuti etiam margaritæ. — 4. Compositio mellis est inconceptibilis et ineffabilis. — 5. Apes dicuntur virgines et hoc sacr. ex virginis carne desumptum est. — 6. Mel desumitur ex floribus : Verbum incarnatum nominatur flos. — 7. Substantia florum in mel conversa utilis fit et suavis. — 8. Mel continet virtutem innumerabilium florum, sic etiam S. Euch. — 9. Mel deservit pro medicamentis. Et hoc sacr. est divina medicina. — 10. Apes colligunt rorem ante solis ortum.— 11. Mel sapidius est palato ante amaricato : Christus non gustavit mel, nisi post fel. Sic communioni præmittenda memoria passionis Christi. — 12. Mel repertum in ore leonis præfiguravit S. Euch. Ænigma Samsonis de melle isto. — 13. Aliæ applicationes mellis ad S. Euch. — 14. Mel est nocivum stomacho male disposito. Sic et S. communio indigne communicantibus . . . . . 648

DISCURSUS XIII

DE MULTIS INTER MANNA, ET EUCHARISTIAM INTERVENIENTIBUS ANALOGIIS

IDEA SERMONIS. — 1. Insignes analogiæ inter Manna et S. Euch. ex S. Bon. — 2. Quid signetur per saporem oleatum mannæ. Quare dicatur minutum. — 4. Cur pilo tusum. — 5. Cur simile pruinæ. — 6. Num. XXI, 4, Judæi illud nauseabant tanquam cibum levissimum. Insignis hujus applicatio ad S. Euchar. — 7. Manna descendebat in obscuritate noctis.— 8. Reddebat Hebræos sanos et robustos. — 9. Manna solum in deserto pluit. — 10. Ex manna nullus colligebat plusquam alius. — 11. Viso manna, mirabantur Judæi Hoc ipsum faciat communicans in S. Commun. — 12. Cur nauserint Hebræi manna. Et Christiani sacram communionem. — 13. Manna non acceperunt Judæi nisi trajecto mari rubro. Christiani communicaturi meditentur passionem Christi. — 14. Et præparent se ad pugnam contra diabolum. . . . . 651

DISCURSUS XIV.

SACRAMENTUM HOC FOMITEM MITIGANDI CONCUPISCENTIÆ, ET ARDORES JUVENILES AD CARNALIA EXCITANTES REFRIGERANDI VIRTUTE POLLET.

IDEA SERMONIS. — 1. Inter omnia dona Dei Eucharistia principem obtinet locum. S. Eucharist. reprimit fomitem concupiscentiæ. — 2. Et potenter fovet castitatem. — 3. Quid intelligatur per frumentum electorum. — 4. S. Communio nos eximit a stimulis carnis. — 5. Color albus Mannæ, designat pudicitiam. — 6. S. Eucharist. mitigat ardorem concupiscentiæ. — 7. Quod provenit ex purissimo et virgineo corpore Christi. — 8. Quod tanquam virgineus nos refrigerat ardores concupiscentiæ. — 9. Corpus Christi est purissima margarita. — 10. S. Euchar. est fons gratiarum. — 11. Convivium Assueri est symbolum S. Eucharistiæ . . . . . 655

DISCURSUS XV.

SACRA COMMUNIO CARNALIA REFRÆNAT INCENTIVA, QUA A LAPSU ULTERIORI NOS PRÆSERVANDO, QUA AD EMENDATIONEM PERDUCENDO.

IDEA SERMONIS. — 1. Quomodo vinum Eucharisticum germinet virgines. — 2. Exemplum hujus S. M.

Magdal. de Pazzi. — 3. Christus in S. Euchar. est lilium. Pulchra hujus ratio. — 4. Ager Ecclesiæ fœcundatur virginibus per hoc SS. Sacramentum. Pulchrum exemplum cujusdam Indæ. — 5. Elias mortem evasit, confortatus pane subcinericio, figura Eucharistiæ. — 6. Facile superatur luxuria, si vino Euchar. inebriemur. — 7. Caro nostra infirma sanatur, si fimbriam Christi in hoc sacramento tangimus. Exemplum S. M. Magdalenæ. — 8. Et mulieris sanguinis fluxum patientis. — 9. David ad solam recordationem S. Eucharist. se a peccato immunditiei liberandum sperat. — 10. Corinthii per usum Euch. mutati fuerunt in continentes. — 11. Filius prodigus, recordatus panis paternæ domus, deseruit vitium luxuriæ — 12. Ecclesia jure vocatur virgo propter hoc sacramentum. Vinum naturale inebriat, hoc vero sobrios facit . . . . . Pag. 658

DISCURSUS XVI.

CORPUS CHRISTI, DUMMODO NOS DISPOSITOS INVENIAT, VIRTUTEM NOBIS COMMUNICAT CASTITATIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Per craterem tornatilem intelligitur sanguis; per acervum tritici, corpus Christi. — 2. Quid significet acervus tritici vallatus liliis. — 3. Componit mores ad honestatem S. Eucha. S. Joannes lilium puritatis, requievit super pectus Jesu. Mysterium, cur superliminaria tingenda sanguine Agni explicatur. — 4. Per panem subcinericium Gedeonis, signatur S. Euchar. — 5. Massa ficuum designat Corpus Christi. — 6. Christus nobis in S. Eucharistia confert suam munditiam. — 7. Pulchrum exemplum ad hanc rem faciens. — 8. Vitium carnis pani Angelorum plane est contrarium. Unde processerit fames filii prodigi. — 9. Cur Jesus solus remanserit cum muliere adultera. — 10. Opus est sedula præparatione ut S. Eucharistia habeat in nobis suos effectus. Exerce te in castitate. Cur Agnus paschalis fuerit assus et non coctus. — 11. Cur comestus cum lactucis agrestibus. — 12. Multiplicatus panis in deserto, figurabat S. Eucharistiam. — 13. Christus corpus suum mortuum honesta voluit honorari sepultura. Et per quales ministros. . 662

DISCURSUS XVII.

PANIS EUCHARISTICUS NOS CORROBORANDI VIM HABET, NE CADAMUS, ET UT IN BONO PERSEVEREMUS.

IDEA SERMONIS. — 1. Panis Eucharisticus confirmat cor hominis, ad malum vitandum. — 2. Quid designet agnus comestus cum baculis in manibus. Eucharistia est baculus, cui secure inniti possumus. — 3. Notabilia historia applicata S. Sacramento Eucharistiæ. — 4. S. Eucharistia stabilit nos et confortat in bono. — 5. Facit etiam nos perseverare in bono. — 6. S. Theresia ex eo confortata fuit ad aggrediendum ardua. — 7. Multi in via Dei deficiunt, defectu hujus divini cibi. Caveant fideles, ne pudor illos ab hac mensa retrahat. — 8. Multiplices fructus digne communicantium. — 9. Continuatio eorumdem fructuum . . . . . 665

DISCURSUS XVIII.

AGNUS SACRAMENTALIS ANIMAS AD SE ACCEDENTES MUNDAT A PECCATIS, ET PURIFICAT.

IDEA SERMONIS. — 1. Tollit hoc SS. Sacramentum peccata. — 2. Panis Eucharisticus expurgat sensus, a quibus oritur peccatum. Vana motiva ob quæ aliqui se a S. Communione subtrahunt. — 3. Refellitur ratio, qua dicunt, se esse indignos. S. Communio est fortis armatura. — 4. Quod per S. Eucharistiam dimittantur peccata, patet ex oratione Dominicali. — 5. In S. Communione magnus suscipitur Dominus, qui delet culpas et ornat animas. — 6. Continuatio ejusdem materiæ. . . . . 669

DISCURSUS XIX.

SACRAMENTUM HOC, UTPOTE UNITATIS, ET PACIS SYMBOLUM, DISCORDES, ET VINDICTAM MEDITANTES REJICIT, ET MANSUETUDINEM IN ACCEDENTE REQUIRIT.

IDEA SERMONIS. — 1. S. Eucharistia est Sacramentum pacis, et unitatis, designatum per olivam. — 2. Manna, figura hujus S. Sacramenti, cecidit extra castra, et quæ hujus ratio. Nempe, quod sit symbolum pacis. Sic et in sumente S. Eucharistiam exulare debent omnes dissensiones et bella. — 3. Est enim Sacramentum amoris et unionis. Cur Christo, de hoc sacramento agente, litigarint Judæi — 4. Quomodo convivium, quod Joseph instituit fratribus suis, fuerit figura hujus S. Sacramenti. — 5. Cur verba Centurionis præmittantur in distributione hujus sacramenti. — 6. Flammæ iracundiæ extinguuntur ante S. Communionem. — 7. Insigne hujus exemplum in reconciliatione duorum inimicorum. — 8. Reconciliatio cum hoste ad hoc sacramentum est necessaria. — 9 In figuram hujus altare constituendum erat ex lapidibus quos ferrum non tetigerat. Quid significet animam pro fratribus ponere. . . . . 672

DISCURSUS XX.

EUCHARISTIA OPTIMUM EST ADVERSUS OMNES TENTATIONIS, ET DÆMONIS VIRES ANTIDOTUM.

IDEA SERMONIS. — 1. Hoc SS. Sacr. nos confortat in pugna contra dæmones et tentationes. — 2. Est fortissimum propugnaculum Ecclesiæ. — 3. Lapis Christus convertitur nobis in panem confortantem. Judæi comesti Manna, pugnaverunt contra Amalec. — 4. Quomodo Moyses contra illos pugnaverit. Eodem modo pugnant contra dæmonem Fideles coram venerabili Sacramento. — 5. Sumpta SS. Euch. Deus pugnat pro nobis. — 6. Viso sanguine agni in postibus domorum, transibat Angelus percutiens. Sic et transibit nos malus angelus videns labia nostra tincta sanguine Chr. — 7. Contra primum toxicum infernalis serpentis, antidotum est corpus Christi in Euch. — 8. Qui sumpsit manna absconditum Eucharistiam non timeat tentationes dæmonis. Probatur insigni historia. . . . . 676

DISCURSUS XXI.

PROSECUTIO EJUSDEM MATERIÆ.

IDEA SERMONIS. — 1. Per convivium ab Isaia descriptum, intelligitur epulum Eucharisticum. — 2. Quod vocatur convivium pinguium. Per illius institutionem superatus est diabolus et sublatus fuit illius cultus. — 3. Sumpta S. Euch. fideles animose certant contra diabolum. — 4. Diabolus timuit ne virtute S. Euch. Judas resipiscat. — 5. Mysticus sanguis Christi, dia-

bolum procul pellit. — 6. Cur Christus distulerit institutionem SS. Sacramenti usque ad ultimam cœnam. — 7. Job, virtute hujus Sacramenti, quod a longe prospexit, vicit diabolum. Quanto magis illud reipsa sumentes. — 8. Suadetur frequens Communio. Mirabilis industria aviculæ in pugna contra serpentem. — 9. Diabolus atrocius impugnat accessuros ad S. Communionem. Dæmones comparente S. Euch. fugiunt . . . . . Pag. 679

DISCURSUS XXII.

SACRAMENTUM ALTARIS IN BELLIS NOS A VISIBILIBUS PROTEGIT HOSTIBUS, VICTORESQUE EFFICIT.

IDEA SERMONIS. — 1. S. Hostia nos defendit contra hostes visibiles. — 2. Quod præfiguratum fuit in Manna, Arcæ incluso. Panis subcinericeus Gedeonis, designat S. Euch. Quæ est simul panis et gladius. Exemplum S. Claræ. — 3. Elisæus Regi Israel signum victoriæ contra Syros dedit ubertatem frumenti. — 4. Duæ insignes historiæ, ad intentum applicabiles. Numa Pompilius credidit hostes sacrificio vincendos. — 5. Continuatio ejusdem materiæ. — 6. S. Communione muniti, feliciter pugnant contra hostes. — 7. Per collum Sponsæ designata fuit S. Eucharistia. Ægesippus de excidio. — 8. Christiani ante prælium se muniant S. Euchar. ut vincant. — 9. Et vitæ emendationem firmiter statuant, alias potius oberit, quam proderit. Præclara historia obtentæ taliter victoriæ . . . . . 683

DISCURSUS XXIII.

DE VARIIS EUCHARISTIÆ FRUCTIBUS, PRÆSERTIM AUTEM DE ILLA QUAM NOBIS CONFERT, INDULGENTIA, ET PROPITIATIONE DEI.

IDEA SERMONIS. — 1. S. Eucharist. est propitiatoria. — 2. Christus, quocumque intravit, suam benedictionem et dona impertivit. In Cœnaculo Sion se totum nobis in cibum reliquit. — 3. Stupendi fructus et effectus SS. Eucharistiæ in nobis. Specialiter fructus Spiritus a S. Paulo enumerati, qui sunt : Charitas, Gaudium, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia et Castitas. — 4. Digne communicantes, efficaciter adoptantur in filios Dei. — 5. Communio etiam sustentat corpus. — 6. Subministrat vires ad progrediendum in servitio Dei. — 7. Designata fuit per panes propositionis. Angelus percutiens transit S. Communione refectos. — 8. S. Euch. est opus Dei. Patet in holocausto, quod obtulit David. — 9. Oblato sacrificio Eucharistico Deus misericordiam suam continere non potest. . . . . 686

DISCURSUS XXIV.

COMMUNIO SACRA LUMEN, SCIENTIAM ET DEI, MYSTERIORUMQUE DIVINORUM INFUNDIT COGNITIONEM.

IDEA SERMONIS. — 1. Communio illuminat mentem. — 2. An panis quem fregit Christus in Emmaus, fuerit Eucharisticus. Tenetur quod talis fuerit. Illuminavit binos illos Discipulos. — 3. Quo propius ad Deum accedimus, eo clarius illum cognoscimus. Patet in Samaritana. Et Discipulis Emmaunticis. — 4. Per S. Communionem etiam alias simplices, accipiunt divinas illustrationes. Cur Christus, puella resuscitata, curaverit dari cibum et non aliis resuscitatis. — 5. Quid significet lutum, quo Christus illuminavit cæcum natum. Mel, quod gustavit Jonathas figuravit S. Eucharist. Cur ad cœnam magnam etiam invitati fuerint cæci. — 6. Ex hoc Sacramento hauritur sapientia et intellectus. — 7. Judæi ad esum Mannæ, cognoverunt Deum. Sic nos sumendo S. Eucharist. accipimus panem intellectus. Patet in conversione S. Pauli. — 8. Christus in S. Euch. est cibus et Doctor. — 9. Necessarium tamen est, ut accedamus bene dispositi, ut illuminemur . . . . . 690

DISCURSUS XXV.

SACRAMENTI FRUCTUS NOSTRÆ CORRESPONDET DISPOSITIONI, ILLIUSQUE PRÆ RELIQUIS PARTICIPES FIUNT MAGIS FAMELICI.

IDEA SERMONIS. — 1. Cum magna devotione et bona dispositione accedendum est ad S. Communionem, ut percipiamus ejus fructus. — 2. Esurientes replentur ejus fructibus. — 3. Agnus non debebat comedi crudus, sed assus igne, sic et communicans ardeat igne charitatis. Pro cujus mensura, percipit fructus ejus. Explicatur similitudinibus. — 4. Quibusnam fructus Eucharistiæ sit dulcis. — 5. Cur jejune accedendum sit ad hoc sacramentum. — 6. S. Communio in animabus a Deo illuminatis, miros producit effectus. In male dispositis, plane contrarios. Patet exemplo Judæ et aliorum Apostolorum. — 7. Fimbria vestis Christi designat S. Eucharistiam. Quinam vero illam premant et magis infirmantur. — 8. Quid Christo retribuere debeamus, ut digne accedamus. — 9. Quo quis bonis terrenis magis est vacuus, eo magis saturatur ex hoc sacramento . . . . . 694

DISCURSUS XXVI.

ATTENTA CONSIDERATIO EUCHARISTIÆ SUMENDÆ PRÆMITTENDA EST.

IDEA SERMONIS. — 1. Opus est seria applicatione et præparatione accedentibus ad hoc sacramentum. — 2. Qui S. Communionem sumant crudam. Christus cum magna præmeditatione instituit S. Eucharistiam. — 3. Simus oves ruminantes hunc cibum. — 4. Cur vocetur panis intellectus. — 5. Vacandum sedulæ devotioni et considerationi, ante accessum ad Communionem. Præclarum hujus exemplum in matre Maximiliani Imp. — 6. Accedens ad Sacr. Eucharistiæ primo dicat Manhu. — 7. Prævia cœlestium mysteriorum meditatione, ad S. Communionem accedendum est. — 8. Corp. Christi in S. Communione masticare et incorporare debemus. — 9 Se dulo cogitandum, quid in S. Communione nobis præponatur. — 10. Insignis instructio B. Angelæ de Fulginio pro communicantibus . . . . . 697

DISCURSUS XXVII.

EX RITIBUS, CÆREMONIIS ESUS AGNI PASCHALIS, VARIÆ ERUUNTUR MORALITATES AD DIGNUM HUJUS SACRAMENTI USUM.

IDEA SERMONIS. — 1. Agnus Paschalis cum omnib. circumstantiis, designavit Agnum Eucharisticum

Cur comedi debuerit Agnus in mense Nisan. — 2. Cur Agnus decima die in domum inductus et 14 die primum immolatus. Ut interea examinaretur an haberet aliquam maculam. — 3. Agnus Eucharisticus æque immolatus fuit pro uno, ac pro omnib. — 4. Communicaturi in adjutorium vocamus alios Sanctos. — 5. Agnus debebat esse sine macula. Multo magis communicaturus. — 6. Agnus debebat esse masculus. Per quod designatur Communicantem debere esse fortem. — 7. Debebat esse unius anni, hoc est perfectus. — 8. Eodem modo immolari etiam debebat hœdus. Quo designabatur Christus portans iniquitates nostras. — 9. Cur Agnus servatus fuerit in die 14. — 10. Cur immolandus vesp. — 11. Sanguine Agni tingendi posies et superliminaria domus. — 12. Assari debebat igne. — 13. Comedi debebat cum pane ac azymo : quid hoc signetur. — 14. Cum lactucis agrestib. Communicaturi affligantur amaritudine pœnitentiæ. — 15. Nihil de Agno comedendum crudum. Crudam sumit S. Communionem, qui non discurrit quid sumat. — 16. Quid significetur quod pede et intestina vorari debebant. — 17. Residuum igne comburendum. — 18. Renes accingendi, quid designet. — 19. Quid Calceamenta in pedibus. — 20. Baculus in manus, designat bona opera. — 21. Comestio festina. Significat communicantem semper debere esse paratum, ut exeat ex hoc mundo. 701

## DISCURSUS XXVIII.

HONOR ET MUNDITIA CORPORI CHRISTI DEBITA, EX VARIIS INSTITUTIONIS EUCHARISTIÆ CIRCUMSTANTIIS CONVINCITUR, SCILICET EX APPARATU DUORUM DISCIPULORUM, EX SIGNO AQUÆ, CŒNACULO, LOTIONE PEDUM, SINDONE ET SEPULCHRO NOVO CHRISTI.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus puritatis amator omnia elegit munda. — 2. Ad instituendam S. Eucharistiam elegit Cœnaculum mundum et ad hoc præparatum. — 3. Quod significet signum amphoræ aquæ, a Christo discipulis datum. — 4. Cur Christus ad instituendam S. Euch. elegerit Cœnaculum grande stratum et ornatum. Turcæ hoc cœnaculum venerantur. — 5. Aqua amphoræ designat gratiam hujus sacramenti. — 6. Quid designet, quod hoc Cœnaculum fuerit in superiori domus parte. — 7. Cur Christus præmiserit lotionem pedum institutioni hujus sacramenti. Olim etiam lavabantur pedes victimæ immolandæ. Abraham lavit pedes hospitibus suis, antequam panem proponeret. — 8. Ut digne communices, sis similis Josepho ab Arimathæa. — 9. Per Sindonem mundam designatur caro Christi. Et munda conscientia. — 10. Monumentum novum designat conscientiam mundatam . . . . . 704

## DISCURSUS XXIX.

EUCHARISTIAM SUMME FRUCTUOSAM EFFICIT, QUI ILLAM CUM ACTUALI MORTIS MEMORIA SUSCIPIT, ILLAMQUE QUASI ULTIMA FUTURA ESSET, ASSUMIT.

IDEA SERMONIS. — 1. S. Eucharist. digne sumere volentes, cogitent esse Phase, hoc est transitus hujus vitæ ad vitam futuram. — 2. Diversæ adducuntur rationes, quare Christus instituerit S. Euch. in fine vitæ. S. Eucharistia apposite vocatur Cœna. — 3. Panis Eucharisticus sumendus ac si essemus parati ad mortem. Figura hujus in muliere Sareptana. — 4. Continuatur eadem materia. — 5. Communicaturi mortificent concupiscentias carnis. Cur populus in deserto cibatus miraculoso pane jussus fuerit sedere super fœnum. — 6. Expenditur sollicitudo mulierum circa Corpus Christi sepultum. Utilissimum est S. Communionem sape sumere, ac si esset viaticum. Quid designet panem Eliæ missum fuisse subcinericium. . . . . 706

## DISCURSUS XXX.

DE CONSCIENTIÆ EXAMINE ET INTERIORI PURIFICATIONE, COMMUNIONI PRÆMITTENDA

IDEA SERMONIS. — 1. Ut hoc sacramentum sit proficuum, requiritur conscientia a vitiis mundata. — 2. Anima prius sananda est, quam hoc cibo pascenda. — 3. Allusio ad aromata quibus corpus Christi conditum fuit. — 4. Sicut cibus corpori mortuo nihil prodest, sic nec S. Communio animæ mortuæ. — 5. Confessio præmittenda Communioni. — 6. Pura conscientia accedendum est ad hoc sacramentum. Quænam sit pura conscientia. Allusio syndonis mundæ, cui corpus Christi involutum fuit. — 7. Amphora aquæ, significat lacrymas compunctionis. — 8. Motiva de mundanda conscientia. Ad Christum in sacra communione accedendum tanquam ad judicem. — 9. Cur Christus in ultima Cœna mentionem fecerit proditionis et mortis suæ. — 10. Antequam panem cœlestem comedamus, gemere debemus et suspirare per compunctionem. Etiam venialia peccata eliminanda sunt ex consoientia. . . . . 711

## DISCURSUS XXXI.

VARIÆ ADDUCUNTUR CIRCA SANCTITATEM ET CANDOREM CORPORIS CHRISTI, CONSIDERATIONES, QUI INNOCENTIAM ET CONVENIENTEM IN RECIPIENTIBUS EXIGIT PRÆPARATIONEM.

IDEA SERMONIS. — 1. Levitæ portaturi vasa Domini, prius mundandi erant. Multo magis communicaturi. — 2. Magna sollicitudine præparare nos debemus ad S. Communionem docent duæ similitudines. Apostoli jumentum in quo Christus sedit, primo solverunt, deinde adornarunt antequam illum imponerent. — 3. Manus Christi semper sanctæ, sanctiores tamen fuerunt, cum corpus suum in illis tenens Apostolos communicavit. Beata Virgo Christum natum purissimis panniculis involvit. — 4. In S. Communione desponsamur cum Christo. Cur Christus seipsum communicaverit. Communicans cogitet ac si Christus eadem die primum homo fieret. — 5. Joseph figura fuit Christi, fratres ejus pedes lavarunt antequam comederent. — 6. Munda conscientia corpus Christi tangendum est. — 7. Quid significat quod Seraphim carbonem ex Altari non manu, sed forcipe tulerit. Invectiva contra indigne communicantes. Cum quanta præparatione accedendum sit ad S. Commun. . . . . 715

## DISCURSUS XXXII.

SACRAMENTUM HOC TIMORATIS ET CUM HABITU VIRTUTUM, BONORUMQUE OPERUM AD IPSUM ACCEDENTIBUS, GRATIAS SUAS IMPERTIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Cum timore Domini accedendum est ad hoc sacramentum. — 2. Panes propositionis

præparati fuerunt in auro. — 3. Cur Apostoli non celebrarint Missam, nisi post adventum Spiritus sancti et acceptum donum timoris. — 4. Cur hostiæ immolandæ sacerdos imposuerit manum. — 5 Panis in deserto multiplicatus fuit symbolum S. Euchar.— 6. Sedulum exercitium virtutum optima præparatio ad S. Communionem. — 7. Specialiter resignatio in voluntatem Dei. Et frangendo voluntatem propriam. — 8. Morum immutatio necessaria est, ad digne communicandum. Probatur exemplo Zachæi Christi suscipientis in domum suum. — 9. Imitemur transsubstantiationem panis in corpus Christi. — 10. Materia hostiæ consecrandæ nos docet modum præparandi nos ad dignam communionem . . Pag. 718

DISCURSUS XXXIII.

IN COMMUNIONE LAUDES, ET GRATIÆ DEO REDDENDÆ; ET RECIPIENDUM EST CORPUS DOMINI IN SOLITUDINE CORDIS, ET CUM DEVOTIONE.

IDEA SERMONIS. — 1. Panis Euch. impinguat animam. Communicaturi incipiamus cum Christo a gratiarum actione. — 2. B. V. concepto Filio Dei, statim erupit in gratiarum actionem. Cur voluerit Christus corpus suum condiri aromatibus. — 3. Communicaturus sequestratur prius a tumultibus popularibus. — 4. Post S. Communionem non statim ad vana et prophana declinandum est. Sic fecit Judas et hinc periit. — 5. Invectiva contra illos, qui communione accepta, a cultu Dei statim recedunt. — 6. Hoc facientes merentur privari fructu illius. — 7. Pulchra instructio S. Theresiæ pro communicantibus. Simile Regis ad commune hospitium declinantis et inurbane tractati . . . . . 722

DISCURSUS XXXIV.

PANIS HIC, AD QUEM CUM APPETITU ACCEDENDUM, FAMELICOS SATIAT, CUJUS VARIA ADDUCUNTUR EXEMPLA.

IDEA SERMONIS. — 1. Non cum nausea, sed cum fame et pio desiderio communicandum est. — 2. Quam aquam sitiverit David de cisterna Bethlehem.— 3. Agnus comedi debebat festinanter. Sic et S. Communio non est sumenda lento corde, sed cum omni aviditate. Cur S. Communio jejune sumenda sit. — 4. S. Phil. Ner. magna aviditate sumebat S. Communionem in firmus. — 5. Excitanda est fames spiritualis erga hnnc panem. Præclara hujus sanctorum exempla. — 6. Aliud mirabile exemplum. — 7. Fervor S. Francisci ad hoc SS. Sacramentum. — 8. Quomodo hoc pane saturi, adhuc esuriant illum . . . . . 725

DISCURSUS XXXV

DE HUMILITATE, QUAM CHRISTUS IN EUCHARISTA PROFITETUR, CUI NOS PER RECIPROCOS HUMILITATIS ACTUS, DUM ILLAM RECIPIMUS, CORRESPONDERE DEBEMUS,

IDEA SERMONIS. — 1. Duæ difficultates enodantur circa illa verba : Domine non sum dignus, etc. — 2. Quanta sit dignitas quod Salvator noster seipsum nobis dederit in cibum. Stupenda historia de Rodulpho Austriaco, circa venerationem SS. Eucharistiæ. Applicatio historiæ ad Christum Regem ad nos venientem. — 3. Maxima dignatio quod Filius Dei in S. Eucharist se nobis communicet. — 4. Pascit nos Christus S. Eucharist. sicut Mater prolem lacte. — 5. Stupenda humilitatis Christi in S. Eucharistia declaratur. — 6. Christi humiliationem per reciprocos actus humilitatis rependere debent communicantes. — 7. Humilitas S. Bon. circa S. Commun. Et B. Simonis ord. Cisterciensis. — 8. Humilitas Centurionis expenditur et communicaturis applicatur. — 9. B. V. humilitas in conceptione Filii Dei. Humiliatio Chananeæ. 728

DISCURSUS XXXVI.

DE CORRESPONDENTIA ET PROPORTIONE, SACRAMENTUM HOC INTER ET PASSIONEM CHRISTI, CUJUS ILLUD EXISTIT FRUCTUS, AC PROINDE UT EUCHARISTIAM CUM FRUCTU PARTICIPEMUS, PASSIONEM MEDITEMUR OPORTET.

IDEA SERMONIS. — 1. Celebraturi et communicaturi meditentur Dominicam passionem. Magna connexio S. Eucharistiæ et Dominicæ passionis. — 2. Hostia Abelis Deo magis placuit, quam Cain et quare. Botrus uvæ exploratorum figuravit Christum in cruce suspensum. — 3. Quid designet oblatio de sartagine. — 4. Panis Eucharisticus, conjungendus est ligno crucis. — 5. Agnus Paschalis assus igne designabat corpus Christi. Lactucæ agrestes designabant amaritudinem passionis ejus. — 6. Panis subcineritius quem Elias comedit sub junipero, designabat Eucharistiam sumendam cum meditatione passionis Dominicæ. Christus conjunxit commemorationem passionis suæ institutioni SS. Eucharistiæ. — 9. Panis Ruth intinctus in aceto, significat Eucharistiam sumendam commemorando simul passionem Christi. — 10. S. Eucharistia semper adjunctam habet crucem. . . 732

DISCURSUS XXXVII.

MULTI SACRAMENTUM, SED CULPA SUA, NON VIRTUTEM EJUS SUMUNT ET GRATIAM; IDEOQUE INDIGNIS CIBUS EST MORTIS, DIGNIS AUTEM PANIS VITÆ.

IDEA SERMONIS. — 1. Multi sumunt S. Eucharistiam sine fructu, sed sua culpa. — 2. Hoc Christus declaravit in verbis institutionis SS. Sacramenti. — 3. Probatur mirabili visione et historia. — 4. Ignis fornacis Babylonicæ designat operationem hujus sacramenti. — 5. Judas cum Apostolis hoc pascitur cibo, sed diverso effectu. — 6. Maculatæ conscientiæ S. Eucharistia est venenum. — 7. Differentia inter panem quem Abraham et Loth apposuerunt Angelis. — 8 Ratio quare pincerna Regis Ægypti sublevatus et pistor suspensus fuerit. Applicatio ad Eucharistiam. Historia qua supradicta confirmantur. . 736

DISCURSUS XXXVIII.

PANEM HUNC AB ALIIS CIBIS NON SECERNENS, INDIGNEQUE SUMENS, SUAM DEGLUTIT DAMNATIONEM, CHRISTUMQUE SUMIT JUDICEM, SIBI SOLI, ET NON CHRISTO NOCENS.

IDEA SERMONIS. — 1. Gravissime peccant, qui hunc cibum non majori reverentia sumunt quam cibum communem. Cibus non masticatus nocet stomacho : sic et hic cibus sacramentalis animæ non debite

præparatæ. — 2. Uva ex terra promissionis delata designat Christum. Quem designent duo viri portantes uvam. Gravissime labuntur, qui Christo in SS. Sacramento debitam venerationem subtrahunt. — 3. Indigne communicantes sententiam damnationis deglutiunt. Hoc patet in homine carente veste nuptiali. — 4. Deus rigorosum minatur judicium prophanatoribus Templi. Multo rigorosius punientur prophanatores S. Eucharistiæ. — 5. Indignitas communicantis non præjudicat Christo, sed communicanti . . . . . Pag. 739

DISCURSUS XXXIX.

JUDÆ, IN RECIPIENDO CHRISTI CORPORE, INDIGNITAS CIRCUMSTANTIALITER EXAMINATA, GRAVITATEM OSTENDIT COMMUNIONIS SACRILEGÆ.

IDEA SERMONIS. — 1. Examinantur circumstantiæ indignæ communionis Judæ proditoris. Non minus delinquunt etiamnum indigne communicantes. — 2. Pro viliori lucro quam Judas vendunt Christum indigne communicantes. — 3. Indigne communicantes cum Aman a convivio transeunt ad patibulum. — 4. Acetum felle mixtum, acceleravit Christi mortem. Quisnam Christum gravius offenderit Judas, an Pilatus? — 5. Scelus Judæ quod indigne communicavit, vel maxime execrandum fuit. Post illud scelus commissum dereliquit illum Christus. Hoc adhuc contingit indigne communicantibus. — 6. Miserabilius est indigne communicare quam a dæmone possideri. — 7. Christus frustra curatus fuit Judam ad pœnitentiam inducere. . . . . 742

DISCURSUS XL.

DE ASSERTO APOSTOLI DICENTIS : *Quicumque manducaverit panem indigne, reus erit corporis et sanguinis Christi, etc.* UBI ETIAM OSTENDITUR, QUOD REATUS ISTE MAJOREM IN NOBIS MEREATUR PŒNAM, QUAM OLIM IN LEGE VETERI, UBI FIGURAM ILLIUS INDIGNE TRACTANTES, SEVERISSIME FUERE PUNITI.

IDEA SERMONIS. — 1. Proportio est inter Christum manu occidentes et indigne communicantes. Hi enim illum de novo crucifigunt. Indigne communicantes in inferno sociabuntur Judæ, Pilato, Herodi. — 2. Prosecutio ejusdem argumenti. Declaratur gravitas hujus sceleris apta similitudine. Invectiva S. Bernardi contra hoc peccatum. — 3. Mira Christi patientia, quod indigne communicantes non statim puniat. Sicut nec olim suos crucifixores. — 4. Corpora nostra sunt templa Dei quæ prophanant indigne communicantes. Ex stragis illis inflictis, qui olim figuras hujus SS. Sacram. minus digne tractarunt, colligitur, pœna indigne communicantium. — 5. Punitiones divinæ incipiunt a Sanctuario, id est, ab illis qui hoc Sacr. indigne tractant . . . . . 746

DISCURSUS XLI.

DE DAMNIS INDIGNE COMMUNICANTIUM, DEQUE VARIIS EORUM SPIRITUALIBUS, TEMPORALIBUS ET ÆTERNIS SUPPLICIIS.

IDEA SERMONIS. — 1. Vestis nuptialis necessaria est ad hoc sacramentum digne sumendum. — 2. Ingens damnum incurrunt indigne communicantes, quod patet exemplo Judæ. Apta similitudine declaratur damnum indigne communicantium. — 3. Medicina corporis Christi, indigne sumentibus est vulnus et venenum. Et quidem valde periculosum et atroci pœna dignum. Recensentur damna indigne communicantium. — 4. Propter indignas communiones, multi repente et immature moriuntur. Horrenda historia indigne communicantis et sine pœnitentia morientis. — 5. Pro tali anima intercedens, nihil efficit. — 6-7. Varia alia ejusdem materiæ exempla. — 8. Frisia submersa fuit propter sacr. hostiam indigne tractatam . . . . . 749

DISCURSUS XLII.

IMPURITAS VITÆ AD CHRISTI CORPUS ACCEDENTEM SUMME DEDECET; UBI CONSEQUENTER DE VARIIS AGITUR PŒNIS ILLORUM, QUI IMPUDICI EXISTENTES, AD COMMUNIONEM ACCESSERE.

IDEA SERMONIS. — 1. Impudici in suis criminibus communicantes, Christum conjungunt Veneri. Corpori Christi tam in conceptione quam sepultura deservit virginitas et puritas. — 2. Corpus Christi sumere volentes, caste vivant. — 3. Cur Carnes sanctæ in V. L. prohibitæ fuerint mulieribus. In manducatione panis miraculosi in deserto, solum fit mentio virorum et quare. — 4. Panes propositionis non comedebantur ab immundis ex conjungali etiam licito. — 5. Cur Christo nato in stabulo adfuerint asinus et bos et equus et mulus. Homines carnales nullam spiritus et animæ habent rationem. — 6. Corpus Christi ab immunda anima sumptum, illam magis inficit et deturpat. — 7. Communicantes delectationibus carnalibus obnoxii animas suas ducunt ad mortem. Nam cum Juda proditore venenum accipiunt. Renes castitate præcingendi sunt, antequam accedamus ad esum Agni Eucharistici. — 8. Margarita Eucharistica non mittenda ante porcos. Ad magnam cœnam venire non poterat qui uxorem duxerat. — 9. Summopere irascitur Deus hominibus carnalibus, ad Eucharistiam accedentibus, magis quam cum peccato iræ vel alterius peccati spiritualis. — 10. Ob hoc peccatum Roma punita fuit peste inguinaria. — 11. Stupendum punitionis exemplum in simili casu . . . . . 753

DISCURSUS XLIII.

CONTRA NAUSEABUNDOS FREQUENTIS COMMUNIONIS, QUORUM VARIA CONSIDERANTUR SUPPLICIA ET DAMNA.

IDEA SERMONIS. — 1. Stulti sunt qui sub damnoso metu ab hoc sacramento abcedunt. Ducuntur enim in damnosum laqueum a Diabolo, cum Israelitis Manna nauseantibus. Hinc coguntur censuris ut ad minus semel in anno accedant fideles. — 2. Canalem hunc gratiæ diabolus incidere conatur, sicut Holofernes Bethuliæ. — 3. Increpantur qui pigri sunt ad accedendum ad hoc sacramentum. Utilitas frequentis communionis declaratur apta similitudine. — 4. Deus nos gravius punire non potest quam per nauseam ad sacram communionem. Qui sani hunc cibum nauseant, morituri illo carebunt. — 5. Quod quispiam nauseam habeat a bonis operibus malum est, si autem fastidiat panem Angelorum est signum mortis æternæ.

— 6. S. Conc. Tr. efficacissimis verbis hortatur ad frequentem Commun. Ratio, cur hoc sacramentum sit institutum sub speciebus panis et vini. — 7. Virtute Corporis Christi resuscitabimur secundum corpus et animam. Ex necessitate cibi materialis concluditur necessitas hujus cibi. — 8. Terribilis comminatio Christi in negligentes S. Communionem. Pag. 757

## DISCURSUS XLIV.

DE USU PRIMORUM FIDELIUM, PER ALIQUOD TEMPUS IN ECCLESIAM INTRODUCTO, CIRCA COMMUNIONEM PRIMITUS QUOTIDIANAM ET TANDEM FREQUENTISSIMAM; VARIA PROINDE FREQUENTIÆ HUJUS CONSIDERANTUR BONA, OMNIA UTILIA ET NECESSARIA.

IDEA SERMONIS. — 1. Per fractionem panis, intelligitur sumptio corporis Christi. — 2. In primitiva Ecclesia fideles quotidie communicabant. — 3. Quotidiana et frequentior communio asseritur ex Annalib. Eccles. — 4. Olim Prælati et Pastores fervide hortabantur ad frequentem Communionem. — 5. Omnes S. Canones et Concilia in hoc conspirant frequentem communionem inculcandam esse. — 6. Cupiditas hujus cibi laudabilis est, necessaria vitæ spirituali. — 7. Frequentia S. Communionis suadetur a SS. Patribus et Doctoribus. Adducuntur utilissimi effectus et fructus S. Communionis . . . . . 761

## DISCURSUS XLV.

COMMUNIO QUOTIDIANA VARIIS COMMENDATUR RATIONIBUS ET AUCTORITATIBUS; SOLUTIS IN CONTRARIUM OBJECTIONIBUS, TANDEMQUE, QUIDQUID AD HOC PUNCTUM SPECTARE VISUM EST, PLENIUS DISCUTITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Per Panem quotidianum intelligitur S. Euch. — 2. Hinc concluditur, quotidie illam sumendam. — 3. SS. Euchar. instituta est in remedium præservativum peccatorum. — 4. Pulchrum exemplum frequentis communionis, ejusque utilitatis. — 5. Salubris admonitio S. Francisci ad sacerdotes celebraturos. S. Bonav. miraculo instruitur quotidie celebrandum esse. — 6. Adducuntur rationes et argumenta contra frequentem communionem. — 7. Omnibus supra positis argumentis respondetur et refelluntur et primo primum. — 8. Quænam sit debita præparatio ad hoc sacramentum. Non interstitium temporis, sed munditia conscientiæ requiritur, ut digne accedas ad hoc sacramentum. — 9. Refellitur objectio secunda. — 10. Refellitur objectio tertia et insinuatur, quod in virtutibus radicatis sæpe liceat accedere. — 11. Explicatur sententia S. Aug. — 12. Instruuntur et tepidi et ferventes quoad accessum ad S. Communionem. — 13. Regula certa in hac re præscribi non potest . . . . . 765

## DISCURSUS XLVI.

VARIÆ ADDUCUNTUR RATIONES, CUR CHRISTUS SACRAMENTI HUJUS INSTITUTIONEM AD NOCTEM USQUE PASSIONIS SUÆ DISTULERIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Expenditur tempus institutionis hujus sacramenti. — 2. Incarnatio et nativitas Christi etiam in nocte facta fuerunt. — 3. Hoc sacramentum in nocte institutum fuit ut significaretur finis V. L. — 4. Quia nox est symbolum fidei, quæ in hoc sacramento singulariter exigitur. — 5. Quia per illud nox ignorantiæ nostræ illuminatur. — Quia etiam nocturno tempore Agnus Paschalis immolabatur. — 7. Cur Apostolus dixerit Christum non simpliciter in nocte sed, in qua nocte tradebatur instituisse hoc sacramentum. — 8. Opportune tunc institutum fuit, cum fulmina iræ Dei in nos vibranda erant. — 9. Mirandum est quod Christus tunc illud instituit cum a nobis felle et aceto potandus erat. — 10. Nox proditionis commemoratur, ut compungemur. Et altitudo hujus mysterii, cordibus nostris altius infigatur. — 11. Isaias nominat hoc sacramentum novam adinventionem. Elias reliquit Eliseo pallium suum, Christus vero nobis SS. Carnem suam. Quænam fuerit hora Christi, de qua loquitur in nuptiis Canæ Galileæ . . . . . 770

## DISCURSUS XLVII.

DE IMMENSO CHRISTI ERGA NOS AMORE IN HOC SACRAMENTO EXHIBITO

IDEA SERMONIS. — 1. S. Eucharistia est Christo paradisus voluptatis. — 2. Perfectissimus amoris divini gradus consistit in institutione SS. Eucharistiæ. — 3. Homo famelicus desiderabat saturari carnibus Christi. Cui Christus condescendens instituit S. Eucharistiam, insignum summi sui amoris, qui ulterius progredi non poterat. — 4. Verba consecrationis sunt verba virtutis et magnificentiæ. Per illa verba astringitur Christus, ut se in minimam hostiam recipiat. Vedius Pollio servos suos objecit devorandos piscibus, quos postea comedebat, ut hoc modo carnibus servorum frui posset. — 5. Fortissimus amor Christi instituentis hoc sacramentum. Deus ab amore victus se nobis dedit in cibum. — 6 Expenditur tempus institutionis S. Eucharistiæ. Christus a nobis discessurus, corpus suum nobis reliquit in pignus amoris. Simile nutricis purgationem sumens ut lacte suo infanti subveniat. Christus in SS. Eucharistia quotidie quasi moritur, amore nostri. Parabola Nathan de ove, applicatur Christo. Christus totum fontem sui amoris in hoc sacramento exhausit. — 7. Chrislus nos amans omnia bona sua nobis communicavit. — 8. Christus amator noster semper nobiscum esse voluit. Unde ortum habuerit idololatria . . . . . 774

## DISCURSUS XLVIII.

DE GRATITUDINE ET MODESTIA, QUAM CHRISTO DEBEMUS IN COMMUNIONE SACRA; PRÆSERTIM VERO DE CUSTODIA LINGUÆ.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus S. Eucharistiæ conjunxit gratiarum actionem. Quod nos imitari debemus. — 2. Post S. Communionem persistendum in gratiarum actione et voce laudis. — 3. Aves satiatæ incipiunt cantare, quas communicaturi imitari debemus. Sic peccatores, beneficiis divinis ingrati etiam faciunt. Multi S. Eucharistia reficiuntur sine fructu culpa sua — 4 Apta similitudine docetur sumpta S. Eucharistia non statim ad exteriora divertendum esse, sed spiritualibus exercitiis insistendum est. — 5. Christus in multis miraculis adhibuit gratiarum

actionem sicut in institutione S. Eucharistiæ. — 6. Sumpta S. Communione ardeat in nobis cor nostrum. Et glorificemus Deum, quem portamus in corpore nostro. Pulchrum simile. — 7. Cur Christus multiplicato pane compulerit discipulos a se discedere. Culpa nostra perdimus fructum hujus sacramenti. — 8. Cur Deus Manna voluerit conservari in Tabernaculo et non virgam Moysis. — 9. Pro beneficio Eucharistiæ, nobis datæ, vel maxime agendæ sunt Deo gratiæ. — 10. Post S. Communionem in primis utilis est custodia linguæ. S. Pachomius voluit monachos, etiam dum faciebant hostias, servare silentium. Apta similitudo S. Gertrudis ad hoc propositum . . . . . Pag. 778

DISCURSUS XLIX.

DE FIDE AD EUCHARISTIAM NECESSARIA, ET QUARE *mysterium fidei* APPELLETUR, VARIÆ ADDUCUNTUR RATIONES.

IDEA SERMONIS. — 1. Quare S. Eucharistia sola vocetur mysterium fidei. — 2. Olim etiam a Græcis vocata fuit mysterium. — 3. Euch. dicitur mysterium, quia aliud in illa cernitur et aliud creditur. Sensus nostri in S. Euchar. falluntur, sicut Isaac, in filio suo Jacob. — 4. Hinc opus est firma fide S. Petri. — 5. Quod etiam declaratur monumento Christi, in petra exciso. — 6 Hoc SS. sacramentum uno tantum fidei oculo intuendum est. — 7. Quod etiam Christus suasit auditoribus suis. — 8. Non sensibus corporis sed sola fide hoc sacramentum apprehendi debet. — 9. Curiositas sensuum abigenda. — 10. Cur in hoc sacram. tantopere exigatur fides. — 11. Referuntur aliquot miracula fidem hanc confirmantia. . . 782

DISCURSUS L.

DE VARIIS RATIONIBUS, OB QUAS CHRISTUS OCCULTE SUB ACCIDENTIBUS SACRAMENTALIBUS DELITESCERE VOLUIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus latet in SS. Eucharistia sub velamine specierum sacramentalium. — 2. Christum in sacramento intueri non possumus, nisi interposita esset nubes specierum. Christus in SS. sacramento se accommodat nostræ capacitati. — 3. Hoc ipsum fecit conversando cum hominibus ante passionem suam. Abscondens Majestatem suam in SS. Eucharistia consulit infirmitati nostræ. Hæc absconsio est amoris indicium. — 4. Continuatio ejusdem propositi. — 5. Obvelatio illa est opus misericordiæ erga peccatores. — 6. Si Christus carnem suam nudam et crudam apposuisset, horrorem nobis concitasset. Exemplum hujus refertur. — 7. Probatur aliorum SS. Patrum assertis. — 8. Non competit statui viæ Christum aperte videre. — 9. Habet se Christus in hac re instar amatoris. Quibusdam tamen Sanctis se ostendit aperte. — 10. Obvelatio illa explicatur duabus picturis. Fuit fidei nostræ necessaria. Quinam Christum comedant crudum . . 786

DISCURSUS LI.

DE VARIIS RATIONIBUS, ALTISSIMI HUJUS MYSTERII VERACITATEM, ET POSSIBILITATEM PROBANTIBUS.

IDEA SERMONIS. — 1. Omnis ambiguitas circa hoc Sacr. procul abigatur. Nam Christus prima veritas illi fert testimonium. Et hinc non est relictus ambigendi locus. — 2. Tota S. Trinitas huic Sacr. dat testimonium. Christus S. Paulo per seipsum revelavit hujus Sacr. institutionem. — 3. Dubitantibus respondet cum Gabriele : Non est impossibile apud Deum omne verbum. In quo symboli articulo contineatur hoc Sacr. De Spiritus S. cooperatione in hoc Sacr. dubitare non licet. — 4. Deus per omnipotentiam suam plus facere potest, quam nos intelligere. Rationes SS. Patrum convincentes, vacillantes in fide hujus Sacramenti. — 5. Ipse dæmon admisit in Christo possibilitatem Euch. Virtute divina alii Sancti facere potuerunt tales transmutationes. — 6. Sicut lutum in manibus Dei mutatum fuit in hominem, sic et panis in manibus Christi mutatus fuit in corpus. — 7. Possibilitas transubstantiationis, probatur ex tribus capitibus. — 8. Probatur etiam experientia. — 9. Quomodo Corpus Christi simul esse possit in diversis locis. — 10. Alia naturalis et efficax ratio. — 11. Aliæ rationes Christi in Eucharistia. — 12 In hoc mysterio solummodo anchoræ fidei fidendum est . . 790

DISCURSUS LII.

EUCHARISTIA COMPENDIUM EST ET ABYSSUS OMNIUM MIRABILIUM.

IDEA SERMONIS. — 1. SS. Euchar. exhausit universam Dei omnipotentiam. — 2. Super omnia est admirabilis SS. Euchar. productio. — 3. Mirandum est, accidentia esse sine subjecto. — 4. Corpus Christi ad instar puri spiritus simul est, in locis innumerabilibus. — 5. Maxime admirandum est, quod verum et reale corpus Christi contineatur in tam parva hostia. Licet hostia dividatur in multas partes, in omnibus tamen integer est Christus. — 6. In S. Eucharistia Christus est totus in tota specie panis et totus in qualibet ejus parte. Non contractus, sed ita integer sicut est in Cœlo. — 7. Panis Eucharisticus non consumitur a multitudine illum sumentium. — 8. Christus in Euchar. se nobis donat et in se consistens, permanet. — 9. Aliæ SS. Patrum sententiæ de mirabili transubstantiatione panis, in corpus Christi. — 10. Miraculum illud continuabitur usque in finem mundi . . . . . 796

TRACTATUS TERTIUS

DE SOLEMNI FESTO SANCTISSIMI CORPORIS CHRISTI

DISCURSUS I.

OSTENDITUR PRIMO FESTUM HOC A DAVIDE FUISSE PRÆDICTUM. SECUNDO DE PRIMA EJUS ORIGINE, DEQUE PRIMIS MOTIVIS QUÆ URBANUM IV, AD FESTUM HOC INSTITUENDUM PERMOVERUNT, TRACTATUR. TERTIO AD FESTUM HOC DECENTER HONORANDUM, OPUS ESSE, UT DEI OFFENSAM DECLINEMUS, DOCEMUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus ab æterno Corpus suum per solemnitatem honorandum decrevit, sed ad certum tempus decreti executionem reservavit. — 2. Sanctæ Julianæ humili virgini per visionem voluntatem suam manifestavit. — 3. Sapientia æterna finem suum attingit fortiter et disponit omnia suaviter. — 4. Miraculis intervenientibus decretum de festo celebrando datur. — 5. Exhortatio ad exsolvendas Sacramento debitas laudes . . . . . 801

## DISCURSUS II

EXPLICANTUR NONNULLÆ HUJUS INSTITUTÆ SOLEMNITATIS CONVENIENTIÆ ET RATIONES EXPONUNTUR, CUR EUNDEM IN HUNC PRÆCIPUE DIEM TRANSLATA FUERIT. PULCHRA ETIAM EXPONITUR MORALITAS. OSTENDITUR ACCEPTISSIMUM CHRISTO OBSEQUIUM ESSE HONOREM, QUI SACRATISSIMO EJUS CORPORI EXHIBETUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Commemoratio S. Sacramenti in die Jovis Sancto non sufficit. — 2. Præsens solemnitas non inferior est solemnioribus solemnitatibus Christi. — 3. Qua ex causa talis dies ad hanc celebrandam festivitatum eligitur. — 4. Quinam veniunt vere ad hanc solemnitatem. . . . . 805

## DISCURSUS III

SANCTA DEI ECCLESIA SANCTISSIMO SACRAMENTO JUSTUM IN HOC FESTO EXSOLVIT GRATITUDINIS DEBITUM. SIMILITER LAUDES ET GRATIAS, QUAS SACRAMENTO HUIC REFERIMUS, NON TAM A LINGUA, QUAM A PURO ET MUNDO CORDE PROCEDERE DEBERE OSTENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Qua potissima ratione suam devotionem fideles ostendere queant erga SS. Sacramentum. — 2. Prosequitur eadem materia. — 3. Quod petierat Moyses meliori modo possidemus; Deus vere nobiscum graditur. — 4. Estote sancti non enim est speciosa laus in ore peccatoris. . . . . 807

## DISCURSUS IV

SS. SACRAMENTUM IN HODIERNIS PROCESSIONIBUS GRATIAS ET BENEDICTIONES SUAS EROGANDO ERGA NOS SE LIBERALISSIMUM ESSE DECLARAT. UBI EADEM OCCASIONE MALORUM CHRISTIANORUM IRREVERENTIA ERGA HOC SACRAMENTUM GRAVITER PERSTRINGITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus in Eucharistia tanquam in throno misericordiæ sedet. Salvator, thesaurus, merces, convivium, arca fœderis est nobis. — 2. Christus pertransit benefaciendo sed etiam sanando omnes. — 3. Multorum tamen vulnera et plagæ mortiferæ in hisce processionibus potius recrudescunt. . 810

## DISCURSUS V.

LÆTITIAM, AD QUAM IN HAC FESTIVITATE INVITAMUR, POTIUS IN INTERIORI BONÆ CONSCIENTIÆ SINU ET VIRTUTIBUS CHRITIANIS BONISQUE OPERIBUS, QUAM IN EXTERNIS DEMONSTRATIONIBUS CONSISTERE, OSTENDITUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Ecclesia nos ad affectus lætitiæ et gaudii dulciter invitat. Hæc lætitia ignorantium lux est. — 2. Gaudium nostrum a divina præsentia nunquam dessociandum est. Spiritualem lætitiam nihil aliud gignit quam pura conscientia. — 3. Non omne studium in externa cultus et ornamentorum ponendum, sed in bonis et spiritualibus operibus . . 813

## DISCURSUS VI.

CORPORI CHRISTI ACCEPTIORA SUNT SPIRITUALIA VIRTUTUM BONORUMQUE MORUM, PURITATIS ITEM MENTIS ET CORPORIS PERISTROMATA, QUAM QUÆVIS ORNAMENTA EXTERIORA.

IDEA SERMONIS. — 1. Ad sacramentum Corporis sui instituendum Christus Cœnaculum elegit, grande stratum. Duplex hujus electionis ratio. — 2. Paranda via Domini, sternendo eam bonis operibus. — 3. Paratur item amovendo sordes vitiorum. . . . 815

## DISCURSUS VII.

SACRAMENTUM HOC, QUOD BASIS EST FIDEI NOSTRÆ, ET IMMOBILE ECCLESIÆ FIRMAMENTUM, HOC UNICE IN HOC FESTO INTENDIT; UT NIMIRUM AD FREQUENTIOREM REVERENTIOREMQUE SUI CULTUM POPULUM INDUCAT CHRISTIANUM, CONFUNDATQUE HÆRETICOS, UBI ETIAM ALIQUA HUJUS INSTITUTIONIS TANGUNTUR MOTIVA : ET DE CONGRUA AD HANC EUCHARISTICAM MENSAM PRÆPARATIONE.

IDEA SERMONIS. — 1. Christus sacramento hoc mediante omnes totius universi populos dominio suo venerabundos subjicere voluit. Hæresis nullam habet in Ecclesia potentiorem machinam quam hujus Sacramenti neglectum atque contemptum. — 2. Solemnitas hodierna frequentiorem excitat ad communionem. — 3. Negligentias in anni decursu admissas reparat. — 4. Obsequium regi gloriæ præstat . 818

## DISCURSUS VIII.

DE HUJUS SACRAMENTI, HODIERNÆQUE SOLEMNITATIS INSTITUTIONE SUB SPONSALITII ET NUPTIARUM FIGURA TRACTATUR.

IDEA SERMONIS. — 1. Tametsi Filius Dei naturæ nostræ in Incarnatione desponsatus fuerit, majori tamen jure dies institutionis Sacramenti dispensationis dies denominari meretur. — 2. Circumstantiæ Matrimonii circumstantiis institutionis Eucharistiæ conferuntur. — 3. Deus infinitam sponsæ suæ disparitatem supplet. — 4. In hac solemnitate Ecclesia ut sponsa adornatur. — 5. Hodie catholici ab hæreticis manifeste discernuntur. — 6. Væ non indutis veste nuptiali. 821

## DISCURSUS IX

ECCLESIA IN HODIERNIS PROCESSIONIBUS PASSIONIS CHRISTI OPPROBRIA RECOMPENSAT, MORTISQUE EJUS VICTORIAM ET TRIUMPHUM OB OCULOS NOBIS PONIT.

IDEA SERMONIS. — 1. Pater æternus Filii sui humiliationes recompensavit dum viveret in terra. Ecclesia humiliationes Christi in hoc Sacramento pro posse recompensat. — 2. Quem tempore passionis suæ Hebræi et Gentiles derisioni habuerunt omnes gentes hodie adorant. — 3. Triumphus Christi triumpho romanorum confertur. — 4. Prosequitur eadem materia. . . . . .

## DISCURSUS X.

MULTÆ INTER PROCESSIONEM QUA DAVID ARCAM CIRCUMFERRI FECIT, ET HODIERNAS SANCTISSIMI SACRAMENTI PROCESSIONES ADDUCUNTUR ANALOGIÆ, AGITURQUE DE REVERENTIA QUA EISDEM ASSISTERE DEBEMUS.

IDEA SERMONIS. — 1. Arca Eucharistiam præfigurabat. — 2. Propter Eucharistiam Christianis Deus benedicit. — 3. Hæc benedictio universalis est. — 4. Puritas mentis exigitur. — 5. Magnates humillimam reverentiam exhibere debent huic Sacramento. — 6-10. David et arca. . . . . 827

EXPLICIT INDEX CONCIONATORIUS

Besançon. — Imp. F. RAMEAUX-MAYET.

H^te WALZER, Libraire-Éditeur

7, RUE DE MÉZIÈRES, A PARIS

# GRAND CATÉCHISME

## DE LA PERSÉVÉRANCE CHRÉTIENNE

OU EXPLICATION PHILOSOPHIQUE, APOLOGÉTIQUE, HISTORIQUE, DOGMATIQUE, MORALE, CANONIQUE, ASCÉTIQUE ET LITURGIQUE DE LA RELIGION

**Suivant les Constitutions déjà promulguées du saint Concile du Vatican**

TIRÉE DES MEILLEURS AUTEURS ANCIENS ET MODERNES

ET APPUYÉE DE TRÈS NOMBREUX TÉMOIGNAGES DE L'ÉCRITURE, DES PÈRES ET DES ÉCRIVAINS ECCLÉSIASTIQUES

Avec d'innombrables traits historiques puisés aux sources les plus pures

**OUVRAGE HONORÉ D'UN BREF DU PAPE PIE IX**

**Approuvé par Mgr PICHENOT, évêque de Tarbes**

ET TERMINÉ PAR UNE TABLE GÉNÉRALE ANALYTIQUE

*ONZIÈME ÉDITION. 14 forts vol. in-12, renfermant la matière d'au moins 16 vol. in-8 ordinaires.*

**PRIX : 38 FRANCS**

---

# DICTIONNAIRE

DE

# DROIT CANONIQUE

OU

# LE COURS DE DROIT CANON

DE M^gr ANDRÉ, Protonotaire apostolique

ENTIÈREMENT REVU, CORRIGÉ, AUGMENTÉ ET ACTUALISÉ

**Par l'Abbé CONDIS**

Traducteur des *Institutions canoniques* de l'illustre Professeur DE CAMILLIS
Auteur du *Traité des censures d'après la bulle Apostolicæ Sedis*

OUVRAGE CONTENANT

LA DISCIPLINE GÉNÉRALE DE L'ÉGLISE ET LA LÉGISLATION CIVILE ECCLÉSIASTIQUE DE FRANCE
DES EXPLICATIONS SUR LES CONGRÉGATIONS ROMAINES ET LES USAGES DU SAINT-SIÈGE
DE NOMBREUX ARTICLES DE LITURGIE ET SUR LES DÉVOTIONS CATHOLIQUES
L'HISTOIRE DES ORDRES RELIGIEUX
LA SITUATION DE L'ÉGLISE DANS TOUTES LES CONTRÉES DU MONDE, AVEC LE TEXTE ET L'ANALYSE
DES CONCORDATS CONCLUS PAR DIVERSES NATIONS AVEC LE SAINT-SIÈGE
ET, SUR TOUS LES SUJETS, LES DERNIÈRES DÉCISIONS DES CONGRÉGATIONS ROMAINES.

**3 forts volumes in-4°, renfermant la matière d'au moins 10 vol. in-8° ordinaires.**
**Prix : 45 francs.**


1076-01. — CORBEIL. Imprimerie Ed. CRÉTÉ.

25282

264.041
M 317d

AUTHOR Mansi

TITLE Aerarium Divini Amoris